37
45 G
13

- HAG 359

Digitized by Google

SANCTI
ANSELMI
EX BECCENSI ABBATE
CANTUARIENSIS
ARCHIEPISCOPI
OPERA.

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTI
ANSELMI
EX BECCENSI ABBATE
CANTUARIENSIS
ARCHIEPISCOPI
OPERA:



NEC NON
EADMERI
MONACHI CANTUARIENSIS
HISTORIA NOVORUM,
ET ALIA OPUSCULA:

Labore ac ſtudio D. GABRIELIS GERBERON
Monachi Congregationis S. Mauri ad Mſs. fidem expurgata & aucta.

SECUNDA EDITIO,
correcta & aucta.

LUTETIÆ PARISIORUM,
Sumptibus MONTALANT, Bibliopolæ, ad Ripam PP. Auguſtinianorum, prope Pontem S. Michaëlis.

M. DCC. XXI.

CUM PRIVILEGIO REGIS, AC SUPERIORUM LICENTIA.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO NOBILISSIMOQUE DOMINO D.

JACOBO NICOLAO COLBERT

ABBATI BECCENSI,

PRIORI AC DOMINO CHARITATIS SUPRA LIGERIM, NECNON AMBERTÆ.

QUI cunctis supereminet sacræ doctrinæ magistris, ILLVSTRISSIME DOMINE, is tibi se sistit; ut in ejus amplexus ruas, quem ut patrem colis; & eum attentus auscultes, quem ut magistrum revereris, qui purioris Theologiæ studiosissimus es.

Is ipse suas, & quidem expurgatas, tibi offert lectiones, in quibus unis ea omnia teneas quæ in cæteris legisti: ut quæ, eo exponente, noveris, ea te docente omnes quandoque discant.

Anselmus est, ex Abbate Beccensi Cantuariensis Archiepiscopus, qui suo tandem splendori restitutus Abbatem Beccensem suo sic adgaudet illustrare lumine, ut in gratiæ vicem ipse tuo nomine illustrior fiat; & ita splendenti Anselmo ab eo illustratus ipse affulgeas.

Hactenus vel mutilus, vel mendis fœdus adeo viluerat; ut nequidem legeretur, eo quod vix ac ne vix quidem intelligeretur: ipsum modo nativæ suæ integritati ac puritati

Digitized by Google

reddidimus, consultis quam pluribus, quos undequaque corrogavimus, codicibus manuscriptis: adeo ut qui offendebat in singulis, jam integrum inoffenso decurrat pede; & qui hærebat, in verbis, sensum facilis attingat.

Jam ergo ut S. Anselmi opera cunctis fiant amori ac studio; quid supereſt, nisi ut tuo fulgeant nomine? quo enim fœlicius, quàm tuo, Sancti illius Doctoris opera prodirent? Quicquid in scientiis altum, quicquid mirum in artibus, hoc COLBERTI nomen jure celebrat, dum ambit tutelam. Ecquis ejus non ambiret patrocinium; qui dum Regis Regnique Administer Secretioribus assidet Consiliis, sic omnium promovet vel protegit studia, ut in ipso habeant scientiarum alumni Mecœnatem, omnes litterati patronum.

In te ergo, ILLVSTRISSIME DOMINE; ut nobis sit, quem in Parente se habere gloriatur non Galliæ modò, sed Europa, sed totus orbis; Anselmus primævo suo splendori redditus tuo nomine gestit insigniri; qui olim Galliæ, Angliæ, vel magis orbis Christiani decus fuit & ornamentum.

Is ex Abbate Beccensi, cujus locum tenes, ad infulas raptus, quas ut scientiæ pietatisque merito quamprimùm obtineas, jam in omnium vocis est; is, inquam, sua opera non tuo examini, ut olim Lanfranci censuræ, corrigenda subjicit; sed emendata, tuis studiis tuæque tutelæ committit.

Vnus fortè miraberis quòd Theologorum facile Princeps te sacræ doctrinæ alumnum, suæ quærat habere tutorem. Hoc unum in te mirantur omnes; quòd tuæ parentis non tam alumnus, quam actor; & vindex sis magis, quàm discipulus. Sublimiorem sane intelligentiam spirant hujus Sancti Doctoris opera: verum, quo ferves, animus nec sublimioribus impar.

S. Anselmus unus ipse est qui summæ essentiæ Majestatis eà humilitate scrutatus est, quæ non oprimeretur à gloria; & eâ sapientia attigit, quæ intelligeret quod fide credidit. Vnus ipse est qui divini Verbi œconomiam sic exposuit; ut

Digitized by Google

quod caperet nemo, nemo non apprehendat, qui cum ipſo per fidem ad intellectum profecerit. Vnus ipſe eſt, qui Angeli & hominis caſum, originaliſque labis traducem ſit ediſſeruit; ut quod cæteros occultum latuit, jam omnibus fiat manifeſtum, qui ideo credunt ut intelligant. Vnus porro ipſe eſt, qui eam, quam pauci penetrare valent, divinæ præſcientiæ, prædeſtinationis & gratiæ cum humana libertate concordiam ea lege compoſuit, ut pereat neceſſe ſit qui ſic unum defendit ut alterum neget.

Hæc ſunt, ILLVSTRISSIME DOMINE, quæ S. Anſelmus ſapuit: hæc ſunt, quæ S. Anſelmus docuit; & quidem hæc alta, hæc ſumma ſunt: ſed & ideo tuis digna ſtudiis, quibus in id unum tendis ut Deo digna ſapias. His itaque qui in S. hujuſce Doctoris operibus latent, divinæ ſapientiæ theſauris te quis dignior, vel te quid dignius? hos igitur eo animo excipias, quo ipſos in ſuæ erga te reverentiæ obſequium tuo nomini dicat, qui ut nihil unquam niſi rectum, niſi ſanctum, cum Anſelmo ſapias, & in Deo ſemper valeas, æternum precatur.

TIBI

Addictiſſimus F. GABRIEL GERBERON
Preſbyter ac Monachus in Congregatione S. Mauri.

Digitized by Google

IN OMNIA

SANCTI ANSELMI

ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS OPERA

PROLOQUIUM.

QUICQUID verbo Dei edocti credimus, id intelligimus SS. Patrum voluminibus eruditi : & ex publicis hiſce Eccleſiæ fontibus uberiores purioreſque noſtræ fidei latices hauriendos eſſe non dubitat quiſquis catholice ſapit. Unde non evolvendis modò his ſacræ doctrinæ codicibus toti incubuere quotquot vere docti fuerunt; ſed & in illis ſedulo expurgandis à labe & ſordibus, quas temporum lapſu & exſcriptorum neſcientiâ vel incuriâ contraxerant, omnem, ut par erat, inſumpſerunt operam quotquot veritati non diſcendæ ſolùm, ſed & poſteris tradendæ invigilarunt.

Hæc nuſquam laudata ſatis Monachorum, & pro cæteris, ſi Edmero credimus, ipſiuſmet Anſelmi ſtudia : hic pius juxta ac utilis eorum labor, qui ut ſcientiæ pariter ac virtutis exemplo nobis præirent, non legendis duntaxat ſed & emendandis ſanctorum ſcriptis impalluere.

Avitæ hujuſce pietatis, avitique iſtius laboris æmuli nonnulla ſanctorum Doctorum opera jam typis purgatioribus excuſa dederunt, & excudenda etiamnum parant plures Congregationis S. Mauri aſcetæ. Nos in S. Anſelmum ex Abbate Beccenſi Cantuarienſem Archiepiſcopum incidimus; cujus ſcripta, dum ſublimioris doctrinæ ſplendoribus hinc inde micarent, adeo corrupta deprehendimus, ut vix una ſupereſſet in eis integra ſententia.

Hæc ut nativæ ſuæ puritati redderentur, plures conſuluimus Codices Mss. quos ultrò nobis ſuppeditavere Bibliothecæ non ignobiles, videlicet Regia, Victorina, Thuana, Ciſterçienſis, Cottoniana in Anglia, Tornacenſis Martiniana, Clar. V. D. Joly Præcentoris Pariſienſis, & Cl. V. D. Bigot Rothomagenſis : nec omiſimus Bibliothecarum, Beccenſis, Gemmeticenſis, S. Michaëlis in monte, Corbeienſis, & San-Germanenſis, exemplaria Mss. Conſuluimus & varias S. Anſelmi operum editiones; duas nempe Gothicas ſine loco & anno: unam Nurembergenſem anno 1491. Duas Pariſienſes, unam anno 1544. & alteram anno 1549. Venetam anno 1549. Duas Colonienſes, unam ánno 1573. alteram anno 1612. & Lugdunenſem, quæ ultima eſt, anno 1630.

Ad iſtorum cum excuſorum, tum Mss. fidem ea quæ in S. Anſelmi operibus vel expuncta fuerant vel omiſſa, reſtituimus; quæ male inſerta, reſecuimus; & quæ in alia verba alioſve ſenſus diſtracta, in auctoris verba mentemque eo quo potuimus ſtudio, & ea qua debuimus ſinceritate, reduximus.

Ea etiam quæ S. Anſelmi conſtat non eſſe, ab iis quæ jure ipſi retribuntur, ex æquo ſecernentes, illa vel in Appendice ſepoſuimus, vel inter Edmeri opera, qui aliqua haud dubie ſcripſit ex his quæ inter S. Anſelmi opera circunferuntur,

Digitized by Google

runtur; videlicet librum *de Excellentia B. Virginis*, librum *de Cœlesti Beatitudine*, & librum *de Similitudinibus*.

Hæc autem ut ordine aliquo prodirent, in quatuor partes distributa sunt. Prima pars continet opera didactica seu dogmatica; hoc est, tractatus qui Theologiæ vel etiam Philosophiæ placita exponunt. Altera pars habet paræneticа, homilias, videlicet, & exhortationes. Tertia includit Ascetica, id est, Meditationes & Orationes. Quarta Epistolas continet.

Dogmatica sic disposuimus, ut non ætatis ordine, sed juxta subjecti seu argumenti dignitatem, aut methodi legis, procederent. Sic quæ de Deo uno agunt, scilicet, Monologion, Proslogion, & liber contra Respondentem pro insipiente; deinde quæ de Deo Trino liber *de Fide Trinitatis*, *&c.* & liber *de processione Spiritus sancti*. Tum quæ de Verbi Incarnatione, nimirum libri *Cur Deus homo* & liber *de Conceptu Virginali*, *&c.* justo ordine procedunt: his tamen præmisso libello *de voluntate Dei*, nec non libro *de casu diaboli*, ut pote qui ad Divinæ Incarnationis intelligentiam conducunt. Deinde liber *de concordia præscientiæ &c. cum libero Arbitrio*; quibus pariter ex legitimæ methodi præscripto præiisse debuerunt dialogi *de veritate* & *de libero Arbitrio*, & libellus *de voluntate*. Post hæc libri seu Epistolæ quæ de Sacramentis aliquid tractant, quales sunt Epistolæ, *de Azymo*, *de Sacramentorum diversitate*, *de Presbyteris concubinariis*, & *de Nuptiis consanguineorum*. Primam hanc partem claudit quæstio dialectica, quæ est argumentum dialogi *de Grammatico*.

Paræneticа, videlicet homilias, secundum seriem librorum & capitulorum Scripturæ, quæ in eis explanantur; jure distribuimus. Ascetica, hoc est, Meditationes & Orationes sic distinximus, ut meditationes quibus mens Deum contemplatur; deinde orationes, quibus Deum anima fidelis invocat, & sanctorum suffragia exorat, singulatim protulimus.

In his ita distinguendis hunc ordinem duximus observandum. Præmittuntur Meditationes sive Orationes, quibus mens compungitur: tum illæ subsequuntur, quibus amore virtutum anima inardescit.

Porro epistolarum tribus libris quos primus ediderat D. Picardus, quartum adjecimus, cæteras omnes complectentem quæ in Ms Bibliothecæ Cottonianæ habentur. Ipsa enim, numero supra centum quæ hactenus ineditæ sunt, solita sua erga veri studiosos humanitate nobis communicavit V. Cl. D. Cotton, instante apud eum singulari benevolentiâ V. Cl. D. Joly Regi à Consiliis in Anglia tum residente. Nonnullas insuper ex Mss. Bibliothecæ tum Regiæ, tum Gisslenianæ, tum Martinianæ Tornacensis, tum Remigianæ Remensis, in qua fragmentum magis est quàm epistola, deprompsimus; & eas partim tertio, partim quarto libro anneximus; partim quoque in Supplemento, post indicem, evulgavimus, eo quod nobis non occurrerint, nisi jam excusis omnibus aliis S. hujusce doctoris operibus.

Appendicem subjunximus, in qua ea opera sepositа sunt, quæ etsi Anselmi nomen falsò præferrent, non tamen prorsus excludenda censuimus, eo quod alibi edita non extent: quæ enim in aliis voluminibus excusa sunt, his typis non expressimus. Sic librum *de membris & actibus Deo attributis*, qui inter S. Hieronymi & S. Augustini opera reperitur; sic librum *de Corpore & Sanguine Domini*, qui incipit; *lego & relego &c.* & inter Guillelmi S. Theodorici Abbatis opera in Bibliotheca Cistere. editus est; sic denique libros *de imagine mundi*, qui in bibliotheca PP. Honorio Augustod. tribuitur, omnino excludimus. Disputatio vero Judæi cum Christiano, quam Gillebertus Abbas Westmonasterii scripsit, hîc locum obtinuit eo quod ad S. Anselmum ab auctore directa fuerit, nec in lucem hactenus edita sit.

Digitized by Google

PROLOQUIUM.

Ipſi ex ſubjecti paritate adjunximus alterum Dialogum Judæi & Chriſtiani, non diu poſt à Ruperto Tuitienſi compoſitum. Is ab ipſo vocatur *Annulus fidei ;* de quo pluribus in locis dixi in Apologia pro Ruperto. Hunc cùm diu conquiſiviſſem, utpote qui ſcirem hoc opus in editis Tuitienſis Abbatis deſiderari, fauſtè tandem nactus ſum, & R. P. D. Martini de Buſch Prioris Monaſterii Lætienſis diligentiâ ex Ms. Codice tranſcriptum, & ad nos amicè tranſmiſſum publici juris fecimus, eum aptiſſimè alteri alterius Abbatis contra Judæos dialogo adnectentes.

Commentationes in Mathæum, in Cantica Cantic. in Apocalypſim, & in Epiſtolas Pauli, hîc excudenda non duximus : cùm nobis conſtet eas non eſſe Anſelmi, ſed maximè Hervæi Monachi Burgidolenſis ; & animus ſit omnes ejus in ſacram Scripturam commentarios, quos in Mss. Codicibus habemus, aliis typis edere, cùm tempora dabunt.

Tandem hîc monuiſſe juvat I. Nonnullas fortè exhortationes & orationes, aliave opuſcula inter S. Anſelmi libros hîc quaſi recenſeri, quæ tamen ejus eſſe minime conſtat : at quid ei jure adjudicandum ſit, ſeverior cenſura infra ſubjicienda demonſtrabit. 2. Aliqua non ſuo ordine eſſe diſpoſita, ut orationem ad S. Paulum, quæ ſexageſima quarta eſſe debuit ; unam ex orationibus ad S. Crucem, quæ inter Caſtigationes hujuſmodi orationum poſita eſt ; & tractatum *de Pace & Concordia*. Id ex eo contigit ſive quod hæc caſu omiſſa ſint, ſive quod non niſi aliis editis fuerint à nobis comperta. 3. Loca & verba quæ ex Mss. collatione caſtigata ſunt aut variè leguntur, ſtellâ denotari. Et cum Caſtigationes ſingulæ omneſque variæ lectiones in margine deſcribi non potuerint ; eas omnes ad finem operum accuratius ſcrupuloſiuſque collectas dedimus, ut quam variæ Mss. legant ab editione Lugdunenſi anno 1630. cum qua ipſa contulimus, noverit quiſquis iſtis voluerit intendere.

Cæterùm ne quid opellæ noſtræ huic editioni deſit ; ſingulorum, quæ in hoc volumine continentur, operum cenſuram ſubjiciemus, ex qua facile quivis ſpuria à legitimis S. Anſelmi operibus diſcernet ; & qua ætate, quove auctore unumquodque prodierit, quantum in his conjicere datur, nullo labore dignoſcet : noſtro interim fruatur.

Digitized by Google

OPERUM
SANCTI ANSELMI
CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI
CENSURA.

MONOLOGII CENSURA.

HUNC librum habent omnes editiones, & illum Anſelmo adjudicant omnia cum excuſa tum manuſcripta. Illius ipſe meminit pluribus in locis infrà citandis.

L. 1. de vita S. Anſelmi pag. 6. col. 2 vid. B.

Hoc opus quo ordine & qua ætate ſcriptum ſit, non ita conſtat. Illud poſt quatuor dialogos, de quibus infrà, ſcriptum innuere videtur Edmerus, ex cujus fide idem cæteri cenſent, quintum locum huic operi concedentes. Verum hujuſce libri mentio multa fit in primo capite primi horumce dialogorum, dialogi videlicet *de veritate*. Unde confici videtur hunc librum hujuſmodi dialogis non eſſe poſteriorem. Pater Theophylus Raynaudus, putat iſta ex Monologio poſtea inſerta ſive attexta fuiſſe huic dialogo. Cui conjecturæ favere videtur quod nomen Monologii, quo eo in capite liber iſte vocatur, non fuerit ei præfixum, niſi diu poſt editos hujuſmodi dialogos: ut infrà dicetur. Nihilominus tamen fallit hæc conjectatio. Nam hoc quod diſcipulus in eo primo capite adduxerat ex Monologio, id in decimo ejuſdem dialogi capite Magiſter ex induſtria exponendum reſumit, & bene poſitum ſic demonſtrat ut diſcipulus nihil ejus rationi poſſe objici reſpondeat. Totam igitur hujuſce dialogi ſeriem attendenti, iſta ex Monologio non fuiſſe huic dialogo adjecta liquet: Adde quod omnia Mſs. ſic legunt. Nec Edmerus hoc opus poſt dialogos editum aſſerit, ſed poſtquam ab Anſelmo ſcriptos fuiſſe hoſce dialogos dixit, ſubjungit: *fecit quoque libellum unum quem Monologion appellavit*, quæ verba non arguunt hunc librum non niſi poſt dialogos prodiiſſe. Quod autem Monologii nomine liber iſte proferatur in 1. & 10. al. 11. capite iſtius dialogi: facile cenſuerim hoc adpoſitum poſtquam Anſelmus hujus operis titulum immutavit, & Monologium vocitari voluit. Conſtat ergo hoc opus ab Anſelmo eſſe compoſitum antequam dialogum *de veritate* ſcripſerit.

In hujus libri fine num. 9. p. 431.

Verum non ſcriptionis ordine duntaxat, ſed & argumenti dignitate primum eſt. In eo enim pluribus & quidem neceſſariis rationibus ſine Scripturarum auctoritate S. Anſelmus in perſona alicujus ſecum ratiocinantis probat quicquid fide de Dei exiſtentia & eſſentia credimus. Hinc illud opus inſcripſerat, *exemplum meditandi de ratione fidei*, nullo auctoris nomine præpoſito, ut præfert Ms. Sagienſe, quod propterea cæteris antiquius ducimus: deinde Monologium nuncupavit. Hugone verò Lugdunenſi Archiepiſcopo jubente ut nomen ſuum illi præſcriberet; ipſe jam Abbas Beccenſis, illud Monologium, id eſt, Soliloquium nominavit. Hæc ex ipſo diſcere eſt in ejus Prologo ad Proſlogion & in capitibus 4. & 9. libri de fide Trin. & de Incarn. Verbi, & in ejus epiſtola ad Hugonem, quæ eſt 17. libri 2. & in epiſtola ad Lanfrancum, quæ eſt 63. l. 1. & in epiſt. ad Mauricium quæ eſt 65. ejuſdem libri primi.

Hunc autem librum inſtantibus ſuis Monachis, & maximè Mauricio, Anſelmus tum Becci Prior ſcripſit, & antequam evulgaret, corrigendum Lanfranco jam tum Archiepiſcopo miſit, ut ipſe ſuis ad eum epiſtolis teſtatur Vide lib. 4. epiſt. 102. & lib. 1. epiſt. 63.

Cùm autem S. Anſelmus eo in libro dixiſſet non propriè dici in Deo tres perſonas quomodo tres ſubſtantiæ, &c. inde à nonnullis reprehenſus eſt, à quorum cenſura ſe vindicavit B. Auguſtini auctoritate, ut ipſe adhuc Prior ſcribit Rainaldo Abbati in epiſtola quæ eſt 74. l. 1. & Lanfranco Archiepiſcopo in epiſt. quæ eſt 68. lib. 1.

PROSLOGII CENSURA.

HUjus libri argumentum & intitulationem diſcere quivis poteſt ab Eadmero in lib. 1. de vita S. Anſelmi, ex prologo hujuſce libri, & ex epiſt. 11. & 17. libri 2. Hoc opus inter alia S. Anſelmi extat in omnibus editis ac Mſs. In editis quidem inſcribitur. Proſologion; ſed per errorem: inſcribendus enim eſt iſte liber, Proſlogion, ut habent Mſs. 464. & 2267. Bibliothecæ Regiæ & alia antiquiora: ut videre licet in Caſtigationibus, quas ad calcem operum poſuimus.

pag. 6. col. 2. B. &c.

Quod Anſelmus adhuc Prior Becci, & quidem poſt Monologium, ipſum compoſuerit, ex Edmero loc. cit. palam eſt. Quæ eo in opuſculo de Divina Natura & ejus perſonis S. Anſelmus ediſſeruit, ipſe commendat in c. 4. libri *de fide Trinitatis & de Incarnatione Verbi*. Quæ autem in eo de pleno beatitudinis gaudio eloquutus eſt, Hugoni Incluſo legenda conſulit in ep. 22. l. 2. Etſi libellus iſte ſententiarum ac ſubtiliſſimæ contemplationis pondere magnus eſſet, ut ait Willelmus Gemmet. lib. 6. hiſt. Norman. c. 9. Quidam tamen hujus libri ratiocinationem confutare aggreſſus eſt, de quo in ſequentis opuſculi cenſura dicemus.

ab an. 1069 ad an. 1077.

Obſervandum hîc ſupereſt quod cùm S. Anſelmus indubius ſit hujuſce opuſculi auctor, ex quo maxima pars Manualis quod S. Auguſtini operibus inſeritur, conflata eſt; liquidò conſtat Manuale illud non Auguſtini, ſed magna ex parte Anſelmi fœtum eſſe, ut infra demonſtrabimus in cenſura Meditationis 21. quæ

Digitized by Google

incipit : *Eia nunc*, &c. & ex isto opusculo tota excerpta est.

CENSURA RESPONSIONIS

Pro insipiente.

CUm Proslogium in manus cujusdam venisset, qui hanc Anselmi argumentationem, *id quod majus cogitari nequit, est saltem in intellectu, ergo & necessario reipsa existet*, non ratam esse putans, eam refellere gestiens scriptum illud edidit. ut narrat Edmerus lib. 1. de vita S. Anselmi p. 6. 2. E. Hoc opus varias habet intitulationes, quas videre licet in variis hujusce libelli lectionibus ad calcem hujusce tomi positis. In hujus responsionis fine plurimum commendatur liber Proslogii.

Hujusce vero Responsionis quis auctor esset Anselmus adeo tacere voluit, ut eum non esse insipientem; sed Catholicum dixisse satis esse duxerit in prologo sui Apologetici, pag. 37. Unde hactenus hujusce Respondentis nomen auditum non fuerat, quod nos declaravimus ex Mss. fide quæ Gaunilonem Majoris Monasterii Monachum hujus responsionis auctorem proclamant. Vide varias hujusce & sequentis opusculi lectiones. Abeat jam ergo procul Francisci Pici sententia hoc opus tribuentis Roberto Olxot, quem constat ducentis annis esse Anselmo juniorem. Is quidem & cum eo alii hanc S. Anselmi ratiocinationem, veluti quæ in Logicam peccaret, explosere unt : sed ausim dicere quòd nec eam intellexerunt. Alius forte dabitur de ea differendi locus.

CENSURA LIBRI

Contra Gaunilonem respondentem pro insipiente.

QUidam S. Anselmi amicus ad eum misit Gaunilonis responsionem, quam ut sanctus doctor consideravit, gavisus est, & eam adjuncta confutatione eidem amico remisit, ut testatur Edmerus l. 1. de vita S. Anselmi p. 7. 1. A. Hæc confutatio legitur in omnibus S. Anselmi tam excusis quam Mss. codicibus. In Ms. 142. bibliothecæ Domus S. Petri, tract. 3. extat sub hoc titulo : *Contra insipientem*. In Mss. Biblioth. aulæ Pembroch. tract. 8. hunc præfert titulum : *Contra respondentem insipientem*. In ea spectabilis est Anselmi modestia, qui, ut refert Edmerus loco cit. gratias agit suo reprehensori ; quem non insipientem sed Catholicum ipse pronunciat in suæ responsionis prologo, & quem non malevolentia sed benevolentia, quæ ipsi infirma visa sunt, confutanda suscepisse censuit ; ut ait in hujusce apologetici clausula p. 40. 2. B. hæc S. Anselmum, dum Becci Prior esset, (circa an. 1070.) scripsisse discimus ab Edmero citato loco.

CENSURA LIBRI,

seu Epistolæ,

De fide Trinitatis, & de Incarnatione Verbi.

HIc liber extat in omnibus sive Mss. sive excusis sancti Anselmi exemplaribus : & quidem inventus est, sic præmonitus, *Liber sive epistola de fide*, seu *liber de Incarnatione Verbi contra Judæos* : ut fidem facit hujusce libelli præfatio in editionibus Gothicis quæ nec annum nec locum habent, & in quarum altera omittuntur hæc verba : *contra Judæos* : quæ & in subsequentibus postea editionibus meritò expuncta sunt. Irrepserant enim, ut conjicio, ex Trithemio, qui in l. de Eccl. script. censuit S. Anselmum librum *de Trinitate*, & quidem ab eo opere distinctum, contra Judæos scripsisse : qui error ex variis hujus opusculi inscriptionibus ortus est. Nam in Ms. 336. bibliothecæ Regiæ hic liber sic inscriptus legitur, *Anselmus de Trinitate*. Nec immerito : quandoquidem Trinitatis fides in eo maxime explicatur. Unde & nos integrum titulum restituimus, *de fide Trinitatis*, &c. nec enim eum duximus omittendum, qui magis operis argumentum indicat.

Sanctus Anselmus in c. 4. hujus operis commendat Monologion & Proslogion, quibus proinde posterius est : at in cap. 17. libri *de processione Spiritus sancti* meminit istius epistolæ, quæ propterea illum librum præcessit.

Edmerus l. 2. de vita S. Anselmi, & l. 2. histor. novor. scribit hoc opus ab Anselmo initio sui Archiepiscopatus fuisse compositum stylo epistolari & Urbano II. Papæ destinatum ; & ex eo S. Pontificem in Barensi Concilio errorem Græcorum firmius confutasse. Nihilominus tamen certum est 1. Anselmum adhuc Abbatem primam huic operi manum admovisse, videlicet anno 1092. ipse enim in epistola ad Baldricum, quæ est 51. l. 2. significat se hunc librum inchoasse antequam in Angliam transfretaret. Cantuariam autem venit pridie Nativitatis B. V. & anno sequenti, qui ab Edmero 1093. notatur, in Archiepiscopum electus est: juxta ipsiusmet Edmeri historiam. l. 2. de vita sancti Anselmi. *Pridie*, inquit, *Nativitatis B. Dei Genitricis & perpetuæ Virginis Mariæ, Cantuariam venit ... Rapitur & violenter in vicinam Ecclesiam cum Hymnis portatur. Acta sunt hæc an. D. Incarnat. 1093. pridie Non. Martii.* pag. 13. l. A. B.

Id insuper ex eo probatur quod ut Anselmus indicat in c. 1. hujusce operis, inceptum sit ante Concilium Suessionense quod Raynaldo Remensi Archiepiscopo præside celebratum est anno 1092. abeunte, vel ineunte anno 1093.

Certum est 2. manum ultimam huic operi S. Anselmum dedisse anno 1094. videlicet post S. Anselmi inaugurationem anno 1093. pridie non. Decemb. peractam, cùm Rege in Normanniam transvecto Anselmus studiis cœlestibus vacaret ut tradit Edmerus. l. 2. de vita sancti Anselmi : hæc autem, eodem teste, anno 1094. contigerunt. pag. 13. l. 4. med.

Hunc autem librum sanctus Anselmus scripsit contra quendam Clericum, qui asserebat in Deo tres personas esse tres res, sicut tres Angeli aut tres animæ : quem cum resipuisse audiisset, & ipse suum opus dimiserat, quod non perfecit nisi postquam eum fide suum errorem abjurasse didicerit. Hæc ipse in c. 1. hujus libri proloquitur. pag. 14. a. C. D. pag. 15. a. &

Porro Clericus hic, contra cujus blasphemias calamum S. Anselmus exacuit, Roscelinus sive Ruzelinus vocatur in Ms. 3. bibliothecæ Thuanæ, ut notant variæ lectiones ; & in Ms. Monasterii Longi-pontis in quo extat hic liber eo titulo : *de Incarnatione Verbi contra blasphemias Rucelini Compendiensis*. Iste Rucelinus fuit Abailardi præceptor, ut observat Horstius ad S. Bernardi Epistolas tom. 5. p. 37. col. 1. Illius denique errores notantur à S. Anselmo l. 2. ep. 35. 41. & 51. ab Abailardo ep. 21. ab Ivone Carn. ep. 7. & ab Annalium scriptoribus ad an. 1092. & 1094. Ea autem ætate plurimi ista difficultate tenebantur, ut ipse Anselmus tradit. pag. 42. a. C. D.

Digitized by Google

CENSURA LIBRI

De processione Spiritus Sancti.

LEgitur hic liber in omnibus tum Mſs. tum excuſis operum ſancti Anſelmi voluminibus. Cantabrigæ in Ms. 235. Collegii ſancti Benedicti tribuitur Auguſtino; per errorem haud dubie prioris litteræ, A, quæ Auguſtinum pro Anſelmo ſignificavit.

Anſelmum autem hoc opus ediditſe licet non expreſſe tradat Edmerus in libris de ejus vita, & ibi ſolummodo dicat Græcos ab Anſelmo Catholica diſputatione fuiſſe confutatos: manifeſtum tamen fit ex eodem in lib. 2. hiſtor. novor. ubi ait quod ipſe Anſelmus poſt Barenſe Concilium, quod anno 1098. coactum eſt, inde diligentius atque ſubtilius tractans, egregium opus ſcripſit, & per multa loca ab amicis ſuis rogatus direxit. Id etiam patet ex Anſelmi libro ſeu Epiſtola *de Azymo*, in cujus cap. 1. docet ſe ad Waleranum miſiſſe opuſculum quod de proceſſione Spiritus ſancti ediderat. De eadem iſta diſputatione ſcribitur in ep. 53. & 160. l. 3. & in epiſt. 11. l. 4. hic liber in editionibus Gothicis & in Colonienſibus inſcribitur, *Epiſtola* &c. quod ex eo factum conjicio quod Hildeberti inſtantia conſcriptum Anſelmus ad eum tranſmiſerit, ut ex citatis epiſtolis liquet.

l. 2. p. 21. 2. a.

l. 53. 2. 2.

Hoc opus editum eſſe ante completum an. 1101. quo ſchiſma extinctum eſt, colligitur ex præfata epiſtola qua Waleranno in ſchiſmate ſtanti miſiſſe ſe illud opuſculum Anſelmus ſcribit. Præadducta quoque Edmeri verba certam fidem faciunt illud non eſſe compoſitum niſi poſt Concilium Barenſe, quod non anno 1097. ut Conciliorum collectores falſo computant, ſed anno 1098. celebratum eſt. Anſelmus enim anno 1097. feria 5. quæ fuit idus Octobris à Curia diſceſſit, & poſtera die ex Anglia Romam profecturus ad portum Doſris venit. Lugduni moratus eſt uſque ad feriam tertiam ante Dominicam Palmarum (anni proinde 1098.) quo de Lugduno receſſit & poſt aliquot dies Romam pervenit, & præ nimia æſtate in villam *Sebleiam* divertit: unde Barum cum Urbano II. petiit, & Concilio adfuit. Hæc fuſe narrat Edmerus l. 2. hiſt. novor. ex quibus fit evidens Barenſe Concilium anno 1098. coactum eſſe, & librum *de proceſſione Spiritus ſancti*, non editum eſſe niſi poſt hujus anno 1098. decurſum. Mihi ergo probatur l. ad id operis excitatum Anſelmum ab Hildeberto Cœnomanenſi Epiſcopo anno 1100. poſt menſem Auguſtum, quo Rex Willelmus regnum cum vita depoſuit, hoc eſt ſtatim atque à carcere quo incluſus fuerat, Hildebertus liberatus eſt, & quo Anſelmus in Angliam reverſus eſt: ibi enim tunc fuiſſe Anſelmum non obſcure innuit præfata Hildeberti ad Anſelmum epiſtola quæ eſt 160. l. 3. *his verbis*: *Felicem me, ſi meruiſſem vel præſens inſtrui. Hoc autem mihi locus invidet, nec aliter ſalutationis indulſit obſequia, niſi prius orbis dimidium conſultarem: oportet enim maris & aeris explorare clementiam*, &c. In qua etiam ſe nondum in Angliam transfertaſſe indicat; unde & colligo eam ſcriptam ante annum 1101. quo ineunte videlicet paulo ante vernum tempus in Angliam Hildebertus tranſivit, antequam Elias urbe capta Cœnomanenſe Caſtrum obſediſſet: ut de Hildeberto obſervat D. de Bondonnet in libro de vitis Cœnom. Pontificum 2. Mihi probatur hoc opus ab Anſelmo compoſitum ab anno 1101. ineunte ad annum 1103. quo iterum ex Anglia Anſelmus exivit, & eo ipſo tempore Anſelmum illud Hildeberto ac Waleranno miſiſſe.

l. 2. hiſt. nov.

CENSURA LIBRI

De voluntate Dei.

IN nullo ex his, in quæ incidi, Mſs. reperitur iſte libellus. Cum tamen in omnibus editis legatur ſub Anſelmi Cantuar. Archiep. nomine, & in eo verba ac ſententiæ S. Anſelmi deprehendantur, illum ad appendicem non duximus ablegandum. Equidem ſcio Anſelmum Laudunenſem de voluntate Dei eo ſæculo diſputaſſe, & ejus hac de re ſententiam à Ruperto Tuitienſi acriter impugnatam non verbis modo, ſed & ſcriptis: ut in Ruperti Apologia late diſſerui. Verùm quidni & Anſelmus Cantuarienſis de eadem quæſtione ſimul ac de Concordia præſcientiæ, &c. ſcripſerit circa vitæ finem, effervelcentibus tunc animis circa hanc de Dei voluntate quæſtionem: paucis videlicet annis antequam Rupertus cum Anſelmo Laudunenſi congrederetur. Nam adverſus eum ſcripſit circa annum 1116. ut in ejus Apologia animadverti: Anſelmus verò deceſſerat anno 1109.

In prolog. & in 1 parte p. 10. 11. 12. 115. 129. 130.

CENSURA LIBRI

De caſu diaboli.

ISTius Dialogi S. Anſelmus ipſe meminit in c. 17. l. 1. *Cur Deus homo*. Et in c. 5. l. *de Conceptu Virginali*, circa finem, & in c. 7. l. *de Concordia præſcientiæ*, &c. Argumentum libri declaratur in prologo ad Dialogum *de veritate*.

Hunc ut & alios tres S. Anſelmus ſcripſit dum adhuc Prior eſſet Becci, ut tradit Edm. l. 1. de ejus vita: hoc eſt ab anno 1063. quo præpoſitus eſt, ad annum 1077. quo in Abbatem eſt electus. *pag. 119. pag. 6. 2. A.*

Obſervandum hîc unum eſt quod tractatus *de malo*, de quo ipſe ſcripſit ad Mauritium, non eſt niſi excerptum ex c. 11. dialogi iſtius, remota forma interlocutionis, ut facile advertet quiſquis epiſtolam ad Mauritium, quæ eſt 8. l. 2. contulerit cum præfato capite 11. *al.* 10. Quapropter ſcriptum illud ſeparatim non edidimus, cùm & in eo capite, & in iſta epiſtola uno contextu integrum habeatur.

CENSURA LIBRORUM

Cur Deus homo.

HOc opus in Anglia ad Boſonis inſtantiam. S. Anſelmus inchoavit; & in Capuana provincia antequam cogeretur Barenſe Concilium, perfecit: ut ipſe teſtatur in præfatione, & Edmerus refert l. 2. de ejus vita. Inde conſequi neceſſe eſt hoc opus prodiiſſe ante librum *de proceſſione Spiritus ſancti*: qui ut probavimus, non niſi poſt Barenſe Concilium ſcriptus eſt. Anno itaque 1094. poſtquam librum *de Incarnatione Verbi* perfecit, hoſce libros S. Anſelmus aggreſſus eſt, dum per Regis abſentiam ſtudiis ſanctis totum ſe daret, juxta Edm. l. 2. de ejus vita. Ipſos autem complevit in villa *Sebleiam* quo diverterat anno 1098. & ubi remanere nimio calore compulſus eſt, donec inſtaret ſtatus dies Concilii videlicet Cal. Octob. iſtius anni 1098. & non anni 1097. ut ex Edmero demonſtravimus in libri *de proceſſione Spiritus ſancti* Cenſura. *pag. 10. 2. C.* *pag. 14. 1. B. C. D.*

Hos libros Edmerus ipſe Beccenſi Eccleſiæ, cujus erat filius, tranſcripſit: ut teſtatur S. Anſelmus in epiſtol.

by Google

quæ est 25. lib. 2. Ipsos etiam à Monachis Cantuariæ transcribi ad Paschalem II. mittendos rogavit S. Anselmus : si ejus epistolæ credimus, quæ est 55. l. 4.

Advertendum etiam est quod in fine cap. 17. libr. 2. pag. 44. a. B. dicat Anselmus voluntatem se habere scribendi de Originali peccato : unde consequitur librum *de Conceptu Virgin. & Orig. pecc.* esse illo posteriorem : quod etiam arguitur ex prologo & ex c. 22. istius libri, ubi meminit librorum, *Cur Deus homo.*

CENSURA LIBRI

De Conceptu Virginali & originali peccato.

POst Barense Concilium, Romanamque Synodum S. Anselmus, dum Lugduni moraretur expletis libris, *Cur Deus homo*, hoc opus scripsit ante meditationem *de Redemptione Humana* : ut fidem facit Edmerus lib. 2. de ejus vita. Liquet ergo librum hunc pag. 21. 2. ed. B. esse çompositum anno 1099. quo Conc. Rom. celebratum est sub Urbano II. in festo, Apparitionis scilicet, S. Michaëlis, quòd erat terminus induciarum quas in festo Nativitatis Domini post Concilium Barense, pag. 55. Rex Angliæ obtinuerat : juxta Edmer. l. 2. hist. novor. huic enim Synodo Romanæ S. Anselmus interfuit, nec nisi eâ peractâ Lugdunum repetiit, ut ex Edm. ibidem constat : Nec Lugduno discessit nisi post Regis obitum qui an. 1100. mense Augusto contigit : uno videlicet anno post mortem Urbani II. qui pag. 56. 1. A. humana exuerat mense Octobri anni præcedentis, ut Edmerus in fine lib. 2. hist. novor. observat.

Hic liber aliquando duntaxat inscribitur, *de Conceptu Virginali :* Sic Cantabrigæ in Ms. 161. Biblioth. publicæ, & in Ms. 217. Collegii Caii, & in Mf. 203. aulæ Pembrochianæ, & in aliis. Aliquando simpliciter, *de Originali peccato*, sic Cantabrigæ in Mf. 235. Collegii S. Benedicti, & aliis quæ videre est in variis lectionibus. Hinc fortè error Trithemii distinguentis librum *de Virginali Conceptu*, à libro *de peccato Originali.*

In præfatione & in c. 22. istius opusculi S. Anselmus meminit librorum. *Cur Deus homo*, qui proinde eo sunt antiquiores : illud verò præcessit librum *de Concordia præscient.* in cujus c. 7. mentionem habet opusculi istius.

Denique in epistola ad Theodoricum, quæ est 42. lib. 4. de eo opere scribit : & illud cum libris *Cur Deus homo* transcribi mandat, ut eos omnes ad Pasch. II. dirigeret. *Vide* epist. 55. l. 4.

CENSURA DECLARATIONIS

Cujusdam

In præcedentem librum.

ETsi declaratio hæc in Mss. Sancti Anselmi voluminibus non occurrat, in omnibus tamen illius operum editionibus reperitur. Illius occasionem & argumentum ex ipsamet discere licet. Verùm de illius auctore & ætate non aliud scimus nisi quod coætaneus fuerit S. Bernardo Clarevallensi, quem vocat sui temporis Spiritus S. organum. Unde consectaneum est hanc ce declarationem esse posteriorem Anselmo, qui decesserat anno 1109. Bernardus verò junior Monachum induit anno 1113.

CENSURA DIALOGI

De Veritate.

SAnctus Anselmus adhuc Prior hunc dialogum scripsit Edmero teste l. 1. de ejus vita : eodem videlicet pag. 6. 2. A. tempore quo dialogos *de casu diaboli*, *de libertate* & *de Grammatico*. Vide sancti Anselmi prologum ad hunc dialogum, cujus adhuc ipse meminit in c. 5. libri *de Conceptu virginali*. Eadem proinde sit dialogorum *de libero arbitrio & de Grammatico* Censura : si addideris quod in c. 4. quæst. 3. *de concordia gratiæ* &c. mentio fiat dialogi *de libero arbitrio.*

CENSURA TRACTATUS

De Voluntate.

SAnctus Anselmus l. *de Concordiâ Gratiæ cum lib. arb.* c. 11. utcunque promisit etsi infirmæ admodum valetudinis, se aliquando dicturum de multiplici divisione voluntatis quæ est usus. Id autem cùm nullo in loco attigerit, non abs re conjicio ab eo paulo antequam decederet, libellum hunc esse compositum, quem ex Ms. Victor. Cd. 12. edidi ; & quidem eo lubentius, quod non modò Anselmi nomen, sed & sententias habet. pag. 131. 1. C.

CENSURA LIBRI

De concordia præscientiæ, prædestinationis, & gratiæ cum libero arbitrio.

ANglicanæ Ecclesiæ pace reddità, S. Anselmus circa vitæ finem, hoc est anno 1109. hoc opus scripsit : juxta Edmer. l. 2. de ejus vita. pag. 23. 2. B.

Varia est hujusce operis distributio : ut in variis lectionibus notatum est ; queis adde quod in Mf. 142. Domus sancti Petri in Anglia in duos tractatus iste liber dividitur : primus est de præscientia & prædestinatione ; alter de gratia & libero arbitrio : at justius in Mf. 203. Aulæ Pembroch. in tres partes distribuitur. 1. De præscientia & libero arbitrio : 2. de prædestinatione & libero arbitrio. 3. de Gratia & libero arbitrio. In Mf. bibliothecæ Villariensis in Brabantia dicitur *liber trium quæstionum*. Dignus sane liber qui tanti viri vitam clauderet.

CENSURA LIBRI

SEU EPISTOLÆ

De Azymo & fermento.

LIbrum hunc, seu epistolam esse Anselmi protestantur omnia cùm excusa tum Mss. exemplaria : & ipse Dodechinus ad ann. 1094. sed & ipse liber in c. 2. declarat se ab eo scriptum qui tractatum *de processione Spiritus sancti* ediderat, de quo supra diximus. In Ms. 22. bibliothecæ Lincolniensis, & in Mss. 217. bibliothecæ Caii, & in Mf. 145. bibl. publicæ Cantabrigensis, & in Mf. Cistercienti inscriptus est, *de sacrificio Azymi & fermentati :* In Mf. Sancti Martini

Digitized by Google

Torin. intitulatus est, *de pane sacrificii contra Græcos*. Inter Epistolas excusa fuit editione Colon. an. 1612. in aliis omnibus inter libros edita est sub eo titulo quem ei præfiximus. Vide varias lectiones.

Cum præfatus liber, *de processione*, &c. cujus in c. 1. hujusce epistolæ fit mentio, prodierit ab anno 1101. ad annum 1103. ut supra demonstratum: & hæc epistola directa fuerit Waleranno Novemburgensi adhuc stanti in schismate, quod Guiberti morte quæ juxta Dodech. anno 1100. obtigit, extingui cœpit; certo certius est eam ab Anselmo scriptam non fuisse ante annum 1101. sed paulo post librum *de processione Spiritus sancti* circa annum 1102. hanc enim protrahere usque ad annum 1106. sub cujus fine Anselmus in Angliam rediit, & quo Henricus IV. Imp. Leodii vita functus est, absque diceretur, cum eo tempore schisma penitus desiisset, Henrico V. jam imperante. Hæc præcessit alteram, *de sacramentorum diversitate*, in cujus fine auctor meminit illius.

CENSURA LIBRI

Sive duarum Epistolarum de sacramentorum diversitate.

PRimam hujuscemodi Epistolarum esse Waleranni, alteram Anselmi Cantuar. inscriptiones præ se ferunt in omnibus tam editis quam Mss. Ideo autem Edmerus illius sicut & præcedentis opusculi non meminit, quòd inter epistolas ea recensenda duxerit: nos ea libris accensuimus, juxta omnes penè editiones, & pleraque Mss. In Ms. 22. bibl. Lincol. & in Ms. 217. Bibl. Caii & in Ms. 103. Aulæ Pembroch. & in Ms. Cisterc. ac in editione Nuremberg. anno 1491. hîc liber inscriptus legitur, *De sacramentis Ecclesiæ*. Quo eodem titulo illum citat S. Bonav. to. 7. parte 4. in c. 1. tertiæ Responsionis Apologiæ pauperum. Diversos alios titulos vide in variis lectionibus.

Qua autem ætate duæ istæ epistolæ scriptæ sint, sic conjicimus. Anselmus Waleranno jam miserat epistolam de Azymo, ut ipse in fine hujusce opusculi significat. Deinde ex c. ult. epistolæ Waleranni & ex c. 1. epistolæ Sancti Anselmi constat quod tunc Waleramnus Paschali II. esset reconciliatus, & adeo ipsi familiaris ut Cardinalium jam tum esset consecretarius: ut refert Paulus Langius in Chronico Citizensi. Igitur scriptam censeo hanc sancti Anselmi epistolam anno 1102. quo Anselmus Ecclesiæ bono totus invigilavit, priusquam ex Anglia Romam iterum pergeret, quo pervenit circa finem anni 1103. Et ita S. Anselmus per duos illos an. 1101 & 1102. scripsit librum *de processione Spiritus sancti*. Deinde librum *de Azymo*: & tandem epistolam *de sacramentorum differentiis*.

CENSURA OFFENDICULI

Sacerdotum.

HIc liber extat Cantabrigæ in Ms. 235. Collegii sancti Benedicti, in Ms. E. 10. Corbei. & in Ms. S. Ebrulphi, ex quo ipsum edidimus. Is tamen non aliud est quàm excerptum ex S. Anselmi epistola ad Guillelmum Abbatem, quæ est 56. l. 1. ut utrumque legenti fit evidens. Hunc autem Guillelmum Dodechinus ad ann. 1094. ait fuisse Abbatem Derfagiensem: sed Abbas Hirsaugiensis dicitur in veteribus Monimentis contra schismaticos à Sebastiano Tengnagel editis anno 1612. & mihi à doctissimo D. Baluzio communicatis: ubi hæc epistola legitur. Quàm falso libellus hic ascribatur Honorio Augustod. to. 12. bibl. PP. ex præfatis liquet.

CENSURA LIBRI

De nuptiis Consanguineorum.

IN editione Colon. an. 1612. primùm, quod sciam, excusus est hic liber; & quidem inter epistolas. Nos tamen ipsam, quia dogmatica est, aliis opusculis adjunximus. Anselmo autem Cantu. eam adjudicant inscriptio quæ illius nomen præfert, methodus inquirendi rationes eorum quæ observamus, & sententia qua in c. 6. dicitur per Adam tota natura fuisse corrupta, quia tota tunc in ipso erat, & extra eum non erat: hæc enim omnia Anselmi sunt.

Nec quem movere debet quòd Anselmus c. 3. & 7. hujusce libri definiat matrimonium inter cognatos in sexto gradu posse contrahi; cùm tamen in antiquioribus etiam Angliæ Conciliis & in iis quibus ipse præfuit, prohibita sint connubia usque ad septimum gradum. Hæc enim, quæ videtur, dissonantia facile concordat, si attendatur quod Canones intra septimum gradum Conjugia prohibuerint quoadusque parentela ex alterutra parte ad septimum gradum perveniat: ut exprimit Synodus Londonienſis sub Lanfranco, anno 1075. adeo ut si ex una duntaxat parte sextus gradus attingitur & ex altera septimus; tunc in sexto gradu matrimonium possit contrahi.

P. Raynaldus hunc nodum ut solveret, in sua Syntaxi censuit S. Anselmum eo loci gradus cognationis computasse non à fratre & sorore, sed à nepote & nepte, juxta Concilii Salguastadiensis definitionem. Verùm quæ ratio Anselmo fuit alio ordine hîc recensere hos gradus quàm in libro de Azymo, & in Canonibus quos ipse condidit in Londinensi Conc. an. 1102.

Nihil ergo repugnat sed omnia suadent hanc epistolam ab Anselmo scriptam fuisse. Sed cui, & qua ætate, non est unde conjiciam. Inscriptio ejus mutila est, nomen enim ejus cui scribitur non legitur, nec Anselmus Archiepiscopus vocatur. Murierdarcho sive Murchertacho Hiberniæ Regi, ut Cognatorum conjugia prohibeat, S. Anselmus scribit epistolam quæ est 142. l. 3. & ab eo Rege ad S. Anselmum missas epistolas anno 1095. & 1096. pro consecratione Episcopi Dublinensis & Episcopi Wataserdiæ, ab Edmero in l. 2. hist. nov. discimus. Unde ab Anselmo ad quendam forte Hibernum eo tempore, scilicet circa annum 1096. scriptam fuisse hanc epistolam utcunque conjici potest. *pag. 45. l. 2. & 46. l. 1.*

CENSURA DIALOLI DE GRAMMATICO

Vide, Censuram dialogi *de Casu diaboli*, & dialogi *de veritate*.

CENSURA HOMILIARUM.

QUandoquidem Pastoralis est muneris verbo Dei gregem pascere: Anselmum, qui facundiâ & zelo ad dicendum promptus semper ac paratus erat, sermonem ad populum frequenter habuisse non est unde quis dubitet. Edmerus cum diversis in locis concionatum fuisse testatur. *pag. 10. l. D. & 11. l. C. l. E.*

Ex omnibus autem sancti Anselmi sermonibus sive homiliis, paucissimæ restant. In antiquis editionibus, videlicet duabus Gothicis, una Nurembergensi anno 1491. una & altera Parisiensi anno 1544. & 1549. una

Digitized by Google

Veneta an. 1549. unica homilia extat quæ est in illud : *Intravit Jesus &c.* Et in Colon. anno 1573. primùm typis datæ sunt enarrationes seu homiliæ in aliquot Evangelia, & in illud Eccl. 24. *In omnibus requiem* &c. Anselmi Cantu. Archiep. nomen præferentes.

Altera Colonienſis anno 1612. & Lugdun. anno 1630. eaſdem eodem nomine dederunt. Ipſas ergo eâ fide, etſi nullo quod viderim Mſ. ſuffragante, nihilque de ipſis Edmero proferente, edidimus : nihil tamen inde aſſerentes ; ſed quod accepimus, tradentes. Ordinem duntaxat immutavimus, eas diſponendo uxta ſeriem locorum Scripturæ, quæ in his expojuntur.

Annotaſſe ſufficiat eodem ſtylo & ſenſu ſcriptas eſſe hujuſmodi homilias, quo & enarrationes in Math. quas Colonienſis editio in eodem volumine, Anſelmi nomine præfixo, compegit. Id facile ſecundùm me diſcernet quiſquis pariter ea loca, quæ in utriſque explorata ſunt, invicem contulerit.

Oxoniæ quidem in Mſ. 242. bibl. Merton. extant homiliæ B. Anſelmi : ſed quæ & quot, diſcere non potui.

In Mſ. S. 15. ſancti Ebrulphi una homilia legitur eo titulo : Anſelmi ſermo in *Videns Jeſus Turbas &c.* hanc ad nos tranſmiſſam ordine ſecundam cæteris inſeruimus.

Unam quoque in illud Apoſtoli : *Decebat enim*, &c. adjecimus ex Mſ. Corb. S. 596. hoc titulo : ſecundum Magiſtrum Anſelmum ſuper verſum illum : *Decebat enim*, &c.

Ea porro quæ eſt in illud : *Intravit Jeſus*, &c. & quam nonam poſuimus, in omnibus cùm Mſs. tum editis etiam antiquioribus reperitur. In Mſs. nomen Anſelmi præfert, & hunc titulum habet in Mſ. 1106. Bibl. Regiæ : In Aſſumptione B. Mariæ, Anſelmus in illud : *Intravit*, &c. in Mſ. Corb. P. 307. Sermo Anſelmi in Aſſumptione, in illud : *Intravit*, &c. in Mſ. 596. Corbei. Ex dictis Domini Anſelmi Archiepiſcopi. In Mſ. Breviario Eccleſiæ Carcaſſonenſis : pro Feſto Aſſumptionis B. Mariæ Virginis. *In illo tempore : Intravit*, &c. *Homilia* Venerabilis Anſelmi Archiep. Conſule varias lectiones.

Hanc homiliam S. Anſelmus à Guillelmo Abbate Fiſcanenſi & ab Arnulfo Troarnenſi Abbate rogatus ſcripſit : ut diſcimus ex ejus prologo, quem ex Mſ. Corb. edidimus in fine variarum lectionum iſtius homiliæ, quia incautè fuerat omiſſus.

Quod eam ſcripſerit nondum Archiepiſcopus, & proinde ante an. 1093. ipſe ſatis indicat in prologo, ubi ait ſe ex obedientia illam ſcripto tradidiſſe, quam pluſquam ſemel in Conventu Fratrum dixerat. Scripta itaque eſt ab anno 1088. quo Arnulphus electus eſt Abbas Troar. juxta Chronicon Goſerni ab auctore piæ Neuſtriæ citatum in c. 2. de Abbatia Troarnenſi : ad annum 1093. quo Anſelmus Eccleſiæ Cantuar. præfectus eſt.

Denique in Mſ. Bibl. Clar. V. D. Bigot extat una homilia ſic inſcripta : Incipit homilia B. Anſelmi ſuper Johannem, de planctu Magdalenæ, hæc ipſa eſt quæ Origeni vulgo ſed falſo tribuitur. Quandoquidem vero non planè mihi conſtat eam eſſe Anſelmi, & pluribus aliis in locis edita habetur ; ideo illam dimiſimus.

CENSURA EXHORTATIONUM.

ISTas exhortationes ſeu ſenten[illegible] P. Theophylus, ut ſcio, primus emiſit. Unde eas habuerit & quo jure eas ſancto Anſelmo aſcripſerit, nos ſciremus, ſi ipſe docuiſſet : ea igitur quæ ei debetur fide illas inter ſancti Anſelmi opera edidimus.

Unum mihi conſtat, ipſas à Monacho Benedictino conſcriptas. Etenim plures ex ſancti Benedicti Regula collectæ ſunt : ut cum dicitur : *Cur malis actibus tuis contriſtas Patrem piiſſimum qui te in filiorum numero dignatus eſt computare.* Item : *Ne irritatus Dominus malis tuis ut nequiſſimum ſervum perpetuam tradat ad pœnam*, &c. Item : *Æterno Regi militaturus propriis abrenuncia voluntatibus*, &c. Item : *Age, dum vacat, quod in æternum expediat.* Quæ omnia in S. Regulæ prologo expreſſa ſunt. Et cum dicitur : *Eſto omni vitiatæ vel extremitate contentus.* Item : *Pronuncia te omnibus vilierem :* quod in c. 5. Regulæ legitur. Et cum dicitur : *Diem judicii time : actus vitæ tuæ omni hora cuſtodi : fac te alienum ab actibus ſeculi*, &c. quæ omnia in ſanctæ Regulæ c. 6. propoſita ſunt.

CENSURA ADMONITIONIS Morienti.

P. Theophylus eam primus publicam fecit ex Mſ. Bibl. Vatic. Quæ tamen inde ad nos tranſmiſſa eſt, in aliquid ab ea diſcrepat : ut ex variis lectionibus ad operis calcem poſitis eſt evidens.

Hæc autem admonitionis formula ſic inſcripta legitur in Mſ. Bibl. S. Martini Tornac. Tractatus B. Anſelmi, quomodo debeat interrogari Frater morti proximus, & quomodo reſpondere. *Vide* varias lectiones.

Qua ætate ſanctus Anſelmus hanc formulam præſcripſerit ; non eſt unde conjiciam.

CENSURA CARMINIS

De contemptu mundi, & duorum aliorum Carminum.

COloniæ anno 1573. primùm typis excuſum eſt Carmen iſtud, ſed mancum & mutilum. Integrum illum ex ſancti Victoris Pariſ. Bibliot. editum eſt ibidem an. 1612.

Extat quidem in pluribus Mſs. cum quibus illud contulimus ; ſed in nullo ex his nomen ſancti Anſelmi habet. Imo in Mſ. Bibl. Aldenburg. Carmen de Contemptu mundi tribuitur Bernardo Cluniacenſi. In Mſ. Gemmet. C. 70. duo ſunt Carmina de mundi contemptu : unum quod incipit. *Cartula noſtra tibi*, &c. alterum eſt illud quod Anſelmi operibus adjectum, & intitulatur. *Cantilena ad Monachos*. In Mſ. Becc. K. 10. Rogerio Cadomo Monacho Beccenſi aſcribitur. Unde quid juris Anſelmus habeat in id operis, definire non audeo. Verum quidem eſt hunc S. Doctorem nonnullos verſus & hexametros & pentametros compoſuiſſe : at quid inde conſequitur ? Unum dixerim, Carmen iſtud à Monacho qui ſanctam Regulam eſt profeſſus, compoſitum eſſe. In eo enim plura ad mentem Regulæ ſancti Benedicti proferuntur : ut cum ad eos expreſſe loquitur qui morum converſionem promiſerunt : & Monachum hortatur ut Deum ubique & ſemper præſentem credat, &c. p. 191. 1. B.

Alia duo Carmina in ſola D. Picardi, qui ea primus dedit, fide ſubjecimus.

CENSURA TRACTATUS,

De pace & Concordia.

IS Anſelmo tribuitur in Mſ. Lovanienſi, ex quo tranſlumptum & ad nos tranſmiſſum edidimus : ecce ab Anſelmi ſtylo & ſenſu abhorret.

CENSURA

Digitized by Google

CENSURA LIBRI

Meditationum & Orationum.

Pag. 1, 2. SAnctum Anſelmum Orationes ſive Meditationes ſcripſiſſe teſtatur Edmerus l. 1. de ejus vita : teſtatur & Durandus Abbas Caſæ-Dei in epiſtola ad Anſel. quæ eſt 61. l. 1. teſtatur & ipſe Anſelmus in ep. 20. l. 1. & in ep. 51. l. 2. teſtantur denique innumera penè Mſs.

Non una verò ætate, ſed diverſis temporibus illas ſcripſit : ut ex ſingularum cenſuris fiet manifeſtum ; ex quibus etiam conſtabit quæ & quot à ſancto Anſelmo verè prodierint.

Cenſura Prologi.

Pag. 2. n. 1. Prologum à ſancto Anſelmo ſcriptum mecum cenſebit, qui in eo mecum deprehenderit & verba & mentem epiſt. qua ſanctus Anſelmus Gondulpho ſcribit ſe ſuas rationes ideo paragraphis diſtinxiſſe ne prolixitas generaret faſtidium, & ut eas lector incidat, hoc eſt, ibi deſinat vel incipiat, ubi voluerit. Hæc enim eadem in Prologo.

Cenſura Meditationis I.

Eam P. Theophylus primus evulgavit inter ſancti Anſelmi Meditationes. A quibus verò illam acceperit, ipe non edicit.

In Mſ. Bibl. D. Bigot eam inter ſancti Anſelmi Meditationes haberi certos nos fecit R. P. D. Franciſcus Pommeraye, illud præ manibus tenens.

Ipſa ſane ſancti Anſelmi ſententias habet. Quod enim in §. 1. dicit mortuam magis quàm dormientem eſſe animam quæ ad Dei vocem non expergiſcitur ; idem in 2. meditatione ſenſit. Quod ibidem dicit animam ad hoc factam eſſe ad imaginem Dei ut memineri, intelligat & amet ſummum bonum : id ipſum eſt quod in Monologio, Proſlogio & alibi paſſim edocuit. In §. 3. dicit quod ſolus Deus vere eſt & eſt verum eſſe, ſine quo nulli poteſt bene eſſe. Hoc idem in Monologio & aliis pluribus in locis ſanctus Anſelmus expoſuit.

Licet ergo in paucis Mſ. reperiatur hæc Meditatio, ſaltem ſub Anſelmi nomine, hanc tamen ſancto Anſelmo non poſſum abjudicare.

Cenſura Meditationis II.

In omnibus editis hæc extat ſic inſcripta, *liber de miſeria hominis*. Extat & in Mſ. omnibus, ſed diverſo ſubtitulo, In Mſ. D. Bigot inticulatur, *De terrore extremi judicii*. In Mſ. 2024. Bibl. Regiæ, in Mſ. Ciſter. & in aliis inſcribitur, *Meditatio ad concitandum timorem*. Conſule varias lectiones. Illam ab Anſelmi Monachis ſe accepiſſe ſcribit Durandus epiſt. quæ eſt 61. l. 1. Ex qua & ex Anſelmi reſponſo liquet eam ab Anſelmo eſſe editam antequam eſſet Abbas, hoc eſt ante annum 1078. In illa enim Anſelmus non ut Abbas ſalutatur, nec in eo Abbas inſcribitur. Durandus autem hanc Meditationem acceperat, dum eſſet Abbas Monaſterii Caſæ-Dei, cujus regimen tenuit ab anno 1068. ad ann. 1078. quo in Claremont. Eccl. Epiſ. electus eſt. Unde ab anno 1068. ad an. 1078. quo Anſelmus Beccenſis Monaſterii factus eſt Abbas, eam ſcriptam eſſe fit manifeſtum.

Hanc citat S. Bonavent. c. 3. ſoliloq. & eam integre deſcribit S. Antoni. p. 2. tit. 16. c. 12. §. 7.

Duo hîc obſervo 1. Inter S. Bernardi opera extare librum qui eundem titulum, *de miſeria hominis*, præfert ; ſed qui ab iſto omnino altius eſt. 2. Ipſam inter preces à Johanne Abbate collectas haberi in Cod. Mſ. Mertenſi. Quod non levi argumento eſt preces iſtas ab eo magis exſcriptas eſſe quam compoſitas. Ut fuſius infra demonſtrabimus.

Cenſura Meditationis III.

Hæc in omnibus editis & Mſs. Meditationum S. Anſelmi exemplaribus legitur : inſcriptionum diverſitatem vide in variis lectionibus.

Ipſam cenſeo ex illis eſſe contriti cordis opuſculis quæ præfatus Durandus accepiſſe ſe gratulatur in præadducta epiſt. unde & eadem ætate eam fuiſſe compoſitam, qua præcedens edita eſt, lubens concedo.

P. Theophylus in ſua hujuſce Meditationis ſyntaxi agitat an ſua ſibi crimina ſuoque nomine S. Anſelmus hîc exprobret & deſcribat ; & negando concludit, ne plus æquo ſuæ famæ prodigus S. hic doctor judicetur. Verùm delicatior hæc mihi viſa eſt religio : Ut quid Anſelmi conſcientiam excutere, quem à pietatis ſtudio receſſiſſe ut ſibi indulgeret Edmerus ipſe ſcribit ? Sat ſit Anſelmum ſuæ juventutis delicta veræ pœnitentiæ lacrymis diluiſſe.

Plures hujuſce Meditationis ſententias habet c. 39. Libri Meditationum, qui S. Auguſtino falſo tribuitur.

Cenſura Meditationum IV. V. & VI.

Inter S. Anſelmi meditationes, eas habent omnia Mſs. cum quibus collatæ ſunt, & Mſ. 2024. Bibl. Regiæ, & Mſ. D. Bigot. Vide varias lectiones.

Cenſura Meditationis VII.

Eam Pater Raynaudus edidit compoſitam ex diverſis patribus, quæ in aliis orationibus leguntur, quarum S. Anſelmi eſt auctor indubius : nos iis ſepoſitis illam dedimus illis dunaxat inſtructam quæ ipſi ſunt propria, nec in aliis reperiuntur.

Primi duo hujuſce Meditationis Paragraphi habentur in Mſ. S. Mart. Tornac. cujus transſumptum nobis miſſum eſt : duos alios in nullo Mſ. comperi, & in ſola P. Theophyli fide protuli, & eò quidem libentius quod in eis mentem & linguam Anſelmi noverim.

Diſſimulare hîc nequeo duos priores Paragraphos integros legi in libro *de Contritione cordis*, qui extat in Appendice tom. 9. oper. S. Auguſt. Verum id nihil juris S. Anſelmo detrahit ; cum liber iſte nihil ſit aliud quàm excerptum ex variis meditationibus & orationibus quas Anſelmi eſſe omni certo certius eſt. Id infrà demonſtrabimus in judicio libri *de cordis contritione*.

Cenſura Meditationis VIII.

A. P. Theophylo primùm edita eſt ex Mſ. Biblioth. Vatic. & in ea nihil occurrit S. Anſelmo indignum.

Cenſura Meditationis IX.

Hæc Meditatio quæ incipit, *Jeſum Nazarenum*, &c. inter S. Anſelmi opera in omnibus excuſis legitur ſub hoc titulo : *ſpeculum Evangelici ſermonis*, alias, *ſtimulus amoris* In Mſ. D. Bigot inſcribitur, *de Humanitate* : in Mſ. Oratorii Pariſ. hunc titulum habet, *Paſſio Domini noſtri Jeſu-Chriſti, mundi Salvatoris ſecundum B. Anſelmum Archiepiſc.* In tom. 7. operum S. Bonav. unus extat liber cui titulus, *Stimulus amoris* : at totus ab iſto diſtat. Fateor quidem inter S. Bernardi opera occurrere hanc meditationem inſcriptam ; *Sermo B. Bernardi de Paſſione Domini*. At S. Bernardo eam adjudicant qui eam Bernardi ſtylo minimè deſcriptam advertunt : nec ego eam Anſelmo firmius aſſeram, cùm in ea Anſelmi verba non legam : in nullo tamen ejus doctrinæ ac pietati repugnat, & nomen ejus præfert in

Digitized by Google

omnibus etiam antiquioribus excusis, & in aliquibus Mss.

Censura Meditationis X.

Ex Ms. Vatic. eam P. Theophyl. publici juris fecit: & mihi non est unde illam S. Anselmi non esse judicem.

Censura Meditationis XI.

In omnibus tam excusis quàm Mss. S. Anselmi meditationibus hæc legitur. In Ms. 22. Biblioth. Lincoln. habet hunc titulum, *de recreatione hominis*. Diversos titulos vide in variis lectionibus.

Edmerus l. 2. de ejus vita, testatur ipsam ab Anselmo Lugduni scriptam esse anno 1099. post librum *de Conceptu Virginali*, &c.

Censura Meditationum XII. & XIII.

Primus, si bene scio, P. Raynaudus eas inter sancti Anselmi meditationes evulgavit: & eas in unico Ms. quod est Domini Bigot, S. Anselmus meditationibus accenseri didici. In 12. phralim Anselmi adverto; in 13. stylum video omnino disparem, utraque tamen piis mentibus sapit.

Censura Meditationis XIV.

Hanc sancti Anselmi nomine P. Theophylus ex Ms. Codice (Collegii, ut puto Viennensis,) primus edidit: ipsa etiam inter S. Anselmi meditationes occurrit in Ms. D. Bigot: In aliis eam non legi.

Observandum autem est in ea contineri novem priora capitula libelli qui manuale S. Augustini vulgò dicitur. Unde istius libri, sicut & Meditationum, & libri *de Contritione cordis*, cuilim infra dabimus.

Censura Meditationum XV. XVI. & XVII.

Unica in tres partes distributa extat in editione Lugdunensi an. 1630. quam nos in tres meditationes divisimus, huic P. Theoph. ex Ms. primam lucem dedit, & eam ab Anselmo ad sororem suam directam scribit. Mihi quidem certò renunciatum est tripartitam hanc meditationem ad sororem haberi in sæpe fato. Ms. D. Bigot: ego verò me illam in nullo Ms. legisse fateor.

De illarum auctore certum est 1. eum fuisse fratrem illius Virginis ad quam directæ sunt: ipse enim in 2. declarat quod eos idem pater genuerit, idem venter complexus est eadem vilcera profuderunt, 2. eum in juventutis vitia prolapsum: ut eodem loci ipse fatetur. 3. ipsum tandem Dei misericordia à sæculo esse conversum. 4. quod illius soror in Virginitatis proposito viveret: ut in his aperte significatur.

At S. Anselmus unicam sororem habuisse scitur, nomine Richeram, quæ nupsit Burgondio, ex quo filium genuit cui Anselmi nomen impositum est. Id testantur plures epistolæ ab Anselmo ad Burgondium, & ad Richeram, & ad Anselm. nepotem scriptæ. In earum una, quæ est 67. l. 3. sorori suæ scribit neminé esse, excepto ejus viro, cujus salutem tantùm nosse & audire ipsa deliderat, quantum suam, & filii sui; quia ipse unicus ejus Frater est, & ille unicus ejus Filius: quæ non obscure indicant non aliam fuisse S. Anselmi Sororem; si qua enim fuisset, Anselmus non esset post maritum unicus qui cum Nepote suo à Richera unice diligeretur. Id unum prohibet quin credam ab Anselmo scriptas esse istas meditationes.

Quidam eas S. Augustino ascripsere; & quidem in libello *de vita Eremit. ad Sororem*, c. 47. ad finem, tres istæ ex integro leguntur. Verùm nec istius libelli Augustinus auctor est, sed aliquis sancto Benedicto & sancto Gregorio junior: illius enim meminit in c. 14. & 19. & illius in c. 46. Adjice quod in nullo ex antiquioribus sancti Augustini Mss. id operis descriptum reperiatur.

Auctor hujus libelli in c. ult. fatetur se his meditationibus *de Divinis Beneficiis*, adjunxisse vivendi formam quam per 46. capitula ibi præscripsit; unde fit evidens unum esse & istius vivendi formulæ & istarum meditationum auctorem.

Censura Meditationis XVIII.

Ex Ms. Collegii Viennensis P. Theophyl. ut ait in prætatione ad Mantissam, hanc inter alias omnes, ut vocat, faculas, seu alloquia sancti Anselmi in lucem primus emisit. Hujus initium legitur in prima parte cap. 18. libri Meditationum qui inter sancti Augustini opera volvitur.

De illius auctore hoc unum scitur: quod viveret in societate Fratrum quibus præerat: Id enim ibi pluribus indicat. Nihil autem in ea est quod Anselmum non sapiat, unde ab Anselmo, dum Beccense Cœnobium regeret, eam scriptam esse facile crediderim.

Censura Meditationis XIX.

Primus eam ex Ms. Vatican. edidit P. Raynaldus. Ipsam nos ex Ms. S. Mart. Tornac. castigatam dedimus. Anselmo prorsus digna est.

Censura Meditationis XX.

Inter S. Anselm. orationes hæc habetur in Ms. 267. Biblioth. Thuanæ, ex quo ipsam typis dedimus. Hæc sancti Anselmi doctrinam ac pietatem in omnibus exprimit.

Censura Meditationis XXI.

Hanc non aliud censeo quàm pietatis flores ex Proslogio sive ab ipso Anselmo, sive ab alio collectos: & ita omni jure Anselmo ascribitur in pluribus Mss. ac in P. Theophyli editione.

CENSURA ORATIONUM.

Censura Orationis I.

A P. Rayn. ex Ms. Coll. Vien. primùm evulgata est, nec eam in uliis sive excusis sive Mss. comperi. Attamen ab Anselmi stylo non distat, & auctorem suum proposito & habitu Religionis distinguit.

Censura Orationis II.

Ipsa in excusis etiam antiquioribus extat, quasi pars orationis, quæ incipit, *Deus meus da cordi meo*, &c. nos eam ab illa non sejunximus, nisi ut eas quæ compunctionem excitant, illis præmitteremus quæ ad virtutes impetrandas sunt compositæ. Capitula 5. 6. 7. 8. libri Meditationum qui S. Augustino falsò tribuitur, constant ex ista oratione, quæ tamen in Mss. & in omnibus excusis S. Anselmo ascribitur. Vide infrà judicium istius libelli Meditationum.

Censura Orationis III. IV. V. VI. & VII.

Inter S. Ansel. Orationes hæ leguntur in Mss. quæ in variis lectionibus notavimus: quibus adde Ms. D. Bigot, & Ms. Coll. Vien. ex quo eas P. Rayn. primus

Digitized by Google

edidit. Quinta est c. 34. præfati libri Meditationum.

Censura Orationis VIII.

In Mſ. Biblioth. S. Martini Tornac. leguntur plures S. Anſelmi Lamentationes, hoc eſt, Meditationes, inter quas hæc habetur, quam ad nos tranſmillam protulimus.

Oratio IX. eadem eſt ac 11. cujus vide Cenſuram.

Cenſura Orationis X.

Hæc confecit quatuor priora capitula præfati libelli Meditationum. Attamen omnes etiam antiquiores Meditationum S. Anſ. editiones ipſam habent: nec non Mſ. Thuan. 267. & Mſ. Colleg. Vienn.

Cenſura Orationis XI.

Inter S. Anſelmi Orationes legitur hæc in pluribus Mſs. in quibus diverſos habet titulos; ut videre licet in variis lectionibus. In Mſ. D. Bigot hæc oratio aliis duabus conjuncta eſt. Eam ex Mſ. Vatic. P. Rayn. primus publicam fecit.

Cenſura Orationum XII. & XIII.

P. Theoph. ex Mſ. Vienn. primus eas inter S. Anſ. alloquia recenſuit.

Cenſura Orationis XIV.

Extat hæc in omnibus excuſis, & in Mſ. D. Bigot ac in Mſ. Thua. & in Mſ. Vien. Ipſa tamen eſt c. 9. ſæpe fati libelli Meditationum, cujus infrà judicium dabimus.

Cenſura Orationis XV.

Hanc inter S. Anſ. orationes habent Mſ. Corb. 160. Mſ. Vallis Luc. Mſ. San-Germ. & Mſ. Coll. Vien. ex quo eam P. Theoph. primus edidit.

Cenſura Orationum XVI. XVII. XVIII. & XIX.

Iſtæ capita 36. & 37. prædicti libri Meditationum complent. Ipſa tamen, nec immerito, P. Rayn. ex Mſ. Coll. Vien. S. Anſelmi alloquiis accenſuit.

Cenſura Orationis XX.

Hac oratione clauditur præfatus liber Meditationum: ipſa tamen inter S. Anſel. orationes legitur non ſolum in Mſs. quæ in variis lectionibus deſignavimus, ſed & in Mſ. S. Germani, in Mſ. Lovan. & in Mſ. Vienn. ex quo P. Rayn. eam S. Anſelmi alloquiis primus adjunxit.

Cenſura Orationis XXI. & XXII.

Ipſas ex Mſ. Vatic. accepit ac dedit P. Raynaudus. Reperiuntur quidem in libro *de Contritione cordis*, ac in libro Meditationum c. 10. At quàm falſo hi libri nomen Auguſtini præferant, infrà demonſtrabimus.

Cenſura Orationum XXIII. XXIV. XXV. XXVI. XXVII. & XXVIII.

Præter Mſs. quæ in variis lectionibus notata ſunt; Mſ. Lov. Mſ. Biblioth. Regiæ, Mſ. Floriac. nec non Mſs. Vatican. & Collonien. Vien. ex quibus eas P. Theoph. deprompſit, eas etſi Anſelmi proteſtantur.

Cenſura Orationis XXIX.

Cùm fides Mſſ. Codicibus integra danda ſit, ubi nulla alia ſuppetit judicandi ratio, & nihil aliunde repugnat; hanc orationem nulli alii quàm S. Anſelmo adjudicandam cenſuimus. Eam enim in pluribus non ignobilioris notæ Codicibus Mſſ. inter alias ſancti hujuſce Doctoris orationes perlegimus: quos, cui libuerit, conſulat in variis lectionibus notatos. Iis adjiciuntur Mſ. 2024. Biblioth. Regiæ, & aliud Mſ. D. Bigot. Stylo quoque Anſelmi deſcriptam hanc eſſe probè novit quiſquis in ejus lectione verſatus eſt. Quod autem hæc inter Johannis Abbatis Fiſcanenſis pia collectanea reperiatur in Mettenſi Mſ. quid conſequens eſt, niſi Abbatem hunc, qui ea adhuc ætate vigebat qua à S. Anſelmo plurimi pias quas, compoſuerat, orationes depoſcebant, ab eo illam accepiſſe & acceptam exſcripſiſſe? Id infrà ſumus demonſtraturi.

Cenſura Orationum XXX. XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIV. XXXV. & XXXVI.

Has omnes P. Raynaud. ex Mſ. Vien. primus edidit. 35. legitur etiam in Mſ. D. Bigot ſub hoc titulo: *Oratio apologetica ſancti Anſelmi.* 34. verò extat in Mſ. Thu. & in Mſ. Becc. ut in variis lectionibus indicavimus.

Cenſura Orationum XXXVII. XXXVIII. XXXIX. & XL.

Ex Mſ. Corbei. 160. illas publici juris fecimus, & Anſelmo aſcripſimus. Quæ 40. eſt, reperitur etiam in Mſ. Victor. Kx. 16.

Cenſura Orationum XLI. XLII. XLIII. & XLIV.

Harum prima in omnibus penè Mſ. inter S. Anſelmi orationes legitur: Vide varias lectiones. Cæteras verò non ita firmus Anſelmo aſſeruerim: licet eam quæ 42. eſt, ex Mſ. Viennenſi; & alias, ex Mſ. Vatic. P. Raynaudus in lucem ediderit.

Cenſura Orationum XLV. XLVI. XLVII. & XLVIII.

Pater Raynaudus has quatuor ad B. V. Orationes ex Mſ. Colleg. Vienn. primus typis expreſſit inter Anſelmianas.

Cenſura Orationum XLIX. L. & LI.

Hæ habentur non modo in Mſ. Colleg. Vien. & in Mſ. Vatic. & in San-German. ſed & in iis omnibus quæ evolvi, ut in variis lectionibus ſignavi. Unde illas eſſe reor quas prolixiores compoſuiſſe ſe Anſelmus nondum Abbas ſcribit in epiſt. ad Gondulphum, quæ eſt 20. lib. 1. Unum hîc obſervandum eſt, quod in antea editis orationes 49. & 50. abbreviatæ quaſi unam conficiunt ſub hoc titulo: *Invocatio Matris Virginis Mariæ ſimul ac filii ejus*, & incipit: *Sancta & inter* &c.

Cenſura Orationum LII. LIII. LIV. LV. LVI. LVII. LVIII. & LIX.

Ex Mſ. Vien. orationem 52. alias vero ex Mſ. Vatic. P. Raynaudus inter Anſelmianas primus edidit.

Cenſura Orationis LX.

Rithmus hic inter ſancti Anſelmi orationes habetur in Mſ. Corbeienſi 160. & in Mſ. Vict. Kx. 16. ex

Digitized by Google

quibus illum prælo commiſimus ſancti Anſelmi orationibus inſertum.

Cenſura orationis LXII. & aliarum ad SS.

Guillelmus Gemmet. lib. 6. cap. 9. de Anſelmo ſcribit quod librum orationum ad Sanctos ediderit: & eas eſſe Anſelmi non eſt unde quis dubitet, niſi omnem Mſs. Codicibus fidem abnegavit. In aliquibus quidem oratio 64. quæ eſt ad ſanctum Andræam; & oratio 68. quæ eſt ad ſanctum Laurentium; & 71. quæ eſt ad ſanctum Dunſtanum, deſiderantur: ſed cùm prima in Mſ. Vien. & in Mſ. Th. & in Mſ. ſancti Germani legatur; altera verò in Mſ. Th. & in Mſ. Vien. tertia tandem in Mſ. Vien. ea ſatis ſint faciendæ hac in re fidei.

Advertendum ſupereſt 1. In Mſ. Codice ſancti Arnulphi Mettenſis, ex ſuprà recenſitis ſancti Anſelmi Meditationibus & Orationibus plurimas (quarum ſpecimina D. Mabillonius tom 1. Analectorum exhibuit) reperiri inter varia pietatis opuſcula, quæ Johannes Abbas Auguſtæ nuncupavit.

Ipſas autem non ab eo compoſitas, ſed ex jam tum editis à ſancto Anſelmo Meditationibus ſive orationibus collectas inde arguitur I. Quòd ex omnibus Orationum ſancti Anſelmi Codicibus Mſs. quos viderim, & qui tam in proloquio quam in variis lectionibus denotantur, nullus ſit qui iſtarum precum ſaltem quamplurimas ſancto Anſelmo non aſcribat. Qua quæſo æquitatis lance tot Mſs. fidem elevabit unicus Codex Mſ. cui nulla alia ſuffragatur ratio?

2. Quod ex ſancti Anſelmi Epiſtolis, quas in prima Meditationum Cenſura indicavimus, & ex ipſiuſmet Edmeri teſtimonio conſtet orationes ab Anſelmo dum adhuc Prior eſſet, hoc eſt ante ann. 1078. editas, & à pluribus exſcriptas. Unde non leviter conjiciam ipſum etiam Johannem Fiſcanenſem Anſelmo Beccenſi viciniorem illas ab eo accepiſſe.

l. 1 de vita S. Anſelm p. q. 2. B.

3. Quod inter eas illæ paſſim deſcriptæ legantur quas Anſelmo adſerunt ipſæmet Anſelmi epiſtolæ videlicet tres Orationes ad ſanctam Mariam, quas ipſe ſuas facit in epiſtola ad Gondulphum quæ eſt 20. lib. 2. & Meditatio, *Terret me*, &c. cum aliis de cordis contritione, de quibus Durandus Abbas Caſæ-Dei ei gratulatur in ejuſdem libri epiſtola 61. Ex quibus conficitur 1. Codicem hunc Mettenſem non eſſe deſcriptum niſi poſtquam ſanctus Anſelmus ſuas Meditationes ſive Orationes edidit. 2. Johannem hunc Abbatem plures ab Anſelmo compoſitas orationes exſcripſiſſe, & exſcriptas direxiſſe ad Auguſtam. 3. Iſtarum proinde precationum hunc non auctorem, ſed pium duntaxat collectorem habendum.

Vide anſtarum ſtudioſiſſimus ſ.

Porro nihil repugnat certo huic juri quòd iſtas preces ſancto Anſelmo adjudicat. Quod enim præfatus Mettenſis Codex optimæ notæ ſcriptus ſit ad undecimi ſæculi finem, & quod Johannes Fiſcanenſis vita ceſſerit anno 1078. quem tamen Monaſterium rexiſſe uſque ad annum 1082. Auctor Neuſtriæ Piæ refert ex Oderico Vit. l. 4. ad ann. 1072. & l. 11. ad ann. 1107. non modò nihil obſtant, ſed faveant plurimum. Nam ut ſuprà jam tetigi, Anſelmus dum Becci Prior erat, plures orationes ſcripſiſſe certò ſcitur, & ab an. 1063. hoc munere perfunctus ad an. 1078. quod in Abbatem aſſumptus eſt.

Earum auctor homuncionem quidem ſe dicit. At cum non de corporis mole, ſed ex animo de ſe humiliter ſentientis iſta prolata ſint: Johannem hunc, qui ex corporis exiguitate Johannellinus dicebatur, nihil juvant; ſed Anſelmum aperte produnt, cui frequens erat hujuſce vocis, *homuncionis & homunculi*, uſus; ut patet legenti tertiam Meditationem & Orationem 69. quæ nullo dubio Anſelmi ſunt, & in quibus homuncionem & homunculum ipſe ſe nuncupat.

In Alloquio XII. quod in noſtra hac editione eſt 18. Meditatio, auctor indicat ſe paſtoris habere officium, cujus onere preſſus ingemiſcebat. Et hæc quidem Anſelmo Priori aptiſſime conveniunt, cujus ſub Prælationis iſtius pondere ſuſpiria lacrymaſque deſcribit Edmerus: Cum, inquit, *pro amiſſa ſtatus ſui tranquillitate vehementiſſime fleret, ab onere Prælationis, quod ſibi farebatur importabile, ut relevari mereretur, magnopere* (*Maurilium*) *Archiepiſc. Rothom. cepit rogare. Ipſe vero Maurilius præcepit ut prælationem, quam habebat, retineret.*

l. 1. de vita S. Anſ. D. 8. 2. A.

Denique quod gratiam loca commiſſa ordinandi auctor orationum poſtulet, Johannem Fiſcanenſem, qui duo regebat Monaſteria, ut quid arguit: quaſi verò plures Eccleſias regere credatur ſacerdos quiſquis in fine Brevium litaniarum recitat orationem in qua hæc verba, *loca nobis commiſſa*, expreſſa leguntur.

Uni igitur Anſelmo Cantuarienſi jure merito iſtas orationes aſſeruimus, quas non Fiſcanenſis modò, ſed & Durandus Caſæ-Dei Abbas ab anno 1068. ad annum 1078. & plures alii multa pietatis ſtudio exceperunt & collegerunt.

Advertendum 2. ex orationibus, quæ nullo dubio ſunt Anſelmi, videlicet ex orat. ad S. Petrum, ad S. Paulum, ad S. Nicolaum, ad S. Benedictum, plurima excerpta eſſe ex quibus magna ex parte compoſiti ſunt liber *de Contritione cordis*, & liber Meditationum qui in tom. 9. operum S. Aug. habentur; & de quibus propterea quid ſentiendum ſit, infrà pronunciabimus. 3. orationem 69. minus rectè inſcriptam eſſe ad ſanctum Martinum; cùm ad S. Nicolaum eam ſe feciſſe ipſe Anſelmus ſcribat in epiſt. ad Baldricum, quæ eſt 51. lib. 2. in qua etiam indicat eam paulo antequam in Angliam ipſe tranſretaret, eſſe compoſitam, videlicet circa idem tempus quod librum de Incarnatione Verbi contra Roſcelinum inchoaverat. Extat hæc oratio ſancti Nicolai nomine inſcripta in Mſ. Monaſterii de Lira.

CENSURA PSALTERII

Beatæ Virginis.

ILlud D. Ricardus primus in lucem miſit; haud dubiè ex aliquo Mſ quod ſancti Anſelmi nomen præfert. P. Rayn. nullum habuiſſe illius operis Codicem Mſ. fatetur. Ego quidem incidi in duos, videlicet unum Victorinum, & alterum Floriacenſem in quibus hujuſce Pſalterii initium uſque ad Completorium habetur: ſed in utroque cætera deſiderantur, & in neutro legitur nomen auctoris. Occurrit etiam mihi in noſtræ Bibliot. Codice Mſ. 345. Pſalterium B. V. & aliud etiam in Mſ. Bibliot. Regiæ: ſed duo hæc prorſus alia ſunt ab eo quod hîc editum eſt, & ab eo quod S. Bonaventura compoſuit.

JUDICIUM LIBRI

De contritione cordis.

PRimi Capitis ultima pars, cum ſecundo capite, tota ad verbum ſumpta eſt ex poſtrema parte Meditationis II. quam S. Anſelmus anno 1099. ſcripſit de humana Redemptione.

Tertii Capitis pars poſterior: *Qualem me feciſti*, &c. Et prior pars Capitis 4. uſque ad hæc verba: *Anima mea, ante omnia*, &c. excerptæ ſunt ex ſancti Anſelmi oratione ad S. Johann. Bapt. Altera pars iſtius Capitis 4. *ſunt autem hæc*, &c. tranſſumpta eſt ex ora-

Digitized by Google

tione 4. ad Deum, quæ incipit : *Altissime* &c. Ultima tandem pars ab his verbis : *Quam tolerabilius* &c. & initium capitis sequentis usque ad ista : *Noli Domine* &c. translata sunt ex 2. indubitataque S. Anselmi Meditatione, cujus initium est : *Terres me* &c.

Ab illis autem verbis : *Noli Domine* &c. ad hæc, *Parce peccatrici animæ meæ* &c. deprompta sunt ex ultima parte tertiæ Meditationis sancti Anselmi, quæ est deploratio malè amissæ virginitatis.

Ab his quinti capitis verbis : *heu miser semper* &c. usque ad ista : *perversum etiam* &c. emendicata sunt, inverso licet ordine; ex S. Anselmi oratione tertia ad Deum. Ab istis autem, *perversum etiam* &c. usque ad ista : *O peccata* &c. excerpta sunt, mutato tamen ordine, ex oratione ad S. Bened. quam esse sancti Anselmi constat.

Ab iis porro verbis : *O peccata* &c. usque ad hæc : *Exaudi ergo*, &c. quæ sunt initium capitis 10. sumpta sunt ex oratione ad sanctum Nicolaum, quam ipse Anselmus se fecisse declarat in epist. 51. l. 2. Ab his: *Exaudi ergo* &c. ad ista : *Sed unde Deus meus* &c. extracta pariter sunt ex præfata orat. ad S. Nic.

Ab illis : *Sed unde Deus* &c. ad hæc : *Memento* &c. sunt ex tertia sancti Anselmi Meditatione, quæ est de Virginitate malè amissa.

Ab his ; *Memento* &c. ad ista : *Deus meus, in te pono* &c. deducta sunt ex fine Orationis ad sanctum Nicolaum, & ex Meditatione de malè amissa virginitate.

Ista capitis ultimi : *Peccare est Deum inhonorare* &c. sunt ex 11. Meditatione, quam sanctus Anselmus Lugduni composuit, & ex pluribus aliis ejus capitulis.

Hæc ejusdem capitis : *heu me, peccavi* &c. ad ista: *Deus Dominus cujus* &c. exscripta sunt ex 2. sancti Anselmi Meditationes. Hæc tamen verba : *Væ malè agenti* &c. transumpta sunt ex oratione ad sanctum Paulum ; ex qua etiam decerpta sunt ista : *Deus cujus bonitas* &c. usque ad hæc : *Scio quidem & fateor* &c.

Ex his autem omnibus fit evidens librum *de contritione cordis*, cujus auctor incertus fuit ipsis sancti Augustini censoribus, fuisse compositum ab aliquo recentiore, qui sancti Augustini & sancti Anselmi sententias, quæ magis ad cordis contritionem movere possunt, studiosissime collegit, & ex ipsis librum hunc aptissime concinnavit.

JUDICIUM LIB. MEDITATIONUM,

Qui inter S. Augustini opera circumfertur.

DUo Meditationum libri extant in tom. 9. operum sancti Augustini : unus inter ejus opera, alter in Appendice editus est : de secundo, nihil cum Anselmi Meditationibus commune est, nihil hîc statuimus : sed de primo quid sentiendum sit ut concludatur, duo præmittenda sunt.

1. Totus fere hic liber legitur in sancti Anselmi Meditationibus & orationibus. Quatuor enim priora hujusce libri Capitula conficiunt orationem 10. quæ incipit : *Domine Deus, da cordi* &c. usque ad hæc : *Quam magna, Domine* &c. Quatuor autem sequentia capitula de verbo ad verbum redduntur in oratione 2. quæ incipit : *Invoco te*.

Caput nonum istius libelli implet S. Anselmi orationem 14. *Iam o divini amor* &c.

Cap. 18. est ipsa oratio 21. *Scio, Domine*, &c. Initium Capitis 18. inchoat Meditationem 18. om issi aliquot versibus quæ huic præmittuntur.

Capita 22. & 23. plurima habent quæ leguntur in §. 5. 6. & 7. Meditationis 14. quæ & Enchyridion dicitur.

Cap. 29. & 30. continentur in §. 1. præfatæ Meditationis 14.

Caput 34. est oratio integra quam quintam numeravimus.

Caput 35. conficit orationem 17.

Caput 36. dat orationem 16.

Caput 37. complet 18. & 19. orationem.

Caput 39. aliquas habet sententias, quæ sunt in oratione 62. aliquas, quæ occurrunt in Medit. 3. aliquas, quæ leguntur in orat. 2. aliquas etiam quæ in c. 1. Proslogii reperiuntur.

Denique Caput 41. & ult. integram conficit orationem 20.

Ex his luce clarius est aut istas Meditationes & orationes ex prætato libro esse descriptas, aut librum hunc ex istis maximè orationibus seu Meditationibus non ab Anselmo sed alio juniore fuisse compositum. Utrum verum sit ut intelligatur, Adverto 1. Proslogion & alias saltem ex his orationibus, quæ eadem habent ac iste liber, indubitata esse sancti Anselmi opuscula. Unde consectaneum magis est ex sancti Anselmi orationibus librum hunc esse transsumptum, quàm ex ex eo libello, cujus auctor nullus ante Anselmum certò scitur, & qui non nisi in Mss. recentioribus legitur, istas orationes fuisse ab Anselmo descriptas. Nec enim is erat sancti Anselmi animus.

Adverto 2. librum hunc Meditationum nihil aliud esse quàm centones nonnunquam minus apte assutos. In orationibus verò sancti Anselmi sententiæ sententiis, & partes partibus magis cohærent. Potius itaque ille ex istis, quàm istæ ex illo, compositus est.

JUDICIUM LIBRI

Qui manuale dicitur.

HUnc librum non esse Augustini constat 1. ex eo quod in Antiquioribus Mss. non legatur. 2. ex ipsius prologo, ubi auctor præfatur se ex elegantioribus dictis SS. Patrum manuale hoc collegisse. 3. ex eo quod sex ultima hujusce libri capitula verbatim sancti Anselmi Proslogio transsumpta sint.

An verò hic liber sit Anselmi, non est unde definiam. Æquius tamen censuerim id operibus nec ab Augustino, nec ab Anselmo prodiisse, sed ab aliquo ipsis recentiore, qui ex diversis & maxime S. August. & sancti Anselmi sententiis & capitulis hunc librum consarcinavit.

CENSURA OPERUM

Quæ in appendice edita sunt.

CENSURA ELUCIDARII.

OXoniæ in Ms. 223. Bibl. Mertonensis, liber iste sic inscriptus legitur : *Liber qui vocatur Elucidarius B. Anselmi*. Cantabrigæ in Ms. 123. Colleg. S. Bened. *Elucidarium Anselmi*. In pluribus aliis Mss extat, sed sine nomine auctoris. In Ms. cujusdam bibliothecæ Anglicanæ extat etiam hoc opus gallicè scriptum, ut certò mihi ab amico, præ cujus manibus erat, renunciatum est.

Hunc librum Anselmi nomine insignitum Espenœus prælo primus commisit Parisiis an. 1560. unde postea inter sancti Anselmi opera excusum est Coloniæ

Digitized by Google

an. 1573. Quandoquidem verò in eo plurima vana, inepta, & sancti Anselmi Doctrinæ adversa deprehenduntur, indignum prorsus quod illius operibus adnumeretur, judicatum est. Quæ enim de luctu Adam, Abel occiso, dicuntur in l. 1. c. 15. & de miraculis qui Domino nascente contigisse narrantur in eod. l. c. 19. nec Theologo nec sano capite digna sunt: Et cum arbitrium definitur (l. 3. c. 3.) libertas eligendi bonum vel malum, ab Anselmi doctrina receditur: cujus etiam sententiæ repugnat quod l. 2. c. 15. de seminis immunditia pronunciatur. Deinde sanctus Anselmus in prologo ad dialogum *de veritate* ipse quatuor à se compositos dialogos scribens & enumerans, hujus non meminit. Nec quis dicat ea ætate dialogum hunc nondum ab eo editum fuisse: nam ex Elucidarii præfatione liquet ipsum ab aliquo qui in Scholis adhuc ageret, & nondum esset prælatus, esse compositum: Anselmo autem Beccensis Cœnobii regimen jam tum obtigerat cum ad suos dialogos prologum scripsit.

Honorio Augustodunensi id operis adscripsit Trithemius l. de Ecc. Scrip. Guillelmo Conventrensi Carmelitæ qui vixit circa an. 1360. P. Theophylus in Eromatis adjudicavit: cujus tamen sententiam P. Labbe confutat ex Ms. Codice Coll. Clerom. qui hujusce Carmelitæ ætatem superat. Neutri ego illud opus asse-& ram, sed cuidam sancti Anselmi studioso qui ex ipsius maxime sententiis hanc Christianæ, ut ait, Theologiæ summam concinnavit.

CENSURA DIALOGI

De Passione Domini.

EXtat hic Dialogus in Ms. 519. Bibl. Thua. sub hoc titulo: *planctus Beatæ Mariæ V. ad Anselmum, de Passione Christi.* Extat & in omnibus editis. Nihilominus tamen hunc non esse S. Anselmi mihi constat 1. ex prologo, ubi hæc leguntur: *Beatus Anselmus* &c. 2. quia is non est ex quatuor dialogis, quos à se compositos Anselmus ipse recenset in præfatione ad dial. *de veritate.* 3. quia de eo Edmerus nihil loquitur. 4. & maxime præ fabulis & puerilibus nugis, quibus dialogus iste oppletus est.

CENSURA LIBRI

De mensuratione Crucis.

IN omnibus quidem etiam antiquioribus excusis S. Anselmi operibus liber iste legitur. Verum cum in nullis reperiatur Mss. & auctor in 5. cap. Bernardum citet, palam est eum esse Anselmo posteriorem, qui anno 1109. decesserat, antequam Bernardus vel Monachum induisset. Quod etiam de merito ex condigno loquitur in c. 1. indicat hoc opus non prodiisse ante sæculum decimum tertium.

CENSURA LIBRI

De Conceptione B. Virginis.

HUjusce Tractationis fragmenta cum hac epigraphe, *De conceptu virginali passivo*, primus edidit P. Raynaudus, qui totus contendit huncce tractatum à S. Anselmo esse compositum. Equidem ipse scio in Ms. 271. Bibl. Merton. in Anglia, ante tractatum *De excellentia B. Mariæ* hunc legi sic inscriptum: *Anselmus de conceptione B. Mariæ*: & in Ms. 22. Bibl. Lincol. inter alia S. Anselmi opera illud haberi; *de Conceptione B. Virginis.* Cantabrigiæ in Ms. 358. Colleg. S. Benedict. post Edmeri opera pariter occurrit tractatus, *de Conceptione S. Mariæ.* Sed & in Ms. Cluniac. legitur: *Tractatus B. Anselmi de Conceptione B. Mariæ Virg.* Et in Ms. Cotb. inter sancti Anselmi opera hic etiam tractatus reperitur, *de Conceptione B. Virg. Mariæ* ex quibus duobus Mss. huncce tractatum integrum edidimus. Non tamen inter sancti Anselmi opera: quandoquidem horum Mss. quæ pauciora sunt, & alios quàm sancti Anselmi tractatus continent, fidem penitus abrogant alia innumera operum S. Anselmi Mss. quæ in Regia, Victorinâ, Thuana, & pluribus aliis Bibliothecis in Gallia, in Anglia, & in Belgio asservantur. In his enim omnibus ne fragmentum quidem illarum tractationum reperire est. Sed nec scio quis tractatus ille sit, quem tres Anglicani isti Codices inscribuntur, *de Conceptione B. Virginis*: hic enim titulus libro de Conceptu Virginali ab exscriptoribus præfigi potuit.

Insuper sancto Anselmo hunc librum falso ascribi, tota ipsius doctrina reclamat, ut novit quisquis ejus librum 2. *Cur Deus homo*, & maxime c. 16. & 17. legit ut intelligeret. P. Raynaudus in sua hujusce libelli syntaxi vult Anselmum eo loci, sicut & alios PP. loquium de prima Conceptione quæ in paterni seminis susceptione consistit, & unde incurritur debitum contrahendi peccatum originis. Verùm his totus adversatur Anselmus citatis maxime in locis, ubi probat nullam esse in semine immunditiam, quæ mundatione egeat; & ubi suo Bosoni demonstrat necesse fuisse Deum hominem heri ut beata Virgo mundaretur, ipsamque à Spiritu sancto per Christum esse mundatam. Opponunt alii sanctum Anselmum in enarrationibus suis in sancti Pauli Epistolas eadem sensisse quæ in isto libro deducit. In ista enim Apostoli verba, *de peccato damnavit peccatum*, sic ait: *Maria ex Adam mortua nisi divinitus exempta fuisset* &c. & ista, *omnes mortui sunt*, sic explanat: *omnes itaque mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto, dempta Matre Dei, sive originalibus, sive etiam voluntate additis.* Ad Ro. c. 6. 2. Cor. 5.

Ad quid hæc? non enim istas enarrationes scripsit Anselmus, sed Hervæus Burgidolensis, ut ipsi Bellarminus & Labbe in l. de Script. Ecc. observant, & nobis constat ex Codice Ms. qui penes nos est: & ex cujus etiam fide certo liquet has clausulas: *Nisi divinitus exempta fuisset*, &, *dempta Matre Dei*, esse ab alio insertas: ut Estius fuerat jam subodoratus. Hæc enim in Ms. minime leguntur.

Non est ergo unde concilietur secum pugnans sancti Anselmi doctrina, si liber iste ab eo sit editus: Unde magis cum Anselmo supponi quàm Anselmum sibi non constare non iniquè censuerim. Hoc eodem argumenti genere Angelus Rocca Augustinianus, cum sancti Bonaventuræ opera Romæ excudi curaret, sermonem secundum de Beata Maria qui eadem exponit ac iste liber, ad marginem concludit hunc sermonem S. Bonaventuræ non esse, *cùm ipse multis aliis in locis opinionem in l. 3. sent. affirmatam omnino & constanter defendat.* To. 4. in fo. de 55 c. 1589. edit. Rom.

Baronius ipse in notis ad Martyrol. observat quod an tractatus de Concep. B. V. sit Anselmi merito ducitur in controversiam, cùm multa habeat quæ eidem auctori repugnent, ut notat Johan. Turrecrem. in tract. de Concep. B. V. parte 12. c. 3. Hoc ipsius Baronii judicium.

Ipse quoque tractatus hic suæ integritati ac puritati jam redditus se non nisi post Anselmi tempora editum protestatur. Etenim ab ipso sermonis exordio declaratur 1. quod multis in locis jam tum festiva erat solemnitas Conceptionis B. Mariæ. 2. quod priscis temporibus frequentiori usu celebraretur, dum pura simpli-

Digitized b

citas vigebat. 3. quod perſpicacia & examinatio modernorum quorumdam, qui ſæculari & eccleſiaſtica auctoritate, divitiarumque abundantia præeminebant, hanc ſolemnitatem quaſi ratione vacantem de medio ſuſtulerit, & redegerit in nihilum. 4. quod caritas ſimplicium de tantæ feſtivitatis abolitione tum gemeret.

At illa cum Anſelmi ætate ſtare nequeunt: ſicut nec commentum illud quo iſta feſtivitas dicitur ab Anſelmo inſtituta, dum Lugduni moraretur. Quandoquidem de iis plane ſiluit Edmerus qui ſingula vel minutiſſima, quæ Lugduni ab Anſelmo geſta ſunt, accuratiſſime deſcribit tam in libris de ejus vita, quam in hiſtoria novorum. Nec ullus de iſtius feſtivitatis inſtitutione aut abolitione eo tempore ſcripſit, cum tamen hujuſce ætatis geſta tot Scriptores nobis tradiderint. Denique quî dici poteſt priſcis temporibus inſtituta feſtivitas, prævalente contra charitatem ſimplicium auctoritate quorumdam qui Eccleſiaſtica dignitate præeminebant, abolita eſſe ipſa ætate Anſelmi qui poſt priorem ſuum è civitate Lugdunenſi (ubi ab eo inſtituta fertur) reditum vix decem annos impleverit?

Non ergo Anſelmi ſed Bernardi ætas hæc tulit. Ea ſiquidem tempeſtate, videlicet circa ann. 1140. Lugdunenſis Eccleſia feſtivam recolere voluit Beatæ Virginis Conceptionem: Quod cùm ſanctus Bernardus & plures alii minus æque ferrent, graves inde controverſiæ motæ ſunt, iis contendentibus 1. quod nulla eſſet hanc Conceptionem ſpecialiter recolendi ratio. 2. quod ſi ante Chriſti partum B. Virgo deceſſiſſet, originalis peccati ſortem non evaſiſſet, ut refert ipſe auctor hujuſce libri: his autem ſubindicari præ cæteris ac redargui videtur Potho Prumienſis, qui anno 1151. in lib. 3. de ſtatu domus Dei, ſub finem ait maximè, abſurdum videri quod Feſtum Conceptionis ſanctæ Mariæ fuerit de novo inductum, nec tamen ſe devotioni fidelium derogare, ſi hujus feſtivitatis rationem quærat. Ubi Potho ſenſum ac verba profert ſancti Bernardi in epiſt. 174. ad Canonicos Lugdunenſes.

m. 12. part. 1. Bibl. PP.

Advertendum quoque eſt quod in ea epiſtola ſanctus Bernardus dicat ſe jam antequam eam ſcriberet, hunc (verba ejus ſunt) errorem apud aliquos comperiſſe; ſed diſſimulando peperiſſe ſimplicium devotioni, quem iniquiori animo tulit in ſapientibus viris & in inſigni Eccleſia. Ex quibus fit manifeſtum 1. hoc ſancti Bernardi tempore; qui poſt Anſelmum floruit, aliquos duntaxat ſimpliciores, de quibus in præfato tractatu dictum eſt, Beatæ Mariæ Conceptionem fuiſſe veneratos. 2. Nec dum publice ac ſolemniter ab Eccleſiis recoli ſoliteam. 3. Et proinde hanc feſtivitatem ab Eccleſia Lugdunenſi non ex Anſelmi inſtituto, nec ejus ætate fuiſſe celebratum: cùm ſanctus Bernardus illius Eccleſiæ Canonicos hujus celebritatis redarguerit ſtatim atque eam deprehendit: *Superſtitione*, inquit, *deprehenſa*, &c. Eam autem non ignoraſſet, ſi ab Anſelmi temporis eſſet inſtituta in ea Eccleſia, cujus ipſe, ut ibi ait, ſpecialiter erat filius. Cùm ergo hæc quæ in eo tractatu de feſtivitatis illius inſtitutione & abolitione ſcripta legimus, ſancti Anſelmi temporibus minimè congruant: Tractatus hic non ab Anſelmo, ſed ab alio recentiore compoſitus eſt.

CENSURA EPISTOLÆ

SIVE SERMONIS

De Conceptione Beatæ Virginis.

PAter Raynaudus ſermonem hunc ex Mſ. Monaſterii ſancti Ragueberti Jurenſis edidit ſic inſcriptum: *Epiſtola ſancti Anſelmi, de Conceptione Beatæ Mariæ.*

Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus, & Anglorum Paſtor, Coëpiſcopis ſuis, & omnibus B. Mariæ Myſteria colentibus; Salutem, & perpetuam in Chriſto benedictionem.

Verùm fictitiam eſſe hanc epiſtolam ſuadent plurima. 1. Inſcriptio hæc non eſt Anſelmi; nuſquam enim in Epiſtolis ipſe ſe Anglorum Paſtorem nuncupat, quo fortè non levem ſibi invidiam feciſſet. 2. Sanctus Anſelmus Coepiſcopos non fuiſſet allocutus his verbis: *Dilectiſſimi Fratres, dilectio veſtra*, abſque ulla dignitatis ac paternæ Reverentiæ nota, quam in cæteris ſemper adhibuit. 3. Epiſtolæ non clauduntur his vocibus: *præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto filio ejus qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus per infinita ſæcula ſæculorum Amen.* 4. Nullus eſt hiſtoriæ Anglicanæ Scriptoribus refert à Guillelmo Conquæſtore in Daniam miſſum Elfinum qui utrum claſſis, ut fama erat, in Angliam dirigenda pararetur, ſagaciter exploraret. Immo tradunt omnes Guillelmum, ſtatim atque in Angliæ Regem ſacratus eſt, in Normanniam transfretaſſe, & aliquanto poſt Danorum potentiſſimam Claſſem in Angliam irrupiſſe. Cum quibus profectò malè cohæret prima iſtius epiſtolæ ſive ſermonis narratio. Si enim Elfinus paratam claſſem renunciaſſet Guillelmo, vel ipſe ex Anglia non exiiſſet, vel ſaltem Dani eam eo imparato non invaſiſſent. S. Elfinus, Anglicè Aiegelſin, non fuit in Abbatem Rameſienſem electus niſi an. 1080. ut habetur in Regiſtro de Ramſey fol. 218. Fabula igitur eſt Cœnobii Rameſienſis Abbatem Elfinum à Guillelmo I. accerſitum directumque fuiſſe in Daniam, ſtatim atque Angliam ſuæ ditioni ſubjecit, hoc eſt, anno 1066.

Elfinus hic in Eccleſia ſancti Auguſtini aliquando reſediſſe dicitur in altera narratione. Et quidem Guillelmus Torne in Chronicis Abbatem ſancti Auguſtini Cantuar. ad ann. 1059. inter eos Abbates bene recenſet Egelſinum; & de eo inter cætera ſcribit quòd, ipſo & Stigando Archiepiſcopo Cantuarienſi ducibus, populus Cantiorum anno 1066. Guillelmo occurrerunt; & quod pacto inter eos fœdere Abbas iſte in Daniam navigaverit, ſed profugus ut iram Guillelmi declinaret, non ut ejus Legatus aut exploratus; ut fingit fabula: Denique quod non ſolùm non fuerit ad Eccleſiam Rameſienſem promotus, ſed quod nuſquam ex eo tempore comparuerit Egelſinus iſte: adeo ut in ejus locum Rex alium ſuffecerit nomine Scotlandum, cujus inſtantia à Rege mandatum eſt ea omnia bona Cœnobio ſancti Auguſtini reſtitui, quæ Abbas iſte Egelſinus, quem Rex ipſe in ſuo reſcripto vocat fugitivum, vel conceſſerat vel abripi permiſerat. Non ergo is Elfinus eſt qui à Rege in Daniam miſſus eſt, & cui re cum Danis factâ in Angliam redeunti facta ſit præfata revelatio. Nec enim is fuit unquam Rameſienſis Cœnobii Pater, nec ad Danos tranſivit, niſi profugus; unde nec uſpiam reverſus eſt.

Sed nec Abbas Rameſienſis ad id muneris à Rege deligi potuit: cum Elfinus hic Abbatem non niſi anno 1089. ſit electus, & nuſquam in Daniam tranſmigraverit, maximè ad exploranda Danorum conſilia, qui paulo poſt in Angliam irrupere.

Quis ergo iſte Elfinus ſeu Egelſinus eſt, cui ex Dania redeunti tanta revelata ſunt myſteria? Dixerim hunc nec Rameſienſem, nec Cantuarienſem, ſed ex utroque confictum qui & in Daniam transfretaret, quò abiit Cantuarienſis; & qui Rameſienſe Cœnobium regeret, ne exul aut profugus etiamnum in Dania crederetur, ſic ſeipſa concidit male texta narratio.

6. Elfinus iſte naufragio proximus adeo ſcrupuloſe inquirit non ſolum de die, ſed & feſtivitatis officio; ut arte compoſita hæc narratio facile credatur.

7. Adeo variè deſcripta eſt hæc epiſtola, ut mendacio in incerto fluctuanti; quam veritati quæ ſibi conſtat, proprior ſit. In ea, quam edidit Pater Yenez in

appendice tom 7. Chron. Ord. S. Bened. edicitur quod ſanctus Nicolaus ſit infulatus hic qui Ellino naufraganti ſuccurrit, nec mîi una apparitio in ea narratur. In ea, quæ hîc edita eſt, duæ aliæ eodem ſtylo adjectæ ſunt narrationes. Illa tandem quam ex Mſ. Gemmet. ſubjeci eo titulo: *Miraculum de Conceptione B. Mariæ*, partim rithmis, partim ſolutâ oratione compoſita eſt, & unicam duntaxat apparitionem enunciat. Denique revelationem hanc factam Abbati in naufragio conſtituto Durandus ipſe Mimatenſis Epiſcopus l. 7. *de Divin. Offic.* concludit non eſſe authenticam nec approbandam.

Inſtit. Rer. Eccl. an. 1196.

8. Non magis veri ſpeciem habet quod de quodam Diacono Hungariæ Regis germano narratur. Hunc volunt eſſe Fridericum quadrageſimum tertium Aquileienſis Eccleſiæ Patriarcham, quem Caroli Calvi filium, & Monachum Fuldenſem fingunt, deinde ab eo in Archiepiſcopum aſſumpto inſtitutam fuiſſe hanc feſtivitatem. Ughellus in tom. 5. Italiæ Sacræ, quæ Romæ edita eſt; hanc fabulam rejicit & confutat ex eo quod iſte Archiepiſcopus inter Caroli Filios non recenſeatur in Stemmate Carolingorum: Neque in epitaphio quod ejus Sepulchro inciſum eſt, ulla de iis habeatur mentio: nec de eo Chriſtophorus Brouverus ullam mentionem habat in libro antiquitatum Fuldenſium ubi de præſtantia, doctrina & pietate illuſtrium Fuldenſium Monachorum diſertè agit. Denique nullus ſcitur Aquileienſis Patriarcha fuiſſe Regis Hungariæ Germanus. Nec de feſtivitate recens inducta Bernardus, Potho & alii circa annum 1140. cauſati fuiſſent, ſi in Italiæ Sede Patriarchali ab anno 884. quo iſte Aquileienſis Archiepiſcopus electus eſt, vel paulo poſt, cum octavis fuiſſet celebrata.

ubini l. 2. Leges vine.

9. Impœnitentiæ finali, quæ illud peccatum eſt quod neque in futuro ſæculo remittetur, nimium favet tertia hujuſce epiſtolæ narratio; & Scripturæ dicenti quod ubi arbor ceciderit, ibi manebit; Eccleſiæque profitenti quod in inferno nulla eſt redemptio, nimis repugnat, ut fidem mereatur.

Ruf. v. 3.

10. Hæc ratio quod ideo extolli debeat B. M. Conceptio, ſicut & ejus Nativitas, quia niſi illa concipereretur, non naſceretur; à S. Bernardo refertur ac refellitur: quod argumento eſt fabulam hanc ex ætate fuiſſe confictam.

Epiſt. 174.

11. Auctor in eos, qui hanc feſtivitatem celebrare abnuebant, tanquam in inſanos & inſenſatos invehitur. Quod quàm ab Anſelmi modeſtia ac manſuetudine alienum ſit, novit quiſquis ejus ſcripta vel curſim evolvit.

Circa Miraculum de Conceptione S. Mariæ quod ex Mſ. Gemmet. C. 40. idem cenſeto quod de epiſtola præcedente.

His autem in omnibus id unum egi ut haſce tractationes non eſſe ſancti Anſelmi demonſtrarem; nihilque ad Conceptionis feſtivitatem ac myſterium attigi, de quibus ſemper id ſentiam quod Eccleſiæ judicio ſtabit.

CENSURA PASSIONIS

SS. Guigneri, &c.

D. Johannes Picardus hanc hiſtoriam, ſi hiſtoria dicenda eſt, ex Mſ. Biblioth. Victorinæ primus edidit, & ſancto Anſelmo aſcripſit. Ipſam tamen vix Anſelmo dignam judicavimus; quia in ea leguntur multa quæ vero minime ſimilia ſenſatis viſa ſunt, & quæ riſum magis excutere quàm ad pietatem movere poſſunt.

CENSURA JUDICII

De ſtabilitate.

NIhil ſancto Anſelmo indignum habet; nec diſſonat ab iis quæ ſanctus Anſelmus Lanzoni ſcripſit in epiſtola quæ eſt 29. l. 1.

CENSURA DISPUTATIONIS

Judæi cum Chriſtiano.

DIſputationis iſtius auctorem & argumentum apertè indicat epiſtola, quæ loco Prologi præmittitur. Hactenus inedicta fuerat, etſi in pluribus Mſs. reperitur, videlicet in Mſs. Bibl. Elnon. Bibl. Longi Pontis, Bibl. Eccleſiæ Cathed. Tornac. & Bibl. ſancti Lamberti; præter Mſs. Bibl. S. Remigii Rem Bibl. Vict. & Bibl. ſan-Germanenſis: ex quibus illam juris publici fecimus.

CENSURA ANNULI.

DIalogum hunc qui à quingentis annis & amplius in bibliothecarum ſcriniis delituerat, è Lætienſi fœliciter deprompſimus. A Ruperto Tuitienſis Cœnobii Abbate Annulum hunc eſſe compoſitum, & tribus libris quaſi totidem gemmis diſtinctum ab ipſomet diſcimus in ejus prologo ad libros *de glorificatione S. Trinitatis & proceſſione Spir. S.* ubi ſe hunc Annulum, expetente Cunone quondam Abbate Syngebergenſi, tum Ratiſponenſi Epiſcopo, poſt completos tredecim libellos *de gloria Filii hominis*, & ante ſuſceptos libros *de Glorificatione*, &c. (hoc eſt circa an. 1127.) conſcripſiſſe ſe præfatur. De his plura diſſerui in Apologia pro Ruperto.

2 pag. 30. 48 pag 40 & pag 41. 58. 64. 65. 74. 77. & 81.

CENSURA LIBELLI

Cui titulus, *quædam dicta utilia*, &c.

EA P. Rayn. ex Mſs. Bibl. Vatic. primus in lucem miſit: & hæc quidem Anſelmum ſapiunt. Nonnulla ex Mſ. Corbei. his ſubjunximus, quæ nec ab anſelmo aliena ſunt.

De Homilia autem in illud: *Decebat enim* &c. quid cenſendum ſit dixi in aliarum homiliarum cenſura.

CENSURA DUORUM

Miraculorum.

IN Mſ. San-Germanenſi 608. duo hæc miracula à ſancto Anſelmo edita dicuntur. Unde ne quid operum quæ ipſi aſcribuntur, in hoc volumine deſideraretur, ea quantumvis fabuloſa & nulla fide digna adjecimus. Ejuſdem generis hæc ſunt, cujus & præfati tractatus de Conceptione, & miraculum Abbatiſſæ, quæ Angelis obſtetricantibus partum edidit.

CENSURA

Digitized by Google

CENSURA LIBRI

De sacramento Altaris.

IN Mſ. Cambronenſi hic liber extat ſic inſcriptus : Incipit liber Domini Anſelmi de ſacramento Altaris. Sub eodem titulo legitur in Mſ. Atrebat. Quandoquidem vero eo in opere aliqua redarguuntur, quæ legimus in libris de divinis Officiis, quos Rupertus Tuitienſis anno 1111. ſcripſit : Anſelmus verò humanis exemptus ſit anno 1109. liquet illud opus ab Anſelmo non prodiiſſe. Quod & in Ruperti Apologia fuſius expoſui. Hunc itaque librum ſuo auctori, Guillelmo ſancti Theodorici, cujus nomen præfert in Mſ. Longi-Pontis & in aliis, dimittentes, ipſum hîc excudendum minimè cenſuimus, cùm inter Guillelmi Abbatis S. Theodorici opera in Bibliotheca Ciſterc. editus habeatur.

In Synopſi de in. part. pag. 93. &c.

CENSURA LIBRI

De Membris & actibus Deo attributis.

HIc liber in tom. 4. operum S. Auguſt. inſcriptus legitur, *de eſſentia Divinitatis*; & in tom. 9. operum S. Hieronymi eſt epiſtola 15. *de iis quæ de Deo in Scripturis ſanctis attribuuntur* : extat etiam inter S. Bonav. opuſcula. Unde licet in prioribus editis ſancti Anſelmi operibus habeatur, cum in nullo Mſ. Cod. Anſelmi nomen obtineat, illum dimiſimus.

CENSURA LIBRORUM

De imagine mundi.

HOc opus extat in Mſ. 14. Bibl. Collegii Ovialenſis, ſic inſcriptum *Eptlogus Mapra mundi per eundem.* (Petrum de Alliaco Cameracenſem) in Mſ. 12. Collegii Corporis Chriſti, inter Hugonis opera, *de imagine mundi, libri duo.* In Mſ. 7. Colleg. ſanctæ Trinitatis : *Liber Henrici Huntingdon, qui dicitur imago Dei.* In Mſ. 367. Collegii S. Benedicti : *Imago mundi compoſita per H. Canonicum.* Ibid in Mſ. 32. *Imago mundi cum prologo Doctoris clariſſimi Anſelmi ſuper librum, cujus auctor eſt Greg. Huntingdon.* In Mſ. 280. Biblioth. Regiæ : *Incipit prologus Beati Anſelmi Epiſcopi ſuper librum qui dicitur : imago mundi.* In Mſ. 512. Noſtræ Biblioth. San-German. extat liber intitulatus : *ſpeculum* vel *imago mundi, cujus à Fratre Vincentio Ordinis Fr. Prad.* ſed is alius eſt ab eo qui inter S. Anſelmi opera fuit editus. In ejuſdem bibl. Mſ. 513. alius liber legitur eo titulo : *ſpeculum vel imago mundi*, nullo auctoris nomine : ſed nec is eſt idem cum aliis.

In omnibus verò, etiam antiquioribus, excuſis ſancti Anſelmi operibus extant hi duo libri.

Attamen ab iſto volumine ipſos excluſimus, nec quidem in Appendice eis dedimus locum, ut pote quos Anſelmi eſſe non conſtat, & quos alibi, videlicet, inter Honorii Auguſtod. opera expreſſos legimus in tom. 12. Bibliothec. PP.

CENSURA LIBRI

De beatitudine Cæleſtis Patriæ.

IN Mſs. Biblioth. Clarevall. S. Ebrulphi, Longi-Pontis, & S. Martini Tornac. huic libro ſancti Anſelmi nomen præfixum eſt. Verum in Mſ. Corb. E. 10. & in Mſ. Bec. Edmero aſcribitur, & ſimul extat ejus ad Guillelmum Monachum Epiſtola quæ ſimul cum prologo enarrat deſcribendi hujuſce libelli rationem, & Edmerum ejus auctorem apertè denunciat : plura etiam ex eo proferuntur in l. de Similitudinibus à c. 47. ad c. 71. Nomen autem S. Anſelmi non immerito præfert in pluribus Mſs. cùm ſermo ſit quem ſanctus Anſelmus Cluniaci habuit, & quem individuus ejus Comes Edmerus in libri forma deſcripſit.

CENSURA LIBRI

De Similitudinibus.

LIber hic in Mſ. Lirano & in Mſ. Aulæ Pembroch. inſcribitur, *de moribus humanis*, inter S. Anſelmi opera extat in omnibus excuſis & in pluribus Mſs. Unde S. Thomas, S. Bonav. ſanctus Antoninus & alii ipſum S. Anſelmo adjudicavere. Unus Pater Theophylus id opus inter notha recenſuit ; nec injuriâ. Hunc enim librum ab Anſelmo non eſſe compoſitum convincitur 1. ex 7. capitulis 186. 187. 188. 189. 190. 191. 192. quæ in antea editis poſtrema ſunt ; ſed eis cum ex Mſ. S. Germani tum ex Mſ. Beccenſi, duo ſubjunximus quæ in prioribus excuſis non legebantur. In iis autem ſeptem Capitulis auctor de S. Anſelmo loquitur : unde neceſſario conſequitur eum à S. Anſelmo alium eſſe. Nec quis ea dicat adjecta fuiſſe, ſicut revera in editione Nurembergenſi non habentur : in omnibus enim Mſs. ea leguntur ; & unum ipſorum, ſub Anſelmi etiam nomine, à S. Bonav. citatur.

Hinc autem error natus eſt quod libet iſte compoſitus ſit ex ſimilitudinibus quas S. Anſelmus ad mores facilè componendos adhibere conſueverat : unde liber Similitudinum Anſelmi rectè dici potuit, vel inſcribi, *S. Anſelmi ſimilitudines*. Quam plurimas enim ex iis quibus S. Anſelmus uſus eſt, Edmerus profert in l. de ejus vita ; nempe ſimilitudinem Urſarii. p. 4. 2. D. Cereæ. 5. 1. B. C. Plantæ, 8. 1. B. C. Vivarii, 11. 2. A. Bubonis 14. 1. E. Molendini, 15. 1. A. B. Leporis 17. 2. A. B. Aviculæ, ibid. 2. D. Militis ſolidarii, 18. 2. B. C. quas eaſdem in iſto ſimilitudinum libro ſimul collectas legimus. Quod, ſicut & totus iſtius libri contextus, certo mihi argumento eſt ipſum ab eodem Edmero eſſe compoſitum ex iis quas ſimul collegit, S. Anſelmi non ſimilitudinibus modò ſed & ſententiis, maximè de voluntate, de humilitate ac de beatitudine & miſeria. Unde una illius pars nonnunquam inſcripta reperitur, *liber de triplici voluntate* ; altera, *de monte humilitatis* : & tertia, *de quatuordecim beatitudinibus, & totidem miſeriis.*

CENSURA LIBRI

De Excellentia Gloriosæ Virginis.

IN Editione Nurembergenſi non extat hîc liber : In aliis tamen etiam Gothicis legitur inter ſancti

Digitized by Google

Anſelmi opera : hunc verò ex Mſ. Becc. E. 10. Edmero reſtituimus, cujus ſtylo conſcriptus eſt.

CENSURA LIBRI

De quatuor virtutibus Beatæ Mariæ.

HUnc librum Pater Raynaudus primus edidit, & S. Anſelmo adjudicavit. Quandoquidem verò in nullis Mſs. aut antea editis ſancti Anſelmi operibus illum compererim ; in eo tamen ſancti Anſelmi ſententiæ deprehendantur, maxime ubi de Dei potentia agit ; adeo & verbis & ſenſu libro præcedenti affinis mihi viſus eſt ut & Edmeri, qui S. Anſelmi placitis firmiter conſtanterque adhæſit, partum eſſe non leviter conjiciam : ipſius tamen nomen huic operi hac una ratione præfigere non auſus ſum.

In Mſs. Bibl. Alnenſis extat tractatus inſcriptus : *Anſelmus de duplici ſtola* In Mſ. G. 6. Bibliothecæ Bodleianæ inter ſancti Anſelmi opera occurrit liber *De ſtola 2. poſt reſurrectionem.* Hujus operis ut aliquod haberem exemplar, in me non fuit : ſed nec ab Anſelmo Cantuarienſi illud compoſitum cenſeo, cujus Edmerus aut alius quis non meminit.

De Antichriſto liber unus Anſelmo tribuitur in Mſ. 122. & 134. Bibl. Coll. S. Bened. Cantabrigæ ; & in Mſ. 203. Aulæ Pembroch. hunc librum conjicio excerptum ex c. 30. & ſeq. Elucidarii qui Anſelmo aſcribitur, etſi falsò.

Librum etiam *de bona occupatione*, Anſelmo aſcribunt Mſ. 134. præfati Collegii S. Bened. & Mſ. 166. Bibl. Collegii Magdalen. Oxonienſis.

De quibus verò hic liber agat, reſcire non potui. Ipſum denique, ut & alios qui Anſelmi nomen præferunt, fœtus tanto Patri ſuppoſitos judico, quibus recenſendis non æquum eſt diutius immorari.

Digitized by Google

VITA
SANCTI ANSELMI
CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI.

Ex Mſ. lib. Willelmi.

ANſelmus ex Auguſta Burgundiæ civitate ad Alpium radices poſita oriundus, ac illuſtribus parentibus, Gundulfo patre, ac Hermenberga Matre prognatus, & à pueritia ingenue liberaliterque inſtitutus, ad Beccenſe Cœnobium permotus Lanfranci fama, diſcendique ſtudio venit. Ibi ætatis ſuæ anno vigeſimo ſeptimo primùm fit Monachus, deinde Lanfranco ad Cadomenſem Abbatiam præfecto, in Beccenſi Prioratu ſucceſſit; in quo ordine quindecim annis ſtetit: Tum Erluino Beccenſi Abbate mortuo, Anſelmus Abbas creatur: quem gradum quindecim etiam annis geſſit. Tandem ab Hugone Ceſtriæ Comite graviter ægrotante, celebritate ſui nominis pervulgata, in Angliam accerſitus venit, ut quædam illius Comitis negotia procuraret, & Ceſtrenſis Monaſterii cœtum, excluſis Sacerdotibus, Monachis compleret: De quo cùm Guillelmus Rufus accepiſſet, eum Cantuarienſem Archiepiſcopum nominavit. Omnes enim Archiepiſcopatus proventus toto quadriennio Rex perceperat, plurimaſque Eccleſias venales habuerat, & triginta cæmeteria in ferarum paſcua redegerat, & Eccleſiarum vacantium fructus ſibi reſervaverat. Cujus lucri ſuavitatem, cum vel prorſus amittendam, vel valde minuendam ex Archiepiſcopatus conceſſione ſenſerat, pœnituit illum illico hujus tam promptæ & propenſæ in Anſelmum beneficentiæ. Itaque ut ejus animum à ſuſcipiendo oblato Archiepiſcopatu averteret, ſimulatè primò expoſuit: etſi amore & meritis ejus ductus Cantuarienſem Archiepiſcopatum contuliſſet, tamen ſe jam cernere graviratem & magnitudinem provinciæ Cantuarienſis majorem eſſe, quàm quæ ab homine monaſticis occupationibus, vigiliis, lucubrationibuſque divinis dedito, perferri ac ſuſtentari poſſet. Sed cùm neque hac ſuaſione quicquam profeciſſet, proque certo comperiſſet proceres populumque Angliæ adverſos aut minus fidos ſibi, Anſelmo favere, eumque ad Archiepiſcopi munus jam oblatum flagitare, aperte contradicere noluit: Verumtamen excepit poſſeſſionem rerum Eccleſiaſticarum, quas illo vacationis quadriennio fecerat, ut Anſelmi quoque auctoritate & ſententia ratæ eſſent. Ad quæ Anſelmus dixit illi nolle ſe Eccleſiæ nocere in quam officii nihil contuliſſet. Itaque Abbatiam Beccenſem, obtenta Rothomagenſis Epiſcopi licentia (in cujus diœceſi fuit) deſerens, Archiepiſcopus Cantuarienſis à Walchelino Wintonienſi tum Epiſcopo conſirmatur, fidelitatemque Rufo Regi de more fecit. Tum vero in ea ſede locatus & conſtitutus, cœpit Regem liberius atque ſeverius de tam inexplebili cupiditate & rapina bonorum Eccleſiaſticorum admonere, qua nihil poſſit eſſe certius quod tot cœmeteria feris ipſis ob ruinam Eccleſiarum compaſcua fecilſet. Sed cùm ſuis precibus & exhortationibus, de Regis animo ſpem nullam concipere potuiſſet, veniam petiit Romam eundi pro obtinendo ab Urbano Papa, Pallio: Qua five petitione, ſive nominatione turbatus & accenſus vehementer Rex aſſeruit & acriter contendit hoc Anſelmum contra ſuæ fidelitatis promiſſæ fœdus feciſſe: fuiſſe enim à patre ſuo decretum, ne quiſquam, qui à Rege nuncupatus non eſſet, in Angliæ regno Papæ nomine cenſeretur: & qui ſecus feciſſet, læſæ Majeſtatis reum Regiſque inimicum, quòd regni conſuetudinem violaret, judicandum. Hujus verò rei veritatem Edmerus his verbis deſcribit: Regem de tranſmare regreſſum Anſelmus adiit, & ut ſibi Romam ad Papam Urbanum pro ſtola ſui Archiepiſcopatus, eundi licentiam daret, humiliter petiit. At ille ad nomen Urbani turbatus, dixit ſe illum pro Papa non tenere, nec ſuæ conſuetudinis eſſe, ut abſque ſua electione alicui liceret in regno ſuo Papam nominare. Hinc igitur orta quædam gravis diſſenſio eſt, ſed in aliud tempus diſcutienda eſt delata. Jubet ergo ut totius Angliæ Epiſcopi, Abbates, & Principes ad diſcuſſionem diſſidii hujus apud Caſtrum, quod Rochingam dicitur, una veniant. Factum eſt, & tertia ſeptimana Quadrageſimæ, juxta edictum, convenerunt. Cauſa in medium ducitur, & Anſelmus diverſis querelis hinc inde concutitur; ſiquidem multi, ſed maxime Epiſcopi, regiæ voluntati favere volentes, ſpreto æquitatis judicio, id probare nitebantur quod Anſelmus, ſalva fide quam Regi debebat, nullatenus poſſet in regno ipſius. Urbanum Sedis Apoſtolicæ Præſulem pro Papa tenere. Quibus cùm plura quæ ratio tulerat, objecta fuiſſent, & Anſelmus eos ex verbis Domini; *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ Dei Deo:* aliiſque nonnullis, quæ ratio nulla refellere poſſet, penitus infrænaſſet; illi è contra, quod dicerent, non habentes, eum in Regem blaſphemare uno ſtrepitu clamaverunt; quandoquidem auſus erat in regno ejus (niſi eo concedente) quicquam vel Deo aſcribere. Igitur ad unam regiæ indignationis vocem, quidam ex Epiſcopis Archiepiſcopo ſuo atque Primati omnem ſubjectionem, atque profeſſam obedientiam uno impetu abnegant, eique unitatem fraternæ ſocietatis pari voto miſerandi abjurant. Quidam verò in eis tantum quæ ex parte Urbani Papæ præciperet illi ſe negant obedirurus. Epiſcopi itaque omnes (Roffenſi ſolo excepto) aut uno aut alio modo, debitam illi ſubjectionem & obedientiam abnegant. Rex etiam ipſe cunctam ei confidentiam & ſecuritatem in ſuis omnibus ademit, nec ſe illum pro Archiepiſcopo vel patre amplius habiturum jurat, niſi ipſe Vicario Beati Petri ulterius obediturum deneget. Tres dies in iſto negotio clamoribus in Anſelmum, & contumeliis gravidi expenſi ſunt, tandem in hoc fine concludunt.

At Anſelmus in ſuo propoſito conſtans poſtulat à Rege ut tutus regno diſcedat; quo ſibi negato, factæ ſunt utrinque induciæ ad Pentecoſtem, & plena pax & tranquillitas promiſſa. Nihilominus Anſelmus, hominibus ſuis captis, & ſpoliatis, terriſque vaſtatis, in immenſum afflictus eſt; poſt hæc tamen Urbanum pa-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Walterum Albanenſem Epiſcopum (qui Pallium Anſelmo à Roma Cantuariam detulit) pro Papa ſuſcepit. In hac autem tractanda controverſia Rex cum Urbano Papa privatim egit de Anſelmo ab Anglia penitus abducendo. Sed cùm ob eximiam viri doctrinam morumque probitatem id efficere non poſſet, Anſelmus jam accepto Pallio, Archiepiſcopalem curam, & auctoritatem Rege connivente exercuit, & Samuelem quemdam Dublinenſem Archiepiſcopum, Malcumque Waterfordienſem primum Epiſcopum, ad Regis Murierdach, populique in Hibernia petitionem, alioſque Epiſcopos, accepta ſubjectionis profeſſione Lambethi conſecravit. Sed poſt Cambrenſem expeditionem reverſus Rex, expoſtulari cum Anſelmo cœpit, de militibus ab eo miſſis ad tantum gerendum bellum parum idoneis, & nova crimina inferre de his quæ Anſelmus de Eccleſiaſtica libertate recuperanda atque retinenda, nec non de vaſtitate & ruina Eccleſiarum, quæ Regis invaſione acciderant, liberius & palam & ſecum privatim egiſſet. Quibus ſuis factis recenſitis, datur illico Anſelmo utriuſque rei facultas atque optio, ſive manendi in regno Angliæ, cum ea præſtatione fidelitatis, & obſequii Regi, quam jurisjurandi Sacramento promiſerat, & à ſuperioribus Archiepiſcopis præſtari conſuevit, & ne quacumque de re ad Papam de Rege provocaret, & ad Sedem Apoſtolicam appellaret: vel ex Angliæ Regno diſcedendi, quod homini peregrino & advenæ difficile non fuerat. Itaque Anſelmus conſtitutis ſibi undecim dierum induciis, intra quos confectis rationibus ſuis, tranfretaret: Ego (inquit Regi & proceribus) vado, vobis tamen benedictionem meam, ſi non contemnitis, impertior. Quam cùm ſe Rex non ſpreturum dixit, Anſelmus ei levata dextera benedixit, & Cantuaria diſceſſit, ibi quatuor decim dies manſit; & poſtridie navem Doveri conſcenſurus, tanquam inſignis alicujus criminis reus à quodam Guillelmo Clerico Regis ad id nuncio detinetur, donec magna plebis aſtante corona, ſuppellectile ſua tota perſcrutata, bonis omnibus exutus, ſuperato mari, alieno littori nudus expoſitus eſt. Poſt ejus diſceſſum, Rex proſcripſit omnia quæ Anſelmi juris erant, & in ſuum dominium tranſtulit, & quæcumque ſtatuerat, irrita pronunciavit. Anſelmus autem Lugdunum perrexit, inde Romam à Papa accerſitus, qui perbenigne eum hoſpitio accepit. Interea Romam venit Guillelmus, qui Anſelmum in littore diſcedentem ſcrutatus eſt, Regis ad Papam legatus, ut de Anſelmi cauſa inducias ad ſequens. Michaëlis Archangeli feſtum impetraret. Quo conceſſo, Anſelmus id ægre ferens, Lugdunum reverti conſtituit: ſed à Papa ad Concilium, quod tum convocatum fuit, retentus eſt. Inter cæteras hujus Concilii ſanctiones, excommunicationis lata ſententia eſt, tam in laïcos inveſtituras Eccleſiarum dantes, quàm in Clericos eaſdem à laïcis accipientes. Et pendentibus de Anſelmi cauſa induciis, obiit Papa, & paulo poſt Rufus Rex, qui ſe vivente, nec Synodos Eccleſiaſticas ad vitia corrigenda celebrari, nec plurimas Eccleſias à Clericis poſſideri permiſit: ſed earum fructus percepit, jocoſe ſemper hoc verſu illudens tori Clero: *Panis Chriſti, panis pinguis eſt.* Rufo autem mortuo, ſucceſſit frater ejus Henricus; à Mauricio Londinenſi Epiſcopo conſecratus, qui calamitoſum & diſcerptum à fratre Eccleſiæ ſtatum reſarcivit, Anſelmum ab exilio revocavit, eique procurationem Eccleſiaſticam commiſit. Quantum autem Anſelmo faverit, ex ſuo ad Londinenſes de Anſelmi ſervorum & famulorum immunitate, eoſque bene humaniterque tractando, miſſo diplomate quo petit ut Anſelmus ac ſui tam liberi eſſe poſſint, ac Lanfrancus cum ſuis fuerit: ut è conceſſione Guillelmi Conquæſtoris intelligi poteſt. Et ut perſpiciamus quam fuerit illa ætas aperta & ſimplex, minimeque prolixa & curioſa verbis, non erit alienum ipſum diploma, Latine Angliceque ſcriptum verbatim inferere; quod totum in utraque lingua comprehenſum, ne palmæ latitudinem attingit. Magnum autem Regis ſigillum, quod nunc in fine diplomatum appendi ſolet, in hoc antiquo diplomate ad modicam membranæ partem paulatim extenſam & exciſam ex diplomatis ſiniſtro latere adhæret. Sigilla verò antiquitus diplomatibus ſuis Reges non appendebant: quod tamen ab Eduardo Regum Angliæ primo inductum fuit, qui chartis ſuis ad veritatis teſtimonium ceram impreſſam appendebat.

DIPLOMA HENRICI REGIS.

Henricus Rex Anglorum, Hugo de Boclande, & W. Baignardo, & omnibus miniſtris meis Londoniæ S. Precipio & volo ut omnes homines Anſelmi Cantuarienſis Archiepiſcopi, quos in Londonia habet, & omnes ſui in illa villa euntes & redeuntes, ita quieti de omnibus conſuetudinibus ſint, ſicut unquam Lanfrancus Archiepiſcopus ſuos in ea melius & quietius habuit tempore patris mei, & videte ne eis ullam injuriam faciatis. Teſte Hug. Comite de Ceſtra apud Weſtmonaſt.

Anſelmus verò Eccleſiaſticam ſuam procurationem diligenter exercens, totius Cleri Synodum Londini convocavit: in qua plurimos ab Eccleſiaſticis dignitatibus, ob ſimoniacas pactiones, alique flagitia dejecit: Guidonem Abbatem Wimondenſem, Eldwinumque Ramſenſem Simoniacos; Galfricium Petriburgenſem, Haymonem Cervellenſem, & Robertum ſancti Edmundi, ob varios defectus & exceſſus. Synodus iſta Londinenſis Synodi appellatione etiam vulgo ferebatur, cujus conſtitutiones ſtatim ſpretæ atque contemptæ fuerunt. Nam Girardus Eboracenſis Archiepiſcopus, cùm illos canones edixiſſet ſervandos, totus illius Provinciæ Clerus recuſavit, unde Anſelmo ſcripſit: *Sitio Clericorum morum integritatem; ſed prater in paucis admodum vel aſpidis ſurditatem, vel fabuloſi cujuſdam Protbei mutabilitatem invenis. Variis linguarum aculeis modo minas, modo convitia inſligunt. Profeſſiones verò mihi penitus abnegant Canonici illi, qui ſine profeſſione ad Sacros Ordines inordinabiliter ſunt provecti: Hi etiam qui in Preſbyterio vel Diaconatu conſtituti, & uxores ſive concubinas in publico baſilenus habuerunt, & ab altari nullàtenus reverentiâ continuerunt. Cùm verò ad ordines aliquos invito, dura cervice reluctantur, ne in ordinando caſtitatem profiteantur.* Obſtitit etiam ne canones hujus Synodi legum vim & poteſtatem fortirentur, ingens inter Regem & Anſelmum diſcordia & contentio de Eccleſiarum inveſtituris orta. Nam toto illo triennio quo abfuerat Anſelmus, ſedibus Epiſcopalibus & Eccleſiis vacantibus, Rex arbitratu ſuo viros Eccleſiaſticos præpoſuit, earumque poſſeſſionem, per inveſtituram, & baculi paſtoralis & annuli donationem tradidit. Quod quidem inveſtiendi ac in poſſeſſionem inducendi jus, Chriſtiani Principes tunc temporis ſibi vindicarunt. Ex his igitur qui auctoritate regia Epiſcopatibus & Eccleſiis inducti fuerunt, petiit Rex ut qui ſacrati non eſſent, ab Anſelmo conſecrarentur: qui verò abſente eo ab aliis Epiſcopis conſecrati eſſent, in conſortium & conſuetudinem ſuam, & Epiſcoporum cœtum permitteret. In utroque horum Anſelmus Regi reſiſtit, tum quod cæteri Laïci Regis exemplo, auctoritate privata, Preſbyteros ſine legitima Epiſcoporum approbatione, Sacerdotiis præficerent: tum quod Urbanus Romanus Pontifex ſuperiori Concilio ſtatuiſſet ne quis de manu Regis aut Laïci Eccleſiæ alicujus inveſtituram acciperet, aut Laïci auctoritate poteſtatem apprehenderet. At Rex rexnique proceres, Epiſcopi, & cujuſcumque generis aulici, hoc præter regni conſuetudinem ab Anſelmo factitatum indigne ferentes, aſſerebant aſſenſuros ſeſe nunquam tam iniquo Papæ decreto: & potius tam Anſelmum regno exterminaturos, & ab Eccleſia

Romana penitus discessuros, quàm hanc Papæ sententiam à jure regio, regnique consuetudine prorsus alienam, ratam haberent. Quem procerum & Episcoporum secum conspirantem & congruentem sensum cum animadvertisset Rex, Girardo Eboracensi Archiepiscopo suasit & mandavit ut ipse hoc consecrationis munus susciperet & absolveret. Girardus hoc oneris in se assumpsit, diemque ad consecrationis hujus celebrationem Londini in Paulina Ecclesia præscripsit. Quo cùm plures convenissent, Guillelmus Wintoniensis Episcopus tunc sacrandus, baculum pastorale & annulum, quæ à Rege accepisset, iterum Regi tradidit, dixitque quæ injuste accepisset, amplius se non posse retinere. Cujus facti novitate, quod præter omnium expectationem tam subito & inopinato accidit, perculsus Rex Guillelmi bona proscripsit, eumque regno ejecit. Postea multis in utramque partem sicut in omni dissidio fieri solet, huc illuc inclinantibus ad tantam discordiam, quæ Regi recentis regni victoris filio periculosa foret, sedandam, conventum est ut ad scisscitandum Papæ oraculum, Anselmus & Guillelmus Warelvast Regis legatus qui semper Anselmi partibus adversus fuit, Romam proficiscerentur. His Romæ ante Papæ tribunal hanc causam agentibus, Anselmus Papæ causam, coram Papa præsente & judice: Guillelmus Regis sui absentis, nec judicis, causam tractavit: cumque Guillelmus vehementius in Regis propositum affectus dixisset Regem suum ne pro Regni Angliæ amissione jus Ecclesias donandi, & earum possessionem tradendi amissurum. Respondit Paschalis Papa, (ut verbis Edmeri auctoris utar) si quemadmodum dicis, Rex tuus nec pro regni sui amissione patietur Ecclesiarum donationem amittere, scias, ecce coram Deo dico, quia nec pro sui capitis redemptione, eas illi aliquando Paschalis Papa impune permittet habere. Hoc itaque Papæ responso, causa secundùm Anselmum contra Regem definita est. Alii scribunt Anselmum audivisse Paschalem Papam illam excommunicationis sententiam in Laïcos investituras dantes, & Clericos eas à Laïcis capientes fulminantem, eâque perterritum, Principi suo, à Majoribus suis jus vendicanti, consentire non ausum. Nam in illa excommunicatione Papa hujusmodi verbis usus est: execrabile videri manus, quæ in tantam eminentiam excreverant, ut quo nulli Anglorum conceſsum est, Dominum cuncta creantem suo ministerio creent, & eundem ipsum pro redemptione, & salute totius mundi, summi Dei Patris obtutibus offerant; in hanc ignominiam tradi, ut ancillæ fiant earum manuum, quæ die ac nocte obscœnis contagiis inquinantur, rapinis & injustæ sanguinis effusioni addictæ commaculantur. Certum enim est Henricum Imperatorem Romam ad sedandam hanc discordiam quæ inter Regem & Clerum cœpta esset, tanquam orbis Christiani scandalum venisse. Hoc autem investiendi jus à Gregorio septimo dicto Hildebrando Regibus detrahi cœpit. Deinde à successoribus ejus, Victore & Urbano, maxime autem à Paschali, sub excommunicationis censura interdictum fuit: sed à Carolo magno Franciæ Rege Imperatore, & à sequentibus Imperatoribus, qui trecentis amplius annis imperabant, quibus annorum seculis sexaginta tres Romani Pontifices ordine secuti sunt, hoc investiendi, & in possessionem mittendi Clericos in Ecclesiastica beneficia per virgæ & annuli traditionem frequentatum & retentum fuit. Contra hanc Cæsarum Principumque auctoritatem & consuetudinem censebant Synodali judicio, Pontifices nec posse nec debere per virgam nec per annulum Episcopatus aut Ecclesiæ alicujus investituram possessionemque à Principis aut Laïci manu apprehendi, & qui id facerent sententia lata excommunicarent. Hanc igitur potissimam ob causam, Henricus Imperator Romam properat, Longobardosque in via sibi resistentes fortiter prosternit. Tum Romam ingressus, accepto Diademate, Papam cum Episcopis & Cardinalibus capit, & sub arcta custodia detinet. Die Paschæ reconciliatio intervenit, quo die post lectum in Missarum solemnibus Evangelium, ad altare Apostolorum Petri & Pauli, in oculis quam plurimorum Principum, Paschalis Papa tradidit Imperatori privilegium, ut is solus in suo regno investituras Ecclesiarum, per virgæ & annuli traditionem in Clericos transferret, ita ut post investituram ab Episcopo, cujus Diœcesis sint Ecclesiæ consecrationem canonice accipiant. At hoc modo investiendi jus, Synodali tantum constitutione à Papa, cæteris demptum Principibus, in illo regno solum retinetur: tantum tam terroris anathematum & excommunicationum à Papa projecta fulmina Regibus incussserunt, ut pavido & trementi alicui Herculi clavum, ut dicitur; extorsissent. Sed Henricus illa tormenta compescuit. Hæc pax in Missarum solemnibus per investituræ prævilegium composita, per illud Papalis arcæ Sacramentum sic confirmata est. Papa celebrans Imperatori Sacramentum his verbis porrexit: Domine Imperator, hoc corpus Domini natum ex Maria Virgine, passum in cruce pro nobis, sicut sancta & Apostolica tenet Ecclesia, damus tibi in confirmationem veræ pacis inter me & te: sumptoque sacramento, Imperatoris pacem, amissione investiturarum Papa consecutus est. Nunc ad Anselmum redeamus, qui Roma discedens Lugdunum pervenit: cui una illuc proficiscens Regis legatus Guillelmus, ex Regis mandato interdixit in Angliam reditum, nisi omnes regni consuetudines à Patre ac Fratre Regis retentas ac observatas, se quoque servaturum certo promitteret, postposita Sedi Romanæ subjectione & obedientia. Sed Anselmus à sententia discedere noluit Itaque Lugduni cum Archiepiscopo Hugone triennio penè toto permansit. Rex omnes Archiepiscopatus reditus in fiscum deferri jussit, tandem per Adelam Comitissam Blesensem Regis sororem, hoc casu Anselmus Regi reconciliatur, & ad Archiepiscopatus jura restitutus est. Adela gravissimo & periculosissimo morbo diu laboraverat, ad hanc in tanta corporis infirmitate consolandam accessit Anselmus. Cujus adventus tantum & tam repentinum gaudium Comitissæ tam ægræ attulit, ut profligato, morbo valetudinem recuperaverit. Itaque Regem Fratrem Normanniæ suæ ditioni redigendæ occupatum pro Anselmo adiit, & in Regis colloquium adduxit. Tandem in Regis gratiam accepto Anselmo, prior illa de Ecclesiarum investituris controversia, quæ eos antea disjunxerat, Paschalis judicio iterum relata est. Is ne Regis animum quem irritabilem antea senserat, in Anselmum iterum accenderet, nec tamen de investiturarum jure quicquam discederet, mediam quandam in hujus causæ decisione viam sequutus est: ut Episcopi à Rege ante investiti, quos Paschalis excommunicaverat, ab illa sententia solverentur, & in sedibus suis confirmarentur: sed ne tale quid in posterum à Rege aut Laïco quocumque fiat, cavit atque statuit. Quo Papæ decreto Rex acquievit, & Anselmum omnibus bonis & fructibus exilii tempore à se perceptis & retentis plene restituit. Redit igitur in Angliam Anselmus summo totius populi applausu à Regina & optimatibus perhonorifice in regnum acceptus; Rex enim Normannico motu detentus erat, quo sedato, Normanniam iterum suo subjecit imperio. Reversusque Concilium regni publicum Londini indixit, in quo statutum fuit non licere Regi, vel cuicumque Laïco per baculum & annulum Episcopum vel presbyterum quemcumque investire; satis esse ut homagium ab Episcopis Regi fiat, pro possessionibus temporalibus. His ex Anselmi sententia gestis, cœpit prioris illius Londinensis à se celebratæ Synodi decreta executioni mandare, & Sacerdotum nuptias dissolvere. Sub hæc tempora mortuo Girardo Eboracensis Archiepiscopo, Thomas Archiepiscopus electus

eſt : qui cum ab Anſelmo conſecrandus eſſet, provinſuæ clero eum pellente & inſtigante, ſubjectionem Cantuarienſi Sedi debitam, & à prioribus Eboracenſibus Archiepiſcopis præſtitam, profiteri recuſavit. Ob quam contumaciam Anſelmus nec eum conſecrare voluit ; & ne ab alio quoque Epiſcopo ſacraretur, per litteras vetuit. Itaque Thomas ſine conſecratione toto Anſelmi tempore vitæ electus tantummodo ſtetit. Eo verò mortuo, Rex, regni proceres atque Præſules ad ineundum de Eboracenſis Archiepiſcopi conſecratione Concilium Londini convocavit. Epiſcopi enim ab Anſelmo prohibiti, conſecrare illum noluerunt. Quod cùm Thomas quondam Meletenſis, cujus tunc fuit cum Rege intima maximaque gratia, ſenſiſſet, vultu ſermoneque ſæviori quæſivit an quiſquam hujuſmodi litteris parere auderet, ſine Regis auctoritate & ſententia. Quo perterriti & ſtupefacti Epiſcopi, Samſonem Wingornienſem Epiſcopum, ut Thomam Eboracenſem Archiepiſcopum conſecraret, rogarunt ; qui id ſe facturum negavit, niſi Thomas Cantuarienſi Sedi ſubjectionem ex more profeſſurum promitteret. Cui & Rex aſſenſus eſt, juſſitque ut quinto Kal. Julii prox. in Eccleſia Paulina præſentibus Epiſcopis Thomas ſaceraretur ; & præſtitam à ſuperioribus Archiepiſcopis profeſſionem faceret : quo tempore convenientibus Epiſcopis, qui ſacras ceremonias abſolverent, porrigitur Thomæ profeſſio ſigillo obſignata jam olim à ſuis prædeceſſoribus legi ſolita : quam cùm ſumma gravitate & reverentia, qua decuit, apertè legiſſet, Epiſcopo Londinenſi, Eccleſiæ Cantuarienſis Decano, Priore etiam ejuſdem Eccleſiæ præſente, tradidit. Profeſſionis forma hæc erat.

Ego Thomas Eboracenſis Eccleſia conſecrandus Metropolitanus profiteor ſubjectionem & canonicam obedientiam ſanctæ Dorovernenſi Eccleſiæ, & ejuſdem Eccleſiæ Primati canonice electo & conſecrato, & ſucceſſoribus ſuis canonice intronizatis, ſalva fidelitate Henrici Regis, & ſalva obedientia mea Romanæ Eccleſiæ.

Anſelmus verò Cantuariæ, 4. Idus Auguſti, Guillelmum Wintonienſem, Rogerium Saliſburienſem, Raynelium Herefordienſem, Urbanumque Glamorgamenſem Epiſcopos conſecravit, præſentibus Girardo Eboracenſi Archiepiſcopo, & aliis Cantuarienſis Provinciæ præſulibus. Multum autem & operæ & ſumptus contulit in ornando & inſtaurando Eccleſiam Chriſti Cantuarienſem, & in inſtituendo Ceſtriæ Monachorum Cœnobio, ab Hugone Comite prius extructo : cujus Richardum Capellanum ſuum Abbatem fecit. In ſcribendis epiſtolis frequens & aſſiduus fuit, quarum 367. ad noſtra tempora reſervantur. Scripſit tractatus varios, 1. de veritate, 2. de libertate arbitrii, 3. de caſu Diaboli, 4. de Grammatico & diſcipulo, 5. vocatur Monologium : multas dialecticas quæſtiones propoſuit & ſolvit. Scripſit etiam libellum ſententiarum, Proſlogion, librum epiſtolarum ad diverſos, librum de Incarnatione Verbi, librum cur Deus homo, ad hæc de conceptu Virginali, de orationibus contemplativis, & de proceſſione Spiritus ſancti. Et biennio poſt ſecundum in Angliam ab exilio reditum tranſacto, in Abbatia ſancti Edmundi graviſſima febri correptus, Cantuariam feſtinavit, ibique diu lecto decumbens, undecimo Kal. Maii an. 1109. ætatis ſuæ 76. & Pontificatus anno 16. obiit, tumuloque ad caput Lanfranci ſepultus & conditus jacet.

Digitized by Google

EPITAPHIUM
SANCTI ANSELMI

Ex Mf. Vat. & ex Mf. Tur.

NObilis & ſapiens, bonus & ſermone refulgens,
Abbas Beccenſis, poſt præſul Cantuarienſis,
Ingenio clarùs, Scripturæ cognitor altus,
Phyſicus & Logicus, Moralibus & bene doctus,
Rerum diſpoſitor, verique frequens ſpeculator;
Contemplata ſtylo, ſcribens, dictamine compto,
Compos conſilii, Collator & ejus egenti:
De ſe ſollicitus, ſimul omnibus omnia factus:
Se ſalvare volens, alios poſtponere nolens.
Mundi deſpector, Chriſti perfectus amator,
Ora rigans lacrymis nimia dulcedine cordis,
Cum mœſtis mœſtus, cum lætis exhilaratus;
Injuſtis rigidus, manſuetis mitis ut agnus,
Effectum voti citò præſtans, recta volenti
Largiter attribuens, ſibi vix aliena repoſcens;
Factis compoſitus, verbo gravis, atque facetus,
Efficiens precibus miracula multa precatus:
Contemptor laudis, tot præditus appreciandis
Undecimo Maias reſolutus Carne Calendas
Creditur Anſelmus cœleſtibus aſſociandus.

ALIUD EPITAPHIUM.

Mf. Vat. ... hominis.

Quid ſis, & quid eris, lector, ſi noſcere quæris;
Per me ſcire potes, ſi mea fata noris.
Iſtud idem fatum tibi credas eſſe paratum,
Cum ſit terra, cinis, materies hominis.
Relligio, morum probitas, & ſplendor avorum,
Littera, delicia, formaque cum facie,
Vavere ſi ſacerent; non ſic mea membra jacerent
Hac conſtricta domo: ſic erit omnis homo.

ALIUD EPITAPHIUM.

Ex Mf. pp. Tur.

Quiſquis diſtrictum complecti nitere vitam,
Inſignem meritis hunc ſpeculare virum,
Moribus iſte tuis ſpeculum vitale miniſtrat.
Hujus adeſto viri: hunc properato ſequi.
Here, ſiſte gradum, qui curris ad impia, fræno
Juſtitiæ coibens, hujus ad inſtar equum:
Mente ſacrum, carne nitidum, pavumque dicavit,
Gratia ſanctificans, hunc penetrale ſibi.
Doxa, decus mundi, ſubito agentia caſu,
Cælica capienti diſpliuere viro;
Tempore quæque cadunt, decernit rejicienda:
Mente, manu, lingua, ſumma petenda docens.
Virtutum jubare decorabat climata coſmi.
Luce ſacra rutilans nubila noſtra fugat.
Hunc regnare quidem ſuper æthera lividus hoſtis
Condoleat, quoniam victus ad ima redit,
Cui ſuperi cedunt, applaudit Curia cæli.
Hujus ovans titulos prædicet Eccleſia.
Exultet tellus, tam claro fulta patrono,
Tanto conſorte ſtelicus axis ovet.
Signifer iſte Dei, donatus honore trophæi,
Arma docet fidei ſignifer iſte Dei.

Digitized by Google

INDEX OPERUM
SANCTI ANSELMI
CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI.

PARS PRIMA.

CONTINENS DOGMATICA.

MONOLOGIUM.

PRÆFATIO *Pag.* 3.

Caput I. *Quòd sit quiddam optimum, & maximum, & summum omnium quæ sunt.* 4

Caput II. *De eadem re.* *ibid.*

Caput III. *Quod sit quædam natura per quam est quidquid est; & quæ per se est, & est summum omnium quæ sunt.* *ibid.*

Caput IV. *De eadem re.* 5

Caput V. *Quod sicut illa est per se, & alia per illam: ita illa sit ex se, & alia ex illa.* *ibid.*

Caput VI. *al. c.* 5. *Quod illa non sit ullâ juvante causâ ducta ad esse; nec tamen sit per nihil, aut ex nihilo: & quomodo intelligi possit esse per se, & ex se.* *ibidem.*

Caput VII. *al. c.* 6. *Quomodo alia omnia sint per illam, & ex illa.* 6

Caput VIII. *al. c.* 7. *Quomodo intelligendum sit quod omnia fecit ex nihilo.* 7

Caput IX. *al. part. c.* 8. *Quod ea, quæ facta sunt ex nihilo, nonnihil erant antequam fierent, quantum ad rationem facientis.* *ibid.*

Caput X. *al. c.* 9. *Quod illa ratio sit quædam rerum locutio, sicut faber dicit priùs apud se quod facturus est.* *ibid.*

Caput XI. *al. c.* 10. *Quod tamen multa sit, in hac similitudine fabri, dissimilitudo.* 8

Caput XII. *al. c.* 11. *Quod hæc summæ essentiæ locutio sit summa essentia.* 8

Caput XIII. *al. c.* 12. *Quod sicut omnia per summam essentiam facta sunt, ita vigeant per ipsam.* *ibid.*

Caput XIV. *al. c.* 13. *Quod illa sit in omnibus, & per omnia, & omnia sint ex illa, & per illam, & in illa.* 9

Caput XV. *al. c.* 14. *Quid possit aut non possit de illa dici substantialiter.*

Caput XVI. *al. c.* 15. *Quod eadem sit illi esse justum, quod est esse justitiam: & eodem modo de his quæ similiter de illa dici possunt: & quod nihil horum monstret qualis illa, vel quanta sit, sed quid sit.* *ibidem*

Caput XVII. *al. c.* 16. *Quod ita sit simplex, ut omnia, quæ de ejus essentia dici possunt, unum idemque sint in illa; & nihil de ea dici possit substantialiter, nisi in eo quod quid est.* 10

Caput XVIII. *al. c.* 17. *Quod sit sine principio, & sine fine.* *ibid.*

Caput XIX. *al. c.* 18. *Quomodo nihil fuit ante, aut erit post illam.* 11

Caput XX. *al. c.* 19. *Quod illa sit in omni loco & tempore.* *ibid.*

Caput XXI. *al. c.* 20. *Quod in nullo sit loco aut tempore.* *ibid.*

Caput XXII. *Quomodo sit in omni, & in nullo loco & tempore.* 12

Caput XXIII. *Quomodo melius intelligi possit esse ubique, quàm in omni loco.* 13

Caput XXIV. *Quomodo melius intelligi possit esse semper, quam in omni tempore.* *ibid.*

Caput XXV. *al. c.* 24. *Quod nullis mutabilis sit accidentibus.* 14

Caput XXVI. *al. c.* 25. *Quomodo illa dicenda sit esse substantia; & quod sit extra omnem substantiam, & singulariter sit quicquid est.* *ibid.*

Caput XXVII. *al. c.* 26. *Quod non contineatur in communi tractatu substantiarum; & tamen sit substantia, & individuus spiritus.* *ibid.*

Caput XXVIII. *al. c.* 27. *Quod idem Spiritus simpliciter sit: & creata, illi comparata, non sint.* *ibid.*

Caput XXIX. *al. c.* 28. *Quod ejus locutio idipsum sit quod ipse, & ipsi sit consubstantialis: cùm non sint duo, sed unus Spiritus.* 15

Caput XXX. *al. c.* 29. *Quod eadem locutio non constet ex pluribus verbis, sed sit unum verbum.* *ibidem*

Caput XXXI. *al. c.* 30. *Quod ipsum Verbum non sit similitudo factorum; sed veritas essentiæ: facta verò sint aliqua veritatis imitatio. Et quæ naturæ magis sint, & præstantiores, quàm alia* *ibid.*

Caput XXXII. *al. c.* 30. *Quod summus Spiritus seipsum dicat coæterno Verbo.* 16

Caput XXXIII. *al. c.* 31. *Quod consubstantialiter Verbo dicat se, & quod facit.* *ibid.*

Caput XXXIV. *al. c.* 33. *Quomodo suo Verbo videri possit dicere creaturam.* 17

Caput XXXV. *al. c.* 34. *Quod quidquid factum est in ejus verbo & scientia sit vita & veritas.* *ibidem*

Caput XXVI. *al. pars cap.* 34. *Quam incomprehensibiliter dicat, vel sciat res à se factas.* *ibid.*

Caput XXXVII. *al. cap.* 36. *Quod quidquid ipse est ad creaturam, hoc sit & Verbum ejus: nec tamen ambo simul plus aliter.* *ibid.*

Caput XXXVIII. *al. c.* 37. *Quod dici non possit quid duo sint, quamvis necesse sit esse duos.* 18

Caput

Digitized by Google

INDEX OPERUM S. ANSELMI.

Caput XXXIX. *al. c.* 38. *Quod idem Verbum sit à summo Spiritu. secundo.* *ibid.*

Caput XL. *al. c.* 39. *Quod verissimè ille sit parens, illud verò prole.* *ibid.*

Caput XLI. *al. c.* 40. *Quod ille verissimè gignat, illud verissimè gignatur.* *ibid.*

Caput XLII. *al. pars c.* 40. *Quod alterius verissimè sit esse Genitorem & Patrem; alterius, Genitum & Filium.* *ibid.*

Caput XLIII. *al pars c.* 41. *Retractatio communicinis horum, & proprietatum singulorum.* 19

Caput XLIV. *al pars c.* 43. *Quomodo alter alterius sit essentia.* *ibid.*

Caput XLV. *al c.* 44. *Quod aptiùs dici possit Filius essentia Patris quàm Pater essentia Filii: & quod similiter sit Filius Patris virtus, & sapientia; & similia.* 20

Caput XLVI. *al cap.* 45. *Quomodo quædam ex his quæ si proferuntur, aliter quoque possint intelligi.* *ibid.*

Caput XLVII. *a. pars cap.* 45. *Quod Filius sit intelligentia intelligentiæ, & veritas veritatis.* *ibid.*

Caput XLVIII. *al. c* 46 *Quod & quomodo Filius sit intelligentia & sapientia memoriæ: & memoria Patris & memoriæ.* *ibid.*

Caput XLIX. *al. pars c.* 47. *Quod summus Spiritus se amet.* *ibid.*

Caput L. *al. c.* 48. *Quod idem amor pariter procedat à Patre & Filio.* *ibid.*

Caput LI. *al. cap* 49. *Quod utergue pari amore diligat se & alterum.* 21

Caput LII. *al. cap.* 50. *Quod tantus sit ipse amor, quantus est ipse summus Spiritus.* *ibid.*

Caput LIII. *al c.* 51. *Quod idem amor sit ipsum quod est summus spiritus; & tamen ipse sit cum Patre & Filio unus Spiritus.* *ibid.*

Caput LIV. *al. c.* 52. *Quod totus procedat à Patre, totus à Filio; & tamen non sit nisi unus amor.* *ibid.*

Caput LV. *al. c.* 53. *Quod non sit eorum Filius, Amor.* *ibidem*

Caput LVI. *al. c.* 54. *Quod solus Pater sit genitor, & ingenitus; solus Filius genitus; solus Amor nec genitus nec ingenitus.* *ibid.*

Caput LVII. *al. c.* 55. *Quod amor idem si sit increatus & creator, sicut Pater & Filius: & tamen ipse cum illis non tres; sed unus increatus, & unus creator. Et quod ipse possit dici Spiritus Patris & Filii.* 22

Caput LVIII. *al. cap.* 56. *Quo i sicut Filius est essentia vel sapientia Patris, eo sensu, quia habet eandem essentiam vel sapientiam quam Pater: sic idem Spiritus sit Patris & Filii essentia & sapientia, & similia.* *ibid.*

Caput LIX. *al. c.* 57. *Quod Pater, & Filius, & eorum Spiritus, pariter sint in se invicem.* *ibid.*

Caput LX. *al. c.* 58 *Quod nullus eorum alio indigeat ad memorandum, vel intelligendum, vel amandum: quia singulus quisque est memoria, & intelligentia, & amor, & quicquid necesse est inesse summæ essentiæ.* *ibid.*

Caput LXI. *al. c.* 59. *Quod tamen non sint tres, sed unus, seu Pater, seu Filius, seu utriusque Spiritus.* 23

Caput LXII. *al. c.* 60. *Quomodo ex his tribus plures filii nesci videntur.* *ibid.*

Caput LXIII. *al. cap.* 61. *Quomodo non sit ibi nisi unus unius: hoc est, unum Verbum, & ex solo Patre.* *ibidem*

Caput LXIV. *al. c.* 61. *Quod hoc licet inexplicabile sit, tamen credendum sit.* 24

Caput LXV. *al. p. c.* 62. *Quomodo de ineffabili re verum disputatum sit.* *ibid.*

Caput LXVI. *al. cap.* 64. *Quod per rationalem mentem maximè accedatur ad cognoscendum summam essentiam.* *ibid.*

Caput LXVII. *al. c.* 65. *Quod mens ipsa speculum ejus, & imago ejus sit.* 25

Caput LXVIII. *al. pars c.* 65. *Quod rationalis creatura ad animam illam facta sit.* *ibid.*

Caput LXIX. *al. c.* 67. *Quod anima semper illam amans, aliquando verè beatè vivat.* *ibid.*

Caput LXX. *al. c.* 68. *Quod illa se amanti seipsam retribuat, ut æternè beata sit.* *ibid.*

Caput LXXI. *al. p. c.* 69. *Quod illam contemnens, æternè misera sit.* 26

Caput LXXII. *al. c.* 70. *Quod omnis anima humana sit immortalis. Et quod aut semper misera aut aliquando verè beata sit.* *ibid.*

Caput LXXIII. *al. c.* 71. *Quod nulla anima injustè privetur summo bono, & quod omnino ad ipsum sit nitendum.* *ibidem.*

Caput LXXIV. *al. c.* 72. *Quod summa essentia sit speranda.* *ibid.*

Caput LXXV. *al. pars, cap.* 73. *Quod credendum sit in illam, hoc est credendo tendendum in illam.* 27

Caput LXXVI. *al. c.* 74. *Quod in Patrem, & Filium & eorum Spiritum pariter, & in singulos & simul in tres credendum sit.* *ibid.*

Caput LXXVII. *al. c.* 75. *Quæ sit viva, quæ mortua fides.* *ibid.*

Caput LXXVIII. *al. c.* 76. *Quod tres summa essentia quodammodo dici possit.* *ibid.*

Caput LXXIX. *al. c.* 77. *Quod ipsa sit Deus, qui solus omnibus dominatur & omnia regit.* 28

PROSLOGION. *Col. mss. Mss.*

Proœmium. 29

Cap. I. *Exercitatio mentis ad contemplandum Deum* *ibidem*

Caput II. *Quod verè sit Deus: etsi insipiens dixit in corde suo:* Non est Deus. 30

Caput III. *Quod Deus non possit cogitari non esse.* *ibidem*

Caput IV. *Quomodo insipiens dixit in corde suo quod cogitari non potest.* *ibid.*

Caput V. *Quod Deus sit quidquid melius est esse quàm non esse: & solus existens per se, omnia faciat de nihilo.* 31

Caput. VI. *Quomodo Deus sit sensibilis, cùm non sit corpus.* *ibidem*

Caput VII. *Quomodo sit omnipotens, cùm multa non possit.* *ibid.*

Caput VIII. *Quomodo sit misericors, & impassibilis.* 31

Caput IX. *Quomodo totus justus, & summè justus parcat malis, & quod justè miscreatur malis.* *ibidem*

Caput X. *Quomodo juste puniat & justè parcat malis.* 32

Caput XI. *Quomodo universæ viæ Domini misericordia, & veritas; & tamen justus Dominus in omnibus viis suis.* *ibid.*

Caput XII. *Quod Deus sit ipsa vita quâ vivit, & sic de similibus.* *ibid.*

Caput XIII. *Quomodo solus sit incircumscriptus & æternus; cum alii Spiritus sint incircumscripti, & æterni.* *ibid.*

Cap. XIV. *Quomodo & cur videtur & non videtur Deus à quærentibus eum.* *ibid.*

Caput XV. *Quod major sit, quam cogitare possit.* 33

Caput XVI. *Quod hæc sit lux inaccessibilis, quam inhabitat.* *ibid.*

Caput XVII. *Quod in Deo sit harmonia, odor, sapor, lenitas, pulchritudo, suo ineffabilis modo.* *ibid.*

Caput XVIII. *Quod Deus sit vita, sapientia, æternitas, & omne verum bonum.* *ibid.*

Caput XIX. *Quod non sit in loco aut tempore; sed omnia sint in illo.* *ibidem.*

Caput XX. *Quod sit ante & ultra omnia etiam æterna.*

Digitized by Google

Caput. XXI. *An hoc ſit ſæculum ſæculi, ſive ſæcula ſæculorum.* 34
Caput XXII. *Quod ſolus ſit quod eſt, & qui eſt.* *ibid.*
Caput XXIII. *Quod hoc bonum ſit pariter Pater & Filius & Spiritus Sanctus; & hoc ſit unum neceſſarium, quod eſt omne, & totum, & ſolum bonum.* *ibidem*
Caput XXIV. *Conjectatio quale & quantum ſit hoc bonum.* *ibid.*
Caput XXV. *Qua & quanta bona ſint fruentibus eo.* *ibidem.*
Caput XXVI. *An hoc ſit gaudium, plenum quod promittit Dominus.* 35

Col. mss. Liber pro Inſipiente adverſus ſancti Anſelmi in Proſlogio ratiocinationem: auctore Gaunilone majoris Monaſterii Monacho. pag. 35

Liber Apologeticus pro Anſelmo contra Gaunilonem reſpondentem pro inſipiente.

Caput I. *Generatim refellitur ratiocinatio: & oſtenditur id, quo majus cogitari non poteſt, eſſe reipſa.* pag. 37
Caput II. *Magis urgetur ratiocinatio propoſita, & oſtenditur id, quo majus cogitari nequit, cogitari poſſe; atque adeo etiam eſſe.* *ibidem*
Caput III. *Ad inſtantiam adverſarii: quod ſequeretur inſulam fortiſſimam eſſe reipſa, quia cogitatur.* 38
Caput IV. *Differentia inter poſſe cogitari & intelligi non eſſe.* *ibid.*
Caput V. *Specialis diſcuſſio variorum adverſarii dictorum: ac primum quòd initio infideliter retulerit ratiocinationem quam refellendam ſuſcepit.* *ibid.*
Caput VI. *Diſſeritur dictum adverſarii in num. 2. quælibet falſa ſimiliter poſſent intelligi, atque adeo eſſent.* 39
Caput VII. *Contra dictum aliud adverſarii ibidem: nempe quod ſummum magnum æque poſſit concipi non eſſe, ac Deus ab inſipiente concipitur.* *ibidem*
Caput VIII. *Comparatio picturæ num. 3. propoſita examinatur. Et unde conjici queat ſummum magnum, de quo adverſarius num. 4. queſiverat.* *ibid.*
Caput IX. *Summum magnum cogitari & intelligi poſſe: & roboratur ratio contra inſipientem facta.* *ibidem*
Caput X. *Firmitas rationis prædictæ.* 40

Col. mss. Liber de fide Trinitatis: & de Incarnatione Verbi contra blaſphemas Ruzelini, ſive Roſcelini.

Præfatio pag. 41
Caput I. *Scribendi occaſio, & ſtatus quæſtionis.* *ibidem*
Caput II. *Quod ſanæ fidei quæſtiones quas diſputamus, aut vimamur, non quilibet dialectici, ſed in Scripturis ſacris experti ſuſcipere humiliter debent.* 42
Caput III. *Quod non ſint tres Dii, & quanquam ſint tres res perſonales; una tamen eſt res eſſentialis.* *ibidem*
Caput IV. *Tres perſonas eſſe incarnatas, Filio incarnato, impoſſibile eſt: Filio tamen amplius convenit incarnari, quam Patri & Spiritui ſancto.* 45
Caput V. *Cur Filius magis quàm Pater, aut Spiritus ſanctus, incarnatus ſit* 46
Caput VI. *Quomodo in Chriſto non ſunt duæ perſonæ, ſi ut ſunt duæ naturæ.* 47
Caput VII. *Quod Pater & Filius & Spiritus ſanctus non ſint tres res ſeparatæ; naturali Adam & Abel probatur exemplo* *ibid.*
Caput VIII. *Originem perſonarum in divinis alia fontis, rivi, & lacus ſimilitudine explicat.* 48
Caput IX. *Quod unus ſint, & ſimplex Æternitas, cui punctum comparat.* *ibid.*

Liber de Proceſſione Spiritus ſancti, contra Græcos. Col. mss.

Prologus. pag. 49
Caput I. *Quæ communis eſt & Latinis & Græcis fides de Trinitate.* *ibid.*
Caput II. *Quomodo indiviſibilis unitas, & inſociabilis pluralitas in Deo conveniant.* 50
Cap. III. *al. pars cap.* 2. *Quomodo unitatis Dei conſequentiam reſtringat relatio.* *ibidem*
Caput IV. *Cum Filius non ſit de Spiritu ſancto, ipſe Spiritus ex Filio procedit.* 51
Caput V. *Evincitur Spiritum ſanctum hoc quod eſt habere à Patre; contra quendam Epiſcopum Græcis faventem.* 52
Caput VI. *Spiritum ſanctum, niſi eſſet à Patre habeat, non poſſe intelligi alium eſſe ab eo, per miſſionem ſeu proceſſionem.* *ibid.*
Caput VII. *Spiritus ſancti proceſſio de Patre, importat ejus proceſſionem de Filio.* 53
Caput VIII. *Spiritus ſanctus procedit de Patre, & Filio, quia procedit de ſolo vero Deo, qui Pater ut & Filius.* *ibidem*
Caput IX. *Miſſio Spiritus in nomine Filii & à Filio, confirmat proceſſionem ejus de Filio.* *ibid.*
Caput X. *Eadem proceſſio probatur ex Chriſti inſufflatione in Apoſtolos.* 54
Caput XI. *Eadem proceſſio arguitur ex verbis Chriſti;* Ille de meo accipiet. 55
Caput XII. *Urgentur ad idem verba alia Chriſti:* Nemo novit Filium niſi Pater *&c.* *ibid.*
Caput XIII. *Spiritus ſanctus procedens à Filio non eſt eo poſterior aut minor.* *ibid.*
Caput XIV. *Diſparitas inter Filii ac Spiritus ſancti proceſſionem de Patre, & ſplendoris ac caloris proceſſionem de ſole.* 56
Caput XV. *Quod Græci non recte dicant Spiritum ſanctum procedere de Patre per Filium per quem ſunt omnia, ſed ipſe procedat ex deitate, quæ una eſt Patris & Filii.* *ibid.*
Caput XVI. *Quod Spiritus ſanctus non procedat à Patre per Filium, ſicut omnia à Patre per Verbum ſunt facta.* *ibidem*
Caput XVII. *al. cap.* 16. *Quod ſicut lacus eſt de rivo & fonte; ita Spiritus ſanctus procedat de Patre & Filio.* 57
Caput XVIII. *al. c.* 17. *Pater & Filius ſunt unum principium Spiritûs ſancti.* *ibid.*
Caput XIX. *al. c.* 18. *Infingitur argumentum ductum ex eo quod Chriſtum expreſſerit ſolam Spiritus ſancti proceſſionem à Patre.* *ibid.*
Caput XX. *al. cap.* 19. *Ejuſdem argumenti confirmatio refutatur.* 58
Caput XXI. *al. cap.* 20. *Proceſſio Spiritûs ſancti de Filio, exprimitur; cùm Spiritus ſanctus dicitur Spiritus Filii.* *ibidem*
Caput XII. *al. c.* 21. *Cur in ſymbolo non ſit expreſſa proceſſio Spiritus ſancti à Filio, & cur à Latinis fuerit adjecta, Græcis inconſultis.* 59
Caput XIII. *Summa doctrinæ & probationum proceſſionis Spiritus ſancti de Filio.* *ibid.*
Caput XIV. *Quod Spiritus ſanctus non ſit principaliter de Patre.* 59
Caput XXV. *Proceſſio hæc, nullam intra Deum prioritatem induxit, niſi originis.* 60

Digitized by Google

Caput XXVI. *Veritas processionis Spiritus sancti à Filio, ideo maxime firmatur: quia fide certa sunt, ex quibus necessario sequitur.* ibid.
Caput XXVII. *Si Spiritus sanctus à Filio non procederet, non esset cur Filius non procederet de Spiritu sancto.* ibid.
Caput XXVIII. *Communia & propria Patri, ac Filio, & Spiritui sancto.* 61
Caput XXIX. *In Deo per ea propria est personarum pluralitas: per communia vero, essentia unitas.* 62
Operis clausula. ibidem

Liber de Voluntate Dei.

Caput I. *Voluntas Dei quæ dicatur.* pag. 151
Caput II. *Voluntas Dei multipliciter dicitur,* ibidem
Caput III. *Quarumdam ambiguitatum elucidatio ex dictis* ibid.
Caput IV. *Alia dubitationes tolluntur.* ibid.
Caput V. *De divina voluntate efficiente, approbante, concedente, permittente.* 152

Col. cum Mſſ.

Dialogus de casu Diaboli.

Caput I. *Quòd etiam ad Angelos dicatur:* Quid habes, quod non accepisti? *& à Deo non sit nisi bonum, & esse: & omne bonum sit essentia, & omnis essentia bonum.* pag. 62
Caput II. *Cur videatur diabolus ideo non accepisse perseverantiam, quia Deus non dedit.* ibid.
Caput III. *Quòd ideo Deus non dedit, quia ille non accepit.* 63
Caput IV. *Quomodo ille peccavit, & voluit similis esse Deo.* 64
Caput V. *Quod boni Angeli ante casum malorum peccare potuerunt.* ibid.
Caput VI. *Quomodo boni confirmati sunt in suo statu, & mali in casu suo.* ibid.
Caput VII. *Quæstio an voluntas & ejus conversio ad quod non debet, sit ipsum malum quod male facit: & cur non possit rationalis creatura per se de malo converti ad bonum, sicut potest de bono ad malum.* 65
Caput VIII. *Quæstio proposita resolvitur. Quòd voluntas, & ejus conversio non sit ipsum malum.* ibid m
Caput IX. *Quod injustitia sit ipsum malum; & sit nihil.* ibid.
Caput X. *Quomodo malum videatur esse aliquid.* 66
Caput XI. *Quod malum & nihil non possint per nomen suum probari aliquid esse, sed quasi aliquid.* ibidem
Caput XII. *Quòd Angelus à se non potuit habere voluntatem primam: & quod multa dicuntur posse aliena potestate, & non posse alienâ impotentiâ.* 67
Caput XIII. *Quod acceptâ solâ voluntate beatitudinis, nec aliud posset velle, nec illam non velle; & quicquid vellet, non esset justa vel injusta voluntas.* 68
Caput XIV. *Quod similiter sit, si sola accepta est voluntas rectitudinis: & idcirco utramque voluntatem accepit simul ut & justus, & ut beatus esset.* ibid m
Caput XV. *al. pars* C. 14. *Quod justitia sit aliquid.* 69
Caput XVI. *Quod injustitia non sit, nisi absentia debitæ justitiæ.* 69
Caput XVII. *al. pars cap.* 16. *cur desertor Angelus non possit redire ad justitiam.* ibid.
Caput XVIII. *al. pars cap* 17. *Quomodo malus Angelus se fecit injustum, & bonus se justum: & quod malus sic debet Deo gratias pro bonis, quæ accepit, & deservit: sicut bonus, qui servavit accepta.* 70
Caput XIX. *Quod voluntas, in quantum est, bonum sit. & nulla res malum sit.* ibid.
Caput XX. *Quomodo Deus faciat mala & voluntates & actiones: & quomodo accipiantur ab eo.* ibid.
Caput XXI. *Quod malus Angelus non potuit præscire se casurum esse.* 71
Caput XXII. *Quod scivit se non debere velle hoc quod volendo peccavit; & debere puniri si peccaret.* 71
Caput XXIII. *Quod non debuit scire quia si peccaret, puniretur.* 71
Caput XXIV. *al. pars cap.* 23. *Quod etiam bonus Angelus hoc scire non debuit.* 72
Caput XXV. *Quod ille etiamsi hoc solo dicitur jam non posse peccare, quia nunc habet hanc scientiam ex casu diaboli; tamen illi sit ad gloriam.* ibid.
Caput XXVI. *Quid hoc omnes audito nomine mali, & quid facit opera quæ dicitur injustitia facere, cum ipsa & malum nihil sit.* 73
Caput XXVII. *Unde venit malum in Angelum qui bonus erat.* ibid.
Caput XXVIII. *Quod potestas volendi quod non debuit, bona fuit semper; & ipsum velle, bonum: quantùm ad se.* ibid.

Cur Deus Homo, Libri duo.

Col. cum Mſſ.

Præfatio. pag. 74

LIBER I.

Caput I. *Quæstio de qua totum opus pendet.* ibid.
Caput II. *Quomodo accipienda sunt ea, quæ dicenda sunt.* 5
Caput III. *Objectiones infidelium, & responsiones fidelium.* ibid.
Caput IV. *Quod hæ responsiones videantur infidelibus sine necessitate, & quasi quædam pictura.* ibid.
Caput V. *Quod redemptio hominis non potuit fieri per aliam, quàm per Dei personam.* 76
Caput VI. *Qualiter reprehendant infideles quod dicimus Deum morte sua nos redemisse, & sic dilectionem suam erga nos ostendisse, & pro nobis expugnare diabolum venisse.* ibid.
Caput VII. *Quod nullam diabolus habebat justitiam adversus hominem; & quare videatur habuisse, & cur Deus hoc modo hominem liberaverit.* ibid.
Caput VIII. *Quomodo licet humilia, quæ dicimus de Christo, non pertineant ad divinitatem; tamen inconvenienter videatur infidelibus ea de illo dici secundum hominem: & unde illis videatur idem homo non sponte mortuus esse.* 77
Caput IX. *Quod sponte mortuus sit; & quid sit,* factus est obediens usque ad mortem: & propter quod Deus illum exaltavi: &, non venit facere voluntatem meam: &, proprio Filio suo non pepercit: &, non sicut ego volo; sed sicut tu vis. ibid.
Caput X. *Item de eisdem; quomodo aliter rectè intelligi possunt.* 78
Caput XI. *Quid sit peccare, & pro peccato satisfacere.* 79
Plurima bona eſſi ratione diſcernimus.

Bonum non eſt niſi ante nisle, aut bonum ipſum.

Illud, per quod cuncta ſunt bona, eſt magnum bonum, & per ſeipſum.

al. bonum al. per ſe eminet

Quod eſt ſummè bonum, eſt ſummè magnum.

Eſt igitur unum aliquid ſummè magnum & ſummè bonum.

CAPUT II.

De eadem re.

Sicut eſt unum aliquid ſummè bonum; quia cuncta bona per unum aliquid ſunt, quod eſt bonum per ſe: ita exiſtit unum aliquid ſummè magnum; quia quæcunque magna ſunt, per unum aliquid magna ſunt, quod magnum eſt per ſe ipſum. Magnum contingo, non ſpatio: ut eſt corpus: ſed ſapientiâ, quod melius & dignius eſt.

QUemadmodum autem inventum eſt aliquid eſſe ſummè bonum: quoniam cuncta bona per unum * aliquid ſunt bona, quod eſt bonum per ſeipſum: ſic ex neceſſitate colligitur aliquid eſſe ſummè magnum, quoniam quæcumque magna ſunt, per unum aliquid magna ſunt, quod magnum eſt per ſeipſum. Dico autem non magnum ſpatio, ut eſt corpus aliquod: ſed quod * quantò majus, tantò melius eſt aut dignius, ut eſt ſapientia. Et quoniam non poteſt eſſe ſummè magnum, niſi id quod eſt ſummè bonum: neceſſe eſt aliquid eſſe maximum & optimum, id eſt, ſummum omnium quæ ſunt.

Summum eſt non eſt magnum ſpatio, ut corpus: ſed ſapientiâ: quod dignius eſt.

CAPUT III.

*Quòd ſit quædam natura per quam eſt quicquid eſt, & quæ per ſe eſt, & eſt * ſummum omnium quæ ſunt.*

al. ſummum

Omne quod eſt, aut per aliquid, aut per nihil: Non per nihil: Ergo per aliquid eſt. Illud autem per quod cuncta ſunt, aut eſt unum, aut plura: ſi plura, hæc plura ſunt ſingula per ſe: & ita eſt una ratio ſui ut quæ plura hæc habent ut ſint per ſe. Ergo eſt unum aliquid per quod ſunt quæcunque ſunt: & illud unum eſt per ſe. Nulla enim, neque ea quæ reformantur, magnæ ipſæ rationes, ſunt per nihilum. At quod per aliud eſt, minus eſt eo quod per ſe eſt. Eſt igitur unum aliquid quod ſolum

Digitized by Google

maximi & summi omnium est, summaque bonum & summe magnum A *existit, ut pene per quod est, quicquid bonum & magnum & aliquid est.*

DEnique non solùm omnia bona per idem aliquid sunt bona, & omnia magna per idem aliquid sunt magna; sed quicquid est, per unum aliquid videtur esse. Omne nâque quod est; aut * est per aliquid, aut per nihil: sed nihil est per nihil. Non enim * vel cogitari potest ut sit aliquid non per aliquid. Quicquid igitur est, non nisi per aliquid est. Quod cùm ita sit, aut est unum, aut sunt plura, per quæ sunt cuncta quæ sunt. Sed si sunt plura, * aut ipsa referuntur ad unum aliquid, per quod sunt: aut eadem plura singula sunt * per se: aut ipsa per se invicem sunt. At si plura ipsa sunt per unum, jam non sunt omnia per plura: sed potius per illud *unum, per quod *hæc plura B sunt. * Si verò ipsa plura singula sunt per se, utique est una aliqua vis vel natura existendi per se, * quâ habent ut per se sint. Non est autem dubium, quòd per * idipsum unum sint, per quod habent ut sint per se. Verùs ergo per ipsum unum cuncta sunt, quàm per plura, quæ sine eo uno esse non possunt: ut verò plura per se invicem sint, nulla patitur ratio: quoniam irrationalis cogitatio est ut aliqua * res sit per illud cui dat esse: nam nec ipsa relativa sic sunt per * se invicem. Nam cùm dominus & servus referantur ad invicem; C & ipsi homines qui referuntur, omnino non sunt per invicem: & ipsæ relationes quibus referuntur, non omnino sunt per se invicem, quia * eædem sunt * per subjecta. Cùm * itaque veritas omnimodo excludat plura esse, per quæ * cuncta sunt: necesse est unum illud esse, per quod sunt cuncta quæ sunt. Quoniam ergo cuncta quæ sunt, sunt per ipsum unum: procul dubio & ipsum unum est per seipsum. Quæcumque igitur alia sunt, sunt per aliud, & ipsum solum per seipsum. At quicquid est per aliud, minus est quàm illud per quod cuncta sunt alia, & quod solum est per se. Quare illud quod est per se, maximè omnium est. Est igitur unum aliquid, quod solum maximè & summè omnium est: * quod autem maximè omnium est,] & per quod est quicquid est bonum vel magnum, & omnino quicquid * aliquid est; id necesse est esse summè bonum, & summè magnum, & D summum omnium quæ sunt. Quare est aliquid quod sive essentia, sive substantia, sive natura dicatur, optimum & maximum est, & summum omnium quæ sunt.

Omne quod est, aut est per aliquid, aut per nihil.

al. ipsum

al. sed al. quàm

Nulla, ne quidem relativa, sunt ipsa relationes, sunt per invicem.

al. ita

Quod per aliud est, minus est eo quod per se est.

al. omn.

CAPUT IV.

*De eadem re.**

Non omnes naturæ sunt pares dignitatis: sed alia alia sunt meliores. Ergo una datur quæ cæteris sic superemineat, ut non habeat se superiorem: alioquin naturarum multitudo nullo fine claudetur, quod est absurdum. Superior autem natura aut est sola, aut plures sunt æquales. Si plures æquales non sunt, nisi per aliquid idem quod ipsa sit eorum essentia: si autem per aliud essent æquales, essent illo minores: nec proinde summe essent ac cæteris superiores. Est igitur una quædam natura sua essentia, quæ est summorum omnium quæ sunt, quæ per se bona & magna: quæ per se est id quod ipsa est, & per quam est quicquid aut bonum aut magnum aut aliquid est.

Una omnes naturæ sunt pares dignitatis: sed alia alia sunt meliores.

al. hinc

al. hujus

al. ab hoc

* AMplius: si quis intendat rerum naturas, velit, nolit, sentit non eas omnes contineri unâ dignitatis * paritate; sed quasdam earum distingui graduum imparitate. Qui enim dubitat quòd in natura * sua ligno melior sit equus, & equo præstantior homo, is profectò non est dicendus homo. Cùm igitur naturarum aliæ aliis negari non * possint meliores, nihilominus persuadet ratio aliquam in eis sic supereminere, ut non habeat se superiorem. Si enim * hujusmodi graduum distinctio sic est infinita, ut nullus * sit ibi gradus superior, quo superior alius non inveniatur; * ad hoc ratio deducitur, ut ipsarum multitudo naturarum nullo fine claudatur. Hoc autem nemo non putat absurdum, nisi qui nimis est absurdus. Est igitur ex necessitate aliqua natura, quæ sic est alicui vel aliquibus superior, ut nulla sit cui ordinetur inferior. Hæc verò natura quæ talis est, aut sola est, aut plures hujusmodi & æquales sunt: verùm si plures sunt & æquales; * cùm æquales esse non * possint per diversa quædam, sed per idem aliquid; illud unum, per quod æqualiter tam magnæ sunt, aut est idipsum quod ipsæ sunt, id est, * ipsa rerum essentia, aut aliud quàm quod ipsæ sunt. Sed si nihil est aliud quàm ipsa earum essentia: sicut earum essentiæ non sunt plures, sed una; ita & naturæ non sunt plures, sed una. Idem namque naturam hîc intelligo, quod essentiam. Si verò id, per quod plures ipsæ naturæ tam magnæ sunt, aliud est quàm quod ipsæ sunt: procerto minores sunt, quàm id per quod magnæ sunt. Quicquid enim per aliud est magnum, minus est quàm id per quod est magnum. Quare non sunt sic magnæ, ut illis nihil aliud sit majus. Quòd si nec per * hoc quod sunt, nec per aliud possibile est tales esse plures naturas, quibus nihil *sit præstantius; nullo modo possunt esse naturæ plures * hujusmodi. Restat igitur unam & solam naturam aliquam esse, quæ sic est aliis superior, ut nulli sit inferior: sed quod tale est, maximum & optimum est omnium quæ sunt. * Est igitur quædam natura, quæ est summum omnium quæ sunt.] Hoc autem esse non potest, nisi ipsa sit per se id quod C est; & cuncta quæ sunt, sint per ipsam id quod sunt. Nam cùm paulò antè ratio docuerit id quod per se est, & per quod alia cuncta sunt, esse summum omnium existentium: aut è converso id quod est summum, est per se, & cuncta alia per illud; aut erunt plura summa. Sed plura * summa non esse manifestum est. Quare est quædam natura, vel substantia, vel essentia, quæ est per se bona * & magna, & per se * est id quod est, & per quam est quicquid vere aut bonum, aut magnum, * aut aliquid est, & quæ est summum *bonum, summum magnum, summum ens sive * subsistens, id est, summum omnium quæ sunt.

al. ipsarum

al. existens

CAPUT V.*

al. pars Cap. 4.

Quod sicut illa est per se, & alia per illam: ita illa sit ex se, & alia ex illa.

QUoniam * itaque placet quod inventum est: juvat indagare utrum hæc ipsa natura & cuncta quæ aliquid sunt, non * sint nisi ex ipsa, quemadmodum non * sunt nisi per ipsam. Sed * liquet posse dici quia quod est ex aliquo, est etiam per id ipsum: & quod est per aliquid, est etiam ex eo ipso: quemadmodum quod * est ex materia & per artificem, potest etiam dici esse per materiam & ex artifice; quoniam per utrumque, & ex utroque, id est ab utroque habet ut sit, quamvis aliter sit per materiam & ex materia, quàm per artificem & ex artifice. * Consequitur ergo ut quomodo cuncta quæ sunt, per summam naturam sunt id quod sunt; & ideo illa est per se ipsam, alia verò per aliud: ita omnia quæ sunt, * sint ex eadem summa natura; & idcirco illa * sit ex seipsa, alia autem ex illa.

al. non fiat ex ipsa

al. Licet possit dici

al. Constituentes ex ipsa sunt & per ipsam sint & possunt quæcunque sunt.

quæ sunt.

CAPUT VI.*

al. Cap. 5.

*Quòd illa non sit ullâ juvante causâ ducta ad esse; nec tamen sit per nihil aut ex nihilo: & quemadmodo * intelligi possit esse per se, & ex se.*

Quomodo summa natura vere se esse dicenda est? Quicquid enim per aliquid est, aut per efficientem, aut per materiam, aut per instrumentum esse videtur. Quod autem aliquo ex his modis est, per aliud est. & proinde minus ea per quod habet ut sit: summa vero natura nec per aliud est, nec minor aut posterior seipsa, aut aliqua re. Ergo summa natura nec a se nec ab alio fieri potest nec ipsa sibi aut aliquid aliud materia fuit, unde fieret; aut aliqua res ipsam, ut esset, adjuvat. Sed nec intelligi potest ut quod aliquid est, sit per nihil. Si igitur summa natura est ex nihilo: aut per se, aut per aliud est ex nihilo. Non per se; aliquam ipsa esse sibi prior: Non per aliud: aliquam ipsa non esset summa, sed inferior ea per quod est. Deinde si summa natura per aliquid est nihilo, id quod causa sancti boni fuit, magnum bonum est. Nullum autem bonum intelligi potest ante illud bonum sive quo nihil est bonum, hoc est, ante summam naturam. Ergo nec intelligi potest res ulla præcedere, per quam summa natura sit ex nihilo. Item: si hæc est aliquid ex nihilo ante per nihil; vel ipsa non est ex se et

per se, vel ipsa est nihil. Ergo ipsa nullatenus est per nihil, aut ex nihilo, sed ipsa per se & ex seipsa est eo modo quo lux lucere & lucens esse per seipsam & ex seipsa intelligitur.

QUoniam igitur non semper habet eundem sensum quod dicitur esse per aliquid, aut * esse ex aliquo: quærendum est diligentiùs quomodo per summam naturam, vel ex ipsa sint omnia quæ sunt: & quoniam id quod est per seipsum, & id quod est per aliud, non eandem suscipiunt existendi rationem, priùs separatim * videamus de ipsa summa natura, quæ per se est; postea de his, quæ per aliud sunt. Cùm igitur constet quia illa est per seipsam quicquid est, & omnia alia sunt per illam id quod sunt, quomodo ipsa est per se? Quod * enim dicitur esse per aliquid videtur esse * aut per efficiens, aut per materiam, aut per aliquod aliud adjumentum * velut per instrumentum. Sed quicquid * aliquo ex his tribus modis est, per aliud est; & posterius, & aliquo modo minus est eo, per quod habet ut sit: ac summa natura nullatenus est per aliud; nec est posterior, aut minor seipsa, aut aliqua alia re. Quare summa natura nec à se, nec ab alio fieri potuit; nec ipsa sibi, nec aliquid aliud * illi materia, unde fieret, fuit; nec ipsa se aliquo modo, aut aliqua res ipsam, ut esset quod non erat, adjuvit. Quid igitur? Quod enim non est à quo faciente, aut ex qua materia, aut *quibus adjumentis ad esse pervenerit, id videtur aut esse nihil; aut, si * aliquid est, per nihil esse, & ex nihilo. * Quæ licèt ex iis, quæ rationis luce de summa jam animadverti substantiâ, putem nullatenus in illam posse cadere; non tamen negligam hujus rei probationem contexere. Quoniam namque ad magnum & delectabile * quiddam me subitò perduxit hæc mea meditatio, nullam vel simplicem peneque fatuam objectionem mihi disputanti occurrentem, * negligendo, volo præterire: quatenus & ego nihil ambiguum in præcedentibus relinquens, certior valeam ad sequentia procedere; & si fortè cui, quod speculor, persuadere voluero, omni, vel modico, remoto obstaculo quilibet tardus intellectus * ad audita facile possit * accedere. Quòd igitur illa natura, sine qua nulla est natura, sit nihil, tam falsum est; quàm absurdum erit * si dicatur, quicquid est nihil esse: per nihil verò non est, quia nullo modo intelligi potest, ut quod aliquid est, sit per nihil. * At si quo modo est ex nihilo, aut per se, aut per aliud, aut per nihil est ex nihilo: sed constat quia nullo modo * aliquid est per nihil. Si igitur est aliquo modo ex nihilo; aut per se, aut per aliud est * ex nihilo. Per se autem nihil potest esse ex nihilo: quia si quid est ex nihilo per * aliquid, necesse est ut id, per quod est, priùs sit. Quoniam igitur hæc essentia prior seipsa non est, nullo modo * est ex nihilo per se. At si dicitur per aliquam naturam aliam extitisse ex nihilo, non est summa omnium, sed * aliquâ inferior: nec est per se hoc * quod est, sed per aliud. Item: si per * aliquid est ipsa ex nihilo; id, per quod est, magnum bonum fuit; cùm causa boni fuit. At nullum bonum potest intelligi ante illud bonum, sine quo nihil est bonum: hoc autem bonum, sine quo * nullum est bonum, satis liquet hanc esse summam naturam, de qua agitur. Quare res nulla vel * intellectu præcessit, per quam ista ex nihilo esset. Denique si hæc ipsa natura est aliquid aut per nihil, aut ex nihilo; proculdubio aut ipsa non est per se & ex se quicquid est; aut dicitur ipsa nihil: quod utrumque superfluum est exponere quàm falsum sit. Licèt igitur summa substantia non sit per aliquid efficiens, aut ex aliqua materia, nec aliquibus adjuta sit causis, ut ad esse * perduceretur: nullatenus tamen est per nihil, aut ex nihilo; quia per seipsam, & ex seipsa est quicquid est. Quomodo ergo tandem esse intelligenda est per se & ex se; sic nec ipsa se fecit, nec ipsa sibi materia extitit, nec ipsa se quolibet modo, ut quod non erat esset, * adjuvit: nisi

al. videatur.

Quomodo summa natura est per se.

Quod est per aliquid, videtur esse aut per efficiens, aut per materiam, aut per instrumentum.

al. ex aliquo

al. filii

al. ex quibus

al. ô aliud

al. negligentiæ

al. aut ô

al. aliquo

al. produceretur

al. adjuvat

A fortè eo modo intelligendum videtur, * quo dicitur quia lux lucet, vel lucens est per seipsum, & ex seipsa. Quemadmodum enim se habent ad invicem lux, & lucere, & lucens: sic sunt ad * se invicem essentia, esse, & ens, hoc est, existens, sive subsistens. Ergo summa essentia, & summè esse, & summè ens, id est, summè existens, sive summè subsistens non dissimiliter sibi convenient, quàm lux, & lucere, & lucens.

al. quod

CAPUT VII.*

al. Cap 6.

Quomodo alia omnia sint per illam, & ex illa.

Utrum omnia fiant per summam illam naturam, ut causam efficientem, vel ex illa, tanquam ex materia: si requiritur. Quomodo elementa sint per formas, atque ultimum in rerum formatis, quibus gaudent. Quomodo formata seipsis eorum naturæ modo est ex, si ex aliqua materia est: vel ipsa summa natura, vel ex seipsis, vel ex aliqua tertia essentia, quæ nulla est. Non ex se, quia id non per se sed per aliud est, tum quod esse non potest per se ipsum, nihil est materialiter ex seipso: nec ex materia summæ naturæ, aliquam ex ipsa aliquid minus ipsa facit, & proinde ipsa mutatur & corrumpitur, quod nefas est dicere, & non est bonum, per quid mutatur vel corrumpitur summum bonum. Sic quicquid est, per summam essentiam est. Ergo si quid est ex summa illa materia, summam essentiam corrumpitur & non alias summum bonum. Et sic summum bonum, nullatenus est bonum: quod est inconveniens. Ergo nulla minor natura est materialiter ex, summa natura. Ergo elementorum ejusque ex nullo materia est. Ergo summa essentia tantam rerum molem sua per seipsam produxit ex nihilo.

B

DEstat nunc de rerum earum universitate, quæ per aliud sunt, discutere quomodo sint per summam substantiam, utrum quia ipsa fecit universa, aut quia materia fuit universorum. Non enim opus est quærere utrum * ideo sint universa per ipsam; quia alio faciente, aut alia materia existente, illa tantùm quolibet modo, ut res omnes essent *, adjuverit: cùm repugnet his quæ jam suprà patuerunt, si secundo loco & non principaliter sint per ipsam, quæcunque sunt. Primùm itaque mihi quærendum esse puto utrum universitas rerum, quæ per aliud sunt, sit ex aliqua materia. Non autem dubito * omnem hanc mundi molem, cum partibus suis, sicut videmus, formatam constare ex terra & aqua, & aëre & igne: quæ, * scilicet, quatuor elementa, aliquo modo intelligi * possunt sine his formis quas conspicimus in rebus formatis, ut eorum informis aut etiam confusa natura videatur esse materia omnium corporum suis formis discretorum; non, inquam, hoc dubito: sed quæro, unde * hæc ipsa, quam dixi, mundanæ molis materia sit. Nam si hujus materiæ est aliqua materia, * illa verius est corporeæ universitatis materia. Si igitur universitas rerum, seu visibilium, seu invisibilium est ex aliqua materia; profectò non solùm non potest esse, sed nec dici potest * esse ex alia materia, quàm ex summa natura, aut ex se ipsa, aut ex * aliqua tertia essentia; quæ utique nulla est. Quippe nihil omnino vel cogitari potest esse præter illud summum omnium, quod est per seipsum; & universitatem eorum quæ non per se, sed per idem summum sunt: quare quod nullo modo aliquid est, nullius rei materia est. Ex sua verò natura rerum universitas, quæ per se non est, esse non potest: quoniam si hoc esset, aliquo modo esset per se & per aliud, * quàm per id per quod sunt cuncta; & non esset solùm id per quod cuncta sunt: quæ omnia sunt falsa. Item, omne quod ex materia est, ex * alio est, & posterius est eo; quoniam igitur nihil est aliud à seipso, vel posterius seipso; consequitur ut nihil sit materialiter ex seipso. * At si ex summæ naturæ materia potest esse aliquid minus ipsâ, summum bonum mutari & corrumpi potest: quod nefas est dicere. Quapropter, quoniam omne quod aliud est quàm ipsa, minus est ipsa; impossibile est aliquid aliud hoc modo esse * ex ipsa. Amplius: dubium non est quia nullatenus est bonum, per quod mutatur vel corrumpitur summum bonum. Quòd si qua minor natura est ex summi boni materia: cùm nihil sit * undecunque nisi per summam essentiam; mutatur & corrumpitur summum * bonum per ipsam: quare summa es-

al. à Deo

al. adjuvat

Tota hæc mundi moles constat ex terra & aqua, & aëre & igne.

al. posse

al. alia

al. ex alia

al. quonam

al. ex aliquo

al. ea

al. majus ipso

Digitized by Google

sentia, quæ est ipsum summum bonum, nullatenus A est bonum; quod est inconveniens. Nulla igitur minor natura materialiter est ex summa natura. Cùm igitur eorum essentiam, quæ per aliud sunt, constet non esse velut ex materia, ex summa essentia, nec ex se, nec * ex alio: manifestum est quia ex nulla materia est. Quare, quoniam quicquid est, per summam essentiam est: nec per ipsam aliquid aliud esse potest, nisi eâ aut faciente, aut materiâ existente: consequitur de necessitate, ut præter eam nihil sit, nisi eâ faciente: & quoniam nihil aliud est vel fuit, nisi illa, & quæ facta sunt ab illa; nihil omnino facere potuit per aliud, vel instrumentum, vel adjumentum, quàm per seipsam. * At omne quod fecit, sine dubio aut fecit ex aliquo, velut ex materia; aut ex nihilo. Quoniam igitur certissimè patet quia essentia omnium, quæ præter summam essentiam sunt, ab eadem summa essentia facta est; & quia * ex nulla materia est: proculdubio nihil apertius quàm quia illa summa essentia tamen rerum molem, tam numerosam multitudinem, tam formosè formatam, tam ordinatè variatam, tam convenienter diversam, sola per seipsam produxit ex nihilo.

al. Cap. 7.

CAPUT VIII.*

Quomodo intelligendum sit quòd omnia fecit ex nihilo.

Ipsum nihil non potest esse causa alicujus quod est: & vox omnium est, nihil de nihilo. Unde videtur quòd quicquid sit, fiat ex aliquo. Quod si verum est, corruunt omnia quæ supra posita sunt de summa essentia, quæ omnia fiunt ex nihilo. Tribus quidem modis substantia dici potest facta ex nihilo 1. ita ut penitus non facta intelligatur: sic de tenebris dicitur, de nihilo tenebræ. 2. cum sic facta ex nihilo, qu si ex aliquo significetur: & hæc significatio semper est falsa. 3. cum sic facta ex nihilo dicitur, ut facta non ex aliquo intelligatur. Et sunta cuncta, præter summam essentiam, facta ex nihilo dicuntur: hoc est, quæ prius nihil erant, nunc sunt aliquid: sicut quæ dicuntur divites fieri ex paupere: fortes, ex infirmitate. Et hoc est simplex, quo pauper vel ager erat, nunc est dives vel fortis.

SEd occurrit * quædam dubitatio de nihilo. Nam ex quocunque fit aliquid, id causa * est ejus quod * ex se fit: & omnis causa necesse est * aliquod ad essentiam effecti præbeat adjumentum. Quod sic omnes tenent experimento, ut * etiam nulli rapiatur contendendo, * & vix ulli surripiatur decipiendo. * Si ergo factū est ex nihilo aliquid; ipsum nihil fuit causa ejus, quod ex ipso factum est. Sed quomodo id quod nullum habebat esse, adjuvit * aliquid ut perveniret ad esse? Si autem nullum adjumentum de nihilo provenit ad aliquid; cui aut qualiter persuadeatur quia ex nihilo aliquid efficiatur? * Præterea, nihil aut significat aliquid, aut non significat aliquid. Sed si nihil est aliquid, quæcunque facta sunt ex nihilo, facta sunt ex aliquo. Si verò nihil non est aliquid: quoniam intelligi non potest ut * ex eo quod penitùs non est, fiat aliquid; nihil fit ex nihilo: sicut vox omnium est, quia nihil de nihilo. Unde videtur consequi ut quicquid fit, fiat ex aliquo: aut enim fit de aliquo, aut de nihilo. * Sive igitur nihil sit aliquid; sive nihil non sit aliquid; consequi videtur ut quicquid factum est, factum sit ex aliquo. Quod si verum esse ponitur; omnibus, quæ suprà * disposita sunt, opponitur. Unde quoniam quod erat nihil, aliquid erit; id quod maximè; * aliquid erat, nihil erit. Ex eo namque quòd quandam substantiam maximè omnium existentem inveneram; ad hoc ut omnia alia * sic facta essent * ab ea, ut nihil esset unde facta essent, ratiocinando perveneram. Quare si illud unde facta sunt, quod putabam esse nihil, est aliquid: quicquid inventum æstimabam de summa essentia, est nihil. Quid igitur intelligendum est de nihilo? nam nihil quod videam * posse objici, vel penè fatuum, jam statui in hac meditatione negligere. * Tribus itaque, ut puto, modis, quod ad præsentis impedimenti sufficit expedimentum, exponi potest: si qua substantia dicitur esse facta ex nihilo. Unus quidem modus est, quo volumus intelligi penitus non esse factum quod * dicitur ex nihilo* esse: cui simile est, cùm quærenti de tacente, unde loquatur; respondetur, de nihilo; id est, non loquitur. Secundùm quem modum de ipsa summa essentia, & de eo, quod penitùs nec fuit, nec est, quærenti unde factum sit, rectè responderi potest, de nihilo, id est, nequaquam factum est: qui sensus de nullo eorum, quæ facta sunt, intelligi potest. Alia significatio est, quæ * dici quidem potest, vera tamen esse non potest: ut, si dicatur * aliquid sic esse factum ex nihilo, ut ex ipso * nihilo, id est, ex eo quod penitùs non est, factum sit: quasi ipsum nihil sit * aliquid existens, ex quo posset aliquid fieri: quod quoniam semper falsum est; quotiens * esse ponitur; impossibilis inconvenientia consequitur. Tertia interpretatio, quâ dicitur aliquid esse factum de nihilo, est * cùm intelligimus esse quidem factum; sed non esse aliquid, unde sit factum. Per similem * significationem dici videtur, cùm homo contristatus sine causa, dicitur * contristatus de nihilo. Secundùm * igitur hunc sensū si intelligatur, quod supra conclusum est, quia præter summam essentiam cuncta, quæ sunt ab eadem, ex nihilo facta sunt, id est, non ex aliquo: sicut ipsa conclusio præcedentia convenienter * consequetur, ita ex eadem conclusione nihil inconveniens subsequetur; quamvis non inconvenienter & sine omni repugnantia, ea quæ facta * sunt à creatrice substantia dici * possint esse ex nihilo facta; eo modo quo dici solet dives factus ex paupere, & recepisse quis sanitatē ex ægritudine: id est, qui priùs pauper erat, nunc est dives, quod antea non erat; & qui priùs habebat ægritudinem, nunc habet sanitatem, quam antea non habebat. Hoc igitur modo non inconvenienter intelligi potest, si dicatur creatrix essentia universa fecisse de nihilo, sive quòd universa per * illam facta sint de nihilo: id est, quæ priùs nihil erant, nunc sunt aliquid. Hac ipsa quippe voce quâ dicitur, quia illa fecit, sive, * quia ista facta sunt; intelligitur, quia cùm illa fecit, * aliquid fecit; & cùm ista facta sunt, non nisi * aliquid facta sunt. Sic * enim alpicientes aliquem de valde humili fortuna, multis opibus, * honoribusve ab aliquo exaltatum, dicimus: ecce ille fecit istum de nihilo, aut factus est ille ab isto de nihilo: id est, ipse qui priùs quasi nihilum * reputabatur, nunc illo faciente verè aliquid æstimatur.

Ipsum nihil non potest esse causa alicujus quod est.

Præterea est: nihil de nihilo.

al. Cap. 8.

Tribus modis substantia dici potest ex nihilo.

1. Ita ut penitus non sit.

2. Cum sic facta ex nihilo quasi ex aliquo significatur. Et hæc significatio semper est falsa.

3. Cum sic facta ex nihilo dicitur, ut facta non ex aliquo intelligatur. Et omnia cuncta præter summam essentiam facta sunt ex nihilo.

CAPUT IX.*

al. pars Cap. 8.

Quòd ea quæ facta sunt ex nihilo, nonnihil erant antequam fierent, quantùm ad rationem facientis.

Nihil rationabiliter ab aliquo fit, nisi in ipso præcedat rei faciendæ forma. Erat igitur in ratione summæ naturæ quod, aut quale, aut quomodo futura essent antequam fierent. Ergo antequam essent, non erant nihil: nec ex nihilo sunt, quando sunt: quantum ad rationem faciendi.

VErùm videor mihi videre * quiddam quod * non negligenter discernere cogit, secundùm quid ea quæ facta sunt, antequam fierent, dici * possint fuisse nihil. Nullo namque pacto fieri potest * aliquid rationabiliter ab aliquo, nisi in facientis ratione præcedat aliquod rei faciendæ quasi exemplum, sive (* ut aptiùs dicitur) forma, vel similitudo, aut regula. Patet itaque quoniam priusquam fierent universa, * erat in ratione summæ naturæ, quid, aut qualia, aut quomodo futura essent: quare cùm ea quæ facta sunt, clarum sit nihil fuisse antequam fierent, quantùm ad hoc, quia non erant quod nunc sunt, nec erat ex quo fierent; non tamen nihil erant, quantùm ad rationem facientis, per quam & secundùm quam fierent.

Nihil rationabiliter ab aliquo fit, nisi in ipso præcedat rei faciendæ forma.

CAPUT X.*

al. Cap.

*Quòd illa ratio sit quædam verum locutio, sicut faber dicit priùs apud se quod * facturus est.*

Forma rerum in mente Divina est earum quædam in ipsa ratione locutio.

Digitized by Google

Sit faber opus, quod absurdum est, istum se dicere. Rem enim aut tribus modis vere loqui possumus. 1. proprie, 2. improprie, sensibiliter signa utendo. 3. Insensibiliter, hæc signa insensibiliter tacita nos cogitando. 4. nec sensibiliter nec insensibiliter, neque signa sed rei ipsius mente dicendo. Hæ tribus locutionibus generibus singula verba consentiunt. Tertia vocatum verba sunt naturalia. & propria enim apud omnes. Hæc ubi sunt, verbum aliud verbum est necessarium ad rem cognoscendam: & ubi hæc esse non possunt, utique aliud verbum est nullum ad rem demonstrandum. Verba naturalia sunt vetera, quia rebus sunt magis similia. Unde verbum naturale est maxime proprium & principale rei verbum. Hæc regula locutionis sunt, quæ summo artifici dum creat, antequam sint, ut per illam fiant.

Forma rerum in mente divina est earum quidem in ipsa ratione locutio.

ILla autem forma rerum, quæ in ejus ratione res creandas præcedebat, quid aliud est quàm rerum quædam in ipsa ratione locutio; veluti cùm faber facturus aliquod suæ artis opus, priùs illud intra se dicit mentis conceptione? * Mentis autem sive rationis * locutionem hìc intelligo, non cùm voces rerum significativæ cogitantur; sed cùm res ipsæ, vel futuræ, vel jam existentes acie cogitationis in mente * conspiciuntur. Frequenti namque usu cognoscitur quia rem unam tripliciter loqui possumus. Aut enim res loquimur signis sensibilibus, id est, quæ sensibus corporeis sentiri possunt, sensibiliter utendo; aut eadem signa, quæ foris sensibilia sunt, intra nos * insensibiliter cogitando; aut nec sensibiliter, * nec insensibiliter his signis utendo; sed res ipsas, vel corporum imaginatione, vel rationis intellectu, pro rerum ipsarum diversitate, intùs in nostra mente dicendo. Aliter namque hominem dico, cùm eum hoc nomine, quod est, homo, significo: aliter cùm idem nomen tacens cogito: aliter cùm eum ipsum hominem mens, aut per corporis imaginem, aut per rationem intuetur; per corporis quidem imaginem, * ut cùm ejus sensibilem figuram imaginatur: per rationem verò, ut cùm universalem ejus essentiam, quæ est, animal rationale mo tale, cogitat. Hæ verò tres loquendi varietates singulæ verbis sui generis constant: sed illius, quam tertiam & ultimam posui, locutionis verba, cùm de rebus non * ignoratis sunt, naturalia sunt, & apud omnes gentes sunt eadem. Et quoniam omnia alia verba propter hæc sunt inventa: ubi ista sunt, nullum aliud verbum est necessarium ad rem cognoscendam; & ubi ista esse non possunt, nullum aliud est utile ad rem ostendendam. Possunt etiam non absurdè dici tantò veriora, quantò magis rebus, quarum sunt verba, similia sunt, & eas expressiùs * significant; exceptis namque rebus illis, quibus ipsis utimur pro nominibus suis ad easdem significandas, ut sunt quædam voces, velut. A vocalis *: exceptis, inquam, his, nullum aliud verbum sic * videtur rei simile, cujus est verbum, aut sic eam exprimit, quomodo illa similitudo quæ in acie mentis rem ipsam cogitantis * exprimitur. Illud igitur jure dicendum est maximè proprium & principale rei verbum. Quapropter si nulla de qualibet re locutio tantùm propinquat rei, quantùm illa quæ hujusmodi verbis constat; nec aliquid aliud tam simile rei * vel futuræ, vel jam existenti in ratione alicujus potest esse: non immeritò videri potest apud * summam substantiam, talem rerum locutionem & fuisse, antequam essent, ut per eam fierent; & esse, cùm facta sunt, ut per eam sciantur.

al. concipiuntur.

Rem enim tripliciter loqui possumus. 1. proprie, 2. improprie, sensibiliter. 3. nec sensibiliter, nec insensibiliter.

Essentia humana, animal rationale mortale.

Verba naturalia sunt vetera quia rebus sunt magis similia.

CAPUT XI.*

al. Cap. 10.

Quòd tamen multa sit in hac similitudine fabri, dissimilitudo.

Summi Artificis & fabri dissimilitudo est 1. in eo quod summus Artifex formam non aliunde compingit. 2. in eo quod summus Artifex undam exigit materiam ex qua præconceptum opus perficiat. 3. in eo quod creatrix substantia opera non sunt aliquid nisi quod sunt per idem: quæ vero à fabro sunt, penitus non esset nisi esset aliquid quod non sunt per ipsum.

SEd quamvis summam substantiam constet priùs in se quasi dixisse cunctam creaturam, quàm eam secundùm eandem, & per eandem suam intimam locutionem conderet: quemadmodum faber priùs mente concipit, quod postea secundùm mentis conceptionem opere perficit. Multam tamen in hac similitudine intueor dissimilitudinem. Illa namque nihil omnino aliunde assumpsit, unde vel eorum quæ * factura erat, formam in se ipsa compingeret; vel ea ipsa, * id quod sunt, perficeret: faber verò penitùs nec mente potest aliquid corporeum concipere imaginando, nisi id quod aut totum simul, aut per partes, ex aliquibus rebus aliquo modo jam didicit; nec opus mente conceptum perficere, si desit aut materia, aut * aliquid, sine quo opus præcogitatum fieri non possit: quanquam enim homo tale aliquod animal possit cogitando vel pingendo, quale nusquam sit, confingere; nequaquam tamen hoc facere valet, nisi componendo in eo partes, * quas ex rebus * aliàs cognitis in memoriam attraxit. Quare in hoc differunt ab invicem illæ in creatrice substantia, & in fabro suorum operum faciendorum intimæ locutiones; quòd illa nec assumpta, nec adjuta aliundè, sed prima, & sola * causa sufficere potuit * suo artifici ad suum opus perficiendum: ista verò nec prima, nec sola, nec sufficiens est ad suum incipiendum. Quapropter ea quæ per illam creata sunt, omnino non sunt aliquid quod non * sunt per illam. Quæ verò per * istam sunt, penitus non essent, nisi * essent aliquid quod non * sunt per ipsam.

al. formæ

CAPUT XII.*

al. Cap. 11.

Quòd hæc summa essentia locutio sit summa essentia.

Summa substantia per semetipsam omnia fecit. Per naturalem autem & intimam locutionem omnia fecit. Ergo naturalis hæc locutio est ipsa summa substantia.

SEd cùm pariter ratione docente sit certum quia quicquid summa substantia fecit, * non fecit per aliud quàm per semetipsam: & quicquid fecit, per * suam intimam locutionem fecit; sive singula singulis verbis, sive potiùs uno verbo simul omnia dicendo: quid magis necessarium videri potest, quàm hanc summæ essentiæ locutionem non esse aliud quàm summam essentiam? Non igitur negligenter prætereundam hujus locutionis considerationem puto: sed priusquam de illa possit tractari, diligenter ejusdem summæ substantiæ * proprietates aliquas studiosè investigandas existimo.

CAPUT XIII.*

al. Cap. 12.

Quòd sicut omnia per summam essentiam facta sunt, ita vigeant per ipsam.

Sicut omnia quæ sunt, per unum aliquid sunt, quod solum est per seipsum: ita omnia per unum aliquid vigent, quod solum viget per seipsum. Ergo sicut nihil factum est nisi per Creatricem essentiam: ita nihil viget nisi per eandem servatricem præsentiam.

COnstat ergo per summam naturam esse factum, quicquid non est idem illi. Dubium autem non nisi rationali menti esse potest, quòd cuncta, quæ facta sunt, eodem ipso subsistente vigent & perseverant esse quamdiu sunt, quo faciente de nihilo habent esse quod sunt. Simili namque per omnia ratione, quâ collectum est omnia, quæ sunt, esse per unum aliquid, unde ipsum solum est per seipsum, & alia per aliud; simili, inquam, ratione potest probari quia quæcunque vigent per unum aliquid * vigeant: unde illud solùm viget per seipsum, & alia per aliud. Quod quoniam aliter esse non potest, nisi ut ea, quæ sunt facta, per aliud vigeant; & id à quo facta sunt, vigeat per seipsum: necesse est ut sicut nihil factum est, nisi per creatricem præsentem essentiam; ita nihil vigeat, nisi per ejusdem servatricem * præsentiam.

al. potentiam

CAPUT

Digitized by Google

al. Cap. 11.

CAPUT XIV.*

Quòd illa sit in omnibus, & per omnia & omnia sint ex illa, & per illam, & in illa.

Ex quo consequitur ut ubi ipsa non est, nihil sit. Ubique igitur, & per omnia, & in omnibus est. Cum enim creatum nullatenus valeat exire creantis & foventis immensitatem; creans vero & fovens excedere possit omne quod creatum est: liquet quod summa essentia ipsa est quæ cuncta alia portat, superat, claudit & penetrat. & ipsa in illis bonis est & per omnia, & ipsa, & per ipsam, & in ipsa sunt omnia.

QUod* si ita est: imnò quia ex necessitate sic est, consequitur ut ubi ipsa non est, nihil sit. Ubique igitur est, & per omnia, & in omnibus. * At quoniam absurdum est, ut, scilicet, quemadmodum nullatenus aliquid creatum potest exire creantis & foventis immensitatem; sic creans & fovens nequaquam * valeat aliquo modo excedere factorum universitatem; liquet * quoniam ipsa est quæ cuncta alia portat & superat,* claudit & penetrat. Si igitur hæc illis, quæ superiùs sunt inventa, jungantur; eadem est quæ in omnibus est, & per omnia, & ex qua, & per quam, & in qua.

Creatum nullatenus exire valet creantis & foventis immensitatem.

al. quomodo

al. Cap. 14.

CAPUT XV.*

* *Quid possit aut non possit de illa dici substantialiter.*

Nullum in omnibus relativorum est substantiale illi de quo relativè dicitur. Ergo quod de summa natura relativè dicitur, v. g. quod magnificum omnibus, non significat ejus essentiam. Ipsa enim per se & una per aliud aut ad aliud est quicquid est. Præter relativa quicquid est, aut ipsum melius est quàm non-ipsum, aut non-ipsum in aliquo melius est quàm ipsum. Ipsum non ipsum intelligitur, ut verum non-verum, corpus non corpus, & alia hujusmodi. Ipsum, ut, sapiens, est semper aliter melius quàm non-ipsum, seu non-sapiens. Non ipsum, ut, non aurum, est in aliquo melius quàm ipsum, sive aurum. Summum non est summo & simpliciter melius quàm non-summum: quia relativum est. Non summum non est in aliquo melius quàm summum. Neutrum designat summæ naturæ essentiam. Summa natura est quicquid omnino melius est quàm non-ipsum: ipsa enim sola est quæ nihil melius, & quæ omnibus est melior. Ergo ipsa non est corpus, nec aliquid corporeum, cum est aliquid corpore melius, scilicet mens rationalis. Ergo ipsa est vivens, sapiens, potens, vera, justa, beata, æterna, & quicquid absolutè melius est quàm non-ipsum.

JAm non immeritò valde moveor, quàm studiosè possum, inquirere quid omnium, quæ de aliquo dici possunt, huic tam admirabili naturæ queat convenire substantialiter. Quanquam enim mirer si possit in nominibus vel verbis, quæ aptamus rebus factis de nihilo,* reperiri quod dignè dicatur de creatrice universorum substantia; tentandum tamen est ad quid hanc indagationem ratio * perducet. Itaque de relativis quidem nulli dubium quia nullum eorum substantiale est illi, de quo relativè dicitur. Quare si quid de summa natura dicitur relativè, non est ejus * significativum substantiæ. Unde hoc ipsum * quod summa * omnium, sive major omnibus quæ ab illa facta sunt, vel * aliud aliquid * similiter relativè dici potest: manifestum est quoniam non ejus naturalem designat essentiam. Si enim nulla earum rerum unquam esset, quarum relatione summa & major dicitur; ipsa nec summa, nec major intelligeretur: nec tamen idcirco minùs bona esset, aut essentialis suæ magnitudinis in aliquo detrimentum pateretur. Quod ex eo manifestè cognoscitur, quoniam ipsa quicquid boni vel magni est, non est per aliud quàm per seipsam. Si igitur summa natura * sic potest intelligi non summa; ut tamen nequaquam sit major aut minor, quàm cùm intelligitur summa omnium: * manifestum est quoniam summum] non simpliciter significat illam * essentiam, quæ omnino major & melior est, quàm quicquid non est quod ipsa * est. Quod autem ratio docet de summo, non dissimiliter invenitur in similiter relativis. Illis itaque, quæ relativè dicuntur, omissis, quia nullum eorum simpliciter demonstrat alicujus essentiam; ad alia discutienda se convertat intentio. Et quidem si quis singula diligenter in-

Nullum in omnibus relativorum est substantiale illi de quo relativè dicitur.

al. Cap. 15.

al. possimus

al. omit.

A tueatur; quicquid est præter relativa, aut tale est, ut ipsum omnino melius sit, quàm non-ipsum; aut tale, ut non-ipsum in aliquo melius sit, quàm ipsum. Ipsum autem & non-ipsum, non aliud hic intelligo, quàm verum non-verum, corpus non-corpus, & his similia. Melius quidem est omnino aliquid, quàm non-ipsum: ut, sapiens quàm non-ipsum sapiens, id est, melius est sapiens, quàm* non-sapiens. Quamvis enim justus non-sapiens melior videatur, quàm non-justus sapiens; non tamen melius simpliciter est, non-sapiens quàm sapiens: omne enim non-sapiens, simpliciter inquantùm non-sapiens, est minùs quàm sapiens: quia omne non-sapiens melius esset, si esset sapiens. Similiter omnino melius est verum, quàm non-ipsum, id est, quàm non-verum; & justum, quàm non-justum; & vivit, quàm non-vivit. Melius autem est in aliquo non-ipsum; quàm ipsum: ut non-aurum, quàm aurum. Nam melius est homini esse non-aurum, quàm aurum: quamvis forsitan melius esset alicui aurum esse, quàm non-aurum* esse: ut plumbo. Cùm enim utrumque, scilicet, homo & plumbum, sit non-aurum: tantò melius aliquid est homo, quàm aurum; quantò inferioris naturæ esset, si esset aurum: & plumbum tantò vilius est; quantò precioſius esset, si aurum esset. Patet autem ex eo quòd summa natura sic intelligi potest non-summa, ut nec summum omnino melius sit, quàm non-summum; nec non-summum alicui melius, quàm summum: multa relativa esse, quæ nequaquam hac contineantur divisione. Utrum autem aliqua contineantur, inquirere supersedeo; * cùm ad propositum sufficiat quod de illis notum est; nullum, scilicet, eorum simplicem summæ naturæ substantiam designare. Cùm igitur quicquid aliud est, si singula discutiantur, aut * ipsum sit melius quàm non-ipsum; aut non-ipsum in aliquo sit melius, quàm ipsum: sicut nefas est putare quod substantia * summæ naturæ sit aliquid, quo melius sit aliquo modo non-ipsum: sic necesse est ut sit quicquid omnino melius est quàm non-ipsum. Illa enim sola est, quâ penitus nihil est melius; & quæ melior est omnibus, quæ non sunt quod est ipsa. Non est igitur corpus, vel aliquid eorum quæ corporei sensus discernunt. Quippe his omnibus melius est aliquid quod non est quod ipsa sunt. Mens enim rationalis, quæ nullo corporeo sensu quid, vel qualis, vel quanta sit percipitur; quantò minor esset, si esset * aliquid eorum quæ corporeis sentibus subjacent; tantò major est, quàm quodlibet eorum. Penitus enim ipsa summa essentia tacenda est esse aliquid eorum, quibus est aliquid, quod non est quod ipsa sunt, superius: & est omnino, * sicut ratio docet, dicenda quodlibet eorum, quibus est omne, quod non est quod ipsa sunt, inferius. Quare necesse est eam esse viventem, sapientem, potentem, & omnipotentem, veram, justam, beatam, æternam, & quicquid * similiter absolutè melius quàm non-ipsum. Quid ergo quæratur ampliùs quid summa illa sit natura; si manifestum est quid omnium sit, * aut quid omnium non sit?

Ipsum non-ipsum intelligitur ut verum non-verum, corpus non-corpus, & alia hujusmodi.

Ipsum, ut sapiens, est simpliciter melius quàm non-ipsum, seu non-sapiens. Non-ipsum, ut, non aurum, est in aliquo melius quàm ipsum, sive aurum.

Summum non est omnino & simpliciter melius quàm non-summum: quia relativum est. Non-summum non est in aliquo melius, quàm summum designat summæ naturæ essentiam.

CAPUT XVI.*

al. Cap. 15.

Quòd idem sit illi esse justam, quod est esse justitiam: & eodem modo de his quæ similiter de illa dici possunt; & quòd nihil horum monstret qualis illa, vel quanta sit, sed quid sit.*

Summa natura non per aliud sed per se est quicquid est: ipsa autem est justa, & quidem per justitiam. Ergo ipsa summa natura est ipsa sua justitia; & cum per justitiam justa dicitur, per se justa intelligitur. Deinde si quæritur quid sit summa natura: Quid autem respondetur quam, justitia? Ergo de summa natura non proprie dicitur quod habet justitiam, sed quòd sit justitia: & cum dicitur existens justa, non dicitur qualis sed quid est. Ergo cum dicitur justa, non dicitur qualis sit, sed quid ipsa sit: & idem est ac si diceretur, ipsa est justitia. Sic et cætera quæ de Deo similiter dicuntur. Porro quod ubi bapsum summa natura sit, summè illud est. Illa igitur est summa essentia, summa vita, summa ratio, summa justitia &c. quod non est aliud quàm summè ens, summè vivens, summa rationale, summe justum &c.

B

Digitized by Google

SEd fortaſſe cùm dicitur juſta, vel magna, vel * A aliquid ſimilium, non oſtenditur quid ſit; * ſed potiùs qualis, vel quanta ſit. Per qualitatem quippe, vel quantitatem, quodlibet * horum dici videtur. Omne namque quod juſtum eſt, per juſtitiam juſtum eſt: & alia * hujuſmodi ſimiliter. Quare ipſa ſumma natura non eſt juſta, niſi per juſtitiam. Videtur igitur participatione qualitatis, juſtitiæ, ſcilicet, juſta dici ſummè bona ſubſtantia: quod ſi ita eſt, per aliud eſt juſta, non per ſe. At hoc contrarium eſt veritati perfectæ: quia bona, vel magna, vel ſubſiſtens, quod eſt omnino, per ſe eſt, non per aliud. Si igitur non eſt juſta, niſi per juſtitiam; nec * juſta eſſe poteſt, niſi per ſe: quid magis conſpicuum, quid magis neceſſarium, quàm quòd eadem natura, eſt ipſa juſtitia: * & cùm dicitur eſſe juſta per juſtitiam, idem eſt quod per ſe; & cùm juſta per ſe dicitur eſſe, non aliud intelligitur quàm per juſtitiam. Quapropter, ſi quæratur quid ſit ipſa ſumma natura, de qua agitur; quid verius reſpondetur, quàm juſtitia? Videndum igitur quomodo intelligendum ſit, quando illa natura, quæ eſt * ipſa juſtitia, dicitur juſta. Quoniam enim homo non poteſt eſſe juſtitia, juſtitiam autem habere poteſt: * non intelligitur juſtus homo exiſtens juſtitia, ſed habens juſtitiam. Quoniam igitur de ſumma natura non propriè dicitur * quia habet juſtitiam, ſed exiſtit juſtitia: cùm dicitur * juſta, propriè intelligitur exiſtens juſtitia; non autem habens juſtitiam. Quare ſi, cùm dicitur exiſtens juſtitia, non dicitur qualis eſt, ſed quid eſt; conſequitur ut, cùm dicitur juſta, non dicatur qualis ſit, ſed quid ſit. Deinde, quoniam de illa ſuprema eſſentia idem eſt dicere quia eſt juſta, & quia eſt exiſtens juſtitia: & cùm dicitur, * eſt exiſtens juſtitia, non eſt aliud quàm, eſt juſtitia: nihil differt in illa, ſive dicatur, eſt * juſtitia, ſive, eſt juſta. Quapropter cùm quæritur de illa quid eſt, non minùs congruè reſpondetur, juſta, quam, juſtitia: quòd verò in exemplo juſtitiæ ratum eſſe conſpicitur, hoc de omnibus, quæ ſimiliter de ipſa ſumma natura dicuntur, intellectus ſentire per rationem conſtringitur. Quicquid igitur eorum de illa dicatur, non qualis, vel quanta; ſed magis quid ſit monſtratur. Sed palàm eſt quia quodlibet bonum ſumma natura ſit, ſummè illud eſt. Illa igitur eſt ſumma eſſentia, ſumma vita, ſumma ratio, ſumma ſalus, ſumma juſtitia, ſumma ſapientia, ſumma veritas, ſumma bonitas, ſumma magnitudo, ſumma pulchritudo, ſumma immortalitas, ſumma incorruptibilitas, ſumma immutabilitas, ſumma beatitudo, ſumma æternitas, ſumma poteſtas, ſumma unitas; quod non eſt aliud, quàm ſummè ens, ſummè vivens: & alia * ſimiliter.

Summa natura non per aliud ſed per ſe eſt ea, quæcunque eſt.

Quodlibet bonum ſumma natura ſit, ſummè illud eſt.

CAPUT XVII.* al. Cap. 16.

Quòd ita ſit ſimplex, ut omnia, quæ de ejus eſſentia dici poſſunt, unum idemque ſint in illa: & nihil de ea dici poſſit ſubſtantialiter, niſi in eo quod quid eſt.

Omne compoſitum indiget his ex quibus componitur, illa debet quod eſt, & per illa eſt quicquid eſt; quod autem illa ſunt, per illud non ſunt: & proinde ſummum non eſt. Hæc autem de ſummâ naturâ dicere nefas eſt. Ergo illa non eſt compoſita. Et cum ipſa tot bona ſit, vita, ratio, bonitas, juſtitia &c. quæ de deo dicimus ut neceſſe ſit ut hæc omnia bona non plura ſed unum ſint. Ergo unum illorum eſt idem quod omnia, ſive ſimul, ſive ſingula. Et cum ſumma natura nihil ex ſe ſit relativum ſit quicquid eſt, quia eſſe relativum eſt hoc verum quod ipſa eſt: nimirum de illa dicitur in eo quod quale vel quantum: ſed in eo quod quid ſit.

QUid ergo, ſi illa ſumma natura tot bona eſt, ceritne compoſita * tam pluribus bonis; an potiùs non ſunt plura bona, ſed unum bonum tam pluribus nominibus ſignificatum? Omne enim compoſitum ut ſubſiſtat, indiget his ex quibus componitur; & illis debet * quidem quod eſt, quia quicquid eſt, per illa eſt; & illa quod ſunt, per illud non ſunt: & idcirco penitùs ſummum non eſt. Si igitur * natura illa compoſita eſt ex pluribus bonis; hæc omnia, quæ omni compoſito inſunt, in illam incidere neceſſe eſt: quod nefas falſitatis * aperta ratione deſtruit & obruit tota, quæ ſuprà patuit, neceſſitas veritatis. Cùm igitur illa natura nullo modo compoſita ſit; & tamen omnimodo tot illa bona ſit: neceſſe * eſt ut illa omnia non plura, ſed unum ſint. Idem igitur eſt quodlibet unum illorum, quod omnia, * ſive ſimul, ſive ſingula; ut cùm dicitur juſtitia, vel eſſentiâ, * idem ſignificat, quod alia, vel omnia ſimul, vel ſingula. Quemadmodum itaque unum eſt, quicquid eſſentialiter de ſumma ſubſtantia dicitur: ita ipſa uno modo unâ conſideratione eſt, quicquid eſt eſſentialiter. Cùm enim aliquis homo * dicitur & corpus, & rationalis, & homo; non uno modo vel conſideratione hæc tria dicitur. Secundùm aliud eſt enim corpus, & ſecundùm aliud * rationalis; & ſingulorum non eſt totum * id, quod eſt homo. Illa verò ſumma eſſentia nullo modo ſic eſt aliquid, ut illud idem ſecundùm alium modum, aut ſecundùm aliam conſiderationem non ſit: quia quicquid aliquo modo eſſentialiter eſt, hoc eſt totum quod ipſa eſt. Nihil * igitur quod de ejus eſſentia verè dicitur, in eo quod qualis, vel quanta; ſed in eo quod quid ſit, accipitur. Quicquid enim eſt, vel quale, vel quantum, eſt * etiam aliud in eo quod quid eſt, unde non * ſimplex, ſed compoſitum eſt.

Deo per illa eſt quicquid eſt.

Summa eſſentia non ſuâ conſideratione eſt, quicquid eſt: quia eſſentialiter & hoc tantum quod ipſa eſt.

CAPUT XVIII.* al. Cap. 17.

Quòd ſit ſine principio, & ſine fine.

Si ſumma ſubſtantia principium habet, aut ex ſe, aut ex alio, aut ex nihilo habet. Non ex alio, aut ex nihilo habet: cùm probatum ſit eam non eſſe ex alio, aut ex nihilo. Non etiam ex ſe vel per ſe habet: ſic enim eſt ex ſe vel per ſe, ut non ſit eſſentia quæ eſt per ſe & ex ſe, & alia per quam & ex qua eſt. Alioquin jam non eſſet per ſe, ſed per aliud. Summa igitur natura non incœpit per ſe vel ex ſe. Sed nec finem habebit. Sic enim finem habitura eſt, ut non eſſe finem habeat, & ſic ſummè vera, ſummè immortalis & incorruptibilis, & aut volens aut nolens deficiat. Non ergo eſt ſimplex bonum cujus voluntate perit ſummum bonum. Si vero nolens non eſt ſummè potens. Non igitur ſummè & veritas principium vel finem habere nequit cognosci. Nunquam enim non verum fuit quia futurum erat aliquid: & nunquam non verum erit quia præteritum eſt aliquid.

EX quo igitur hæc tam ſimplex natura creatrix & vigor omnium fuit, vel uſquequo futura eſt? An potiùs nec ex quo, nec uſquequo eſt; ſed ſine principio & ſine fine * eſt? Si enim principium habet; aut ex ſe, vel per ſe hoc habet; aut ex alio, vel per aliud; aut ex nihilo, vel * per nihil. Sed conſtat per veritatem jam perſpectam quia nullo modo ex alio, vel ex nihilo, vel per aliud, vel per nihil eſt. Nullo igitur modo per aliud, vel ex alio, aut per nihil, vel ex nihilo initium ſortita eſt. Ex ſeipſa verò, vel per ſe initium habere non poteſt: quanquam ex ſeipſa, & per ſeipſam ſit. Sic enim eſt ex ſe * & per ſe; ut nullo modo ſit alia eſſentia, quæ eſt per ſe & ex ſe, & alia per quam & ex qua eſt. Quicquid autem ex aliquo vel per aliquid incipit eſſe, non eſt omnino idem illi ex quo, vel per quod incipit eſſe. Summa igitur natura non incœpit per ſe, vel ex ſe. Quoniam igitur nec per ſe, nec ex ſe, nec per aliud, nec ex alio, nec per nihil, nec ex nihilo habet principium: nullo modo habet principium. Sed neque finem habebit. Si enim finem habitura eſt, non eſt ſummè immortalis & ſummè incorruptibilis: ſed conſtat quia eſt ſummè immortalis & incorruptibilis: non habebit igitur finem. Ampliùs: ſi finem habitura eſt; aut volens, aut nolens deficiet. Sed pro certo non eſt ſimplex bonum, cujus voluntate perit ſummum bonum: at ipſa eſt verum & ſimplex bonum: quare ſuâ ſponte non deficiet ipſa, quam certum eſt eſſe ſummum bonum. Si * verò nolens peritura eſt; non eſt ſummè potens, nec omnipotens: ſed rationis neceſſitas aſſeruit eam ſummè potentem eſſe & omnipotentem. Non ergo nolens deficiet. Quare ſi nec volens, neque nolens * ſumma natura finem habebit,] nullo modo al. omitt.

Omne compoſitum indiget his ex quibus componitur, illa debet quod eſt.

finem habebit. Ampliùs : si illa ſumma natura finem A * habet, vel principium, non eſt vera æternitas : quod * eſſe ſupra inexpugnabiliter inventum eſt. Deinde cogitet, qui poteſt, quando incœpit, aut quando non fuit hoc verum ; ſcilicet, quia futurum erat aliquid : aut quando deſinet, & non erit hoc verum ; ſcilicet, quia præteritum erit aliquid. Quod ſi neutrum horum cogitari poteſt, & utrumque hoc verum ſine veritate eſſe non poteſt : impoſſibile eſt vel cogitare quòd veritas principium vel finem habeat. Denique ſi veritas habuit principium, vel habebit finem : antequam ipſa inciperet, verum erat * tunc quia non erat veritas : & poſtquam finita erit * quia non erit. * Atqui verum non poteſt eſſe ſine veritate : erat igitur veritas, antequam eſſet veritas ; & erit veritas, poſtquam finita erit veritas ; quod inconvenientiſſimum eſt. Sive igitur dicatur veritas habere, ſive intelligatur non habere principium vel B finem, nullo claudi poteſt veritas principio vel fine : quare idem ſequitur de ſumma natura, quia ipſa ſumma veritas eſt.

CAPUT XIX.*

cf. Cap. 18.

** Quomodo nihil fuit ante, aut erit poſt illam.*

Duplex eſt ſenſus hujus pronunciationis : nihil fuit ante ſummam eſſentiam. 1. eſt : priuſquam ſumma eſſentia eſſet, fuit, cum erat nihil. 2. eſt : ante ſummam eſſentiam non fuit aliquid. Primo ſenſu falſa eſt ſecundo ſenſu eſt vera. Duplex ſenſus pariter eſt cùm dicitur : poſt ſummam eſſentiam nihil eſt futurum.

17.

SEd ecce iterum inſurgit nihil, & quæcunque hactenus ratio * veritate & neceſſitate concorditer atteſtantibus, diſſeruit, aſſerit eſſet nihil. Si enim ea, quæ ſupra digeſta ſunt, neceſſariæ veritatis munimine firmata ſunt : non fuit * aliquid ante ſummam eſſentiam, nec erit * aliquid poſt eam : quare nihil fuit ante eam, & nihil erit poſt eam. Nam aut * aliquid, aut nihil neceſſe eſt præceſſiſſe, vel ſubſecuturum eſſe. C Qui autem dicit quia nihil fuit ante ipſam, & nihil erit poſt ipſam, id pronuntiare videtur : quia fuit ante ipſam, quando nihil erat ; & erit poſt ipſam, quando nihil erit. Quando ergo nihil erat, illa non erat ; & quando nihil erit, illa non erit. Quomodo ergo non incœpit ex nihilo, aut quomodo non * deveniet ad nihilum : ſi illa nondum erat, cùm jam erat nihil ; * & eadem jam non erit, cum adhuc erit nihil ?] Quid ergo molita eſt tanta moles argumentorum ; ſi tam facilè demolitur nihilum molimina eorum ? * Si namque cõſtituitur ut ſummum eſſe nihilo & præcedenti ſuccedat, & ſubſequenti * decedat : quicquid ſupra ſtatuit verum, * neceſſe deſtituitur per inane nihilum. An potiùs repugnandum eſt nihilo, ne totſtructuræ neceſ- D ſariæ rationis à nihilo expugnentur ; & ſummum bonum, quod lucernâ veritatis quæſitum & inventum eſt, amittatur pro nihilo. Potiùs igitur aſſeratur, ſi fieri poteſt, quia nihil non fuit ante ſummam eſſentiam, nec erit poſt illam ; quàm, cùm locus datur ante vel poſt illam nihilo, per nihilum reducatur ad nihilũ illud eſſe, quod per ſeipſum conduxit id quod erat nihil, * eſſe. Duplicem namque una pronunciatio gerit ſententiam ; cùm dicitur quia nihil fuit ante ſummam eſſentiam. Unus enim eſt ejus ſenſus, quia priuſquam ſumma eſſentia eſſet : fuit ; cùm erat nihil. Alter verò ejus eſt intellectus, quia ante ſummam eſſentiam non fuit * aliquid, veluti ſi dicam, nihil docuit me volare : * aut hoc ſic exponam, quia ipſum nihil, quod * ſignificat non aliquid, docuit me volare ; & erit falſum ; aut quia non me docuit * aliquid volare ; quod eſt verum. Prior itaque ſenſus eſt, quem ſequitur ſuprà tractata inconvenientia, & omnimodâ ratione pro falſo repellitur. Alter verò eſt, qui ſuperioribus * perfecta cohæret convenientiâ & tota illorum contexione verus eſſe compellitur. * Quare cùm dicitur quia nihil fuit ante illam, ſecundùm poſteriorem intellectum accipiendum eſt ; nec ſic eſt exponendum, ut intelligatur aliquando fuiſſe, quando illa non erat, & nihil erat ; ſed ita ut intelligatur quia ante illam non fuit aliquid. Eadem ratio eſt duplicis intellectûs ſi nihil dicatur poſt illam eſſe futurum. Si ergo hæc interpretatio, quæ facta eſt de nihilo, diligenter diſcernitur, veriſſimè nec aliquid, nec nihil ſummam eſſentiam aut præceſſiſſe aut ſubſecuturum eſſe, & nihil fuiſſe ante vel poſt illam eſſe * ſecuturum concluditur, & tamen nulla jam conſtitutorum ſoliditas nihili inanitate concutitur.

CAPUT XX.*

cf. Cap. 19.

Quòd illa ſit in omni loco & tempore.

Creatrix eſſentia ubique & ſemper eſt : quæ nunquam incœpit aut deſinet eſſe : quæ ſumma natura aut ubique & ſemper eſt, aut tantùm alicubi & aliquando, aut nuſquam & nunquam. Ait repugnat : ut quod veriſſimè & ſummè eſt, id nuſquam & nunquam ſit : ut nullum bonum ſit. Neque quid ſit ſine ipſa creatrice eſſentia, ſive ubi nuſquam vel nunquam eſt aliquid. Denique quia non determinatè eſt alicubi & aliquando, ubi enim ipſa non eſt, ibi nullus eſt eſſentiæ : nec determinatè per ſe in uno loco & tempore, in cæteris vero per ſuam potentiam ; nam potentia ejus eſt ipſius eſſentia. Ergo ubique & ſemper eſt.

QUanquam autem ſupra concluſum ſit, quia creatrix hæc natura ubique, & in omnibus, & per omnia ſit : & ex eo, quia nec incœpit, nec * deſinet eſſe, conſequatur quia ſemper fuit, * & eſt, & erit, ſentio tamen * quiddam contradictionis * ſubmurmurare ; quod me cogit diligentiùs, ubi & quando illa ſit, indagare. Itaque ſumma eſſentia, aut ubique & ſemper eſt, aut tantùm alicubi & aliquando, aut nuſquam & nunquam : quod dico, aut in omni loco * & tempore ; aut * determinate in aliquo, vel in nullo. Sed quid videtur repugnantius, quàm ut quod veriſſimè & ſummè eſt, id nuſquam & nunquam * ſit. Falſum eſt igitur nuſquam * vel nunquam illam eſſe. Deinde, * quoniam nullum bonum, nec penitus aliquid eſt ſine ea : ſi ipſa nuſquam vel nunquam eſt, nuſquam vel nunquam aliquod bonum eſt, & nuſquam vel nunquam omninò aliquid eſt. * Quod quàm falſum ſit, nec dicere opus eſt : falſum igitur eſt & illud, quod illa nuſquam * aut nunquam ſit. Aut eſt ergo determinatè alicubi & aliquando : aut ubique & ſemper. * At ſi determinatè eſt in aliquo loco vel tempore : ibi & tunc tantum, ubi & quando ipſa eſt, poteſt aliquid eſſe. Ubi verò & quando ipſa non eſt, ibi & tunc penitùs nulla eſt eſſentia ; quia ſine ea nihil eſt : unde * conſequetur ut ſit aliquis locus & aliquod tempus, ubi & quando omninò nihil eſt. Quod quoniam eſt falſum ; ipſe namque locus & tempus ipſum aliquid eſt ; non poteſt eſſe ſumma natura alicubi, * vel aliquando determinatè. Quod ſi dicitur * quòd determinatè ipſa per ſe alicubi & aliquando eſt ; ſed per potentiam ſuam eſt ubicunque, vel quandocunque aliquid eſt ; non eſt verum : quoniam enim potentiam ejus nihil aliud, quàm ipſam eſſe manifeſtum eſt ; nullo modo potentia ejus ſine ipſa eſt. Cùm ergo non ſit alicubi vel aliquando determinatè ; neceſſe eſt ut ſit ubique & ſemper, id eſt, in omni loco & tempore.

CAPUT XXI.*

cf. Cap. 20.

Quod in nullo ſit loco aut tempore.

A ſummo rerum valde alienum eſt habere compoſitionem partium vel diviſionem. Ergo ipſa non tota eſt in omnibus locis & temporibus, ne per partes ſit in ſingulis. Verum ſit tota ſimul in ſingulis locis & temporibus ſi requiritur. At tota eſt ſimul in ſingulis locis, per ſingula loca ſunt ſingula tota. Nam quod totum eſt in aliquo loco, nihil eſt ejus extra ipſum locum : ſed de quo nihil eſt extra ipſum locum, nullus ejus eſt ſimul in alio loco. Ergo nullum totum non poteſt eſſe ſimul in diverſis locis totum. Ergo per ſingula loca, ſingula ſunt tota. Ergo ſi ſumma natura eſt tota ſimul in ſingulis locis, quæ ſingula loca eſſe poſſunt, nec ſingula ſunt natura ſumma. Ergo ipſa non eſt tota ſimul in omnibus locis. Sic nec ipſa eſt tota ſimul in omnibus temporibus : cum ipſa tempora non ſimul ſint : nec ejus tota ſimul diſtribuitur in ſingula temporibus : quoniam ejus aliquid, quod eſt ipſa ejus eſſentia, habet ſui partes, præſens, præteritum, ac futurum. Ergo nullo modo eſt in omni loco vel tempore : ſed quoniam aliquid ſine ea non poteſt eſſe, nuſquam eſt : nec eſſe poſſet ubique vel ſemper.

Duplex ſenſus hujus enunciationis : nihil fuit ante ſummam eſſentiam.

al. omit.

Digitized by Google

QUod si ita est; aut tota est in omni loco vel tempore; aut tantùm quælibet pars ejus; ut altera pars sit extra omnem locum & tempus. Si verò partim est, & partim non in omni loco vel tempore, partes habet: quod falsum est. Non igitur partim est ubique & semper. * Tota autem quomodo est ubique & semper?] Aut enim sic est intelligendum, ut tota * simul sit in omnibus locis vel temporibus, & per partes in singulis: aut * sic, ut tota * sit etiam in singulis. Verùm si per partes est in singulis; non effugit partium compositionem & divisionem: quod valde alienum à summa natura inventum est. Quapropter non est ita tota in omnibus locis & temporibus, ut per partes sit in singulis. Restat altera pars discutienda, scilicet, qualiter summa natura sit tota in omnibus, & singulis locis * & temporibus. Hoc nimirum esse non potest, nisi aut simul, aut diversis temporibus. Sed quoniam ratio loci, aut ratio temporis, quas hactenus simul progressus eisdem vestigiis una potuit indagare * prosecutio, * hic ab invicem * digredientes disputationem videntur diversis quasi fugere anfractibus, singillatim suis investigentur discussionibus. Primùm ergò videatur si * summa natura tota possit esse in singulis locis, aut simul, aut per diversa tempora. Deinde idipsum in temporibus inquiratur. Si igitur tota est simul in singulis locis, per singula loca sunt singulæ totæ. Sicut enim locus à loco distinguitur, ut singula loca sint: ita id quod totum est in uno loco, ab eo quod eodem tempore totum est in alio loco distinguitur, ut singula tota sint. Nam quod totum est in aliquo loco, nihil ejus est quod non sit in ipso loco. At de quo nihil est quod non sit in aliquo loco, nihil est de eo quod sit eodem tempore extra eundem locum. Quod igitur totum est in aliquo loco, nihil est ejus quod eodem tempore sit extra ipsum locum. Sed de quo nihil est extra quemlibet locum, nihil ejus est eodem tempore in alio loco. Quare quod totum est in quolibet loco, nihil * ejus est simul in alio loco. * Quod igitur totum est in aliquo loco, quomodo totum * quoque simul est in alio loco; si nihil de eo potest esse in alio loco? Quoniam igitur unum totum non potest esse simul in diversis locis totum: consequitur ut per singula loca, singula sint tota; si in singulis locis simul aliquid est totum. Quapropter si summa natura tota est uno tempore in singulis omnibus locis; quot singula loca esse possunt, tot singulæ sunt naturæ summæ: quod irrationabile est opinari. Non est igitur tota uno tempore in singulis locis. At verò * si diversis temporibus tota est in singulis locis; quando est in uno loco, nullum bonum & nulla essentia est interim in aliis locis: quia sine ea prorsus aliquid non existit. Quod absurdum esse vel ipsa loca probant, quæ nonnihil, sed aliquid sunt. Non est itaque summa natura tota in singulis locis, diversis temporibus. Quòd si nec eodem tempore, nec * diversis temporibus tota est in singulis locis; liquet quia nullo modo est tota in singulis omnibus locis. Nunc * igitur est indagandum si eadem summa natura sit tota in singulis temporibus, aut simul, aut distinctè per singula tempora. * Sed quomodo est aliquid totum simul in singulis temporibus, si ipsa tempora simul non sunt? Si verò separatim & distinctè tota est in singulis temporibus, quemadmodum aliquis homo totus est heri, & hodie, & cras; propriè dicitur quia fuit, & est, & erit. Ergo ejus ætas, quæ nihil aliud est quàm ejus æternitas, non est tota simul; sed est partibus extensa per temporum partes. At ejus æternitas nihil aliud est, quàm ipsa. * Summa igitur essentia erit divisa per partes, secundùm temporum distinctiones. Si enim ejus ætas per temporum cursus producitur; habet cum ipsis temporibus præsens, præteritum, & futurum. Quid autem aliud est ejus ætas, vel existendi diuturnitas, quàm ejus æternitas? Ergo cùm ejus æternitas nihil aliud sit, quàm ejus essentia; sicut supra digesta ratio indubitabiliter probat: si ejus æternitas habet præteritum præsens, & futurum; consequenter quoque ejus essentia habet præteritum, præsens, & futurum. At quod præteritum est, non est præsens, vel futurum: & quod præsens est, non * est præteritum, nec futurum: & quod futurum est, non est præteritum, * vel præsens. Quomodo ergo habit, quod supra rationabili & perspicua necessitate claruit, * scilicet, quia illa summa natura nullo modo composita, sed summè simplex & summè incommutabilis; si * aliud & aliud est in diversis temporibus, & per tempora distributas habet partes: aut potiùs, si illa vera sunt; imo quia * liquidò vera sunt, quomodo hæc possibilia sunt? Nullo igitur modo creatrix essentia, aut ætas, aut æternitas ejus recipit præteritum vel futurum. Præsens enim quomodo non habet, si verè est? sed fuit, significat præteritum; & erit, futurum. Nunquam igitur illa fuit, vel erit: quare non est * distinctè, sicut nec simul tota in diversis singulis temporibus. * Si igitur, sicut * discussum est, nec sic est tota in omnibus locis vel temporibus, ut semel sit tota in omnibus, & per partes in singulis; nec sic, ut tota sit in singulis: manifestum est quia non est ullo modo in omni loco vel tempore tota. Et quoniam similiter * pervisum est quia nec sic est in omni loco vel tempore; ut pars sit in omni, & pars sit extra omnem locum vel tempus; impossibile est, ut sit ubique & semper. Nullatenus enim potest intelligi esse ubique & semper; nisi aut tota, aut pars. Quòd si nequaquam est ubique, & semper; aut erit determinatè in aliquo loco vel tempore; aut in nullo: determinatè autem eam in aliquo non posse esse, jam discussum est. In nullo igitur vel tempore, id est, nusquam * & nunquam est. Non enim potest esse, nisi aut in omni, aut in aliquo. Sed rursus cùm constet inexpugnabiliter non solùm quia est per se, & sine principio, & sine fine; sed quia aliquid sine ea nec usquam nec nunquam est: necesse * illam esse ubique & semper.

al. omit.

A summa natura valde alienum est, habere compositionem vel divisionem.

Utrùm sit tota simul in singulis locis & temporibus.

al. Cap. 21.

CAPUT XXII. *

al. Cap. 22.

* Quomodo sit in omni, & in nullo loco & tempore.

Hæc tam contraria secundùm prolationem, & necessaria secundùm probationem, inter se conveniant: si quidem omnia totum non ipsa simul esse in diversis locis vel temporibus verum est dumtaxat de ea quæ sic sunt in loco & tempore, ut loci spatium vel temporis diuturnitatem non excedant: illum enim dumtaxat rei esse totum, cujus quantitatem loci circumscriptio ac continet: & illum solum rei esse aliquod tempus, cujus diuturnitatem mensurâ terminat. At summa natura nullo termino coercetur; sed ejus potentia, quæ est ipsum esse, omnia sibi sese concludit. Ergo ipsam nullo loci vel temporis ambitus includit & cum nullum loci vel temporis spatium magnitudinem vel parvitatem sui patiatur, suscipiat; nullo loco aut tempore circumscribitur. Et tamen necessitas exigit summam essentiam totam nullo loco vel tempore deesse: & nullo loco aut tempore prohibet eam omni loco & tempori simul totam adesse. Ipsa igitur tota simul omnibus & singulis locis & temporibus præsens est. Ideo enim in loco vel tempore esse dicitur, non quia continetur; sed quia præsens est. Aptius tamen hæc dicentur esse cum loco & tempore, quàm in loco & tempore: quia esse in loco vel tempore, propriè intelligitur continere. Itaque in omni loco & tempore summa natura est, quia nulli abest: & in nullo loco vel tempore est, quia nullo circumdatur, nec loci aut temporis legibus subjacet.

QUomodo ergo convenient hæc tam necessaria secundùm prolationem, & tam necessaria secundùm probationem? Fortasse quodam modo est summa natura in loco vel tempore, quo non prohibetur sic esse simul tota in singulis locis * vel temporibus; ut tamen non sint plures totæ, sed una sola tota; nec ejus ætas, quæ non est nisi vera æternitas, non sic distributa in præteritum, præsens, & futurum. Non enim videntur hac lege loci ac temporis cogi, nisi ea quæ sic sunt in loco vel tempore; ut loci spatium vel temporis diuturnitatem non excedant. Quare, sicut de his quæ hujusmodi sunt, unum idemque totum simul non posse esse totum in diversis locis * vel temporibus omni veritate asseritur: ita in his quæ hujusmodi non sunt, idipsum nulla necessitate concluditur. Jure namque dici videtur, quòd tantùm ejus rei sit ali-

quis locus, cujus quantitatem locus circumscribens lo- A continet, & continendo circumscribit, & quòd ejus rei solùm sit aliquod tempus, cujus diuturnitatem tempus metiendo aliquo modo terminat, & terminando metitur. Quapropter cujus amplitudini, aut diuturnitati, nulla meta vel à loco vel à tempore opponitur; illi nullum esse locum vel tempus verè proponitur. Quoniam namque nec locus illi facit, quod locus; nec tempus, quod tempus: non irrationabiliter dicitur quia nullus locus est ejus locus, & nullum tempus est ejus tempus. Quod verò nullum locum aut tempus habere conspicitur, id profectò nullatenus loci aut temporis legem subire convincitur. Nulla igitur lex loci aut temporis naturam * ullam aliquo modo cogit, quam nullus locus * aut tempus aliquà continentiâ claudit. Quænam * autem rationalis consideratio omnimodà ratione non * concludat, ut creatricem summamque omnium substantiam, quam necesse est alienam esse & liberam à natura & jure omnium, quæ ipsa fecit de nihilo, * nulla loci cohibitio vel temporis includat: cùm potiùs ejus potentia, quæ * non est aliud quàm ejus essentia, cuncta à se facta sub se continendo concludat? Quomodo quoque non est imprudentis * imprudentiæ dicere, quòd summæ veritatis aut locus circumscribat quantitatem, aut tempus metiatur diuturnitatem: quæ nullam penitùs localis vel temporalis * distensionis magnitudinem suscipit vel parvitatem? Quoniam itaque loci * hæc est vel temporis conditio, ut tantummodò quicquid eorum metis clauditur, nec partium fugiat rationem, vel qualem suscipit locus ejus secundùm quantitatem, vel qualem patitur tempus ejus secundùm diuturnitatem; nec ullo modo possit totum à diversis locis vel temporibus simul contineri: quicquid verò loci vel temporis continentiâ nequaquam coercetur, nullâ locorum vel temporum lege ad partium multiplicitatem cogatur; aut præsens esse totum simul pluribus locis aut temporibus prohibeatur: quoniam, inquam, hæc est conditio loci aut temporis, procul dubio summa substantia, quæ nullâ loci vel temporis continentiâ cingitur, nullâ eorum legè constringitur. Quare quoniam summam essentiam totam & inevitabilis necessitas exigit nulli loco vel tempori deesse, & nulla ratio loci aut temporis prohibet omni loco vel tempori simul totam adesse: necesse est eam simul totam omnibus & singulis locis & temporibus præsentem esse. Non enim, quia huic loco vel tempori præsens est, ideircò prohibetur illi, vel illi loco, aut tempori simul & similiter præsens esse: nec quoniam fuit, aut est, aut erit; ideo æternitatis ejus * aliquid evanuit à præsenti tempore * cum præterito, quod jam non est; aut transit cum præsenti, quod vix est; aut venturum est cum futuro, quod nondum est. Nullatenus namque cogitur vel prohibetur * lege locorum vel temporum, alicubi aut aliquando esse vel non esse, quod nullo modo intra locum vel tempus claudit suum esse. Nam si ipsa summa essentia dicitur esse in loco aut tempore; quamvis de illa, & de localibus sive temporalibus naturis una sit prolatio, propter loquendi consuetudinem: diversus tamen est intellectus, propter * rerum dissimilitudinem. * In illis namque duo quædam eadem prolatio * significat, id est, quia præsentia sunt locis & temporibus, in quibus esse dicuntur; & quia continentur ab ipsis. In summa verò essentia unum tantùm percipitur, * id est, quia præsens est; non etiam quia continetur. Unde, si usus loquendi admitteret, convenientiùs dici videretur esse cum loco vel tempore; quàm in loco vel tempore. * Verùs enim significatur contineri aliquid, cùm dicitur esse in alio; quàm cùm dicitur esse cum alio. In nullo itaque loco vel tempore propriè dicitur esse, quia omninò à nullo alio continetur: & tamen in omni loco vel tempore suo quodam modo dici potest esse; quoniam quicquid B aliud est, ne in nihilum cadat, ab ea præsente sustinetur: in omni loco & tempore est, quia nulli abest; & in nullo est, qui a nullum locum aut tempus habet, nec in se recepit distinctiones locorum aut temporum: nec * hic vel illic, vel alicubi, vel tunc, vel nunc, vel aliquando: nec secundùm labile præsens, * tempus quo utimur, est; aut secundùm præteritum, vel futurum, fuit, vel erit: quoniam hæc circumscriptorum & mutabilium propria sunt; quod illa non est. Et tamen hæc de ea quodammodò dici possunt; quoniam sic est præsens omnibus circumscriptis & mutabilibus; ac si illa circumscribatur eisdem locis, & mutetur temporibus. Patet itaque, * quantùm satis est ad dissolvendam, quæ insonabat, contrarietatem; qualiter summa omnium essentia ubique & semper, & nusquam, & nunquam, id est, in omni & * in nullo loco, aut tempore sit; juxta diversorum * intellectuum concordem veritatem.

Summam essentiam totam necessitas exigit nulli loco vel tempori deesse, & nulla ratio loci aut temporis prohibet omni loco vel tempori simul totam adesse.

Ipsa in loco esse dicitur, non quia continetur, sed quia præsens est.

Esse in loco vel tempore, propriè intelligitur contineri.

CAPUT XXIII. * al. Cap. 22.

Quomodo melius intelligi possit esse ubique, quàm in omni loco.

Cum localia verba, ubi, ubi est, sæpe absque reprehensione attribuantur rebus quæ nec loca sunt, nec circumscriptione locali continentur, ut cum dicatur ibi esse intellectum in anima, ubi est rationalitas: summa natura ubique, id est, in omnibus quæ sunt, esse ajunt dicitur, quam esse in omnium loco. Non enim verum quæ continentur, sed quæ penetrando cuncta continet, in omnibus est.

VErùm cùm constet eandem summam naturam non magis esse in omnibus locis, quàm in omnibus quæ sunt; non velut quæ contineatur, quæ penetrando cuncta contineat: cur non dicatur esse ubique, hoc sensu; ut potius intelligatur esse in omnibus quæ sunt, quàm tantùm in omnibus locis: cùm hunc intellectum & rei veritas exhibeat, & ipsa localis verbi proprietas nequaquam prohibeat. Solemus namque localia verba sæpe irreprehensibiliter attribuere rebus, quæ nec loca sunt, nec circumscriptione locali continentur: velut si dicam ibi esse intellectum in anima, ubi est rationalitas. Nam cùm * ibi, & ubi, adverbia localia sint; non tamen locali circumscriptione aut anima continet aliquid, aut intellectus aut rationalitas continetur. Quare summa natura secundùm rei veritatem, * aptiùs dicitur ubique esse, secundùm hanc significationem; ut intelligatur esse in omnibus quæ sunt, * quàm si intelligatur tantùm in omnibus locis. Et quoniam, sicut suprà expositæ rationes docent, aliter esse non potest; necesse est eam sic esse in omnibus quæ sunt, ut una eademque perfectè tota simul sit in singulis.

Summa natura intra omnia dicitur esse ubique, id est, in omnibus quæ sunt, quàm in omnium loco.

CAPUT XXIV. * al. Cap. 23.

* *Quomodo melius intelligi possit, esse semper, quàm in omni tempore.*

Summa natura non habet principium aut finem, nec præsens præteritum aut futurum, quæ sunt temporalis differentiæ: quæ ante æternitatem ejus, quæ nihil aliud est quam ipsa, immutabilis & sine partibus est. Cum ergo non, semper, magis proprie significet æternitatem, & tempus dicat varietatem, magis congruit summæ naturæ dicitur semper esse quàm esse in omni tempore. Et cum æternitas sit interminabilis vitæ simul perfectè tota existens, vel hanc naturam summe convenit, quæ principio & fine & omni termino caret.

EAndem quoque summam substantiam constat sine principio & sine fine esse, nec habere præteritum, aut futurum; nec temporale, hoc est, labile præsens, quo nos utimur: quoniam ætas sive æternitas ejus, quæ nihil aliud est quàm ipsa, immutabilis & sine partibus est. Nonne ergo, semper, quòd videtur deliguare totum tempus; multò verius (si de illa dicitur) intelligitur significare æternitatem, quæ sibiipsi nunquam est dissimilis; quàm temporum varietatem, quæ sibiipsi semper est in aliquo non similis. Quare si dicitur semper esse: quoniam idem est illi esse & vivere; nihil melius intelligitur, quàm æternè esse vel vivere, id est, interminabilem vitam simul * perfectè totam obtinere: Videtur * enim ejus æter-

Summa natura non habet præteritum, & futurum, quæ sunt temporales differentiæ. Unde semper, magis ad æternitatem pertinet.

æternitas est interminabilis vitæ

simul perfectè tota exi- nitas esse interminabilis vita simul perfectè tota existens. Cùm enim suprà jam satis liqueat quòd eadem substantia non sit aliud quàm vita sua, & æternitas sua; nec sit aliquo modo terminabilis, nec nisi simul & perfectè tota: quid aliud est vera æternitas, quæ soli illi convenit, quàm interminabilis vita simul & perfectè tota existens? Nam vel hoc solo, veram æternitatem soli inesse illi substantiæ, quæ sola non facta, sed factrix esse inventa est, apertè percipitur; quoniam vera æternitas principii finisque metâ carere intelligitur: quod nulli rerum creatarum convenire, eo ipso quòd de nihilo factæ sunt, convincitur.

al. pars Cap. 24.

CAPUT XXV.*

Quòd nullis mutabilis sit accidentibus.

Accidentia alia mutationem efficiunt: alia, ut relationes, nullam mutationem inducunt. Summa autem natura, quia simplex est, non subest accidentibus quæ mutationem faciunt. Ergo nec subjectibilis est ullæ accidenti: accidentia enim impropriè dicuntur, quæ vera non habent. Igitur nullo prorsus modo summa essentia mutabilis est, cum semper sit eadem substantialiter, & nulla unquam modo diversa se accidant inter.

SEd hæc essentia, quam patuit omnimodè sibi esse eandem substantialiter, * nonne est aliquando à se diversa vel accidentaliter. Verùm quomodo est summè incommutabilis, si per accidentia potest, non dicam esse; sed vel intelligi variabilis? Et è contra quomodò non est particeps accidentis; cùm & hoc ipsum, quòd major est omnibus aliis naturis, & quòd * illis * dissimilis est, illi videatur accidere? Sed quid * repugnant quorundam, quæ accidentia dicuntur, susceptibilitas, & naturalis incommutabilitas; si ex eorum assumptione * nulla * substantiam consequatur variabilitas? Omnium quippe, quæ accidentia dicuntur, alia non nisi cum aliqua participantis variatione adesse & abesse posse intelliguntur, ut omnes colores, alia omninò nullam vel accedendo vel recedendo mutationem circa id de quo dicuntur, efficere noscuntur, ut quædam relationes. Constat namque quia homini pòst annum præsentem nascituro, nec major, nec minor, nec æqualis sim, nec similis. Omnes autem relationes has, utique cùm natus fuerit, sine omni mei mutatione, ad illum habere potero, & amittere, secundùm quod crescet, vel per qualitates diversas mutabitur. Palam itaque fit quia eorum quæ accidentia dicuntur, quædam aliquatenus attrahant commutabilitatem, quædam verò nullatenus subtrahant * incommutabilitatem. Sicut igitur summa natura accidentibus mutationem efficientibus nunquam in sua simplicitate locum tribuit: sic secundùm ea, quæ nullatenus summæ * incommutabilitati repugnant, aliquando dici aliquid non respuit; & tamen aliquid ejus essentiæ, unde ipsa variabilis intelligi possit, non accidit. Unde hoc quoque concludi potest, quia nullus accidentis susceptibilis est: quippe quemadmodum illa accidentia, quæ mutationem aliquam accedendo vel recedendo faciunt, * ipso suo effectu verè accidere rei, quam mutant, perpenduntur: sic illa, quæ à simili effectu deficiunt, impropriè dici accidentia deprehenduntur. Sicut igitur semper sibi * est omnimodò eadem substantialiter: ita numquam est à se diversa ullo modo, vel accidentaliter. Sed quoquo modo sese habeat ratio de proprietate nominis accidentium; illud sine dubio verum est, quia de summè incommutabili naturâ nihil potest dici, unde mutabilis possit intelligi.

al. substantia

Accidentia alia mutationem efficiunt: alia, ut relationes, nullam mutationem inducunt.

Summa natura, quia simplex est, non subest accidentibus, quæ mutationem faciunt.

Nulli accidenti proprie est susceptibilis.

Quæ vera non habent, accidentia improprie dicuntur.

Nullo prorsus modo summa essentia mutabilis est.

al. Cap. 25.

CAPUT XXVI.*

*Quomodo illa dicenda sit * esse substantia: & quòd sit extra omnem substantiam, & singulariter sit quicquid est.*

Cum summa natura nullam mutationis aut accidentis sit susceptibilis, non dicatur substantia ut substantia dicatur pro essentia: sed ipsa est de extra & supra omnem substantiam; quare ipsa sola per se est. Itaque non habet nisi nemo, omnia nec cum creatura.

SEd si ratum est quod de hujus naturæ simplicitate * perspectum est: quomodo substantia est? Nam cùm omnis substantia admixtionis differentiarum, vel mutationis accidentium sit susceptibilis: * hujus immutabilis sinceritas omnimodæ admixtioni, sive mutationi est inaccessibilis: * quomodo ergo obtinebitur eam esse quamlibet substantiam: nisi dicatur substantia pro essentia, & sic sit extra, sicut est supra omnem substantiam? Nam quantùm illud esse, quod per se est quicquid, & de nihilo facit omne aliud esse, diversum est ab eo esse, quod per aliud * fit de nihilo quicquid est: tantùm omninò distat summa substantia ab his quæ non sunt idem quod ipsa. Cumque ipsa sola omnium naturarum habeat à se, sine alterius naturæ auxilio, esse quicquid est; quomodo non est singulariter, absque suæ creaturæ consortio, quicquid ipsa est? Unde si quando illi est cum aliis nominis alicujus communio: valde procul dubio intelligenda est diversa significatio.

al. perspicuè

Summa natura non habet nisi nemo commune cum creatura: aut proprie dicuntur substantia.

CAPUT XXVII.* al. Cap. 26.

Quòd non contineatur in communi tractatu substantiarum; & tamen sit substantia, & individuus spiritus.

Omnis substantia aut est universalis, hoc est, pluribus communis aut est individua, quæ cum aliis communem habet. Summa vero natura nec in plures substantias se dividit, nec cum aliqua alia se essentia communione colligit. Ergo non includitur in communis substantiarum tractatu. Quia tamen summè existit, vere maximè substantia dici potest. & quoniam est, vere non corpus, sed spiritus est. & quidem individuus, quia nec partibus constat, nec differentiis aut accidentibus est mutabilis, nec proinde alia ratione dividitur.

COnstat igitur quia illa substantia nullo communi tractatu substantiarum includitur, à cujus essentiali communione omnis natura excluditur. Nempè cùm omnis substantia tractetur aut esse universalis, quæ pluribus substantiis essentialiter communis est; ut, hominem esse, commune est singulis hominibus: aut esse individua, quæ universalem essentiam communem habet cum aliis; quemadmodum singuli homines commune habent cum singulis, ut homines sint: quomodo aliquis summam naturam in aliarum substantiarum tractatu contineri intelligit, quæ nec in plures substantias se dividit, nec cum aliqua alia per essentialem communionem se colligit? Quoniam tamen ipsa non solùm certissimè existit, sed etiam * summè omnium existit; & cujuslibet rei essentia dici solet substantia; profectò, * si quid dignè dici potest, non prohibetur dici substantia. Et quoniam non noscitur dignior essentia, quàm spiritus, aut corpus: & ex his dignior est spiritus, quàm corpus: utique eadem asserenda est esse spiritus, non corpus. Quoniam autem nec ullæ partes sunt ejusdem spiritûs, nec plures esse possunt ejusmodi spiritus; necesse est, ut sit omninò individuus spiritus. Quoniam enim, sicut suprà constat, nec partibus est compositus, nec ullis differentiis vel accidentibus intelligi potest esse mutabilis; impossibile est ut qualibet sectione sit divisibilis.

Omnis substantia aut est universalis; aut est individua.

CAPUT XXVIII.* al. Cap. 27.

*Quòd idem spiritus simpliciter sit: & * creata, illi comparata non * sint.*

Summum spiritum propter incommutabilem æternitatem nullo modo dici potest, quia fuit aut erit, sed simpliciter est. Cætera vero, quæ mutabilia sunt, secundum aliquid aut fuerunt aliquando aut erunt quod non sunt, & hoc quod sunt vere est: unde de nullo esse dicimur ad esse non per se, sed per aliud: & sic ordinem ad non esse, nisi fortasse per aliud. Solus ergo summus spiritus vere perfecte & absolute est: cætera aut non sunt, aut vix sunt: non tamen omnino non sunt, nam de nullo aliquid factum sunt ab eo qui solus absolute est.

Google

VIdetur ergo consequi ex præcedentibus, quòd iste spiritus, qui sic suo quodam mirabiliter singulari & singulariter mirabili modo est, quadam ratione solus sit: alia verò quæcunque videntur esse, huic collata, non sint. Si enim diligenter intendatur, ille solus videbitur simpliciter & perfectè & absolutè esse; alia verò omnia * ferè non esse, & vix esse: quoniam namque idem spiritus, propter incommutabilem æternitatem suam, nullo modo secundùm aliquem motum dici potest quia fuit, aut erit; sed simpliciter, est: nec mutabiliter est aliquid, quod aliquando aut non fuit, aut non erit; neque non est quod aliquando fuit, aut erit; sed quicquid est, semel & simul, & interminabiliter est. Quoniam, * inquam, hujusmodi est esse ejus; jure ipse simpliciter & absolutè & perfectè dicitur esse. Quoniam verò omnia alia secundùm aliquid mutabiliter aliquando aut fuerunt, aut erunt quod non sunt; aut sunt quod aliquando non fuerunt, vel non erunt: & quoniam hoc quia fuerunt, jam non est: illud autem, scilicet, quia erunt, nondum est; & hoc * quia in labili brevissimoque & vix existente præsenti sunt, vix est. Quoniam ergo tam mutabiliter sunt; non immeritò negantur simpliciter & perfectè & absolutè esse; & asseruntur ferè non esse, vix esse. Deinde, cùm omnia, quæcunque aliud sunt quàm * ipse, de non esse venerint ad esse, non per se, sed per aliud: & cùm de esse redeant ad non esse, quantùm ad se, nisi sustineantur per aliud: quomodo illis simpliciter convenit, aut perfectè sive absolutè esse; & non magis, ferè vix non esse? Cumque esse solius ejusdem ineffabilis spiritûs intelligi nullo modo possit, aut ex * non esse inceptum, aut * aliquem pati posse, ex eo quod est in non esse, defectum: & quicquid ipse est, non sit per aliud quàm per se, id est, per hoc quod ipse est: nonne hujus esse meritò solùm intelligitur * simplex perfectumque & absolutum? Quod verò sic simpliciter & omnimoda ratione solùm est perfectum, simplex & absolutum, id nimium quodammodo jure dici potest solum esse: & è contra, quicquid per superiorem rationem, nec simpliciter, nec perfectè, nec absolutè esse; sed vix esse, aut ferè non esse, cognoscitur; id utique aliquo modo rectè, non esse dicitur. Secundùm hanc igitur rationem ille solus creator spiritus est: & omnia creata, non sunt; nec tamen omnino non sunt, quia per illum qui solus absolutè est, de nihilo aliquid facta sunt.

al. verè

Summus spiritus nullo modo dici potest quia fuit aut erit, sed simpliciter est: cætera vix sunt.

CAPUT XXIX.*

al. Cap. 28.

Quòd ejus locutio idipsum sit, quod ipse; & ipsi sit consubstantialis, cùm non sint duo, sed unus spiritus.

Summus spiritus nihil fecit nisi per seipsum: quicquid autem fecit, per suam locutionem fecit. Ergo ejus locutio seu verbum non est aliud quàm ipse summus spiritus. Deinde ipsa locutio per quam factum est quicquid creatum est, non est creatura, sed est omni creatura prior: ergo ipsa est increata spiritus. Rursus: ipsa locutio est summus spiritus inter alia genera: summus autem natura, cum sit simplex, est ipsa sua intelligentia: ergo summa natura est ipsa sua locutio: ducitur ergo ipsi consubstantialis, quia ipse individuum est spiritus.

JAm verò his, quæ de proprietatibus hujus summæ naturæ ad præsens mihi ducem rationem sequenti * occurrerunt, perspectis; opportunum existimo ut de ejus locutione, per quam facta sunt omnia, si quid possim considerem. Etenim cùm omnia, quæ de illa supra potuit animadvertere, rationis robur inflexibile teneant: illud me maximè cogit de illa diligentiùs discutere, quia id ipsum, quod ipse summus spiritus est, probatur esse. Si enim ille nihil fecit, nisi per seipsum; & quicquid ab eo factum est, per illam est factum: quomodo illa est aliud, quàm quod est idem ipse? Amplius: asserunt utique inexplicabiliter ea quæ jam inventa sunt, quia nihil omnino potuit unquam, aut potest subsistere præter creantem spiritum & ejus creaturam. Hanc verò spiritûs ejusdem locutionem, impossibile * est inter creata contineri: quoniam quicquid creatum * subsistit, per illam factum est; illa verò per se fieri non potuit. Nihil quippe per seipsum fieri potest: quia quicquid fit, posterius est eo per quod fit; & nihil & posterius seipso. Relinquitur itaque ut hæc summi spiritûs locutio, cùm creatura esse non possit, non sit aliud quàm summus spiritus. Denique, hæc ipsa locutio nihil aliud potest intelligi quàm ejusdem spiritûs intelligentia, quâ cuncta intelligit. Quid enim est aliud illi rem loqui aliquam, hoc loquendi modo, quàm intelligere? Nam non ut homo, non * semper dicit quod intelligit. Si igitur summè simplex natura non est aliud, quàm quod est sua intelligentia, quemadmodum est idem quod est sua sapientia: necesse est ut similiter non sit aliud, quàm quod est sua locutio. Sed quoniam jam manifestum est summum spiritum unum tantùm esse, & omnimodè individuum: necesse est ut * sic illi hæc sua locutio sit consubstantialis, ut non sint duo, sed unus spiritus.

Ipsa locutio per quam factum est quicquid creatum est, non est creatura, sed omni creatura prior.

Ipsa locutio est summus spiritus intelligentia.

Summa natura est ipsa sua locutio, & hoc est ipsi consubstantiale, cum individuum sit spiritus.

CAPUT XXX.*

al. Cap. 29.

Quòd eadem locutio non constet ex pluribus verbis, sed sit unum Verbum.

Cùm ipsa locutio sit consubstantialis summæ naturæ quæ simplex & una est, eamdem simplex & una est: nec pluribus prorsus constat verbis, sed est unum Verbum.

CUr igitur dubitem, quod suprà dubium dimiseram; scilicet, utrùm hæc locutio in pluribus verbis, an in uno verbo consistat? Nam si sic est summæ naturæ consubstantialis, ut non sint duo, sed unus spiritus: utique sicut * illa summè simplex est, ita & ista. Non igitur constat pluribus verbis; sed est unum Verbum, per quod facta sunt omnia.

CAPUT XXXI.*

al. Cap. 30.

Quòd ipsum Verbum non sit similitudo factorum; sed veritas essentiæ: facta verò, sint aliqua veritatis imitatio. Et quæ natura magis sint, & præstantiores, quàm alia.

Verbum quo dicuntur & per quod facta sunt omnia, est consubstantiale summæ incommutabilitati; quæ consubstantiale est summæ naturæ quæ est ipsa sua incommutabilitas. Ergo Verbum illud non est vera similitudo mutabilium, quæ tantùm ad illum exemplum facta sunt. Verùm cum illius essentia summè sit, & sola veri sit: ipsum est existendi veritas: cætera verò non sunt nisi illius imitatio. Unde creatura tanto magis est, & tanto præstantior, quanto similior est illi Verbo quod summè est, & summè magnum. Hinc natura vivendo præstans non sapientibus, sentientes non stolidis, rationales non irrationalibus. Hinc enim liquet quia illa magis sunt quam ista: nam illa natura magis est quæ similior est summæ essentiæ. Quæ autem plura participat, similior est seu in pluribus est similis summæ essentiæ: illa verò plura participat, cui plura præter solum cognatum absunt. Porro cum unum essentiæ ex ipso magis sit & præstantior, quæ similior ejus idæ essentiæ quæ summe est & summè præstat; manifestum est quia Verbum non est creaturæ similitudo, sed veræ essentiæ; & ex eadem non est absolutæ essentiæ, sed veræ essentiæ imitatio: si quæ ipsa creata ex magis vel minus sunt vera, quæ magis vel minus ejus appropinquent.

SEd ecce videtur mihi suboriri nec facilis nec ullatenus sub ambiguitate relinquenda quæstio. Etenim omnia hujusmodi verba, quibus res quaslibet mente dicimus, id est, cogitamus, similitudines & imagines sunt rerum quarum verba sunt: & omnis similitudo vel imago, tantò magis vel minùs est vera, quantò magis vel minùs imitatur rem, cujus est similitudo. Quid igitur tenendum est de Verbo, quo dicuntur & per quod facta sunt omnia? Erit, * an non erit similitudo eorum, quæ per ipsum facta sunt? Si enim ipsum est vera mutabilium similitudo; non est consubstantiale summæ incommutabilitati: quod falsum est. Si autem non * omnino vera, sed qualiscumque similitudo mutabilium est; non est Verbum summæ veritatis omnino verum: quod absurdum est. At si nullam mutabilium habet similitudinem: quomodo ad illius exemplum facta sunt? Verùm fortitan nihil * hujus remanebit ambiguitatis, si

Verbum quo dicuntur & per quod facta sunt omnia, est consubstantiale summæ incommutabilitati.

quemadmodum in vivo homine veritas hominis esse dicitur; in picto verò similitudo sive imago illius veritatis: sic existendi veritas intelligitur in verbo, cujus essentia sic summè est, ut quodammodo illa sola sit: in his verò, quæ in ejus comparatione quodammodo non sunt, & tamen per illud, & secundùm illud facta sunt aliquid; aliqua * imitatio illius summæ essentiæ perpendatur. Sic quippe Verbum summæ veritatis, quod & ipsum est summa veritas, nullum augmentum vel detrimentum sentiet, secundùm hoc quod magis vel minùs creaturis sit simile: sed potius necesse erit omne quod creatum est, tantò magis esse, & tantò esse præstantius; quantò similius est illi, quod summè est, & summè magnum est. Hinc etenim fortasse, immò non fortasse, sed pro certo, hinc omnis intellectus judicat naturas quolibet modo viventes præstare non viventibus, sentientes non sentientibus, rationales irrationalibus. Quoniam enim summa natura suo quodam * modo singulari non solùm est, sed & vivit, & sentit, & rationalis est: liquet quoniam omnium quæ sunt, id quod aliquo modo vivit magis est illi simile, quàm id quod nullatenus vivit: & quod modo quolibet vel corporeo sensu cognoscit aliquid; magis * quàm quod nihil omnino sentit: & quod rationale est; magis, quàm quod rationis capax non est. Quoniam verò simili ratione quædam naturæ magis minusve sunt, quàm * aliæ, perspicuum est. Quemadmodum enim naturâ illud præstantius est, quod per naturalem essentiam propinquius est præstantissimo: ita utique illa natura magis est, cujus essentia similior est summæ essentiæ. Quod sic quoque animadverti facile posse existimo. Nempe si cuilibet substantiæ, quæ & vivit, & sensibilis, & rationalis est, * cogitatione auferatur quòd rationalis est; deinde quòd sensibilis; & postea quòd vitalis; postremo ipsum nudum esse, quod remanet: quis non intelligat quod illa substantia quæ sic paulatim destruitur, ad minus, & * minus esse; & ad ultimum, ad non esse gradatim perducitur? Quæ autem singulatim assumpta quamlibet essentiam ad minus & minus esse deducunt; eadem ordinatim assumpta, illam ad magis & magis esse perducunt. Patet igitur quia magis est, vivens substantia, quàm non vivens; & sensibilis, quàm non sensibilis; & rationalis, quàm non rationalis. Non est itaque dubium quòd omnis essentia eo ipso magis est, præstantiorque est; quo similior est illi essentiæ, quæ summè est & summè præstat. Satis itaque manifestum est in Verbo, per quod facta sunt omnia, non esse eorum similitudinem; sed veram simplicemque essentiam: in factis verò non esse simplicem absolutamque essentiam; sed veræ illius essentiæ vix aliquam imitationem. Unde necesse est non idem Verbum, secundùm rerum creatarum similitudinem, magis vel minus esse verum: sed omnem creatam naturam eo altiori gradu essentiæ dignitatisque consistere; quo magis illi propinquare videtur.

Ipsum est existendi veritas; cætera verò non sunt nisi similitudo. *Unde omne creatum tanto magis est, & tanto præstantius, quanto similius est illi quod summè est, & summè magnum.*

Hinc natura diversis præstant non viventibus, sentientes non sentientibus, rationales irrationalibus; & ibi magis sunt, quam ibi.

al. Cap. 32.

CAPUT XXXII.*

*Quòd * summus spiritus seipsum dicat coæterno Verbo.*

1. *Summus spiritus est ipsa summa sapientia: summa sapientia se ipsam æterno & summè intelligit: & idem est dicere quod intelligere: Ergo summus spiritus æterno se dicit; & proinde habet Verbum coæternum.* 1. *Cum mens rationalis se & ipsam summam sapientiam intelligat summus spiritus, qui est æternus, principaliter æterne se intelligit. Ut si se æternè intelligit, æternè se dicit, si æterne se dicit, æternè est Verbum ejus apud ipsum. Et sic etiam si nulla alia existerent essentia; necesse foret Verbum illius esse ibi coæternum.*

SEd cùm ita sit: quomodo illud quod * simplex est veritas, potest esse Verbum eorum quorum non est similitudo? cùm omne Verbum, quo aliqua res sic mente dicitur, similitudo sit rei ejusdem: &, si non est verbum eorum quæ facta sunt per ipsum; quomodo constabit quia sit Verbum? Nempe omne verbum alicujus rei verbum est. Denique si nunquam * creatura esset, nullum ejus esset verbum. Quid igitur? An concludendum est quia si nullo modo esset creatura, nequaquam esset Verbum illud, quod est summa & nullius indigens essentia: aut fortasse ipsa summa essentia, quæ Verbum est, essentia quidem esset æterna; sed Verbum non esset, si nihil unquam per illam fieret? Ejus enim quod non fuit, nec est, nec futurum est, nullum verbum esse potest. Verùm secundùm hanc rationem, si nunquam * ulla præter summum spiritum esse essentia, nullum omnino esset verbum in illo: Si nullum in illo verbum esset, nihil apud se diceret: si nihil apud se diceret; cùm idem sit illi sic dicere aliquid, quod est intelligere; non aliquid intelligeret: si nihil intelligeret; ergo summa sapientia, quæ non est aliud quàm idem spiritus, nihil intelligeret: quod absurdissimum est. Quid igitur? Si enim nihil intelligeret, quomodo esset summa sapientia? Aut si nullo modo esset aliquid præter illam, quid illa intelligeret? Sed nunquid seipsam non intelligeret? At quomodo vel cogitari potest quòd summa sapientia se aliquando non intelligat; cùm * mens rationalis possit non solùm suimet, sed & illius summæ sapientiæ reminisci; * & illam, * & se intelligere? Si enim mens humana nullam ejus, aut sui habere memoriam, aut intelligentiam posset; nequaquam se ab irrationalibus creaturis, & illam ab omni creatura, secum sola tacitè disputando, sicut nunc mens mea facit, discerneret. Ergo summus ille spiritus, sicut est æternus; ita æternè sui memor est, & intelligit se ad similitudinem mentis rationalis: immò non ad ullius similitudinem; sed ille, principaliter; & mens rationalis, ad ejus similitudinem. At si æternè se intelligit, æternè se dicit. Si æternè se dicit, æternè est Verbum ejus apud ipsum. Sive igitur ille cogitetur nullâ aliâ existente essentia, sive aliis existentibus: necesse est Verbum illius coæternum illi esse cum ipso.

al. Cap. 33.

CAPUT XXXIII.*

Quòd consubstantiali sibi Verbo dicat se, & quod facit.

Verbum, quo seipsam summus spiritus dixit, est idipsum quod summus spiritus, ut supra demonstratum est. Verbum autem, quo dixit ea quæ facta sunt, est ipsa summus spiritus, ut supra patuit esse probatum. Ergo unum est sibi consubstantiale Verbum quo summus spiritus se dixit, & quo ea dixit quæ fecit. Præterea Verbum, quo se dixit summa sapientia, convenientissimè dici potest Verbum ejus, quo perfectam sibi rerum similitudinem. Verbum enim est imago rei ex cogitatione formata: & ideo idem verbum est verum, quoties vehis rem mente cogites. Iterum: mens rationalis, cùm se cognoscendo intelligit, imaginem suam seu verbum sibi gignit quod a se non nisi voluntate potest separare. Ergo & summa sapientia, cum se dicendo intelligit, gignit consubstantialem sibi similitudinem suam, id est, Verbum suum. Verbum autem dici potest & imago & figura & character ejus: Verbum autem quo creaturam dixit, verbum, non imago, aut figura creaturæ dici non potest, quia est principium ejus essentiæ. Ergo summus spiritus creaturam non dixit Verbo creaturæ, sed suo. Ergo quicquid dixit, Verbo suo dixit. Ergo unico eodemque Verbo dixit seipsum, & omnia quæ fecit.

SEd ecce quærenti mihi de Verbo, quo creator dicit omnia quæ facit, obtulit se Verbum, quo seipsum dicit, qui omnia facit? An ergo alio verbo dicit seipsum, & alio ea quæ facit: aut potius eodem ipso Verbo quo dicit seipsum, dicit quæcunque facit? Nam hoc quoque Verbum, quo seipsum dicit, necesse est idipsum esse quod ipse est: sicut constat de Verbo illo, quo dicit ea quæ facta sunt à se. Cùm enim, etiamsi nihil unquam aliud esset nisi summus ille spiritus, ratio tamen cogat Verbum illud, quo se dicit, ex necessitate esse. Quid verius, quàm hoc Verbum ejus non esse aliud, quàm quod ipse est? Ergo si & seipsum, & ea quæ facit, consubstantiali sibi Verbo dicit: manifestum est quia Verbi, quo se dicit, & Verbi, quo creaturam dicit, una substantia est. Quomodo ergo si una substantia est, duo verba sunt? Sed forsitan

d by Google

forsitan non cogit identitas substantiæ. Verbi unitatem * admittere. Nam idem ipse qui his verbis loquitur, eandem cum illis habet substantiam, & tamen verbum non est. Sed utique Verbum, quo se dicit summa sapientia, convenientissimè dici potest Verbum ejus secundùm superiorem rationem : quia ejus perfectam tenet similitudinem. Nam nullâ ratione negari potest, cùm mens rationalis seipsam cogitando intelligit imaginem ipsius nasci in sua cogitatione : immò ipsam cogitationem sui esse suam * imaginem, ad ejus * similitudinem, tanquam ex ejus impressione formatam. Quamcunque enim rem mens, seu per corporis imaginationem, seu per rationem cupit veraciter cogitare; ejus utique similitudinem, quantùm valet, in ipsa sua * cogitatione conatur exprimere : quod quantò veriùs facit, tantò rem ipsam veriùs cogitat : & hoc quidem, cùm cogitat aliquid aliud quod ipsa non est, & maximè cùm aliquod cogitat corpus, clariùs perspicitur. Cùm enim cogito notum mihi hominem absentem, formatur acies cogitationis meæ in talem imaginem ejus, qualem illam per visum oculorum in memoriam attraxi : quæ imago in cogitatione, verbum est ejusdem hominis, quem cogitando dico. Habet igitur mens rationalis, cùm se cogitando intelligit, secum imaginem suam ex se natam, id est, cogitationem sui ad suam similitudinem, quasi sua impressione formatam : quamvis ipsa se à sua imagine, non nisi ratione solâ, separare possit, quæ imago ejus verbum ejus est. * Hoc itaque modo, quis neget summam sapientiam, cùm se dicendo intelligit, gignere consubstantialem sibi similitudinem suam, id est, Verbum suum? Quod Verbum, licèt de re tam singulariter eminenti propriè aliquid satis convenienter dici non possit; non tamen inconvenienter, sicut similitudo, ita & imago & figura & character ejus dici potest. Verbum autem quo creaturam dicit, nequaquam similiter est verbum creaturæ; quia non est ejus similitudo, sed principalis essentia : consequitur igitur ut ipsam creaturam non dicat verbo creaturæ. Cujus ergo verbo eam dicit, si non dicit eam verbo ejus? Nam quod dicit, verbo dicit; & verbum alicujus est verbum, id est, similitudo. Sed si nihil aliud dicit, quàm se aut creaturam; nihil dicere potest, nisi aut suo, aut ejus verbo. Si ergo nihil dicit verbo creaturæ : quicquid dicit, Verbo suo dicit. Uno igitur eodemque Verbo dicit seipsum, & quæcunque fecit.

Verbum est imago rei ex cogitatione formata : & idèo tanto verius est Verbum, quanto verius rem cognoscit.

Mens rationalis cum se cogitando intelligit, imaginem suam sibi verbum sui producit, à se sola ratione separabilis.

al. Cap. 33.

Verbum, & imago, & figura, & character dici potest.

Verbum, quo creaturam dicit Deus, Verbum, aut imago, aut figura creaturæ dici non potest : sed est principalis ejus essentia.

Quicquid dicit divina sapientia, Verbo suo dicit.

Unde eodemque Verbo dicat seipsum & cuncta quæ fecit.

al. Cap. 34.

CAPUT XXXIV.*

Quomodo suo Verbo videri possit dicere creaturam.

Ipsa est summa ratio, in qua sunt omnia quæ facta sunt. Ergo cum dicat seipsum, dicit omnia quæ facta sunt. Creatura autem in seipsis sunt essentia mutabilis; in ipso sunt ipsa, primâ essentia, & prima existendi veritas.

Sed quomodo tam differentes res, scilicet, creans & creata essentia, dici possunt uno Verbo : præsertim cùm Verbum ipsum sit dicenti coæternum; creatura autem non sit illi coæterna? Forsitan quia * ipse est summa sapientia & summa ratio, in qua sunt omnia quæ facta sunt : quemadmodum opus, quod fit secundùm aliquam artem, non solùm quando fit, verùm & antequam fiat, & postquam dissolvitur, semper est in ipsa arte non aliud, quàm quod est ars ipsa. Idcirco cùm ipse summus spiritus dicit seipsum, dicit omnia quæ facta sunt. Nam & antequam fierent, & cùm jam facta sunt, & cùm corrumpuntur, seu aliquo modo variantur, semper in ipso sunt, non quod sunt in seipsis, sed quod est * idem ipse. Etenim in seipsis sunt essentia * mutabilis, secundùm * immutabilem * rationem creata : in ipso verò sunt ipsa prima essentia, & prima existendi veritas; cui prout magis utcunque illa similia sunt, ita veriùs & præstantiùs existunt. Hoc itaque modo non irrationabiliter asseri potest, quia cùm seipsum dicit summus ille spiritus, dicit etiam quicquid factum est, uno eodemque Verbo.

Ipsa est summa ratio, in qua sunt omnia quæ facta sunt.

al. mutabilem

Creatura in seipsis sunt essentia mutabilis : in ipso sunt ipsa prima essentia, & prima existendi veritas.

CAPUT XXXV.*

al. Cap. 34.

Quòd quicquid factum est, in ejus Verbo & scientia sit vita & veritas.

Omnia quæ sunt in summo spiritu, eadem & eodem modo sunt in Verbo ejus, quia ipsum est ibi substantiale. Ergo omnia sunt in Verbo vita & veritas. Et quandoquidem sive est idem illi quod dicere, sunt omnia sunt in Verbo vita & veritas, ita sunt in scientia ejus.

Verùm cùm constet quia Verbum * ejus consubstantiale est illi, & perfectè simile; necessariò consequitur ut omnia quæ sunt in illo, eadem & eodem modo, sint in Verbo ejus. Quicquid igitur factum est, sive vivat, sive non vivat, aut quomodocumque sit in se, in illo est ipsa vita & veritas. Quoniam autem idem est summo spiritui scire, quod intelligere, sive dicere : necesse est ut eodem modo sciat omnia quæ scit, quo ea dicit aut intelligit. Quemadmodum igitur omnia sunt in Verbo ejus vita & veritas; ita sunt in scientia ejus.

Omnia sunt in Verbo vita & veritas.

CAPUT XXXVI.*

al. pars Cap. 34.

Quam incomprehensibili modo dicat; vel sciat res à se factas.

Cum res in nostra scientia sint non secundùm earum essentias, sed secundùm similitudines earum : verius sunt in ipsa, quam in nostra scientia. Et tamen constat quòd tanto verius sint in Verbo, quàm in seipsis, quanto verius existit creatrix, quàm creata essentia. Quod humana scientia comprehendere non potest.

Qua ex re manifestissimè comprehendi potest quomodo dicat idem spiritus, vel quomodo sciat ea quæ facta sunt, ab humana scientia comprehendi non posse. Nam nulli dubium creatas substantias multò aliter esse in seipsis, quàm in nostra scientia. In seipsis namque sunt per ipsam suam essentiam : in nostra verò scientia, non sunt earum essentiæ; sed earum similitudines. Restat igitur ut tantò veriùs sint in seipsis, quàm in nostra scientia; quantò veriùs sunt alicubi per suam essentiam, quàm per suam similitudinem. * Cum ergo & hoc constet, quia omnis creata substantia tantò veriùs est in Verbo, id est, in intelligentia creatoris, quàm in seipsa; quantò veriùs existit creatrix, quàm creata essentia : quomodo comprehendat humana mens, cujusmodi sit illud dicere & illa scientia, quæ sic longè superior & verior est creatis substantiis; si nostra scientia tam * longè superatur ab illis; quantùm earum similitudo distat ab earum essentia.

al. Cap. 33.

CAPUT XXXVII.*

al. Cap. 34.

*Quòd quicquid ipse est ad creaturam, hoc sit & Verbum ejus : nec tamen ambo * simul pluraliter.*

Summus spiritus per Verbum facit omnia. Ergo & ipsum Verbum facit eadem omnia : quod enim summus spiritus per Verbum facit, per se facit & Verbi summique spiritûs una est essentia, quæ facta est creatrix & prima existendi omnium quæ sunt. Quicquid ergo summus spiritus, est ad creaturam, hoc & Verbum ejus est : & proindè sicut ille est creator, ita & ipsum : nec tamen sunt duo, sed unus creator & unum principium.

Verùm cùm manifestè rationes superiores doceant summum spiritum per Verbum suum fecisse omnia; numquid non & ipsum Verbum fecit eadem omnia? Quoniam enim illi est consubstantiale; cujus est Verbum, necesse est ut sit summa essentia. Summa autem essentia non est nisi una, quæ sola creatrix & solum principium est omnium quæ facta sunt. Ipsa namque sola fecit, non per aliud, quàm per se, omnia ex nihilo. Quare quæcunque summus spiritus facit, eadem & Verbum ejus facit, & * similiter. Quicquid igitur

Summus spiritus per Verbum facit omnia.

Quod per Verbum facit per se facit.

C

summus spiritus est ad creaturam; hoc & Verbum ejus est, & similiter. Nec tamen ambo simul pluraliter: quia non sunt plures creatrices summæ essentiæ. Sicut igitur ille creator est rerum & principium; sic & Verbum ejus: nec tamen sunt duo, sed unus creator, & unum principium.

CAPUT XXXVIII.*

al. Cap. 37.

Quòd dici non possit quid duo sint; quamvis necesse sit esse duos.

Quicquid summus spiritus & Verbum sunt in essentia & ad creaturam, utrumque quòd sit verum, & quod sit creator, hoc unumquodque & utrumque sit omnium: ut tamen non sint duo, aut duæ veritates, aut duo creatores; sed unum sint. Ille tamen, cujus est Verbum, non potest esse verbum sui: nec verbum potest esse ille, cujus est Verbum. Ergo in eo solo quòd ille non est ex ipso, hoc autem est ex illo, admittitur plus unus. Constat ergo quòd sint duo: sed exprimi non potest quid duo sint: nec omnino sunt duo spiritus, nec duo creatores, nec duo verba, nec duæ imagines.

STudiosè itaque attendendum est quiddam, quod, valdè insolitum aliis rebus, in summo spiritu & Verbo ejus videtur evenire. Nam certum est sic unicuique singulatim, & utrisque simul inesse quicquid sunt in essentia, & quicquid sunt ad creaturam: ut & singulatim perfectum sit ambobus: & tamen pluritatem non admittat in duobus. Licèt enim singulatim & ille perfectè sit summa veritas, & creator: & verbum ejus sit summa veritas, & creator: non tamen ambo simul sunt duæ veritates, aut duo creatores. Sed cùm hæc ita sint; miro tamen modo apertissimum est quia nec ille, cujus est Verbum, potest esse Verbum suum: nec Verbum potest esse iste cujus est Verbum; ut in eo quod significat vel quid sint substantialiter, vel quid sint ad creaturam, semper individuam teneant unitatem. In eo verò, quod ille non est ex isto; hoc autem est ex illo; ineffabilem admittant pluralitatem: ineffabilem certè; quamvis enim necessitas cogat, ut sint duo: nullo tamen modo exprimi potest, * quid duo sint. Nam etsi fortè duo pares, aut aliquid aliud similiter adinvicem possint dici; in his ipsis tamen relativis si quæratur, quid sit illud de quo dicuntur, non * potest dici pluraliter, quemadmodum dicuntur duæ pares lineæ, aut duo homines similes. Quippe nec sunt duo pares spiritus, nec duo pares creatores, nec duo aliquid, quod significet eorum aut essentiam, aut habitudinem ad creaturam: sed nec duo aliquid, quod designet propriam habitudinem alterius ad alterum, quia nec duo verba, nec duæ imagines. Verbum namque hoc ipsum quod Verbum est, aut imago, ad alterum est; quia non nisi alicujus Verbum est aut imago: & sic propria sunt hæc alterius, ut nequaquam alteri competentur. Nam ille, cujus est Verbum, aut imago; nec imago, nec Verbum est. Constat * igitur quia exprimi non potest quid duo sint, summus spiritus, & Verbum ejus; quamvis quibusdam singulorum proprietatibus cogantur esse duo. Etenim proprium unius est, esse ex altero: & proprium est alterius, alterum * esse ex illo.

Ille cujus est Verbum, non potest esse Verbum suum nec verbum potest esse ille, cujus est verbum. In eo solo quòd ille non est ex ipso, hoc autem est ex illo admittitur pluralitas.

Constat quòd sint duo: sed exprimi non potest quid duo sint.

al. Cap. 38.

al. pars Cap. 38.

CAPUT XXXIX.*

Quòd idem Verbum sit à summo Spiritu, nascendo.

Verbum summi Spiritus sic ex eo est, quasi idem ipsum de eodem ipso. Et ita perfectum erat, quasi prolis parentis, tenet similitudinem. Ergo non contra naturam cogitari potest ex illo esse, quam nascendo. Et quidem congruentius de illo nasci dicitur; quam multa dicuntur nasci de aliquo à quo habent ut sint, sed eum quæ nullam habent similitudinem: ut capilli qui de capite nasci dicuntur.

QUod ipsum nullo utique verbo videtur familiarius posse proferri, quàm si dicatur proprium esse unius nasci ex altero; & proprium alterius, nasci alterum ex ipso. Certum namque jam constat quia Verbum summi spiritus, non sic est ex eo, quemadmodum ea quæ ab illo facta sunt; sed quemadmodum creator de creatore, summum de summo. Et ut plena brevitate omnimodà absolvatur similitudo, penitus idem ipsum est de eodem ipso, & ita ut nullatenus sit nisi ex eo. Cùm igitur pateat Verbum summi spiritus sic esse ex ipso solo, ut perfectam ejus, quasi proles parentis, teneat similitudinem: nec si esse ex * ipso, ut fiat ab eo: profectò nullo modo convenientiùs cogitari potest ex illo esse, quàm nascendo. Nempe si innumerabiles res indubitanter dicuntur nasci ex his ex quibus habent ut sint; cùm nullam eorum, de quibus nasci dicuntur, teneant similitudinem, sicut proles parentis. Dicimus enim capillos nasci de capite, & poma ex arbore: licèt nec illi capitis, nec illa arboris similia sint. Si, inquam, multa hujusmodi non absurdè dicuntur nasci, tantò congruentiùs dici potest Verbum summi spiritûs ex illo * existere, nascendo; quantò perfectiùs, quasi proles parentis, trahit ejus similitudinem ex illo existendò.

Verbum summi Spiritus sic ex eo quasi proles parentis similitudinem.

Multa dicuntur nasci ex aliquo, eorum quæ non habent similitudinem.

CAPUT XL.*

al. Cap. 39.

*Quòd verissimè ille parens, * illud verè proles.*

Tanto verè ille parens, & ipsum proles dicitur: quanto magis ille ad hanc generationem fuit sufficiens, & ipsum similitudinem ejus exprimit nullâ admixtâ dissimilitudine. Ergo illius proprium est, verissimum esse parentem: istius verò, esse verissimam prolem.

QUod si convenientissimè dicitur nasci, & tam simile est * illi de quo nascitur: cur æstimetur similiter, quasi proles parenti; non potiùs asseratur quia tantò verior est ille parens, & * illud proles; quantò magis & ille ad * hujus nativitatis perfectionem solus sufficit; & quod nascitur, ejus similitudinem exprimit? Namque in rebus aliis, quas parentis prolisque certum est habitudinem habere, nulla sic gignit; ut omnino nullius indigens sola per se ad gignendam prolem sufficiat; nulla sic gignitur, ut nullâ admixtâ dissimilitudine omnimodam similitudinem parentis exhibeat. Si ergo Verbum summi spiritus sic est omnino ex ipsius sola essentia, & sic singulariter est illi simile ut nulla proles sic sit omnino ex sola parentis essentia, aut sic similis parenti: profectò nullis rebus tam convenienter videtur aptari habitudo parentis & prolis, quàm summo spiritui & Verbo ejus. Quapropter illius est proprium verissimum esse parentem; istius verò, verissimam esse prolem.

Verè iste parens, & ipsum proles dicitur.

al. Cap. 40.

CAPUT XLI.*

*Quòd ille verissimè gignat, * illud verissimè gignatur.*

Ergo summi Spiritus est verissime gignere: & Verbi ejus verissime gignere.

AT * hoc constare non poterit, nisi pariter ille verissimè gignat; & istud verissimè gignatur. Sicut igitur illud est perspicuum, ita hoc esse certissimum necesse est. Quare summi spiritûs est verissimè gignere, & Verbi ejus verissimè gigni.

CAPUT XLII.*

al. pars Cap. 40.

Quòd alterius verissimè sit esse Genitorem & Patrem; alterius, genitum & Filium.

Ergo hic Pater, hic Filius est, non verò hic mater, & hic filia dici debet: in quo sic ille in hu sexû differunt; nec quòd ea sine sit ut plurimum sensu carentium: sed potius quia Pater nomen magis quàm mater hanc sonuerit, ut ad gignendum nulla alia causa faciatur: & nomen Filii magis quam filiæ huic congruat, qui similior est Patri: cum Filium semper sit eam similior, quam filia quæ est dispari sexûs.

VEllem jam quidem, & fortè possem, illum esse verissimè Patrem; hoc verò verissimè esse Filium, concludere. Sed nec hoc negligendum

Hic Pater, hic Filius est: non

by Google

vere hic mater, & hæc filia, dari debent.

existimo, an Patris & Filii, & an matris & filiæ magis illis apta sit appellatio: cùm in eis nulla sit sexus discretio. Nam si idcirco convenienter est ille Pater, & proles ejus Filius, quia uterque est spiritus: cur non pari ratione alteri convenit esse matrem, alteri filiam; quia uterque est veritas & sapientia? An quia in his naturis, quæ sexûs habent differentiam, melioris sexûs est patrem esse vel filium; minoris verò, matrem vel filiam? Et hoc quidem naturaliter in pluribus; in quibusdam verò è contrario, ut in quibusdam avium generibus, in quibus * fœmineus sexus semper major & validior est; masculinus verò, minor & infirmior. Aut certè idcirco magis convenit summo spiritui dici Patrem, quàm matrem: quia prima & principalis causa prolis semper est in patre. Nam si maternam causam quolibet modo semper paterna præcedit: nimis est incongruum ut illi parenti * adaptetur nomen matris, cui ad gignendam prolem nulla alia causa aut sociatur, aut præcedit. Verissimum est igitur summum spiritum Patrem esse prolis suæ. Quod si filius semper similior est patri quàm filia: nihil autem similius est alteri, quàm summo Patri proles sua: verissimum est hanc prolem non esse filiam; sed Filium. * Sicut igitur proprium est illius verissimè gignere, istius verò gigni; sic proprium est illius esse verissimum genitorem, istius verò verissimum esse genitum. Et sicut alter est verissimus parens, alter verissima proles: sic alter est verissimus Pater, alter verissimus Filius.

al. Cap. 41.

al. pars Cap. 42.

CAPUT XLIII.*

Retractatio communionis amborum, & proprietatum singulorum.

Ita impossibile est eundem esse qui gignit, & eum qui gignitur: ut tamen necesse sit idem esse illum qui gignit, & eum qui gignitur: & ita aliud est genitor, alius genitus; ut non aliud sit genitor, quàm quod est genitum. Itaque patet quia duo sunt, sed quid duo sunt latet: nec enim sunt duo spiritus, nec duo Patres, nec duo Filii. Sic enim sola relationibus oppositis sunt, ut alter nunquam suscipiat, quod est proprium alterius: & sic concordes natura, ut alter semper teneat alterius essentiam. Unde nec Pater unquam dicitur Filius, nec Filius unquam dicitur Pater: sed in Patre est essentia Filii, & in Filio est essentia Patris.

INventis tot & tantis singulorum proprietatibus, quibus mira quædam tam ineffabilis quàm inevitabilis in summa unitate probatur esse pluralitas; valde mihi videtur delectabile retractare sæpiùs tam impenetrabile secretum. Ecce enim cùm * sic impossibile sit eundem esse qui gignit, & eum qui gignitur; atque eundem esse parentem, & prolem: ut necesse sit alium esse genitorem, alium genitum; & alium esse Patrem, alium Filium: sic * tamen necesse est idem esse illum qui gignit, & illum qui gignitur, nec non parentem & prolem: ut impossibile sit * aliud esse genitorem, quàm quod est genitus; aliud esse Patrem, quàm quod est Filius. * Et cùm ita sit alius ille, & alius ille, ut omnino pateat quod duo sint: sic tamen unum & idem * ipsum est, id quod est ille & ille; ut penitus lateat qui duo sint. Nam sic est alius Pater, alius Filius; ut cùm ambos dixerim, videam me duos dixisse: & sic est idipsum quod est, & Pater & Filius; ut non intelligam quid duos dixerim. Quamvis namque singulus Pater sit perfectè summus spiritus, & singulus Filius sit perfectè summus spiritus: sic tamen unum idemque est * spiritus Pater, & spiritus Filius; ut Pater & Filius non sint duo spiritus, sed unus spiritus; ut sicut singula propria singulorum non recipiunt pluritatem, quia non sunt duorum; ita id quod commune est amborum, individuam teneat unitatem, quamvis totum sit singulorum. Nam sicut non sunt duo patres, aut duo filii; sed unus Pater, & unus Filius, quoniam singula sunt singulorum propria: ità non sunt duo, sed unus spiritus; quamvis & singuli Patris, & singuli Filii, sit perfectum esse spiritum. Sic sunt oppositi relationibus, ut alter nunquam suscipiat proprium alterius: sic sunt concordes naturâ, ut alter semper teneat essentiam alterius. * Sic enim diversi sunt, per hoc quod alter est Pater, & alter Filius; ut nunquam dicatur aut Pater Filius, aut Filius Pater: & sic idem sunt per substantiam, ut semper sit in Patre essentia Filii, & in Filio essentia Patris. Est enim non diversa, sed eadem; non plures, sed una utriusque essentia.

Necesse est idem esse illum qui gignit, & illum qui gignitur: At impossibile est eundem esse qui gignit, & eum qui gignitur.

al. Cap. 41.

Pater quia duo sunt sed quid duo sint, latet.

Nec enim sunt duo spiritus.

Nec duo Patres, nec duo Filii.

Sola relationibus oppositi sunt.

al. Cap. 42.

CAPUT XLIV.*

al. pars Cap. 43.

Quomodo alter alterius sit essentia.

Alter alterius essentia velle dici potest ut summa unitas simplicitasque commendetur communis naturæ. Non tamen dicatur Pater essentia Filii, & Filius essentia Patris; quasi alter non per se, sed per alterum existat: summa enim essentia semper est per se, sicut summa sapientia semper sapit per se. Unde Pater per se est, & pariter Filius per se est; quia Pater est summa essentia, & pariter Filius est summa essentia. Filius quidem est essentia nata de Patris essentia, & sapientia de sapientia: sed non idcirco minùs perfecta est, si hujusmodi enim ipse per se est, & per se sapit. Nec repugnat quod Filium & per se subsistat, & de Patre habeat esse: Nam à Patre habet ut per se sit & per se sapiat: alioquin non esset idem esse Patris & Filii. Denique utrique non aliud est habere essentiam, quàm essentiam esse. Ergo sunt habet alter alterius essentiam: ita aliter est alterius essentia: hoc est, idem esse est alteri, quod est alteri.

UNde etiam si alter alterius dicatur essentia, non erratur à veritate: sed summa unitas simplicitasque commendatur communis naturæ. Non enim quemadmodum intelligitur sapientia hominis, per quam homo sapiens est, qui per se non potest esse sapiens: ita intelligi potest, si dicatur Pater essentia Filii, & Filius essentia Patris; ut * eo modo sit Filius existens per Patrem, & Pater per Filium, quasi non possit alter existens esse nisi per alterum: sicut homo non potest esse sapiens, nisi per sapientiam. Sicut namque * summa sapientia semper sapit per se; ita summa essentia semper est per se. Est autem perfectè summa essentia Pater, & perfectè summa essentia Filius: pariter ergo perfectus Pater per se est, * & pariter perfectus Filius per se est, sicut uterque sapit per se. Non enim idcirco minùs perfecta est essentia vel sapientia Filius, quia est essentia nata de Patris essentia, & sapientia de sapientia: sed tunc minùs perfecta essentia, vel sapientia esset, si non esset per se, aut non saperet per se. Nequaquam enim repugnat ut Filius & per se subsistat, & de Patre habeat esse. Sicut enim Pater habet essentiam, & sapientiam, & vitam in semetipso; ut non per alienam, sed per suam essentiam sit, per suam sapientiam sapiat, per suam vitam vivat: ita gignendo, dat Filio essentiam habere, & sapientiam & vitam in semetipso; ut non per extraneam, sed suam essentiam, sapientiam, & vitam subsistat, sapiat, & vivat: alioquin non erit idem esse Patris & Filii, nec erit par Patri Filius: * quod quàm falsum sit, liquidissimè superiùs pervium est. Quare non repugnat Filium & subsistere per se, & esse de Patre: quia hoc ipsum, id est, per se ipsum posse subsistere, necesse est illum de Patre habere. Nam si quis sapiens suam me * sapientiam, cujus priùs expers essem, doceret; utique hoc ipsa sapientia ejus facere non incongruè diceretur: sed quamvis mea sapientia ab illius sapientia haberet esse & sapere; tamen cùm jam * esset, non nisi suâ * essentiâ esset, nec saperet nisi seipsa. Multò igitur magis æterni Patris coæternus Filius, qui sic habet à Patre esse, ut non sint duæ essentiæ, per se subsistit, sapit, & vivit. Non igitur sic intelligi potest quòd Pater Filii, aut Filius Patris sit essentia; quasi alter non possit subsistere per se sed per alterum; sed ad significandam quam habent communionem summè simplicis, summeque unius essentiæ: sic congruè dici & intelligi potest quia sic est alter idipsum quod alter; ut alter habeat essentiam alterius. Hac itaque ratione, quoniam utique non aliud est habere essentiam, quam essentiam

Filius est essentia nata de Patris essentia, & sapientia de sapientia.

Non repugnat ut Filius per se subsistat, & de Patre habeat esse.

Digitized by Google

esse : sicut habet alter alterius essentiam ; ita est A alter alterius essentia, id est, idem esse est alteri, quod alteri.

al. Cap. 44.

CAPUT XLV.*

Quòd aptiùs dici possit Filius essentia Patris, quàm Pater essentia Filii : & quòd similiter sit Filius Patris virtus, & sapientia ; & similia.

Magis tamen congruit Filium dici essentiam Patris, quàm Patrem dici essentiam Filii : cum enim Filius habeat essentiam à Patre, dici potest habere essentiam Patris, & secundè esse essentia Patris. Sic Filius dicitur Patris virtus, sapientia, veritas, justitia, &c. quia hæc habet à Patre.

QUod licèt secundùm perspectam rationem verum sit : valde tamen magis congruit Filium dici essentiam Patris, quàm Patrem essentiam Filii : B quoniam namque Pater à nullo habet essentiam nisi à seipso ; non satis aptè dicitur habere essentiam alicujus nisi suam : quia verò Filius essentiam suam habet à Patre, & eandem quam habet Pater, aptissimè dici potest habere essentiam Patris. Quare quoniam * neuter aliter habet essentiam, quàm existendo essentia ; sicut aptiùs intelligitur habere Filius Patris essentiam, quàm Pater Filii ; ita convenientiùs dici potest Filius Patris essentia, quàm Pater Filii. Nam hæc una si fiat prolatio, satis acuta brevitate commendat Filium non solùm eandem essentiam habere cum Patre ; sed hanc ipsam habere de Patre : ut * hoc sit, filius est essentia Patris, quod est, Filius est non differens essentia de Patris essentia, immò de * Patre essentia. Similiter ergo est Filius Patris * virtus, & C sapientia, seu veritas, & justitia ; & quicquid summi spiritus convenit essentiæ.

al. Cap. 45.

CAPUT XLVI.*

Quomodo quædam ex his quæ sic proferuntur, aliter quoque possint intelligi.

Filium dici etiam posse intelligentia & sapientia, scientia & cognitio Patris ; quia intelligit, scit, & novit ipsam Patris essentiam. Veritas etiam Patris eo sensu dici potest quia non est imperfecta similitudo, sed integra veritas & ipsa essentia Paternæ substantiæ, & non est aliud quàm quod est Pater.

VIdentur tamen quædam, ex his quæ sic proferri & intelligi possunt, aliam quoque non incongruam sub hac ipsa pronunciatione intelligentiam susD cipere. Liquet enim Filium esse verum verbum, id est, perfectam intelligentiam, sive perfectam totius paternæ substantiæ cognitionem, & scientiam, & sapientiam : id est, quæ ipsam Patris intelligit essentiam, & cognoscit, & scit, & sapit. Si igitur hoc sensu dicatur Filius Patris intelligentia, & sapientia, & scientia, & cognitio, sive notitia ; quoniam intelligit, sapit, scit & novit Patrem : nequaquam à veritate disceditur. Veritas quoque Patris aptissimè dici potest Filius, non solùm eo sensu, quia est eadem Filii veritas quæ est & Patris, sicut jam perspectum est ; sed etiam hoc sensu, ut in eo intelligatur non imperE fecta quædam imitatio, sed integra veritas paternæ substantiæ : quia non est aliud, quàm quod est pater.

Filius dici potest intelligentia, & sapientia, scientia & cognitio Patris ; eo sensu, quia intelligit, sapit, scit, & novit Patrem.

Filius etiam veritas Patris, eo sensu dici potest, quia non est imperfecta similitudo, sed integra veritas & ipsa essentia Paternæ substantiæ.

al. pars Cap. 45.

CAPUT XLVII.*

Quod Filius sit intelligentia intelligentia & veritas veritatis.

Id patet, quia Filius est intelligentia, & scientia, & sapientia, & veritas Paternæ substantiæ, quæ ipsa est intelligentia, & scientia, & sapientia, & veritas.

AT si ipsa substantia Patris est intelligentia, & scientia, & sapientia, & veritas : consequenter colligitur quia sicut Filius est intelligentia, & scientia, & sapientia, & veritas paternæ substantiæ ; ita est intelligentia intelligentiæ, scientia scientiæ, sapientia sapientiæ, & veritas veritatis.

al. Cap. 46.

CAPUT XLVIII.*

Quòd & quomodo Filius sit intelligentia vel sapientia memoriæ ; & memoria Patris & memoria.

Verbum rei est ipsa cogitatio ad ejus similitudinem ex memoria formata. Ergo Verbum ex memoria nascitur. Ergo & Filius Filium dicitur Verbum ; sic Pater, ex quo gignitur, dici potest memoria. Ergo sicut Filius est intelligentia & sapientia Patris, ita est intelligentia & sapientia Paterna memoria. Et quia Filius quicquid sapit & intelligit, ejus & memoria. Filius est memoria Patris, & memoria memoriæ, id est, memoria nascens Patris qui est memoria de nullo nata : Filius vero est memoria nata de memoria, hoc est, de Patre.

DE memoria verò quid sentiendum est ? an æstimandus est Filius intelligentia memoriæ, sive memoira Patris, aut memoria memoriæ ? Equidem cùm summa sapientia sui memor esse negari non possit, nihil competentiùs quàm in memoria Pater, sicut in Verbo Filius intelligitur : quoniam de memoria nasci Verbum videtur, quòd clariùs in nostra mente percipitur. Quoniam namque mens humana non semper se cogitat, sicut sui semper meminit : liquet, cùm se cogitat, quia verbum ejus nascitur de memoria. Unde apparet quia si semper se cogitaret, semper verbum ejus de memoria nasceretur. Rem etenim cogitare, cujus memoriam habemus, hoc est mente eam dicere ; verbum verò rei, est ipsa cogitatio ad ejus similitudinem ex memoria formata. Hinc itaque liquidò animadverti potest de summa sapientia, quæ * sic semper se dicit, sicut semper sui memor est, quia de æterna memoria ejus coæternum Verbum nascitur. Sicut igitur Verbum congruè intelligitur proles : ita memoria, parentis nomen aptissimè suscipit. Si ergo proles, quæ omnino de solo summo spiritu nata est, proles est memoriæ ejus : nihil * consequentius, quàm quia memoria * sua est idem ipse. Quippe non * in eo quòd sui memor est, sic est in * sua memoria, velut alia res in alia ; quemadmodum ea quæ sic sunt in humanæ mentis memoria, ut non sint ipsa * nostra memoria ; sed sic est memor sui, ut ipse memoria sua sit. Consequitur itaque ut quomodo Filius est intelligentia sive sapientia Patris, ita sit & paternæ memoriæ. At quicquid Filius sapit, aut intelligit ; ejus similiter & meminit. Est igitur Filius memoria Patris, & memoria memoriæ ; id est, memoria memor Patris, qui est memoria : sicut est sapientia Patris, & sapientia sapientiæ, id est, sapientia sapiens Patrem sapientiam : & Filius quidem memoria nata de memoria ; sicut sapientia nata de sapientia : Pater verò de nullo nata memoria vel sapientia.

Verbum rei est ipsa cogitatio ad ejus similitudinem ex memoria formata.

al. Cap. 47.

CAPUT XLIX.*

al. pars Cap. 47.

*Quòd summus spiritus se * amet.*

Summus spiritus, sicut sui memor est & se intelligit, ita se amat. Nemo & ipsa mens rationalis se & illum amare posse convincitur ex eo quòd se & illum posse intelligere.

SEd ecce dum hujus Patris Filiique proprietates, communionemque delectabiliter intueor ; nihil delectabilius in illis contemplandum * invenio, quàm mutui amoris affectum. Quàm enim absurdè negetur summus spiritus se amare, sicut sui memor est, & se intelligit ! cùm & mens rationalis & se & illum amare posse convincatur ex eo, quia sui & illius memor esse, & se & illum intelligere potest : otiosa namque, & penitus inutilis est memoria & intelligentia cujuslibet rei ; nisi, prout ratio exigit, res ipsa ametur aut reprobetur. Amat ergo seipsum summus spiritus ; sicut sui meminit, & se intelligit.

Summus spiritus sicut sui memor est, & se intelligit ; ita se amat. Ipsa mens rationalis se & illum amare posse convincitur ex eo quòd se & illum posse intelligere potest.

CAPUT L.

al. Cap. 48.

Quòd idem amor pariter procedat à Patre & Filio.

Patet autem summus spiritus ex eo procedere quia sui memor est & se

Digitized by Google

intelligit : nulla enim res amatur sine ejus memoria & intelligentia. Ergo A *Amor ille procedit à Patre qui est memoria, & à Filio qui est intelligentia.*

PAlàm certè est rationem habenti, eum non * idcirco sui memorem esse aut se intelligere, quia se amat; sed ideo se amare, quia sui meminit, & se intelligit: nec eum se posse amare, si sui non sit memor, aut se non intelligat. Nulla enim res amatur, sine ejus memoria aut intelligentia; & multa tenentur memoriâ, & intelliguntur quæ non amantur. Patet igitur Amorem summi spiritûs ex eo procedere, quia sui memor est, & se intelligit. Quòd si in memoria summi spiritûs intelligitur Pater, in intelligentia Filius; manifestum est quia à Patre pariter & à Filio, summi spiritûs Amor procedit.

al. Cap. 49. CAPUT LI.* B

Quòd uterque pari amore diligat se, & alterum.

Summus spiritus se amat. Ergo Pater se amat, & Filius se amat: & alter alterum amat: summus enim & individuus spiritus est Pater & Filius, & ambo simul sunt unus spiritus. Uterque enim se & alterum intelligit, quia sui & alterius meminit. Et quoniam in utroque quod amat idipsum est quod amatur, uterque pari amore se & alterum diligit.

SEd si se amat summus spiritus, procul dubio se amat Pater, amat se Filius, & alter alterum: quia singulus Pater est summus spiritus & singulus Filius, summus spiritus; & ambo simul, unus spiritus. Et quia uterque pariter sui & alterius meminit; & se, & alterum intelligit: & quoniam omnino idipsum est quod amat, vel amatur * in Patre, & quod in Filio; necesse est ut pari amore uterque diligat se, & alterum.

al. Cap. 50. CAPUT LII.*

C

*Quod tantus sit iste Amor, quantus est ipse * summus spiritus.*

Id constat, quia tantus est amor iste, quantum ille se intelligit: tantùm autem intelligit, quantus est.

QUantus ergo est amor iste summi spiritus, sic communis Patri & Filio? Sed si se tantùm diligit, quantùm sui meminit & se intelligit: tantùm autem sui memor est & intelligit se, quanta est ejus essentia; quod aliter esse non potest: profectò tantus est Amor ejus, quantus ipse est.

al. Cap. 51. CAPUT LIII.

D

Quòd idem Amor sit idipsum quod est summus spiritus; & tamen ipse sit cum Patre & Filio unus spiritus.

Nihil potest esse par summo spiritui nisi summus spiritus. Cùm ergo Amor ille tantus sit, quantus est summus spiritus; liquet quia ille Amor est summus spiritus. Deinde & si nihil unquam existeret quàm summus spiritus: Pater & Filius nihilominus seipsos & invicem diligerent. Ergo Amor ille non est aliud quam quod est Pater & Filius, quod est summa essentia. Denique summa essentia plures esse nequeunt. Ergo utriusque Amor unus est cum Patre & Filio summa essentia. Ergo Amor ipse est summa sapientia, summa veritas, summum bonum, & quicquid de summi spiritûs substantia dici potest.

Amor ipse summus est quantus est summus spiritus. Nihil par est summo spiritui, nisi summus Spiritus. Ergo Amor iste est summus Spiritus.

VErùm quid potest esse par summo spiritui, nisi * summus spiritus? Iste * itaque Amor est summus spiritus. Denique si nulla unquam creatura, id est, si nihil unquam aliud esset, quàm summus spiritus, Pater & Filius; nihilominus seipsos, & invicem Pater & Filius diligerent. Consequitur itaque hunc Amorem non esse aliud, quàm quod est Pater & Filius: quod est summa essentia. At quoniam summæ essentiæ plures esse non possunt: quid magis necessarium, quàm Patrem & Filium, & utriusque Amorem, unam esse summam essentiam? Est igitur idem Amor summa sapientia, summa veritas, summum bonum; & quicquid de summi spiritûs substantia dici potest. E

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

CAPUT LIV. al. Cap. 52.

Quòd totus procedat à patre, totus à filio; & tamen non sit nisi unus amor.

Amor iste non ex eo procedit in quo Pater & Filius plures sunt; sed ex eo in quo sunt unum. Non enim procedit ex relationibus, qua plures sunt, cùm alia sit relatio Patris, & alia relatio Filii: sed ex ipsa sua essentia, quæ pluralitatem non admittit, Pater & Filius emittunt tantum bonum: sic tamen, ut totus à Patre & totus à Filio & totus ab utroque unus idemque procedat: quia à Patre, qui singulus est summus spiritus, non procedit nisi summus Spiritus; & à Filio, qui singulus pariter est summus spiritus, non procedit nisi summus spiritus; & à Patre & Filio, qui non duo sed unus sunt spiritus, non procedit possit nisi unus summus spiritus.

INtuendum est diligenter utrùm sint duo Amores, unus à Patre procedens, alter à Filio: an unus, non totus ab uno procedens; sed partim à Patre, partim à Filio: an nec plures, nec unus partim procedens à singulis; sed unus totus à singulis, & idem totus à duobus simul. Sed hujusmodi dubitationis certitudo hinc indubitanter cognoscitur, quia non ex eo procedit, in quo plures sunt Pater, & Filius; sed ex eo, in quo unum sunt. Nam non ex relationibus suis, quæ plures sunt: alia est enim relatio Patris, alia Filii: sed ex ipsa suâ essentiâ, quæ pluritatem non admittit, emittunt Pater & Filius tantum pariter bonum. Sicut ergo singulus Pater est summus spiritus; & singulus Filius est summs spirituus; & simul Pater & Filius non * duo, sed unus spiritus; ita à singulo Patre manat totus Amor summi spiritûs; & à singulo Filio totus: & simul à Patre & Filio non duo toti, sed unus idemque totus.

Amor ipse non ex eo procedit in quo Pater & Filius sunt plures, hoc est, non ex relationibus.

Sed procedit ex eo, in quo unum sunt.

CAPUT LV.* al. Cap. 53.

Quòd non sit eorum Filius, Amor.

Amor tamen iste nec Patris, nec Verbi, à quibus procedit, est Filius: quia ex eo ab illis procedit, non refert eorum similitudinem: licet eumdem sit quod est Pater & Filius. Deinde si proles eorum est: aut alter eorum erit pater ejus, alter mater, quod repugnat: cum non aliter à patre quàm à Filio procedat: aut uterque pater sive mater ejus est: nulla autem natura admittit duo aliqua quæ singula perfectum & omnino eumdem ad aliquid unum, patris & matris habeant habitudinem.

QUid ergo? cùm hic Amor pariter habeat esse à Patre & Filio; & sic similis sit ambobus, ut nullatenus dissimilis sit illis; sed omnino idem sit quod illi: nunquid Filius eorum, aut proles, æstimandus est? Sed sicut Verbum, mox ut consideratur, se prolem esse ejus, à quo est, evidentissimè probat, promptam * præferendo parentis imaginem: sic Amor apertè se prolem negat; quia dum à Patre & Filio procedere intelligitur, non statim tam perspicuam exhibet se contemplanti ejus, ex quo est, similitudinem: quamvis ipsum considerata ratio doceat omnino idipsum esse, quod est Pater & Filius. Denique si proles eorum est, aut alter eorum erit pater ejus, alter mater: aut uterque pater, sive mater est: quæ omnia veritati repugnare videntur. Quoniam namque nullatenus aliter à Patre procedit, quàm à Filio: nulla veritas patitur ut dissimili vocabulo ad illum Pater & Filius referantur: non est igitur alter pater ejus, alter mater. Ut autem duo aliqua sint, quæ singula perfectam, & nullâ consideratione differentem habeant pariter ad aliquid unum, patris aut matris habitudinem, nulla natura aliquo monstrari concedit exemplo. Ergo non est uterque, scilicet, Pater & Filius, pater aut mater Amoris à se manantis. Nequaquam itaque videtur veritati convenire, ut idem Amor eorum filius sit aut proles.

Repugnat Patrem & Filium duos, duosque patres aut unum patrem, & alterum matrem habere amoris.

CAPUT LVI. al. Cap. 54.

Quòd solus Pater sit genitor, & ingenitus: solus Filius genitus; solus Amor nec genitus, nec ingenitus.

Ergo Amor ipse non potest proprie dici genitus, sicut Verbum: sed nec

omino ingenitus dicendus est; quia non omnino non est ab alio. Hæc itaque soli Patri conveniunt, quod sit genitor & ingenitus: soli Verbo, quòd sit genitum: soli Amori, quòd nec proprie genitus nec omnino ingenitum, sed procedens sit: quia nec proles est nec omnino non est ab alio.

SEd videtur tamen Amor idem, nec omnino, secundùm communis locutionis * usum, dici posse ingenitus; nec ita propriè, sicut Verbum, genitus. Solemus enim sæpe dicere aliquid gigni ex ea re de qua existit: ut cùm dicimus splendorem aut calorem gigni ab igne, seu * aliquod effectum ex causa sua. Secundùm hanc igitur rationem, Amor à summo spiritu exiens, non ominino asseri potest ingenitus: ita verò propriè, sicut Verbum, dici genitus non potest: quia Verbum verissimam esse prolem, & verissimum filium; Amorem verò nullatenus filium aut prolem esse, manifestum est. Potest itaque, immò debet dici solus ille, cujus Verbum est, genitor & ingenitus: quia solus est Pater & parens, & nullo modo ab alio est: solum autem Verbum, genitum; qui solum filius & proles est. Solus verò Amor utriusque, nec genitus, nec ingenitus: quia nec filius * est, nec proles est; nec omnino non est ab alio.

al. Cap. 55.

CAPUT LVII.*

Quòd Amor idem sic sit increatus & creator, sicut Pater & Filius: & tamen ipse cum illis non tres; sed unus increatus, & unus creator. Et quod idem possit dici spiritus Patris & Filii.

Cum Amor iste una eademque sit cum Patre & Filio summa essentia, quæ sola à nullo facta, per se omnia fecit; necesse est sicut Pater & Filius, ita & iste Amor sit increatus & creator: & isti tres, non plures, sed unus sint increatus & unus creator. Patrem itaque nullus facit, sive creat, aut gignit. Filium Pater solus gignit, sed non facit. Pater & Filius non faciunt aut gignunt, sed spirant suum amorem, quia ab eo procedit non discedendo à summa illa essentia, sed existendo ex illa. Hinc summa essentia Spiritus nullo possit appellari. Communio itaque Patris & Filii dici potest, tum quia eamdem habet communio Patri & Filio; tum quia ipse aliud ipsum omnino est, quod Pater & Filius.

QUoniam autem idem Amor singulus est summa essentia, sicut Pater & Filius; & tamen simul Pater, & Filius, & utriusque Amor, non * plures, sed una summa essentia, quæ sola à nullo facta, non per aliud quàm per se omnia fecit: necesse est ut quemadmodum singulus Pater, & singulus Filius est increatus & creator: ita & Amor singulus sit increatus & creator; & tamen omnes tres simul, * non plures, sed unus increatus & unus creator. Patrem itaque nullus facit sive creat, aut gignit: Filium verò Pater solus gignit; sed non facit: Pater autem pariter & Filius non faciunt, neque gignunt; sed quodammodo, si sic dici potest, spirant suum Amorem: quamvis enim non nostro * modo spiret summè incommutabilis essentia; tamen ipsum suum Amorem à se ineffabiliter procedentem, non discedendo ab illa, sed existendo ex illa, forsitan non alio modo videtur posse dici aptiùs ex se emittere, quàm spirando. Quod si dici potest, sicut Verbum summæ essentiæ Filius est ejus; ita ejusdem Amor satis convenienter appellari potest Spiritus ejus: ut cùm essentialiter ipse sit spiritus, sicut Pater & Filius, illi non putentur alicujus spiritus; quia nec Pater ab ullo alio est, nec Filius à Patre quasi spirante nascitur; iste autem æstimetur Spiritus utriusque; quia ab utroque, suo quodam inenarrabili modo, spirante mirabiliter procedit. Qui etiam ex eo quia est Communio Patris & Filii, non absque ratione quasi proprium assumere posse videtur aliquod nomen, quod Patri Filioque commune sit; si proprii nominis exigit indigentia. Quod quidem si fiat, scilicet, ut ipse Amor nomine Spiritûs, quod substantiam pariter Patris & Filii significat, quasi proprio designetur: ad hoc quoque non inutiliter valebit; ut per hoc idipsum esse, quod est Pater & Filius, quamvis ab illis esse suum habeat, intimetur.

Patrem nullus facit, aut gignit. Filium Pater solus gignit, sed non facit. Pater & Filius non faciunt; sed spirant suum amorem.

Spiritus Sanctus Communio Patris & Filii dici potest.

CAPUT LVIII.*

al. Cap. 56.

Quòd sicut Filius est essentia vel sapientia Patris, eo sensu, quia habet eandem essentiam vel sapientiam quàm Pater: sic idem Spiritus sit Patris & Filii essentia & sapientia, & similia.

POtest quoque quemadmodum Filius est substantia, & sapientia, & virtus Patris, eo sensu, quia habet eandem essentiam, & sapientiam, & virtutem, quàm Pater: ita utriusque Spiritus intelligi essentia, vel sapientia, vel virtus Patris & Filii; quia habet omnino eandem, quam habent illi.

CAPUT LIX.*

al. Cap. 57.

Quòd Pater, & Filius, & eorum Spiritus, pariter sint in se invicem.

Hi tres sunt una eadem summa essentia, quæ nec sine se, nec extra se, nec major vel minor seipsa esse potest. Ergo hi tres sunt in se invicem; ita ut nullus alium excedat. Deinde memoria summæ essentiæ tota est in ejus intelligentia & amore; & intelligentia in ejus memoria & amore: & amor in memoria, & intelligentia ejus. Ergo totus Pater qui est memoria, est in Filio, qui est intelligentia, & in Spiritu, qui est amor: & totus Filius est in Patre & Spiritu: & totus Spiritus in Patre & Filio: & nemo illorum non potest esse sine alio.

JOcundum est intueri in Patre, & Filio & utriusque Spiritu, quomodo sint in se invicem tantâ æqualitate, ut nullus alium excedat. Præter hoc enim, quia unusquisque eorum sic est perfectè summa essentia, ut tamen omnes tres simul non sint nisi essentia una summa, quæ nec sine se vel extra se, nec major vel minor seipsâ esse potest: per singulos tamen idipsum non minùs valet probari. Est etenim totus Pater in Filio & communi Spiritu; & Filius in Patre, & eodem Spiritu; & idem Spiritus in Patre, & Filio: quia memoria summæ essentiæ tota est in ejus intelligentia, & in Amore; & intelligentia in memoria & in Amore; & Amor in memoria, & in intelligentia. Totam quippe * suam memoriam summus intelligit spiritus, & amat; & totius intelligentiæ meminit, & totam amat; & totius amoris meminit, & totum intelligit. Intelligitur autem in memoria Pater; in intelligentia Filius; in amore, utriusque Spiritus. Tantâ igitur Pater & Filius, & utriusque Spiritus, æqualitate sese complectuntur, & sunt in se invicem; ut eorum nullus alium excedere, aut sine eo esse probetur.

Hi tres sunt una eadem summa essentia, quæ nec sine se nec extra se, major vel minor seipsa esse potest.

Memoria summæ essentiæ tota est in ejus intelligentia, & in amore; & intelligentia in memoria & in amore: & amor in memoria & intelligentia.

CAPUT LX.*

al. Cap. 58.

Quòd nullus eorum alio indigeat ad memorandum, vel intelligendum, vel amandum: quia singulus quisque est memoria, & intelligentia, & amor, & quicquid necesse est inesse summæ essentiæ.

Nec tamen nullus eorum alio indiget sive ad memorandum, sive ad intelligendum sive ad amandum. Cum enim quisque sit summa essentia, singulus quisque per se est memoria, intelligentia, & amor; & ita singulus quisque per se memorat, per se intelligit, & per se amat: sunt per se ea.

SEd in his nullatenus negligenter memoriæ commendandum, quod intuenti mihi occurrit, existimo. Sic enim necesse est ut Pater intelligatur memoria, Filius intelligentia, Spiritus amor; ut nec Pater indigeat Filio, aut communi Spiritu, nec Filius Patre vel eodem Spiritu, sive idem Spiritus Patre aut Filio: quasi Pater per se meminisse solùm possit, intelligere autem non nisi per Filium, & amare non nisi per suum Filiique Spiritum; & Filius per se intelligere tantùm queat, per Patrem autem memor sit, & per Spiritum suum amet; & idem Spiritus * per se non aliud quàm amare valeat; sed Pater illi sit memor, & Filius illi intelligat. Nam cùm in his tribus, unusquisque singulus sit summa essentia & summa sapientia sit perfecta, ut ipsa per se memor sit, & intelligat, & amet: necesse est ut nullus horum trium alio indi-

Digitized by Google

geat, aut ad memorandum, aut ad intelligendum, aut ad amandum. Singulus enim quisque essentialiter est & memoria, & intelligentia, & amor, & quicquid summæ essentiæ necesse est inesse.

al. Cap. 59.

CAPUT LXI.*

Quòd tamen non sint tres, sed unus, seu Pater, seu Filius, seu utriusque Spiritus.

Quamvis autem Pater sit intelligens & amans; non tamen est Filius, aut utriusque Spiritus; quia non est intelligentia genita, nec amor ab aliquo procedens. Et licet Filius sit memoria & amans; non tamen est alter, aut Spiritus alicujus, quia non est memoria gignens, nec amor ab alio procedens, sicut Spiritus. Sic etsi Spiritus sit memoria & intelligentia, non tamen alter, aut Filius, quia non est memoria gignens, nec intelligentia genita. Unus itaque in summa essentia Pater, unus Filius, unus Spiritus; & non tres Patres, nec tres Filii, nec tres Spiritus.

QUandam hîc video quæstionem occurrere. Nam si Pater ita est intelligentia & amor, sicut est memoria; & Filius sic est memoria & amor, quomodo est intelligentia; & utriusque Spiritus non minùs est memoria & intelligentia, quàm amor: quomodo non est Pater, * Filius, & alicujus Spiritus; & quare non est Filius, Pater & alicujus Spiritus; & cur non est idem Spiritus, alicujus Pater, & alicujus Filius? sic quippe intelligebatur quòd memoria esset Pater, Filius intelligentia, utriusque Spiritus amor. Verùm hæc quæstio non difficilè solvitur, si ea quæ jam ratione inventa sunt, considerentur. Idcirco enim non est Pater Filius, aut * alicujus Spiritus, licet sit intelligentia & amor: quia non est intelligentia genita, aut amor ab aliquo procedens; sed quicquid est, gignens est tantùm, & à quo procedit aliùs. Filius quoque ideo non est Pater, aut alicujus Spiritus; quamvis seipso & memor sit, & amet: quia non est memoria gignens, aut amor ab alio, ad similitudinem sui Spiritûs, procedens; sed quicquid existit, tantùm gignitur, & est à quo Spiritus procedit. Spiritum quoque non cogit esse Patrem aut Filium, hoc, quia contentus est memoria aut intelligentia sua; cùm non sit memoria gignens, aut intelligentia genita; sed solùm, quicquid est, * procedat. Quid igitur prohibet concludi quia unus tantùm est in summa essentia Pater, unus Filius, unus Spiritus; & non tres Patres, aut Filii, aut Spiritus?

Licet Pater intelligentia & amans, non tamen est Filius, aut alicujus Spiritus.

Et licet Filius sit memoria & amans, non tamen est Pater aut Spiritus.

Sic & licet Spiritus sit memoria & intelligentia, non tamen Pater est, aut Filius.

al. Cap. 60.

CAPUT LXII.*

Quomodo ex his tribus plures filii nasci videantur.

Cùm singulus quisque illorum trium se & alios intelligat, ac proinde dicat: videtur quod si quinus quisque produxit suum Verbum seu Filium: & quod proinde quinos fuisse sequatur.

SEd ne fortè repugnet huic assertioni quod intueor: nam dubium esse non debet quia Pater, & Filius, & eorum Spiritus, unusquisque seipsum & alios ambos dicit; sicut se, & alios intelligit. Quòd si ita est: quomodo non sunt in summa essentia tot Verba, quot sunt dicentes, & quot sunt qui dicuntur? Si enim plures homines unum aliquid cogitatione dicant; tot ejus videntur esse verba, quot sunt cogitantes: quia in singulorum cogitationibus verbum ejus est. Item, si unus homo cogitat aliqua plura; tot verba sunt in mente cogitantis, quot sunt res cogitatæ. Sed in * hominis cogitatione, cùm cogitat aliquid quod extra ejus mentem est, non nascitur verbum cogitatæ rei ex ipsa re; quia ipsa absens est à cogitationis intuitu; sed ex rei aliqua similitudine vel imagine, quæ est in cogitantis memoria, aut fortè quæ tunc, cùm cogitat per corporeum sensum ex re præsenti in mentem attrahitur. In summa verò essentia sic * sibi semper sunt præsentes Pater, & Filius, & eorum Spiritus; est enim, sicut jam perspectum est, unusquisque non minùs in aliis, quàm in seipso; ut cùm invicem se dicunt, sic videatur idem ipse, qui dicitur, gignere verbum suum, quemadmodum cùm à seipso dicitur. Quomodo ergo nihil gignit Filius, aut ejus Patrisque Spiritus; si unusquisque eorum verbum gignit suum, cùm à seipso dicitur vel ab alio? Quot autem verba probari possunt de summa nasci substantia, tot eam * necesse est, secundùm superiorem considerationem, filios gignere, & tot emittere spiritus.

al. post Cap. 60.

CAPUT LXIII.*

Quomodò non sit ibi nisi unus unius; hoc est, unum Verbum, & ex solo Patre.

Assumens cum nec plures sint dicentes, nec plura sint quæ dicuntur: sed una sit essentia quæ intelligit & intelligitur; consitat quia neque sunt plures Patres, nec plura Verba, nec plures Filii; sed unus est dicens, sum Pater: & unum Verbum, seu unus Filius. Licet ergo Pater, Verbum, & Spiritus pariter sit & ambos alios dicat; unum solum ibi est Verbum, quod nec ullatenus omnium trium, sed dumtaxat unius ipsorum esse; scilicet Patris, Verbum dici potest. Non enim imago aut Filius est sumet, aut à se procedentis Spiritus. Nam nec ex seipso nec ex procedente à se nascitur; nec seipsum, aut procedentem à se, existendo imitatur. Restat igitur hoc solum Verbum illius solius esse de quo nascendo habet esse, & cujus commodam similitudinem existat.

HAc itaque ratione videntur in illa esse non solùm multi patres, & filii, & procedentes; sed & aliæ necessitudines: aut certè Pater, & Filius, & eorum Spiritus, de quibus jam certissimum est quia verè existunt, non sunt tres dicentes; quamvis singulus quisque sit dicens: nec sunt plura, quæ dicuntur, cùm unusquisque seipsum, & alios duos dicit. Sicut enim summæ sapientiæ inest scire & intelligere; ita utique æternæ incommutabilisque scientiæ & intelligentiæ naturale est, id semper præsens intueri, quod scit & intelligit. Nihil autem aliud est summo spiritui hujusmodi dicere, quàm quasi cogitando intueri; sicut nostræ mentis locutio nihil aliud est, quàm cogitantis inspectio. Certissimum autem jam considerata rationes reddiderunt, quidquid summæ naturæ inest essentialiter, id perfectè convenire Patri, & Filio, & eorum Spiritui, singulatim; & tamen idipsum, si simul dicatur de tribus, non admittere pluralitatem. Cùm ergo constet quia sicut pertinet ad ejus essentiam scientia, & intelligentia; sic ejus scire & intelligere non est aliud quàm dicere, id est, semper præsens intueri quod scit & intelligit: necesse est ut quemadmodum singulus Pater, singulus Filius, & singulus eorum Spiritus, est sciens & intelligens; & tamen hi tres simul, non sunt plures scientes aut intelligentes; sed unus sciens, * & unus intelligens; ita singulus quisque sit dicens; nec tamen * sint tres dicentes simul, sed unus dicens. Hinc illud quoque liquidè cognosci potest quia cùm hi tres dicuntur, vel à seipsis, vel ab invicem, non sunt plura, quæ dicuntur. Quid namque ibi dicitur, nisi eorum essentia? Si ergo illa una sola est; unum solum est, quod dicitur: ergo si unum solum est in illis, quod dicit; & unum, quod dicitur: una quippe sapientia est, quæ in illis dicit, & una substantia quæ dicitur: consequitur non ibi esse plura verba, sed unum. Licèt igitur unusquisque seipsum, & omnes invicem se dicant; impossibile tamen est in summa essentia esse verbum aliud præter illud, de quo jam constat quòd sic nascitur ex eo cujus est Verbum, ut & vera ejus dici possit imago, & verè Filius ejus sit. In quo mirum quiddam & inexplicabile video. Ecce enim cùm manifestum sit unumquemque, scilicet, Patrem, & Filium, & Patris Filiique Spiritum, pariter se & ambos alios dicere, & unum solum ibi esse Verbum; nullatenus tamen ipsum Verbum videtur posse dici Verbum omnium trium, sed tantùm unius eorum. Constat enim ipsum esse imaginem & Filium ejus cujus est verbum: & patet quia nec imago, nec filius suimet, aut à se procedentis Spiritûs congruè dici potest. Nam nec ex seipso, nec ex procedente à se, nascitur: nec seipsum, aut procedentem à se, existendo imitatur. Seipsum quippe non imitatur, nec à se trahit existendi similitudinem; quia imitatio & similitudo non est in uno solo, sed in pluri-

bus : illum verò non imitatur, nec ad ejus similitudinem exiſtit ; quia iſte non habet ab illo eſse, ſed ille ab iſto. * Reſtat igitur hoc ſolum Verbum illius ſolius eſse, de quo naſcendo habet eſse, & ad cujus omnimodam ſimilitudinem exiſtit. Unus ergo Pater, non plures patres ; unus Filius, non plures filii, unus procedens Spiritus, non plures procedentes ſpiritus, ſunt in ſumma eſsentia. Qui cùm ita tres ſint, ut nunquam Pater ſit Filius, aut procedens Spiritus ; nec Filius aliquando ſit Pater, aut Spiritus procedens ; nec unquam Spiritus Patris & Filii ſit Pater, aut Filius, & ſingulus quiſque ſic ſit perfectus, ut nullo indigeat : id tamen quod ſunt, ſic eſt unum ; ut ſicut de ſingulis pluraliter dici non poteſt, ita nec tribus ſimul. Et cùm pariter uhuſquiſque ſeipſum, & omnes invicem ſe dicant ; non tamen ſunt ibi plura verba, ſed unum : & ipſum non ſingulorum, aut omnium ſimul ; ſed unius tantùm.

l. Cap. 61.

CAPUT LXIV. *

al. Cap. 63.

Quòd hoc licet inexplicabile ſit, tamen credendum ſit.

Hoc certiſſimè ſic eſt meus humanus cognoſcat, etiam ſi penetrare nequeat quomodo ſit. Incomprehenſibile eſt quomodo ſumma ſapientia ſciat ea quæ fecit. Ergo multo minus poteſt explicare quomodo ſciat aut dicat ſeipſam.

VIdetur mihi hujus tam ſublimis rei ſecretum tranſcendere omnem intellectûs aciem humani : & idcirco conatum explicandi qualiter hoc ſit, continendum puto. Sufficere namque debere exiſtimo rem incomprehenſibilem indaganti, ſi ad hoc ratiocinando pervenerit, ut eam certiſſimè eſse cognoſcat ; etiamſi penetrare nequeat intellectu, quomodo ita ſit : nec idcirco minùs his adhibendam fidei certitudinem, quæ probationibus neceſsariis, nullâ aliâ repugnante ratione, aſseruntur ; ſi ſuæ naturalis altitudinis incomprehenſibilitate explicari non patiantur. Quid autem tam incomprehenſibile, tam ineffabile, quàm id quod ſupra omnia eſt ? Quapropter ſi ea quæ de ſumma eſsentia hactenus diſputata ſunt, neceſsariis rationibus ſunt aſserta ; quamvis ſic intellectu penetrari non poſſint, ut & verbis valeant explicari ; nullatenus tamen certitudinis eorum nutat ſoliditas. Nam ſi ſuperior conſideratio rationabiliter comprehendit incomprehenſibile eſse, quomodo eadem ſumma ſapientia ſciat ea quæ fecit, de quibus tam multa nos ſcire neceſse eſt : quis explicet quomodo ſciat aut dicat ſeipſam, de qua aut nihil, aut vix aliquid ab homine ſciri poſſibile eſt ? Ergo ſi non eo quòd * ſeipſam dicit, generat Pater, & generatur Filius : *Generationem ejus quis enarrabit !*

Deum quod certo eſſe cognoſcimus, diſcutere non debet quod ſit, etiamſi non comprehendatur quomodo ſit.

Incomprehenſibile eſt quomodo ſumma ſapientia ſciat ea quæ ſecit.

Iſa. 53.

CAPUT LXV. *

al. pars Cap. 64.

Quomodo de ineffabili re verum diſputatum ſit.

Hoc autem licet ineffabile ſit ſecundum proprietatem ; nihil prohibet verum eſse quod hactenus de ſumma natura diſputatum eſt per enigmata, imaginem ac ſimilitudinem. Quæcunque namque, quæ de illa natura dicuntur, non tam illius proprietatem monſtrant, quàm ſimilitudinem : ſignificant enim quod in rebus factis conſpicimus : nec tamen falſum eſt quod per verba de ipſa intimatur vel æſtimatur. Quod de ipſa cognoſcitur, verum eſt : licet non eatenus cognoſcatur quod ipſa verè eſt.

SEd rurſum, ſi ita ſe ratio ineffabilitatis illius habet, imò quia ſic eſt : quomodo ſtabit quicquid de illa * ſecundùm Patris, & Filii, & Spiritus procedentis habitudinem diſputatum eſt ? Nam ſi verà illud ratione explicitum eſt : qualiter eſt illa ineffabilis ? Aut ſi * ineffabilis eſt : quomodo eſt ita, ſicut diſputatum eſt ? An quodantenus de illa potuit explicari : & ideo nihil prohibet eſse verum quod diſputatum eſt. Sed quia penitus non potuit comprehendi, idcirco eſt ineffabilis. Sed ad illud quid reſponderi poterit, quod jam ſupra in hac ipſa diſputatione conſtitit : quia ſic eſt ſumma eſsentia ſupra & extra omnem aliam naturam, ut ſi quando de illa dicitur aliquid verbis, quæ communia ſunt aliis naturis, ſenſus nullatenus ſit communis ? Quem enim ſenſum in omnibus his verbis, quæ cogitavi, intellexi niſi communem & uſitatum ? Si ergo uſitatus ſenſus verborum alienus eſt ab illa ; quicquid ratiocinatus ſum, non pertinet ad illam. Quomodo igitur verum eſt inventum eſse aliquid de ſumma eſsentia ; ſi quod eſt inventum, longè diverſum eſt ab illa ? Quid ergo ? An quodammodo inventum eſt aliquid de incomprehenſibili re ; & quodammodo nihil perſpectum eſt de ea ? Sæpe namque multa dicimus, quæ propriè ſicut ſunt non exprimimus ; ſed per aliud ſignificamus id quod propriè aut * nolumus, aut non poſsumus depromere : ut cùm per ænigmata loquimur. Et ſæpe videmus aliquid, non * propriè quemadmodum res ipſa eſt ; ſed per aliquam ſimilitudinem aut imaginem : ut cùm vultum * alicujus conſideramus in ſpeculo. Sic quippe unam eandemque rem dicimus, & non dicimus ; videmus & non videmus : dicimus, & videmus per aliud ; non dicimus, & non videmus per ſuam proprietatem. * Hac itaque ratione nihil prohibet & verum eſse quod diſputatum eſt hactenus de ſumma natura ; & ipſam tamen nihilominus ineffabilem perſiſtere : ſi nequaquam illa putetur per eſsentiæ ſuæ proprietatem expreſsa ; ſed utcumque per aliud deſignata. Nam quæcumque nomina de illâ naturâ dici poſse videntur ; non tam mihi eam oſtendunt per proprietatem, quàm per aliquam innuunt ſimilitudinem. Etenim cùm earumdem vocum ſignificationes cogito, familiariùs concipio mente quod in rebus factis conſpicio, quàm id quod omnem humanum intellectum tranſcendere intelligo : nam valde minùs aliquid, immò longè aliud in mente mea ſuâ ſignificatione conſtituunt, quàm ſit illud ad quod intelligendum per hanc tenuem ſignificationem mens ipſa mea conatur proficere. Nam nec nomen ſapientiæ mihi ſufficit oſtendere illud, per quod omnia facta ſunt de nihilo, & ſervantur à nihilo : nec nomen eſſentiæ mihi valet exprimere illud, quod per ſingularem altitudinem longè eſt ſupra omnia, & per naturalem proprietatem valde eſt extra omnia. Sic ergo illa natura & ineffabilis eſt ; quia per verba, ſicuti eſt nullatenus valet intimari : & falſum non eſt, ſi quid de illa, ratione docente, per aliud velut in ænigmate poteſt æſtimari.

al. Cap. 63.

Quæcunque nomina de illa natura dicuntur, non tam illius proprietatem monſtrant, quàm ſimilitudinem.

CAPUT LXVI. *

al. Cap. 64.

Quòd per rationalem mentem maximè accedatur ad cognoſcendum ſummam eſſentiam.

Nihil itaque de illa natura poſſit percipi per proprietatem, ſed per aliud. Ergo tanto altius Creatrix eſſentia cognoſcitur, quanto per propinquiorem ipſi creaturam indagatur. Sicut itaque ſola mens rationalis ad ejus inveſtigationem aſſurgere valet ; ita eadem ſola eſt, per quam maximè ipſamet ad ejus inventionem proficere queat : quia hæc illi maxime propinquat. Unde quanto ſtudioſius mens ad ſe diſcutiendam ſecundùm, tanto efficacius ad illius ſummæ eſſentiæ cognitionem aſſurgit : & quanto ſe ipſius negligit, tanto à creatricis eſſentiæ ſpeculatione & amore deficit.

CUm igitur pateat quia nihil de hac natura poſſit percipi per ſuam proprietatem, ſed per aliud ; certum eſt quia per illud magis ad ejus * cognitionem acceditur, * quod illi magis per ſimilitudinem propinquat. Quicquid enim inter creata conſtat illi eſse ſimilius, id neceſse eſt eſse naturâ præſtantius. Quapropter id & per majorem ſimilitudinem plus juvat mentem indagantem ſummæ veritati propinquare ; & per excellentiorem creatam eſſentiam plus docet quid de creante mens ipſa debeat æſtimare. Procul dubio itaque tantò altiùs creatrix eſſentia cognoſcitur ; quantò per propinquiorem ſibi creaturam indagatur. Nam quòd omnis eſſentia, inquantum eſt, intantum ſit ſimilis ſummæ eſſentiæ, ratio jam ſuprà conſiderata dubitare non permittit. Patet itaque quia ſicut ſola eſt mens rationalis inter omnes creaturas, quæ ad ejus inveſtigationem aſſurgere valeat : ita nihilominus eadem ſola eſt, per quam maximè ipſamet ad ejuſdem

Quod eſt illi ſimilius, id eſt naturâ præſtantius.

Sola mens rationalis illam inveſtigare valet.

zed by Google

Quomodo singulus mens ad se discendum intendit: tanto efficacius ad illius summæ essentiæ cognitionem ascendit.

ejusdem inventionem proficere queat. Nam jam cognitum est quia hæc illi maximè per naturalis essentiæ propinquat similitudinem. Quid igitur apertiùs, quàm quia mens rationalis quantò studiosiùs ad se discendum intendit; tantò efficaciùs ad illius cognitionem ascendit: & quantò seipsam intueri negligit; tantò ab ejus speculatione descendit?

al. Cap. 65.

CAPUT LXVII.*

Quòd mens ipsa speculum ejus, & imago ejus sit.

Quoniam sibi mens & sui & hujus summæ essentiæ memor & intelligens & amans est potest: sola ea in sola vera est imago illius essentiæ, quæ per sui memoriam, intelligentiam, & amorem, in Trinitate ineffabili consistit. Maximè autem in hoc mens est similis summæ essentiæ quod possit reminisci, intelligere & amare id quod optimum & maximum est, hoc est, summam essentiam.

B

APtissimè* igitur ipsa sibimet esse velut speculum dici potest, in quo speculetur, ut ita dicam, imaginem ejus quam facie ad faciem videre nequit. Nam si mens ipsa sola ex omnibus quæ facta sunt, sui memor & intelligens & amans esse potest: non video cur negetur esse in illa vera imago illius essentiæ, quæ per sui memoriam, & intelligentiam, & amorem in Trinitate ineffabili consistit. * Aut certè inde verius esse illius se probat imaginem: quia illius potest esse memor, illam intelligere & amare. In quo enim major est, & illi similior; in eo verior illius esse imago cognoscitur. Omnino autem cogitari non potest rationali creaturæ naturaliter esse datum aliquid tam præcipuum, tamque simile summæ sapientiæ, quàm hoc, quia potest reminisci, & intelligere, & amare id quod optimum & maximum est omnium. Nihil igitur aliud est inditum alicui creaturæ, quod sic præferat imaginem creatoris.

In hoc maxime mens est similis summæ sapientiæ quod possit reminisci, & intelligere & amare id quod optimum & maximum est.

al. pars Cap. 65.

CAPUT LXVIII.*

Quòd rationalis creatura ad amandum illam facta sit.

Ergo mens rationalis nihil tantùm studere debet, quàm hanc imaginem naturaliter sibi impressam, per voluntarium effectum exprimere. Ergo cum præcipuum quid possit, si reminisci & intelligere, & amare summam bonum: id præcipuè debet velle: quæ enim meliora sunt in potestate, ea magis esse debent in voluntate. Deinde non aliud est esse rationalem, quam posse discernere justum à non justo, verum à non vero, bonum à non bono, magis bonum à minùs bono. Frustra autem ipse potest nisi quod discernit. amet vel reprobet, secundùm verè discretionis judicium: magis videlicet vel minus amando quid magis vel minus bonum esse judicet. Ergo rationalis creatura ad hoc facta est, ut summam essentiam, quæ est summum bonum, amet super omnia bona: imò ut nihil amet nisi illam, quia illa est bona per se, & nihil est bonum nisi per illam.

COnsequi itaque videtur quòd rationalis creatura nihil tantùm debet studere, quàm hanc imaginem sibi per naturalem potentiam impressam, per voluntarium effectum exprimere. Etenim præter hoc, quòd creanti se debet hoc ipsum quod est: * hinc quoque, quia nihil tam præcipuum posse, quàm reminisci & intelligere & amare summum bonum, cognoscitur; nimirum nihil tam præcipuè debere velle convincitur. Quis enim neget quæcumque meliora sunt in potestate, ea magis esse debere in voluntate? Denique rationali naturæ non est aliud esse rationalem, quam posse discernere justum à non justo, verum à non vero, bonum à non bono, * magis bonum à minùs bono: hoc autem posse omnino inutile est illi & supervacuum, nisi quod discernit amet vel reprobet secundùm veræ discretionis judicium. * Hinc itaque satis *patenter videtur omne rationale ad hoc existere, ut sicut ratione discretionis aliquid * magis, vel minùs bonum sive non bonum judicat; ita magis, aut minùs id amet, aut respuat. Nihil * igitur apertius quàm rationalem creaturam ad hoc esse factam, ut

Quo meliora sunt posse, ea magis esse debent in voluntate.

al. Cap. 66.

Rationalis creatura ad

hoc facta est, ut summam essentiam, quæ est summum bonum, amet super omnia bona. Imò ut nihil amet nisi illam, quia illa est bona per se, & nihil est bonum nisi per illam.

summam essentiam amet super omnia bona, sicut ipsa est summum bonum: imò ut nihil amet nisi illam, aut propter illam; quia illa est bona per se, & nihil aliud est bonum nisi per illam. Amare autem eam nequit, nisi ejus reminisci, & eam studuerit intelligere. Clarum est ergo rationalem creaturam, totum suum posse & velle ad memorandum, & intelligendum, & amandum summum bonum impendere debere, ad quod ipsum esse suum se cognoscit habere.

CAPUT LXIX.* al. Cap. 67.

Quòd anima semper illam amans, aliquando verè beatè vivat.

At anima humana est rationalis creatura: Ergo ad hoc facta est ut amet summam essentiam; & eo dem fine fiet. Nefas enim est æstimare quod summa sapientia enim ad hoc fecerit ut aliquando vel sponte vel violenter hunc amorem amittat. Restat igitur eam esse ad hoc factam, ut sine fine amet summam essentiam. At hoc facere non potest, nisi semper vivat. Sic igitur est facta ut semper vivat, si semper velit facere ad quod facta est. Deinde Deo bono non convenit ut quod fecit esse ad se amandum, id faciat non esse, quamdiu verè amaverit; & quod sponte dedit non amanti, ut semper amaret, id auferat vel auferri permittat amanti, ut ex necessitate non amet: cum dubitari non debeat quod ipse omnem naturam se verè amantem amet. Ergo liquet humanæ naturæ nunquam auferri suam vitam, si semper studeat amare summam vitam. Sed absurdum est ut aliqua natura semper amando illum qui est summè bonus & omnipotens, semper miserè vivat. Ergo anima humana, quia rationalis est, ad hoc est facta ut si servet id ad quod facta est, aliquando securo à morte & ab omni molestia beatè vivat.

DUbium autem non est animam humanam esse rationalem creaturam: ergo necesse est eam esse factam ad hoc ut amet summam essentiam. Necesse est igitur eam esse factam aut ad hoc, ut sine fine amet; aut ad hoc, ut aliquando vel sponte, vel violenter hunc amorem amittat. Sed nefas est æstimare summam sapientiam ad hoc eam fecisse, ut aliquando tantum bonum, aut contemnat, aut volens tenere aliquâ violentiâ perdat. Restat igitur eam esse ad hoc factam, ut sine fine amet summam essentiam. * At hoc facere non potest nisi semper vivat. Sic igitur est facta ut semper vivat, si semper velit facere ad quod facta est. Deinde inconveniens nimis est summè bono, summèque sapienti, & omnipotenti Creatori, ut quod fecit esse ad se amandum, id faciat non esse; quamdiu verè amaverit; & quod sponte dedit non amanti, ut semper amaret, id auferat vel auferri permittat amanti, ut ex necessitate non amet; præsertim cùm dubitari nullatenus debeat quòd ipse omnem naturam se verè amantem amet. Quare manifestum est, humanæ animæ nunquam auferri suam vitam, si semper studeat amare summam vitam. Qualiter ergo vivet? Quid enim magnum est longa vita, nisi sit à molestiarum incursione verè secura? Quisquis enim dum vivit, aut timendo, aut patiendo molestiis subjacet, aut falsâ securitate fallitur, quid nisi miserè vivit? Si quis autem ab his * liber vivit, beatè vivit. Sed absurdissimum est ut aliqua natura semper amando illum, qui est summè bonus & omnipotens, semper miserè vivat. Liquet igitur humanam animam hujusmodi esse, ut si servet id ad quod est, aliquando verè secura ab ipsa morte & omni alia molestia beatè vivat.

Necesse est animam humanam, quia rationalis est creatura, factam esse ut sine fine amet summam essentiam.

Deo bono non convenit, ut quod fecit ad se amandum, id faciat non esse, quamdiu verè amaverit.

Humana anima nunquam auferetur sua vita, si semper studeat amare summam vitam.

al. Cap. 68.

CAPUT LXX.*

*Quòd illa se amanti seipsam * retribuat, ut æternè beata sit.*

Repugnat enim, qui justissimus est, non discernere inter amantem & contemnentem id quod summè amari debet: & cum non amare amantem se, aut nihil prodesse ab eo amari. Ergo repugnat eum nihil retribuere amanti se. Ac hujus amoris, quo rationalis creatura alia amatur, nihil potest esse præmium nisi quod superemineat in omnibus natura: bonum enim quod se se amari exigit, non modo se desiderari urget. Nihil ergo summa bonitas retribuere potest amanti ac desideranti se, nisi seipsam. Si enim vult amari ut aliud retribuat: non vult amari propter se, sed propter aliud, & ita non se, sed aliud vult amari. Constat ergo quia o quo il-

D

Digitized by Google

lam, ut debet, desideraverit, summâ perfruetur beatitudine: & quod illam nunquam amittet, quia nec illam potest non amare, nec illo amatem se posse deserere. Ergo aeterne beata erit.

DEnique nullatenus verum videri potest, ut justissimus & potentissimus nihil retribuat amanti se perseveranter; cui non amanti * tribuit essentiam, ut amans esse posset. Si enim nihil retribuit amanti, non discernit justissimus inter amanten, & contemnentem id quod summè * amari debet; nec amat amantem se; aut non prodest ab illo amari: quæ omnia ab illo dissonant: retribuit igitur omni se amare perseveranti. Quid autem retribuit? Si nihilo dedit rationalem essentiam, ut amans esset; quid dabit amanti, si amare non cesset? Si tam grande est, quod amori famulatur; quàm grande est, quod amori recompensatur? Et si tale est amoris fulcimentum, quale est amoris emolumentum? Nam si rationalis creatura, quæ sibi inutilis est sine hoc amore, si eminet in omnibus creaturis: utique nihil potest esse præmium hujus amoris, nisi quod supereminet in omnibus naturis. Etenim ipsum idem bonum, quod sic se amari exigit, non minùs se ab amante desiderari * cogit. Nam quis sic amet justitiam, veritatem, beatitudinem, incorruptibilitatem, ut his frui non appetat? Quid ergo summa bonitas retribuet amanti & desideranti se, nisi seipsam? Nam quicquid aliud tribuat, non retribuit: quia nec compensatur amori, nec consolatur amantem, nec satiat desiderantem. Aut si se vult amari & desiderari, ut aliud retribuat; * non se vult amari & desiderari propter se, sed propter aliud: & sic non vult se amari, sed aliud: quod * cogitare nefas est. Nihil ergo verius, quàm quòd omnis anima rationalis, si, quemadmodum debet, studeat amando desiderare summam beatitudinem; aliquando illam ad fruendum percipiat: ut quod nunc videt quasi *per speculum & in aenigmate* tunc videat *facie ad faciem*. * Utrùm autem eâ sine fine fruatur, dubitare stultissimum est: quoniam illâ fruens nec timore torqueri poterit, nec fallaci securitate decipi, nec ejus * indigentiam jam experta; illam poterit non amare; nec illa deseret amantem se; nec aliquid erit potentius, quod eas separet invitas. Quare quæcumque anima summâ beatitudine semel frui cœperit, æternè beata erit.

Summa bonitas nihil potest retribuere amanti & desideranti se, nisi seipsam.

al. Cap. 69.

al. pars Cap. 69.

CAPUT LXXI.*

Quòd illam contemnens, aeternè misera sit.

E contrario qui summi boni amorem contemnunt, aeternè miseri erunt: nam vel injusti esse, vel in aeterna eos miseria. Non sufficit autem ad poenam, quod non sit, esse enim potest culpam id quod ante culpam fuit: & sic justitia non discerneret inter id quod nullum bonum potest, & nullum malum vult, & id quod maximum bonum potest, & maximum malum vult. In aeterna ergo eos miseria, si summam essentiam amare contemnant.

HInc utique consequenter colligitur, quod illa, quæ summi boni amorem contemnit, æternam miseriam * incurret. Nam si dicitur quòd pro tali contemptu sic justiùs puniatur, ut ipsum esse, vel vitam perdat; quia se non utitur ad id ad quod est facta; nullatenus hoc admittit ratio, ut, post tantam culpam, pro pœna recipiat esse quod erat ante omnem culpam. Quippe antequam esset, nec culpam habere, nec pœnam sentire poterat. Si ergo anima contemnens id ad quod facta est, sic moritur, ut nihil sentiat, aut * ut omnino nihil sit; similiter se habebit, & in maxima culpa, & sine omni culpa; nec * discernet summè sapiens * justitia inter id quod nullum bonum potest, & nullum malum vult; & id quod maximum bonum potest, & maximum malum vult. At hoc satis patet quàm inconveniens sit. * Nihil igitur videri potest consequentius, & nihil credi debet certius, quàm hominis animam sic esse factam, ut si contemnat amare summam essentiam, æternam patiatur

Qui summi boni amorem contemnit, aeternè miser erit.

al. Cap. 70.

A miseriam: ut sicut amans, æterno gaudebit præmio; ita contemnens, æternâ pœnâ doleat: & sicut illa sentiet immutabilem sufficientiam; ita ista sentiat inconsolabilem indigentiam.

CAPUT LXXII.*

al. pars Cap. 70.

Quod omnis anima humana sit immortalis. Et quòd aut semper misera, aut aliquando verè beata sit.

Verum nec aeternè beata, nec aeternè misera esset anima, si esset mortalis. Ergo immortalis est. Omnes autem animae sunt ejusdem naturae: ergo omnes sunt immortales, cum saltem aliquae immortales sint. Porro omne quod vivit, aut nunquam, aut aliquando erit verè securum ab omni molestia: ergo omnis anima humana aut semper misera erit, aut erit aliquando vere beata.

B SEd nec amantem animam, necesse est æternè beatam esse; nec contemnentem, miseram; si sit mortalis. Sive igitur amet, sive contemnat id ad quod amandum creata est, necesse est eam immortalem esse. Si autem aliquæ sunt animæ rationales, quæ nec amantes, nec contemnentes judicandæ sint, sicut esse videntur animæ infantum, quid de his sentiendum est? Sunt-mortales, an immortales? Sed procul dubio omnes humanæ animæ ejusdem naturæ sunt. Quare, quoniam constat quasdam esse immortales; necesse est omnem humanam animam esse immortalem. Verùm cùm omne quod vivit, aut nunquam, aut aliquando sit verè securum ab omni molestia; nihilominus est necesse omnem humanam animam, aut semper miseram esse, aut aliquando verè beatam.

Anima non est mortalis.

Omnis anima, rationalis aut aeternè beata, aut aeternè misera erit: praesumptum boni amoris, vel contemptu.

CAPUT LXXIII.*

al. Cap. 71.

*Quod nulla anima injustè privetur summo bono, & quod omnino ad ipsum sit * nitendum.*

Qua autem sint animae sic amantes, ut aliquando beatae; aut sic contemnentes, ut aliquando miserae futurae sint, comperiri non potest ab homine. Sufficiat quod summè justus neminem injustè privet summo bono. Ad illud itaque unus homo toto corde, tota anima, tota mente amando & desiderando nitendum est.

QUæ verò animæ incunctanter judicandæ sint, sic amantes * id, ad quod amandum factæ sunt, ut illo quandoque frui; quæ autem sic contemnentes, ut illo semper indigere mereantur; aut qualiter, quòve merito illæ, quæ nec amantes, nec contemnentes dici posse videntur, ad beatitudinem æternam miseriamve distribuantur, aliquem mortalium disputando posse comprehendere, procul dubio vel difficillimum vel impossibile existimo. Quòd tamen à summè justo summéque bono creatore rerum nulla eo bono, ad quod facta est, injustè privetur, * certissimè est tenendum: & ad idem ipsum bonum est omni homini toto corde, totâ animâ, totâ mente amando & desiderando nitendum.

Quae aliquando beatae, aut quae aliquando miserae futurae sint comprehendi non potest ab homine. Sufficiat quòd summè justus neminem injustè privet summo bono. Ad illud totis viribus nitendum est.

CAPUT LXXIV.*

al. Cap. 72.

Quòd summa essentia sit speranda.

Ad illud verò tendere nemo potest, si ad illud se posse pervenire desperet. Ergo praeter amorem necessaria est spes.

E SEd in hac intentione humana anima nullatenus se poterit exercere, si desperet quo intendit se posse pervenire. Quapropter quantùm illi est utile studium * amittendi, tantùm necessaria est spes pertingendi.

Praeter amorem Dei necessaria est spes.

Digitized by Google

al. pars Cap. 71.

CAPUT LXXV.*

Quòd credendum sit in illam, hoc est, credendo tendendum in illam.

Amare autem aut sperare non potest, quod non credit. Ergo & fides ea ipsa est qua non modo summam essentiam & ea sine quibus amari non potest, credatur; sed qua credendo tendat in illam. In illam enim credere est credo de tenere in illam. Ergo non videtur in illam qui per hoc quod credit, non ad illam tendit. Qui ve o credendo in illam tendit, ad illam fortasse pervenit ut autem illam permanserit fit. Unde aptius dicitur credendum & tendendum esse in illam, quàm credendum aut tendendum esse ad illam.

Est summa essentia & fides.

AMare autem, aut sperare non potest quod non credit. Expedit itaque eidem humanæ animæ summam essentiam, & ea sine quibus illa amari non potest, credere; * ut illam credendo, tendat in illam. Quod idem aptè brevisque * significari posse puto, si pro eo quod est credendo tendere in summam essentiam, dicatur credere in summam essentiam. Nam si quis dicat se credere in illam, satis videtur ostendere, & perfidem quam profitetur, ad summam se tendere essentiam; & illa se credere, quæ ad hanc pertinent intentionem: nam non videtur credere in illam, sive qui credit quod ad tendendum in illam non pertinet; sive qui per hoc quod credit, non ad illam tendit. * Et fortasse indifferenter dici potest, credere in illam, & ad illam: sicut pro eodem accipi potest credendo tendere in illam, & ad illam: nisi quia quisquis tendendo ad illam pervenerit, non extra illam remanebit, sed intra illam permanebit. Quod expressiùs & familiariùs significatur, si dicitur tendendum esse in illam; quàm si dicitur, ad illam. Hac itaque ratione puto congruentiùs posse dici credendum esse in illam; quàm ad illam.

Credere in Deum, hoc est credendo tendere in illum.

al. Cap. 73.

Non credit in illam, qui per hoc quod credit, non ad illam tendit.

Aptius dicitur credendum esse in illam, quam credendum esse ad illam.

al. Cap. 74.

CAPUT LXXVI.*

Quòd in Patrem, & Filium, & eorum Spiritum pariter, & in singulos, & simul in tres credendum sit.

Sic credendum est, quia ipse tres & singulus eorum est una summa essentia: in unam solam omne homo debet credere, & ut hæc sola est omnis sumus quæ in omne cogitatu, atlusque sue homo per amorem debet intendere. Quemadmodum autem in illam tendere, nisi credat illam, nullus potest, ita illam credere, nisi tendat in illam, nulli prodest.

CRedendum igitur est pariter in Patrem, & Filium, & eorum Spiritum, & in singulos: & simul in tres: quia & singulus Pater, & singulus Filius, & singulus eorum Spiritus est summa essentia: & simul Pater, & Filius, cum suo Spiritu sunt una eademque summa essentia, in quam solam omnis homo debet credere: quia est solus finis, quem in omni cogitatu actuque solo per amorem debet intendere. Unde manifestum est quia sicut in illam tendere, nisi credat illam, nullus potest: ita illam credere, nisi tendat in illam, * nulli prodest.

Summa essentia est solus finis quem in omni cogitatu actuque sub homo per amorem debet intendere.

Sicut in illam tendere nisi credat illam, nullus potest: illam credere, nisi tendat in illam, nulli prodest.

al. Cap. 75.

CAPUT LXXVII.*

Quæ sit viva, quæ mortua fides.

Ergo fides sine dilectione inutilis est, & quasi mortuum aliquid. Fides vera cum dilectione non est otiosa: nam quod summum justitiæ diligit, nihil justum contemnere, nihil valet injustum admittere. Ergo & operosa fides vivere, quæ habet vitam dilectionis sine qua non operaretur; & otiosa fides mortua dicitur quia non habet vitam quam semper habere debet. Vera viva fides ea dicitur quæ credit in id, in quod credi debet: mortua vero fides, ea quæ credit tantùm id, quod credi debet.

Fides sine dilectione inutilis est, & quasi mortua.

QUapropter quantacumque certitudine credatur tanta res; inutilis erit fides, & quasi mortuum aliquid, nisi dilectione valeat & vivat. Etenim nullatenus fidem illam, quam competens comitatur dilectio, si se opportunitas * offerat operandi, otiosam esse; sed * magis se quadam operum exercere frequentiâ, quod sine dilectione facere non posset, vel hoc solo probari potest; quia quod summam justitiam dirigit, nihil justum contemnere, nihil valet injustum admittere. Ergo quoniam quod aliquid operatur, inesse sibi vitam, sine qua operari non valeret, ostendit: non absurdè dicitur & operosa fides vivere, quia habet vitam dilectionis, sine qua non operaretur; & otiosa fides non * vivere, quia caret vitâ dilectionis, cum qua non otiaretur. Quare si cæcus dicitur, non tantùm qui perdidit visum; sed qui * cùm debet habere, non habet: cur non similiter potest dici *fides sine dilectione*, *mortua* non quia vitam suam, id est, dilectionem perdiderit; sed quia non habet, quam semper habere debet? Quemadmodum igitur illa fides, *quæ per dilectionem operatur*, viva esse cognoscitur: ita illa, quæ per contemptum otiatur, mortua esse convincitur. Satis itaque convenienter dici potest viva fides credere in id, in * quod credi debet; mortua verò fides credere tantùm, id quod credi debet.

non est scripta.

Viva fides credit in id quod credi debet: mortua fides credit tantùm id quod credi debet.

al. Cap. 76.

CAPUT LXXVIII.*

Quòd tres summa essentia quodammodo dici possit.

Omni homini expedit ut credat in trinam unitatem, & unam Trinitatem; unam propter essentiam, trinam, propter tres nescio quid. Dici enim non potest quid sint tres personæ, quæ ipsæ plures sunt. Non enim sunt tres substantiæ, quot personæ, ut in hominibus, qui quot personæ, tot individuæ sunt substantiæ. Itaque in summa essentia sicut non sunt plures substantiæ, ita nec plures personæ. Sola ergo indigentiâ nominis, quo pluralitas in essentia una significatur, dicimus esse tres personas sive substantias in una summa essentia seu natura. Individua maximè substant accidentibus: unde magis proprie nomen substantiæ suscipiunt: & ita summa essentia, quæ nulli subest accidentibus, non potest proprie dici substantia, nisi substantia teneatur pro essentia. Hac ratione irreprehensibiliter illa summa & una Trinitas dici potest una essentia, & tres personæ, sive tres substantiæ.

ECce patet omni homini expedire ut credat in quamdam ineffabilem trinam Unitatem, & unam Trinitatem: Unam quidem, & Unitatem, propter unam essentiam; trinam verò, & Trinitatem, propter tres, nescio quid. Licet enim possim dicere Trinitatem, propter Patrem, & Filium, & utriusque Spiritum, qui sunt tres; non tamen * possum proferre uno nomine, propter quid tres; velut si dicerem, propter tres personas; sicut * dicerem unitatem, propter unam substantiam. Non enim putandæ sunt tres personæ: quia omnes plures personæ sic subsistunt separatim ab invicem; ut tot necesse sit esse substantias, quot sunt personæ: quod in pluribus hominibus, qui quot personæ, tot individuæ sunt substantiæ, cognoscitur. Quare in summa essentia, sicut non sunt plures substantiæ; ita nec plures personæ. Si quis itaque inde velit alicui loqui, quid tres; dicet esse Patrem, & Filium, & utriusque Spiritum: nisi fortè indigentiâ nominis propriè convenientis coactus elegerit * aliquod ex illis nominibus, quæ pluraliter in summa essentia dici non * possunt, ad significandum id quod congruo nomine dici non potest: ut si dicat illam admirabilem Trinitatem esse unam essentiam, vel naturam; & tres personas, sive substantias. Nam hæc duo nomina aptiùs eliguntur ad significandam pluralitatem in summa essentia: quia persona non dicitur, nisi de individua rationali natura; & substantia principaliter dicitur de individuis, quæ maximè in pluralitate * subsistunt. Individua namque maximè substant, id est, subjacent accidentibus: & ideo magis propriè nomen substantiæ suscipiunt. Unde jam suprà manifestum est summam essentiam, quæ nullis subjacet accidentibus, propriè non posse dici substantiam; nisi substantia ponatur pro essentia. Potest ergo hac necessitatis ratione irreprehensibiliter illa summa & una Trinitas, sive trina Unitas, dici una essentia, & tres personæ, sive tres substantiæ.

Dici non potest quid sint tres personæ, quæ plures sunt.

Non sunt tres substantiæ, quot personæ.

In summa essentia non sunt plures personæ, id est plures individuæ substantiæ.

Sed indigentiâ nominis, quo pluralitas in essentia una significatur, dicimus esse in summa essentia tres personas seu tres substantias.

Summa essentia, quæ nullis subjacet accidentibus, non potest proprie dici substantia.

Digitized by Google

al. pour Cap. 66.

CAPUT LXXIX.*

Quòd ipsa sit Deus, qui solus omnibus dominatur & omnia regit.

Huic soli summæ essentiæ, quæ omnibus dominatur & omnia regit, proprie nomen Dei assignatur. Deus enim omnis non intelligitur nisi substantia quæ est supra omnem naturam ab hominibus veneranda propter dignitatem, & exoranda propter imminentem quamlibet necessitatem. Sicut autem à summè bono, summèque sapiente spiritu facta sunt omnia: ita ipse solus bonus dominatur, & omnia regit. Ergo non ab alio, nec casu aliquo regnantur. Is ergo solus est quem omnis alia natura debet diligendo venerari, de quo sola prospera sunt speranda, ad quem solum ab adversis est fugiendum, cui soli pro quavis re supplicandum. Hic ergo solus verè est & dicitur Deus, ineffabiliter trinus & unus.

Summa hæc essentia ipsa est quæ dominatur Deus. Deus omnis non intelligitur nisi substantia, quæ est supra omnem naturam, ab hominibus veneranda, & exoranda.

VIdetur ergo, immò incunctanter asseritur quia * nec nihil est id quod dicitur Deus: & huic soli summæ essentiæ propriè nomen Dei assignatur. Quippe omnis qui Deum esse dicit, sive unum sive plures; non intelligit nisi aliquam substantiam, quam censet supra omnem naturam, quæ Deus non est, ab hominibus & venerandam, propter ejus eminentem dignitatem; & exorandam sibi, * propter quamlibet imminentem necessitatem. * Quid autem

a Cap. 67.

A tam pro sua dignitate venerandum, & pro qualibet re deprecandum; quàm summè bonus, & summè potens Spiritus, qui dominatur omnibus, & regit omnia? Sicut enim constat quia omnia per summè bonam, summèque sapientem omnipotentiam ejus facta sunt, & vigent; ita nimis * inconveniens est, si æstimetur quòd rebus à se factis ipse non dominetur; sive quòd factæ ab illo, ab alio minùs potente, minusve bono, vel sapiente; aut nullà penitus ratione, sed solà casuum inordinatà vòlubilitate regnantur: cùm ille solus sit, per quem cuilibet, & sine quo nulli bene est, & *ex quo, & per quem, & in quo sunt omnia.* Cùm igitur solus sit ipse, non solùm bonus Creator, sed & potentissimus Dominus, & sapientissimus rector omnium: liquidissimum est hunc solum esse, quem omnis alia B natura, secundùm totum suum posse, debet diligendo venerari, & venerando diligere; de quo solo * prospera sunt speranda, ad quem solum * ab adversis fugiendum, cui soli pro quavis re supplicandum. Verè igitur hic est non solùm Deus; sed solus Deus, ineffabiliter trinus & unus.

Non ab alio, nec casu aliquo regnantur. Is ergo solus est quem omnis alia natura debet diligendo venerari; de quo sola prospera sunt speranda, ad quem solum adversis fugiendum; cui soli pro quavis re supplicandum.

Digitized by Google

SANCTI ANSELMI
PROSLOGION:
SEU ALLOQUIUM
DE DEI EXISTENTIA.

PROOEMIUM.

POSTQUAM * opusculum quoddam, velut exemplum meditandi de ratione fidei, cogentibus me precibus quorumdam Fratrum, in persona alicujus tacitè secum ratiocinando quæ nesciat * investigantis edidi: considerans illud esse multorum concatenatione contextum argumentorum, cœpi mecum quærere si fortè posset inveniri unum argumentum, quod nullo alio ad se probandum, quàm se solo indigeret; & solum ad astruendum quia Deus verè est, & quia est summum bonum nullo alio indigens, & quo omnia indigent ut sint & * bene sint; & quæcumque credimus de divina substantia, sufficeret. Ad quod cùm sæpe studioseque * cogitationem converterem, atque aliquando mihi videretur jam capi posse quod quærebam, aliquando mentis aciem omnino fugeret: tandem desperans volui cessare, velut ab inquisitione rei, quam inveniri esset impossibile. Sed cùm illam cogitationem, ne mentem meam frustra occupando, ab aliis, in quibus proficere possem, impediret, penitus à me vellem excludere: tunc magis ac magis, * nolenti & defendenti se cœpit cum importunitate quadam ingerere. Quadam igitur die, cùm vehementer ejus importunitati resistendo fatigarer, in ipso cogitationum conflictu sic se obtulit quod desperaveram, ut studiosè cogitationem amplecterer, quam solicitus repellebam. Æstimans igitur quod me gaudebam invenisse, si scriptum esset alicui legenti placiturum, de hoc ipso & de quibusdam aliis, sub persona conantis * erigere mentem suam ad contemplandum Deum, & quærentis intelligere quod credit, subditum scripsi opusculum. Et quoniam nec istud, nec illud, cujus suprà memini, dignum libri nomine, aut cui auctoris præponeretur nomen, judicabam; nec tamen eadem * sine aliquo titulo, quo aliquem, in cujus manus venirent, quodammodo ad se legendum invitarent, dimittenda putabam; unicuique * suum dedi titulum: ut prius, exemplum meditandi de ratione fidei: & sequens, fides quærens intellectum, diceretur. Sed cùm jam à pluribus * cum his titulis utrumque * transcriptum esset, coëgerunt me plures, & maximè Reverendus Archiepiscopus Lugdunensis, Hugo nomine, fungens in Gallia legatione Apostolicâ, qui mihi hoc ex Apostolica præcepit autoritate, ut nomen meum illis præscriberem. Quod ut aptiùs fieret, illud quidem Monologium, id est, Soliloquium: istud verò Proslogion, id est, Alloquium nominavi.

* Monologion.

Una argumento invenienda probandi quod Deus sit, & quæcunque de Deo credimus.

Difficultas operis.

Hic finxit sub persona contemplantis Deum & quærentis intellectum quod credit.

Unde opusculum hoc titulum dederit: Fides quærens intellectum.

Unde Proslogion, id est, Alloquium hoc erit nomen impositum.

CAPUT PRIMUM.

Excitatio mentis ad contemplandum Deum.

Abjicis curas, & omnia præter Deum excludis: ut Deum quæras.

AGE nunc homuncio, fuge paululùm occupationes tuas, absconde te modicùm à tumultuosis cogitationibus tuis. Abjice nunc onerosas curas, * & postpone laboriosas distensiones tuas. Vaca aliquantulùm Deo, & requiesce aliquantulùm in eo. Intra in cubiculum mentis tuæ; exclude omnia præter Deum, & quæ * te juvent ad quærendum eum; & clauso ostio quære eum. Dic nunc, totum cor meum, dic nunc Deo: Quæro vultum tuum, *vultum tuum*; *Domine, requiro.* Eia nunc ergo, tu Domine Deus meus, doce cor meum ubi & quomodo te quærat, ubi & quomodo te inveniat. Domine, si non es hîc; ubi te quæram absentem? Si * autem ubique es; cur non video * te præsentem? Sed certè habitas lucem inaccessibilem. Et ubi est lux inaccessibilis, aut quomodo accedam ad lucem inaccessibilem? Aut quis me ducet, * & inducet in illam; ut videam te in illa? Deinde, quibus signis, qua facie te quæram? Nunquam te vidi, Domine Deus meus;

Digitized by Google

non novi faciem tuam. Quid faciet, altissime Domine, quid faciet * iste tuus longinquus exul? Quid faciet servus tuus anxius amore tui, & longè projectus à facie tua? Anhelat videre te; & nimis abest illi facies tua. Accedere ad te desiderat; & inaccessibilis est habitatio tua. Invenire te cupit; & nescit locum tuum. Quærere te affectat; & ignorat vultum tuum. Domine, Deus meus es, & Dominus meus es; & nunquam te vidi. Tu me fecisti & refecisti, & omnia mea bona tu mihi contulisti; & nondum novi te. Denique ad te videndum factus sum; & nondum feci propter quod factus sum. O misera sors hominis, cùm hoc perdidit ad quod factus est. O durus, & dirus casus ille! Heu! quid perdidit, & quid invenit? quid abscessit, & quid remansit? Perdidit beatitudinem, ad quam factus est; & invenit miseriam, propter quam factus non est: abscessit, sine quo * nihil felix est; & remansit, quod per se non nisi miserum est. Manducabat tunc homo panem Angelorum, quem nunc esurit; manducat nunc panem dolorum, quem tunc nesciebat. Heu publicus luctus hominum: universalis planctus filiorum Adæ! Ille ructabat saturitate; nos suspiramus esurie. Ille abundabat; nos mendicamus. Ille feliciter tenebat; & miserè deseruit; nos infeliciter egemus, & miserabiliter desideramus; & heu, vacui remanemus. Cur non nobis custodivit, cùm facilè posset, quo tam graviter * careremus? Quare sic nobis obseravit lucem, & obduxit nos tenebris? Ut quid abstulit nobis vitam, & influxit mortem? Ærumnosi, unde sumus expulsi, quò sumus impulsi? Unde præcipitati? Quo obruti? A patria in exilium: à visione Dei in cæcitatem nostram: à jocunditate immortalitatis, in amaritudinem & horrorem mortis. Misera mutatio de quanto bono in quantum malum! Grave damnum, gravis dolor, grave totum. Sed heu me miserum, unum de aliis miseris filiis Evæ, elongatis à Deo! Quid incœpi? Quid effeci? Quò tendebam? Quò deveni? Ad quid aspirabam? In quibus suspiro? Quæsivi bona; & ecce turbatio. Tendebam in Deum; & offendi in meipsum. Requiem quærebam in secreto meo; & tribulationem & dolorem inveni in intimis meis. Volebam ridere à gaudio mentis meæ; & cogor rugire à gemitu cordis mei. Sperabatur lætitia; & ecce unde dentur suspiria. Et ô tu, Domine, usquequo? Usquequo, Domine, obliviscēris nos, usquequo avertis faciem tuam à nobis? Quando respicies, & exaudies nos? Quando illuminabis oculos nostros, & ostendes nobis faciem tuam? Quando restitues te nobis? Respice, Domine, exaudi, illumina nos, ostende nobis teipsum. Restitue te nobis, ut bene sit nobis; sine quo tam malè est nobis. Miserare labores, & conatus nostros ad te, qui nihil valemus sine te. Invitas nos; adjuva nos. Obsecro, Domine, ne desperem suspirando; sed respirem sperando. Obsecro, Domine, amaricatum est cor meum suâ desolatione: * indulca illud tuâ consolatione. Obsecro, Domine, esuriens incœpi quærere te; ne desinam jejunus de te: famelicus accessi; ne recedam impastus. Pauper veni ad divitem, miser ad misericordem; ne redeam vacuus & contemptus. Et si antequam comedam suspiro; da, vel post suspiria, quod comedam. Domine, incurvatus non possum nisi deorsum aspicere; erige me, ut possim sursum intendere. Iniquitates meæ supergressæ * caput meum, obvolvunt me; & sicut onus grave, gravant me. Evolve me, exonera me; ne urgeat puteus earum os suum super me: liceat mihi * suspicere lucem tuam, vel de longè, vel de profundo. Doce me quærere te, & ostende te quærenti: quia nec quærere te possum, nisi tu doceas; nec invenire, nisi te ostendas. Quæram te desiderando, desiderem quærendo, inveniam amando, amem inveniendo. Fateor, Domine, & gratias ago, quia creasti in me hanc imaginem tuam, ut tui memor sum, te cogitem, te amem: sed sic est abolita attritione vitiorum, sic est obfuscata fumo peccatorum; ut non possit facere ad quod facta est, nisi tu renoves & reformes eam. Non tento, Domine, penetrare altitudinem tuam; quia nullatenus comparo illi intellectum meum: sed desidero aliquatenus intelligere veritatem tuam, quam credit & amat cor meum. Neque * enim quæro intelligere, ut credam: sed credo, ut intelligam. Nam & hoc credo quia nisi credidero, non intelligam.

Homo ad videndum Deum factus est.

Quid homo perdidit & quid invenit.

Perdidit beatitudinem ad quam factus est; & invenit miseriam propter quam factus non est.

Bonum non custodivit, cùm facilè posset.

Sine Deo malè est nobis.

Labores & conatus nostri sunt irriti sine Deo.

Deum homo quærere non potest, nisi ipse doceat; nec invenire, nisi ipse se ostendat.

Deus tamen creavit ad imaginem suam, ut sui memor sit, ipsum cogitet & ipsum amet.

Homo fidelis non quærit intelligere ut credat; sed credit, ut intelligat: quia nisi credideret, non intelligeret.

CAPUT II.

Quòd verè sit Deus: etsi insipiens dixit in corde suo, non est Deus.

ERgo, Domine, qui das fidei intellectum, da mihi, ut, quantùm scis expedire, intelligam quia es, sicut credimus; & hoc es, quod credimus. Et quidem credimus te esse aliquid, quo nihil majus cogitari possit. An ergo non est aliqua talis natura, quia *dixit insipiens in corde suo, non est Deus?* Sed certè * idem ipse insipiens, cùm audit hoc ipsum quod dico, aliquid quo majus nihil cogitari potest; intelligit quod audit, & quod intelligit in intellectu ejus est; etiam si non intelligat illud esse. Aliud est * enim rem esse in intellectu: aliud intelligere rem esse. Nam cùm pictor præcogitat quæ facturus est, habet quidem in intellectu; sed nondum esse intelligit, quod nondum fecit. Cùm verò jam pinxit; & habet in intellectu, & intelligit esse quod jam fecit. Convincitur ergo etiam * insipiens esse vel in intellectu aliquid, quo nihil majus cogitari potest: quia hoc cùm audit, intelligit; & quicquid intelligitur, in intellectu est. Et certè id, quo majus cogitari nequit, non potest esse in intellectu solo. Si * enim vel in solo intellectu est; potest cogitari esse & in re: quod majus est. Si ergo id, quo majus cogitari non potest, est in solo intellectu; idipsum, quo majus cogitari non potest, est quo majus cogitari potest: sed certè hoc esse non potest. Exstat ergo procul dubio aliquid, quo majus cogitari non valet, & in intellectu, & in re.

Psal. 13. v. 1.

CAPUT III.

Quòd Deus non possit cogitari non esse.

QUod utique sic vere est, ut nec cogitari possit non esse. Nam potest cogitari esse aliquid quod non possit cogitari non esse; quod majus est, quàm quod non esse cogitari potest. Quare si id, * quo majus nequit cogitari, potest cogitari non esse: idipsum quo majus cogitari nequit, * non est id quo majus cogitari nequit: quod convenire non potest. Sic ergo verè est aliquid quo majus cogitari non potest; ut nec cogitari possit non esse: & hoc es tu, Domine Deus noster. Sic ergo verè es, Domine Deus meus, ut nec cogitari possis non esse; & meritò. Si enim aliqua mens posset cogitare aliquid melius te, ascenderet creatura super Creatorem, & judicaret de Creatore: quod valde est absurdum. Et quidem quicquid est aliud præter solum te, potest cogitari non esse. Solus igitur verissimè omnium, & ideo maximè omnium habes esse: quia quicquid aliud est, non sic verè * est, & idcirco minùs habet esse. Cur itaque *dixit insipiens in corde suo, non est Deus?* cùm * tam in promptu sit rationali menti, te maximè omnium esse. Cur, nisi quia stultus & *insipiens?*

Deus est id quo majus cogitari non potest.

Id quod potest cogitari non est, non est Deus.

CAPUT IV.*

Quomodo insipiens dixit in corde suo, quod cogitari non potest.

VErùm quomodo dixit * insipiens in corde suo quod cogitare non potuit: aut quomodo cogi-

Digitized by Google

Dicere in corde idem est ac cogitare.

tare non potuit, quod dixit in corde? cùm idem sit dicere in corde, & cogitare. Quod si verè, imò quia verè & cogitavit, quia dixit in corde; & non dixit in corde, quia cogitare non potuit; non uno tantùm modo dicitur aliquid in corde * vel cogitatur. Aliter enim cogitatur res, cùm vox eam significans cogitatur: aliter cùm idipsum, quod res est, intelligitur. Illo itaque modo potest cogitari Deus non esse: isto verò, minimè. Nullus quippe intelligens id quod * sunt ignis & aqua, potest cogitare ignem esse aquam secundùm rem; licet hoc possit, secundùm voces. Ita igitur nemo intelligens] id quod Deus est, potest cogitare quia Deus non est; licet hæc verba dicat in corde, aut sine ulla, aut cum aliqua extranea significatione. Deus enim est id quo majus cogitari non potest. Quod qui benè intelligit, utique intelligit idipsum sic esse, ut nec cogitatione queat non esse. Qui ergo intelligit sic esse Deum, nequit eum non esse cogitare. Gratias tibi, bone Domine, gratias tibi: quia quod priùs credidi, te donante; jam sic intelligo, te illuminante; ut si te esse nolim credere, non possim non intelligere.

Duobus modis res cogitatur. 1. cùm vox eam significans cogitatur. 2. cùm ipsa res intelligitur.

Secundum rem, Deus potest cogitari non esse. Secundum rem, non potest.

CAPUT V.

*Quòd Deus sit quicquid melius est esse, quàm non esse; & solus existens per se, omnia * facias de nihilo.*

QUid * igitur es, Domine Deus, quo nihil majus valet cogitari? Sed * quid es, nisi id * quod summum omnium solum existens per seipsum, omnia alia fecit de nihilo? Quicquid enim hoc non est, minus est quam quod * cogitari possit: sed hoc de te cogitari non potest. Quod ergo bonum deest summo bono, per quod est omne bonum? Tu es itaque justus, verax, beatus, & quicquid melius est esse quàm non esse: melius namque est esse justum, quàm non-justum; beatum, quàm non-beatum.

Nullum bonum deest summo bono, per quod est omne bonum.

CAPUT VI.

*Quomodo * Deus sit sensibilis, cùm non sit corpus.*

VErùm cùm melius sit * te esse sensibilem, omnipotentem, misericordem, impassibilem, quàm non esse: quomodo es sensibilis, si non es corpus: aut omnipotens, si non omnia potes: aut misericors simul & impassibilis? Nam si sola * corporea sunt sensibilia; quoniam sensus circa corpus, & in corpore sunt: quomodo es sensibilis, cùm non sis corpus; sed summus Spiritus, qui corpore melior est. Sed si sentire non est nisi cognoscere, aut non nisi ad cognoscendum; qui enim sentit, cognoscit secundùm sensuum proprietatem; ut per visum colores, per gustum sapores: non inconvenienter dicitur aliquo modo sentire, quicquid aliquo modo cognoscit. Ergo, Domine quamvis non sis corpus; verè tamen eo modo summè sensibilis es, quo summè omnia cognoscis: non quo animal corporeo sensu cognoscit.

Deus est sensibilis, omnipotens, misericors, impassibilis: quia melius est hoc esse, quàm non esse.

Non improprie dicitur aliquo modo sentire, quo aliquo modo cognoscit.

CAPUT VII.

Quomodo sit omnipotens, cùm multa non possit.

SEd & omnipotens quomodo es, si non omnia potes? Aut si non potes corrumpi, nec mentiri, nec facere verum * esse falsum: ut, * quod factum est, non esse factum, & plura similiter: quomodo potes omnia? * aut hæc posse, non est potentia; sed impotentia. Nam qui hæc potest, quod sibi non expedit, & quod non debet, potest: quæ quantò magis potest, tantò magis adversitas & perversitas possunt in illum, & ipse minùs contra illas. Qui ergo sic potest, non potentiâ potest; sed impotentiâ. Non enim ideo dicitur posse, quia ipse possit; sed quia sua impotentia facit aliud in se posse: sive aliquo genere loquendi; sicut multa impropriè dicuntur, ut cùm ponimus *esse*, pro *non esse*; & *facere*, pro eo quod est *non facere*, aut pro *nihil facere*. Nam sæpe dicimus ei, qui rem aliquam esse negat: *sic est, quemadmodum dicis esse*: cùm magis propriè videatur dici: *sic non est, quemadmodum dicis non esse*. Item dicimus; *iste sedet, sicut ille facit*: aut, *iste quievit sicut ille facit*: cùm sedere sit quiddam non facere, & quiescere sit nihil facere. Sic itaque cùm quis dicitur habere potentiam faciendi aut patiendi quod sibi non expedit, aut quod non debet; impotentia intelligitur per potentiam; quia quo plus habet hanc potentiam, eo adversitas & perversitas in illum sunt potentiores, & ille contra eas impotentior. Ergo, Domine Deus, inde verius es omnipotens, quia potes nihil per impotentiam, & nihil * potest contra te.

Corrumpi aut mentiri posse, non potentia est, sed impotentia.

Deus potest nihil per suam potentiam & nihil potest contra ipsum.

CAPUT VIII.

Quomodo sit misericors, & impassibilis.

SEd & misericors simul & impassibilis quomodo es? Nam si es impassibilis, non compateris: si non compateris, non est tibi miserum cor ex compassione miseri; quod est esse misericordem. At si non es misericors, unde miseris est tanta consolatio? Quomodo ergo es, & non es, misericors, Domine; nisi quia es misericors secundùm nos, & non es secundùm te? Es quippe secundùm sensum nostrum, & non es secundùm tuum. Etenim cùm tu respicis nos miseros, nos sentimus misericordis effectum; tu non sentis affectum. Et misericors es igitur, quia miseros salvas, & peccatoribus tuis parcis; & misericors non es, quia nulla miseriæ * compassione afficeris.

Deus est misericors secundùm nos, qui sentimus misericordis effectum.

Deus non est misericors secundùm se, qui non sentit compassionis affectum.

CAPUT IX.

Quomodo totus justus, & summè justus parcat malis, & quòd justè misereatur malis.

VErùm malis quomodo parcis; si es totus justus, & summè justus? Quomodo enim totus justus & summè justus facis aliquid non justum? Aut quæ justitia est, merenti mortem æternam dare vitam sempiternam? Unde ergo, bone Deus, bone bonis & malis, unde tibi salvare malos; si hoc non est justum, & tu non facis aliquid non justum? An quia bonitas tua est incomprehensibilis, latet hoc in luce inaccessibili quam inhabitas? Verè in altissimo & secretissimo bonitatis tuæ latet fons unde manat fluvius misericordiæ tuæ. Nam cùm totus & summè justus sis; tamen idcirco etiam malis benignus es, quia totus summè bonus es. Minùs namque bonus esses, si nulli malo esses benignus. Melior enim est, qui & bonis & malis bonus est; quàm qui bonis tantùm est bonus: & melior est, qui malis & puniendo & parcendo est bonus; quàm qui puniendo tantùm. Ideo ergo misericors es, quia totus & summè bonus es. Et cùm forsitan videatur cur bonis bona, & malis mala retribuas: illud certè penitus est mirandum, cur tu totus & summè justus, & nullo egens, malis & reis tuis bona tribuas. O altitudo bonitatis tuæ, Deus, & videtur unde sis misericors, & non pervidetur! Cernitur unde flumen manat, & non * perspicitur fons unde nascatur. Nam & de plenitudine bonitatis est, quia peccatoribus tuis pius es; & in altitudine bonitatis tuæ * latet, qua ratione hoc es. Etenim licèt bonis bona, & malis mala, ex bonitate retribuas; ratio tamen justitiæ hoc postulare videtur. Cùm verò malis bona tribuis; & scitur quia summè bonus hoc facere voluit, & mirum est cur summè justus hoc velle potuit. O misericordia, * de * quàm opulentâ dulcedine, & dulci opulentiâ nobis profluis?

Melior est qui bonis & malis bonus est, quàm qui bonis tantùm.

Cùm Deus sit summe justus, latet ratio de ejus misericordia.

Deus ideo est summe misericors, quia summe justus est.

igitized by Google

O immensitas bonitatis Dei, quo affectu amanda es peccatoribus? Justos enim salvas, justitiâ comitante; istos verò liberas, justitiâ * dominante. Illos, meritis adjuvantibus; istos, meritis repugnantibus. Illos, bona quæ dedisti cognoscendo; * istos, mala quæ odisti ignoscendo. O immensa bonitas, quæ sic omnem intellectum excedis, veniat super me misericordia illa, quæ de tanta opulentiâ tui procedit. Influat in me, quæ * profluit de te. Parce per clementiam; ne ulciscaris per justitiam. Nam etsi difficile sit intelligere quomodo misericordia tua non absit à tua justitia: necessarium tamen est credere quia nequaquam adversatur justitiæ, quod exundat ex bonitate, quæ nulla est sine justitia, imò verè concordat justitiæ: Nempe si misericors *non es, nisi quia es summè bonus; & summè bonus non es, nisi quia es summè justus: verè idcirco es misericors, quia summè justus es. Adjuva me, justè, * & misericors Deus, cujus lucem quæro; adjuva me, ut intelligam quod dico. Verè ergo ideo misericors es, quia justus. Ergone misericordia tua nascitur ex justitia tua? Ergone parcis malis ex justitia? Si sic est, Domine, si sic est, doce me quomodo est? An quia justum est te sic esse bonum, ut nequeas intelligi melior; & sic potenter operari, ut non possis cogitari potentior? Quid enim hoc justius? Hoc utique non fieret; si esses bonus, tantùm retribuendo, & non parcendo: & si * faceres de non bonis tantùm bonos, & non etiam de malis. Hoc itaque modo justum est ut parcas malis, & ut facias bonos de malis. Denique, quod non justè fit, non debet fieri; & quod non debet fieri, injustè fit. Si ergo non justè malis misereris, non debes misereri. Et si non debes misereri, injustè misereris. Quod si nefas est dicere; fas est credere te justè misereri malis.

justos salvat, justitiâ comitante: peccatores liberat, justitiâ dominante.

Deus parcit malis ex justitia: quia justum est ut Deus, quo nemo melior aut potentior, etiam malis bonus sit, & de malis bene faciat.

Si Deus non debet misereri, injuste misereatur: quod dicere nefas est.

Ergo Deus juste misereatur.

CAPUT X.

Quomodo justè puniat, & justè parcat malis.

Sed & justum est ut malos punias: quid namque justius, quam ut boni bona, & mali mala recipiant? Quomodo ergo & justum est ut malos punias; & justum est ut malis parcas? An alio modo justè punis malos, & alio modo justè parcis malis? Cùm enim punis malos, justum est; quia illorum meritis convenit: cùm verò parcis malis, justum est; non quia illorum meritis, sed quia bonitatis tuæ condecens est. Nam parcendo malis ita justus es secundùm te, & non secundùm nos; sicut misericors es secundùm nos, & non secundùm te: quoniam salvando nos quos justè perderes, sicut misericors es, non quia tu sentias affectum, sed quia nos sentimus effectum; ita justus es, non quia nobis reddas debitum, sed quia facis quod decet te summè bonum. Sic itaque sine repugnantia justè punis, & justè parcis.

Deus parcendo malis justus est, secundùm se; quæ sunt quod convenit suæ bonitati: sed non est justus secundùm nos; quia non reddit debitum supplicium.

CAPUT XI.

Quomodo universæ viæ Domini misericordia, & veritas; & tamen justus Dominus in omnibus viis suis.

Sed nunquid etiam non est justum secundùm te, Domine, ut malos punias? Justum quippe est, te sic esse justum, ut justior * nequeas cogitari: quod nequaquam esses; si tantùm bonis bona, & non * malis mala redderes. Justior enim est qui & bonis & malis, quàm qui bonis tantùm merita retribuit. Justum igitur est secundùm te, juste & benigne Deus, & cùm punis, & cùm parcis. Verè igitur *universæ viæ Domini misericordia, & veritas*: & tamen *justus Dominus in omnibus viis suis.* Et utique sine repugnantia: quia quos vis punire, non est justum salvari: & quibus vis parcere, non est justum damnari. Nam id solùm justum est, quod vis: & non justum, quod non vis. Sic ergo nascitur de justitia tua, misericordia tua: quia justum est te sic esse bonum, ut & parcendo sis bonus: & hoc forsitan est, cur summè justus potest velle bona malis? Sed si * utcumque capi potest cur malos potes velle salvare: illud certè nullâ ratione comprehendi potest, cur de similibus malis hos magis salves, quàm illos, per summam bonitatem; & illos magis damnes, quàm illos, per summam justitiam? Sic ergo verè es sensibilis, omnipotens, misericors, & impassibilis: quemadmodum vivens, sapiens, bonus, beatus, æternus; & quicquid melius est esse, quàm non esse.

Capi nullo modo potest de malo, cur magis salvet quam illos, per summam bonitatem: & illos magis damnes quam istos, per summam justitiam.

CAPUT XII.

Quòd Deus sit ipsa vita quâ vivit; & sic de similibus.

Sed certè quicquid es, non per aliud es, quàm per teipsum. Tu es igitur ipsa vita, qua vivis; & sapientia, qua sapis; & bonitas ipsa, qua bonis & malis bonus es: & ita de similibus.

CAPUT XIII.

Quomodo solus sit incircumscriptus & æternus; cùm alii spiritus sint incircumscripti, & æterni.

Sed omne, quod clauditur aliquatenus loco aut tempore, minus est, quàm quod * nulla lex loci aut temporis coërcet. Quoniam ergo majus te nihil est; nullus locus aut tempus te cohibet, sed ubique & semper es: quod quia de te solo dici potest, tu solus incircumscriptus es, & æternus. Quomodo igitur dicuntur & alii spiritus incircumscripti & æterni? Et quidem solus es æternus: quia solus omnium licut non definis, sic non incipis esse. Sed quomodo solus es incircumscriptus? An creatus spiritus ad te collatus, est * circumscriptus; ad corpus verò, incircumscriptus. Nempe omnino circumscriptum est, quod cùm alicubi totum est, non potest simul esse alibi: quod de solis corporeis cernitur. Incircumscriptum verò, quod simul est ubique totum: quod de te solo intelligitur. Circumscriptum autem simul & incircumscriptum est, quod cùm alicubi sit totum, potest simul esse totum alibi; non tamen ubique: quod de creatis spiritibus cognoscitur. Si enim non esset anima tota in singulis membris sui corporis, non sentiret tota in singulis. Tu ergo, Domine, singulariter es incircumscriptus, & æternus: & tamen & alii spiritus sunt incircumscripti, & æterni.

Nullus locus & nullum tempus Deum cohibent. Sed ipse ubique & semper est.

Solus simul non desinit: ita non incipit esse.

Solus est æternus.

Solus est incircumscriptus.

CAPUT XIV.

Quomodo, & cur videtur, & non videtur Deus à quærentibus eum.

An inveniſti, anima mea, quod quærebas? Quærebas Deum, inveniſti eum esse quiddam summum omnium, quo nihil melius cogitari potest; & hoc esse vitam ipsam, lucem, sapientiam, bonitatem, æternam beatitudinem, & beatam æternitatem; & hoc esse ubique, & semper. Nam si non inveniſti Deum tuum; quomodo est ille hoc, quod inveniſti, & quod illum tam certa veritate & verâ certitudine intellexiſti? Si verò inveniſti; quid est quod non sentis quod inveniſti? Cur non te sentit, Domine Deus, anima mea; si invenit te? An non invenit, * quem invenit esse lucem & veritatem? Quomodo namque intellexit hoc; nisi videndo lucem & veritatem? Aut potuit omnino aliquid intelligere de te, nisi per lucem tuam & veritatem tuam? Si ergo vidit lucem & veritatem; vidit te: si non vidit te; non vidit lucem, nec veritatem. An & veritas & lux est, quod vidit; & tamen nondum te vidit: quia vidit te aliquatenus; sed * non vidit te, sicuti es? Domine Deus meus, formator & reformator meus, dic desideranti

Digitized by Google

derranti animæ meæ, quid aliud es quàm quod vidit, A ut purè videat quod desiderat. Intendit se, ut plus videat; & nihil videt ultra hoc quod vidit, nisi tenebras. Imò non * videt tenebras quæ nullæ sunt in te; sed videt se non plus posse videre, propter tenebras suas. Cur hoc, Domine, cur hoc? Tenebratur oculus ejus * infirmitate sua, aut reverberatur fulgore tuo? Sed certè & tenebratur in se, & reverberatur à te. Utique & obscuratur sua brevitate; & obruitur tua immensitate. Verè & contrahitur angustia sua, & vincitur amplitudine tua. Quanta namque est lux illa, de qua micat omne verum, quod rationali menti lucet? Quàm ampla est illa veritas, in qua * est omne quod verum est; & extra quam non nisi nihil & falsum est? Quàm immensa est, quæ uno intuitu videt quæcumque facta sunt, & à quo, & per B quem, & quomodo de nihilo facta sunt? Quid puritatis, quid simplicitatis, quid certitudinis, & splendoris ubi est? Certè plus quàm à creatura valeat intelligi.

CAPUT XV.

Quòd major sit, quàm cogitari possit.

ERgo Domine, non solùm es quo majus cogitari nequit; sed es quiddam majus, quàm cogitari possit. Quoniam namque valet cogitari esse aliquid hujusmodi; si tu non es hoc ipsum, potest cogitari aliquid majus te: quod fieri nequit.

CAPUT XVI.

Quòd hæc sit inaccessibilis, quam inhabitat.

VErè, Domine, hæc est lux inaccessibilis, in qua habitas; verè enim non est aliud, quod hanc lucem penetret, ut ibi te pervideat. Verè ideo hanc non video, quia nimia mihi est; & tamen quicquid video per illam video: sicut infirmus oculus, quod videt, per lucem solis videt, quam in ipso sole nequit aspicere. Non potest intellectus meus ad illam, nimis fulget, non capit illam, nec suffert oculus animæ meæ diu intendere in illam. Reverberatur fulgore, vincitur amplitudine, obruitur immensitate, confunditur capacitate. O summa, & inaccessibilis lux! O tota, & beata veritas, quam longè es à me, qui tam propè tibi sum! Quàm remota es à conspectu meo, D qui sic præsens sum conspectui tuo! Ubique es tota præsens; & non te video. In te moveor, & in te sum; & ad te non possum accedere. Intra me, & circa me es, & non te sentio.

CAPUT XVII.

Quòd in Deo sit harmonia, odor, sapor, lævitas, pulchritudo, suo ineffabili modo.

ADhuc lates, Domine, animam meam in luce & beatitudine tua: & idcirco versatur illa adhuc in tenebris, & miseria sua. Circumspicit enim; & non videt pulchritudinem tuam. Auscultat; & non E audit harmoniam tuam. Olfacit; & non percipit odorem tuum. Gustat; & non cognoscit saporem tuum. Palpat; & non sentit lævitatem tuam. Habes enim hæc, Domine Deus, in te, tuo ineffabili modo; qui ea dedisti rebus à te creatis, suo sensibili modo: sed obrigescerunt, sed obstupuerunt, sed obstructi sunt sensus animæ meæ vetusto languore peccati.

CAPUT XVIII.

Quod Deus sit vita, sapientia, æternitas, & omne verum bonum.

ET iterum ecce turbatio; ecce iterum obviat mœror, & luctus quærenti gaudium & lætitiam. Sperabat jam anima mea satietatem; & ecce iterum obruitur egestate. Affectabam jam comedere; & ecce magis * esurio. Conabar assurgere ad lucem Dei; & recidi in tenebras meas. Imò non modò cecidi in eas; sed sentio me involutum in eis. Ante cecidi, quàm conciperet me mater mea. Certè in illis conceptus sum, & cum earum obvolutione natus sum. * Certè in illo omnes cecidimus, in quo omnes peccavimus. In illo omnes perdidimus, qui facilè tenebat, & malè sibi & nobis perdidit, quod cùm volumus quærere, nescimus; cùm quærimus, non invenimus; cùm invenimus, non est quod quærimus. Adjuva me, tu, propter bonitatem tuam, *Domine, Psalm. 26. Quæsivi vultum tuum, vultum tuum, Domine, requiram, ne avertas faciem tuam à me.* Revela me de me ad te. Munda, sana, acue, illumina oculum mentis meæ; ut intueatur te. Recolligat vires suas anima mea; & toto intellectu * iterum intendat in te, Domine. Quid es, Domine, quid es, quid te intelliget cor meum? Certè vita es, sapientia es, veritas es, bonitas es, beatitudo es, æternitas es, & omne verum bonum es. Multa sunt hæc: non potest angustus intellectus meus toc * uno simul intuitu videre; ut omnibus C simul delectetur. Quomodo ergo, Domine, es omnia hæc? An sunt partes tui, an potius unumquodque horum totum est quod es? Nam quicquid est partibus junctum, non est omnino unum; sed quodammodo plura, & diversum à seipso; & vel actu, vel intellectu dissolvi potest: quæ aliena sunt à te, quo nihil melius cogitari potest. Nullæ igitur partes in te sunt, Domine, nec es plura; sed sic es unum quoddam, & idem tibi ipsi, ut in nullo tibi ipsi sis dissimilis: imò tu es ipsa unitas, nullo intellectu divisibilis. Ergo vita, & sapientia, & reliqua, non sunt partes tui, sed omnia sunt unum: & unumquodque horum est totum quod es, & quod sunt reliqua omnia. Quomodo ergo * nec tu habes partes; nec tua æternitas, quæ tu es, nusquam & nunquam est pars tua aut æternitatis tuæ: sed ubique totus es; & æternitas tua tota est semper. D

Quicquid est partibus junctum, non est omnino unum, sed quodammodo multa vel intellectu dissolvi potest.

Sapientia, æternitas &c. non sunt in Deo partes, sed unum, & ipsum unum quod est Deus seu ipsa unitas, ac quidem invisibilis & indivisibilis.

CAPUT XIX.

Quòd non sit in loco aut tempore; sed omnia sint in illo.

SEd si per æternitatem tuam fuisti, & es, & eris; & fuisse, non est futurum esse; & esse, non est fuisse vel futurum esse; quomodo æternitas tua tota est semper? An de æternitate tua nihil præterit, ut jam non sit; nec aliquid futurum est, quasi nondum sit? Non ergo fuisti heri, aut eris cras; sed heri, & hodie, & cras es: imò nec heri, nec hodie, nec cras es; sed simpliciter es extra omne tempus. Nam nihil aliud est heri, & hodie, & cras, quàm in tempore: tu autem, licèt nihil sit sine te, non es tamen in loco aut tempore; sed omnia sunt in te: nihil enim te continet; sed tu contines omnia.

CAPUT XX.

Quòd sit ante & ultra omnia etiam æterna.

TU ergo imples & complecteris omnia; tu es ante & ultra omnia. Et quidem ante omnia es; quia antequam fierent, tu es. Ultra omnia verò quomodo es? * Qualiter enim es ultra ea quæ finem non habebunt? An quia illa sine te nullatenus esse possunt: tu

Digitized by Google

autem nullo modo minùs es; etiamsi illa redeant in nihilum? * Sic enim quodammodò es ultra illa. An etiam quia illa cogitari possunt habere finem; tu verò nequaquam? Nam sic illa quidem habent finem quodammodò; tu verò nullo modo. Et certè quod nullo modo habet finem, ultra illud est, quod aliquo modo finitur. An hoc quoque modo transis omnia etiam æterna, quia tua & illorum æternitas tota tibi præsens est; cùm illa nondum habeant de sua æternitate quod venturum est, sicut jam non habent quod præteritum est? Sic quippe semper es ultra illa; cùm semper ibi sis præsens, seu cùm illud semper sit tibi præsens: ad quod illa nondum pervenerunt.

Dei æternitas est ipsi sua præsens: cætera de sua æternitate nondùm habent quod futurum est: & jam non habent quod est præteritum.

CAPUT XXI.

An hoc sit sæculum sæculi, sive sæcula sæculorum.

Dei æternitas amplectitur ipsa sæcula temporum: & dici potest sæculum sæculi, sive sæcula sæculorum.

AN ergo hoc est sæculum sæculi, sive sæcula sæculorum? Sicut enim sæculum temporum continet omnia temporalia; sic tua æternitas continet etiam ipsa sæcula temporum. * Quæ sæculum quidem est, propter indivisibilem unitatem: sæcula verò, propter interminabilem immensitatem. Et quamvis ita sis magnus, Domine, ut omnia sint te plena, & sint in te: sic tamen es sine omni spacio; ut nec medium, nec dimidium, nec ulla pars sit in te.

CAPUT XXII.

Quòd solus sit quod est, & qui est.

Deus solus est quod est: Deus solus est qui est.

TU solus ergo, Domine, es quod es; & tu es qui es. Nam quod aliud est in toto, & aliud in partibus; & in quo aliquid est mutabile; non omnino est quod est. * Et quod incœpit à non esse, & potest cogitari non esse; & nisi per aliud subsistat, redit in non esse: & quod habet fuisse, quod jam non est; & futurum esse, quod nondum est; id non est propriè & absolutè. Tu verò es quod es: quia quicquid aliquando, aut aliquo modo es; hoc totus, & semper es. Et tu es qui propriè & simpliciter es: quia nec habes fuisse, aut futurum esse; sed tantum præsens esse, nec * potes cogitari aliquando non esse. Sed & vita es, & lux, * & sapientia, & beatitudo, & æternitas, & multa hujusmodi bona; & tamen non es nisi unum & summum bonum, tu tibi omnino sufficiens, & nullo indigens; quo omnia indigent ut sint, & ut bene sint.

Omnia Deo indigent ut sint, & ut bene sint.

CAPUT XXIII.

*Quod hoc bonum sit pariter Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus; & hoc sit unum necessarium * quod est omne, & totum, & solum bonum.*

Verbum tuum sit Verax & ipsa veritas; nihil est in Patre dicente quod non sit in Verbo quo seipsum dicit.

HOc bonum es, tu Deus Pater; hoc est Verbum tuum, id est, Filius tuus. Etenim non potest aliud, quàm quod es, aut aliquid majus vel minus te, esse in Verbo, * quo teipsum dicis: quoniam Verbum tuum sic est verum, quomodo tu es verax. Et idcirco est ipsa veritas, sicut tu; non * alia, quàm tu; & sic es tu simplex, ut de te non possit nasci aliud, quàm quod tu es. Hoc ipsum est amor unus & communis tibi & Filio tuo, id est, sanctus Spiritus ab utroque procedens. Nam idem amor non est impar tibi, aut Filio tuo: quia tantùm amas te & illum, & ille te & seipsum; quantus es tu, & ille: nec est aliud à te & ab illo; quod dispar non sit tibi, & illi: nec de summa simplicitate potest procedere aliud, quàm quod est hoc, de quo procedit. Quod autem est singulus quisque, hoc est tota Trinitas simul, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: quoniam singulus quisque non est aliud, quàm summè simplex unitas, & summè una simplicitas; quæ nec multiplicari, nec aliud & aliud esse potest. Porro unum est necessarium. Porrò, hoc est illud unum necessarium, in quo est omne bonum; immò quod est omne, & unum * totum, & solum bonum.

Non Amor à Patre & à Filio procedens, est impar Patri aut Filio, quia tantùm Pater & Filius amant se, quantum bonum sunt Pater & Filius. In summa simplicitate non potest nasci aut procedere, quàm

quod est hoc de quo nescimus an præcidit.

CAPUT XXIV.

Conjectatio quale & quantum sit hoc bonum.

EXcita nunc, anima mea, & erige totum intellectum tuum, & cogita, quantùm potes, qualè & quantum sit illud bonum. Si enim singula bona delectabilia sunt, cogita intentè quàm delectabile sit illud bonum, quod continet jocunditatem omnium bonorum; & non qualem in rebus creatis sumus experti, sed tantò differentem, quantò differt Creator à creatura. Si enim bona est vita creata; quàm bona est vita creatrix? Si jocunda est salus facta; quàm jocunda est salus quæ * fecit omnem salutem? Si amabilis est sapientia in cognitione rerum conditarum; quàm amabilis est sapientia, quæ omnia condidit ex nihilo? Denique si multæ & magnæ delectationes sunt in rebus delectabilibus; qualis & quanta delectatio est in illo, qui fecit ipsa delectabilia?

Si bona est vita creata, quàm bona est ipsa vita creatrix?

CAPUT XXV.

Qua & quanta bona sint fruentibus eo.

Et qui hoc bono fruetur, quicquid voluerit, aderit ei: quicquid noluerit, non erit. Isay. 64. 1. Cor. 2.

OQui hoc bono fruetur! Et quid illi erit; & quid illi non erit? Certè, quicquid volet, erit: & quod nolet, non erit. Ibi quippe erunt bona corporis & animæ, qualia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis cogitavit. Cur ergo per multa vagaris, homuncio, quærendo bona animæ tuæ, & corporis tui? Ama unum bonum, in quo sunt omnia bona; & sufficit. Desidera simplex bonum, quod est omne bonum; & satis est. Quid enim amas, caro mea, quid desideras, anima mea? Ibi est, ibi est quicquid amatis, quicquid desideratis. Si delectat pulchritudo, *fulgebunt justi sicut sol.* Si velocitas, aut fortitudo, aut libertas corporis, cui nihil obsistere possit; *erunt similes Angelis Dei*, quia *seminatur corpus animale, & surget corpus spirituale*, potestate utique non naturâ. Si longa & salubris vita; ibi sana est æternitas, & æterna sanitas: quia *justi in perpetuum vivent*: &, *salus justorum à Domino.* Si satietas: satiabuntur, *cùm apparuerit gloria Dei.* Si ebrietas: *inebriabuntur ab ubertate domus Dei.* Si melodia; ibi Angelorum chori concinunt sine fine Deo. Si quælibet non immunda, sed munda voluptas: *torrente voluptatis suæ * potabis eos Deus.* Si sapientia; ipsa Dei sapientia ostendet eis seipsam. Si amicitia; diligent Deum plus quàm seipsos; & invicem, tanquam seipsos; & Deus illos, plusquàm illi seipsos: quia illi illum, & se, & invicem per illum; & ille se, & illos per seipsum. Si concordia; omnibus illis erit una voluntas: quia nulla illis erit, nisi sola Dei voluntas. Si potestas; omnipotentes erunt suæ voluntatis, ut Deus suæ. Nam sicut poterit Deus, quod volet, per seipsum; ita poterunt illi, quod volent, per illum: quia sicut illi non aliud volent, quam quod ille; ita ille volet quicquid illi volent; & quod ille volet, non poterit non esse. Si honor & divitiæ; Deus servos suos bonos & fideles supra multa constituet; immò filii Dei, & dii vocabuntur; & ubi erit Filius ejus, ibi erunt & illi, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Si vera securitas; certè ita certi erunt nunquam & nullatenus ista, vel potius istud bonum sibi defuturum: sicut certi erunt se non suâ sponte illud amissuros; nec dilectorem Deum illud dilectoribus suis invitis ablaturum: nec aliquid Deo potentius invitos Deum & illos separaturum. Gaudium verò quale, aut quantum est, ubi tale ac tantum bonum est? Cor humanum, cor indigens, cor expertum ærumnas, immò obrutum ærumnis, quan-

Matth. 13. 1. Cor. 15. Sapient. 5. Psal. 16. Psal. 16. Psal. 35. Ibidem. Luce 12. Rom. 8.

Digitized by Google

tùm ganderes, si his omnibus abundares? Interroga intima tua, si capere possint gaudium suum de tanta beatitudine sua. Sed certè si quis alius, quem omnino sicut teipsum diligeres, eandem beatitudinem haberet; duplicaretur gaudium tuum: quia non minùs gauderes pro eo, quàm pro teipso. Si verò duo vel tres, vel multò plures idipsum haberent; tantundem pro singulis, quantùm pro teipso gauderes; si singulos, sicut teipsum, amares. Ergo in illa perfecta charitate innumerabilium Angelorum beatorum, & hominum, ubi nullus minùs diliget alium, quàm seipsum; non aliter gaudebit quisque pro singulis aliis, quàm pro seipso. Si ergo cor hominis de tanto suo bono vix capiet gaudium suum; quomodo capax erit tot & tantorum gaudiorum? Et utique, quoniam quantùm quisque diligit aliquem, tantùm de bono ejus gaudet: sicut in illa perfecta felicitate unusquisque plus amabit sine comparatione Deum, quàm se & omnes alios secum; ita plus gaudebit absque æstimatione de felicitate Dei, quàm de sua & omnium aliorum secum. Sed si Deum sic diligent toto corde, tota mente, tota anima; tu tamen totum cor, tota mens, tota anima non sufficiat dignitati dilectionis; profectò sic gaudebunt *toto corde, totâ mente, totâ animâ*; ut totum cor, tota mens, tota anima non sufficiat plenitudini gaudii.

Gaudium in beatis multis plusquàm in beatitudine & gaudio aliorum.

CAPUT XXVI.

An hoc sit gaudium plenum quod promittis Dominus.

DEus meus, & Dominus meus, spes mea, & gaudium cordis mei, dic animæ meæ, si hoc est gaudium, de quo nobis dicis per Filium tuum, *Petite, & accipietis; ut gaudium vestrum sit plenum.* Inveni namque gaudium quoddam plenum, & plusquàm plenum. Plenum quippe corde, plenâ mente, plenâ animâ, pleno toto homine gaudio illo, adhuc supra modum supererit gaudium. Non ergo totum illud gaudium intrabit in gaudentes; sed toti gaudentes intrabunt in gaudium. Dic, Domine, dic servo tuo intùs in corde suo, si hoc est gaudium, in quod intrabunt servi tui, qui intrabunt in gaudium Domini sui. Sed gaudium illud certè, quod gaudebunt electi tui, *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.* Nondum ergo dixi, aut cogitavi, Domine, quantùm gaudebunt illi beati tui. Utique tantùm gaudebunt, quantùm amabunt: tantùm amabunt, quantùm cognoscent. Quantùm te cognoscent, Domine, tunc; & quantùm te amabunt: Certè *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* in hac vita, quantùm te cognoscent, & amabunt in illa vita. Oro, Deus, cognoscam te, amem te; ut gaudeam de te. Et si non possum in hac vita ad plenum, vel *proficiam in dies, usque dum veniat illud ad plenum; proficiat hic in me notitia tui, & ibi fiat plena; crescat amor tuus, & ibi sit plenus: ut hic gaudium meum sit in spe magnum; & ibi sit in re plenum. Domine, per Filium tuum jubes, imò consulis, petere; & promittis accipere, ut gaudium nostrum sit plenum. Peto, Domine, quod consulis per admirabilem consiliarium nostrum; accipiam quod promittis per veritatem tuam, ut gaudium meum plenum sit. Deus verax, peto; accipiam, ut gaudium meum plenum sit. Meditetur interim inde mens mea; loquatur inde lingua mea. Amet illud cor meum; fermocinetur os meum. Esuriat illud anima mea, sitiat caro mea, desideret tota substantia mea: donec intrem in gaudium Domini, qui es trinus & unus Deus, benedictus in sæcula. Amen.

Joan. 16.

Isai. 64. 1. Cor. 2.

Tanti tantum gaudebimus, quàm nos amamus, tantùm amabit, quantùm te cognoscimus.

LIBER PRO INSIPIENTE ADVERSUS S. ANSELMI

in Proslogio ratiocinationem:

auctore GAUNILONE *Majoris-Monasterii monacho.*

1. *DUbitanti* utrùm sit, vel *neganti quòd sit aliqua talis natura, qua nihil majus cogitari possit;* tamen esse illam, hinc dicitur primò probari: quod ipse negans, vel ambigens de illa, jam habeat eam in intellectu; cùm audiens illam dici, id quod dicitur intelligit: deinde, quia quod intelligit, necesse est ut non in solo intellectu, sed etiam in re sit. Et hoc ita probatur, quia majus est esse in *intellectu & in re, quàm in solo intellectu. Et si illud in solo est intellectu; majus illo erit quicquid etiam fuerit in re; ac *sic majus omnibus, minus erit aliquo; & non erit majus omnibus: quod utique repugnat. Et ideo necesse est ut majus omnibus, quod jam probatum est esse in intellectu, *non in solo intellectu, sed & in re sit: quoniam aliter majus omnibus esse non poterit.*

2. ** Respondere forsitan potest, quòd hoc jam esse dicitur in intellectu meo, non ob aliud, nisi quia id quod dicitur intelligo. Nonne & quæcunque falsa, ac nullo prorsus modo in seipsis existentia, *in intellectu habere similiter dici *possum; cùm ea dicente aliquo, quæcunque ille diceret, ego intelligerem? nisi fortè tale illud constat esse, ut non eo modo quo etiam falsa quæque vel dubia, haberi possit in cogitatione: & ideo non dicor illud auditum cogitare, vel in cogitatione habere; sed intelligere, & in *intellectu habere: quia scilicet, non possum hoc aliter cogitare, nisi intelligendo, id est, scientiâ comprehendendo, re ipsa illud existere. * Sed si hoc est: Primò quidem *non hîc erit aliud, idemque tempore præcedens, habere rem in intellectu; & aliud, *idemque tempore sequens, intelligere rem esse: ut sit de pictura, quæ priùs est in animo *pictoris; deinde in opere. Deinde, vix unquam poterit esse credibile, cùm dictum & auditum fuerit istud non eo modo posse cogitari non esse, quo etiam potest cogitari *non esse Deus. Nam si non potest; cur contra negantem aut dubitantem quòd si aliqua talis natura, tota ista disputatio assumpta est? Postremò, quod tale sit illud, ut non possit, nisi mox cogitatum, indubitabilis existentia sua certo percipi intellectu; indubio aliquo probandum mihi est argumento: non autem isto: quòd jam sit hoc in intellectu meo, cùm auditum intelligo: in quo similiter esse posse quæcunque alia incerta; vel etiam falsa ab aliquo, cujus verba *intelligerem dicta adhuc puto: & insuper magis, si illa deceptus, ut sæpe fit, *crederem qui* istud nondum credo.*

Si non possit cogitari non esse Deus: frustra disputatur an sit.

3. ** Unde nec illud exemplum de pictore, picturam, quam facturus est, jam in intellectu habente, satis*

Ad cum-

Picturæ de pictore, & pictore.

poteſt *huic argumento* congruere. *Illa enim pictura* A *antequam fiat, in ipſa pictoris* * *arte habetur; & tale quippiam in arte artificis alicujus nihil eſt aliud, quàm pars quædam intelligentiæ ipſius, quia & (ſicut ſanctus Auguſtinus ait) cùm faber arcam facturus in operè, priùs habet illam in arte; arca, quæ fit in opere, non eſt vita; arca, quæ eſt in arte, vita eſt; quia vivit animâ artificis, in qua ſunt iſta omnia, antequam proferantur. Ut quid enim in vivente artificis animâ vita ſunt iſta; niſi quia nihil ſunt aliud quàm ſcientia, vel intelligentia animæ ipſius? At verò quicquid extra illa, quæ ad ipſam mentis noſtræ naturam pertinere naturam, aut auditum, aut excogitatum intellectu percipitur* verum; aliud ſine dubio eſt verum illud, aliud intellectus ipſe quo capitur: quo circa etiamſi verum ſit eſſe aliquid, quo majus quicquam nequeat cogitari; non tamen hoc auditum & intellectum, tale eſt, qualis nondum facta pictura in intellectu pictoris.

4. *Hinc accedit illud, quod prætaxatum eſt ſuperiùs; quia ſcilicet, illud omnibus, quæ cogitari poſſint, majus, quod nihil aliud poſſe eſſe dicitur quàm ipſe Deus;* Non niſi per ultimam ſpeciem Deus poteſt ab homine intelligi. *tam ego ſecundùm rem, vel ex ſpecie mihi vel ex genere notam, cogitare auditum vel in intellectu habere non poſſum; quàm nec ipſum Deum, quem utique ob hoc ipſum etiam non eſſe cogitare poſſum. Neque enim aut rem* * *ipſam quæ Deus eſt, novi; aut* * *ipſam poſſum conjicere ex alia ſimili; quandoquidem & * in talem aſſeris illatio, ut eſſe non poſſit ſimile quicquam. Nam ſi de homine aliquo mihi prorſus ignoto, quem etiam eſſe neſcirem, dici tamen aliquid audirem; per illam ſpecialem generalemve notitiam, qua quid ſit homo vel homines novi, de illo quoque ſecundùm rem ipſam, quæ eſt homo, cogitare poſſem: & tamen fieri poſſet, ut mentiente illo qui diceret, ipſe, quem* * *cogitarem, homo non eſſet; cùm tamen ego de illo, ſecundùm veram nihilominus rem, non* * *qua eſſet ille homo, ſed qua eſt homo quilibet, cogitarem. Nec ſic igitur, ut haberem falſum iſtud in cogitatione vel in intellectu, habere* * *poſſum illud, cum audio dici, Deus, aut,* aliquid omnibus majus. *Cum, quando illud* * *ſecundùm rem veram mihique notum cogitare poſſum, iſtud omnino nequeam,* * *niſi tantum ſecundùm vocem, ſecundùm quam ſolam aut vix aut nunquam poteſt ullum cogitari verum. Siquidem cum ita cogitatur; non tam ipſa vox, quæ res eſt utique vera, hoc eſt, literarum ſonus vel ſyllabarum, quàm vocis auditæ ſignificatio cogitetur: ſed non ita ut ab illo, qui novit quid ea ſoleat voce ſignificari; à quo, ſcilicet, cogitatur ſecundùm rem vel in ſola cogitatione vera: verum ut ab eo, qui illud non novit; & ſolummodò cogitat ſecundùm animi motum illius auditu vocis effectum, ſignificationemque perceptæ vocis conantem effingere ſibi: quod mirum eſt ſi unquam rei veritate potuerit. Ita ergo, nec prorſus aliter adhuc* * *in intellectu meo conſtat illud haberi, cum audio intelligoque dicentem eſſe aliquid majus omnibus quæ valeant cogitari:* * *hæc de eo, quod ſumma illa natura jam* * *eſſe dicitur in* * *intellectu meo.*

5. *Quod autem non ſolum in intellectu, ſed & in re neceſſariò eſſe, inde mihi probatur: quia* * *niſi fuerit, quicquid eſt in re, majus illâ erit: ac per hoc, non erit illud majus omnibus: quod utique jam eſſe in intellectu probatum eſt.* * *Adhuc reſpondeo:* * *ſi eſſe dicendum eſt in intellectu, quod ſecundùm veritatem cujuſquam rei nequit ſaltem cogitari: &* * *hoc in meo ſic eſſe non denego. Sed quia per hoc eſſe quoque in re non poteſt* * *ullatenus obtinere: illud eſſe ei adhuc penitus non concedo, quouſque mihi argumento probetur indubio; quod qui eſſe dicit hoc, quod majus omnibus aliter non erit omnibus* * *majus, non ſatis attendit cui loquatur. Ego enim nondum dico, immò etiam nego, vel dubito,* * *illa re vera eſſe majus illud: nec aliud ei eſſe* B *concedo, quàm illud, ſi* * *dicendum eſt eſſe, eum ſecundum vocem tantum auditam rem prorſus ignotam ſibi conatur animus effingere.* * *Quomodo igitur inde mihi probatur majus illud rei veritate ſubſiſtere, quia conſtet illud majus omnibus eſſe: cum id ego conſque negem adhuc, dubitemve conſtare; ut ne* * *in intellectu quidem vel cogitatione mea, eo ſaltem modo majus ipſum eſſe dicam, quo dubia etiam multa ſunt & incerta. Prius enim certum mihi neceſſe eſt fiat, re verâ eſſe alicubi majus ipſum, &* * *tum demum ex eo, quod majus eſt omnibus, in ſeipſo quoque ſubſiſtere non erit ambiguum.*

Exempli gratia: Aiunt quidam alicubi Oceani eſſe 6. *inſulam, quam ex difficultate vel potius impoſſibilitate inveniendi quod non eſt, cognominant aliqui perditam: quamque fabulantur multò amplius, quàm de fortunatis inſulis fertur, divitiarum, deliciarumque omnium inæſtimabili ubertate pollere, nullique poſſeſſore aut habitatore, univerſis aliis, quas incolunt homines, terris, poſſidendorum redundantiâ uſquequaque præſtare. Hoc ita eſſe dicat mihi quiſpiam; & ego facilè dictum, in quo nihil eſt difficultatis, intelligam. At ſi tunc* * *velut* * *conſequenter adjungat, ac* * *dicat: non potes ultra dubitare inſulam illam omnibus terris præſtantiorem* * *verè eſſe alicubi in re, quam & in intellectu tuo non ambigis eſſe: & quia præſtantius eſt non in intellectu ſolo, ſed etiam eſſe in re;* * *ideo ſic eam neceſſe eſt eſſe: quia niſi fuerit, quæcunque alia in re eſt terra præſtantior illa erit; ac ſic ipſa jam à te præſtantior intellecta, præſtantior non erit. Si, inquam, per hoc ille mihi velit aſtruere de inſula illa, quod verè ſit, & ambigendum ultra non eſſe; aut* * *jocari ipſum* * *credam; aut neſcio quem* * *ſtultiorem* * *debeam reputare: utrum me, ſi ei concedam; an illum, ſi ſe putet aliquâ certitudine inſulæ illius eſſentiam aſtruxiſſe: niſi prius ipſam præſtantiam ejus ſolummodo ſicut rem verè atque* * *indubiè exiſtentem, nec ullatenus ſicut falſum aut incertum aliquid in intellectu meo* * *eſſe docuerit.* Ad exemplum de inſula perdita.

Hæc interim ad objecta inſipiens ille * *reſponderit,* 7. *cui cum deinceps aſſeritur tale eſſe majus illud, ut nec ſolâ cogitatione valeat non eſſe: & hoc rurſus non aliunde probatur, quàm eo ipſo, quod aliter non erit omnibus majus, idem ipſum poſſit referre* * *reſponſum, & dicere:* * *Quandonam ego rei* * *veritate eſſe tale aliquid, hoc eſt, majus omnibus, dixi: ut ex hoc mihi deberet probari in tantum etiam re ipſâ id eſſe; ut nec poſſit cogitari non eſſe? Quapropter certiſſimo primitus aliquo probandum eſt argumento aliquam ſuperiorem, hoc eſt, majorem ac meliorem omnium, quæ ſunt, eſſe naturam: ut ex* * *hoc, alia jam poſſimus omnia probare, quibus neceſſe eſt illud* * *quod majus ac melius eſt omnibus, non carere. Cum autem dicitur quòd ſumma res iſta non eſſe nequeat cogitari; melius fortaſſe diceretur quod non eſſe, aut etiam poſſe non eſſe, non poſſit intelligi: nam ſecundum proprietatem verbi iſtius, D falſa nequunt intelligi, quæ poſſunt utique eo modo cogitari, quo Deum non eſſe, inſipiens cogitavit: & me quoque eſſe certiſſimè ſcio, ſed & poſſe non eſſe nihilominus ſcio; ſummum vero illud* * *quod eſt Deus, eſſe, & non eſſe non poſſe, indubitanter intelligo. Cogitare autem me non eſſe, quamdiu eſſe certiſſimè ſcio, neſcio utrum poſſim; ſed ſi poſſum, cur non & quicquid* * *aliud eâdem certitudine ſcio? Si autem non poſſum, non erit jam iſtud proprium Deo.* Falſa nequunt intelligi, ſed poſſunt cogitari.

Cætera libelli illius tam veraciter & tam præclarè Multum commendat Auctor. *ſunt magnificeque* * *diſſerta, tantâ denique* * *referta utilitate, & pii ac ſancti affectus intimo quodam odore fragrantia, ut nullo modo propter illa, quæ in initiis* E * *rectè quidem ſenſit, ſed minùs firmiter argumentata ſunt,* * *iſta ſint contemnenda; ſed illa potius argumentanda robuſtiùs: ac omnia cum ingenti veneratione & laude ſuſcipienda.*

SANCTI ANSELMI
LIBER APOLOGETICUS
CONTRA GAUNILONEM
RESPONDENTEM PRO INSIPIENTE.

QUoniam non me reprehendit in his dictis ille insipiens, contra quem fum locutus in * meo opusculo; sed quidam non insipiens, & catholicus, pro insipiente: sufficere mihi potest respondere catholico.

CAPUT PRIMUM.

Generatim refellitur adversarii ratiocinatio; & ostenditur id, quo majus cogitari non potest, esse reipsa.

DICIS * quidem (quicunque es, qui dicis hæc posse dicere insipientem) quia non est in intellectu aliquid, * quo majus cogitari non possit, aliter quàm, quòd secundùm veritatem cujusque rei nequit saltem cogitari: & quia non magis consequitur hoc, quod dico, quo majus cogitari non possit, ex eo quia est in intellectu, esse & in re, quam * perditam insulam certissimè * existere ex eo * quia cùm describitur verbis, audiens eam non ambigit in intellectu suo esse. Ego verò dico: si, quo majus cogitari non potest, non intelligitur, vel cogitatur, nec est in intellectu, vel cogitatione; profectò Deus aut non est quo majus cogitari non possit, aut * non intelligitur vel cogitatur, & non est in intellectu vel cogitatione. Quòd quàm falsum sit, fide & conscientiâ tuâ pro firmissimo utor argumento. Ergo quo majus cogitari non potest, verè intelligitur & cogitatur, & est in intellectu & cogitatione. Quare, aut vera non sunt quibus contra conaris probare, aut ex eis non consequitur quod te consequenter opinaris * concludere. Quòd autem putas, ex eo, quia intelligitur aliquid quo majus cogitari nequit, non consequi illud esse in intellectu; nec si est in intellectu, ideo esse in re: certè * ego dico: si vel cogitari potest esse; necesse est illud esse. Nam quo majus cogitari nequit, non potest cogitari esse, nisi sine initio. Quicquid autem potest cogitari esse, & * non est: per initium potest cogitari esse. Non ergo quo majus cogitari nequit, cogitari potest esse, & non est. Si ergo potest cogitari esse; ex necessitate est. Amplius. Si utique vel cogitari potest; necesse est illud esse. Nullus enim negans aut dubitans esse aliquid, quo majus cogitari non possit, negat vel dubitat quia, si esset, nec actu nec intellectu posset non esse. Aliter namque non esset quo majus cogitari * non posset: sed quicquid cogitari potest, & non est; si esset, posset vel actu vel intellectu non esse. Quare * si vel cogitari potest; non potest non esse quo majus cogitari nequit. Sed ponamus non esse, si vel cogitari valet: at quicquid cogitari potest, & non est; si esset, non esset quo majus cogitari non possit. * Si ergo esset quo majus cogitari non possit, non esset quo majus cogitari non possit:] quo nimis est absurdum. Falsum est igitur non esse aliquid, quo majus cogitari non possit; si vel cogitari potest: multo * itaque magis, si intelligi aut in intellectu esse potest. Plus aliquid dicam: procul dubio quicquid alicubi aut aliquando non est, etiamsi est alicubi aut aliquando; potest tamen cogitari nunquam & nusquam esse, sicut non est alicubi aut aliquando. Nam quod heri non fuit, & hodie est: sicut heri non fuisse intelligitur; ita nunquam esse subintelligi potest: & quod * hîc non est, & alibi est, sicut non est hîc; ita potest cogitari nusquam esse. Similiter cujus partes singulæ non sunt ubi aut quando sunt aliæ partes ejus; omnes partes, & ideo ipsum totum, possunt cogitari nunquam aut nusquam esse. Nam etsi dicatur tempus semper esse, & mundus ubique; non tamen illud totum semper, aut iste totus est ubique: & sicut singulæ partes temporis non sunt, quando aliæ sunt; ita possunt * nunquam esse cogitari; & singulæ mundi partes, sicut non sunt ubi aliæ sunt; ita subintelligi possunt nusquam esse: sed & * quod partibus conjunctum est, cogitatione dissolvi, & non esse potest. Quare quicquid alicubi aut aliquando totum non est, etiamsi est, potest cogitari non esse: at quo majus cogitari nequit, si * est, non potest cogitari non esse, alioquin si est, * non est quo majus cogitari non potest: quod non convenit. Nullatenus ergo alicubi, aut aliquando totum non est: sed semper & ubique totum est. Putasne aliquatenus posse cogitari vel intelligi, aut esse in cogitatione vel intellectu, de quo hæc intelliguntur? Si enim non potest; non possunt hæc intelligi de eo. Quòd si * dicis non intelligi & non esse in intellectu, quod non penitus intelligitur; dic quia qui non potest intueri purissimam lucem solis, non videt lucem diei, quæ non est nisi lux solis. Certè vel hactenus intelligitur, & est in intellectu, quo majus cogitari nequit; ut hæc de eo intelligantur.

CAPUT II.

Magis urgetur ratiocinatio preposita; & ostenditur id quo majus cogitari nequit, cogitari posse, atque adeo etiam esse.

DIxi itaque in argumentatione, quam reprehendis, quia cùm insipiens audit proferri, quo majus cogitari non potest, intelligit quod audit. Utique qui * non intelligit, si notâ linguâ dicitur, aut nullum, aut nimis * obtusum habet intellectum. Dein-

de dixi quia si intelligitur, est in intellectu. An * est in A nullo intellectu, quod necessariò in rei veritate esse monstratum est? Sed * dices quia etsi est in intellectu; non tamen * consequenter quia intelligitur. Vide quia consequitur esse in intellectu, ex eo quia intelligitur. * Sicut enim quod cogitatur, cogitatione cogitatur: & quod cogitatione cogitatur, sicut cogitatur, sic est in cogitatione: ita quod intelligitur, intellectu intelligitur: & quod intellectu intelligitur, * sicut intelligitur, sic est in intellectu. Quid hoc planius? Postea dixi quia si est vel in solo intellectu; potest cogitari esse & in re; quod majus est. Si ergo in intellectu solo est; idipsum, scilicet, quo majus non potest cogitari, est quo majus cogitari potest: rogo quid consequentius? An enim si est vel in solo intellectu, non potest cogitari esse & in re? Aut si potest, nonne qui hoc cogitat, * aliquid cogitat majus eo; si est in solo intellectu? Quid ergo consequentius, quàm si quo majus cogitari nequit, est in solo intellectu; idem esse quo majus cogitari possit? Sed utique, quo majus cogitari potest, in nullo intellectu est quo majus cogitari non possit. An ergo non consequitur, quo majus cogitari nequit, si est in ullo intellectu, non * esse in solo intellectu? Si enim est in solo intellectu; est quo majus cogitari potest: quod non convenit.

CAPUT III.

Ad instantiam adversarii: quòd sequeretur insulam fictitiam esse reipsa, quia cogitatur.

SEd tale est, * inquis, ac si aliquis insulam Oceani, omnes terras suâ fertilitate vincentem, quæ, difficultate imò impossibilitate inveniendi quod non est, perdita nominatur, dicat idcirco non posse dubitari verè esse in re; quia verbis descriptam facilè quis intelligit. Fidens loquor: quia si quis * invenerit mihi * aliquid aut reipla, aut sola cogitatione existens, * præter quo majus cogitari non possit, * cui aptare valeat connexionem hujus meæ argumentationis; inveniam, & dabo illi perditam insulam ampliùs non perdendam. Palàm autem jam videtur quo non valet cogitari majus, non posse cogitari non esse, quod tam certa ratione veritatis existit; aliter enim nullatenus existeret. Denique si quis dicit se cogitare illud non esse: dico quod tum cùm hoc cogitat; aut cogitat * aliquid, quo majus cogitari non possit; aut non cogitat. * Si non cogitat; non cogitat non esse quod non cogitat. Si verò cogitat; utique cogitat * aliquid, quod nec cogitari possit non esse. Si enim posset cogitari non esse; cogitari posset habere principium & finem: sed hoc non potest. Qui ergo illud cogitat, aliquid cogitat, quod nec cogitari possit non esse; hoc verò * qui cogitat, non cogitat idipsum non * esse: alioquin cogitat quod cogitari non potest. Non igitur potest cogitari non esse quo majus nequit cogitari.

CAPUT IV.

Differentia inter posse cogitari, & intelligi non esse.

QUod autem dicis: quia cùm dicitur quòd summa res ista non esse nequeat cogitari: melius fortassè diceretur quòd non esse, aut etiam posse non esse, non possit intelligi: potius dicendum fuit, non possit cogitari. Si enim dixissem rem ipsam non posse intelligi non esse: fortasse tu ipse, qui dicis quia secundùm proprietatem verbi istius falsa nequeunt intelligi, objiceres nihil, quod est, posse intelligi non esse: falsum est enim non esse, quòd est: quare non * esset proprium Deo, non posse intelligi non esse. Quòd si * aliquid eorum, quæ certissimè sunt, potest intelligi non esse; similiter & alia certa * posse intelligi non esse. Sed hoc utique non potest objici de cogitatione, si bene consideretur. Nam etsi nulla quæ sunt, possunt intelligi non esse; omnia tamen possunt cogitari non esse, præter id quod summè est. Illa quippe omnia & sola possunt cogitari non esse; quæ initium, aut finem, aut partium habent conjunctionem, &, sicut jam dixi, quicquid alicubi aut aliquando totum non est: illud verò solùm non potest cogitari non esse, in quo nec initium, nec finem, nec partium conjunctionem, & quod non nisi semper & ubique totum * ulla invenit cogitatio. Scito igitur quia potes cogitare * te non esse, * quandiu esse certissimè scis: quod te miror dixisse nescire. Multa namque cogitamus non esse, quæ scimus esse: & multa esse, quæ non esse scimus: non existimando, sed fingendo ita esse ut cogitamus. Et * quidem possumus cogitare aliquid non esse, quandiu scimus esse, quia simul & illud possumus, & istud scimus: & non possumus cogitare non esse * quandiu scimus esse; quia non possumus cogitare esse simul, & non esse. Si quis igitur sic distinguat hujus prolationis has duas sententias: * intelliget nihil, quandiu esse scitur, * posse cogitari non esse; & quicquid est, præter id quo majus cogitari nequit, etiam cùm scitur esse, posse cogitari non esse. Sic igitur & proprium est Deo, non posse cogitari non esse; & tamen multa non possunt * cogitari, quandiu sunt, non esse. Quomodo autem dicatur cogitari Deus non esse, in ipso libello puto sufficienter esse dictum.

Omnia & hæc sola possunt cogitari non esse, quæ initium, aut finem, aut partium conjunctionem habent, & hoc est, quia alia non cogitamus non esse.

Proprium est Deo non posse cogitari non esse.

CAPUT V.

Specialis discussio variorum adversarii dictorum: ac primum quòd initio infideliter retulerit ratiocinationem, quam refellendam suscepit.

QUalia verò sint & alia, quæ mihi objicis pro insipiente, facile est deprehendere vel parum sapienti; & ideo id ostendere supersedendum existimaveram. Sed quoniam audio quibusdam ea legentibus aliquid contra me valere videri; paucis de illis commemorabo. Primùm, quòd sæpe repetis me dicere quia quod est majus omnibus, * est in intellectu; & si est in intellectu, est & in re: aliter enim omnibus majus; non esset omnibus majus. Nusquam in omnibus dictis meis invenitur talis probatio. Non enim * idem valet, quod dicitur; majus omnibus, &, quo majus cogitari nequit, ad probandum quia est in re quod dicitur. Si quis enim dicat quo majus cogitari non possit, non esse aliquid in re; aut posse non esse; aut vel non esse posse cogitari; facilè refelli potest. Nam quod non est, potest non esse; & quod non esse potest, cogitari potest non esse. Quicquid autem cogitari potest non esse; si est, non est quo majus cogitari non possit: quod si non est, utique si esset, non esset quo majus non possit cogitari. Sed dici non potest: quia quò majus non possit cogitari, si est, * non est quo majus cogitari non possit; aut si esset, non esset quo non possit cogitari majus. Patet ergo quia nec * non est, nec potest non esse, aut cogitari non esse. Aliter enim, si est, non est quod dicitur; & si esset, non esset. Hoc autem non tam facilè probari posse videtur de eo quod majus omnibus dicitur. Non enim ita patet quia quod non esse cogitari potest, non est majus omnibus quæ sunt; sicut quia non est quo majus cogitari non possit: nec sic est indubitabile quia si est aliquid majus omnibus, non est * aliud quàm quo majus non possit cogitari; aut si esset, non esset similiter * aliud: * quomodo certum est de eo quod dicitur, quo majus cogitari nequit. Quid enim: si quis dicat esse aliquid majus omnibus quæ sunt; & idipsum tamen posse cogitari non esse: & aliquid majus * eo, etiamsi non sit; posse tamen cogitari: an * hîc sic apertè inferri potest, non est ergo

Aliud est quod est majus omnibus: aliud, quo majus cogitari non potest.

majus omnibus quæ ſunt; ſicut ibi apertiſſimè diceretur, ergo non eſt quo majus cogitari nequit? Illud namque alio indiget argumento, quàm hoc quod dicitur, *omnibus majus*. In iſto verò non eſt opus alio, quàm hoc ipſo quod ſonat, *quo majus cogitari non poſſit*. Ergo ſi non ſimiliter poteſt probari de eo quod majus omnibus dicitur, quod de ſe per ſeipſum probat quo majus nequit cogitari: injuſtè me reprehendiſti dixiſſe quod non dixi; cùm tantùm differat ab eo quod dixi. Si verò vel aliud argumentum * poteſt: nec ſic me debuiſti reprehendere dixiſſe quod probari poteſt. Utrùm autem poſſit, facilè perpendit, qui hoc poſſe, quo majus cogitari nequit, cognoſcit: nullatenus enim poteſt intelligi quo magis cogitari non poſſit; niſi id quod ſolum omnibus eſt majus. Sicut ergo quo majus cogitari nequit intelligitur, & eſt in intellectu; & ideo eſſe in rei veritate aſſeritur: ſic quod majus dicitur omnibus intelligi, & eſſe in * intellectu; & idcirco reipſa eſſe ex neceſſitate concluditur. Vides ergo quàm rectè me comparaſti ſtulto illi, qui hoc ſolo quòd deſcripta intelligeretur, perditam inſulam eſſe vellet aſſerere.

CAPUT VI.

Diſcutitur dictum adverſarii in num. 2. qualibet falſa ſimiliter poſſent intelligi, atque adeo eſſent.

QUod autem objicis, quælibet falſa vel dubia ſimiliter poſſe intelligi, & eſſe in intellectu; quemadmodum illud, quod dicebam. Miror * quid hic ſenſiſti contra me, dubium probare volentem; cui primum hoc ſatis erat, ut quolibet modo illud intelligi & eſſe in intellectu oſtenderem: * quatenus conſequenter * conſideraretur utrùm eſſet in ſolo intellectu, velut falſa; an & in re, ut vera. Nam ſi falſa & dubia hoc modo intelliguntur, & ſunt in intellectu; quia cùm dicuntur, audiens intelligit quid dicens ſignificet: nihil prohibet quod dixi intelligi, & eſſe in intellectu. Quomodo autem ſibi * conveniant quod dicis quia falſa dicente aliquo, quæcunque ille diceret, intelligeres: & quia illud quod eſt non eo modo quo etiam falſa habentur in cogitatione, non diceris auditum cogitare, aut in cogitatione habere: quia, ſcilicet, non poſſis hoc aliter cogitare, niſi intelligendo, id eſt, ſcientia comprehendendo re ipsâ illud exiſtere? Quomodo, inquam, conveniant, & falſa intelligi; & intelligere eſſe ſcientiâ comprehendere exiſtere * aliquid: nihil ad me, tu videris. Quòd ſi & falſa aliquo modo intelliguntur: & non omnis, ſed cujuſdam intellectûs eſt hæc diffinitio: non debui reprehendi, quia dixi quo majus cogitari non poſſit intelligi, & in intellectu eſſe; etiam antequam certum eſſet reipsâ illud exiſtere.

Repugnat falſa intelligi ſi intelligere eſt ſcientiâ comprehendere exiſtere aliquid.

Falſa poſſunt aliquo modo intelligi hoc eſt cogitari.

bile poteſt eſſe, idcirco quemlibet negare quo majus cogitari nequit, quod auditum aliquatenus intelligit; quia negat Deum, cujus ſenſum nullo modo cogitat. * Aut ſi & illud, quia non omnino intelligitur, negatur; nonne tamen faciliùs id quod aliquo modo, quàm id quod nullo modo intelligitur, probatur? Non ergo irrationabiliter contra inſipientem, ad probandum Deum eſſe, attulit, quo majus cogitari non poſſit: cùm illud nullo modo; iſtud aliquo modo intelligeret.

CAPUT VIII.

Comparatio picturæ num. 3. propoſita examinatur. Et unde conjici queat ſummum magnum, de quo adverſarius num. 4. quæſierat.

QUod verò tam ſtudiosè probas, quo majus cogitari nequit, non tale eſſe; qualis nondum facta pictura in intellectu pictoris, ſine cauſa fit. Non enim ad hoc protuli picturam præcogitatam, ut tale illud, de quo agebatur, vellem aſſerere: ſed tantùm, ut aliquid * eſſe in intellectu, quod non eſſe intelligeretur, poſſem oſtendere. Item, quod dicis: quo majus cogitari nequit, ſecundùm rem vel ex genere tibi vel ex ſpecie notam, te cogitare auditum, vel in * intellectu habere non poſſe; quoniam nec ipſam rem * noſti, nec eam ex alia ſimili potes cognoſcere: palàm eſt rem aliter ſeſe habere. Quoniam namque omne minus bonum, in tantum eſt ſimile majori bono, in quantum eſt bonum; patet cuilibet rationali menti quia de minoribus bonis ad majora conſcendendo, ex his, quibus * aliquid cogitari poteſt majus, multum poſſumus conjicere illud, quo nihil poteſt majus cogitari. Quis enim, verbi gratiâ, vel hoc cogitare non poteſt, etiam ſi non credat in re eſſe quod cogitat, ſcilicet, ſi bonum eſt aliquid, quod initium & finem habet; multò melius eſſe bonum, quod licet incipiat, non tamen deſinit: & ſicut iſtud illo melius eſt; * ita iſto eſſe melius illud, quod nec finem habet, nec initium; etiamſi ſemper de præterito per præſens tranſeat ad futurum: & ſive ſit in re aliquid hujuſmodi, ſive non ſit; valde tamen eo * melius eſſe id, quod nullo modo indiget vel cogitur mutari, vel moveri: an hoc cogitari non poteſt; aut aliquid hoc majus cogitari poteſt, aut non eſt hoc ex iis, quibus majus cogitari valet, * conjicere id quo majus cogitari nequit? Eſt igitur unde poſſit conjici, quo majus cogitari nequeat. Sic itaque facilè refelli poteſt inſipiens, qui ſacram auctoritatem non recipit; ſi negat, quo majus cogitari non valet, ex aliis rebus * conjici poſſe. * At ſi quis Catholicus hoc neget; meminerit quia *inviſibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus & Divinitas.* Ad Rom. 1.

Picturæ exemplo oſtendit tantum quia aliquid eſt in intellectu, quod intelligitur non eſſe.

Ipſius ſimilis Deus poteſt cognoſci.

Ex minori bono majus bonum cognoſcitur.

CAPUT IX.

Summum magnum cogitari & intelligi poſſe: & roboratur ratio contra inſipientem falla.

SEd etſi verum eſſet non poſſe cogitari vel intelligi * illud, *quo majus nequit cogitari*: * non tamen falſum eſſet, quo majus cogitari nequit, cogitari poſſe & intelligi. Sicut enim nihil prohibet dici, *ineffabile*; licet illud dici non poſſit, quod ineffabile dicitur; & quemadmodum cogitari poteſt *non-cogitabile*, quamvis illud cogitari non poſſit, cui convenit non-cogitabile dici: ita cùm dicitur, *quo nihil majus valet cogitari*: procul dubio quod auditur, cogitari & intelligi poteſt, etiamſi res illa cogitari non valeat aut intelligi, quà majus cogitari nequit. Nam etſi quiſquam eſt tam inſipiens, ut dicat non eſſe aliquid, quo majus non poſſit cogitari; non tamen ita erit impudens, ut dicat ſe non poſſe intelligere aut cogitare quid dicat:

gitized by Google

aut si quis talis invenitur; non modò sermo ejus est A respuendus, sed & ipse conspuendus. Quisquis igitur negat aliquid esse, quo majus nequeat cogitari; utique intelligit & cogitat negationem, quam facit: quam negationem intelligere, aut cogitare non potest sine partibus ejus: pars autem ejus est, *quo majus cogitari non potest*. Quicunque igitur hoc negat; intelligit & cogitat, quo majus cogitari nequit. Palàm autem est quia similiter potest cogitari & intelligi, quod * non potest non esse: majus * verò cogitat, qui hoc cogitat; quàm qui cogitat quod possit non esse. Cum ergo cogitatur, quo majus non possit cogitari, * si cogitatur quod possit non esse, non cogitatur quo non possit cogitari majus: sed nequit idem simul cogitari, & non B cogitari. Quare qui cogitat quo majus non possit cogitari; non cogitat quod possit, sed quod non possit non esse. Quapropter necesse est esse quod cogitat; quia quicquid non esse potest, non est quod cogitat.

Qui cogitat quo majus non potest cogitari, cogitat quod non est.

CAPUT X.

Firmitas rationis prædictæ, & libelli clausula.

PUto quia monstravi me non infirmè, sed satis necessariâ argumentatione probasse in præfato libello, reipsa existere aliquid, quo majus cogitari non possit; nec eam alicujus objectionis infirmari * firmitate. Tantam enim vim hujus * probationis in se continet significatio; ut hoc ipsum quod dicitur, ex necessitate, eo ipso quòd intelligitur vel cogitatur, & revera probetur existere, & idipsum esse quicquid de divina substantia oportet credere. Credimus namque de divina substantia, quicquid * absolutè cogitari potest melius esse quàm esse. Verbi gratia: Melius est esse æternum, quàm non æternum: bonum, quàm non bonum: immò bonitatem ipsam, quàm non bonitatem ipsam. Nihil autem hujusmodi non esse potest, quo majus aliquid cogitari non potest. Necesse igitur est, quo majus cogitari non potest, esse quicquid de divina essentia credi oportet. Gratias ago * benignitati tuæ & in reprehensione, & in laude opusculi mei. Cùm enim ea, quæ tibi digna susceptione videntur, tantâ laude extulisti; satis apparet, quia quæ tibi infirma visa sunt, benevolentiâ, non malevolentiâ * reprehendisti.

agitatur & intelligitur.

Qui quod obtutè cogitari potest melius ipso quam non esse: hoc credimus de Divina substantia, quod ipse id quo majus cogitari non potest.

Quo majus non potest cogitari, eo ipso probatur esse, quia

Digitized by Google

SANCTI ANSELMI
CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI
LIBER DE FIDE TRINITATIS
ET DE INCARNATIONE VERBI:
Contra blaſphemias Ruzelini, ſive Roſcelini.

PRÆFATIO.

QUAMVIS poſt Apoſtolos, ſancti Patres & Doctores noſtri multi tot & tanta de fidei noſtræ ratione dicant ad * confutandam inſipientiam, & frangendam duritiam infidelium; & ad paſcendum eos, qui, jam corde fide mundato, ejuſdem fidei ratione (quam poſt ejus certitudinem debemus eſurire) delectantur; ut nec noſtris, nec futuris temporibus, ullum illis parem in veritatis contemplatione ſperemus: nullum tamen reprehendendum arbitror, ſi fide ſtabilitus, in rationis ejus indagine ſe voluerit exercere. Nam & illi, quia *breves dies ſunt*, non omnia quæ poſſent, * ſi diutius vixiſſent, dicere potuerunt: & veritatis ratio tam ampla, tamque profunda eſt, ut à mortalibus nequeat exhauriri: & Dominus in Eccleſia ſua, cum, qua ſe eſſe uſque ad conſummationem ſæculi promittit, gratiæ ſuæ dona non deſinit impertiri. Et, ut alia taceam, quibus ſacra pagina nos ad inveſtigandam rationem invitat, ubi dicit: *Niſi credideritis, non intelligetis*, apertè nos monet intentionem ad intellectum extendere; cùm docet qualiter ad illum debeamus proficere. Denique quoniam inter fidem & ſpeciem intellectum, quem in hac vita capimus, eſſe medium intelligo, quantò aliquis ad illum proficit, tantò eum propinquare ſpeciei, (ad quam omnes anhelamus) exiſtimo. Hac igitur ego conſideratione, licet ſim homo parvæ nimis ſcientiæ, confortatus, ad eorum, quæ credimus, rationem intuendam, quantùm ſuperna gratia mihi dare dignatur, aliquando * conor aſſurgere; & cùm aliquid, quod prius non videbam, reperio, id aliis libenter aperio: quatenus quid ſecurè tenere debeam, alieno diſcam judicio. Quapropter, mi Pater & Domine, Chriſtianis omnibus cum reverentia amandè, & cum amore reverende, Papa Urbane, quem Dei providentia in ſua Eccleſia ſummum conſtituit Pontificem, quoniam nulli rectiùs poſſum, veſtræ Sanctitatis præſento conſpectui ſubditum opuſculum: ut ejus auctoritate, quæ ibi ſuſcipienda ſunt, approbentur, & quæ corrigenda ſunt, emendentur.

al. *Confutandam.*

Pſal. 14. v. 5. al. *Pigeat.*

Iſaiæ 7. v. 9.

al. *cnitor.*

DOMINO ET PATRI UNIVERSÆ Eccleſiæ in terra peregrinanti, ſummo Pontifici Urbano, Frater Anſelmus vitâ peccator, habitu monachus, ſive jubente ſive permittente Deo, Cantuariæ metropolis vocatus Epiſcopus, debitam ſubjectionem, cum humili ſervitio, & devotis orationibus.

QUoniam divina providentia veſtram elegit Sanctitatem, cui vitam & fidem Chriſtianam cuſtodiendam, & Eccleſiam ſuam regendam committeret; ad nullum alium rectiùs refertur, ſi quid contra Catholicam fidem oritur in Eccleſia; ut ejus auctoritate corrigatur: nec ulli alii tutius, ſi quid contra errorem reſpondetur, oſtenditur; ut ejus prudentiâ examinetur. Quapropter ſicut nulli digniùs poſſum; ita nulli libentiùs præſentem epiſtolam, quàm veſtræ deſtino ſapientiæ: quatenus ſi quid in ea corrigendum eſt, veſtrâ cenſurâ caſtigetur; & quod * regulam veritatis tenet, veſtrâ auctoritate roboretur.

CAPUT I.

Scribendi occaſio, & ſtatus quæſtionis.

CUm adhuc in Becci monaſterio eſſem Abbas, præſumpta eſt à quodam* clerico in Francia talis aſſertio. *Si in Deo*, inquit, *tres perſonæ ſunt una tantùm res; & non ſunt tres res unaquæque per ſe ſeparatim, ſicut tres Angeli, aut tres animæ; ita tamen ut potentiâ & voluntate omnino ſint idem: ergo Pater & Spiritus ſanctus cum Filio eſt incarnatus.* Quod cùm ad me perlatum eſſet; incepi contra hunc errorem quandam epiſtolam, quam, parte quadam editâ, perficere contempſi, credens non eâ opus eſſe; quoniam & ille, contra quem fiebat, in Concilio à venerabili Remenſi Archiepiſcopo Raynaldo collecto, errorem

Vide l. 2. Ep. ad Fulconem. Anſelm &c. Roſcelinum, ſive Roſcelinum Compendienſem. Illius ſententia.

Hunc errorem correxerat in Conc. Sueſſionenſi ſed ſolo verbo, & ſolo nomine

Digitized by Google

ſuum abjuraverat; & nullus videbatur, qui eum errare ignoraret: partem tamen illam, quam feceram, quidam Fratres, me neſciente, tranſcripſerunt, atque aliis legendam tradiderunt: quod idcirco dico, ut ſi in alicujus manus pars illa venerit, quanquam ibi nihil falſum ſit, tamen tanquam imperfecta, & non exquiſita relinquatur; & hîc quod ibi incepi, diligentiùs inceptum & perfectum requiratur. Poſtquam enim in Angliâ ad * piſcopatum, neſcio qua Dei diſpoſitione, captus & retentus ſum; audivi præfatæ novitatis auctorem in ſua perſeverantem ſententia dicere ſe non ob aliud abjuraſſe quod dicebat, niſi quia à populo interfici timebat. Hac igitur cauſa quidam Fratres precibus ſuis me coegerunt ut ſolverem quæſtionem, qua ipſe ſic irretitus erat, ut nullomodo ſe expediri ab ea poſſe crederet; niſi aut incarnatione Dei Patris & Spiritûs ſancti, aut * deorum * multitudine ſe impediret. Quod rogo ne quis putet præſumptiſſe me; quaſi fortitudinem fidei Chriſtianæ, meæ exiſtimem indigere defenſionis auxilio. Quippe ſi ego contemptibilis homuncio, tot ſanctis & ſapientibus ubique exiſtentibus, ad confirmandum fidei Chriſtianæ firmamentum, quaſi meâ indigeat defenſione, aliquid ſcribere tentarem; præſumptor utique judicari, & deridendus poſſem videri. Si enim me viderent homines alii onuſtum paxillis, & funibus, & aliis rebus, quibus putantantia ligari & * ſtabiliri ſolent, elaborare circa montem Olympum, ad confirmandum eum, ne alicujus impulſu nutaret, aut ſubverteretur; mirum, ſi ſe à riſu & deriſu contineant; quantò magis, cùm lapis, qui abeſſillus * de monte ſine manibus, percuſſit & comminuit ſtatuam, quam vidit in ſomnio Nabuchodonoſor; jam factus * mons magnus impleverit univerſam terram; ſi eum meis rationibus fulcire, & quaſi nutantem ſtabilire nitar; tot ſancti & ſapientes, qui * ſuper ejus æternam firmitatem ſe ſtabilitos eſſe gaudent, indignari mihi poſſunt; & hoc imputare, non ſtudioſæ gravitati, ſed * jactantiæ levitati? Si quid ergo de firmitate fidei noſtræ in hac epiſtola diſputavero, non eſt ad confirmandam illam, ſed ad Fratrum hoc exigentium * precibus ſatisfaciendum. Sed ſi ille, qui præfatam protulit ſententiam, Deo corrigente, ad veritatem rediit; nullatenus putet me in hac epiſtola contra ſe loqui: quia jam non eſt quod fuit. Si enim fuit aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: non ſunt arguendæ tenebræ, quæ jam non ſunt; ſed lux approbanda quæ lucet. Veruntamen ſive adhuc ad lucem redierit, ſive non: quoniam ſentio laborare plures in eadem quæſtione, etiamſi fides in illis ſuperet rationem, quæ illis fidei videtur repugnare; non mihi videtur ſuperfluum repugnantiam illam diſſolvere.

Contra hanc S. Anſelmus ſimbus hoc quæ.

al. de eadem ad multiplicationem.

S. Anſelmi humilitas.

al. ſolidari.

al. petitionibus.

CAPUT II.

Quòd ſacræ fidei quæſtiones, quas diſputamus, exercitamur, non quibuſlibet dialectici, ſed in Scripturis ſacris exerciti ſuſcipere humiliter debent.

SEd priuſquam de quæſtione diſſeram, aliquid præmittam ad compeſcendam eorum præſumptionem, qui nefandâ temeritate audent diſputare contra aliquid eorum, quæ fides Chriſtiana confitetur, quoniam id intellectu capere nequeunt: & potius inſipienti ſuperbiâ judicant nullatenus poſſe eſſe, quod nequeunt intelligere; quàm humili ſapientiâ fateantur eſſe multa poſſe, quæ ipſi non valeant comprehendere. Nullus quippe Chriſtianus debet diſputare quomodo quod Catholica Eccleſia corde credit, & ore confitetur, non ſit: ſed ſemper eandem fidem indubitanter tenendo, amando, & ſecundùm illam vivendo, humiliter quantùm poteſt, quærere rationem quomodo ſit. Si poteſt intelligere, Deo gratias agat: ſi non poteſt, non immittat cornua ad ventilandum; ſed ſubmittat caput ad venerandum. Citiùs enim poteſt in ſe confidens humana ſapientia impingendo cornua ſibi evellere, quàm vi * nitendo petram hanc evellere. Solent enim quidam, cùm cœperint quaſi cornua confidentis ſibi ſcientiæ producere, neſcientes quòd ſi quis æſtimat ſe ſcire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum ſcire, antequam habeant per ſoliditatem fidei alas ſpiritales, præſumendo in altiſſimas de fide quæſtiones allurgere. Unde fit ut dum ad illa, quæ priùs fidei ſcalam exigunt, ſicut ſcriptum eſt: *nſi ſitis credideritis, non intelligetis*, præpoſterè priùs per intellectum conantur aſcendere; multimodos errores per intellectûs defectum cogantur deſcendere. Palàm namque eſt quia illi non habent fidei firmitatem, qui, quoniam quod credunt intelligere non poſſunt, diſputant contra ejuſdem fidei à ſanctis Patribus confirmatam veritatem: velut ſi veſpertiliones & noctuæ non niſi in nocte cœlum videntes, de meridianis Solis radiis diſceptent contra aquilas ſolem ipſum irreverberato viſu intuentes. Priùs ergo fide mundandum eſt cor, ſicut dicitur de Deo, *fide mundans corda eorum*; & priùs per præceptorum Domini cuſtodiam illuminandi ſunt oculi, quia *præceptum Domini lucidum illuminans oculos*, & priùs per humilem obedientiam teſtimoniorum Dei debemus fieri parvuli, ut diſcamus ſapientiam, quam dat *teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis*. Unde Dominus: *Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis*. Priùs, inquam, ea quæ carnis ſunt poſtponentes, ſecundùm ſpiritum vivamus; quàm profunda fidei dijudicando diſcutiamus: nam qui ſecundùm carnem vivit, carnalis ſive animalis eſt, de quo dicitur: Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei. Qui verò ſpiritu facta carnis mortificat, ſpiritualis efficitur; de quo legitur quia *ſpiritualis omnia judicat, & ipſe à nemine judicatur*. Verum enim eſt quia quantò opulentiùs nutrimur in ſacra Scriptura ex his, quæ per obedientiam paſcunt; tantò ſublimiùs provehimur ad ea, quæ per intellectum ſatiant: fruſtra quippe conatur dicere: *ſuper omnes docentes me intellexi*, qui proferre non audet: *quia teſtimonia tua meditatio mea eſt*. Et mendaciter pronuntiat: *Super ſenes intellexi*, cui non eſt familiare quod ſequitur: *quia mandata tua quæſivi*. Nimirum hoc ipſum quod dico, qui non crediderit, non intelliget. Nam qui non crediderit, non experietur: & qui expertus non fuerit, non * intelliget. Nam quantùm rei auditum ſuperat experientia, tantùm vincit audientis cognitionem experientis ſcientia: & non ſolùm ad intelligendum altiora prohibetur mens aſcendere ſine fide & mandatorum Dei obedientiâ; ſed etiam aliquando datus intellectus ſubtrahitur, & fides ipſa ſubvertitur, neglectâ bonâ conſcientiâ. Ait enim de quibuſdam Apoſtolus: *Cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum*. Et cùm præciperet Timotheo militare *mi, litiam bonam*, ait, *habens fidem & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt*. Nemo ergo ſe temere immergat in condenſa * divinarũ quæſtionum; niſi priùs, in ſoliditate fidei, conquiſitâ morum & ſapientiæ gravitate: ne per multiplicia ſophiſmatum diverticula * incautâ levitate diſcurrens, aliqua tenaci i laqueetur fallitate. Cumque omnes, ut cautiſſimè ad ſacræ paginæ quæſtiones accedant, ſint commonendi; illi utique noſtri temporis dialectici (immò dialecticè hæretici, qui * non niſi flatum vocis putant eſſe univerſales ſubſtantias, & qui colorem non aliud queunt intelligere quàm corpus, nec ſapientiam hominis aliud quàm animam) prorſus à ſpiritualium quæſtionum diſputatione ſunt exſufflandi. In

al. inniteṅdo evellere.

Iſa. 7. v. 9.

Act. 15. v. 9.

Pſal. 18. v. 8.

Pſal. 18. v. 8.

Mat. 11. v. 25.

1. Cor. 2. v. 14.

Ibidem. v. 15.

Pſ. 118. v. 99.

Ibidem.

al. cognoſcet.

Sine fide & mandatorum Dei obedientia mens non intelligit ea quæ Dei ſunt. Neglectâ bonâ conſcientia, datus intellectus ſubtrahitur, & fides ſubvertitur.

Rom. 1. 1. Tim. 1. v. 19.

al. difficilimarum.

al. in tanta.

Dialectici qui non niſi flatum vocis putant eſſe univerſales ſubſtantias, à ſpiritualium quæſtionum diſputatione exſufflandi

Chriſtianus non diſputat quomodo non ſit, ſed quia non quomodo ſit, quæ Eccleſia credit.

eorum quippe animabus ratio, quæ & princeps & judex omnium debet esse quæ sunt in homine, sic est in * imaginationibus corporalibus obvoluta; ut ex eis se non possit evolvere, nec ab ipsis ea, quæ ipsa sola & pura contemplari debet, valeat discernere. Qui enim nondum intelligit quomodo plures homines in specie sint unus homo; qualiter in illa secretissima & altissima natura comprehendet quomodo plures personæ, quarum singula quæque est perfectus Deus, sint unus Deus? Et cujus mens * obscura est ad * discernendum inter equum suum & colorem ejus; qualiter discernet inter unum Deum, & plures relationes ejus? Denique qui non potest intelligere aliquid esse hominem, niti individuum: nullatenus intelliget hominem, nisi humanam personam. Omnis enim individuus homo, persona est. Quomodo ergo iste intelliget hominem assumptum esse à Verbo, non personam; id est, aliam naturam, non aliam personam esse assumptam? Hæc dixi, ne quis antequam sit idoneus, altissimas de fide quæstiones præsumat discutere: aut, si præsumpserit, nulla difficultas aut impossibilitas intelligendi valeat illum à veritate, cui per fidem adhæsit, excutere. Jam veniendum est ad id, propter quod incepimus.

al. imaginibus.

al. obscurata

al. dijudicandum.

Qui non intelligit aliquid esse hominem nisi individuum: cum omnis homo individuus, persona sit: Quomodo is intelligit hominem assumptum esse à Verbo, quo persona?

CAPUT III.

Quòd non sunt tres dii: & quanquam sint tres res personales; una tamen est res essentialis.

Pastorini recantatio.

Dicit (sicut audio) ille, qui tres personas dicitur asserere esse velut tres Angelos, aut tres animas. *Pagani defendunt legem suam: Judæi defendunt legem suam: ergo & nos Christiani debemus defendere fidem nostram.* Audiamus quomodo iste Christianus defendat fidem suam. *Si*, inquit, *tres personæ sunt una tantùm res, & non sunt tres res, unaquæque per se separatim, sicut tres Angeli, aut tres animæ; ita tamen ut voluntate & potentiâ omnino sint idem: ergo Pater & Spiritus sanctus cum Filio incarnatus est.* Videte quid dicat iste homo; quomodo defendat iste Christianus fidem suam. Certè aut vult confiteri tres deos, aut non intelligit quod dicit. Sed si tres deos confitetur, non est Christianus: si autem affirmat quod non intelligit, non illi credendum est. Huic homini non est respondendum auctoritate sacræ Scripturæ; quia aut ei non credit, aut eam perverso sensu interpretatur. Quid enim apertiùs dicit Scriptura sacra, quàm quòd Deus unus & solus est? Ratione igitur, quâ se defendere nititur, ejus error demonstrandus est. Ut autem faciliùs & brevius hoc faciam, loquar tantùm de Patre & Filio: quoniam hæ duæ personæ suis propriis vocibus aliæ ab invicem apertè designantur. Nam nomen Spiritus sancti non est alienum à Patre & Filio, quia uterque est & Spiritus, & sanctus. Quod autem in Patre & Filio de unitate substantiæ, vel pluralitate personarum inveniemus, hoc in tribus absque dubio cognoscemus. Dicat ergo: si duæ personæ, Pater & Filius, non sunt duæ res. Quæramus primùm quid velit hìc dicere duas res. Nam unamquamque personam credimus esse hoc, quod commune est ambobus; & esse hoc, quod proprium est sibi. Persona enim Patris, & Deus est, quod commune est illi cum Filio; & Pater est, quod * ei proprium est. Similiter persona Filii, & Deus est, quod commune est illi cum Patre; & Filius est, quod non nisi de hac sola persona dicitur. In his igitur duabus personis unum est commune, id est, Deus: & duo propria, quæ sunt Pater & Filius. Quæcunque enim illis sunt communia, ut omnipotens, æternus, in hoc solo communi intelliguntur. Et quæ sunt singulis propria, ut * est Patri genitor, vel gignens; & Filio Verbum, vel genitus; his duobus nominibus, Patris, scilicet, & Filii significantur. Cùm igitur dicit has duas personas esse duas res: quæro quid dicat ibi esse duas res; an id quod commune est illis; an ea quæ propria sunt singula singulis. Sed si duas res esse dicit duo propria, id est, Patrem & Filium; ut tamen id, quod commune est, non sit plures res, sed una & sola res: superfluè hoc dicit; quia nemo Christianus confitetur Patrem & Filium, secundùm hæc duo propria, unam rem esse, sed duas. Solemus enim usu dicere rem, quicquid aliquo modo dicimus esse aliquid. Qui autem dicit de Deo Patrem aut Filium, aliquid de eo dicit; & omnes sciunt in Deo Patrem non esse Filium, & Filium non esse Patrem; quamvis in uno homine pater sit filius, & filius sit pater, si idem homo est pater & filius: quod ideo fit, quia in Deo dicuntur oppositè; in uno verò homine non ad invicem, sed ad alium filium pater, & ad alium patrem filius dicitur. Hoc ergo modo nihil prohibet dicere duas personas, Patrem & Filium esse duas res; si tamen intelligatur, cujusmodi sint res. Non enim sic sunt Pater & filius duæ res; ut in his duabus rebus intelligatur eorum substantia, sed eorum relationes: quamvis ille per ea, quæ subjungit, apertè ostendat se non intelligere hoc modo duas personas esse duas res. Nam cùm dicit: *si tres personæ sint una tantùm res, & non tres res*, subjungit, *per se separatim.* Quippe talem videtur pronuntiare separationem, quæ prohibeat esse simul in eodem homine patrem & filium. Per hanc namque solam putat se * posse liberare Patrem à communione Incarnationis cum Filio. Nam per illam separationem, qua aliud est esse patrem, & aliud esse filium (quoniam aliæ sunt ab invicem paternitas & filiatio) si credit unum & solum esse Deum, qui est Pater & Filius, non videt Patrem & Filium posse separari, quin sint in eodem homine simul. Aut ergo aliam separationem personarum Patris & Filii loquitur, quàm illam, quâ, secundùm propria, alii sunt ab invicem Pater & Filius; quia per hanc non intelligit Incarnationem alienam esse à Patre: immò si simul sunt Pater & Filius, opinatur consequi Patrem esse participem Incarnationis cum Filio. Aut si illam dicit, frustra laborat, sicut jam dixi; quia Christiana fides hoc modo intelligit Patrem & Filium esse duas res. Sed cùm ait, *sicut sunt tres Angeli, aut tres animæ*, apertè monstrat se non de pluralitate vel separatione illa loqui, quæ in illis est personis secundùm propria. Nempe de nullâ unâ eâdemque numero re duo Angeli dicuntur, aut duæ animæ; nec unum aliquid numero de duobus Angelis dicitur, aut de duabus animabus: sicut Patrem & Filium dicimus de Deo uno numero, & unum numero Deum de Patre & Filio. Credimus enim & dicimus quia Deus est Pater, & Deus est Filius; & conversim, Pater est Deus, & Filius est Deus: & tamen nec etedimus nec dicimus plures esse deos; sed ita unum esse Deum numero, sicut naturâ: quamvis Pater & Filius non sint unus, sed duo. Angelum enim & animam secundùm substantiam dicimus, non secundùm relationem. Nam licet Angeli nomen ab officio * sumptum sit; quia Angelus nuntius dicitur; tamen sicut anima pro specie substantiæ accipitur, ita & Angelus. Quod ipse intelligere se monstrat, cùm pariter dicit: *sicut sunt tres Angeli, aut tres animæ.* Talem * itaque * significat pluralitatem & separationem, qualem habent plures Angeli aut animæ, id est, qualem habent plures substantiæ. Quod adhuc apertè monstrare videtur, cùm subdit: *ita tamen ut voluntate & potestate omnino sint idem.* Sic enim intelligit voluntatem & potestatem in illis pluribus rebus, quemadmodum in pluribus Angelis aut animabus: quod intelligi non potest, si illæ plures res putantur secundùm proprietates personarum esse, non secundùm hoc quod communiter dicuntur.

Nihil prohibet dicere tres & Filium esse duas res, si non substantias, sed relationes earum intelligantur.

Non eo sensu Patrem unius dici in Deo à Filio, sed secundùm substantiam.

al. dictum

al. ejus

Nullatenus namque Patris & Filii, ſecundùm ipſas A proprietates, id eſt, ſecundùm paternitatem & filiationem, ulla voluntas aut potentia eſt; ſed ſecundùm Divinitatis ſubſtantiam, quæ communis eſt illis. Quare ſi dicit tres perſonas eſſe tres res, ſecundùm ipſa propria; palàm eſt quàm ſuperfluè hoc dicat, quàm etiam inconvenienter, cùm * addit: *ſicut ſunt tres Angeli, aut tres animæ.* * At ſi dicit eaſdem perſonas duas eſſe res, ſecundùm hoc quod commune eſt illis, id eſt, ſecundùm quod ſingula quæque, & plures ſimul, unus perfectus Deus eſt. Primùm quæro an ſit Chriſtianus. Reſpondebit, ut æſtimo, * ſe hoc eſſe. Ergo credit unum eſſe Deum, & ipſum eſſe tres perſonas; id eſt, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum; & Filii perſonam ſolam incarnatam, aliis tamen duabus cooperantibus. Qui autem ita credit, affirmat eum non eſſe Chriſtianum, qui aliquid vult aſſerere contra aliquid horum. Si ergo iſte ita credit, negat eum eſſe Chriſtianum, qui contra hæc diſputat. Utrùm autem hanc fidem ſubvertere ipſe nitatur, videamus. Cùm igitur dicit, ut de duabus perſonis dicam, ſicut incœpi, quod de tribus intelligatur; cùm, inquam, dicit, ſi duæ perſonæ ſunt una res, & non duæ ſicut ſunt duo Angeli aut duæ animæ, conſequi Patrem quoque eſſe incarnatum, ſi Filius eſt incarnatus: puto quia ſic ratiocinatur ſecum: ſi una & eadem numero res Deus eſt, & ipſa eadem eſt Pater, * & Filius; cum Filius ſit incarnatus, quomodo non & Pater eſt incarnatus? De una quippe & eadem re non eſt vera ſimul affirmatio, & ejus negatio: ſed de alia re affirmare aliquid, & de alia idem ipſum negare ſimul nihil prohibet. Non enim idem Petrus Apoſtolus eſt, & non eſt Apoſtolus. Sed etſi alio nomine idem ipſe affirmetur Apoſtolus. & alio negetur: ut, Petrus eſt C Apoſtolus, &, Simon non eſt Apoſtolus; non eſt utraque vera enuntiatio, ſed una harum falſa. Petrum autem eſſe Apoſtolum, & Stephanum non eſſe Apoſtolum; quoniam alius eſt Petrus, & alius eſt Stephanus, poſſibile eſt verum eſſe. Si ergo eadem numero & non alia res eſt Pater, quàm Filius: non eſt verum affirmari debere aliquid de Filio, & negari de Patre; aut affirmari * debere de Patre, & de Filio negari. Quicquid igitur eſt Pater, eſt & Filius; & quod dicitur de Filio, non debet negari de Patre. Eſt autem incarnatus Filius: eſt ergo incarnatus quoque Pater. Sed hæc ratiocinatio ſi vera & rata eſt; vera eſt hæreſis Sabellii. Si enim quicquid dicitur de una perſona, D dicitur & de altera, idcirco quoniam una res duæ ſunt perſonæ: ergo ſicut de Filio dicitur Filius, & Verbum, & genitus; ita hæc dicentur de Patre: & quemadmodum Pater eſt & Pater, & genitor, & ingenitus; ſic hæc de Filio dicenda ſunt. At, ſi ita eſt; non eſt alius Pater, quàm Filius; nec Filius alius à Patre. Quare non ſunt duæ perſonæ, ſed una perſona: ideo namque dicuntur perſonæ duæ, quia alii creduntur ab invicem Pater & Filius: ſi tamen Deus erit Pater & Filius. Nam ſemper Pater eſt alicujus Pater, & Filius alicujus Filius; nec unquam Pater ſuimet ipſius eſt pater, aut Filius ſuimet ipſius filius eſt: ſed alius eſt pater, & alius cujus eſt pater; & ſimiliter alius eſt filius, & alius cujus eſt filius. Quare ſi in Deo non eſt alius Pater, & alius cujus eſt Pater; nec * Filius alius eſt, & alius cujus eſt Filius; falsò dicitur Deus Pater aut E Filius. Si enim in Deo non eſt alius à Patre, cujus Pater ſit; non poteſt eſſe Pater: & ſimiliter ſi non eſt in eo alius à Filio, cujus ſit Filius; non valet eſſe Filius. Quapropter non erit unde illæ duæ perſonæ dicantur in Deo; quæ ideo dicuntur, quia Deus eſt Pater, & Deus eſt Filius, & ſemper alius eſt Pater, alius * eſt Filius. Videtis ergo quomodo deſtruatur fides noſtra ſecundùm ſenſum ejus, qui putat conſequi Patrem eſſe cum Filio incarnatum; ſi una, & non plures ſunt res in Deo perſonæ plures. Si enim vera eſt hæc ejus conſequentia; non ſolùm hoc, quod de Patre & Filio; ſed in omnibus tribus perſonis tanta ſequetur confuſio; ut quicquid de ſingulis propriè dicitur, de omnibus dicendum communiter ſit. Quamobrem non erit unde Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus procedens à Patre & Filio, ſint alii ab invicem, ſicut oſtendi in Patre & Filio. Quare nec ulla erit ibi relatio, quæ nullatenus ibi eſt, niſi ſecundùm * hoc, ſecundùm quod alii ſunt ab invicem. Ergo nec plures erunt perſonæ. Poſito namque unam rem eſſe tres perſonas; aut illud non conſequetur quod dicit: aut omnia illa ſimul, quæ dixi, conſequentur: ſimilis namque eſt in omnibus vis conſequentiæ. Cur ergo pergit ad Incarnationem, quaſi ipſa ſola faciat quæſtionem; & non potius dicit, ſi tres perſonæ ſunt una res, non ſunt tres perſonæ? Nam non minùs ante Incarnationem, quàm poſt, facere hanc quæſtionem poteſt. Si autem hoc omnino vult aſſerere, tres, ſcilicet perſonas, ſecundùm quod unaquæque Deus eſt, non eſſe unam rem, ſed tres res, unamquamque per ſe, ſicut ſunt tres Angeli; apertiſſimum eſt quia tres deos conſtituit. Sed forſitan ipſe non dicit: *ſicut ſunt tres animæ, aut tres Angeli:* ſed ille, qui mihi ejus mandavit quæſtionem, hanc ex ſuo poſuit ſimilitudinem: ſed * ſolummodo tres perſonas affirmat eſſe tres res, ſine additamento alicujus ſimilitudinis. Cur ergo fallitur aut fallit ſub nomine rei; cum idipſum ſignificetur ſub nomine Dei? Nempe aut Deum eſſe rem illam negabit, in qua tres perſonas, immò quam tres fatemur eſſe perſonas. Aut ſi hoc non negat; conſequens eſt ut, ſicut ipſe aſſerit perſonas tres non unam, ſed tres eſſe res; ita quoque affirmet eaſdem perſonas non unum, ſed tres deos eſſe. Quæ quàm impia ſint, judicent Chriſtiani. Sed dicet, non cogit quod dico tres * res fateri tres deos; quoniam tres illæ res ſimul ſunt unus Deus. Et nos dicimus: ergo ſingula quæque * res de tribus illis, id eſt, ſingula quæque perſona, non eſt Deus; ſed ex tribus rebus conficitur Deus: Pater igitur non eſt Deus, Filius non eſt Deus. Spiritus ſanctus non eſt Deus; quoniam nec de ſingulis, nec de duobus, ſed ſolùm de tribus ſimul nominatis dicendus eſt Deus: quod ſimiliter eſt impium. Nam, ſi ita eſt, non eſt * ſimplex natura. ſed partibus compoſita. Sed ſi ſimplicem habet intellectum, & non multiplicitate phantaſmatum obrutum; * intelligit ſimplicia præſtare compoſitis, quantùm ad ſimplicitatem & compoſitionem attinet: quoniam omne compoſitum neceſſe eſt * aut actu, aut intellectu poſſe diſjungi, * quod de ſimplicibus intelligi nequit: cujus enim partes cogitari non poſſunt, id in partes nullus intellectus diſſolvere poteſt. Si ergo Deus tribus ex rebus compoſitus eſt; aut nulla natura ſimplex eſt; aut aliqua natura eſt alia, quæ in aliquo eſt præſtantior naturâ Dei: quæ utraque quàm falſa ſint, non eſt obſcurum. Quòd ſi iſte de illis dialecticis modernis eſt, qui nihil eſſe credunt, niſi quod imaginationibus comprehendere poſſunt: nec putat aliquid eſſe, in quo partes nullæ ſunt: vel non negabit intelligere ſe quia ſi eſſet aliquid, quod nec actu, nec intellectu diſſolvi poſſet; majus eſſet, quàm quod vel intellectu eſt diſſolubile. Itaque ſi omne compoſitum ſaltem cogitatione diſſolvi poteſt; cùm dicit Deum eſſe compoſitum, dicit Deo aliquid majus ſe poſſe intelligere: tranſit itaque ejus intellectus ultra Deum: quod nullus facere poteſt intellectus. Sed videamus * quid addat quaſi ad inconvenientiam repellendam, quæ videtur naſci, ſi tres illæ perſonæ ſunt tres res. *Sic tamen*, inquit, *ut una trium earum rerum ſit voluntas & poteſtas.* Hic quærendum eſt an illæ tres res ſecundùm hoc, quod ſeparatim ab invicem intelliguntur; an ſecundùm communem voluntatem & poteſtatem; an neque ſecundùm illud ſolùm, quod ſeparatim habent; neque ſecundùm hoc quod commune eſt illis: ſed

al. Ac ſi dicat

al. hic ſe eſſe

Rufelini ratiocinatio.

Rufelini argumentum quo ſe garriens eſſe perſonas, cum obſcurè: aut indocte tres Deos.

al. non eſt Deus.

al. intelligat

Dei natura non eſt compoſita: nemquam ſaltem intellectu diſſolvi poſſit, nec revera eſſet id quo majus cogitari nequit, hoc eſſe Deus.

ſecundùm utrumque ſimul ſint divinæ naturæ. Quippe ſi ſecundùm illud, quod ſunt ſeparatim, habent divinitatem, erunt tres dii; & idem intelligi poterunt ſine voluntate & poteſtate. Semper enim propria diſcretè intelliguntur à communibus, & communia à diſcretis. Sed divina natura ſine voluntate * & poteſtate nullatenus intelligi valet. Quòd ſi ſecundùm unam & communem voluntatem & poteſtatem ſunt & ſingulæ, & binæ, & tres ſimul, Deus: quid ibi faciunt illæ tres diſcordes res, quæ nec niſi per aliud in unitatem concordare poſſunt Deitatis: nec ad perfectionem, nec ad auxilium aliquod, ut Deus ſit, valent? Nam ſi una ſufficit voluntas & poteſtas ad perfectionem Dei: quæ ſunt illæ tres res, quibus indiget Deus; aut ad quid illis eget? Credimus enim Deum nullo indigere: fruſtra igitur cogitantur illæ tres res in Deo. * At ſi nec ſolæ tres illæ res, nec ſola voluntas & poteſtas; ſed hæc omnia ſimul conficiunt Deum: iterum dico quia compoſitus eſt; & ea, quæ non ſunt per ſe Deus, aut dij faciunt Deum. Aut ſi dicit quia illæ tres res ita nomen Dei habent per poteſtatem & voluntatem, ſicut homo dicitur rex per regiam poteſtatem: non eſt Deus nomen ſubſtantiæ; ſed accidentaliter dicuntur illæ (neſcio quæ) tres res * tres dii: ſicut tres homines eandem habentes regiam poteſtatem, tres reges dicuntur; tres enim homines unus rex eſſe nequeunt: quod quàm nefandum ſit, non eſt opus dicere. Codex magnus implendus eſt, ſi voluero ſcribere abſurditates & impietates, quæ ſequuntur, ſi verum eſt, unà Dei perſonâ incarnatâ, reliquas duas conſequi eſſe incarnatas; quia tres illæ perſonæ ſunt una res, ſecundùm id quod communiter de tribus * dicimus: aut ſi ſunt tres res ſeparatæ, quemadmodum ille putat; contra quem ita dixi, * quoniam ſolus Filius eſt incarnatus. Fa àm ergo eſt quòd non debeat eſſe promptus ad diſputandum de rebus profundis; & maximè de illis, in quibus non erratur ſine periculo.

CAPUT IV.

Tres perſonas eſſe incarnatas, Filio incarnato, impoſſibile eſt: Filio tamen amplius convenit incarnari, quàm Patri & Spiritui ſancto.

SEd forſitan dicet iſte mihi: Sicut putas iſta pariter conſequi ex neceſſitate, quæ dicis; ſic conſequitur quod dico: ita mihi neceſſaria mea videtur conſequentia. Ergo oſtende non conſequi, quæ dico; & fatebor ego tecum nullum inconveniens ſequi, ſi ſolus Filius eſt incarnatus, aut ſi tres perſonæ ſunt una res. Quòd ſi ab hac oſtentione deficis, non ſolvis, ſed magis ligas quæſtionem; cùm tu ipſe mecum probas innumera naſci inconvenientia; quæ ſi neganda ſunt, ambo debemus pariter concludere tres perſonas non eſſe unam rem, ſi ſolus Filius eſt incarnatus: aut ſi ſunt una res, omnes pariter eſſe incarnatas. Oſtendendum ergo eſt, in quo iſte falliatur; & quo modo Incarnationem ſolius Filii non ſequitur tres perſonas eſſe tres res ſeparatas; aut, ſi ſunt una res tres perſonæ, omnes eas eſſe incarnatas. Quòd utique Deus una & ſola, & individua, & ſimplex ſit natura, & tres perſonæ, ſanctorum Patrum, & maximè beati Auguſtini, poſt Apoſtolos & Evangeliſtas, inexpugnabilibus rationibus diſputatum eſt. Sed & ſi quis legere dignabitur duo parva opuſcula mea, Monologion, ſcilicet, & Proſlogion, quæ ad * hoc maximè facta ſunt, ut quod fide tenemus de divina natura & ejus perſonis, præter Incarnationem, neceſſariis rationibus, ſine Scripturæ auctoritate, probari poſſit; ſi, inquam, ea aliquis legere voluerit, puto quia & ibi inveniet de hoc, quod non improbare poterit, nec contemnere volet. In quibus ſi aliquid, quod alibi aut non legi, aut * non meminì me legiſſe,

al. hæc

al. aut quæ non

non ſanctum aliquid aut falſum dixerim, non ſuæ, ſed divinæ paginæ auctoritati, cui ſine dubitatione omnia debent ſubjici, ſecundùm quod ſentio, ſubjicio. Non enim ſcribo, ut aliquid docendo, quod doctores noſtri neſcierunt, aut corrigendo quod non benè dixerunt; ſed dicendo forſitan quod illi tacuerunt: quod tamen ab eorum dictis non diſcordet, ſed illis cohæreat; poſui ad reſpondendum pro fide noſtra contra eos, qui * nolentes credere quod non intelligunt, deridentes credentes; ſive ad adjuvandum religioſum ſtudium eorum, qui humiliter quærunt intelligere quod firmiſſimè credunt: nequaquam ob hoc me redarguendum exiſtimo. Ne tamen hanc legentibus epiſtolam, laborem injungam quærendi alia ſcripta: ut non ſolummodò fide, verùm etiam evidenti cognoſcant ratione tres perſonas non eſſe tres deos, ſed unum ſolum: nec tamen, Deo ſecundùm unam perſonam incarnato, ex neceſſitate ſecundùm alias perſonas eundem Deum incarnari: aliquid hîc, quantùm ad repellendum opinionem hujus defenſoris, ſicut ipſe putat, noſtræ fidei ſufficere credo, ſubjungam. Apertè dicit aut Patrem, & Spiritum ſanctum cum Filio eſſe incarnatum; aut tres illas perſonas eſſe tres res ſeparatas. Quam nimirum ſeparationem talem exiſtimat; ut nec Pater, nec Spiritus ſanctus ſint in Filio. Nam ſi duæ aliæ perſonæ ſunt in Filio, & Filius in homine: illæ quoque ſunt in homine. Unde putat conſequi, cùm tres perſonæ ſimul ſint in eodem homine, ſi ſunt una res, nullatenus perſonam Filii poſſe in homine ipſo incarnari, ſine aliis duabus perſonis. Perſonas tamen tres eſſe non negat, nec Filium eſſe incarnatum. * Quoniam igitur ſupra monſtratum eſt, ſi tres perſonæ ſunt tres res ſeparatæ, aut tres deos eſſe conſequi, aut alias (de quibus jam dictum eſt) abſurditates; nunc breviter oſtendam, adjuvante uno ſolo Deo, primùm quia etiam ſi ſint tres dii, nihil illi * proderit ad defendendum Patrem & Spiritum ſanctum ab Incarnatione: quod fieri non poſſe putat ſine deorum multitudine. Deinde, quòd non ſunt plures dii, ſed unus ſolus. Poſtea pateſaciam, quamvis ſit unus Deus tres perſonæ, non tamen unà qualibet incarnatâ, alias quoque incarnari neceſſe eſſe; ſed potius * eſſe impoſſibile. Divinæ utique naturæ eſt, ſic * ſemper & ubique eſſe, ut nihil unquam aut alicubi ſit ſine ejus præſentia: alioquin nequaquam ubique & ſemper eſt potens: & quod ubique potens non eſt, & ſemper; nullatenus eſt Deus. Si enim dicit non ipſam divinam ſubſtantiam, ſed poteſtatem ejus eſſe ſemper & ubique; non tamen negabit poteſtatem illi eſſe, aut accidentalem, aut ſubſtantialem: accidentalis quidem non eſt Deo poteſtas; quia cùm omne ſubjectum ſine accidente, aut eſſe, aut intelligi poſſit; Deus ſine poteſtate nec eſſe, nec intelligi poteſt. Si verò Deo poteſtas ſubſtantialis eſt, aut pars eſt ejus eſſentiæ; aut eſt idipſum, quod eſt tota ejus eſſentia. Pars autem non eſt; quia (ſicut ſuprà dictum eſt) quod partes habet, aut actu, aut intellectu eſt diſſolubile: quod omnino extraneum eſt à Deo. Idem igitur eſt eſſe Dei, & * poteſtas ejus. Sicut itaque poteſtas Dei eſt ſemper, & ubique; ita quidquid eſt Deus, ubique & ſemper eſt. Ergo cùm prædictus noſtræ fidei defenſor ſecundùm ſe dicit eſſe tres deos; monſtrare nequit quomodo ſint ſeparatim, eâ ſeparatione, qua putat ſe Patrem & Spiritum ſanctum ab Incarnatione liberare. Non ergo illum poteſt adjuvare multitudo deorum, ad defendendum Patrem & Spiritum ſanctum ab incarnatione: quoniam inveniri non poteſt in deorum multiplicatione illa * diſtinctio, ſine qua defenſionem iſtam fieri poſſe nequaquam exiſtimat. Quòd autem unus ſolus Deus ſit, & non plures, hinc facilè probatur, quia aut Deus non eſt ſummum bonum; aut ſunt plura ſumma bona; aut non ſunt plures dii, ſed unus ſolus. Deum verò ſummum bonum eſſe nullus negat; quia quicquid aliquo minus eſt, nullatenus Deus eſt: & quicquid ſummum bonum non eſt, minus eſt aliquo;

al. nolentes

Deo ſecundùm unam perſonam incarnato, non ſequitur eum ſecundùm alias incarnatum eſſe.

al. prodeſſe.

Idem eſt eſſe Dei, & poteſtas ejus.

al. poteſtatis

Quicquid eſt Deus, ſemper & ubique eſt.

al. diſjunctio

Non ſunt plures Dii, quia non ſunt plura ſumma bona.

quia minus est summo bono. Summum certè bonum A pluralitatem sui non admittit, ut plura sint summa bona. Si enim plura sunt summa bona, paria sunt. Summum * vero bonum est, quod sic præstat aliis bonis, ut nec par habeat, nec præstantius. Summum ergo bonum unum & solum est. Non igitur sunt plures dii, sed unus & solus est Deus; sicut summum bonum est unum & solum: * & sicut summa substantia, vel essentia, sive natura; quæ eadem ratione, qua summum bonum, nullatenus pluraliter dici posse probantur. Quit unus solus Deus cùm * sit tres personæ, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; non tamen, Filio incarnato, necesse est alias quoque personas (sicut ille disputator putat) incarnari, sed impossibile. Personas enim non negat plures esse, idcirco quoniam aliæ sunt ab invicem. Si enim ab invicem non essent aliæ, B plures non essent. Sed, ut brevius explicem, & facilius quod volo, loquar tantùm, sicut suprà feci, de Patre & Filio; quia per hos clarum erit quid intelligendum sit de Spiritu sancto. Pater ergo & Filius secundùm substantiam non sunt plures, nec alii ab invicem;

al. Patris alia Filii. quia non sunt duæ substantiæ, nec alia substantia * Pater, alia Filius: sed una & eadem substantia sunt Pater & Filius. Secundùm personam verò sunt plures, & alii ab invicem; quia Pater & Filius non sunt una & eadem persona, sed duæ, & aliæ ab invicem. * Dicit ergo: si Filius incarnatus est, & Filius non est alia, sed una & eadem numero res, quæ Pater est: ergo necesse

Filius incarnatus est, Pater non incarnatus: quia Filius est alia persona, quam Pater. est Patrem quoque esse incarnatum. Unam enim & eandem numero rem impossibile est simul esse, & non esse in eodem homine incarnatam. Et ego dico: Si Fi- C lius incarnatus est; & Filius non est una & eadem numero persona, quæ Pater est, sed alia; non idcirco * necesse est Patrè quoque esse incarnatum. Aliam enim personam esse in uno homine incarnatam, & aliam simul non esse in eodem homine incarnatam possibile est. Et ille: Si Deus Filius incarnatus est; & Deus, qui est Filius non est alius, sed unus & idem numero Deus, qui Pater est: plus tamen (quamvis diversæ personæ sint Pater & Filius) videtur necesse Patrem

al. unitatem quoque esse incarnatum cum Filio, propter * identitatem deitatis; quàm possibile esse, propter diversitatem personarum, cum non esse simul incarnatum.

al. quid hic Videte qui * hoc dicit, quomodo claudicat utroque pede in Incarnatione Filii Dei. Nam qui rectè susci- D pit ejus Incarnationem, credit eum non assumptisse hominem in unitatem naturæ, sed in unitatem personæ. Hic autem somniat hominem à Filio Dei magis esse assumptum in naturæ unitatem, quàm in personæ unitatem. Si enim hoc non opinaretur; non

Verbum assumsit humanam, non in unitatem naturæ, sed in unitatem personæ. diceret magis necessarium esse Patrem * esse cum Filio incarnatum, quoniam unus est Deus Pater, & Filius; quàm esse possibile illum simul non esse incarnatum, quia plures sunt personæ. Utroque igitur pede, id est, utraque parte claudicat in Incarnatione Filii Dei, qui una natura est cum Patre, & alia persona à

al. eandem Patre, quicunque existimat * hanc Incarnationem sic esse secundùm naturæ unitatem, ut Filius non possit incarnari sine Patre; nec intelligit eam sic secundùm unitatem esse personæ, ut Pater non possit incarnari E

Plures personæ Deorum non possunt assumere unâ hominem. cum Filio. Quippe Deus non sic assumpsit hominem, ut natura Dei & hominis sit una & eadem; sed ut persona Dei & hominis una eademque sit: quod non nisi in una persona Dei esse potest. Diversas enim personas, unam & eandem personam esse cum uno eodemque homine nequit intelligi. Nam si unus homo cum singulis pluribus personis una persona est; necesse est plures personas, quæ aliæ sunt à se invicem, esse unam eandemque personam: quod non est possibile. Quapropter impossibile est, Deo incarnato secundùm unamquamlibet personam, illum secundùm aliam quoque personam incarnari.

CAPUT V.

al. pate C. 4.

Cur Filius magis quàm Pater aut Spiritus Sanctus, incarnatus sit.

CUr autem Deus magis assumpserit hominem in unitatem personæ Filii, quam in unitatem alicujus aliarum personarum; quamvis in hac epistola nostrum hoc propositum non fuerit; tamen, quoniam hujus rei mentio se obtulit, aliquam reddendam rationem existimo. Nempe si Spiritus sanctus incarna- 1. Ratio. tus esset, sicut Filius est incarnatus, esset Spiritus sanctus Filius hominis. Essent igitur duo Filii in Trinitate Dei, scilicet Filius Dei, & Filius hominis. Unde quædam nasceretur dubietatis confusio, cùm de Deo Filio loquerentur; uterque enim esset Deus, & Fi- 2. Ratio. lius; quamvis alter Dei, alter hominis: fieret quoque quasi quædam inæqualitas diversarum personarum

al. qui secundùm hoc quod filii essent, * quæ omnino æquales esse debent, cùm alter filius majoris parentis dignitate excelleret, alter minoris parentis humilitate subesset. Quantò enim major est natura Dei, quàm hominis; tantò dignius est esse Filium Dei, quàm * esse filium hominis. Si ergo Spiritus sanctus natus esset ex Virgine; cùm Filius Dei haberet excellentiorem nativitatem solam, quæ ex Deo est; & Spiritus sanctus minorem tantùm, quæ esset ex homine; alia persona esset major, & alia minor, secundùm * dignitatem nativitatis: quod non convenit. Quòd si Pater in unitatem suæ p rso- 3. Ratio. næ hominem assumpsisset; easdem faceret in Deo pluralitas filiorum inconvenientias, & adhuc aliam. Nam si esset filius Virginis, duæ personæ in Trinitate nomen nepotis assumerent; quia & Pater * nepos esset parentum Virginis; & Filius ejus, Virginis esset nepos; cùm ipse tamen nihil haberet ex Virgine. Quo-

al. quodlibet niam ergo * quamlibet parvum inconveniens in Deo est impossibile; non debuit alia * Dei persona incarnari, quàm Filius. Illo enim incarnato, nullum sequitur inconveniens. Quod enim Patre, & Spiritu sancto minor dicitur Filius secundùm humanitatem; non tamen illæ duæ personæ ideo excellunt Filio: quia eandem majestatem, quâ majores sunt humanitate Filii, habet & Filius, quâ & ipse præest cum illis suæ humanitati. Est & aliud, cur magis conveniat Filio Incar- 4. Ratio. natio, quàm alii. Qui enim erat incarnandus, oraturus erat pro humano genere: & convenientius satis suscipit mens humana Filium Patri, quàm alium aliis supplicare: quamvis hæc supplicatio non fiat à Divinitate, sed ab humanitate ad Divinitatem: quam idcirco Filius Dei facit: quia homo, per unitatem personæ Filius Dei est. Amplius. * Qui hominem erat as- al. si sumpturus, venturus erat ad pugnandum contra dia- 1. Ratio. bolum, & ad intercedendum (sicut dixi) pro * hominibus: qui ambo, diabolus, scilicet, & homo per rapinam se voluerunt facere similes Deo; cùm propriâ sint usi voluntate. Et quia per rapinam voluerunt: non

al. voluerunt nisi * per falsitatem: quoniam non nisi injustè * potuerùt. Propria enim volùtas Angeli sive hominis est, quæ contra voluntatem Dei est. Cùm enim vult aliquis, quod Deus velle prohibet: nullum habet auctorem suæ volùtatis, nisi seipsum: & ideo sua propria est. Nam quamvis homo voluntatem suam aliquando subdat voluntati alterius hominis: propria tamen est, si contra Deũ est: quoniam non eam subdit, nisi ut ad aliquid, quod vult, attingat; & idcirco seipsum habet auctorem, cur eam alii subdat. Quapropter propria voluntas est, quæ nulli alii est subdita. Solius autem Dei est propriam habere voluntatem, id est, quæ nulli subdita sit. Qui- Propria voluntas est, quæ nulli alii est subdita. Solius Dei est habere propriam voluntatem. cunque igitur propriâ voluntate utitur: ad similitudinem Dei per rapinam nititur, & Deum propriâ dignitate & singulari excellentiâ privare, quantùm in ipso est, convincitur. Si enim est alia aliqua voluntas,

Qui propriè dicitur voluntas, Deum singulos excellentia privare, quàm potest, convenitur.

quæ nulli subdita sit; non erit voluntas Dei omnibus prælata; nec ipsa erit sola, cui nulla alia prælit. Nulla igitur trium personarum Dei congruentiùs semetipsam exinanivit formam servi accipiens, ad debellandum diabolum, & intercedendum pro homine, qui per rapinam falsam similitudinem Dei præsumpserant * quàm Filiis, qui splendor lucis æternæ, & vera Patris imago, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: verùm per veram æqualitatem, & similitudinem, dixit: *ego & Pater unum sumus.* Et, *qui videt me, videt & Patrem.* Nullus namque justiùs expugnat reum, vel punit; aut illi misericordius parcit, vel pro eo intercedit, quàm cui specialiùs injuria fieri probatur: nec aliquid convenientiùs opponitur fallitati ad expugnandum, aut * apponitur ad * sanandum, quàm veritas. In illum enim falsam Dei præsumentes similitudinem specialiùs peccasse videntur, qui vera Dei Patris similitudo creditur.

Joan. 10. Joan. 14.

al. opponitur al. ad salvandum.

CAPUT VI.

Quomodo in Christo non sunt duæ personæ, sicut sunt duæ naturæ.

Al. par C. 4.

SUscepit autem in unitatem personæ hominem, ut dictum est; ut sint duæ naturæ, Divina, scilicet, & humana una persona. De qua unitate personæ, quam firmissimè credimus esse non ex duabus personis in Christo; tamen quia potest dici unde parum cautè intuentibus videri possit Christus ex duabus, & in duabus personis existere; non inutile mihi videtur aliquid dicere. * Dicunt enim quidam: quomodo * dicimus in Christo non esse duas personas sicut duas naturas. Nã Deus & ante hominis assumptionem persona erat; nec postquam hominem assumpsit, persona destitit esse: & homo assumptus persona est; quia omnis homo individuus esse persona cognoscitur. * Quare alia est persona Dei, quæ fuit ante incarnationem, alia hominis assumpti: sicut igitur Christus est Deus & homõ; ita duæ in illo videntur esse personæ. Quæ ratiocinatio per hoc videtur probare duas esse personas in Christo, quia & Deus est persona, & homo assumptus est persona. Sed non ita est. Sicut enim in Deo una natura est plures personæ; & plures personæ sunt una natura: ita in Christo una persona est plures naturæ; & plures naturæ sunt una persona. Quemadmodum enim Pater est Deus, & Filius est Deus, & Spiritus sanctus est Deus; & tamen non tres dii, sed unus est Deus: ita in Christo Deus est persona, & homo est persona; nec tamé duæ sunt personæ sed una persona. Non enim est alius Deus, alius homo in Christo; quamvis aliud sit Deus, aliud homo: sed idem ipse est Deus, qui & homo. Verbum enim caro factum assumpsit naturam aliam, non aliam personam. Nam cùm profertur, homo natura tantùm, quæ communis est omnibus hominibus, significatur. Cùm verò demonstrativè dicimus istum, vel illum hominem, vel proprio nomine Jesum; personam designamus, quæ cum natura collectionem habet proprietatum, quibus homo communis sit * singulus, & ab aliis singulis distinguitur. Nam cùm ita designatur, non quilibet homo intelligitur; sed qui ab Angelo annuntiatus est, qui Deus & homo, Filius Dei, & Filius Virginis est: & quicquid de illo * dicitur, aut secundùm Deum, aut secundùm hominem, verum est dicere. Neque enim personaliter Filius Dei designari potest vel nominari, sine Filio hominis; nec Filius hominis, sine Filio Dei: quia idem ipse est Filius Dei, qui Filius hominis; & eadem est Verbi, & assumpti hominis proprietatum collectio. Diversarum verò personarum impossibile est eandem esse proprietatum collectionem; aut de invicem eas prædicari. Nam & Petri & Pauli non est eadem proprietatum collectio: & Petrus non dicitur Paulus, nec Paulus Petrus. Cùm

Christus non est ex duabus personis.

al. Cap. 5. al. dicis

Sicut in Deo una natura est plures personæ, & plures personæ sunt una natura: ita in Christo una persona est plures naturæ, & plures naturæ sunt una persona.

Non est alius Deus, alius homo in Christo: sed idem ipse est Deus, qui & homo.

al. singulis

Verbi & hominis assumpti eadem est persona; quia Verbi & assumpti hominis eadem est proprietatum collectio.

A * ergo Verbum caro factum est; naturàm assumpsit, quæ sola nomine hominis significatur, & semper est alia à Divina natura; non aliam assumpsit personam, quoniam eandem habet cum assumpto homine proprietatum collectionem. Non enim idem est, homo, & assumptus à Verbo homo, id est, Jesus; quoniam in nomine hominis, sicut dictum est, sola intelligitur natura; in assumpto vero homine, vel in nomine Jesu, intelligitur cum natura, id est, cum homine, collectio proprietatum, quæ est eadem eidem assumpto homini & Verbo. Quapropter non dicimus Verbum, & simpliciter hominem, eandem esse personam; ne non magis dicamus illum hominem eandem esse personam cum Verbo, quàm quemlibet hominem; sed Verbum, & illum assumptum hominem, id est Jesum: sicut non B credimus eundem hominem eandem simpliciter esse personam cum Deo, sed cum illa persona, quæ Verbum * Filius est; ne confiteri videamur ipsum hominem, personem eandem esse, quæ Pater est, aut Spiritus sanctus. Sed quoniam & Verbum est Deus, & ille assumptus homo est homo; verum est dicere quia Deus & homo eadem persona est: sed in nomine Dei, subaudiendum est Verbum; & in nomine hominis, * subintelligendus est Filius Virginis.

al. verò.

al. subaudiendus.

CAPUT VII.

al. Cap. 6.

Quòd Pater, & Filius, & Spiritus sanctus non sint tres res separatæ, naturali Adam & Abel probatur exemplo.

C DE spiritu illius, cui respondeo in hac epistola, nihil potui videre præter illud quod supra * posui: sed puto sic rei veritatem pater ex his quæ dixi; ut nulli lateat intelligenti nihil quod * contra illam dicitur, vim veritatis tenere. Sed si revocatus à multitudine deorum, pluralitatem abneget in Deo personarum: hoc ideo facit, quia nescit unde loquitur. Nam nec Deum, nec personas ejus cogitat; sed tale aliquid: quales sunt plures humanæ personæ. Et quia videt unũ hominem plures personas esse non posse, negat hoc ipsum de Deo. Non enim idcirco dicuntur tres personæ, quia sint tres res separatæ, sicut tres homines; sed quia similitudinem habent quandam cum tribus separatis personis. Consideremus hoc in Patre & Filio, & idipsum intelligatur de Spiritu sancto. Ponamus igi- D tur hominem qui tantùm sit pater, & non filius; & filium ejus, qui tantùm filius sit, & non pater; id est, Adam & Abel. Dicimus itaque de Adam patre, & de Abel filio, quia pater non est filius, & filius non est pater: quoniam duo homines & separatæ personæ sunt Adam & Abel; nec est cujus filius sit Adam, aut cujus pater * sit Abel. Sic itaque fatemur in Deo quia Pater non est Filius, aut Filius Pater; (quamvis duo dii non sint) quoniam Pater non habet patrem, aut Filius filium. Similiter Spiritus sanctus non est Pater aut Filius; quia non est cujus sit pater, aut cujus sit filius. Quoniam ergo Pater & Filius & Spiri- E tus sanctus tres sunt, & alii ab invicem, nec de invicem dici queunt; (sicut de patre & filio in diversis personis hominum ostendimus) ideo dicuntur tres personæ; non quia sint tres res separatæ. * At si negat tria dici posse de uno, & unum de tribus: ut tria non dicantur de invicem; sicut in his tribus personis, & uno Deo facimus: quoniam hoc in aliis rebus non videt, nec in Deo intelligere valet; sufferat paulisper aliquid, quod intellectus ejus penetrare non possit esse in Deo; nec comparet naturam, quæ super omnia est * libera ab omni lege loci & temporis & compositionis partium, rebus quæ loco aut tempore clauduntur, aut partibus componuntur; sed credat aliquid in illa esse, quod in istis esse nequit: & acquiescat auctoritati * Christianæ, nec disputet contra illam.

al. dixi.

al. ab illo.

Pater, Filius, & Spiritus Sanctus idem tres personæ dicuntur, non quia sint tres res separatæ, sed quia alii sunt ab invicem.

Tria de uno dicuntur, & unum de tribus.

al. Christi

A

al. Cap. 7.

CAPUT VIII.

Originem personarum in divinis alia fontis, rivi, & lacus similitudine explicat.

VIdeamus tamen an in rebus creatis, quæ & loci, & temporis, & compositionis partium legi subjacent, inveniri possit aliquatenus hoc quod negat in Deo. Ponamus fontem, de quo nascatur & fluat rivus, qui postea colligatur in lacum: sitque nomen ejus Nilus. Sic itaque discretè dicimus fontem, rivum, lacum; ut fontem non dicamus rivum, aut lacum; nec rivum, fontem, aut lacum; nec lacum, fontem, aut rivum. Fons tamen Nilus vocatur, & rivus Nilus, & lacus Nilus; & duo simul fons, & rivus, Nilus; fons, & lacus, Nilus: rivus, & lacus, Nilus: & simul tres fons, & rivus, & lacus, Nilus; cùm tamen non sit alius, & alius Nilus; sed unus idemque, sive cùm singulus quisque, sive cùm bini, sive cùm tres dicuntur Nilus. Tres igitur sunt, fons, rivus, lacus; & unus Nilus, unus fluvius, una natura, una aqua: & dici non potest quid tres. Nam neque tres, aut Nili, aut fluvii, aut naturæ, aut aquæ sunt; neque tres, aut fontes, aut rivi, aut lacus. Unum igitur dicitur * hic de tribus, & tria de uno; nec tamen tria de invicem. Quòd si objicit non esse singulum quemque, aut fontem, aut rivum, aut lacum, aut binos, perfectum Nilum, sed partes Nili: cogitet totum hunc Nilum, ex quo incepit, usque dum desinet esse, in tota quasi ætate sua, quia nec ipse totus est simul aut loco, aut tempore, sed per partes; nec perfectus erit, donec desinat esse: habet enim Nilus quandam * in hoc cum oratione similitudinem, quæ, quandiu quasi ex oris fonte procedit, perfecta non est; & cum perfecta est, jam non est. Si quis enim sic consideret, & diligenter intelligat; cognoscet totum Nilum esse fontem, totum esse rivum totum esse lacum; nec fomtem esse rivum, aut lacum; nec rivum esse fontem, aut lacum; nec lacum esse fontem, aut rivum. Non enim est idem ipse fons, qui rivus aut lacus; quamvis idipsum sit rivus & lacus, quod est fons; idest, idem Nilus, idem fluvius, eadem aqua, eadem natura. Tria igitur * hic dicuntur de uno * toto perfecto, & unum perfectum totum de tribus; nec tamen ipsa tria de invicem dicuntur: quamvis hoc aliter valde & perfectiùs sit in illa natura simplicissima, & ab omni lege loci, vel temporis, vel * compositionis partium, liberrimâ. Verumtamen si hoc aliquatenus videtur in re, quæ partibus composita, localis, & temporalis est; non est incredibile in illa summè liberâ naturâ perfectè esse. Est hoc quoque hic considerandum, quia fons non est de rivo, nec de lacu; rivus verò de solo fonte est, non de lacu; lacus verò de fonte, & de rivo: & ita totus rivus de toto fonte; & totus lacus & de toto fonte, & de toto rivo: sicut dicimus in Patre & Filio & Spiritu sancto. Et quia alio modo rivus est de fonte, & alio modo lacus de fonte & rivo, ut lacus non dicatur rivus: * sic suo quodam alio modo Verbum est de Patre, & Spiritus sanctus alio modo de Patre & Verbo; ut idem Spiritus sanctus non sit Verbum aut Filius, sed procedens. Adhuc volo quiddam dicere, quod quamvis magnam habeat dissimilitudinem, nonnullam tamen habet ad Incarnationem Verbi similitudinem: quod forsitan aliquis legens contemnet, dicam tamen; quia ego, alio dicente, omnino non contemnerem. Si enim rivus per fistulam currat à fonte usque ad lacum; nonne solus rivus, (quamvis non alius Nilus, quàm fons & lacus) ut ita dicam, infistulatus est? Sic solus Filius incarnatus est, licet non alius Deus, quàm Pater & Spiritus sanctus.

al. hoc.

al. hoc.

al. omit. Compositionis partium.

CAPUT IX.

al. Cap. 8.

Quòd una sit, & simplex Æternitas, cui punctum comparat.

SEd quoniam ista terrena valde longé sunt à summa natura; levemus ad illam (ipsâ opitulante) mentem, & in ea contemplemur aliquatenus & breviter quod dicimus. Deus non est aliud, quàm ipsa * simplex æternitas. Æternitates autem plures intelligi nequeunt. Nam si plures sunt; aut sunt extra se invicem, aut sunt * intra se invicem. Sed nihil est extra æternitatem: ergo nec æternitas est extra æternitatem. Item, si extra se invicem sunt; in diversis locis sunt, aut temporibus: quod alienum est ab æternitate. Non itaque sunt plures æternitates extra se invicem. Si verò in se invicem plures esse dicuntur: sciendum est quia quotiescunque repetatur æternitas in æternitate, non est nisi una & eadem æternitas. Dignior est * enim natura, quæ in se repetita semper sibi convenit in perfectam unitatem, quàm quæ sui admmittit pluralitatem. Ubi enim pluralitas, ibi diversitas: at ubi diversitas est, non est perfecta concordia: perfecta namque est, quæ in unam * identitatem & eandem unitatem convenit. * Si ergo melior est perfecta concordia, quàm imperfecta; & impossibile est in summo bono, quod est ipsa æternitas, esse imperfectum aliquid; non est possibile naturam æternitatis pluralitatem admittere. Quapropter quotiescunque repetatur æternitas in æternitate, semper una & eadem * æternitas est. Quod de multis aliis similiter dicitur: ut, omnipotentia in omnipotentia, non est nisi omnipotentia una. Et, ut unum de his, quæ divinam non habent naturam, in quo similiter est, ponam: punctum in puncto non est nisi punctum; habet enim punctum, velut medium punctum mundi, velut punctum temporis. id est, præsens tempus * ad æternitatem, nonnullam similitudinem non parùm ad ejusdem æternitatis contemplationem utilem: unde latiùs alias disputandum est. Hîc tantùm hoc sufficiat quia punctum simplex * est, id est, sine partibus, & indivisibile est, velut æternitas: & ideo punctum cum puncto sine intervallo, non est nisi unum punctum; * sicut æternitas cum æternitate, non est nisi una æternitas. Ergo quoniam Deus æternitas est, non sunt plures dii: quia nec Deus * est extra Deum; nec Deus in Deo addit numerum Deo. Semper igitur unus & idem & solus est Deus. Cùm itaque Deus de Deo nascitur; quia quod nascitur non est extra id, de quo nascitur; est proles in parente, & parens in prole, unus, scilicet, Deus Pater & Filius: & cùm Deus procedit de Deo Patre & Filio, nec exit extra Deum; manet Deus, id est, Spiritus sanctus, in Deo, de quo procedit: & est unus Deus, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Et quoniam ista nativitas, & ista processio sine principio sunt; alioquin æternitas nata, & æternitas procedens, quod falsum est, habet principium: nequaquam Deum incepisse esse Patrem, aut Filium, aut Spiritum sanctum cogitare debemus aut possumus. Sicut autem substantia Divina æternam & singularem servat unitatem; sic horum relativorum, Patris, scilicet, & Filii; Procedentis, & de quo procedit, natura inseparabilem tenet * pluralitatem. Nam quemadmodum necesse est Deum semper unum & eundem esse; & non alium, & alium: ita Pater nunquam est idem Filio suo, aut Procedens illi à quo procedit, secundùm has relationes. Sed * semper alius Pater & alius Filius, alius Procedens & alius de quo procedit; nec unquam dici possunt de invicem. Quoniam ergo cùm Deus nascitur de Deo, vel cùm Deus procedit de Deo; nec substantia potest amittere singularitatem; nec relatio pluralitatem; ideirco unum est ibi tria, & tria unum: nec tamen tria de invicem dicuntur; nec incredibile debet

Deus non est aliud, quàm ipsa simplex æternitas.

al. In Æternitate plures intelligi nequeunt.

al. unum

al. Si

Æternitas in æternitate non est nisi una eadem æternitas.

al. æternitatis.

Deus in Deo non addit numerum Deo.

In Deo una substantia amittit singularitatem: nec relatio pluralitatem. Ibi unum est tria, & tria unum.

debet esse in natura, quæ super omnia & omnibus aliis dissimilis est, esse aliquid, cujus exemplum in aliis rebus non valeat perfectè inveniri: hæc autem tria Latini dicunt personas, Græci substantias. Sicut enim dicimus nos in Deo substantiam unam, tres personas; ita illi dicunt unam essentiam, tres substantias: idipsũ ibi per substantiam, quod nos per personam, significantes; nec à nobis aliquatenus in fide discrepantes. Quomodo verò Filius nascatur de Patre, & Spiritus sanctus procedat à Patre & Filio, nec tamen sit filius: quoniam sicuti est videri in hac vita non potest, beatus Augustinus velut per speculum, & in ænigmate, in libro de hac ipsa Trinitate diligenter contemplatus est: & ego in Monologio meo * pro mea possibilitate disputavi. Si quis autem velit scire cur * cùm in summa essentia nullus sit sexus; * parens ibi potius dicatur Pater, quàm mater; aut proles Filius, quàm filia; aut cur Pater tantùm ingenitus, Filius tantùm genitus, Spiritus sanctus nec genitus, nec ingenitus, in eodem libello apertè inveniet.

c. Monol. c. 78. al. 76.

Latini dicunt unam substantiam, tres personas: Græci dicunt unam essentiam, tres substantias.

Aug. lib. 9. c. 12. l. 10. c. 7. l. 15. c. 22. Monol. c. 11. al. 33.

Monol. c. 76. al. 55.

SANCTI ANSELMI

DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI,

Contra Græcos Liber.

PROLOGUS.

NEGATUR à Græcis quòd Spiritus sanctus de Filio procedat; sicut nos Latini confitemur. Nec recipiunt Doctores nostros Latinos, quos in hoc sequimur. Qui quoniam Evangelia nobiscum venerantur, & in aliis de trino & uno Deo credunt hoc ipsum per omnia quod nos, qui de eadem re certi sumus: spero per auxilium * ejusdem Spiritûs sancti, quia si malunt solidæ veritati acquiescere, quàm pro inani * victoria contendere, per hoc quod absque ambiguitate confitentur, ad hoc quod non recipiunt, rationabiliter duci possunt. Quamvis igitur multi sint, qui hoc melius me possint efficere; tamen quoniam mihi à pluribus * hoc injungitur, quorum petitioni, tum pro debito veritatis amore, tum pro eorum charitate & religiosâ voluntate non audeo resistere; invoco eundem Spiritum sanctum, ut ad hoc me dignetur dirigere. Hac itaque spe pro meæ * scientiæ humilitate, scientioribus altiora relinquens, quod postulant aggrediar; & Græcorum fide, atque his, * quæ credunt indubitanter & *. confitentur, pro certissimis argumentis ad * probandum quod non credunt, utar.

CAPUT PRIMUM.

Quæ communis est Latinis & Græci fides de Trinitate.

CRedunt quidem unum & solum ac perfectum esse Deum; nec ullam eum habere partem, sed totum esse quicquid est. Hunc quoque confitentur esse Patre, & Filium, & Spiritum sanctum: ita ut sive solus dicatur Pater, aut Filius, aut Spiritus sanctus: sive duo simul, Pater & Filius, aut Pater & Spiritus sanctus, aut Filius & Spiritus sanctus: sive tres simul, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, idem totus & perfectus designetur Deus; quamvis non idem significet nomen Patris aut Filii, quod nomen Dei. Non enim idem est esse Deum, quod est esse Patrem, aut Filium. Nomen autem Spiritûs sancti, ideo quia Spiritus sanctus alicujus intelligitur spiritus, pro relativo nomine ponitur. Nam quamvis Pater sit spiritus, & sanctus; & Filius sit spiritus, & sanctus; non est tamen Pater alicujus spiritus nec Filius alicujus est spiritus: sicut Spiritus sanctus alicujus est spiritus; est enim spiritus Dei, & spiritus Patris, & Filii. Quamvis enim Greci negent de Filio illũ procedere; non tamen negant eum esse spiritum Filii. Credunt quoque & confitentur Deum de Deo esse nascendo, & Deum esse de Deo procedendo: quia Filius Deus est de Patre Deo, nascendo; & Spiritus sanctus Deus est de Patre Deo, procedendo. Nec putant alium esse Deum, qui nascitur; quàm de quo nascitur: & qui procedit; quàm de quo procedit: quamvis secundùm nomina significantia quia est de quo aliquis nascitur, & est qui de aliquo nascitur, & est qui de aliquo procedit, pluralitatem admittat; secundum quam plures & alii sunt ab invicem Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Nam cùm dicitur Deus esse Pater, significatur esse de quo aliquis nascitur; & cùm nominatur Filius, intelligitur esse qui de aliquo nascitur: & quando Spiritus sanctus nominatur; quia non absolutè spiritum, sed spiritum Dei intelligimus; monstratur esse qui de alio procedit. Sed cùm dicitur quia Filius est de Patre, & Spiritus sanctus * est de Patre; intelligitur

Digitized by Google

quia hoc quod est Filius, aut Spiritus sanctus,* habent A de Patre. Sed alio modo intelligitur Filius esse de Patre, & aliter Spiritus sanctus: Filius enim est de Patre suo, id est, de Deo qui est Pater ejus: Spiritus sanctus verò non est de Deo patre suo: sed tantùm de Deo, qui est Pater. Ergo Filius secundùm quod est de Deo, dicitur Filius ejus; & ille de quo est, Pater ejus: Spiritus sanctus autem non secundum quod est de Deo * est filius ejus; nec ille de quo est pater ejus. Certum est etiam quia Deus non est Pater aut Filius, aut Spiritus * alicujus nisi Dei; nec ulla res est Deus, nisi idem Pater & Filius, & Spiritus sanctus. Et sicut unus Deus est, sic unus tantùm Pater, unus Filius, unus Spiritus sanctus est. Unde fit ut non sit illa Trinitate pater nisi ejusdem Filii; nec Filius, nisi ejusdem Patris: neque Spiritus sanctus alicujus spiritus, nisi B ejusdem Patris & Filii. Hæc itaque sola causa pluralitatis est in Deo: ut Pater, & Filius, & Spiritus sanctus dici non possint de invicem: sed alii * sint ab invicem: quia prædictis duobus modis est Deus de Deo. Quod totum potest dici relatio: nam * quoniam Filius existit de Deo nascendo; & Spiritus sanctus, procedendo; ipsa * diversitate nativitatis, & processionis referuntur ad invicem, ut diversi & alii ab invicem. Et quando substantia habet esse de substantia, duæ fiunt ibi relationes insociabiles; si secundùm illas nomina ponantur substantiæ: cùm enim homo est, gignendo, de homine; dicitur homo, de quo est homo, pater; & homo, qui est de homine, filius. Impossibile igitur est patrem esse illum filium, cujus pater est; & filium esse illum patrem, cujus filius est: quamvis pa- C trem esse filium, & filium esse patrem nihil prohibeat; cùm unus homo pater est, & filius: quoniam ad alium est pater*, & ad alium filius. Nempe cùm Isaac sit pater Jacob, & filius Abrahæ; pater est filius, & filius * pater sine repugnantia: quoniam ad alium pater dicitur, quàm ad suum patrem; & filius ad alium, quàm ad suum filium: patrem autem esse in eodem Isaac illum * filium, cujus pater est; aut filium esse * illum patrem, cujus est filius, non est possibile. Ita ergo in Deo, cùm Deus sit Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: nec sit Pater, nisi ejusdem Filii; nec Filius, nisi ejusdem Patris; nec Spiritus alicujus, nisi ejusdem Patris & Filii: Pater non est Filius, aut Spiritus sanctus; Filius non est Pater; * nec Spiritus sanctus est Pater. * Quippe quoniam Filius est de Patre, D & Spiritus sanctus est de Patre; nec ille, de quo est aliquis, potest esse ille qui de se est; nec ille, qui de aliquo est, valet esse is de quo est, sicut jam dictum est: idcirco nec Pater est Filius, aut Spiritus sanctus; nec Filius, sive Spiritus sanctus est Pater. Filius autem, ut interim aliam causam dicam, quoniam nondum constat quòd Spiritus sanctus de illo sit & procedat; ideo non est Spiritus sanctus, nec Spiritus sanctus est Filius; quia Filius, nascendo, habet esse de Patre; Spiritus sanctus verò, non nascendo, sed procedendo; nec Filius potest esse suus spiritus, nec Spiritus sanctus valet esse ille cujus spiritus est.

Sola causa pluralitatis in Deo est relativa, secundum quam unus est ex alio, sive nascendo, sive procedendo.

Quando unus habet esse de alio, duæ fiunt ibi relationes insociabiles.

*Quicquid de uno Deo, qui totus est quicquid est, dicitur; de toto Deo Patre dicatur, & de Filio, & de Spiritu sancto: quia unusquisque solus, & totus, & perfectus Deus est. Supradicta verò relationis oppositio, quæ ex hoc nascitur quia supradictis duobus modis Deus de Deo est, prohibet Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum de invicem dici; & propria singulorum aliis attribui. Sic ergo hujus unitatis, & hujus relationis consequentiæ se contemperant; ut nec pluralitas, quæ sequitur relationem, transeat ad ea in quibus prædictæ * simplicitas sonat unitatis; nec unitas cohibeat pluritatem, ubi eadem relatio significatur: quatenus nec unitas amittat aliquando suam * consequentiam, ubi non obviat aliqua relationis oppositio; nec relatio perdat quod suum est, nisi ubi obstitit unitas inseparabilis. Quod si per exempla consideremus, clarius * apparebit qualiter quidem unitatis simplicitas à se excludat pluralitatem, quæ est in relativorum nominum significatione, facile est cognoscere: confitemur enim quia Pater non est Filius, aut Spiritus sanctus; nec Filius Pater, aut Spiritus sanctus; nec Spiritus sanctus Pater, aut Filius. Sequitur ergo alios ab invicem, & plures esse, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. At Pater est Deus, Filius est Deus, & Spiritus sanctus est Deus. Quid itaque consequentius, si * prædicta personarum pluralitas suam servat proprietatem, quàm Patrem & Filium & Spiritum sanctum plures Deos esse, & alios ab invicem? Sed hoc nullatenus admittit inviolabilis simplicitas Deitatis, quam unum solum Deum esse credimus. Sic repellit unitas essentiæ Dei, relativorum consequentiam. Considerandum quoque est quomodo relationum pluralitas obviet unitatis consequentiæ; si priùs posuerimus aliqua ex his, in quibus nulla obstiterit oppositio. Dicimus unum Deum esse Patrem, & esse Filium, & esse Spiritum sanctum, & unum eundemque Deum esse; sive singuli, sive bini, sive tres simul * dicantur. Si ergo Deus est æternus; propter unitatem Deitatis, ex necessitate sequitur quia æternus est Pater, æternus est Filius, æternus est Spiritus sanctus. Et quoniam sive singuli, sive plures simul, sunt unus Deus; non est nisi unus æternus. Similis consequentia, si Deus dicitur creator, sive justus, sive aliquid aliorum, in quibus nulla prædicta intelligitur relatio.*

Unitas est in his quæ ad essentiam spectant: pluralitas in his quæ ad relationem.

CAPUT II.

Quomodo indivisibilis unitas, & insociabilis pluralitas in Deo conveniant.

HIs præmissis, quomodo indivisibilis unitas, & insociabilis pluralitas in Deo se ad invicem habeant, inquiramus. Quoniam autem hæc, quæ dicta sunt, pariter credimus indubitanter, & confitemur: & nos qui dicimus Spiritum sanctum de Filio procedere, & Græci qui nobiscum de hac re non sentiunt, debemus absque ulla ambiguitate, quæ ex his necessariè consequuntur, uno consensu suscipere. Sequitur enim secundùm unitatis Dei, quæ nullas habet par- E

CAPUT III.

Quomodo unitatis Dei consequentiam restringat relatio.

VIdeamus nunc quomodo hanc unitatis Dei consequentiam restringat relatio. Dicimus enim quia Deus est Pater. Quoniam ergo unus est Deus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; exigit unitas Dei, ut Filius sit Pater, & Spiritus sanctus sit Pater: sed obviat relatio quæ prohibet Filium aut Spiritū sanctū esse Patrem. Quippe nec natura permittit, nec intellectus capit existentem de aliquo, esse de quo existit; aut de quo existit, esse existentem de se. Existit autem Filius & Spiritus sanctus de Patre: quare non potest Filius aut Spiritus sanctus esse Pater; quamvis Deus sit Pater, & unus idemque Deus sit Pater & Filius & Spiritus sanctus. Idipsum cognoscitur, si dicitur Deus esse Filius; vult enim unitatis Dei consequentia, ut & Pater, & Spiritus sanctus sit Filius. Sed Pater, de quo est Filius, non potest esse qui de se est: Spiritus verò sanctus, qui existit de Patre procedendo, non est ille qui est de Patre nascendo. Item: cùm dicitur, Deus est Spiritus sanctus; requirit unitas prædicta Patrem quoque & Filium esse Spiritum sanctum: sed nec Pater, de quo est Spiritus sanctus potest ille esse qui de se est; nec Filius, qui existit de Patre nascendo, est ille qui de eodē

Patre eſt procedendo, id eſt, Spiritus ſanctus. Cùm autem apparebit quia Spiritus ſanctus eſt de Filio: tunc quoque palàm erit quia propter hoc nequit eſſe Filius Spiritus ſanctus, & Spiritus ſanctus Filius. * Conſideremus adhuc quomodo ſupradictæ oppoſitiones obſtant conſequentiæ prædictæ unitatis: Deus eſt de Deo. Hoc ergo ſemel accepto, quoniam idem Deus eſt Pater & Filius & Spiritus ſanctus: ſequitur ſecundùm hanc identitatem, ut Deus Pater ſit Deus de Deo, & Deus de quo eſt Deus; & ſimiliter Filius, Deus de Deo, & Deus de quo eſt Deus; & eodem modo Spiritus ſanctus. Verùm quærere utrùm * unuſquiſque ſit Deus de quo eſt Deus; non eſt aliud quàm conſiderare utrùm ſingulus quiſque ſit Deus de Deo. Non enim poteſt * de Deo Deus eſſe, niſi Pater aut Filius aut Spiritus ſanctus: & niſi de Patre aut de Filio aut de Spiritus ſancto. Inſpiciamus ergò utrùm unuſquiſque ſit Deus de Deo: & patebit utrùm ſit ſingulus quiſque Deus de quo eſt Deus. Sed Pater non poteſt eſſe de Deo, propter prædictam oppoſitionem. Cùm enim non ſit Deus niſi aut Pater aut Filius aut Spiritus ſanctus, aut duo ex his; aut tres ſimul: non poteſt eſſe Deus Pater de Deo, niſi aut de Patre, hoc eſt de * ſeipſo, aut de Filio, aut de Spiritu ſancto; aut de duobus; aut de tribus. De ſeipſo non poteſt eſſe: quia exiſtens de aliquo, & de quo exiſtit non poteſt idem eſſe. De Filio non eſt; quia Filius eſt de ipſo: & ideo non poteſt eſſe de Filio. De Spiritu ſancto non eſt, quia de illo eſt Spiritus ſanctus; nec valet * eſſe ille qui de ſe eſt. De duobus vel tribus ſimul nequit eſſe Pater, propter eandem oppoſitionis rationem. Filium verò Deum neceſſe eſt eſſe de Patre Deo, quia Pater non eſt de illo: de Filio verò, hoc eſt, de ſeipſo eſſe nequit; non eſt idem exiſtens de aliquo, & de quo exiſtit. Utrùm autem ſit de Spiritu ſancto, aut Spiritus ſanctus de illo, poſt monſtrabitur. Sed priùs dicemus de Spiritu ſancto ſi ſecundùm conſequentiam prædictam ſit de Patre, & de ſeipſo. De Patre quidem neceſſe eſt eum eſſe: quia nulla obviat oppoſitio; non enim eſt Pater de illo. De ſeipſo verò impoſſibile eſt eum eſſe: quia non poteſt exiſtens de aliquo, & de quo eſt, idem eſſe. In his omnibus nihil obviat conſequentiæ unius * identitatis, niſi aliqua de ſupradictis oppoſitio. Quod verò in his cognoſcitur, in omnibus, quæ de Deo dicuntur, immutabiliter evenire neceſſe eſt.

CAPUT IV.

Cùm Filius non ſit de Spiritu ſancto, ipſe Spiritus ex Filio procedit.

Spiritûs ſancti proceſſio de Patre, jam probatur.

NUnc quærendum eſt per ſupradictas irrefragabiles rationes, utrùm Filius ſit de Spiritu ſancto, aut Spiritus ſanctus de Filio. Dico quia ſicut, per ſupradictâ rationẽ, aut Pater eſt de Filio, aut Filius de patre; * & ſimiliter aut eſt de Spiritu ſancto Pater aut Spiritus ſanctus de Patre: ita eſt aut Filius de Spiritus ſancto, aut Spiritus ſanctus de Filio. Quod qui negat, neget etiam neceſſe eſt unum ſolum Deũ eſſe: aut filium Deũ eſſe; aut Spiritum ſanctũ Deũ eſſe; aut Deum eſſe de Deo: quia ex his ſequitur quod dico. Amplius: non eſt Filius aut Spiritus ſanctus de Patre, niſi de Patris eſſentia, quæ una eſt illi cum Filio & Spiritu ſancto. Cùm ergo dicitur quia filius eſt de Deo Patre; ſi idem Deus eſt Pater & Spiritus ſanctus, ſequitur, ſecundùm unitatem Deitatis, ut ſit etiam de Spiritu ſancto. Eodem modo: quando confitemur Spiritum ſanctum eſſe de Deo Patre; ſi idem Deus eſt, Pater & Filius, ſequitur ſecundùm eandem Deitatis unitatem, ut ſit & de Filio. Ex his igitur apertè cognoſcitur quia aut filius eſt de Spiritu ſancto, aut Spiritus ſanctus de Filio; quoniam utrumque nequit eſſe verum aut falſũ. Neceſſe eſt ergo Spiritum ſanctum eſſe de Filio; ſi poteſt monſtrari Filium non eſſe de illo. Nam ſi quis dicit non ſequi Filium eſſe de Patre & de Spiritu ſancto * idcirco quoniam unus eſt Deus, * Pater & Spiritus ſanctus; etiamſi non opponitur aliud: aut Spiritum ſanctum eſſe de Patre & Filio, quoniam unus eſt Deus Pater & Filius; quamvis non ſit Filius de Spiritu ſancto: conſideret, quia cùm eſt Deus de Deo, aut eſt totus de toto, aut pars de parte, * aut totus de parte, aut pars de toto. Sed Deus nullam habet partem: impoſſibile igitur eſt ut ſit Deus de Deo, aut ut totus de parte, aut ut pars de toto, aut ut pars de parte. Neceſſe eſt igitur ut, ſi eſt Deus de Deo, totus ſit de toto. Cùm ergo Filius dicitur eſſe de Deo qui eſt Pater & Spiritus ſanctus: aut alius totus erit Pater, alius totus Spiritus ſanctus, ut de toto Patre ſit, & non de toto Spiritu ſancto: aut ſi idem totus Deus eſt Pater & Spiritus ſanctus; ex neceſſitate cùm eſt de Deo toto, * qui unus totus eſt Pater & Spiritus ſanctus; eſt pariter de Patre & ſpiritu ſancto, ſi non repugnat aliud. Eodem modo cùm dicitur Spiritus ſanctus eſſe de toto Deo, qui eſt Pater & Filius: aut alius totus erit Pater, alius totus Filius, ut ſit de toto Patre, & non de toto Filio Spiritus ſanctus: aut cùm eſt de Patre Spiritus ſanctus, non poteſt non eſſe de Filio; ſi non eſt Filius de Spiritu ſancto. Nullà enim aliâ ratione poteſt negari Spiritus ſanctus eſſe de Filio. Dicet aliquis: * ſi quoniam unus Deus * eſt Pater & Spiritus ſanctus, cùm Filius eſt de Patre, ſequitur eum eſſe de Spiritu ſancto: aut cùm Spiritus ſanctus eſt de Patre, quia idem Deus eſt Pater & Filius, eſt etiam de Filio: cùm Pater gignit Filium, neceſſe eſt eum gignere quoque Spiritum ſanctum: quia unus idemque Deus eſt Filius & Spiritus ſanctus. Et cùm Spiritus ſanctus procedit de patre, propter eandem unitatem Deitatis Filii & Spiritûs ſancti, procedit & Filius de Patre ita ſicut Spiritus ſanctus. Si verò unitas * Dei in Filio & Spiritu ſancto non illam habet vim conſequentiæ ut uterque ſimiliter ſit genitus & procedens: videtur quòd non ex eo quòd unus Deus eſt Pater & Spiritus ſanctus, ſequitur Filium eſſe de Spiritu ſancto, aut Spiritum ſanctum eſſe de Filio; quoniam idem Deus eſt Pater & Filius, ut dicis. Ad quod ego. Habent utique à Patre eſſe Filius & Spiritus ſanctus, ſed diverſo modo: quia alter naſcendo, alter procedendo; ut alii ſint per hoc ab invicem, * ut dictum eſt. Et ideo cùm naſcitur unus, non poteſt cum eo naſci ille, qui per hoc eſt alius ab eo, quia non ſimiliter naſcitur, ſed procedit. Et cùm unus procedit, nequit ille ſimul procedere, qui per hoc eſt alius ab illo, quia non ſimiliter procedit, ſed naſcitur. Et ideo non habet hîc unitas illam vim conſequentiæ: quia pluralitas obviat, quæ ex nativitate naſcitur, & proceſſione. Nam & ſi per aliud non eſſent plures Filius & Spiritus ſanctus; per hoc ſolum eſſent diverſi. Cùm autem dico ex eo quia Pater unus Deus eſt cum Filio aut cum Spiritu ſancto, * ſequi Filium eſſe de Spiritu ſancto, aut Spiritum ſanctum eſſe de Filio: nulla ibi pluralitas generatur, quæ unitatis obviet conſequentiæ; quia non utrumque dico eſſe, ſed alterum tantùm. Omnimodâ igitur & inexpugnabili neceſſitate concluditur, quia ſi vera ſunt quæ ſuprà dixi nos pariter cum Græcis credere, aut Filius eſt de Spiritu ſancto, aut Spiritus ſanctus eſt de Filio. Quòd autem Filius non ſit de Spiritu ſancto, palam eſt ex catholica fide. Non enim eſt Deus de Deo; niſi aut naſcendo, ut filius; aut procedendo, ut Spiritus ſanctus: Filius autem non naſcitur de Spiritu ſancto: ſi enim naſcitur de illo, eſt Filius Spiritûs ſancti, & Spiritus ſanctus eſt pater ejus: ſed alter alterius nec pater, nec filius eſt. Non ergo naſcitur de Spiritu ſancto Filius: nec minùs apertũ eſt quia non procedit de illo. Eſſet enim ſpiritus ejuſdem Spiritus ſancti. Quod apertè negatur, cùm Spiritus ſanctus dicitur & creditur ſpiritus filii. Non enim

al. omit. non totus de parte.

Objectio.

Solutio.

Aut Filius eſt de Spiritu ſancto, aut Spiritus ſanctus eſt de Filio.

Digitized by Google

poteſt eſse Spiritus ſui Spiritus. Quare non procedit Filius de Spiritu ſancto. Nullo ergo modo eſt de Spiritu ſancto Filius. Sequitur itaque inexpugnabili ratione Spiritum ſanctum eſse de Filio, ſicut eſt de Patre.

CAPUT V.

Evincitur Spiritum Sanctum hoc, quod eſt, habere à Patre; contra quendam Epiſcopum Græcis faventem.

FOrſitan negabunt Greci Spiritum ſanctum eſse Deum de Deo; ſicut eſt Filius Deus de Deo: quoniam probamus per hoc illum eſse & procedere de Filio; nec eſt poſitum in illo ſymbolo, in quo reprehendimus ab illis addidiſse proceſſionem ejus de Filio. Sed qui hoc putat, negat aut Patrem eſse Deum, de quo eſt Spiritus ſanctus; aut Spiritum ſanctum eſse Deum, qui eſt de Patre: aut hoc ipſum quod eſt Spiritus ſanctus, eſse de Patre. At Patrem non eſse Deũ, aut Spiritum ſanctum, nullus ſuſcipit Chriſtianus. Videamus igitur utrùm hoc ipſum quod eſt eſſentialiter * Spiritus ſanctus, ſit de Patre: quod quendam Epiſcopũ, Græcis forſitan faventem, in Barenſi civitate Italiæ nolle ſentire. Nam ſi non eſt hoc ipſum de Patre, quod eſt: cùm ſit unus idemque Deus, qui Pater; inveniri nequit unde ſit alius à Patre. Non enim * inde alius eſt, quia Pater habet Filium, & Spiritus ſanctus non habet Filium. Per * hoc enim probari * poſsunt quia alii ſunt ab invicem; non tamen hæc eſt cauſa ut diverſæ ſint perſonæ. Quippe ſi duo ſint homines, quorum alter habeat filium, alter non; quamvis per hoc oſtendi poſſint eſse diverſi; non tamen ob hoc alii ſunt ab invicem: quia quoquomodo ſe habeant in habendo & non habendo filium, diverſitatem tamen non amittunt. Ita in Patre & Spiritu ſancto, non quia alius Filium habet, alius non habet; ideirco * ſunt diverſi: ſed quoniam diverſi ſunt, * ideo nihil prohibet eos in habendo & non habendo Filium eſse diſſimiles. Similiter reſponderi poteſt, ſi ideo dicitur alius, quia non ab alio procedit Spiritus ſanctus, ſicut ipſe procedit à Patre. Quippe, ut ſecundùm illos loquar qui negant Spiritum ſanctum de Filio procedere, ſicut non eſt hæc cauſa, quia Spiritum ſanctum Filius de ſe procedentem non habet, ſicut Pater; ut alius ſit à Patre (ſequeretur enim ut ſi Spiritus ſanctus procederet de Filio, Filius non eſſet alius à Patre,) ita per hoc non eſt Spiritus ſanctus à Patre alius, quia non habet Filium, aut Spiritum ſanctum de ſe procedentem, ſicut Pater. Et quemadmodum Filius non ideo eſt alius à Patre; quia Patrem habet, & Pater non habet patrem (ſi enim Pater haberet patrem, alius tamen eſſet à * Filio) ita Spiritus ſanctus, quia de aliquo procedit, & Pater à nullo, non propter hoc eſt alius à Patre: quia ſi Pater de aliquo procederet non minùs tamen * eſſet alius à Patre, de quo procedit. Palàm igitur eſt quia non ideo eſt Spiritus ſanctus alius à Patre, quia non habet Filium, aut Spiritum ſanctum de ſe procedentem, ſicut Pater; nec quia de aliquo procedit, & Pater de nullo. Sed neque per hoc intelligi poteſt eſse à Patre alius, quia Spiritus eſt Patris; ſi de illo non habet eſse. Poteſt enim intelligi aliquis alius ab aliquo, priuſquam ſit illius; quamvis alicujus nequeat eſse, niſi ſit alius: ut cùm dicitur homo dominus alicujus, aut homo alterius hominis; priùs * intelligitur alius ab illo, cujus eſse dicitur, quàm ſit ejus dominus vel homo. * Sic itaque ſi Spiritus ſanctus non eſt de Patre; nihil prohibet eum intelligi priùs alium ab illo, quàm ſit illius. Quare non facit illum alium eſse à Patre hoc quia Spiritus ejus eſt; ſi per hoc non habet ut ſit alius ab illo, per hoc quod eſt Spiritus illius: ſicut Filius per hoc eſt alius à Patre, per quod eſt Filius ejus; quod non eſt aliud niſi * quia de ipſo exiſtit naſcendo. Videatur itaque quòd Spiritus ſanctus non ſit per aliud à Patre alius, niſi quia ab illo habet eſse quod eſt: quamvis alio ſuo modo, quàm Filius. Inveſtigemus tamen hoc diligentiùs. Utique aut poſtquam fuit Spiritus ſanctus hoc quod eſt, contigit illi alium eſse à Patre; aut in exiſtendo habet unde alius eſt. Contingit enim aliquem eſse quod eſt, priùs quàm ſit alius; & contingit aliquem alium in exiſtendo fieri: priùs autem quemquam eſse alium, quàm ſit hoc quod eſt, non eſt poſſibile. Namque primus homo, priuſquam de illo eſſet homo aliquis, erat ipſe homo; ſed nõ erat alius: cùm verò * primùm extitit de illo aliquis; & ille de quo extitit poſtquã * fuit, factus eſt alius; & qui de illo extitit, ſimul * habuit & eſse, & alium eſse. Aut ergo Spiritus ſanctus, ſicut dixi, poſtquã fuit, factus eſt à Patre alius; aut habet in exiſtendo propter quod alius dicitur. Sed ſi poſtquã fuit, contigit illi aliũ eſse à Patre; cùm non ſit alia perſona, niſi quoniam alius eſt ab illo; non fuerunt illæ ſemper tres perſonæ: quia iſta non ſemper fuit, * ſicut non ſemper fuit Spiritus ſanctus alius à Patre. * Quoniam itaque falſa ſunt hæc: patet quia in exiſtẽdo habet unde alius eſt. Eſse autẽ nequit niſi aut ex aliquo, ſicut Filius: aut ex nullo, ſicut Pater. Quòd ſi ex nullo, quemadmodum Pater, exiſtit: aut ita exiſtit unuſquiſque per ſe, ut neuter ab altero quicquam habeat; * & ſunt duo Dii, Pater, & Spiritus ſanctus: aut quoniam unus Deus ſunt, ſi uterque de nullo eſt, penitus nihil inveniri valet in fide Chriſtiana, unde ſint ab invicem alii; ſed unus idemque eſt Pater, & Spiritus ſanctus, & una perſona: quæ vera fides abhorret. Non eſt ergo verum, Spiritum ſanctum à nullo eſse. Si autem eſt ab aliquo, non eſt niſi ex Deo qui eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus: ſed à ſeipſo nequit eſse; quoniã nulla perſona à ſeipſa poteſt exiſtere. * Quare ſi quis eum negat eſse à Filio, negare nequit illum à Patre eſse. Si quis autem dicit quia licet non habeat eſse de Patre; tamen per proceſſionem alius poteſt intelligi. Ad hoc quoque reſpondendum arbitror, ne poſſit aliquid in hac quæſtione noſtræ objici aſſertioni, cui noſtra reſponſio non obviet: nec miretur aliquis me tantùm in hoc * immorari; quoniam non parvæ auctoritatis erat ille inter ſuos, quem ſenſi non ſentire Spiritum ſanctum hoc, quod eſt, habere ex Patre: nec tunc habui opportunitatem reſpondendi.

Quidam Epiſcopus Spiritum ſanctũ hoc, quod eſt, non habere de Patre, ſentiebat.

al. nisi

al. poteſt

Pater & Spiritus ſanctus non idcirco ſunt diverſi, quia alius Filium habet, alius non habet.

Non Filius alius eſse à Patre eſt non habere Spiritum à ſe procedentem ſicut Pater.

Nec Filius eſt alius a Patre quia habet Patrem, quem non habet Pater.

al. à Patre

al. Spiritus ſanctus

Spiritus ſanctus non eſt alius à Patre per hoc quod eſt Spiritus Patris, ſi de illo non haberet eſſe.

Spiritus ſanctus non eſt alius à Patre niſi quia ab illo habet eſſe.

CAPUT VI.

Spiritum ſanctum, niſi eſſe à Patre habeat, non poſſe intelligi alium eſſe ab eo, per miſſionem ſeu proceſſionem.

QUi ergo Spiritum ſanctum dicere vult ex ſola proceſſione alium eſse à Patre, licet non ſit ex illo, intelligit aut idipſum eſse procedere de Patre ſolummodo, quod eſt mitti vel dari à Patre: ut cùm mittit vel dat eum Pater, tunc tantùm procedat à Patre; aut hoc eſse procedere, quod eſt de Patre: * ſed ſi idem eſt procedere, quod eſt dari vel mitti; procedit pariter à Filio ſicut à Patre Spiritus ſanctus: quoniam ab illo ſimiliter mittitur & datur. Item: ſi non aliud Spiritui ſancto procedere, quàm mitti vel dari; non eſt alius à Patre, nec procedit à Patre, niſi cùm datur vel mittitur: quod nemo, puto, intelligit. Semper enim eſt alius à Patre Spiritus ſanctus, etiam ante creaturam: non autem datur, vel mittitur, niſi creaturæ: nec tamen dicendum eſt quod accidat ei dari, vel mitti. Nam cùm ipſe ſit ubique & immutabilis; accipienti quidé accidit aliquid, quia circa illum fit quod prius non erat, & abeſſe poteſt: circa Spiritum ſanctum verò nihil fit quod * priùs non erat. Cùm enim cæcus in luce non ſentit lucem, non magis nec minùs habet aliquid lux; & ſi depulſa cæcitate ſentiat cæcus lucem, circa illum fit motus, non circa lucem. * Patet itaque non eſse Spiri-

Digitized by

tum ſanctum alium à Patre per ſic intellectam proceſſionem, ut non ſit aliud illi procedere, quàm dari vel mitti. * Eſt ergo patens eum per proceſſionem habere eſſe de Patre, & per hoc alium eſſe à Patre: ſicut Filius non per aliud eſt à Patre alius, quàm per hoc quia de illo exiſtit. Eſt igitur Deus de Deo, & procedit de Deo: quia & ipſe eſt Deus, & Pater Deus, de quo eſt & procedit. At ſi dicimus duas Spiritûs ſancti poſſe nominari proceſſiones; unam, quando exiſtit de Patre; alteram, quando datur vel mittitur. Non puto hoc eſſe negandum, ſi unaquæque in ſuo ſenſu * intelligitur. De illa quippe proceſſione, quâ datur vel mittitur, non incongruè Dominum ſic dixiſſe intelligimus, *ſpiritus ubi vult ſpirat, & vocem ejus audis, & neſcis unde veniat, aut quo vadat.* Sic enim hoc potuiſſe dici videtur: *Neſcis unde* procedit, *aut quo* recedat. Cùm enim datur, quaſi de occulto venit & procedit: cùm verò ſubtrahitur, velut ad occultum vadit, & recedit. De hac proceſſione poteſt dici quia idem illi eſt procedere, quo mitti.

Joan. 3. v. 8.

Procedere ad creaturas, eſt idem ac dari Spiritui.

CAPUT VII.

Spiritûs ſancti proceſſio de Patre, importat ejus proceſſionem de Filio.

Sive igitur non procedat, niſi exiſtendo de Patre; ſive non niſi cùm datur, aut mittitur, * & procedit ad ſanctificandam creaturam; ſive utroque modo procedat, ſequitur ut procedat de Filio. Si enim eſt de Patre, Deus eſt de Deo: unde probatur, ut dictum eſt, eſſe quoque de Filio, & procedere. * Ab illo namque procedit de quo eſt, & de illo exiſtit à quo procedit. Si verò tunc tantùm procedit, cùm mittitur vel datur; procedit à Filio, à quo datur & mittitur. Quod ſi utroque modo procedit, pariter utroque modo procedere cognoſcitur à Filio. Ecce videmus Spiritum ſanctum * eſſe Deum de Deo, & procedere de Deo; quod non eſt poſitum in præfato ſymbolo: ſi ergo ideo negant eum eſſe & procedere de Filio, quia ibi tacetur; negent ſimiliter eum eſſe de Deo & procedere, quod ibidem non dicitur. Aut ſi hoc diffiteri nequeunt; non timeant confiteri nobiſcum Spiritum ſanctum eſſe & procedere de Filio: quoniam hoc in eodem ſymbolo non * inveniunt. At * dicent: ſatis ibi ſignificatur quia eſt & procedit de Deo; cùm dicitur quia à Patre procedit, quoniam Pater eſt Deus: & nos ſimiliter dicimus quia apertè monſtratur procedere de Filio, cùm dicitur procedere de Deo, quia Filius eſt Deus. Interrogo enim utrùm ideo intelligendus ſit Spiritus ſanctus eſſe de Patre, quia de Deo eſt: aut idcirco eſſe de Deo, quia eſt de Patre. Licet enim invicem alterum altero probetur (ſi enim eſt de Patre, eſt de Deo; & ſi eſt de Deo, eſt de Patre; quoniam nulla ſupradicta obviat relatio:) non tamen ſimiliter invicem ſunt alterum alterius cauſa. Nam ſi eſſe Spiritum ſanctum de Patre, eſt cauſa ut ſit de Deo; cùm dicitur eſſe de Patre, non eſt intelligendum quòd ſit de hoc, quòd Pater eſt Deus, id eſt, de divina eſſentia; ſed de hoc quòd Deus Pater eſt, id eſt, de hoc unde refertur ad Filium. Erit igitur divina eſſentia in Spiritu ſancto, non de Deitate Patris; ſed de relatione: quod ſtultiſſimum eſt dicere. Quamvis & ſi hoc velit aliquis accipere, non minùs ſequitur Spiritum ſanctum de Filio, quàm de Patre procedere. Nempe nulla relatio eſt Patris, ſine relatione Filii: ſicut nihil eſt Filii relatio, ſine Patris relatione. Si ergo * altera nihil eſt ſine altera, non poteſt aliquid de relatione Patris eſſe ſine relatione Filii. Quare * ſequetur Spiritum ſanctum eſſe de utraque, ſi eſt de una. Itaque ſi eſt de Patre ſecundùm relationem, erit * ſimiliter & de Filio ſecundùm eundem ſenſum. Verùm quia nemo

Non eſt poſitum in ſymbolo quòd Spiritus ſanctus ſit de Deo. Ne præpropera negandum eſt.

Cùm dicitur Spiritus ſanctus eſſe de Patre, non eſt intelligendum quòd ſit de re eſſentiæ, ſive de hoc quòd Pater eſt: ſed quòd ſit de Deitate Patris, ſive de hoc quòd Pater eſt Deus. Nulla eſt relatio Patris, ſine relatione Filii: ſicut nihil eſt relatio Filii, ſine relatione Patris.

A tam inſipiens eſt, qui hoc opinetur; credendum & confitendum eſt ideo de Patre Spiritum ſanctum eſſe, quia eſt de Deo. Non autem magis eſt Pater Deus, quàm Filius; ſed unus ſolus verus Deus, Pater & Filius. Quapropter ſi Spiritus ſanctus eſt de Patre, quia eſt de Deo qui Pater eſt; negari nequit eſſe quoque de Filio, cùm ſit de Deo qui eſt Filius.

Si Spiritus ſanctus eſt de Patre, quia eſt de Deo qui Pater eſt: negari nequit eſſe quoque de Filio, cùm ſit de Deo qui Filius eſt.

CAPUT VIII.

Spiritus ſanctus procedit de Patre, & Filio; quia procedit de ſolo vero Deo, qui Pater eſt & Filius.

B Conſideremus etiam quod Dominus dicit in Evangelio. Ait enim: *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Aut ergo ita intelligendus eſt iſte * ſolus verus Deus, ut cùm nominamus ſolum Patrem, non ſignificetur ille ſolus verus Deus; neque quando nominamus ſolum Filium: ſed tunc ſolummodò intelligatur iſte ſolus verus Deus, quando ſimul dicimus Patrem & Filium. Aut ſolus verus Deus intelligitur, cùm nominamus ſolum Patrem, aut ſolum Filium: * at ſi ſolo Patre nominato, aut ſolo Filio, non intelligitur ſolus verus Deus ſine abjectione nominis alterius: non eſt Pater perfectus * Deus, neque Filius perfectus Deus; ſed eſt Deus compoſitus ex Patre & Filio. Sed credimus Patrem eſſe perfectum, & ſolum verum Deum; & Filium ſimiliter perfectum, & ſolum verum Deum. Cùm ergo nominamus Patrem ſolum, aut Filium, non aliud intelligimus, exceptâ relatione quâ referuntur ad invicem, quàm ſolum verum Deum, & eundem quem in utriuſque prolatione cognoſcimus. Itaque cùm dixit Dominus: *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Si addidiſſet dicens: *& de hoc ſolo vero Deo procedit Spiritus ſanctus*: quis auderet ſeparare Filium ab illa proceſſione, cùm ille ſolus verus Deus non magis aut minùs ſit Pater, quàm Filius? Quapropter ſi idem ſolus verus Deus intelligitur, cùm ſolus Pater dicitur, aut Filius, & cùm ambo ſimul nominantur: quid apertius quàm quia de ſolo vero Deo, qui Pater eſt & Filius, procedit Spiritus ſanctus; cùm dicitur à patre procedere? Quare ſicut intelligeretur de Filio procedere; ſi idem Filius dixiſſet de ſolo vero Deo illum procedere, quando dixit ſe & Patrem ſolum verum Deum eſſe: ita cùm dicit eum de Patre procedere, abſque dubio ſignificat eum de ſe procedere.

Joan. 17. v. 3.

C

D

CAPUT IX.

Miſſio Spiritus in nomine Filii & à Filio, confirmat proceſſionem ejus de Filio.

Dicit etiam Dominus: *Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* Et * rurſum: *cùm autem venerit * Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre.* Quid ergo intelligendum eſt, cùm dicit: *Quem mittet Pater in nomine meo*: an quia Spiritus ſanctus habebit nomen ejus, * ut cùm E mittet Pater Spiritum ſanctum, idem ſit quod mittere Filium? Sed quod ait: *Quem ego mittam vobis à Patre*, non recipit hunc ſenſum: quia eundem ipſum Spiritum ſanctum, quem mittit Pater, mittit & Filius; neque mittit Filius Filium. Denique nuſquàm legimus, & omnino negamus Spiritum ſanctum eſſe Filium. Quid itaque eſt: *Quem mittet Pater in nomine meo*: niſi, quem Pater mittet, Filius quoque mittet? Sicut cùm dicit, *quem ego mittam à Patre*, non eſt aliud, quàm ego mittam & Pater. Filius namque eſt nomen illius qui dicebat: *mittet Pater in nomine meo.*

Joan. 14. v. 26.

Joan. 15. v. 26.

Quem Pater mittet in nomine meo: id eſt, quem Pater mittet, ego quoque mittam.

Digitized by Google

Non est ergo aliud : *mittet Pater in nomine meo*, nisi, *mittet Pater in nomine* Filii. Quid igitur est, *mittet Pater in nomine* Filii, nisi, *mittet Pater*, tanquam si mittat Filius : ut in missione Patris, missio intelligatur Filii ? Quod verò ait, *quem ego mittam vobis à Patre*, quomodo intelligendum est ? Utique à quo eum mittit Filius, ab eo mittitur. Mittit autem eum à Patre : ergo à Patre mittitur. Sed ille mittit à quo mittitur : Pater itaque mittere intelligitur, cùm Filius dicit : *Ego mittam à Patre*. Quid est ergo : *Ego mittam à Patre*, nisi, ego mittam tanquam si Pater mittat, ut una & eadem sit missio mea & Patris ? Cùm * itaque Filius tantâ diligentiâ ostendat unam esse missionem Patris & suam ; ut nec Pater mittat, nisi cùm Filius mittit ; nec Filius * mittat, nisi cùm mittit Pater. Quid vult * significare, aut quid * intelligi, nisi quia non aliter se habeat ad Patrem Spiritus sanctus, & aliter ad Filium ; nec magis est unius, quàm alterius ? Quamobrem nimis difficile, immò impossibile est ostendere quomodo non procedat ab utroque. Unde enim est Filio * simul cum Patre dare vel mittere Spiritum sanctum, & hunc esse utriusque ; si simul non est de utroque ? Cur enim magis dat Filius Spiritum sanctum, quàm Spiritus sanctus Filium ? Aut cur magis Spiritus sanctus est Filii, quàm Filius Spiritus sancti : nisi quia Filius non est ita de Patre simul & de Spiritu sancto ; sicut Spiritus sanctus est de Patre * simul & de Filio ? Si ergo Spiritus sanctus non * est de Filio ; non * datur à Filio, nec dicitur esse Filii : sicut Filius non datur à Spiritu sancto, nec dicitur esse Spiritûs sancti ; quoniam non est de Spiritu sancto. Si autem dicunt quia Spiritus sanctus mittit etiam Filium, sicut idem ipse dicit per Prophetam : *Et nunc Dominus Deus misit me, & Spiritus ejus* : hoc secundùm hominem, quem gerebat, intelligendum est, qui Patris & Spiritûs sancti unà voluntate & dispositione mundum redempturus in mundo apparuit. Quæro tamen ab his, qui negant Spiritum sanctum esse & procedere de Filio, quomodo intelligant eum sic esse Spiritum Filii, ut Filius tanquam suum Spiritum illum mittat ? An putant quia Pater dedit Filio Spiritû * sanctum suum tanquam à se non habenti ? Aut enim habet à se ; aut ab alio. Sed ab alio non potest habere, nisi à Patre. Accepit igitur à Patre, à quo habet ; & dedit ei Pater Spiritum sanctum, ut à se non habenti. Hîc ostendant, cùm æquales sint Pater & Filius & Spiritus sanctus, & unusquisque sibi sit sufficiens ; quæ fuit causa, vel quæ indigentia Filii, ut Pater daret ei Spiritum suum, magis quàm Spiritui sancto Filium suum. Non negamus hoc modo habere Filium Spiritum sanctum à Patre : quia à quo habet esse, ab eo habet ut de se Spiritum * existentem habeat sicut Pater : quoniam idem esse est Patris & Filii. Non est enim idem à Patre accipere essentiam, de * qua procedit Spiritus sanctus, & accipere à Patre Spiritum sanctum. Cùm enim dicitur habere à Patre essentiam, de * qua Spiritus sanctus procedit ; nulla monstratur indigentia Filii. Cum verò dicitur quia Filius accipit à Patre Spiritum sanctum, quem de se non habet sicut Pater ; videtur significari Filius quasi minus aliquid habere, quàm habeat Pater ; & velut ad supplementum ei dari Spiritum sanctum. Sed non apparet cur magis egeat Filius Spiritu sancto, quàm Spiritus sanctus Filio. Si enim respondetur ad hoc datum esse Spiritum sanctum Filio, ut cùm ipse quoque cum Patre * daret eundem Spiritum sanctum, pars illi cum Patre gratia imputaretur. Terrena est hæc opinio, & longè ab intellectu Divinitatis extranea ; ut tanquam homo homini, Deus Deo * quasi indigenti subveniat. Namque si dat Pater Spiritum sanctum Filio, dat Deus Deum * Deo. Pater enim Deus, & Filius Deus, & Spiritus sanctus Deus, & unus * idemque Deus. Non * autem intelligimus Deum à Deo Deum accipere ; nisi hoc dicatur, cùm Deus est de Deo ut Filius & Spiritus sanctus. Dicitur ergo Spiritus sanctus Filii Spiritus, non ob aliud nisi quia ex ipso est.

In missione Patris, missio intelligitur Filii.

Una est missio Patris & Filii.

Spiritus sanctus est Spiritus Filii, non ob aliud nisi quia ex ipso est.

CAPUT X.

Eadem processio probatur ex Christi insufflatione in Apostolos.

POst Resurrectionem legimus quia insufflavit Dominus in * Discipulos suos, & ait illis : *Accipite Spiritum sanctum*. Quid sibi vult ista insufflatio ? Scimus enim quia flatus ille, qui de ore ejus tunc processit, non erat Spiritus sanctus. Non ergo credimus illam insufflationem sine aliquo mysterio factam esse. Quid igitur rectiùs hic intelligi potest, aut * aptiùs, quàm hoc, ideo illum fecisse, ut intelligeremus Spiritum sanctum de illo procedere ? Ac si diceret : sicut videtis hunc flatu per quem vobis Spiritum Sanctum, sicut sensibilibus insensibilia significari queunt, significo ; de intimo corporis mei, & de persona mea procedere : ita scitote Spiritum sanctum, quem vobis per hunc flatum significo, de secreto Deitatis meæ, & de mea persona procedere. Unam enim personam Verbi & hominis, & in ea duas naturas, Divinam, scilicet, & humanam credimus & confitemur. Sed dicent forsitan : flatus utique ille non erat de substantia humana ; & tamen quasi suum illum emittebat. Quapropter * docemur per hujusmodi Spiritûs sancti dationem, quia cùm dat Filius Spiritum sanctum, dat & mittit suum spiritum ; sed non de suæ Divinitatis essentia. Dicant igitur, si qui hoc opinantur, quia sicut flatus non est humana natura, cùm emittitur ab homine : ita Spiritus sanctus non est divina substantia, cùm datur vel mittitur à Deo Filio : quod nullus confitetur Christianus. Dicant etiam cùm * audimus : *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum* : si ibi non negant intelligendum per spiritum oris Domini, Spiritum sanctum ; non illum esse de essentia Domini, cujus oris spiritus dicitur : quia spiritus qui ex ore solet hominum procedere, non est de substantia illius de cujus ore procedit. Quod si non audent dicere, spiritum, scilicet, Dei non esse de essentia Dei ; & per verba rerum sensibilium, id est, per spiritum oris, intelligunt Spiritum sanctum de secreto ejus essentiæ procedere, cujus oris spiritus dicitur : fateantur etiam eundem Spiritum sanctum de illius essentia procedere, cujus labiorum spiritus dicitur. Legimus enim in * Prophetâ de Christo quia *spiritu labiorum suorum interficiet impium*. Aut ergo ostendant diversitatem inter * spiritum oris, & spiritum labiorûm ; quod fieri nequit : aut pariter concedant Spiritum sanctum procedere de illo, cujus oris ; & de illo, cujus labiorum spiritus designatur. At si dicût nequaquâ per spiritum labiorum ibi intelligi Spiritum sanctum debere ; sed verba prædicationis ejus, quæ ex isto aëreo spiritu humano in ore formavit * : quia verbis suis interficit impium, cùm docendo * ab homine avertit impietatem. Non utique hoc faciût verba sensibilia ; & iste sensibilis spiritus sed Spiritus sanctus, de quo dicit Deus per Prophetam : *Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio vestri*. Spiritus ergo sanctus interficit impium, cùm cor ejus convertit ab impietate ad pietatem. Quòd si intelligimus in illo impio Antichristum, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui ; nõ puto quòd aliquis tantùm attribuat virtutem illam spiritui vocis humanæ, quantùm spiritui divino. Si ergo Spiritus sanctus intelligitur in his dictis ; cùm pariter dicatur spiritus oris Domini, cujus verbo cœli firmati sunt, id est, Patris ; & spiritus oris Domini Jesu ; & spiritus labiorum ejus : non apparet cur magis intelligi debeat procedere de ore Patris, quàm de ore Filii. Et si per os Patris intelligimus essentiam Patris ; non enim est aliud os ejus, quàm essentia ejus ; ut sicut verbum Domini est essentia ejus, ita spiritus oris ejus non sit nisi de essentia ejus : quid apertiùs quàm, sicut spiritus oris Patris est de essentia Patris & procedit ; ita

Joan. 20. v. 22.

Per hanc insufflationem aliter hæc aptius intelligi potest, quam Spiritum sanctum de illo procedere.

Psal. 32. v. 6.

Isa. 11. v. 4.

Non verba sensibilia, sed Spiritus sanctus auferre impietatem & cor lapideum ab homine.

Ezech. 36. v. 26. & 27.

Spiritus sanctus interficit impium, cùm cor ejus convertit ab impietate ad pietatem.

Spiritus oris & labiorum Filii, de Filii eſsentia ſit & procedat? Puto enim quia nemo intelliget ſimpliciter, ubi dictum eſt: *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritus oris ejus omnis virtus eorum*: verba tranſitoria, & ſpiritum qui de hoc aëre aſsumptus per loquentis os emittitur. Sed quomodocumque hoc aliquis exponere conetur, ſufficit quod in illa inſufflatione Domini in Diſcipulos, cujus feci mentionem, factum eſt ad ſignificandum quia de ejuſdem perſonæ ſecreto * procedat ille Spiritus, quem dabat, de cujus occulto ſpiritus ille procedebat, quem inſufflabat. Denique cùm Scriptura divina ſignificat aliquid ſecretum per ſenſibilium ſimilitudines; non per omnia quæ ſignificant, & *quæ ſignificantur, ſimilia poſsunt eſse: non enim hoc eſset ſimilitudo, ſed identitas: niſi fortè quis dicere voluerit illam inſufflationem ita ſimpliciter eſse factam à Sapientia Dei, ſine omni ſpirituali ſignificatione Dei. Sed neminem puto ita inſenſatum, ut hoc ſentiat.

Psal. 32.

In comparationibus non omnia ſunt ſimilia, aliquando eſt identitas, non ſemper.

CAPUT XI.

Eadem Proceſſio arguitur ex verbis Chriſti, Ille de meo accipiet.

ITem Filius dicit de Spiritu ſancto: *Non enim loquetur à ſemetipſo; ſed quæcunque audiet, loquetur.* Quid eſt, *Non loquetur à ſemetipſo*: niſi ab alio habebit quod loquetur? Et quid eſt, ab alio habebit quod loquetur: niſi, ab alio habebit ſcientiam eorum quæ loquetur? Unde poſtquam dixit: *Non loquetur à ſemetipſo*, addidit: *ſed quæcunque audiet, loquetur.* Quid eſt audire, * Spiritui ſancto; niſi quaſi diſcere? Et quid eſt diſcere, niſi ſcienttiam accipere? Si ergo ſcientia ejus non eſt aliud niſi eſsentia ejus; ab illo habet eſsentiam, à quo audit ea quæ loquitur, & quæ docet: quoniam idem eſt illi loqui, quod docere. Non audit autem, neque habet eſsentiam ab alio * niſi aut à Patre, aut à Filio. Verùm ſi habet eſse à Patre, ſecundùm ſupradictam rationem, habet etiam à Filio. Unde & idem filius dicit: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet & annuntiabit vobis.* Quippe quid eſt aliud hoc dicere; quàm, à me audiet, hoc eſt, à me ſciet quod annuntiabit vobis? Cùm dixit: *Quæcunque audiet, loquetur*: non determinavit à quo audiet. Cùm verò ait: *De meo accipiet*: ne quis ſoli Patri attribuat quòd ab alio audit; apertè ſe eſse, à quo ſicut à Patre, ſcientiam ſive eſsentiam accipiat, demonſtrat. Sicut enim, cùm dicitur, *Non loquetur à ſemetipſo; ſed quæcunque audiet, loquetur & annunciabit vobis*, ſignificatur ab eo eſse & procedere, à quo audit: Ita, cùm profert Filius: *De meo accipiet & annunciabit vobis*, palàm oſtendit eum de ſuo, hoc, de eſsentia ſua eſsentiam habere & procedere. Quod enim Divina eſsentia non eſt, ſub Spiritu ſancto eſt; nec ipſe accipit aliquid de hoc, quod ſub ſe eſt. Quare cùm Filius dicit: *De meo accipiet*, non aliud ibi ſuum ſignificat, quàm ſuam eſsentiam.

Joh. 16. *v.* 13.

Scientia Spiritus ſancti non eſt niſi eſsentia ejus.

Joh. 16. *v.* 14. & 15.

Spiritus ſanctus accipiendo ſcientiam à Filio, accipit ab eo eſsentiam.

CAPUT XII.

Urgentur ad idem verba alia Chriſti: Nemo novit Filium niſi Pater, &c.

ILlud forſitan, quod dixit Filius: *De meo accipiet, & annunciabit vobis*, aliter conabuntur intelligere, quàm ego expoſuerim. Sed quid dicent, ubi ait: *Nemo novit Filium niſi Pater; neque Patrem quis novit, niſi Filius, aut cui voluerit Filius revelare?* * Audimus quia nemo novit Patrem, aut * Filium niſi Pater, aut Filius & cui revelat Filius. Non dicit autem, nemo; quaſi nullus homo; ſed ac ſi diceret, nullus omnino. Quippe ſi hoc intelligeret, non adderet *niſi Pater*; quia Pater non eſt homo. Et cùm ait: *neque Patrem quis novit*: in hac monoſyllaba dictione videlicet, *quis*, non magis intelligitur humana, quàm quælibet perſona. Omnino igitur nullus habet hanc notitiam, niſi Pater & Filius, & cui Filius idem revelat. Aut itaque Spiritus ſanctus non cognoſcit Patrem & Filium; quod impium eſt opinari: aut Filius revelat ei ſui & Patris ſcientiam, quæ non eſt aliud, quàm ejuſdem Spiritus ſancti eſsentia. Quòd ſi dicunt quia licet Filius, quantùm ad pronuntiationem attinet, nullum ad hanc admittat notitiam, niſi ſe & Patrem, & cui ipſe revelat; non tamen Spiritum ſanctum aut ab illa ſeparatum, aut * illam à Filio accipere fatendum eſt: quoniã Pater & Filius non ſe cognoſcunt, niſi per hoc quod unum ſunt cum Spiritu ſancto: Et ideo, cùm ait Patrem & Filium invicem ſe noſse, intelligendus eſt ſimul Spiritus ſanctus: Et cùm revelat Filius, non Spiritui ſancto, ſed creaturæ revelat. Si inquam, hoc * dicunt, nos ſtatim conſtanter inferimus: Ergo ſi ubi apertè veritas, ſecundùm quod verba oris ejus pronuntiant, * negat Spiritum ſanctum noſse niſi revelante Filio Patrem & Filium: dicunt etiam non tantùm nos verba attendere debere, quantùm unitatem eſsentiæ, quæ una tribus & inſeparabilis eſt: multò magis debemus hujus unitatis ſervare conſequentiam, de qua ſuprà loquutus ſum, cùm eam * nulla aut ſcripto, aut ſenſu negat auctoritas; nec profert aliquid, quod contrarium ſit, aut aliquo modo repugnet. Eligant itaque Græci unum de duobus, ſi apertè volunt veritati reſiſtere: aut, ſcilicet, Spiritum ſanctum non noſse Patrem & Filium, niſi revelante Filio; aut propterea quia in hoc per quod ſe cognoſcunt Pater & Filius, unum ſunt cum Spiritu ſancto; * quando ipſi dicuntur ſe noſse conſequi ex neceſſitate ut in eadem notitiâ intelligatur Spiritus ſanctus: nempe nihil eſt medium; ſi * nolunt hanc notitiam à Spiritu ſancto, aut veritatem à verbis * veritatis penitus abdicare. Quæ utraque execratur vera confeſſio. * Sic enim ait veritas: *Nemo novit Filium niſi Pater; neque Patrem quis novit niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Siquidem eligunt Spiritum ſanctum noſse Patrem & Filium per revelationem Filii; habet à Filio noſse, quod non eſt aliud illi quàm eſse. Eſt igitur & procedit à Filio: quoniam ab illo procedit à quo eſt. Si autem dicunt, cùm Pater & Filius dicuntur noſse ſe, quia eſsentia, per quam ſe noſcunt, eadem eſt Spiritui ſancto, conſequi Spiritum ſanctum ejuſdem eſse conſortem notitiæ: cùm * legunt illum à Patre procedere, de quo ait Filius: *Ego & Pater unum ſumus*, confiteantur nobiſcum, propter eſsentialem identitatem Patris & Filii, illum à Filio quoque proculdubio procedere.

Impium eſt opinari quod Spiritus ſanctus non cognoſcat Patrem & Filium.

Pater & Filius non ſe cognoſcunt, niſi per hoc quod unum ſunt cum Spiritu ſancto.

Matth. 11. *v.* 27.

CAPUT XIII.

Spiritus ſanctus procedens à Filio non eſt ex poſterior aut minor.

SI verò objicitur, cùm * dicimus Filium à Patre naſci, & Spiritum ſanctum à Patre & Filio procedere: quia quoſdam gradus & quædam intervalla conſtituimus; quaſi ſpiritus ſanctus eſse non poſſit, niſi Filius priùs naſcatur à Patre, ut poſterior Filio ſit Spiritus ſanctus: & ideo rectiùs dici quod pariter ſint à Patre, Filius naſcendo, & Spiritus ſanctus procedendo: ita ut nec Filius à Spiritus ſancto ſit, nec Spiritus ſanctus à Filio; ſicut ſplendor & calor pariter ſunt de uno ſole, nec ſplendor à calore eſt, nec calor à ſplendore: ſi, inquam, hoc aliquis noſtræ objicit aſſertioni: Reſpondemus, Nos nec gradus dignitatis ponimus in Deo, qui unus eſt: nec in exiſtendo Filium de Patre, aut Spiritum ſanctum procedere de Patre & Filio, intervalla in æternitate, quæ eſt extra omne tempus, ſtatuimus. Similiter enim omnes Chriſtianam fidem tenentes confitemur nec minorem, nec poſteriorem Filium eſſe Patre; quamvis non niſi de illo

Objectio.

Comparatio filii & ſplendoris & caloris.

Solutio.

ſit. Ita quoque nos qui dicimus Spiritum ſanctum de A Filio eſſe, ſive procedere; nec minorem nec poſteriorem eum Filio fatemur. Nempe quamvis ſplendor & calor de ſolo procedant, nec poſſint eſſe niſi ſit ille de quo ſunt; nihil tamen prius aut poſterius in tribus, in ſole, ſcilicet, & ſplendore & calore intelligimus: multò itaque minùs, cùm hæc in rebus temporalibus ita ſint, in æternitate, quæ tempore non clauditur, prædictæ tres perſonæ in exiſtendo ſuſceptibiles intervalli *, poſſunt intelligi.

CAPUT XIV.

Diſparitas inter Filii ac Spiritûs ſancti proceſſionem de Patre; & ſplendoris ac coloris proceſſionem de ſole.

QUod autem dicitur quia Filius & Spiritus ſanctus ſic poſſunt eſſe de ſolo Patre; ut nec Filius ſit B de Spiritu ſancto, nec Spiritus ſanctus de Filio; ſicut ſplendor & calor ſimul procedunt de uno ſole, ut alter non ſit de altero: non rectè hoc nobis opponitur. Cùm enim dicimus Filium de Patre * eſſe, & Spiritum ſanctum de Patre eſſe; Filium fatemur Deum, & Spiritum ſanctum * Deum eſſe de Patre Deo, & has tres perſonas unum ſolum Deum eſſe, & idipſum eſſe de eodem ipſo. In ſole verò non dicimus ſolem eſſe de ſole, cùm ſplendor aut calor eſt de ſole; nec idipſum eſſe ſolem & * quod eſt de ſole; nec illa tria unum eſſe ſolem. Nam ſi ſol & ſplendor unus eſſent ſol: aut ſi ſol & calor ſimiliter unus ſol eſſent: neceſſe eſſet aut ſplendorem eſſe de calore, cùm eſſet de toto ſole, qui idipſum eſſet quod calor; aut calorem de ſplendore eſſe, * cùm de ſole haberet eſſe, qui non à ſplendoris differret eſſentia. Ponamus tamen Filium & Spiritum ſanctum ita pariter eſſe de ſolo Patre; ſicut calor & ſplendor ſunt de uno ſole. Sed ſi ita eſt: unde habent, qui hoc dicunt, quòd Spiritum ſanctum confitentur eſſe Filii, & Filiũ C negant eſse Spiritûs ſancti? Nam ſicut nulla ratio admittit ut calor ſit ſplendoris, aut ſplendor caloris: ita non patitur veritas ut Spiritus ſanctus magis ſit Filii, quàm Filius Spiritûs ſancti. Quapropter ſi negare non audent Spiritum ſanctum eſse Filii, negent Filium & Spiritum ſanctum ita eſse pariter de ſolo Patre, ſicut ſunt ſplendor & calor de uno ſole. Quare ſi hoc nobis objiciunt; quod dixi de ſplendore & calore ſolis, nec cum illis, nec contra nos eſt.

CAPUT XV.

Quòd Græci non rectè dicant Spiritum ſanctum procedere D *de Patre per Filium per quem ſunt omnia: ſed ipſe procedat ex Deitate, quæ una eſt Patris & Filii.*

SIcut nobis dicitur, ne omnino ſeparent Filium à Patris communione in hac Spiritûs ſancti proceſſione, aſſerunt eum de Patre per Filium procedere. Sed hoc quomodo intelligi poſſit, non videtur; præſertim cùm nuſquam legant, unde hoc apertè probare queant. Nam ſi hoc ſibi ſuffragari exiſtimant quod legimus de Deo: *Quia ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo* Rom. 11. v. 36. *ſunt omnia*: ut ex quo ſunt omnia, ſit Pater; & per quẽ, Filius; & in quo, Spiritus ſanctus: & inter omnia, quæ ſunt per Filium, Spiritus ſanctus * intelligatur. Hoc quidem, quòd ex Patre ſint omnia, & per Filium, & E in Spiritu ſancto, ſine ſcrupulo accipimus: illud verò, quòd Spiritus ſanctus ſit inter omnia, quæ ſic eſſe dicit Apoſtolus, nimis eſt ſcrupuloſum aſſerere. Impoſſibile namque eſt unam quamlibet de illis tribus perſonis inter illa omnia includere, & duas alias excludere. Quòd ſi Pater & Filius * & Spiritus ſanctus ſunt inter omnia, quæ ſunt ex Patre, & per Filium, & in Spiritu ſancto: & videat mens rationalis quanta ſequatur confuſio. Cùm ergo dicit Apoſtolus *Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*; intelligere debemus ſine dubio omnia creata à Deo, quæ ita ſunt ex *ipſo, & per ipſum, & in ipſo*, ſicut aliud ex alio, & per alius, & in alio. Quicquid enim factum eſt, non eſt idem Deo, ſed ab illo aliud. Spiritus autem ſanctus non eſt, aliud, ſed idem ipſũ quod * eſt Pater & Filius. Utique nihil aliud intelligi poteſt, quo * oſtendere poſſunt Spiritum ſanctum per Filium de Patre (ſicut aiunt) procedere. Cùm enim Pater & Filius non differant in unitate Deitatis; nec Spiritus ſanctus procedat de Patre, niſi de Deitate: ſi eadem Deitas eſt Filii; nequit intelligi quomodo procedat de Deitate Patris per Deitatem Filii, & non de ejuſdem Filii Deitate: niſi fortè *Spiritus ſanctus filii de deitate Patris, non de paternitate procedit.* quis dicat Spiritum ſanctum non procedere de Deitate Patris, ſed de paternitate; nec per Deitatem Filii, ſed per filiationem; quæ opinio ſua ſe patenti fatuitate ſuffocat. Quòd ſi dicit aliquis, quia cùm dico illũ procedere de Deitate Patris & Filii, non poſsum * Deitatem Spiritus ſancti ab hac Patris & Filii Deitate ſeparare; quoniam una & eadem eſt Deitas trium: & ideo ſequi, ſi de Deitate Patris & Filii procedit, de ſua quoque eum procedere: & ob hoc Spiritum ſanctum de ſeipſo procedere. Ad hoc jam ſuprà me ſufficienter memini reſpondiſſe quia nulla perſona ex ſeipſa eſſe poteſt: nam ſicut Filius, cùm eſt de Patris eſſentia, quamvis non ſit alia, ſed eadem Filii eſſentia quæ eſt Patris; non tamen eſt de ſeipſo, ſed de Patre ſolo: ita Spiritus ſanctus, cùm eſt de eſſentia Patris & Filii, quæ eſt eadem illi; non tamen eſt de ſeipſo, ſed tantummodo de Patre & Filio.

CAPUT XVI.* al. part c. 15.

Quòd Spiritus ſanctus non procedat à Patre per Filium; ſicut omnia à Patre per Verbum ſunt facta.

DIcent: Cur non ſimiliter dicere poſsumus Spiritum ſanctum de Patre per Filium procedere, ſicut dicimus à Patre omnia facta per Verbum quod eſt Filius? Sicut enim cùm Pater facit per Verbum ſuum, non facit per aliud quàm per hoc quod ipſe eſt, hoc eſt, per eſſentialem poteſtatem, quæ eſt eadem Verbi; & * tamen dicitur facere * per Verbum. Cur non ſimiliter dicimus Spiritum ſanctum à Patre procedere per Verbum; cùm non procedat à Patre, niſi de hoc & per hoc quod idem eſt illi cum Filio; quamvis non ut creatura, ſed ut idipſum de eodem ipſo? Videamus quid *Quæ facta ſunt à Patre per Verbum, facta ſunt ab ipſo Verbo.* ſequatur, ſi hoc dicimus; & pax ſit inter nos. Nempe quæ facta ſunt à Patre per Verbum, facta ſunt ab ipſo Verbo: ipſum namque Verbum dicit: *Quæcunque enim Pater fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit.* Dicamus Joh. 5. v. 19. igitur quia Spiritus ſanctus, cùm procedit à Patre per *Ita Spiritus ſanctus qui à Patre procedit per Filium, procedit à Filio.* Filium, procedit & à Filio ſimiliter; ſicut quæ facta ſunt à Patre per Verbum, facta ſunt ſimiliter ab ipſo Verbo: niſi fortè intelligunt Spiritum ſanctum procedere de Patre per Filium; quemadmodum cùm fons fluit in rivum, & rivus colligitur in lacum, dicitur lacus eſſe de fonte per rivum. Sed ibi non eſt rivus in fonte, ſed extra fontem; ſicut eſt Filius in Patre, & non extra Patrem. Quare non ſic eſt Spiritus ſanctus de Patre per Filium; ſicut eſt lacus de fonte per rivum. Si tamen ſic *Similitudo fontis, rivi & lacus.* eſt, negari nequit eſse de Filio; quamvis ſit de Patre per Filium: ſicut fatendum eſt lacum eſse de rivo; quamvis ſit de fonte per rivum. Qui enim negat lacum eſse de rivo; quoniam priùs eſt de fonte rivus: dicat ſe non eſse de Patre ſuo, ſed de Adam, quoniam per Patrem ſuum eſt de Adam. Dicat etiam Filium Virginis non eſse de Maria, nec de David, nec de Abraham; quoniam iſti priùs fuerunt de Adam: & dicat falſum eſſe quod dictum eſt Abrahæ: *In ſemine tuo benedicentur omnes* Gen. 22. v. 18. *gentes*. Et ad David: *De fructu ventris tui ponam ſuper* Pſal. 131. v. 11. *ſedem tuam.* Et ad Mariam: *Benedictus fructus ventris* Luc. 1. v. 42. *tui*. Dicatque Chriſtum non eſse ſemen horum, vel fructum,

Digitized by Google

ctum sed Adæ: quoniam isti ab illo* descenderunt. Sed neque de Adam est Filius Virginis, secundùm hunc sensum; sed de limo, de quo factus est Adam.* At inferent: bene dicimus Spiritum sanctum non procedere de Filio, sed de Patre per Filium; quamvis sit de Patre & de Filio: sicut dicis lacùm esse de fonte & de rivo. De Processionis namque verbo quæstio est inter nos, quam vos asseritis esse de Filio, & nos negamus: ecce enim videtis rivum de fonte procedere, quasi de originali principio: lacus autem non procedit, sed colligitur de rivo; quamvis habeat esse de illo. Ita igitur etsi Spiritus sanctus habeat esse de Filio; non tamen procedere propriè dicitur de Filio, sed de Patre quasi de principio. Hoc fortitan diceretur rectè, si Filius nascens de Patre procederet extra Patrem, & medio quodam spatio interveniente, priùs intelligeretur esse Spiritus sanctus de Patre quàm de Filio; sicut rivus de fonte fluens extra fontem procedit, & quodam intervallo in lacum colligitur; & priùs est lacus de fonte, quàm de rivo: & ideo est de fonte per rivum, non de rivo per fontem. Verùm cùm Filius nascens de Patre non exeat extra Patrem; sed in ipso manens, nec loco, nec tempore, nec essentia * divisus sit à Patre; & cùm unum sit idemque Patri & Filio id unde procedit Spiritus sanctus: nec intelligi potest, nec dici debet Spiritum sanctum procedere de Patre, & non de Filio. Non ergo videtur quâ ratione dicatur Spiritus sanctus non procedere de Filio, sed de Patre per Filium: cùm etiam si per Filium nequeat, non de Filio. Si quis tamen vult dicere Filium de Patre procedere magis propriè, quàm Spiritum sanctum de Filio: quamvis Spiritus sanctus de illo: sicut rivus magis illi videtur procedere de fonte * quàm lacus de rivo: * ne concedat Spiritum sanctum procedere de Filio, de quo habet esse, sicut lacus de rivo: nos non negamus nascentem aliquo modo procedere de illo, de quo nascitur: & Spiritum sanctum asserimus suo modo, non quasi de duobus fontibus, sed verè de uno fonte procedere: ita tamen ut nomen nativitatis nec processio Filii amittat, nec Spiritus sancti processio recipiat. Non est igitur cur magis dici debeat Filius procedere de Patre, quàm Spiritus sanctus de Filio.

Nomen nativitatis non amittit Filius amittat Spiritus sancti processio recipiat.

al. Cap. 16.

CAPUT XVII.*

Quòd sicut lacus est de rivo & fonte, ita Spiritus sanctus procedat de Patre & Filio.

DIligentiùs consideremus quomodo lacus sit de fonte, pariter & de rivo: ut per hoc, sicut per temporale & locale aliquid potest intelligi quod æternum est, cognoscamus Spiritum sanctum esse de Patre & Filio. Multa enim in horum consideratione, sicut in epistola ad venerabilis memoriæ Urbanum Papam de Incarnatione Verbi scripsi, inveniuntur, quæ uni Deo & tribus personis per quandam similitudinem aptantur. Constat* quia una eademque aqua est, quæ & fons & rivus & lacus dicitur; non tres aquæ: quamvis tres sint, fons, rivus, & lacus. Discernamus itaque inter fontem, rivum, & lacum; & videamus * quid singula hæc, cùm tria sint, in una intelligantur aqua. In fonte quidem aqua de abyssо ascendens ebullit; in rivo de fonte descendens fluit; in * lacu colligitur, & manet. Per fontem ergo intelligitur aqua de abyssо ebulliens: per rivum, quia de fonte fluit: * per lacum, quia simul ibi coadunatur. Videmus autem quia rivus non est de hoc, unde aqua fons dicitur; sed de hoc quod est, id est, de aqua: nec lacus est de hoc, unde aqua dicitur fons aut rivus; sed de ipsa aqua, quæ una & eadem est in fonte & rivo. Non ergo de hoc, unde * differunt fons & rivus; sed de hoc in quo unum sunt, lacus existit. Si ergo non magis fons est hoc unde lacus est, quàm rivus: nequit intelligi lacus magis esse de fonte, quàm de rivo. * Sic itaque cùm dicitur

Jam scripserat epistolam de Incarnatione Verbi

Fons, rivus, & lacus, sunt tres: & una eademque aqua in fonte, rivo, & lacu.

al. lacum

al. in

Per fontem intelligitur aqua ebulliens: per rivum, aqua fluens: per lacum, aqua collecta.

A Deus Pater, aut Filius, aut Spiritus sanctus; una in tribus intelligitur essentia, & unus Deus, quod nomen est ipsius significativum essentiæ: sed in Patre intelligitur gignens; in Filio genitus: & in Spiritu sancto singulari quodam & ineffabili modo procedens. Quemadmodum igitur lacus non est de hoc, unde diversi sunt ab invicem fons & rivus; sed de aqua * in qua unum sunt: ita Spiritus sanctus non est de hoc, unde alii sunt ab invicem Pater & Filius; sed de Divina essentia, in qua unum sunt. Si ergo non magis est Pater hoc unde Spiritus sanctus est, quàm Filius; intelligi nequit cur magis sit de Patre, quàm de Filio.

In Patre intelligitur Deus gignens: in Filio, genitus: in Spiritu sancto procedens.

CAPUT XVIII.*

al. Cap. 17.

Pater & Filius sunt unum principium Spiritûs sancti.

B QUòd si dicunt non eum esse posse de duabus causis, sive ex duobus principiis: Respondemus quoniam sicut non credimus Spiritum sanctum esse de hoc, unde duo sunt Pater & Filius; sed de hoc, in quo unum sunt: ita non dicimus duo * esse ejus principia, sed unum principium. Quippe cùm dicimus Deum principium creaturæ, intelligimus Patrem & Filium & Spiritum sanctum unum principium, non tria principia; sicut unum Creatorem, non tres Creatores; quamvis tres sint Pater & Filius & Spiritus sanctus: quoniam per hoc in quo unum sunt, non per hoc * quod tres sunt est Pater aut Filius aut Spiritus sanctus principium sive Creator. Si igitur quamvis Pater sit principium, & Filius sit principium, & Spiritus sanctus sit principium; non tamen sunt tria principia, sed unum: ita cùm Spiritus sanctus dicitur esse de Patre & de Filio, non est de duobus principiis; sed de uno, quod * est Pater & Filius, sicut est de uno Deo qui est Pater & Filius; si tamen dici debet Deus habere principium aut causam. C Principium namque videtur non nisi rei incipientis esse; & causa non nisi effectûs alicujus: & Spiritus sanctus nunquam incepit esse, nec est effectus * alicujus. Quod enim incipit esse, proficit de non esse ad esse: & nomen effectûs, rei quæ fit aptari videtur propriè. * Quoniam tamen verum est Filium esse de Patre, & Spiritum sanctum de Patre & Filio, si suo ineffabili quodam modo intelligitur, quoniam aliter proferri nequit, dici non incongruè potest Pater quodammodo principium Filii, & Pater & Filius principium Spiritûs sancti. Nec tamen duo confitemur principia; unum, Patrem ad Filium; alterum, Patrem & Filium ad Spiritum sanctum. Sicut non credimus alium Deum Patrem de quo est Filius, & alium Deum Patrem & Filium de quo est Spiritus sanctus: quamvis de eodem D Deo, sive de eodem principio suo quisque modo sit; alter scilicet nascendo, alter procedendo; * si quodam singulari & ineffabili modo intelligitur ista processio. Processio namque multis modis dicitur, de quibus iste solitarius intelligitur; sicut nativitas Filii singularis cognoscitur. Idipsum * intelligitur; si dicimus* Patrem esse causam Filii, & Patrem & Filium causam Spiritus sancti. Non enim duas possumus dicere causas; aliam videlicet Filii, aliam Spiritus sancti, sed unam: quemadmodum non duo dii sunt; sed unus Deus, de quo est Filius & Spiritus sanctus.

al. in quo

Pater & Filius non sunt duæ causæ, sed una causa Spiritus sancti.

CAPUT XIX.*

E

al. Cap. 18.

Infringitur argumentum ductum ex eo quòd Christus expresserit solam Spiritûs sancti processionem à Patre.

SI autem quæritur, cùm Dominus dixit: *Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum. Spiritus veritatis, qui à Patre procedit*: cur non addidit, *& à Filio*, vel *à me* si sic voluit intelligi? Non est hoc inusitatum in dictis illius, ut cùm attribuit ali- Joh. 15. v. 26

quid Patri quasi soli, vel sibi, vel Spiritui sancto; velit in aliis intelligi quod *in uno loquitur. Nam cùm dicit:

Matth 16. v. 17. *Beatus es Simon Barjona; quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.* Nonne ipse Filius & Spiritus sanctus intelligendus est revelasse cum Patre? Quoniam enim Pater non revelat per hoc, quia Pater est; sed per hoc, quod Deus est, & idem Deus est *Filius & Spiritus sanctus; sequitur ut quod revelat Pater, revelet Filius, & Spiritus sanctus. Item cùm dicit:

Matth. 11. v. 27. *Nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare:* quasi solus Filius cognoscat & revelet Patrem, & se; & solus Pater cognoscat Filium: intelligendum est ibi revelare & nosse, tribus personis esse commune: quoniam non per hoc, quod alii sunt ab invicem; sed per hoc, quod unum sunt Pater & *Filius & Spiritus sanctus, cognoscunt & revelant. Cùm *etiam dicit Patrem nosse Filium, & Filium nosse Patrem, & revelare se & Patrem, apertè vult intelligi quia Pater cognoscit Spiritum sanctum, & Filius noscit & revelat Spiritum sanctum; quoniam idipsum quod est Pater & Filius, est etiam Spiritus sanctus. Similiter cùm

Johan. 14. v. 9. dicit: *Qui me videt, videt & Patrem*, non est separandus Spiritus sanctus: quoniam qui videt hoc *in quo unum sunt Pater & Filius & Spiritus sanctus, non potest videre unum de his tribus sine aliis duobus. De Spi-

Joh. 16. v. 13. ritu sancto quoque dicit ad Apostolos: *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*, quasi solus Spiritus sanctus doceat omnem veritatem: cùm nec sine Patre, nec sine Filio doceat omnem veritatem. Non enim per hoc, quia est Spiritus alicujus, scilicet, Patris & Filii & Spiritûs; sed per hoc, quod unum est cum Patre & *Filio, id est, per hoc quod Deus est, docet omnem veritatem. Videtis igitur quomodo in his quæ *proposui, quod uni quasi soli attribuit, ab aliis *duabus personis non possit separari. Multa hujusmodi in sacra Scriptura legimus: ut quod de una persona singulariter dicitur, indifferenter de tribus intelligatur. Quicquid enim de una persona pronûtiatur, de aliis pariter oportet intelligi; nisi cùm *hoc, unde aliæ sunt, ut dixi, ab invicem obviare cognoscitur. Quapropter cùm credimus Spiritum sanctum de Patre procedere: quoniam Deus de Deo, id est, essentia Spiritûs sancti de essentia Patris, quæ una est in tribus, esse intelligitur: necesse est ut de Filio eum similiter esse confiteamur, si Filius non est de illo; de hoc enim est Spiritus sanctus, quod est Filius & quod est Pater.

Et ipsum unicuique tribuit, quod est in tribus personis commune.

CAPUT XX.* al. Cap. 19.

* *Ejusdem argumenti confirmatio refutatur.*

SEd dicet aliquis: ideo intelligimus Filium & Spiritum sanctum revelare, quod solus Pater revelare dicitur; & Patrem & Spiritum sanctum revelare & nosse, quod solus Filius facere dicitur; & Patrem & Filium docere, quod solus Spiritus sanctus doctum ire promittitur: quia quod de uno solo in uno loco legitur, de aliis alibi apertè *significatur. Cùm verò dicit Spiritum sanctum de Patre procedere, non legimus alicubi eum de Filio procedere. Per quod monemur non nostro sensu, quod nusquam dictum est, afferere. Ad quod respondemus quia potius docemur per hæc quæ hic dicta sunt, ea, quæ in similibus dictis tacentur, similiter intelligere; præsertim cùm ex his quæ dicuntur, nullâ ratione contradicente, ea, quæ non dicuntur, rationabili necessitate consequi apertissimè *vi-

al videmus. Johan. 17. v. 3. derimus. Cùm enim dicit Dominus ad Patrem: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* An ideo debemus separare ab hac salubri & vitali cognitione Spiritum sanctum, quia nusquam legitur; *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant Patrem solum verum Deum, & Spiritum sanctum:* Aut, *Hæc est vita æterna, ut cognoscant Filium solum verum Deum & Spiritum sanctum?* Aut cùm legimus Quia *sicut Pater habet vitam in semetipso: sic dedit & Filio vitam habere in semetipso:* dicemus Spiritum sanctum non habere à Patre, à quo est, ut habeat in semetipso vitam; sicut habet Pater & Filius: quoniam hoc nusquam dicit Filius de Spiritu sancto, sicut de seipso. Item cùm dicit: *Pater in me est, & ego in Patre.* Et *qui videt me videt & Patrem:* an negabimus Spiritum sanctum esse in Patre & Filio; & Patrem & Filium esse in Spiritu sancto: aut eum, qui videt Filium, videre Spiritum sanctum, sicut videt Patrem; si hæc non eadem pronuntiatione leguntur, *qua de Patre & Filio proferuntur? Immò quoniam unus idemque Deus est, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: cùm dicitur cognoscere solum verum Deum Patrem & Filium, esse vitam æternam; inseparabiliter intelligendus est in illa cognitione Spiritus sanctus. Et cùm legimus Quia *sicut Pater habet vitam in semetipso: sic dedit Filio habere vitam in semetipso:* non debemus vitam eandem existimare alienam à Spiritu sancto, aut quòd illam non *in semetipso habeat. Et cùm audimus: *Pater in me est, & ego in Patre.* Et *qui me videt, videt & Patrem:* cognoscere debemus per hæc, quæ ita dicuntur, quia Spiritus sanctus non est extra Patrem & Filiũ, aut Pater & Filius extra Spiritum sanctum: *& quia per visionem Filii videtur Spiritus sanctus; sicut Pater. Sicut enim non est alius Deus Pater, alius Deus Filius, alius Deus Spiritus sanctus: sic non habet *Deus aliud in seipso, quàm Deum; nec est Deus extra Deum; nec Deus est dissimilis Deo. Denique *ubi legimus in Propheta, aut Evangelista, aut Apostolo his verbis Deum unum esse tres personas, aut unum Deum esse Trinitatem, aut Deum de Deo? Sed neque in illo Symbolo, in quo non est prolata processio Spiritûs sancti de Filio, invenimus nomen *personæ, vel Trinitatis. * Quoniam tamen ex his, quæ legimus, hæc apertissimè sequuntur; constanter ea & corde credimus, & ore confitemur. Quare non tantùm suscipere cum certitudine debemus quæ in sacra Scriptura leguntur; sed etiam ea quæ ex his, nullâ aliâ contradicente ratione, rationabili necessitate sequuntur.

Joh. 5. v. 26.

Joh. 14. v. 9. 10. & 11.

al. quæ

al. à semetipso supra.

al. non

CAPUT XXI. al. Cap. 20.

Processio Spiritûs sancti de Filio, exprimitur; cùm Spiritus sanctus dicitur Spiritus Filii.

QUamvis quæ supra jam dicta sunt, sufficere possint; adhuc tamen aliquid addam, unde Spiritus sanctus cognoscatur esse de Filio. Confitentur Græci nobiscum Spiritum sanctum esse Spiritum Dei, & Spiritum Patris, & Spiritum Filii. Quæro itaque si eodem modo *intelligunt illum esse Spiritum Dei, & Spiritum Patris, & Spiritum Filii; aut dissimiliter? Certum est autem quia non dicitur Spiritus Dei, sicut possessio; ut cùm dicitur equus alicujus, vel domus. Major enim est qui possidet, quàm quod possidetur. Deus autem non est major Spiritu sancto; quia Spiritus sanctus est Deus; nec Deus est major Deo. Neque dicitur Spiritus Dei, ut membrum Dei, sicut manus vel pes hominis: non enim Deus habet membrum, aut partem ullam. Quomodo ergo intelligendus est Spiritus esse Dei; nisi *quia hoc, quod est, ex Deo? Non autem significat aliud nomen Patris, quàm Deum, qui est Pater; aut relationem ejus ad Filium, ex qua nomen Patris habet. Similiter dicendum est de Filio. Quid namque intelligitur in nomine Filii, nisi Deus qui Filius est; aut relatio *qua refertur ad Patrem, per quam Filius appellatur? Sed nullus sensus capit Spiritum sanctum esse Spiritum Patris, aut Filii, secundùm quod alter est Pater, alter Filius; sed secundùm quod uterque unus idemque Deus est. Quare idem est intellectus, cùm dicitur *Spiritus Dei, & Spiritus Patris, & Spiritus Filii: sed Spiritus Dei, & Spiritus Patris dicitur; quia est &

al. intelligitur.

Spiritus sanctus non dicitur Spiritus Dei, sicut possessio, aut sicut membrum, sed quasi de Deo existens seu procedens.

*al. Spiritus sanctus spiritus Dei

procedit de Deo, & de Patre. Itaque est & procedit etiá de Filio, quia eodem sensu Spiritus Filii dicitur. Nam cùm * Spiritus sanctus dicitur Spiritus Dei & Spiritus Domini: si non intelligimus ibi Spiritum Filii eo sensu, quo Spiritum Patris; aut separabimus Spiritum à nomine Dei, vel Domini: aut bifariam intelliget Spiritus Dei, sive Spiritus Domini. Sed unde hunc habent sensum, aut ubi legitur in sacra Scriptura quòd similiter non intelligatur de Patre & de Filio, cùm legimus Spiritum Dei aut Spiritum Domini: aut quid invenitur, unde hoc * sequatur? Nam si dicunt: cùm dicitur Spiritus Patris, duobus modis intelligitur: Est enim Spiritus Patris, quia est de Patre, & quia datur à Patre *: Filii verò Spiritus non est, nisi quia datur à Filio. Hoc est quod quæro, unde habeant. Et si dicunt quòd in nulla autentica dictum est pagina; nec sequitur ex eo quod ibi scriptum sit; cur nos reprehendunt, cùm dicimus Spiritum sanctum procedere de Filio, ideo quia hæc verba non legunt; cùm ex his, quæ legunt & credunt, hoc ex necessitate sequi * intelligamus? Judicet quoque ipsi quid potius suscipiendum sit, quamvis in sacra pagina utrumque taceatur; an hoc, quod nos dicimus, Spiritum sanctum procedere de Filio, quod ostendimus ex his consequi quæ veraciter credimus; an quod ipsi dicunt, Spiritum sanctum aliter * esse Spiritum Patris, aliter esse Filii: quod nec auctoritate, nec ratione, nec ex his, quæ certa sunt, possint ostendere. Utique aut debent cessare ab hac sua sententia, si tamen hoc dicunt, ut audio, quod Spiritus sanctus aliter est Filii Spiritus, quàm Spiritus Patris; cùm nusquam hoc legant, vel unde hoc probent: aut saltem nos reprehendere non debent, * qui dicimus Spiritum sanctum procedere de Filio; quamvis his verbis * hoc non legamus: quoniam ex his, quæ pariter credimus, hoc consequi monstramus. Sed si cessant ab hac sua assertione; credant pariter nobiscum Spiritum sanctum similiter esse Patris & Filii Spiritum, & * intelligant eum à Filio, sicut à Patre procedere. Et si nos reprehendere desinunt; fateantur nobiscum hoc, unde cognoscunt nos reprehendi non debere.

al. non sequatur.

al. quòd

al. intelligere.

CAPUT XXII.*

al. Cap. 21.

Cur in Symbolo non sit expressa processio Spiritus sancti à Filio: & cur à Latinis fuerit adjecta, Græcis inconsultis.

AD hoc autem, quòd nos reprehendunt in Symbolo illo, quod pariter nos & illi suscipimus & tenemus, addidisse Spiritum sanctum à Filio procedere; & quærunt cur hoc factum sit, & quare hoc priùs eorum Ecclesiæ monstratum non est, ut communiter consideraretur, & communi consensu adderetur quod addendum erat: adhoc, inquam, respondere sum sufficiens habemus. Nam si quæritur cur factú sit: dicimus quia necesse erat propter quosdam minùs intelligentes, qui non animadvertebant in illis, quæ universa credit Ecclesia, contineri, & ex his sequi Spiritum sanctum de Filio procedere; ne fortè hoc credere dubitarent. Quod quàm necessarium fuerit, per illos qui hoc negant, quia in illo Symbolo positum non est, cognoscimus. Quoniam igitur & necessitas cogebat, & nulla ratio prohibebat, & vera fides hoc admittebat; fiducialiter asseruit Latinitas, quod credendum & confitendum esse cognoscebat. Scimus enim quòd non omnia, quæ credere & confiteri debemus, ibi dicta sunt: nec illi, qui Symbolum illud dictavere, voluerunt fidem Christianam esse contentam ea tantummodò credere & confiteri, quæ ibi posuerunt. Ut enim alia taceam, non ibi dicitur Dominus ad infernum descendisse; quod tamen pariter & nos & Græci credimus. Si autem dicunt nullo modo debuisse corrumpi Symbolum tanta auctoritate * taxatum; nos non judicamus esse corruptionem, ubi nihil * addimus quod his, quæ ibi dicta sunt, adversetur. Et quamvis defendere * possemus hanc adjectionem non esse corruptionem; si quis tamen hoc contentiosè voluerit asserere, respondemus nos illud non corrupisse, sed aliud novum edidisse: illud enim secundùm proprietatem Græci dictaminis translatum, cum illis integrum servamus & veneramus; illud autem, quo frequentius in populi audientia utimur, Latino more dictatum cum addimento supradicto edidimus. Quod autem quæritur, quare hoc Græcorum Ecclesiæ consensu factum non est. Respondemus quia & nimis erat difficile Latinis, eorum Episcopos ad consulendum de hac re colligere; nec erat necesse unde non dubitant * hoc in quæstionem adducere. Quæ est enim Ecclesia, quæ vel per amplitudinem unius regni * dilatatur, cui non liceat aliquid secundùm rectam fidem constituere, quod in conventu populi utiliter legatur aut canetur? Quantò ergo magis licuit Latinis hoc constanter proferre, in quo omnes gentes & omnia regna, quæ Latinis utuntur literis, pariter concordant.

al. Simbolo.

Cuilibet pro verbis, quæ vel per regnum dilatatur. Licet aliquid facere ut rectam fidem confirmet, quod in conventu populi utiliter legatur aut canetur.

CAPUT XXIII.* al. Cap. 22.

Summa doctrinæ & probationum processionis Spiritûs sancti de Filio.

COlligamus breviter quod supra pluribus rationibus effectum est. Constat inexpugnabili ratione Spiritum sanctum esse de Filio, sicuti est de Patre; nec tamen esse * quasi de duobus divertis, sed * quasi de uno. Ex eo enim, quòd Pater & Filius unú sunt, id est ex Deo, est Spiritus sanctus; non ex eo, unde alii sunt ab invicem: sed quoniam Deus, de quo est Spiritus sanctus, est Pater & Filius; ideirco verè dicitur esse de Patre & Filio, qui duo sunt. Et quoniam Pater non est prior aut posterior Filio, aut major aut minor, nec alter magis aut minùs est Deus quam alter: non est Spiritus sanctus priùs de Patre quàm de Filio; nec de Filio, quàm de Patre; nec major nec minor est existens de Patre, quàm existens de Filio; nec magis nec minùs est de uno, quàm de altero. Nam * si prius aut pòst, vel major vel minor, aut magis aut minùs de uno esset quàm de altero: ex necessitate sequeretur ut aut Spiritus sanctus non esset de hoc, in quo unum sunt Pater & Filius; aut ipsum unum non esset perfectè & simpliciter unum, sed esset ibi aliqua diversitas, de qua illa, quam dixi, in existendo de eodem uno * Spiritum sanctum, esset varietas. Sed dici non potest quòd Spiritus * sanctus non sit de hoc, in quo unum sunt Pater & Filius; alioquin non esset de Deo. Nec credi debet quod in * ipso uno sit, secundùm quod est, aliqua diversitas. Quare nec priùs nec pòst, nec major aut minor, nec magis aut minùs est Spiritus sanctus de Patre, quàm de Filio; aut de Filio, quam de Patre. Non enim unus idemque Spiritus sanctus, qui * semel totus est de Deo toto, magis aut minùs potest esse de uno & summè simplici Deo.

al. Spiritu sancto.

al. simul

CAPUT XXIV.* al. Cap. 23.

Quòd Spiritus sanctus non sit principaliter de Patre.

QUòd si dicitur quia Spiritus sanctus principaliter est de Patre; quasi magis sit de Patre, quàm de Filio. Non ita dicendum est, ut intelligatur ulla prædictarum varietatum inesse: sed quoniam Filius hoc quod est, de Patre habet; idcirco hoc ipsum quod Spiritus sanctus est de Filio, habere de Patre, de quo habet esse, non inconvenienter asseritur. Quoniam tamen sic habet esse de Patre * Filius, ut omnino idipsum sit quod Pater, & unus idemque Deus: sicut solus & simplex Deus non potest esse major vel minor seipso, nec prior nec posterior, nec aliquid in se habet diversum; sic

Non omnia, quæ credere debemus, in eo symbolo dicta sunt. Non ibi dicitur Dominus ad infernum descendisse.

al. firmatum

Digitized by Google

Filius nec prior nec posterior, nec major nec minor est A Patre, nec habet aliquid in se divertum ab eo; sed sicut habet ab illo pertectè esse, ita habet per omnia ab eodem * æqualem illi & similem, immò idipsum esse. Quapropter sicut Pater non est magis Deus, quàm Filius; quamvis Filius * habeat esse de Patre: ita non est magis Spiritus sanctus de Patre, quàm de Filio; licet Filius à Patre habeat, ut de illo sit Spiritus sanctus. In eo enim in quo est unus idemque cum Patre, id est, in eo quòd Deus est, non est alius ille, & alius Pater; * neque dissimiliter habet aliquid, quia non est alius Deus Pater, & alius Deus Filius; neque dissimiliter sunt id quod sunt: sed in eo quod ille est Pater, iste Filius; est alius ille, & alius * ille. Et sicut Filius non est alius Deus quàm Pater; ita secundùm quod Deus est, non habet aliquid ab * alio quàm à seipso. Nam cùm dicimus Deum B de Deo, * Filium de Patre, non alium intelligimus Deum de Deo alio; sed eundem ipsum Deum de eodem ipso Deo: quamvis dicamus alium de alio, Filium, scilicet, de Patre. Sicut enim suprà dictum est, quemadmodum Deus, secundùm nomen significans unitatem, nullam recipit diversitatem; ita secundùm nomina significantia Deum esse de Deo, necessariò admittit pluralitatem. Si ergo dicitur quòd Spiritus sanctus principaliter à Patre sit, non aliud significatur quam quia ipse Filius, de quo est Spiritus sanctus, à * Patre habet hoc ipsum, ut Spiritus sanctus sit de * illo: quoniam id quod est, habet à Patre. Non quemadmodum in rebus creatis, cùm aliquid asserimus esse principaliter, volumus significare quòd magis sit hoc quod dicitur esse principaliter, quàm illud ad quod refertur: ut cùm dispensator alicujus domini, ejus præcepto pascit familiam donûs; dominus principaliter & magis eam pascere rectè dicitur, quàm dispensator. * Nam non omnia quæ sunt domini, sunt dispensatoris æqualiter; sicut ea quæ sunt Patris, Filii quoque sunt non inæqualiter.

al. æquale & simile

Si dicitur quòd Spiritus sanctus principaliter sit à Patre, non aliud significatur quam quod Filius habet à Patre ut Spiritus sanctus sit ex illo.

CAPUT XXV.

Processio hæc nullam intra Deum prioritatem inducit, nisi originis.

QUæret forsitan aliquis, & mirabitur dicens: Quomodo potest intelligi ut aliquid habeat esse de aliquo; & non sit aliquo modo id, de quo est, principalius & dignius; & hoc, quod ex eo est, quodammodo minus & quasi secundarium: præsertim cùm id quod est de aliquo, videatur indigere, ut sit, * eo de quo est; illud verò, de quo est, nequaquam egeat eo quod de se est? Ad quod respondendum quia sicut essentia Dei valde diversa & aliena est à creata essentia: ita cùm dicimus Deum de Deo existere nascendo, vel procedendo; longè aliter intelligenda est illa nativitas, sive processio, quàm cùm dicimus in aliis rebus aliquid nasci, vel procedere. Ibi enim nihil * est aut natura, aut tempore, aut in aliquo * prius aut posterius, magis, aut minus, aut ulla ratione aliquo indigens: sed totum quod est non tam æquale vel simile sibi & coæternum; quàm idem sibi ipsi, & per se sibi ipsi omnino sufficiens; nec nascitur vel procedit ibi aliquid, quasi de non esse proficiens ad esse. Sicut igitur intellectus noster non potest transire ultra æternitatem, ut quasi de principio ejus judicet: sic E non potest de hac nativitate vel processione, nec debet ad similitudinem creaturæ sentire vel judicare. Sed quoniam & quod nascitur & quod procedit, non est aliud * quàm id de quo est nascens vel procedens, quod est solus & unus Deus: sicut idem Deus non est seipso major vel minor; ita in tribus, hoc est, in Patre & Filio & Spiritu sancto, non est aliquid majus vel minus; nec est alius alio hoc, quod est majus vel minus: quamvis verum sit quia Deus est de Deo, nascendo, & procedendo.

al. ex eo

In divinis processionibus nihil est aut natura, aut tempore, aut in aliquo prius aut posterius.

al. aliqua

De hac nativitate & processione non debet ad similitudinem creaturæ sentire vel judicare.

Quod nascitur & quod procedit in Deo, est idem ipsum de quo est nascens & procedens hoc est Deus.

CAPUT XXVI.

Veritas processionis Spiritus sancti à Filio, ideo maxime firmatur: quia fide certa sunt, ex quibus necessario sequitur.

ECce * vidimus de quanta veritate, & quanta necessitate sequatur Spiritum sanctum de Filio procedere. Quod si verum non est: aut aliquid eorum, ex quibus hoc diximus consequi, falsum est; quod est contra Christianam fidem, quam cum Græcis tenemus: aut non consequenter concluximus; quod ostendi nequit. Quare si verum non est, fides Christiana destruitur. Palam etiam est intelligenti, si falsum esse ponitur, quia nulla inde veritas nascitur. Consideremus quoque quid eveniat, cùm pro vero asseritur. Utique si verum est Spiritum sanctum procedere à Filio sicut à Patre, sequitur quia Filii Spiritus est sicut Patris; & mittitur & datur à Filio sicut à Patre, quod divina docet auctoritas, & nulla penitus sequitur falsitas. Cùm autem processio Spiritus sancti à Filio negata tantam inducat falsitatem; ut illa ex quibus eam consequi monstravimus, destruat contra fidem Christianam, nec ullam generet veritatem; & asserta tantam probet veritatem, sicut ostendimus, nec * aliquam ullatenus secum trahat falsitatem: cogitet cor rationale qua ratione illam excludat à fide Christiana. Denique si error est hanc credere de Filio Spiritus sancti processionem; ipsa divina auctoritas nos in errorem inducit: cùm & illa, ex quibus hæc sequitur processio, & quæ illam sequuntur, nos docet; nec alicubi aut illam negat, aut quod ille repugnet aliquo modo pronuntiat. * Si ergo opponitur, quia nusquam eam profert divina auctoritas, ideo non esse * dicendam: Dicatur similiter, quia nusquam illam negat, nec aliquid dicit quod repugnet, non esse negandam. Dicimus etiam quia satis illam affirmat, cùm illa asserit, unde probatur; & nullo modo aliquid significat, unde negetur.

Si verum non est Spiritum sanctum procedere de Filio, fides Christiana subvertitur.

al. ullam

al. dicenda. Divina auctoritas hanc processionem tam affirmative affirmans cum illa asserit, unde probatur.

CAPUT XXVII.

Si Spiritus sanctus à Filio non procederet, non esset cur Filius non procederet de Spiritu sancto.

PAtet ergo, sicut * suprà præmisi, præter hoc quia Filius exiliit nascendo, & Spiritus sanctus procedendo; hâc quoque causâ, quia, scilicet, Spiritus sanctus est de Filio, eos de invicem non posse dici, & propter hoc solum, Filium non posse esse de Spiritu sancto. Nam quoniam, ut dictum est, aut Filius est de Spiritu sancto, aut Spiritus sanctus de Filio: si non esset Spiritus sanctus de Filio, sequeretur de Spiritu sancto Filium esse. Apparet itaque, per suprà dictas rationes, quia Pater est Deus de quo Deus est, & non est Deus de Deo; & Filius est Deus de Deo, & Deus de quo est Deus; & Spiritus sanctus est Deus de Deo, nec est Deus de quo est Deus. Et quamvis de Patre sint duo, id est, Filius & Spiritus sanctus; non tamen duo dii sunt de Patre, sed unus est Deus qui est Filius & Spiritus sanctus. Et licet duo sint, de quo est Filius & qui est de Filio, id est, Pater & Spiritus sanctus; non tamen sunt duo dii, sed unus Deus qui est Pater & Spiritus sanctus. Et quanquam Spiritus sanctus sit de duobus, id est, de Patre & Filio; non tamen de duobus est diis, sed de uno Deo, qui est Pater & Filius. Si autem Pater & Filius & Spiritus sanctus bini considerentur; liquet ex his quæ dicta sunt, quia necesse est alterum ex altero aut esse, quia ille non ex se est: aut non esse, quia ille est ex se. Nam si conferamus Patrem & Filium, videmus Filium esse de Patre, quia Pater non est de illo; & Patrem non esse de Filio, quia Filius est de Patre. Et similiter si consideramus Patrem & Spiritum sanctum, invenimus Spiritum sanctum esse de Patre; quia non est de illo Pater; & Patrem non esse de Spi-

Cùm de Filio & Spiritu sancto sane alio ab invicem tum ex hoc quod Filius exiliit nascendo, & Spiritus sanctus procedendo: tum ex hoc quod Spiritus sanctus est de Filio.

In Deo quælibet persona aut est Deus de quo Deus, aut est Deus de Deo.

Digitized by Google

ritus ſancto, quia Spiritus ſanctus eſt de illo. Ita quoque A ſi Filius & Spiritus ſanctus quomodo ſint ad invicem, ſpeculamur; * intelligimus Spiritum ſanctum eſſe de Filio, quia Filius non eſt de illo; & Filium non eſſe de Spiritu ſancto, quia Spiritus ſanctus eſt de Filio. Apparet igitur, quod ſuprà dixi, quia relationes prædictæ licet ſint in uno, non poſſunt unitati immittere pluralitatem ſuam; nec unitas relationibus ſingularitatem ſuam.

CAPUT XXVIII.

Communia & prop ia Patri, ac Filio, & Spiritui ſancto.

Sex ſunt differentiæ Patris & Filii & Spiritûs ſancti.

POrro ſex ſunt differentiæ Patris & Filii & Spiritûs ſancti, ex his naſcentes nominibus, id eſt habere Patrem & non habere Patrem: habere Filium, B & non habere Filium: habere Spiritum ſanctum de ſe procedentem, & non habere Spiritum ſanctum de ſe procedentem. Harum differentiarum ſingulus quiſque habet unam propriam, qua differt ab aliis duobus; & duas ita communes & proprias, ut * qua communicat uni, eâ differat ab altero. Pater namque habet Filium ſolus, quo differt ab aliis duobus; habet Spiritum ſanctum procedentem de ſe, quod commune eſt illi cum Filio, & quo differt à Spiritu ſancto: patrem autem non habet, ſicut * nec Spiritus ſanctus; & * in hoc differe à Filio. Filius ſolus habet Patrem, in quo differt à Patre & Spiritu ſancto: & eſt illi commune cum Patre, ſicut dictum eſt, quia procedit de illo Spiritus ſanctus, unde ab eodem Spiritu ſancto diviſus eſt: caret autem Filio, ſicut Spiritus ſanctus unde diſcrepat à Patre. Spiritus ſanctus ſolus eſt C de quo alius non procedit: commune eſt illi cum Patre, ut dixi non habere Patrem, in quo diſſimilis eſt Filio: cum Filio quoque eſt illi commune, ut jam monſtratum eſt, non habere filium. unde Patri non concordat. Solus itaque Pater eſt qui eſt de nullo, & de quo ſunt alii duo. Solus econtra Spiritus ſanctus eſt qui de duobus, & de quo nullus. Solus Filius qui de uno, & de quo unus Eſt autè tribus commune, ad duos habere relationem; Pater enim ad Filium & Spiritum ſanctum refertur, ſicut ad illos qui de ſe ſunt; Filius ad Patrem & ad Spiritum ſanctum, quia eſt de Patre, & Spiritus ſanctus de illo: Spiritus ſanctus ad Patrem & Filium, quia eſt de utroque. Poſſidet ergo unuſquiſque ſuas proprietates quarum collectio in alio non eſt eadem, ad ſimilitudinem diverſarum hominum perſonarum. Per hoc enim hominum perſonæ diverſæ D ſunt ab invicem, quia * unuſcujuſque proprietatum collectio non eſt in * alia eadem. Intereſt tamen aliquid: nam in perſonis hominũ ſi una eſt perſona, unus eſt homo; & ſi unus eſt homo, una eſt perſona: item, ſi plures ſunt perſonæ, plures quoque ſunt homines; & ſi iſti pluses * ſunt, illæ & pluralitaté non effugiunt. In Deo verò quamvis tres perſonæ ſint, unus tamen eſt Deus: & licet ſit unus Deus, nequaquam tamé perſonæ pluralitaté amittunt In hoc itaque quod relativè Deus ad Deum dicitur, ſicut plures homines, perſonarum admittit * pluralitatem & diverſitatem: in hoc verò quod per ſe * eſt, id eſt, in Deo, inſeparabilem, ad ſimilitudinem unius hominis, ſervat ſingularitatem; pluralitas namque humanarum perſonarum non eſt niſi in pluribus hominibus, nec unus homo pluralitatem accipit perſonarum: Deus verò unus eſt tres perſonæ, & perſonæ tres unus Deus. Hoc itaque modo E nec unius nec diverſarum integrè ſervat aliarum perſonarum proprietatem.

Singulusquiſque harum habet propriam qua differt à duobus aliis, & duas communes & proprias, ut quia communicat uni, eâ differat ab altero.

Homines per ea diverſi ſunt, quia ſingulis ſua ſingularitas ſubſiſtit, non in ſe ſed in alia perſona.

al. alio

al. amittit pluralitatem

CAPUT XXIX.

In Deo per ea propria eſt perſonarum pluralitas: per communia verò, eſſentia unitas.

CUr autem ita ſit, quamvis in præfata Epiſtola de Incarnatione Verbi, de hoc aliquantulùm * di-

al. dixinus

xerim; breviter tamen hîc repetam. Sæpe fit ut plura conveniant in unum ſub eodem nomine & eadem *quantitate, quam habebant ſingula antequam unum fierint. Quippe ſi puncto punctum addimus ſine intervallo; aut æqualem lineam in æquali linea, aut ſuperficiem æqualem in æquali* ſuperficie collocamus; non fit niſi unus punctus, una linea, una ſuperficies. In multis ſi quis voluerit quærere inveniet * ſimilia. Hoc itaque modo, quamvis non ſint plures æternitates, ſi tamen dicitur æternitas in æternitate, non eſt niſi una æternitas; & lumen in lumine, unum tantùm lumen eſt. Eodem modo quæcunque de Dei dicuntur eſſentia, ſi in ſe replicentur, nec quantitaté augent, nec pluralitatem admittũt. Quoniam autẽ Deus eſt æternitas, ſicut extra æternitatem nihil eſt omnino; ita extra Deum penitus non eſt aliquid: atque ſicut æternitas in æternitate nõ eſt niſi una æternitas; ſic Deus in Deo, unus eſt ſolus Deus. Habemus autem ex vera fide Deum eſſe de Deo, naſcendo; & Deum de Deo procedendo. Sed quoniam non eſt aliquid extra Deum; cùm naſcitur Deus de Deo, vel cùm procedit Deus de Deo, non * exit naſcens vel procedens extra Deum, ſed manet in Deo. Quoniam ergo Deus in Deo non eſt niſi unus Deus; cùm naſcitur Deus de Deo, unus ſolus eſt Deus gignes & genitus: & cùm procedit Deus de Deo, unus tantummodo Deus eſt procedens & de * quo procedit. Unde inevitabiliter ſequitur: quoniam Deus nullas habet partes, ſed totus eſt quicquid eſt; unum eundemque, & non alium Deum, totum eſſe Patrem, totum eſſe Filium, totum eſſe Spiritum ſanctum. Quare Pater & Filius & Spiritus ſanctus, per hoc quia cùm eſt Deus * de Deo & Deus in Deo, non eſt niſi unus Deus; ſervant in Deitate ad ſimilitudinem unius hominis, ſingularitatem: per hoc verò, quia cùm Deus eſt de Deo aut naſcendo aut procedendo, non poteſt unus idemque eſſe qui eſt de aliquo, & de quo eſt; ſecundùm nomina has relationes ſignificantja, tenent, ſicut diverſæ hominum perſonæ, pluralitatem. Notandum tamen quia nec Deus eſt ſine perſona, nec perſona ſine Deo: & quia ſingulis perſonis attribuimus aliquãdo prõpria ſingularum; aliquando uni quaſi proprium, quod commune eſt aliis. Nam cùm dicimus: ſolus Pater eſt in tribus perſonis, qui à nullo eſt; ſolus Filius eſt qui de uno & de quo unus eſt; ſolus Spiritus ſanctus eſt, de quo nullus eſt: ſingulas perſonas nominantes, ſingulis propria attribuimus. Cùm verò legimus: *Neմo novit Filium niſi Pater; neque Patrem quis novit, niſi Filius.* Et, *Quæ ſunt Dei, nemo cognovit niſi Spiritus Dei*: Quamvis videatur Scriptura quod de una dicit perſona, negare de aliis; commune tamen eſt omnibus, quod ſingulis quaſi proprium attribuit. Non enim ignorat Pater aut Filius ſeipſũ, & quæ Dei ſunt; neque Spiritus ſanctus Patrem aut Filium. Cur autem & quando, quod de uno quaſi de ſolo dicitur, de aliis intelligatur; ſatis ſuprà dictum eſt.

Singula perſonæ aliquando tribuimus quod eſt proprium omnium & aliquando non quod eſt ſingulis commune.

Matth. 11. 27. 1 Cor. 2. 11.

Operis clauſula.

HÆc de proceſſione Spiritus ſancti, aliis cogentibus, non de me, ſed de eodem Spiritu ſancto confidens, pro Latinis contra Græcos ſcribere; & eâ occaſione de unitate Deitatis, & de Trinitate perſonarum aliquid addere præſumpſi: quamvis inumerabiles ſint inter illos qui Latinis utuntur literis, qui hoc meliùs quàm ego facere poſſint. Quicquid ergo dixi quod ſuſcipiendum ſit, non mihi attribuatur, ſed ſpiritui veritatis. Si autem aliquid protuli quod aliquatenus corrigendum ſit; mihi imputetur, non ſenſui * Latinitatis.

Ecloſa Latina

SANCTI ANSELMI
CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI
DIALOGUS,
DE CASU DIABOLI.

CAPUT PRIMUM.

Quòd etiam ad Angelos dicatur : Quid habes, quod non accepisti ? *& à Deo non sit nisi bonum, & esse : & omne bonum sit essentia, & omnis essentia bonum.*

Vide infrà, Prolegom. in Dialogum de Veritate.

DISCIPULUS.

1. Cor. 4. v. 7. ILlud Apostoli : *Quid habes, quod non accepisti ?* dicitur hominibus tantùm ; an & Angelis ? *Mag.* Nulla creatura habet aliquid à se. Quod enim seipsum à se non habet, quomodo habet à se aliquid ? Denique si non est aliquid, nisi unus qui fecit, & quæ facta sunt * ab unò : clarum est quia * nullatenus potest * haberi aliquid, nisi qui fecit, aut quod fecit. *Disc.* Vere * clarum est. *Mag.* Sed neque ipse factor, neque quod factum est, potest haberi nisi ab ipso factore. *Disc.* Nec hoc minus clarum. *Mag.* Ille igitur solus à se habet, quicquid habet ; & omnia alia nonnisi ab illo habent aliquid : & sicut à se non nisi nihil habent ; ita ab illo non nisi aliquid habent. *Disc.* Non planè video quod ait, quòd à Deo non habent alia nisi aliquid : Nam quis * facit alius, ut multa, quæ video ex tantis de esse ad non esse, non sint quod erant ; etiamsi omnino in nihilum non tranſeant ? Aut quis facit non esse, quidquid non est ; nisi ille qui facit esse, omne quod est ? Item si non est aliquid, nisi ideo quia Deus * facit ; necesse est ut quod non est, idcirco non sit, quia ipse non facit. Sicut ergo illa quæ sunt, ab illo habent esse aliquid : ita quæ non sunt, vel quæ de esse transeunt ad non esse, videntur ab eodem ipso habere * esse nihil. *Mag.* Non solùm illi dicitur facere aliquid esse, aut aliquid non esse ; qui facit ut sit, quod non est ; aut ut non sit, quod est : sed etiam ille, qui potest facere * ut non sit aliquid, & non facit, dicitur facere esse ; * & qui potest facere ut aliquid sit, nec facit, dicitur facere non esse. Quippe non ille tantùm dicitur facere aliquem nudum esse, aut non esse indutum, qui eum despoliat ; sed & qui spoliantem, cùm prohibere possit, non prohibet : sed ille propriè dicitur hoc facere, ille * verò impropriè. Cùm enim ille dicitur quia * fecit esse nudum, aut non esse indutum ; non aliud intelligitur, nisi quia, cùm posset, non fecit ut non esset nudus, aut ut maneret indutus. * Hoc modo Deus dicitur multa facere, quæ non facit : ut, cùm dicitur inducere in tentationem ; quoniam non defendit à tentatione, cùm possit : & facere non esse, quod non est : quoniam, cùm possit, non facit esse. At si consideres ea quæ sunt, cùm transeunt ad non esse, ipse facit ea non esse. Quoniam namque non solùm non est aliqua * alia essentia, nisi illo faciente ; sed nec aliquatenus manere potest * quod facta est, nisi eodem ipso * servante. Cùm ipse definit servare quod fecit ; non ideo id, quod erat, redit in non esse, quia ipse facit non esse ; sed quia cessat facere esse. Nam & cùm quasi iratus, destruendo aliquid, aufert esse ; non est ab illo non esse : sed illo tollente, vetus suum, quod præstiterat ; quod ab eo factum servabatur ut esset, redit in non esse, quod non ab illo, sed à se, antequam fieret, habebat. Si enim ab aliquo tunicam repetas, quam * illi nudo sponte ad tempus præstiteras, non habet à te nuditatem ; sed, te quod tuum erat tollente, redit in id quod erat antequam induere-tur à te. Nempe sicut a summo bono non est nisi bonum, & omne bonum est à summo bono ; ita à summa essentia non est nisi essentia, & omnis essentia est à summa essentia, unde, quoniam summum bonum est summa essentia, consequens est ut omne bonum sit essentia, & omnis essentia bonum. Nihil ergo & non esse, sicut * non est essentia ; ita non est bonum. Nihil itaque & non esse, non est ab illo, à quo non est nisi bonum & essentia. *Disc.* Apertè nunc video quia sicut bonum & esse, non est nisi à Deo ; ita non est à Deo, nisi bonum & esse. *Mag.* Vide ne ullatenus putes, cùm in divinis libris legimus, aut cùm secundùm illos dicimus Deum facere malum, aut facere non esse, quia negem propter quod dicitur ; aut reprehendam, quia ita dicitur : sed non tantùm debemus inhærere improprietati verborum veritatem tegenti, quantùm inhiare proprietate veritatis sub multimodo * genere locutionum latenti. *Disc.* Ista non nisi non intelligenti aut calumnioso habes opus dicere. *Mag.* Redi ad id quod incœpisti ; & vide si non solùm homini, sed & Angelo potest dici quia non habet quod non accepit.

1. Omne quod est, aut est creator aut creatura. al. factum sunt ab uno
al. à te nuditatem
al. habere
Solus Creator à se habet quicquid habet.
al. fecit
al. fecit
al. habere nihil
al. omitt. ut
al. fecit
al. omitt. alia
al. quæ
al. facere ut maneat.
al. illi modò ad
al. non est
A Deo non est, nisi bonum & esse.
al. locutionis.

CAPUT II.

Cur videatur diabolus ideo non accepisse perseverantiam, quia Deus non dedit.

DISCIPULUS.

SAtis patet non minùs Angelo, quàm homini convenire. Constat ergo quia ille Angelus, qui stetit in veritate, sicut ideo perseveravit, quia perseverantiam habuit ; ita ideo perseverantiam habuit, quia accepit : & ideo accepit, quia Deus dedit. * Consequens est igitur quia ille, qui in veritate non stetit, quemadmodum ideo non perseveravit, quia perseverantiam non habuit ; sic ideo non habuit perseverantiam, quia non accepit ; & ideo non accepit, quia Deus non dedit. Si ergo potes, volo ut ostendas mihi culpam ejus ; cùm ideo non perseveraverit, quia ille non dedit, quo non dante nihil habere potuit. Certus tum enim, etiamsi non videam, non

al. dedit id
Malus Ang

d by Google

illum nisi justè à summè justo damnatum, nec sine A culpa justè illum potuisse damnari. *Mag.* Unde putas consequi, si bonus Angelus ideo accepit perseverantiam quia Deus dedit, malum ideo non accepisse, quia Deus non dedit? *Disc.* Quia si bono Angelo datio est causa acceptionis; puto non-dationem esse malo Angelo causâ non acceptionis: & si ponitur non datio; * video necessariam esse causam, ut sequatur non acceptio: * & omnes scimus quia cùm non accipimus quod volumus, non ideo non datur, quia non * accipimus; sed ideo non accipimus, quia non datur. Denique quoscunque legi, aut audivi facere quæstionem hanc; hac ratione eam, in quantùm memini, constituunt: quia si bonus Angelus ideo accepit, quia Deus dedit; malus * Angelus ideo non accepit, quia Deus non dedit: nec memini me adhuc hujus B consequentiæ solutionem vidisse.

gelus non ideo non accepit, quia Deus non dedit.

al. inde

al. ut

al. accepimus.

CAPUT III.

Quòd ideo Deus non dedit, quia ille non accepit.

MAGIST.

NUlla est ibi consequentia: potest enim non-dare, non esse causa non accipiendi; etiam si dare, semper esset causa accipiendi. *Disc.* Ergo si ponatur non-dare; non necesse est sequi, non accipere. Quare potest esse accipere, etiamsi non sit dare. *Mag.* Non est ita. *Disc.* Exemplo volo mihi ostendas quod dicis. *Mag.* Si ego porrigo tibi aliquid, & tu accipis; non ideo do, quia accipis; sed ideo accipis, quia do: & est datio causa acceptionis. *Disc.* Ita est. *Mag.* Quid C si id * ipsum porrigo alii, & non accipit; illene ideo non accipit, quia non do? *Disc.* Potius videtur quia tu ideo non das, quia ille non accepit. *Mag.* * Hic igitur non-dare, non est causa non accipiendi: & tamen si pono me non dedisse, causa est consequendi illum non accepisse. Aliud namque est rem causam esse alterius rei; aliud positionem rei esse causam ut sequatur * aliud. Cùm enim incendium non sit causa ignis, sed ignis incendii; positio tamen incendii semper causa est ut sequatur esse ignem. Si enim est incendium, necesse est ignem esse. *Disc.* Necesse est me hoc esse fateri. *Mag.* Vides ergo, ut puto, si tu ideo accepisti, quia ego dedi, non tamen ideo eo consequi illum, qui non accepit, ideo non accepisse, quia ego non dedi; & tamen consequi quia si ego non dedi, ille non D accepit. *Disc.* Video, & placet mihi quia video. *Mag.* An amplius dubitas quia sicut Angelus, qui retit, ideo accepit perseverantiam, quia Deus dedit; ita non * statim ideireo Deus non dedit, quia ille non accepit? *Disc.* Nondum mihi hoc ostendisti: sed illud tantùm sufficienter demonstrasti, scilicet, non esse consequens ex eo quia bonus Angelus ideo accepit, quia * Deus dedit; malum ideo non accepisse, quia Deus non dedit. Si enim vis asserere Deum illi ideo non dedisse; quia non accepit; quæro cur non accepit? Aut quia non potuit; aut quia non voluit. Nam si non habuit potestatem, aut voluntatem accipiendi; Deus non dedit. Si enim Deus dedisset; pro certo habuisset. Quare, si non potuit habere potestatem, aut voluntatem accipiendi perseverantiâ, nisi dante Deo; quid peccavit, si non accepit quod Deus illi non dedit posse aut velle accipere? *Mag.* Deus dedit illi potestatem & voluntatem accipiendi perseverantiam. *Disc.* Accepit igitur quod Deus dedit, & habuit quod accepit. *Mag.* Verè habuit, & accepit. *Disc.* Accepit ergo, & habuit perseverantiâ. *Mag.* Non accepit, & ideo non habuit. *Disc.* Nonne dixisti Deum illi dedisse, & illum accepisse potestatem & voluntatem accipiendi perseverantiam? *Mag.* Dixi: sed non dixi Deum illi dedisse accipere perseverantiam, sed tantùm velle & posse perseverantiam accipere. *Disc.* Ergo si voluit, & potuit; accepit perseverantiam. *Mag.* Non est necessarium

Non dare non semper est causa non accipiendi.

al. si ipsum

al. hoc

al. aliquid

al. statim

al. quia dedit

Prius Angelus qui cecidit, dederat velle & posse perseverantiam accipere, sed et non dederat perseverantiam.

consequens. *Disc.* Non video cur * non: nisi mihi ostendas. *Mag.* Incœpisti unquam aliquid cum voluntate & potestate perficiendi; quod tamen voluntate ante finem rei mutatâ non perfecisti? *Disc.* Sæpe. *Mag.* Voluisti igitur & potuisti perseverare, in quo non perseveraste. *Disc.* Volui utique; sed non perseveravi in voluntate: & ideo non perseveravi in actione. *Mag.* Quare non perseveraste in voluntate? *Disc.* Quia non volui. *Mag.* Nonne quamdiu voluisti perseverare in actione, voluisti perseverare in ipsa voluntate? *Disc.* Non possum negare. *Mag.* Cur ego dicis te non voluisse perseverare in illa? *Disc.* Iterum responderem; quia perseverare volui, sed non perseveravi in hac voluntate: nisi rem viderem in infinitum procedere, te semper idipsum interrogante, & me eadem respondente. *Mag.* Non ergo debes dicere: ideo non volui perseverare in voluntate, * quia non volui perseverare in voluntate} hujus voluntatis: sed cùm quæritur: quare non perseveraste in actione, in qua voluisti & potuisti perseverare? Respondere potes *: quia non perseveravi in voluntate. Quòd si quæritur iteram quare non perseveraste in voluntate: alia causa reddenda est, unde, scilicet, contigerit defectus illius voluntatis; quam quia non perseveraste velle voluntatem. Non enim respondendo aliud ostendis, quàm idipsum quod quæritur; id est, non perseveraste in voluntate perseverandi in actione. *Disc.* Video quia non videbam quid dicerem. *Mag.* Dic ergo uno verbo quid sit perseverare, quantùm res exigit, in faciendo aliquid. *Disc.* Perficere: nam perseverare in scribendo aliquid, dicimus perscribere; in ducendo, perducere. *Mag.* Dicamus igitur similiter, etiamsi non sit in usu, quòd perseverare in voluntate, sit * pervelle. *Disc.* Ita fiat. *Mag.* Cùm ergo non perfecisti quod voluisti, & potuisti: cur non perfecisti? *Disc.* Quia non * pervolui. *Mag.* Ita ergo dic quia diabolus, qui accepit velle, & posse accipere perseverantiam, & velle & posse perseverare; ideo non accepit, nec perseveraverit, quia non * pervoluit. *Disc.* Item quæro: quare non * pervoluit? Cùm enim dicis quia * quod voluit, non pervoluit, tale est ac si dicas: quod voluit priùs, postea non voluit. * Quando ergo non voluit quod priùs voluit; quare non voluit, nisi quia non habuit voluntatem? Non dico voluntatem, quam prius habuit, cùm * voluit; sed quam non habuit, cùm non voluit. Hanc autem voluntatem, quare non habuit; nisi quia non accepit? Quare autem non accepit, nisi quia Deus non dedit? * *Mag.* Iterum dico quia non ideo non accepit, quia Deus non dedit: sed ideo Deus non dedit, quia ille non accepit. *Disc.* Hoc ostende. *Mag.* Sponte dimittit voluntatem, quâ * habebat: & sicut accepit * habere quousque habuit; ita potuit accipere * semper tenere, quod deseruit: sed quia deseruit, non accepit. Quòd ergo ideo non accepit tenere, quia deseruit: non ideo non accepit, quia Deus non dedit; sed * ideo Deus non dedit, quia ille non accepit. * *Disc.* Quis non videat quia non ideo non voluit tenere, quia deseruit; sed ideo deseruit, quia non voluit tenere? Semper enim tenenti priùs est non velle tenere, quàm velle deserere. Ideo enim vult aliquis deserere quod tenet, quia non vult tenere. * Quæro igitur quare tenere non voluit quod tenebat; nisi quia Deus non dedit velle? *Mag.* Non semper priùs est non velle tenere, quàm velle deserere. *Disc.* Quando non fit, ostende mihi. *Mag.* Quando * aliquam rem propter se non vis tenere, sed deserere, ut carbonem ignitum in manu nuda positum: tunc fortitan priùs est non velle tenere, quàm velle deserere; & ideo vis desere, quia non vis tenere. Prius enim quàm teneas, non vis tenere: velle autem deserere non potes; nisi cùm tenes. Cùm autem tenes quod * nonnisi propter aliud non vis tenere, nec * nisi propter aliud deserere vis; & magis vis aliud, quod non potes ha-

al. potes vel debes.

al. habuit
al. habuit
al. & semper

al. sed Deus

al. Disc. Quando.

al. quando aliquando

al. quod propter aliquid non vis tenere tamen propter aliquid

bere, nisi deseras quod tenes: tunc velle deserere prius est, quàm non velle tenere. Avarus nãque, cùm vult tenere nummum, & mavult panem, quem nequit habere, nisi nummum det; prius vult dare, id est, desere nummum, quàm non velit tenere: non enim illum ideo vult, ideo non vult tenere dare quia non vult tenere; sed * ideo non vult tenere, quiâ ut panem habeat, necesse habet dare. Nam & antequâ habeat, vult tenere & habere; & cùm habet, nequaquam non vult tenere, quandiu non habet necesse deserere. *Disc.* Verum est. *Mag.* Non ergo semper est prius non velle tenere, quàm velle deserere; sed aliquando prius est, vellere deserere. *Disc.* Non possum negare. *Mag.* * Dico ergo quia non ideo non voluit, cùm debuit, & quod debuit, quiâ voluntas * defecit, Deo dare deficiente: sed quia ipse volendo quod non debuit, bonam voluntatem expulit malâ superveniente. Quapropter non ideo non habuit bonam voluntatem perseverantem, aut non accepit, quia Deus non debit: sed ideo Deus non dedit; quia ille volendo quod non debuit, eam deseruit, & eam deserendo non tenuit. *Disc.* Intelligo quod dicis.

al. amit. ideo non vult

al. Dio

CAPUT IV.

Quomodo ille peccavit, & voluit similis esse Deo.

MAGIST.

DUbitas adhuc diabolum non ideo voluisse deserere quod habebat, quia non voluit tenere: sed ideo non voluisse tenere, quia voluit deserere? *Disc.* Non dubito sic esse posse: sed nondum fecisti me certum sic esse. Prius ergo ostende quid voluit habere quod non habebat, ut vellet deserere quod tenebat: sicut in avaro monstrasti. Deinde, si nihil contradici poterit ita esse, me non dubitare fatebor. *Mag.* Peccasse illum non dubitas; quoniam à justo Deo non potuit injustè damnari: sed quæris quomodo peccavit. *Disc.* Ita est. *Mag.* Si justitiam perseveranter servasset; non peccasset unquam, nec miser esset. *Disc.* Ita credimus. *Mag.* Justitiam verò nullus servat, nisi volendo quod debet; neque deserit, nisi volendo quod non debet. *Disc.* Nulli dubium. *Mag.* Volendo aliquid igitur, quod velle tunc non debebat, deseruit justitiam; & sic peccavit. *Disc.* Ita sequitur. Sed quæro quid * aliud voluit, quàm quod habebat. *Mag.* * quicquid habebat, debebat velle. *Disc.* Debebat verè velle quod à Deo acceperat; nec hoc volendo peccavit. *Mag.* Voluit igitur aliquid quod non habebat, nec tunc velle debbeat: sicut Eva similis voluit esse diis, priùs quàm Deus hoc vellet. *Disc.* Nec hoc ita sequi negare queo. *Mag.* Nihil autem velle poterat nisi justitiam, aut cõmodum: ex commodis enim constat beatitudo, quam vult omnis rationalis natura. *Disc.* In nobis possumus hoc cognoscere, qui nihil volumus, nisi quod justum aut commodum putamus. *Mag.* Justitiam verò volendo, peccare non potuit. *Disc.* Verum est. *Mag.* Peccavit ergo volendo aliquod commodum, quod nec habebat, nec tunc velle debuit: quod tamen ad augmentũ beatitudinis esse illi poterat. *Disc.* Palàm est quoniam aliter non potuit. *Mag.* Cernis, ut puto, quia plus aliquid quàm * acceperat, inordinatè volendo, voluntatem suam extra justitiam extendit. *Disc.* Apertè nunc video quia peccavit, & volẽdo quod non debuit, & * non volendo quod debuit: & palàm est quia * non ideo voluit plusquam debuit, quia noluit tenere justitiam; sed ideo justitiam non tenuit, quia * aliud voluit, quod volendo illam deseruit: sicut in avaro, de nummo & pane monstrasti. *Mag.* At cùm hoc voluit, quod Deus illum velle nolebat; voluit inordinatè similis esse Deo. *Disc.* Si Deus cogitari non potest, nisi ita solus, ut nihil illi simile cogitari possit: quomodo potuit diabolus velle quod non potuit cogitare? Non enim ita obtusæ mentis erat, ut nihil aliud simile Deo cogitari posse nesciret. *Mag.* Etiamsi * noluit omnino par esse * Deo, sed aliquid minus Deo, contra voluntatem Dei; hoc * ipso voluit inordinatè similis esse Deo, quia propria voluntate, quæ nulli subdita fuit, voluit aliquid. Solius enim Dei esse debet, sic voluntate propria velle aliquid, ut superiorem non sequatur voluntatem. *Disc.* Ita est. *Mag.* Non solùm autem voluit esse æqualis Deo, quia præsumpsit habere propriam voluntatem; sed etiam major voluit esse, volendo quòd Deus illum velle nolebat: quoniam voluntatem suam supra voluntatem Dei posuit. *Disc.* Satis liquet. *Mag.* Jam igitur * tibi manifestum esse puto, ex rationibus suprapositis diabolum sponte dimisisse velle quod debebat, & justè amisisse quod habebat: quia sponte & justè voluit quod non habebat, & velle * non debebat. *Disc.* Nihil puto manifestiùs. *Mag.* Quamvis igitur bonus Angelus ideo accepit perseverantiam, quia Deus dedit; non ideo * tamen malus non accepit, quia Deus non dedit: sed Deus ideo non dedit, quia ille non accepit; & ideo non accepit, quia accipere noluit. * *Disc.* Mihi quidem * ita satisfacis ad ea quæ quæro: ut nec in his, quæ proponis, nec in ipsa consequentia conclusionum tuarum ullam videam, sensu meo, titubare veritatem.

al. volunt
al. Deo secundùm
al. hoc voluit

Angelis qui non servat Deus ideo non datur perseverantia, quia ille non accepit, & ideo non accepit, quia accipere noluit.

al. quidem facis resisti.

CAPUT V.

Quòd boni Angeli ante casum malorum peccare potuerunt.

MAGIST.

PUtasne bonos Angelos similiter potuisse peccare, antequam mali caderent? *Disc.* Puto: sed ratione comprehendere vellem. *Mag.* Hoc certum habes quia si non potuerunt peccare; non potestate sed necessitate servaverunt justitiam. Quare non magis meruerunt gratiam à Deo, quia steterunt, aliis cadentibus: quàm quia servaverunt * rationalitatem, quam perdere nequiverunt. Sed nec justi rectè, si benè consideres, dicerentur. *Disc.* Sic monstrat ratio. *Mag.* * Illi ergo qui ceciderunt, si non peccassent, cùm possent, tantò meliores essent quàm * isti; quantò & verè essent justi, & gratiam à Deo mererentur. Unde sequitur quia aut electi homines majores & meliores erunt Angelis bonis; aut reprobi Angeli perfectè non restaurabuntur: quoniam non tales erunt homines, qui pro illis * assumentur, quales illi futuri erant. *Disc.* Hæc duo penitus neganda existimo. *Mag.* * potuerunt igitur boni Angeli peccare, ante casum malorum; nec aliter, quàm sicut ostensum est de illis qui peccaverunt. *Disc.* Aliter esse posse non video.

al. radonabilitatem.

al. Cap. & al. justi

al. ponatur

CAPUT VI.

Quomodo boni confirmati sunt in suo statu, & mali in casu suo.

MAGIST.

ILli itaque Angeli, qui magis voluerunt justitiam, quam habebant; quàm illud * plus, quod non habebant: bonum, quod quasi propter justitiam, quantùm ad voluntatem pertinuit, perdiderunt, justitiâ retribuente acceperunt; & de illo, quod habebant, in vera securitate permanserunt. Quapropter adeo sunt * provecti, ut sint adepti quicquid potuerunt velle; nec jam videant * quid plus velle possint: & propter hoc peccare nequeunt. Illi verò Angeli qui maluerunt illud plus, quod nondum Deus illis dare volebat; quàm stare in justitia, in qua facti erant: eâdem justitiâ judicante, & illud, propter quod illam contempserunt, nequaquam obtinuerunt; & quod tenebant, bonum amiserunt. Sic ergo distincti sunt Angeli, ut adhærentes justitiæ nullum velle bonum possint, quo non gaudeant

al. profecti

al. quod possunt.

Digitized by Google

gaudeant; & deserentes illam, nullum velle queant, A quo non careant. *Disc.* Nihil pulchrius, aut justius hac distinctione. Sed si posses dicere, vellem audire cujusmodi commodum illud fuit, quod & boni Angeli justè volendo sic * profecerunt, & mali injustè concupiscendo tic defecerunt. *Mag.* Quid illud fuerit non video: sed quicquid fuerit, sufficit scire quia fuit aliquid, ad quod crescere potuerunt; quod non acceperunt, quando creati sunt, ut ad aliud suo merito proficerent.

al. perfecerunt

CAPUT VII.

Quæstio, an voluntas, & ejus conversio ad quod non debet, sit ipsum malum quod malos facit: & cur non possit rationalis creatura per se de malo converti ad bonum, sicut potest de bono ad malum.

Discip.

ET nobis nunc sufficiat hucusque de hoc investigasse. Sed nescio quid sit, ut cùm me * spero ad finem quæstionis * jam pertingere, tunc magis videam velut de radicibus succisarum quæstionum alias pullulantes consurgere. Ecce enim cùm manifestissimè videam perversum Angelum nulla ratione devenire potuisse in immoderatam boni indigentiam, nisi propter immoderatam concupiscentiam: non parum me movet, unde ipsam inordinatam habuit voluntatem. Si enim bona fuit; propter bonam voluntatem, de tanto bono cecidit in tantum malum. Item: si bona fuit, Deus illam illi dedit: quia non nisi nihil habuit à se. Si ergo voluit quod Deus dedit velle; quid peccavit? Aut si à se habuit hanc voluntatem; habuit * aliquod bonum, quod non accepit. Quòd si C mala est, & aliquid est; iterum occurrit quia nonnisi à Deo est, à quo * est omne quod aliquid est. Et similiter quæri potest quid peccavit habendo voluntatem, quam Deus dedit; aut quomodo potuit Deus dare malam voluntatem. Si verò * hæc mala voluntas ab ipso diabolo fuit, & aliquid est; habuit aliquid à se, & non est omnis essentia bona, nec malum erit nihil, sicut solemus dicere; siquidem mala voluntas, essentia est: aut si mala voluntas nihil est; propter nihil, & ideo sine causa, tam graviter damnatus est. Quod autem dico de voluntate, hoc * ipsum dici potest de concupiscentia, sive desiderio: quoniam & concupiscentia, & desiderium, voluntas est; & sicut est bona, & mala voluntas; ita est bona & mala concupiscentia, & bonum & malum desiderium. Quòd si D dicitur quia voluntas est aliqua essentia, & ideo bonum est aliquid: sed conversa ad hoc, quod debet velle, fit bona voluntas; ad id verò, quod non debet, conversa, dicitur voluntas mala: quidquid dixi de voluntate, video posse dici de ipsa conversione voluntatis. Movet enim multùm me, unde ipsam perversam habuit diabolus voluntatis conversionem, & cætera, quæ de * voluntate modo dixi. Est adhuc * aliud, quod valde miror, cùm considero hanc voluntatis conversionem: cur, videlicet, Deus talem fecerit illam naturam, quam tantâ excellentiâ sublimaverat; ut eo, quod debuit velle, * posset convertere voluntatem suam ad id, quod non debuit; E sed de eo, quod non debet, non posset ad id, quod debet: cùm * multò magis videatur potestatem debuisse talis creatura à tali factore accipere faciendi bonum, ad quod * facta est; quàm faciendi malum, ad quod vitandam facta est. Quod etiam in nostra natura quæri potest: quoniam credimus nullum hominem posse bonam voluntatem habere, nisi dante Deo; malam verò semper habere posse, solâ permissione Dei.

al. Quod inordinatam Angeli quietem.

al. à se aliquod

al. de voluntatis conversione.

al. cùm magis

al. facta sunt

CAPUT VIII.

** Quæstio proposita resolvitur. * Quòd voluntas, & ejus conversio non sit ipsum malum.*

al. Quod voluntas ejus, & conversio sit, non ipsum malum.

Magist.

NEc voluntatem, nec voluntatis conversionem putò negari posse aliquid esse. Nam etsi non sunt substantiæ; non tamen probari potest eas non esse essentias: quoniam multæ sunt essentiæ præter illam, quæ propriè dicitur substantia. Denique bona * voluntas non magis est aliquid, quàm mala voluntas; nec est ista magis malum, quàm illa bonum. Non enim magis est aliquid voluntas, quæ vult dare misericorditer; quàm illa, quæ vult rapere violenter: nec magis hæc malum, quàm illa bonum est. Ergo si mala voluntas est ipsum malum, quod malus aliquis dicitur; erit & bona voluntas ipsum bonum, quo fit aliquis bonus: sed mala voluntas erit nihil; si est ipsum malum, quod credimus esse nihil. Bona igitur voluntas nihil erit: quoniam ipsa non magis est aliquid, quàm mala voluntas. Quare ipsum bonum, quod bonos facit, non poterimus negare nihil esse: quoniam ipsum est bona voluntas, quæ nihil erit. Sed falsum esse nullus ambigit, bonam voluntatem, sive bonum ipsum, esse nihil. Itaque mala voluntas non est ipsum malum, quod malos facit; sicut nec bona voluntas est ipsum bonum, quod bonos facit. Hoc ipsum, quod dixi de voluntate, potest * etiam considerari in conversione voluntatis. Non enim magis est aliquid conversio illa, quæ convertit voluntatem de rapina ad tribuendum; quàm * est illa, quæ convertit eandem voluntatem de largitate ad avaritiam: & cætera, quæ de voluntate paulò ante dixi. *Disc.* Mihi quoque * hoc ipsum videtur, * quod asseris. *Mag.* Neque ergo voluntas mala, neque prava voluntatis conversio, est ipsum malum, quo Angelus vel homo fit malus, & quod nihil esse dicimus: nunc bona voluntas, * aut bona voluntatis conversio, est bonum, quo boni fiunt.

Mala voluntas non est aliquid

al. bona non

Mala voluntas non est ipsum malum, quod malos facit.

al. aut bona vel aut mala

CAPUT IX.

Quòd injustitia sit ipsum malum, & sit nihil.

Discip.

QUid ergo dicemus ipsum malum, quod malos facit; & quid ipsum bonum, quod bonos facit? *Mag.* Justitiam credere * debemus esse ipsum bonum, quo * sunt boni, id est, justi, & Angeli & homines; & quo ipsa voluntas bona, sive justa dicitur: injustitiam verò ipsum malum esse, quod nihil aliud dicimus esse, quàm boni privationem, quod malos & malam voluntatem facit: & ideo eandem injustitiam non aliud esse asserimus, quàm privationem injustitiæ. Quandiu enim voluntas primùm data rationali naturæ, & simul in ipsa datione ab ipso datore conversa, immò non conversa, sed facta recta, ad hoc quod velle debuit; stetit in ipsa rectitudine, quam dicimus veritatem sive injustitiam, in qua facta * est; justa fuit. Cùm verò avertit se ab eo, quod debuit; & convertit se ad id, quod non debuit; non stetit in originali (ut ita dicam) rectitudine, in qua facta est? quam cùm deseruit, magnum aliquid perdidit; & nihil pro ea, nisi privationem ejus, quæ nullam habet essentiam, & quam injustitiam nominamus, suscepit.

al. dicimus; ipsum al. sunt

Malum, quod malos facit, est injustitia, quæ nihil est aliud quam boni seu debiti hujus justitiæ privatio.

Digitized by Google

CAPUT X.

Quomodo malum videatur esse aliquid.

MAGIST.

QUod dicis malum esse privationem boni, concedo; sed nihilominus video bonum privationem esse mali. Et sicut percipio in privatione mali aliquid aliud fieri, quod bonum dicimus: ita animadverto in privatione boni aliquid aliud fieri, quod malum * nominamus. Quapropter licèt quibusdam argumentis malum nihil esse probetur: quoniam malum non nisi vitium aut corruptio est, quæ nullo modo sunt nisi in aliqua essentia, & quantò magis ibi sunt, tantò magis illam redigunt in nihilum; & si eadem essentia omnino deveniat ad nihil, vitium quoque & corruptio inveniuntur nihil: licèt, inquam, sic aut alio modo probetur nihil esse malum; non potest * animus meus, nisi solà fide, acquiescere; si non illud mihi auferatur, quod mihi * econtra probat malum non nisi aliquid esse. Nam cùm auditur nomen mali; frustra horrent corda nostra quod in hujus nominis significatione intelligunt, si nihil significatur hoc nomine. Item: si * vox hæc, scilicet, malum nomen est; utique * significativum est. Si autem * significativum est; significat: sed, non nisi aliquid significat. Quomodo ergo malum est nihil; si quod signicat * nomen ejus, est aliquid? Denique cùm manente justitiâ, tanta videatur tranquillitas, tanta quies, ut in multis nihil aliud videatur justicia, quàm quiescere à malo; sicut est castitas, patientia: recedente autem justitiâ, tam diversus, tam laboriosus, tamque multiplex * occupet animum affectus, qui velut crudelis Dominus miserum homunculum cogat tot turpium & laborioserum operum * curâ sollicitum esse, & ipsis operibus tam graviter laborare: mirum est, si potuerit ottendi nihil hæc omnia operari.

al. dicimus

al. minus meus. al. etiam.

al. vox, hoc

al. significativum.

al. nomine.

al. & quod.

al. nemo potest al. significativum.

al. ut significetur.

CAPUT XI.

al. pars Cap. 10.

Quòd malum & nihil non possint per nomen suum probari aliquid esse, sed quasi aliquid.

MAGIST.

PUto quia non ita es insanus, ut dicas nihil esse aliquid: cùm tamen non possis negare, nihil esse nomen. Quapropter si, nihil * non potest probare aliquid esse, per nomen nihil; quomodo æstimas te probare malum esse aliquid, per nomen mali. *Disc.* Nihil agit exemplum, quod litem lite resolvit. Nam & hoc ipsum, nihil, nescio quid sit. Quapropter quoniam in manibus quæstio est de malo, quod dicis esse nihil si vis me docere, quid * intelligam esse malum: doce me priùs, quid * intelligam esse nihil: deinde ad alia, quibus * propter nomen mali dixi me movere de eo, ut aliquid esse videatur, respondebis. *Mag.* Cùm nequaquam differant nihil esse, & non aliquid esse; quomodo dici potest quid sit * quod non est aliquid? *Disc.* Si non est aliquid, quod hoc nomine significatur: non significat aliquid: Si verò non significat aliquid; non est nomen: sed utique nomen est: quanquam igitur nullus dicat, nihil, esse aliquid; sed temper, nihil, esse nihil cogamur fatem; Nemo * tamen potest nomen nihili * significativum esse diffiteri. Verùm si hoc ipsum nomen non significat nihil, sed aliquid; id quod significatur, videtur non posse esse nihil, sed magis aliquid. Si ergo quod significatur non est nihil, sed aliquid: qualiter verum erit, ut * nihil significetur per hoc nomen, quod est, nihil? Quippe si verè nihil dicitur, verè nihil est; & idcirco non est aliquid. Quare, si quod significatur

al. nihil potest probari.

al. quid sit malum

al. præter.

al. & quod.

al. nemo potest

al. significativum.

al. ut significetur.

A hoc nomine, non est nihil, sed aliquid; (quemadmodum consequentia videtur ostendere) * falsò & incongruè vocatur hoc nomine. At econtra, si secundùm judicium * omnium, id quod nominatur nihil, verè est nihil, nequaquam est aliquid; utquamne videtur aliquid consequentius, quàm ut hoc ipsum nomen nihil significet, * id est, non significet aliquid? Quid itaque est quia hoc nomen, videlicet, * nihil non significat nihil, sed aliquid; & non significat aliquid, sed nihil? *Mag.* Forsitan non repugnant, significare nihil, & aliquid. *Disc.* Si non repugnant: aut ista vox diversâ consideratione significat nihil * & aliquid; aut invenienda res est aliqua, quæ sit aliquid, & nihil. *Mag.* Quid si utrunque inveniri potest, & diversa, scilicet, significationis consideratio in hoc nomine, & eandem rem esse aliquid, & nihil? *Disc.* Utrumque vellem cognoscere. *Mag.* Constat quoniam hæc vox, scilicet, nihil, quantùm ad significationem, nullatenus differt ab eo quod * dico, non aliquid. Nihil quoque hoc apertius, quàm quòd hæc vox, scilicet, non aliquid, omnem rem penitus, & omne quod est aliquid, intellectu removendum; nec omnino ullam rem, aut penitus quod aliquid sit * in intellectu retinendum, suâ significatione constituit. Sed quoniam remotio alicus rei significari nullatenus potest, nisi cum significatione ejus ipsius, cujus significatur remotio: nullus enim intelligit quid significet non homo, nisi intelligendo quid sit homo: necesse * est ut hæc vox quæ est, non aliquid, destruendo id, quod est aliquid, significet aliquid. Quoniam verò auferendo omne quod est aliquid, nullam significat essentiam, quam in audientis intellectu retinendam constituat: idcirco vox, non aliquid, nullam rem, aut quod sit aliquid, significat. Igitur hæc vox, non aliquid, his diversis rationibus aliquatenus significat rem, & aliquid; & nullatenus significat rem, aut aliquid: significat enim removendo, & non significat constituendo. Hac ratione nomen, nihil, quod perimit omne quod est aliquid, & destruendo non significat nihil, sed aliquid; & constituendo non significat aliquid, sed nihil. Quapropter non est necesse, nihil esse aliquid, ideo quia nomen * ejus significat aliquid quolibet modo; sed potius necesse est nihil esse nihil: quia nomen ejus significat hoc modo aliquid. Hoc itaque modo non repugnat malum nihil esse, & mali nomen esse * significativum; si sic aliquid perimendo significat, ut nullius rei sit constitutivum. *Disc.* * Nequeo negare nomen nihili, secundùm prædictam à te rationem, aliquo modo significare aliquid: sed satis notum est quia illud aliquid, quod isto modo hoc nomine significatur, non nominatur nihil; nec cùm audimus hoc nomen, accipimus illud pro illa re, quam ita significat. Illud * igitur quæro, pro quo hoc nomen ponitur; & * quod intelligimus, cùm ipsum * audimus: illud, inquam, quæro, quid sit. Illud enim hoc * nomen propriè significat; & idcirco nomen est, quia ejus * significativum est, non quia suprà dicto modo negando significat aliquid: ejus quippe nomen est, pro cujus significatione inter nomina computatur, & illud vocatur nihil. Illud quæro, quomodo sit aliquid, si propriè vocatur nihil: aut qualiter sit nihil, si nomen * significativum ejus significat aliquid: aut quomodo idem sit aliquid, & nihil? Illud idem quæro de nomine mali; & de eo quod significat, & quod malum nominatur. *Mag.* Rectè quæris: quia licèt, suprapositâ ratione, malum & nihil significent aliquid; tamen quod significatur * non est malum aut nihil: sed * est alia ratio, qua significant aliquid, & quod significatur est aliquid; sed non verè * aliquid, sed quasi aliquid. Multa * quippe esse dicuntur secundùm formam, quæ non sunt secundùm rem: ut, timere, secundùm formam vocis, dicitur activum, cùm sit

al. falsò

al. omne

al. id non

al. omit.

Hoc vox, nihil, seu non aliquid, significat aliquid, removendo, non constituendo.

al. significativum

al. verò

al. quid

al. ipsum nomen

al. nomine

al. significativum

al. & alia

al. verè est

al. quidem

Digitized by Google

passivùm, secundùm rem. Ita quoque cæcitas dicitur aliquid, secundùm formam loquendi; cùm non sit aliquid, secundùm rem. Sicut enim de aliquo dicimus quia visum habet, & visus est in eo: ita dicimus quia habet cæcitatem, & cæcitas est in eo: cùm * hæc non sit aliquid; sed potius non aliquid: & hanc habere, non sit habere aliquid; imò carere eo, quod est aliquid. Cæcitas namque non est aliud, quàm non visus, aut absentia visûs, ubi visus debet esse: non visus * verò, vel absentia visus non magis est aliquid, ubi visus debet esse, quàm ubi non debet esse. Quare cæcitas non magis est in oculo aliquid quia ibi debet esse visus; quàm non visus, vel absentia visûs in lapide, ubi non debet esse visus. Multa quoque alia similiter dicuntur aliquid, secundùm formam loquendi, quæ non sunt aliquid: quoniam sic loquimur de illis, sicut de rebus existentibus. Hoc ergo modo malum, & nihil, significant aliquid; & quod significatur, est aliquid, non secundùm rem, sed secundùm formam loquendi. Nihil enim non aliud significat, quàm non aliquid, aut absentiam eorum quæ sunt aliquid: & malum non est aliud, quàm non bonum, aut absentia boni, ubi debet & expedit esse bonum. Quod autem non est aliud, quàm absentia ejus quod est aliquid, utique non est aliquid. Malum igitur verè est nihil, & nihil non est aliquid; & tamen quodammodo sunt aliquid: quia sic loquimur de his, quasi sint aliquid, cùm dicimus: nihil, vel malum fecit: aut, nihil aut malum est, quod fecit: sicut dicimus: aliquid, vel bonum fecit: aut, aliquid, vel bonum est quod fecit. Hinc est quòd cùm negamus omnino esse aliquid quod dicit aliquis, ita dicimus: hoc quod dicis, nihil est. Nam * hoc & quod propriè non dicuntur nisi de eo quod est aliquid: & cùm ita dicuntur, sicut modò dixi, non dicuntur de eo quod sit aliquid, sed quod quasi aliquid dicitur. *Dise.* De ratione nominis mali, quà me putabam posse probare malum esse aliquid, satisfecisti.

CAPUT XII.

Quòd Angelus à se non potuit habere voluntatem primam: & quòd multa dicuntur posse alienâ potestate, & non posse alienâ impotentiâ.

REstat nunc ut me ad alia, quæ mihi malum esse aliquid persuadere nituntur, quid respondedere valeam edoceas. *Mag.* Ut veritatem rei * enodare possimus, longiùs aliquantulùm exordiri nos oportet: sed & opus est ut tu ea, quæ dicam, non sis contentus singula tantùm intelligere; sed omnia simul memoriâ, quasi sub uno * intuitu, colligere. *Dise.* Ego quidem intentus ero, quantùm potero: veruntamen si in aliquo tardior, quàm velis, extitero; non te me expectare pigeat, prout videris tarditatem meam expetere. *Mag.* Ponamus ergo Deum nunc facere Angelum, quem velit facere beatum; & non simul totum, sed per partes, & hactenus jam esse factum, ut jam sit aptus ad habendam voluntatem, sed nondum velit aliquid. *Dise.* Pone quod vis, & expone quod quæro. *Mag.* An ergo putas quòd * iste Angelus per se possit velle aliquid? *Dise.* Non bene video quod dicis per se. Quod enim (sicut supra jam dixisti de omni creatura) nihil habet, quod non accepit; nihil potest per se. *Mag. Per se* dico, per hoc quod jam habet: ut qui habet pedes, & quæ * sufficiunt ad potentiam ambulandi, potest ambulare per se: qui autem habet pedes, & non habet incolumitatem pedum non potest ambulare per se. Hoc itaque modo quæro an ille Angelus, qui jam aptus est ad volendum, & nondum quicquam vult possit per se velle aliquid? *Dise.* Puto quia potest, si aliquando vult. *Mag.* Non respondes ad interrogationem meam. *Dise.* Quomodo? *Mag.* Ego quæro de nihil volente, & de potestate quæ præcedit rem: & tu respondes de * volente & de potestate quæ fit cum re. Nam omne quod est, eo ipso quia est, potest esse: non autem omne quod est, potuit esse, * antequam esset. Cùm ergo quæro utrum ille qui nihil vult, possit velle; quæro potestatem ante voluntatem, qua se possit movere ad voluntatem. Tu verò, cùm respondes quia si vult potest, dicis potestatem, quæ fit cum ipsa voluntate. Necesse enim est si vult, ut possit velle. *Dise.* Scio duas esse potestates: unam, quæ nondum est in re; alteram, quæ jam est in re. Sed & hoc non possum nescire, quia quicquid ita potest esse, ut jam sit; si aliquando non fuit, potuit priùs esse. Si enim non potuisset, nunquam esset. Benè ergo æstimo me respondisse: quia qui ideo potest velle, quia jam vult, necesse est eum priùs potuisse, quàm vellet. *Mag.* Putas quia quod nihil est, omnino nihil habet; & ideo nullam habet potestatem: & sine potestate omnino nihil potest. *Dise.* Hoc non possum negare. *Mag.* Æstimo quia mundus, antequam fieret, nihil erat. *Dise.* Verum dicis. *Mag.* Ergo omnino nihil potuit, antequam esset. *Dise.* Ita sequitur. *Mag.* Non ergo potuit esse, antequam esset. *Dise.* Et ego dico: si non potuit esse; impossibile fuit, ut esset aliquando. *Mag.* Et possibile; & impossibile erat, antequam esset: & quidem in cujus potestate non erat ut esset, erat impossibile; sed Deo, in cujus potestate erat ut fieret possibile erat: quia ergo Deus priùs mundum * potuit facere, quàm fieret, ideo est mundus; non quia ipse mundus priùs potuit esse. *Dise.* Rationi non possum contradicere: sed usus loquendi non consentit. *Mag.* Non est mirum. Multa namque in communi locutione dicuntur impropriè: sed * cùm oportet medullam veritatis inquirere; necesse est improprietatem perturbantem, quantùm res expetit & possibile est, secernere. Ex qua improprietate loquendi fit ut sæpissimæ dicamus rem posse; non quod illa possit, sed quoniam alia res potest: & rem, quæ potest, non posse; quoniam alia res non potest: ut, si dico: liber potest à me scribi: utique liber nihil potest; sed ego possum scribere librum. Et cùm dicimus: iste non potest vinci ab illo: non aliud intelligimus, quàm, ille non potest vincere istum. Hinc est quod dicimus Deum non posse aliquid sibi adversum, aut perversum; quoniam sic est potens in beatitudine & justitiâ, immò, quoniam beatitudo & justitia non sunt illo diversa, sed unum bonum, sic est omnipotens in simplici bono, ut nulla res possit * quod noceat summo bono: ideo * namque non potest corrumpi vel mentiri. Ita ergo quicquid non est, antequam * sit suâ potestate esse non potest: sed, si potest alia res facere ut sit; hoc modo, alienâ potestate potest esse. Quamvis autem pluribus modis dividi possit potentia, vel impotentia: hoc tantùm nunc tibi sufficiat, quia multa dicuntur posse, non suâ, sed alienâ potestate; & multa non posse * non suâ sed alienâ impotentiâ. De propria igitur potestate loquor, cùm quæro de Angelo, quem novum posuimus fieri, & hactenus jam esse factum, ut jam aptus sit ad habendam voluntatem, sed nihil adhuc velit; an ipse possit per se velle aliquid & de ipsa mihi responde. *Dise.* Si jam * sic aptus est ad voluntatem, ut nihil illi aliud desit quàm velle; non video cur per se non possit: quicunque enim aptus est ad videndum, & clausis oculis in luce positus nihil videt; potest tamen videre per se: quare ergo non volens * similiter non velit per se; sicut non videns potest per se videre? *Mag.* Quia ille non videns habet visum, & voluntatem, qua potest movere visum: * nunc verò de illo, qui nullam habet voluntatem, loquimur. Quare, respondе mihi, si qua res seipsam movet de non velle ad velle, * utrum sic ipsa velit movere.

Diſc. Si dixero quia moveatur non volens; conſequens erit ut non à ſe, ſed ab alio moveatur: niſi fortè ſi quis ſubitò claudit oculos ad ictum venientem, aut ſi cogitur quis aliquo incommodo, ut velit quod priùs non volebat. Nescio enim * an tunc priùs ſe velit movere ad hanc voluntatem. *Mag.* Nullus cogitur vel timore vel ſenſu alicujus incommodi, nec attrahitur amore alicujus commodi, ad volendum aliquid; niſi qui priùs habet naturalem voluntatem vitandi incommodum, aut habendi commodum: quia voluntate ſe movet ad alias voluntates. *Diſc.* Negare nequeo. *Mag.* Dic ergo quia quicquid ſe movet ad volendum, priùs ſe vult ita movere. *Diſc.* Ita eſt. *Mag.* Quod ergo nihil vult, nullo modo poteſt ſe movere ad volendum. *Diſc.* Non poſsum contradicere. *Mag.* Reſtat igitur ut ille Angelus, qui jam aptus factus eſt ad habendam voluntatem, ſed tamen nihil vult, non poſſit hab re primam voluntatem à ſe. *Diſc.* Neceſse eſt fateri me quia nihil poteſt per ſe velle, qui nihil vult. *Mag.* Beatus autem non poteſt eſse, ſi non vult beatitudinem. Dico * autem nunc beatitudinem, non beatitudinem cum juſtitia; ſed quam volunt omnes, etiam injuſti. Omnes quippe volunt bene ſibi eſse. Excepto namque hoc, quod omnis natura bona * dicitur; duo bona, & duo his contraria mala uſu dicuntur: unum bonum eſt, quod dicitur juſtitia; cui contrarium malum eſt, injuſtia: alterum bonum eſt, quod mihi videtur poſse dici commodum; & huic malum opponitur incommodum. Sed juſtitiam quidem non omnes volunt, neque omnes fugiunt injuſtitiam: commodum verò non ſolùm omnis rationalis natura, ſed & omne quod ſentire poteſt, vult; & vitat incommodum. Nam nullus vult, niſi quod aliquo modo putat ſibi commodum. Hoc igitur modo, bene ſibi eſse omnes volunt, & malè ſibi eſse nolunt. De hac beatitudine * nunc dico: quia nullus poteſt eſse beatus, qui non vult beatitudinem. Nullus namque beatus, poteſt eſſe aut habendo quod non vult, aut non habendo quod vult. *Diſc.* Non eſt negandum. *Mag.* Nec beatus eſse * debet, qui non vult juſtitiam. *Diſc.* Nec hoc minùs concedendum.

al. enim cum

al. dicо enim

al. dividitur in duo bona. Duo bona ſunt: juſtitia & commodum. Duo mala ſunt: injuſtitia, & incommodum.

al. non

al. poteſt

CAPUT XIII.

Quòd acceptâ ſolâ voluntate beatitudinis, nec aliud poſſet velle, nec illam non velle; & quicquid vellet; non eſſet juſta, vel injuſta voluntas.

MAGIST.

DIcamus ergo Deum illi dare primùm ſolam beatitudinis voluntatem, & videamus an idcirco, quia accepit aliquâ voluntatem, jam ipſe ſe poſſit movere ad volendû aliud, quàm quod accepit velle. *Diſc.* Proſequere quod incœpiſti; ego enim paratus ſum intelligere. *Mag.* Conſtat quia nondum * vult aliud, quàm beatitudinem: quia non aliud accepit velle. *Diſc.* Verum eſt. *Mag.* Quæro ergo à te an poſſit ſe movere ad aliud volendum. *Diſc* Nequeo videre quomodo ſe moveat ad volendum aliud quàm beatitudinem, qui aliud non vult. Nam ſi vult ſe movere ad aliud volendum; vult utique aliud. *Mag.* Sicut ergo, nullâ voluntate adhuc datâ, nihil poterat * per ſe velle: ita ſolâ voluntate beatitudinis acceptâ, nullam aliam à ſe poteſt habere voluntatem. *Diſc.* Ita eſt. *Mag.* Nonne ſi putat prodeſſe aliquid ad adipiſcendâ beatitudinem, poteſt ſe movere ad volendum illud? *Diſc.* Dubito quid reſpondeam, nam ſi non poteſt, non video * quomodo velit beatitudinem qui non poteſt velle quo ſe adipiſci poſſe beatitudinem putat: ſi verò poteſt, non intelligo quomodo non poſſit velle aliud. *Mag.* Qui vult * aliquid non propter rem quam videtur velle, ſed propter aliud; quid propriè judicandus eſt velle? an aliud quod dicitur velle; an illud propter quod vult? *Diſc.* Illud * utique, propter quod * vult, videtur velle. *Mag.* Qui ergo vult aliquid propter beatitudinem, non aliud vult quàm beatitudinem: quare poteſt & quod putat prodeſſe ad beatitudinem, & ſolam beatitudinem velle. *Diſc.* Satis eſt planum. *Mag.* Quæro adhuc an accepta hac ſola voluntate poſſit non velle beatitudinem. *Diſc.* Non poteſt utrumque ſimul & velle, & non velle. *Mag.* Verum eſt. Sed non hoc quæro, ſed quæro an poſſit deſerere hanc voluntatem, & movere ſe de velle ad non velle beatitudinem? *Diſc.* Siquidem hoc facit nolens, non ipſe facit: ſi verò * volens; aliud vult quàm beatitudinem: ſed non vult aliud: quare manifeſtum puto quia nullatenus poteſt per ſe non velle * id quod ſolùm accepit velle. *Mag.* Bene intelligis. Sed reſponde mihi adhuc: ſi * poteſt non velle beatitudinem; quantò majorem eam intelliget, qui nihil niſi beatitudinem vult, & non poteſt * non velle beatitudinem? *Diſc.* Si non tantò magis vellet beatitudinem, quantò meliorem ac majorem illam putaret; aut omnino * non vellet beatitudinem; aut vellet aliquid aliud propter quod meliorem nollet: ſed dicimus quia illam vult, & non aliud. *Mag.* Vult ergo eſſe beatus, quantò altiùs hoc eſſe poſſe cognoſcit. *Diſc.* Procul dubio vult. *Mag.* Ergo vult ſimilis eſſe Deo. *Diſc.* Nihil apertius. *Mag.* Quid tibi videtur; an eſſet * injuſta voluntas, ſi hoc modo ſimilis vellet eſſe Deo? *Diſc.* Nec juſtam volo dicere, quia vellet quod non conveniret; nec injuſtam, quia ex neceſſitate vellet. *Mag.* At eum, qui vult beatitudinem ſolam, commoda tantùm velle poſuimus. * *Diſc.* Ita eſt. *Mag.*] Si ergo ille, qui nihil vellet niſi commoda, non poſſet habere majora & veriora; vellet ne minora quibuſcunque uti poſſet? *Diſc.* Imo non poſſet * non velle quamlibet infima, ſi majora non poſſet. *Mag.* Nonne, cùm vellet commoda infima & immunda, quibus irrationabilia animalia delectantur; eſſet eadem voluntas injuſta & vituperabilis? *Diſc.* Quomodo injuſta aut reprehendenda voluntas eſſet: quia vellet, quod non poſſe non velle accepiſſet? *Mag.* Voluntatem tamen ipſam, ſive cùm vult ſumma commoda, ſive cùm vult infima, conſtat eſſe opus & donum Dei; ſicut eſt vita, aut ſenſibilitas: * & non eſſe in ea juſtitiam, ſive injuſtitiam. *Diſc.* Non eſt dubium. *Mag.* Ergo in quantum eſſentia eſt bonum, aliquid eſt: quantùm verò ad juſtitiam pertinet ſive injuſtitiam, nec bona nec mala eſt. *Diſc.* Nihil clarius. *Mag.* Sed non debet eſſe beatus, ſi non habet juſtam voluntatem: imò non poteſt perfectè nec laudabiliter eſſe beatus, qui vult quod nec poteſt, nec debet eſſe. *Diſc.* Multùm patet.

al. quam

al. id

al. & poteſt velle

al. & non poteſt non velle

al. & vellet

al. juſta

al. omitt.

al. nec vellet quamlibet ſic

al. non poſſit velle

al. aut non eſſe in eo

Non poteſt eſſe beatus, qui vult quod nec poteſt, nec debet eſſe.

CAPUT XIV.

Quòd ſimiliter ſit, ſi ſola accepta eſt voluntas veritatis: & idcirco utramque voluntatem accepit ſimul ut & juſtus, & ut beatus eſſet.

MAGIST.

COnſideremus ergo de juſtitiæ voluntate. Si daretur eidem Angelo velle ſolùm quod eum velle conveniret; an poſſet aliud velle: aut ſi * poſſet non velle per ſe, quod accepiſſet velle? *Diſc.* Omnino quod vidimus in voluntate beatitudinis, neceſſe eſt in hac quoque voluntate evenire. *Mag.* Ergo nec juſtam, nec injuſtam haberet voluntatem. Sicut enim ibi non eſſet voluntas injuſta, ſi veliet inconvenientia; * Quoniam hoc non poſſet non velle: ita hîc ſi vellet inconvenientia, non] idcirco eſſet juſta voluntas; quoniam ſic hoc accepiſſet, ut non poſſet aliter velle. * *Diſc.* Ita eſt. *Mag.*] Quoniam ergo nec ſolùmodo volendo beatitudinem, nec ſolummodo volendo

al. & non poſſet

al. omitt.

al. omitt.

Digitized by Goc

quod convenit, cùm ex neceſſitate ſic velit, juſtus vel injuſtus poteſt appellari: nec poteſt nec debet eſſe beatus, niſi velit; & niſi juſtè velit: neceſſe eſt ut ſic faciat Deus utramque voluntatem in illo convenire; ut & beatus eſſe velit, * & juſtè velit: quatenus addita juſtitia ſic temperet voluntatem beatitudinis, & reſecet voluntatis exceſſum, & excedendi non amputet poteſtatem: ut cùm per hoc quia volet beatus eſſe, modum poſſit excedere; per hoc quia juſtè volet, non * velit excedere: & ſic juſtam habens beatitudinis voluntatem, poſſit & debeat eſſe beatus: qui non volendo, quod non debet velle, cùm tamen poſſit, mereatur ut quod velle non debet, nunquam velle poſſit; & ſemper tenendo juſtitiam per moderatam voluntatem, nullo modo indigeat; aut ſi deſeruerit juſtitiam per immoderatam voluntatem omni * modo indigeat. *Diſc.* Nihil convenientius cogitari poteſt. *Mag.* Memento quia, cùm ſuperiùs conſiderabamus ſolam beatitudinis voluntatem, ſine hac meta, quam addidimus, ut ſub Deo ſe coërceat; dicebamus in ea non eſſe juſtitiam vel injuſtitiam, quicquid vellet. *Diſc.* Benè memini.

al. omis.

al. non vult

al. omnino

CAPUT XV.*

al. pars c. 14.

Quòd juſtitia ſit aliquid.

MAGIST.

AN putas aliquid eſſe, quod additum eidem voluntati * temperat illam, ne plus velit quam velle oportet, & expedit? *Diſc.* Nullus intelligens, nihil hoc eſſe putabit. *Mag.* Hoc, ſatis credo, animadvertis non aliud eſſe, quàm juſtitiam. *Diſc.* Nihil aliud cogitari poteſt. *Mag.* Certum eſt igitur juſtitiam eſſe aliquid. * *Diſc.* Imò valdè aliquid bonum. *Mag.* Antequam acciperet juſtitiam hanc, voluntas illa debebat velle & non velle ſecundùm juſtitiam? *Diſc.* Non debebat quod ideo non * habebat, quia non acceperat. *Mag.* Poſtquam autem * accepit: non dubitas debere, niſi aliqua violentiâ amittat? *Diſc.* Semper eam huic debito alligatam puto; ſive teneat quod accepit, ſive ſponte deſerat. *Mag.* Recte * judicas. Sed quid, ſi voluntas eadem juſtitiam tam utiliter & tam ſapienter additam ſibi, nullâ indigentiâ & nullâ violentiâ cogente deſerat, utendo ſponte ſua poteſtate, id eſt, plus volendo quàm debeat: an remanebit aliquid aliud cum ipſa voluntate, quàm quòd priùs conſiderabamus ante additamentum juſtitiæ? *Diſc.* Quoniam nihil aliud eſt additum, quàm juſtitia; ſeparatâ juſtitiâ nihil aliud certum eſt remanere, quàm quod priùs erat; niſi quia debitricem fecit eam accepta juſtitia, & quaſi quædam pulchra veſtigia ſui reliquit derelicta eadem juſtitia. Eo enim ipſo, quo debitrix juſtitiæ permanet, monſtratur honeſtate juſtitiæ fuiſſe decorata. Sed & hoc ſatis juſtum eſt, ut quod ſemel accepit juſtitiam,* eam ſemper debeat, niſi violenter amiſerit. Et certè multùm dignior natura probatur, quæ vel aliquando habuiſſe, & ſemper habere ut habeat tam honeſtum bonum, * convincitur: quàm quæ hoc ipſum non habere nec debere aliquando, cognoſcitur. *Mag.* Benè conſideras: ſed adde huic tuæ ſententiæ, quia quantò natura, quæ hoc habuit, * & debet, monſtratur laudabilior; tantò perſona, quæ non habet quod debet, convincitur vituperabilior. *Diſc.* Vehementer aſſentio. *Mag.* Diſcernere mihi benè, quid * ibi monſtret naturam laudabilem; & quid faciat perſonam vituperabilem. *Diſc.* Habuiſſe, vel debere, monſtrat naturalem dignitatem; & non habere facit perſonalem inhoneſtatem. * Debere enim, factum eſt ab eo qui dedit: non habere * verò, factum eſt ab ipſo qui deſeruit. Ideo namque debet, qui accepit: ideo verò non habet, quia * deſeruit. *Mag.* Non ergo reprehendis in ipſa voluntate, quæ non ſtecit in juſtitia, debere juſtitiam; ſed, non habere juſtitiam. *Diſc.* Omnino nihil aliud ibi reprehendo, quàm abſentiam juſtitiæ, ſive, non habere juſtitiam. Nam, ſicut jam dixi, debere, decorat; non habere verò, deturpat; & quò magis illud decet, eò magis iſtud dedecet: imò, non ob aliud voluntatem illam deturpat ex propria culpa non habere, quàm quia illam decorat ex bonitate dantis debere habere. *Mag.* Nonne jam voluntatem ipſam, quæ non habet juſtitiam, quam debet habere judicas injuſtam, & in illa eſſe injuſtitiam? *Diſc.* Quis non ita judicet? *Mag.* Si non eſſet injuſta, nec eſſet in illa injuſtitia; puto quia nihil in ea reprehenderes. *Diſc.* Nihil omnino. *Mag.* Ergo nihil aliud in ea reprehendis, quàm injuſtitiam, & quia injuſta eſt. *Diſc.* Non poſſum aliud quicquam in ea reprehendere. *Mag.* Si ergo nihil aliud ibi reprehendis, quàm abſentiam injuſtitiæ, & illam non habere juſtitiâ: ſicut paulo antè dixiſti: & iterum verum eſt quia nihil aliud reprehendis in ea, quàm in illa eſſe injuſtitiam, ſive illam eſſe injuſtam: palàm eſt quia non aliud in illa eſt injuſtitia, aut eſſe injuſtam, quàm abſentia juſtitiæ, aut non habere juſtitiam. *Diſc.* Nullo modo poſſunt hæc eſſe diverſa. *Mag.* Sicut igitur abſentia juſtitiæ, & non habere juſtitiam, nullam eſſentiam habet: ita injuſtitia, & eſſe injuſtum, nullum habet eſſe; & idcirco non eſt aliquid, ſed nihil. *Diſc.* Non eſt conſequentius aliquid. *Mag.* Memento etiam jam conſtare quia recedente juſtitiâ, excepto debiro juſtitiæ, nihil aliud * illi remaniſit, quàm quod habebat ante ſuſceptam juſtitiam. *Diſc.* Conſtat utique. *Mag.* At injuſta non erat, nec injuſtitiam habebat, antequam haberet juſtitiam. *Diſc.* Non. *Mag.* Ergo aut recedente * juſtitia, non eſt in illa injuſtitia, nec eſt injuſta: aut nihil eſt injuſtitia, vel eſſe injuſtum. *Diſc.* Non poteſt videri aliquid magis neceſſarium. *Mag.* At injuſtitiam illam habere, & eſſe injuſtam, poſt deſertam juſtitiam conceſſiſti. *Diſc.* Immo non poſſum non videre. *Mag.* Nihil igitur eſt injuſtitia, vel eſſe injuſtum. *Diſc.* Credentem me feciſti ſcire, quod neſciens credebam.

Debere juſtitiam dicitur naturam: non habere juſtitiam, dedecet.

al. injuſtitia

CAPUT XVI.

Quòd injuſtitia non ſit, niſi abſentia debitæ juſtitiæ.

MAGIST.

ÆSTimo * te jam cognoſcere, cùm injuſtitia non ſit aliud quàm abſentia juſtitiæ; nec injuſtum eſſe aliud, quàm non habere juſtitiam; cur non ante datam, ſed poſt derelictam juſtitiam, eadem abſentia juſtitiæ vocetur injuſtitia; & non habere juſtitiam, ſit injuſtum eſſe; & ſit utrumque reprehenſibile: non enim propter aliud, niſi quia non dedecet abeſſe juſtitiam, niſi ubi debet eſſe. Sicut enim virum, qui nondum debet habere barbam, non dedecet non habere; cùm verò jam debet habere, indecorum eſt non habere: ita naturam, quæ non debet habere juſtitiam, non deformat non habere; illam verò, quæ habere debet, dehoneſtat non habere: & quantò magis * debere habere, * virilem oſtendit naturam: tantò magis non habere, fœdat virilem figuram. *Diſc.* Sufficienter video injuſtitiam non eſſe, niſi abſentiam juſtitiæ, ubi debet eſſe juſtitia.

al. etiam ut cognoſcere jam quod cùm

al. debet

CAPUT XVII.*

al. pars 8. 18.

Cur deſertor Angelus non poſſit redire ad juſtitiam.

MAGIST.

CUm * poſuimus ſolam voluntatem beatitudinis præfato Angelo dari, vidimus eum nihil potuiſſe

Digitized by Google

velle aliud. *Disc* Apertè vidimus quod dicis.* *Mag.* An modò derelicta justitiâ, & remanente illa * sola voluntate, quæ priùs fuerat, beatitudinis, potest idem desertor ad voluntatem justitiæ redire per se ad quam non potuit, antequam daretur, venire? *Disc.* Sed modò multò minùs: tunc enim conditione naturæ non poterat habere; nunc verò merito quoque culpæ non debet habere. *Mag.* Nullo ergo modo potest habere justitiam à se, cùm non habet justitiam; quia nec antequam eam * accipiat, nec postquam eam deseruit. *Disc.* Non debet aliquid habere à se.

* l. Cap. 17.
al. solum
al. accepit
al. paul Cap. 17.

CAPUT XVIII.

Quomodo malus Angelus se fecit injustum, & bonus se justum: & quòd malus sic debet Deo gratias pro bonis, quæ accepit, & deseruit; sicut bonus, qui servavit accepta.

MAGIST.

NOnne aliquo modo, vel cùm * haberet, potuit ipse sibi dare justitiam? *Disc.* Quomodo potuisset? *Mag.* Pluribus modis dicimur facere: dicimur enim facere aliquid, cùm esse facimus rem: & cùm facere possumus ut non sit, & non facimus. Hoc itaque modo potuit ipse sibi dare justitiam, quia potuit sibi auferre eam, & potuit non auferre: quomodo ille, qui fecit in veritate in qua factus est, non fecit, cùm potuit, ut eam non haberet; & ita eam ipse sibi dedit, & totum hoc à Deo accepit: ab eo enim acceperunt ambo habere, & posse tenere, & posse deserere. Hoc ultimum ideo Deus dedit, ut possent sibi dare aliquo modo justitiam. Si enim nullo modo eam sibi possent auferre, nullo modo possent sibi dare. Qui ergo hoc modo sibi dedit eâ, hoc ipsâ à Deo accepit, ut sibi eam daret.* *Disc.* Video quia non auferendo potuerunt sibi dare justitiâ; sed alter sibi dedit, alter sibi abstulit. *Mag.* Vides ergo Deo parem eos * debere gratiam, * quantùm ad bonitatem ipsius: nec diabolum ideo minùs debere Deo reddere, quod Dei est; quia sibi abstulit quod Deus dedit, & noluit accipere quod Deus obtulit. *Disc.* Video. *Mag.* Semper igitur debet Deo gratias agere malus Angelus pro beatitudine, quam sibi abstulit; sicut bonus pro ea, quam sibi ipse dedit. *Disc.* Verissimum est. *Mag.* Æstimo quia animadvertis Deum nullo modo posse facere injustum, nisi injustum non faciendo justum, cùm possit. * Nam ante acceptam justitiam nullus est justus, vel injustus: & nullus post acceptam justitiam sit injustus, nisi sponte desertâ justitiâ. Sicut ergo bonus Angelus fecit se justum, non auferendo sibi justitiam, cùm potuit: ita Deus malum Angelum, * facit injustum, non reddendo ei justitiam, cùm possit. *Disc.* Facilè cognoscitur.

al. Cap. 18.
al. habere
al. cùm possit. Deus injustum facit, quando non fecit rectum, quem justum facere potest.
al Angelum. Angelum facit

CAPUT XIX.

*Quòd voluntas, in quantum * est, bonum sit; & nulla res * malum sit.*

al sit, bonum est
al. mala sit

MAGIST.

REdeamus ad considerationem voluntatis; & reminiscamur quod considerabamus, voluntatem, scilicet, beatitudinis, quicquid velit, non esse malum, sed esse bonũ * aliquod, antequam accipiat justitiam. Unde consequitur quia cùm deserit acceptam justitiam (si eadem essentia est, quæ prius erat) bonum est aliquod, quantùm ad hoc quod est; quantùm verò ad hoc quia justitia quæ fuit in illa, non est, dicitur mala & injusta. Nam si velle Deo similem esse, malum esset; Filius Dei non vellet similis esse Patri: aut velle quaslibet infimas voluptates, esset malum; mala diceretur voluntas brutorum animalium. Sed nec voluntas Filii Dei est mala, quia est justa; nec voluntas irrationalis mala dicitur, quia non est injusta. Unde sequitur nullam voluntatem esse malum, sed esse bonum in quantum est, quia opus Dei est; nec nisi in quantum est injusta, * malam esse: & quoniam nulla res mala dicitur, nisi mala voluntas, aut propter malam voluntatem: ut, malus homo, & mala actio: nihil est apertius, quàm nullam rem esse * malum, nec aliud esse malum, quàm absentiam justitiæ derelictæ, in voluntate, aut in aliqua re propter malam voluntatem.

al. aliquid
al. malam
al. malam

CAPUT XX.

Quomodo Deus faciat malas & voluntates & actiones: & quomodo accipiantur ab eo.

DISCIP.

SIc tua disputatio veris, & necessariis, apertisque rationibus concatenatur, ut nulla ratione, quod dicis, dissolvi posse videam: nisi quia video * aliquid consequi, quod nec dici debere credo, nec quomodo non * sit, si vera sunt quæ dicis, non video. Nam si velle esse similem Deo, non nihil, nec malum, sed quoddam bonum est; non nisi ab eo, à quo est omne * quod est, haberi potuit. Si ergo Angelus non habuit quod non accepit; quod habuit, ab illo accepit à quo habuit. Quid autem ab illo accepit; quod ille non dedit? Quare se habuit velle esse similem Deo; ideo habuit, quia Deus dedit. *Mag.* Quid mirum, si quemadmodũ * Deus dicitur inducere in tentationẽ, quando non liberat * ab ea; ita fatemur eum dare voluntatem malam, non prohibendo eam cùm potest: præsertim, cùm potestas volendi * quidlibet non nisi ab illo sit? *Disc.* Hoc modo non videtur esse inconveniens. *Mag.* Si ergo datio non est sine acceptione: quemadmodum non inusitatè dicitur dare, & qui sponte concedit, & qui non approbando permittit; ita non incongruè accipere dicitur, & qui concessa suscipit, & qui illicita præsumit. *Disc.* Nec incongruum, nec inusitatum mihi videtur quod dicis. *Mag* Quid ergo dicimus contra veritatem; si dicimus cùm diabolus voluit quod non debuit, hoc illum & à Deo accepisse, quia Deus permisit; & non accepisse, quia ille non consentit? *Disc.* Nihil * hîc repugnare videtur veritati. *Mag.* Cùm igitur diabolus convertit voluntatem ad quod non debuit; & ipsum velle, & ipsa conversio fuit aliquid; & tamen non nisi à Deo, & de Dei voluntate aliquid habuit: quoniam nec velle aliquid, nec movere potuit voluntatem, nisi illo permittente, qui fecit omnes naturas substantiales & accidentales, universiles & * individuas. In quantum enim voluntas, & conversio, sive motus voluntatis est aliquid; bonum est, & Dei est: in quantum verò justitiâ caret, sine qua esse non debet; non simpliciter malum, sed aliquid malum est: & quod malum est, non Dei, sed volentis, sive moventis voluntatem * est. Simplex quippe malum, est injustitia: quoniam non est aliud, quàm malum, quod nihil est. * Aliquid verò malum est natura, in qua est injustitia: quia est aliquid, & aliud quàm injustitia, quæ malum & nihil est. Quare quod aliquid est, à Deo fit, & Dei est; quod verò nihil est, id est, malum, ab injusto fit, & ejus est. *Disc.* Quòd quidem Deus naturas rerum omnium faciat, fatendum est: quod verò singulas actiones perversarum voluntatum, velut ipsũ pravum motum voluntatis, quo ipsa mala voluntas se movet, faciat, quis concedat? *Mag.* Quid mirum, si dicimus Deum facere singulas actiones, quæ fiunt malâ voluntate; cùm * fateamur eum facere singulas substantias, quæ fiunt injustâ voluntate & inhonestâ actione? *Disc.* Non habeo quid contradicam: quippe nec negare possum verè * aliquid esse quamlibet actionem; nec fateri volo non fieri à Deo, quod verè aliquam habet essentiam. Neque ista tua ratio ullo modo accusat Deũ, aut excusat diabolum? sed omnino Deũ

al. non fiat
al omne bonum, quod est
al. aliud
al. hoc
al individuas
al. aliud

ed by Google

excusat, & diabolum accusat. Sed vellem scire utrum idem desertor Angelus ita de se præciverit.

CAPUT XXI.

Quòd malus Angelus non potuit præscire se casurum esse.

MAGIST.

CUm quæris utrùm ille Angelus, qui non stetit in veritate, præsciverit se esse casurum; discernendum est de qua scientia dicas. Nam si de illa scientiâ quæritur, * quæ non est nisi cùm certâ ratione aliquid intelligitur, omnino respondeo non posse* sciri quod potest non esse. Quod enim non esse potest esse nequaquam certa potest colligi ratione. Quapropter constat illum nullatenus potuisse præscire casum suum, quem necesse non erat * esse futurum. Ponamus enim non fuisse futurum casum illum; an itaque putas præsciri potuisse, si futurus non erat? *Disc.* Videtur non posse præsciri, quod potest futurum non esse; nec posse non esse futurum, quod præscitur. Sed reminiscor nunc illius famosissimæ quæstionis de præscientia Divina, & libero arbitrio, quamvis enim tantâ auctoritate asseratur, & tantâ teneatur utilitate, ut nullatenus propter * ullam humanâ rationem dubitandum sit Divinam præscientiam, & liberum arbitrium sibi invicem consentire; tamen quantum ad rationis considerationem quæ videtur, * spectat, insociabiliter videntur dissentire: unde videmus in hac quæstione nonnullos sic in unam partem vergentes, ut alteram omnino deserant, undâ infidelitatis * submergente, perire; multos verò, velut contrariis ventis hinc inde contra invicem sustentando quassantibus, periclitari. Cùm * verò Divinam constet præscientiam esse omnium, quæ fiunt libero arbitrio, nec * aliquid horum sit ex necessitate: nihilominus videtur posse non esse futurum, quod præscitur. *Mag.* Breviter interim * hoc respondeo. Præscientia Dei non propiè dicitur præscientia: cui enim omnia semper sunt præsentia, non habet futurorum præscientiam, sed præsentium scientiam. Cùm ergo alia sit ratio de præscientia futuræ, quàm de præsentis rei scientia; non est necesse. Divinam præscientiam, & illam, de qua quærimus, eandem habere consequentiam. *Disc.* Assentio. *Mag.* Redeamus ad illam, quæ erat in manibus, quæstionem. *Disc.* Placet quod dicis: Sed eò pacto, ut cùm de illa, cujus mentionem * feci, quæsiero; mihi respondere quod inde Deus tibi dignabitur ostendere, non renuas. Valde namque necessaria est ejus solutio, si jam ab aliquo facta est, aut si fiat: fateor enim nondum alicubi, exceptâ Divinâ auctoritate, cui indubitanter credo, me legisse rationem, quæ mihi sufficeret ad ejusdem solutionis intellectum. *Mag.* Cùm ad illam veniemus, si fortè venerimus; erit sicut Deus dabit. Nunc autem, quoniam supra posità ratione patet apostatam Angelum non potuisse præscire ruinam suam, eâ præscientiâ, quam rei necessitas sequitur: accipe adhuc aliam rationem, quæ non solùm præscientâ, sed & æstimatione, aut qualibet suspicione suum eum præsensisse casum excludit. *Disc.* Hoc* expecto. *Mag.* Si adhuc in bona voluntate stans præsciebat se casurum; aut volebat ut ita fieret, aut * non volebat. *Disc.* Unum horum necesse est verum esse. *Mag.* Sed si cum præscientiâ voluntatem habebat aliquando cadendi; jam ipsâ mala voluntate ceciderat. *Disc.* Patet quod dicis. *Mag.* Non itaque volendo cadere, priùs scivit se casurum, quàm * cecidit. *Disc.* Non potest * aliquid objici conclusioni tuæ. *Mag.* * At si præsciebat se casurum, & nolebat; tantùm miser erat dolendo, quantùm * stare volebat. * *Disc.* Negari non potest. *Mag.* At tantò justior erat, quantò magis volebat stare, & quo erat justior, eo debebat esse felicior. *Discip.* Non potest negari. *Mag.* Ergo si nolendo præsciebat se casurum; tantò erat miserior, quantò debebat esse felicior: quod non convenit. *Disc.* Ita quidem consequi negare nequeo: sed hoc sæpe non solùm sine inconvenientia, sed & laudabiliter & supernâ gratiâ fieri cognoscitur: multotiens enim, ut pauca de incommodis justorum commemorem, quantò quis justior est, tantò majore doloris compassione de alieno casu afficitur. Sæpe * etiam cum, qui majorem habet injustitia constantiam, videmus ab injustis * immaniorem pati persequutionis instantiam. *Mag.* Non est eadem ratio in hominibus, & in illo Angelo. * Hominum enim natura, propter peccatum primi parentis, jam innumerabilium incommodorum facta est passibilis: ex qua passibilitate multis modis gratia nobis operatur incorruptibilitatem. Ille verò, adhuc nullo peccato præcedente, alicujus mali non * meruerat passionem. *Disc.* Satisfecisti objectioni meæ. Patet enim quia hæc ipsa ratio sicut separat ab ipso malo Angelo sui casûs præscientiam: ita nihilominus omnem segregat opinionem. *Mag.* Est & aliud quod mihi satis videtur ostendere nullo modo eum suam antè putavisse futuram prævaricationem. Nempe * aut coactam putavisset, aut spontaneam: sed nec ullatenus erat, unde se aliquando cogi suspicaretur; nec quandiu voluit in veritate perseverare, ullo modo putare potuit se solâ voluntate illam desertorum. Supra namque jam monstratum est eum, quandiu rectam voluntatem habuit, in hac ipsa voluntate voluisse perseverare. Quapropter volendo tenere perseveranter, quod tenebat; nullo modo video unde potuisset vel suspicari, nullâ aliâ accedente causâ solâ se illud desertorum voluntate. Non nego illum sciviſſe quia posset mutare voluntatem, quam tenebat: sed dico illum non potuisse putare quia aliquando, omni aliâ cessante causâ, sponte mutaret voluntatem, quam perseveranter tenere volebat. *Disc.* Qui diligenter intelligit quod dicis, patenter videt quia nullo modo scire vel putare potuit Angelus malus se facturum quod malè fecit.

CAPUT XXII.

Quòd scivit se non debere velle hoc quod volendo peccavit; & debere puniri si peccaret.

SEd & hoc volo ut pariter ostendas, si scivit se non debere velle quod prævaricando voluit. *Mag.* In hoc dubitare non debes, si supra dicta consideras. Si enim nesciisset se non debere velle quod injustè voluit; ignorasset se debere voluntatem tenere quam deseruit. Quapropter nec justus esset tenendo, nec injustus deserendo justitiam, quam nesciisset: immò nec poterat non velle plus quàm habebat, si nesciebat se debere esse contentum eo quod acceperat. Denique, quia ita rationalis erat, ut nullâ re prohiberetur uti ratione; non ignorabat quid deberet, vel non deberet velle. *Disc.* Rationem tuam non video posse infirmari: sed tamen inde mihi videtur quædam oriri quæstio. Si enim sciebat se non debere deserere quod acceperat; utique sciebat nihilominus se debere puniri, si desereret. Quomodo igitur sponte potuit velle unde miser esset; qui acceperat inseparabiliter velle * ut beatus esset?

CAPUT XXIII.

Quòd non debuit scire quia si peccaret, puniretur.

MAGIST.

SIcut certum est quia debere se puniri, si peccaret, ignorare non potuit; ita quia puniretur, si peccaret, scire non debuit. *Disc.* Quomodo hoc ignoravit; si ita rationalis erat, ut ejus rationalitas non impediretur veritatem cognoscere; sicut sæpe nostra im-

al. quæ non nisi — al. scire — Quod non esse si potest, sic certâ ratione aliquo non potest.
al. enim
al. videtur spectare
al. infidelitatis suæ
al. ergo
al. aliud
al. interim respondebo
al. faciamus
al. accepto
al. caderet
al. aliud
al. ac si
al. quantum magis
al. & quo ei erat justior: eo
al. majorem
al. invenerat
al. ut
al. debebat esse felicior

peditur, * gravante corruptibili corpore? *Mag.* Quia rationalis erat, potuit intelligere quia justè, si peccaret, puniretur. Sed quoniam judicia Dei abyssus multa, & investigabiles viæ ejus; nequivit comprehendere an Deus faceret quod justè facere posset. Sed & si quis dicat quia nullatenus credere potuit Deum creaturam suam propter ejus culpam damnaturum, quam tantâ suâ bonitate fecerat: præsertim, cùm nullum exemplum justitiæ ulciscentis injustitiam præcessisset, & certus esset * numerum, in quo * illi facti erant, qui Deo frui deberent, tantâ sapientiâ esse præstitutum; ut sicut nihil habebat superfluum, ita si minueretur, imperfectus esset; nec tam præclarum opus Dei ex aliqua parte permansurum imperfectum; nec ulla ratione scire posset si homo jam factus erat, Deum humanam naturam pro Angelica; aut Angelicam pro humana, si caderet, substituturū: sed potius unamquáque in id, ad quod facta erat; pro se, non pro alia * restituturum: aut si factus nondum homo erat, multo minùs putare posset ad substitutionem alterius naturæ illum esse faciendum. Si, inquam aliquis hoc dicat, quæ inconvenientia ineſt? * *Disc.* Mihi quidé videtur magis convenientia, quàm inconvenientia. *Mag.* Redeamus ad hoc quod dixeram, illum, scilicet, hanc non debuisse habere scientiam. Si enim sciviſſet; non posset volens & habens beatitudinem sponte velle unde miser esset: quare non esset justus, non volendo quod non deberet; quoniam non posset velle. Sed & hac ratione considera utrùm scire, quod quæris, debuerit: nam si sciisset; aut peccasset, aut non? *Disc.* Unum horum esset. *Mag.* Si prævisâ tantâ pœnâ, nullâ indigentiâ & nullâ re cogente peccasset; tantò magis puniendus esset. *Disc.* Ita est. *Mag.* Non ergo hæc præscientia illi expediebat. *Disc.* Verè peccaturo non expediebat præscire pœnam. *Mag.* Quòd si non peccasset; aut solâ bonâ voluntate non peccasset, aut timore pœnæ. *Disc.* Nihil aliud dici potest. *Mag.* Sed quoniam non cavisset peccatum solo amore justitiæ, ipso opere monstravit. *Disc.* Non est dubium. *Mag.* Si verò timore cavisset; non esset justus.

Angelus si timore tantò cavisset peccatum, non esset justus.

al. pars 2. 23.

CAPUT XXIV.*

Quòd etiam bonus Angelus hoc scire non debuit.

DISCIP.

PAlàm est nullo modo eum debuisse scire * indictam sibi pœnam suum sequuturam peccatum. Sed quoniam & eum Angelum, qui stetit, & eum qui non stetit in veritate, pari scientia præditos in prima conditione credimus: non video cur illi negata sit scientia ista, cui tam tenax erit bona voluntas, ut sufficeret ad cavendum peccatum. *Mag.* Non tamen posset, nec deberet contemnere pœnam, quam præsciisset. *Disc.* Sic videtur. *Mag.* Sicut ergo solus amor justitiæ, ita solum odium pœnæ sufficeret ad non peccandum. *Disc.* Nihil planius. *Mag.* Duas igitur habuisset causas non peccandi: unam honestam & utilem, alteram * non honestam & inutilem, id est, amorem justitiæ, & odium pœnæ. Nam non * est honestum solo odio pœnæ non peccare; & ad non peccandum inutile est odium pœnæ, ubi solus amor justitiæ sufficit. *Disc.* Non est quod possim objicere. *Mag.* Quid ergo; Nonne multò nitidiùs placet ejus perseverantia; cùm illa sola perseverandi causa videtur in illo, quæ ut illis est & honesta quia spontanea; quàm si simul sese illa ostenderet, quæ inutilis & inhonesta, quia necessaria intelligitur? * *Disc.* Sic patet quod dicis, ut quod paulò antè volebam eum sciviſſe, nunc gaudeam eum nesciviſſe: quia nunc eandem eum negare non possumus habere scientiam, quam ipso Angeli peccantis exemplo ignorare non potest. *Mag.* Quòd nunc uterque, scilicet, bonus Angelus, & malus, certus est quia talem culpam talis sequitur pœna; sicut scientia est ambobus diversa. ita est scientiæ causa non eadem, & finis dissimilis. Nam quod ille scit ipso sui experimento, hoc iste didicit solo alterius exemplo: sed ille * illo modo, quia non perseveravit; iste alio modo, quia perseveravit. Quapropter sicut illi, quoniam vituperabiliter non perseveravit, scientia sua est ad * contumeliam: ita isti quoniam perseveravit, scientia * sua est ad gloriam. Si ergo * isti dicitur hoc solo, quia hanc habet scientiam, jam peccare non posse: satis patet quia, sicut gloriosa est scientia, quæ ex laudabili perseverantia est comparata; sic ad gloriam est impotentia peccandi, quæ ex gloriosa scientia est nata. Quemadmodum ergo malus Angelus vituperandus est, quia non potest ad justitiam redire: ita iste laudandus est, quia non potest abire. Sicut enim ille jam redire non potest, quia sola mala voluntate abiit: sic iste jam abire non potest, quia sola bona voluntate permansit. Palàm igitur est quia sicut illi non posse recuperare, quod deseruit, est pœna peccati; ita huic non posse desere re quod tenuit, est præmium justitiæ.

al. in numerum

al. futuri erant

al. restituturum

al. enim

al. id eo

al. pœnam quia iste qui

CAPUT XXV.

*Quòd ille etiamsi hoc solo dicitur jam non posse peccare, quia nunc habet * hanc scientiam ex casu diaboli; tamen illi sit ad gloriam.*

VAlde pulchra esset hujus scientiæ atque impotentiæ tua ista contemplatio; si, quemadmodum asseris, ideo bono Angelo eadem scientia & impotentia, quia perseveravit, contigisent. Non enim eas adeptus esse videtur, quia ipse perseveravit: sed quia desertor non perseveravit. *Mag.* Si ita est ut dicis; gaudere potest bonus Angelus de casu apostatæ Angeli, utpote cui expediebat ut ille caderet: quoniam adeptus est hanc scientiam, qua nec peccare, nec miser esse ampliùs possit, non quia ipse benè meruit; sed quia alius malè meruit: quæ omnia sunt nimiâ absurditate plena. *Disc.* Quantò absurdius videtur, sicut tu monstras, stanti Angelo profuisse casum peccantis; tantò magis necessarium est ut ostendas istum non ideo adeptum esse scientiam, de qua agitur, quia ille peccavit. *Mag* Non debes dicere ideo bonum Angelum ad scientiam profeciſse hanc, quia malus peccavit; sed bonum Angelum ideo profeciſse ad hanc scientiam exemplo cadentis, quia * ille peccavit. Si enim neuter peccasset; utrique daturus erat Deus eandem scientiam merito perseverantiæ, alio modo sine alicujus cadentis exemplo. Nullus enim * dicet Deum non alio modo potuisse Angelis suis hanc dare scientiam. Cùm ergo ille peccavit, exemplo ejus istum docuit, quod docturus erat; non impotentiâ, quia alio modo non potuit; sed majore potentiâ, qua de malo bonum facere potuit; ut nec malum inordinatum in regno omnipotentis sapientiæ permaneret. *Disc.* Placet mihi valde quod dicis. *Mag.* Patet itaque si bonus Angelus hoc solo jam peccare non posset, quia scit peccatum mali Angeli pœnam secutam esse; quò tamen hæc impotentia non illi esset ad imminutionem laudis; sed ad præmium servatæ justitiæ. Sed scis quia supra claruit eum idcirco peccare non posse, quoniam merito perseverantiæ * adeo provectus est, ut jam non videat quid plus velle queat. *Disc.* Nihil excidit eorum, quæ * supra, ratione investigante, comperimus, à memoria mea.

al. illi non peccavit.

al. dicit

al. à Deo perfectus

c. 24.

CAPUT

CAPUT XXVI.

**Quid horremus audito nomine mali; & quid * facit opera, quæ * dicitur injustitia facere, cùm ipsa & malum nihil sit.*

al. quòd
al. faciat
al. videtur

SEd cùm omnibus quæstionibus meis satisfeceris; illud adhuc expecto aperiri, * quid sit quòd horremus audito nomine mali; & quid faciat opera, quæ injustitia, quæ malum est, videtur facere, ut, in raptore, in libidinoso; cùm malum nihil sit. *Mag.* Breviter tibi * respondeo. Malum, quod est injustitia, semper nihil est; malum verò, quod est incommoditas, aliquando sine dubio est nihil, ut, cæcitas; aliquando est aliquid, ut, tristitia, & dolor. Et hanc incommoditatem, quæ est aliquid, semper odio habemus. Cùm itaque audimus nomen mali; non malum, quod nihil est, timemus; sed malum, quod aliquid est, quod absentiam boni sequitur. Nam injustitiam & cæcitatem, quæ malum & nihil sunt, sequuntur multa incommoda, quæ malum & aliquid sunt: & hæc sunt quæ horremus audito nomine mali. Cùm autem dicimus quia injustitia facit rapinam, aut cæcitas facit hominem cadere in foveam: nequaquam intelligendum est quòd injustitia aut cæcitas faciant aliquid: sed quòd si justitia esset in voluntate, & visus in oculo; nec rapina fieret, nec casus in foveam. Tale est, cùm dicimus: absentia gubernaculi impellit navem in scopulos, aut, absentia fræni facit equum discurrere: quod non est aliud, quàm, si gubernaculum * adesset navi, & frænum equo; nec venti navem impellerent, nec equus discurreret. Sicut namque gubernaculo navis, & fræno regitur equus; sic justitiâ gubernatur voluntas hominis, & visu pedes.

al. respondebo

al. quod

CAPUT XXVII.

Unde venit malum in Angelum, qui bonus erat.

DISCIP.

SIc mihi de malo, * quod est injustitia, satisfeciſti; ut jam * omnis in corde meo, quæ de illo inesse solebat, quæstio sit decisa. De hoc enim malo quæstio nasci videtur, quoniam si esset aliqua essentia; esset à Deo, à quo necesse est esse omne, quod aliquid est, & impossibile est * esse peccatum sive injustitiam. De malo verò, quod est incommoditas, si aliquando est * aliquid, nihil video rectæ fidei obviare. Sed ne tæceat te breviter respondere fatuæ interrogationi meæ, ut sciam qualiter hoc ipsum quærentibus respondeam: quippe non semper facile est * insipienti insipienter

al. quæ
al. omnes solebant, quæstiones sunt decisæ

al. est nihil aliquid video

A quærenti, sapienter respondere. Quæro igitur unde primum venit malum, quod dicitur injustitia, sive peccatum, in Angelum, qui factus est justus? *Mag.* Dic tu mihi unde venit nihil in aliquid? *Disc.* Nihil nec venit, nec recedit. *Mag.* Cur ergoquæris unde venit injustitia, quæ nihil est? *Disc.* Quia quando justitia * recedit inde ubi erat; dicimus accedere injustitiam. *Mag.* Dic ergo quod magis propriè & apertiùs dicitur: & quære de abscessu justitiæ. Siquidè sæpe apta interrogatio expedit responsionem, & inepta reddit impediliorem. *Disc.* Cur ergo recessit ab Angelo justo justitia? *Mag.* Si propriè vis loqui, non recessit ab eo; sed ipse deseruit eam, volendo quod non debuit. *Disc.* Cur deseruit eam? *Mag.* Cùm dico quia volendo quod non debuit, eam deseruit; apertè ostendo cur & * quomodo illam deseruit. Nam ideo illam deseruit, quia voluit quod velle non debuit; & hoc modo id volendo quod non debuit illam deseruit. B *Disc.* Cur voluit quod non debuit? *Mag.* Nulla causa præcessit hanc voluntatem, nisi quia velle potuit. *Disc.* An ideo voluit, quia potuit? *Mag.* Non: quia similiter * potuit bonus Angelus velle; nec tamen * voluit. Nam nullus vult, quod velle potest, ideo quia potest. *Disc.* Cur ergo voluit? *Mag.* Non nisi quia voluit. Nam hæc voluntas nullam aliam habuit causam, qua impelleretur aliquatenus, aut attraheretur: sed * ipsa sibi efficiens causa fuit, si dici potest, & effectus.

al. recedat

al. potest

al. ipsa

CAPUT XXVIII.

Quòd potestas volendi quod non debuit, bona fuit semper; & ipsum velle, bonum; quantùm ad esse.

DISCIP.

C SI potestas ipsa volendi, & ipsum velle, fuit * aliquid; bonum fuit; & à Deo. *Mag.* Utrunque fuit aliquid: & potestas quidem non nisi bonum aliquid, & spontaneum donum Dei; velle autem * secundùm essentiam, bonum: sed quoniam * injustè; factum est malum, & tamen à Deo fuit, à quo est omne quod aliquid est. Nempe non solùm hoc habet aliquis à Deo, quod Deus sponte dat; sed etiam quod injustè rapit, Deo permittente. Et sicut dicitur Deus facere, quod permittit fieri: ita dicitur dare, quod permittit rapi. Quoniam igitur, permittente Deo Angelus malus per rapinam usus est potestate à Deo sponte data, à Deo habuit * ipsum uti, quod non est aliud, quàm ipsum velle. Non est enim aliud velle, quàm uti potestate volendi; sicut idem est loqui, & uti potestate loquendi.

al. fuit aliquod bonum: fuit à Deo

al. non justè

al. habuit ut

Digitized by Google

SANCTI ANSELMI
CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI
LIBRI DUO
Cur Deus Homo.

PRÆFATIO.

OPUS ſubditum * propter quoſdam, qui antequam perfectum & exquiſitum eſſet, primas partes ejus, me neſciente, ſibi tranſcribebant, feſtinantiùs quàm mihi opportunum eſſet, ac ideo breviùs quàm vellem, ſum coactus, ut potui, conſummare. Nam plura, quæ tacui, inſeruiſſem & addidiſſem; ſi in quiete & congruo ſpatio illud mihi edere licuiſſet. In magna enim cordis tribulatione, quam unde & cur paſſus ſim, novit Deus, illud * in Anglia rogatus incepi, & in Capuana provincia peregrinus perfeci. Quod ſecundùm materiam, de qua editum eſt, *cur Deus Homo* nominavi; & in duos libellos diſtinxi. Quorum prior quidem infidelium reſpuentium Chriſtianam fidem, quia rationi putant illam repugnare, continet objectiones, & fidelium reſponſiones: ac tandem remoto Chriſto (quaſi nunquam aliquid fuerit de illo) probat rationibus neceſſariis eſſe impoſſibile ullum hominem ſalvari ſine illo. In ſecundo autem libro ſimiliter, quaſi nihil ſciatur de Chriſto, monſtratur non minùs apertâ ratione & veritate naturam humanam ad hoc inſtitutam eſſe, ut aliquando immortalitate beata totus homo, id eſt, in corpore & in anima frueretur: ac neceſſe eſſe ut hoc fiat de homine, propter quod factus eſt; ſed non niſi per hominem Deum, atque ex neceſſitate omnia, quæ de Chriſto credimus, fieri oportere. Hanc Præfatiunculam cum capitulis totius operis, omnes, qui librum hunc tranſcribere volent, ante ejus principium, ut præfigant, poſtulo: quatenus in cujuſcumque manus venerit, quaſi in ejus fronte aſpiciat ſi quid in toto corpore ſit, quod non deſpiciat.

* Occaſione operis

* Hos libros in Anglia cœpit, & in Campania provincia perfecit ad Deum opem.

SANCTI ANSELMI
CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI
LIBER PRIMUS.
Cur Deus Homo.

CAPUT PRIMUM.

Quæſtio de qua totum opus pendet.

SÆPE & * ſtudioſiſſimè à multis rogatus ſum & verbis, & literis; quatenus cujuſdam quæſtionis de fide noſtra rationes, quas ſoleo reſpondere quærentibus, memoriæ ſcribendo * commendarem: dicunt enim ſibi placere eas; & arbitrantur * ſatisfacere. Quod * petunt, non ut per rationem ad fidē accedant? ſed ut eorum, quæ credunt, intellectu & contemplatione delectentur: & ut ſint, quantùm poſſunt, parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti ſe rationem de ea, quæ in nobis eſt, ſpe. Quam quæſtionem ſolent & infideles nobis, ſimplicitatem Chriſtianam quaſi fatuam deridentes, objicere; & fideles multi in corde verſare: qua, ſcilicet, ratione vel neceſſitate Deus homo factus ſit; & morte ſua, ſicut nos credimus & confitemur, mūdo vitam reddiderit. Cùm* hoc aut per aliam perſonam, ſive* Angelicam, ſive humanā, aut ſolâ voluntate facere potuerit. De qua quæſtione non ſolùm literati; ſed etiam illiterati multi quærunt & rationem ejus deſiderant. * Quoniam ergo multi de hac * tractari poſtulant; & licet in * quærendo, valde videatur difficilis; in ſolvendo tamen omnibus eſt intelligibilis, & propter utilitatem * rationiſque pulchritudinem amabilis: quamvis à ſanctis Patribus inde, quod ſufficere debeat, dictum ſit; tamen de illa

* al. & veritatis

Digitized by Google

curabo. quod mihi Deus dignabitur aperire, petentibus ostendere. Et quoniam ea, quæ per interrogationem & responsionem investigantur, multis & maximè tardioribus ingeniis magis patent, & ideo plus placent : unum ex illis, qui hoc flagitant, qui inter alios instantiùs ad hoc me sollicitat, accipiam mecum disputantem; ut * *Boso* quærat, & *Anselmus* respondeat hoc modo.

Monachus quidam Prior, & postea Abbas Beccensis fuit : ad quem S. Anselmus scripsit opus lib. 2. de Incarnatione Verbi.

CAPUT II.

Quomodo accipienda sunt ea, quæ dicenda sunt.

BOSO.

Profunda fidei prius credenda, quàm ratione discutienda.

Negligentia arguitur, qui quod credit, non diligit ut intelligat.

SIcut rectus ordo exigit ut profunda Christianæ fidei credamus, priusquam ea præsumamus ratione discutere : ita negligentia mihi videtur, si postquam confirmati sumus in fide, non studemus quod credimus intelligere. Quapropter quoniam, gratiâ Dei præveniente, fidem nostræ redemptionis sic puto me tenere; ut etiam si nulla ratione quod credo possim comprehendere; nihil tamen sit, quod me ab ejus firmitate valeat evellere : à te peto mihi aperiri quod, ut scis, plures mecum petunt : quâ necessitate, scilicet, & ratione Deus, cùm sit omnipotens, humilitatem & infirmitatem humanæ naturæ pro ejus restauratione assumpserit. *Ansel.* Quodquæris à me, supra me est; & idcirco altiora me tractare timeo; ne fortè cùm putaverit, aut etiam viderit aliquis me non sibi satisfacere; plus existimet rei veritatem mihi deficere, quàm intellectum meum ad eam capiendam non sufficere. *Boso.* Non hoc tantùm timere debes, quantùm & reminisci; quia sæpe contingit in colloquendo de aliqua quæstione, ut Deus aperiat quod priùs latebat; & sperare de gratia Dei quia si ea quæ gratis accepisti, libenter impartiris; altiora, ad quæ nondum attigisti, mereberis accipere. *Ansel.* Est & aliud propter quod video aut vix aut nullatenus posse ad plenum inter nos de hac re nunc tractari : quoniam ad hoc est necessaria notitia potestatis, & necessitatis, & voluntatis, & aliarum quarundam rerum, quæ sic se habent, ut earum nulla possit plenè sine aliis considerari; & ideo tractatus earum suum opus postulat, non multùm, ut puto, facile, nec omnino inutile : nam earum ignorantia quædam facit difficilia, * quæ per earum notitiam fiunt facilia. *Bos.* Sic breviter de his, suis locis dicere poteris? ut & quod sufficiat ad præsens opus habeamus; & quod plus dicendum est, in aliud tempus differamus. *Ans.* Hoc quoque multùm * me retrahit à petitione tua quia materia non solùm pretiosa, sed sicut est de * speciosa *formâ præ filiis hominum* : sic etiam est de speciosa ratione super intellectus hominû : unde timeo ne, quemadmodum ego soleo indignari pravis pictoribus, cùm ipsum Dominum nostrum informi figura pingi video, ita mihi contingat, si tam decoram materiam incompto & contemptibili dictamine exarare præsumo. *Bos.* Nec hoc te debet retrahere : quia sicut tu permittis ut qui potest, meliùs dicat; sic nulli præstituis ut, cui dictamen tuum non placet, pulchrius non scribat : verùm, ut omnes excusationes tuas excludam, quod postulo non facies doctis; sed mihi, & hoc ipsum mecum petentibus. *Ans.* Quoniam video importunitatem tuam & illorum, qui hoc tecum ex charitate & religioso studio petunt : tentabo pro mea possibilitate, (Deo adjuvante & vestris orationibus, quas hoc postulantes sæpe mihi petenti ad hoc ipsum promisistis) quod quæritis non tam ostendere, quàm tecum quærere; sed eo pacto, quo omnia, quæ dico, accipi volo : videlicet, ut si quid dixero quod major non confirmet autoritas, quamvis illud ratione probare videar; non alia certitudine accipiatur, nisi quia * interim mihi ita videtur, donec mihi * Deus melius aliquo modo revelet. Quod si aliquatenus quæstioni tuæ satisfacere potero; certum esse debebit quia & sapientior me plenius hoc facere poterit : imò sciendum est quicquid homo inde dicere vel * scire possit, altiores tamen rei adhuc latere rationes. *Bos.* Patere igitur ut verbis utar infidelium : æquum enim est ut, cùm nostræ fidei rationem studemus inquirere, * ponamus objectiones eorum, qui nullatenus ad fidem eandem sine ratione volunt accedere. Quamvis enim illi ideo rationem quærant, quia non credunt; nos verò, quia credimus; unum idemque tamen est, quod quærimus : & si quid responderis, cui auctoritas sacra obsistere * videatur, liceat mihi illam * obtendere; quatenus quomodo non obsistat, aperias. *Ans.* Dic quod tibi videtur.

al. omnia quæ

al. speciosa

Studiosa Anselmi.

al. 2 omit. interim

al. omit.

al. scire

al. ponam

al. contraire

al. ostendere

CAPUT III.

Objectiones infidelium, & responsiones fidelium.

BOSO.

OBjiciunt nobis deridentes simplicitatem nostram infideles; quia Deo facimus injuiam & contumeliam, cùm eum asserimus in uterum * mulieris descendisse, natum esse de fœmina, lacte & alimentis humanis nutritum crevisse : &, ut multa alia taceam, quæ Deo * non videntur convenire, lassitudinem, famem, sitim, verbera, & inter latrones crucem mortemque * subiisse. *Ansel.* Nos non facimus Deo injuriam ullam aut contumeliam : sed toto corde gratias agentes, audamus & prædicamus ineffabilem altitudinem * misericordiæ illius : * quia quantò nos mirabiliùs, & præter opinionem, de tantis & tam debitis malis, in quibus eramus, ad tanta & tam indebita bona, * quæ perdideramus, restituit; tanto majorem dilectionem erga nos, & pietatem monstravit. Si enim diligenter considerarent quàm convenienter hoc modo procurata sit humana restauratio, non deriderent nostram simplicitatem; sed Dei nobiscum laudarent sapientem benignitatem. Oportebat namque ut sicut per hominis inobedientiam mors in humanum genus intraverat; ita per hominis obedientiam vita restitueretur. Et quemadmodum peccatum, quod fuit causa nostræ damnationis, initium habuit à fœmina; sic * nostræ * justitiæ & salutis auctor nasceretur de fœmina : & ut diabolus, qui per gustum ligni quem persuasit, hominem vicerat, ita per passionem ligni, quam intulit, ab homine vinceretur. Sunt quoque alia multa quæ studiosè considerata * ineffabilem quandam nostræ redemptionis, hoc modo procuratæ, pulchritudinem ostendunt.

al. virginis

al. fabricavit

al. omit. misericordiæ al. ejus

al. per quæ deciderameus

al. verus

al. incomprehensibilem vel venerabilem

CAPUT IV.

Quòd hæ responsiones videantur infidelibus sine necessitate, & quasi quadam pictura.

BOSO.

OMnia hæc pulchra & quasi quædam picturæ suscipienda sunt : sed si non sit aliquid solidum super quod sedeant, non videntur infidelibus sufficere cur Deum ea, quæ dicimus, pati voluisse credere debeamus. Nam qui picturam vult facere, aliquid eligit solidum super quod pingat, ut maneat quod pingit. Nemo enim pingit in aqua vel in aëre; quia ibi nulla manent picturæ vestigia. Quapropter cùm has convenientias, quas dicis, infidelibus quasi quasdam picturas rei gestæ obtendimus; quoniam non rem gestam, sed figmentum arbitrantur esse quod credimus; quasi super nubem pingere nos existimant. Monstranda est ergo prius veritatis * rationabilis soliditas, id est, necessitas, quæ * probet Deum ad ea, quæ prædicamus, debuisse aut * potuisse humiliari. Deinde, ut * ipsum quasi corpus veritatis plus niteat; istæ convenientiæ, quasi picturæ corporis

al. probans

al. omit. potuisse

al. ipso ubi usum

by Google

sunt exponendæ. *Anſel.* Nonne ſatis neceſſaria ratio videtur cur Deus ea, quæ dicimus, facere debuerit: quia genus humanum, tam * ſcilicet pretioſum opus, ejus omnino perierat; nec decebat ut quod Deus de homine propoſuerat, penitus annihilaretur: nec idem ejus propoſitum ad effectum duci poterat, niſi genus humanum ab ipſo Creatore ſuo liberaretur?

CAPUT V.

Quòd redemptio hominis non potuit fieri per aliam, quàm per Dei perſonam.

B o s o.

HÆc ipſa liberatio ſi per aliam, quàm per Dei perſonam (ſive per Angelum, ſive per hominem) eſſe facta quolibet modo diceretur; mens * humana hoc multò tolerabiliùs acciperet. Potuit enim Deus hominem aliquem facere ſine peccato, non de maſſa peccatrice, nec de * aliquo homine; ſed ſicut fecit * Adam: per quem hoc ipſum opus fieri potuiſſe videtur. *Anſelm.* An non intelligis quia quæcunque alia perſona hominem à morte æterna redimeret, ejus ſervus idem homo rectè judicaretur? Quod ſi eſſet; nullatenus reſtauratus eſſet in illam dignitatem, quam habiturus erat, ſi non peccaſſet: cùm ipſe, qui non niſi Dei * ſervus & æqualis Angelis bonis per omnia futurus erat, ſervus eſſet ejus, qui Deus non eſſet, & * cujus angeli ſervi non eſſent.

al. alio

al. fecit Deus Adam

al. cui

CAPUT VI.

Qualiter reprehendant infideles quod dicimus Deum morte ſua nos redemiſſe, & ſic dilectionem ſuam erga nos oſtendiſſe, & pro nobis expugnare diabolum veniſſe.

B o s o.

HOc eſt quod valde mirantur, quia liberationem hanc redemptionem vocamus. In qua namque, aiunt nobis, captione, aut in quo carcere aut in cujus poteſtate tenebamini; unde vos Deus non potuit liberare, niſi vos tot laboribus & ad ultimum ſuo ſanguine redimeret? Quibus cùm dicimus: redemit nos à peccatis, & ab ira ſua, & de inferno, & de poteſtate diaboli; quem quia nos non poteramus, ipſe pro nobis venit expugnare, & redemit nobis regnum cœlorum: & quia hæc omnia * hoc modo fecit; oſtendit quantùm nos diligeret: Reſpondent: Si dicitis quia Deus hæc omnia facere non potuit ſolo juſſu, quem cuncta jubendo creaſſe dicitis; repugnatis vobiſmetipſis: quia impotentem illum facitis. Aut ſi fatemini quia potuit, ſed non voluit niſi hoc modo; quomodo ſapientem illum * offendere * poteſtis quem ſine ulla ratione tam indecentia velle pati aſſeritis? Omnia enim hæc, quæ obtenditis, in ejus voluntate conſiſtunt: ira namque Dei non eſt aliud, quàm voluntas puniendi. Si ergo non vult punire peccata hominum; liber eſt homo à peccatis, & ab ira Dei, & ab inferno, & à poteſtate diaboli, quæ omnia propter peccata patitur; & recipit ea, quibus propter eadem peccata privatur. Nam in cujus poteſtate eſt infernus, aut diabolus; aut cujus eſt regnum cœlorum, niſi ejus qui fecit omnia? Quæcunque itaque timetis aut deſideratis, ejus voluntati ſubjacent cui nihil reſiſtere poteſt. Quapropter ſi humanum genus ſalvare noluit, niſi * eo, quo dicitis, modo; cùm ſola voluntate * potuerit: ut * mittis dicam videte quomodo ejus ſapientiæ repugnatis. Nam ſi homo, quod facilè poſſet, id cum gravi labore ſine ratione faceret; non utique ſapiens ab ullo judicaretur. Quippe quod dicitis Deum taliter oſtendiſſe quantùm vos diligeret, nulla ratione defenditur; ſi nullatenus hominem aliter potuiſſe ſalvare non monſtratur. Nam ſi aliter non potuiſſet; tunc forſitan neceſſe eſſet ut hoc modo ſuam dilectionem oſtenderet: nunc verò, cùm aliter poſſit ſalvare hominem; quæ ratio eſt ut, propter oſtendendam dilectionem ſuam, ea, quæ dicitis, faciat & ſuſtineat? An enim non oſtendit Angelis bonis quantùm eos diligat, pro quibus talia non ſuſtinet? Quod verò eum dicitis venille expugnare pro vobis diabolum, quo ſenſu audetis proferre? Nonne * Dei omnipotentia regnat ubique? Quomodo ergo indigebat Deus, ut ad vincendum diabolum de cœlo deſcenderet? Hæc nobis infideles objicere poſſe videntur.

al. Deus

CAPUT VII.

*Quòd nullam diabolus habebat juſtitiam adversùs hominem; & quare * videatur * habuiſſe, & cur Deus hoc modo hominem * liberaverit.*

al. dicatur

al. liberatum

SEd & illud, quod dicere ſolemus, Deum, ſcilicet, debuiſſe priùs per juſtitiam contra diabolum agere ut liberaret hominem; quàm per fortitudinem: ut, cùm diabolus eum, in quo nulla mortis erat cauſa, & qui Deus erat, occideret; juſtè poteſtatem, quam ſuper peccatores habebat, amitteret: alioquin injuſtam violentiam * feciſſet illi, quoniam juſtè poſſidebat hominem, quem non ipſe violenter attraxerat, ſed idem homo ſe ſponte ad illum contulerat: non video quam vim habebat. Nam ſi * diabolus aut homo ſuus eſſet aut alterius quàm Dei; aut in alia quàm in Dei poteſtate maneret; forſitan hoc rectè diceretur: cùm autem diabolus aut homo non ſit niſi * Dei, & extra poteſtatem Dei neuter conſiſtat; quam cauſam debuit Deus agere cum ſuo, de ſuo, in ſuo; niſi ut ſervum ſuum puniret, qui ſuo conſervo communem Dominum deſerere, & ad ſe perſuaſiſſet tranſire, ac traditor fugitivum, fur furem cum furto Domini ſui ſuſcepiſſet? Uterque namque fur erat; cùm alter, altero perſuadente, ſeipſum Domino ſuo furabatur. Quid enim juſtius fieri poſſet, ſic hoc Deus faceret? Aut ſi judex omnium Deus hominem ſic poſſeſſum, de poteſtate tam injuſtè poſſidentis, vel ad puniendum * illum aliter quàm per diabolum, vel ad parcendum illi, eriperet: quæ hæc injuſtitia eſſet? Quamvis enim homo juſtè a diabolo torqueretur; ipſe * tamen illum injuſtè torquebat. Homo namque meruerat ut puniretur, nec ab ullo convenientiùs, quàm ab illo cui conſenſerat ut peccaret. Diaboli verò meritum nullum erat, ut puniret: imò hoc tantò faciebat injuſtiùs; quantò non ad hoc amore juſtitiæ trahebatur; ſed inſtinctu malitiæ impellebatur. Nam hoc non faciebat Deo jubente, ſed incomprehenſibili ſapientia ſua, * quâ mala etiam benè ordinat, permittente. Et puto illos, qui diabolum aliquam opinantur habere in poſſidendo * homine juſtitiam, ad hoc inde adduci, quia vident hominem diaboli vexationi ſubjacere juſtè, & Deum hoc juſtè permittere; & idcirco putant diabolum illam juſtè inferre. Contingit enim idem aliquid diverſis conſiderationibus eſſe juſtum & injuſtum; & ob hoc à * non diligenter intuentibus, totum juſtum aut injuſtum judicari. Evenit enim ut aliquis innocentem percutiat injuſtè, unde ipſe juſtè percuti mereatur; ſi tamen percuſſus * vindicare ſe non debet, & percutit percutientem ſe, injuſtè hoc facit. Hæc igitur percuſſio ex parte repercutientis injuſta eſt; quia non debuit ſe vindicare: ex parte verò percuſſi juſta; quia injuſtè percutiens, juſtè percuti meruit. Diverſo igitur intuitu juſta & injuſta eſt eadem actio, * quia contingere poteſt ab alio judicari juſtam tantùm, ab alio injuſtam. Hoc * itaque modo diabolus * dicitur juſtè vexare hominem; quia Deus hoc juſtè permittit, & homo hoc

Homo poſſ peccatis juſtè à diabolo torqueri; ſed diabolum hominem injuſtè torquere.

al. quæ

al. hominem

al. non

al percuſſus; qui non debet ſe vindicare, percutias

al. quam

al. quoque

justè patitur. Sed & hoc, quòd homo justè dicitur pati, non suâ justitiâ justè dicitur pati; sed quia punitur justo judicio Dei. At si obenditur chirographum illud decreti quod adversum nos dicit Apostolus fuisse, & per mortem Christi deletum esse; & putat aliquis per illud significari quia diabolus, quasi sub cujusdam pacti chirographo ab homine justè ante passionem Christi peccatum, velut usuram primi peccati quod persuasit homini, & pœnam peccati, exigeret; ut per hoc justitiam suam super hominem videatur probare: nequaquam ita intelligendum puto. Quippe chirographum illud non est diaboli: quia chirographum dicitur decreti; decretum autem illud non erat diaboli, sed Dei. Justo namque judicio Dei decretum erat, & quasi chirographo confirmatum, ut homo, qui sponte peccaverat, nec peccatum nec pœnam peccati per se vitare posset: est enim spiritus vadens, & non rediens: &; *qui facit peccatum servus est peccati*; nec qui peccat, impunitus debet dimitti, nisi misericordia peccatori parcat, & eum liberet ac reducat. Quamobrem per hoc chirographum nullam inveniri posse diaboli justitiam in hominis vexatione credere debemus. Denique sicut in bono Angelo nulla omnino est injustitia; ita in malo nulla est penitus justitia. Nihil igitur erat in diabolo, cur Deus contra illum ad liberandum hominem sua uti fortitudine non deberet.

Colos. 2. v. 14.

Psal. 77.

Joan. 8. v. 34.

Diabolus nullam justitiam habet ad vexandum hominem.

CAPUT VIII.

Quomodo licèt humilia, quæ dicimus de Christo, non pertinant ad Divinitatem; tamen inconvenientia videatur infidelibus ea de illo dici secundùm hominem: & unde illis videatur idem homo non sponte mortuus esse.

ANSEL.

SUfficere nobis debet ad rationem voluntas Dei, cùm aliquid facit; licèt non videamus, cur * ita velit: voluntas namque Dei numquam est irrationabilis. *Bos.* Verum est, si constat Deum id velle unde agitur: nequaquam enim acquiescunt multi Deum aliquid velle, si * rationi repugnare videtur. *Anſ.* Quid tibi videtur repugnare rationi, cùm Deum ea voluisse fatemur, quæ de ejus Incarnatione credimus. *Bos.* Ut breviter dicam: Altissimum ad tam humilia inclinari, omnipotentem aliquid facere cum tanto labore. *Anſ.* Qui hoc dicunt non intelligunt quod credimus. Divinam enim naturam absque dubio asserimus impassibilem; nec ullatenus posse à sua celsitudine humiliari; nec in eo quod vult facere, labore. Sed Dominum Jesum Christum dicimus Deum verum & verum hominem: unam personam in duabus naturis, & duas naturas in una persona. Quapropter cùm dicimus Deum aliquid humile aut infirmum pati; non hoc intelligimus secundùm sublimitatem impassibilis naturæ; sed secundùm infirmitatem humanæ substantiæ, quam gerebat: & sic nostræ fidei nulla ratio obviare cognoscitur. Sic enim nullam Divinæ substantiæ significamus humilitatem; sed unam Dei & hominis monstramus esse personam. Non ergo * in Incarnatione Dei humilitas ejus ulla intelligitur facta; sed natura hominis creditur exaltata. *Bos.* Ita fit: nihil imputetur divinæ naturæ, quod secundùm infirmitatem hominis de Christo dicitur: verùm * quomodo justum aut rationabile probari poterit quia Deus hominem illum, quem Pater Filium suum dilectum, in quo sibi bene complacuit, vocavit, & quem Filius seipsum fecit, sic tractavit aut tractari permisit? Quæ autem justitia est hominem omnium justissimum * morti tradere pro peccatore? Quis homo, si innocentem damnaret ut nocentem liberaret, damnandus non judicaretur? Ad idem enim * res deduci videtur inconveniens, quod supra dictum est. Nam si aliter pecca-

In Dei operibus, nobis obscuris, sufficere debet pro ratione scire quia ea vult Deus, quia Dei voluntas nullam habet irrationabilitatem.

Natura divina est impassibilis, nec humiliari, nec laborare potest.

Cum dicimus Deum aliquid pati, nullam Divinæ substantiæ significamus humilitatem; sed unam Dei & hominis monstramus esse personam.

al. ergo

CAPUT IX.

Quòd sponte mortuus sit: & quid sit, factus est obediens usque ad mortem: &, propter quod Deus illum exaltavit: &, non venit facere voluntatem meam: &, proprio Filio suo non pepercit: &, non sicut ego volo; sed sicut tu vis.

ANSEL.

UT mihi videtur, non bene discernis inter hoc quod fecit exigente obedientiâ; & quod sibi factum, quia servavit obedientiam, sustinuit non exigente obedientiâ. *Bos.* Necesse habeo ut hoc apertius exponas. *Anſ.* Cur persecuti sunt eum Judæi usque ad mortem? *Bos.* Non ob aliud, nisi quia veritatem & justitiam vivendo & loquendo indeclinabiliter tenebat. *Anſel.* Hoc puto quia Deus ab omni rationali creatura exigit; & hoc illa per obedientiam Deo debet. *Bos.* Sic nos fateri oportet. *Anſ.* Hanc igitur obedientiam debebat homo ille Deo Patri, & humanitas Divinitati; & hanc ab illo exigebat Pater. *Bos.* Hoc nulli dubium * est. *Anſ.* Ecce habes quid fecit exigente obedientiâ. *Bos.* Verum est *; & jam video quid sibi illatum, quia obediendo perseveravit, sustinuit. * Nam illata est illi mors, quia perstitit in obedientia, & hanc sustinuit; sed quomodo hoc * obedientia non exigat, non intelligo. *Anſ.* Si homo numquam peccasset, deberet pati mortem: aut deberet Deus hoc ab illo exigere? *Bos.* Quemadmodum credimus, nec homo moreretur, nec hoc exigeretur ab illo: sed hujus rei à te audire volo rationem. *Anſ.* Rationalem creatutam justam factam esse, & ad hoc, ut Deo fruendo beata esset, non negas. *Bos.* Non. *Anſ.* Deo autem nequaquam æstimabis convenire ut, quam fecit justam ad beatitudinem, cogat sine culpa esse miseram: hominem enim invitum mori, miserum est. *Bos.* Patet quia si non peccasset homo, non deberet Deus ab eo mortem exigere. *Anſ.* Non ergo coëgit Deus Christum mori, in quo nullum fuit peccatum; sed ipse sponte sustinuit mortem, non per obedientiam deserendi vitam; sed propter obedientiam servandi justitiam, in qua tam fortiter perseveravit, ut inde mortem incurreret. Potest etiam dici quia præcepit illi mori Pater; cùm hoc præcepit * unde * incurrit mortem. Ita ergo *sicut mandatum dedit illi Pater, sic*: fecit: & *calicem quem dedit* ei,

Deus ab omni rationali creatura exigit, ut veritatem & justitiam in omnibus indeclinabiliter teneat.

al. verum etiam

al hanc obedientiam exigat

Rationalis creatura justa facta est, & ad hoc ut Deo fruatur.

Philip. 2.

Matth. 26.

bibit : & *factus* est *obediens* Patri *usque ad mortem* : & sic *didicit ex his quæ passus est, obedientiam* id est, quousque debeat servari obedientia. Verbum autem quod * positum est, *didicit*, duobus modis intelligi potest. Aut enim *didicit*, dictum est pro, * alios fecit discere ; aut quia, quod per scientiam non ignorabat, experimento *didicit*. Quod autem Apostolus, Philip. 2. cùm dixisset, *humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* : subdidit : *propter quod & Deus illum exaltavit : & donavit illi nomen, quod est super omne nomen*. Cui simile est quod Psal. 109. David dixit : *De torrente in via bibit, propterea exaltavit caput* : non ita dictum est, quasi nullatenus potuisset pervenire ad hanc exaltationem, nisi per hanc mortis *obedientiam* ; & hanc exaltatio non nisi in retributionem hujus obedientiæ collata sit. Prius quàm Luc. 10. enim pateretur ipse dixit omnia sibi esse tradita à Pa- Joan. 16. tre ; & * omnia Patris esse sua. Sed quoniam ipse cum Patre sanctoque Spiritu disposuerat se non aliter, quàm per mortem, celsitudinem omnipotentiæ suæ ostensurum mundo : quippe quod * non nisi per illam mortem fieri dispositum est, cùm per illam sit, non incongruè dicitur propter illam * fieri. Si enim intendimus aliquid facere, sed proponimus nos prius aliud facturos, per quod illud fiat : cùm jam factum est quod volumus præcedere ; si fit quod intendimus, rectè dicitur propterea fieri quoniam factum est propter quod differabatur : quia non nisi per illud fieri dispositum erat. Nam si fluvium, quem equo vel navi transire possum, * propono me non nisi navi transiturum ; & idcirco differo * transmeare, quia navis abest : cùm jam præsto est navis, si transeo, rectè de me dicitur : C navis parata fuit, * propterea transivit. Et non solùm ita loquimur quando per illud, quod præcedere volumus ; sed etiam quando non per illud, sed tantummodò post illud, facere aliud aliquid statuimus. Si quis enim differt cibum sumere propterea quia nondum eâ die Missæ celebrationi affuit ; peracto quod priùs facere volebat, non incongruè dicitur illi : jam sume cibum, propterea quia jam fecisti propter quod sumere differebas. Multò igitur minùs inusitata est locutio, cùm Christus dicitur exaltatus propterea quia mortem sustinuit, per quam & post quam illam exaltationem decrevit facere. Potest hoc & eo modo intelligi, quo idem Dominus legitur profecisse sapientiâ & gratiâ apud Deum : non quia ita erat ; sed quia ille sic se habebat, ac si ita esset. Nam * sic post mortem exaltatus est, quasi propter illam hoc * fieret. Quod autem ipse ait : *Non veni voluntatem meam facere, sed ejus qui* Joan. 5. Joan. 7. v. 16. *misit me* : tale est, quale est & illud : *Mea doctrina non est mea* : nam quod quis non habet à se, sed à Deo ; hoc non tam suum, quàm Dei dicere debet. Nullus * verò homo à se habet veritatem quam docet, aut justam voluntatem ; sed a Deo. Non ergo venit Christus voluntatem suam facere, sed Patris ; quia justa voluntas, quam habebat, non erat ex humani- Joan. 5. * tate, sed ex Divinitate. *Proprio * autem Filio suo non* *pepercit Deus, sed pro nobis * omnibus tradidit illum*, non est aliud, quàm non liberavit illum. * Nam multa in sacra Scriptura hujusmodi inveniuntur. Ubi au- Matth 26. tem dicit : *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste;* Ibidem. *verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu* : &, *si non* E *potest hic calix transire, nisi bibam illum : fiat voluntas tua* : naturalem salutis, per voluntatem suam, significat appetitum, quo humana caro dolorem mortis fugiebat. Voluntatem verò Patris dicit, non quoniam maluerit Pater mortem Filii, quàm vitam ; sed quia humanum genus * restaurari nolebat Pater, nisi faceret al. reparare homo tam magnum aliquid, sicut erat mors illa. Quia non poscebat ratio, quod alius facere non poterat : idcirco dicit Filius illum velle suam mortem ; * quoniam ipse maluit illum * pati, quàm ut genus hu- al. Quia manum non * salveretur ; ac si diceret : quoniam non A vis aliter reconciliationem mundi fieri, dico te hoc modo velle mortem meam : fiat ergo voluntas tua, *Fiat voluntas tua ! id est, fiat mors mea, ut tibi mundus reconcilietur.* id est, fiat mors mea, ut mundus tibi reconcilietur. Nam sæpe aliquem velle dicimus aliquid, quia non vult aliud, quod si vellet, non fieret illud quod dicitur velle : ut, cùm dicimus illum lucernam velle extinguere, qui non vult fenestram claudere, per quam ventus intrat, qui lucernam extinguit. Sic ergo voluit Pater mortem Filii, quia non aliter voluit mundum * salvari ; nisi homo tam magnum aliquid faceret, ut al. salvare jam dixi. Quod Filio volenti salutem hominum tantundem valuit, quoniam hoc alius facere non * vale- al. volebat bat, quantùm si illi mori præciperet : unde ille, sicut mandatum illi dedit Pater, sic fecit ; & calicem, quem dedit ei Pater, bibit, obediens usque ad mortem.

CAPUT X.

Item de eisdem ; quomodo aliter rectè intelligi possint.

POtest etiam rectè intelligi quia per illam piam voluntatem, qua voluit Filius pro salute mundi mori, dedit illi Pater (non tamen cogendo) mandatum, & calicem passionis : & non pepercit illi ; sed pro nobis tradidit illum, & mortem illius voluit : & quia ipse Filius obediens fuit usque ad mortem ; & didicit ex his quæ passus est, obedientiam. Quemadmodum enim secundùm humanitatem non habebat à se voluntatem justè vivendi, sed à Patre : ita & * illam voluntatem, quâ, ut tantum bonum faceret, mori voluit, non potuit habere niti à Patre luminum, à quo Jacob. 1. v. 17. est omne datum optimum, & omne donum perfectum : & sicut Pater trahere, dando voluntatem, dicitur ; ita non incongruè fit, si impellere asseritur. Sicut enim dicit Filius de Patre : *Nemo venit ad me, nisi Pa-* Joan. 6. *ter traxerit eum* : ita dicere potuit, nisi impulerit eum. Similiter quoque proferre potuit, nemo currit ad mortem propter nomen meum, nisi Pater impulerit, aut traxerit eum. Quoniam namque voluntate quisque *Voluntate quisque ad id quod indeclinabiliter vult, trahitur vel impellitur.* ad id quod indeclinabiliter vult, trahitur vel impellitur : non inconvenienter trahere aut impellere dicitur Deus, cùm talem dat voluntatem : in quo tractu, vel impulsu nulla intelligitur violentiæ necessitas ; sed acceptæ bonæ voluntatis spontanea & amata tenacitas. Si ergo hoc modo nequit * negari Patrem, voluntatem illam dando, Filium * ad mortem traxisse vel impulisse : quis non videat eâdem ratione mandatum illi, D ut mortem sustineret sponte ; & *calicem*, quem non invitus biberet, dedisse ? Et si Filius sibi non pepercisse ; sed pro nobis spontanea voluntate seipsum tradidisse, rectè dicitur : quis neget rectè dici quia Pater, à quo talem habuit voluntatem, illi non pepercit : sed pro nobis tradidit illum, & mortem ejus voluit ? Hoc etiam modo indeclinabiliter & sponte servando acceptam voluntatem à Patre, Filius factus est illi obediens usque ad mortem ; & didicit ex his quæ passus est, obedientiam, id est, quàm magna res facienda sit per obedientiam. Nam tunc est vera & simplex obedientia ; *Tunc est vera & simplex obedientia, cùm rationalis natura non necessitate, sed voluntate sua voluntatem à Deo acceptam.* cùm rationalis natura, non necessitate, sed sponte servat voluntatem à Deo acceptam. Aliis quoque modis rectè possumus Patrem voluisse Filii mortem intelligere ; quamvis isti possint sufficere. Nam sicut velle dicimus eum, qui facit ut alius velit ; ita etiam dicimus eum velle, qui non facit ut alius velit, sed approbat quia vult : ut, cùm videmus aliquem fortiter pati velle molestiam, ut perficiat quod bene vult ; quamvis fateamur nos velle ut illam pœnam sustineat ; non tamen volumus aut amamus pœnam ejus, sed voluntatem. Illum quoque qui prohibere potest, & non prohibet, solemus dicere quia vult quod non prohibet. Quoniam ergo Patri voluntas Filii placuit, nec prohibuit eum velle aut implere quod volebat ; rectè voluisse ut Filius mortem tam

tized by Google

piè & tam utiliter sustineret, quamvis pœnam ejus non amaret, affirmatur. Non autem potuisse calicem transire nisi biberet illum, dixit: non quia non posset mortem vitare, si vellet; sed quoniam, sicut dictum est, mundum erat impossibile aliter salvari; & ipse indeclinabiliter volebat potiùs mortem pati, quàm ut mundus non salveretur. Idcirco autem dixit verba illa, ut doceret humanum genus aliter non potuisse salvari, quàm per mortem * suam; non ut ostenderet se mortem nequaquam * valuisse vitare. Nam quæcumque de illo dicuntur * his quæ dicta sunt, similia, sic sunt exponenda; ut nulla necessitate, sed * libera voluntate mortuus credatur. Erat namque omnipotens, & de illo legitur quoniam *oblatus est, quia ipse voluit.* Et ipse dicit: *Ego pono animam meam, ut iterum sumam * eam: nemo tollit eam à me; sed ego pono eam à meipso. * Potestatem habeo * ponendi animam meam & iterum sumendi eam.* Quod ergo idem ipse sua potestate & sua voluntate facit, nullatenus ad hoc cogi rectè * dici potest. *Bos.* Hoc solum, quia permittit Deus illum sic tractari, quamvis volentem, non videtur tali Patri de tali Filio convenire. *Anс.* Imo maximè decet talem Patrem tali Filio consentire, si quid vult laudabiliter ad honorem Dei, & utiliter ad salutem hominum, * quæ aliter fieri non potuit. *Bos.* In hoc adhuc versamur, qualiter mors illa rationabilis & necessaria monstrari possit. Aliter namque nec ipse Filius eam velle, nec Pater cogere aut permittere debuisse videtur. Quæritur enim cur Deus aliter hominem salvare non potuit; aut si potuit, cur hoc modo voluit. Nam & inconveniens videtur esse Deo hominem hoc modo salvasse; nec apparet quid mors illa valeat ad salvandum hominem. Mirum enim est, si Deus sic delectatur aut eget sanguine innocentis; ut non nisi interfecto eo parcere velit aut possit nocenti. *Anс.* Quoniam accipis in hac quæstione personam eorum, qui credere nihil volunt nisi præmonstratâ ratione; volo tecum pacisci, ut nullum vel minimum inconveniens in Deo à nobis accipiatur, & nulla vel minima ratio, si major non repugnat, rejiciatur. Sicut enim in Deo quamlibet parvum inconveniens sequitur impossibilitas; ita quamlibet parvam rationem, si majori non vincitur, contrariatur necessitas. *Bos.* Nihil in hac re libentiùs accipio, quàm ut hoc pactum inter nos communiter servetur. *Anс.* De Incarnatione Dei tantùm & de his, quæ de illo assumpto homine credimus, quæstio est. *Bos.* Ita est. *Anс.* Ponamus ergo Dei Incarnationem, & quæ de illo dicimus homine, nunquam fuisse: & constet inter nos hominem esse factum ad beatitudinem, quæ in hac vita haberi non potest; nec ad illam posse pervenire quemquam, nisi dimissis peccatis; nec ullum hominem hanc vitam transire sine peccato: & alia quorum fides ad salutem æternam necessaria est. *Bos.* Ita fiat; quia nihil in his inconveniens, aut impossibile Deo videtur. *Anс.* Necessaria est igitur homini peccatorum remissio, ut ad beatitudinem perveniat. *Bos.* Sic omnes tenemus.

al. ejus
al. voluisse
al. ea his
al. propria
Isa. 53. v. 7.
Joan. 10 v. 17. & 18.
al. quod

CAPUT XI.

Quid sit peccare, & pro peccato satisfacere.

ANSELM.

QUærendum est igitur, qua ratione Deus dimittat peccata hominibus: & ut hoc * faciamus apertiùs, priùs videamus quid sit peccare, & * quid pro peccato satisfacere. *Bos.* Tuum est ostendere, & meum intendere. *Anс.* Si Angelus & homo semper redderet Deo quod debet, nunquam peccaret. *Bos.* Nequeo contradicere. *Anс.* Non est itaque aliud peccare, quàm Deo non reddere debitum? *Bos.* * Quod est debitum, quod Deo debemus? *Anс.* Omnis voluntas rationalis creaturæ subjecta debet esse voluntati Dei. *Bos.* Nihil verius. *Anс.* Hoc est debitum, quod debet Angelus & homo Deo, quod solvendo nullus peccat; & quod omnis, qui non solvit, peccat. Hæc est justitia sive rectitudo voluntatis, quæ justos facit sive rectos corde, id est, voluntate; hic est solus & totus honor, quem debemus Deo, & quem à nobis exigit Deus. Sola namque talis voluntas opera facit placita Deo, cùm potest operari; & cùm non potest, ipsa sola per se placet: quia nullum opus sine illa placet. * Hunc honorem debitum qui Deo non reddit, aufert Deo quod suum est, & Deum exhonorat; & hoc est peccare. Quamdiu autem non solvit quod rapuit, manet in culpa; nec sufficit solummodò reddere quod ablatum est; sed pro contumelia illata plus debet * reddere, quàm abstulit. Sicut enim qui lædit salutem alterius, non sufficit, si salutem restituit; nisi pro illata doloris injuria recompenset aliquid: ita qui honorem alicujus violat, non sufficit honorem reddere; si non secundùm exhonorationis factam molestiam, aliquid quod placeat illi, quem exhonoravit, * restituat. Hoc quoque attendendum, quòd cùm aliquis, quod injustè abstulit, solvit: hoc debet dare, quod ab illo non posset exigi, si alienum non rapuisset? Sic ergo debet omnis qui peccat, honorem, quem rapuit Deo, solvere; & * hæc est satisfactio, quam omnis peccator debet Deo facere. *Bos.* In his omnibus, quoniam rationem sequi proposuimus, quamvis aliquantulùm me terreas, nihil habeo quod possim dicere contra.

Justitia sive rectitudo voluntatis in eo est, quod voluntas creata ita sit subjecta voluntati Dei.

Sine hac voluntate nullum opus Deo placet.

al. habeat
al. restituat
al. hoc

CAPUT XII.

Utrum solâ misericordiâ, sine omni debiti solutione deceat Deum peccata dimittere.

ANSELM.

REdeamus, & videamus utrùm solâ misericordiâ, sine omni solutione ablati sibi honoris, deceat Deum peccata dimittere. *Bos.* Non video cur non deceat. *Anс.* Sic dimittere peccatum non est aliud, quàm non punire; & quoniam rectè ordinare peccatum sine satisfactione, non est nisi punire; si non punitur, inordinatum dimittitur. *Bos.* Rationabile est quod dicis. *Anс.* Deum verò non decet aliquid in suo regno, inordinatum dimittere. *Bos.* Si * aliud volo dicere, timeo peccare. *Anс.* Igitur non decet Deum peccatum sic impunitum dimittere. *Bos.* Ita sequitur. *Anс.* Est & aliud quod sequitur, si peccatum si dimittitur impunitum: quia similiter erit apud Deum peccanti, & non peccanti: quod Deo non convenit. *Bos.* Non possum negare. *Anс.* Vide & hoc: Justitiam hominum nemo nescit esse sub lege; ut secundùm ejus quantitatem, mensùra retributionis à Deo recompensetur. *Bos.* Ita credimus. *Anс.* Si autem peccatum nec solvitur, nec punitur; nulli legi subjacet. *Bos.* Non possum aliter intelligere. *Anс.* Liberior igitur est * injustitia, si solâ misericordiâ dimittitur; quàm justitia: quod valde inconveniens videtur. Ad hoc * etiam extenditur hæc inconvenientia, ut injustitiam Deo similem * faciat: quia sicut Deus * nullius legi subjacet; ita & injustitia. *Bos.* Nequeo resistere rationi tuæ: sed cùm Deus nobis præcipiat omnino dimittere peccantibus in nos; videtur repugnare, ut hoc * præcipiat nobis, quod ipsum facere non decet. *Anсl.* Nulla in hoc est repugnantia: quia Deus hoc præcipit nobis, ut non præsumamus quod solius Dei est. Ad nullum enim pertinet vindictam facere, nisi ad illum qui Dominus est omnium: nam cùm terrenæ potestates hoc rectè faciunt; ipse facit Deus, à quo ad hoc ipsum sunt ordinatæ. *Bos.* Removisti repugnantiam, quam putabam inesse: sed est aliud, ad quod tuum volo habere responsum: nam cùm Deus * sic sit liber; ut * nulli legi, nullius subjaceat judicio; & sit ita benignus, ut nihil benignius cogitari queat; & nihil sit rectum aut decens, nisi quod ipse vult: mirum videtur, si dicimus quia nullatenus vult, aut non ei licet injuu-

Igitur non decet Deum peccatum suo debita solutione impunitum dimittere.

al. hoc
al. nulli
al. huic
al. nullius legis

Peccare non est aliud quàm Deo debitum non reddere debitum.

Digitized by Google

iam ſuam dimittere, à quo etiam de his, quas aliis A facimus, ſolemus indulgentiam petere. *Anſ.* Verum eſt quod dicis de libertate, & voluntate, & benignitate illius: ſed ſic eas debemus rationabiliter intelligere, ut dignitati illius non videamus repugnare. Libertas enim non eſt niſi ad hoc, quod expedit aut* quod decet; nec benignitas dicenda eſt, quæ aliquid Deo indecens operatur. Quod autem dicitur, quia quod vult juſtum eſt; & quod non vult, juſtum non eſt; non ita intelligendum eſt, ut ſi Deus velit quodlibet inconveniens, juſtum ſit, quia ipſe vult. Non enim ſequitur, ſi Deus vult mentiri, juſtum eſſe mentiri; ſed potius Deum illum non eſſe. Nam nequaquam poteſt velle mentiri voluntas, niſi in qua corrupta eſt veritas, immo quæ deſerendo veritatem corrupta eſt. Cùm ergo dicitur, ſi Deus vult mentiri; non eſt aliud, quàm ſi Deus eſt talis natura, quæ velit mentiri: & idcirco non ſequitur, juſtum eſſe mendacium, niſi ita intelligatur, ſicut cùm de duobus impoſſibilibus dicimus: ſi hoc eſt, illud eſt: quia nec hoc, nec illud eſt: ut ſi quis dicat: ſi aqua eſt ſicca, & ignis eſt humidus: neutrum enim verum eſt. Itaque de illis tantùm eſt verum dicere: ſi Deus hoc vult, juſtum eſt: quæ Deum velle non eſt inconveniens. Si enim vult Deus ut pluat, juſtum eſt ut pluat: & ſi vult ut aliquis homo occidatur, juſtum eſt ut occidatur. Quapropter ſi non decet Deum aliquid injuſtè, aut inordinatè facere; non pertinet ad ejus libertatem, aut benignitatem, aut voluntatem, peccantem qui non ſolvit Deo quod abſtulit, impunitum dimittere. *Boſ.* Omnia mihi aufers, quæ putabam tibi poſſe objici. *Anſ.* Vide adhuc cur Deum non deceat hoc* facere. *Boſ.* Libenter auſculto quicquid dicis.

Libertas non eſt niſi ad hoc quod expedit & quod decet.

al. hoc

CAPUT XIII.

Quòd nihil minus ſit tolerandum in rerum ordine, quàm ut Creatura Creatori debitum honorem auferat, & non ſolvat quod aufert.

ANSELM.

NIhil minus tolerandum eſt in rerum ordine, quàm ut creatura Creatori debitum honorem auferat, non ſolvat quod aufert. *Boſ.* Hoc* nihil clarius. *Anſ.* Nihil autem injuſtiùs toleratur, quàm quo nihil minus eſt tolerandum. *Boſ.* Neque hoc eſt obſcurum. *Anſ.* Puto ergo quia non dices Deum* debere tolerare, quo nihil injuſtiùs toleratur: ut,* quòd creatura non reddat Deo quod aufert. *Boſ.* Immo penitus negandum eſſe* video. *Anſ.* Item ſi Deo nihil majus aut melius eſt; nihil juſtius, quàm* quæ honorem illius* ſervat in rerum diſpoſitione, ſumma juſtitia, quæ non eſt aliud, quàm ipſe Deus. *Boſ.* Hoc quoque nihil apertius. *Anſ.* Nihil ergo ſervat Deus juſtiùs, quàm ſuæ dignitatis honorem. *Boſ.* *Concedere me oportet. *Anſ.* Videtur tibi quòd eum integrè ſervet ſi ſic auferri ſibi permittit; ut nec ſolvatur, nec ipſe auferentem puniat? *Boſ.* Non audeo dicere. *Anſ.* Neceſſe eſt ergo ut aut ablatus honor ſolvatur, aut pœna ſequatur; alioquin aut ſibiipſi Deus juſtus non erit, aut ad utrumque impotens erit: quod nefas eſt* vel cogitare. *Boſ.* Nihil rationabilius dici* poſſe intelligo.

al. nihil clarius judico

al. judico

al. quod minime neceſſariò concedi oportet

al. etiam

al. poteſt, ut puto

CAPUT XIV.

Cujuſmodi honor Dei ſit pœna peccantis.

BOSO.

SEd volo à te audire ſi peccantis pœna ſit illi honor, aut cujuſmodi honor ſit. Si enim pœna peccantis non ejus honor eſt: cùm peccator non ſolvit quod abſtulit, ſed punitur; ſic perdit Deus honorem ſuum, ut non* recuperet: quod his, quæ dicta ſunt, repugnare videtur. *Anſ.* Deû impoſſibile eſt honorem ſuum perdere: aut enim peccator ſponte ſolvit quod debet; aut Deus ab invito* accipit. Nam aut homo debitam ſubjectionem Deo, ſive non peccando, ſive quod peccat ſolvendo, voluntate ſpontaneâ exhibet; aut Deus eum* invitum ſibi torquendo ſubjicit: & ſic ſe Dominum ejus* eſſe oſtendit, quod ipſe homo voluntate fateri recuſat. In quo conſiderandum quia ſicut homo peccando rapit quod Dei eſt; ita Deus puniendo aufert quod hominis eſt. Quippe non ſolùm id* ipſum alicujus eſſe dicitur, quod jam poſſidet; ſed quod in ejus poteſtate eſt, ut habeat. Quoniam ergo homo ita* factus eſt, ut beatitudinem habere poſſet, ſi non peccaret; cùm* propter peccatum beatitudine & omni bono privatur; de ſuo, quamvis invitus, ſolvit quod rapuit: quia licet Deus hoc ad uſum ſui commodi non transferat, quod aufert; ſicut homo pecuniam, quam alii aufert, in ſuam convertit utilitatem: hoc tamen quod aufert, utitur ad ſuum honorem, per hoc, quia aufert. Auferendo enim, peccatorem, & quæ illius ſunt, ſubjecta ſibi eſſe probat.

al. recuperet; tur

al. ſe Dominum oſtendit

al. id ſuum

al. quod debebat

al. conſervat

CAPUT XV.

Si Deus vel ad modicum patiatur honorem ſuum violari.

BOSO.

PLacet quod dicis. Sed eſt & aliud, ad quod tuam reſponſionem poſtulo: nam ſi Deus ita, ſicut probas, ſuum debet honorem ſervare: cur vel ad modicũ patitur illum violari? Quòd enim aliquo modo lædi ſinitur, non integrè nec perfectè cuſtoditur. *Anſ.* Dei honori nequit aliquid, quantùm ad illum pertinet, addi vel minui. Idem namque ipſe ſibi honor eſt incorruptibilis, & nullo modo mutabilis. Verùm* quando unaquæque creatura ſuum, & quaſi ſibi præceptum ordinem, ſive naturaliter, ſive rationabiliter ſervat, Deo obedire, & eum dicitur honorare: & hoc* maximè rationalis natura, cui datum eſt intelligere* quid debeat. Quæ cùm vult quod debet, Deum honorat; non quia illi aliquid confert, ſed quia ſponte ſe ejus voluntati & diſpoſitioni ſubdit; & in rerum univerſitate ordinem ſuum, & ejuſdem univerſitatis pulchritudinem, quantùm in ipſa eſt,* ſervat. Cùm verò non vult quod debet; Deum, quantùm ad illam* pertinet, inhonorat: quoniam non ſubdit ſe ſponte illius diſpoſitioni; & univerſitatis ordinem & pulchritudinem, quantùm in ſe eſt, perturbat; licèt poteſtatem aut dignitatem Dei nullatenus lædat aut decoloret. Si enim ea, quæ cœli ambitu continentur, vellent non eſſe ſub cœlo, aut elongari à cœlo; nullatenus poſſent niſi ſub cœlo eſſe; nec fugere cœlum, niſi appropinquando cœlo. Nam & unde, & quo, & * quà irent, ſub cœlo eſſent; & quâtò magis à qualibet parte cœli elongarentur, tantò magis oppoſitæ parti appropinquarent. Ita quamvis homo, vel malus Angelus divinæ voluntati & ordinationi ſubjacere nolit; non tamen* eam fugere valet: quia ſi vult fugere de ſub voluntate jubente, currit* ſub voluntatem punientem. Et ſi* quæris quà tranſit; non niſi ſub voluntate* permittente: & hoc ipſũ, quod perversè vult aut agit, in univerſitatis præfatæ ordinem & pulchritudinem ſumma ſapientia* convertit. Ipſa namque pervertitatis ſpontanea ſatisfactio, vel à non ſatisfaciente pœnæ exactio (excepto hoc, quòd Deus de malis multimodis bona facit) in eadem univerſitate locum tenent ſuum, & ordinis pulchritudinem. Quas ſi divina ſapientia, ubi pervertitas rectum ordinem perturbare nititur, non adderet; fieret in ipſa univerſitate, quam Deus debet ordinare, quædam ex violata ordinis pulchritudine deformitas, & Deus in ſua diſpoſitione videretur deficere.

al. veritatem cùm

al. hoc eſt

al. in

al. permittente

Quæ

Quæ duo quoniam sicut sunt inconvenientia, ita sunt impossibilia; necesse est ut omne peccatum satisfactio aut pœna sequatur. *Bos.* Satisfeci sti objectioni meæ. *Anſ.* Palàm est ergo quia Deum, quantùm in ipso est, nullus potest honorare, vel exhonorare: sed quantùm in se est hoc aliquis facere videtur; cùm voluntatem suam voluntati ejus subjicit, aut subtrahit. *Bos.* Nescio quid contra queam dicere. *Anſelm.* Adhuc addam aliquid. *Bos.* Tamdiu dic, donec me tædeat audire.

CAPUT XVI.

Ratio cur numerus Angelorum, qui ceciderunt, restituendus sit de hominibus.

ANSELM.

DEum constat proposuisse ut de humana natura, quam fecit sine peccato, numerum Angelorum qui ceciderant, restitueret. *Bos.* Hoc credimus, sed vellem aliquam hujus rei rationem * habere. *Anſ.* Fallis me: non enim proposuimus tractare, nisi de Incarnatione Dei; & tu mihi alias interseris quæstiones. *Bos.* Ne irascaris, *hilarem enim datorem diligit Deus*: nam nemo probat magis se hilariter dare, quod promittit; quàm qui plus dat, quàm promittit: dic ergo libenter quod quæro. *Anſ.* Rationalem * naturam, quæ Dei contemplatione beata vel est, vel futura est, in quodam rationabili & perfecto numero præscitam esse à Deo; ita ut nec majorem, nec minorem illum esse deceat; non est dubitandum. Aut enim nescit Deus in quo numero melius eam deceat constitui; quod falsum est: aut si scit; in eo illam constituet, quem ad hoc decentiorem intelliget. Quapropter aut Angeli illi qui ceciderunt, facti erant ad hoc, ut essent intra illum numerum: aut quia extra illum numerum, permanere non potuerunt, ex necessitate ceciderunt: quod absurdum est opinari. *Bos.* Veritas est aperta quod dicis. *Anſ.* * Quoniam ergo de illo numero esse debuerunt; aut * restaurandus est ex necessitate numerus eorum; aut in imperfecto numero remanebit rationalis natura; quæ in numero perfecto præscita est: quod esse non potest. *Bos.* Restaurandi procul dubio sunt. *Anſ.* Necesse est ergo eos de humana natura; quoniam non est alia, de qua possint restaurari.

a. Cur. 9.

al. creaturam

Rationalis natura quæ beata futura est, in numero perfecto præscita est.

al. quomodo

al. restituendi

CAPUT XVII.

** Quòd alii Angeli pro illis non possint restitui.*

BOSO.

CUr non ipsi aut alii Angeli pro illis possint restitui? *Anſ.* Cùm videbis nostræ restaurationis difficultatem, intelliges eorum reconciliationis impossibilitatem. Alii autem Angeli pro illis restitui non possunt, ideo (ut taceam * quomodo hoc repugnare videatur primæ creationis perfectioni) quia non debent; nisi tales esse possint, quales illi fuissent, si non peccassent; * cùm illi nullâ visâ vindictâ peccati perseverassent: quod post illorum casum aliis, qui pro illis restituerentur, esset impossibile. Non enim pariter laudabiles sunt, si stans in veritate, & qui nullam novit peccati pœnam, & qui eam semper aspicit æternam. Nam nequaquam putandum est bonos Angelos esse confirmatos casu malorum; sed, suo merito. * Sicut namque, si boni cum malis peccassent, simul damnati essent: * ita injusti, si cum justis stetissent, pariter confirmati fuissent. Quippe si aliqui eorum, non nisi casu aliorum, confirmandi erant; aut nullus unquam confirmaretur; aut necesse erat aliquem casurum, qui ad * alios confirmandos puniretur: quæ utraque absurda sunt. Illo itaque modo confirmati sunt illi, qui steterunt; quo pariter confirmati essent omnes, si * stetissent: quem * modum ostendi, sicut potui, ubi tractavi * cur Deus diabolo perseverantiam non dedit. *Bos.* Probasti malos Angelos de humana natura restaurandos: & patet ex hac ratione quia non in minori numero * erunt electi homines, quàm sunt Angeli reprobi. Sed utrùm plures futuri sint, si potes, ostende.

al. novitas

al. justi

al. illos

al. quemadmodum l. de casu diabol. c. 6.

CAPUT XVIII.

Utrùm plures futuri sint sancti homines, quàm sint mali Angeli.

ANSELM.

SI Angeli, antequam quidam illorum caderent, erant in illo profecto, de quo diximus, numero; non sunt homines facti, nisi pro restauratione Angelorum perditorum; & palàm est quia non erunt plures illis. Si autem ille numerus non erat in illis omnibus Angelis; complendum est de hominibus, & quod periit, & quod priùs deerat; erunt electi homines plures reprobis Angelis: & sic * dicemus quia non fuerunt homines facti tantùm ad restaurandum numerum imminutum; sed etiam ad perficiendum nondum perfectum. *Bos.* Quid potiùs tenendum est: an * quòd Angeli priùs facti sint in numero perfecto, an non? *Anſ.* Quòd mihi videtur, dicam. *Bos.* Non * possum à te plus exigere. *Anſ.* Si homo factus est post casum malorum Angelorum, sicut quidam intelligunt in Genesi; non video posse me per hoc probare alterum horum determinatè. Potest enim (ut puto) esse quòd Angeli * priùs fuerint in numero perfecto, & postea factus sit homo propter restaurandum imminutum eorum numerum: & potest esse quòd non fuerint in numero perfecto; quia differebat Deus, sicut adhuc differt, illum implere numerum, facturus humanam naturam suo tempore. Unde, aut solummodò numerum nondùm integrum perficeret; aut, etiam si minueretur, restitueret. Si autem tota creatura simul facta est; & dies illi, in quibus Moyses istum mundum non simul factum esse videtur dicere, aliter sunt intelligendi, quàm sicut videmus illos dies, in quibus vivimus: intelligere nequeo quomodo facti sint Angeli in illo * perfecto numero. Quippe si ita esset: videtur mihi quia ex necessitate, aut aliqui homines vel Angeli casuri erant; aut plures essent in illa cœlesti civitate, quàm illa perfecti numeri convenientia exigeret. Si ergo omnia simul facta sunt; sic videntur Angeli, & duo primi homines in numero * imperfecto fuisse; ut hominibus, si nullus caderet Angelus, quod deerat solùm perficeretur, & si * alquis periret, hoc quoque, quod caderet, restitueretur: & hominis natura, quæ infirmior erat, quasi Deum excusaret, atque diabolum confunderet; si ille suum casum infirmitati suæ imputaret, cùm ipsa infirmior staret: ac, si & eadem ipsa caderet, multò magis Deum defenderet contra diabolum, & contra seipsam: cùm ipsa facta valde infirmior & mortis, in electis de tanta infirmitate tantò altiùs ascenderet quàm unde diabolus ceciderat; quantò boni Angeli quorum æqualitas ei debetur, profecerunt post ruinam malorum, quia perseveraverunt. Ex his rationibus potius mihi videtur quia in Angelis non fuit ille perfectus numerus, quo civitas illa * superna perficeretur: quoniam si homo simul cum Angelis factus non est; * sic possibile est esse: & si simul facti sunt, quo magis putant multi, quoniam legitur: *qui vivit in æternum, creavit omnia simul*: videtur necesse esse. Sed & si perfectio mundanæ creaturæ non tantùm est intelligenda in numero individuorum, quantùm in numero naturarum; necesse est humanam naturam aut ad complementum ejusdem perfectionis esse factam, aut illi superabundare: quod de minimi vermiculi natura dicere non audemus. Quare ipso seipsa ibi facta est, & non solùm pro restaurandis individuis alterius

al. non plus à te exigo

al. perfecto

al. esset perficeretur

al. sicut possibile est esse impossibile

Isaiæ 48. vers.

Digitized by Google

naturæ. Unde palàm est quia * etiamsi Angelus nullus A periisset; homines tamen in cœlesti civitate suum locum habuissent. Sequitur itaque quia in Angelis, antequam quidam illorum caderent, non erat illic perfectus numerus: alioquin necesse erat ut aut homines, aut Angeli aliquid caderent: quoniam extra numerum * perfectum ibi nullus manere poterat. *Bos.* Nonnihil effecisti. *Anſ.* Est & alia ratio, ut mihi videtur, quæ non parum suffragatur illi sententiæ, quæ Angelos non esse factos in perfecto numero existimat. *Bos.* Dic illam. * *Anſ.* Si Angeli in illo perfecto numero facti sunt; & nullatenus facti sunt homines, nisi pro restauratione perditorum Angelorum; palàm est quia nisi * Angeli ab illa * beatitudine cecidissent, homines ad illam non ascenderent. *Bos.* Hoc constat. *Anſel.* Si quis * verò dixerit quia tantùm lætabuntur electi homines de Angelorum perditione, quantùm gaudebunt de sua assumptione; quoniam absque dubio hæc non esset, nisi illa fuisset: quomodo poterunt ab hac perversa gratulatione defendi? Aut quomodo dicemus Angelos, qui ceciderunt, ex hominibus restauratos; si illi sine hoc vitio permansuri erant, si non cecidissent, id est, sine gratulatione de casu * aliorum; isti verò sine illo esse non * poterunt? Immò qualiter cum hoc vitio beati esse debebunt? Deinde qua audacia dicemus Deum non velle, aut non * posse hanc restaurationem sine hoc vitio facere? *Bos.* Nonne similiter est in Gentibus, quæ ad fidem vocatæ sunt, quia illam Judæi repulerunt? *Anſ.* Non: nam si omnes Judæi credidissent; Gentes tamen vocarentur: quia *in omni gente qui timet Deum & operatur justitiam, acceptus est illi.* C Sed quoniam Judæi Apostolos contempserunt: ea tunc fuit occasio, ut ad Gentes illi converterentur. *Bos.* Nullo modo video quid contra * hæc dicere possim. *Anſ.* Unde tibi videtur accidere * singularis illa lætitia de alieno casu? *Bos.* Unde; nisi quia certus erit unusquisque, quoniam ubi erit nullatenus esset, nisi alius inde * cecidisset? *Anſ.* Si ergo hanc certitudinem nullus haberet; non esset unde ullus de alieno damno gauderet. *Bos.* * Ita videtur. *Anſ.* Putasne aliquem illorum habiturum hanc certitudinem; si multò plures erunt, quàm qui ceciderunt? *Bos.* Nequaquam possũ opinari quòd eam habeat, aut habere debeat. Quomodo namque quis poterit scire utrùm pro restaurando, quod imminutum erat; aut pro complendo, quod nondũ perfectũ erat de illo numero cõstituendæ civitatis, sit factus: sed omnes certi erunt se factos esse ad perficiendam illam civitatem? *Anſ.* Ergo si plures erunt, quàm reprobi Angeli; nullus poterit aut debebit scire se non esse ibi assumptum, nisi pro alieno casu. *Bos.* Verum est. *Anſ.* Non igitur habebit aliquis cur gaudere debeat de alterius perditione. *Bos.* Ita sequitur. *Anſ.* Cum itaque videamus quia si plures erunt homines electi, quàm sint reprobi Angeli, illa non * sequatur inconvenientia * quam sequi necesse est, si plures non erunt: & cùm impossibile sit ullum in illa civitate futurum inconveniens, videtur necesse esse ut Angeli non sint facti in illo perfecto numero, & plures futuri sint beati homines, quàm sint miseri Angeli. *Bos.* Non video qua ratione hoc negari queat. *Anſ.* Aliam adhuc ejusdem sententiæ posse dici puto rationem. *Bos.* Hanc quoque proferre debes. *Anſ.* Credimus hanc mundi molem corpoream in melius renovandam; nec hoc futurum esse, donec impleatur numerus electorum hominum, & illa beata perficiatur civitas; nec post ejus perfectionem * differendum. Unde colligi potest, Deum ab initio proposuisse ut utrumque simul perficeret; quatenus & minor, quæ Deum non sentiret, natura ante majorem, quæ Deo frui deberet, nequaquam perficeretur; & in majoris perfectione, mutata in melius, suo quodam modo quasi congratularetur; immò omnis creatura de tam gloriosa & tam admirabili sui consummatione ipsi Creatori, & sibi invicem, quoque suo modo æternè congaudendo jocundaretur; quatenus quod voluntas in rationali natura sponte facit, * hoc & jam insensibilis creatura per Dei dispositionem naturaliter exhiberet. Solemus namque in majorem nostrorum exaltatione congaudere: ut cùm in natalitiis Sanctorum exultatione festiva jocundamur de gloria eorum * lætantes. Quam sententiam illud adjuvare videtur: quia si Adam non peccasset; differret tamen Deus illam civitatem perficere, donec completo ex hominibus, quem expectabat, numero, ipsi quoque homines in corporum, ut ita dicam, * immortalem transmutarentur immortalitatem. Habeant enim in Paradiso quandam immortalitatem, id est, potestatem non moriendi: sed non erat immortalis hæc potestas, quia * poterat mori; ut, scilicet, ipsi non possent mori. * Sed si ita est, ut, videlicet, rationem illam & beatam civitatem, & hanc mundanam * insensibilemque naturam Deus ab initio propositi simul perficere: videtur quia aut illa civitas non erat completa in numero Angelorum, ante malorum ruinam; sed expectabat Deus ut eam de hominibus compleret; quando corpoream mundi naturam in * melius mutaret: aut si perfecta erat in numero, non perfecta erat in confirmatione; & differenda erat ejus confirmatio, etiam si nullus in ea peccasset, usque ad * eam mundi, quam expectamus renovationem: aut si non diutiùs illa confirmatio differenda erat; acceleranda erat mundana renovatio, ut cum eadem confirmatione fieret. Sed quòd mundum noviter factum statim Deus * renovare, & eas res, quæ post renovationem illam non erunt, in ipso initio, antequam appareret cur factæ essent destruere * instituerit, omni caret ratione. Sequitur ergo quia Angeli non ita fuerunt in numero perfecto, ut eorum confirmatio non diu differretur propterea quia mundi novi renovatione mox * oporteret fieri: quod non convenit. Quod autem eandem confirmationem usque ad mundi futuram renovationem differre Deus voluerit; inconveniens videtur; præsertim cùm illam in aliquibus tam citò perfecerit; & cùm intelligi possit quia in primis hominibus, quando peccaverunt, illam fecisset, si non peccassent, sicut fecit in perseverantibus Angelis. Quamvis enim nondum proveherentur ad illam æqualitatem Angelorum, ad quam perventuri erant homines, cùm perfectus esset numerus de illis assumendus. In illa tamen justitia, in qua erant, videtur D quòd si * vicissent ut non peccarent tentati; ita confirmarentur cum omni propagine sua, ut ultra peccare non possent: quemadmodum * quia victi peccaverunt, sic infirmati sunt, ut, quantùm in ipsis est, sine peccato esse non possint. Quis enim audeat dicere plus valere injustitiam ad alligandum in * servitute hominem in prima suasione sibi consentientem; quàm valeret justitia ad confirmandum eum in libertate, sibi in eadem prima tentatione adhærentem? Nam quemadmodum quoniam humana natura tota * erat in parentibus primis, tota in illis victa est ut peccaret: (excepto illo solo homine, quem Deus sicut scivit sine viri semine de Virgine facere, sic scivit à peccato Adæ secernere) * ita in eisdem tota vicisset; si non * peccassent. Restat ergo ut non completa in illo primo numero Angelorum superna civitas; sed de hominibus complenda fuisse dicatur. Quæ si rata sunt; plures erunt electi homines, quàm sint reprobi Angeli. *Bos.* Rationabilia mihi valde videntur quæ dicis: sed quid dicemus; quia legitur de Deo: *constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israël?* Quod quidam, quia pro *filiorum Israël* invenitur *Angelorum Dei*, sic exponunt; ut secundùm numerum bonum Angelorum, assumendus intelligatur numerus electorum hominũ. *Anſ.* Hoc * non repugnat prædictæ sententiæ; si certum non est quòd totidem Angeli cecidissent, quot remansurunt. Nam si plures sunt Angeli electi, quàm re-

Ergo Angeli non sunt in perfecto numero creati.

al. Bos.

al. civitate

al. ergo

al. In

al. Illorum

al. potuerunt

al. potuisse

Alt. ex. v. 35.

al. singulis

al. sequatur

al. quæ

al. & hoc jam

al. eandem

al. renovarent

al. instituerit

al. oportet

Deus 1 v. 5.

al. peccasse

al. melius iterum novaret

al. vicissent intempesti

al. qui

probi; & neceſſe eſt ut reprobos electi homines reſtaurent; & poteſt fieri ut beatorum numero coæquentur; & ſic plures erunt homines juſti, quàm Angeli injuſti. Sed memento quo pacto incœpi tuæ reſpondere quæſtioni: *ut videlicet, ſi quid dixero *quod major non confirmet auctoritas, quamvis illud ratione probare videar, non alia certitudine accipiatur; niſi quia interim mihi ita videtur, donec mihi Deus melius aliquo modo revelet. Certus enim ſum, ſi quid dico quod ſacræ Scripturæ abſque dubio contradicat, quia falſum eſt: nec illud tenere volo, ſi cognovero. Sed ſi in illis rebus, de quibus diverſa ſentiri poſſunt ſine periculo, ſicut eſt illud unde nunc agimus: ſi enim neſcimus utrùm plures homines eligendi ſint, quàm ſint Angeli perditi; an non: & alterum horum æſtimamus magis, quàm alterum; nullum puto eſſe animæ periculum: ſi, inquam, in hujuſmodi rebus ſic exponimus divina dicta, ut diverſis ſententiis favere videantur; nec alicubi invenitur, ubi quid indubitanter tenendum ſit * determinent, non arbitror reprehendi debere. Illud autem quod dixiſti: *conſtituit terminos populorum*, ſeu Gentium, *juxta numerum Angelorum Dei*, quod ſi alia tranſlatione legitur, *juxta numerum filiorum Iſraël*: quoniam ambæ tranſlationes aut idem ſignificant, aut diverſa ſine repugnantia; ita intelligendum eſt, ut & per Angelos Dei, & per filios Iſraël, Angeli boni ſignificentur tantummodò, aut ſoli homines electi, aut ſimul Angeli & electi homines, tota, ſcilicet, illa civitas ſuperna. Aut per Angelos Dei, ſancti Angeli tantùm: & per filios Iſraël, ſoli homines juſti. Aut ſoli Angeli per filios Iſraël, & juſti homines per Angelos Dei. Si boni Angeli tantùm deſignantur per utrumque: idem eſt * quod ſi ſolùm per Angelos Dei: ſi verò tota cæleſtis civitas; hic eſt ſenſus, quia tamdiu aſſumentur populi, id eſt, multitudines electorum hominum, aut tamdiu erunt populi in hoc ſeculo; donec de hominibus prædeſtinatus numerus illius civitatis nondum perfectus compleatur. Sed non video nunc quomodo ſoli Angeli, aut ſimul Angeli & homines ſancti per filios Iſraël intelligantur: ſanctos autem * homines filios Iſraël, ſicut filios Abrahæ vocari non eſt alienum. Qui Angeli quoque Dei per hoc rectè * poſſunt vocari, quia vitam Angelicam imitantur, atque ſimilitudo & æqualitas Angelorum illis promittitur in cœlo, & quia omnes juſtè viventes Angeli Dei ſunt. Unde & ipſi Confeſſores, aut Martyres dicuntur: qui enim confitetur & teſtatur veritatem, Dei nuntius, id eſt, Angelus * ejus eſt. Et ſi malus homo dicitur diabolus; ſicut de Juda dicit Dominus propter ſimilitudinem malitiæ: cur non etiam bonus homo * dicetur Angelus, propter imitationem juſtitiæ? Quare poſſumus, ut * puto, dicere Deum conſtituiſſe *terminos populorum*, *juxta numerum* electorum hominum: quia tamdiu erunt populi, & erit in hoc mundo hominum procreatio, donec numerus eorundem electorum * hominum compleatur; & eo completo ceſſabit * hominum generatio, quæ fit in hac vita. At ſi per Angelos Dei, intelligimus ſanctos Angelos tantùm; & per filios Iſraël, tantummodò juſtos homines: duobus modis intelligi poteſt quia *conſtituit Deus terminos populorum, juxta numerum* Angelorum Dei; aut quia tantus populus, id eſt, toſt homines aſſumentur, quot * ſunt ſancti Angeli Dei; aut quia tamdiu erunt populi, donec numerus Angelorum Dei compleatur ex hominibus? Et hoc uno ſolo modo exponi poſſe video: *conſtituit terminos populorum, juxta numerum filiorum Iſraël*: id eſt, quia (ſicut ſupra dictum eſt) tamdiu erunt populi in hoc ſeculo, donec numerus ſanctorum hominum aſſumatur. Et * colligitur ex utraque tranſlatione quia tot homines * aſſumentur, quot remanſerunt Angeli. Unde tamen non * ſequitur, quamvis perditi Angeli ex hominibus reſtaurandi ſint, tot Angelos cecidiſſe, quot perſeveraverunt. Quod tamen ſi * dicitur, inveniendũ erit quomodo ratæ *non ſint ſuprà poſitæ rationes, quæ videntur oſtendere non fuiſſe in Angelis, priùs quàm illorum quidam caderent, illum perfectum numerum, quem ſupra dixi; & plures homines electos futuros, quàm ſint mali angeli. *Boſ.* Non me pœnitet quia coegiſte ut de Angelis hæc diceres; nam non fruſtra factum eſt: nunc redi ad id unde digreſſi ſumus.

al. determinent

Deut. 32.

al. dicitur

al. ratæ non ſint

CAPUT XIX.

al. pars C. 18.

Quòd homo non poſſit ſalvari ſine peccatis ſatisfactione.

ANSELM.

COnſtat Deum propoſuiſſe ut de hominibus Angelos, qui ceciderant, reſtauraret. *Boſ.* Certum eſt. *Anſ.* Tales ergo oportet eſſe homines in illa civitate ſuperna, qui pro Angelis in illam aſſumentur; quales illi futuri ibi erant, pro quibus ibidem erunt, id eſt, quales nunc ſunt boni Angeli; alioquin non erunt reſtaurati qui ceciderunt: & ſequetur, quia Deus aut non poterit perficere bonum quod incœpit; aut pœnitebit eum tantum bonum incœpiſſe: quæ duo abſurda ſunt. *Boſ.* Verè oportet ut æquales ſint homines bonis Angelis. *Anſ.* Boni Angeli unquamne peccaverunt? *Boſ.* Non. *Anſ.* Poteſne cogitare quòd homo, qui aliquando peccavit, nec unquam Deo pro peccato ſuo ſatisfecit, ſed tantùm impunitus dimittitur; æqualis ſit Angelo, qui nunquam peccavit? *Boſ.* Verba iſta cogitare & dicere poſſum; ſed ſenſum eorum ita cogitare nequeo; ſicut falſitatem non poſſum intelligere veritatem eſſe. *Anſ.* Non decet ergo Deum, hominem * peccantem ſine ſatisfactione ad reſtaurationem Angelorum aſſumere perditorum; quoniam non patitur veritas, eum levari ad æqualitatem * bonorum. *Boſ.* Sic oſtendit ratio. *Anſ.* * Conſidera etiam in ſolo homine, ſine eo quia debet Angelis æquari, utrùm eum taliter Deus ad beatitudinem * ullam, vel talem qualem habebat antequam peccaret, debeat provehere. *Boſ.* Dic tu * quod cogitas; & ego conſiderabo prout potero. *Anſ.* Ponamus divitem aliquem in manu tenere margaritam pretioſam, quam nunquam pollutio ulla tetigit, quamque nullus alius poſſit amovere de manu ejus, niſi ipſo permittente: & eam diſponat recondere in theſaurum ſuum, ubi ſunt chariſſima & pretioſiſſima quæ poſſidet. *Boſ.* Cogito hoc, velut ante nos. *Anſ.* Quid, ſi ipſe permittat eandem margaritam ab aliquo invido excuti de manu ſua in cœnum, cùm prohibere poſſet: ac poſtea eam de cœno ſumens, pollutam & non lotam in aliquem locum ſuum mundum & charum, deinceps illam ſic ſervaturus, recondat: putabiſne illum ſapientem? *Boſ.* Quomodo hoc poſſum? nam nonne eſſet * latis melius, ut margaritam ſuam mundam teneret & ſervaret, quàm pollutam? *Anſel.* Nonne ſimiliter faceret Deus, qui hominem Angelis * ſociandum ſine peccato, quali in manu ſua, tenebat in paradiſo; & permiſit ut accenſus invidia diabolus eum in lutum peccati, quamvis conſentientem, dejiceret? Si enim prohibere vellet diabolum; non poſſet tenatare hominem. Nonne, inquam, ſimiliter faceret, ſi hominem peccati ſorde maculatum, ſine omni lavatione, id eſt, abſque omni ſatisfactione, talem ſemper manſurum, ſaltem in paradiſum, de quo ejectus fuerat, reduceret? *Boſ.* Similitudinem, ſi Deus hoc faceret, negare non audeo; & idcirco eum hoc facere poſſe non * annuo. Videretur enim aut quod propoſuerat peragere non potuiſſe, aut boni propoſiti eum pœnituiſſe: quæ in Deum cadere nequeunt. * Tene igitur certiſſimè quia ſine ſatisfactione, id eſt, ſine debiti ſolutione ſpontanea, nec Deus poteſt peccatum impunitum dimittere; nec peccator ad beatitudinem vel talem, qualem habebat antequam peccaret, pervenire:

Homines in cœlo æquales erunt bonis Angelis.

al. peccatorem

al. Angelorũ

al. conſidera

al. illam

al. Dic quæ

al. cœnum

al. ſociatum

al. abnuo

al. Cap. 20.

non enim hoc modo repararetur homo vel talis, qualis A fuerat ante peccatum. *Bos.* Rationibus tuis * omnino contradicere non possum. Sed quid est, quod dicimus
Matth. 6. Deo: *Dimitte nobis debita nostra*; & omnis gens orat
al. quoniam Deum, * quem credit, ut dimittat sibi peccata? Si enim solvimus quod debemus: cur oramus ut dimittat. Nunquid Deus injustus est, ut iterum exigat quod solutum est? Si autem non solvimus; cur frustra oramus ut faciat quod, quia non convenit, facere non potest? *Anſ.* Qui non solvit, frustra dicit, *dimitte*: qui autem
al. solvitur * soluit, supplicat; quoniam hoc ipsum pertinet ad solutionem, ut supplicet: nam Deus nulli quicquam debet, sed omnis creatura illi debet: & ideo non expedit homini ut agat cum Deo, quemadmodum par cum pari. Sed de hoc non est opus nunc tibi respondere. Cùm enim cognosces cur Christus mortuus est; forsitan per te videbis quod quæris. *Bos.* Sufficit ergo * B mihi nunc, quod de hac quæstione respondes. Quòd autem nullus homo ad beatitudinem pervenire queat cum peccato; aut solvi à peccato, nisi solvat quod rapuit peccando; sic apertè monstrasti, ut, etiamsi velim non possim dubitare.

CAPUT XX.

Quòd secundùm mensuram peccati oporteat esse satisfactionem; nec eam homo per se facere possit.

ANSELM.

Secundùm pec. est mensuram, oportet satisfactionem esse.

HOc quoque non dubitabis, ut puto, quia se- C cundùm mensuram peccati oportet satisfactionem esse. *Bos.* Aliter aliquatenus inordinatum maneret peccatum: quod esse non potest, si Deus nihil relinquit inordinatum in regno suo. Sed hoc est præstitutum quia * quamlibet parvum inconveniens in Deo
al. solves peccato impossibile est. *Anſ* Dic ergo quid solves Deo pro * peccato tuo? *Bos.* Pœnitentiam, cor contritum & humilitatem, abstinentias, & multimodos labores corporis, & misericordiam dandi & dimittendi, & obedientiam. *Anſ.* Quid in his omnibus das Deo? *Bos.* An non honoro Deum; quando, propter timorem ejus & amorem in cordis contritione lætitiam temporalem abjicio, in * abstinentiis & laboribus delectationes & quietem hujus vitæ calco, in dando & dimittendo quæ
al. largiendo mea sunt * largior, in obedientia meipsum illi subjicio? D *Anſ.* Cùm reddis aliquid, quod debes Deo, etiamsi nō peccasti, non debes computare hoc quod debito quod debes pro peccato. Omnia autem ista debes Deo, quæ dicis. Tantus namque debet esse in hac mortali vita
al. omne amor; & ad quod pertinet * oratio, desiderium perveniendi ad id ad quod factus es; & dolor, quia nondum ibi es; & timor, ne non pervenias; ut nullam lætitiam sentire debeas, nisi de his quæ tibi aut auxiliū, aut spē dant perveniendi. Non enim mereris habere quod non secundùm quod est, amas & desideras; & de quo, quia nondum habes, & adhuc utrum habiturus sis an non, in tanto es periculo, non doles. Ad quod etiam pertinet quietem, & delectationes mundanas: quæ animum ab illa vera quiete & delectatione revocant, fugere: nisi quantùm ad intentionem illuc perveniendi cognoscis sufficere. Dationem verò ita debes considerare te facere ex debito; sicut intelligis quia quod das à te non habes; sed ab illo, cujus servus es tu, & ille cui das: & natura te docet ut converso tuo, id est, homo homini facias, quod tibi ab illo vis fieri; & quia qui non vult dare quod habet, non debet accipere quod non habet. De dimissione * vero breviter dico quia nullatenus pertineret ad te vindicta, sicut suprà diximus: * quoniam nec tu tuus es; nec ille tuus aut suus, qui tibi fecit injuriam; sed unius Domini servi facti, ab illo de nihilo estis: & si * de conservo tuo te vindicas; judicium, quod proprium Domini & judicis omnium est, super illum superbè præsumis. In obedientia verò quid das Deo, quod non debes: cui jubenti, totum quod es, & quod habes & quod potes, debes? *Bos.* Nihil jam audeo in his omnibus dicere me dare Deo, quod debeo. *Anſ.* Quid ergo solves Deo pro peccato tuo? *Bos.* Si meipsum, & quicquid possum, etiam quando non pecco, illi debeo, ne peccem; nihil habeo quod pro peccato illi * reddam. *Anſ.* Quid ergo erit de te? quomodo poteris salvus esse? *Bos.* Si rationes tuas considero; non video quomodo. Si autem ad fidem meam recurro; in fide Christiana, *quæ* *Gal. 5. v. 7. Exod. 18.* *per dilectionem operatur*, spero me posse salvari, & quia legimus, si injustus conversus fuerit ab injustitia sua, & fecerit justitiam, omnes injustitias * ejus tradi oblivioni. *Anſ.* Hoc non dicitur nisi illi, qui aut * expecta- *al.* expectabant verunt Christum, antequam veniret; aut credunt in eum, postquam venit. Sed Christum & Christianam fidem, quali nunquam fuisset, posuimus; quando solâ ratione, utrùm adventus ejus ad salvationem hominū esset necessarius, quærere proposuimus. *Bos.* Ita fecimus. *Anſ.* Sola igitur ratione procedamus. *Bos.* Quam-
al. ducas vis in angustias qualidam me * ducas; desidero tamen multùm ut, sicut inœpisti, progrediaris.

CAPUT XXI.

Quanti ponderis sit peccatum.

ANSELM.

POnamus omnia illa, quæ modò * posuisti, te pro *al.* propositi peccato posse solvere, te non debere; & videamus utrùm * possint sufficere ad satisfactionem unius tam *al.* possis parvi peccati, sicuti est unus aspectus contra voluntatem Dei. *Bos.* Nisi quia audio te hoc ponere in quæstionem; putaré me hoc peccatum unâ solâ compunctione delere. *Anſ.* Nondum consideraſti quanti ponderis sit peccatum? *Bos.* * Nunc ostende mihi. *Anſ.* Si videres te in conspectu Dei, & aliquis tibi diceret, aspice illuc: & Deus econtra, nullatenus volo ut aspicias: quære tu ipse in corde tuo, quid sit in omnibus quæ sunt, pro quo deberes contra voluntatem Dei illum aspectum facere. *Bos.* Nihil invenio * propter quod hoc debeam; *al.* pro quibus nisi fortè sim in ea necessitate positus, ut sit necesse me aut hoc aut majus peccatum facere. *Anſ.* Remove hanc necessitatem: & * de solo hoc peccato considera, si possis illud facere pro teipso redimendo. *Bos.* Apertè video quia non possum. *Anſ.* Ne te diutius protraham: quid, si necesse esset aut totum mundum, & quicquid Deus non est, perire & nihilum redigi; aut te facere tam parvam rem contra voluntatem Dei? *Bos.* Cùm considero actionem ipsam, leviſſimum quiddam video esse; sed cùm intueor quid sit contra voluntatem Dei, graviſſimum quiddam, & nulli damno comparabile intelligo: sed solemus aliquando facere contra voluntatem alicujus non reprehensibiliter, ut res ejus serventur; quod postea illi placet, contra voluntatem facimus. *Anſ.* Hoc fit homini, qui aliquando non intelligit quid sit si utile, aut non * po- *al.* posset test restaure quod perdidit: sed Deus nullo indiget, & omnia, si perirent, posset, sicut ea fecit, * resti- *al.* reſtaurare E tuere. *Bos.* Fateri me necesse est quia pro conservanda tota creatura nihil deberem facere contra voluntatem Dei. *Anſ.* Quid, si plures essent mundi pleni * creaturis, sicut iste est? *Bos.* Si infinito numero mul- *al.* creatura tiplicarentur, & similiter mihi * ostenderentur; idip- *al.* obtendèrentur sum responderem. *Anſ.* Nihil rectiùs potes: sed considera etiam, si contingeret ut contra voluntatem Dei illum aspectum faceres; quid posses pro hoc peccato solvere? *Bos.* Non habeo aliquid majus, quàm quod suprà dixi. *Anſ.* Sic graviter peccamus, quotiescumque scienter aliquid * quamlibet parvum contra voluntatem Dei facimus: quoniam semper sumus in conspectu ejus, & semper ipse præcepit nobis ne

peccemus. *Bos.* Ut audio, nimis periculosè vivimus. *Anſ.* Patet quia ſecundùm quantitatem exigit Deus ſatisfactionem. *Bos.* Non poſſum negare. *Anſ.* Non ergo * ſatisfacis, ſi non reddis aliquid majus, quàm ſit id pro quo peccatum facere non debueras. *Bos.* Et rationem video ſic exigere, & omnino eſſe impoſſibile. *Anſ.* Nec Deus ullum obligatum aliquatenus debito peccati aſſumere poteſt ad beatitudinem; quia non debet. *Bos.* Nimis eſt gravis hæc ſententia. *Anſ.* Audi adhuc aliud, cur non minus ſit difficile hominem reconciliari Deo. *Bos.* Niſi fides me conſolaretur, hoc ſolum cogeret me deſperare. *Anſ.* Audi tamen. *Bos.* Dic.

* al. fuisfacis

CAPUT XXII.

Quam contumeliam fecit Deo homo, cùm ſe permiſit à diabolo vinci; pro qua ſatisfacere non poteſt.

ANSELM.

HOmo in paradiſo ſine peccato factus, quaſi poſitus eſt pro Deo inter Deum & diabolum, ut vinceret diabolum non conſentiendo ſuadenti peccatum, ad exculationem & honorem Dei, & ad confuſionem diaboli; cùm ille infirmior in terra non peccaret, eodem diabolo ſuadente, qui fortior peccavit in cœlo, nullo ſuadente: & cùm hoc homo facilè poſſet efficere, nulla vi coactus, ſolâ ſuaſione ſponte ſe vinci permiſit ad voluntatem diaboli, & contra voluntatem & honorem Dei. *Bos.* Ad quid vis tendere? *Anſ.* Judica tu ipſe ſi non eſt contra honorem Dei, ut homo * reconcilietur illi cum calumnia hujus contumeliæ Deo irrogatæ; niſi priùs honoraverit Deum vincendo diabolum; ſicut inhonoravit illum victus à diabolo. Victoria verò talis eſſet debet, ut ſicut fortis ac poteſtate immortalis conſenſit facilè diabolo ut peccaret, unde juſtè incurrit pœnam mortalitatis: ita infirmus & mortalis, qualem ſe fecit ipſe, per mortis difficultatem vincat diabolum, ut nullo modo peccet: quod facere non poteſt, quamdiu ex vulnere primi peccati concipitur & naſcitur in peccato. *Bos.* Iterum dico quia & ratio probat quod dicis; & impoſſibile eſt. *Anſ.* Adhuc accipe unum, ſine quo juſtè non reconciliatur homo: nec minùs impoſſibile eſt. *Bos.* Tot jam propoſuiſti nobis, quæ facere debemus; ut quicquid ſuperaddas, non me magis terrere poſſit. *Anſ.* Audi tamen. *Bos.* Audio.

* al. reconciliaretur

CAPUT XXIII.

** Quid abſtulit Deo cùm peccavit, quod reddere nequit.*

ANSELM.

QUid abſtulit homo Deo, cùm vinci ſe permiſit à diabolo? *Bos.* Dic tu, ut incœpiſti; quia ego neſcio quid, ſuper hæc mala quæ oſtendiſti, potuit addere. *Anſ.* Nonne abſtulit Deo quicquid de humana natura facere propoſuerat? *Bos.* Non poteſt negari. *Anſ.* * Intende in diſtrictam juſtitiam; & judica ſecundùm illam, utrùm * ad æqualitatem peccati homo ſatisfaciat Deo; niſi idipſum quod, permittendo ſe vinci à diabolo, Deo abſtulit, diabolum vincendo reſtituat: ut quemadmodum per hoc quod victus eſt, rapuit diabolus quod Dei erat, & Deus perdidit; ita per hoc quod vincat, perdat diabolus, & Deus recuperet. *Bos.* Nec diſtrictius nec juſtius aliquid poteſt cogitari. *Anſ.* Putaſne ſummam juſtitiam, hanc juſtitiam poſſe violare? *Bos.* Non audeo cogitare. *Anſ.* Nullatenus ergo debet aut poteſt accipere homo à Deo, quod Deus illi dare propoſuit; ſi non reddit Deo totum quod illi abſtulit: ut ſicut per illum Deus perdidit; ita per illum Deus * recuperet. Quod non aliter fieri valet, niſi ut quemadmodum per victum tota humana natura corrupta & quaſi fermentata eſt peccato, cum quo nullum Deus aſſumit ad perficiendam illam civitatem cœleſtem: ita per vincentem * juſtificentur à peccato tot homines, quot illum numerum completuri erant, ad quem complendum factus eſt homo. Sed hoc facere nullatenus poteſt homo peccator; quia peccator peccatorem juſtificare nequit. *Bos.* Et nihil juſtius, & nihil impoſſibilius: ſed ex his omnibus videtur miſericordia Dei & ſpes hominis perire, quantùm ad beatitudinem ſpectat, ad quam factus eſt homo. *Anſ.* Expectat adhuc parum. *Bos.* Quid habes * ampliùs?

* al. intende
* al. & in ipso vel & ipsa
* al. vivificentur
Peccator peccatorem justificare nequit.

CAPUT XXIV.

*Quid quandiu homo non * reddit Deo, quod debet, non poſſit eſſe beatus: nec excuſetur impotentiâ.*

* al. reddat

ANSELM.

SI homo dicitur injuſtus, qui homini non reddit quod debet; multò magis injuſtus eſt, qui Deo quod debet non reddit. *Bos.* Si poteſt, & non reddit; verè injuſtus eſt. Si verò non poteſt, quomodo injuſtus eſt? *Anſ.* Forſitan ſi nulla in illo eſt impotentiæ cauſa, aliquatenus excuſari poteſt. Sed ſi in * ipſa impotentiâ eſt culpa; ſicut non levigat peccatum; ita non excuſat non reddentem debitum. Nam ſi quis injungat aliquod opus ſervo * ſuo, & præcipiat illi ne dejiciat ſe in foveam, quam illi * demonſtrat, unde nullatenus exire poſſit: & ſervus ille contemnens mandatum & monitionem Domini ſui, ſponte ſe in præmonſtratam mittat foveam, ut nullatenus poſſit injunctum opus * efficere: putaſne illi aliquatenus impotentiam iſtam ad excuſationem valere, * cur opus injunctum non faciat? *Bos.* Nullo modo, ſed ad augmentum potius culpæ; quoniam ipſe impotentiam illam ſibi fecit. Dupliciter namque peccavit, quia & quod juſſus eſt facere, non fecit; & quod præceptum eſt ne faceret, fecit. *Anſ.* Ita homo, qui ſe ſponte obligavit * illo debito, quod ſolvere non poteſt; & ſuâ culpâ dejecit ſe in hanc impotentiam, ut nec illud poſſit ſolvere, quod debebat ante peccatum, id eſt, ne peccaret; nec hoc quod debet quia peccavit: inexcuſabilis eſt. Ipſa namque impotentia culpa eſt; quia non debet eam habere, imò debet eam non habere: nam ſicut culpa eſt non habere quod debet habere; ita culpa eſt habere quod debet non habere. Sicut ergo culpa eſt homini non habere poteſtatem illam, quam accepit ut poſſet cavere peccatum: ſic culpa eſt illi habere impotentiam, * quâ nec injuſtitiam tenere, & peccatum cavere; nec quod pro peccato debet, reddere poteſt. Sponte namque fecit, unde perdidit illam poteſtatem, & devenit in hanc impotentiam. Idem enim eſt non habere poteſtatem, quam debet habere; & habere impotentiam, quam debet non habere. Quapropter impotentia reddendi Deo quod debet, quæ facit ut non reddat, non excuſat hominem, ſi non reddit: quoniam * effectum peccati non excuſat peccatum quod * facit. *Bos.* Et grave nimis eſt, & ita eſſe neceſſe eſt. *Anſ.* Injuſtus ergo homo eſt, qui non reddit Deo quod debet. *Bos.* Nimis eſt verum; nam injuſtus eſt, quia non reddit: & injuſtus eſt, quia reddere nequit. *Anſ.* Nullus autem injuſtus * admittetur ad beatitudinem; quoniam quemadmodum beatitudo eſt ſufficientia, in qua nulla eſt indigentia: ſic nulli convenit, niſi in quo ita pura eſt juſtitia, ut nulla in eo ſit injuſtitia. *Bos.* Non audeo aliter credere. *Anſ.* Qui ergo non ſolvit Deo quod debet, non * poterit eſſe beatus. *Bos.* Nec hoc conſequi negare * poſſum. *Anſ.* Quod ſi vis dicere quia miſericors Deus dimittit ſupplicanti quod debet, idcirco quia reddere nequit; non poteſt dici dimittere, niſi aut hoc, quod homo ſponte reddere debet, nec poteſt, id eſt quod recompenſari poſſit peccato quod fieri non de-

* al. effectus
* al. sed
* al. admittetur
* al. potest

Digitized by

Deriſio eſt ut talis miſericordia Deo attribuatur, quæ eam dimittat homini quem homo reddere non poteſt.

beret pro converſatione omnis rei, quæ Deus non eſt: aut hoc, quod puniendo erat ablaturus invito, ſicut ſupra dixi, id eſt, beatitudinem: ſed ſit dimittit quod ſponte reddere debet homo; ideo quia reddere non poteſt; quid eſt aliud, quàm dimittit Deus quod habere non poteſt? Sed derilio eſt, ut talis miſericordia Deo attribuatur. At ſi dimittit quod invito erat ablaturus, propter impotentiam reddendi quod ſponte reddere debet; relaxat Deus pœnam, & facit beatum hominem propter peccatum, quia habet quod debet non habere. Nam ipſam impotentiam debet non habere, & idcirco quandiu illam habet ſine ſatisfactione, peccatum eſt illi: verùm hujuſmodi miſericordia Dei nimis eſt * contraria juſtitiæ illius, quæ non niſi pœnam permittit reddi propter peccatum. Quapropter quemadmodum Deum ſibi eſſe contrarium; ita hoc modo illum eſſe miſericordem eſt impoſſibile. *Boſ.* Aliam Dei miſericordiam video eſſe quærendam, quàm iſtam. *Anſ.* Verum eſto: * dimittit Deus ei, qui non ſolvit quod debet, idcirco quoniam non poteſt. *Boſ.* Ita vellem. *Anſ.* At quandiu non reddet; aut volet reddere, aut non volet. * Sed ſi volet quod non poterit; indigens erit: Si verò non volet; injuſtus erit. *Boſ.* Hoc nihil clarius. *Anſ.* Sive autem indigens, ſive injuſtus ſit; beatus non erit. *Boſ.* Et hoc apertum. *Anſ.* Quamdiu ergo * non reddet, beatus eſſe non poterit. *Boſ.* Si rationem ſequatur Deus juſtitiæ, non eſt qua evadat miſer homuncio; & miſericordia Dei perire videtur. *Anſ.* Rationem poſtulaſti, rationem accipe; miſericordem Deum eſſe non nego, qui homines & jumenta ſalvat, quemadmodum multiplicavit miſericordiam ſuam. Nos autem loquimur de illa ultima miſericordia, qua poſt hanc vitam beatum facit hominem: hanc beatitudinem nulli * dari debere, niſi illi, cui * penitus dimiſſa ſunt peccata; nec hanc dimiſſionem fieri, niſi debito reddito, quod debetur pro peccato ſecundùm magnitudinem peccati, ſuprapoſitis rationibus puto me ſufficienter oſtendiſſe. Quibus ſi quid tibi videtur poſſe rationibus objici, dicere * debes. *Boſ.* Ego utique nullam tuarum rationum aliquatenus infirmari poſſe video. *Anſ.* Neque ego, ſi bene conſiderentur, * exiſtimo: veruntamen ſi vel una de omnibus, quas poſui, inexpugnabili veritate roboratur, ſufficere debet. Sive namque uno, ſive pluribus argumentis veritas inexpugnabiliter monſtretur, æqualiter ab omni dubitatione defenditur. * *Boſ.* Ecce ita eſt. Quomodo ergo ſalvus erit homo, ſi ipſe * nec ſolvit quod debet; nec ſalvari * ſi non ſolvit, * debet? aut qua fronte * aſſeremus Deum in miſericordia divitem * ſupra humanum intellectum, hanc miſericordiam facere non poſſe? *Anſ.* Hoc debes * nunc ab illis exigere (qui Chriſtum non eſſe credunt neceſſarium ad * illam ſalutem hominis) quorum vice loqueris; ut dicant qualiter homo ſalvari ſine Chriſto poſſit. Quòd ſi non poſſunt ullo modo; deſinant nos irridere, & accedant, & * jungant ſe nobis, qui non dubitamus hominem ſalvari poſſe per Chriſtum; aut deſperent hoc ullo modo poſſe fieri: Quod ſi horrent; credant nobiſcum in Chriſtum, ut poſſint ſalvari. *Boſ.* A te quæram, ſicut incœpi, ut oſtendas mihi qua ratione ſalvetur homo per Chriſtum.

el. Quod

el. dare

el. debeas

el. dicas

el. ut

CAPUT XXV.

Quòd ex neceſſitate per Chriſtum ſalvetur homo.

ANSELM.

NOnne ſufficienter probatur per Chriſtum hominem poſſe ſalvari; cùm etiam infideles non negent hominem ullo modo poſſe fieri beatum: & ſatis oſtenſum ſit quia ſi ponimus Chriſtum non eſſe, nullo modo poteſt inveniri ſalus hominis? Aut enim per Chriſtum; aut alio aliquo, * aut nullo modo potuit homo ſalvus eſſe: quapropter ſi falſum eſt quia nullo, aut aliquo alio modo poteſt hoc eſſe; neceſſe eſt fieri per Chriſtum. *Boſ.* Si quis videns rationem quia alio modo non poteſt eſſe, & non intelligens qua ratione per Chriſtum eſſe valeat; aſſerere velit quia nec per Chriſtum, nec ullo modo queat hoc eſſe: quid huic reſpondebimus? *Anſ.* * Quid reſpondendum eſt illi, qui idcirco aſtruit eſſe impoſſibile quod neceſſe eſt eſſe; quia neſcit quomodo * ſit? *Boſ.* Quia inſipiens eſt. *Anſ.* Contemnemdum eſt ergo quod dicit. *Boſ.* Verum * eſt; ſed hoc ipſum illi oſtendendum eſt qua ratione ſit, quod putat impoſſibile. *Anſ.* An non intelligis ex his, quæ ſupra diximus, quia neceſſe eſt aliquos homines ad beatitudinem pervenire? Nam ſi Deo eſt inconveniens hominem cum aliqua macula perducere ad hoc, ad quod illum ſine * omni macula fecit; ne aut boni incœpti pœnitere, aut propoſitum implere non poſſe videatur: multò magis propter eandem inconvenientiam impoſſibile eſt nullum hominem ad hoc provehi, ad quod factus eſt. Quapropter aut extra fidem Chriſtianam invenienda eſt peccati ſatisfactio, qualem ſuprà eſſe debere oſtendimus; quod nulla ratio poteſt oſtendere: aut indubitanter in illa eſſe credenda eſt. Quod enim * neceſſariâ ratione veraciter eſſe colligitur, id in nullam debet * deduci * dubietatem; etiamſi * ratio, quomodo ſit, non percipitur. *Boſ.* Verum eſt quod dicis. *Anſ.* Quid ergo quæris ampliùs? *Boſ.* Non ad hoc veni, ut auferas mihi * fidei dubitationem; ſed ut oſtendas mihi certitudinis meæ rationem: quapropter ſicut me rationabiliter deduxiſti ad hoc, ut videam hominem peccatorem hoc debere Deo pro peccato, quod * & reddere nequit; & niſi reddiderit ſalvari non valet: ita volo me perducas illuc, ut rationabili neceſſitate intelligam eſſe oportere omnia illa, quæ nobis fides Catholica de Chriſto credere præcipit, ſi volumus ſalvari; & * quid valeant ad ſalutem hominis; & qualiter Deus miſericordiâ ſalvet hominem, cùm non dimittat illi peccatum, niſi reddiderit quod propter illud debet: & ut certiores ſint argumentationes tuæ; ſic à longè incipe, ut eas ſupra firmum fundamentum conſtituas. *Anſ.* Adjuvet me nunc Deus, quia tu nullatenus mihi parcis, nec conſideras imbecillitatem ſcientiæ meæ, cui tam magnum opus injungis. Tentabo tamen, quandoquidem incœpi, non in me, ſed in Deo confidens; & faciam quod, ipſo adjuvante, potero. Sed ne faſtidium hæc volenti legere, nimis longâ continuatione * generetur, à dictis dicenda alio exordio diſtinguamus.

al. Quod

Infanis qui negat eſſe poſſibile, quod neſcit quomodo ſit.

al. rationes

Homo Deo reddere nequit quod debet pro peccato: quod tamen niſi reddatur, homo ſalvari non valet

al. quomodo

LIBER SECUNDUS.

CUR DEUS HOMO.

CAPUT I.

** Quòd homo à Deo factus ſit juſtus, ut Deo fruendo beatus eſſet.*

RAtionalem * naturam à Deo factam eſſe juſtam, ut illo fruendo beata eſſet, dubitari non debet. * Ideo namque rationalis eſt, ut diſcernat inter juſtum & injuſtum, inter bonum & malum, inter * majus bonum & minus bonum; alioquin fruſtra facta eſſet rationalis. Sed Deus non fecit eam rationalem fruſtra. Quare ad hoc eam factam * eſſe rationalem dubium non eſt. Simili ratione probatur quia ad hoc accepit poteſtatem diſcernendi, ut odiſſet & vitaret malum, ac amaret & * eligeret bonum, atque * majus bonum magis diligeret & eligeret. Aliter namque fruſtra illi Deus dediſſet poteſtatem illam diſcernendi: quia in

al. magis

al. conſtat

al. diligeret

al. magis

Digitized by Google

vanum diſcerneret, ſi ſecundùm diſcretionem non amaret & vitaret. Sed non convenit ut Deus tantam poteſtatem fruſtra dederit. Ad hoc itaque factam eſſe rationalem naturam certum eſt, ut ſummum bonum ſuper omnia amaret, & * eligeret, non propter, aliud, ſed propter ipſum; ſi enim propter aliud, non ipſum, ſed aliud amat. * At hoc nisi juſta facere nequit. Ut igitur fruſtra non ſit rationalis, ſimul ad hoc rationalis & juſta facta eſt. Quod ſi ad ſummum bonum eligendum & amandum juſta facta eſt; aut talis ad hoc facta eſt, ut aliquando aſſequeretur quod amaret & eligeret; aut non. Sed ſi non ad hoc juſta * eſt facta, ut quod ſic amat & eligit aſſequatur; fruſtra facta eſt talis, ut ſic illud amet & eligat; nec ulla ratio erit, cur illud aſſequi debeat aliquando. Quandiu ergo amando & eligendo ſummum bonum, juſta faciet ad quod facta eſt, miſera erit; quia indigens erit contra voluntatem, non habendo quod deſiderat: quod nimis abſurdum eſt. Quàpropter rationalis natura juſta eſt facta, ut ſummo bono, id eſt, Deo, fruendo beata eſſet: homo ergo, qui rationalis natura eſt, factus eſt juſtus ad hoc, ut Deo fruendo beatus eſſet.

al. Ad

al. juſta facta eſt

*Abſurdum eſt naturam rationalem & juſtam, non eſſe factam ad fruendo ſummo bono, & * beata ſit.*

CAPUT II.

Quòd homo non moreretur, ſi non peccaſſet.

ANSELM.

QUòd autem talis factus ſit, ut neceſſitate non moreretur, * hinc facilè probatur; quia, ut jam diximus, ſapientiæ & juſtitiæ Dei repugnat, ut cogeret hominem * mortem pati ſine culpa, quem juſtum * fecit ad æternam beatitudinem. Sequitur ergo quia ſi nunquam peccaſſet, nunquam moreretur.

al. hoc

Sapientia & juſtitia Dei repugnat hominem mortem pati ſine culpa.

CAPUT III.

*Quòd cum corpore, in quo vivit in hac vitâ, homo * reſurget.*

al. reſurgat

ANSELM.

UNde apertè quandoque futura mortuorum reſurrectio probatur. Quippe ſi homo perfectè reſtaurandus eſt; talis debet reſtitui, qualis futurus erat, ſi non peccaſſet. *Boſ.* Aliter eſſe non poteſt. *Anſ.* Quemadmodum igitur ſi non peccaſſet homo, cum eodem, quod gerebat, corpore in incorruptibilitatem tranſmutandus erat; ita oportet ut cùm reſtaurabitur, cum ſuo, in quo vivit in hac vita, corpore reſtauretur. * *Boſ.* Quid reſpondebimus, ſi quis dicat quia hoc fieri oportet de illis, in quibus humanum genus reſtaurabitur; de reprobis verò non eſt neceſſe? *Anſ.* Nihil juſtius aut convenientius * intelligitur; quàm ut ſicut homo, ſi perſeveraſſet in juſtitia, totus, id eſt, anima & corpore æternè beatus eſſet: ita ſi perſeverat in injuſtitia, totus ſimiliter æternè miſer * ſit. *Boſ.* Breviter mihi de his ſatisfeciſti.

Homo, ſi non peccaſſet, cum corpore in incorruptibilitatem erat tranſmutandus.

al. Intelligi

al. erit

CAPUT IV.

Quòd de humana natura perficiet Deus quod incœpit.

ANSELM.

EX his eſt facile cognoſcere quoniam * aut hoc de humana natura perficiet Deus quod incœpit; aut in vanum fecit tam ſublimem naturam ad tantum bonum. At ſi nihil pretioſius agnoſcitur Deus feciſſe, quàm rationalem naturam ad gaudendum de ſe; valde alienum eſt ab eo, ut * ullam rationalem naturam penitus perire ſinat. *Boſ.* Non poteſt aliter putare cor rationale. *Anſ.* Neceſſe eſt ergo ut de humana natura perficiat quod incœpit; hoc autem fieri, ſicut diximus, nequit, niſi per integram peccati ſatisfactionem, quam nullus peccator facere poteſt. *Boſ.* Intelligo jam neceſſe eſſe, ut Deus perficiat quod incœpit; ne aliter quam deceat à ſuo incœpto videatur deficere.

al. ad

al. illum

CAPUT V.

*Quòd quamvis hoc veriſſ. ſit fieri: tamen hoc non faciet cogente neceſſitate: & * quæ ſit neceſſitas, quæ aufert gratiam aut minuit; & * quæ neceſſitas * angeat.*

al. quid

BOSO.

SEd ſi ita eſt; videtur quaſi cogi Deus neceſſitate vitandi indecentiam, ut ſalutem procuret humanam. Quomodo ergo negari poterit plus hoc propter ſe facere, quàm propter nos? At ſi ita eſt; quam gratiam illi debemus, pro eo quod * facit propter ſe? Quomodo etiam noſtram imputabimus ſalutem ejus gratiæ, ſi nos ſalvat neceſſitate? *Anſ.* Eſt neceſſitas, quæ * benefacienti gratiam aufert aut minuit; & eſt neceſſitas, qua major * beneficio gratia debetur. Cùm enim aliquis eà neceſſitate, cui ſubjacet invitus, benefacit; aut nulla, aut minor illi gratia debetur. Cùm verò ipſe ſe ſponte neceſſitati benefaciendi ſubdit, nec invitus eam ſuſtinet; tunc utique beneficii gratiam meretur majorem. Non enim hæc eſt dicenda neceſſitas, ſed gratia; quia nullo cogente illam ſuſcepit aut ſervat, ſed gratis. Nam ſi * quod hodie ſponte promittis te cras daturum eàdem cras voluntate das, quamvis neceſſe ſit te cras reddere promiſſum, ſi * potes, aut mentiri; non tamen minùs tibi debet ille pro impenſo beneficio, cui das, quàm ſi non promiſiſſes: quoniam te debitorem ante tempus dationis illi facere non es coactus. Tale eſt cùm quis ſanctæ converſationis ſponte vovet propoſitum. Quamvis namque ſervare illud ex neceſſitate poſt votum debeat, ne apoſtatæ damnationem incurrat; & licet cogi * poſſit ſervare, ſi nolit: ſi tamen non invitus ſervat quod vovit, non minùs, ſed magis gratus eſt Deo, quàm ſi non vovitſet: quoniam non ſolùm communem vitam, ſed etiam ejus licentiam ſibi propter Deum abnegavit; nec ſanctè vivere dicendus eſt neceſſitate, ſed eâdem, qua vovit, libertate. Quare multò magis ſi Deus facit bonum homini quod incœpit, licet non deceat eum à bono * incœpto deficere, totum gratiæ debemus imputare: quia hoc propter nos, non propter ſe nullius egens incœpit. Non enim illum latuit quid homo facturus erat, cùm illum fecit: & tamen bonitate ſua illum creando, ſponte ſe ut perficeret incœptum bonum quaſi obligavit. Denique Deus nihil facit neceſſitate: quia nullo modo cogitur, aut prohibetur aliquid facere. Et cùm dicimus Deum aliquid facere quaſi neceſſitate vitandi inhoneſtatem, quam utique non timet; potius intelligendum eſt * quia hoc facit neceſſitate ſervandæ honeſtatis: quæ ſcilicet neceſſitas non eſt aliud, quàm immutabilitas honeſtatis ejus, quam à ſeipſo, & non ab alio habet; & idcirco improprie dicitur neceſſitas. * Dicamus tamen quia neceſſe eſt ut bonitas Dei propter immutabilitatem ſuam perficiat de homine quod incœpit; quamvis totum ſit gratia bonum quod * facit. *Boſ.* Concedo.

al. quæ

al. benefaciendi

Deus nihil facit neceſſitate, quam non cogitur aut prohibetur aliquid facere.

al. facit

CAPUT VI.

Quòd ſatisfactionem, per quam ſalvatur homo, non poſſit facere niſi Deus homo.

ANSELM.

HOc autem fieri nequit, niſi ſit qui ſolvat Deo pro peccato hominis aliquid majus, quàm omne quod * præter Deum eſt. *Boſ.* Ita conſtat. *Anſ.* Illum quoque, qui de ſuo poterit Deo dare aliquid, quod ſuperet omne quod ſub Deo eſt, majorem eſſe neceſſe eſt, quàm omne quod non eſt Deus. *Boſ.* Nequeo

al. Deumque eſt

negare. *Anſ.* Nihil autem eſt * ſupra omne quod Deus non eſt, niſi Deus. *Boſ.* Verum eſt. *Anſ.* Non ergo poteſt hanc ſatisfactionem facere, niſi Deus. *Boſ.* Sic ſequitur. *Anſ.* Sed nec facere illam debet, niſi homo; alioquin non ſatisfacit homo. *Boſ.* Non videtur aliquid juſtius. *Anſ.* Si ergo, ſicut conſtat, neceſſe eſt ut de hominibus perficiatur illa ſuperna civitas; nec hoc eſſe valet, niſi fiat prædicta ſatisfactio, quam nec poteſt facere niſi Deus, nec debet niſi homo; neceſſe eſt ut eam faciat Deus homo. *Boſ.* Benedictus Deus: jam magnum quiddam invenimus de hoc quod quærimus: proſequere igitur ut incœpiſti. Spero enim quia Deus nos adjuvabit. *Anſ.* Inveſtigandum eſt nunc quomodo poſſit * fieri Deus homo.

al. quod ſu per omne ſit

al. eſſe

CAPUT VII.

Quòd neceſſe ſit eundem ipſum eſſe perfectum Deum, & perfectum hominem.

Natura divina converti non poſſit in humanam, nec humana in divinam.

DIvina * enim natura & humana non poſſunt in invicem mutari, ut divina fiat humana, vel humana divina; nec ita miſceri, ut quædam tertia ſit ex duabus, quæ nec divina ſit omnino, nec humana. Denique ſi fieri poſſet ut altera in alteram converteretur, aut eſſet tantùm Deus, & non homo; aut ſolùm homo, & non Deus. Aut ſi miſcerentur ita ut ex duabus corruptis fieret quædam tertia (quemadmodum de duobus individuis animalibus diverſarum ſpecierum maſculo & fœmina naſcitur tertium, quod nec patris integram, nec matris ſervat naturam; ſed ex utraque tertiam * mixtam) nec homo eſſet, nec Deus. Non igitur poteſt fieri homo Deus, quem quærimus, ex divina & humana natura, aut converſione alterius in alteram, aut corruptivâ commixtione utriuſque in tertiam: quia hæc fieri nequeunt; aut ſi fieri valerent, nihil ad hoc quod quærimus * valerent. Si autem quolibet modo ita conjũgi dicuntur hæ duæ naturæ integræ, ut tamen alius ſit homo, alius ſit Deus, & non idem ſit Deus qui & homo; impoſſibile eſt ut ambo faciant quod fieri neceſſe eſt. Nam Deus non faciet, quia non * debebit; & homo non faciet, quia non poterit: ut ergo hoc faciat Deus homo, neceſse eſt eundem ipſum esse perfectum Deum, & perfectum hominem, qui hanc ſatisfactionem facturus eſt: quoniam eam facere non poteſt, niſi verus Deus; nec debet, niſi * verus homo. Quoniam ergo, ſervatâ integritate utriuſque naturæ, neceſſe eſt inveniri Deum hominem; non minùs neceſſe eſt has duas naturas integras convenire in unam perſonam, quemadmodum corpus & anima rationalis conveniunt in unum hominem: quoniam aliter fieri nequit ut idem ipſe ſit perfectus Deus & perfectus homo. *Boſ.* Totum mihi placet quod dicis.

Nec poſſunt iſta naturæ ita miſceri, ut ex duabus una tertia fiat.

al. valeret

CAPUT VIII.

Quòd ex genere Adæ, & de Virgine fœmina Deum oporteat aſſumere hominem.

ANSELM.

REſtat nunc quærere unde & quomodo aſſumet Deus humanam naturam. Aut enim aſſumet eam de * Adam; aut faciet novum hominem, quemadmodum fecit Adam de nullo alio homine. Sed ſi novum hominem * facit non ex Adæ genere; non pertinebit ad genus humanum, quod natum eſt de Adam: quare non debebit ſatisfacere pro eo, quia non erit de eo. Sicut enim rectum eſt ut pro culpa hominis homo ſatisfaciat; ita neceſſe eſt ut ſatisfaciens idem ſit qui peccator aut ejuſdem generis: aliter namque nec Adam, nec genus ejus * ſatisfaceret pro ſe. Ergo ſicut Adam & Eva peccatum in omnes homines propagatum eſt; ita nullus, niſi vel ipſi, vel qui de illis naſcitur, pro peccato hominum ſatisfacere debet. Quoniam ergo illi nequeunt; neceſſe eſt ut de illis ſi qui hoc faciet. Amplius: ſicut Adam & totum genus * ejus per ſe ſtetiſſet ſine ſuſtentatione alterius creaturæ, ſi non peccaſſet: ita oportet ut ſi idem genus * reſurgit poſt caſum, per ſe reſurgat & relevetur. Nam per quemcunque in ſtatum ſuum reſtituatur, per illum utique ſtabit, per quem ſtatum ſuum recuperabit. Deus etiam quando humanam naturam primitùs fecit in ſolo Adam; nec fœminam, ut de utroque ſexu multiplicarentur homines, facere voluit niſi de ipſo; * apertè monſtravit ſe non niſi de Adam voluiſſe facere quod de humana natura facturus erat. Quapropter ſi genus Adæ per aliquem relevatur hominem, qui non ſit de eodem genere; non in illam dignitatem quam * habiturum erat, ſi non peccaſſet Adam, & ideo non integrè reſtaurabitur, & Dei propoſitum deficere videbitur: quæ duo inconvenientia ſunt: ergo neceſse eſt, ut de Adam aſſumatur homo, per quem * reſtauretur genus Adæ. *Boſ.* Si rationem ſequimur, ſicut propoſuimus, hoc inevitabiliter oportet eſſe. *Anſ.* Inveſtigemus nunc utrùm aſſumenda ſit à Deo natura hominis de patre & de matre, ſicut alii ſunt homines; aut de viro ſine fœmina; aut de fœmina ſine viro. Nam quocunque modo ex his tribus modis ſit, de Adam & de Eva erit, de quibus eſt omnis homo utriuſque ſexus; nec aliquis modus ex tribus his facilior eſt Deo quàm * alii, ut eo modo potius debeat aſſumi. *Boſ.* Bene procedis. *Anſ.* Verùm non eſt opus multo labore, ut oſtendatur quia mundiùs & honeſtiùs procreabitur homo ille de ſolo viro vel fœmina, quàm de commixtione utriuſque, ſicut omnes alii filii hominum. *Boſ.* Sufficit. *Anſ.* Aut ergo de ſolo viro, aut de ſola fœmina aſſumendus eſt. *Boſ.* Aliunde non poteſt. *Anſ.* Quatuor modis poteſt Deus facere hominem; videlicet, aut de viro & de fœmina, ſicut aſſiduus uſus monſtrat; aut nec de viro, nec de fœmina, ſicut creavit Adam; aut de viro ſine fœmina, ſicut fecit Evam; aut de fœmina ſine viro; quod nondum fecit. Ut igitur hunc quoque modum probet ſuæ ſubjacere poteſtati, & ad hoc ipſum opus dilatum eſſe; nihil convenientius, quàm ut de fœmina ſine viro aſſumat illum hominem quem quærimus. Utrùm autem de virgine, aut de non virgine digniùs hoc fiat, non eſt opus diſputare; ſed ſine omni * dubitatione aſſerendum eſt quia de virgine Deum * hominem naſci oportet. *Boſ.* Secundùm placitum cordis mei loqueris. *Anſ.* Eſtne ſolidum hoc quod diximus; aut vanum aliquid, ſicut nubes: quod dixiſti nobis infideles objicere? *Boſ.* Nihil ſolidius. *Anſ.* Pinge igitur non ſuper * fictam vanitatem, ſed ſuper ſolidam veritatem, & dic quia valde convenit ut quemadmodum hominis peccatum & cauſa noſtræ damnationis * initium ſumpſit à fœmina; ita medicina peccati, & cauſa noſtræ * ſalvationis naſcatur de fœmina: ac ne mulieres deſperent ſe pertinere ad ſortem beatorum, quoniam de fœmina tantum malum proceſſit; oportet ut ad reformandam ſpem earum, de muliere tantum bonum procedat. Pinge & * hoc: Si virgo erat, quæ cauſa fuit humano generi totius mali; multò magis decet ut virgo ſit, quæ cauſa erit totius boni. Hoc quoque pinge: Si mulier, quam fecit Deus de viro ſine fœmina, facta eſt de virgine; convenit valde ut vir quoque, qui fiet de fœmina, ſine viro fiat de virgine. Sed de picturis, quæ poſſunt pingi ſuper hoc, quia Deus homo de virgine muliere naſci debet; iſta nunc ſufficiant. *Boſ.* Valde pulchræ & rationabiles ſunt iſtæ picturæ.

al. humanum

al. reſtaurandum eſt

al. alius

al. diſputatione

al. ſicutam

al. principium

Ut damnationis initium à fœmina, ita ſalutis cauſa naſcatur de fœmina.

CAPUT

CAPUT IX.

Quòd neceſſe ſit Verbum ſolum, & hominem in unam convenire perſonam.

ANSELM.

NUnc quoque quærendum eſt in qua perſona Deus, qui eſt tres perſonæ, hominem aſsumat. Plures enim perſonæ nequeunt unum eundemque hominem aſsumere in* unitatem perſonæ. Quare in una perſona tantùm hoc fieri neceſse eſt. Sed de hac unitate perſonæ Dei & hominis: & in qua perſona Dei hoc magis fieri oporteat, in* epiſtola de Incarnatione Verbi ad Dominum Papam Urbanum directa, quantum ad præſentem inveſtigationem ſufficere puto, * locutus ſum. *Boſ.* Breviter tamen* hic tange cur potius perſona Filii * debeat incarnari, quàm Patris * aut Spiritus ſancti? *Anſ.* Si quælibet alia perſona incarnetur, erunt duo filii in Trinitate, Filius, ſcilicet, Dei, qui & ante incarnationem Filius eſt; & ille, qui per incarnationem Filius erit Virginis: & erit in perſonis, quæ ſemper æquales eſse debent, inæqualitas ſecundùm dignitatem nativitatum. Digniorem namque nativitatem habebit natus ex Deo, quàm natus ex Virgine. Item: ſi Pater fuerit incarnatus, erunt duo nepotes in Trinitate; quia Pater erit nepos parentum Virginis per hominem aſsumptum; & Verbum, cùm nihil habeat de homine, nepos tamen erit* Virginis, quia filii ejus erit filius: quæ omnia inconvenientia ſunt, nec in Incarnatione Verbi contingunt. Eſt & aliud, cur magis conveniat incarnari Filio, quàm aliis perſonis: quia convenientius ſonat Filium ſupplicare Patri, quàm aliam perſonam* alii. Item: homo, pro quo erat oraturus; diabolus, quem erat expugnaturus; ambo falſam ſimilitudinem Dei per propriam voluntatem præſumpſerant. Unde quaſi ſpecialiùs adversùs perſonam Filii * peccaverunt, qui vera Patris ſimilitudo creditur. Illi itaque, cui ſpecialiùs fit injuria, convenientiùs attribuitur culpæ vindicta, aut indulgentia. Quapropter cùm ratio nos inevitabilis perduxerit ad hoc, ut neceſse ſit divinam & humanam naturam in unam convenire perſonam: nec hoc fieri poſſit in pluribus perſonis Dei, & hoc convenientiùs fieri pateat in perſona Verbi, quàm in aliis: neceſse eſt Verbum Deum & hominem in unam convenire perſonam. *Boſ.* Sic eſt via, qua me ducis, undique munita ratione; ut neque ad dexteram, neque ad ſiniſtrā videam me ab illa poſse declinare. *Anſ.* Non ego te duco; ſed ille, de quo loquimur, ſine quo nihil poſſumus, nos ducit ubicunque viam veritatis tenemus.

al. c. 5. al. 4.

al. quæ locutus ſit. hoc

CAPUT X.

Quòd idem homo non ex debito moriatur: & quomodo poſſit vel non poſſit peccare: & cur ille, vel Angelus de ſua juſtitia laudandus ſit; cùm peccare non poſſint.

ANSELM.

UTrùm autem homo ille ſit moriturus ex debito, ſicut* omnes alii homines ex debito moriuntur, * non inveſtigare debemus: Sed ſi Adam moriturus non erat, ſi non peccaſset; multò magis iſte mortem pati non debebit, in quo peccatum eſse non poterit, quia Deus* erit. *Boſ.* In hoc volo te aliquantulùm morari; ſive enim dicatur poſſe, ſive non poſſe peccare, in utroque mihi non parva naſcitur quæſtio. Nam ſi non poſſe peccare dicitur, * difficile credi debere videtur: ut enim aliquantulùm loquar non quaſi de illo, qui nunquam * fuerit, ſicut hactenus fecimus; ſed velut de eo, quem & cujus facta novimus: quis neget illum multa potuiſse facere, quæ peccata dicimus? Quippe, ut alia

al. ſicut alii

al. nemo Chriſtus, in quo peccatum eſſe non potuit, mori non debuit.

al. fuiſſet

A taceam, quomodo dicemus eum non potuiſse mentiri: quod ſemper peccatum eſt? Cùm enim dicat Judæis de Patre: *ſi dixero quia non ſcio eum, ero ſimilis vobis mendax*: & inter hæc verba dicat: *non ſcio eum*: quis eum * dicat eaſdem tres nequiviſse proferre dictiones, ſive aliis verbis, ut ſic diceret, *non ſcio eum*? Quod ſi faceret, ut ipſe ait, eſset mendax, quod eſt eſse peccatorem. Quare, quoniam hoc potuit, peccare potuit. *Anſ.* Et hoc dicere potuit; & peccare non potuit. *Boſ.* * Hoc oſtende. *Anſ.* Omnis poteſtas ſequitur voluntatem. Cùm enim dico quia poſsum loqui vel ambulare, ſubauditur, ſi volo. Si enim non ſubintelligitur voluntas; non eſt poteſtas, ſed neceſſitas. Nam cùm dico quia nolens poſsum trahi aut* vinci, non eſt hæc * mea poteſtas; ſed neceſſitas, & poteſtas alterius. Quippe non eſt aliud, poſsum trahi vel vinci, quàm, alius me trahere vel vincere poteſt. Poſsumus itaque B dicere de Chriſto, quia potuit mentiri, ſi ſubaudiatur, ſi vellet: & quoniam mentiri non potuit nolens, nec potuit velle mentiri; * non minùs dici poteſt nequiviſse mentiri. Sic itaque potuit, & non potuit mentiri. *Boſ.* Nunc redeamus ad inveſtigandum de illo quaſi nondum ſit, ſicut incœpimus. Dico igitur, ſi peccare non poterit, quia ſicut dicis, non poterit velle; ex neceſſitate ſervabit juſtitiam: quare non ex libertate arbitrii juſtus erit. Quæ igitur gratia illi pro juſtitia ſuâ debebitur? Solemus namque dicere Deum idcirco feciſse Angelum & hominem tales qui peccare poſsent; quatenus cùm poſsent deſerere juſtitiam, & ex libertate arbitrii ſervarent; gratiam & laudem mererentur, quæ illis, ſi neceſſitate juſti eſsent, non deberentur. *Anſ.* Nonne Angeli, qui modo peccare nequeunt, laudandi ſunt. *Boſ.* Sunt utique; quia hoc, quod modo non poſſunt, meruerunt per hoc quod potuerunt & noluerunt. *Anſ.* Quid dicis de Deo, qui peccare non poteſt: nec hoc meruit per poteſtatem peccandi, qua non C peccavit: nonne laudandus eſt pro juſtitia ſua? *Boſ.* Hic volo ut reſpondeas pro me: nam ſi dico eum non eſse laudandum, ſcio me mentiri. Si autem dico laudandum, timeo* infirmare rationem, quam dixi de Angelis. *Anſ.* Angeli non ſunt laudandi de juſtitia ſua, quia peccare potuerunt; ſed quia per hoc quodammodo à ſe habent quòd peccare nequeunt: in quo aliquatenus ſimiles ſunt Deo, qui à ſe habet quicquid habet. Dicitur enim dare aliquid, * qui non aufert quando poteſt; & facere eſse aliquid, qui cùm poſſit idipſum facere non eſse, non facit. Sic itaque cùm Angelus potuit auferre ſibi juſtitiam, & non adſtulit; & facere ſe non eſse juſtum, & non fecit; rectè aſseritur ipſe ſibi dediſse juſtitiam, & ſeipſum juſtum feciſse. Hoc D igitur modo habet à ſe juſtitiam: (quia creatura eam aliter à ſe habere nequit) & idcirco laudandus eſt de ſua juſtitia; * nec neceſſitate, ſed libertate juſtus eſt: quia impropriè dicitur neceſſitas, ubi nec coactio ulla eſt, nec prohibitio. Quapropter quoniam Deus perfectè habet à ſe quicquid habet; ille maximè laudandus eſt de bonis quæ habet & ſervat, non ulla neceſſitate; ſed, ſicut ſuprà dixi, propriâ & æternâ immutabilitate. Sic ergo homo ille, qui idem ipſe Deus erit, quoniam omne bonum quod ipſe habebit, à ſe habebit; non neceſſitate, ſed * libertate, & à ſeipſo juſtus, & idcirco laudandus erit. Quamvis enim E humana natura à Divina habeat quod habebit; idem tamen ipſe à ſeipſo (quoniam duæ naturæ una perſona erunt) habebit. *Boſ.* Satisfeciſti mihi ex hoc; & apertè video quia & peccare non poterit; & tamen laudandus erit de juſtitia ſua. Sed nunc quærendum æſtimo; cùm Deus talem * poſset facere hominem, cur non tales fecit Angelos & duos primos homines, ut ſimiliter & peccare non poſsent, & de juſtitia ſua laudandi eſsent? *Anſ.* Intelligis * quæ dicis? *Boſ.* Videor mihi intelligere, & idcirco quæro cur eos tales non fecit? *Anſ.* Quoniam nec potuit, nec debuit fieri ut

Deus quia à ſe habet quicquid habet, non tamen laudandus eſt de juſtitia quam ſervat non ulla neceſſitate, ſed propria & æterna immutabilitate.

al. infirmari

al. quod

Impropriè dicitur ne ceſſitas, ubi nec coactio ulla eſt, nec prohibitio

Chriſtus potuit mentiri, ſi vellet; ſed non potuit velle mentiri.

Angeli, qui peccare nequeunt, non minus laudandi ſunt.

Digitized by Google

unuſquiſque eorum eſset idem ipſe qui Deus, ſicut de homine illo dicimus: & ſi quæris cur non * de tot quot ſunt perſonæ Dei, vel ſaltem de uno hoc fecit; reſpondeo: quia ratio tunc fieri nullatenus hoc exigebat, ſed omnino (quia Deus nihil ſine ratione facit) prohibebat. *Bo.* Erubesco quia hoc quæſivi: dic * quæ dicturus eras. *Anſ.* Dicamus ergo quia mori non debebit quoniam non erit peccator. *Boj.* Concedere me oportet.

CAPUT XI.

Quòd moriatur ex ſua potestate: & quod mortalitas non pertineat ad puram hominis naturam.

ANSELM.

NUnc autem reſtat indagare utrùm poſſit mori ſecundùm humanam naturam: nam ſecundùm divinam incorruptibilis ſemper erit. *Boſ.* De hoc * cur dubitare debemus; cùm ipſe vetus homo futurus ſit; & omnis homo naturaliter mortalis ſit? *Anſ.* Non puto mortalitatem ad puram ſed ad corruptam hominis naturam pertinere. Quippe ſi nunquam peccaſſet homo, & immortalitas ipſius immutabiliter * firmata eſset; non tamen minùs homo eſset verus: & quando mortales in incorruptibilitate reſurgent, non minùs erunt veri homines: nam ſi pertineret ad veritatem humanæ naturæ mortalitas, nequaquam poſſet eſſe homo, qui eſset immortalis: non ergo pertinet ad ſinceritatem humanæ naturæ corruptibilitas, ſive incorruptibilitas: quoniam neutra facit aut deſtruit hominem. Sed altera valet ad ejus miſeriam, altera ad beatitudinem. Sed quoniam nullus homo eſt, qui non moriatur: idcirco mortale ponitur in hominis diffinitione à Philoſophis, qui non crediderunt totum hominem aliquando potuiſſe aut poſſe eſſe immortalem. Quare non ſufficit, ad demonſtrandum illum hominem debere mortalem eſſe, hoc quia verus homo erit. *Boſ.* Quære ergo tu aliam rationem: quia ego illam neſcio ſi tu * neſcis, qua ille probetur poſſe mori. *Anſ.* Dubium non eſt quia ſicut Deus * erit, ita omnipotens erit. *Boſ.* * Verum eſt? *Anſ.* Si ergo volet, poterit animam ſuam ponere, & iterum ſumere. *Boſ.* Si hoc non poteſt, non videtur quòd ſit omnipotens. *Anſ.* Poterit igitur nunquam mori, ſi volet; & poterit mori, & reſurgere. Sive autem animam ſuam ponat nullo alio faciente, ſive alius hoc faciat ut eam ponat ipſo permittente; quantùm ad poteſtatem nihil differt. *Boſ.* Non eſt dubium. *Anſ* Si igitur voluerit permittere, poterit occidi: * &, ſi noluerit non poterit. *Boſ.* Ad hoc nos indeclinabiliter perducit ratio. *Anſ.* Ratio quoque nos docuit quia oportet eum majus aliquid habere, quàm quicquid ſub Deo eſt; quod ſponte det, & non ex debito, * Deo. *Boſ* Ita eſt. *Anſ* Hoc autem * nec ſub illo, nec extra illum inveniri poteſt. *Boſ.* Verum eſt. *Anſ.* In ipſo igitur inveniendum eſt. *Boſ.* Sic ſequitur. *Anſ.* Aut igitur ſeipſum, aut aliquid de ſe dabit. *Boſ.* Non poſſum aliter intelligere. *Anſ.* Quærendum eſt nunc cujuſmodi hæc datio debebit eſſe. Dare namque ſe non poterit Deo, aut aliquid de ſe quaſi non habenti, ut ſuus ſit: quoniam omnis creatura Dei eſt. *Boſ.* Sic eſt. *Anſ.* Sic ergo intelligenda eſt hæc datio: Quia aliquo modo ponet ſe ad honorem Dei, aut aliquid de ſe quo modo debitor non erit. *Boſ.* Ita ſequitur ex ſupradictis. *Anſ.* Si dicimus quia dabit ſeipſum ad obediendum Deo, ut perſeveranter ſervando juſtitiam ſubdat ſe ejus voluntati; non erit hoc dare, quod Deus ab illo non exigat ex debito. Omnis enim rationalis creatura debet hanc obedientiam Deo. *Boſ.* Hoc negari nequit. *Anſ.* Alio itaque modo oportet ut det ſe ipſum Deo, aut aliquid de ſe. *Boſ.* Ad hoc nos impellit ratio. *Anſ.* Videamus ſi fortè hoc ſit vitam ſuam dare, ſive ponere animam ſuam, ſive tradere ſeipſum morti ad honorem Dei. Hoc enim ex debito Deus non exiget ab illo: quoniam namque non erit peccatum in illo, non * debebit mori, ut diximus. *Boſ.* Aliter nequeo intelligere. *Anſ.* Conſideremus adhuc utrùm ſic rationabiliter conveniat. *Boſ* Dic tu; & ego libenter audiam. *Anſ.* Si homo per ſuavitatem peccávit, an non convenit ut per aſperitatem ſatisfaciat? Et ſi tam facilè victus eſt à diabolo, ut Deum peccando exhonoraret, ut faciliùs non poſſet; nonne juſtum eſt, ut homo ſatisfaciens * Deo pro peccato, tantâ difficultate vincat diabolum ad honorem Dei, ut majori non poſſit? An non eſt dignum quatenus qui ſe ſic abſtulit Deo peccando, ut ſe plus auferre non poſſet; ſic ſe det Deo ſatisfaciendo, ut magis ſe non poſſit dare? *Boſ.* Non eſt aliquid rationabilius. *An.* Nihil autem aſperius aut difficilius poteſt homo ad honorem Dei ſponte & non ex debito pati, quàm mortem: & nullatenus ſeipſum poteſt homo magis dare Deo, quàm cùm ſe morti * tradit ad honorem illius. *Bo.* Vera ſunt omnia hæc. *Anſ.* Talem ergo oportet eum eſſe, qui pro peccato hominis ſatisfacere volet; ut mori poſſit, ſi velit. *Boſ.* Video hominem illum planè, quem quærimus, talem eſſe oportere, qui nec ex neceſſitate moriatur, * quoniam erit omnipotens; nec ex debito, quia nunquam peccator erit; & mori poſſit ex libera voluntate, quia neceſſarium erit. *Anſ.* Sunt & alia multa, cur eum valde conveniat hominum ſimilitudinem & converſationem abſque peccato habere; quæ faciliùs & clariùs per ſe patent in ejus vita & operibus, quàm velut ante experimentum ſolâ ratione monſtrari poſſint. Quis enim explicet, quàm neceſſariè, quàm ſapienter factum * eſt, ut ille, qui homines erat redempturus, & de via mortis & perditionis ad viam vitæ & beatitudinis æternæ docendo reducturus, cum hominibus converſaretur; & in ipſa converſatione, cùm eos doceret verbo qualiter vivere deberent, ſeipſum exemplum præberet? Exemplum autem ſeipſum quomodo daret inimicis & mortalibus, ut propter injurias, aut contumelias, aut dolores, aut mortem, à juſtitia non recederent; ſi ipſum hæc omnia ſentire non agnoſcerent?

al. firma

al. in ſe'a *al.* Deus, Deus erit *al.* Unde eſt

al. ſed

Chriſtus Deo debebat obedientiam ut perſeveranter ſervando juſtitiam. Et hanc Deus ab illo exigebat ex debito.

al. debet

al. tradidit

al. cur ego

CAPUT XII.

Quòd quamvis incommodorum noſtrorum particeps ſit; miſer tamen non ſit.

BOSO.

OMnia hæc patenter oſtendunt eum mortalem, & incommodorum noſtrorum participem eſſe oportere. Sed hæc omnia miſeriæ noſtræ ſunt: nunquid ergo miſer erit? *Anſ.* Nequaquam: nam ſicut ad beatitudinem non pertinet commodum, quod habet quis contra voluntatem: ita non eſt miſeria apprehendere ſapienter nullâ neceſſitate aliquod incommodum ſecundùm voluntatem. *Boſ.* Concedendum eſt.

CAPUT XIII.

Quòd cum aliis infirmitatibus noſtris ignorantiam non habeat.

BOSO.

VErùm in hac ſimilitudine, quam habere debet cum hominibus, dic utrùm ignorantiam * quoque, ſicut alias infirmitates noſtras, habiturus ſit? *Anſ.* Quid dubitas de Deo, utrùm ſit omnia ſciens? *Boſ.* Quia quamvis ſit immortalis futurus ex divina natura; mortalis tamen erit ex humana. * Nam cur non ſimiliter poterit illis homo eſſe verè ignorans, ſicut verè mortalis erit? *Anſ.* Illa hominis aſſumptio in unitatem

perſonæ * Dei non niſi ſapienter à ſumma ſapientia fiet; & ideo non aſſumet in homine quod nullo modo utile, ſed valde noxium eſt ad opus quod idem homo facturus eſt. Ignorantia namque ad nihilum illi utilis eſſet, ſed ad multa noxia: quomodo enim tot & tanta opera, quæ facturus eſt, faciet ſine * ſumma ſapientia; aut quomodo illi homines credent, ſi eum * ſcient nelciunt? Si autem * neſcient; ad quid erit ei utilis ignorantia illa? Deinde, ſi nihil amatur, niſi quod cognoſcitur: ſicut nihil erit boni, quod non amet; ita * nullum bonum erit, quod ignoret. Bonum autem nemo perfectè novit, niſi qui illud à malo ſcit diſcernere: hanc quoque diſcretionem nullus ſcit facere, * qui malum * ignorat. Sicut igitur ille, de quo loquimur, omne perfectè ſciet bonum: ita nullum ignorabit malum. Omnem igitur habebit ſcientiam; quamvis eam publicè in hominum converſatione non oſtendat. *Bo.* Hoc in majori ætate ita videtur, ſicut dicis: ſed in infantia, ſicut non erit tempus congruum, ut in illo appareat ſapientia: ita non erit opus, & ideo nec congruum ut illam habeat. *Anſ.* Nonne dixi quia ſapienter fiet illa Incarnatio? Sapienter namque aſſumet Deus mortalitatem; qua ſapienter, * quia valdè utiliter, utetur. Ignorantiam verò non poterit aſſumere ſapienter: quia nunquam eſt utilis, ſed ſemper noxia: niſi forte cùm * per eam mala voluntas, quæ nunquam in illo erit, ab * effectu reſtringitur. Nam etſi aliquando ad aliud non nocet; hoc ſolo tamen nocet, quia ſcientiæ bonum aufert: & ut breviter abſolvam quod quæris: ex quo homo ille erit, plenus Deo ſemper, * ut ſeipſo erit; unde nunquam erit ſine ejus potentia, & fortitudine, & ſapientia. *Boſ.* Quamvis hoc in Chriſto ſemper fuiſſe non dubitarem; ideo tamen quæſtivi, ut de hoc quoque rationem audirem. Sæpe namque aliquid eſſe certi ſumus; & tamen hoc ratione probare neſcimus.

al. immensa

al. sciens al. nesciet

* Sicut Christus omne bonum scivit; ita nullum ignoravit malum.

al. forte per al. affectu

CAPUT XIV.

Quomodo mors ejus prævaleat numero & magnitudini peccatorum omnium.

NUnc rogo ut doceas me, quomodo mors ejus prævaleat numero & * magnitudini peccatorum omnium; cùm unum (quod putamus leviſſimum) peccatum tam infinitum monſtres, ut ſi numerus * obtendatur infinitus mundorum, qui ſic pleni ſint creaturis, ſicut iſte eſt, nec poſſint ſervari quin redigantur in nihilum, niſi faciat aliquis aſpectum unum contra voluntatem Dei, non tamen fieri debeat. *Anſ* Si præſens eſſet homo ille, & quis eſſet ſcires, & diceretur tibi: niſi * occideris hominem illum, peribit mundus ille totus, & quicquid Deus non eſt: faceres hoc pro conſervanda omni alia creatura? *Boſ.* Non facerem; etiam ſi mihi infinitus numerus mundorum * obtenderetur. *Anſ.* Qui, ſi iterum tibi diceretur: aut eum * occidas; aut omnia peccata mundi venient ſuper te? *Boſ.* Reſponderem me potius * alia omnia peccata velle ſuſcipere, non ſolùm hujus mundi, quæ fuerunt & quæ futura ſunt, ſed & quæcunque ſuper hæc cogitari poſſunt; quàm illud ſolum. Quod non ſolùm de occiſione ejus, ſed & de qualibet parva læſione quæ illum tangeret, reſpondere me exiſtimo debere. *Anſ.* Rectè exiſtimas: ſed dic mihi, cur ita cor tuum judicat, ut plus * horreat unum peccatum in læſione hujus hominis; quàm alia omnia, quæ cogitari poſſunt: cùm omnia quæcunque fiunt peccata, contra illum ſint? *Boſ.* Quoniam peccatum quod in perſona ejus fit, incomparabiliter ſuperat omnia illa, quæ extra perſonam illius cogitari poſſunt. *Anſ.* Quid * dices ad hoc, quia ſæpe libenter aliquis patitur quaſdam in ſua perſona moleſtias, ne * majores patiatur in rebus ſuis? *Boſ.* Quia Deus non eget hac * patientia, cujus poteſtati omnia ſubjacent, ſicut tu ſuprà * cuidam meæ interrogationi reſpondiſti. *Anſ.* Benè reſpondes; videmus ergo quia violationi vitæ corporalis hujus hominis nulla immenſitas vel multitudo peccatorum extra perſonam Dei comparari valet. *Boſ.* * Apertiſſimum eſt. *Anſ.* Quantum bonum tibi videtur, cujus * interemptio tam mala eſt? *Boſ.* Si * eſſe ejus tam bonum eſt, quàm mala eſt ejus deſtructio; plus eſt bonum incomparabiliter, quàm ſint ea peccata mala, quæ ſine * æſtimatione ſuperat ejus interemptio. *Anſ.* Verum dicis. Cogita etiam quia peccata tantùm ſunt odibilia, quantùm ſunt mala: & vita iſta tantùm amabilis eſt, quantùm eſt bona. Unde ſequitur quia vita * iſta plus eſt amabilis, quàm ſint peccata odibilia. *Boſ.* Non poſſum * hoc non intelligere. *Anſ.* Putaſne tantum bonum tam amabile poſſe ſufficere ad ſolvendum quod debetur pro peccatis totius mundi? *Boſ.* Imò * plus poteſt in infinitum. *Anſ.* Vides igitur quomodo vita hæc vincat omnia peccata, ſi pro illis detur. *Boſ.* Apertè. *Anſ.* Si ergo dare vitam, eſt mortem accipere: ſicut datio hujus vitæ prævalet omnibus hominum peccatis; ita & acceptio mortis.

al. effendatur

al. occidas

al. offenderetur

al. occidas

al. illa

al. majora

al. sciamus

al. sapientissimum

al. si omne bonum

al. existimatione

Tantum bonum est vita Christi, ut plus quam sufficiat ad solvendum pro peccatis totius mundi.

CAPUT XV.

Quomodo deleat mors eadem etiam peccata cum perimentium.

Boso.

ITa eſſe de omnibus peccatis, quæ perſonam Dei non tangunt, conſtat. Sed nunc video aliud quærendum. Nam ſi tam malum eſt eum occidere, quàm bona eſt vita ejus; quomodo poteſt mors ejus ſuperare & delere peccata eorum, qui eum occiderunt? Aut ſi alicujus eorum * peccatum delet; quomodo non * poteſt aliorum quoque hominum * aliquod * delere? Credimus enim quia & multi ex illis ſalvati ſunt, & innumerabiles alii non * ſalvantur. *Anſ.* Hanc quæſtionem ſolvit Apoſtolus, qui dixit: quia *ſi cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Tantùm namque * differunt ſcienter factum peccatum, & quod per ignorantiam fit: ut malum, quod nunquam facere poſſent pro nimietate ſua, ſi cognoſceretur; veniale ſit, quia ignoranter factum eſt. Deum enim occidere nullus homo unquam, ſcienter ſaltem, velle * poſſet: & ideo qui ullum occiderunt ignoranter, non in illud infinitū peccatum, cui nulla alia comparari poſſunt peccata, prorueruut. Nam * non conſideravimus ejus magnitudinem ad videndum quàm bona eſſet vita illa, ſecundùm hoc quod ignoranter factum eſt; ſed quaſi ſcienter * fieret quod nec unquam fecit aliquis, nec facere potuit. *Boſ.* Rationabiliter interemptores Chriſti ad veniam peccati ſui pertingere * potuiſſe monſtraſti. *Anſ.* Quid jam quæris amplius? Ecce * jam dives quomodo rationabilis neceſſitas oſtendat ex hominibus perficiendam eſſe ſupernam civitatem, nec hoc poſſe fieri niſi per remiſſionem peccatorum, quam homo nullus habere poteſt niſi per hominem, qui idem ipſe ſit Deus, atque ſua morte homines peccatores Deo * reconciliet. Apertè igitur invenimus Chriſtum, quem Deum & * hominem confitemur, eſſe * mortuum propter nos: hoc autem abſque omni * dubietate cognito; cuncta quæ ipſe dicit, certa eſſe, quoniam Deus mentiri nequit, & ſapienter eſſe facta quæ fecit, dubitandum non eſt, quamvis eorum ratio non intelligatur à nobis. *Boſ.* Verum eſt quod dicis: nec aliquatenus quod dixit, eſſe verum; aut quod fecit, rationabiliter eſſe factum, dubito. Sed hoc poſtulo, ut quod quaſi non debere; aut non poſſe fieri videtur infidelibus; in fide Chriſtiana hoc mihi qua ratione fieri debeat, aut poſſit, aperias: non ut me in fide confirmes, ſed ut confirmatum veritatis ipſius intellectu lætifices.

al. peccata

al. aliquos

al. differt

Peccatum formam facti, & peccatum ignorantiæ.

al. non si

al. fiat

al. & mortuum al. omnium

ed by Google

CAPUT XVI.

Qualiter Deus de massa peccatrice assumpsit hominem sine peccato : & de salvatione Adæ & Evæ.

QUapropter sicut eorum, quæ suprà dicta sunt, rationem aperuisti : sic peto ut eorum, quæ sum adhuc quæsturus, rationem ostendas. Primum, scilicet, qualiter de massa peccatrice, * idest, de humano genere, quod totum infectum erat peccato, hominem sine peccato, quasi azymum de * fermentato, Deus assumpsit. Nam licèt ipsa hominis ejusdem conceptio sit munda, & absque carnalis delectationis peccato ; Virgo tamen ipsa, unde assumptus est, est in iniquitatibus concepta, & in peccatis concepit eam mater ejus, & cum originali peccato nata est, quoniam & ipsa in Adam peccavit, in quo omnes peccaverunt. *Anſ.* Postquam constat hominem illum esse Deum, & peccatorum reconciliatorem ; dubium non est eum omnino * sine peccato esse : hoc autem esse non valet, nisi absque peccato de massa peccatrice sit assumptus. Qua verò * ratione sapientia Dei hoc fecit, si non possumus intelligere, non debemus mirari ; sed cum veneratione tolerare aliquid esse in secretis tantæ rei, quod ignoremus. Quippe mirabiliùs Deus restauravit humanam naturam, quàm instauravit : æqualiter enim utrumque Deo facile est ; sed homo antequam esset, non peccavit, ut fieri non deberet. Postquam verò factus est, peccando meruit ut quod & ad quod factus erat, perderet : quamvis non perdiderit omnino quod factus erat, ut esset * qui puniretur, aut cui Deus misereretur : Neutrum enim horum fieri posset, si in nihilum redactus esset. Tantò ergo mirabiliùs Deus illum restituit, quàm instituit : quantò hoc de peccatore contra meritum ; illud non de peccatore, nec contra meritum fecit. Quantùm etiam est Deum & hominem sic in unum convenire, ut servata integritate utriusque naturæ idem sit homo qui Deus. Quis ergo præsumat vel cogitare * quod humanus intellectus valeat penetrare quàm sapienter, quàm mirabiliter tam inscutabile opus factus sit ? *Boſ.* Assentior quia nullus homo potest in hac vita tantum secretum penitus aperire : nec peto ut facias, quod nullus homo facere potest ; sed tantùm, quantùm potes. Plus enim persuadebis altiores in hac re rationes latere, si aliquam te monstraveris videre ; quàm si te nullam in ea rationem intelligere, nihil dicendo, probaveris. *Anſ.* Video me ab importunitate tua non posse liberari : sed si aliquatenus potero quod postulas ostendere, gratias agamus Deo. Si verò non potero ; sufficiant ea quæ suprà probata sunt. Cùm enim constat Deum hominem fieri oportere ; dubium non est sapientiam & potentiam illi non deesse, ut hoc sine peccato fiat. *Boſ.* Sic libenter accipio. *Anſ.* Oportuit * utique ut illa redemptio, quam Christus fecit, prodesset non solùm illis, qui eo tempore fuerunt, sed & aliis. Sit enim rex aliquis, cui totus populus suæ cujusdam civitatis sic peccavit, excepto uno solo, qui tamen est de illorum genere ; ut nullum eorum facere possit, unde mortis damnationem evadat : ille autem, qui solus est innocens, tantam apud regem habeat gratiam, ut possit ; & tantam dilectionem erga reos, ut velit omnes, qui * credent suo consilio, reconciliare quodam servitio ipsi regi valdè placituro, quod facturus est die secundùm voluntatem regis statuto. Et quoniam non omnes possunt, qui reconciliandi sunt, ad diem illam convenire ; concedit rex, propter magnitudinem servitii illius, ut quicunque vel ante, vel post diem illam, confessi fuerint se velle per illud opus, quod ea die fiet, veniam impetrare, & ad pactum ibi constitutum accedere, ab omni culpa sint absoluti præterita : & si contigerit ut post hâc veniam iterum peccent, * si dignè satisfacere & corrigi deinceps A voluerint, per ejusdem pacti efficaciam iterum veniam recipiant : sic tamen, ut nullus palatium ejus ingrediatur ; donec factum sit * hoc, unde culpæ * relaxentur. Secundùm hanc similitudinem, quoniam non * potuerunt omnes homines qui salvandi erant, præsentes esse, quando redemptionem illam Christus fecit ; tanta fuit vis in ejus morte, ut etiam in absentes vel loco, vel tempore, ejus protendatur effectus. Quò autem non * solùm præsentibus prodesse debeat, hinc facilè cognoscitur ; quia non tot præsentes esse ejus morti * potuerunt, quot ad supernæ civitatis constructionem necessarii sunt ; etiamsi omnes, qui ejusdem mortis tempore ubicunque erant, ad illam redemptionem admitterentur. Plures enim sunt dæmones, quàm, B de quibus restaurandus est numerus eorum, ea die viverent homines. Nec credendum est, ex quo factus est homo, ullum tempus fuisse, quo mundus iste cum creaturis * quæ factæ sunt ad usus hominum, sic vacuus fuisset, ut nullus esset in illo ex humano genere ad hoc pertinens, propter quod factus est homo. Videtur enim inconveniens quòd Deus vel uno momento permiserit humanum genus, & ea, quæ fecit propter usum eorum, de quibus superna civitas perficienda est, quasi frustra extitisse. Nam aliquatenus in vanum esse viderentur, quandiu non ad hoc, propter quod maximè * facta essent, viderentur subsistere. *Boſ.* Congruenti ratione, & cui nihil repugnare videtur, monstras nullum unquam tempus fuisse, ex quo factus est homo, absque aliquo, qui ad eam pertineret (sine qua factus esset vanè omnis homo) reconciliationem : C quod non solùm * conveniens, sed etiam * necessarium esse possumus concludere. Si enim convenientius & rationabilius est hoc, quàm aliquando nullum fuisse, de quo intentio Dei, qua hominem fecit, perficeretur ; nec est aliquid, quod huic obviet rationi : necesse est semper aliquem ad prædictam reconciliationem pertinentem fuisse. Unde Adam & Evam ad illam pertinuisse redemptionem dubitandum non est ; quamvis hoc auctoritas divina apertè non pronunciet. *Anſ.* Incredibile quoque videtur, quando Deus illos fecit, & proposuit immutabiliter facere de illis omnes homines, quos ad cœlestem civitatem assumpturus erat ; quòd illos duos ab hoc excluserit proposito. *Boſ.* Imò illos D maximè ad hoc fecisse credi debet, ut essent de illis, propter quos facti sunt. *Anſ.* Benè consideras. Nulla tamen anima ante mortem Christi, paradisum cœlestem ingredi potuit ; sicut suprà dixi de regis palatio. *Boſ.* Sic tenemus. *Anſ.* Virgo autem illa, de qua ille homo assumptus est de quo loquimur, fuit de illis, qui ante * nativitatem ejus per eum mundati sunt à peccatis ; & in ejus ipsa mundicia de illa assumptus est. *Boſ.* * Placeret mihi multùm quod dicis ; nisi cùm ipse debeat à seipso habere munditiam à peccato, videtur eam habere à matre, & non per se mundus * esse, sed per illam. *Anſ.* Non ita est. Sed quoniam matris munditia, per quam mundus est, non fuit nisi ab illo ; ipse quoque per seipsum & à se mundus fuit.

E *CAPUT XVII.*

Quomodo non necessitate mortuus est, qui non potuit esse nisi quia erat moriturus.

B o s o.

BEnè est de hoc. Verùm adhuc mihi aliud videtur quærendum. Diximus enim suprà quia non necessitate moriturus erat & nunc videmus quia mater ejus per ejus mortem futuram munda fuit, quod nisi illa fuisset, ipse de illa esse non potuisset. Quomodo ergo non necessitate mortuus est, qui non nisi quia moriturus erat, potuit esse ? Nam si moriturus non esset ; Virgo, de qua assumptus est, munda non fuisset : quoniam hoc nequaquam valuit esse, nisi veram ejus

al. fermento — Christi conceptio munda fuit ; sed Virgo unde assumptus est, sua originali peccato concepta, & cum originali peccato nata.

al. lectione

al. vel quis humanus

al. Isque — Christi redemptio profuit non tantùm illis qui eo tempore fuerunt, sed & aliis.

al. crederent

al. non

al. posset

al. convenire

al. facta

al. placet

al. post Cap. 16.

Plures sunt dæmones, quàm ea die qua Christus est mortuus, viverent homines, de quibus restaurandus est numerus eorum.

Adam & Eva ad Christi redemptionem pertinuerunt.

Nisi Virgo per futuram Christi mortem munda fuisset, ipse de illa esse non potuisset.

Digitized by Goo

mortem credendo; nec ille de illa potuit aliter aſsumi. Quare ſi non mortuus eſt ex neceſſitate, poſtquam aſsumptus eſt de Virgine; potuit non eſse aſsumptus de Virgine, poſtquam eſt aſsumptus: quod non eſt poſſibile. *Anſ.* Si benè, quæ ſuprà dicta ſunt, conſideraſses; ſanè quæſtionem * in illis, ut puto, ſolutam intellexiſses. *Boſ.* Non video quomodo. *Anſel.* Nonne, quando quæſivimus utrum ille mentiri potuerit, monſtravimus in metiendo duas eſse poteſtates; unam, videlicet, volendi mentiri, alteram mentiendi: & quoniam cùm mentiendi poteſtatem * haberet, hoc à ſeipſo habuit ut non poſset velle mentiri; idcirco de ſua juſtitia, quâ *veritatem ſervavit, cum eſse laudandum? *Boſ.* Ita eſt. *Anſ.* Similiter eſt, in ſervando vitam, poteſtas volendi ſervare, & poteſtas ſervandi. Cùm * ergo quæritur utrùm idem * Deus homo potuerit ſervare vitam ſuam, ut nunquam moreretur; dubitandum non eſt quia ſemper * habuerit poteſtatem ſervandi, quamvis nequiverit velle ſervare, ut nunquam moreretur: & quoniam hoc à ſeipſo habuit, ut, ſcilicet, velle non poſset; non neceſſitate, ſed libera poteſtate animam ſuam poſuit. *Boſ.* Non omnino ſimiles fuerunt in illo iſtæ poteſtates, mentiendi, ſcilicet, & ſervandi vitam. Ibi enim ſequitur quia ſi vellet, poſſet mentiri: hîc autem videtur quia ſi * non vellet; non magis hoc poſſet, quàm poſset non eſse quod erat. Nam ad hoc erat homo ut moreretur; & propter hujuſmodi futuræ mortis fidem de Virgine potuit aſsumi, ſicut ſuprà dixiſti. *Anſ.* Quemamodum putas illum non potuiſſe non mori aut neceſſitate * mortuum eſse; quia non potuit non eſse quod erat: ita potes aſſerere illum non potuiſſe velle non mori, aut neceſſitate mori voluiſſe; quoniam quod erat, non eſse non potuit: non enim magis ipſe factus eſt homo ad hoc ut moreretur, quàm ut vellet mori. Quapropter ſicut non debes dicere quia non potuit non * velle mori, aut neceſſitate voluit mori: ſic non eſt dicendum quia non potuit non mori, aut neceſſitate mortuus eſt. *Boſ.* Imò quoniam eidem ſubjacent rationi, ſcilicet, & mori, & velle mori; utrumque videtur in * illo neceſſitate fuiſſe. *Anſ.* Quis ſe ſponte voluit hominem facere, ut eadem immutabili voluntate moreretur, & per hujus fidem certitudinis virgo munda fieret, de qua homo ille aſsumeretur? *Boſ.* Deus Filius Dei. *Anſ.* Nonne monſtratum eſt ſuprà quòd Dei voluntas nullà cogitur neceſſitate; ſed * ipſa ſe ſponteneâ ſuâ ſervat immutabilitate, quando dicitur aliquid neceſſitate facere? *Boſ.* Verè monſtratum eſt. Sed videmus econtra quia quod Deus immutabiliter vult, non poteſt non eſse, ſed neceſſe eſt eſse. Quapropter ſi Deus voluit ut ille homo moreretur, non potuit non mori. *Anſ.* Ex eo quia Filius Dei aſsumpſit hominem ea voluntate ut moreretur, * probas eundem hominem non potuiſſe non mori. *Boſ.* Ita intelligo. *Anſ.* An non ſimiliter apparuit ex his, quæ dicta ſunt, filium Dei & aſsumptum hominem unam eſse perſonam, ut idem ſit Deus & homo, * Filius Dei & virginis filius? *Boſ.* Sic eſt. *Anſ.* Idem igitur homo ſua voluntate non potuit non mori, & mortuus eſt. *Boſ.* Negare nequeo. *Anſ.* * Quoniam ergo voluntas Dei nullâ neceſſitate facit aliquid, ſed ſuâ poteſtate; & voluntas illius, fuit voluntas Dei; nulla neceſſitate mortuus eſt, ſed ſola ſua poteſtate. *Boſ.* Argumentationibus tuis obviare nequeo: nam nec propoſitiones, quas præmittis, nec conſequentias, quas infers, ullatenus infirmare valeo. Sed tamen * hoc mihi ſemper occurrit, quod * dixi: quia ſi vellet non mori; non magis hoc poſſet, quàm * non eſse quod erat; verè namque moriturus erat: quoniam ſi verè non fuiſſet moriturus: non fuiſſet vera fides futuræ mortis ejus, per quam & illa Virgo de qua natus eſt, & alii multi mundati ſunt à peccato. Nam ſi vera non fuiſſet, nihil prodeſſe potuiſſet. Quapropter ſi * potuit non mori, potuit facere non eſse verum quod verum erat. *Anſ.* Quare verum erat, antequam moreretur, quia moriturus erat? *Boſ.* * Quoniam hoc ipſe ſponte voluit & immutabili voluntate. *Anſ.* Si ergo, ſicut dicis, idcirco non potuit non mori, quia verè moriturus erat: & ideo verè erat moriturus, quia hoc ipſe ſponte & immutabiliter voluit: ſequitur illum non ob aliud non potuiſſe non mori, niſi quia immutabili voluntate voluit mori. *Boſ.* Ita eſt: ſed quæcunque fuerit cauſa, verum eſt tamen quia non potuit non mori & neceſſe fuit illum mori. *Anſ.* Nimis hæres in nihilo: & (ut dici ſolet) quæris nodum in ſcirpo. *Boſ.* An es oblitus quid objecerim excuſationibus tuis in hujus diſputationis noſtræ principio: quia, videlicet, quod poſtulabam, non faceres doctis; ſed mihi, & hoc ipſum mecum petentibus? Suſtine igitur, ut pro tarditate & hebetudine noſtri ingenii quæram; quatenus mihi & illis etiam in puerilibus quæſtionibus, ſicut incepiſti, ſatisfacias.

CAPUT XVIII.*

Quid in Deo non ſit neceſſitas, vel impoſſibilitas: & quid ſit neceſſitas cogens, & neceſſitas non cogens.

ANSELM.

JAm diximus quia Deus impropriè dicitur aliquid non poſſe, aut neceſſitate facere. Omnis quippe neceſſitas, & impoſſibilitas, ejus ſubjacet voluntati. Illius autem voluntas nulli ſubditur neceſſitati aut impoſſibilitati. Nihil enim eſt neceſſarium aut impoſſibile, niſi quia ipſe ita vult: ipſum verò aut velle, aut nolle aliquid propter neceſſitatem aut impoſſibilitatem, alienum eſt à veritate. Quare, quoniam omnia quæ vult, & non niſi quæ vult, facit: ſicut nulla neceſſitas ſive impoſſibilitas præcedit ejus velle aut nolle; ita nec ejus facere aut non facere: quamvis multa velit immutabiliter, & faciat. Et ſicut cùm Deus facit aliquid; poſtquam factum eſt, jam non poteſt non eſse factum; ſed ſemper verum eſt factum eſse, nec tamen rectè dicitur impoſſibile Deo eſse ut faciat quod præteritum eſt non eſse præteritum: nihil enim ibi operatur neceſſitas non faciendi, aut impoſſibilitas faciendi; ſed Dei ſola voluntas, * qui veritatem ſemper (quia ipſe veritas eſt) immutabilem, ſicut eſt, eſse vult. Ita ſi proponit ſe aliquid immutabiliter facturum; quamvis quod proponit, antequam fiat, non poſſit non eſse futurum; non tamen ulla eſt in eo faciendi neceſſitas, aut non faciendi impoſſibilitas: quia ſola operatur in eo voluntas. Quotiens namque dicitur Deus non poſſe, nulla negatur in eo poteſtas; ſed inſuperabilis * ſignificatur potentia & fortitudo. Non enim aliud intelligitur, niſi quia nulla res poteſt efficere ut agat ille, quod negatur poſſe. Nam multùm uſitata eſt hujuſmodi locutio, ut dicatur res aliqua poſſe; non quia in illa, ſed quoniam in alia re eſt poteſtas: * & non poſſe; non quoniam in illa, ſed quia in alia re eſt impotentia. Dicimus namque, ille homo poteſt vinci, pro, aliquis poteſt eum vincere: &, ille non poteſt vinci; pro, nullus eum vincere poteſt. Non enim poteſtas eſt poſſe vinci, ſed impotentia: nec vinci non poſſe, impotentia eſt, ſed poteſtas. Nec dicimus Deum neceſſitate facere aliquid, eò quòd in illo ſit ulla neceſſitas; ſed quoniam eſt in alio: ſicut dixi de * impotentia, quando dicitur non poſſe. Omnis quippe neceſſitas eſt aut coactio, aut prohibitio: quæ duæ neceſſitates convertuntur invicem contrariè, ſicut neceſſe, & impoſſibile. Quicquid namque cogitur eſse, prohibetur non eſse; & quod cogitur non eſse, prohibetur eſse: quemadmodum quod neceſſe eſt eſse, impoſſibile eſt non eſse? & quod neceſſe eſt non eſse,

d by Google

impossibile est esse : & conversim. Cùm autem dicimus aliquid necesse esse aut non esse in Deo, non intelligitur quòd sit in illo necessitas aut cogens aut prohibens : sed significatur quòd in omnibus aliis rebus est necessitas prohibens eas facere, & cogens non facere : contra hoc quod de Deo dicitur. Nam cùm dicimus quòd necesse est Deum semper verum dicere, & necesse * est eum nunquam mentiri ; non dicitur aliud, nisi quia tanta est in illo constantia servandi veritatem ; ut necesse sit nullam rem facere posse, ut verum non dicat, aut ut mentiatur. * Quapropter cùm dicimus quia homo ille, qui secundùm unitatem personæ (sicut supra dictum est) idem ipse est qui Filius Dei Deus, non potuit non mori, aut velle non mori, postquam de Virgine natus est : non significatur in illo ulla impotentia servandi, aut volendi servare vitam suam immortalem ; sed immutabilitas voluntatis ejus, qua se sponte fecit hominem ad hoc, ut in eadem voluntate perseverans moreretur ; & quia nulla res potuit illam voluntatem mutare. Plus enim esset impotentia, quàm potentia ; si posset velle mentiri, aut fallere, aut mutare voluntatem, quam priùs immutabilem esse voluit. Et si (quemadmodum suprà dixi) cùm aliquis sponte se proponit facturum bonum aliquod, & eâdem voluntate postea perficit quod proposuit ; quamvis cogi possit, si nolit promissum solvere ; non tamen dicendus est necessitate facere ; quod facit ; sed eâ, quâ proposuit, liberâ voluntate. Non enim necessitate aut impotentiâ fieri, vel non fieri dici debet aliquid, ubi neque necessitas, neque impotentia quicquam operantur, sed voluntas : si, inquam, ita est in homine ; multò magis necessitas, aut impotentia nequaquam nominandæ sunt in Deo, qui nihil, nisi quod vult, * facit ; & cujus voluntatem nulla vis cogere, aut prohibere valet. Ad hoc enim valuit in Christo diversitas naturarum ; & unitas personæ ; ut quod opus erat fieri ad hominum restaurationem, si humana non posset natura, faceret divina ; & si divinæ minimè conveniret, exhiberet humana ; & non alius atque alius, sed idem ipse esset, qui utrumque existens perfectè per humanam solveret, quod illa debebat ; & per divinam posset, quod expediebat. Denique Virgo, quæ per fidem munda facta est, ut de illa posset assumi, nequaquam * credidit illum esse morituruṁ, nisi quia vellet : quemadmodum per Prophetam, qui de illo dixit : *oblatus est, quia ipse voluit*, didicerat. Quapropter quoniam vera fuit fides ejus, necesse erat ita futurum esse, sicut credidit. Quòd si te iterum perturbat, quia dico, necesse erat : memento quia veritas fidei Virginis non fuit causa, ut ille sponte moreretur : sed quia hoc futurum erat, vera fuit fides. Quamobrem si dicitur, necesse erat ut voluntate solâ moreretur ; quia vera fuit fides, sive prohetia, quæ de hoc * præcesserant ; non est aliud, quàm si dicas necesse fuisse ita futurum esse, quoniam sic futurum erat : hujusmodi autem necessitas non cogit rem esse ; sed esse rei facit necessitatem esse. Est namque necessitas præcedens, quæ causa est ut sit res, & est necessitas sequens, quam res facit. Præcedens & efficiens necessitas est, cùm dicitur cœlum volvi ; quia necesse est, ut volvatur. Sequens verò, & quæ nihil efficit, sed * fit, est cùm dico te ex necessitate loqui, quia loqueris. Cùm enim hoc dico, significo nihil facere posse, ut, dum loqueris non loquaris, non quòd * alius te cogat ad loquendum. Nam violentia naturalis conditionis cogit cœlum volvi ; te verò nulla necessitas * facit loqui. Sed ubicunque est præcedens necessitas, est & sequens ; non autem ubi sequens, ibi statim & præcedens. Possumus namque dicere, necesse est cœlum volvi, quia volvitur : sed non similiter est verum, idcirco te loqui, quia necesse est ut loquaris. Ista sequens necessitas currit per omnia tempora, hoc modo : Quicquid fuit, necesse est fuisse. Quicquid est, necesse est esse. * Quicquid futurum est, necesse est futurum fuisse. Hæc est illa necessitas, quæ (* ubi tractat Aristoteles de propositionibus singularibus & futuris) videtur utrumlibet destruere, & omnia esse ex necessitate astruere. Hac sequenti & nihil efficienti necessitate, quoniam vera fuit fides, vel prophetia de Christo, quia ex voluntate, non ex necessitate moriturus erat, necesse fuit, ut sic esset : hac homo factus est : hac fecit, & passus est, quicquid fecit & passus est : hac voluit, quæcunque voluit. Ideo enim necessitate fuerunt, quia futura erant : & futura erant, quia fuerunt : & fuerunt, quia fuerunt : & si vis omnium, quæ fecit & quæ passus est, veram scire necessitatem ; scito omnia ex necessitate fuisse, quia ipse voluit. Voluntatem * vero ejus nulla præcessit necessitas. Quare, si non fuerunt nisi quia ipse voluit ; si non voluisset, non fuissent. Sic * itaque nemo tulit animam ejus ab illo ; sed ipse posuit eam, & iterum sumpsit eam : quia potestatem habuit ponendi animam suam, & iterum sumendi eam, sicut ipse dixit. *Joan. 10.* Satisfeceris mihi illum non posse probari ulla necessitate mortem subiisse ; nec me pœnitet, ut hoc faceres, importunum tibi extitisse. *Anſ.* Ostendimus, ut puto, certam rationem, quomodo Deus assumpserit hominem sine peccato de massa peccatrice ; sed nequaquam * negandum æstimo aliam esse præter istam, quam diximus ; excepto hoc, quia Deus facere potest quod * humanis ratio comprehendere non potest. Verùm quoniam & ista mihi videtur posse sufficere ; &, si aliam nunc inquirere vellem, necesse esset investigare quid sit originale peccatum, & quomodo à primis parentibus in universum genus humanum, præter illum, de quo agimus, hominem diffundatur ; & incidere in quasdam alias quæstiones, quæ suum postulant tractatum : ea, * quam diximus, ratione contenti, quæ de incœpto restant opere * prosequamur. *Boſ.* Ut vis : sed eo pacto, ut tu aliquando, auxiliante Deo, illam aliam rationem, quam nunc inquirere * vitas, quasi debitum exolvas. *Anſ.* Quoniam voluntatem hanc scio me gerere, quod petis non denego : sed quia de futuris incertus sum, promittere non audeo ; sed Dei * dispositioni committo. * Sed dic nunc quid tibi de quæstione, quam in principio proposuisti, propter quam aliæ multæ se ingesserunt, persolvendum videatur. * *Boſ.* Summa quæstionis fuit, cur Deus homo factus sit, ut per mortem suam salvaret hominem ; cùm hoc alio modo potuisse facere * videatur. Ad * quam tu multis & necessariis rationibus respondens, ostendisti restaurationem humanæ naturæ non debuisse remanere ; nec potuisse fieri, nisi solveret homo, quod pro peccato Deo debebat : quod debitum tantum erat, ut illud cùm non deberet solvere, nisi homo ; non posset, nisi Deus : ita ut idem esset homo qui & Deus. Unde necesse erat ut Deus assumeret hominem in unitatem personæ : quatenus qui in natura solvere debebat, & non poterat ; in persona esset, * quæ posset. Deinque quia de Virgine, & à persona Filii Dei esset assumendus homo ille qui Deus esset : & quomodo sine peccato, de massa peccatrice assumi potuerit, monstrasti. Vitam autem hujus hominis tam sublimem, tam pretiosam apertissimè probasti ; ut sufficere possit ad solvendum, quod pro peccatis totius mundi debetur, & plus in infinitum. Restat ergo nunc ostendere quomodo illa solvatur Deo pro peccatis hominum.

al. Cap. 18.

al. fecit

al. credideris

Isa. 53. v. 7.

al. præcesserant

al. sic

al. aliquid

al. cogit

al. ut

al. omnis

al. omit. nequaquam

al. prosequamur

al. vocas

al. dispensationi

al. videretur

al. qui

al. Cap. 19.

*CAPUT XVIII.

Quomodo vita Chriſti ſolvatur Deo pro peccatis hominum; & quomodo Chriſtus debuit & non debuit pati.

ANSELM.

SI propter juſtitiam ſe permiſit occidi; nonne ad honorem Dei vitam ſuam dedit? *Boſ.* Si poſſum intelligere quod non dubito: quamvis non videam quomodo rationabiliter hoc fecerit; & cùm & juſtitiam indeclinabiliter, & vitam ſuam æternaliter ſervare potuerit; fatebor illum * tale quid ſponte dediſſe Deo ad honorem illius cui quicquid quod * Deus non eſt, comparari non poteſt, & quod pro omnibus * omnium hominum debitis recompenſari poteſt. *Anſ.* An non intelligis quia cùm injurias, & contumelias, & mortem crucis cum latronibus ſibi (ſicut ſuprà diximus) propter juſtitiam, quam obedienter ſervabat, illatas benignâ patientiâ ſuſtinuit; exemplum dedit hominibus, quatenus propter nulla incommoda, quæ ſentire poſſunt, à juſtitia, quam Deo debent, declinent; quod minimè dediſſet ſi ſecundùm potentiam ſuam mortem pro tali * cauſa illatam declinaſſet? *Boſ.* Videtur quòd ipſe nulla hoc exemplum neceſſitate dederit: quoniam multi ante adventum ejus, & Johannes Baptiſta poſt adventum ante mortem ejus, fortiter mortem pro veritate ſuſtinentes, illud ſufficienter dediſſe noſcuntur. *Anſ.* Nullus unquam homo præter illum moriendo, Deo dedit, quod aliquando neceſſitate perditurus non erat; aut ſolvit, quod non debebat. Ille verò ſponte * Patri obtulit, quod nulla neceſſitate unquam amiſsurus erat; & ſolvit pro peccatoribus, quod * pro ſe non debebat. Quapropter ille multò * magis dedit exemplum, ut unuſquiſque, quod aliquando incunctanter amiſsurus eſt, pro ſeipſo reddere Deo, cùm ratio poſtulat, non dubitet: * qui cùm nullatenus aut pro ſe indigeret, aut cogeretur pro aliis, quibus nihil niſi pœnam debebat; tam pretioſam vitam, immò ſeipſum, tantam, ſcilicet, perſonam, tanta voluntate dedit. *Boſ.* Multùm propinquas deſiderio meo; ſed ſuſtine ut * quiddam quæram, quod quamvis fatuum forſitan putes quærere; non tamen in * promptu mihi eſt quid reſpondeam, ſi à me quæratur. Dicis quia quando mortuus eſt, dedit quod non debebat. Sed nemo negabit illum meliùs feciſse quando * hoc exemplum taliter dedit; & magis hoc placere Deo, quàm ſi non hoc feciſset: aut * dicet eum non debuiſse facere, quod meliùs * eſse, & quod magis placere Deo * intellexit. Quomodo ergo aſseremus eum non debuiſse Deo quod fecit, id eſt, quod meliùs eſse & magis placere Deo intellexit: præſertim cùm creatura debeat Deo totum quod eſt, & quod ſcit, & quod poteſt? *Anſ.* Quamvis creatura nihil habeat à ſe; quando tamen illi Deus concedit aliquid licitè facere, & non facere; dat illi ita ſuum eſse utrumque, ut licet alterum ſit melius, neutrum tamen exigatur determinatè: ſed ſive faciat quod melius eſt, ſive alterum; debere facere dicatur quod facit: & ſi facit quod meliùs eſt, præmium habeat; quia ſponte dat quod ſuum eſt. Nam cùm virginitas melior ſit conjugio; neutrum tamen ab homine determinatè exigitur: ſed & qui conjugio uti, & qui virginitatem ſervare mavult; quod facit, debere facere dicitur. Nemo enim virginitatem, ſive conjugium, dicit eligi non debere; ſed dicimus quia quod mavult homo, antequam aliquid horum ſtatuat, hoc debet facere: & ſi virginitatem ſervat, pro ſpontaneo munere quod offert Deo, præmium expectat. Cùm ergo creaturam dicis, Deo debere quod melius ſcit & poteſt; ſi intelligis ex debito, & non ſubaudis, ſi Deus jubet; non

al. talem

al. hominibus

al. culpa

al. pati

al. ipſi

al. quia

al. promptum

al. illud ad

al. dicet

al. cognovit

Deus non semper à creatura exigit quod melius eſt.

Virginitas melior conjugio.

A eſt ſemper verum. Si quidem, ut dixi, non debet homo virginitatem ex debito; ſed, ſi mavult, debet uti conjugio. Quod ſi te movet verbum, quod eſt, debere; nec potes illud intelligere ſine aliquo debito: ſcito quia ſicut contingit poſſe & * non poſſe, & neceſſitatem aliquando dici, nõ quia ſunt in rebus ubi dicuntur, ſed quoniam ſunt in alio; ita & debere. Quippe cùm dicimus debere pauperes à divitibus eleemoſynam accipere; non eſt aliud quàm divites debere pauperibus eleemoſynam impendere: hoc namque debitum non eſt exigendum à paupere, ſed à divite. Deus quoque dicitur omnibus debere præeſſe, non quia ille in hoc aliquo modo ſit debitor; ſed quoniam omnia debent illi ſubeſſe: & * debere facere quod vult; * quoniam quod vult, debet eſſe. Ita quando vult aliqua creatura facere quod ſuum eſt facere & non facere, dicitur debere facere; quia quod ipſa vult, debet eſſe. Dominus itaque Jeſus, cùm mortem (ſicut diximus) ſuſtinere voluit; quoniam ſuum erat, & pati & non pati; debuit facere quod fecit, quia quod * voluit fieri debuit; & non debuit facere, quia non ex debito. Nempe quoniam ipſe idem eſt Deus & homo; ſecundùm humanam quidem naturam, ex * quo fuit homo ſic accepit à divina natura, quæ alia eſt ab humana, eſſe ſuum * quicquid habebat; ut nihil deberet dare, niſi quod volebat: ſecundùm perſonam verò, ſic à ſeipſo habebat * quicquid habebat, & ſic perfectè ſibi ſufficiens erat, ut nec alii quicquam retribuere deberet; nec, ut ſibi retribueretur, dare indigeret. *Boſ.* Apertè nunc video quia nulla ratione ſeipſum morti ex debito, ſicut ratio mea videbatur monſtrare, dedit ad honorem Dei; & tamen facere debuit, quod fecit. *Anſ.* Honor utique ille totius eſt Trinitatis: quare, quoniam idem ipſe, eſt Deus Filius Dei, ad honorem ſuum ſeipſum ſibi, ſicut Patri & Spiritui ſancto obtulit, * id eſt, humanitatem ſuam Divinitati ſuæ, quæ una eadem trium perſonarum eſt. Ut tamen in eadem ipſa veritatem manentes apertiùs loquamur quod volumus; dicamus, ſicut uſus habet, quia Filius ſponte ſeipſum Patri obtulit: hoc namque modo apertiſſimè dicitur; quia * & in una perſona totus Deus, cui ſecundùm hominem ſe obtulit, intelligitur; & per nomen Patris & Filii immenſa quædam in cordibus audientium, cùm Patrem Filius hoc modo poſtulare pro nobis dicitur, pietas ſentitur. *Boſ.* Hoc libentiſſimè accipio.

al. & neceſſe

Debere nonnunquam impropriè dicitur.

al. debeat

al. quomodo

al. vult

al. ex qua

al. ut

al. quia in perſona

CAPUT XIX.*

al. part cap. 19.

Quâ ratione de morte ejus ſequatur humana ſalvatio.

ANSELM.

INtueamur nunc, prout poſſumus, quanta * inde ratione ſequatur humana ſalvatio. *Boſ.* Ad hoc * tendit cor meum. Nam quamvis hoc mihi videar intelligere; ipſam tamen rationis contextionem à te volo * heri. *Anſ.* Quantùm autem ſit quod Filius ſponte dedit, non eſt opus exponere. *Boſ.* Sufficienter patet. *Anſ.* Eum autem, qui tantum * donum ſponte dat Deo, ſine retributione debere eſſe non judicabis. *Boſ.* Immo neceſſe eſſe video ut Pater Filio retribuat: alioquin aut injuſtus eſse videtur, ſi nollet: aut impotens, ſi non poſſet: quæ aliena ſunt à Deo. *Anſ* Qui retribuit alicui; aut dat, quod ille non habet: aut dimittit, quod ab illo poteſt exigi. Priùs autem quàm tantam rem Filius faceret, omnia quæ Patris erant, ſua erant: nec unquam debuit, quod illi dimitti poſſit. Quid ergo retribuetur nullius rei egenti, * & cui non eſt, quod dari aut dimitti poſſit? *Boſ.* Ex una parte video retribuendi neceſſitatem, & ex altera impoſſibilitatem: quia & neceſse eſt Deum reddere quod debet, & non eſt * cui reddat. *Anſ.* Si tanta & tam debita merces, nec illi, nec alii redditur; in vanum Fi-

al. mihi

al. attendis vel intendis

al. audito

al. bonum

al. quod

Digitized by Goog

lius tantam rem feciſse videbitur. *Bos.* Hoc nefas eſt æſtimare. *Anſ.* Neceſse eſt ergo ut alicui alii reddatur; quia illi non poteſt. *Bo.* Inevitabiliter ſequitur. *Anſ.* Si voluerit Filius, quod ſibi debetur * alii dare; poterimne * Pater * jure illum prohibere; aut * alii, cui dabit, negare? *Bos.* Immò & juſtum & neceſsarium intelligo, ut, cui voluerit dare Filius, à Patre reddatur: quia & Filio quod ſuum eſt dare licet, & Pater quod debet non niſi alii reddere poteſt. *Anſ.* Quibus convenientiùs fructum & retributionem ſuæ mortis * attribueret, quàm illis, propter quos ſalvandos (ſicut ratio veritatis nos docuit) * hominem ſe fecit, & quibus (ut diximus) * moriendo exemplum moriendi propter juſtitiam dedit: fruſtra * quippe imitatores ejus erunt, ſi meriti ejus participes non erunt? Aut quos juſtiùs faciet hæredes debiti, quo ipſe non eget, & exundantiæ ſuæ * p'enitudinis, quàm parentes ſuos, & fratres, quos aſpicit tot & tantis debitis obligatos egeſtate tabeſcere in profundo miſeriarum; ut eis dimittatur quod pro peccatis debent, & detur quo, propter peccata, carent? *Bos.* Nihil rationabilius, nihil dulcius, nihil deſiderabilius mundus audire poteſt. Ego * quippe tantam fiduciam ex hoc concipio, ut jam dicere non poſſim quanto gaudio exultet cor meum. Videtur enim mihi quòd nullum hominem rejiciat Deus ad ſe ſub hoc nomine accedentem. *Anſ.* Ita eſt, ſi accedit ſicut oportet. Quemadmodum autem ſit ad tantæ gratiæ participationem accedendum, & quomodo ſub illa vivendum, nos ubique ſacra Scriptura docet, quæ ſuper ſolidam veritatem, quam, adjuvante Deo, aliquatenus perſpeximus, velut ſuper firmum fundamentum * fundata eſt. *Bos.* Verè quicquid ſuper fundamentum hoc ædificat, ſuper firmam petram fundatur. *Anſ.* Puto me aliquantulùm jam tuæ ſatisfeciſse quæſtioni; quamvis hoc melius me facere pleniùs poſſit; & majores, atque plures, quàm meum, aut mortale ingenium comprehendere valeat, hujus rei ſint rationes. Palàm etiam eſt quia Deus ut hoc faceret, quod diximus, nullatenus indigebat: ſed ita veritas immutabilis exigebat: licet enim hoc, quod homo ille fecit Deus dicatur feciſse Propter unitatem perſonæ: Deus tamen non egebat ut de cœlo deſcenderet ad vincendum diabolum, neque ut per juſtitiam ageret contra illum ad liberandum hominem; ſed ab homine Deus exigebat, ut diabolum vinceret, & qui per peccatum Deum offenderat, per juſtitiam ſatisfaceret. Siquidem diabolo nec Deus aliquid debebat, niſi pœnam; nec homo, niſi * vicem, ut ab illo victus, illum revinceret: ſed quicquid ab illo exigebatur, hoc Deo debebat, non diabolo.

al. alteri
al. illi
al. attribuet
al. quidem
al. enim
al. à ſe
al. firmata
al. vincere

CAPUT XX.

Quàm magna, & quàm juſta ſit miſericordia Dei.

Miſericordiam verò Dei, quæ tibi perire videbatur, cùm juſtitiam Dei & peccatum hominis conſiderabamus, tam magnam * tamque concordem juſtitiæ invenimus; ut nec major, nec juſtior cogitari poſſit. Nempe quid miſericordius intelligi valet, quàm * cùm peccatori tormentis æternis * damnato, & unde ſe redimat non habenti, Deus Pater dicit: accipe Unigenitum meum, & da pro te: & ipſe Filius: tolle me, & redime te? Quaſi * enim hoc dicunt, quando nos ad Chriſtianam fidem vocant, & trahunt. Quid etiam juſtius, quàm ut ille, cui datur pretium majus omni debito, ſi debito datur affectu, dimittat omne debitum?

al. tanquam
al. eum
al. deputato

CAPUT XXI.

Quòd impoſſibile ſit diabolum reconciliari.

Diaboli verò reconciliationem, de qua quæſiviſti, impoſſibilem intelliges; ſi diligenter humanam conſideres. Sicut enim homo non potuit reconciliari, niſi per hominem Deum, qui mori poſſet, per cujus juſtitiam Deo * reſtitueretur quod per peccatum hominis perdiderat: ita Angeli damnati non poſſunt ſalvari, niſi per Angelum * Deum, qui mori poſſit, & qui per juſtitiam ſuam Deo reparet quod aliorum peccata abſtulerunt. Et ſicut homo per alium hominem, qui non * eſſet ejuſdem generis, quamvis ejuſdem eſſet naturæ, non debuit relevari, ita nullus Angelus per alium * Angelum ſalvari * debet; quamvis omnes ſint unius naturæ: quoniam non ſunt ejuſdem generis, ſicut homines. Non enim ſic ſunt omnes Angeli de uno Angelo; quemadmodum omnes homines de uno homine, Hoc quoque * removet eorum reſtaurationem: quia ſicut ceciderùt, nullo alio * nocente ut caderent; ita nullo alio adjuvante * reſurgere debent: quod eſt illis impoſſibile. Aliter enim in dignitatem, quam habituri erant, non poſſunt reſtitui; quoniam ſine * alieno auxilio per poteſtatem ſuam, quam acceperant, ſtetiſſent in veritate, ſi non peccaſſent. Quapropter ſi quis opinatur Salvatoris noſtri redemptionem uſque ad illos aliquando debere extendi, rationabiliter convincitur quia rationabiliter decipitur. Quod non dico, quaſi pretium mortis ejus omnibus hominum & Angelorum peccatis ſua magnitudine non prævaleat; ſed quoniam perditorum Angelorum relevationi immutabilis ratio repugnat.

al. Domini
al. omitt. eſſet
al. omitt. Angelum
al. debitis
al. fundetur
al. ſurgere
al. alio

CAPUT XXII.

Quòd in his quæ dicta ſunt, veritas veteris & novi Teſtamenti probata ſit.

Boso.

Rationabilia, & quibus nihil contradici poſſit, quæ dicis omnia mihi videntur; & per unius quæſtionis, quam propoſuimus, ſolutionem, quicquid in novo veterique Teſtamento continetur, probatum intelligo. * Cùm enim ſic probes Deum fieri hominem ex neceſſitate; ut etiam ſi removeantur pauca, quæ de noſtris libris poſuiſti (ut quod de tribus perſonis Dei, & de Adam tetigiſti) non ſolùm Judæis, ſed etiam Paganis ſolà ratione ſatisfacias: & ipſe idem Deus homo novum condat Teſtamentum, & vetus approbet; ſicut ipſum veracem eſſe neceſſe eſt confiteri; ita nihil, quod in illis continetur, verum eſſe poteſt aliquis diffiteri. *Anſ.* Si quid diximus quod corrigendum ſit; non renuo correctionem, ſi rationabiliter fit. Si autem teſtimonio Veritatis roboratur quod nos rationabiliter inveniſſe exiſtimamus; Deo, non nobis attribuere debemus, qui eſt benedictus in ſæcula, Amen.

Modeſtia Anſelmi

SANCTI

Digitized by Google

SANCTI ANSELMI
CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI
DE CONCEPTU VIRGINALI
& Originali Peccato.
LIBER.

PROLOGUS.

CUM in omnibus religioſæ tuæ voluntati velim, ſi poſſim, obſequi, & frater & filii chariſſime Boſo; tunc utique maximè debitorem me judico, cùm eam à me in te excitari intelligo. Certus autem ſum cùm in libro: *cur Deus Homo* (quem ut ederem tu maximè inter alios me impuliſti, in quo te mecum diſputantem aſſumpſi) legis aliam præ illam quam ibi poſui, poſſe videri rationem, quomodo Deus accepit hominem de maſſa peccatrice humani generis ſine peccato: quia ſtudioſa mens tua ad quærendum, quænam ſit illa non parum provocatur. Quapropter injuſtus * tibi videri timeo; ſi quid inde mihi videtur, dilectioni tuæ abſcondo. Dicam igitur ſic breviter de hoc quod ſentio, ut nullius de eadem re fidelem improbem ſententiam: nec meam (ſi veritati repugnare rationabiliter poterit * oſtendi) * pervicaciter defendam. Illam tamen ejuſdem rei rationem, quam in eodem opuſculo poſui, omnino ratam & * ſufficientem (ſi benè conſideretur) exiſtimo: nihil enim prohibet ejuſdem rei rationes plures eſſe, quarum unaquæque ſola poteſt ſufficere.

al. proburi
al pertinaciter
al ſufficienter

CAPUT PRIMUM.

*Quæ ſit originalis, & quæ perſonalis * juſtitia * vel injuſtitia.*

al. natura
al. vero. vel injuſtitia

AD videndum igitur qualiter Deus hominem aſſumpſit de generis humani maſſa peccatrice ſine peccato: primùm de originali peccato neceſſe eſt inveſtigare, quia de hoc ſolo naſcitur hæc quæſtio: Nam ſi videtur quomodo Chriſtus huic ſubjacere non * potuit: & qualiter aſſumptio ſive conceptio illius hominis ab omni peccato libera fuit, palàm erit. Originale quidem ab origine denominari dubium non eſt. Si ergo originale peccatum non eſt niſi in homine: videtur dici aut ab origine humanæ naturæ, quod eſt ab ejus initio originale, eò quòd ab ipſa humanæ naturæ origine trahatur; aut ab origine, hoc eſt, ab initio uniuſcujuſque perſonæ, quoniam in ipſa ejus trahitur origine. Sed quod ab initio humanæ naturæ deſcendat, non videtur; * quoniam origo illius juſta fuit, quando primi parentes juſti facti ſunt ſine omni peccato. Videtur itaque dici originale ab ipſa origine uniuſcujuſque perſonæ humanæ: quamvis ſi quis dicat peccatum vocari originale, eò quòd ab illis deſcendat in ſingulos, à quibus habent originem naturæ, non contradicam: * ſi tamen non negetur originale peccatum cum ipſa uniuſcujuſque perſonæ trahi origine. Licet enim in uno quoque homine ſimul ſint & natura, qua eſt homo ſicut omnes alii; & perſona, qua diſcernitur ab aliis; ut cùm dicitur ille, vel iſte: ſive proprio nomine; ut, Adam, & Abel; & uniuſcujuſque peccatum ſit in natura & perſona; fuit enim peccatum Adæ in homine, quod eſt, in natura; & in illo qui vocatus eſt Adam, quod eſt in perſona. Eſt tamen peccatum, quod quiſque trahit cum natura * in ipſa ſui origine: & eſt peccatum, quod non trahit * cum ipſa natura; ſed ipſe facit illud, poſt quam jam eſt perſona diſcreta ab aliis perſonis. Illud quidem quod * trahitur in ipſa origine, * vocatur originale; quod poteſt etiam dici naturale, non quòd ſit ex eſſentia naturæ, ſed quoniam propter ejus corruptionem cum illa aſſumitur. Peccatum autem, quod quiſque facit, poſtquam perſona eſt, perſonale poteſt nominari, quia vitio perſonæ fit. Simili ratione poteſt dici originalis, & perſonalis juſtitia. Siquidem Adam & Eva originaliter, hoc eſt, in ipſo ſui initio, mox ut homines extiterunt, ſine intervallo juſti ſimul fuerant. Perſonalis autem dici poteſt juſtitia, cùm injuſtus accipit juſtitiam, quam * ab origine non habuit.

al. de in
al. ab
al. trahit

CAPUT II.

al. pars c. 1.

Qualiter humana natura corrupta eſt.

ERgo Adam & Eva * ſi juſtitiam ſervaſſent originalem, qui de illis naſcerentur originaliter, ſicut illi, juſti eſſent. * Quoniam autem perſonaliter peccaverunt, cùm originaliter fortes & incorrupti haberent poteſtatem ſemper ſervandi ſine difficultate juſtitiam; totum, quod erant, infirmatum & corruptum eſt. Corpus quidem; quia tale poſt peccatum

al. cap. 1.

Digitized by Google

fuit, qualia sunt brutorum animalium corruptioni & carnalibus appetitibus subjacentia: anima verò; quia ex corruptione corporis & * eisdem appetitibus, atque ex indigentia bonorum quæ perdidit, carnalibus affectibus infecta est, & quia tota natura humana in illis erat, & extra illos de illa nihil erat; tota infirmata & corrupta est. Remanit igitur in ea debitum justitiæ integræ sine omni * injustitia, quam accepit; & debitum satisfaciendi, quia eam deseruit; cum ipsa corruptione, quam propter peccatum incurrit. Sicut itaque, si non peccasset, qualis facta est à Deo, talis propagaretur: ita post peccatum, qualem se fecit peccando, talis propagatur. Quoniam igitur per se nec satisfacere pro peccato, nec justitiam derelictam recuperare valet, & *corpus quod corrumpitur aggravat animam*: & tunc maximè, quando * infirmius est; ut in infantia, & in utero matris, ut nec intelligere justitiam possit: videtur esse necesse eam * in infantibus nasci cum debito satisfaciendi pro primo peccato, * quod semper cavere potuit, & cum debito habendi originalem justitiam, quam semper servare * valuit. Nec impotentia excusat eam in ipsis infantibus: quia in illis non solvit quod debet, quoniam ipsa sibi facit eam, deserendo justitiam in primis * parentibus, in quibus tota erat: & semper debitrix est habere potestatem, quam ad servandam semper justitiam accepit: hoc esse videri potest in infantibus originale peccatum. Addamus etiam peccata proximorum parentum, quæ redduntur in tertiam & quartam generationem. Quamvis enim * quæri possit utrum hæc omnia intelligenda sint in originali peccato, an non; tamen ne propter hoc quod quæro, videar levigare illud; ponam illud esse tale, ut à nullo gavius ostendi possit.

al. ejusdem

al. justitia

al. infirmum

al. quo semper carere

al. noluit

al. hominibus

al. dubitari

CAPUT III.

Quod non sit peccatum nisi in voluntate rationali.

Verùm sive hoc totum sit originale peccatum, sive * aliquid minus: puto nullatenus illud posse asseri esse in infante, antequam habeat animam rationalem; sicut nec in Adam fuisse justitiam, priùs quàm fieret homo rationalis. Nam si Adam & Eva generassent sine præcedenti peccato, non tamen esset in semine justitia, nec esse posset priùs quàm formarentur in viventem hominem. Si ergo semen hominis non est susceptibile justitiæ, priùs quàm fiat homo; non potest suscipere originale peccatum, antequam homo * sit. Nempe originale peccatum esse injustitiam dubitari non debet. Nam si omne peccatum est injustitia, & originale peccatum est peccatum; utique est & injustitia. Sed si dicit aliquis: non est omne peccatum injustitia: dicat posse simul in aliquo & esse * aliquod peccatum, & nullam esse injustitiam: quod videtur incredibile. Si verò dicitur originale peccatum non esse absolutè dicendum peccatum, sed cum additamento, originale peccatum; sicut pictus homo non verè est homo, sed * verè est homo pictus; profectò sequitur quia infans, qui nullum habet peccatum nisi originale, mundus est à peccato: nec fuit solus inter homines filius Virginis in utero matris, & nascens de matre, sine peccato: & aut non damnatur infans qui moritur sine baptismo, nullum habens peccatum præter originale; aut sine peccato damnatur. Sed nihil horum accipimus. Quare omne peccatum est injustitia, & originale peccatum est absolutè peccatum: unde sequitur quia est injustitia. Item si Deus non damnat nisi propter injustitiam: damnat autem aliquem propter originale peccatum: ergo non est aliud originale peccatum, quàm injustitia. Quod si ita est, * & injustitia non est aliud quàm absentia debitæ justitiæ: non enim videtur esse injustitia, nisi in natura, quæ cùm debet habere, justitiam non habet: utique originale peccatum clauditur sub eadem diffinitione injustitiæ. At sit justitia est rectitudo voluntatis propter se servata, nec ista rectitudo potest esse nisi in rationali natura: ergo non est ulla natura * debitrix justitiæ, nisi rationalis; sicut ulla natura] susceptibilis est justitiæ, præter rationalem. Quare quoniam injustitia non potest esse, nisi ubi justitia debet esse; originale peccatum, quod est injustitia, non est nisi in natura rationali. Rationalis autem natura non est nisi Deus, & Angelus, & anima hominis per quam homo dicitur rationalis, & sine qua non est homo. Quoniam ergo non est originale peccatum nec in Deo, nec in Angelo; non est nisi in hominis anima rationali. Sciendum quoque est quia justitia non potest esse nisi in voluntate, si justitia est rectitudo voluntatis propter se servata: quare nec injustitia. Non enim vocatur absentia justitiæ, injustitia; nisi ubi debet esse justitia. Nihil itaque præter ipsam justitiam vel injustitiam dicitur justum vel injustum, nisi voluntas, aut propter voluntatem justam vel injustam. Per hanc dicimus justum vel injustum hominem, vel Angelum; justam vel injustam animam, sive actionem.

al. omis.

CAPUT IV.

Quòd nihil per se sit justum aut injustum: nisi ipsa justitia, vel injustitia: & quòd nihil puniatur nisi voluntas.

al. vel injustitia

Nihil enim; sive substantia, sive actio, sive aliquid aliud per se consideratum, est justum, nisi justitia; aut injustum, vel peccatum, nisi injustitia: nec ipsa voluntas in qua est justitia, sive injustitia. Aliud enim est vis illa animæ * qua ipsa anima vult aliquid: quæ vis, instrumentum volendi potest dici (sicut visus instrumentum vivendi) quam voluntatem nominamus: & aliud est justitia: quam habendo, justa voluntas; & qua carendo, injusta vocatur: dicuntur * etiam voluntates ejusdem instrumenti, affectiones & usus: quod hìc longum est inserere. Nec ipsi appetitus, (quos Apostolus carnem vocat, quæ *concupiscit adversus spiritum*; & *legem* peccati, quæ est *in membris, repugnantem legi mentis*) justi vel injusti sunt, per se considerati. Non enim * hominem justum faciunt, vel injustum, sentientem; sed injustum, tantùm voluntate, cùm non debet, consentientem. Dicit enim Apostolus, *nihil damnationis* esse his *qui sunt in Christo Jesu, qui non secundùm carnem ambulant*, id est, qui non carnis voluntate consentiunt. Nam si sentientem sine consensu, injustum facerent; * sequeretur damnatio. Quare non eos sentire, sed eis consentire, peccatum est. Si enim per se * injusti essent; quoties illis consentiretur, injustum facerent. Sed quando bruta animalia illis consentiunt, non dicuntur injusta. Item: si peccata essent; auferrentur in baptismo, cùm omne peccatum abstergitur: quod nequaquam fieri palàm est. Quare non est in eorum essentia ulla injustitia; sed in voluntate rationali illos inordinate sequente. Cùm enim illis resistit voluntas, condelectando legi Dei secundùm interiorem hominem; tunc est justa voluntas. Justitiam enim, quam lex jubet, & legem Dei dicit, quia à Deo est; & legem mentis, quia per mentem intelligitur: sicut lex vetus lex Dei dicitur, quia à Deo est; & lex Moysi, quia per Moysen ministrata est. Quòd quidem dixi nullam actionem per se injustam dici, sed propter injustam voluntatem; in illis planum est, quæ non injustè possunt fieri aliquando: ut est, hominem occidere, sicut fecit Phinees: & utriusque sexus commixtio, ut in conjugio: * sive in brutis animalibus. In illis verò quæ nunquam nisi injustè possunt esse, ut est perjurium, & quædam alia, quæ nec sunt nominanda; non ita facilè intelligitur. Sed si aliqua actio, qua fit * aliquid: quæ non est, nisi dum fit * aliquid & peracto eo transit, ut

al. per quam

al. enim

Rom. 8. Galat. 5.

Rom. 8.

al. injusti justi

Num. 15.

al. & bene

al. aliud

Digitized by Google

jam non sit; aut opus, quod sit & remanet (verbi gratiâ: cùm in scribendo quod scribi non debet, transit
al. figura scriptio, qua fiunt * scripturæ quæ remanent) esset peccatum transeunte actione, ut jam non sit; transiret similiter peccatum, nec jam esset; aut quandiu remaneret quod fit, numquam deleretur peccatum: sed videmus peccata sæpe & non deleri, actione deletâ; & deleri opere non delecto. * Quare nec actio, quæ transit; nec opus, quod remanet, est aliquando peccatum. Denique si de actionibus voluntatiis quæ injustè fiunt, arguuntur membra & sensus quibus sunt; respondere possunt: Deus nos, & potestatem quæ in nobis est, subjecit voluntati; ut ad imperium ejus non possimus
al. movere * non movere nos, & facere quod vult; immo illa movet nos, velut instrumenta sua, & facit opera quæ videmur facere; nec nos possumus illi per nos resistere;
al. dominationi nec opera, quæ facit, possunt non fieri; * Dominæ, quam Deus nobis dedit, nec possumus, nec debemus non obedire; quando illi obedimus, Deo qui hanc legem nobis dedit, obedimus. Ergo quid peccant membra, vel sensus, vel opera, quæ Deus sic subjecit voluntati; si servant quod Deus illis ordinavit? Quicquid igitur faciunt, totum imputandum est voluntati. Quod cùm ita sit; miratur fortitan quis cur pro culpa voluntatis membra puniantur & sensus. Verùm non ita est, non enim punitur nisi voluntas. Nam nihil est alicui pœna, nisi quod est contra voluntatem; & nulla res pœnam sentit, nisi quæ habet voluntatem: membra autem & sensus per se nihil volunt. * Sicut igitur voluntas in membris & sensibus operatur; ita in
al. 6 illis ipsa torquetur aut delectatur. Quod si quis non accipit; sciat in sensibus & membris non nisi animam, in qua est voluntas, sentire & operari; & ideo in illis torqueri aut delectari: habet tamen usus ut actiones, quas facit injusta voluntas, vocemus peccata; quia in voluntate, quâ fiunt, est peccatum. Dantur etiam quibusdam nomina, quibus significatur eas injustè fieri, ut fornicatio, mendacium. Sed aliud intelligitur,
al. quæ cùm * ipsa actio, vel prolatio; aliud, cùm utrùm, justè vel injustè fiat, consideratur.

CAPUT V.

Quòd malum, quod est peccatum sive injustitia, nihil sit.

Denique omnis essentia est à Deo, à quo nihil est injustum. Quare nulla essentia est injusta per se. Injustitia autem omnino nihil est, sicut cæcitas. Non enim aliud est cæcitas, quàm absentia visûs ubi debet esse; quæ * non magis est * aliquid in oculo ubi debet
al. quæ res
al. aliud esse visus, quàm in ligno ubi non debet esse. Non enim est injustitia talis res quâ inficiatur & corrumpatur anima, velut corpus veneno; & quæ faciat * aliquid, sicut videtur quando malitiosus homo mala facit opera. Nam quemadmodum cùm indomita fera ruptis vinculis discurrendo sævit: & cùm navis, si gubernator dimisso gubernaculo dimittat eam, ventis & motibus maris vagatur, & invehitur in quælibet pericula; dicimus quia hoc facit absentia catenæ, vel gubernaculi: non quòd absentia eorum aliquid sit, aut quicquam faciat; sed quoniam si adessent, facecerent ne sæviret fera, aut periret navis. Ita cùm malus homo sævit, & in quælibet animæ suæ pericula, quæ sunt mala opera, impellitur; clamamus quia
al. hæc opera facit * hæc operatur injustitia: non quod ipsa ulla essentia sit, aut faciat aliquid; sed quentam voluntas (cui subditi sunt omnes voluntarii motus totius hominis) absente justitiâ diversis appetitibus impulsa, se & omnia sibi subdita in multimoda mala levis & effrenata &
al. & quod sine rectore præcipitat: * quod totum justitia, si adesset, prohibet ne fieret. * Ex his ergo facilè cognoscitur quia injustitia nullam habet essentiam; quamvis injustæ voluntatis affectus & actus, qui per se considerati aliquid sunt, usus injustitiam vocet. Hac ipsa ratione intelligimus malam nihil esse. Sicut enim injustitia non est aliud, quàm absentia debitæ justitiæ: ita malum non est aliud, quàm absentia debiti boni. Nulla autem essentia, (quamvis mala dicatur) est nihil, nec * malam esse, est * ulli esse aliquid. Nulli
al. malum
al. illi
al. malam esse enim essentiæ est aliud malam * esse, quàm deesse illi bonum quod debet habere. Deesse verò bonum quod debet adesse, non est aliquid esse. Quare * malam esse,
al. malum non est ulli essentiæ aliquid esse. Hæc breviter de malo, quod semper est nihil, indubitanter * quod est injustitia, dixi. Incommoditas enim * est malum (unde incommoda, mala dicuntur) quæ aliquando nihil est
al. fiat de
al. non est
al. sunt ut surditas & cæcitas; aliquando * videtur esse aliquid; ut dolor, & tristitia. Quòd autem justitia sit rectitudo voluntatis propter se servata: & injustitia non sit aliud, quàm absentia debitæ justitiæ, & nullam habeat essentiam: quòd etiam omnis essentia sit à Deo, & nihil sit à Deo nisi bonum, sufficienter me puto ostendisse in eo * tractatu quem fecit de casu diaboli. Sed de justitia plenius in illo quem edidi
c. 2. 13. & 16. c. 13. * de Veritate.
al. videatur

CAPUT VI.

Quòd cùm punit Deus pro peccato, non puniat pro nihilo.

Quidam cùm audiunt peccatum nihil esse, solent dicere: si peccatum nihil est, cur punit Deus hominem pro peccato; cùm pro nihilo puniri nemo debeat? Quibus, quamvis humilis sit quæstio, tamen quia quod quærunt ignorant, aliquid breviter respondendum est. Licet pariter nihil sit absentia justitiæ, & ubi debet esse justitia, & ubi non debet esse; punit tamen Deus rectè peccatores non pro nihilo, sed propter aliquid, * quia (ut in præfato libro dixi)
al. quod in & debitum sibi honorem, quem sponte reddere noluerunt, ab * invitis exigit; & ne quid inordinatum
al. ab injustis sit in regno ejus, eos separatim à justis ordine competenti disponit. Creaturas autem in quibus justitia non debet esse, non punit pro absentia justitiæ, hoc est, pro nihilo: quia non est aliquid, quod ab illis exigat; nec ordo congruus universitatis rerum
al. expostulat hoc * postulat. Sic itaque cùm punit Deus pro peccato, quod est absentia debitæ justitiæ, quæ nihil est; non omnino punit pro nihilo: & verum est quia nisi sit aliquid, propter quod punire debeat, omnino non punit pro nihilo. Jam peccatum & injustitiam nihil esse: & hæc non esse nisi * in rationali voluntate, nec ullam essentiam propriè dici injustam, nisi voluntatem: ex his quæ dicta sunt, apertum esse existimo.

CAPUT VII.

** Quomodo semen hominis dicatur immundum, & concipit in peccato; quamvis in eo non sit peccatum.*
al. Quod

Videtur itaque sequi quòd aut infans statim ab ipsa conceptione animam habet rationalem, sine qua voluntatem rationalem nequit habere; aut in eo non est originale peccatum, mox cùm conceptus est. Quòd autem mox ab ipsa conceptione rationalem animam habeat, nullus humanus suscipit sensus. Sequitur enim, ut quotiens susceptum semen humanum, etiam ab ipso momento susceptionis * perit antequam perveniat ad
al. potest humanam figuram; totiens damnetur in illo anima humana; quoniam non reconciliatur per Christum: quod est nimis absurdum. Hæc igitur pars hujus divisionis penitus relinquenda est. Sed si non statim infans ab ipsa conceptione habet peccatum; quid * est, quod dicit Job Deo: *Quis potest facere mundum, de immundo conceptum semine: nonne tu qui solus*
Job. 14. v. 4.

Digitized by Google

Psal. 50. v. 7. es? Et quomodo verum est, quod dicit David: *In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Quæram igitur, si possum, quomodo, quamvis non statim ab ipsa conceptione sit in infantibus peccatum, immundo tamen semine* in iniquitatibus & in peccatis concipi dicantur. Sæpe utique divina Scriptura asserit aliquid esse, * quod modo non est, ideirco quia tamen est futurum esse. Sic quippe Deus Adæ de ligno vetito dicit: *In quacunque die comederis ex eo, morte morieris*, non quòd eâ die mortuus sit corpore; sed quoniam die illâ necessitatem accepit aliquando moriendi. Et Paulus similiter ob necessitatem moriendi aliquando, ait: *Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus verò vivit propter justificationem.* Non enim corpora eorum, quibus loquebatur, mortua erant; sed moritura propter peccatum: quia *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors.* * Sicut in Adam omnes peccavimus, quando ille peccavit: non quia tunc peccavimus ipsi qui nondum eramus: sed quia de illo futuri eramus: & tunc facta est * illa necessitas ut cùm essemus, peccaremus: quoniam *per carnis inobedientiam peccatores constituti sumus omnes.* Simili modo de immundo semine in iniquitatibus & in peccatis concipi potest homo intelligi; non quòd in semine sit immunditia peccati, aut peccatum sive iniquitas, sed quia ab ipso semine & ipsâ conceptione, ex qua incipit homo esse, accipit * necessitatem ut, cùm habebit animam rationalem, habeat peccati immunditiam, quæ non est aliud quàm peccatum & iniquitas. Nam etsi * vitiosâ concupiscentia generetur infans; non tamen magis est in semine culpa, quàm est in sputo vel in sanguine, si quis mala voluntate exspuit, aut de sanguine suo aliquid emittit: nihil * enim sputum aut sanguis, sed mala voluntas arguitur. Patet igitur quomodo & in infantibus non statim ab ipsâ conceptione sit peccatum; & vera sint quæ de divina Scriptura opposui. Quippe non est illis peccatum, quia non habent (sine qua non inest peccatum) voluntatem: & tamen dicitur inesse, quoniam in semine erubuit peccandi, (cùm homines jam * erant) necessitatem. Si ergo hæc, ut puto, vera sunt; quod assumitur de parente ad prolem, quia nullam habet voluntatem, nullum est in eo peccatum.

al. quando non

Genes. 2.

Rom. 8. v. 10.

Rom. 5. v. 12.

al. sic

Ibid. v. 19.

In semine non est peccatum.

al. possessionem

al. ex vitiosa concupiscentia femine. Forte leg. ex vitiosa concupiscentia femine

al. jam non erant

CAPUT VIII.

Quòd in semine sumpto de Virgine non sit peccatum neque nec ipsius futuri peccati.

ITaque perspicuum est * quoniam in eo quod Filius Dei in personam suam assumpsit de Virgine, nulla potuit esse peccati macula. Sed dictum est quia semen à parentibus trahitur cum necessitate peccati futuri, cùm fuerit animatum anima rationali: hoc * utique non est propter aliud, nisi quia humana natura nascitur in infantibus (* ut dixi) cum debito satisfaciendi pro peccato Adæ, & (secundùm quod * posui) proximorum parentum: (quod nequaquam facere potest: & quandiu non facit, peccat) & quia sola per se non valet justitiam habere quam deseruit; & anima, quæ aggravatur corpore quod corrumpitur, nequit eam saltem intelligere, quæ nec servari potest nec haberi non intellecta. Quapropter si ab his necessitatibus semen assumptum de Virgine liberum ostendi poterit, palam erit quia nullam peccati necessitatem traxit. Quòd * illa quidem necessitas, quâ humana natura sola per se justitiam recuperare nequit, & illa quæ corpus quod corrumpitur aggravat animam, ut eandem justitiam nec acceptam in ætate perfecta sine auxilio gratiæ servare, nec * nec in infantibus saltem intelligere queat, ab illo semine sint alienæ facilè monstrari valet per unitatem personalem assumentis

Supra cap. 1. Ibid.

al. sola

& assumptæ naturæ: si priùs necessitas illa repellitur, quâ ad satisfactionem pro peccatis primorum & proximorum parentum astringi videtur. Sed quòd illud nullum sequatur a proximis parentibus debitum, dubiũ non erit; si à debito primorum* parentũ liberũ intelligi poterit. Hoc igitur, adjuvante Deo, conabor primùm quomodo cognosci possit, investigare: quatenus hoc demonstrato, in aliis non sit necesse multum laborare.

CAPUT IX.

Cur peccatum quo damnatur humanum genus, magis imputetur Adæ, quàm Evæ, cùm ille post & per illam peccaverit.

AD quod mihi videtur quærendum in primis, cur sæpius & specialiùs peccatum, quo damnatum est humanum genus, magis imputetur Adæ quàm Evæ: cum * illa prior peccaverit, & * Adam post & per illam. Dicit enim Apostolus: *Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysem, etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ.* Multa quoque alia leguntur, quæ magis Adam, quàm Evam, criminari videntur. Quod ideo fieri existimo quia illa duorum copula tota intelligitur in nomine principalis partis; sicut sæpe per partem totum solet significari: aut quoniam Adam cum costa sua, quamvis in mulierem ædificata, dici poterat Adam, sicut legitur: quia Deus *masculum & fœminam fecit eos, & benedixit eis.* Et vocavit nomen eorum, Adam, in die quo creati sunt: aut idcirco, quia si non Adam, sed sola Eva peccasset; non necesse erat totum * humanum genus perire, sed solam Evam. Poterat namque Deus de Adam, in quo semen omnium * hominum creaverat, aliam facere mulierem, per quam de Adam propositum Dei perficeretur. Eisdem rationibus significabo per nomen Adæ eos ambos; nisi cùm necesse erit eos discernere.

Rom. 5. v. 14.

Genes. 1. v. 27.

al. omnium

CAPUT X.

Cur graventur peccato Adæ, qui ejus conscii non fuerunt.

EST quidem unusquisque filius Adæ & homo per creationem, & Adam per propagationem, & persona per * individuitatem, qua discernitur ab aliis. Non enim habet * esse homo ab Adam, sed per Adam. Nam sicut Adam non se fecit hominem; ita non fecit in se naturam propagandi: sed Deus qui eum creavit hominem, fecit in eo hanc * naturam; ut de illo propagarentur homines. Dubium autem non est, unde unusquisque alligetur debito, de quo agitur: non enim unde, quia homo est, nec quia persona est. Nam si ideirco unusquisque hujus debiti reus est, quia est homo, aut persona; necesse erat Adam, priusquam peccasset, * hoc debito astrictum esse, quia erat homo & persona: quod est absurdissimum. Restat igitur ut per hoc tantùm sit debitor, quia est Adam; sed non simpliciter, quia est Adam; sed quia est peccator Adam. Nempe sequeretur quia si nunquam peccasset Adam; tamen qui de illo propagarentur, cum hoc debito nascerentur: quod impium est. * Non incongruum est hic repetere, quod jam * supradictum est: cur, scilicet, unusquisque peccato vel debito Adæ gravetur, ideirco quia de illo propagatur; cùm ejusdem peccati conscius non fuerit. Cum * fecit Deus Adam, fecit in eo naturam propagandi; quam subjecit ejus potestati, ut eâ uteretur pro sua voluntate, quamdiu ipse vellet subditus esse Deo: * nam non illâ uteretur, bestiali & irrationali voluptate; sed humana & rationali voluntate. Sicut enim est bestiarum nihil velle cum ratione; ita hominum * esset nihil velle sine ratione: quod semper debent, quia potestatem hanc accepit Adam, & eam semper servare potuit. Dedit etiam illi

al. individuitatem

al. ad hoc debitum

Supra cap. 1.

al. Cum enim

al. non ut illa

al. est

Digitized by Google

Deus * hanc gratiam, ut sicut quando illum condidit A nullâ propagandi operante natura, aut voluntate creaturæ, simul fecit eum & rationalem & justum: ita simul cùm rationalem haberent animam, justi essent, quos generaret operante naturâ & voluntate, si non peccarent. Eadem quippe ratione, qua monstratur rationalem naturam justam esse creatam, quod in læpe fato feci opusculo, probatur etiam quòd qui ex humana natura propagarentur non præcedente peccato, ex necessitate justitiam pariter haberent cum rationalitate. Siquidem qui creavit primum hominem sine parentum generatione, creat etiam * eos qui per creatam ab illo sunt propagandi naturam. Omnis igitur homo, si peccatum non præcessisset, simul esset sicut Adam, & justus & rationalis. Quoniam verò Adam subditus noluit esse Dei voluntati; ipsa natura propa- B gandi quamvis remaneret, non sunt subdita ejus voluntati, sicut esset, si non peccasset: & gratiam, quam de se * propagandis servare poterat, perdidit: atque omnes, qui operante naturâ quam acceperat, propagantur, ejus astricti debito nascuntur. Quamobrem quoniam humana natura (quæ sic erat in Adam tota, ut nihil de illa extra illum esset,) peccando sine omni necessitate, Deum exhonoravit, unde * per se satisfacere non potuit; gratiam, quam acceptam * propagandis de se semper potuit servare, perdidit: & peccatum, secum comitante pœnâ peccati, quantumcunque per datam propagandi naturam propagetur, trahit.

1. 2. c. 1. Cur Deus homo.

al. omnes

al. propagandi

al. unde &

al. propagandi

CAPUT XI.

*Quòd propagatio de Virgine non subjaceat legi & meritis naturalis propagationis: & quòd tres sint * cursus rerum.*

NUnc * diligenter considerandum est utrùm hæc quasi hæreditas peccati, & * pœnæ peccati * ad hominem per virginem de Adam * propagatum justè pertranseat. Certum quidem est quòd Adam non accepit naturam propagandi, nisi per virum simul & mulierem. Siquidem humana natura non habet, & impossibile cognoscitur, ut solus vir, aut sola mulier hominem * generaret, naturâ tantùm & voluntate propriâ operante. Sicut namque limus terræ non accepera naturam aut voluntatem, quâ operante vir primus de illo fieret; quamvis esset de quo à Deo fieri potuit: sic non est facta mulier de costa viri, aut vir de sola muliere, operante natura aut voluntate hominis. Sed Deus propriâ voluntate & potestate fecit virum de limo unum, & alterum de sola fœmina, & fœminam de solo viro: licet enim nihil fiat, nisi voluntate Dei faciente aut permittente; quædam tamen sola potestas & voluntas ejus facit; quædam, creata natura; * quædam, voluntas * creaturæ. Sed sicut creata natura nihil per se facere potest, nisi quod à voluntate Dei * accepit: ita voluntas * creaturæ nequit per se quicquam operari, nisi quod natura adjuvat aut concedit. Sola Dei voluntas fecit in principio rerum naturas, dans quibusdam competentes singulis voluntates; ut naturæ & voluntates secundùm ordinem sibi traditum, tuum opus in rerum cursu persolverent: & adhuc multa facit, cùm de eisdem naturis & voluntatibus operatur, quod * illæ secundum suum usum & propositum nequaquam * facerent. Solius quippe voluntatis Dei est opus, cùm mare siccum iter intra se populo præbet; cùm mortui resurgunt; cùm aqua subitò in vinum convertitur; cùm & Spiritu sancto corda hominum ea quæ nec per se, nec per aliam creaturam sciunt, docentur; cùm noxiæ voluntates à suo impetu, solâ gratiâ regente, ad hoc quod prodest convertuntur; cùm alia multa * fiunt, quæ nec creatura, nec ejus voluntas per usitatum cursum suum * operaretur. Natura levia sursum, gravia deorsum trahit: terram, aliquando priùs voluntate colente & feminante, aliquando nullo voluntatis opere præcedente, herbas & arbores innumeras producere & eas fructificare facit; & alia multa, quæ facilius * usû quam doctrinâ agnoscimus. Voluntati imputantur illa, quæ sunt * hujusmodi, * iter facere, ædificare, scribere, loqui, & similia quæ non nisi voluntas facit. Cùm igitur omnia quæ sunt, si diligenter considerentur, fiant aut solâ voluntate Dei, aut naturâ secundùm vim à Deo illi inditam, aut voluntate creaturæ: & ea quæ nec natura creata, nec voluntas creaturæ, sed totus Deus facit, semper miranda sint; appareat quia tres sunt cursus rerum, scilicet, mirabilis, naturalis, voluntarius: & mirabilis quidem aliis aut eorum legi nullatenus subditus est; sed liberè dominatur: neque illis facit injuriam, quando eis obviare videtur; quia nihil habent, nisi quod ab illo acceperunt, nec ille dedit eis * aliquid nisi sub se. Quoniam ergo propagatio viri de sola virgine, ita non est naturalis, aut voluntaria; sed mirabilis, sicut illa quæ mulierem protulit de solo viro, & sicut creatio viri de limo; palàm est quia nequaquam subjacet * legibus & meritis illius propagationis, * quam & voluntas & natura, quamvis discretè, operantur; aliud enim ibi facit voluntas, aliud natura: pariter tamen verus est homo & Adam de non homine, & Jesu de sola muliere, & Eva de solo viro; sicut est verus homo, quilibet vir aut mulier de viro & muliere. Omnis autem homo aut Adam est, aut de Adam: sed Eva de solo Adam est, & omnes alii C de Adam & Eva. Quoniam * namque Maria, de qua sola est Jesu, de Adam & Eva est; non potest ipse de eisdem non esse. Sic namque expediebat ut qui redempturus erat genus humanum, esset & nascereturde patre & matre omnium.

al. igitur

al. generare quæat

Solus Dei opera.

al. fecisset

al. operatur

al. vitæ

al. hominis al. item

Tres cursus rerum, mirabilis, naturalis, voluntarius.

al. aliud

al. legi

al. quoniam

al. neque

Jesus est de Adam & Eva. per Mariam.

CAPUT XII.

Quòd mala Adæ nullâ rectitudine ad illum hominem transeant.

QUomodo autem filius Virginis non subjaceat peccato, aut debito Adæ, sic quoque difficile non est intelligere. Si quidem Adam factus est justus & liber à peccato & debito sæpefato, & à pœna peccati, & beatus potens servare semper acceptam justitiam; & per justitiam eam, quam dixi, libertatem & beatitudinem. Quoniam ergo * Adam, cùm hæc bona sine omni difficultate posset * semper servare sibi, non servavit; ea sibi ipse abstulit, & horum se contrariis subjecit. Factus est itaque servus peccati, sive injustitiæ, & debiti, quod reddere * nequit, & miseriæ, de * qua est impotentia bona perdita * recuperandi. Sicut igitur aliter nequivit sibi auferre bona * quæ habebat, & attrahere mala quæ non habebat, quàm non servando sibi bona, cùm potuit: ita nulli alii valuit eadem bona auferre, atque mala inferre, nisi non servando bona * cui servare quivit. Servare autem nulli potuit ea bona, nisi illis quorum generationis potestatem voluntati subditam accepit. Nulli ergo personæ quamvis de * se propagatæ transmittere mala prædicta potuit, in cujus generatione nec natura illi data est propagandi, nec voluntas ejus quicquam operata est, aut operari valuit. * Quare Adæ mala prædicta nullâ ratione aut rectitudine ad hominem conceptum de Virgine pertranseunt.

al. unde &

al. propagandi

al. nequivit

al. de quo

al. repetendi

al. cùm

CAPUT XIII.

al. quod si *Quòd etsi non esset Deus, sed purus homo; necesse tamen esset illum talem esse, qualis primus homo factus est.*

ITem: si diligenter puro rationis intuitu sapientem Dei specalamur justitiam; nimis absurdum intelligitur ut per illud semen, non creata natura, nec voluntas creaturæ, non ulli data potestas producit aut seminat; sed solus Dei voluntas propria ad procreandum hominem, nova virtute mundum à peccato de Virgine segregat, alieni peccati sèu debiti sive pœnæ ad eundem hominem necessitas nulla pertranseat; etiamsi non assumatur in * personam Dei, sed ut purus homo fiat. Nam eàdem ipsa ratione, quà non debuit Deus Adam facere nisi justum, nec aliquo debito sive incommodo gravatum, apertè mens rationalis cognoscit eum, quem similiter propria voluntate & virtute * procreat, alicui malo subditum fieri non debere: quoniam nimis inconveniens est omnipotenti & sapienti Dei bonitati, talem facere rationalem naturam solà propria voluntate de materia, in qua nullum est peccatum. Quod qui non intelligit, non cognoscit quid Deo * non conveniat. Quapropter etiam si purum hominem sic faceret Deus, ut dictum est; necesse esset eum non minori præditum esse justitia & beatitudine, quàm fuit Adam, cùm primùm factus fuit.

al. personæ

Inconveniens est Deo bonitatem rationalem naturam facere alicui malo subditam, in qua nullum est peccatum.

al. conveniat

CAPUT XIV.

Quòd propositæ rationi non refragetur quod scriptum est: hominem de immundo semine & in iniquitatibus conceptum; etiamsi de aliquibus propriè dictum sit.

NAm si alicujus mens non capit quod de semine hominis dixi, scilicet, non esse in illo peccatum ante animam rationalem: sed immundum dici peccato & iniquitate, propter futuram immunditiam, cùm jam erit homo: atque putat * illum immundum esse in ipsa conceptione * propterea quia, sicut ipse mihi opposui, legitur: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine.* Et: *in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea:* non hic laboro, quia non indigeo, ut quod non potest capere, capiat; sed peto ut quod breviter dicam, attendat. Illi utique qui hæc dixerunt, aut * voluerunt ea intelligi de omni hominis semine; aut tantùm de illo quod cum * sensu seminatur voluptatis, * quæ non esset nisi brutorum animalium, si homo non peccasset. At si de omni hoc senserunt; ergo semen de sola Virgine sumptum immundum tanti viri * asseruerunt: quod impium est credere. Non itaque hoc de illo scripserunt. Sed si de aliquo hominis semine * hoc juxta hunc sensum protulerunt; non nisi de illo, quod cum prædicta voluptate concipitur, intelligi voluerunt. Hoc autem nullatenus refragatur nostræ rationi, quæ semen de Virgine sumptum asserit esse mundum, quamvis sit de massa peccatrice.

al. illud
al. propria
Job 14.
Psal. 50.
al. noluerunt
al. consensu
al. quod
al asserunt
al. secundum illius

CAPUT XV.

Quomodo massa peccatrix non sit tota peccatrix.

NAm quemadmodum cæcitas non est * in aliqua parte hominis, quamvis homo dicatur cæcus, nisi in oculo ubi debet esse visus; non enim est in manu, vel in pede: nec surditas * est nisi in aure, cùm homo dicitur surdus: ita licet massa generis humani peccatrix nominetur; non tamen in ulla parte ejus est peccatum, nisi, ut dixi, in * voluntate, * quam in nulla hominis conceptione semen habere cognoscitur. Quamobrem nulla ratione vera aut verisimili contradicente, si considerentur quæ supra dicta sunt, jam liberè possumus concludere quia nulla ratio, nulla veritas, nullus intellectus permittit ad hominem * ex sola Virgine conceptum de peccato mallæ peccatricis, quamvis de illa sit assumptus, aliquid potuisse aut debuisse accedere, etiamsi non esset Deus.

al. nisi in

al voluptate
al quæ

al. de Virgine

CAPUT XVI.

*Cur Johannes, & alii qui similiter concepti sunt per miraculum, non sint per se liberi * à peccato.*

QUòd si objiciuntur mihi Johannes Baptista & alii qui de sterilibus, & in quibus, præ senectute, natura generandi jam erat emortua, propagati sunt, & quasi per similem rationem putantur debuisse nasci sine peccato & pœna peccati, quia per miraculum concepti sunt; valde utique intelligenda est ab istis aliena, ratio illa quæ virginalem conceptionem liberam ab omni peccati monstrat necessitate. Aliud est enim * aliquid inauditum & inopinabile atque naturæ incognitum facere: & aliud naturam aut ætate aut aliquo vitio debilitatam sanare, & ad suum opus revocare. Nam si Adam non peccasset, sicut ipse nullâ senectute, nullâ causâ * infirmaretur: sic natura propagandi creata in illo & ad utendum, ut jam dictum est, ejus potestati subdita, nullo casu à suo cursu impediretur. Non ergo in Johanne, & similibus, est aliquid novum naturæ Adæ, sicut est in filio Virginis, datum; sed quod suis cauſis infirmatum erat, cognoscitur esse reparatum. Quare quoniam illi per propagationem naturalem datam Adæ sunt generati; nequaquam possunt aut debent ei, de quo agimus, in conceptionis assimilari miraculo, * ut ab originalis vinculo peccati absoluti possint ostendi.

al. infirmatum deficeret

Johannes & alii concepti per miraculum non fuerunt liberi ab originali peccato.

CAPUT XVII.

Cur Deus incarnatus, cùm de Adam posset facere homines non-Deos sine peccato tot, quot sufficerent.

FOrsitan dicet aliquis: si purus homo, qui Deus non esset, potuit fieri de Adam sine omni peccati contagione, sicut dicis; cur necesse fuit Deum incarnari; cùm aut per unum talem, qui esset sine omni peccato, posset peccatores * Deus redimere: aut tot, quot necessarii erant ad perficiendam supernam civitatem, homines simili miraculo facère? Ad * quod breviter respondeo. Ideo Deus factus est homo, quia non sufficeret ad redimendos alios, sicut in sæpefato opusculo monstratum est, homo non Deus. Idcirco etiam non fecit tot homines tales, quot necessarii erant: ne si nullus de propagatione naturali salvaretur, frustra naturam illam in Adam condidisse, & quasi * non fecisset, correxisse videretur: quod summæ sapientiæ non convenit de aliqua natura facere. * Non longè suprà investigare proposui, quomodo semen sumptum de Virgine, in quo monstratum erat nullum esse peccatum, liberum à necessitatibus prædictis, in quibus omnes alios homines concipi posueram, posset intelligi: & de illa quidem necessitate, qua recuperare justitiam, quam deseruit humana natura, per se nequit: & de illa, * quà corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & maximè in infantibus, * illud liberari posse, quia homo ille Deus esset, confidebam; si priùs ab illo necessitas peccati & debiti Adæ * & proximorum parentum rationabiliter alienaretur. Incœpi itaque quærere quomodo valeret hoc intelligi de necessitate peccati & debiti Adæ; * ut de aliis postea facilius, quod quærebam, inveniretur: & abundante gratiâ illius, de cujus conceptionis agitur, munditia factum est, ut non modo ab omni peccato, & debito, & necessitatibus

l. Cur Deus homo

al. illum

l. 1. Cur Deus homo

al. & de aliis

l. 1. Cur Deus homo c. 16. &c.

Digitized by Google

præfatis liberum cognoſceretur; ſed inſuper hominem ita conceptum eſſe debere prædixit non minori juſtitia, vel beatitudine, quàm in qua factus eſt Adam, intelligibili ratione, etiam ſi non Deus ſed purus homo * eſſet, probaretur. Siquidem pariter * irrationabile videbatur, & peccatum aut pœnam peccati ab ullis parentibus ad illum per talem propagationem deſcendere; & Deum ſponte rationabilem naturam injuſtam, aut, nullâ ejus promerente injuſtitiâ, miſeram facere.

ad eſſe

Irrationabile eſt Deum naturam rationalem inmeritam miſeram facere.

CAPUT XVIII.

*Quòd de Virgine juſta Deus conceptus ſit, non * neceſſitate, quaſi de peccatrice non * non poſſet; ſed quia ſic decebat.*

QUamvis ergo de mundiſſima Virgine Filius Dei veriſſimè conceptus ſit, non tamen hoc ea neceſſitate factum eſt, quaſi de peccatrice parente juſta proles rationabiliter generari per hujuſmodi propagationem nequiret: ſed quia decebat ut illius hominis conceptio de matre puriſſimâ fieret. Nempe decens erat, ut eâ puritate, quâ major ſub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium ſuum, quem de corde ſuo æqualem ſibi genitum, tanquam ſeipſum diligebat, ita dare diſponebat, ut naturaliter eſſet unus idemque communis Dei Patris & Virginis Filius: & quam ipſe filius ſubſtantialiter facere ſibi matrem eligebat; & de qua Spiritus ſanctus volebat, & operaturus erat, ut conciperetur & naſceretur ille de quo * ipſe procedebat. * Qualiter autem Virgo eadem per fidem ante ipſam conceptionem mundata ſit, dixi; ubi aliam rationem de hoc ipſo, unde agitur hîc, reddidi.

B. Virgo per fidem munda ta.

I. 1. Cur Deus homo c. 16. & 17.

CAPUT XIX.*

Quomodo iſta ratio, & altera alibi data concordent & differant.

QUæ duæ rationes intellectui meo videntur ad quæſtionem unaquæque per ſe ſufficere; ſed ambæ ſimul animo vim rationis & decorem actionis quærenti copioſè ſatisfacere. * Et quamvis ad idem tendant; in hoc tamen differunt, quòd iſta quidem, quam hîc protuli, monſtrat Deum etiam de peccatricis Virginis ſubſtantia, quoniam nuſquam eſt in hominis natura præter voluntatem peccatum, prolem debere juſtam, imò non niſi juſtam, nullâ ratione repugnante, tali propagatione producere. Illa verò probat quòd etiam ſi in tota Virginis eſſentia peccatum eſſet; tamen ad hujuſmodi conceptionis munditiam, per fidem munda fieri * poſſet. Atque in iſta omnis mortis neceſſitas, & cujuſlibet corruptionis ſive laboris ab illo * homine apertè excluditur: in illa autem quæſtio oriri de hoc ipſo videtur; ſed ſufficienti ratione, ſi diligenter perſpecta fuerit, * diſſolvitur. Quapropter ex utraque palàm eſt quia nihil niſi piâ voluntate Dominus noſter & redemptor ſuſtinuit in omnibus, quæ paſſus eſt.

al. nomine

CAPUT XX.

Quòd natus de Virgine, pro originali peccato habuerit originalem juſtitiam.

UT mihi videtur, de peccato quidem originali, ſicut propoſui, ſufficienter oſtenſum eſt quomodo ad hominem de Virgine conceptum nulla ratione deſcendere à parentibus potuit; ſed potius juſtus, & beatus fieri, ratione exigente, debuit. * Quamobrem, quoniam de juſto Patre ſecundùm divinam, & de juſta matre ſecundùm humanam naturam, juſtus ab ipſa origine, ut ita dictum ſit, natus eſt; non incongruè pro originali injuſtitia, quam omnes * alii filii Adæ habent, à ſua origine juſtitiam originalem habere dicendus eſt.

al omnes filii

CAPUT XXI.* *al. Cap. 20.*

Quare non potuit habere perſonalem injuſtitiam.

AT de perſonali injuſtitia ſuperfluum eſt diſputare, quòd ad illum non attigerit; quoniam humana natura nunquam in illo ſine divina fuit, nec illius anima unquam aggravata contra voluntatem, aut ullo modo impedita eſt corpore corruptibili. Quæ anima, quoniam ipſa, imò totus ille homo & Verbum Dei Deus, una perſona ſemper * extitit, nunquam ſine perfecta juſtitia, & ſapientia, & poteſtate fuit, quàm ſemper à ſeipſo ille ſecundùm perſonam, ſicut Deus, habuit; licet in naturis humana à divina, quod habuit, * acceperit: altiorem autem aliam rationem, quomodo Deus aſſumpſit hominem de maſſa peccatrice ſine peccato, velut azymum de * fermentato, præter iſtam, quam hic; & illam, quam * alibi poſui, eſſe non nego: quam, ſi mihi oſtenſa fuerit, libenter accipio; & meas, ſi (quod non arbitror) contra veritatem eſſe potuerint oſtendi, non teneo.

al. exiſtit

al. accepit

al fermento I. 1. Cur Deus homo. c. 16.

CAPUT XXII.* *al. Cap. 21.*

De quantitate originalis peccati.

PORrò peccatum originale nec majus poteſt eſſe, quàm dixi, nec minùs: quia cùm infans jam rationalis eſt, humana natura non habet in illo juſtitiam quam accepit in Adam, & quam ſemper * debet habere; neque eam excuſat impotentia quia non habet, ut ſuprà jam dictum eſt. Illud tamen non per omnia tamgrave, ſicut ſuprà poſui, exiſtimo. Nam * quoniam ad hominem de Virgine conceptum oſtendere volebam illud non pertinere; tale illud conſtitui, cui * aliquid non poſſet addi: * ne, * ſicut dixi, propter hoc quod inveſtigabam, viderer pondus ejus minorare. De quo quid mihi videatur, breviter * nunc aperiam. * Peccatum Adæ ita in infantes deſcendere, ut ſic puniri pro eo debeant, ac ſi ipſi ſinguli illud feciſſent perſonaliter, ſicut Adam, non puto: quamvis propter illud factum ſit, ut eorum nullus poſſit naſci ſine peccato, quod ſequitur damnatio. Cùm enim dicit Apoſtolus quia *mors regnavit ab Adam uſque ad Moyſen, etiam in eos, qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ*: apertè videtur ſignificare quòd non illis perſonaliter imputetur ipſa Adæ prævaricatio, aut * aliquid tam magnum; quamvis omnes filios Adæ, excepto Virginis filio, peccatores & filios iræ in ſcriptis ſuis pronuntiet. Nam cùm ait, *etiam in eos, qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ*: poteſt ſic intelligi, ac ſi dicat, etiam in eos, qui non tantùm peccaverunt, quantùm Adam peccavit prævaricando. Et cùm ait: *lex autem ſubintravit, ut abundaret delictum*, aut intelligimus peccatum ante legem in illis, qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ, minus quàm Adæ peccatum: aut ſi minus non erat; abundavit in eis peccatum poſt legem ultra peccatum Adæ: quod intelligere nequeo, cùm illud conſidero, de cujus pondere & ſatisfactione in * Cur Deus homo, quod mihi viſum eſt, ſicut jam legiſti, expoſui. Verum eſt tamen quòd nullus ad hoc ad quod homo factus eſt, & propagatio illi data eſt, reſtituitur; nec à malis, in quæ * incidit humana natura, eruitur; niſi per ſatisfactionem illius peccati, per quod in eadem mala * ipſa ſe præcipitavit. Dicet aliquis: ſi non habent ſinguli peccatum Adæ; quomodo aſſeris nullum ſalvari ſine ſatisfactione peccati Adæ? Nam qualiter juſtus Deus exigit ab illis ſatisfactionem

Cap. 2.

al. quando

al. aliud

al. ante ſuprà c. 20.

al. recidit

al ipſo

Rom. 5. v. 14.

ibid. v. 20.

lib. 1. c. 19. & 20.

Dig

peccati, quod non habent? Ad quod dico: Deus non exigit ab ullo peccatore plus quàm debet. Sed quoniam nullus poteſt reddere quantùm debet; ſolus Chriſtus * reddit pro omnibus qui ſalvantur pluſquam * debent: ſicut jam in * præfato opuſculo dixi.

al. reddidit

l. 1. Cur Deus homo c. 6.

CAPUT XXIII.*

al. pars c. 21.

*Cur & quomodo * peccatum deſcendat in infantes.*

ADhuc alio quoque modo videndum eſt qua ratione peccatum minus ſit in infantibus, quàm in Adam; cùm ab illo in omnes deſcendat. Per unum enim hominem, quod eſt, per Adam, peccatum intravit in hunc mundum; & per peccatum, mors. Cur autem minus ſit, non cognoſcitur; ſi cur, & quomodo inſit, non intelligatur. * Quod quamvis ſupradictum ſit, quantùm opus erat ad hoc quod quærebatur; tamen non erit ſuperfluum, ſi * hic breviter repetitur. Equidem negari nequit infantes in Adam fuiſſe, cùm peccavit: ſed in illo cauſaliter, ſive * materialiter, velut in ſemine fuerunt; in ſeipſis perſonaliter ſunt: quia in illo fuerunt ipſum ſemen, in ſe ſinguli ſunt diverſæ perſonæ, in illo non alii ab illo, in ſe alii quàm ille. In illo fuerunt ille, in ſe ſunt ipſi: fuerunt igitur in illo, ſed non ipſi; quoniam nondum erant ipſi. Forſitan * dicet aliquis: illud eſſe * quo alii homines in Adam fuiſſe dicuntur, quaſi nihil & inane quoddam eſt, nec eſt nominandum eſſe. * Dicat ergo illud eſſe, fuiſſe nihil aut falſum ſive vanum, quo fuit Chriſtus ſecundùm ſemen in Abraham, in David, & in aliis Patribus; & quo omnia, quæ ſunt ex ſemine, fuerunt in ſeminibus ipſis; & nihil feciſſe Deum, cùm omnia quæ procreantur ex ſemine, ipſi fecit priùs in ſeminibus; & dicat nihil, vel vanum aliquid eſſe hoc, quod ſi verè non eſſet, hæc quæ videmus eſſe non eſſent. Si enim verum non eſt ea, quæ natura procreat ex ſeminibus, in illis priùs aliquid fuiſſe, nullo modo ex ipſis eſſent. Quod ſi * hoc dicere ſtultiſſimum eſt; non * falſum vel vanum, ſed verum & ſolidum eſſe fuit, quo fuerunt omnes alii homines in Adam: nec fecit Deus inane aliquid, cùm eos in illo fecit eſſe; ſed ſicut dictum, eſt in illo fuerunt non alii ab illo: & ideo longè aliter, quàm ſunt in ſeipſis. Verùm quamvis conſtet eos omnes in illo fuiſſe; ſolus tamen filius Virginis valde diverſo modo ab aliis in illo fuit. Omnes quippe alii ſic fuerunt in illo, ut per naturam propagandi, quæ poteſtati & voluntati ejus ſubdita erat, de illo eſſent: ſolus verò iſte non ſic in eo fuit, ut per naturam aut voluntatem ejus de illo fieret, * a de aliis enim acceperat Adam, quando peccavit, ut eſſet hoc de quo illi futuri erant, & ut de illo * eſſent: b de iſto verò, ut eſſet hoc, unde futurus erat; non autem ut de illo * eſſet, quia non erat in * ejus poteſtate, ut de illo propagaretur. Sed nec in poteſtate ejus erat ut de alia eſſentia, aut de nihilo fieret. Quare non erat in eo, ut hic aliquo modo eſſet. Nam nec in poteſtate naturæ, nec in poteſtate voluntatis ejus erat, ut eſſet quoquo modo. Erat tamen in eo natura, de qua propagandus erat, non ejus, ſed Dei poteſtate. Nam etſi uſque ad Virginem matrem in parentibus & voluntas ſeminavit, & natura germinavit, ut ipſa Virgo partim naturali, partim voluntario curſu ad ſuum eſſe ab Adam * produceretur, ſicut omnes alii, in illa tamen nec voluntas creaturæ prolem ſeminavit, ne natura germinavit; ſed Spiritus ſanctus & virtus Altiſſimi de Virgine mulicre virum mirabiliter * procreavit. De aliis ergo erat in Adam, id eſt, in ejus poteſtate, ut de illo eſſent; de iſto verò non erat in illo, ut aliquo modo eſſet: ſicut non erat in limo, unde vir * primus factus eſt, ut de illo eſſet mirabiliter; neque in viro, ut Eva de illo, quemadmodum facta eſt, eſſet. Sed nec in aliquo eorum, in quibus fuit ab Adam uſque ad Mariam, erat, ut eſſet; fuit tamen in illis: quia erat in eis, unde ipſe aſſumendus erat; quemadmodum erat in limo, unde primus homo factus eſt, & in eo unde Eva facta eſt, non voluntate creaturæ aut poteſtate, ſed ſolâ divinâ virtute: ſed iſte tantò mirabiliùs & majori gratia; quantò illi puri homines, hic homo Deus factus eſt. Valde itaque diverſo modo iſte erat in Adam, quando peccavit; quàm erant illi, qui voluntario & naturali curſu procreantur. Illos ergo quodammodo * facit Adam, quos per acceptam poteſtatem humana voluntas ſeminando, & natura germinando * procreant. Iſtum verò nonniſi Deus fecit, quamvis de Adam: quia non per Adam; ſed per ſe, velut de ſuo. Quid ergo convenientius ad oſtendendum magnitudinem bonitatis Dei, & * ad plenitudinem gratiæ quam Adæ concedebat; quàm ut quorum eſſe in illius poteſtate ſic erat ut quod ille naturaliter erat, hoc illi per illum eſſent; ita quoque in ejus eſſet arbitrii libertate, ut quàlis erat ipſe * juſtitiâ & felicitate, tales eos propagaret? Hoc igitur illi datum eſt. Quoniam itaque in tantæ gratiæ celſitudine poſitus bona, quæ ſibi & illis ſervanda acceperat, ſponte deſeruit: idcirco filii perdiderunt * quod pater illis cùm ſervando dare poſſet, non ſervando abſtulit. Hæc mihi * ſufficere videtur ratio, cur ad infantes peccatum & mala deſcendant Adæ; ſi diligenter, remotâ noſtrâ voluntate, quæ ſæpe & multùm impedit mentem ab intellectu rectitudinis, ipſa pura juſtitia conſideretur. Qualiter autem peccatum idem mihi videatur ad eos deſcendere, paucis expediam.

al. cap. 22.

al. naturaliter

a id eſt, quantum ad alios

al. eſſet

b id eſt, quantum ad illum

al. eſſet

al. illa

al. fecit

al. produceretur

al. propagavit

al. primus homo

al. facta

al. procreat vel procreavit

al. in juſtitiâ

al. quæ

al. ſufficere

Eſt peccatum à natura, ut dixi: & eſt peccatum à perſona. Itaque quod eſt à perſona, poteſt dici perſonale; quod autem à natura, naturale, quod dicitur originale: & ſicut perſonale tranſit ad naturam; ita naturale ad perſonam hoc modo. Quod Adam comedebat, hoc natura exigebat; quia ut * hoc exigeret, ſic creata erat. Quòd verò de ligno vetito comedit, non * hoc voluntas naturalis ſed perſonalis, * hoc eſt, propria fecit: quod tamen egit perſona, non fecit ſine natura. Perſona enim erat, quod dicebatur Adam; natura, quod homo: fecit igitur perſona peccatricem naturam; quia * cùm Adam peccavit, homo peccavit. Siquidem non quia homo erat, ut vetitum præſumeret impulſus eſt: ſed propria voluntate, * quam non exigit natura, ſed perſona concepit, attractus eſt. Similiter fit in infantibus econverſo. Nempe, quòd in illis non eſt juſtitia, quam debent habere, non hoc fecit illorum voluntas perſonalis, ſicut in Adam; ſed egeſtas naturalis, quam ipſa nature accepit ab Adam. In Adam namque, extra quem de illa nihil erat, eſt nudata juſtitiâ quam habebat: & eâ ſemper niſi adjuta * caret hac ratione, quia natura ſubſiſtit in perſonis, & perſonæ non ſunt ſine natura, * facit natura perſonas infantium peccatrices. Sic ſpoliavit perſona naturam bono juſtitiæ in Adam: & natura egens facta omnes perſonas, quas ipſa de ſe procreat, eâdem egeſtate peccatrices & injuſtas facit. Hoc modo tranſit peccatum Adæ * perſonale in omnes qui de illo naturaliter propagantur; & eſt in illis originale ſive naturale. * Unde patet magnam eſſe diſſantiam inter peccatum Adæ, & peccatum eorum: quia ille peccavit propriâ voluntate; illi naturali peccant neceſſitate, quam propria & perſonalis meruit illius voluntas. Sed cùm nemo * dubitet quia par pœna non ſequatur imparia peccata; in hoc tamen ſimilis eſt & perſonalis & originalis peccati damnatio, quia nullus admittitur ad regnum Dei, ad quod factus eſt homo, niſi per mortem Chriſti, ſine * qua non redditur quod pro Adæ peccato debetur: quamvis non omnes pariter in inferno torqueri mereantur. Nam poſt diem judicii nullus erit Angelus, aut homo, niſi aut in regno Dei, aut in inferno. Ita igitur & peccatum

al. hoc

al. hoc

al. Adam

al. nihil

al. facit

Natura facit perſonas infantium peccatrices.

al. perſonales

al. verum

al. quo

tum infantium minus est, quàm peccatum Adæ; & nullus tamen sine illa universali satisfactione salvatur; per quam & magnum & parvum dimittitur peccatum.

al. 1. Cur Deus homo c. 18 & 19.

Cur autem non sit sine illa morte, & quomodo per illam sit salus hominum; in præfato libro, sicut Deus mihi dedit, quæsivi & dixi.

CAPUT XXIV.*

al. cap. 23.

Quòd peccata parentum, post Adam, non computentur in originali peccato filiorum.

PArentum verò proximorum peccata ad originale peccatum non æstimo pertinere: quippe si Adam nequivisset ad eos, quos generaturus erat, justitiam suam * perducere; nequaquam posset eis suam injustitiam transmittere. Quare, quoniam nullus post Adam, filiis suis quivit justitiam suam servare; nullam video rationem cur proximorum parentum peccata filiorum debeant animabus imputari. Denique nulli dubium est quod infantes nullam servant rectitudinem voluntatis propter ipsam rectitudinem. In hoc ergo sunt omnes pariter injusti, quia nullam habent, quam omnis homo habere debet, justitiam. Hæc nuditas justitiæ descendit ad omnes ab Adam, in quo humana natura se spoliavit eâdem justitiâ. Nam & si in Adam * illi remansit aliqua justitia, ut in rebus aliquibus rectam servaret voluntatem: sic tamen privata est illo * dono, quo sibi justitiam custodire poterat in posteros; ut in nullo eorum ipsa cum aliqua justitia se propagare queat. Plus * itaque in infantibus auferre sibi non valuit, quàm omnem justitiam & beatitudinem, quæ nulli datur * aliqua carenti debita justitia. Quòd autem proximorum parentum injustitia possit hanc augere justitiæ nuditatem, quâ non valet in infantes ab Adæ peccator major descendere, non videtur possibile. Nam ubi nulla est justitia, nulla potest auferri justitia. Unde autem nulla potest absentari justitia, ibi addi nulla valet injustitia. Nullam ergo infantibus suis addere queunt injusti parentes injustitiam, super prædictam nuditatem justitiæ. At ubi nulla est justitia, nihil prohibet aliquam * poni justitiam. Verisimilius igitur & possibilius videtur, si parentes injusti aliquam suis infantibus addere dicuntur * injustitiam, quòd justi suis aliquam dare possint justitiam. Quod si sic; habent infantes justorum aliquam justitiam. Si verò hoc est; levius damnatur, quàm infantes * justorum, si moriantur sine baptismo; aut si salventur, cum aliquo suo præcedenti merito eligantur. Quod Paulus Apostolus negat, ubi per *Jacob* & *Esau* probat nullum, nisi omnium merita * præveniente gratiâ, salvari. Quoniam itaque nullam dant justi parentes ante baptismum infantibus suis justitiam; nullam utique addunt injusti suis injustitiam. Quod si dicitur: non addunt injusti parentes suis infantibus aliquam injustitiam, quibus auferre nequeunt ullam justitiam; sed originalem, quam habent ab Adam, faciunt in eis graviorem: ergo & justi in suis reddunt eam leviorem. Quare si minùs sunt injusti infantes justorum, quàm injustorum; minùs debent reprobari, quàm illi. Quod dicat, qui nudet & ostendere potest. Ego vero non audeo, cùm mixtim videam & justorum * & injustorum infantes ad baptismi gratiam eligi, & ab illa reprobari. Sed & hoc si quis dicit, non valet ostendere. Quippe sicut, hoc modo, non est justo justior; nisi qui voluntate magis aut appetit, aut vitat quod debet: ita non est injusto injustior; nisi qui plus amat aut contemnit quod non debet. Si igitur infantes nequeant ostendi, mox ut animam habent, alius alio magis vel minùs velle quod * debent, aut quod non * debent; nemo potest probare quòd in infantibus alius alio nascatur justior, vel injustior. Pariter ergo nec justi suâ justitiâ reddere videntur in suis infantibus originalem injustitiam leviorem; nec injusti in suis suâ injustitiâ graviorem. Quapropter si parentes injusti nec numero, nec magnitudine queant originale peccatum suis infantibus suo peccato augere; videtur mihi peccata parentum, post Adam, in infantum merita bona parentum, filiis multa & magna beneficia corporis & animæ impendi; * & propter peccata parentum filios & nepotes usque in tertiam & quartam generationem, & forsitan ultra, diversis tribulationibus in hac vita flagellari, & ea perdere bona etiam in anima, quæ forsitan per illos consequerentur, si justi essent; quorum exempla nimis longum est * hîc inferere. Sed dico peccatum originale in omnibus infantibus conceptis naturaliter æquale esse: sicut peccatum Adæ, quod est causa cur nascantur in illo, ad omnes pertinet æqualiter.

al. producere

Omnes infantes sunt æqualiter injusti.

a hoc est, natura humana

al. bona

parentum in justitia non augere infantum injustitiam.

al. invenire justitiam

al. justitiam

al. justorum

Rom. 9.

al. præcedente

al. amb.

al. debet.

CAPUT XXV.

al. cap. 24

** Quomodo peccata parentum nocent animabus filiorum.*

SI autem peccata parentum aliquando nocent animabus filiorum; hoc modo potius fieri existimo, non quòd ea illis Deus imputet, aut quòd eos in aliqua delicta propter parentes inducat: sed * quoniam sicut sæpe meritis parentum, filios justorum à peccatis eruit; ita filios justorum eorum meritis, in suis aliquando derelinquit. Quoniam enim nemo liber est à peccato, nisi Deo liberante: cùm non liberat, dicur inducere; & cùm non emollit, indurare. Namque satis videtur * susceptibilius, quòd Deus animam peccatricem, cui nihil præter pœnam debet, propter parentum peccata in suis dimittat peccatis, ut pro ipsis puniatur; quàm quòd eam alienis oneret, ut pro eis torqueatur. Ita igitur sine repugnantia & originale peccatum est idem in omnibus, & filius non portabit iniquitatem patris, & unusquisque onus suum portabit & recipiet, prout gessit in corpore sive bonum, sive malum, & * reddit Deus peccata parentum filiis * in tertiam & quartam generationem, etiam si hoc * sit in anima; & quicquid aliud legitur, quod animabus filiorum peccata parentum * nocere significare videtur. Quippe non moritur anima filii peccato patris, sed suo: nec portat quis iniquitatem patris, cùm in sua relinquitur, sed suam: nec onus alienum, sed suum: nec recipit prout pater, sed prout ipse gessit in corpore. Sed quoniam, propter peccata parentum, à suis malis non est liberatus; ea quæ portat, eisdem peccatis parentum imputantur.

al. susceptibus suis

al. reddat

al. sic

al. imponi

CAPUT XXVI.

al. Cap. 25

*Quomodo * tamen nullus portet peccatum patris, sed suum.*

* AT si objicitur quia omnes qui non salvantur per fidem, quæ est in * Christum, portant iniquitatem & onus Adæ; ut per hoc velit probare infantes, aut aliorum quoque parentum iniquitates similiter debere portare, aut illius non debere: consideret diligenter quia non portant * infantes peccatum Adæ, sed suum. Nam aliud fuit peccatum Adæ, aliud * est peccatum infantum; quia differunt, ut dictum est: illud enim fuit causa, istud est effectus: Adam caruit debitâ justitiâ; non * quia alius, sed quia ipse defecit. Infantes carent ea; non * quoniam ipsi, sed quoniam alius dereliquit. Non est ergo idem peccatum Adæ, & infantum. Et cùm dicit Apostolus quod suprà posui: *quia mors regnavit ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ*, sicut significat infantium minus esse, quàm Adæ, peccatum: ita apertè * monstrat aliud esse. Quapropter cùm damnatur infans pro peccato originali, damnatur

al. aut sic

al. Christo

al. iniquitatum

al. amb. infantes al aliud infantum

al. non qui. Sed quam al. non qui. sed quam

Rom. 5. v. 14

al monstratur

non pro peccato Adæ, ſed pro ſuo. Nam ſi ipſe non haberet ſuum peccatum, non damnaretur. Ita ergo non portat iniquitatem Adæ, ſed ſuam, quamvis ideo dicatur portare, quia iniquitas illius peccati, illius cauſa fuit. Hæc autem cauſa, quæ fuit in Adam, ut infantes in peccato naſcantur, non eſt in aliis parentibus: quia non habet in eis humana natura poteſtatem, quemadmodum dixi, ut filii juſti propagentur. Quare non ita ſequitur ut pro peccato illorum ſit in infantibus peccatum, ſicut pro peccato Adæ.

Cap. 14.

CAPUT XXVII.*

al. cap. 26.

*Quid ſit originale peccatum; * & quòd in omnibus ſit æquale.*

al. quod ſit omnibus

ORiginale igitur peccatum non aliud intelligo, quàm quod eſt in infante, mox ut animam habet rationalem; quicquid priùs in corpore nondum * fic animato factum ſit (ut * aliqua membrorum corruptio) vel poſt ſive in anima, ſive in corpore, futurum ſit. * Quod propter prædictas æſtimo rationes in omnibus infantibus naturaliter propagatis eſſe æquale; & omnes, qui in illo ſolo moriuntur, æqualiter damnari. Siquidem quicquid peccati ſuper illud additur * in homine, perſonale eſt: & ſicut perſona, propter naturam, peccatrix naſcitur; ita natura, * per perſonam, magis peccatrix redditur: quia cùm peccat perſona quælibet, peccat homo. Hoc peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in * eiſdem infantibus, niſi ipſam, quam ſuprà poſui, factam per inobedientiam Adæ juſtitiæ debitæ nuditatem: per quam omnes filii ſunt iræ, quoniam & naturam accuſat ſpontanea, quam fecit in Adam, juſtitiæ deſertio; nec perſonas excuſat, ut dictum eſt, recuperandi impotentia, quam comitatur beatitudinis quoque nuditas: ut ſicut ſunt ſine omni juſtitia; ita ſint abſque omni beatitudine: per quas duas nuditates in hujus vitæ exilio * expoſiti ſunt, & patentes peccatis & miſeriis inceſſanter ubique occurrentibus, & undique irruentibus; niſi quantùm divina defenduntur diſpoſitione.

al. omis.

al. quapropter

al. omis

al. propter

al. ipſis

C. 1. n. 13. & 14.

cap. 2.

al. poſiti

CAPUT XXVIII.*

al. cap. 27.

*Contra illos qui non putant infantes * debere damnari.*

al. non debere

SUnt quorum animus; infantes debere damnari, qui ſine baptiſmo moriuntur, ob ſolam injuſtitiam, quam dixi, * non vult accipere: quoniam nullus homo judicat eos reprehendendos de peccato alienæ perſonæ: & quia nondum ſunt juſti & intelligentes in tali ætate: nec putant Deum diſtrictiùs innocentes debere judicare, quàm * judicent homines. Quibus dicendum eſt quod aliter Deus erga infantes * exigit quid debeant agere; aliter homo. Nam homo non debet exigere à natura quod ipſe non dedit, & quod ſibi non debetur. Nec juſtè redarguit homo hominem cum culpa naſci, ſine qua ipſe non naſcitur, & de qua non niſi per aliû ſanatur. Deus verò rectè exigit à natura quod dedit ei, & quod ſibi juſtè debetur. Sed & hoc judicium, quo infantes damnantur, non eſt alienum multùm, ſi conſideretur, ab hominum judicio. Siquis enim vir & uxor ejus, ad magnam quandam dignitatem & poſſeſſionem, nullo ſuo merito, ſed gratiâ ſolâ provecti, ſimul crimen grave inexcuſabiliter committunt, & pro eo juſtè dejiciuntur, & in ſervitutem rediguntur: quis dicet filios, quos poſt damnationem generant, eidem non debere ſubjacere ſervituti; ſed potiùs ad bona, quæ parentes juſtè perdiderunt, gratis oportere reſtitui? Tales * ſunt primi parentes, & filii eorum, quos juſtè pro culpa ſua de beatitudine in miſeriam damnati, in eodem generant exilio. De ſimilibus itaque ſimile debet eſſe judicium; ſed de illis tantò diſtrictiùs, quantò delictum eorum probari poteſt * improbabilius. Denique omnis homo, aut ſalvatur, aut damnatur: omnis autem homo qui ſalvatur, ad regnum cœlorum admittitur; & omnis qui damnatur, ab eo excluditur. Qui verò admittitur, provehitur ad ſimilitudinem Angelorum, in quibus nullum unquam fuit, aut erit peccatum: quod fieri nequit, quamdiu eſt in eo aliqua macula peccati. Impoſſibile itaque eſt aliquem hominem cum aliquo, quamvis * parvo, peccato ſalvari. Quare ſi, quod dixi, originale peccatum eſt aliquod peccatum; neceſſe eſt omnem hominem in eo natum, * illo non dimiſſo, damnari.

al. improbabilius

al. pro uno

ſupra. c. 3. & 14.

al. in illo

CAPUT XXIX.*

al. cap. 28.

Quomodo impotentia habendi juſtitiam excuſet eos poſt baptiſmum.

DIxi impotentiam habendi juſtitiam non excuſare injuſtitiam infantium. Quæret ergo aliquis forſitan dicens: * ſi in infante peccatum, id eſt, injuſtitia, eſt ante baptiſmum; nec excuſatur impotentiâ habendi juſtitiam, ſicut dicis; & in baptiſmo non remittitur peccatum, niſi quod priùs erat: cùm poſt baptiſmum ſit ſine juſtitia, quandiu infans eſt, nec intelligere poteſt juſtitiam quam ſervet; (ſiquidem juſtitia eſt rectitudo voluntatis propter ſe ſervata:) quomodo non eſt injuſtus, etiam poſtquam baptizatus eſt? Si ergo baptizatus moritur in infantia, non ſtatim poſt baptiſma, cùm pœnitere nondum ſcit: quoniam non habet debitam juſtitiam, nec excuſatur impotentiâ; injuſtus tranſit de hac vita, ſicut faceret ante baptiſmum; nec ad regnum admittitur: quod Catholica non tenet Eccleſia. Quod ſi in baptiſmo peccatum in infantia futurum remittitur infantibus: cur non & illa quæ in ſequenti fiunt ætate? Ad quod reſpondeo quòd in baptiſmo peccata penitus, quæ ante baptiſmum erant, deleantur. Quapropter originalis impotentia juſtitiam habendi; jam baptizatis non imputantur ad peccatum, ſicut priùs. Quemadmodum igitur * impotentia habendi juſtitiam priùs excuſare non poterat abſentiam juſtitiæ, * quoniam ipſa erat in culpa: ſic poſt baptiſmum illam omnino excuſat, quia remanet ſine omni culpa. Unde fit ut juſtitia, quæ ante baptiſmum debebatur ab infantibus ſine omni excuſatione, poſt baptiſmum ab illis non exigatur, quaſi ex debito. Quamdiu ergo ſolâ originali impotentiâ non habent juſtitiam, non ſunt injuſti, quoniam non eſt in eis abſentia debitæ juſtitiæ. Non enim eſt debitum, quod ſine omni culpa eſt impoſſibile. Quare ſi ſic moriuntur; quia non ſunt injuſti, non damnantur: ſed & juſtitiâ Chriſti, qui ſe dedit pro illis; & juſtitiâ fidei matris Eccleſiæ, quæ pro illis credit, quaſi juſti ſalvantur. Hæc breviter de originali peccato, pro capacitate intellectûs mei, non tàm affirmando quàm conjectando dixi; donec mihi Deus melius * aliquo modo revelet. Si cui verò aliter viſum fuerit; nullius reſpuo ſententiam, ſi vera probari poterit.

al. 6 infantia

Impotentia juſtitiam habendi infantia hac baptizata non imputatur.

Juſtitiâ Chriſti, & juſtitiâ fidei matris Eccleſiæ in ſanctis baptiſmo quaſi juſti ſalvantur.

al. aliquando

Digitized by Google

DECLARATIO CUJUSDAM IN EUNDEM LIBRUM.

supra, cap. 7. QUIDAM quod hic dicitur, scilicet, in semine quo concipitur homo, non magis esse culpam aliquam, vel originalem, vel actualem, quàm est in sputo vel sanguine, si quis malâ voluntate exspuat, aut de sanguine suo aliquid emittat, reprehendunt; falsum esse ex hoc ostendentes, quòd in ipso semine sit quidam fomes peccati & corruptionis natura humana, & inde origo peccati originalis. Sed si ab eis quaeratur quid appellent fomitem peccati* quis in illo sit, & corruptionem naturæ; non video quid respondere possint de ratione: nulla enim res ratione carens, vel ad peccatum incitare potest, vel ad virtutem, ut ait Ambrosius de sacram., serm. primo. Judæus urceos baptizat & calices, quasi insensibilia vel culpam possint habere, vel gratiam. Quod igitur nec culpam potest habere nec laudem: non potest fomes esse peccati, vel virtutis. Tale est semen quo concipitur homo, cùm sit insensibile; ergo insensibile semen illud, cùm in eo non sit nec esse culpa possit; nec est, nec esse potest fomes peccati. Quòd autem in eo ipso sit causa corruptionis humanæ naturæ, non videtur; si vocant corruptionem eam quæ de peccato processit, & cum peccato inest. Est enim quædam naturæ nostræ corruptio, quæ de peccato quidem processit; sed cum peccato inest aliquando, aliquando cum peccato non inest corruptio illa, quæ tantummodo pœna est, & non peccatum, ut, morbi corporum nostrorum, & aliæ incommoditates, & mors ipsa: quæ corruptio sine peccato fuit in corpore Christi, & sine peccato mortali est in sanctis hominibus in hac vita, eadem cum peccato inest peccatoribus. Hæc corruptio non habet causam in semine, nec ex semine: licet pertranseat in omnes qui gignuntur paterno semine. Sed cùm sit pœna peccati, habet causam in peccato primi parentis, propter quod inflicta est non semini insensibili, sed eis qui sentire & sustinere debent molestiam afflictionis. De hac autem corruptione oritur quædam alia corruptio, quæ in semine quidem est, non autem à semine causam habet: ut cùm de morbidis parentibus semen morbidum formatur in morbidam prolem, de qua medici considerant: sed in hac nec culpa est originalis nec actualis. Et de hac non puto eos dicere. Si autem vocant corruptionem ipsum peccatum, quomodo quadam potest dici corruptio virtutis; ea longè* est à prædicto semine: ut permissa Ambrosii docet auctoritas. Quid ergo appellant fomitem peccati, vel corruptionem naturæ, quæ est in semine? Fortè dicere volent quòd hæc auctoritas vera sit: sed de seminibus ex quibus homines sint, sic vera esse non possit: sicut etiam ab Ambrosio de illis dictum non fuerit. Nam quod in tali semine sit peccatum ostendit Augustinus in secundo libro de nuptiis & concupiscentia. Natura* seminis, inquit, habet auctorem Deum, in qua ex vitio inobedientiæ trahitur originale peccatum. Nam si semen ipsum nullum habet vitium, quid est quod scriptum est in libro Sapientiæ? non ignorans quoniam nequam est eorum natio, & naturalis malitia ipsorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum. Semen enim erat maledictum ab initio. *Nempe de quibuscumque dicat ista, de hominibus dicit. Quomodo est ergo cujuslibet hominis* malitia naturalis, & semen maledictum ab initio? *nisi ad illud respiciatur: quod* per unum hominem peccatum in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. *Cujus autem hominis* cogitatio non *potest* mutari in perpetuum? *nisi quia per seipsam non potest, nisi gratia divina subveniat: qua non subveniente quid sunt homines, nisi quod ait Petrus Apostolus, velut muta animalia procreata naturaliter in captivitatem, in interitum? Hæc Augustinus. Ecce, aiunt; habetis in hac auctoritate, culpam esse in semine. Eis ergo, qui hæc prætendunt, respondemus. Primò, dicant unde ostendere possint Augustinum sensisse* hoc de ipso semine, quo homo seminatur. *Semen enim æquivocè dicitur, & de eo quod est causa; & de eo quod est ex causa, ut illud:* Semen Abrahæ sumus. *Juxta quem modum,* semen maledictum est, *id est illi sunt maledicti, qui sunt de semine vel generatione in malitia perseverantium, si ipsi sunt in eodem perseverantes. Non ita est, aiunt; Dicit enim hoc manifestè Augustinus quærens Quomodo est cujuslibet hominis malitia naturalis, & semen maledictum ab initio. Cujuslibet, inquit, hominis malitia naturalis, & semen maledictum ab initio. Sicut enim cujuslibet hominis malitia est naturalis; ita cujuslibet hominis semen maledictum. Dicimus quia non valet hoc zeugma, id est, repetitio, à superiori: nec ipse Augustinus eam repetitionem facit. Quare non cogimur consentire eam facientibus: sed sic dicimus: cujuslibet hominis malitia est naturalis, & ipse est semen maledictum; non ejus semen maledictum, quia in eo non est peccatum. Vel possumus figuratè dicere ipsum semen maledictum esse pro eo, quod ex eo erunt qui maledicti erunt: juxta illud:* Maledicta terra in operibus tuis, *id est, opera tua in terra. Non enim terra maledicta est, cùm ipsa alibi dicatur sancta, licet eam peccatores operentur: ut,* locus, in quo stas, terra sancta est, *alioquin eadem & maledicta, & sancta esset. Sic* semen maledictum, *quia maledicti qui ex semine. Juxta quem modum Anselmus noster optimè & verè exponit illam auctoritatem Job de immundo semine, quod tamen in se neque immundum est, neque maledictum. Imò, inquiunt, de semine, quod est materia carnis humanæ, videtur dicere Augustinus, dum sic incipit:* Nam si semen ipsum nullum habet vitium: *ad quid enim fieret relatio per* ipsum: *Non enim* processit sermo nisi de semine? *Sed sæpe fit per hoc pronomen non relatio, sed proprietatis quædam expressio ejus rei, quæ in causa dicti est? ut etiam Palladius de rusticatione incipit: Pars prima est prudentiæ, ipsam, cui præcepturus est, æstimare personam. Nulla igitur per* ipsam *fit relatio; sed proprietatis ejus, quæ in persona est, expressio: ac si dicat ipsam personam, id est, virtutem vel scientiam, vel dignitatem, vel artem, vel professionem personæ, vel tale quid ejus. Sic & hîc accipitur,* ipsum, *cùm de semine agitur, quasi dicat: Ipsum semen, id est, ratio seminis, ea est, ut non sine vitio sit. Nam si non in vitio est, si nullum habet vitium, quid est quod scriptum est, &c?* Adhuc respondemus. *Quicquid sit de relatione, vel de proprietatis expressione per hoc pronomen,* ipsum, *in semine nullum esse peccatum probat Augustinus, aliam quæstionem faciens Hieron. de origine animæ dicenti quòd quotidie Deus creat novas animas. Quod Aug. nec recipiens, nec improbans: quærens autem quid Hieron. respondeat objecit, quæstionem talem facit ei in epistola de origine animæ. Si anima hujus infantuli recens nati infundendo creata est, & creando infusa, quando vel quomodo peccavit in Adam? Hæc quæstio numquam posset esse illius, qui diceret in semine, quo concipitur homo, esse peccatum originale. Diceret enim ei: Quid quæris* hoc, *quod tu ipse indubitanter fateris, in semine peccatum & vitium, quod trajicitur de primo homine in omnes posteros? frustra quæris quomodo peccavit, qui seminaliter de Adam processit: Semen autem culpam secum trahit. Hoc, inquâ, diceretur ei. Quare, si hæc Augustinus sentiret, nunquam Hieron. eam quæstionem faceret; huic autem quæstioni nihil est à Hieron. responsum: nec eam ipse August. solvit, qui de origine animæ nullam certam sententiam protulit.* Videant moderni præceptores quomodo eam *solvant. In tantum per ipsum Augustinum obtinuimus, in auctoritate ejus suprapositâ, non eum intellexisse de semine, quod sperma est, hoc quod dixit in semine esse vitium. Rata est ergo sententia*

* al. aliæ est

* al. quod

* al. processit sermo de

* al. Ad hoc

* al. vide etiam

C. 8.

* al. hominis

Sap. 12. v. 10.

Rom. 5.

1. Pet. 2. v. 12.

ed by Google

al. generaliter quæ

Ambrosii & nostri Anselmi, generaliterque intelligenda est quòd in re sensibili nec gratia sit, nec culpa. Attamen adhuc opponunt de auctoritate Johannis Damasceni, qui dicit quòd post conceptum sive consensum beatæ Virginis Spiritus sanctus supervenientes omne peccatum in ea purgaverit, & omnem fomitem peccati, Exinde, credo, volunt habere auctoritatem, quod oportet aliquatenus semen illud virginale, licet non esset ex viri commixtione, tamen mundatum esse à peccati fomite, Spiritus sancti operatione. Ad hoc respondemus nihil nos Johanni Damasceno in dictis suis præjudicare, ut potè quod ejus scripta nulla legerimus; nisi quatenus ea, ab aliis in testimonium introducta; multis in locis cognovimus. At nobis promptum est Hieronymi nostri sanctissimi & doctissimi testimonium ferre in contrarium dicentis in sermone de assumptione ejusdem Dominæ & Reginæ nostræ: Beata, inquit, & gloriosa virgo Maria, quamvis dum incomparabilis esset universis quæ sub eo sunt, virginibus, ut decenter posset in se suscipere Divinitatis admixtionem, salvâ utrâque naturâ: tamen cùm gratiâ repletur, cùm Spiritu sancto perfunditur, cum Spiritu sancto obumbratur, sit pretiosior meritis, celsis sublimior fastigiis, pulchrior sanctitate, gloriosior suorum meritis & prærogativis meritorum: ita ut nullis jam usibus sit ipsa eadem mancipanda, nisi Divinis. Rogo te Johannes Damascene, vel quicumque es in* tali sententia, quod putes beatam Dei matrem post annunciationem sancti Angeli, tunc primùm in superventione Spiritus sancti amisisse vel peccatum, vel fomitem peccati. Rogo, inquam, te per eandem beatam Dominam, desiste, noli amulari in malignantibus, cessa sinceritissimum vas incrustare, solve calceamenta pedum tuorum, quæ impediunt progressum rectæ intentionis tuæ. Siquidem Zelum Dei habes in hac parte: sed fortè non secundum scientiam. Forsitan enim putas in hoc errore, Deo te obsequium exhibere: quòd si nolueris cessare, scito quòd terra hac, quam calcas, devorat habitatores suos, ultionem faciens in omnes filios diffidentiæ. Adhuc audi quid dicat inde nostrorum temporum Spiritus sancti organum beatus Bernardus Abbas Clarevallensis.* Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. *Superius dicta est* gratia plena, *& nunc quomodo dicitur:* Spiritus sanctus superveniet in te, &c? *Nunquid potuit repleri gratiâ, & necdum habere Spiritum sanctum; cùm ipse sit dator gratiarum? Si autem jam Spiritus erat in ea; quomodo adhuc, tanquam non venit, superventurus repromittitur? An forte ideo non dicit simpliciter:* veniet in te, *sed addit,* superveniet: *quia & prius quidem fuit in ea per multam gratiam, sed supereminere nunciatur, propter abundantioris gratiæ plenitudinem, quam effuderat est super illam? At vero cùm plena sit, illud amplius quomodo capere poterit? Si autem *aliquid plus capere potest: quomodo* ante plena fuisse intelligenda est? An prior quidem gratia ejus tantùm repleverat mentem; sequens vero & ventura perfundere debet, quatenus scilicet plenitudo Divinitatis, quæ ante in illa, sicut & in multis sanctorum, spiritualiter habitat; etiam, sicut in nullo sanctorum, corporaliter in ipsa habitare incipiat? Quid est,* virtus Altissimi obumbrabit tibi? *Qui potest capere, capiat: & fortè propter hoc maxime dictum sit,* obumbrabit tibi:

al. in sententia qui potes

al. aliud

al. autem

quia res nimirum in Sacramento erat, & quod sola per se Trinitas in sola, & cum sola Virgine voluit operari, soli datum est nosse, cui soli datum est experiri. Hæc nos quidem breviter introduximus contra hoc quod opponunt de Johanne Damasc. cui nos dare determinationem præsumptuosum esset, quia quo sensu dixerit penitus ignoramus. At si ille Hieronymo & nostris contraria hic dixit; libet in hoc eodem potius adhærere non ei, sed Hieronymo & nostris. Opponitur adhuc Anselmo nostro, quod in hoc libro* dixerit, quòd nulla veritas, nullus intellectus permittit ad hominem de sola Virgine conceptum, & de peccato massa peccatricis * aliquid potuisse vel* debuisse accedere, etiam si non esset Deus, quamvis de illa massa esset assumptus. Dicunt enim Christum non potuisse, nec voluisse peccare, non quia filius Virginis; sed quia Deus fuit. Christus, aiunt, nec voluit, nec peccare potuit: ergo Deus fuit. Quid ergo dicemus de sanctis Angelis, qui ex gratia confirmationis non volunt, nec possunt peccare? vel si Adam, antequam peccasset, aliquos, qui ante ipsum in justitia confirmarentur, genuisset; de illis quid dicemus? Utique si illi, cùm nec vellent nec possent peccare, non ideo Dei vel Dii essent:* sic & in Christo videndum nimirum quod peccare non potuit, nec voluit, sola Divinitas ejus homini unita in causa fuerit. Nam quod ipsa plurimum & maxime* adjuverit, omni constat fideli. Sed aliud est causam simpliciter esse; aliud causa supplementum conferre. * Dicunt fortè quia post peccatum Adæ nulla caro mortalis non unita Deitati absque peccato esse prævaluit, vel prævalere potuit; quocunque modo Deus aliquem, vel aliquam absque semine viri creasset, dummodo de Adam esset. Sed cùm hoc dicunt, causam peccati, ut suprà, in semine ponunt: quod utique Deus sicut facit esse ex mare & fœmina, sic facere potest ex fœmina sola. Ipsi igitur solvant quæ supra diximus, & ex auctoritate, & ex ratione: & libenter audiemus. Quod si non potuerint; constabit nobis, sicut constat ex Anselmi ratione irrefragabili, quicunque gignitur alio modo quàm Adam genuit, quod non teneantur præjudicio peccati originalis, quod per traducem ex Adam descendit; licet ille Deus non sit ut Christus fuit: & ita si voluerit non peccare, poterit & non velle peccare, cùm posse non peccare valebit; donec ei confirmans gratia non posse velle, & non posse peccare superaddit. Consentit nobis Augustinus in tertio contra Julianum:* Frustra, *inquit,* putas ideo in parvulis non esse delictum, quia sine voluntate quæ in eis nulla est, esse non potest. Hoc enim rectè dicitur propter proprium cujusque peccatum; non propter primi* peccati originale contagium: quod si nullum esset profecto nulli malo parvuli obstricti, nihil mali vel in corpore, vel in anima, sub tanta justi Dei potestate parentur. *Vide in his verbis prudens lector hanc maximam incurrere: A quocunque removetur pœna peccati, ab eodem & peccatum removetur: & non convertitur. A quibus ergo parvulis removet in corpore & anima peccati pœnam Augustinus, priùs ab eis removeri docet peccatum omne & contagium peccati. Illi ergo non essent nec Deus, nec Dii; & tamen possent, si vellent, non peccare, & confirmati non possent peccare. Rectè ergo & verissimè Anselmus, quia cum eo est veritas, & filius veritatis Augustinus* senserunt.*

al. alind

al. accedere

Cap. 15.

al. adinvenit

al. dicens

al. parentis

al. delictum sive

al. omisi senserunt

Luc. 1.

SANCTI ANSELMI
CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI
DIALOGUS
DE VERITATE.

PROLOGUS.

TRES tractatus pertinentes ad ſtudium ſacræ Scripturæ quondam feci diverſis temporibus, conſimiles in hoc quia facti ſunt per interrogationem & reſponſionem; & perſona interrogantis, nomine * notatur Diſcipuli; reſpondentis verò, nomine Magiſtri. Quartum enim, quem ſimili modo edidi, non inutilem, ut puto, introducendis ad Dialecticam, cujus initium eſt: de Grammatico: quoniam ad diverſum ab his tribus ſtudium pertinet, illis nolo connumerare. Unus horum trium eſt de Veritate: quid, ſcilicet, ſit Veritas, & in quibus rebus ſoleat dici; & quid ſit juſtitia. Alius verò de Libertate Arbitrii, quid ſit, & utrùm eam ſemper habeat homo; & quot ſint ejus diverſitates in habendo, vel non habendo rectitudinem voluntatis, ad quam ſervandam eſt data creaturæ rationali: in quo naturalem tantùm fortitudinem voluntatis ad ſervandam acceptam rectitudinem; non quomodo neceſſarium ad hoc ipſum illi ſit, * ut gratia ſubſequatur, oſtendi. Tertius autem eſt de quæſtione; qua quæritur quid peccavit diabolus, quia non ſtetit in veritate: cùm Deus non dederit ei perſeverantiam, quam niſi eo dante habere non potuit: quoniam ſi Deus dediſſet: ille habuiſſet, ſicut boni Angeli habuerunt illam, quia illis dedit Deus. Quem tractatum, quamvis ibi de confirmatione bonorum Angelorum dixerim, de caſu diaboli titulavi: quoniam illud contingens fuit, quod dixi de bonis Angelis; quod autem ſcripſi de malis, ex propoſito fuit quæſtionis. Qui, videlicet, Tractatus, quamvis nullâ continuatione dictaminis cohæreant; materia tamen eorum, & ſimilitudo * diſputationis exigit, ut ſimul eo, quo illos commemoravi, ordine conſcribantur. Licet itaque à quibuſdam feſtinantibus alio ordine ſint * conſcripti, antequam perfecti eſſent: ſic tamen eos, ut hîc poſui, volo ordinari.

al. vocantur

al. ſit, ſed ad hoc, ut

al. diſpoſitionis

CAPUT PRIMUM.
Quòd veritas non habeat principium, vel finem.

DISCIP.

A QUoniam Deum, veritatem eſſe credimus; & veritatem in multis aliis eſſe dicimus; velle ſcire an ubicunque veritas dicitur, Deum eam eſſe fateri debeamus. Nam tu quoque in Monologio tuo per veritatem orationis probas ſummam veritatem non habere principium vel finem, dicens: Cogitet qui poteſt, quando incœpit, aut quando non fuit hoc verum, ſcilicet, quia futurum erat aliquid: aut quando deſinet, & non erit hoc verum, ſcilicet, quia præteritum erit aliquid. Quòd ſi neutrum illorum cogitari poteſt, & utrumque hoc verum ſine veritate eſſe non poteſt: impoſſibile eſt vel cogitare quòd B veritas principium, aut finem habeat. Denique ſi veritas habuit principium, aut habebit finem: antequam ipſa inciperet, verum erat tunc quia non erat veritas: & poſtquam finita erit, verum erit quia non erit veritas. Atqui verum non poteſt eſſe ſine veritate: erat igitur veritas, antequam eſſet veritas; & erit veritas, poſtquam finita erit veritas: quod inconvenientiſſimum eſt. Sive igitur dicatur veritas habere, ſive intelligatur non habere principium vel finem, nullo claudi poteſt veritas principio vel fine. Hæc tu in Monologio tuo. Quapropter veritatis diffinitionem à te * audire expecto. *Mag.* Non memini me invenîſſe diffinitionem veritatis: ſed ſi vis, quæramus per rerum diverſitates, in quibus veritatem dicimus eſſe, quid ſit veritas. *Diſc.* Si aliud non potero, vel audiendo juvabo.

C. 18. al. 17. Per veritatem orationis demonſtratur quòd veritas non habeat principium vel finem.

In Mon. c. 15. al. diſcat

CAPUT II.
*De veritate ſignificationis, & * de duabus veritatibus enuntiationis.*

MAGIST.

QUæramus ergo primùm quid ſit veritas in enuntiatione: quoniam hanc ſæpiùs dicimus veram, vel falſam. *Diſc.* Quære tu; & quicquid inveneris, ego * obſervabo. *Mag.* Quando eſt enuntiatio vera? *Diſc.* Quando eſt quod enuntiat, ſive affirmando, ſive negando: dico * enim eſſe quod enuntiat, etiam quando negat eſſe quod non eſt; quia ſic enuntiat, quod

al. ſervabo

al. autem. quod &

Digitized by Google

quemadmodum res est. *Mag.* An ergo tibi videtur quòd res enuntiata sit veritas enuntiationis? *Disc.* Non. *Mag.* Quare? *Disc.* Quia nihil est verum, nisi participando veritatem: & ideo * veri veritas in ipso vero est; res verò enuntiata non est in enuntiatione vera, unde non ejus veritas, sed causa veritatis * ejus dicenda est. Quapropter non nisi in ipsa oratione quærenda mihi videtur ejus veritas. *Mag.* Vide ergo an ipsa oratio, aut ejus significatio, aut aliquid eorum, quæ sunt in diffinitione enuntiationis, sit quod quæris? *Disc.* Non puto. *Mag.* Quare. *Disc.* Quia si hoc esset; semper * esset vera; quoniam eadem manent omnia, quæ sunt in enuntiationis diffinitione; & cùm est, quod enuntiat, & cùm non est: eadem est enim oratio, & eadem significatio. & cætera similiter. *Mag.* Quid igitur tibi videtur ibi veritas? *Disc.* Nihil aliud scio, nisi B * quia cùm significat esse, quod est; tunc est in ea veritas, & est vera. *Mag.* Ad quid facta est affirmatio? *Disc.* Ad significandum esse, quod est. *Mag.* Hoc ergo debet? *Disc.* Certum est. *Mag.* Cùm ergo significat esse, quod est; significat quod debet. *Disc.* Palàm est. *Disc.* At cùm significat quod debet, rectè significat. *Disc.* Ita est. *Mag.* Cùm autem significat rectè; recta est significatio? *Disc.* Non est dubium. *Mag.* Cùm ergo significat esse, quod est; recta est significatio? *Disc.* Ita sequitur. *Mag.* Item cùm significat esse, quod est; vera sit significatio? *Disc.* Verè & recta & vera est; cùm significat esse, quod est. *Mag.* Idem igitur est illi, & rectam, & veram esse, * id est, significare esse, quod est? *Disc.* Verè idem. *Mag.* Ergo non est illi aliud veritas, quàm rectitudo. *Disc.* Apertè nunc video veritatem hanc esse rectitudinem. *Mag.* Similiter C est; cùm enuntiatio significat non esse, quod non est. *Disc.* Video quod dicis: sed doce me quid respondere possim, si quis dicat qui etiam cùm ratio significat * esse, quod non est; significat quod debet: pariter namque accepit significare esse & quod est, & quod non est. Nam si non accepisset significare esse, etiam quod non est; non * id significaret. Quare etiam cùm significat esse, quod non est; significat quod debet. At si quod debet significando, recta & vera est sicut ostendisti; vera est oratio, etiam cùm enuntiat esse, quod non est. *Mag.* Vera quidem non solet dici, cùm significat esse, quod non est; veritatem tamen & rectitudinem habet, quia facit quod debet. Sed cùm significat D esse quod est; dupliciter facit quod debet: quoniam significat & quod accepit significare, & quod facta est. Sed secundùm hanc rectitudinem & veritatem, qua significat esse, quod est usu recta & vera dicitur enuntiatio; non secundùm illam, qua significat esse, etiam quod non est. Plus enim debet propter quod accepit significationem, quàm propter quod non accepit. Non enim accepit significare rem esse, cùm non est; vel non esse, cùm est; nisi quia non potuit illi dari tunc solummodo significare esse, quando est; vel non esse, quando non est. Alia igitur est rectitudo & veritas enuntiationis, quia significat * ad quod significandum facta est: alia verò, quia significat quod accepit significare. Quippe ista immutabilis est ipsi orationi; illa verò, mutabilis: hanc namque semper habet; E illam verò non semper: illam enim naturaliter habet; illam verò, accidentaliter & secundùm usum. Nam cùm dico; dies est: ad significandum esse, quod est; rectè utor hujus orationis significatione: quia ad hoc facta est; & idèo tunc rectè dicitur significare. Cùm verò eàdem oratione significo esse, quod non est; non eà rectè utor: quia non ad hoc facta est; & idcirco tunc non recta ejus significatio dicitur: quamvis in quibusdam enuntiationibus inseparabiles sint istæ duæ rectitudines, seu veritates: ut, cùm dicimus: homo animal est, aut, homo lapis non est. Semper enim hæc affirmatio significat esse, quod est; & hæc negatio, non esse quod non est: nec illà possumus uti ad significandum esse, quod non est; semper enim homo animal est; nec istâ ad significandum non esse, quod est; quia homo nunquam lapis est. De illa igitur veritate, quam habet oratio, secundùm quod aliquis eâ rectè utitur, incœpimus quærere: quoniam secundùm hanc, veram eam esse judicat usus communis loquutionis. De illa autem veritate, quam non habere non potest, postea dicemus. *Disc.* Redi igitur ad id, quod incœpisti: quoniam sufficienter mihi inter duas veritates orationis discrevisti; si tamen aliquam eam veritatem ostenderis habere, cùm mentitur; sicut tu dicis. *Mag.* De veritate significationis, de qua incœpimus, interim ista sufficiant. Eadem enim ratio veritatis, quam in propositione vocis perspeximus, consideranda est in omnibus signis, quæ fiunt ad significandum aliquid esse, vel non esse, ut sunt scripturæ, vel digitorum loquela. *Disc.* Ergo transi ad alia.

CAPUT III.

De veritate opinionis.

MAGIST.

COgitationem quoque dicimus veram, cùm est quod aut ratione aut aliquo modo putamus esse: & * falsam, cùm non est. *Disc.* Ita usus habet. *Mag.* Quid ergo tibi videtur veritas in cogitatione? *Disc.* Secundùm rationem, quam * de propositione vidimus, nihil rectiùs dicitur veritas cogitationis, quàm rectitudo ejus. Ad hoc namque nobis datum est posse cogitare esse, vel non esse aliquid: ut cogitemus esse, C quod est: & non esse, quod non est. Quapropter qui putat esse, quod est: putat quod debet, atque ideo recta est cogitatio. Si ergo vera & recta est cogitatio; non ob aliud, quàm quia putamus esse quod est; aut non esse, quod non est: non est aliud ejus veritas, quàm rectitudo.

CAPUT IV.

De veritate voluntatis.

MAGIST.

RECtè consideras. Sed & in voluntate dicit ipsa Veritas veritatem esse, cùm dicit diabolum non stetisse in veritate. Non enim erat in veritate, neque deseruit veritatem, nisi * in voluntate. *Disc.* Ita credo. Si enim semper voluisset, quod debuit; nunquam peccasset, qui non, nisi peccando, veritatem deseruit. *Mag.* Dic ergo quid * ibi intelligas veritatem? *Disc.* Non nisi rectitudinem. Nam si quandiu voluit quod debuit, ad quod, scilicet, voluntatem acceperat; in rectitudine & veritate fuit: & cùm voluit quod non debuit; rectitudinem & veritatem deseruit: non aliud potest ibi intelligi veritas, quàm rectitudo; quoniam sive veritas, sive rectitudo; non aliud in ejus voluntate fuit, quàm velle quod debuit.

CAPUT V.

De actionis naturalis, & non naturalis veritate.

MAGIST.

BEne intelligis. Verùm in actione quoque nihilominus veritas credenda est, sicut Dominus dicit. Quia *qui malè agit, odit lucem: & qui facit veritatem, venit ad lucem.* *Disc.* Video quod dicis. *Mag.* Considera igitur * quid ibi sit veritas, si potes. *Disc.* Nisi fallor, eadem ratione qua supra veritatem in aliis cognovimus, in actione quoque comtemplanda est. *Mag.* Ita est. Nam si malè agere, & veritatem facere opposita sunt: sicut ostendit Dominus cùm dicit: *Qui malè agit odit lucem: & qui facit veritatem, venit ad lucem*; idem est, *veritatem* facere, quod est,

al. ideo veritas

al. esse

al. nisi cùm

Veritas enuntiationis non est aliud, quàm ejus rectitudo.

al. hoc esse

al. Idem Utrum rem cum vera et recta dicat cùm significat esse quod non est.

al. quod accepit significare, & ad

Alia enuntiationes in sapientiores hominum quàm illas veritates

al. falsam

al. in

Veritas cogitationis non est aliud quam ejus rectitudo, quæ est cum cogitat quod debet.

Joann. 8. v. 44. al. nisi voluntate.

al. quid in per veritatem.

Joann. 3. v. 20. & 21. al. quod

Digitized by Google

bene facere. Bene namque facere, * ad malè facere contrarium est. Quapropter si veritatem facere, & bene facere idem sunt in oppositione: non sunt diversa in significatione: sed sententia est omnium quia qui facit quod debet, bene facit, & rectitudinem facit. Unde sequitur quòd rectitudinem facere, est facere veritatem. Constat namque facere veritatem, esse bene facere; & bene facere, esse rectitudinem facere. Quare nihil apertius, quàm veritatem actionis, * esse rectitudinem. *Disc.* In nullo video titubare * considerationem tuam. *Mag.* Inspice an omnis actio, quæ facit quod debet, veritatem facere convenienter dicatur. Est quippe actio rationalis, ut, dare eleemosynam; & est irrationalis actio, * ut actio ignis, * qui calefacit. Vide ergo an convenienter dicamus ignem facere veritatem? *Disc.* Si ignis ab eo, à quo habet esse, accepit calefacere; cùm calefacit, facit quod debet. * Igitur non video quæ inconvenientia sit ignem facere veritatem & rectitudinem, cùm facit quod debet. *Mag.* Mihi quoque aliter non videtur. Unde animadverti potest rectitudinem seu veritatem actionis, aliam esse necessariam; aliam non necessariam. Ex necessitate namque ignis facit veritatem & rectitudinem, cùm calefacit; & non ex necessitate facit homo rectitudinem & veritatem, cùm bene facit: facere autem non solùm pro eo quod propriè dicitur facere; * sed pro omni verbo Dominus voluit intelligere, cùm dixit quoniam *qui facit veritatem, venit ad lucem.* Non enim separat illum ab hac veritate * sive luce, qui patitur persecutionem propter justitiam; aut qui est, quando, & ubi debet esse; aut qui stat, vel sedet, quando debet; & similia. Nullus namque dicit tales non bene facere. Et cùm dicit Apostolus quia *recipiet unusquisque prout gessit*: intelligendum ibi est, quicquid solemus dicere * bene facere, vel malè facere. *Disc.* Usus quoque communis loquutionis hoc habet, ut & pati, & multa alia dicat facere, quæ non sunt facere. Quare rectam quoque voluntatem, de cujus veritate, ante veritatem actionis, * supra contemplati sumus, inter rectas actiones, nisi fallor, computare possumus. *Mag.* Non falleris. Nam qui vult quod debet, rectè & bene facere dicitur; nec ab his qui veritatem faciunt, excluditur. Sed quoniam de veritate investigando, illam loquimur; & Dominus de illa veritate, quæ in voluntate est, specialiter videtur dicere, cùm dicit de diabolo quia *in veritate non stetit*: ideo separatim quid in voluntate veritas esset, considerare volui. *Disc.* Placet mihi ita factum esse. *Mag.* Cùm ergo constet actionis veritatem aliam naturalem esse, aliam non naturalem; sub naturali ponenda est illa veritas orationis, quam * supra vidimus ab illa non posse separari. Sicut enim ignis, cùm calefacit, veritatem facit; quia ab eo accepit, à quo habet esse: ita & hæc oratio, scilicet, dies est, veritatem facit, cum significat diem esse; sive dies sit, sive dies non sit; quoniam hoc naturaliter accepit facere. *Disc.* Nunc primùm video in falsa oratione veritatem.

al. rectitudinem facere al. affirmationem

al. omnis al. quæ

al. ideo

al. facere veritatem facit legitur, non tantùm in facto, sed etiam in verbo & in sufferentia: sed pro Joann. 3. v. 21.

Cap. 4.

Joan. 8. v. 44.

cap. 11

CAPUT VI.

*De sensuum veritate: * & quòd falsitas, quæ putatur esse in sensu, sit in opinione.*

MAGIST.

PUtasne nos præter summam veritatem, omnes sedes invenisse veritatis? *Disc.* Reminiscor nunc cujusdam veritatis, quàm in his, de quibus tractati, non invenio. *Mag.* Quæ * est illa? *Disc.* Est quidem in sensibus corporis veritas, sed non semper: nam fallunt nos aliquando. Nam cùm video aliquando per medium vitrum aliquid, fallit me visus: quia aliquando renuntiat mihi corpus, quod video ultra vitrum, ejusdem esse coloris, cujus est & vitrum; cùm alterius sit coloris: aliquando verò facit me putare vitrum habere colorem rei, quam ultra video; cùm non habeat. Multa sunt alia, in quibus visus, & alii sensus fallunt. *Mag.* Non mihi videtur hæc veritas, vel falsitas in sensibus esse, sed in opinione. Ipse namque sensus interior se fallit, non illi mentitur exterior. Quod aliquando facilè cognoscitur, aliquando difficilè. Cùm enim puer timet sculptum draconem aperto ore; facilè cognoscitur quia hoc non facit visus, qui nihil aliud puero renuntiat, quàm senibus; sed puerilis sensus interior, qui nondum benè scit discernere inter rem, & rei similitudinem. Tale est * cùm videntes hominem alicui simile, putamus illum esse cui similis; aut cùm adiens quis non hominis vocem, putat esse vocem hominis. Nam & hoc facit sensus interior. Quod autem dicis de vitro, ideo, est, quia cùm visus transit per corpus aliquod aërei coloris, non aliter impeditur assumere * similitudinem coloris, quem ultra videt, quàm cùm transit per aëra: nisi in quantùm illud corpus, quod transit, spissius; aut obscurius est aëre: ut, cùm transit per vitrum sui * coloris, id est, cui nullus alius admixtus est color; aut per purissimam aquam, aut per crystallum, aut per aliquid simile habens colorem. Cùm verò transit idem visus per alium colorem: ut per vitrum non sui coloris, sed cui alius color est additus: ipsum colorem, qui priùs occurrit, accipit. Quapropter, quoniam post unum acceptum colorem, secundùm quod illo affectus est, alium quicunque occurrat, aut nullatenus, aut minùs integrè * susscipit: ideo illum, quem priùs cepit, aut solum, aut cum eo qui post occurrit, renuntiat. Si enim visus, quantùm capax est coloris, tantùm afficitur priore colore; non potest alium sentire simul colorem: Si autem minùs quàm colorem sentire possit, priori afficitur: potest alium sentire: ut, si transit per aliquod corpus, velut per vitrum, quod ita perfectè sit rubicundum, ut omnino * ipse visus afficiatur ejus rubore; nequit diverso simul affici colore: si autem non tam perfectum invenit ruborem, qui prior occurrit, quantùm coloris capax est; quasi nondum plenus, adhuc alium valet assumere colorem, in quantùm ejus capacitas priori colore non est satiata. Qui ergo hoc nescit, putat visum renuntiare quia omnia, * quæ post priùs assumpti colorem sentit, aut omnino, aut aliquatenus ejusdem sint coloris. Unde contingit ut sensus interior culpam suam imputet sensui exteriori. Similiter cùm fustis integer, cujus pars est intra aquam, & pars extra, putatur fractus: aut cùm putamus quòd visus noster vultus nostros inveniat in speculo: & cùm multa alia nobis aliter videntur visus & alii sensus nuntiare quàm sint; non culpa sensuum est, qui renuntiant quod possunt, quoniam ita posse acceperunt: sed judicio animæ imputandum est, quod non bene discernit, * quid possint illi, aut quid debeant. Quod ostendere quoniam laboriosum magis est, quàm fructuosum ad hoc quod intendimus; in hoc modò tempus * insumendum non arbitror. Hoc tantùm sufficiat dicere: quia sensus quicquid renuntiare videantur, sive ex sui natura hoc faciant, sive ex aliqua alia causa; * faciunt quod debent; & ideo rectitudinem, & veritatem faciunt: & continetur hæc veritas sub illa veritate, quæ est in actione. *Disc.* Satisfecisti mihi tuâ responsione; & nolo te ampliùs morari in hac de sensibus quæstione.

al. sensum, illum

al. qui, qui

al. consumendum

al. causa hoc faciunt quod

CAPUT VII.

De veritate essentiæ rerum.

MAGIST.

JAm considera an præter summam veritatem, in aliqua re veritas sit intelligenda, exceptis his, quæ suprà conspecta sunt. *Disc.* Quid illud esse potest? *Mag.* An putas aliquid esse aliquando, aut alicubi, quod

Digitized by Google

non sit in summa veritate, & quod inde non acceperit quod est, in quantùm est: aut quod possit aliud esse, quàm quod ibi est? *Disc.* Non est putandum. *Mag.* Quicquid igitur est, verè est, in quantùm hoc est, quod ibi est. *Disc.* Absolutè concludere potes quia omne quod est, verè est: quoniam non est aliud, quam quod ibi est. *Mag.* Est igitur veritas in omnium, quæ sunt, essentia: quia hoc sunt, quod in summa veritate sunt. *Disc.* Video ita ibi esse veritatem, ut nulla * ibi possit esse falsitas: quoniam quod falso est, non est. *Mag.* Bene dicis. Sed dic an aliquid aliud debeat esse, quam quod est in summa veritate? *Disc.* Non. *Mag.* Si ergo omnia * hoc sunt, quod ibi sunt; sine dubio hoc sunt, quod debent. *Disc.* Verè hoc sunt quod debent. *Mag.* Quicquid verò est, quod debet esse, rectè est. *Disc.* * Aliter esse non potest. *Mag.* Igitur omne quod est, rectè est. *Disc.* Nihil consequentius. *Mag.* Si ergo veritas & rectitudo idcirco sunt in rerum essentia, quia hoc sunt quod sunt in summa veritate; certum est veritatem rerum, esse rectitudinem.

al. nulla possit

al. Cap. 8. al. hic. hic. hic

al. nihil consequentius, aliter Omne quod est vide est.

CAPUT VIII.

De diversis intellectibus, debere. & non debere; posse, & non posse.

DISCIP.

NIhil planius, quantùm ad consequentiam argumentationis. Sed secundùm rei veritatem, quomodo possumus dicere quia quicquid est, * debet esse; cùm sint multa opera mala, quæ certum est * esse non debere? *Mag.* Quid mirum, * si eadem res debet esse, & non esse? *Disc.* Quomodo potest hoc esse? *Mag.* Scio te non dubitare quia nihil omnino est, nisi Deo aut faciente, aut permittente. *Disc.* Nihil mihi certius. *Mag.* An audebis dicere quia Deus aliquid faciat aut permittat non sapienter, aut non bene? *Mag.* Imò affero quia nihil nisi bene & sapienter. *Mag.* An judicabis non debere esse quod tanta bonitas & tanta sapientia facit, aut permittit? *Disc.* Quis intelligens audeat hoc cogitare? *Magist.* Debet igitur esse pariter, & quod faciente, & quod permittente Deo fit. *Disc.* Patet quod dicis. *Mag.* Dic etiam: an * putas esse debere malæ voluntatis affectum? *Disc.* Idem est, ac si dicas an debeat esse opus malum: quod nullus sensatus * concedet. *Mag.* Permittit tamen Deus aliquos malè facere, quod malè volunt. *Disc.* Utinam non tam sæpe permitteret. *Mag.* Idem igitur debet esse, & non esse: Debet enim esse; quia bene & sapienter ab eo, quo non permittente fieri non posset, permittitur: & non debet esse; quantùm ad illum, cujus iniquâ voluntate concipitur. Hoc igitur modo * Dominus Jesus, quia solus innocens erat, non debuit mortem pati, nec ullus eam illi debuit inferre; & tamen eam debuit pati, quia ipse sapienter, & benignè, & utiliter voluit eam sufferre * Multis enim modis eadem res suscipit diversis considerationibus contraria: quod in actione sæpe contingit, ut in percussione. Percussio namque & agentis est, & patientis: unde & actio dici, & passio potest: quamvis, secundùm ipsum nomen, actio vel percussio, & quæ similiter dicta à passivis in activa significatione dicuntur magis videantur esse patienter, quàm agentis. Quippe secùndum id quod agit, magis propriè * videntur dici agentia vel percutientia; & secundùm id quod patitur, actio vel percussio. Nam agentia & percutientia, ab agente & percutiente dicuntur (sicut providentia à providente, & continentia à continente) quæ, scilicet, agens & percutiens, providens & continens, activa sunt; actio verò & percussio, ab acto & percussio, quæ passiva sunt, derivantur. Sed quoniam (ut in uno dicam quod in cæteris intelligas) sicut percutiens non est sine percussio, nec percussus absque percutiente; ita percutientia & percussio sine invicem esse nequeunt; imò una & eadem res est diversis nominibus secundùm diversas partes significata: idcirco percussio, & percutientis, & percussi esse dicitur. Quapropter secundùm quod agens vel patiens eidem subjacent judicio, vel contrariis; ipsa quoque actio ex utraque parte similiter judicabitur, aut contrariè. Cùm ergo & qui percutit, rectè percutit; & qui percutitur, rectè percutitur: ut, cùm peccans, ab eo, ad quem pertinet, corrigitur: ex utraque parte recta est, quia ex utraque parte debet esse, percussio. E contrario, quando ab iniquo justùs percutitur; quia nec ille percuti, nec ille percutere debet; ex utraque parte non recta est, quia ex neutra parte debet esse, percussio. Cùm verò peccans ab eo, ad quem non pertinet, percutitur; quoniam & ille debet percuti, & ille non debet percutere; debet, & non debet esse percussio: & ideo recta, & non recta negari non potest. Quòd si ad supernæ sapientiæ bonitatisque confideres judicium; sive ex altera tantùm, sive ex utraque parte, agentis, scilicet, & patientis, non debeat esse percussio: quis audebit negare debere esse, quod tantâ bonitate & sapientiâ permittur? *Disc.* Neget, qui audet; ego verò non audeo. *Mag.* Quid etiam, si secundùm naturam rerum confideres; ut cùm clavi ferrei impressi sunt in corpus Domini: an dices fragilem carnem non debuisse penetrari: aut acuto ferro penetratam non debuisse dolore? *Disc.* Contra naturam dicerem. *Mag.* Potest igitur contingere ut debeat esse secundùm naturam actio, vel passi; quæ secundùm agentem, vel patientem esse non debet: quoniam nec ille agere, nec iste debet pati. *Disc.* Nihil horum negare possum. *Mag.* Vides igitur sæpissime posse contingere ut eadem actio debeat esse, & non debeat esse, diversis considerationibus. *Disc.* Ita apertè hoc ostendis, ut non possim non videre. *Mag.* * Verùm inter hæc te scire volo quia debere & non debere, aliquando dicitur * impropriè; ut, cùm dico quia debeo amari à te. Si enim * vere debeo, debitor sum reddere quod debeo; & in culpa sum, si non amor à te. *Disc.* Ita sequitur. *Mag.* Sed cùm, debeo amari à te; non est à me exigendum, sed à te. *Disc.* Fateri me ita * esse oportet. *Mag.* Cùm ergo * dico quia debeo amari à te; non ita dicitur, quasi ego * aliquid debeam, sed quia tu debes amare me. Similiter cùm dico quia non debeo amari à te; non aliud intelligitur, quàm quia tu non debes amare me. Qui modus loquendi est etiam in potentia, & in impotentia: ut, cùm dicitur: Hector potuit vinci ab Achille; & Achilles non potuit vinci ab Hectore. Non enim fuit potentia in illo, qui potuit vinci; sed in illo, qui vincere potuit: nec impotentia in illo, qui vinci non potuit; sed in illo, qui vincere non potuit. *Disc.* Placet mihi quod dicis: quippe utile puto hoc cognoscere.

al. quod debet

al. non esse debere

al. concedit

al. Cap. 9.

al. eadem

al. propriè

al. debeo, vere

al. ita oportet

al. esse dico

al. ego debeã

Posse & non posse, seu potentia & impotentia diversis modis dicuntur.

CAPUT IX.

al. Cap. 10.

**Quòd omnis actio significet aut verum aut falsum.*

al. De latitudine veritatis

MAGIST.

RECTÈ putas: sed redeamus ad veritatem significationis, à qua ideo incæpi, ut te à notioribus ad ignotiora perducerem. Omnes enim de veritate significationis loquuntur: veritatem verò, quæ est in rerum essentia, pauci considerant. *Disc.* Profuit mihi quia hoc ordine me duxisti. *Mag.* Videamus ergo quam lata sit veritas significationis. Namque non solùm in his, quæ signa solemus dicere; sed & in aliis omnibus, quæ diximus, est significatio vera vel falsa. Quoniam namque non est ab aliquo faciendum, nisi quod quis debet facere; eo ipso quod aliquis aliquid facit, dicit & significat hoc se debere facere: quòd si

debet

Digitized by Google

debet facere quod facit, verum dicit, si autem non debet, mentitur. *Disc.* Quamvis videar mihi intelligere: tamen * quia inauditum hactenus fuit, apertiùs ostende quod dicis. *Mag.* Si esses in loco, ubi scires esse salubres herbas & mortiferas, sed nescires eas discernere; & esset ibi aliquis, de quo non dubitares, quin illas discernere sciret; tibique interroganti quæ salubres essent, & quæ mortiferæ, alias * verbo salubres diceret esse, * & alias comederet; cui magis crederes, verbo, an actioni ejus? *Disc.* Non tantùm crederem verbo, quantùm operi. *Mag.* Plus ergo tibi diceret quæ salubres essent, opere, quàm verbo. *Disc.* Ita est. *Mag.* Sic itaque, si nescires non esse mentiendum, & mentiretur aliquis coram te; etiamsi diceret tibi ipse se non debere mentiri, plus ipse tibi diceret opere, se mentiri debere; quàm verbo, non debere. Similiter dum cogitat aliquis, * aut vult aliquid; si nescires an deberet id velle, sive cogitare; si voluntatem ejus & copitationem videres, significaret tibi * ipso opere quia hoc deberet cogitare & velle. Quòd si ita deberet, verum diceret: sin autem, mentiretur. In rerum quoque existentia est similiter vera vel falsa significatio; *quoniam eo ipso quia est, dicit se debere esse. *Disc.* Video nunc apertè, quod hactenus non animadverti.

al. quod mihi

al. verò: esse, alias

al. in ipso

al. Cap. 11.

CAPUT X.*

De summâ veritate.

MAGIST.

PRogediamur ad ea, quæ restant. *Disc.* Præcede, & sequar. *Mag.* Summam autem veritatem non negabis esse rectitudinem? *Disc.* Imò nihil aliud illam* possum fateri. *Mag.* Considera quia * cùm omnes supradictæ rectitudines ideo * sint rectitudines, quia illa in quibus sunt, aut * sunt aut faciunt quod debent; summa veritas non ideo est rectitudo, quia debet aliquid. Omnia enim illi debent: * ipsa verò nulli quicquam debet; nec ulla ratione est quod est, nisi quia est. *Disc.* Intelligo. *Mag.* Vides etiam * quomodo ista rectitudo causa sit omnium aliarum veritatum & rectitudinum; & nihil sit causa illius? *Disc.* Video & animadverto in aliis quasdam esse tantùm effecta; quasdam verò esse causas, & effecta: ut, cùm veritas, quæ est in rerum existentia, sit effectum summæ veritatis; ipsa quoque causa est veritatis quæ cogitationis est, & ejus quæ est in propositione: & istæ duæ veritates nullius sunt causa veritatis. *Mag.* Bene consideras: unde jam intelligere potes quomodo summam veritatem in meo Monologio * probavi non habere principium vel finem, per veritatem orationis. Cùm enim dixi, quando non fuit verum quia futurum erat aliquid: non ita dixi, ac si absque principio ista oratio fuisset, quæ assereret futurum aliquid esse; aut ista veritas esset Deus: sed quoniam non potest intelligi quando, * si oratio ista esset, veritas illi deesset: ut per hoc quia non intelligitur quando ista veritas esse non * potuerit, si esset oratio in qua esse posset; intelligatur illa veritas sine principio fuisse, quæ prima causa est hujus veritatis. Quippe veritas orationis non semper posset esse, si ejus causa non semper esset. Etenim non est vera oratio, quæ dicit futurum esse * aliquid, nisi reipsa sit aliquid futurum; neque aliquid est futurum, si non sit in summa veritate. Similiter de illa intelligendum est *oratione, quæ dicit quia præteritum est aliquid. Nam si nullo intellectu veritas orationi huic, si facta fuerit, deesse poterit; necesse est ut ejus veritatis, quæ summa causa est illius, nullus finis intelligi possit. Idcirco namque verè dicitur præteritum esse aliquid, quia ita est in re: & ideo est aliquid præteritum, quia sic est in veritate summa. Quapropter si nunquam potuit non esse verum, futurum esse aliquid; & nunquam poterit non esse verum, præteritum aliquid esse; impossibile est principium summæ veritatis fuisse, aut finem futurum esse. *Disc.* Nihil tuæ rationi objici posse video.

al. quia omnes sunt

al. aut sunt

al. debent aliquid

al. quoniam

Capit 18. al. 17.

al. quando oratio

al. non potuit

al. aliud

al. veritate orationis

CAPUT XI.*

al. Cap. 12.

De veritatis diffinitione.

MAGIST.

REdeamus ad indagationem veritatis, quam incœpimus. *Disc.* Totum hoc pertinet ad indagandam veritatem: veruntamen redi ad quod vis. *Mag.* Dic ergo mihi an tibi videatur esse aliqua rectitudo alia, præter has quas contemplati sumus. *Disc.* Non alia præter has, nisi illa quæ est in rebus corporeis, quæ multùm est aliena ab istis, ut rectitudo virgæ. *Mag.* In quo tibi illa videtur differre ab istis. *Disc.* Quia illa visu corporeo cognosci potest; istas rationis capit contemplatio. *Mag.* Nonne rectitudo illa corporum ratione intelligitur, præter subjectum, & cognoscitur? Aut si de alienjus corporis absentis linea dubitetur an recta sit, & monstrari potest quia in nullam partem flectitur; nonne ratione colligitur quia rectam eam necesse est esse? *Disc.* Etiam. Sed eadem quæ sic ratione intelligitur, visu sentitur in subjecto: illæ verò non nisi sola mente percipi possunt. *Mag.* Possumus igitur, nisi fallor, diffinire quia veritas est rectitudo solâ mente perceptibilis. *Disc.* Nullo modo hoc dicentem falli video. Nempe nec plus, nec minùs continet ista diffinitio veritatis, quàm expediat: quoniam nomen rectitudinis dividit eam ab omni re, quæ rectitudo non vocatur. Quòd verò solâ mente percipi dicitur, separat eam à rectitudine visibili.

Rectitudo corporum non solâ mente sed & sensu percipitur.

CAPUT XII.*

al. Cap. 13.

De justitiæ diffinitione.

al. de justitia & ejus diffinitione

SEd quoniam docuisti me omnem veritatem esse rectitudinem, & rectitudo idem videtur mihi esse, quod justitia: Justitiam quoque doce me, quid esse intelligam. Videtur namque quia omne quod rectum est esse, justum etiam est esse: & conversim, quia quod justum est esse, rectum est esse. Justum enim & rectum videtur, ignem calidum esse; & unumquemque hominem, diligentem se diligere. Nam si quicquid debet esse, rectè & justè est; nec * aliud rectè & justè est, nisi quod debet esse: sicut puto, non potest aliud esse justitia, quàm rectitudo. In summa namque & simplici natura, quamvis non ideo sit recta & justa, quia debeat aliquid; dubium tamen non est, idem esse rectitudinem & justitiam. *Mag.* Habes igitur diffinitionem justitiæ; si justitia non est aliud, quàm rectitudo. Et quoniam de rectitudine solâ mente perceptibili loquimur; invicem sese diffiniunt veritas, & rectitudo, & justitia: ut qui unam earum noverit, & alias nescierit, per notam ad ignotarum scientiam pertingere possit; immò qui noverit unam, alias nescire non possit. *Disc.* Quid ergo? An dicemus lapidem justum, cùm à superioribus inferiora petit; quia hoc facit, quod debet: quemadmodum dicimus hominem justum, * qui quod debet facit? *Mag.* Non solemus hujusmodi * justitiâ justum dicere. *Disc.* Cur ergo magis homo, * quàm lapis, justus est; si uterque juste facit? *Mag.* Tu ipse an non putas facere hominis, à facere lapidis aliquo modo differre? *Disc.* Scio quia homo sponte, lapis naturaliter & non sponte facit. *Mag.* Idcirco lapis non dicitur justus: quia non est justus, qui facit quod debet; si non vult, quod facit. *Disc.* Dicemus ergo justum esse equum, cùm vult pascere: quia volens facit quod debet? *Mag.* Non

al. Invicem sese diffiniunt Veritas, rectitudo, & justitia.

al. cum facit quod debet al. à justitia

Digitized by Google

dixi justum esse eum, qui facit volens quod debet; sed dixi non esse justum, qui non facit volens quod debet.

al. quid

Disc. Dic ergo *quis ut justus? *Mag.* Quæris, ut video, diffinitionem justitiæ, cui laus debetur; sicut contrario ejus, scilicet, injustitiæ debetur vituperatio. *Disc.* Illam quæro. *Magist.* Constat quia illa justitia non est in ulla natura, quæ rectitudinem non agnoscit. Quicquid enim non vult rectitudinem, etiamsi eam tenet, non meretur *laudem, quia tenet rectitudinem: velle autem illam non valet, qui nescit eam. *Disc.* Verum est. *Mag.* Rectitudo igitur, quæ tenenti se laudem acquirit, non est nisi in rationali natura, quæ sola rectitudinem, de qua loquimur, percipit. *Disc.* Ita sequitur. *Mag.* ergo quoniam omnis justitia est rectitudo; nullatenus est justitia, quæ servantem se facit laudabilem, nisi in rationalibus. *Disc.* Non potest aliter esse. *Mag.* Ubi igitur tibi videtur ista justitia in homine, quia rationalis est? *Disc.* Non est nisi aut in voluntate, aut in scientia, aut in opere. *Mag.* Quid: si quis rectè intelligit, aut rectè operatur, non autem rectè velit; laudabit eum quisquam de justitia? *Disc.* Non *Magist.* Ergo non est ista justitia, scientiæ rectitudo, aut rectitudo actionis; sed rectitudo voluntatis. *Disc.* Aut hoc erit, aut nihil. *Mag.* Videtur tibi sufficienter esse diffinita justitia, quam quærimus? *Disc.* Tu vide. *Mag.* Quicunque vult quod debet: putas eum rectè velle, & habere rectitudinem voluntatis? *Disc.* Si quis nesciens vult quod debet: ut cùm vult ostium claudere contra illum qui, ipso nesciente, vult in domo alium occidere: sive iste habeat, sive non habeat aliquam voluntatis rectitudinem, non habet illam quam quærimus. *Mag.* Quid dicis de illo, qui scit se debere velle quod vult? *Disc.* Potest contingere ut intelligens velit quod debet, & nolit se debere. Nam cùm latro cogitur ablatam reddere pecuniam, palàm est quia non vult se debere; quoniam *ideo cogitur velle reddere, quia debet: sed hic nullatenus laudandus est hac rectitudine. *Mag.* Qui cibat esurientem pauperem, propter inanem gloriam; vult se debere velle quod vult: idcirco namque laudatur, quia vult facere quod debet: quid itaque de isto judicas? *Disc.* Non est hujus rectitudo laudanda: & ideo non sufficit ad justitiam, quam quærimus. Sed ostende jam quæ *sufficiat. *Mag.* Omnis voluntas sicut vult aliquid, ita vult propter aliquid. Nam quemadmodum considerandum est quid velit: ita videndum est cur velit. Quippe non magis recta debet esse, volendo quod debet; quàm volendo propter quod debet. Quapropter omnis voluntas habet quid, & cur: omnino namque nihil volumus, nisi ut cur velimus. *Disc.* Omnes hoc in nobis cognoscimus. *Mag.* Cur autem tibi videtur unicuique volendum, quod vult; ut laudabilem habeat voluntatem? Quid enim volendum sit, palàm est: quia qui non vult quod debet, justus non est. *Disc.* Nec minùs apertum mihi videtur quia sicut volendum est unicuique quod debet; ita volendum est ideo, quia debet: ut justa sit ejus voluntas. *Mag.* Bene intelligis hæc duo necessaria esse voluntati ad justitiam: velle, scilicet, quod debet; ac ideo, quia debet. Sed dic an sufficiant. *Disc.* Cur non? *Mag.* Cùm aliquis vult quod debet, quia cogitur: & ideo cogitur, quia hoc velle debet: nonne hic quodammodo vult quod debet quoniam debet? *Disc.* Non possum negare: sed alio modo vult iste, alio modo vult justus. *Mag.* Distingue istos modos. *Disc.* Justus namque, cùm vult quod debet, servat voluntatis rectitudinem non propter aliud, *inquantum justus est, quàm propter ipsam rectitudinem. Qui autem non nisi coactus, aut extranea mercede conductus, vult quod debet (si servare dicendus est rectitudinem) non eam servat propter ipsam, sed propter aliud. *Mag.*

Justitia tunc dicitur esse in rationalibus.

Justitia est rectitudo, non actionis, non sententiæ, sed voluntatis.

Unicuique volendum est quod debet, & ideo quia debet, ut justa sit voluntas.

al. inquam

al. sufficiant

al. igitur

Voluntas ergo *illa justa dicenda est, quæ sui rectitudinem servat propter ipsam rectitudinem. *Disc.* Aut ista, aut nulla voluntas justa est. *Mag.* Justitia igitur est rectitudo voluntatis propter se servata. *Disc.* hæc est justitiæ diffinitio, quam quærebam. *Mag.* Vide tamen ne fortè aliquid in ea debeat corrigi. *Disc.* Ego nihil in ea corrigendum. *Mag.* Nec ego. Nulla namque justitia est, quæ non est rectitudo: nec alia, quàm rectitudo voluntatis, justitia dicitur per se. Dicitur enim rectitudo actionis, justitia; sed non nisi cùm justâ voluntate fit actio. Rectitudo autem voluntatis, etiamsi impossibile sit fieri quod rectè volumus; tamen nequaquam amittit nomen justitiæ. Quia autem servata dicitur: fortè *dicet aliquis, si rectitudo voluntatis non nisi cùm servatur, dicenda est justitia: non mox ut habetur, est justitia: * nec accipimus justitiam, cùm illam accipimus; sed nos, servando, facimus eam justitiam esse. Nam prius accipimus illam & habemus, quam servemus: non enim ideo illam accipimus, nec idcirco illam primitus habemus, quia servamus; sed illam incipimus ideo servare, quia *accipimus & habemus. Sed ad hoc respondere nos possumus quia simul accipimus illam & velle, & habere: non enim illam habemus, nisi volendo; &, si eam volumus, hoc ipso eam habemus. Sicut autem illam simul habemus, & volumus; ita illam simul volumus, & servamus: quoniam sicut eam non servamus, nisi cùm illam volumus; sic non est quando eam velimus, & non servemus: sed quamdiu eam volumus, servamus; & donec servamus, volumus. Quoniam ergo eodem tempore contingit nobis illam & velle, & habere: nec diverso tempore in nobis sunt & velle, & servare eam; ex necessitate simul accipimus & habere illam, & servare: & *sicut quandiu servamus, habemus illam; ita quandiu habemus, servamus: nec ulla ex his generatur inconvenientia. Quippe sicut ejusdem rectitudinis acceptio naturâ priùs est quàm habere, aut velle illam: quoniam habere illam, aut velle, non est causa acceptionis; sed acceptio facit velle illam & habere: *& tamen simul sunt tempore acceptio, & habere & velle:] simul enim incipimus illam & accipere, & habere, & velle; & tamen simul sunt tempore, acceptio, & habere, & velle: & mox ut est accepta, est habita & volumus eam: ita habere, seu velle illam, quamvis naturâ priùs sint, quàm servare illam; simul tamen sunt tempore. Quare à quo simul accipimus & habere, & velle, & servare voluntatis rectitudinem, ab illo accipimus justitiam: & mox ut *habemus & volumus eandem rectitudinem voluntatis, justitia dicenda est. Quod verò addidimus, *propter se*: ita necessarium est, ut nullo modo eadem rectitudo, nisi propter se servata, justitia sit. *Disc.* Nihil possum cogitare contra. *Mag.* Videtur tibi quòd ista diffinitio possit aptari summæ justitiæ, secundùm quod de re loqui possumus, de qua nihil, aut vix propriè aliquid potest dici? *Disc.* Licet non nisi tibi aliud voluntas, aliud rectitudo: tamen sicut dicimus potestatem Divinitatis, aut divinam potestatem, sive potentem Divinitatem (cùm in Divinitate non sit aliud potestas, quàm Divinitas) ita non inconvenienter dicimus ibi rectitudinem voluntatis, aut voluntariam rectitudinem, seu rectam voluntatem. Si verò illam rectitudinem dicimus propter se servari; de nulla alia rectitudine *tam convenienter dici posse videtur. Sicut enim non aliud illam, sed ipsa se servat; nec per aliud, sed per se: *ita non propter aliud, *quàm propter se. *Mag.* Indubitanter itaque possumus dicere quia justitia est rectitudo voluntatis: quæ rectitudo propter se servatur. Et quoniam verbi, quod hic dico (servatur) non habemus participium passivum præsentis temporis; pro præsenti, possumus uti passivo præterito participio ejusdem verbi. *Disc.* Hunc usum habemus notissimum, ut præteritis

al. ergo justa est

Justitia est rectitudo voluntatis propter se servata.

al. dicit

al. sed non

al. accipiamus

al. ipso solo

al. Sic quamdiu habemus servamus

al. habemus simul

In Deo non est aliud voluntas, aliud rectitudo, sicut in eo non est aliud potestas, quàm Divinitas.

participiis paſſivis utamur pro præſentibus, quæ latinitas non habet; ſicut non habet præterita participia à verbis activis & neutris; & pro præteritis, quæ non habet, utitur præſentibus: ut ſi * dicatur de aliquo: hic quod ſtudens & legens didicit, non niſi coactus docet, id eſt, quod dum ſtuduit & legit, didicit, * non niſi cùm cogitur docet. *Mag.* Bene ergo diximus juſtitiam eſſe rectitudinem voluntatis ſervatam propter ſe; i. eſt, quæ ſervatur propter ſe. Et hinc eſt, quòd juſti dicuntur aliquando recti corde id eſt, recti voluntate; aliquando recti, ſine adjectione cordis: quoniam nullus alius intelligitur rectus, niſi qui rectam habet voluntatem: ut eſt iſtud: *Gloriamini omnes recti corde.* Et illud: *Videbunt recti, & lætabuntur.* *Diſc.* Satisfeciſti etiam *pueris de diffinitione juſtitiæ: tranſeamus ad alia.

al. dicam

al. & non

Pſ. 31. v. 11.

Pſal. 106. v. 42.

al. puis

CAPUT XIII.

al. Cap. 14.

*Quod una ſit veritas in omnibus * veris.*

al. rebus

MAEIST.

DEcamus ad rectitudinem ſeu veritatem: quibus duobus nominibus (quoniam de rectitudine mente ſolâ perceptibili loquimur) una res ſignificatur, quæ genus eſt juſtitiæ: & quæramus an ſit una ſola veritas in omnibus illis, in quibus veritatem dicimus eſſe: an ita ſint veritates plures, ſicut plura ſunt, in quibus conſtat eſſe veritatem. *Diſc.* Hoc multùm noſſe deſidero. *Mag.* Conſtat quia in quacunque re ſi veritas, non eſt aliud quàm rectitudo. *Diſc.* Non hinc dubito. *Mag.* Si ergo plures ſunt veritates, ſecundùm plures res; plures quoque ſunt rectitudines. *Diſc.* Hoc quoque non minùs certum eſt. *Mag.* Si ſecundùm diverſitates rerum, neceſſe eſt eſſe diverſas rectitudines; utique, ſecundùm res ipſas, habent eſſe ſuum eædem rectitudines: & ſicut res ipſæ, in quibus ſunt, variantur; ſic quoque rectitudines varias eſſe neceſſe eſt. *Diſc.* In una re, in qua rectitudinem eſſe dicimus, oſtende quod in cæteris intelligam. *Mag.* Dico quia ſi rectitudo ſignificationis ideo eſt alia, quàm voluntatis rectitudo; quia illa in voluntate, illa in ſignificatione eſt: habet ſuum eſſe rectitudo propter ſignificationem, & ſecundùm eam mutatur. *Diſc* Ita eſt. Cùm enim ſignificatur eſſe, quod eſt: aut non eſſe, quod non eſt; recta ſignificatio eſt, & conſtat eſſe rectitudinem, ſine qua ſignificatio recta nequit eſſe. Si verò ſignificetur eſſe, quod non eſt; aut non eſſe, quod eſt; aut ſi nihil omnino ſignificetur; nulla erit rectitudo ſignificationis, quæ non niſi in ſignificatione eſt. Quapropter per ſignificationem habet eſſe, & per eam mutatur ejus rectitudo: quemadmodum color per corpus habet eſſe, & non eſſe. Exiſtente namque corpore, colorem ejus neceſſe eſt eſſe; & pereunte corpore, colorem ejus manere impoſſibile eſt. *Mag.* Non ſimiliter ſe * habent color ad corpus; & rectitudo ad ſignificationem. *Diſc.* Oſtende diſſimilitudinem. *Mag.* Si nullus aliquo ſignificare velit ſigno quod ſignificandum eſt; erit ulla per ſigna ſignificatio? *Diſc.* Nulla. *Mag.* An ideo non erit rectum ut ſignificetur quod ſignificari debet? *Diſc.* Non idcirco minùs erit rectum, aut minùs hoc exiget rectitudo. *Mag.* Ergo non exiſtente ſignificatione, non perit rectitudo, qua rectum eſt, & qua exigitur, ut quod ſignificandum eſt, ſignificetur. *Diſc.* Si interiiſſet; non eſſet rectum hoc, nec ipſâ hoc exigeret. *Mag.* Putaſne, cùm ſignificatur quod ſignificari debet, ſignificationem tunc rectam eſſe propter hanc & ſecundùm hanc ipſam rectitudinem? *Diſc.* Immò non poſſum aliter cogitare. Si enim aliâ rectitudine recta * eſt ſignificatio; pereunte illâ, nihil prohibet rectam eſſe ſignificationem. Sed nulla eſt recta ſignificatio, quæ ſignificat quod non eſt rectum ſignificari, aut quod non exigit rectitudo. *Mag.* Nulla igitur ſignificatio eſt recta aliâ rectitudine, quâm illâ, quæ permanet pereunte ſignificatione. *Diſc.* Palàm eſt. *Mag.* An itaque non vides quia non ideo eſt rectitudo in ſignificatione, quia tunc incipit eſſe, cùm ſignificatur eſſe quod eſt, vel non eſſe quod non eſt; ſed quia ſignificatio tunc fit ſecundùm rectitudinem, quæ ſemper eſt: nec ob hoc abeſt à ſignificatione, quia perit, cùm non ſic ut debet, aut cùm nulla fit ſignificatio; ſed quoniam tunc ſignificatio deficit à non deficiente rectitudine? *Diſc.* Sic video, ut non poſſim non videre. *Mag.* Rectitudo ergo, qua ſignificatio recta dicitur, non habet eſſe, aut aliquem motum, per ſignificationem: quomodocumque moveatur ipſâ ſignificatio. *Diſc.* Mihi nihil jam clarius. *Mag.* Poteſne probare colorem ſimiliter ſe habere ad corpus, quomodo rectitudo ſe habet ad ſignificationem? *Diſc.* * Paratior nunc ſum probare quia valde diſſimiliter. *Mag.* Puto quia jam tibi notum eſt quid de voluntate, & ejus rectitudine, & de aliis, quæ rectitudinem * habere debent, * ſentiendum ſit. *Diſc.* Omnino video hac ipſâ ratione probari, quoquo modo ipſa * ſint, rectitudinem * immutabilem ſi permanere. *Mag.* Quid itaque conſequi exiſtimas de ipſis rectitudinibus: Sunt aliæ ab invicem; aut eſt una & eadem omnium rectitudo. *Diſc.* Supra * conceſſi quia ſi ideo ſunt plures rectitudines, quoniam plures ſunt res, in quibus conſiderantur; neceſſe eſt eas exiſtere & variari ſecundùm res ipſas: quod nequaquam fieri demonſtratum eſt. Quapropter non ideo ſunt plures rectitudines, quia plures ſunt res, in quibus ſunt. *Mag.* An habes aliquam aliam rationem, cur tibi plures eſſe videantur? præter ipſam rerum pluralitatem? *Diſc.* Sicut iſtam nullam eſſe cognoſco; ita nullam aliâ inveniri poſſe conſidero. *Mag.* Una igitur & eadem eſt omnium rectitudo. *Diſc.* Sic * me fateri neceſſe eſt. *Mag.* Ampliùs: ſi rectitudo non eſt in rebus illis, quæ debent rectitudinem, niſi cùm * ſunt ſecundùm quod debent; & hoc ſolùm eſt illis rectas eſſe: manifeſtum eſt earum omnium unam ſolam eſſe rectitudinem. *Diſc.* Non poteſt negari. *Mag.* Una igitur in omnibus illis eſt veritas. *Diſc.* Et hoc negari impoſſibile eſt: ſed tamen oſtende mihi cur dicimus hujus vel illius rei veritatem, velut ad diſtinguendas * veritatum differentias; ſi nullam ab ipſis rebus aſſumunt diverſitatem? Multi namque vix concedent nullam eſſe differentiam inter veritatem voluntatis, & eam quæ dicitur actionis, aut alicujus aliorum. *Mag.* Impropriè hujus, vel illius rei eſſe dicitur: quoniam illa non in ipſis rebus, aut ex ipſis, aut per ipſas, in quibus eſſe dicitur, habet ſuum eſſe: ſed cùm res ipſæ ſecundùm illam ſunt, quæ ſemper præſto eſt his, quæ ſunt ſicut debent: tunc dicitur hujus, vel illius rei veritas: ut, veritas * vocis, actionis, voluntatis; quemadmodum dicitur tempus hujus, vel illius rei; cùm unum & idem ſit tempus omnium, quæ ſunt in eodem tempore ſimul. Et ſi non eſſet hæc, vel illa res; non minùs eſſet idem tempus: non enim dicitur ideo tempus hujus, vel illius rei, quia tempus eſt in ipſis rebus; ſed quia ipſæ ſunt in tempore. Et ſicut tempus, per ſe conſideratum, non dicitur tempus alicujus: ſed cùm res, quæ in illo ſunt, conſideramus; dicimus tempus hujus, vel illius rei: ita ſumma veritas per ſe ſubſiſtens nullius rei eſt; ſed cùm aliquid ſecundùm illam eſt; tunc ejus dicitur veritas, vel rectitudo.

al. habet color ad corpus. ut rectitudo ad ſignificationem ſignificationum

al. eſſet

al. & non eſſe

al. promptior

al. habent

al. debent

al. ſecundum ſit

al. ipſa ſit

al. immobilem

al. conceſſum eſt

al. mihi

al. veritatis

Veritas impropriè dicitur alicujus rei eſſe: ſed res propria per illam ſunt.

Digitized by Google

Ex M. S. Vi-
ctorino Cl. 13.

SANCTI ANSELMI
CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI
DE VOLUNTATE
LIBER.

Vide I. de Concor. præſc. &c q. 1. c. 11 & I. de Libert. arbitr. c. 5. 7.

VOLUNTAS æquivocè dicitur: dicitur enim voluntas inſtrumentum volendi, ſicut viſus inſtrumentum videndi: & dicitur voluntas affectio ejuſdem inſtrumenti, ſicut dilectio filii, quæ ſemper eſt in voluntate matris, ſcilicet, in inſtrumento volendi, quod eâ affectione ſemper promptum eſt ad volendum ſalutem filii, ſive cùm hoc cogitat, ſive cùm hoc non cogitat. Dicitur etiam voluntas opus inſtrumenti, cùm cogitando vult aliquid. Voluntas inſtrumentum naturale eſt animæ. Affectiones principales duæ ſunt; affectio, ſcilicet, volendi commodûm, quod velle poteſt aliquid antequam habeat: & affectio volendi juſtitiam. Affectio volendi commodum ſemper & inſeparabiliter eſt in inſtrumento: affectio volendi juſtitiam nec ſemper ineſt, ſicut in injuſto homine; nec cùm ineſt, ſemper eſt inſeparabilis, ſicut in juſtis hominibus in hac vita apparet; & aliquando eſt inſeparabilis, ſicut in electis Angelis, & in ſanctis; in ſanctis, poſt hanc vitam; ſed in Angelis, ſemper. Ex his duabus affectionibus volumus quicquid volumus. Aut enim volumus commodum aut juſtitiam; & hæc, aut propter commodum, aut propter juſtitiam. Voluntas, quæ uſus dicitur, vel opus inſtrumenti, ſicut viſio opus vel uſus visûs inſtrumenti videndi, non niſi in cogitante eſt; & eſt pariter cum ipſo inſtrumento opus affectionis, ſicut acuta viſio opus eſt visûs & acuminis visûs. Hæc igitur voluntas aut eſt propter rem, quàm velle dicitur; ut cùm cogitando ſalutem, eam volumus: aut propter aliud; ut æquitare volumus propter ſalutem. Eſt etiam alia divitio hujus voluntatis: quia aut vult eſse aliquid, aut vult non eſse; ut velle eſse hominem, & velle non eſse hominem. Recipit etiam diviſionem, quam recipit *facere*. Sex enim modis dicimus facere eſſe, & totidem facere non eſse. Dici etiam poteſt hæc voluntas, alia efficiens, alia approbans, alia permittens; efficientem dico, quæ efficit quod vult; & quæ efficeret, ſi poſſet: approbantem verò, quæ approbat quod eſt; & quæ approbaret, ſi eſſet: permittentem verò, quæ permittit eſse quod velle dicitur, ſi eſt; & quæ permitteret, ſi eſſet: efficiens quidem eſt etiam approbans & permittens; approbans autem eſt & permittens; permittens verò tantùm nec efficiens, nec approbans rectè dici poteſt. Secundùm efficientem dictum eſt; *omnia quæcunque voluit Dominus fecit*: ſecundùm approbantem verò dicitur quia Deus vult omnem hominem ſalvum fieri. Approbat enim Deus, & placet illi de omnibus juſtis quia juſti ſunt, ut ſalvi fiant; & nihilominus placere eis de injuſtis, ſi juſti eſſent, ut ſalvi fierent. Tale eſt enim quod dictum eſt, ac ſi dicatur: Deus nullum facit injuſtum; ſed unuſquiſque à ſe habet injuſtitiam ut damnetur: & ideo non poteſt dici diſplicere Deo, ſi juſtus ſit & ſalvetur; nec poteſt dici Deum repugnare ſaluti alicujus, ſed approbare ſi ſit qui ſalvetur. Secundùm permittentem verò voluntatem dicitur quia *quem vult indurat*, quoniam permittit indurari; quod enim præmiſsum eſt, *cui vult miſeretur*, ſecundùm efficientem voluntatem dictum eſt. Patet autem quia de duabus affectionibus inſtrumenti volendi, illa omnino melior eſt & omnino præponenda, quæ eſt ad volendum juſtitiam: per hanc enim omnis juſtus juſtus eſt: nec, niſi per iſtam, aliquis beatus eſse poteſt: & ſi illa quæ eſt volendi commodum propter juſtitiam, omnino non eſset in anima; beata tamen eſset anima ſolâ dilectione juſtitiæ, nec ullatenus eſſet miſera per abſentiam alicujus alterius commodi, quia non indigeret ea re, quam non vellet: illa vero affectio, quæ eſt volendi commodum, per quam etiam omnes juſti volunt eſse beati, ſi ſola aſſit; non niſi miſerum facit: quia nuſquam ad hoc quod appetit, ſine juſtitia pertingit.

I. de libert. arbitr. c. 12.

De multiplici voluntate de eſſent ſcripturam ſi promiſerat I. de Concor. præſc. q. 3. c. 11. al. 12.

Poteſtas eſt aptitudo ad faciendum: pono autem hic, *facere*, pro omni verbo finito vel infinito, quod frequens uſus habet. Qui enim loquitur cùm debet vel ſebet, vel ſtat; & qui vult, aut patitur quod debet; & qui eſt ubi, & quando debet; bene facit: qui autem non loquitur cùm debet, nec ſedet, nec ſtat; & qui nec vult, nec patitur quod debet; & qui non eſt ubi, aut quando debet, male facit: & qui non facit, quod debet, male facit; & qui non facit, quod non debet, bene facit. Liquet igitur, *facere*, poni pro omnino verbo finito vel infinito, etiam pro, *non facere*. Eſt igitur poteſtas aptitudo ad faciendum; & omnis aptitudo ad faciendum, poteſtas. In quo cevendum ne omnino pro eodem accipiatur aptitudo ad faciendum, & aptitudo faciendi: omnis enim aptitudo ad faciendum, eſt & faciendi; ſed non omnis faciendi, eſt etiam ad faciendum: aptitudo enim ſcribendi, quæ eſt ad ſcribendum, eſt etiam antequam ſcribatur quæ & dicitur poteſtas ſcribendi: aptitudo verò ſcribendi, quæ eſt in ſcribendo, ſecundùm quam dicimus, *aptè ſcribit*, non præcedit ipſam ſcriptionem; nec eſt poteſtas ſcribendi, ſed effectum poteſtatis ſcribendi: quia enim præcedit poteſtas aptè ſcribendi, ideò aptè ſcribitur; non quia aptè ſit ſcriptio, ideo poteſt fieri ſcriptio. Dictum eſt autem aptitudo ad faciendum; & non abſolutè, ad aliquid: quia non eſt aptitudo ad aliquid & non ad faciendum; quæ non eſt poteſtas, ut aptitudo veſtis ad corpus: dicitur enim apta ad corpus; nec ideo tamen dicitur potens veſtis. Bene igitur dictum eſt quia poteſtas eſt aptitudo ad faciendum; quia in eo quod aptitudo dicitur, ſeparatur ab omni re quæ aptitudo non eſt; & in eo quòd ad faciendum determinatur, dividitur ab omni aptitudine, ſive ab ea quæ non eſt ad aliquid, ut quæ eſt in ſcribendo; ſive ab ea, quæ eſt ad aliquid & non ad faciendum, ut ea quæ eſt in veſte ad corpus, quæ & corpori melius dici poteſt; dicitur enim veſtis apta corpori. Nihil igitur plus vel minùs habet hæc diffinitio poteſtatis, quàm debet. Eſt autem hæc diffinitio poteſtatis facta ſecundùm uſum, non ſecundùm proprietatem poteſtatis; quicquid enim aliquomodo poteſt, hac diffinitione poteſtatis poteſt; ut lignum poteſt incidi, & homo poteſt incidere: nam & lignum ideo poteſt incidi, quia habet aptitudinem ad incidendum; & homo ideo poteſt incidere, quia habet aptitudinem ad incidendum.

Digitized by Google

SANCTI ANSELMI
CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI
DIALOGUS
DE LIBERO ARBITRIO.

Vide supra Prolegom. in Dialogum de Veritate.

CAPUT PRIMUM.

Quòd potestas peccandi non pertineat ad libertatem arbitrii.

DISCIP.

al. cùm videatur *QUONIAM Liberum arbitrium videtur repugnare gratiæ, & prædestinationi, & præscientiæ Dei: ipsa libertas arbitrii quid sit nosse desidero, & utrùm illa semper habeamus. Si enim libertas arbitrii est, posse peccare & non peccare, sicut à quibusdam solet dici, & hoc semper * habemus; quomodo aliquando gratia indigemus? Si autem hoc non semper habemus, cur nobis imputatur peccatum, quando sine libero arbitrio peccamus? *Mag.* Libertatem arbitrii non puto esse potentiam peccandi & non peccandi. Quippe si * hæc ejus esset definitio; nec Deus, nec * Angeli, qui peccare nequeunt, liberum haberent arbitrium: quod nefas est dicere. *Disc.* Quid? si dicitur aliud esse liberum arbitrium Dei & Angelorum bonorum; aliud nostrum? *Mag.* Quamvis differat liberum arbitrium hominum à libero arbitrio Dei & Angelorum bonorum; diffinitio tamen hujus libertatis in utrisque, secundùm hoc nomen, eadem debet esse: licèt enim animal differat ab animali, sive substantialiter, sive accidentaliter; diffinitio tamen, secundùm nomen animalis, omnibus animalibus est eadem. Quapropter talem oportet dare diffinitionem libertatis arbitrii, quæ nec plus, nec minùs illà contineat. Quoniam ergo liberum arbitrium Divinum, & bonorum Angelorum, peccare non potest; non pertinet ad diffinitionem libertatis arbitrii, posse peccare. Denique nec libertas, nec pars libertatis est potestas peccandi. Quod ut planè intelligas, intende ad ea quæ dicam. *Disc.* Ad hoc sum hîc. *Mag.* Quæ tibi voluntas liberior videtur; illa, quæ sic vult & potest non peccare, ut nullatenus flecti valeat à non peccandi rectitudine: an illa, quæ aliquo modo flecti potest ad peccandum? *Disc.* Cur non sit liberior illa, quæ ad * utrumque se habet, non video. *Mag.* An non vides quoniam qui sic habet quod decet, & quod expedit, ut hoc amittere non queat; liberior est, quàm ille, qui sic habet hoc ipsum, ut possit perdere, & ad hoc quod dedecet, & non expedit, valeat adduci? *Disc.* Nulli dubium hoc esse puto. *Mag.* Hoc quoque non minùs indubitabile dices quia peccare semper dedecens & noxium est? *Disc.* Nullus sanæ mentis aliter sentit. *Mag.* Liberior * igitur est voluntas, quæ à rectitudine non peccandi declinare nequit, quàm quæ illam potest deserere. *Disc.* Nihil mihi rationabilius asseri posse videtur. *Mag.* An putas, quod additum minuit, & separatum auget libertatem, id aut libertatem * esse, aut partem libertatis? *Disc.* Non hoc putare possum. *Mag.* Potestas ergo peccandi, quæ addita voluntati minuit ejus libertatem; &, si * dematur, auget; nec libertas est, nec pars libertatis. * *Disc.* Nihil consequentius.

al. debemus

al. si hoc
al. Angelus

al. utraque

al. deinceps vel dividatur

CAPUT II.

*Quòd * tamen Angelus & homo peccaverunt per hanc potestatem, & * per liberum arbitrium: & quamvis * potuerint servire peccato, non tamen eis potuit dominari peccatum.*

al. tantùm homo & Angelus
al. & liberum

MAGIST.

BNON * ergo pertinet ad libertatem arbitrii, quod sic est extraneum à libertate. *Disc.* Rationibus tuis nullatenus contradicere queo. Sed non parum me movet quia & Angelica & nostra natura in principio habuit potestatem peccandi, quam si non habuisset, non peccasset: quare si per hanc potestatem, quæ sic aliena est à libero arbitrio, peccavit utraque prædicta natura; quomodo dicemus eam peccasse per liberum arbitrium? * At si per liberum arbitium non peccavit; ex necessitate peccasse videtur. Nempe aut sponte, aut ex necessitate: * nam si sponte peccavit; quomodo * non per liberum arbitrium? Quare, si non per liberum arbitrium, utique ex necessitate peccasse videtur. Est & aliud, quod in hac peccandi potestate me movet. Qui enim peccare potest, servus potest esse peccati: quoniam *qui facit peccatum, servus est peccati.* Qui autem potest servus esse peccati, huic potest dominari peccatum: quomodo * ergo libera facta fuit illa natura; aut cujusmodi liberum arbitrium illud erat, cui peccatum dominari * poterat? *Mag.* Et per potestatem peccandi, & * sponte & per liberum arbitrium, & non ex necessitate, nostra & Angelica natura primitùs peccavit, & servire potuit peccato; & tamen non illi peccatum dominari poterat, unde illa non libera, aut ejus arbitrium non liberum dici possit. *Disc.* Opus habeo ut, quod dicis, aperias: quia clausum mihi est. *Mag.* Per liberum arbitrium peccavit apostata Angelus, sive primus homo: quia per suum arbitrium peccavit, quod sic liberum erat, ut nulla alia re togi posset ad peccandum; & ideo justè reprehenditur, quia cùm hanc haberet arbitrii sui libertatem, non aliquâ re cogente, non aliquâ necessitate, sed sponte peccavit. Peccavit autem per arbitrium suum, quod erat liberum; sed non per hoc, unde liberum erat, * id est, per potestatem,

al. aut

al. non

al. nisi

Joan 8. v. 34.

al. quomodo libera fuit

al. potuit

Digitized by Google

qua poterat non peccare, & peccato non ſervire; ſed per poteſtatem, quam * habebat, peccandi, qua nec ad non peccandi libertatem juvabatur, nec ad peccandi ſervitutem cogebatur. Quod autem conſequi tibi videtur quia ſi potuit ſervus eſſe peccati, potuit ei dominari peccatum; & ideo nec illum, nec ejus arbitrium liberum fuiſſe: non ita eſt. Etenim qui ſuæ poteſtatis eſt ut non ſerviat, nec alienæ poteſtatis eſt ut ſerviat, quamvis poteſtate ſua ſervire poſſit; quamdiu non illa quæ eſt ſerviendi, ſed illa quæ * eſt non ſerviendi, utitur poteſtate, nulla res poteſt illi dominari, ut ſerviat. Nam etſi dives liber poſſit ſe facere ſervum pauperis: quamdiu hoc non facit; nec ille nomen amittit libertatis, nec pauper illi * dicitur dominari; aut ſi dicitur, impropriè dicitur, quia hoc non in ejus, ſed in alterius eſt poteſtate. Quamobrem nihil prohibet Angelum & hominem ante peccatum liberos fuiſſe, aut liberum arbitrium habuiſſe.

al. habuit

al. quæ non eſt

al. propriè

CAPUT III.

*Quòd poſtquam ſe fecerunt ſervos peccati, liberum habuerunt arbitrium: * & quid ſit liberum arbitrium.*

al. Quomodo

al. omn.

DISCIP.

SAtisfeciſti mihi, quia nihil certè hoc prohibet ante peccatum: ſed poſtquam ſe fecerunt ſervos peccati; quomodo liberum arbitrium ſervare potuerunt? *Mag.* Licèt peccato ſe ſubdidiſſent, libertatem tamen arbitrii naturalem in ſe interimere nequiverunt: ſed facere potuerunt ut jam non ſine alia gratia, quàm erat illa quam priùs * habuerant, illâ libertate uti non valeant. *Diſc.* Credo: ſed intelligere deſidero. *Mag.* Conſideremus * primùm cujuſmodi arbitrii libertatem * habebant ante peccatum * quando certum eſt eos * liberum arbitrium habuiſſe. *Diſc.* Hoc expecto. *Mag.* Ad quid tibi videntur illam habuiſſe libertatem arbitrii? An ad aſſequendum quod vellent: an ad volendum quod deberent, & quod illis velle expediret? *Diſc.* Ad volendum quod deberent, & quod expediret velle. *Mag.* Ergo ad rectitudinem voluntatis, habuerunt libertatem arbitrii. Quamdiu namque voluerunt quod debuerunt, rectitudinem habuerunt voluntatis. *Diſc.* Ita eſt. *Mag.* Dubium eſt adhuc, cùm dicitur quia libertatem habuerunt * ad rectitudinem voluntatis; ſi non addatur * aliquid. Quæro igitur quomodo habebant illam libertatem ad rectitudinem voluntatis: an ad capiendum eam ſine datore, cùm illam nondum haberent: an ad accipiendum nondum habitam, ſi daretur ut haberent: an ad deſerendum quam acceperant, & per ſe reſumendum deſertam: an ad ſemper ſervandum acceptam? *Diſc.* Ad capiendum rectitudinem ſine datore non puto illos habuiſſe libertatem: quoniam nihil habere potuerunt, quod non * acceperunt. Ad accipiendum verò à datore, quam nondum habebant, ut eam haberent, non eſt dicendum eos habuiſſe libertatem: quia non eſt credendum eos factos ſine recta voluntate; quamvis non negandum ſit eos habuiſſe libertatem recipiendi eandem rectitudinem, ſi eam deſererent, & ab ipſo primo datore illis redderetur: quod in hominibus ſæpe videmus, qui de injuſtitia ad juſtitiam ſuperna gratia reducuntur. *Mag.* * Verum eſt quod dicis eos poſſe recipere perditam rectitudinem, ſi reddatur: ſed nos illam libertatem, quam habuerunt antequam peccarent, quærimus; cùm ſine dubio liberum * habebant arbitrium; non illam, quâ nullus * indigeret, ſi nunquam veritatem deſeruiſſet? *Diſc.* Proſequar itaque, & repondebo ad ea, quæ reſtant de his quæ interrogaſti. Ad deſerendum autem eandem rectitudinem, eos libertatem habuiſſe non eſt verum: quia deſerere voluntatis rectitudinem, eſt peccare; & poteſtatem peccandi, nec libertatem, nec partem eſſe libertatis * ſupra monſtraſti. Ad reſumendum verò per ſe deſertam rectitudinem libertatem non acceperunt: cùm ad hoc rectitudo * illa data ſit, ut nunquam * deſereretur. Ipſa namque poteſtas reſumendi deſertam, generaret negligentiam ſervandi habitam. Quapropter reſtat libertatem arbitrii datam eſſe rationali * naturæ ad ſervandam acceptam rectitudinem voluntatis. *Mag.* Bene ad interrogata reſpondiſti. Sed adhuc opus eſt ut conſideremus propter quid illam rectitudinem ſervare debeat rationalis * natura: an propter ipſam rectitudinem; * an propter aliud? *Diſc.* Si non illa libertas data eſſet illi naturæ, ut voluntatis rectitudinem propter ipſam ſervaret rectitudinem; non valeret ad juſtitiam: quoniam conſtat juſtitiam eſſe rectitudinem voluntatis propter ſe ſervatam: ſed ad juſtitiam prodeſſe arbitrii libertatem credimus. Quare indubitanter aſſerendum eſt rationalem naturam non eam accepiſſe, niſi ad ſervandam rectitudinem voluntatis propter ipſam rectitudinem. *Mag.* * Ergo quoniam omnis libertas eſt poteſtas: illa libertas arbitrii eſt poteſtas ſervandi rectitudinem voluntatis propter ipſam rectitudinem. *Diſc.* Non poteſt aliud eſſe. *Mag.* Jam itaque clarum eſt liberum arbitrium non eſſe aliud, quàm arbitrium potens ſervare rectitudinem voluntatis propter ipſam rectitudinem. *Diſc.* Clarum * utique eſt. Sed quandiu ipſam rectitudinem habuit; ſervare potuit quod * habuit: Poſtquam autem illam deſeruit; quomodo poteſt ſervare quod non habet? Abſente ergo rectitudine, * quæ ſervari poſſit, non eſt liberum arbitrium, quod eam ſervare valeat: non enim ſervare valet quod non habet. *Mag.* Etiamſi abſit rectitudo voluntatis; non tamen rationalis natura minùs habet quod ſuum eſt. Nullam namque poteſtatem habemus, ut puto, quæ ſola ſufficiat ſibi ad actû: & tamen cùm ea * deſunt, ſine quibus ad actum minimè perducuntur noſtræ poteſtates; non minùs eas, quantùm in nobis eſt, habere dicimur. Sicut nullum inſtrumentum ſolum ſibi ſufficit ad operandum: tamen cùm deſunt illa, * ſine quibus inſtrumento uti nequimus, inſtrumentum non cujuſlibet operis habere ſine falſitate fatemur. Quod ut in multis * animadvertas, in uno tibi monſtrabo. Nullus viſum habens dicitur nullatenus poſſe videre montem. *Diſc.* Qui montem videre non poteſt, profectò nullum habet viſum. *Mag.* Habet ergo poteſtatem & inſtrumentum videndi montem, qui viſum habet: & tamen ſi mons abeſt, & dicis ei, vide montem; * reſpondet tibi: non poſſum, quia abeſt; ſi adeſſet, poſſem videre. Item: ſi non adeſſet, & lux abeſſet; reſponderet ſe montem * videre monenti, quia non * poſſet abſente luce; ſed ſi lux adeſſet, tunc * poſſet. Rurſùm: ſi viſum habenti mons & lux præſens * eſt, & aliquid viſui obſtet, * ut ſi quis illi oculos * claudat, dicet ſe poſſe videre montem: ſed ſi nihil viſui ejus obſiſteret, tunc ſine dubio montem videndi poteſtatem haberet. *Diſc.* Totum hoc omnibus notum eſt. *Mag.* Vides ergo quia poteſtas videndi aliquod corpus, alia eſt in vidente; alia in re videnda; alia in medio, * id eſt, neque in vidente, neque in * videndo: & ea quæ eſt in medio, alia eſt in adjuvante; alia in non impediente, id eſt, cùm nihil quod impedire poſſit impedit. *Diſc.* Video planè. *Mag.* Quatnor igitur iſtæ poteſtates ſunt, quarum ſi una quælibet deſit, aliæ tres * nec ſingulæ, nec omnes ſimul aliquid poſſunt efficere: nec tamen, abſentibus aliis, negamus, aut eum qui viſum habet, habere viſum, aut inſtrumentum ſive poteſtatem videndi; aut rem viſibilem poſſe videri; aut lucem poſſe viſum juvare.

cap. 1.

al. illi

al. deſereretur

al. creaturæ, vel naturæ

al. creatura

al. aut

al. iisque

al. debuit

al. quam ſervare

al. deſint

al. illa, quibus

al. advertas

al. reſpondebit

al. montem non poſſe videre

al. poſſum

al. eſſet

al. idem

al. et videnda

al. tres ſunt nec

al. unde eſt

al. habuerunt

CAPUT IV.

Quomodo potestatem habeant servandi rectitudinem, quam non habent.

MAGIST.

QUarta autem potestas impropriè dicitur: quod enim solet impedire visum, non ob aliud dicitur dare potestatem videndi, cùm non impedit, nisi quia non aufert. Potestas autem videndi lucem, non nisi in tribus rebus est; quia tunc est idem, & quod videtur, & quod adjuvat. * Nonne hoc omnibus est notum? *Disc.* Nulli * utique est ignotum. *Mag.* Si ergo, absente re quæ videri possit, in tenebris positi, & clausos sive ligatos oculos habentes, quantùm ad nos pertinet, videndi quamlibet rem visibilem * potestatem habemus; quid prohibet nos habere potestatem servandi rectitudinem voluntatis propter ipsam rectitudinem, etiam absente ipsa rectitudine; quamdiu & ratio in nobis est, qua eam valemus cognoscere; & voluntas, qua illam tenere possumus? Ex his enim constat præfata libertas arbitrii. *Disc.* Satisfeci sti intellectui meo, potestatem * hanc servandi rectitudinem voluntatis rationali naturæ semper inesse, atque hanc potestatem in * primi hominis & Angelorum arbitrio liberam fuisse, quibus invitis rectitudo voluntatis non poterat auferri.

al. Nam

al. itaque

al. tunc potestatem

CAPUT V.

Quòd nulla tentatio cogat invitum peccare.

SEd nunc quomodo est humanæ voluntatis arbitrium hac potestate liberum; cùm sæpe rectam habens homo voluntatem, ipsam rectitudinem invitus, cogente tentatione, deserat? *Mag.* Nemo illam deserit, nisi volendo. Si ergo invitus dicitur * nolens, nemo deserit illam invitus: ligari enim homo potest * invitus, quia nolens * potest ligari: torqueri potest invitus, quia nolens potest torqueri: occidi potest invitus, quia nolens potest occidi: velle autem non potest invitus quia velle non potest, nolens velle; nam omnis volens, ipsum suum velle vult. *Disc.* Quomodo ergo dicitur invitus mentiri, qui mentitur ne occidatur: cùm hoc non nisi * volens facit? Nam sicut invitus mentitur, sic invitus vult mentiri: & qui invitus vult mentiri, nolens vult mentiri. * *Mag.* Ideo forsitan invitus mentiri dicitur: quia cùm sic vult veritatem, ut * non mentiatur nisi propter vitam: & vult mendacium, quia propter vitam: & non vult mendacium propter ipsum mendacium, quoniam vult veritatem: & ideo volens, & nolens mentitur. Alia namque est voluntas, qua volumus aliquid propter se; ut cùm volumus salutem propter se: & alia, cùm aliquid volumus propter aliud; ut cùm volumus absinthium bibere propter salutem. Unde potest forsitan dici secundùm has diversas voluntates, quia invitus, & non invitus mentitur. Quapropter cùm dicitur invitus mentiri, quia non id vult in quantùm vult veritatem; non repugnat illi sententiæ, qua dico neminem invitum deserere rectitudinem voluntatis; quia mentiendo vult eam deserere propter vitam: secundùm quam voluntatem non invitus eam deserit, sed volens: de qua voluntate nunc loquimur. De illa namque loquimur, qua vult mentiri propter vitam; non de illa, qua non vult mendacium propter se. Aut idcirco certè mentitur invitus, quia invitus aut occiditur, aut mentitur; id est, invitus est in hac angustia, ut ex necessitate unum horum quodlibet fiat: quamvis enim necesse sit illum aut occidi, aut mentiri; non tamen necesse est illum occidi, quia potest non occidi, si mentitur; nec necesse est illum mentiri, quia potest non mentiri, * si occiditur. Neutrum enim est determinatè in necessitate: quia utrumlibet est in * potestate. Ita * quoque licet invitus, aut mentiatur, aut occidatur; non tamen ideo * consequitur ut invitus mentiatur, aut ut invitus occidatur. Est & alia ratio, quam frequens habet usus, cur invitus & nolens & ex necessitate dicitur aliquis facere, quod tamen volens facit. Nam quod non nisi difficilè facere valemus, & ideo non facimus; dicimus hoc nos facere non posse. & ex necessitate nos, sive invitos, deserere *: & quod sine difficultate dimittere nequimus, & idcirco * facimus; hoc nos invitos, & nolentes, & ex necessitate facere asserimus. Hoc igitur modo, qui mentitur ne moriatur, mentiri invitus & nolens dicitur, & ex necessitate: quia mendacium vitare non valet, sine mortis dificultate. Sicut igitur qui mentitur propter vitam, impropriè dicitur invitus mentiri, quoniam mentitur volens; ita non propriè dicitur invitus velle mentiri, quoniam hoc non nisi volens vult. Nam sicut, cùm mentitur, vult ipsum mentiri; sic, cùm vult mentiri, vult ipsum velle. *Disc.* Non possum negare quod dicis. *Mag.* Quomodo * ergo non est libera voluntas, quam aliena potestas sine suo assensu subjicere non potest? *Disc.* Nonne simili ratione possumus dicere voluntatem equi esse liberam, quia non appetitui carnis * servit, nisi volens? *Mag.* Non est * hîc similiter; in equo namque non ipsa voluntas se subjecit; sed naturaliter subjecta semper necessitate appetitui carnis servit. In homine verò, quandiu ipsa voluntas recta est, nec servit, nec subjecta est cui non debet, nec ab ipsa rectitudine ullâ vi alienâ avertitur; nisi ipsâ, cui non debet, volens consentiat: quem consensum non naturaliter, nec ex necessitate, sicut equus; sed ex se apertè videtur habere. *Discip.* Satisfecisti huic objectioni meæ de voluntate equi. Redi ubi eramus. *Magist.* An * negabis omnem rem liberam esse ab ea re, * à qua cogi nisi volens, vel prohiberi, non potest. *Disc.* Non video quomodo negem. *Mag.* Dic etiam; quomodo superat recta voluntas, & quomodo superatur? *Disc.* Velle ipsam rectitudinem perseveranter, est illi vincere: velle autem quod non debet, est illi vinci. *Mag.* Puto quia tentatio rectam voluntatem non nisi volentem, aut ab ipsa rectitudine prohibere, aut ad id, quod non debet, cogere potest: ut illam * nolit, & illud velit. *Disc.* Nec * hoc ullâ ratione falsum esse video. *Mag.* Quis ergo potest voluntatem dicere non esse liberam ad servandam rectitudinem, & liberam à tentatione & peccato: si nulla tentatio potest illam, nisi volentem, avertere à rectitudine ad peccatum, id est, ad volendum quod non debet? Cùm ergo vincitur, non alienâ vincitur potestate, sed suâ. *Disc.* Hoc monstrare ea, quæ dicta sunt. *Mag.* Nonne vides ex his consequi quia nulla * tentatio potest vincere rectam voluntatem? Nam si potest, habet potestatem vincendi, & suâ potestate * vincit: sed hoc esse non potest, quoniam voluntas non nisi suâ vincitur potestate. Quare nullatenus potest tentatio vincere rectam voluntatem; & cùm dicitur, impropriè dicitur. Non enim aliud intelligitur, quàm quia voluntas potest se subjicere tentationi; sicut è converso, cùm imbecillis dicitur posse vinci à forti; non suâ potestate * posse dicitur, sed alienâ; quoniam non significatur aliud, nisi quia fortis habet potestatem vincendi imbecillem.

al. sed occidi

al. in voluntate vel potestate

al. itaque

al. cùm faciamus

al. hoc

al. negaverimus

al. ad quam

al. velit, & illud nolit

al. potestas

al. vincitur

* *Voluntas non nisi suâ vincitur potestate.*

Digitized

CAPUT VI.

Quomodo sit nostra voluntas potens contra tentationes; licèt videatur impotens.

DISCIP.

QUamvis sic omnia impugnantia voluntati nostræ subjicias, atque nullam tentationem illi dominari permittas; ut in nullo possim obviare assertionibus tuis: non tamen possum dissimulare quandam impotentiam esse in eadem voluntate, quam ferè omnes experimur, cùm violentiâ tentationis superamur. Quapropter nisi illam potentiam, quam probas; & * istam impotentiam, quam sentimus, facias convenire: non potest animus meus * ad quietem hujus quæstionis pervenire. *Mag.* Istam impotentiam voluntatis, quam dicis, in quo putas esse? *Disc.* In eo quia non potest perseveranter rectitudini adhærere. *Mag.* Si per impotentiam non adhæret; aliena vi avertitur à rectitudine. *Disc.* * Concedo. *Mag.* Quæ est hæc vis? *Disc.* Vis tentationis. *Mag.* Hæc vis non * eam avertit à rectitudine; si ipsa non vult quod suggerit tentatio. *Disc.* Ita est. Sed ipsa tentatio * suâ vi cogit eam velle quod suggerit. *Mag.* Quomodo cogit eam velle? An ita, ut possit * quidem nolle, sed non sine gravi molestia: an ita ut nullatenus possit nolle? *Disc.* Quamvis fateri me oporteat nos aliquando sic premi tentationibus, ut sine difficultate non valeamus nolle quod suggerunt: non tamen possim dicere quòd sic nos unquam opprimant, ut quod * monent nullatenus nolle possimus. *Mag.* Nescio quomodo possit dici. Si enim vult homo mentiri, ut non subtineat mortem, * & servet vitam ad tempus: quis dicet impossibile velle eum non mentiri, ut vitet æternam mortem, & sine fine vivat? Quapropter jam dubitare non debes hanc impotentiam servandi rectitudinem, quam dicis in nostra voluntate * cùm tentationibus consentimus, non esse ex impossibilitate, sed ex difficultate. Frequenti namque usu dicimus nos non posse aliquid; non quia nobis est impossibile, sed quia * illud sine difficultate non possumus. Hæc autem difficultas non * perimit libertatem voluntatis: impugnare namque potest invitam voluntatem, expugnare nequit invitam. Hoc itaque modo, puto te posse videre quomodo conveniant potentia voluntatis, quam ratio veritatis asserit; & impotentia, quam humanitas nostra sentit. Sicut enim difficultas nequaquam voluntatis interimit libertatem: ita illa impotentia, quam non ob aliud in voluntate dicimus esse, nisi quia non potest tenere suam rectitudinem sine difficultate, non aufert eidem voluntati perseverandi in rectitudine potestatem.

al. in

al. Credo

al. non avertit

al. movent

al. ut

al. omit illud

al. hæc permittit libertatem voluntatis vinci.

CAPUT VII.

Quomodo voluntas fortior sit quàm tentatio; etiam cùm ab illa vincitur.

DISCIP.

SIcut nequaquam valeo quod probas, negare; ita nullatenus queo voluntatem fortiorem esse * tentatione, cùm ab ea superatur, affirmare. Nam si voluntas servandi rectitudinem fortior esset, quam tentationis impetus: fortiùs illa volendo * quod tenet, resisteret; quàm illa insisteret. Non enim aliunde scio me magis vel minùs * fortem habere voluntatem, nisi quia magis vel minùs fortiter volo. Quapropter cùm minùs fortiter volo quod debeo, quàm tentatio mihi suggerit quod non debeo; quomodo tentatio fortior non sit voluntate mea, non video. *Magist.* Ut video, æquivocatio voluntatis te fallit. *Disc.* Ipsam vellem æquivocationem cognoscere. *Mag.* Sicut visus æquivocè dicitur; ita & voluntas. Vocamus enim visum, * ipsum instrumentum videndi, id est,

al. tentationi

al. volendo, quæ

al. fortiorem

al. omit. ipsam

A radium procedentem per oculos, quo sentimus lucem, & * quæ sunt in luce: & dicimus visum, opus instrumenti ipsius, quando illo utimur, id est, visionem. Eodem modo dicitur voluntas, ipsum instrumentum volendi, quod est in anima, & quod convertimus ad volendum hoc vel illud; sicut visum ad videndum diversa convertimus: & dicitur voluntas, usus ejus voluntatis, quæ est instrumentum volendi; sicut dicitur visus, usus ejus visûs, qui est instrumentum videndi. Sicut igitur visum, qui est instrumentum videndi, habemus etiam cùm non videmus; visus autem, * qui est opus ejus, non est nisi cùm videmus: ita voluntas, instrumentum, scilicet, volendi, semper est * in anima, etiam cùm non vult aliquid, velut cùm dormit: voluntatem verò, quam dico usum sive opus ejusdem instrumenti, non habemus nisi quando volumus aliquid. Illa * igitur voluntas, quam voco instrumentum volendi, una & eadem semper est, quicquid velimus. Illa verò, quæ opus * ejus est, tam multiplex est, quàm multa, & quàm sæpe volumus: quemadmodum visus, quem etiam in tenebris vel clausis oculis habemus, semper idem est, quicquid videamus. Visus autem, id est, opus ejus, qui & visio nominatur, tam numerosus est, quàm numerosa, & quàm numerosè videmus. *Disc.* Planè video, & amo hanc voluntatis * discretionem: & jam mihi videor videre, quam ex ejus ignorantia patiebar, deceptionem: sed tamen tu prosequere quod incœpisti. *Mag.* Cùm ergo videas duas voluntates esse, instrumentum *, scilicet, volendi, & opus ejus: in qua harum duarum intelligis fortitudinem constare volendi? *Disc.* In illa quæ est instrumentum volendi. *Mag.* Si ergo scias virum ita fortem, ut eo tenente taurum indomitum, taurus non possit se movere: & videas eundem virum * ita tenentem arietem, ut ipse aries sese de manibus ejus excutiat; putabis ne illum minùs fortem in tenendo arietem, quàm in tenendo taurum? *Disc.* Illum quidem non dissimiliter fortem in utroque * illo opere judicabo, sed eum suâ fortitudine non æqualiter uti fatebor: fortiùs enim operatur in tauro, quàm in ariete. Sed ille fortis est, * quia fortitudinem habet; actio verò ejus fortis dicitur * quia fortiter fit. *Mag.* Sic intellige voluntatem, quam voco instrumentum volendi, inseparabilem * & nulla alia vi superabilem fortitudinem habere: * quâ aliquando magis, aliquando minùs utitur in volendo. Unde quod fortiùs vult nullatenus deserit, * oblato eo quod minùs fortiter vult: & cùm offertur quod vult fortiùs, statim dimittit quod non pariter vult: & tunc voluntas, quam dicere possumus actionem instrumenti hujus; * quoniam agit opus suum, cùm aliquid vult; tunc, inquam, voluntas actio magis vel minùs fortis dicitur, quoniam magis vel minùs fortiter fit. *Disc.* Aperta jam mihi esse, quæ explicas, necesse est ut fatear. *Mag.* Vides igitur quia cùm homo habitam rectitudinem voluntatis aliquâ ingruente deserit tentatione, nullâ vi alienâ abstrahitur; sed ipsa convertit se ad id quod fortiùs vult.

al. omit. hoc

al. discretionem

al. omit. scilicet

al. omit. ita

al. omit. illo

al. qui

al. qua

al. omit.

al. quia

al. oblato

al. omit. quoniam

CAPUT VIII.

Quòd nec Deus potest auferre voluntatis rectitudinem.

DISCIP.

NUmquid vel Deus potest illi auferre rectitudinem? *Mag.* Vide quomodo non possit. Totam quidem substantiam, quam de nihilo fecit, potest redigere in nihilum: à voluntate verò habente rectitudinem, non valet illam separare. *Disc.* Hujus tuæ mihi inauditæ assertionis multùm à te rationem expecto. *Mag.* Nos loquimur de illa voluntatis rectitudine, quâ justa dicitur voluntas, id est, quæ propter se servatur. Nulla autem est justa voluntas, nisi quæ vult quod

Deus omne quod scit posse redigere in nihilum.

Digitized by Google

al. sic oportet fateri, quæ

quod Deus vult eam velle. *Disc.* * Quæ hoc non vult, planè injusta est. *Mag.* Servare itaque rectitudinem voluntatis propter ipsam rectitudinem, est unicuique eam servanti velle quod Deus vult illum velle. * *Disc.* Sic oportet fateri. *Mag.* Si Deus separat hanc rectitudinem ab alicujus voluntate, aut volens facit hoc, aut nolens. *Disc.* Nolens non potest. *Mag.* Si itaque aufert alicujus voluntati præfatam rectitudinem vult quod facit. *Disc.* Absque dubio vult. *Mag.* Utique * ab cujus voluntate vult separare eandem rectitudinem; non vult * eum rectitudinem servare voluntatis propter ipsam rectitudinem. *Disc.* Sic sequitur. *Mag.* Sed jam positum est servare hoc modo rectitudinem voluntatis esse omni servanti velle quod Deus vult illum velle. *Disc.* Si positum non esset; ita tamen esset. *Mag.* Ergo si Deus * sæpe fatam rectitudinem tollit ab aliquo; non vult eum velle quod vult eum velle. *Disc.* B. Nihil consequentius, & nihil impossibilius. *Mag.* Igitur nihil magis impossibile, quam Deum rectitudinem voluntatis auferre: Quod tamen facere dicitur, quando non facit ut eadem rectitudo non deseratur. Porrò diabolus, vel tentatio, ideo dicitur hoc facere, * sive voluntatem ipsam vincere, & à rectitudine, quam tenet, abstrahere: quoniam * nisi promitteret ei aliquid, aut minaretur auferre, quod magis quàm ipsam rectitudinem vult; nullatenus * ipsa se ab illa, quam aliquatenus vult, * averteret. *Disc.* Sic planum videtur mihi quod dicis, ut nihil contra posse dici existimem.

al. quæ

al. non permitteret

al. ipse ab

al. posset avertere.

CAPUT IX.

Quòd nihil sit liberius rectâ voluntate.

MAGIST.

CErnis itaque nihil liberius recta voluntate, cui nulla vis aliena potest suam auferre rectitudinem. Nempe si dicimus quia, cùm * aliquis vult mentiri ne perdat vitam aut salutem, cogitur deserere timore mortis, aut * tormentis veritatem: non est verum. Non enim cogitur magis velle vitam, quàm veritatem: sed quoniam vi aliena prohibetur * utrámque servare simul; ipsa eligit quod mavult, sponte utique, & non invita; quamvis in necessitate utramlibet deserendi posita sit non sponte, sed invita. Non enim minùs fortis est ad volendum veritatem, quàm ad volendum salutem; sed fortiùs vult salutem. Nam si præsentem videret gloriam æternam, quam statim post servatam veritatem assequeretur; & inferni tormenta, quibus post mendacium sine mora * traderetur; procul dubio mox virium sufficientiam ad servandam veritatem habere cerneretur. *Disc.* Apertè hoc videtur: * cùm majores vire * exhiberet ad volendum salutem æternam propter se, & veritatem propter præmium; quàm ad salutem temporalem servandam.

al. enim. aliquis

al. tormenti

gl. utrumque

al. deputaretur

al. cum..exhiberet

CAPUT X.

*Quomodo peccans * sit servus peccati; & quòd majus miraculum sit, cùm Deus reddit rectitudinem illam deserenti, quàm cùm mortuo reddit vitam.*

al. fit

MAGIST.

SEmper itaque habet rationalis * natura liberum arbitrium: quia semper habet potestatem servandi rectitudinem voluntatis, propter ipsam rectitudinem; quamvis aliquando cum difficultate. Sed cùm libera voluntas defecit rectitudinem, per difficultatem servandi; utique post servit peccato, per impossibilitatem per se recuperandi. Si ergo sit *spiritus vadens, & non rediens*: Quoniam *qui facit peccatum, servus est peccati.*

al. homo Rationalis natura semper habet liberum arbitrium.

Ps. 77. v. 39. Joan. 8. v. 34.

Quippe sicut nulla voluntas, antequam haberet rectitudinem, potuit eam, Deo non dante, capere: ita * cùm deserit acceptam, non potest eam, nisi Deo reddente, recipere. Et majus miraculum existimo, cùm Deus voluntati desertam reddit rectitudinem, quàm cùm mortuo reddit vitam amissam. Corpus enim necessitate moriendo non peccat, ut vitam nunquam recipiat; voluntas verò per se rectitudinem deserendo, meretur ut illa semper indigeat. Et si quis sponte sibi mortem infert, non aufert sibi * quod nunquam erat amissurus: qui verò voluntatis rectitudinem deserit, hoc abjicit quod ex debito * semper erat servaturus. *Disc.* * Verum valde video quod dicis de servitute, * quâ servus sit peccati, qui facit peccatum; & de impossibilitate recuperandi desertam rectitudinem, * nisi ab eo, à quo prius data * erat reddatur; & ut illam semper teneant indesinenter, considerandum est omnibus quibus datur.

Sicut nulla voluntas nec potest rectitudinem, Deo non dante, capere: ita Deo non dante, recipere.

al. semper

al. Valde verum est al. quia al. ea

CAPUT XI.

Quòd ista servitus non auferat libertatem arbitrii.

SEd hac sententia multum repressisti exultationem meam, * quia jam putabam esse securum hominem semper habere libertatem arbitrii. Quare ipsam servitutem exponi mihi postulo: ne fortè * libertati præfatæ repugnare videatur. Utraque enim, scilicet, hæc libertas, & servitus, est in voluntate: secundùm * quam liber, aut servus est homo. Si ergo servus; quomodo liber? Aut si liber; quomodo servus? *Mag.* Si bene discernas: quando non habet præfatam rectitudinem, sine repugnantia & servus est, & liber. Nunquam enim est ejus potestatis, rectitudinem capere, C cùm non habet; sed semper est ejus potestatis, servare cùm habet. Per hoc, quia redire non potest à peccato, servus est: & per hoc, quia abstrahi non potest à rectitudine, liber est. Sed à peccato & ejus servitute, non nisi per alium potest reverti: à rectitudine verò, non nisi per se potest averti: & a libertate sua nec per se, nec per alium potest privari. Semper enim naturaliter liber est ad servandam rectitudinem, si eam habet: etiam quando, quam * servet, non habet. *Disc* Sufficit mihi * hæc hujus libertatis & servitutis, ut in eodem homine possint esse, simul facta concordia.

al. quia

al. libertati

al. quamlibet

al. servat

al. hæc

CAPUT XII.

Cur cùm homo non habet rectitudinem, magis dicitur liber: quia cùm habet non potest ei auferri: quàm cùm eam habet, servus: quia cùm non habet, non potest per se eam recuperare.

D

SEd multùm nosse desidero cur quando non habet rectitudinem, magis dicitur liber; quia non potest ei ab alio auferri, cùm habet: quàm cùm rectitudinem habet, servus; quoniam eam non potest recuperare per se, cùm non habet. Per hoc enim quia redire non potest à peccato, servus est: per hoc quod abstrahi non potest à rectitudine, liber est: & sicut nunquam abstrahi potest, si habet; ita nunquam potest redire, si non habet. Quapropter sicut semper habet illam libertatem: ita semper habere videtur illam servitutem.

E *Mag.* Ista servitus non est nisi impotentia * non peccandi. Sive enim dicamus eam impotentiam esse redeundi ad rectitudinem; sive impotentiam recuperandi, aut iterum habendi rectitudinem: non ob aliud est homo servus peccati, * nisi quoniam per hoc quia nequit redire ad rectitudinem, aut recuperare, aut habere illam; * non potest non peccare. Cùm autem habet eandem rectitudinem, non habet impotentiam non peccandi. Quare quando habet rectitudinem illam, non est servus peccati. Potestatem autem servandi rectitudinem semper habet, & cùm rectitudinem habet,

al. omit. non peccandi

al. nisi per hoc

al. qua potest homo non peccare

Q

& * cùm non habet ; & ideo ſemper eſt liber. Quod autem quæris cur quando non habet rectitudinem, magis dicitur liber idcirco quoniam ab * alio non ei poteſt auferri, quando habet : * quàm tunc ſervus, cùm habet rectitudinem, ideo quia non poteſt eam recuperare per ſe, quando non habet : tale eſt, ac ſi quæras cur homo cùm ſol * abeſt, magis dicitur habere poteſtatem videndi ſolem, propter hoc quia intueri illum poteſt, cùm adeſt : * quam dicitur cùm ſol * adeſt, habere impotentiam videndi ſolem, quoniam quando abeſt non poteſt eum facere ſibi præſentem. Sicut enim etiam quando ſol abeſt, habemus in nobis viſum quo illum videmus, cùm adeſt : ſic etiam quando voluntatis rectitudo nobis deeſt, habemus * tamen in nobis aptitudinem intelligendi & volendi, qua eam poſſumus ſervare propter ſe, cùm eam habemus. Et ſicut quando nobis nihil deeſt ad videndum ſolem, niſi præſentia ejus, tunc ſolummodo non habemus illam poteſtatem, quam nobis facit ejus præſentia : ſic tantummodò quando nobis illa rectitudo deeſt, tunc habemus illam impotentiam, quam facit nobis ejus abſentia. Semper igitur homo habet arbitrii libertatem : ſed non ſemper ſervus eſt peccati ; ſed quando non habet rectam voluntatem. *Diſc.* Si intentè cogitaſſem quæ * ſuprà dicta ſunt, quando videndi poteſtatem in quatuor poteſtates diſtribuiſti, non hîc dubitaſſem : quare fateor culpam hujus dubitationis meæ. *Mag.* Parcam tibi * nunc ; ſi deinceps ea quæ dicimus ſic * præſentia, cùm opus erit, habueris ; ut ea nobis neceſſe non ſit repetere. *Diſc.* Gratam habeo tuam indulgentiam. Sed ne mireris, ſi ea quæ non conſuevi * cogitare, non ſunt mihi propter unam auditionem ſemper omnia ad * intuendum in corde præſentia.

al. ab illo
al quoniam ſervus, tunc
al. adeſt
al. quoniam al. abeſt
al. tamen
Cap. 3.
al. tamen nunc, ſed al. ſic ſint præſentia, cum opus erit hujuſmodi :
al. conſuevi, non al. indicendum

CAPUT XIII.

*Quòd poteſtas ſervandi rectitudinem voluntatis propter ipſam rectitudinem, ſit perfecta diffinitio * libertatis arbitrii.*

al. libri

MAGIST.

DIc adhuc, ſi quid in diffinitione libertatis arbitrii, quam fecimus, dubitas? *Diſc.* Unum eſt, quod adhuc me aliquantulùm in ea ſolicitat. Nam ſæpe habemus poteſtatem ſervandi aliquid ; quæ tamen libera non eſt, ut alienâ vi impediri non poſſit. Quamobrem cùm dicis quia libertas arbitrii eſt poteſtas ſervandi rectitudinem voluntatis, propter ipſam rectitudinem ; vide ne fortè addendum ſit, quod illam poteſtatem tam liberam deſignet eſſe, ut nullâ vi ſuperari poſſit. *Mag.* Si poteſtas ſervandi rectitudinem voluntatis, propter ipſam rectitudinem, aliquando inveniri poſſet abſque illa, quam perſpeximus, libertate ; expediret ut quod dicis adderetur : ſed cùm dicta diffinitio ſic perfecta ſit ex genere & differentiis ; ut nec minùs aliquid claudat, nec plus quàm illa, quam quærimus, libertas : nihil illi addendum : aut demendum intelligi poteſt. Eſt enim, poteſtas, libertatis genus. Quod autem additum eſt, ſervandi, ſeparat eam ab omni poteſtate quæ non eſt ſervandi, ſicut eſt poteſtas ridendi, aut ambulandi. Addendo verò, rectitudinem, * ſecrevimus eam à poteſtate ſervandi aurum, & quicquid non eſt rectitudo. Per additamentum, voluntatis, ſegregatur à poteſtate ſervandi rectitudinem aliarum rerum, ut virgæ, aut opinionis. Per hoc autem quod dictum eſt, propter rectitudinem ipſam, dividitur à poteſtate ſervandi rectitudinem voluntatis propter aliud, ut cùm ſervatur propter pecuniam, aut naturaliter. Servat enim naturaliter canis rectitudinem voluntatis, cùm amat catulos ſuos, aut dominum ſuum ſibi benefacientem. Quoniam igitur nihil eſt in hac diffinitione, quod non ſit neceſſarium ad concludendam libertatem arbitrii rationalis voluntatis, & ad alia excludenda ; ſufficienter illa includitur, & alia excluduntur : nec abundans utique, nec indigens eſt hæc noſtra diffinitio. Itane tibi videtur? *Diſc.* Mihi utique perfecta videtur. *Mag.* Dic * ergo, ſi quid vis amplius de libertate hac, propter quam imputatur illam habenti, ſive faciat bonum, ſive malum. De hac enim ſolà nunc noſter eſt ſermo.

Genus & diſ. ferentia libertatis.
al. diſcretionem
al. quoque

CAPUT XIV.

*Diviſio * ejuſdem libertatis.*

al. hujus

DISCIP.

REſtat nunc, ut dividas eandem libertatem. Quamvis enim, ſecundùm hanc diffinitionem, communis ſit omni rationali * naturæ ; multùm tamen differt illa quæ Dei eſt, ab illis quæ rationalis * creaturæ ſunt ; & illæ ab invicem. *Mag.* Libertas arbitrii alia eſt à ſe, quæ nec facta eſt, nec ab alio accepta, quæ eſt ſolius Dei : alia à Deo facta & accepta, quæ eſt Angelorum * & hominum. Facta autem ſive accepta, alia eſt habens rectitudinem, quam ſervet ; alia carens. Habens, alia tenet ſeparabiliter alia ; inſeparabiliter. Illa quidem quæ ſeparabiliter tenent, fuit Angelorum omnium, antequam boni confirmarentur & mali caderent ; & eſt omnium hominum ante mortem, qui habent rectitudinem eandem. Quæ verò tenet inſeparabiliter, eſt electorum Angelorum & hominum. Sed Angelorum electorum, poſt ruinam reproborum ; & hominum, poſt mortem ſuam. Illa autem quæ caret rectitudine : alia caret recuperabiliter, alia irrecuperabiliter. Quæ recuperabiliter caret, eſt tantùm in hac vita omnium hominum * illà carentium, quamvis illam multi non recuperent. Quæ autem irrecuperabiliter caret, eſt reproborum hominum & Angelorum : * ſed Angelorum, poſt ruinam ; & hominum poſt hanc vitam. *Diſc.* De diffinitione & diviſione libertatis hujus, Deo annuente, * ſic mihi ſatisfeciſti ; ut nihil queam invenire, quod neceſſe habeam de illis interrogare.

al creaturæ vel naturæ
al. naturæ
al. omit. hominum
al. omnium
al. ſolliceti
al. omnis

Digitized by Google

SANCTI ANSELMI

CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI.

TRACTATUS

DE CONCORDIA PRÆSCIENTIÆ

& Prædeſtinationis, nec non Gratiæ Dei cum Libero Arbitrio.

DE tribus illis quæſtionibus, in quibus Dei præſcientiæ atque prædeſtinationi nec non & gratiæ liberum arbitrium repugnare videtur, quod mihi Deus dignabitur aperire, curabo, ipſo adjuvante; ſcribendo oſtendere.

QUÆSTIO I.

De Concordia præſcientiæ Dei cum libero arbitrio.

CAPUT I.

Non repugnat Dei præſcientia libertati arbitrii: quia Deus præſcit eſſe liberè futurum, quod aliunde non eſt ex neceſſitate futurum.

Vide ſupra lib. de caſu diab. c. 21.

VIdentur quidem præſcientia Dei, liberum arbitrium repugnare: quoniam ea quæ Deus præſcit, neceſſe eſt eſſe futura; & quæ per liberum arbitrium fiunt, nullâ neceſſitate proveniunt; ſed * ſi repugnant, impoſſibile eſt ſimul & præſcientiam Dei eſſe, quæ omnia prævidet, aliquid per libertatem arbitrii fieri. Quæ impoſſibilitas ſi abeſſe intelligitur; repugnantia, quæ videtur ineſſe, penitus removetur. Ponamus itaque ſimul eſſe & præſcientiam Dei, quam ſequi neceſſitas futurarum rerum videtur; & libertatem arbitrii, per quam multa ſine * ulla neceſſitate fieri * creduntur, & videamus utrum impoſſibile ſit hæc duo ſimul eſſe. Quod ſi eſt impoſſibile, oritur inde aliud impoſſibile: impoſſibile ſiquidem eſt, quo poſito aliud impoſſibile ſequitur. Sed ſi aliquid eſt futurum ſine neceſſitate; hoc ipſum præſcit Deus, qui præſcit omnia futura: quod autem præſcit Deus, neceſſitate futurum eſt, ſicut præſcitur: neceſſe eſt itaque aliquid eſſe futurum ſine neceſſitate. Nequaquam ergo rectè intelligenti * hîc repugnare videntur præſcientia, quam ſequitur neceſſitas; & libertas arbitrii, à qua removetur neceſſitas: quoniam & neceſſe eſt quod Deus præſcit futurum eſſe, & Deus præſcit * aliquid eſſe futurum ſine omni neceſſitate. Sed dices mihi: non removet tamen à me neceſſitatem peccandi, vel non peccandi; quoniam Deus præſcit me peccaturum, vel non peccaturum: & ideo neceſſe eſt me peccare, ſi pecco; vel non peccare, ſi non pecco. Ad quod ego: non debes dicere, præſcit me Deus peccaturum * tantum, vel non peccaturum; ſed, præſcit me Deus peccaturum ſine neceſſitate, vel non peccaturum: & ita ſequitur quia ſive peccaveris, ſive non peccaveris, utrumque ſine neceſſitate erit: quia præſcit Deus futurum eſſe ſine neceſſitate hoc quod erit. Vides igitur non eſſe impoſſibile ſimul eſſe præſcientiam Dei, per quam futura, quæ præſcit, dicuntur eſſe ex neceſſitate; & libertatem arbitrii, per quam multa fiunt ſine neceſſitate. Si enim eſt impoſſibile; ſequitur * aliquid impoſſibile; ſed nulla naſcitur ex * hoc impoſſibilitas. Forſitan * dicis: nondum aufers à corde meo vim neceſſitatis, cum dicis quia neceſſe eſt me peccaturum eſſe, vel non peccaturum ſine neceſſitate, quia hoc præſcit Deus: neceſſitas enim videtur ſonare coactionem, vel prohibitionem. Quare ſi neceſſe eſt me peccare ex voluntate, intelligo me cogi aliqua occulta vi ad voluntatem peccandi; & ſi non pecco, à peccandi voluntate prohiberi. Quapropter neceſſitate videor * mihi peccare, ſi pecco; vel non peccare, ſi non pecco. *

al. fed repugnant

al. ſine neceſſitate fieri videntur

al. hæc

al. aliud aliquid eſſe ſine

al. omnino tantum

al. aliud

al. hæc.... diã eo

al. inde

CAPUT II.

Quomodo neceſſe ſit rem eſſe futuram quando Deus præſcit eam eſſe futuram; & tamen voluntatem liberam manere: & de duplici neceſſitate.

Non omnis neceſſitas eſt malum.

al. Sed al. huic

Quod ſit non voluntarie, ſed ex libertate.

*ERgo ſciendum eſt quia ſæpe dicimus neceſſe eſſe quod nullâ vi eſſe cogitur; & neceſſe non eſſe, quod nulla prohibitione removetur. Nam dicimus, neceſſe eſt Deum immortalem eſſe, & neceſſe eſt Deum non eſſe injuſtum; non quòd vis aliqua cogat eum eſſe immortalem, aut prohibeat eſſe injuſtum: ſed quoniam nulla res poteſt facere ut non ſit immortalis, aut ut ſit injuſtus. Sic itaque ſi dico, neceſſe eſt eſſe te peccaturum, vel non peccaturum ſolâ voluntate, ſicut Deus præſcit: non eſt intelligendum quòd aliquid prohibeat voluntatem quæ non erit, aut cogat illam eſſe quæ erit: hoc ipſum namque præſcit Deus, qui prævidet aliquid futurum ex ſola voluntate, * quod voluntas non cogitur, aut prohibetur ulla alia re; * & ſic ex libertate ſit, quod ſit ex voluntate. Si igitur hæc diligenter intelliguntur; puto quia & præſcientiam Dei & libertatem arbitrii ſimul eſſe nulla prohibet inconvenientia. Denique ſi quis intellectum verbi propriè conſiderat; hoc ipſo quod præſciri aliquid dicitur, futurum eſſe pronuntiatur: non enim niſi quod futurum eſt præſcitur, quia ſcientia non eſt niſi veritatis. Quare cùm dico quia ſi præſcit Deus aliquid,*

Digitized by Google

necesse est illud esse futurum; idem est, ac si dicam: si A erit, ex necessitate erit: sed hæc necessitas non cogit, nec prohibet aliquid esse, aut non esse. Ideo enim quia al. pronuntiatur * ponitur res esse, * dicitur ex necessitate esse; aut ... dicuntur ... ponitur quia ponitur non esse, affirmatur non esse ex necessi- ... affirmatur tate; non quia necessitas cogat, aut prohibeat rem esse, aut non esse. Nam cum dico: Si erit, necessitate al. quæ rei erit; hîc sequitur necessitas * rei positionem, non præcedit. Idem valet, si sic pronuncietur: Quod erit, ex al. Hic necessitate erit. Non enim aliud significat * hæc necessitas, nisi quia quod erit non poterit simul non esse. Pariter autem verum est quia fuit, & est, & erit aliquid, non ex necessitate, & quia necesse est fuisse omne quod fuit, & esse quod est & futurum esse quod erit. Quippe non est idem rem esse præteritam, & rem præteritam esse præteritam; aut rem esse præsentem, & rem præsentem esse præsentem; aut rem esse futuram, & rem futuram esse futuram: sicut non est idem rem esse albam, & rem albam esse albam. Lignum enim non est semper necessitate album, quia aliquando priùs quàm fieret album, potuit non fieri album; & postquam est album, potest fieri non album: lignum verò album, semper necesse est esse album: quia nec antequam sit, nec postquam est album, fieri potest ut album simul sit non album. Similiter res non necessitate est præsens: quoniam antequam esset præsens, potuit fieri ut præsens non esset; & postquam est præsens, potest fieri non præsens. Rem autem præsentem necesse est esse præsentem semper; quia nec priùs quàm sit, nec postquam est al. & non præsens præsens, potest præsens simul esse * non præsens. Eodem modo res aliqua, ut quædam actio, non necessitate futura est; quia priusquam sit, fieri potest ut non sit futura: rem verò futuram necesse est esse futuram; al. & non futurum quoniam futurum nequit esse simul * non futurum. De præterito autem similiter verum est quia res aliqua al. nunc * non est necessitate præterita; quoniam antequam esset, potuit fieri ut non esset: & quia præteritum semper necesse est esse præteritum; quoniam non potest C al. simul esse præteritum, & non esse præteritum simul * non esse præteritum. Sed in re præterita est *quiddam, quod non est in re præsenti vel futura. Nunquam enim fieri potest ut res, quæ præterita est, fiat non præterita: sicut res quædam, quæ præsens est, potest fieri non præsens; & aliqua res, quæ non necessitate futura est, potest fieri ut non sit futura. Itaque cùm *Necesse est esse futurum quod futurum est, necessitate, sed sit, sequitur.* dicitur futurum de futuro, necesse est esse quod dicitur; quia futurum nunquam est non futurum: sicut quotiens idem dicimus de eodem. Cùm enim dicimus quia omnis homo est homo, aut, si est homo, homo est; aut, omne album est album, & si est album, album est: necesse est esse quod dicitur, quia non potest aliquid simul esse & non esse. Quippe si non est necesse omne futurum * esse futurum; quoddam futurum al. quod non est futurum: quod est impossibile. Necessitate ergo omne futurum, futurum est; & * si est futurum, D al. & cum futurum dicitur de futuro, si sit futurum, futurum est. futurum est, cùm futurum dicitur de futuro: sed necessitate sequente, quæ nihil esse cogit.

CAPUT III.

Quòd liberè futura, non sint necessaria necessitate præcedente, sed sequente.

CUm autem futurum dicitur de re, non semper res necessitate est, quamvis sit futura. Nam si dico, *eras seditio futura est in populo*; non tamen necessitate erit seditio. Potest enim fieri, antequam sit, ut non al. etiam quæ futura est fiat, etiam * si est futura. Aliquando verò est, ut res sit ex necessitate quæ dicitur futura, ut si dico *eras esse futurum ortum solis*. Si ergo cum necessitate futurum pronuntio de re futura, hoc modo, seditio eras futura, necessitate futura est: aut, ortus solis eras futurus, necessitate futurus est: seditio quidem, quæ non erit ex necessitate, sola sequenti necessitate futura al-

ferit; quia futura de futura dicitur; si enim eras futura est, necessitate futura est: ortus verò solis duabus necessitatibus futurus intelligitur, scilicet, & præcedenti quæ facit rem esse, ideo enim erit quia necesse est ut sit; & sequenti, quæ nihil cogit esse, quoniam idcirco necessitate futurus est, quia futurus est. Quapropter cum dicimus quia quod Deus præscit futurum, necesse est esse futurum: non *aserimus semper rem esse necessitate futuram; sed rem futuram, necessitate esse futuram. Non enim potest futurum simul non esse futurum. Idem sensus est, si sic dicitur: *si Deus præscit aliquid*, non addendo *futurum*: quoniam *in præscire* intelligitur *futurum*. Nam non est aliud præscire, quàm scire futurum: & ideo si præscit Deus aliquid; necesse est illud esse futurum. Non ergo semper sequitur præscientiam Dei, rem necessitate futuram esse: quoniam quamvis omnia futura præsciat; non tamen præscit cuncta futura necessitate, sed quædam præscit ex liberâ rationalis creaturæ voluntate futura. Notandum quippe est quia sicut necesse non est Deum velle quod vult; ita necesse est in multis velle hominem quod vult: & * sicut necesse est esse, quicquid Deus vult; ita ne- al. similiter cesse est esse, quod vult homo in his, quæ Deus ita subdit humanæ *voluntati, ut si vult fiant, si non vult al. naturæ & voluntati non fiant. Quoniam enim quod Deus vult, non potest non esse; cùm vult hominis voluntatem nullâ cogi vel prohiberi necessitate ad volendum; vel ad non volendum, & vult effectum sequi voluntatem; tunc necesse est voluntatem esse liberam, & esse quod vult. In hujusmodi ergo verum est quia necessitate sit opus peccati, quod vult homo facere; quamvis non necessitate velit. Quòd si quæritur de peccato ipsius voluntatis, cùm peccat volendo, utrùm sit necessitate: respondendum est quia sicut non vult necessitate, ita non est peccatum voluntatis necessitate. Nec necessitate operatur eadem voluntas; quia si non vellet sponte, non operaretur; quamvis quod facit, necesse sit fieri, ut suprà dixi. Nam quoniam non est aliud ibi peccare, quàm velle quod non debet; ita non est peccatum voluntatis necessarium, sicut velle non est necessarium: tamen verum est quia si vult homo peccare, necesse est eum peccare; sed eà necessitate, quam * suprà dixi Cap. 2; nihil cogere aut prohibere. Itaque quod vult libera voluntas, & potest & non potest non velle, & necesse est * eam velle. Potest namque non velle antequam al. eam velit, quia libera est; & cùm * jam vult, non potest non velle, sed eam velle necesse est; quoniam impossibile illi est idipsum simul & velle & non velle. Opus verò voluntatis, cui datum est ut quod vult sit, & quod non vult non sit, voluntarium sive spontaneum est; quoniam spontaneâ voluntate fit: & * bifariam est necessarium, quia & voluntate cogitur fieri, & quod fit non potest simul non fieri. Sed has necessitates facit voluntatis libertas, quæ, priùs quàm sint, eas cavere potest. Hæc omnia Deus, qui scit omnem veritatem & non nisi veritatem, sicut sunt spontanea vel necessaria, videt; & sicut videt, ita sunt. Hac ergo consideratione palàm est quia sine omni repugnantia, & Deus præscit omnia, & multa fiunt ex libera voluntate, quæ, antequam sint, fieri potest ut nunquam sint; & tamen quodammodo sunt necessitate: quæ necessitas, ut dixi, descendit de libera voluntate.

Non omnis res est necessitate futura: sed omnis res futura, est necessitate futura.

Non necessitate operatur voluntas: quia si non vellet, non operaretur.

Opus voluntatis est voluntarium, & necessarium.

CAPUT IV.

E *Si præscientia Dei necessitatem ingerit rebus quas præscit; ipse nihil facit ex libertate, sed omnia ex necessitate.*

COgnosci potest etiam non omnia, quæ præscit Deus, esse ex necessitate; sed quædam fieri ex libertate voluntatis: * quia cùm vult aut facit Deus al. per hoc quia aliquid, sive secundùm * æternitatis dicatur immutabilem præsentiam, in qua nihil est præteritum aut al. æternitatem, dicat immutabilem præsentiam

futurum, sed omnia simul sunt sine omni motu; ut, A si dicimus quia non voluit aut volet, nec fecit aut
al. tamen. faciet aliquid, sed * tantùm vult & facit: sive secundùm tempus velut cùm proferimus quia volet aut faciet quod nondum factum esse cognoscimus: negari nequit scire quæ vult & facit, & præscire quæ volet atque faciet. Quare si scire atque præscire Dei, necessitatem ingerit omnibus, quæ scit aut præscit: nihil secundùm æternitatem, aut secundùm ullum tempus, vult aut faciet ipse ex libertate, sed omnia ex necessitate: quod si absurdum est vel opinari; non necessitate est, aut non est, omne quod scit Deus aut præscit esse vel non esse. Ergo nihil prohibet aliquid sciri vel præsciri ab illo in nostris voluntatibus & actionibus fieri, aut futurum esse per liberum arbitrium: ut quamvis necesse sit esse quod scit aut præscit; tamen multa B
fiant nullâ necessitate, sed liberâ voluntate: quemadmodum * suprà monstravi. Nempe quid mirum, si hoc
Cap. 1. al. & non ex necessitate modo aliquid est ex libertate * & ex necessitate: cùm multa sint, quæ recipiùt opposita, diversâ ratione? Quæ namque magis opposita sunt, quàm adire & abire? Videmus tamen, cùm transit aliquis de loco ad locum,
al. sit et adire quia idem ire, est * adire & abire. Abit enim de loco, & adit ad locum. Item: si consideremus solem sub aliqua parte cœli, cùm semper cœlum lustrando ad eandem partem festinet; videmus quia idem locus est à quo recedit, & ad quem accedit, & indesinenter ei eodem tempore appropinquat, à quo elongatur. Patet etiam cursum ejus non ignorantibus, quia si cœlum consideremus, semper transit ab Occidentali parte ad Orientalem. Si verò terram attendimus, nunquam nisi ab Orientali ad Occidentalem, & sic semper C
contra firmamentum vadit, & licet tardius, cum firmamento: quod ipsum in omnibus planetis cernitur. Ita ergo nulla oritur repugnantia, si secundùm prædictas rationes asserimus idem aliquid esse necessitate futurum, quia est futurum; & nullâ cogi necesCap. 3. sitate esse futurum, nisi eâ necessitate, quam * suprà dixi fieri à libera voluntate.

CAPUT V.

Quòd multa in Scripturis dicuntur necessaria & immutabilia, per comparationem ad æternitatem; quæ in tempore sunt libera, & possent non esse. D

Job. 14. v. 5. SI verò per hoc, quod de homine dicit Job Deo: *Constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt*; vult aliquis ostendere quia nullus potuit accelerare vel differre diem in qua moritur; quamvis aliquando nobis videatur aliquis facere ex libera voluntate unde
al. Sed non est. moritur: * non est quod objicitur contra hoc quod suprà diximus. Nam quoniam Deus non fallitur, nec videt nisi veritatem, sive ex libertate, sive ex necessi-
al. veniat al. constituit* al. homines al. etiam Paulus Rom. 8. v. 28. & 30. tate * eveniat; dicitur * constituisse apud se immutabiliter, quod apud * hominem priùs quàm fiat, mutari potest. Tale etiam * est quod Paulus Apostolus de his, *qui secundùm propositum vocati sunt sancti*, dicit: *Quos præscit & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & justificavit; quos autem justificavit, illos & magnificavit.* Hoc quippe propositum, secundùm quod vocati sunt sancti, in æternitate, in qua non est præteritum vel futurum, sed tantùm præsens, immutabile est; sed in ipsis hominibus ex libertate arbitrii aliquando est mutabile. Sicut enim quamvis in æternitate non fuit, aut erit aliquid, sed tantùm est; & tamen in tempore fuit & erit aliquid sine repugnantia: ita quod in æternitate mutari nequit, in tempore aliquando per liberam volùtatem antequam * sit, esse mu-
al. sit al omis. autem tabile probatur absque inconvenientia: quamvis * autè ibi nihil sit nisi præsens; non est tamen illud præsens temporale, sicut nostrum; sed æternum, in quo tempora cuncta continentur. Siquidem quemadmodum præsens tempus continet omnem locum, & quæ in quolibet loco sunt: ita æterno præsenti simul clauditur omne tempus, & quæ sunt in * quolibet tempore. Cùm ergo ait Apostolus quia Deus præscit sanctos suos, prædestinavit, vocavit, justificavit, magnificavit; nihil horum prius aut posterius apud Deum est: sed omnia simul æterno præsenti sunt intelligenda. Habet enim æternitas suum simul, in quo sunt omnia quæ simul sunt loco vel tempore, & quæ sunt diversis in locis vel temporibus. Ut autem ostenderet idem Apostolus non illa verba se pro temporali significatione posuisse; illa etiam, quæ futura sunt, præteriti temporis verbo pronuntiavit. Nondum enim quos præscivit adhuc nascituros, jam temporaliter vocavit, justificavit, magnificavit. Unde cognosci potest eum, propter indigentiam verbi significantis æternam præsentiam, usum esse verbis præteritæ significationis: quoniam quæ tempore præterita sunt, ad similitudinem æterni præsentis omnino immutabilia sunt. In hoc siquidem magis similia sunt æterno præsenti, temporaliter præterita, quàm præsentia: quoniam quæ ibi sunt, nunquam possunt non esse præsentia; sicut tempore præterita non valent unquam præterita non esse: præsentia verò * tempore omnia al. temporis quæ transeunt, fiunt non præsentia. Hoc ergo modo quicquid de his, quæ libero fiunt arbitrio, velut necessarium sacra Scriptura pronuntiat; secundùm æternitatem loquitur, in qua præsens est omne verum * & al. simir. & non nisi verum. non nisi verum, immutabiliter; non secundùm tempus, in quo non semper sunt voluntates & actiones nostræ: & sicut dum non sunt, non est necesse eas esse; ita sæpe non est necesse ut aliquando sint. Nam non semper scribo, aut volo scribere; & sicut dum non scribo, aut non volo scribere, non est necesse me scribere, aut velle scribere: ita necesse non est ut aliquando scribam, vel velim scribere. Cùm autem res * tam ali- al. res aliter ter esse cognoscatur in tempore, quàm in æternitate: ut aliquando verù sit quoniam aliquid non est in tempore, quod est in æternitate; & quòd fuit in tempore, quod ibi non fuit; & erit temporaliter, quod ibi non erit: nullâ ratione negari videtur * similiter posse ali- al posse. Similiter aliquid tempore est quid in tempore * esse mutabile, quod ibi est immutabile. Quippe non magis opposita sunt, mutabile in tempore, & immutabile in æternitate; quàm non esse in aliquo tempore, & esse semper in æternitate: & fuisse, vel futurum esse secundùm tempus; atque non fuisse, vel non futurum esse in æternitate. Siquidem non dico aliquid nunquam esse in tempore, quod semper est in æternitate; sed tantùm, in aliquo tempore non esse. Non enim dico actionem meam cras futuram nullo tempore esse; sed hodie tantùm nego eam esse, quæ tamen semper est in æternitate. Et quando negamus fuisse, vel futurum ibi esse aliquid, quod in tempore fuit aut erit; non asserimus id, quod fuit, aut erit, nullo modo ibi esse; sed tantùm præterito vel futuro modo dicimus non ibi esse, quod ibi indesinenter est, suo præsenti modo: in his verò nulla videtur adversari contrarietas. Sic utique sine ulla repugnantiâ dicitur aliquid esse mutabile in tempore antequam sit, quod in æternitate manet immutabiliter, non antequam sit, vel postquam est; sed indesinenter, quia nihil est ibi secundùm tempus. Nam hoc ipsum ibi est æternaliter, quia temporaliter aliquid & est, & , antequam sit potest non esse: sicut jam dixi. Sufficienter ex his, quæ dicta sunt, puto patere quia præscientia Dei & liberum arbitrium nequaquam invicem repugnant: quod facit vis æternitatis; quæ claudit omne tempus & quæ sunt in quolibet tempore.

Digitized by Google

CAPUT VI.

De libertate ad ea quæ sunt salutis hic quæritur ubi, & quæ sit.

SEd quoniam non in omnibus liberum habemus arbitrium; videndum est ubi, & quæ sit illa libertas arbitrii, quam semper habere creditur homo: & quid sit illud arbitrium. Non enim idem est arbitrium, & libertas qua dicitur liberum. In multis dicitur libertas, & arbitrium; ut cùm aliquem dicimus libertatem habere loquendi, aut tacendi, & in ejus arbitrio esse quid horum velit. In pluribus quoque aliis similiter dicitur libertas, & arbitrium, quæ non semper adsunt, aut ad salutem animæ nobis necessaria sunt. Pro illo autem arbitrio tantùm, & pro illa libertate, ista B ventilatur quæstio; sine quibus homo salvari nequit, postquam potest illis uti. Nam ideo conqueruntur multi quia putant ad salutem vel damnationem nihil valere liberum arbitrium; sed solam necessitatem, propter Dei præscientiam. Quoniam ergo non salvatur homo, postquam ad intelligibilem pervenit ætatem, sine sua justitia: ibi est investigandum hoc arbitrium, & hæc libertas unde agitur, ubi sedes & justitiæ. Primùm itaque ostendenda est justitia: deinde ista libertas, & illud arbitrium. Est quidem justitia quælibet, magna vel parva, rectitudo voluntatis propter se servata. Libertas autem ista est potestas servandi rectitudinem voluntatis, propter ipsam rectitudinem. Quas definitiones puto me apertis rationibus monstrasse: priorem quidem in * tractatu, quem feci de veritate; C alteram verò in eo, *quem edidi de hac ipsa libertate: in quo etiam ostensum est quomodo *naturaliter & inseparabiliter sit in homine hæc libertas, quamvis non eâ semper utatur; * & quòd sit ita fortis, ut nulla res homini * rectitudinem prædictam, id est, justitiam, quam habet, valeat, quamdiu hac libertate voluerit uti, auferre. Justa verò non est naturalis, sed fuit separabilis in principio, * & Angelis in cœlo, & hominibus in paradiso, & est adhuc in hac vita; non tamen necessitate, * sed habentium illam propriâ voluntate. Sed quoniam justitiam, qua justus est aliquis, constat esse rectitudinem voluntatis, quam dixi: quæ rectitudo tunc tantùm est in aliquo, cùm ipse vult quod Deus vult eum velle: patet quia Deus eandem rectitudinem non potest invito auferre; quoniam non potest hoc velle. Sed neque * velle potest ut eam habens, D nolens ullâ necessitate eam deserat: quippe vellet illum non velle, quod vult eum velle: quod esse nequit. Sequitur ergo Deum velle hoc modo rectam voluntatem ad volendum rectè & ad servandum eandem rectitudinem esse liberam; quæ quando potest quod vult, liberè facit quod facit. * Unde * quoque apertissimè cognosci potest aliquam esse liberam voluntatem cum actione sua, non repugnante Dei præscientiâ: sicut suprà monstratum est. Donamus nunc exemplum aliquod, in quo appareat & recta, * id est, justa voluntas, & libertas arbitrii, & ipsum arbitrium; & quomodo recta voluntas impugnetur, ut deserat rectitudinem; & qualiter eam libero servet arbitrio. Habet aliquis in corde ut veritatem teneat, quia intelligit rectum esse amare veritatem. Hic utique rectam jam habet voluntatem, & rectitudinem voluntatis. Aliud autem est voluntas; & aliud rectitudo, qua recta est. Accedit alius; &, nisi mentiatur, minatur illi mortem. Videmus nunc in ejus esse arbitrio an deserat vitam pro rectitudine voluntatis; an rectitudinem, pro vita. Hoc arbitrium, quod & judicium dici potest, liberum est: quoniam ratio, qua intelligitur rectitudo, docet rectitudinem illam ejusdem rectitudinis amore semper esse servandam; & quicquid obtenditur ut deseratur, esse contemnendum; atque voluntatis est, ut ipsa quoque reprobet ac eligat, quemadmodum rationis intellectus monstrat: ad hoc enim maximè datæ sunt rationali creaturæ voluntas & ratio. Quapropter idem voluntatis arbitrium, ut eandem rectitudinem deserat, nullâ cogitur necessitate; quamvis mortis impugnetur difficultate. Licet enim necesse sit aut vitam, aut rectitudinem relinquere: nulla tamen necessitas determinat quam servet, aut deserat. Nempe sola voluntas determinat ibi quid teneat; nec aliquid facit vis necessitatis, ubi operatur electio solo voluntatis. At cui non est deserendi rectitudinem voluntatis, quam habet, necessitas; palàm est quia non deest servandi potestas, sive libertas. Semper enim hæc potestas libera est. Hæc est enim libertas, quam esse * dixi potestatem servandi rectitudinem voluntatis, propter ipsam rectitudinem. Hac ipsa libertate rationalis naturæ, & arbitrium liberum & voluntas libera dicitur.

Dial. de libert. c. 3. & 13.

CAPUT VII.

An Dei præscientia sit à rebus: & an res sint ab ejus scientia. Et quomodo mala sint à Deo.

REstat nunc ut consideremus, cùm Deus omnia præscire sive scire credatur, utrùm ejus scientia sit à rebus, * an res habeant esse ab ejus scientia. Nam si Deus à rebus habet scientiam; sequitur quòd illæ priùs sint quàm ejus scientia, & sic à Deo non sint, à quo nequeunt esse nisi per ejus scientiam. Si verò quæcunque sunt, à scientia Dei sumunt essentiam: Deus factor & * auctor est malorum operum; & ideo * non justè punit malos: quod non suscipimus. Hæc autem quæstio facilè solvi potest, si priùs cognoscitur bonum, quod est justitia, verè aliquid esse; malum verò, quod est injustitia, * omni carere existentia. Quod in tractatu * de casu diaboli: & in libello quem de conceptu virginali & peccato originali titulavi, * apertissimè monstravi. Non est enim injustitia qualitas, aut actio, aut aliqua essentia, sed tantùm absentia debitæ justitiæ; nec est nisi in voluntate, ubi debet esse justitia. Per quam voluntatem * justam vel injustam, dicitur omnis rationalis natura, & quælibet ejus actio, justa vel injusta. Omnis quippe qualitas, * & omnis actio, & quicquid aliquam habet essentiam, à Deo est, à quo est omnis justitia, & nulla injustitia: facit igitur Deus omnia quæ justâ vel injustâ voluntate fiunt, id est, bona opera & mala. In bonis quidem facit quod sunt, & quod bona sunt; in malis verò facit quod sunt, sed non quod mala sunt. Nam omni rei esse justam vel bonam, est aliquid esse; nulli verò rei est esse aliquid, injustam vel malam * esse. Siquidem bonum vel justum esse, est justitiam habere: quod est aliquid. Malùm verò esse vel injustum, est non habere justitiam quam debet habere: quod non est aliquid. Justitia namque aliquid est; injustitia verò nihil, * sicut dixi. Est autem * aliud bonum, quod dicitur commodum, cujus contrarium est malum, quod est incommodum. Hoc malum aliquando nihil est, ut cæcitas: aliquando est aliquid, ut dolor. Sed hoc malum, cùm aliquid est, Deum facere non negamus: quia ipse est, sicut legitur, faciens pacem, & creans malum. Ipse namque creat incommoda, quibus exercet & purgat justos, & punit injustos. Itaque de illo tantùm malo, quod est injustitia, per quam dicitur injustum, certum est quia nunquam est aliquid; nec alicui rei est esse aliquid, injustam esse. Et sicut Deus non facit injustitiam, ita non facit aliquid injustum esse: qui tamen facit omnes actiones & omnes motus, quia ipse facit res à quibus, & ex quibus, & per quas, & in quibus fiunt; & nulla res habet ullam potestatem volendi aut faciendi, nisi illo dante. Ipsum quoque velle, quod aliquando justum est, aliquando injustum, nec est aliud quàm uti potestate volendi & voluntate, quas Deus dat; in quantum est,

Cap. 12.
Cap. 3. & 13.
Cap. 3. 4. & 5.
Cap. 6. 7. 8.
al. fortitudinem alias rectitudinem
al. ab
al. necessitate aut necessitatis vi impellente
al. neque ullâ vi fieri potest
al. facit, vult. Unde
al. & justa
al. aut ut habeat
al. actor
al. ideo juste
al. omnino
Cap. 9. 10. 11. 16.
al. apertissimè
al. justitia vel injustitia
al. omit. esse
supra
al. aliquod
Isa. 45.
al. de malo

Digitized by Google

bonum est, & à Deo est. Quod tunc quidem quando rectè est, bonum & justum est: quando verò non rectè, hoc solo quia non rectè est, malum est & injustum. Est autem aliquid rectè esse, & hoc est à Deo: non esse verò rectè, non est aliquid, nec est à Deo. Nam sicut cùm aliquis utitur gladio, aut lingua, aut potestate loquendi; * non est aliud gladius, aut lingua, sive potestas, cùm rectus est eorum usus; aliud, cùm non est rectus: ita voluntas; qua utimur ad volendum, sicut ratione utimur ad ratiocinandum, non est aliud, quando quis illa rectè utitur; & aliud, quando non rectè; nec magis, nec minùs est hoc quod est essentialiter, cùm est justa; quàm cùm injusta est voluntas, per quam dicitur aut substantia aut actio justa vel injusta. Sic itaque facit Deus in omnibus voluntatibus & operibus bonis, & quod essentialiter sunt, & quod bona sunt; in malis verò non quod mala sunt, sed tantùm quod per essentiam sunt. Quemadmodum enim * non est essentia rerum, nisi à Deo; ita non est rectâ, nisi ab ipso. Hujus verò rectitudinis, de qua loquor, absentia, quæ est injustitia, non est nisi in voluntate rationalis creaturæ, quæ semper debet habere justitiam. Cur autem non habeat, quam semper debet habere: & quomodo Deus bona faciat, solâ * suâ bonitate, & malâ * solâ culpâ hominis vel diaboli: & qualiter homo bona faciat per liberum arbitrium, præsulante gratiâ; & malum solâ suâ operante propriâ voluntate: & quid habeat Deus in malis, * sine culpa sua; & homo in bonis, cum laude sua; * ut tamen bona hominis videantur apertè imputanda Deo, & mala homini: cùm de gratia & libero arbitrio * tractabimus, ut puto Deo donante, apertiùs patebit. Nunc autem tantùm dico quòd malus Angelus ideò justitiam non habet, quia eam deseruit, nec postea recepit: homo verò idcirco illâ caret, quia in primis parentibus eam abjecit, postea aut non illam recepit, aut receptam rejecit. Puto quia, gratiâ Dei adjuvante, monstravimus quòd præscientiam Dei & liberum arbitrium simul esse, si diligenter considerentur quæ diximus, non sit impossibile, neque possit aliquid objici, quod non sit dissolubile.

al. omit. est

al. omit. sua

al. non sua culpa, sed hominis

al. sive .. & tamen

al. tractabimus

QUÆSTIO II.

De Concordia prædestinationis cum libero arbitrio.

NUnc ergo in eo sperantes, qui huc usque nos perduxit, discordiam, quæ inter prædestinationem & liberum arbitrium videtur esse, aggrediamur dissolvere. Ad quod per ea quæ supra deseruimus, sicut in sequentibus patebit, non parum profecimus.

al. Cap. 2.

CAPUT I.

Ratio dubitandi circa libertatis & prædestinationis concordiam.

Prædestinatio idem est quod prærdinatio, sive præstitutio.

PRædestinatio videtur idem esse quod prærdinatio, sive præstitutio: & ideo quod Deus prædestinare dicitur, intelligitur prærdinare: quod est statuere futurum esse. Quod autem Deus statuit futurum esse, necessitate videtur futurum esse: quare quicquid Deus prædestinat, necesse est futurum esse. Si ergo Deus prædestinat bona & mala quæ fiunt, nihil fit per liberum arbitrium; sed omnia ex necessitate. At si tantùm bona prædestinat; sola bona sunt ex necessitate, nec est liberum arbitrium nisi ad mala: quod nimis est absurdum. Non ergo sola bona prædestinat Deus. Si autem bona quædam opera facit liberum arbitrium, per quæ fiunt justi absque prædestinatione; non prædestinat Deus omnia bona opera, quæ justos faciunt, quare nec illos justos, qui sunt per opera liberi arbitrii. Non ergo præscivit Deus eos: quia *quos præscivit,* Rom 8 v. 29. *hos & prædestinavit.* Sed falsum est Deum non præscire aliqua bona opera, aut aliquos justos. Non igitur quædam solius liberi arbitrii opera bona justificant, sed illa sola quæ Deus prædestinat. Si ergo Deus prædestinat omnia, & prædestinata sunt ex necessitate; cùm nihil per liberum arbitrium necessitate fiat, sequi videtur nihil esse liberum arbitrium, manente prædestinatione; aut si statuimus in aliquibus liberum arbitrium, perire in illis prædestinationem.

CAPUT II. al. Cap. 3.

Prædestinatio non solùm bonorum est; sed & malorum potest dici.

IMprimis itaque ante quæstionis responsionem; videndum est quia prædestinatio nun solùm bonorum est, sed & malorum potest dici: quemadmodum Deus mala quæ non facit, dicitur facere, quia permittit. Nã dicitur hominem indurare, cùm non emollit; ac inducere in tentationem, cùm non liberat. Non est ergo inconveniens * si hoc modo dicimus Deum prædestinare malos. & eorum mala opera, quando eos & eorũ mala opera nõ corrigit. Sed bona specialiùs præscire, & prædestinare dicitur, quia in illis facit quod fit. & quod bona sunt; in malis autem non nisi quod sunt essentialiter, non quod mala sunt: ut * suprà dictum est. Sciendum quoque est quia sicut præscientia non *in* Deo dicitur propriè; ita nec prædestinatio: quia illi nec *ante*, nec *post* aliquid est; sed omnia sunt illi simul præsentia.

qu. 2. cap. 7.

CAPUT III. al. Cap. 10.

Prædestinatio cum libertate conciliatur eodem modo quo præscientia.

COnsideremus nunc an aliqua possint predestinari, per liberum arbitrium futura. Dubitari * utique non debet quia ejus prædestinatio, & præscientia non discordat; sed sicut præscit, ita quoque prædestinat. In quæstione de præscientia cognovimus apertè aliqua præsciri futura per liberum arbitrium, sine omni repugnantia. Unde veritas quoque evidens, & ratio docet prædestinari similiter per liberum arbitrium quædam futura, absque omni inconvenientia. Nam neque præscit Deus, neque prædestinat * quemquam justum futurum * ex necessitate. Non enim habet justitiam, qui eam non servat liberâ voluntate. Pariter igitur, quamvis necesse sit fieri quæ præsciuntur, & quæ prædestinantur; quædam tamen præscita & prædestinata non eveniunt eâ necessitate, quæ præcedit rem & facit, sed eâ quæ rem sequitur: sicut suprà diximus. Non enim ea Deus, quamvis * prædestinet, facit voluntatem cogendo, aût voluntati resistendo; sed in sua illam potestate dimittendo Quamvis tamen suâ voluntas utatur potestate; nihil tamen facit, quod Deus non * faciat in bonis suâ gratiâ, in malis non suâ, sed ejusdem voluntatis culpâ; quod, sicut promisimus, clariùs, cùm de gratia loquemur, apparebit. Et sicut præscientia quæ non fallitur, non præscit nisi verum * sicut erit, aut necessarium, aut spontaneum; ita prædestinatio quæ non mutamur, non prædestinat nisi sicut est in præscientia. Et quemadmodum quod præscitur, licet in æternitate sit immutabile, tamen in tempore aliquando antequam sit, mutari potest; ita est per omnia de prædestinatione. Patet igitur ex his quæ dicta sunt, si bene considerentur. quia nec prædestinatio excludit liberum arbitrium, nec liberum arbitrium adversatur prædestinationi. Siquidem omnia illa, quibus suprà monstravimus liberum arbitrium præscientiæ non repugnare, pariter ostendunt illud prædestinationi concordare. Non ergo rationabiliter,

al. quemadmodum

al. sed quod

Google

quotiens aliquid contingit, operante spontaneâ voluntate, velut cùm homo homini facit injuriam unde ab illo occiditur, quidam clamant dicentes: Sic præscitum, & prædestinatum erat à Deo; & ideo necessitate factum est, nec aliter fieri potuit. Quippe nec qui alium injuriâ irritavit, nec qui se vindicavit, hoc fecit necessitate, sed sola voluntate; quia si non sponte voluisset, neuter quod fecit fecisset.

QUÆSTIO III.

De concordia gratiæ & liberi arbitrii.

REstat nunc ut de gratia & eodem libero arbitrio, eâdem gratiâ adjuvante, conlideremus.

al. Cap. 11.

CAPUT I.

Proponitur difficultas ex Scripturis circa gratiæ & libertatis concordiam.

QUæstio ista inde nascitur, quia Divina Scriptura ita loquitur aliquando, ut nihil videatur liberum arbitrium prodesse ad salutem, sed sola gratia: aliquando verò ita, velut tota nostra salus in libera nostrâ consistat voluntate. De gratia siquidem dicit Dominus: *Sine me nihil potestis facere.* Et, *Et nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Et Paulus Apostolus: *Quid autem habes quod non accepisti?* Et de Deo: *Cujus vult miseretur, & quem vult indurat: & neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Multa quoque alia leguntur, quæ soli gratiæ sine libero arbitrio bona nostra opera* & salutem nostram videntur attribuere. Plures etiam asserunt experimento se probare quòd homo nequaquam ullo libero fulciatur arbitrio; quoniam* multos absque numero, immenso mentis & corporis conatu* niti sentiunt; qui quadam difficultate, imò impossibilitate aggravati nihil proficiunt, aut post magnum profectum repente irreparabiliter deficiunt. Liberum autem arbitrium monstrat eadem Scriptura nos habere hoc modo. Dicit Deus per Esaiam: *Si volueritis, & audieritis me,* * *bona terræ comedetis.* Et David: *Quis est homo, qui vult vitam: diligit dies videre bonos? Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Diverte à malo, & fac bonum.* Et Dominus in Evangelio: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.* Plura etiam alia & innumerabilia sunt, quæ videntur liberum arbitrium ad bene operandum excitare; & * quia monita contemnit, exprobrare: quod auctoritas Divina nequaquam faceret, si voluntatis libertatem nullam in homine cognosceret. Sed nec ullo modo esset, cur Deus bonis vel malis, pro meritis singulorum, justè retribueret; si per liberum arbitrium nullus bonum, vel malum faceret. Quoniam ergo in sacra Scriptura quædam invenimus, quæ soli gratiæ favere videntur; & quædam, quæ solum liberum arbitrium statuere sine gratia, putantur: fuerunt quidam superbi, qui totam* virtutum efficaciam in sola libertate arbitrii consistere sunt arbitrati: & sunt nostro tempore multi, qui liberum arbitrium esse aliquid penitus desperant. In hac itaque quæstione hæc erit* nostra intentio; ut liberum arbitrium simul esse cum gratia, & cum ea operari in multis monstremus: sicut illud cum præscientia atque prædestinatione concordare reperimus.

Joann. 15. v. 5. — 1 Ibid. 6. v. 44. & 66. 1. Cor. 4. v. 7. — Rom. 9. v. 18 & 16.

al. ad

al. multi — al. nituntur, ut bene vivant, qui

Isa. 1. v. 19. — Psal. 33. v. 13 & 14. & 15.

Matt. 11. v. 28 & 29.

al. qui

al. virtutem &

al. omit. nostra

al. Cap. 12.

CAPUT II.

De libertate arbitrii, sine qua salutem nemo meretur; & de gratia, sine qua nullus salvatur homo, hîc agitur.

SCiendum est quia sicut non de alio libero arbitrio* fit hæc, ut suprà dixi, quæstio nisi, de illo sine quo salutem nemo meretur, postquàm intelligibilem habet ætatem: ita non de alia gratia, quam de illa, sine qua nullus salvatur homo. Omnis enim creatura gratiâ exstitit, quia gratis facta est: & multa bona dat Deus per gratiam in hac vita, sine quibus homo salvari* potest. In infantibus quidem, qui baptizati moriuntur antequam suo possint uti libero arbitrio, non apparet concordia, quam quærimus: quoniam in illis gratia sola operatur salutem, sine illorum libero arbitrio. Nam hoc quoque gratia est quia datur aliis voluntas, ut illis suâ fide subveniant. In habentibus itaque intelligibilem ætatem, monstrandum est quod investigamus: quia de his solùm versatur hæc quæstio. Quicunque autem ex his salvantur, per justitiam salvari dubium non est. Justis enim promittitur vita æterna: quia *justi in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum.* Quòd autem justitia sit rectitudo voluntatis,* sacra sæpe monstrat auctoritas. Qua de re sufficit unum exemplum proponere: cùm enim dixisset David: *Non repellet Dominus plebem suam, & hæreditatem suam non derelinquet, quoadusque justitia convertatur in judicium*, ut doceret nos quid esset justitia, interrogando ait: *Et qui juxta illam?* Ad quod ipse sibi respondens ait, *Omnes qui recto sunt corde:* hoc est, qui rectâ sunt voluntate. Quamvis enim corde credamus & intelligimus, sicut corde volumus; non tamen judicat Spiritus sanctus illum rectum habere cor, qui rectè credit & intelligit, & non rectè vult: quia non utitur rectitudine fidei & intellectus ad rectè volendum, propter quod datum est rationali creaturæ rectè credere & intelligere. Nam neque rectum intellectum dicendus est habere, qui secundum illum* non rectè vult: neque dicitur facere fidem, nisi mortuam, qui secundùm fidem non rectè vult operari; propter quod fides dicitur, & datur. Rectè igitur* intelligimus David dixisse rectos corde, rectos voluntate. Sed ne quis existimet auctoritate Divinâ dici justum illum, vel rectum, qui non nisi propter* aliud tenet rectitudinem voluntatis; dicimus justitiam rectitudinem esse voluntatis propter se servatâ: qui enim solum propter* aliud illam servat, non eam diligit, sed* illud propter quod illam servat; & ideo non est dicendus justus, nec talis rectitudo nominanda est justitia. Quando de præscientia & libero arbitrio* tractabamus, exemplo quodam monstravimus esse posse simul rectitudinem hanc, quam voco justitiam, & liberum arbitrium: per quod planum est intelligere in aliis multis similiter esse. Si ergo possumus ostendere nullam creaturam hanc adipisci posse rectitudinem, nisi per gratiam; manifesta erit inter gratiam & liberum arbitrium, ad salvandum hominem, concordia quam quærimus.

al. sit hoc ut supra dixi, quam de

al. non potest

al. secundum illum non vult operari

al. aliquid

al. aliquid

al. aliud

p. 1. cap.

CAPUT III.

al. Cap.

Rectitudo, quâ salutem consequimur, non nisi per gratiam obtinetur.

DUbium* utique non est quia voluntas non vult rectè, nisi quia recta est. Sicut namque non est acutus visus, quia videt acutè; sed ideo videt acutè, quia acutus est: ita voluntas non est recta, quia vult rectè; sed rectè vult, quoniam est recta. Cùm autem vult hanc rectitudinem, proculdubio rectè vult: non ergo vult rectitudinem, nisi quia recta est: idem autem

al. itaque

Digitized by Google

tem est voluntati rectam esse, & rectitudinem habere. Palàm igitur est quia non vult rectitudinem, nisi quia rectitudinem habet. Non nego voluntatem rectam velle rectitudinem, quam nondum habet, quando
al. sed illud dico
vult majorem, quàm habeat: sed * dico nullam eam posse velle rectitudinem; si non habet rectitudinem, qua illam velit. Consideremus nunc utrum aliquis hanc rectitudinem non habens, eam aliquo modo à se habere possit. Utique à se illam habere nequit, nisi aut volendo, aut non volendo. Volendo quidem nullus valet eam per se adipisci; quia nequit eam velle, nisi illam habeat. Quòd autem aliquis non habens rectitudinem voluntatis, illam valeat per se non volendo assequi, mens nullius accipit. Nullo igitur modo potest eam creatura habere à se. Sed neque creatura valet eam habere ab aliâ creatura. Sicut namque creatura nequit creaturam salvare; ita non potest illi dare
al. potest eam salvare
per quod * debeat salvari. Sequitur itaque quia nulla creaturâ rectitudinem habet, quam dixi voluntatis, nisi per gratiam. Hanc autem rectitudinem per liberum arbitrium servari posse, sicut suprà dixi, monstravimus. Deo igitur largiente invenimus gratiam ejus, ad salvandum hominem, cum libero arbitrio concordare; ita ut gratia sola possit hominem salvare, nihil ejus libero arbitrio agente (sicut fit in infantibus) &
al. in non intelligentibus
in * non-intelligentibus ipsa semper adjuvet liberum arbitrium naturale, quod sine illa nihil valet ad salutem, dando voluntati rectitudinem quam servet per liberum arbitrium. Et quamvis non omnibus det; quoniam *cui vult miseretur & quem vult indurat*: nulli tamen dat pro aliquo præcedenti merito; quoniam *quis prior Deo dedit, & retribuetur ei?* Si autem voluntas, per liberum servando arbitrio quod accepit, meretur aut augmentum acceptæ justitiæ, aut etiam potestatem pro bona voluntate, aut præmium aliquod: hæc omnia fructus sunt primæ gratiæ, & gratia pro gratia; & ideo totum imputandum est gratiæ, quia *nequè volentis* est, quod vult: *nequè currentis* est, quod currit; *sed miserentis est Dei.* Omnibus enim, excepto solo Deo dicitur: *Quid habes quod non accepisti?* * *Si autem accepisti: quid gloriaris, quasi non acceperis?*

Rom. 9. v. 18. Rom. 11. v. 35. Rom. 9. v. 16. 1 Cor. 4. v. 7.

al. Cap. 14.

CAPUT IV.

Eadem rectitudo nonnisi per gratiam conservatur.

QUomodo quidem libertas voluntatis tenentis acceptam rectitudinem, nullâ necessitate ut illam deserat, expugnetur, sed difficultate impugnetur,
al. voluntati
nec cide * difficultati invita, sed volens, cedat: in tractatu de libertate arbitrii puto me ostendisse. Quibus
Cap. 5. 6. 7. 8. & 9.
autem modis, post eandem rectitudinem acceptam, liberum arbitrium gratia adjuvet, ut servet quod accepit; quamvis non omnes valeam enumerare, multifariam enim hoc facit; tamen non erit inutile aliquid
al. mihi
* inde dicere. Nemo certè servat rectitudinem hanc acceptam, nisi volendo; velle autem illam aliquis nequit, nisi habendo: habere vero illam nullatenus valet, nisi per gratiam. Sicut ergo illam nullus accipit, nisi gratiâ præveniente: ita nullus eam servat, nisi eâdem gratiâ subsequente. Nempe quamvis illa servetur per liberum arbitrium; non tamen est tantùm imputandum libero arbitrio, quantùm gratiæ, cùm hæc rectitudo servatur: quoniam illam liberum arbitrium non nisi per gratiam prævenientem & subsequentem habet, & servat. Sic autem gratia subsequitur donum suum, ut nunquam, sive parvum, sive magnum sit, illud dare deficiat; nisi liberum arbitrium
al. cum aliud
volendo * aliud, rectitudinem quam accepit, deserat. Nunquam enim separatur hæc rectitudo à voluntate, nisi quando aliud vult, quod huic rectitudini non concordat: sicut cùm quis accipit rectitudinem volendi sobrietatem, & rejicit eam volendo immoderatam bibendi voluptatem. Quod cùm facit suâ voluntate, & ideo suâ culpâ, perdit gratiam, quam accepit. Adjuvat etiam gratia liberum arbitrium, quando ut deleat rectitudinem acceptam impugnatur, mitigando aut penitus removendo vim tentationis impugnantis; aut augendo affectum ejusdem rectitudinis. Denique cùm omnia subjaceant dispositioni Dei; quicquid contingit homini, quod * adjuvet liberum arbitrium ad accipiendum aut ad servandum hanc, de qua loquor, rectitudinem, * totum gratiæ imputandum est. Dixi
al. suæ gratiæ
omnem justitiam esse rectitudinem voluntatis propter se servatam. Unde sequitur omnem habentem hanc rectitudinem, habere justitiam; & esse justum: quoniam omnis habens justitiam justus est. Non tamen sentio justis omnibus promissam esse vitam perpetuam; sed illis tantùm qui sunt justi sine omni injustitia. Illi enim propriè & absolutè dicuntur justi & recti corde. Est enim aliquis secundùm aliquid justus, & secundùm aliquid injustus; ut qui callus est * & invidus.
al. est invidus.
Talibus non promittitur beatitudo justorum: quoniam sicut vera beatitudo est sine omni indigentia; ita nulli datur nisi justo sine omni injustitia. Nam quoniam beatitudo quæ justis promittitur, erit similitudo Angelorum Dei: sicut in Angelis bonis nulla est injustitia; ita nullus illis sociabatur cum aliqua injustitia. Quomodo autem fiat homo sine omni injustitia, non est hujus nostri propositi ostendere. Scimus tamen hoc per sancta studia Christiano, & per gratiam Dei esse possibile.
al. perfecto studio hoc

CAPUT V.

al. Cap. 15.

Elucidantur Scripturæ, quæ soli gratiæ, & quæ soli libertati factæ contrariæ videntur.

SI benè considerentur quæ dicta sunt, apertè cognoscitur quia cùm aliquid dicit sacra Scriptura pro gratia, non amovet omnino liberum arbitrium; neque cùm loquitur pro libero arbitrio, excludit gratiam: quasi sola gratia, aut liberum arbitrium solum sufficiat ad salvandum hominem, sicut videtur illis qui hanc faciunt quæstionem. Ita quippe intelligenda sunt dicta divina; ut, hoc excepto quod dixi de infantibus, nec sola gratia, nec solum liberum arbitrium salutem hominis operetur. Quippe cùm dicit Dominus: *Sine me nihil potestis facere*, non
Joan. 15.
ait: nihil valet vobis vestrum liberum arbitrium; sed, nihil * potest sine mea gratia. Et cùm legitur: *Nequè volentis, nequè currentis, sed miserentis est Dei*: non
al. prodest
Rom. 9.
negatur in volente, * & in currente aliquid prodesse
al. neque
liberum arbitrium; sed significatur non esse imputandum libero arbitrio, quòd vult & quòd currit, sed gratiæ. Nam cùm ait: *Nequè volentis, nequè currentis est*, subaudiendum est, *quòd vult, & quòd currit*: velut cùm aliquis nudo, cui nihil debet, & qui nullum à se potest indumentum habere, dat vestem: nõ tamen, quamvis ipse habeat potestatem utendi & non utendi acceptâ veste, si eâ utitur, imputandum est induto quia indutus est, sed danti vestem. Quapropter ita dici potest: *Non est induti quòd est in illo, sed miserentis*; id est, vestem dantis. Multò verò magis hoc diceretur, si ille qui dedit vestem, dedisset etiam potestatem servandi eam & utendi: sicut Deus homini, cùm dat rectitudinem * sæpefatam, dat etiam potestatem servandi & utendi: quia dedit prius liberum arbitrium ad servandum illam & utendum. Si verò nudo cui nihil * debebatur, non daretur vestis;
al. debetur
aut si ipse acceptam projiceret; nulli nisi ipsi imputaretur ejus nuditas. Ita cùm Deus alicui concepto & nato in peccato, cui nihil nisi pœnam debet, dat velle & currere; non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: & qui eandem gratiam non accipit, aut acceptam rejicit; ejus est, non Dei, quòd in sua duritia & iniquitate permanet. Idem intellectus habendus est in aliis, in quibus Scriptura loquitur pro

gratia, ut, scilicet, liberum non excludatur arbitrium. Similiter quando ita loquuntur divina dicta, ut libero arbitrio soli videantur salutem hominis attribuere; nullo intellectu gratia separanda est. Sicut ergo quamvis naturalis usus non procreet prolem sine patre, nec nisi per matrem; non tamen removet ullus intellectus aut patrem, aut matrem à generatione prolis: ita gratia & liberum arbitrium non discordant, sed conveniunt ad justificandum & salvandum hominem.

al. Cap. 11.

CAPUT VI.

Quomodo non sit supervacaneum homines ad fidem, & ad ea quæ fides exigit, invitare.

IN his tamen, in quibus videtur Scriptura liberum arbitrium ad rectè volendum & operandum invitare, difficultas est. * Quæritur cur hominem invitat ad rectè volendum, & quare * arguit non obedientem; cùm ipsam rectitudinem nemo possit, nisi gratiâ dante, habere vel accipere? Sciendum quia sicut terra innumerabiles herbas & arbores, sine quibus humana natura alitur, aut etiam quibus perimitur, sine omni hominis cura profert; * illas verò, quæ nobis ad vitam nutriendam maximè sunt * necessariæ, non sine magno labore, atque cultore, nec absque seminibus: ita corda humana sine doctrina sive studio sponte quasi germinant cogitationes & voluntates nihil utiles saluti, aut etiam noxias; illas verò, sine quibus ad salutem animæ non proficimus, nequaquam sine generis sui semine, & laboriosa cultura concipiunt & germinant. Unde illos homines, quibus talis cultura 2. Cor. 3. v. 9 impenditur, agriculturam Dei vocat Apostolus. Est autem semen hujus agriculturæ verbum Dei: imò non verbum, sed sensus qui percipitur per verbum: Vox namque sine sensu nihil constituit in corde. Nec solùm sensus verbi, sed omnis sensus, vel intellectus rectitudinis, quem mens humana sive per auditum, sive per lectionem, sive per rationem, sive quolibet alio modo concipit, semen est rectè volendi. * Nullus namque velle potest, quod priùs corde non concipit: velle autem credere quod est credendum, est rectè posse rectè velle. Nemo ergo * potest hoc velle, si nescit * quod credendum est. Cùm enim præmisisset Apostolus: *Omnis quicunque invocaverit nomen Domini,* Rom. 10. *salvus erit*: subjunxit; *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur?* Et paulò post: *Ergo fides ex auditu: auditus verò per verbum Christi.* Quòd autem dicit fidem esse ex auditu, intelligendum est quia fides est ex hoc quod concipit mens per auditum: neque ita ut sola conceptio mentis faciat fidem in homine; sed quia fides esse nequit sine conceptione. Additâ namque rectitudine volendi conceptioni per gratiam, fit fides: quia credit quod audit. Auditus autem est per verbum Christi, hoc est, per verbum prædicantium Christum. Prædicantes verò non sunt nisi mittantur: sed quòd mittuntur, gratia est. Quapropter & prædicatio * gratia est: quia gratia est quod descendit ex gratia; & auditus est gratia, & intellectus ex auditu gratia, & rectitudo volendi gratia est. Verùm missio, prædicatio, auditus, intellectus, nihil sunt nisi voluntas velit quod mens intelligit: quod voluntas facere nequit, nisi acceptâ rectitudine: rectè namque vult, cùm vult quod debet. Ita quod mens ex auditu verbi concipit, est semen prædicantis; & rectitudo est incrementum 1. Cor. 3. quod Deus dat, sine quo *neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat, Deus.* Sicut ergo Deus in principio per miraculum fecit frumentum, & alia de terra nascentia, ad alimentum hominum, sine cultore & seminibus: ita sine humana doctrina mirabiliter fecit corda Prophetarum, & Apostolorum, necnon & * Evangelistarum, fœcunda salutaribus seminibus: unde accipimus quicquid salubriter in agricultura Dei ad alimentum animarum * seminamus; sicut non nisi de primis terræ seminibus habemus, quod ad nutrimentum corporum propagamus. Siquidem nihil * utiliter ad salutem spiritualem prædicamus, quod sacra Scriptura Spiritus sancti miraculo fœcundata non protulerit, aut intra se non contineat. Nam si quid ratione dicamus aliquando, quod in dictis ejus apertè monstrare, aut ex ipsis probare nequimus; hoc modo per illam cognoscimus utrùm sit accipiendum aut respuendum. Si * enim aperta ratione colligitur, & * illa ex nulla parte contradicit: quoniam ipsa sicut nulli adversatur veritati; ita nulli favet falsitati: hoc ipso quia non negat quod ratione dicitur, ejus auctoritate suscipitur. At si ipsa nostro sensui indubitanter repugnat: quamvis nobis ratio nostra videatur * inexpugnabilis, nullâ tamen veritate fulciri credenda est. Sic itaque sacra Scriptura omnis veritatis, quam ratio colligit, auctoritatem continet: cùm illam aut apertè affirmat, aut nullatenus negat. Videamus nunc in exemplis quomodo verbum sit semen. * Cùm audiunt quibus dicitur: *Si volueritis, & audieritis me*, intelligunt & cogitant quod dicitur velle & audire; hoc est, obedire: qui enim audit & non obedit, dicitur non audire. Sed obedire nequeunt nisi velint: velle autem obedire, est rectè velle: rectè verò velle nemo potest, nisi habeat rectitudinem voluntatis, quam nullus habet homo, nisi per gratiam. Verùm rectitudo volendi aliquid nulli datur, nisi intelligenti velle, & quod velle debet. * Videmus itaque quod dictum est; *Si volueritis & audieritis me:* semen esse nequaquam per se ad aliquem fructum germinans sine adjectione, rectitudinis; nec ipsam rectitudinem dari, nisi seminibus. Similiter cùm dicit Deus: *Convertimini ad me*: semen est sine germine, quamdiu hominis voluntatem non convertit Deus ad volendum conversionem, quam cogitat, cùm audit, *convertimini*: sine quo semine nullus potest velle converti. Dicitur etiam conversis, *convertimini?* aut ut magis convertantur, aut ut servent quod conversi sunt. Qui verò dicunt, converte nos Deus; jam aliquatenus conversi sunt: quia rectam voluntatem habent, cùm volent converti; sed orant * per hoc quod jam acceperunt, ut augeatur * eorum conversio: sicut illi qui credentes, *auge nobis fidem*, dixerunt. Ac si dicerent illi, & isti: auge in nobis quod dedisti; perfice quod cœpisti. Quod de his ostendi, similibus quoque intelligendum est. Sicut igitur terra non germinat naturaliter ea, quæ maximè necessaria sunt saluti corporis nostri, sine seminibus: & licet Deus non det incrementum omni semini; non tamen cessant agricolæ nostri seminare in spe messis aliquantulæ: ita terra cordis humani non profert fructum fidei & justitiæ sine congruis seminibus: & quamvis Deus non faciat cuncta hujusmodi semina germinare, tamen præcipit agricolis suis in spe instantissimè verbum suum seminare. Ostendimus, ut puto, quomodo non sit * supervacaneum homines ad fidem Christi, & ad ea quæ fides hæc exigit invitare: quamvis non omnes hanc invitationem suscipiant.

CAPUT VII.

al. Cap. 17.

Quòd justè arguantur qui invitati reluctantur: quamvis sine quo invitationem nequeant absque gratia.

DIxi etiam * posse quæri cur arguantur illi, qui verbum Dei non suscipiunt; cùm hoc facere nequeant nisi gratiâ eorum voluntates dirigente. Dicit enim

al. quia cur invitet ... arguat

al. illa ... necessaria

al. dicitur

al. rectè posse

Rom. 10.

Fides non sit conceptus verbi, sed per gratiam fit

al. gratia

al. posse quare

Digitized by

Joan. 16. v. 9 al. credunt

Dominus de Spiritu ſancto : *Ille arguet mundum de peccato, quia non* * *crediderunt in me.* Ad quod licet forſitan difficile ſit reſpondere ; quod tamen Deo dante poſſum, tacere non debeo. Notandum eſt quia impotentia quæ deſcendit ex culpa non excuſat impotentem, culpâ manente. Unde in infantibus, in quibus exigit Deus à natura humana juſtitiam, quam accepit in primis parentibus cum poteſtate ſervandi illam in omnem prolem ſuam, non excuſat eam impotentia habendi juſtitiam : quoniam propter culpam in hanc corruit impotentiam : hoc ipſum namque, quia non habet quod per ſe reſumere nequit, * eſt illi habendi impotentia ; in * quam ideo cecidit, quia ſponte deſeruit quod ſervare potuit. Quoniam ergo peccando deſeruit juſtitiam ; ad peccatum illi imputatur impotentia, quam ipſa peccando ſibi fecit. Nec ſolùm impotentia juſtitiam habendi, ſed etiam impotentia illam intelligendi, ſimiliter in non baptizatis imputatur ad peccatum ; quoniam pariter deſcendit à peccato. Poſſumus etiam rationabiliter aſſerere quia quòd à primâ conditionis humanæ dignitate, ac fortitudine, atque pulchritudine, minorata & corrupta eſt, illi ad culpam imputatur. Per hoc namque minoravit, quantùm in ipſa fuit, honorem & laudem * Dei. Quippe ſecundùm dignitatem operis, laudatur & prædicatur ſapientia * artificis. Quantò igitur natura humana pretioſum opus Dei, unde ipſe glorificandus erat, in ſe minoravit atque fœdavit; tantò ſuâ culpâ Deum exhonoravit. Quod illi ad tantum * ſtatuitur peccatum, ut non nili per mortem Dei deleatur. Siquidem ipſos motus, ſive appetitus, quibus propter peccatum Adæ, ſicut bruta animalia, ſubjacemus (quos Apoſtolus vocat * carnem & concupiſcentiam, quam invitum le tolerare manifeſtat, cùm dicit : *Quod odi illud facio*, id eſt, nolens concupiſco) ſatis oſtendit ſacta auctoritas imputari ad peccatum. Quippe cùm de ſolo motu iræ, * ſine opere vel voce, dicit Dominus : *Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio* : apertè monſtrat culpam non eſſe levem, quam tam gravis, ſcilicet, mortis ſequitur damnatio. Ac ſi dicat : Qui facit, quod homo non debet facere ; nec faceret, ſi non peccaſſet ; auferri debet ex hominibus. Et cùm Paulus de illis qui carnem, id eſt, concupiſcentias ſentiunt nolentes, ait : *Nihil damnationis eſt his, qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundùm carnem ambulant*, hoc eſt, non voluntate conſentiunt : ſine dubio * ſignificat eos ; qui non ſunt in Chriſto, ſequi damnationem, quotiens ſentiunt carnem, etiamſi non ſecundùm illam ambulant Quoniam ſic factus eſt homo, ut * eam ſentire, ſicut de ira dixi, non deberet. Si quis igitur quæ dixi, diligenter conſideret ; nullatenus eos, qui propter culpam ſuam verbum Dei ſuſcipere nequeunt, rectè arguendos dubitat.

Impotentia ex culpa veniens non excuſat, manente culpa.

al. hoc eſt illi habendum ... quia

al. Deo

al. ſtatuit

al. carnis concupiſcentiam

Rom. 7. v. 15.

al. ſive

Matth. 5. v. 22

al. ſignat

al. etiam

al. Cap. 8.

CAPUT VIII.

Quod omnis culpa & culpabilis impotentia in renatis per baptiſmum deleantur.

QUibus autem datur gratia fidei Chriſtianæ, ſicut illis in baptiſmo dimittitur originalis injuſtitia, cum qua naſcuntur : ita omnis culpa impotentiæ & totius corruptionis, quam propter peccatum primi * parentis incurrerunt, & per quam inhonoratur Deus, ignoſcitur. De nulla namque culpa ; quæ ante-baptiſmum in illis erat, poſt baptiſmum arguuntur ; quamvis ipſa corruptio & appetitus, quæ ſunt pœna peccati, non ſtatim in baptiſmo deleantur : nec ullum illis imputantur delictum poſt baptiſmum, niſi quod ſua voluntate * fecerint. Unde apparet quia corruptio, & mala quæ fuerunt pœna peccati, & poſt baptiſmum remanent, non ſunt per ſe peccata. Sola namque injuſtitia * eſt per ſe peccatum ; & illa quæ ſequuntur injuſtitiam, propter cauſam ſuam judicantur peccata, donec ipſa remittatur. Nam ſi peccata eſſent, in baptiſmo delerentur, in quo omnia peccata * Chriſti ſanguine lavantur. Item : ſi propriè peccata dicerentur ; eſſent in brutis animalibus peccata, ad quorum ſimilitudinem illa propter peccata noſtra ſuſtinet natura. Eſt & aliud quod valde timendum eſt, quod in primo peccato humanæ naturæ cognoſci poteſt. Quoniam enim homo eſt *ſpiritus vadens, & non rediens* ; poſtquam ſponte cadit (ut de voluntatariis peccatis * tantùm nunc loquar) nullo modo poteſt reſurgere, niſi gratiâ relevetur ; ſed merito ſuo de peccato in peccatum, uſque in abyſſum peccatorum ſine fundo, hoc eſt, * profundam ſine æſtimatione, demergitur, niſi miſericordia retineatur ; ita ut etiam illi bonum vertatur in odium, & * ſit ei in mortem. Unde dicit Dominus Apoſtolis : *Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit.* Et Apoſtolus. *Bonus odor ſumus Deo, aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam*, propter quod dicitur de Deo, *quia cui vult miſeretur, & quem vult indurat.* Verùm quorum miſeretur, non omnium æqualiter miſeretur ; neque quos indurat, omnes æqualiter indurat.

al. in ſanguine

Pſal. 77. v. 3.

al. profundo

Joan. 15.

2. Cor. 2.

Rom. 9.

CAPUT IX.

al. Cap. 19.

Cur peccato deleto, eſſectus ejus remaneat : & cur baptizati, atque martyres, non ſtatim incorruptibiles fiant.

CUr autem in hac vita perſeveret in nobis pœna peccati, deleto peccato ; alia quæſtio eſt. De qua licet nunc tractare non propoſuerimus, breviter tamen dico quia ſi in * incorruptionem ſtatim in baptiſmo vel in martyrio mutarentur fideles ; periret meritum ; * & homines, niſi illi qui primi ſine exemplo crederent, nullo * merito ſalvarentur. Nempe deficerent fides & ſpes, ſine quibus nullus homo habens intellectum regnum Dei mereri poteſt : fides namque & ſpes ſunt earum rerum quæ * non videntur. Cùm enim * viderent homines * eos qui ad Chriſtum converterentur ; ſtatim tranſire ad incorruptibilitatem : nullus eſſet qui ſaltem velle poſſet ſe ſubtrahere à tanta beatitudine, quam videret. Ut * ergo glorioſiùs per fidei atque ſpei meritum beatitudinem, quam deſideramus, adiſpiſcamur : manemus, quamdiu in hac vita ſumus, in hoc quod jam non imputatur ad peccatum, quamvis eveneriat * propter peccatum. Deniquenon promittitur nobis per baptiſmum & fidem Chriſtianam beatitudo, quam habebat Adam ante peccatum in paradiſo ; ſed quam habiturus erat, quando completus eſſet numerus hominum, qui aſſumendi erant ad perficiendum civitatem ſupernam, quæ & de Angelis & de hominibus eſt complenda : ubi non generabunt homines, ſicut facerent * in paradiſo. Si ergo converſi ad Chriſtum mox tranſirent in illam incorruptibilitatem ; non eſſent homines de quibus colligi poſſet ille numerus : quoniam ad beatitudinem, quam viderent, nullus poſſet non feſtinare. Hoc puto eſſe quod dicit Apoſtolus de illis : *Qui per fidem operati ſunt juſtitiam, & hi*, inquit, *omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſſionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ne ſine nobis conſummarentur.* Si enim * quæritur quod nobis melius providerit ex hoc, quia illi non acceperunt repromiſſionem : nihil convenientius reſponderi poſſe video, quàm quod ſuprà dixi : quia, * ſcilicet, ſi illis * probatis, non differretur promiſſa juſtis beatitudo ; periret meritum in illis, qui non per fidem hoc, ſed per experimentum cognoſcerent : propagatio * etiam hominum, de qua nos nati ſumus, deficeret ; quoniam omnes ad incorruptibilitatem, quam præſentem viderent, currerent. Magnum itaque bo-

al. incorruptionem

al. incorruptorum

al. modo

al. nondum

al. viderentur

al. omn. eos

al. omit. ergo

al. omit. propter

Hebr. 11. v. 39. 39. & 40.

al. quæſit

al. ſaltem... propagatus

al. enim

num nobis providit Deus, cùm sanctis testimonio fidei probatis distulit acceptionem repromissionis; ut & nos propagaremur, & maneret fides, per quam cum illis repromissionem promereremur; & simul cum illis consummaremur. Alia quoque ratio est cur baptizati, atque martyres, non statim sint incorruptibiles. Nempe si quis servum suum, quem proposuerat magnis aliquando ditare honoribus, graviter verberet pro culpa, pro qua nullo modo per se queat satisfacere; post hanc verberationem constituto tempore detrusurus eum in horrendum carcerem, ubi gravissimis torqueatur suppliciis; & sit aliquis potens apud Dominum, qui pro illo satisfaciens eum reconciliet: utique plagæ, quas reus ante satisfactionem, dum erat in culpa, meritò sustinuit, non delentur; sed majora tormenta, in quæ nondum intrusus fuerat, reconciliatione præveniente avertuntur; honores quoque, quos suo tempore acceptarus erat si non peccasset, & quibus cariturus erat post culpam, si non reconciliatur, propter perfectam satisfactionem, sicut prius statutum fuerat, sine omni immutatione traduntur. Quippe si ante reconciliationem exhæredatus esset illis honoribus, quemadmodum exhæredandus erat post culpam irrecuperabiliter, si non reconciliaretur; non haberet locum subveniendi ulla reconciliatio. Sed quoniam non potuit exhæredari honore, quem nondum habebat, nec habere debebat: hanc exhæredationem prævenire potest reconciliatio, & eam avertere. Si tamen servus ille, dum jacet in ægritudine vapulationis donec ipsa transeat, corde & ore domino suo fidelitatē & correctionem vovet, & solvit: ita est inter Deum, & hominem. Quippe quando humana natura primùm peccavit, hac pœna flagellata est, ut nunquam prolem naturaliter nisi talem, quales videmus infantes nasci, generaret; ac post hanc vitam in inferno, a regno Dei, ad quod facta erat, in perpetuum exularet: nisi aliquis illam, quod ipsa sola per se facere non poterat, reconciliaret. A quo autem reconciliari queat, non est nisi Christus. In omnibus igitur infantibus naturaliter genitis, cum peccato, & flagellata nascitur: quæ cùm ad reconciliationem accedit, flagellatio meritò remanet, quam ante reconciliationem suscepit. Quæ autem in inferno tormenta passura erat, in illis quos Christus redemit, remittuntur; & regno Dei, quod post conversationem paradisi terreni suo tempore acceptura erat, donatur: si tamen in fide, quam promittant in baptismo, usque in finem perseverent.

Illorum ratio

CAPUT X.

Quod si qui nitentes non proficiunt aut deficiunt, hoc non ex impossibilitate fiat.

QUod autem quidam experimento existimant probari nihil valere liberum arbitrium; quia multi immenso conatu nituntur ut bene vivant, & quadam (ut aiunt) impossibilitate obstante, nihil proficiunt, aut post profectum irreparabiliter deficiunt: non destruit quod rationabiliter monstratum est, liberum, scilicet, arbitrium cum gratia valere. Ut autem nitentes non proficiant, aut post profectum deficiant; non impossibilitate, sed aliquando gravi, aliquando facilè superabili difficultate fieri existimo. Sæpissime namque asserere solemus impossibile nobis esse, quod sine difficultate perficere non valemus. Si enim diligenter unusquisque motus voluntatis suæ consideret; intelliget se nunquam rectitudinem voluntatis acceptam per gratiam, nisi aliud volendo quod simul velle nequit, deserere. Quod certè non facit deficiente potestate servandi eandem rectitudinem, quæ potestas est ipsa libertas arbitrii: sed deficiente voluntate servandi, quæ per se non deficit, sed alia voluntate illam, ut dixi, expellente.

al. Cap. 10.

al. probare

al. perficiunt

al. irrecuperabiliter

al. destruunt

al. aliquid

CAPUT XI.

al. Cap. 11.

Quo sensu in homine justo vel injusto sit voluntas rectè vivendi.

QUoniam autem ista consideratio maximè versatur in voluntate; aliquid altius de voluntate, quod, ut puto, non erit inutile, dicendum existimo. Sicut habemus in corpore membra, & quinque sensus, singula ad suos usus apta, quibus quasi instrumentis utimur; ut sunt manus aptæ ad capiendum, pedes ad ambulandum, lingua ad loquendum, visus ad videndum: ita & anima habet in se quasdam vires, quibus utitur velut instrumentis ad usus congruos. Est namque ratio in anima, qua sicut suo instrumento utitur ad ratiocinandum; & voluntas, qua utitur ad volendum. Non enim est ratio vel voluntas tota anima; sed est unaquæque aliquid in anima. Quoniam ergo singula instrumenta habent & hoc quod sunt & aptitudines suas, & suos usus: discernamus in voluntate (propter quam ista dicimus) instrumentum, & aptitudines ejus, & usū ejus: quas aptitudines in voluntate possumus nominare affectiones. Affectum quippe est instrumentum volendi aptitudinibus suis. Unde dicitur hominis anima, cùm vehementer vult aliquid, affecta esse ad volendū illud, vel affectuosè velle. Voluntas itaque dici videtur æquivocè tripliciter. Aliud enim est instrumentum volendi, aliud affectio instrumenti, aliud usus ejusdem instrumenti. Instrumentum volendi est vis illa animæ, qua utimur ad volendum: sicuti est ratio instrumentum ratiocinandi quo utimur cùm ratiocinamur; & visus instrumentum videndi, quo utimur cùm videmus. Affectio hujus instrumenti est, qua sic afficitur ipsum instrumentum ad volendum aliquid, etiam quando illud quod vult non cogitat: ut si venerit in memoriam; aut statim, aut suo tempore illud velit. Nam sic est instrumentum volendi affectum ad volendum salutem, etiam quando illam non cogitat; ut mox, cùm venerit in memoriam, statim eam velit: & sic est affectum ad volendum somnum, etiam quando illum non cogitat; ut cùm venit in mentem, velit illum suo tempore. Nunquam enim ita est affectum, ut aliquando velit ægritudinem, aut ut velit nunquam dormire. In justo quoque homine similiter est affectum idem instrumentum ad volendum justitiam, etiam cùm dormit: ut cùm eam cogitat, statim eam velit. Usus verò ejusdem instrumenti est, quem non habemus, nisi cùm cogitamus rem quam volumus. Dicitur autem voluntas, & instrumentum volendi, & affectio ejus, & usus ejus. Instrumentum quidem voluntatem vocamus, quando dicimus nos convertere ad diversa voluntatem, modo scilicet, ad volendum ambulare, modò ad volendum sedere, modò ad volendum aliud & aliud. Hoc instrumentum semper habet homo, quamvis non semper illo utatur: sicut habet visum, qui est instrumentum videndi, etiam quando illo non utitur, ut cùm dormit; & cùm eo utitur, convertit illum modò ad videndum cælum, modò ad videndum terram, modò ad videndum aliquid aliud. Et sic semper habemus instrumentum ratiocinandi, hoc est, rationem, qua non semper utimur, & quam ratiocinando ad diversa convertimus. Affectio verò instrumenti volendi, dicitur voluntas; quando dicimus hominem semper habere voluntatem ut benè sibi sit: vocamus namque hic voluntatem, affectionem illam ejusdem instrumenti, qua vult homo bene sibi esse. Eodem modo sanctus homo asseritur, etiam cùm dormit & non cogitat, indesinenter habere voluntatem justè vivendi. Et, cùm hanc voluntatem asserimus aliam alio majorem habere; non aliud dicimus voluntatem, quàm illam affectionem ipsius

al. magis

al. sicut enim

al. rationalis voluntas

al. affectum.

al. affectuosè esse vel velle

al. utique

al. quæ

al. velit

al. & quando illam non cogitat applicatet ut mox.

Voluntas. 1. dicitur instrumentum seu vis illa animæ qua utimur ad volendum. 2. dicitur voluntas affectio hujus instrumenti. 3 voluntas dicitur usus hujus instrumenti.

al. convertit animum

al. hanc

al. cùm sanctus

al. vivendi dicitur

instrumenti, quà vult justè vivere. Instrumentùm * enim non est in alio majus, & in alio minus. Usus autem hujus instrumenti, voluntas nominatur: ut cùm dicit aliquis, modò habeo voluntatem legendi, id est, modò volo legere; aut, modò habeo voluntatem scribendi, hoc est, modò volo scribere. Sicut enim videre, est uti visu, qui est instrumentum videndi: & usus ejus est visio, vel visus, quando visus significat idem quod visio (significat enim etiam *visus* instrumentum ipsum) ita velle, est uti voluntate, quæ est instrumentum volendi; & usus ejus est voluntas, quæ non est nisi quando cogitamus quod volumus. Voluntas igitur quæ instrumentum est, una sola est, id est, instrumentum volendi unum solum est in homine; sicut una sola est ratio, id est, unum solum instrumentum ratiocinandi. Voluntas verò, qua instrumentum illud afficitur, duplex est. Nam sicut visus plures habet aptitudines, scilicet, ad videndū lucem, & per lucem ad videndum figuras, * ad videndum colores: ita instrumentum volendi duas habet aptitudines, quas voco affectiones: quarum una est ad volendum commoditatem; altera ad volendum rectitudinem. Nempe nihil vult voluntas, quæ est instrumentum, nisi aut commoditate aut rectitudinem. Quicquid enim aliud vult, aut propter commoditatem, aut propter rectitudinem vult; & ad has, etiam si fallatur, putat se referre quod vult. Per affectionem quidem quæ * est advolendum commoditatem, semper vult homo batitudinem & beatus esse: Per illam verò quæ * est ad volendum rectitudinem, rectitudinem vult, & rectus, id est, justus esse. Propter commoditatem autem vult aliquid: ut cùm vult arare vel laborare, ut habeat unde tueatur vitam & salutem, quæ commoda judicat esse. Propter rectitudinem verò: ut cùm vult * cum labore discere, ut sciat rectè, id est, justè vivere. Voluntas verò, quæ est usus expedicti instrumenti, non est nisi cùm cogitat aliquis quod vult, ut dictum est. Hujus voluntatis multiplex est divisio: de qua non modo, sed forsitan aliàs dicemus. Velle autem æquivocum est, sicut videre: quemadmodum namque dicitur videre, qui utitur visu; & qui non utitur; sed qui habet aptitudinem videndi: ita asseritur velle, & qui utitur instrumento volendi cogitando quod vult; & qui non utitur, quoniam affectionem, hoc est, aptitudinem habet volendi. Per hoc etiam cognosci potest aliam esse voluntatem instrumentum volendi, aliam ejus affectionem, aliam usum ejusdem instrumenti: quia si dicitur justus homo, etiam cùm dormit & nihil cogitat, habere voluntatem justè vivendi; & injustus homo negatur habere, cùm dormit, voluntatem justè vivendi: eadem voluntas negatur de injusto, quæ asseritur de justo. * Palàm autem est quia cùm dicimus non esse in injusto dormiente voluntatem justè videndi; non negatur in eo esse voluntas, quam dixi instrumentum: quoniam eam semper habet omnis homo dormiens, & vigilans. Quapropter quoniam non alia voluntas pronuntiatur hoc modo in bono esse homine, quàm illa quæ removetur à malo: non significatur in bono esse voluntas, quæ instrumentum; sed illa, qua afficitur instrumentum. Quòd autem in dormiente, nisi somniet, non sit voluntas quæ est usus, dubium non est: quare, cùm dicitur in dormiente * justo voluntas justè vivendi, non ibi intelligitur voluntas usus. Non est igitur voluntas affectio, voluntas instrumentum, aut voluntas usus; voluntatem quoque instrumentum non esse voluntatem usum nullus ignorat; quoniam cùm dicò me non habere voluntatem scribendi, nemo intelligit me non habere instrumentum volendi. Alia est ergo voluntas instrumentum, alia voluntas affectio, alia voluntas usus. Voluntas quidem instrumentum movet omnia alia instrumenta, quibus sponte utimur, & quæ sunt in nobis, ut, manus, lingua, visus; & quæ sunt extra nos, ut, stilus, & securis; & facit omnes voluntarios motus: ipsa verò se suis affectionibus movet: unde dici potest instrumentum seipsum movens. Dico voluntatem instrumentum omnes voluntarios motus facere: sed si diligenter consideramus, ille verius dicitur facere omne quod facit natura aut voluntas, qui facit naturam & instrumentum volendi cum affectionibus suis, sine quibus idem instrumentum nihil facit.

Ipsa verò seipsum movet, & dici potest instrumentum seipsum movens.

CAPUT XII.

al Cap. 11.

Quòd ex voluntate rectitudinis aut commodi procedat omne meritum hominis, sive ad salutem, sive ad damnationem.

EX his duabus affectionibus, quas etiam voluntates dicimus, dependit omne meritum hominis, sive bonum, sive malum. Quæ duæ voluntates etiam * in hoc differunt quia illa, quæ est ad volendum commodum, inseparabilis est; illa verò quæ est ad volendum rectitudinem, separabilis fuit, ut supra * dixi, in principio in Angelis, & in primis nostris parentibus; & est adhuc in hac vita manentibus. In hoc quoque differunt quia illa, quæ est ad volendum commodum, non est hoc quod ipsa vult: illa verò quæ est ad volendum rectitudinem, rectitudo est. Nullus quippe rectitudinem vult, nisi rectitudinem habens: neque potest aliquis rectitudinem velle, nisi rectitudine. Palàm autem est ejus voluntatis, quæ est instrumentum, istam esse rectitudinem. Hanc pronunciamus, cùm justitia designatur rectitudo voluntatis propter se servata. Hæc est etiam veritas illa voluntatis, in qua arguitur à Domino diabolus non stetisse: quod dixi * in tractatu de veritate. Nunc considerandum est quomodo ex his duabus voluntatibus, quas voco aptitudines sive affectiones, procedant, sicut dixi, merita hominum, sive ad salutem, sive ad damnationem. Rectitudo quidem, quantùm in ipsa est, nullius mali causa est, & omnis meriti boni mater est; hæc enim favet spiritui concupiscenti adversùs carnem & condelectatur legi Dei secundùm interiorem hominem, id est, secundùm eundem spiritum. Si autem ex illa malum aliquando sequi videtur; non ex ipsa, sed ex alio. Per rectitudinem quippe Apostoli erant bonus odor Deo: Sed quòd quibusdam erant odor mortis in mortem; non procedebat ex Apostolorum justitia, sed ex mali voluntatis nequitia. Illa verò voluntas, quæ est ad volendum commodum, non semper mala est; sed quando consentit carni concupiscenti adversùs spiritum.

Dial. de lib. arb. c. 14.

Nemo potest velle rectitudinem, nisi rectitudine.

Cap. 4.

Rectitudo est meriti boni mater.

Galat. 5. Rom. 7.

1. Cor. 2. v. 16.

Voluntas commodi non semper est mala.

CAPUT XIII.

al. Cap. 13.

Unde est tam vitiosa & tam prona ad malum voluntas.

SEd ut hoc planiùs intelligatur, investigandum est unde tam vitiosa & tam prona sit ad malum ista voluntas. Non enim credendum est talem illam Deum fecisse in primis nostris parentibus. Cùm enim * protuli naturam humanam propter peccatum incurrisse corruptionem & appetitus ad similitudinem brutorum animalium; non dixi quomodo talis voluntas orta sit in homine. Aliud namque sunt appetitus vitiosi: aliud vitiosa voluntas appetitibus consentiens. De tali ergo voluntate quærendùm puto unde homini acciderit. Sed si primam rationalis naturæ conditionem consideremus, facilè nobis hujus talis voluntatis causa patebit. Intentio namque Dei fuit ut justam faceret atque beatam naturam rationalem ad fruendum se: sed neque justa, neque beata esse potuit, sine voluntate justitiæ & beatitudinis. Voluntas quidem justitiæ est ipsa justitia; voluntas verò beatitudinis non est beatitudo: quia non omnis habet beatitudinem, qui habet ejus voluntatem. In beatitudine autem, secundùm omnium

Supra c. 7.

Aliud sunt appetitus vitiosi: aliud vitiosa voluntas.

Voluntas justitiæ est ipsa justitia.

al. verò

al. & per figuras ad

Voluntas non vult nisi aut commoditatem, aut rectitudinem.

al. pertinet

al. nunc est

al. vult laborare vel discere

al. injusto dormiente

al. justa

Voluntas instrumentum omnia alia instrumenta movet, quibus sponte utimur.

Beatitudo est sufficientia omnium commodorum sine omni indigentia.

sensum, est sufficientia competentia commodorum sine omni indigentia: sive Angelica intelligatur beatitudo; sive illa, quam habebat Adam in paradiso. Quamvis enim major sit beatitudo Angelorum, quàm illa quæ erat hominis in paradiso; non tamen ideo negari potest Adam beatitudinem habuisse. Sicut namque calor magnus est, sine omni frigore; & tamen potest esse alius major calor: & quemadmodum frigus est, sine omni calore; cùm tamen majus valeat frigus esse: ita nihil prohibet Adam batum fuisse in paradiso, sine omni indigentia; licet major esset Angelica beatitudo. Nempe aliquid minus alio habere, non semper est indigere; sed aliquâ re, cùm eam haberi oporteat, carere (quod * non erat in Adam) est indigere. Ubi verò est indigentia, ibi est miseria: non autem fecit Deus, sine præcedente culpa, rationalem * naturam miseram, quam ad intelligendum & amandum se creavit: fecit igitur Deus hominem beatum sine omni indigentia. Simul ergo accepit rationalis natura & beatitudinis voluntatem, & beatitudinem, * & voluntatem justitiæ, id est, rectitudinem quæ est ipsa justitia, & liberum arbitrium, sine quo justitiam servare non potuit. * Sic autem Deus ordinavit has duas voluntates, sive affectiones; ut voluntas, quæ est instrumentum, uteretur eâ, quæ est justitia, ad imperium & * regimen, docente spiritu qui & mens & ratio dicitur; & alterâ uteretur ad * obediendum, sine omni incommoditate. Beatitudinem quidem dedit homini (ut de Angelis taceam) ad commodum ejus; justitiam verò ad honorem suum: sed justitiam, ita ut illam posset deserere; quatenus cùm illam non desereret, sed perseveranter servaret, provehi mereretur ad consortiũ Angelorum: quòd si illam desereret, nullatenus eam per se deinceps resumere posset; & beatitudinem Angelorum non adipisceretur, & illâ quam habebat, privaretur, & in similitudinem brutorum animalium cadens, cum illis corruptioni & sæpefatis appetitibus subjaceret; voluntas tamen beatitudinis maneret: ut per indigentiam bonorum quæ perdidisset, gravi miseriâ justè puniretur. Quoniam ego deseruit justitiam, perdidit beatitudinem; & voluntas, quam bonam & ad bonum suum accepit, * fervens desiderio commodorum quæ non velle nequit; quia vera commoda rationali naturæ convenientia, quæ perdidit, habere non valet; ad falsa, & brutorum animalium commoda, quæ bestiales appetitus * suggerunt, se convertit: & ita cùm ea vult inordinatè, rectitudinem aut ne accipiatur oblata, repellit; aut acceptam expellit: cùm verò ea licitè vult, * non hoc facit. Hoc igitur modo voluntas * instrumentum, creata bona, in quantum habet esse, & justa & fortis ad servandum acceptam justitiam; per liberum arbitrium facta est mala, non in quantum est, sed in quantum injusta facta est per absentiam sponte desertæ justitiæ, quam semper habere deberet. Infirma quoque modo facta est ad volendum justitiam desertam: non enim per liberum arbitrium ita potest eam velle, * cùm illam non habet; quemadmodum valet * eam servare, cùm habet. Voluntas etiam commodi, condita * bona, in quantum est aliquid; mala, id est, injusta facta est, quia non est * subdita justitiæ, sine qua nihil velle debet. Voluntas ergo instrumentum, cùm sponte facta sit injusta; post desertam justitiam manet, quantùm in ipsa est, necessitate injusta, & ancilla injustitiæ: quia per se redire nequit ad justitiam, sine qua nunquam libera est, quia naturalis libertas arbitrii sine ille otiosa est. Ancilla etiam facta est suæ affectionis, quæ ad commodum est: quia remotâ justitiâ, nihil potest velle nisi quod illa vult. Dico autem & instrumentum, & affectionem ejus, velle: quia & instrumentum est voluntas, & affectio voluntas. Nec incongruè utraque voluntas velle dicitur: quia illa vult quæ affectione suâ vult; & affectio vult, per quam illa vult: sicut videre dicitur & homo, qui visu videt, & * ipse visus quo videt. Unde non absurdè possumus dicere affectiones ejus voluntatis, quam instrumentum dixi animæ, quasi instrumenta ejusdem instrumenti esse: quia nihil * ipsa nisi istis operatur. Perdito igitur instrumento volendi justitiam, id est, rectitudinem; nullo modo, nisi per gratiam redatur, potest voluntas instrumentum velle justitiam. Quapropter quoniam nihil velle debet, nisi justè: quicquid vult sine rectitudine, vult injustè. Appetitus verò, quos omnes vocat Apostolus carnem & concupiscentiam, in quantùm sunt, non sunt mali, vel injusti; sed quia sunt in rationali creatura ubi non debent esse, dicuntur injusti. In brutis siquidem animalibus non sunt mali, vel injusti; quia ibi debent esse.

Remotâ justitiâ, voluntas non potest velle nisi commodum.

al. quod erat

al. creaturam

al. enim & voluntatem

al. si

al. regnum

al. obedientiam

al. amic. ipsa

Quicquid vult sine rectitudine, vult injuste.

CAPUT XIV.

al. Cap. 14.

Recapitulatio, & conclusio operis.

JAm ex his, quæ dicta sunt, cognosci potest hominem ideo non habere semper justitiam, quam sine intermissione debet habere; quia nullo modo potest illam per se adipisci, vel recuperare. Palàm etiam est quia Deus bona facit opera suâ solâ bonitate: quoniam ipse creat voluntatem cum libero arbitrio, & dat illi justitiam per quam operatur. Mala * verò facit solâ culpâ hominum; quia ea non faceret, si homo illa facere non vellet: facit tamen * hoc quod sunt; quoniam condidit in homine voluntatem, qua sine justitia utitur: * & ideo solâ culpâ hominis mala sunt, quæ operatur. Non enim est culpa Dei, qui creavit in eo cum libertate arbitrii voluntatem, & contulit ei justitiam, ut nihil nisi justè vellet; sed culpa hominis, qui justitiam deseruit, quam servare potuit. Deus igitur habet in bonis quidem, quòd bona sunt per essentiam; & quòd bona sunt per justitiam: in malis verò solummodo quòd bona sunt per essentiam; non quòd mala sunt per absentiam debitæ justitiæ, quæ non est aliquid. Homo autem * habet in bonis, quòd mala non sunt; quia cùm posset deserere justitiam & mala facere, non deseruit; sed servavit per liberum arbitrium, dante & subsequente gratiâ: in malis verò hoc solum quòd mala sunt: quia ea solâ propriâ, id est, injustâ voluntate facit. Puto me jam congruè posse finem ponere tractatui de tribus difficilibus quæstionibus, quem in spe auxilii Dei incœpi, in quo si * qui dixi quod quærenti cuilibet sufficere debeat, non mihi imputo; * quia non ego, sed gratia Dei mecum. Hoc autem dico quia si quis mihi quærenti de quæstionibus eisdem, quando in eis mens mea rationem quærendo fluctuabat, ea quæ * scripsi, respondisset; gratias egissem quia mihi satisfecisset. Quoniam ergo quod inde, manifestante Deo, cognovi, mihi valde placuit; intelligens quia similiter quibusdam placeret, si hoc scriberem: quod gratis accepi, gratis volui petentibus impedere.

al. Deus

al. hanc

al. omit. & ideo

al. quidlibet

al. omit. quia non ego

al. retulit

al. timere

al. omit eam

al. bonum

Digitized by Google

S. ANSELMUS
CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI
DE TRIBUS WALERANNI QUÆSTIONIBUS, ac præsertim
DE AZYMO ET FERMENTATO.

Anselmus servus Ecclesiæ Cantuariensis, Waleranno Newemburgensi * Episcopo.

Remittit primùm aliò responsionem ad primam Waleranni quæstionem; quæ erat de processione Spiritus sancti; tum refellit Græcorum errorem de sacrificio in pane fermentato: indicans tamen illum quoque corpus Christi confecturum, qui fermento uteretur; etsi Christo fecerit conformius, qui azymo pane conficiet. Tandem ad tertiam quæstionem circa connubia versantem, breviter respondet.

SCIENTI breviter loquor. Si certus essem prudentiam vestram non favere successori Julii Cæsaris, & Neronis, & Juliani Apostatæ, contra B successorem & Vicarium Petri Apostoli; libentissimè vos ut amicissimum & reverendum Episcopum salutarem. Quoniam autem ad defensionem veritatis, quam contra Græcos, qui ad vos venerunt, quæritis, secundùm posse nulli deesse debemus: opusculum vobis misi, quod de Spiritus sancti processione contra illos edidi.

CAPUT I.

Salvâ Sacramenti veritate, azimum aut fermentatum panem assumi.

DE sacrificio verò, in quo, iidem Græci nobiscum non sentiunt, multis * rationibus Catholicis videtur, quia quod agunt non est contra fidem Christianam. Nam & azimum & fermentatum sacrificans panem, sacrificat. Et cùm legitur de Domino, quando Corpus suum de pane fecit; quia accepit panem, & benedixit; non additur, azimum, vel fermentatum. Certum tamen est quia azimum benedixit; forsitan non quia res, quæ fiebat, hoc exigebat; sed * quoniam cœna, in qua hoc factum, hoc exigebat. Et cùm alibi se, & Carnem suam, panem vocavit; quia sicut isto pane vivit homo temporaliter, ita illo vivit in æternum, ait, azimum, vel fermentatum; quia uterque pariter panis est. Non enim differunt azimus & fermentatus substantialiter (ut quidam putant) sicut homo novus ante peccatum, & inveteratus fermento peccati nequaquam substantialiter differunt. Propter hoc ergo * solum videtur se & Carnem suam panem vocasse, & de pane Corpus suum fecisse: quia sicut iste panis azymus, sive fermentatus dat vitam transitoriam; ita Corpus ejus æternam: non quia fermentatus est, vel azymus. Quamvis in Lege, ubi ferè omnia in figura fiebant, præceptum sit azymum in Pascha panem manducare; ut ostenderetur quòd Christus, quem expectabant, syncerus & mundus futurus esset; nos, qui manducaturi eramus Corpus ejus, similiter mundi esse moneremur ab omni fermento nequitiæ & malitiæ. Jam verò, postquam de veteri figura ad novam veritatem venimus, & azymam Christi Carnem comedimus; non est nobis necessaria vetus illa figura in pane, de quo Carnem ipsam conficimus.

Joan. 6.

Exod. 12. v. 15.

CAPUT II.

Aptiùs in azymo confici Sacramentum, quàm in fermentato.

APertissimum tamen est, quia meliùs sacrificatur de azymo, quàm de fermentato; tum quia valdè aptiùs & priùs & diligentiùs fit; tum quia Dominus hoc fecit. Unde illud non est tacendum, quia cum Græci anathematizant azymitas (sic enim nos vocant) anathematizant Christum. Si autem dicunt quia judaizamus; dicant similiter Christum judaizasse. * Et si audent asserere Christum propter Judaismum, ut præceptum de azymo datum * servaret, de azymo Corpus suum fecisse, absurdissimè errant: cùm illum tam synceram * novitatem * infecisse fermento vetustatis existimant. Patet igitur quia cùm usus est azymo ad illud opus; non hoc fecit, ut præceptum de azymo servaret; sed ut Fermentarios, quos prævidebat, reprobans Azymitas approbaret; aut certè ut si etiam Fermentarii approbarentur, Azymitas quoque approbaret.

CAPUT III.

Latinos in azymo conficientes non judaizare.

QUod aiunt nos judaizare, non est verum: quia non sacrificamus de azymo, ut legem veterem servemus: sed ut hoc diligentiùs fiat, & Dominum qui hoc non judaizando fecit, imitemur. Cùm enim facimus aliquid, quod Judæi, ut Judaismum servarent, faciebant; non judaizamus, si non propter Judaismum, sed propter aliam causam hoc agimus. Si enim in diebus Paschæ azymum panem aliquis comedat, sive quia non habet alium, sive quia illo magis delectatur quàm fermentato: aut si quis propter infirmitatem præputium circumcidere cogitur; aut si bovi suo quis trituranti, ne eluriat, os non obturat; nullius nisi insipiens hæc agentem judaizare judicabit. Cùm ergo nos panem azymum sacrificamus *, non ut per azymi figuram talem Dominum Jesum * futurum significemus; *al. fuisse* * sed ut ipsum panem in Corpus ejus, divinâ virtute operante, sicut ipse fecit, * sacrificemus: nequaquam *al. sanctificemus* in hoc Legis vetustatem servamus, sed Evangelii veritatem celebramus. Denique quando idem ipse hoc se-

Digitized by Google

cit, & ait discipulis suis: *Hoc facite in meam commemorationem*; si noluisset ut nos, quibus hoc in Apostolis præcepit, hoc de azymo faceremus, præmonuisset nos in eis; & dixisset: ne faciatis hoc de azymo. Quare cùm dicens, *hoc facite*, azymum non excepit: quis est, cujus intellectus audet excipere, quod ipse fecit; & hoc prohibere, quod ipse non solùm nullo sermone prohibuit, sed etiam opere præcepit? Quis, inquam, nisi plus sapiens quàm * oportet sapere, tantùm * confidat de sapientia sua, ut præsumat vel proferre, quia cùm dixit Dominus: *hoc facite*, sicut competenter subintelligimus, *quod ego*: sic indubitanter sit subaudiendum, *sed non de hoc, unde* * *ego?* Item si divina per ea, quæ digniora cognoscimus, exequi debemus; cùm sacrificium, de quo agitur, de panis sive azymi, sive fermentati, substantia constet esse celebrandum, * quem panem digniorem æstimamus ad faciendam Dominici corporis veritatem; nisi illum, quem & vetus lex elegit ad significandam, & Evangelium ad exhibendam eandem veritatem? Si ergo respondemus Græcis nos hoc de azymo, non propter figuram, sed propter prædictas causas facere; nihil hic * intelligi valet, cur nos Græci anathematizandos; aut saltem reprehendendos rectè judicent.

CAPUT IV.

Retorquetur in Græcos argumentatio, qua probant Latinos in azymo conficientes judaizare.

AT si dicunt nos non hoc agere posse de azymo sine intellectu figuræ; per quod judaizare probamur. Ergo nec illi similiter queunt ad hoc ipsum uti fermentato sine figura; quia & vetus Scriptura per fermentum designat peccatum, cùm execratur in Pascha suo comedere fermentatum; & nova, dum monet nos in Pascha nostro epulari non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ. Dicimus etiam quia nos non judaizamus, si * figuram tenemus in azymo: quoniam non significamus Christum sine fermento peccati venturum, tanquam Judæi; sed monstramus eum talem venisse, sicut Christiani: & per hoc monemur tales nosmetipsos exhibere, quale Pascha nostrum est quod manducamus. Illi autem nec Judæos, nec Christianos in hoc se profitentur, quia Deum in fermenti sui figura, nec venturum, ut Judæi; nec venisse, ut Christiani, sine peccato significant: sed potiùs Paganis favere videntur, qui illum, sicut alios homines, peccato fermentatum existimant. Si verò aiunt Christianos non debere uti figuris; quia vetera transierunt, in quibus erant necessariæ: negent (ut alia taceam) Baptismum esse figuram cujusdam mortis & sepulturæ, contra Apostolum dicentem: *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem.* Aut si concedunt nos uti figuris, sed non in eisdem rebus, quibus in figurâ lex vetus utebatur; & ideo non esse panem azymum assumendum ad ullam figuram, quia ad hoc in eadem lege accipitur: non baptizent in aqua, quoniam *Patres nostri omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari*: quod * negari nequit in figura fuisse: * ne videantur baptizare baptismo Johannis, qui baptizavit in aqua. Si ergo irreprehensibiliter * figuratè baptizamus in aqua: licet illud baptisma vetus, quod fuit hujus novi figura, in aqua fuerit: quænam est in ista Græcorum sapientia, * quæ propter hoc, quia vetus Pascha, per quod nostrum figuratum est, celebratum est in azymis, * detestatur nos sacrificare Corpus Christi, qui est Pascha nostrum, de azymo in figura, sive ad commemorandum quia talis fuit ille, cujus Corpus sacrificamus, scilicet, sine peccati infectione; sive ad commonendum nos, quia corpus ejus comedimus, tales debere esse, secundùm Apostolum dicentem: *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi: Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ: sed in azymis sinceritatis & veritatis.* 1. Cor. 5.

CAPUT V.

Loca Scripturæ, quibus Græci contra Latinos in controversia de fermentato abutebantur, congruè exposita, ac primùm tractatur illud, littera occidit.

SIve itaque in figura sacrificemus azymum panem, sive sine omni figura, nullatenus nos Græci reprehensibiles valent ostendere: sed aut soli nos bene agimus, illi non bene; aut nos meliùs & diligentiùs, si illi bene. Nempe satis ostendunt se nullam habere rationem ad suam partem confirmandam, nostram infirmandam: cùm hoc contra nos proferunt, quod nullo modo aut contra nos, aut cùm illis esse cognoscitur. Objiciunt enim nobis, sicut in vestra legi epistola, quod dicit Apostolus: *Littera enim occidit; spiritus autem vivificat*, Et quod Amos Propheta: *Sacrificate*, inquit, *de fermentato laudem.* Unde nituntur ostendere quia littera, quæ vetus Pascha * celebrari jubet in azymis, nos occidit; cùm eam servamus, azymum sacrificando, non bene Apostoli verba intelligentes. Littera enim tunc dicitur occidere; quando illa jubens à peccato declinare, peccatum ostendit: quoniam, nisi adjuvet gratia, ut fiat quod jubetur, inobedientem & prævaricatorem facit. Quod in epistola ad Romanos idem apertè monstrat Apostolus, dicens; *Peccatum non cognovi, nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces. Occasione autem acceptâ, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat. Ego autem vivebam sine lege aliquando. Sed cùm venisset mandatum, peccatum revixit. Ego autem mortuus sum, & inventum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Nam peccatum, occasione acceptâ per mandatum seduxit me; & per illud occidit.* Sic littera sine adjuvante gratia occidit, Spiritus autem vivificat: sicut ait idem Apostolus ad Titum. *Cùm autem benignitas & humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos: sed secundùm* * *suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & * renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundùm spem vitæ æternæ.* * Ideo cùm dixisset: *Sufficientia nostra ex Deo est, qui & idoneos nos fecit ministros novi Testamenti, non litteræ, sed spiritu*, ait: *Littera enim occidit: spiritus autem vivificat.* Ac si diceret: Fecit nos Deus ministros novi Testamenti, quod non est in littera occidente, sicut vetus; sed in spiritu vivificante. Ad utrumque verò, ad occisionem, scilicet, litteræ, & vivificationem spiritus, pertinet, quod subjunxit. *Quod si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria: ita ut non possent intendere filii Israël in faciem Moysi propter gloriam vultûs ejus, quæ evacuatur: quomodo non magis ministratio spiritûs erit in gloria? Nam si ministratio damnationis gloria est, multò magis abundat ministerium justitiæ in gloria. Nam nec glorificatum est, quod clarum est in hac parte propter excellentem gloriam. Si enim quod evacuatur, per gloriam est: multò magis quod manet in gloria est. Habentes igitur talem spem, multa fiducia utamur: & non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, ut non intenderent filii Israël in faciem ejus, quod evacuatur: sed obtusi sunt sensus eorum. Usque in hodiernum enim diem idipsum*

Exod. 12. 1. Cor. 5. v. 8. Rom. 6. v. 3. & 4. 1. Cor. 10. v. 2. al. negare nequeunt al. vitam quoque aquam ne al. qui al. detestantur Rom. 7. v. 7. & 11. Exod. 10. Tit. 3. 2. Cor. 3. v. 5. 6. Ibidem. 2. Cor. 3. v. 7. & 8.

Digitized by Google

sum velamen in lectione veteris Testamenti manet non revelatum; quoniam in Christo evacuatur. Sed usque in hodiernum diem, cùm legitur Moyses, velamen est positum super cor eorum. Cum autem conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen: Dominus autem spiritus est; ubi autem spiritus Domini, ibi libertas. Nos verò omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu. Idcò habens hanc administrationem, *juxta quam misericordiam consecuti sumus, non deficimus.* De occisione litteræ, & vivificatione spiritûs, superfluum mihi videtur super hæc aliquid addere. Satis igitur patet quia nec Græcis prodest, nec nobis obest, quod de occidente littera objiciunt.

2. Cor. 4. al. ministrationem

CAPUT VI.

Quomodo Propheta jubeat sacrificari de fermentato laudem.

Quod autem assumunt de Propheta: *Venite in Galgala, & impiè agite: & sacrificate de fermentato laudem:* intelligendum est esse dictum aut approbando tale sacrificium, aut reprobando. Sed si hoc præcipit Propheta, ut secundùm eos loquar, illos occidit littera, qui literam servando, de fermentato sacrificant. At si hoc exprobrando dictum est, quâ fronte sacrificant quod Propheta in sacrificium execratur: aut qua ratione hoc in auctoritatem sibi assumunt? Quod autem hoc Propheta non jubendo, sed reprehendendo dixerit, dubium non est; cùm * hoc impiæ actioni associaverit. Dixerat enim: *Venite ad Bethel, & impiè agite.* Et paulò post, continuatâ increpatione ait: *Et sacrificate de fermentato laudem.* Aut ergo tantâ ratione partem suam Fermentarii * defendant, quantâ suam roborant Azymitæ: aut rejiciant suum fermentum, & fiant Azymitæ: aut si nec illud valent, nec illud volunt, saltem non reprehendunt Azymitas.

Amos 4. v. 1.

CAPUT VII.

Connubia Latinorum de eadem cognatione in certis gradibus dissitis, malè à Græcis reprobata.

In tertia quæstione, sicut intelligo, mandatis quia Græci detestantur nostra connubia, ubi cognati cognatis de alia cognatione copulantur. Quod cur faciant, nullam video auctoritatem aut rationem. Nam si hoc in suis prohibent fieri connubiis, aut non extendunt cognationes usque ad septimam generationem, sicut nos; aut impossibile videtur servari, quod præcipiunt. Sunt enim sæpe in una cognatione plusquam centum viri & mulieres egentes conjugio. Totidem igitur cognationes invenire necesse est, de quibus singulis singuli eligantur viri & mulieres, quibus illi de una cognatione singuli singulis copulentur. Aut itaque detestabilia sunt indubitanter eorum connubia, si intra septem generationes sunt; nec debent reprehendere nostra, quando cognati conjunguntur cognatis de alia cognatione, quod nulla prohibet auctoritas vel ratio; aut impossibile est, ut dixi, * servare quod præcipiunt; ut scilicet, tot cognationes exquirantur ad unius cognationis connubia, quot sunt in illa viri & mulieres petentes conjugia. Quod autem sine omni auctoritate & ratione * fit contra rationem, absque dubio rationabiliter * repudiandum judicatur.

S. ANSELMUS
CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI,
DE SACRAMENTORUM DIVERSITATE
AD WALERANNUM EPISCOPUM.

WALERANNI EPISTOLA, QUÆ B. ANSELMO scribendi argumentum præbuit.

Serenissimo D. Anselmo Sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ Reverendissimo Archiepiscopo, Waleramnus Dei gratia Nwemburgensis Episcopus; servile obsequium, instantiam orationum, ac semetipsum omnino in omnibus deditissimum,

Conqueritur de varietate ceremoniarum inter altaris sacrificium variè à variis observari solitarum: quasi verò ha Sacramenti essentiam attingerent, quin potius mysterium & decentiam religiosam.

Cum Minerva de litterarum professione aliquid præsumere ineptissimum est, ac inter * edocumatos litterarum sectatores ratiocinandi probabilitate fidem facere, non nostram * attigit facultatem. Sed cum Propheta suspirando: *revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* cum summa devotione oculos levo ad montem Celsitudinis vestræ, ut inde veniat auxilium mihi; auxilium vestrum, auxilium à Domino, qui fecit cœlum & terram: *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.* Ut inde patent ex ejus plenitudine vos etiam profunda Dei scrutari; nostram verò parvitatem vocem ejus audire, sed prorsus nescire unde veniat, aut quo vadat.

Ps. 118. v. 18.

1. Cor. 6. v. 17.

Digitized by Google

CAPUT I.

Querela Wvaleranni de tanta diversitate in Sacramentorum celebratione.

INdividua Trinitas Deus est, & quotquot sunt in Deo, unum sunt in ipso. Divertitas in Ecclesia admodum est unitati contraria. Diu non potest stare, quòd partium in se gratiatur dissensione. De sacramentis Ecclesiæ, aliud Palestina, aliud Armenia, aliud nostra Romana, & Tripartita sentit Gallia. Dominici etiam Corporis mysterium aliter Romana, aliter Gallicana Ecclesia, ac diversissimè nostra tractat Germania. Ex antiquis Patribus ordinem habemus sacrificandi: & valde admiror unde hæc novitas surrepserit in domo
Heb. 13. v. 8. Domini: *Jesus Christus heri & hodie, ipse est in sæcula*, semper unus, semper idem, nullam patiens mutabilitatem. A Christo dissentit, qui in diversitatem tendit. Christus est panis Angelorum, qui de cœlo descendit, & factus est panis hominum, esca pauperum, satietas cum eo regnantium: ut qui dignè comedunt, vivant
1. Cor. 19. in sæculum sæculi. *Unus panis, unum corpus multi sumus in Christo omnes, qui de uno pane participamus*: Christus est via, per quâ gradiamur, quem imitetur. Qui à Christo exorbitat, periculosè ambulat: inter sacrificandum, quod Christus fecit, & nos faciamus. *Quotiescunque*, inquit, hoc facitis, *quotiescunque* sumitis.
1. Cor. 4. v. 25. & 26.

CAPUT II.

Cur aliqui fermentatum adhibeant in mysteriis.

ARmeni quidem de fermentato se laudem sacrificare putant; sed in novitate vitæ cum Christo
2. Cor. 5. non ambulant. Imitatores Christi oportet epulari non in fermento veteri, sed in azymis sinceritatis & veritatis. Fermentum licet modicum totam massam corrumpit. Christi Corpus incorruptibile, quantum possibile est, nullâ inficiatur corruptio. A sinceritatis sacrificio omnis hujusmodi absit corruptio. Qui exoptant imbui Christi Corporis incorruptione, novi sacrificii sinceritate veterem exuant hominem. In Christi Corporis confectione displicet alia, nisi quam ipse obtulit substantia. Et, si ausim profiteri, tenenda est ea, quam dedit, sacrificandi regula.

CAPUT III.

Cur unicum & non multiplex crucis signum super panem & calicem formetur à plerisque.

NOs singulariter panem, singulariter benedicimus calicem. Hoc canones, hoc antiquus Ordo Romanus præcipit, ut ab initio in Canone singulas cruces faciamus singulis. Hoc publico & inveterato usu ubique tenemus à progenie in progeniem; & vestram
Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11. miramur diversitatem. Hoc Christus fecit, & nos facere præcepit: *Hoc*, inquit, *facite, quotiescunque sumitis*. Accipiens panem singulariter benedixit, & calicem similiter. Singulas singulis, ut noster, imò Romanus, Ordo præcepit, cruces fecit: & ita ab ipso, qui
al. omit. heri & hodie & usque in sæculum idem * est, nostra inolevit consuetudo. De crucum singularitate, Christi nobis assentitur auctoritas. Miror autem valde quâ
* Ephes. 4. v. 5. ratione sacrificandi cœpit diversitas: *Una est fides, unum baptisma*, una Christi amica, sponsa, & columba. Ecclesiæ unitati valde obest in sacramentis discrepare; & quicquid libitum est, licitum facere.

CAPUT IV.

Cur calix velo seu pallâ operiatur à principio.

PRæterea inter consecrandum nonnulli ab initio calicem operiunt quidam corporali, alii primo A complicato instar sudarii, quod repertum legimus in monumento, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in uno loco. Christus via est, & veritas, & vita; via, per quam gradiamur, ut ad ipsum veniamus. *Qui dicit se in Christo manere, debet, sicut* 1. Joan. 2. v. 6. *ipse ambulavit, & ipse ambulare.* Non veniunt ad vitam, nisi imitatores vitæ. Paschalis hostia nudato corpore in ara crucis immolata est, nudato corpore offerri voluit, qui omnia quæ audivit à Patre, suis nota fecit. In sua immolatione semetipsum, sicuti est, manifestavit; cujus gloriam revelatâ facie contemplabimur, ut ei per omnia conformemur configurati corpori claritatis suæ, ut ipse sit nobis omnia in æterna beatitudine. Et ut (ipsius verbis utar) *consum-* Joan. 19. v. 30. *matum est*, inquit, ut vetera non ambigamus transisse, B & omnia nova esse; *velum templi scissum est à summo* Mat. 27. v. 51. *usque deorsum* quod usque in hodiernum diem positum est super corda Judæorum; ut oculos habentes non videant, & aures non intelligant. Nobis verò, quibus Deus revelavit per spiritum suum, non oportet sacrificandi mysteria implicare; sed exemplo Domini Jesu clarificare. Non cum Moyse, ut Judæi, velamen superimponamus; sed cum Domino Jesu offerentes, de claritate in claritatem transferri studeamus. Nudus Jesus in ara crucis, nudus appareat in ara nostræ immolationis; quod verbis protestamur, operibus exequatur. Panis ille verè Christi Corpus est; & ut Christi Corporis immolationem, immolari oportet. Christi Corpus in ara crucis nudatum, in sepulchro linteis est involutum, in passione discipulorum devotione in sepultura est involutum. Sepeliendo, sicut mos est Judæis C sepelire, ostendunt erga magistrum studii devotionem; sed adhuc ignorabant sacramenti veritatem. Judæi similem sepeliunt, ut Judæum; quia nondum perpenderant crucis mysterium: *Spiritus omnia scrutatur,* 1. Cor. 2. v. 10. *etiam profunda Dei*: Illis autem nondum spiritus erat datus, quia ex infirmitate crucifixus Christus non erat glorificatus. Glorificatus verò Jesus corruptionis vestimenta deserit, corruptibilia à se removit: incorruptionem vestitus sepulchrum deserit: gloriam suam se amantibus patefecit. Cur ergo ex incorruptibilis sudarii involutione quasi Christi protestamur infirmitatem, & in hujusmodi tenebris involutionem: cùm eum verissimè protestamur Dei virtutem & mundi lucem? Lux de luce, quæ illuminat omnem hominem, *Ad finem propositum trahit verba parabolæ Marc. 4. Luc. 12.* D nullatenus sub sudarii ponatur modio: sed sicut ipsemet, sacerdos & hostia obtulit semetipsum; ita & nostrum ei offeratur sacrificium, positum sub divo, * ut omnibus ad vitam in Christi luceat domo. Tunc maximè acceptabilis victima nostra erit, si Christi hostiæ fuerit consimilis. Involvimus tamen & nos vitalem hostiam; non, sicut vobis mos, à principio; sed in fine, cum Joseph & Nicodemo. Quod non solùm offertur in specie sed in rei veritate, discrepare non oportet in sua immolatione. Qui offerendo discrepat, non sicut Christus ambulavit, & ipse ambulat. Si autem in hac parte sacrificandi sinceritatis causetur, facillimum est nobiscum sinceritatis cooperculo munditiem observare; & tamen ab ipso initio sacrificandi & vetustissimo Ecclesiæ ritu non exorbitare. E

CAPUT V.

Monet de suo ad communionem Ecclesiæ reditu.

IMperfectum meum videant oculi vestri, & sicut estis in omnem circumspectionis plenitudinem quasi virtutum manibus compactus, nostræ imperfectionis compatimini excessibus. Glorificat Deum in me Catholica Ecclesia, quoniam in nostra mutatione divinæ bonitatis apparet gratia. Gratia Dei sum, id quod sum; ex Saulo Paulus; ex adversario Romanæ Ecclesiæ, intimus Paschali Papæ acceptissimus

Digitized by Google

Cardinalium consecretarius; & in omnibus in hac parte prosperos spero successus. Joseph in domo Pharaonis, ego in palatio Henrici Imperatoris. Neque iniquitas, neque peccatum meum, (quod absit) aut quali Nero incestus, aut Apostata Julianus. * Gratias Deo, quoniam sub vestræ Sanctitatis regimine lupus & agnus simul pascuntur; leo & vitulus simul accubant, puerque parvulus minat eos: & quia virga æquitatis, virga regni vestri; Dei laudamus virtutem, Ecclesiastico terrore indomitas feras mansuescere, nullique in monte Domini nocere. Leo rugiet, quis non timebit? Sed quia justus, ut leo, confidit in hujusmodi, quasi ipsius David manu fortis; cor vestrum non trepidat, sed in Dei virtute in omnibus triumphat. Dominus qui vos inunxit oleo exultationis præ participibus vestris, ille vos coronet in misericordia & miseratione in regno beatitudinis.

SANCTI ANSELMI

AD WALERANNI QUERELAS.

RESPONSIO.

Domino & amico Waleranno Gratia Dei Newemburgensi venerabili Episcopo, Anselmus servus Ecclesiæ Cantuariensis salutem, servitium, orationes, dilectionis affectum.

GAUDEO, & gratias ago Deo, quia sicut scribitis, glorificat eum in vobis Ecclesia Catholica; quoniam in vestra mutatione divinæ bonitatis apparet gratia, & Domini Papæ Paschalis amicitiam habetis & familiaritatem; ut jam mihi liceat vestram amicabiliter salutare Sanctitatem. Quòd vestra sublimis humilitas me comparat Minervæ & vocat montem, non in me accipio: quoniam nihil in me, cur hoc dici de me debeat, intelligo. Non tamen debeo esse ingratus vestræ * benignitati: quoniam hoc facit abundantia vestræ] erga me bonæ voluntatis. Solemus enim sæpe sentire meliora de his quos diligimus, quàm ipsi mereamur. De laude igitur, quæ ad me non pertinet, cor meum non gloriatur: sed de dilectione, quæ semper amanda est, gratias agendo lætatur.

al. enim.

CAPUT I.

Varietatem rituum cum unitate fidei cohærere.

"QUeritur vestra reverentia de sacramentis Ecclesiæ: quoniam non uno modo fiunt ubique, sed diversis modis in diversis locis tractantur. Utique si per universam Ecclesiam uno modo & concorditer celebrarentur; bonum esset & laudabile. Quoniam tamen multæ sunt diversitates, quæ non in * substantia sacramenti, neque * in virtute ejus, aut fide discordant; neque omnes in unam consuetudinem colligi possunt: æstimo eas potiùs in pace concorditer tolerandas, quàm discorditer cum scandalo damnandas. Habemus enim à sanctis Patribus, quia si unitas servatur charitatis in fide Catholica, nihil officit consuetudo diversa. Si autem quæritur unde istæ natæ sunt consuetudinum varietates: nihil aliud intelligo, quàm humanorum sensuum diversitates. Qui quamvis in rei * veritate, & virtute non dissentiant; in aptitudine tamen & decentia administrationis non concordant. * Quod enim unus aptius esse judicat, alius sæpe minùs aptum æstimat: neque in hujusmodi varietatibus non consonare, puto ab ipsius rei veritate exorbitare.

al. Quæris

al. summa

al. virtute & unitate

CAPUT II.

Ad querelas de una signi crucis formatione.

NEmpe quòd alii in sacrificando Corpore & Sanguine Domini, singulas cruces singulis faciunt ab initio in canone: alii solummodo singulas singulis, ubi singulatim nominatur panis vel Corpus, & singulatim Calix vel Sanguis: ubi verò oblatio vel hostia nominatur, unam crucem ambobus faciunt; quoniam sicut unus est Christus, qui seipsum obtulit pro nobis; ita una est oblatio, & una hostia in pane & vino quam B offerimus: non video istos magis in hoc discordare à Christo, qui singulatim utraque benedixit, quàm omnes illi discordant, qui Calicem post cœnam non sacrificant, sicut Christus fecit, * neque semper ad vesperam, sicut Christus fecit;] & qui utrumque simul, uno nomine vocant oblationem, vel hostiam, quod Christus non fecit. Unde possumus colligere quia à nobis invicem in hujusmodi actione servata * rei veritate possumus esse dissimiles sine reprehensione: cùm ab ipso auctore ipsius sacrificii sumus diversi sine offensione. Ubi autem dicimus: *hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia*, sive singulatim pani & vino singulæ cruces assignentur; sive unâ cruC ce duo simul sanctificentur; non video in hac diversitate reprehensibilem discordiam: nisi forsitan, quia convenientiùs ambo unâ cruce notantur, sicut uno verbo * benedictionis sanctificantur. Cùm enim plures homines, aut diversas res * simul benedicimus, non singulis singulas cruces reddimus, sed omnibus unam crucem sufficere credimus.

Desunt hæc in MS. 1. & in antiquissimis editis.

al. sanctificationis

CAPUT III.

De operimento Calicis inter sacrificandum.

DQUòd verò nonnulli ab initio Calicem operiunt, quidam Corporali, alii panno complicato propter custodiam immunditiæ; nec nudum dimittunt Calicem, sicut Christus nudus crucifixus est, ut * sicut significatis, ostenderet se mundo revelatum: non magis intelligo eos debere reprehendi propter nuditatem CHRISTI, quæ non significant ab illis in sacrificando; quàm quia non demonstrant in eodem sacrificio, * eum esse crucifixum extra civitatem, extra domum, & sub nudo cœlo. Quæ tamen magnâ non carent ratione. Nam Christus, *qui passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus*; in his quoque dedit nobis exemplum, propter justitiam in-

al. sic sig.

1. Pet. 1. 21.

Digitized by Google

stinendi incomparabilem contemptum & paupertatem. Adeo enim contemptui habitus est, & execrabilis judicatus; ut nec mori dignus haberetur intra aliquam hominum habitationem; neque inter homines, nisi inter execrabiles; neque sub tecto aliquo, nisi sub cœlo de * sub quo ejici non potuit, ut secundùm Prophetam, *ej probrosa hominum, & abjectio plebis effimer ipse*, l'auper verò ita fuit, ut veniens in mundum, non in suâ, sed in aliena domo nasceretur: & natus, propter inopiam loci in præsepio * brutorum animalium poneretur: & vivens in mundo * non haberet ubi caput suum reclinaret; nec moriens, unde nuditatem suam tegeret; nec mortuus, unde involveretur; nec sepulchrum, aut locum, ubi corpus * suum collocaretur. Quæ omnia magis sunt vivendo per effectum (cùm ratio exigit) imitanda, quàm per nuditatem sacrificii nuditas Christi significanda. Neque conjectare possum cur potius curandum sit, * ne panno operiatur sacrificium, quia Christus nudus passus est, quàm ne sub tecto, vel intra civitatem * fiat, quoniam Christus sub nudo cœlo extra civitatem passus est. Si autem usus non habet, ut extra tectum fiat propter perturbationes aëris: * simili causâ videtur ut calix in sacrificando non discooperiatur, propter 'quasdam quæ contingere possunt, incommoditates. Tutiùs itaque & diligentius puto ut calix, ne aut musca, aut aliquid indecens in illum * cadat (quod sæpe contigisse * cognovimus) operiatur: quia discoopertus * contingentibus immunditiis exponatur. Hæc sapientiæ vestræ pro meo * sensu, nullius meliorem rationem respuens respondeo. De his, qui sacrificant de fermentato, misi vobis olim quandam epistolam.

Psalm. 21. Luc. 21.

al. mortuum

al. non sub tecto vel intra civitatem — al. sub eodo cœlo — al. similis causa

al. caderet — al. cognoscimus

al. intellectu

S. ANSELMUS CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOP.

DE PRESBYTERIS CONCUBINARIIS.

SEU OFFENDICULUM

SACERDOTUM.

Ex mss. Bertonsi E. 10. & B. Thuanæi.

al. quod si judicio &

al. adiisse

DE Presbyteris qui aperta libidinis conversatione Deo reprobabiles se exhibent, omninò tenendum est, * quæ Apostolica providentia Ecclesiastico justoque * rigore constituit. Nempe nullatenus convenit ut ibi reverenter * astetur, ubi pertinaciter aperta & impudenti libidine fœtentes Dei & sanctorum prohibitionem contemnendo sacris altaribus deserviunt; immò non deserviunt, sed quantùm ad ipsos, commaculant: non quod quis ea quæ tractant, contemnenda; sed tractantes execrandos existimet. Ut * qui Dei & Angelorum præsentiam non reverentur, vel hominum detestatione repulsi sacra contaminare non audeant. De lapsis autem sacros Ordines habentibus, & spontaneâ voluntate secretè quibus debent confitentibus, nequaquam est asserendum quòd eisdem Ordinibus amplius uti nullatenus possint, si per sacrificium spiritûs contribulati, * cordisque contriti & humiliati Deum placantes, ad virtutum profectum * studiosè se converterint. Nam nec apud Deum reprobatur officium alicujus propter culpâ, quam ipse ignoscit; nec apud homines decoloratur sacri Ordinis dignitas, propter personam cujus ipli peccatum non cognoscunt. Quibus duabus cautis carnalis lapsus * prohibet ad sacrum Ordinem accessum, & reditum. Sed quoniam fermè semper occultum est; quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, quorum verò minimè; tutius est semper conscium sibi criminis ab iis quæ placitam Deo personam exposcunt, per laudabilem Deo humilitatem abstinere, quàm per culpabilem securitatem præsumere. Illud namque semper potest, Deo non improbante: hoc verò non debet, nisi Deo approbante. Qui autem huic sententiæ, quæ ad sacri Ordinis officium post lapsum concedit, nequaquam aliqua ratione, nisi auctoritate fulciatur Scripturarum, vult consensum attribuere: legat Epistolam Beati Calixti Papæ directam Episcopis Galliæ, & Beati Gregorii Papæ ad Secundinum inclusum; ubi ipli hanc sententiam sic firmis & penè eisdem rationibus & auctoritatibus confirmant, ut nullatenus aliorum probatione indigeat. Sed quod idem Beatus Gregorius, & alii Sancti Patres idipsum alibi videntur studiosè prohibere: de apertis quidem prohibuisse, de occultis verò post dignam pœnitentiam concessisse intelligitur. Nam crimen quod à Deo non imputatur, nec ab hominibus esse putatur, non reprobat neque decolorat: cùm tamen in tali re cuique tutius sit coram Deo sibi plus timere, quàm confidere. Prohiberi autem invitum debere, qui occultum crimen humili confessione sponte & occultè detegit, minimè existimo; ne multis obstruatur via salubris confessionis, qui potius * eligent in mortem penitùs occultari, quàm hac occasione in certitudinem vel in suspicionem alicujus criminis adduci. Nec illi, cui confitetur, statuitur ad peccatum; si confitentem absque ejus consensu cessare à sui Ordinis officio non cogit; sed potius magni criminis reus esse videtur, si cogit: quia sic & * confitentem pœnitere confessionis, & plures nondum confitentes horrere confessionem compellit. *Hucusque codex S. Eadulphi.*

al. eligerent

al. confitentem do

Aug. Dominus declaravit in uno cœtu hominum eadem Sacramenta sumentium, aliquorum immunditiam mundis obesse non posse: qui autem solo Sacramento, Sacerdos est, sicut fuit Caypha, persecutor unius & veri lummi Sacerdotis.

Digitized by Google

S. ANSELMUS
CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOP.
DE NUPTIIS
CONSANGUINEORUM.

ANSELMUS CANTUARIENSIS A fratri dilecto Spiritum sapientiæ, & intellectûs.

An nuptiæ consanguineorum sint vetitæ, adeo ut remitti nequeant: & cur sint damnatæ.

CAPUT I.

Qua sit ratio prohibitionis conjugiorum inter sanguine junctos.

GRATULOR admodum, frater charissime, studiis tuis, quibus me exerces, dum desidiæ sumno torpentem, nec tale quid somniantem, quæstione pullas ut evigilem. Rogas enim me hominem, ut putas, multæ lectionis, ut tibi diligenter & dilucidè referibam sicubi in sanctorum Patrum decretis vel tractatibus meminerim me legisse prohibitionem conjugiorum in consanguinitate; qua ratione in Ecclesia Dei tantam vim obtinuerit, ut hujus excessus nulla omnino possit esse indulgentia, nisi præcedente ipsius conjugii divortio; vel cur saltem deputetur in peccatum tale conjugium. Et, ut video, non quæris auctoritatem solo (si ita dicam) imperio cognoscentem, sed potius rationem rationabiliter docentem. Dicerem simplicem & puram esse rationem, eorum obedire auctoritati, quibus dictum est: *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri loquitur in vobis:* & Ecclesiæ sequi consuetudinem; C cujus consuetudines velle convellere, genus est hæresis. Sed ut scias in omnibus me velle obtemperare voluntati tuæ, etsi forte non possim: conabor tamen & in hoc ex aliqua tibi parte non deesse.

CAPUT II.

Judaica quædam connubia cur inter cognatos permissa.

PRæcepto hoc, scilicet, *in consanguinitate non miscenda connubia; vel si mixta sunt, dirimenda:* Canones pleni sunt, & multa sunt decreta Patrum; sed rationem præcepti quam exigis, fateor, me nunquam legisse memini. Sic tamen de hac re mecum ex D consideratione sanctarum Scriptarum soleo cogitare. In veteri illo populo connubia misceri de tribu in tribum non licebat. Quærenti mihi cur non; occurrerant illæ filiæ Salphaat super connubiis consulentibus Moysen, & per Moysen Dominum, mandatum à Domino de tribu in tribum non miscenda connubia propter vitandam suarum hæreditatum diminutionem. Populus enim ille carnalis cor suum habere nesciebat, sed ut reptile terrenum terræ toto pectore adhærens, hæreditatem solam terrenam cogitabat. Malebat singula tribus connubia inter se dando & accipiendo inter suas se angustias cohibere, quàm extra dando connubia, hæreditatem quoque extra dividere. Talis quippe erat hæreditas illorum, talisque & omnis terrena hæreditas, ut divisa minuatur, & tota ad eos non perveniat. Itaque sicut Dominus in Evangelio dicit de dando libello repudii, secundùm duritiam cordis eorum responsum est eorum carnalitati. *Matth. 19.*

CAPUT III.

Ratio contrarii edicti in lege gratiæ.

B PORRO Christiana pietas non sic. Cùm enim hæreditas nostra sit, de quo dicitur: *Deus charitas est:* sicut illi lege utuntur suæ hæreditati congrua: sic & nos nostræ hæreditati legem vendicare debemus. Charitas enim, quò latiùs divisa diffunditur, tantò uberior dividenti remanet, & augetur. Statuit igitur Christiana religio, ut terminis consanguinitatis secundùm sanctorum Patrum, & Canonum decreta, usque ad sextum gradum ex omni parte pertingentibus ad charitatem conservandam suus natalis sufficiat affectus: quem violare, etiam apud barbaros nefas ducitur. Ubi verò ille deficit, ibi demum ad charitatem religandam, ne subducat se, adnectendum esse vinculum conjugale ad prolongandos terminos nostræ hæreditatis, quæ est ipsa charitas; justissimumque videtur, ut sicut apud illos suâ mulctabatur pœnâ transgressor legis positæ pro terrena eorum hæreditate conservanda, sic apud nos non impunè abeat temerator legis positæ pro cœlesti pane, & divina hæreditate nostra dilatanda. *1. Joan. 4.*

CAPUT IV.

Alia ejusdem edicti ratio communis plerisque Judaicis inter cognatos connubiis, item vetitis.

ADhuc aliud. Qui extra tribum connubia dare prohibebantur licut nos, ad proximos sanguinis accedere eadem lege non permittebantur. Dicit enim lex: *Quivis homo ad proximam sui sanguinis non accedet*, additque auctoritatem jubentis; *Ego Dominus:* & quasi exigeret causam præcepti, rationem addit: *Turpitudinem patris, & turpitudinem matris tuæ non revelabis: quia turpitudo est patris, vel matris tuæ.* Deinde ex sequenti ordine proximos illos sanguinis, ad quos non sit accedendum, nec revelanda eorum turpitudo; fratres, scilicet, & sorores, atque alios, qui ibi describuntur. Quæ causa communis potest esse & nobis, & illis: sicut præceptum commune est & nobis & illis. *Levit. 18.* *Ibidem.*

Num. 36.

Digitized by Google

CAPUT V.

Exponitur quæ sit turpitudo detegi vetita, ad rationis propositæ intelligentiam.

QUæramus igitur quæ sit hæc turpitudo, cujus relatio dignum efficit morte legis transgressorem. Turpe est, ubi pars parti non convenit. In corpore autem humano ante primi hominis prævaricationem nihil erat turpe, nihil dissonum: cùm harmoniâ illâ boni creatoris manu bene ac decenter aptatâ adhuc permanente pars parti conveniret. Deoque anima, animæ verò corpus suum per omnia subditum esset. Postquam verò prævaricatione mundati anima Deo facta est inobediens: superioris Dei rebelli inferius corpus destitit esse obediens. Statim quippe oculi
Genes. 3. aperti sunt transgressoribus. *Et aperti sunt*, inquit, *oculi eorum*: videlicet ad se invicem concupiscendum. Et cùm priùs nudi essent, nec erubescerent: mox corporis sui partes versas esse sentientes in pudenda: & tegere illa festinantes, perizomata sibi fecerunt. Quod etiam nunc in pueris, vel infantibus videre promptum est, qui quamdiu concupiscentiam hanc non sentiunt, pudenda non habent: quia de aliqua corporis sui parte erubescere nesciunt. Ubi verò illius incipiunt esse expertes, jam partes illas intectas ferre non ferunt. Solutâ igitur in primis illis hominibus pulcherrimâ illâ harmoniâ, facta est turpitudo non minima, originalis pœna cum originali peccato ab illis in posteros transitura. Ex hoc igitur in corpore nostro, corpore peccati, membra illa, quæ huic serviunt concupiscentiæ, pudenda, vel turpitudo, vel ignominia nominantur; exterioris turpitudinis, id est, concupiscentiæ velamen semper & latebras naturaliter exigentia. Hæc autem concupiscentiæ turpitudo tunc revelatur, cùm ad indicium sui membrorum suorum sibi exhibet officium: & gestit in effectum omni illo rationalis animæ vigore sic hebetato, confuso, & dejecto, & turpissimæ libidini carnis subsstrato, ut meritò illa hora possit audire: *Adam ubi es?* id est, qui Deo esse similis voluisti, non vides quo devenisti? Et quid turpius hac turpitudine? quid ignominiosius hac ignominia? quam
1. Cor. 6. Apostolus denotans: *Fugite*, inquit, *fornicationem. Omne peccatum, quod peccavit homo, extra corpus est: Qui verò fornicatur, in corpus suum peccat*: id est, omnia peccata animam quidem lædunt, corpus tamen non deturpant. Qui verò fornicatur, non solùm Deum offendit, & contaminat animam: sed & ipsam corporis pulchritudinem totam fœdat & dehonestat. Sicut enim furi deprehenso, ferro vel igne nota inuritur æterni opprobrii: sic naturæ nostræ vitio prævaricationis in toto suo corruptæ, per eum, in quo tota nunc erat, & extra quem non erat, indicium est hoc in pœnam peccati sui. Quæ turpitudo in omnibus perpetuo verecundiæ tegmine esset valanda, nisi ex pœna primi peccati generationi humanæ esset necessaria.

CAPUT VI.

Concluditur ratio proposita & declaratur vetita inter quosdam sanguine junctos connubia ob reverentiam quam sibi invicem debent.

CUjus tamen generationis nullus amor revelari eam permittit in illis, de quibus lex dicit: quo proximi sint sanguinis, & ipsius jure & instinctu naturæ eam sibi debent invicem charitatis reverentiam: ut inter se his contumeliis afficiendi corpora sua nulla possit esse justa causa, nec possit superduci aliquid honestum, quod tegere possit hoc inhonestum. Non quòd negem nuptias sanctas & cubile immaculatum, quæ legitimè & cum timore Dei celebratæ pio amore matrimonium, quo nubentes efficiuntur unus spiritus: ex quo facti sunt una caro, & amore sancto, & desiderio generandæ prolis, sic contegunt honestate sui, & absorbent quodammodo illam humanæ generationis pœnalem turpitudinem: ut secundùm Apostolum, qui nubunt, sint quasi non nubentes. Unde & in Catalogo turpitudinum non revelandarum etiam conjugis turpitudinem Lex ponit non revelandam. *Turpitudinem*, inquit, *uxoris tuæ non revelabis.* Lev. 18.

CAPUT VII.

Cur ea prohibitio apud Christianos ad ulteriores gradus protendatur, quàm apud Judæos.

SIcut igitur jam dictum est, qui extra tribum nubere prohibebantur, eadem lege ad proximos sanguinis accedere non permittebantur, sed apud illos vix tertium gradum consanguinitatis transibat lex illa naturalis affectus: apud nos verò, in quos tempus correctionis devenit, *quibus correxit orbem Dominus*, id Psal. 95. 10. est, perfectionem, *qui non commovebitur*: crevit pietas, superabundavit honestas: & ad designandam Evangelii perfectionem ternarius ille numerus duplicatus porrexit se in senarium, qui perfectus est numerus, & suis partibus constat: sicut Evangelii veritas per se stat, nec eget aliquo, quo fulciatur. Licet apud antiquos etiam viri laude digni honestis aliquibus causis intervenientibus de primo, & secundo gradu temerare præsumpserint: ut ante legem, Abraham, Isaac, & Jacob nuper à cæteris gentibus segregati propter fugiendam cum gentibus commixtionem proximas sanguinis sui duxerunt. Sub lege verò Caleph Othoniel Josue 15. 2. fratri suo minor victa civitate Debirarum in præmium victoriæ filiam suam dedit uxorem. Sed & Thamar, cùm opprimeretur à fratre: *Noli*, inquit, *frater, sed* 2. Reg. 13. *pete me à Rege, non negabit me tibi.* Et certè Rex, qui fratri sororem dicebatur daturus uxorem, pater utriusque: quòd cùm, sicut dixi, quibusdam causis intervenientibus illi præsumerent; Christiana pietas nihil vult honestum judicare, quod faciat contra honestatem naturæ. Ecce, quid mihi videatur super quæstione tua, si placet, bene: si displicet, facilè veniam obtinebo apud te.

Digitized by Google

SANCTI ANSELMI
CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI
DIALOGUS
DE GRAMMATICO.

CAPUT PRIMUM.

An Grammaticus sit substantia, an qualitas: proponuntur rationes in utramque partem.

DISCIPULUS.

DE Grammatico peto, ut me certum facias utrùm sit Substantia, * an Qualitas; ut hoc cognito, quid de aliis quæ similiter denominativè dicuntur, sentire debeam, agnoscam. *Mag.* Dic primùm cur dubites? *Disc.* Ideo, quia videtur utrumque posse probari necessariis rationibus, esse, scilicet, & non esse. *Mag.* Proba ergo. *Disc.* Ne ergo fel'ines contradicere, quicquid dixero; sed patere me rationem * ad suum finem perducere: * deinde aut approba, aut corrige. *Mag.* Ut vis. *Disc.* Ut quidem Grammaticus probetur esse substantia, sufficit quia omnis Grammaticus homo, & omnis homo substantia. Quicquid enim habet Grammaticus, ut sequatur * eum substantia, non habet nisi ex eo quia homo est. Quare hoc concesso ut homo sit, quæcunque sequuntur hominem, sequuntur Grammaticum. Quòd vero Grammaticus sit Qualitas, apertè fatentur Philosophi qui de hac re tractaverunt: quorum auctoritatem de his rebus est * impudentia improbare. Item quoniam necesse est ut Grammaticus sit aut Substantia, aut Qualitas; * ut quodlibet horum sit, alterum * non sit; & quodlibet non sit, alterum necesse sit esse: quicquid * valet ad instruendam unam partem, destruit alteram; & quicquid * unam debilitat, alteram roborat. Cùm ergo alterum horum verum sit; alterum falsum; rogo ut falsitatem detegens, aperias mihi veritatem.

al. aut

al. orationem
al. demum

al. eum

al. impudentia
al. Itaque necesse
al. aut
al. & sit
al. videlicet
al. quicquid unam partem adstruit, destruit alteram, &

CAPUT II.

Rationes proposita redarguuntur.

MAGIST.

ARgumenta, quæ ex utraque parte posuisti, necessaria sunt; nisi quod dicis, si alterum est, alterum esse non posse. Quare non debes à me exigere, ut alteram partem esse falsam ostendam, quod ab ullo fieri non potest: * sed quomodo sibi invicem non repugnent, aperiam; si à me fieri potest: sed vellem ego priùs à te ipso audire quid his probationibus tuis objici posse opineris. *Disc* Hoc quod tu à me exigis, * ego à te intentus expectabam. Sed quoniam tu eas-

al. esset.

A dem probationes asseris irreprobabiles; meum est, * quid dubito, aperire * quid me soliçitet; tuum verò est utriusque partis firmitatem & convenientiam ostendere. *Mag.* Dic ergo tu quod sentis, & ego tentabo facere quod poscis. *Disc.* Illam quidem propositionem, quæ dicit Grammaticum esse hominem, hoc modo repelli existimo: quia nullus Grammaticus potest intelligi sine Grammatica; & omnis homo potest intelligi sine Grammatica. Item: omnis Grammaticus suscipit magis & minùs; & nullus homo suscipit magis & minùs: ex qua utraque * contextione binarum propositionum conficitur una conclusio, id est, nullus Grammaticus * est homo.

al. quod dubito
al. quod me

al. cõtextione

B

CAPUT III.

Rationes propositæ contra redarguentem firmantur.

MAGIST.

NOn sequitur. *Disc.* Quare? *Mag.* An tibi videtur animalis nomen * aliquid aliud significare, quàm substantiam animatum sensibilem? *Disc.* Prorsus nihil aliud est animal, quàm substantia animata sensibilis; nec substantia animata sensibilis aliud est, quàm animal. *Mag* Ita est. Sed dic, * quæso, utrùm C omne, quod non est aliud quàm substantia animata sensibilis, possit intelligi præter rationalitatem; nec sit rationale ex necessitate. *Disc.* Negare non possum. *Mag.* Omne igitur animal potest intelligi præter rationalitatem; & nullum animal est ex necessitate rationale. *Disc.* Nequeo dicere quin ex concessis consequatur: quanquam valde metuam quod te suspicor intendere. *Mag.* * At nullus homo potest intelligi præter rationalitatem; * & omnem hominem necesse est rationalem esse. *Disc.* Angustiæ sunt mihi * utrinque: nam si concedo, concludis nullum hominem esse animal: si renuo, dices me non tantùm posse intelligi, sed verè esse sine rationalitate. *Mag.* Ne timeas; non * enim sequitur quod putas. *Disc.* Si sic est, ut promittis, spontaneus concedo quicquid proposuisti: sin autem, invitus. *Mag.* Contexe igitur tu ipse quatuor ultimas propositiones quas feci, in duos syllogismos. *Disc.* * Hoc utique ordine digeri possunt: *Omne ani-*

al. quæso

al. esse
al. aut
al. undique

al. enim, enim

al. Sic

Digitized by Google

mal poteſt intelligi præter rationalitatem : Nullus verò A
al. iterum *homo poteſt intelligi præter rationalitatem.* Item : *Nullum animal rationale eſt ex neceſſitate : Omnis autem homo rationalis eſt ex neceſſitate* : Ex utroque hoc ordine binarum propoſitionum videtur naſci ; *Nullus igitur homo eſt animal* : quo nihil fallius, licet præcedentes propoſitiones ritubare in nullo videam.
al. habent tantùm Duæ namque, quæ ſubjectum * terminum habent, hominem, ſic ſunt per ſe notæ, ut imprudentia ſit eas probare. Duæ verò, quæ ſubjiciunt *animal*, ſic videntur probatæ, ut impudentia ſit eas negare. Sed video horum duorum ſyllogiſmorum connexionem per omnia ſimilem illis duobus, quos paulò antè protuli. Quapropter ad nihil aliud ſuſpicor te hos attulille, niſi ut cùm eorum concluſionem apertè fallam cernerem, idem de ſimilibus, quos ego feceram, decernerem. *Mag.* Sic eſt. *Diſc.* Oſtende ergo in quo & hîc & ibi tanta ſit deceptio ? ut cùm & veræ propoſitiones, & ſecundùm naturam ſyllogiſmorum connexæ
al. concluſione videantur ; nulla tamen eorum * concluſiones veritas tueatur.

CAPUT IV.

Vitium ſyllogiſmorum cap. 2. propoſitorum.

MAGIST.

IN ruis ſyllogiſmis hoc faciam ; meos, ſi vis, per te diſcutio. *Diſc.* Fiat tuo judicio. *Mag.* Repete, & contexe ſyllogiſmos quos feciſti. *Diſc. Omnis homo poteſt intelligi ſine Grammatica. Mag.* Quid dicis ho- C
minem intelligi poſſe ſine Grammatica ? *Diſc.* Ho-
ale quid minem. *Mag.* Dic ergo in ipſa propoſitione * quod intelligis. *Diſc.* Omnis homo poteſt intelligi homo ſine Grammatica. *Mag.* Concedo : aſſume. *Diſc.* Nullus Grammaticus poteſt intelligi ſine Grammatica. *Magiſt.* Quid non poteſt Grammaticus intelligi ſine Grammatica ? *Diſc.* Grammaticus. *Mag.* Profer ergo quod intelligis. *Diſc.* Nullus Grammaticus poteſt intelligi Grammaticus ſine Grammatica.
al. ſimul has *Mag.* Junge * has duas propoſitiones ita integras ſicut eas modo protuliſti. *Diſc. Omnis homo poteſt intelligi homo ſine Grammatica : nullus Grammaticus poteſt intelligi Grammaticus ſine Grammatica.* D
Mag. Vide ergo utrùm habeant communem terminum : ſine quo nihil efficiunt. *Diſc.* Video eas non habere communem terminum, & idcirco nihil ex eis conſequi. *Magiſt.* Contexe alterum ſyllogiſmum. *Diſc.* Non jam opus eſt ut pro ejus oſtenſione labores ; nam adverto ejus fallaciam. Sic enim ejus propoſitiones intelligebam, ac ſi diceretur quia nullus homo eſt magis vel minùs homo ; & omnis Grammaticus eſt magis vel minus Grammaticus : & quoniam hæ duæ propoſitiones nullum habent communem
al. ita neceſſe videtur terminum, nihil conficiunt. *Mag.* Itane * tibi videtur his tuis connexionibus nihil concludi poſſe. *Diſc.* Ita utique putabam ; ſed hæc tua interrogatio me facit ſuſpectum, ne fortè in illis lateat aliqua E
efficacia : ſed quomodo efficiunt ſine communi termino ? *Mag.* Communis terminus ſyllogiſmi non
al. prolatione tam in * prolatione, quàm in ſententia eſt habendus. Sicut enim nihil efficitur, ſi communis eſt in
al. nec voce & non in ſenſu : ita * nihil obeſt, ſi eſt in intellectu, & non in prolatione. Sententia quippe ligat ſyllogiſmum, non verba.

CAPUT V.

Quid ex prædictis ſyllogiſmis effici legitimè valeat, in eorum uno docetur.

DISCIP.

EXpecto ut reddas effectum propoſitionibus meis. *Magiſt.* Efficiunt verè * aliquid ; ſed non quod expectas. * *Diſc.* Quicquid illud ſit, non gratus accipio. *Magiſt.* Qui dicit, *omnis homo poteſt intelligi homo ſine Grammatica*, &, *nullus Grammaticus poteſt intelligi Grammaticus ſine Grammatica* : nonne hoc ſignificat quia eſſe hominis non indiget Gram- B
maticâ, & eſſe Grammatici indiget Grammaticâ ? *Diſc.* Nihil verius. *Mag.* An habent communem terminum hæ duæ propoſitiones, quas modo dixi * ſignificari al. omit. ſignificati
in aliis duabus ? *Diſc.* Habent. *Mag.* Conficitur ergo quia eſſe Grammatici non eſt eſſe hominis, id eſt, non eſſe * eandem diffinitionem utriuſque : *Diſc.* Procul al. eandem definitionem
dubio ſic video eſſe & conſequi. *Mag.* Non tamen ideo conſequitur Grammaticum non eſſe hominem, ſicut tu intelligebas. Sed ſi ita intelligas, *Grammaticus non eſt homo*, * ac ſi dicatur, Grammaticus non al. id eſt, ac
eſt idem quod homo, id eſt, non habent eandem diffinitionem ; vera eſt concluſio.

CAPUT VI.

Alterum ſophiſma diſcutitur ex dictis.

DISCIP.

INtelligo quod dicis. *Mag.* Si ergo bene intelligis quæ dixi ; dic quomodo tu diſſolveres hunc ſyllogiſmum, ſi quis ita contexeret ? *Omnis Grammaticus dicitur in eo quod quale : nullus homo dicitur in eo quod quale : ergo nullus homo Grammaticus. Diſc.* Tale mihi hoc videtur eſſe, ac ſi diceretur : *Omne rationale dicitur in eo quod quale : at nullus homo dicitur in eo quod quale : nullus ergo homo rationalis* : hoc autem nulla probatio verum efficere valet, ut rationale prædicetur de nullo homine. Similiter ille ſyllogiſmus, quem modò protuliſti, non neceſſariò concludit Grammaticum non prædicari de homine ; hoc enim ſignificant ejus propoſitiones, ſi ſecundùm veritatem eas intelligimus, tanquam ſi diceretur ita : *Omnis Grammaticus dicitur Grammaticus in eo quod quale : Nullus homo dicitur homo in eo quod quale.* Ex his autem duabus propoſitionibus nequaquam conſequitur, *nullus Grammaticus prædicatur de homine* : quoniam non eſt idem terminus, qui affirmatur de Grammatico, & negatur de homine. Eſſet * verò in illis al. eſſent
communis terminus, & neceſſariam concluſionem ingererent ; ſi * aut manente propoſitione, ſicut * poſita eſt, ſic vera * fieret aſſumptio. *Nullus homo di-* al. autem al. propoſita al. fuerit
citur Grammaticus in eo quod quale ; aut manente aſ-
al. omnis homo dicitur Grammaticus ſumptione, ſic verè proponeretur, *Omnis Grammaticus dicitur homo in eo quod quale.* Nam ex utraque hac complexione naſceretur quia de nullo homine Grammaticus prædicaretur : ſi quis verò id quod dicitur, *homo non eſt Grammaticus*, ita velit intelligere ac ſi diceretur, *homo non eſt idem quod Grammaticus* : ut ſi dicam, fulgor eſt ſplendor, aut fulgor non eſt ſplendor, id eſt, fulgor eſt idipſum, aut * non eſt idipſum al. aut fulgor non
quod ſplendor ; ſi quis, inquam, ſic intelligat hoc quod dicitur, homo non eſt Grammaticus : * ſecun- al. ſed hunc ſenſum conſequatur
dùm hunc ſenſum conſequitur ex illis propoſitionibus ſi earum vis conſideretur bene, quia nullus homo eſt Grammaticus : nam ad hoc probandum quia eſſentia hominis non eſt eſſentia Grammatici, habet earum ſignificatio communem terminum.

CAPUT

Digitized by

CAPUT VII.

Iterùm discutitur primi argumenti cap. 2. propositum.

MAGIST.

BEne intellexisti quid dixi, sed fortè non bene consideràsti. * *Disc.* Quomodo bene intellexi, & non bene consideravi? *Mag.* Dic mihi si quis sic proponeret: *Nullus homo potest intelligi sine rationalitate: Omnis autem lapis potest intelligi sine rationalitate:* quid consequiretur? *Disc.* Quid, nisi *nullus* * *igitur lapis homo? Mag.* Quomodo hoc intelligis? an quia nullo modo lapis est homo; an quia non est lapis idem quod homo? *Disc.* Quia nullo modo lapis * est homo. *Mag.* Dic ergo quid differt iste syllogismus ab illo tuo syllogismo, in quo dicis Grammaticum non posse intelligi sine Grammatica, hominem verò posse*; & ideo Grammaticum hominem non esse? *Disc.* Quantùm quidem ad vim argumentationis, nihil video hunc ab illo differre: * sicut enim ibi intelligendum est quia Grammaticus non potest intelligi Grammaticus sine Grammatica, * & homo potest intelligi homo sine Grammatica. [Ita hîc est intelligêdum quia homo non potest intelligi homo sine rationalitate, * & lapis potest intelligi lapis sine rationalitate:] & idcirco cùm hujus syllogismi rata sit conclusio, quia nullo modo lapis est homo; videris mihi syllogismi mei, qui omnino similis est illi, conclusionem callidis tuis expositionibus obtrusisse. * Unde jam intelligo quid dixeris quia bene intellexi, sed non bene consideravi: bene enim intellexi quid loquendo mihi significares; sed idipsum quod significabas, non bene consideravi: quia quomodo me deciperet ignoravi. *Mag.* * Immò in hoc non bene cõsideràsti, quia quomodo te* non deciperet ignorasti. *Disc.* Quomodo? *Mag.* Quippe si iste syllogismus, quem modo proposui, sic exponatur, quemadmodum exposui tuum; ut dicatur, *Nullus homo potest intelligi homo sine rationalitate: Omnis autem lapis potest intelligi* * *lapis sine rationalitate*, non * habebit aliam vim concludendi, quam dixi tuum habere. Sed quoniam iste quodam alio modo potest intelligi, quo ille tuus non potest; habet hanc conclusionem, ut nullo modo lapis possit esse homo: cùm enim dico quia nullus homo intelligi valet sine rationalitate, & omnis lapis potest intelligi sine rationalitate; sic potest, immò debet accipi, ac si dicatur: nullus homo potest aliquo modo intelligi sine rationalitate: omnis verò lapis quolibet modo potest intelligi sine rationalitate: unde conficitur, *nullus igitur lapis aliquo modo est homo.* In tuis verò propositionibus veritas nequaquam similem admittit subauditionem: non enim potest dici * quia nullus Grammaticus intelligi valet aliquo modo sine Grammatica; aut, omnis homo valet quolibet modo intelligi sine Grammatica: nam * omnis homo qui Grammaticus est, potest intelligi homo sine Grammatica, & nullus * homo potest intelligi Grammaticus sine Grammatica. Quapropter non * possunt conficere Grammaticum nequaquam esse hominem.

al. igitur
al. omit. est
al. posse non Grammaticum
al. sic
al. omit.
al. omit.
al. bene
al. omit. Immò
al. omit. Non
al. omit lapis
al. habet
al. omit. quia
al. Nam & omnis qui
al. omit. homo
al. possum

CAPUT VIII.

Examen argumenti cap. 5. propositi.

DISCIP.

NOn habeo quid contra hanc sententiam tuam dicam. Sed quoniam latenter monuisti me ut non sim contentus intelligere quid dicas; sed idipsum quod dicis, considerem: videtur mihi * consideranda tua conclusio, quam ex meo syllogismo confici ostendisti: quia esse Grammatici non est esse hominis. Si enim hoc est; qui habet essentiam Grammatici, non ideo necessariò habet essentiam hominis: sed si homo sequatur Grammaticum; essentia hominis sequitur essentiam Grammatici: sed hæc non sequitur hanc; quare nec ille illum. Non * est igitur omnis Grammaticus homo: at cùm omnibus Grammaticis una sit ratio, cur sint homines; profectò aut omnis Grammaticus * est homo, aut nullus. Sed constat quia non omnis; nullus igitur. * Videtur itaque quia syllogismo meo conclusionem, quam acutè abstulisti, auferêdo acutiùs dedisti. *Mag.* Et si latenter te monui considerare quod audis; non tamen, ut apparet, inutiliter: nam etsi sophisticè * probes nullum Grammaticum hominem, per hoc quod esse Grammatici non est esse * hominis; utile tamen tibi erit, cùm ipsum sophisma quod te sub pallio veræ rationis fallit, in sua fallacia nudum conspicies. *Disc.* Ostende ergo quòd me * fallat; & ubi me fallat hæc, quam modo feci de Grammatico, probatio. *Mag.* Redeamus iterum ad animal & hominem, in quibus ita quasi palpamus veritatem, ut nullum sophisma nobis persuadeat, licèt cogat, credere falsitatem. Dic ergo utrùm esse uniuscujusque rei in diffinitione constitat. *Disc.* Ita est. *Mag.* Diffinitio hominis est diffinitio animalis? *Disc.* Minimè: si enim *animal rationale mortale* (quæ est diffinitio hominis) esset diffinitio animalis; cuicunque conveniret animal, conveniret rationale * mortale; quod falsum est. *Mag.* Non est igitur esse hominis esse animalis. *Disc.* Ita consequitur. *Mag.* Potes igitur ex hoc probare *quia nullus homo animal* * *est*, eâdem ratione, qua probasti modò nullum Grammaticum esse hominem. Quapropter si vides apertam esse falsitatem * quod hæc tua ratiocinatio hîc concludit; ne credas certam * esse veritatem, quod ibi * ludit. *Disc.* Jam ostendisti quia me fallit, ostende etiam ubi. *Mag.* Non tenes, quod paulò antè dixi te concedente, quia esse Grammatici non est esse hominis, idem * est ac si diceretur: diffinitio Grammatici non est diffinitio hominis, id est, non est idem Grammaticus omnino & homo. Sicut enim homo non debet definiri cum Grammatica, ita Grammaticus non valet sine Grammatica. Quare debet intelligi illa tua argumentatio hoc modo? Si esse Grammatici non est simpliciter esse hominis; qui habet essentiam Grammatici, non ideo sequitur ut habeat simpliciter essentiam hominis. Similiter intelligendum est quia simpliciter homo non sequitur Grammaticum, id est, si Grammaticus est, non sequitur ut sit simpliciter homo; ita verò nihil aliud sequitur, nisi *nullus Grammaticus est simpliciter homo.* * *Disc.* Nihil clarius.

al. omit. est
al. omit. est
al. Igitur videtur, itaque syllogismo
al. probem
al. tationis
al. fallit
al. omit. mortale
al. cum
al. quia
al. omit esse
al. concludit
al. homo, quod verum est non simpliciter; sed homo talis est Grammaticus.

CAPUT IX.

An sit aliquis Grammaticus non homo.

MAGIST.

VErùm si probaretur, quod (ut puto) * facilè fieri potest, quia esse Grammatici ita non est esse hominis, sicut esse albi non est esse hominis: (potest enim homo esse sine albo, & album sine homine) tunc verè sequeretur aliquem Grammaticum posse esse non hominem. *Disc.* Quid ergo laboramus? * Si hoc probari potest, proba: & * finiatur hæc quæstio. *Mag.* Non hoc à me debes hîc exigere; non enim in hac quæstione ventilamus utrùm possit esse, sed utrùm sit aliquis Grammaticus non homo: quod vides monstrati non posse. *Disc.* Nondum video: quia adhuc habeo dicere contrà. *Mag.* Dic. *Disc.* Aristoteles ostendit Grammaticum eorum esse quæ sunt in subjecto:

al. difficile
al. laboramus utrum possit esse
al. firmetur

Digitized by Google

al. quia

& nullus homo est in subjecto: * quare nullus Grammaticus homo. *Mag.* Noluit Aristoteles hoc consequi ex suis dictis: nam idem Aristoteles dicit quemdam hominem, & hominem & animal Grammaticum. *Disc.* Quomodo ergo dissolvitur iste syllogismus? *Mag.* Responde mihi: cùm loqueris mihi de Grammatico, unde intelligam te loqui de hoc nomine, an de rebus quas significat? *Disc.* De rebus. *Mag.* Quas ergo res significat? *Disc.* Hominem, & Grammaticam. *Mag.* Audito ergo hoc nomine, intelligam hominem aut Grammaticam; & * loquens de Grammatico * loquar de homine, aut de Grammatica. *Disc.* * Ita oportet. *Mag.* Dic ergo: homo est substantia, an in subjecto? *Disc.* Non est in subjecto, sed est substantia. *Mag.* Grammatica est qualitas, & in subjecto. *Disc.* Utrumque est. *Mag.* Quid ergo mirum, si quis dicit quia Grammaticus est substantia, & non est in subjecto, secundùm hominem; & * Grammaticus est qualitas, & in subjecto, secundùm Grammaticam?

al. loqueris
al. loquor
al. loquæ

al. Grammatica

CAPUT X.

Grammaticus an sit prima, an secunda substantia.

DISCIP.

al. cùm

DIffiteri non possum: sed unum adhuc dicam * cur Grammaticus non sit substantia: quia omnis substantia est prima, aut secunda; Grammaticus autem nec prima, nec secunda. *Mag.* Memento dictorum Aristotelis, quæ paulò ante dixi, quibus dicit * Grammaticum & primam & secundam substantiam; quia & hominem quemdam, & hominem & animal, Grammaticum dici testatur: sed tamen unde probas Grammaticum non esse primam, aut secundam substantiam? *Disc.* Quia est in subjecto; * quod nulla substantia est: & dicitur de pluribus; quod primæ non est: nec est genus, aut species, nec dicitur in eo quod quid; quod est secundæ. *Mag.* Nihil horum, si bene meministi quæ jam diximus, * aufert Grammatico substantiam: quia secundùm * aliquid Grammaticus non est in subjecto, & est genus, & species, & dicitur in eo quod quid: quia est & homo, qui species est; & animal, quod est genus; & hæc dicuntur in eo quod quid. * Est etiam individuus, sicut homo, & animal: quia quemadmodum quidam homo, & quoddam animal; ita quidam Grammaticus est individuus. Socrates enim & homo, & animal est, & Grammaticus. *Disc.* Non possum negare quod dicis.

al. Grammaticus

al. quia

al. sufferunt
al. aliud

al. autem

CAPUT XI.

Hominem non esse Grammaticam.

MAGIST.

SI alia non habes, unde possis probare Grammaticum non esse hominem; nunc proba eum non esse Grammaticam. *Disc.* Facilius hoc possum digito, quàm argumento. Ibi namque fregisti omnia mea argumenta, ubi aperuisti à Grammatico significari diversa, & secundùm ea loquendum & intelligendum de Grammatico: quod quamvis * abnuere non possim: tamen non sic satisfacit animo meo, ut velut quod quærebat invento, quiescat: videris * enim mihi quasi non * curare ut me doceas, sed tantùm ut rationes meas obstruas. Sed sicut meum fuit exponere, quæ me ex utraque parte in ambiguitatem cogunt: ita tuum erat aut unam partem destruere, aut ostendere quomodo sibi invicem non repugnent. *Mag.* Cur non satis tibi videtur ostensum quòd Grammaticum esse substantiam, & * Grammaticum esse qualitatem, nequaquam repugnent sibi invicem, in eo quod de Grammatico modò secundùm hominem, modò secundùm Grammaticam loqui & intelligere oportet? *Disc.* Quoniam nemo qui intelligit nomen Grammatici, ignorat Grammaticum significare hominem & Grammaticam: & tamen si hac fiduciâ in populo loquens dicam: *nulla scientia est * Grammaticus*, aut, *benè * scit homo iste * Grammaticum*: non solum stomachabuntur Grammatici, sed & ridebunt rustici. Nullatenus itaque credam sine aliqua alia ratione tractatores Dialecticæ tam sæpe & tam studiosè in suis libris scripsisse quod idem ipsi colloquentes dicere erubescerent: sæpissimè namque cùm volunt ostendere qualitatem, aut accidens; subjungunt, *ut, Grammaticus, & similia*: cùm * Grammaticum magis esse substantiam, quàm qualitatem aut accidens, usus omnium loquentium * attestetur: & cùm volunt * aliquid docere de substantia, nusquam proferrunt, *ut, Grammaticus, aut * aliquid hujusmodi*. Huc accedit quia si ideo Grammaticus, quia significat hominem & Grammaticam, dicendus est substantia & qualitas: cur homo non est * similiter qualitas & substantia? homo namque significat substantiam, cum omnibus illis differentiis, quæ sunt in homine, ut est, sensibilitas, & mortalitas. Sed nusquam ubi sit scriptum * aliquid de qualitate aliqua, * prolatum est ad exemplum, *velut homo*.

al. Grammatica
al. sic
al. Grammatica

al. Grammaticum

al. attestatur
al. aliud dicere
al. aliud

al. superior non est qualitas

al. aliud
al. probatum

CAPUT XII.

Homo, & Grammaticus, quàm variè significent sua significata.

MAGIST.

QUòd illam rationem quam dixi, cur Grammaticus, scilicet, sit substantia & qualitas, idcirco repudias, quia non valet in nomine hominis; idcircò facis, ut puto, quia non consideras quàm dissimiliter significent: scilicet, nomen hominis, ea ex quibus constat homo; & Grammaticus, hominem & Grammaticam. Nempe nomen hominis per se, & ut unum, significat ea ex quibus constat totus homo; in quibus substantia principalem locum tenet, quoniam est causa aliorum, & habens ea non ut indigens illis, sed ut se indigentia. Nulla enim est differentia substantiæ, sine qua substantia inveniri non possit; & nulla differentiarum ejus, sine illa potest existere. Quapropter quamvis omnia simul, velut unum totum, sub una significatione uno nomine appellentur homo: sic tamen principaliter hoc nomen est significativum & appellativum substantiæ; ut cùm rectè dicatur, *substantia est homo*, &, *homo substantia*, nullus tamen dicat, *rationalitas est homo*, aut, *homo rationalitas*, sed habens rationalitatem. Grammaticus verò non significat hominem, & Grammaticam, ut unum; sed Grammaticam per se, & hominem per aliud significat: & hoc nomen quamvis sit appellativum hominis; non tamen propriè dicitur ejus * significativum: & licet sit * significativum Grammaticæ; non tamen propriè est ejus appellativum. Appellativum autem nomen cujuslibet rei nunc dico, quo res ipsa usu loquendi appellatur: nullo enim usu loquendi dicitur: *Grammatica est Grammaticus*, aut, *Grammaticus est Grammatica*; sed, *homo est Grammaticus*, &, *Grammaticus homo*.

al. significativum

Digitized by Google

CAPUT XIII.

*De formali * significatione vocis*, Grammaticus. al. significato

DISCIP.

NOn video quid dicas, quòd Grammaticus significat Grammaticam per se, & hominem per aliud; & * quo modo Grammaticæ tantùm * significativum sit. Sicut enim homo constat ex animali, & rationalitate, & mortalitate; & idcircò homo significat hæc tria; ita Grammaticus constat ex homine, & Grammatica; & ideo nomen hoc significat utrumque. Numquam enim dicitur Grammaticus aut homo sine Grammatica, aut Grammatica sine homine. *Mag.* Si ergo ita est, ut tu dicis; diffinitio & esse Grammatici, est homo sciens Grammaticam. *Disc.* Non potest aliud esse. *Mag.* Ergo cùm Grammatica dividit hominem Grammaticum à non Grammatico; conducit Grammaticum ad esse, & est pars ejus quod est esse rei; nec potest adesse & abesse à Grammatico, præter subjecti corruptionem. *Disc.* Quid inde? *Mag.* Non est igitur Grammatica accidens, sed substantialis differentia; & homo * est genus, & Grammaticus species: nec dissimilis est ratio de albedine, & similibus accidentibus: quod falsum esse totius artis tractatus ostendit. *Disc.* Quamquam non possum negare quod dicis; nondum tamen mihi persuasum est quòd Grammaticus * non significet hominem. *Mag.* Ponamus quòd sit animal aliquod rationale, non tamen homo quod ita sciat Grammaticam sicut homo. *Disc.* Facile est hoc fingere. *Mag.* Est igitur aliquis non homo sciens Grammaticam. *Disc.* Ita consequitur. *Mag.* At omne sciens Grammaticam, est Grammaticum. *Disc.* Concedo. *Mag.* Est igitur quidam non-homo Grammaticus. *Disc.* Consequitur. *Magist.* Sed tu dicis in Grammatico intelligi hominem. *Disc.* Dico. *Mag.* Quidam ergo non-homo est homo, quod falsum est. *Disc.* Ad hoc ratio deducitur. *Mag.* Nonne ergo vides quia Grammaticus non ob aliud magis videtur significare hominem, quàm * albus; nisi quia Grammatica soli homini * accidit, albedo verò non soli homini? *Disc.* * Sic sequitur ex eo quod finximus: sed sine figmento volo ut hoc efficias. *Mag.* Si homo est in Grammatico, non prædicatur cum eo simul de aliquo; sicut animal non prædicatur cum homine, quia inest in homine: non enim aptè dicitur quòd Socrates est homo animal. *Disc.* Non potest contradici. *Mag.* Sed convenienter * dicitur quòd Socrates est homo Grammaticus. *Disc.* Convenienter. *Magist.* Non est igitur homo in Grammatico. *Disc.* Sic consequi video. *Mag.* Item: si Grammaticus est homo sciens Grammaticam; ubicunque ponitur Grammaticus, aptè ponitur homo sciens Grammaticam. *Disc.* Ita est. *Mag.* Si igitur aptè dicitur, Socrates est homo Grammaticus; aptè quoque dicitur, Socrates est homo * homo sciens Grammaticam. *Disc.* Consequitur. *Mag.* Omnis autem homo sciens Grammaticam est homo Grammaticus. * *Disc.* Ita est. *Mag.* Socrates igitur, qui est homo homo sciens Grammaticam, est homo homo Grammaticus:] & quoniam homo Grammaticus est homo sciens Grammaticam, consequitur ut Socrates sit homo homo sciens Grammaticam: & sic in infinitum. *Disc.* Non possum * apertæ consequentiæ resistere. *Mag.* * Item: si in Grammatico homo intelligendus * est cum Grammatica; similiter in omnibus similibus denominativis, id * quod denominatur cum eo à quo denominatur. *Disc.* Hoc * sentiebam. *Mag.* Ergo hodiernum significat id quod vocatur hodiernum & hodie. *Disc.* Quid postea? *Mag.* Hodiernum igitur significat * aliquid cum tempore. *Disc.* Ita esse necesse est. *Mag.* Ergo, hodiernum non est * nomen sed verbum; quia est vox significans tempus; nec est oratio.

al. quod modo — al. significatum — al. nonne homo — al. albus — al. convenit — al. sicut sequitur, ex eo finximus — al. dico — al. omit. homo — al. aptè — al. igitur — al. omit. cum Grammatica — al. id est quod — al. hoc sentiebam — al. aliud — al. nil scilicet

CAPUT XIV.

*Grammaticum * esse significativum Grammaticæ, sive significare scientem Grammaticam.* al. significatum

DISCIP.

SAtis mihi probasti Grammaticum non significare hominem. *Mag.* Vides igitur qui dixerim quia Grammaticus non est hominis * significativum. *Disc.* Video: & expecto ut Grammaticum ostendas * significativum esse Grammaticæ. *Magist.* Nonne paulò antè dicebas Grammaticum significare hominem scientem Grammaticam? *Disc.* Et credebam. *Magist.* Sed jam satis probatum est quia non significat hominem. *Disc.* Satis. *Magist.* Quid ergo restat? *Disc.* Ut non significet aliud, quàm scientem Grammaticam. *Magist.* Est ergo * significativum Grammaticæ. *Disc.* Sufficienter probatum est Grammaticum non esse appellativum Grammati[illegible], sed hominis; nec esse * significativum hominis, sed Grammaticæ: sed quoniam dixisti Grammaticum significare Grammaticam per se, & hominem per aliud: peto ut apertè mihi has duas significationes distinguas, ut intelligam quomodo Grammaticus non sit * significativum ejus quod * aliquo modo significat; aut quomodo sit appellativum * ejus, cujus significativum non est. *Mag.* Si est in domo aliquis albus equus, te nesciente, inclusus; & alius tibi dicit, in hac domo est album sive albus: an scis per hoc ibi * esse equum? *Disc.* Non: sive enim dicat album albedinem, sive in quo * inest albedo; nullius certè rei mente concipio essentiam, nisi hujus coloris. *Mag.* * Etiamsi aliquid aliud intelligis, quàm colorem istum; illud tamen * certum est, quia ejus in quo est ipse color, essentiam per hoc nomen non intelligis. *Disc.* Certum: nam * etsi occurrat animo corpus aut superficies, quod non ob aliud fit nisi quia expertus sum in his * solere esse albedinem; ipsum tamen nomen albi nihil horum significat; sicut * probatum est de Grammatico: sed adhuc expecto ut ostendas *, quid significet. *Mag.* Quid si vides stantes juxta se invicem album equum, & nigrum bovem, & dicit tibi aliquis de equo, *percute illum*, non monstrans aliquo signo de quo * dicat; an scis quòd de equo dicat? *Disc.* Non. *Mag.* Si verò nescienti tibi, & interroganti, * quem? respondet, album: intelligis de quo dicit? *Disc.* Equum intelligo per nomen albi. *Mag.* Nomen ergo albi significat * tibi equum. *Disc.* Significat utique. *Mag.* Nonne vides quia alio modo, quàm nomen equi? *Disc.* Video: nempe nomen equi, etiam priusquam sciam ipsum equum album esse, significat * mihi equi substantiam per se, & non per aliud. Nomen verò albi equi substantiam * significat non per se sed per aliud, id est, per hoc quòd scio equum esse album; cùm enim nihil aliud significet hoc nomen, quod est *albus*: quàm hæc oratio, * quæ est *habens albedinem*: * sicut hæc oratio per se constituit mihi intellectum albedinis, & non ejus rei quæ habet albedinem; ita & nomen. * Sed quoniam scio albedinem esse in equo, * & hoc per aliud quàm per nomen albi * velut per visum intellecta albedine, per hoc nomen] intelligo equum, per hoc quòd albedinem scio esse in equo: id est, per aliud quàm per nomen albi; quo tamen equus appellatur.

al. significatum — al. appellativum, si significativum — al. aliquis — al. inesse — al. in quo sive cui — al. si — al. certum — al. si — al. solem esse per albedinem — al. prolatum — al. quia significat — al. dicitur — al. quoniam respondit — al. omit. tibi — al. omit. si significat — al. quod sed hæc — al. scilicet — al. & per

Digitized

CAPUT XV.

Exemplo albi doctrina proposita explicatur.

MAGIST.

Vides ergo * quomodo albus non sit significativum ejus, quod aliquo modo significat; & quomodo sit appellativum ejus, cujus non est significativum. *Disc.* Hoc quoque video: significat enim equum, & non significat: * quia non eum significat per se, sed per aliud; & tamen equus appellatur albus; & quod video in albo, hoc intelligo in Grammatico, & in similibus denominativis. Quapropter videtur mihi significatio nominum, & verborum sic dividi posse; quòd alia sit per se, alia per aliud. *Mag.* Considera etiam quoniam harum duarum significationum, illa quæ per se est, ipsis vocibus significativis est substantialis; alia verò * accidentalis. Cùm * enim in diffinitione nominis vel verbi * dicitur, quia est vox significativa; intelligendum est, non aliâ significatione, quam eâ quæ per se est: nam si illa significatio quæ est per aliud, in diffinitione nominis vel verbi intelligenda est; jam non erit, * *hodiernus*, nomen, sed verbum; significat enim aliquando eâ significatione * aliquid cum tempore, sicut * suprà dixi, quod non est nominis, sed verbi.

al. quoniam album

al. eum: non enim

al. appellativa accidentalis

al. vero

al. hodiernum

al. aliud Cap. 13. in fine.

CAPUT XVI.

Quomodo Grammaticus sit qualitas.

DISCIP.

PAtet quod dicis; sed non sine scrupulo accipit animus Grammaticum esse qualitatem, quamvis significet Grammaticum; aut hominem solum, id est, sine Grammatica, esse Grammaticum: licet probàtum sit hominem simul & Grammaticam * non esse Grammaticum. Unde consequitur solum hominem esse Grammaticum; quoniam non potest esse Grammaticus, nisi aut solus, aut cum Grammatica: quamvis * namque Grammatici nomen * significativum sit Grammaticæ, non tamen convenienter respondetur interroganti, quid Grammaticus sit; Grammatica, aut, qualitas: & si nullus est Grammaticus, nisi participando Grammaticam; consequitur ut homo non sit Grammaticus, nisi cum Grammatica. *Mag.* Quod quidem dicitur quòd homo solus, id est, sine Grammatica est Grammaticus, quantùm ad tuam quæstionem * solvendam sufficit, duòbus modis intelligi potest; uno * vero, altero falso: homo quippe solus, * id est, absque Grammatica, est Grammaticus; quia solus est habens Grammaticam: Grammatica namque, nec sola, nec cum homine habet Grammaticam: sed homo solus, id est, absque Grammatica, non est Grammaticus; quia absente Grammaticâ nullus * esse Grammaticus potest: sicut qui præcedendo ducit alium, & solus est * prævius; quia qui sequitur non est * prævius, nec separatim, nec sic ut ex illis duobus unus fiat * prævius; & solus non est * prævius, quia nisi sit qui * sequatur, * prævius esse non potest. Cùm verò dicitur quòd Grammaticus est qualitas; non rectè, nisi secundùm tractatum Aristotelis de Categoriis, dicitur.

al. omit. non

al. nunquam

al. omn. solvendam

al. modo vero, altero modo falso

al. nullus est. vel potest esse

al. primus

al. consequentur

CAPUT XVII.

De Aristotelis sensu in tractatu de Categoriis.

DISCIP.

AN aliud habet ille tractatus, quàm *omne quod est, aut est substantia, aut qualitas, aut quantitas, &c.* Si ergo solus homo est Grammaticus; * sola substantia est Grammaticus, quomodo ergo secundùm illum tractatum, Grammaticus magis est qualitas quàm substantia? *Mag.* Etsi hoc ibi intelligatur quod tu dicis: quia omne quod est, aliquid horum est: non tamen fuit principalis intentio Aristotelis hoc in illo libro ostendere; sed quoniam omne nomen, vel verbum aliquid horum significat: non enim intendebat ostendere quid sint * singulæ res, nec quarum rerum sint appellativæ singulæ voces; sed quarum significativæ * sint. Sed quoniam voces non significant nisi res; dicendo quid sit quod voces significant, necesse fuit dicere quid sint res. Nam (ut alia taceam) sufficienter hoc quod dico, divisio, quam facit in principio * tractatus Categoriarum, ostendit; non enim ait: *Eorum quæ sunt, * singulum est substantia, aut quantitas, &c.* Nec ait: *Eorum, quæ secundùm * nullam complexionem dicuntur, * singulo aut substantia appellatur, aut quantitas; sed ait: *Eorum, quæ secundùm nullam complexionem dicuntur, singulum aut substantiam significat aut * quantitatem. *Disc.* Persuadet ratio quod dicis. *Mag.* Cùm ergo Aristoteles ita dicat: *eorum, quæ secundùm nullam complexionem dicuntur, singulum aut substantiam significat, aut quantitatem, &c.* De qua significatione videtur tibi dicere; de illa * quâ per se significant ipsæ voces, & quæ illis est substantialis: * an de altera quæ per aliud est, & accidentalis? *Disc.* Non nisi de ipsa, quam idem ipse eisdem vocibus inesse, diffiniendo nomen & verbum, assignavit; * quâ per se significant. *Mag.* An putas illum aliter prosequutum in tractatu, quàm proposuit in divisione; * an aliquem eorum, qui eum sequentes de Dialectica scripserunt, aliter sentire voluisse de hac re, quàm sentit ipse? *Disc.* Nullo modo eorum scripta hoc * aliquem opinari permittunt: quia nusquam invenitur aliquis eorum * posuisse aliquam vocem, ad ostendendum * aliquid quod significet per aliud; sed semper ad hoc, quod per se significat. Nullas enim volens monstrare substantiam, ponit album aut * Grammaticum; sed de qualitate docens, album & nigrum * profert, & similia.

al. singulæ

al. omnia; tractatus

al. singulum; tidum

al. nunc. eorum

al. ullam

al. singulum

al. qualitatum

al. quam

al. aut

al. quæ

al. aliam

al. aliud opinari permittunt

al. omn. posuisse

al. aliud

al. Grammaticam

al. ponunt

CAPUT XVIII.

Quòd Dialectici appellent vetere nomine rerum quarum sunt significativæ.

MAGIST.

SI ergo propositâ divisione præfatâ, quæro à te quid sit Grammaticus, secundùm hanc divisionem: & secundùm eos, qui illam scribendo de Dialectica sequuntur, quid quæro: aut quid mihi respondebis? *Disc.* Procul dubio non * hîc potest quæri, nisi aut de voce aut de re, quam significat. * Quare quia constat Grammaticum non significare secundùm hanc divisionem, hominem, sed Grammaticam: incunctanter respondebo, si quæris de voce, quia est vox significans qualitatem; si verò quæris de re, quia est qualitas. *Mag.* An ignoras quia idem Aristoteles appellat voces nomine rerum quarum * sunt significativæ, & non quarum tantùm sunt appellativæ, in eodem libro; ut cùm dicit quia omnis substantia videtur significare hoc aliquid, id est, omnis vox * significans substantiam; sicut nominat vel potius ostendit res (quod tu paulò antè memoriâ) solis vocibus earum significativis, & sæpe non appellativis. *Disc.* Non hoc ignoro: pos-

al. hoc

al. omis. quidem

al. quarum voces

al. omis. tamen

al. significans

Digitized by Google

sum : quare sive quæratur de voce, sive de re, cùm quæritur quid sit Grammaticus secundùm Aristotelis tractatum, & secundùm sequaces ejus: rectè respondetur, qualitas : & tamen secundùm appellationem * verè est substantia. *Mag.* Ita est : non enim movere nos debet, quòd Dialectici aliter scribunt de vocibus, secundùm quòd sunt significativæ: aliter eis utuntur loquendo secundùm quòd sunt appellativæ : * Si & Grammatici aliud dicunt secundùm formam * vocum, aliud secundùm rerum naturam. Dicunt * quippe lapidem esse masculini generis, petram fœminini, mancipium * autè neutri ; timere * activum, timeri * vero passivum : cùm nemo dicat lapidem * esse masculùm, aut petram fœminam, an * mancipium nec masculum nec fœminam ;] aut timere facere ; timere autem pati.

al. vera

al. sed &

al. omit. vocum

al. quidem

al. omit. verò

al. omit. esse

al. omit.

CAPUT XIX.

Utrùm Grammaticus, cùm designet habentem qualitatem, spectet ad Categoriam, habere.

Discip.

Aperta ratio * nihil me in his quæ dixisti dubitare permittit : sed adhuc est de hac quæstione quod velim * discere. Nam si Grammaticus est qualitas, quia significat qualitatem ; non video cur armatus non sit substantia, cùm significet substantiam : & sic armatus ideo est habere, quia significat habere ; ignoro cur Grammaticus non sit habere, * cùm significet habere. Omnino enim quemadmodum Grammaticus probatur significare qualitatem, quia significat habentem qualitatem : ita armatus significat substantiam, quia significat habentem * substantiam, id est, arma : & sicut armatus convincitur significare, habere, quia significat habentem arma ; sic Grammaticus significat, habere, quia significat habentem] disciplinam. *Mag.* Nullatenus hac ratione considerata, negare possum aut armatum esse substantiam, aut Grammaticum habere. *Disc.* Vellem ergo à te doceri utrùm unum * aliquid possit esse diversorum prædicamentorum. *Mag.* Rem quidem unam & eandem non puto sub diversis * aptari posse prædicamentis ; licet in quibusdam dubitari possit : quod majori & altiori disputatione indigere existimo, quàm hac brevi nostrâ sermocinatione assumpsimus. Unam autem vocem plura significantem non ut unum, non video quid prohibeat pluribus aliquando supponi prædicamentis : ut * si albus dicitur qualitas, & habere. Albus enim non ita significat qualitatem, & habere, * ut unum ; quemadmodum homo significat ut unum * substantiam & qualitates, quibus constat homo. Res * enim, quæ appellatur homo, est unum quiddam constans ex his quæ dixi ; res verò quæ appellatur, * albus, non est unum aliquid ex habere & qualitate constans ; quia nihil appellatur, * albus, nisi res quæ habet albedinem : quæ nequaquam constat ex habere & qualitate. * Quare si dicitur homo est substantia, & homo est qualitas, una * & eadem res, quæ significatur & appellatur hoc nomine, dicitur substantia & qualitas esse : quod videtur inconveniens. Cùm autem dicimus quia * albus est qualitas, & habere ; non * dicimus quia quod appellatur hoc nomine, qualitas est & habere ; sed quia hæc duo significantur hoc nomine : & nullum inconveniens sequitur. *Disc.* Cur autem non est homo, secundùm divisionem Aristotelis, substantia & qualitas, quia utrumque significat : quemadmodum est * albus qualitas & habere, propter utriusque significationem ? *Mag.* Æstimo huic interrogationi illud posse * sufficere quod suprà dixi, quia est principaliter * significativum substantiæ, & quia illud unum, quod significat, substantia est ; & non qualitas, sed quale : albus verò nihil principaliùs, sed pariter significat qualitatem & habere ; nec

al. diceret

al. omit.

al. aliud

al. utrùm

al. omit. &

al. omit. ut unum : al. ut unum significat habentem substantiam, id est, arma, & sicut armatus convincitur significare habere, quia significat habentem arma : Grammaticus significat habere ut nomen substantiam

al. quidem

al. album

al. album

al. quia si

al. album

al. non omnis

al album &

al. substantiæ

al. significatum

unum ex his, quod magis sit hoc, vel illud, cujus sit * albus significativum.

al. album significatum.

CAPUT XX.

Quomodo ex significatis vocis, albus, non exurgat unum.

Discip.

Planiùs mihi vellem explicari quomodo non fiat unum * aliquid, ex his quæ significat * albus. *Mag.* Si * aliquid constat ex eis ; aut est substantia, aut * aliquid aliorum prædicamentorum. *Disc.* * Aliud esse non potest. *Mag.* Sed nihil horum fit ex habere & albedine. *Disc.* Non possum contradicere. *Mag.* Item unum non fit ex pluribus, * nisi aut compositione partium, quæ sunt ejusdem prædicamenti ; ut animal constat ex corpore & anima ; aut convenientiâ generis & differentiæ unius, vel plurium : ut corpus & homo ; aut specie, & proprietatum collectione ; ut * Plato. Ilia verò, quæ * albus significat, non sunt unius prædicamenti, nec est alterum alteri genus, aut differentia, aut species, aut collectio proprietatum : nec sunt differentiæ unius generis, sed sunt accidentia ejusdem subjecti ; quod tamen subjectum, * albus non significat : quia omnino nihil significat aliud, quàm habere, & qualitatem. * Quare non fit unum ex his, quæ * albus significat. *Disc.* Quamquam ratio mihi afferetur videatur quæ * dicis ; veliem tamen audire quid responderes, si * quis ad hoc, quod dicis quia nihil omnino * albus significat * aliud quàm habere & qualitatem, sic * objiceret : * Albus, cùm sit idem quod habens albedinem, non significat determinatè hoc vel illud habens, * velut corpus ; sed indeterminatè aliquid habens albedinem. Albus enim, aut est qui habet albedinem, aut qui non habet : sed qui non habet albedinem, non est albus : albus igitur est, qui habet albedinem. Quare quoniam omnis qui habet albedinem, non nisi aliquid est ; necesse est ut albus sit aliquid quod habet albedinem, aut aliquid habens albedinem. Denique albus aut significat aliquid habens albedinem, aut nihil : sed nihil non potest intelligi habens albedinem ; necesse est ergo ut albus significet aliquid habens albedinem.

al. aliud

al. aliud

al. aliud

al. aliud

al. hoc est

al. propositio

al. album

al. album

al. quia

al. album

al. differis

al. & quia

al. album

al. aliquid

al. objiceres: albùm

al. id est corpus

CAPUT XXI.

Quòd albus non significet aliquid habens albedinem ; sed duntaxat significet habens albedinem.

Magist.

Non agitur utrùm omnis, qui est albus, sit aliquid ; * aut sit, qui habet : sed utrùm hoc nomen suâ significatione contineat id quod dicitur aliquid, aut qui habet, sicut homo continet animal : * ut quomodo homo est animal rationale mortale ; ita albus sit aliquid habens albedinem * aut qui habet albedinem : multa namque necesse est rem quamlibet esse, quæ tamen rei ejusdem nomine non significantur. Nam omne animal necesse est coloratum esse, & rationale, aut irrationale ; nomen tamen animalis nihil horum significat : quare licet * albus non sit nisi aliquid habens, aut qui habet albedinem ; non tamen necesse est ut * albus significet hoc. Ponamus enim quòd album, sive albus, significet aliquid habens albedinem : sed aliquid habens albedinem non est aliud, quàm aliquid album. *Disc.* Non potest aliud esse. *Mag.* Albus igitur, sive album, * semper significat aliquid album. *Disc.* Ita fit. *Mag.* Ubi igitur ponitur albus, vel album ; rectè * semper accipitur pro * albo aliquid album. *Disc.* Consequitur. *Mag.* Ergo ubi dicitur aliquid album ; * rectè quoque dicitur bis, aliquid aliquid album : & ubi bis ;

al. an

al. aut

al. omit. aut qui habet albedinem

al. album

al. omit. semper

al. simul rectè al. illo

Digitized by

ibi & ter : * & hoc infinitè. *Diſc.* Conſequens & abſurdum eſt hoc. *Mag.* Sit quoque albus, id ipſum quod eſt qui albedinem habet : ſed * habet, non eſt aliud quam, habens eſt. *Diſc.* Nec poteſt eſſe. *Mag.* Albus ergo non eſt aliud, quàm qui albedinem habens eſt. *Diſc.* Non aliud. *Mag.* Cùm autem dicitur albedinem habens; non aliud ſignificat hæc oratio, quàm album. *Diſc.* Ita eſt. *Mag.* Idem eſt igitur albus, quod qui albus eſt. *Diſc.* Sic ſequitur. *Mag.* Ubicumque itaque ponitur albus, rectè pro eo accipitur qui albus eſt. *Diſc* Non poſſum negare. *Mag.* Si ergo albus eſt, qui albus eſt; * eſt etiam qui qui albus eſt, eſt : & ſi hoc eſt, eſt etiam * qui qui qui albus eſt, eſt, eſt; & ſic in infinitum. *Diſc.* Non hoc minùs * conſequens, nec minùs abſurdum eſt, quàm ut ſæpe ſit aliquid aliquid. *Mag.* Si quis autem dicit quia albus aut ſignificat aliquid habens albedinem, aut nihil : ſi ſic intelligitur, ac ſi diceretur : albus aut ſignificat aliquid habens, aut ſignificat non aliquid habens; ut non-aliquid ſit infinitum nomen; non eſt integra, nec vera diviſio; & ideo nihil probat : veluti A ſi quis diceret, cæcus aut videt aliquid, aut videt non-aliquid. Si verò ſic intelligitur * quia aut ſignificat * aliquid habens, aut non ſignificat : integra eſt diviſio, & vera; nec repugnat iis quæ dicta ſunt. *Diſc.* Satis apparet quia per album non ſignificatur aliquid habens albedinem, nec qui habet albedinem; ſed tantùm habens albedinem : id eſt, qualitas, & habere; ex quibus ſolis non conficitur unum aliquid : & ideo albus eſt utrumque, quia * pariter utrumque ſignificat. Quam rationem in omnibus, quæ ſine complexione dicuntur, & ſimiliter ſignificant quamlibet plura ex quibus non fit unum, valere video : nec aliquid his, quæ in hac diſputatione aſſeruiſti, * objici rectè poſſe exiſtimo. *Mag.* Nec mihi nunc videtur : tamen quoniam ſcis quantùm noſtris temporibus Dialectici certent de quæſtione à te propoſita; * nolo te ſic his, quæ diximus, inhærere, ut ea pertinaciter teneas; ſi quis validioribus argumentis * hæc deſtruere, & diverſa * valuerit aſtruere : quod ſi * contigerit; ſaltem ad exercitationem diſputandi nobis * hæc profeciſſe non negabis.

al. hoc

al. quia ſignificat habens albedinem aut

al. par

al. te poſſe objicere

al. volo

al. velit

al. contigeret

al. exercitationem

al. omit eſt etiam qui qui albus eſt eſt

al. quicunque qui albus

al. conſequens

Digitized by Google

SANCTI ANSELMI
CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI
LIBER
DE VOLUNTATE DEI.

CAPUT I.

Voluntas Dei quæ dicatur.

HUMANA ratio cùm de Deo ſemper debeat tractare, & ad laudem ejus aliquid convenienter dicere; nomina per quæ propriè loquatur non habet, ſed nomina hominibus data & impoſita accipit, & per ipſum effectum omnipotentiam ejus ſaltem vel tenui oratione aperire conatur: & hoc facit ex iſtis rebus colligens effectum voluntatis Dei ſecundùm occultam juſtitiam, vel ſecundùm miſericordiam, vel ſecundùm iræ ipſius vindictam: ad incomprehenſibilem enim Deitatis proprietatem aſpirare non poteſt. Hinc nos quoque de voluntate Dei aliquid dicere cupientes, actum rerum attendimus; quoniam ad ipſius celſitudinis culmen anhelare non valemus. Voluntatem igitur Dei appellamus quicquid in nobis ipſe miſericorditer operatur, revocando nos ab errore, vel piè confirmando juſtitiæ. Voluntas quoque dicitur pœna & reprobatio quorundam Dei occultâ diſtrictione facta juſtitiæ. Voluntas Dei eſt (ut breviter dicam) quicquid fit, ut fieri invenitur in creaturis. Sed dicitur: ſi omnia procedunt ex voluntate Dei, quam conſtat ſemper bonam & rectam eſſe; tunc omnia bona & recta ſunt: & ſi hoc eſt; tunc fruſtra judicatur aliquis iniquus, vel damnatur impius: quod fateri, contrarium invenitur catholicæ fidei.

CAPUT II.

Voluntas Dei multipliciter dicitur.

DIcendum eſt igitur voluntatem Dei multipliciter accipi: ut quicquid poſtea opponatur, ſine omni difficultate opulentiùs aperiatur. Voluntas itaque Dei accipitur aliquando in Scripturis, æquipollens omnipotenti ſuæ præſcientiæ & ordinationi ſagaciter omnia diſponenti. Unde dicitur: *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit*, hoc eſt, quicquid Deus ab æterno facturum ſe ordinavit, nihil inexpletum reliquit. Accipitur etiam Dei voluntas, * ſecundùm quendam affectum miſericordiæ Dei: ut ibi: *Vult Deus omnes ſalvos fieri*, quod eſt dicere, facit ſanctos velle ut omnes ſalvi fiant, quod ipſe tamen vult, hoc eſt, ipſe diſpoſuit; ſed ſanctos facit velle Dei & proximi inſpirando dilectionem, qua dilectione non inconvenienter fiunt in Eccleſia orationes à ſanctis pro ſchiſmaticis & hæreticis, Judæis quoque & gentilibus. Inſtitutio divina, Dei voluntas non impropriè appellatur. Dei autem inſtitutio in duo dividi poteſt, in præcepta divinarum Scripturarum, & in legem naturalem: quæcunque homini inſita eſt naturalis, quæ eſt: *Quod tibi fieri nolueris, alteri ne feceris, &c.* Cui quicunque obviat, Dei voluntatem non ſervat. Præcepta etiam divinarum Scripturarum, & rectæ obſervationes Eccleſiarum, voluntas Dei non immeritò appellantur: quibus quicunque obſervanter non acquieſcit, à Dei voluntate deviare penitus dicitur; cum tamen ab ordine præſcientiæ ejus nullatenus valeat exorbitare.

Pſal. 113.

al. nomen eſtrum 1. Tim. 2.

Tob. 4.

CAPUT III.

Quarundam ambiguitatum elucidatio ex dictis.

ECce voluntas Dei quatuor modis accipitur à Doctoribus magiſtris, ſcilicet, pro ſcientia Dei; pro voluntate ſanctorum, qui volunt & injuſtos charitativè ſalvari; pro ratione humana; quarto pro præceptis divinis. Si quis verò oculo mentis hos modos conſiderat, non ulteriùs in Dei voluntate determinanda impeditus laborabit: ſed vocis acceptione fideli intendens ingenio, de verbis facilè dijudicabit. Itaque cùm dicitur, adulterium vel homicidium vult, vel non vult Deus fieri: hæ propoſitiones non repugnant ſibi, nec contradicunt: ambæ enim veræ ſunt & indubitabiles, ſi quis hujus vocis æquivocationem multiplicem, quæ eſt, *vult*, fideliter attendat. Nam Deus vult adulterium, hoc eſt, præſcit, prævidet. Unde nullus dubitat, quia omnia videt & omnia præſcit. Item, non vult, hoc eſt, non præcipit, vel mentibus fidelium inſpirando non facit velle. Vel non vult Deus adulterium, id eſt, ex vi rationis animæ, ex naturali, ſcilicet, lege data à Deo, non habemus quod quis in hoc nec etiam in alio debeat offendere proximum. Juxta has autem determinationes, poteſt quilibet has Dei voluntates determinare apertè.

CAPUT IV.

Alia dubitationes tolluntur.

SEd videndum eſt quoddam ſatis ſubtilius, quod occurrit huic de voluntate diſputationi. Nam voluntati Dei voluntas hominis adhæret plerumque, ſed inde damnatur homo: voluntati Dei quoque non adhæret hominis voluntas, & inde remuneratur homo. Item, vult homo quod non vult Deus; & habet inde præmium à Deo: non vult homo quod vult Deus; & inde conſequitur laudem: & multis aliis hanc vo-

Digitized by Google

luntatem variari modis ſagacium induſtria per ſe poterit indagare. Sed nunc ad expoſitionem ſupradictorum redeamus: vult Deus quod vult homo; ſi damnosè, ut homicidium, vel adulterium, quod vult Deus, hoc eſt, præſcivit: ſed homo etiam hac voluntate damnatur, prohibitum eſt enim ei. Vult Deus ut pater alicujus moriatur, vel vult alicujus hominis mortem, quod homo non vult affectu naturali vel compaſſione proximi, & renumeratur ex hoc tali affectu, ſi in cæteris regulam rectè vivendi non exceſſerit: in omnibus tamen quæ vult & quæ facit, divinæ voluntati concordare intendit, & nihil contra eum facere diſponit: quia tunc tantùm eſt bona voluntas humana, quando vult illud quod Deus vult illam velle: & ſic concordat divinæ, quæ magiſtra eſt humanæ.

CAPUT V.

De divina voluntate, efficiente, approbante, concedente, permittente.

MAgna quidem voluntas Dei incomprehenſibilis eſt, ſicut ipſe Deus, contra quam vult homo, quia non plenè eam cognoſcit: quod in futuro erit. In præſenti verò quoſdam affectus ejus percipit ſecundùm perceptionem vel prohibitionem, & ille obedit. In his autem ſupradictis non eſt æquum intelligere aliquem aliquod falſum vel ſuperfluum dictum fuiſſe, vel contra ſanctorum auctoritatem. Dicit enim Auguſtinus in Enchiridio, cap. 100. *Propterea magna voluntas ejuſdem Domini exquiſita in omnes voluntates ejus, ut miro & ineffabili modo non fiat præter voluntatem ejus, quod etiam contra ejus voluntatem fit, quod non fieret ſi non ſinere, nec utique nolens ſinit, ſed volens: nec ſineret bonum fieri malè, niſi omnipotens & de malo poſſet facere bene.* Eſt & alia hujus voluntatis diviſio. Alia enim poteſt dici efficiens, alia approbans, alia concedens, alia permittens. Efficiens voluntas in Deo facit quicquid vult, efficiens in homine quod poteſt homo & vult ipſo actu. Approbans eſt, quæ approbat aliquid, & hæc ad hominem pertinet & ad Deum. Approbans in Deo eſt, quæ vult omnes ſalvos fieri: quoniam nullum prohibet, quantum ad ſe ſalvum fieri: immò ſi quis ad hoc laborat, approbat. Patens eſt quidem quæ ſit approbans in homine. Concedens eſt, quæ concedit ut fiat aliquid. Concedente autem voluntate vult Deus, ut homo qui melius non propoſuit, uxorem ducat. Permittens voluntas eſt, quæ permittit aliquid fieri, etſi diſpliceat quandoque. Et hoc modo dicitur Deus velle mala, quæ permittit fieri. Unde dicitur: *Quem vult indurat, & cui vult miſeretur.* Auguſtinus de civitate Dei: *Cùm dicitur Deus mutare voluntatem, ut quibus lenis erat, verbi gratia, reddatur aſper; illi potius quàm ipſe mutantur, ſicut mutatur ſol oculis ſanciatis, & aſper quodammodo ex miti, & ex delectabili moleſtus efficitur, cùm ipſe apud ſe maneat idem qui fuit.* Dicitur etiam voluntas Dei, quam facit in cordibus obedientium mandatis ejus, de qua dicit Apoſtolus: *Deus qui operatur in nobis & velle.* Secundùm hanc voluntatem etiam velle dicitur, quod ipſe non vult, ſed ipſe ſuos id volentes facit: ſic orant pro quibuſdam piè ſanctèque inſpirati ab eo ſancta voluntate, & quòd orant non facit. Secundùm verò voluntatem ſuam, quæ ejus præſcientia ſempiterna eſt, *omnia quæcunque voluit fecit*, non ſolùm præterita, vel præſentia, ſed etiam futura. Gregorius: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri, id eſt, nulli ſalvantur, niſi quos vult ſalvari, vel de omni genere hominum aliqui ſalvantur.* Vel *vult omnes ſalvos fieri, id eſt, non cogit aliquem damnari.* Item, de conjuge infideli dimittendo dici oportet, non dimittat, quia etſi licet, non expedit. Item in libro de parvulorum baptiſmo: *Sicut bene malè uti malum eſt, ſic malo bene uti bonum eſt.*

Rom. 9.

Philip. 2.

Leg. Aug.

SECUNDA

Digitized by Google

SECUNDA PARS OPERUM

S. ANSELMI

CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI,

CONTINENS PARÆNETICA,

ET ASCETICA.

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTI ANSELMI
CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI
HOMILIÆ
ET EXHORTATIONES.

HOMILIA I.
IN ILLUD ECCLESIASTICI.

Eccli. 24. *IN omnibus requiem quæsivi, & in hæreditate ejus morabor: tunc præcepit, & dixit mihi Creator omnium, & qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.*

Sapientia non loquitur, quam Apostolus Christum esse testatur, 1. Cor. 1. 6 dicens: *Christum Dei virtutem & Dei sapientiam.* Sapientia ergo, quæ Christus est, id est, incarnata Dei sapientia dicit: *In omnibus requiem quæsivi.* Post laborem verò requies solet quæri. Dominus autem in se quidem quietus & incommutabilis est; sed tamen laborare testatur, cùm duras hominum pravitates tole- Isa. 43. v. 24. rat, dicens cuilibet talium: *Prætuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Sed & dum apparuit in mortali carne, laboravit ex nostra infirmitate. Ideo post resurrectionem suam in omnibus quæsivit requiem, ut in omnium fide & bona actione requiesceret. Nam in quibus omnibus requiem quæsiverit, docet præmittendo; *in omni terra steti, & in omni populo, & in omni gente primatum habui, & omnium excellentium & sublimium corda virtute calcavi.* Moxque subjungit: *& in omnibus requiem quæsivi.* In omnibus ergo populis & gentibus totius orbis, & in cunctis regibus ac principibus, quorum sibi corda tandem subegit, requiem quæsivit. Invenit autem in his requiem, qui peccare desierunt, & sanctè ac justè vivunt. Qui in eo, quòd in omnibus populis & nationibus atque sublimibus, id est, in sublimitate dignitatum positis, requiem se dicit quæsisse, significat in unaquaque sub cœlo gente multos palàm cerni, qui perversè vivant; & paucos velut grana sub paleis inveniri, qui bene agant. Hoc enim quæritur, quod latet nec habetur. Sed & in quolibet ad vitam prædestinato quærit Christus sibi requiem, dum adhuc peccantem eum expectat, & vel præceptis seu monitis, & miraculis, & prosperis, & adversis ipsum convertere & talem facere studet, ut in eo requiescere possit. Negat autem illi in se requiem; qui non vult à malis operibus & desideriis cessare, ut in se locum quietis Deo queat præbere.

Et in hæreditate, inquit, *ejus morabor.* Ejus respicit & ad requiem, & ad hoc, quod suprà dixerat: *ego ex ore Altissimi prodii*, ut intelligatur hæc hæreditas & requiei & Altissimi, videlicet electorum multitudo, quos ipse Altissimus ad videndam suæ celsitudinis gloriam elevatos in superno regno possidebit, sicque perpetualiter requiescere faciet. Ait itaque: *in hæreditate ejus morabor.* Ac si dicat: in omnibus quidem quæsivi requiem, licèt non in omnibus perseverantem eam invenerim; sed in his, qui præsciti sunt hæreditas Dei, *morabor*, id est, perseveranter & non ad horam manebo. In illis enim non moratur Dei sapientia, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Sed in eis moratur, quos in bonitate facit usque in finem perseverare. Hinc est quod de quolibet talium dicit: Joan. 14. *Veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

Sequitur: *Tunc præcepit, & dixit mihi Creator omnium, & qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, & dixit mihi: In Jacob inhabita, & in Israël hæreditare, & in electis meis mitte radices. Tunc*, inquit, cùm ego requiem in omnibus quærerem; ille, qui creavit omnes, & jus habet in omnibus, neminem vult perire, *præcepit mihi* quid in his agerem: & *qui me* quoque pro eorum salute *creavit* secundùm humanitatem, ipse *requievit in tabernaculo meo.* Creatum se dicit, quia homo factus est, qui superius asseruerat se ante sæcula genitum à Patre, dicens: *Ego Sapientia ex ore Altissimi prodii, primogenita autem ante omnem creaturam.* Tabernaculum verò hujus sapientiæ est corpus assumptum, de quo aliàs dicitur: *In sole posuit tabernaculum suum*, id est, in manifestissima visione corpus suum. In hoc tabernaculo requievit Pater: quia nullum C in eo peccatum invenit, quod eum offenderet; sed omnem justitiæ plenitudinem, in qua delectabiliter quiesceret. Unde & ait: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*: Atque Propheta: *Requiescet super eum Spiritus Domini.* Loquitur itaque, sicut & suprà dictum est, incarnata Dei Sapientia, & Patris gloriam in omnibus quærens asserit eum sibi dixisse: *In Jacob* &c. *Jacob*, qui supplantator interpretatur, designat luctatores, qui vitia cum labore supplantant & dejiciunt. *Israël* autem, qui rectissimus Dei, sive vir videns Deum dicitur, illos qui subactis vitiis perfectam, prout fas est, rectitudinem vitæ servant, &

Matth. 17. v. 5. Isa. 11. v. 2.

Digitized by Google

contemplationi studeant. *In Jacob* ergo, id est, in lu-
Eph. 3. v. 17. ctatoribus habitat, ut eis ait Apostolus, *habitare Christum per fidem in cordibus vestris*, quatenus, scilicet, ejus virtute confortati possint victores fieri. *In Israël* verè hæreditatur, id est, perfectos jam non amissurus hæreditario jure possidet, qui jam sopitis vitiis optimam sibi partem elegerunt, quæ non auferetur ab eis.
Is. 19. v. 25. Hoc & per Isaiam ipse sic ait: *Opus manuum mearum Assyrio, hæreditas autem mea Israël.* *Assyrius* enim dirigens interpretatur, significans eum qui pravitatem vitiorum luctando conatur supplodere, & se dirigere: & huic est opus manuum Christi, id est, adjutorium ejus in se manentis: *Israël* verò jam quietus hæreditate possidetur. *Radices* quoque Salvator *in electis* mittit; ne ab eorum cordibus unquam avelli possit, juxta illud
Rom. 8. v. 35. Apostoli: *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius?* Qui enim separari valet à charitate Christi, in ejus mente Christus *radices* non misit.

Sequitur: *Ab initio & ante sæcula creata sum, & usque ad futurum sæculum non desinam, & in habitatione sancta coram ipso ministravi. Et sic in Sion firmata sum, & in civitate sanctificata similiter requievi, & in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, & in partes Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine sanctorum detentio mea.* *Ab initio* mundi, & *ante sæcula* prædestinando secundùm humanitatem creata est hæc sapientia; quoniam Deus ab exordio rerum, & ante tempora sæcularia prædestinatum habuit in secreto consilii sui, ut Verbum ejus caro fieret, id est, ut omnium Dominus formam servi pro servis redimendis misericorditer assumeret; & quod is, qui fecit quæ futura sunt, certissimè faciendum disposuit, jam in ejus conspectu factum fuit. Sic igitur *ante sæcula* creavit eum secundùm humanitatem, sicut *elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*. *Ab initio*, id est, ex quo creatus est primus homo, & *ante sæcula*, id est, ex quo factus est primus Angelus, *creata* est, ut diximus, hæc sapientia: qui & quando plasmatus est homo, & quando creatus est Angelus, prævisum est ut unigenitus Dei clementer homo fieret, qui genus humanum, quod graviter dejectum erat, relevaret. *Et usque ad futurum sæculum non desinam*: quia nullis diaboli tentationibus, nullisque tyrannorum persecutionibus fieri poterit ut Christiana religio non perduret usque ad mundi terminum, propter quam creata fuit ante mundi principium. Hoc est enim quod & infra dicitur:
Psal. 14. v. 46. Matt. 28. v. 20. *Non desinam in progenies illorum, usque in eum sanctum.* Sed & Evangelio: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*

Et in habitatione sancta coram ipso ministravi. Habitationem sanctam dicit habitaculum sanctum cœli, ubi ministrat coram Deo Pontifex factus in æternum.
Hebr. 9. v. 24. Unde & Apostolus ait: *Non enim in manufacta sancta Jesus introivit, exemplaria verorum; sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Et rursum:
Hebr. 8. v. 1. 2. *Talem habemus Pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis, sanctorum minister, & tabernaculi veri quod fixit Dominus, & non homo.* Nam quod hic dicitur, *in habitatione sancta coram ipso*, hoc
Hebr. 9. est, quod Apostolus ait, *in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis*: & quod hic subditur, *ministravi*, Apostolus dicit, *sanctorum minister & tabernaculi veri.* Et ne talis ministratio putaretur aliquid abjectionis habere, sedet in eadem sede cum eo, coram quo & cui ministrat, & sedet *in dextera* parte ad honoris cumulum. Qui & subdit: *Et sic in Sion firmata sum.* *Sion* dicitur specula & speculatio, & significat illam beatorum patriam, cujus habitatores non cessant manifestè speculari gloriam Dei; ubi secundùm humanitatem sic firmatus est Christus, ut suprà dictum est, id est, sedens Patris ad dexteram, & agens ministerium Pontificis, quod est ostendere Patri pro nobis cicatrices vulnerum suæ passionis. De qua ejus in supernis sine fine manenti firmatione dictum est Patri: *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super filium hominis, quem confirmasti tibi.* Et ejus voce: *Confirmasti me in conspectu tuo in æternum.* Ps. 79. v. 18. Ps. 40. v. 13.

Sequitur: *& in civitate sanctificata similiter requievi.* Quia in Ecclesia, quæ est civitas Dei, & conversis peccatoribus sanctificata, similem ut in Angelis requiem Christus invenit. Unde & orare nos docuit, *fiat* Matth. 6. *voluntas tua sicut in cœlo & in terra*, id est, sicut in Angelis, ita & in hominibus. *Et in Jerusalem*, inquit, *potestas mea.* *In* superna *Jerusalem*, quæ non frustra dicitur visio pacis, quia semper ibi vera pax cernitur, est *potestas* Redemptoris nostri, quia potens est & ibi facere quicquid voluerit. Hinc enim ait: *Data est mihi* Matth. 28. v. 18. *omnis potestas in cœlo, & in terra.*

Sequitur: *Et radicavi in populo honorificato.* Radix sapientiæ est timere Deum. Populus honorificatus est multitudo fidelium, quibus ait Petrus: *Vobis igitur honor credentibus.* Radicavit ergo sapientia, quæ Christus est, *in* hoc *populo*; quia Dei timorem credentibus dedit, per quem peccare desistant, quoniam *timor Domini expellit peccatum*: nam qui sine timore est, non poterit justificari. Item: populus honorificatus, est cœtus religiosorum. Et in hoc Christus ita radicavit, ut evelli inde nullatenus possit. Fecit enim quod superius à Patre dictum ei fuerat, *in electis meis mitte radices.* Qui & subjungit: *Et in parte Dei mei hæreditas illius.* *Partes Dei sunt* electorum Ecclesiæ, diversique Sanctorum ordines, & bene viventium variæ actiones. Qui & Christus Deus est, quia & Christus homo. *In* omnes ergo *Dei partes* tenditur hæreditas illius; quia & omnes Ecclesiæ justorum, & quicunque ei laudabiliter in variis professionibus & actionibus serviunt, in æterna ejus hæreditate erunt. *Et in plenitudine*, inquit, *sanctorum* erit, ubi nullus eorum defuerit; sed completo ipsorum numero omnis eorum cœtus adunatus erit. Ibique erit incarnatæ sapientiæ *detentio*, quia sine fine detinebitur in eis, delectata eorum meritis: nec ad reprobos, qui damnati erunt, jam exibit; quia ulteriùs ut convertantur, eos non monebit. 1 Pet. 1. v. 7. Ecclesiast. 27. Carnis religiosorum populus honorificatus.

Sequitur: *quasi cedrus exaltata sum in Libano & quasi cypressus in monte Sion.* Sicut cedrus sua celsitudine superans omnium aliarum arborum altitudines excelsa est: in monte Libano, qui est altior omnibus aliis montibus terræ promissionis, & interpretatur candidatio; sic *mediator Dei & hominum homo Christus Jesus* super omnem primorum celsitudinem Angelorum sublimatus est, qui propter clariorem luminis quo fulgent candorem, Libanus, id est, candidatio rectè vocantur, & cæteris altiores sunt. Hanc illius exaltationem declarat Apostolus, asserens quia Pater eum constituit *ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem* Eph. 1. v. 20. *principatum & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro; & omnia subjecit sub pedibus ejus*: Ita velut cedrus est exaltatus. Cui rei congruit Christus ex- & quòd cedrus est imputribilis, ac mirabiliter redolet; emplo. quia Christus carne jam est immortalis, & suavitatem ex se miri spargit odoris, quo delectantur & ipsi Angeli & spiritus. Vel *sicut cedrus* est exaltatus *in Libano*, id est, in candidatione sanctificationis, hoc est, omnes Sanctos in sanctitate sic superavit; sicut cedrus arbores universas in Libano: quoniam ea, quæ gessit inter homines, ita sunt præclara & sublimia, ut omnia justorum sic transcendant cacumina, quatenus hi qui multùm in Deo profecerunt, operum ejus vestigia vix tangere valeant, admirantes ex vertice cogitationis.

Et quasi cypressus in monte Sion. Mons Sion, Ecclesia Sanctorum est in altitudine virtutum & speculatione contemplationis, & sollicitæ circumspectionis: Mons Sion est Ecclesia.

Digitized by Google

cypreſſus autem omni tempore virentibus vernat foliis ut pinus, & fructum ſemper habet, ac bene redolet. Chriſtus ergo ſicut *cypreſſus in monte Sion* eſt exaltatus, quia Deus ipſum dedit, ut ſcriptum eſt, ſupra omni Eccleſiæ viriditate ſemper immarceſſibili vernantem, & perpetuis fructibus abundantem, ac redolentiam bonæ famæ ſpargentem.

Palma. Sequitur: *Quaſi palma exaltata ſum in Cades. Cades* interpretatur ſanctitudo: *Palma* verò inferiùs tactu aſpera eſt, & velut aridis corticibus obvoluta; ſuperius autem & viſu & fructibus pulchra. Inferiùs corticum ſuarum involutionibus anguſtatur; ſed ſuperiùs amplitudine pulchræ viriditatis dilatatur. Sic nimirum Chriſti & membrorum ejus vita inferiùs deſpecta, & ſuperiùs pulchra; in imis quaſi multis corticibus obvolvitur, dum innumeris tribulationibus anguſtatur; in ſummis verò quaſi pulchræ viriditatis foliis amplitudine beatitudinis expanditur. Palma enim minoris amplitudinis contra naturam cæterarum arborum ab imis inchoat, & juxta ramos ac fructus amplioti robore exurgit; & quæ tenuis ab imis proficit, vaſtior ad ſumma ſuccreſcit: Quia electorum converſatio, qui membra Chriſti ſunt, plus finiendo peragit, quàm inchoando proponit; & ipſi plerumque tepidiùs prima inchoant, ferventiùs extrema conſummant. Chriſtus ergo vel in ſe & in ſuis *quaſi palma*, exaltatus eſt *in Cades*, id eſt, in ſanctitate: quia Sancti ſemper ad alta proficiendo dilatantur in virtutibus, & qui tenues à radice inchoationis exeunt, fortes in culminis perfectione convaleſcunt. Quod in ipſo capite principaliter apparuit, quia in noviſſimis tribus annis majora & plura geſſit, quàm in omni tranſacto tempore ſuo.

Sequitur: *Et quaſi plantatio roſæ in Jericho. Plantatio roſæ*: & ipſa inferiùs eſt ſpinoſa, ſuperiùs autem florida, ſic & Chriſtus eſt inferiùs tribulationum ſpinis circundatus, atque ſuperiùs gloriâ & honore coronatus. *Jericho* autem, quæ luna dicitur, & hujus mundi & noſtræ mortalitatis defectum exprimere ſolet. Dominus ergo quia miſſus à cælo noſtram in hoc mundo mortalitatem induit, quaſi aliunde eſt aſſumptus, & *in Jericho* plantatus. Et in hoc *roſa* eſt aſſimulatus, videlicet humilis, & punctionibus paſſionum obſitus, ſed tandem ſuperiùs flore purpureo dignitatis regiæ decoratus.

Sequitur: *Quaſi oliva ſpecioſa in campis.* Olivam ſpecioſam in campis videre poteſt, & in ejus aſpectu delectari, quiſquis per gyrum & longè & propè fuerit. Ita & Chriſtum undique mundo expolitum videre poteſt, & in ejus viſu delectari, quiſquis ad eum fideliter & piè aſpexerit. In qualibet orbis parte ſit *Oliva*, pacis eſt nuntia: & Iſaias miratur *pedes* Chriſti *annunciantis & prædicantis pacem.* Cujus etiam miſericordia per Olivam, quæ gignit oleum, deſignari poteſt; quia & Græcè ἔλεος miſericordia vocatur; & oleum cunctis, quibus immiſcetur, liquoribus excellit, ſicut & Pſalmiſta de ipſius Domini miſerationibus teſtatur. *Suavis Dominus univerſis; & miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus:* & ideo congruè cernitur *in campis* hujus Olivæ ſpecioſitas, quia qui campeſtrem, id eſt, latam, & agreſtem, & imam converſationem habent, hi præcipuè miſericordia Salvatoris indigent, & ad eam reſpicere ſolent. Oleo ad repellendas noctium tenebras lumen alitur, infirmitates ſolvuntur, & requies laſſis tribuitur. Sic gratia miſericordiæ Salvatoris noſtri lucem fidei & charitatis ac ſcientiæ in nobis alendo, tenebras noſtras illuminat, & animarum noſtrarum morbos ſanat, ac ſæculi concupiſcentiis fatigatos requieſcere nos mente facit in contemptu ſæculi. Grandis enim labor eſt, terrenis deſideriis æſtuare; & grandis requies, terrena non deſiderare.

Sequitur: *Et quaſi platanus exaltata ſum juxta aquã in plateis.* Cùm *platanus* per ſe ipſam ſit ſublimis & amœna, reſpectu tamen proximæ inferioris aquæ ſublimior apparet & jucundior. Sic & Dominus Jeſus, cùm per ſeipſum incomparabiliter ſit excelſus & ſpecioſus, reſpectu tamen ſubjecti Chriſtianorum populi, qui per aquam deſignatur, excelſior & glorioſior apparet, *in plateis*, id eſt, in latitudinibus & mundi & amplæ converſationis. Si enim vitæ noſtræ conſideremus humilitatem, & ad excellentiam converſationis, quam Chriſtus inter homines duxit, reſpiciamus; quàm ſublimis erit in oculis noſtris illa ejus converſatio? Nam ut *platanus juxta* ſubteriorem *aquam* eſt exaltatus, id eſt, ſubjectæ fidelium plebi proximus & ſuperpoſitus. Hinc & Pſalmiſta de illo dixerat: *Et erit tamquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.* Id eſt, per myſteriorum incarnationis erit poſitus juxta lapſus defluentium populorum. Plateæ verò, latitudines deſignare ſolent: id eſt, & amplas converſationes, in quibus ſpaciantur qui vitâ ſunt inferiores & labiles; ut aqua & mundi latas regiones: quia Græcè πλατὺς dicitur latitudo. Pſal. 1. v. 6.

Sequitur: *Sicut cinnamomum & balſamum aromatizans odorem dedi. Cinnamomum* dicitur eo quod cortex ejus in modum cannæ ſit rotundus & gracilis. Eſt enim breviſſima arbuſcula virgas proferens graciliſſimas ac pretioſas. Nam id ejus, quod in craſſitudine, id eſt, groſſitudine extenditur, deſpectui eſt; quod verò gracilius provenerit, eximium eſt. *Cinnamomum* ergo ſignificare videtur humilitatem Chriſti, quam prædicant Scripturæ cannâ, id eſt, calamo factæ, quæ virgas gignit graciliſſimas & pretioſas, id eſt, Sanctos diſciplinis ſpiritualibus extenuatos, qui membra ſunt ejus. Nam ſpirituales viri in eo ſunt pretioſi; carnales autem habentur contemptui. *Balſamum* quoque pretioſiſſimum eſt, & conſecratum ſit Chriſma, quo omnes Chriſtiani ungimur, & ſignificat & Chriſtum & unctionem Spiritus ejus, de qua Joannes ait: *Vos unctionem habetis à ſancto, & noſtis omnia.* Utrumque verò, id eſt, & *cinnamomum & balſamum*, mirabiliter redolet; & maximè, dum quis eo aromatizatur. Unde nunc odori utriuſque aromatizantis odorem ſuum Chriſtus ſimilatur: quia dum in omni gente & natione credentes dono ſui Spiritus ungit, ejuſdem unctionis odor validiùs in toto orbe fragrat, & ipſe dulciùs odorem notitiæ ſuæ per ſuos unctos in omni loco manifeſtat, ut ubique ei dicatur: *Poſt te curremus in odorem unguentorum tuorum.* 1. Joan. 2. v. 20.

Sequitur: *Quaſi myrrha electa, dedi ſuavitatem odoris. Myrrha* mortem Redemptoris noſtri, cujus caro corruptionem non vidit, ſignificat: quia caro mortua, quæ myrrhæ conditur unctione, non poteſt putreſcere. Unde & hæc *mirrha* dicitur *electa*: quia mors Domini ſingulariter ex omnium Sanctorum mortibus *electa* fuit, per quam omnes viverent. Ideoque talem mors iſta *ſuavitatem odoris* præbet, qualem nemo alium ſentire potuit; ita ut ejus fragantiâ reviviſcant mortui.

Iſa. 52.

Pſalm. 144.

Sequitur: *Et quaſi ſtorax, & galbanus, & ungula, & gutta, & quaſi Libanus non inciſus, vaporavi habitationem meam, & quaſi balſamum non miſtum odor meus. Storax* eſſe fertur arbor odorifera, quæ ſicut harundo cava eſt intùs, & ſucco plena; & in Chriſto, qui eſt lignum vitæ odoriferum, *habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter. Galbanum* dicunt, confectum ex aromaticis. Et in Chriſto eſt omnium ſpiritualium virtutum omnimoda plenitudo. *Ungula* quoque dicitur ab unguento, quia præcipua eſt ad unguendum, & deſignat ſpiritalem Salvatoris unctionem, de qua Joannes ait: *Sicut unctio ejus docet vos de omnibus. Gutta* verò ſpecies eſſe medicorum perhibetur ad tumorem ſanandum idonea, & ad deprimendum & extinguendum venenum: & ſignificat humilitatem Domini, quæ medicinaliter ſanat tumorem elationis Coloſ. 2. v. 9. 1. Joan. 2.

Digitized by Google

noſtræ, & omnia viticrum venena perimit. *Libanus* est thus, & potius arbor thuris Chriſtum deſignans, qui lignum est vitæ, & fructum gignit odoriferum, qui Deo cremetur in ſacrificium. *Libanus non inciſus*; ſponte profert ex ſe thus odoratius, inciſus verò compellitur proferre thus non tanti odoris: & Chriſtus ut *Libanus non inciſus* ſponte edidit omnia, quæ in carne geſſit, ideoque melius redolens. Nos autem, ut inciſus Libanus, ſæpe cogimur inviti bonum facere, quod vile est & parum redolens. Hæc omnia, quæ nunc dicta ſunt, id est, *ſtorax*, *galbanus*, ac *ungula*, & *gutta*, nec non & *Libanus*, optimum dant odorem & locum, in quo ſunt, inde replent. Sic & Chriſtus odore ac calore ſuo vaporat *habitationem* ſuam: quia mentem quam inhabitat, calore ſuæ dilectionis & odore ſuæ ſanctitatis replet. Mens enim, quæ non ſentit odorem iſtum & calorem, nec dum Chriſti est habitaculum. *Balſamum* verò, cui liquor alius non est immiſtus, magis redolet: quia Chriſti ſanctitas, cui nullum unquam peccatum immiſceri potuit, ſuaviorem quàm cæteri Sancti præbet odorem.

Sequitur: *Ego quaſi terebinthus extendi ramos meos, & rami mei honoris & gratiæ.* *Terebinthus* est arbor magna, & ingentes multoſque ramos undique protendens, quæ reſinam gignit aromaticam & medicinalem, omnibuſque reſinis aliis præſtantiorem: & Chriſtus velut arbor immenſa, diſcipulos ſuos, quaſi ramos extendit in omnes mundi partes, Thomam & Bartholomæum in Indiam, Matthæum in Æthiopiam, Johannem in Aſiam, Andream & Philippum in Scythiam, Petrum in Italiam, Paulum in Hiſpaniam, & cæteros in cæteras orbis plagas. Vel rami quos extendit, opera ſunt, quæ in carne geſſit. Et ex his, & operibus, vel diſcipulis, profert ipſe reſinam ſpiritualis gratiæ, quæ medeatur omnibus, & præſtantior ſit univerſis prædicationibus & geſtis Teſtamenti veteris: & *rami* ejus ſunt *honoris & gratiæ*: quia & diſcipuli ejus, & actus ipſius, valde ſunt honorabiles & gratioſi; quoniam & laude digni ſunt, & novi Teſtamenti gratiam hominibus afferunt.

Sequitur: *Ego quaſi vitis fructificavi ſuavitatem odoris: & flores mei fructus honoris & honeſtatis.* *Vitis* in terra plantata producit ex ſe palmites, & ex his fructum: & Chriſtus reſurgendo & aſcendendo plantatus in terra viventium, Sanctos qui ſunt membra ejus, velut palmites ex ſe gignit, & ex his in ſe manentibus fructum operis boni producit. Unde & ait illis: *Sicut* Joh. 15. v. 4. *palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec vos, niſi in me manſeritis.* Fructificat ergo in eis: quia quicquid illi bene agunt, ipſe facit, & ex ejus radice ſurgit fructus operis illorum. Et fructificat *ſuavitatem odoris*: quia fructus operum, quæ facit in eis, ſuavis odor est bonæ opinionis, dum videntes hæc homines glorificant inde Patrem, qui est in cœlis. Et *flores* ejus ſunt *fructus honoris & honeſtatis*: quia opera, quæ in his proponendo inchoat, honorabiliter & honeſtè conſummat; honoremque per hæc & honeſtatem illis grandem præſtat. *Flores* enim ſunt vota & promiſſa: *fructus* autem impletiones promiſſorum per exhibitionem operum. *Flores* ergo Sanctorum ſunt *fructus*: quia membra Chriſti quod vovent, reddunt; quod promittunt, faciunt.

Sequitur: *Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis & ſanctæ ſpei. In me gratia omnis vitæ & veritatis in me omnis ſpes vitæ & virtutis.* Sapientia, quæ est Chriſtus, est *mater pulchræ dilectionis*: quia dilectionem gignit, non turpem, ſed pulchram; non indecentem, ſed honeſtam; non libidinoſam, ſed caſtam. Et *mater timoris*, ſcilicet, filialis vel caſti, quia Prov. 1. 7. Eccli. 1. 16. *principium ſapientiæ timor Domini*; & caſtum Dei timorem gignit pulchra dilectio, cujus genitrix est ſapientia. *Et agnitionis*, quia *Patrem nemo novit niſi Filius*, Joan. 16. *& cui voluerit Filius revelare.* Qui item dixit: *Palàm de Patre annuntiabo vobis.* Sic enim Sapientia, quæ est Filius, *mater* est *agnitionis*. *Et ſanctæ ſpei*: quia ſpem de ſanctis rebus non niſi Chriſtus gignit. Sancta enim ſpes est adipiſcendi regnum Dei & juſtitiam ejus: & hanc vera dat ſapientia, in qua est *gratia omnis vitæ & veritatis*, quia niſi per gratiam, quæ est in hac ſapientia, id est, in Chriſto, nullus vitam perpetuam ſeu veritatem incommutabilis ejus beatitudinis valet conſequi; cùm ipſe Chriſtus ſit veritas & vita. Ideoque & *omnis ſpes vitæ & virtutis* est in eo; quia non niſi per eum quis rectè ſperat vitam beatam; & immortalitatis ejus virtutem invenire, & virtutem aliquam bonæ converſationis habere poteſt.

Sequitur: *Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini.* Nonnulli ſapientiam, quæ Chriſtus est, concupiſcunt; ſed quibuſdam ſæcularium rerum obſtaculis retinentur, ne ad eam veniant, eamque per religioſam converſationem apprehendant. Sæpe enim fit ut dum quis ad religioſam vitam ſe convertere cogitat, & Chriſtum ſequi; obſiſtat ei & prava conſuetudo vitiorum quibus delectari ſolet, & amor parentum, aut conjugis, ſeu filiorum, & poſſeſſionum, ſive blandimenta carnalium amicorum, & aliqua hujuſmodi. Ideo nunc vera ſapientia jubet ut omnes, qui eam mente concupiſcunt, tranſeant cunctos hujuſmodi obices; & ad ipſam, dum licet, venire feſtinent; & poſtquam ad eam venerint, non remaneant vacui, ſed impleantur *generationibus* ejus, id est, ſentibus intelligentiæ & prudentiæ, ac virtutibus quas generare ſolet in his, qui ad ſe venerunt.

Sequitur: *Spiritus enim meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & favum. Memoria mea in generationes ſæculorum:* Ideo tranſeundum est ad divinam ſapientiam, calcatis difficultatum obſtaculis: quia *ſpiritus* ejus, quem inſpirat tranſeuntibus ad ſe, est melle dulcior; & *hæreditas* ſempiternæ beatitudinis, quam eis præparavit, ſuperat dulcedine *mel & favum*. *Mel* dicit, propter animas juſtorum, quæ corporibus ſolutæ jam aſſiſtunt conſpectui gloriæ Conditoris, & *datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ*: favum verò, propter Apoc. 6. electos poſt reſurrectionem tam in corporibus, quàm in animabus in ſuperno regno beatos, quando jam *in terra ſua duplicia poſſidebunt*. Favus enim est mel in Iſa. 61. cera, ſignificans animam in corpore; ſicut mel ſine cera animam ſine corpore. Sed & *memoria* ſapientiæ iſtius erit *in generationes ſæculorum*, quia laus ejus perenniter ab electis decantabitur, & adhærentes ſibi faciet ejuſdem laudis eſſe participes.

Sequitur: *Qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibunt me, adhuc ſitient.* Qui cordis ore dulcedinem veræ ſapientiæ guſtant, quantò ejus ſaporem ſentiunt, tantò magis in deſiderio ejus ardeſcunt; & quantò plus de hoc potu bibunt, tantò avidiùs eum ſitiunt. Nam ſpirituales dilicie cùm habentur, in deſiderio ſunt; tantoque à comedente ampliùs eſuriuntur, quantò & ab eluriente ampliùs comeduntur.

Sequitur: *Qui audit me, non confundetur; & qui operantur in me, non peccabunt.* *Qui* Chriſtum obedienter *audit*, *non confundetur*, id est, non erubeſcet; quia cum honore magno erit ad dexteram ejus in judicio. *Et qui operantur in eo*, *non peccabunt*: quia omne opus, quod ſecundùm eum fit, caret peccato.

Sequitur: *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* *Elucidant* ſapientiam, qui ob ſalubriter declarandam Chriſti notitiam Scripturas explanant, qui ipſum Chriſtum piè prædicant, qui eum luce ſuorum operum glorificant: & ideo *vitam æternam habebunt*, id est, ipſum Chriſtum; quia hic est verus Deus, & vita æterna.

Ex M S. S. Simplic.

HOMILIA II.

IN EVANGELIUM SECUNDUM MATTHÆUM.

Matth. 5. *Videns turbas Jesus ascendit in montem. Et cùm sedisset, accedebat discipulos suos dicens: Beati pauperes spiritu, &c.*

Beati pauperes spiritu, qui non necessitate, sed devota voluntate, contemptis omnibus deo vivunt. Hæc paupertas duas habet partes, abdicationem rerum; etsi habeantur non sibi, sed ad opus pietatis: & contritionem spiritûs, ut seipsum abdicet. Hæc virtus, scilicet, paupertas jure prima ponitur, qua non præcedente non valent quæ sequuntur: & licet absque sequentibus perfectum non faciat hominem; tamen promeretur auxilio divinæ gratiæ beatitudinem. Sed quia potest habere suarum rerum contemptum; & adhuc ex fragilitate carnis commoveretur per aliquam contumeliam, subjungit: *Beati mites.* Quos, scilicet, ira vel aliquid tale non afficit, sed qui omnia æquanimiter sustinent. Hac virtute laudatur Moyses; hujus quasi magnæ magistrum se facit ipse Christus dicens: *discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Hæc possidet veram terram. Nota congruam ascensionem. Primus enim est contemptus seculi, cui jure æterna promittuntur. Secundo loco ponitur mansuetudo, quæ veram paupertatem conservat & munit, ne quo modo inquietari possit. Tertio loco sequitur: *Beati qui lugent*: postquam quæ mundi sunt prorsus abjecimus, moresque improbos mansuetudine temperavimus; restat nobis lugere pro peccatis præteritis, quod est irriguum inferius; & pro desiderio patriæ cælestis, quod est irriguum superius: sed inferius sordes lavat præsentes, superius quidem accendit vitæ futuræ amatores.

Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam. Nota tribus modis justitiam decerni: cùm naturæ nostræ sua servamus; cùm proximo facimus quod nobis fieri volumus; cùm Deo, quæ Dei sunt, persolvimus. Quæ justitia non plenè in nobis impletur, donec Deus sit omnia in omnibus? propterea posuit, *Esurire*, non, *satiari.* Amatores enim veri boni semper sitiunt, nec eis sufficit quòd justi sunt.

Beati misericordes. Misericordia de præcedentibus nascitur; quia non est vera compassio miserorum, nisi præcesserit vera paupertas veraque humilitas, & nisi mansuescat animus subjacens divinis legibus, nisi incipiat aliorum casus deflere, & justitiam esurire: de quibus omnibus vera misericordia generatur. Nota quòd hanc virtutem justitia præcedit. Justitiæ enim lumen, misericordia; misericordiæ virtus, justitia est.

Beati mundo corde. Munditia cordis sexto ponitur loco, ut homo sexto die conditus per hanc munditiam recuperet Dei imaginem, quam caligo vitiorum delevit; ut à strepitu humanarum cogitationum semotus, corde mundo & imagine Dei reformatâ, quæ Dei sunt tantùm cogitet, & divinis præceptis per omnia se applicet. *Beati pacifici.* Pax jure septimo ponitur loco. Postquam enim homo ad hoc promovit sese, ut contemptis omnibus quæ mundi sunt, æterna tantùm diligere & cogitare possit, quod contemplativorum est; nihil aliud restat, nisi ut Deum, qui vera pax est quam contemplabatur, præmium habeat.

His igitur septem prædictis virtutum gradibus congruit septiformis operatio sancti Spiritûs de quo in Isaia legitur: requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini. Sed ille à summo incipit, hîc ab imo: ibi docetur Filius Dei ad ima descensurus, hîc homo de imis ad similitudinem Dei ascensurus. In his gradibus primus est timoris spiritus, qui bene humilibus congruit, de quibus dicitur: *Beati pauperes spiritu.* Est enim timor iste filialis, de quo dicitur: Initium sapientiæ timor Domini. Timor Domini facit contemptum hujus mundi, & hominem voluntariè pauperem beatitudine ditari. Unde superna gratia saluti nostræ providens orationem nobis contulit, in qua septiformi prece spiritum septiformem possemus impetrare: ut suffragio gratiæ septiformis septem supradictas virtutes assequamur; & per eas ad beatitudinem pertingere mereamur. Dum in ultima parte orationis dominicæ petimus: *libera nos à malo*; videmur orare ut per spiritum timoris Domini recedat à nobis omnis tumor elationis, & succedat humilitas veræ paupertatis, cui detur beatitudo vitæ cælestis.

Secundus est spiritus pietatis, qui mitibus convenit: qui enim piè vivere quærit, sanctam Scripturam meditatur, & quod nondum intelligit non reprehendit, quare nec resistit: quod est mitem fieri. Quæ virtus ut continua servetur, orat ne in intentionem inducatur.

Tertio loco ponitur spiritus scientiæ, qui convenit lugentibus, quia sciunt jam quibus malis teneantur vincti; quæ antequam in Scripturis legerent appetebant: & ideo ad patriam suspirant. Et ut illæ prosint lachrymæ, orent & dicant: *dimitte nobis debita nostra*, peccata, scilicet, quibus detinemur; ut liberi ad patriam redeamus.

Quarto loco succedit spiritus fortitudinis, qui esurientibus & sitientibus justitiam congruit; quia qui verum desiderant gaudium, laborant reficì veris bonis unde esuriunt. Sed illa esuries, ut ad satietatem pertingat, fulcitur spiritu fortitudinis, ne lassescat in via: & ideo oramus, *panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

Quinto loco ponitur spiritus consilii, qui misericordibus convenit. Nemo enim miseretur nisi spiritu consilii regatur. Unde oramus: *fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra.* Quatenus Voluntatem Dei consulentes, misereamur cui miserendum esse viderimus.

Sexto loco ponitur intellectus, qui mundis corde convenit. Illis, scilicet, qui purgato oculo cordis vident quod corporeus oculus non potuit videre, vel auris audire. Hoc autem mundum cor regnum Dei dicitur videre: non illud quod nec incipit, nec desinit; sed quod in nobis est, dum vitia & potestas diaboli excluduntur. Unde oramus: *adveniat regnum tuum*: idest, da ut per spiritum intelligentiæ mundicordes possimus esse, & tibi in nobis regnum præparare.

Septimus ponitur spiritus patientiæ, qui pacificis congruit, in quibus nullus motus est rebellis, ut non discrepent in sanctificationem nominis Dei, sed vitâ moribus nomen patris in filiis ostendatur. Unde orandum: *sanctificetur nomen tuum.*

Vel ita nota gradus harum virtutum. Pauperibus promittitur regnum cælorum, illis, scilicet, qui per spiritum timoris Domini omnia sua contempserunt. Mitibus hæreditas, quasi testamentum patris cum pietate quærentibus. Illis, qui lugent scientes quibus malis sint involuti, promittitur consolatio: Esurientibus & sitientibus saturitas: Misericordibus misericordia promittitur, quia impenderunt aliis circumspectionem consilii: mundis corde facultas videndi Deum: Paci-

Digitized by G

ficis similitudo Dei, quia filii Dei vocabuntur. Ille summus est qui vocari Filius prometetur. *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Omnes beati dicuntur qui habent quicquid desiderant. Beatitudo enim est A status congregatione omnium bonorum perfectissimus. Septem igitur sunt quæ perficiunt; octavum est, quod glorificat; perfectio namque illos qui Dei sunt probat. Unde legitur: *succendatur fornax ut probetur aurum.*

HOMILIA III.

IN EVANGELIUM SECUNDUM MATTHÆUM.

Mat. 14. v. 22. *JUssit Jesus Discipulos suos ascendere in naviculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas.*

In hac lectione juxta mysticam intelligentiam summatim describitur Ecclesiæ status, ab adventu Salvatoris usque in finem sæculi. *Jussit* enim Dominus *discipulos suos ascendere in naviculam*, quando Apostolis eorumque sequacibus gubernandam commisit Ecclesiam. *Et* ita *præcedere transfretum*, id est, tendere ad portum cœlestis patriæ, priusquam ipse ex toto migret ab hoc mundo. Nam cum suis electis & propter suos electos est ipse semper hic usque ad consummationem sæculi: & præcedunt illum trans mundanum pelagus, qui quotidie hinc transeunt ad terram viventium. Cùm enim suos illuc omnes præmiserit; tunc relinquens multitudines reproborum, nec ad conversionem eas ulterius monens, sed perditioni deferens migrabit hinc, ut cum solis electis suis in regno sit. Unde subjungitur: *Donec dimitteret* C *turbas.* Nam in fine sæculi *turbas* inimicorum dimittet, ut à diabolo jam in sempiternam damnationem rapiantur. *Et dimissa turba ascendit in montem solus orare.* Turbas quidem gentium usque ad finem mundi non dimittet; sed turbam Judaicæ plebis
Isaiæ 5. v. 6 tunc dimisit, quando secundùm Isaiã mandavit nubibus suis, ne super infructuosam vineam pluerent, id est, Apostolis jussit, ne Judæis ultra prædicarent, sed ad gentes pergerent. Sic ergo turbam illam dimisit, & *in montem*, id est, in apicem regni cœlestis ascendit, de quo dictum fuerat: *Quis ascendet in montem Do-*
Ps. 23. *mini, aut quis stabit in loco sancto ejus?* Mons enim altitudo est, & quid altius cælo? Illud ascendit Dominus. Et ascendit solus: quia *nemo ascendit in cœ-*
Joan. 3. *lum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo.* Quamvis & in fine cùm venerit, & omnes nos membra sua collegerit ac levaverit in cœlum, etiam D tunc solus ascendet: quia caput cum corpore suo unus est Christus. Nunc autè solùm caput ascendit, *mediator Dei & hominum homo Christus Jesus. Et* ascendit orare, quia ivit ad Patrem pro nobis interpellare.
Heb. 9. *Non enim in manufacta Sancta introivit, exemplaria verorum: sed in ipsum cælum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.*

2. Joan. 2. Sequitur: *Vespere autem facto, solus erat ibi.* Vesper propinquitatem finis sæculi designat, de qua & Johannes ait, *filioli, novissima hora est. Vespere* igitur
Rom. 13. *facto, solus erat ibi*: quia appropinquante mundi termino, solus *in tanta* sanctorum ut verus Pontifex intravit, ibique *est ad dexteram Dei, & interpellat pro nobis.* Veruntamen dum ille orat in excelso, navicula
Excelso turbatur, non mergitur posse. turbatur fluctibus in profundo. Nam quia insurgunt E fluctus, potest ista navicula turbari; sed quia Christus orat, non potest mergi.

Sequitur enim: *Navicula autem in medio maris jactabatur fluctibus. Erat enim eis contrarius ventus.* *Navicula* quippe est Ecclesia, *mare* sæculum, *fluctus maris* tumores sæculi & tribulationes mundi, seu tentationum impetus elati. *Ventus contrarius*, spiritus dæmoniorum, quo sæculi potestates adversùs Ecclesiam sunt concitatæ, & mundus contra Sanctos frequenter commotus, & quo vitia vel iniquitates semper suggeruntur. Navis igitur *in medio maris jactabatur fluctibus*, dum Jesus in montis cacumine moraretur; quia ex quo Salvator in cœlum ascendit, sancta Ecclesia magnis tribulationibus in hoc mundo agitata est, & variis persecutionum turbinibus pulsata, ac diversis malorum hominum pravitatibus vexata, vitiisque multimodè tentata. *Erat enim ei contrarius ventus*, quia flatus malignorum spirituum ei semper adversatur, ne ad portum salutis perveniat; obruere eam nititur fluctibus adversitatum sæculi, omnes quas valet contrarietates ei commovens.

Sequitur: *Quartâ autem vigiliâ noctis venit ad eos, ambulans supra mare* Cùm nox duodecim horas habeat, & quatuor militares vigilias; tribus horis unicuique vigiliæ deputatis; quarta vigilia noctis extremitas est noctis. Nox verò tenebras tribulationum & errorum ac vitiorum & pericula tentationum designat. In *quarta* ergo *vigilia noctis*, hoc est in extremitate persecutionis, quæ diu sub paganis regibus efferbuerat; vel circa finem cujuslibet gravioris adversitatis, *venit* Jesus ad suos. Et *venit ambulans supra mare*, id est, calcans omnes tribulationum fluctus, & omnes tumores mundi sub pedibus habens, omnesque celsitudines sæculi premens. Quid enim maris nomine, nisi in bonorum nece sæviens mundi hujus amaritudo designatur? Super fluctus ergo maris Dominus ambulat: quia cùm se procellæ persequutionis erigunt, miraculorum ejus obstupefactione franguntur. Qui enim tumores humanæ vesaniæ mitigat, quasi erectas in cumulo undas calcat. Nam cùm morem suum gentilitas destrui novæ conversationis prædicatione conspiceret; cùm mundi hujus divites elationi suæ contraire facta pauperum; cùm sapientes sæculi adversari sibi imperitorum verba pensarent, in persequutionis tempestatem tumuerunt. Sed qui verborum adversitate commoti, ad persequutionis procellas insiliunt, signorum, ut diximus, admiratione temperantur. Tot ergo in his fluctibus Dominus gressus posuit, quot superbis persequutoribus miracula ostendit.

Noctis vigilia.

Sequitur: *Et videntes eum supra mare ambulantem, turbati sunt dicentes quia phantasma est: & præ timore clamaverunt.* Jesus transit calcans fluctus; & tamen tantæ sunt tribulationes, ut etiam ipsi qui crediderunt in Jesum, & conantur perseverare usque in finem, plerumque turbentur & expaveſcant ne deficiant. Christo, inquam, fluctus calcante; id est, sæculi ambitiones & altitudines deprimente expaveſcunt Christiani. Meritò igitur Domino in fluctibus ambulante timuerunt discipuli: quia Christiani, quamvis habentes spem in futuro sæculo, quando vident deprimi altitudinem hujus sæculi, nonnunquam turbantur de contritione rerum humanarum, nec à Deo fieri hanc arbitrantur, sed ab hoste. *Turbati sunt ergo dicentes quia phantasma est:* quoniam dum considerant mundi gloriam fieri, & sæcularium elationum altitudines dejici, mundanosque fluctus calcari, plerumque turbantur de mundi percussionibus: quia nondum intelligunt Deum ista facere, sed putant spiritum hujus mundi phantasticum, id est, subdolum Satanam talia in mundo gerere,

gerere, & *præ timore* clamant *turbati* ad Dominum. Sed postmodum diligentiùs attendentes aperiunt Evangelium, aperiant scripturas divinas, & inveniunt ibi illa omnia prædicta, & animadvertunt quia non inanis & umbratilis ille spiritus, qui verum esse perdidit, sed verus Dominus facit hæc, & deprimit cellitudines sæculi, ut ab humilibus glorificetur.

Unde & aptè subditur: *Statimque Jesus locutus est eis, dicens, Habete fiduciam: Ego sum, nolite timere.* Aut enim per internam aspirationem, aut per scripturas, aut per prædicatores loquitur suis talia. *Nolite*, inquit, diffidere, sed *fiduciam habete, nolite* expavescere, sed impavidi estote: quia *ego sum* qui ista prædixi, & nunc ea facio pro vestris utilitatibus; & ideo necesse est ut fiant. *Ego sum*, qui non mutor, & cujus verba non transeunt, sed permanent, & rebus exsequuntur; qui ad Moysen dixi: *ego sum qui sum*, ac præcepi ei: *sic dices filiis Israël: Qui est, misit me ad vos.* Res enim quælibet, si mutabilis est, non verè est. Non est enim ibi verum esse, ubi est & non esse. Nam quicquid mutari potest; mutatum, non est quod erat. At in veritate, quæ manet, mutatio non est, nec præteritum aut futurum, sed solùm præsens, & hoc incorruptibiliter: quod in creatura non est. Discute enim rerum mutationes, & invenies, fuit & erit. Cogita Deum, & invenies *est ubi fuit & erit* esse non posse. Rectè ergo Christus, qui est æterna & incommutabilis veritas, dicit suis inter mundanas tribulationes fluctantibus, *ego sum, nolite timere.*

Sequitur: *Respondens autem Petrus, dixit: Domine si tu es, jube me venire ad te super aquas.* Ac *ipse ait, Veni.* Petrus ordinem prædicatorum designat; aquæ verò non solum tribulationes, sed & populos significant, *Si*, inquit, *tu es*, si tu incommutabilis permanes; *jube*, quia jussio tua est virtus efficiens; *jube me super aquas*, id est, super fluctus mundanarum tribulationum & super populos *venire ad te*: ut & ego tibi incommutabili adhærens, fiam incommutabilis participatione firmitatis tuæ. Vadit enim super tribulationes, qui non superatur aut mergitur ab eis, sed calcat & superat eas: sicut legimus quia sub Stephano facta est illa tribulatio, in qua ipse pro Christo primus animam suam posuit. Sed & super populos vadit ad Christum, qui regendo multitudines fidelium tendit ad regnum cœlorum.

Sequitur: *Et descendens Petrus de navicula, ambulat super aquas, ut veniret ad Jesum.* Hoc completum est & completur, dum sancti prædicatores ad exteras gentes mittuntur. *Petrus* enim *de navicula* descendit, quotiens quilibet sanctus doctor de gremio matris Ecclesiæ, ubi fuerat educatus, piâ condescensione perrexit ad illos, qui foris erant, ut eis viam salutis ostenderet. Et ambulavit *super aquas*, dum & tribulationes superando calcaret, & multitudines hominum Christo credere faciens sibi subderet. Ambulavit, inquam, non stetit: quia semper ea quæ retrò sunt longiùs fugiens, ad ea quæ ante se magis ac magis se promovit, & quotidianis virtutum incrementis profecit. Et hæc omnia egit, *ut veniret ad Jesum*, qui est Salvator & veritas incommutabilis; quatenus eum apprehendens & ei inhærens, veram teneret in eo salutem & incommutabilitatem.

Sequitur: *Videns verò ventum validum, timuit; & cùm cœpisset mergi, clamavit dicens: Domine, salvum me fac.* Validus ventus, vehemens conatus dæmonum est ad excitanda corda hominum, velut aquas maris in inquietudinem persequutionis fidelium; vel ad suadendum fortiter malum. Qui, scilicet, ventus flabit tunc validus, quando satanas in suis viribus extremo tempore contra justos relaxabitur. Quod in hac sententia nunc designari videtur, quia Petrus, qui est ordo prædicantium, *Videns ventum validum* timuisse refertur. Quis enim vel perfectorum non timebit, quando sub Antichristo immanis illa persecutio ubique fervebit. Timens autem incipiet aliquantulùm mergi: quia propter horrorem atrocitatis suppliciorum, quæ sanctis inferentur; & propter admirationem fallacium signorum, quæ per sequaces Antichristi fient; aliquantulùm in corde suo fluctuans, ab inferiori parte animæ sentiet aliquid, quo nisi Christi dextera levaverit, facilè totus demergi possit. Sed quia electus erit, ad Christum clamabit: *Domine salvum me fac*, & sic eo subveniente erigetur. *Erit enim tunc tribulatio magna qualis non fuit ab initio creaturæ usque modò, neque fiet. Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro. Sed propter electos, breviabuntur dies illi.* Matth. 24. v. 21.

Unde & hîc aptè sequitur. *Et continuò Jesus extendens manum apprehendit eum, & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitasti?* Citò enim Salvator unicuique suorum extendet manum salutaris auxilii, quia *non patietur* eos tentari *supra id quod* ferre poterunt. Et quemlibet eorum velociter apprehendet, id est, quadam vi divini adjutorii assumens tenebit & eripiet. *Modicæ*, inquit, *fidei quare dubitasti?* Cujus fides in illa tribulatione non titubabit; quando Martyr, qui pro Christo sanguinem suum fundet, nihil signorum facere poterit; & ante ipsius oculos tortor ipsius signa faciet? Pensemus ergo quæ erit humanæ mentis illa tentatio. Cujus enim tunc virtus non ab ipso cogitationum fundo quatiatur; quando qui flagris cruciat, miraculis corruscat? Tanta quippe tunc contra justos Antichristus & ministri ejus iniquitate & dolo effrænantur, ut etiam electorum corda non modico pavore feriantur. Unde scriptum est: *Ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Quod videlicet dicitur, non quia electi casuri sint; sed quia magnis terroribus velut casuri, sint trepidaturi. Notandum etiam quia hæc fluctuum commotio, & Petri titubatio, vel mersionis inchoatio, etiam nostro tempore juxta spiritualem sensum quotidie agitur. Unicuique enim sua cupiditas, est tempestas. Amas Deum, ambulas super mare, sub pedibus tuis sæculi tumor. Amas sæculum, absorbet te: amatores enim suos vorare novit, non portare. Sed cùm fluctuat cupiditate cor tuum, ut vincas tuam cupiditatem; invoca Christi Divinitatem. Putas enim tunc ventum esse contrarium, quando hujus sæculi surgit adversitas, & non etiam quando blanditur prosperitas. Nam quando bella, quando tumultus, quando fames, quando pestilentia, quando cuique hominum etiam singulorum evenit privata calamitas; tunc putatur ventus adversus, & ibi putatur invocandus Deus: quando autem temporali felicitate sæculum arridet, quasi non est ventus contrarius. Noli hinc interrogare temporis tranquillitatem: sed interroga tuam cupiditatem. Vide si tranquillitas est in te: vide si non te subvertat ventus interior. Magnæ enim virtutis est cum felicitate luctari, ne illiceat, ne corrumpat, ne subvertat illa felicitas. Disce calcare sæculum; memento fidere in Christo. Et si motus est pes tuus, si titubas, si aliqua non superas, si mergi incipis; exclama ad Jesum: *Domine salvum me fac.* In Petro itaque communis omnium nostrûm consideranda conditio est, ut si nos in aliquo tentationum ventus conatur subvertere, vel unda submergere; clamemus ad Christum. Porriget ille manum, & eruet de profundo.

Sequitur: *Et cùm ascendisset in naviculam, cessavit ventus.* In die novissimo ascendet in navem Ecclesiæ: quia tunc *sedebit super sedem Majestatis suæ*: quæ Matth. 25. sedes non inconvenienter intelligitur Ecclesia. Nam

Quid mod. sequitur Dom.

Creatura non est quod fuit.

Petrus quid significet. Aqua quid significet.

Act. 7. v. 8.

Quid de hoc descendere.

Felicitas sæculi, ventus est contrarius.

qui per fidem & bonam operationem nunc semper inhabitat Ecclesiam, ipse tunc per suæ gloriæ manifestationem ingredietur Ecclesiam. Et tunc cessabit ventus: quia dæmones ulteriùs non habebunt potestatem flammas tentationum vel commotiones tribulationum emitere contra eam. Tunc enim pacata ei erunt omnia, & quieta.

Sequitur: *Qui autem in navicula erant, venerunt, & adoraverunt eum, dicentes: Verè Filius Dei es.* Qui in Ecclesia fideliter inter procellas tentationum accedent gaudentes ad eum, & cum ipso regnum ejus intrantes adorabunt eum, ac perpetualiter laudantes Filium Dei veraciter hunc esse clamabunt. Tunc enim fiet, quod de electis à morte resuscitatis dicitur: *Veniet omnis caro, ut adoret coram facie mea, dicit Dominus.* Et item: *Beati qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Nam quem *corde* crediderunt *ad justitiam*, *ore autem* confessi sunt *ad salutem*, hunc corde videbunt ad vitam, & ore laudabunt ad gloriam contemplantes qualiter à Patre sit ineffabiliter genitus, cum quo vivit regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IV.

IN EVANGELIUM SECUNDUM MATTHÆUM.

Matth. 17. *Post dies sex, assumpsit Jesus Petrum, & Jacobum, & Johannem fratrem ejus: & duxit illos in montem excelsum seorsum: & transfiguratus est ante eos.* Et reliqua.

Quia Salvator noster electos suos per hujus vitæ labores ad illam, quæ laborem nescit, vitam futuræ beatitudinis introducere disposuit; modò per Evangelium suum sudores certaminum temporalium, modò palmam præmiorum describit æternorum, ut, scilicet, auditis agonum necessitatibus, meminerint sibi requiem in hac vita non esse petendam; auditâ rursum dulcedine futuræ beatitudinis, leviùs ferant mala transeuntia, quæ bonis speraverunt remuneranda perpetuis. Cùm enim suas suorumque passiones paulò superiùs prænuntiasset, ait: *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis: & tunc reddet unicuique secundùm opera ejus.* Ubi poterant discipuli in suis cogitationibus dicere: Occisionem & mortem nunc dicis esse venturam; quod autem promittis affuturum te *in gloria Patris* cum Angelorum ministeriis & potestate judicis, hoc in tempora longa differetur. Prævidens igitur occultorum cognitor quid possent objicere, præsentem timorem præsenti compensavit præmio. Subjunxit enim: *Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo.* Ac si diceret: Qualis venturus est in fine, talis ob incredulitatem vestram præsenti tempore demonstrabitur, * videntibus his, qui hîc assistunt. Nam quia incertum est omnibus tempus universalis judicii, incertaque singulis hora sui exitus, & poterat longa videri præsens afflictio nescientibus quando requies promissa veniret: voluit pius magister aliquibus discipulorum suorum adhuc in terra degentibus æternæ promissionis gaudia præmonstrare; quatenus & ipsi, qui vidissent, & omnes qui audire possent, leviùs adversa præsentia tolerarent, reducto sæpius ad mentem futuræ retributionis munere, quod expectarent. *Sunt*, inquit, aliqui *hîc* stantes, *qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo. Venientem* quippe *in regno suo* viderunt eum discipuli sui, qui in ea claritate viderunt fulgentem in monte, in qua peracto judicio ab omnibus Sanctis *in regno suo* videbitur.

Sequitur enim in Evangelica narratione, id de quo loqui volumus: *Et post dies sex, assumpsit Jesus Petrum, & Jacobum, & Johannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelsum seorsum.* Quòd *post dies sex*, ex quo promisit discipulis claritatem suæ visionis Dominus ostendit, significat Sanctos in die judicii regnum percepturos, *quod eis promisit, qui* non *mentitur, Deus ante tempora sæcularia. Tempora* quippe *sæcularia*, sex ætatibus constant. Quibus completis, audient à Domino: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Possunt etiam *sex dies* promissæ dominicæ visionis & gloriæ, perfectionem bonorum operum designare, sine qui-

Tit. 1.

Matth. 25.

bus ad contemplandam Conditoris sui majestatem quisque non valet pervenire. Quia enim Dominus sex diebus rerum creaturam formavit, & septimâ requievit ab operibus suis; rectè per *sex dies* opera bona, quibus ad requiem pervenire debemus, exprimuntur. Et quia qui Deum videre, & ad gloriam ejus resurrectionis pertingere concupiscit, debet agere bona quæ novit; rectè *post dies sex*, gloriam sui regni quam spopondit discipulis, Salvator ostendit. Lucas tamen sic scripsit: *Factum est autem post hæc verba fere dies octo, & assumpsit Petrum & Johannem & Jacobum, & ascendit in montem ut oraret.* Secundùm quem Lucam octavâ die Dominus promissam futuræ beatitudinis gloriam discipulis ostendit, ut ostensâ cœlestis vitæ dulcedine cæterorum qui hanc audire possent, corda refoveret, & octonario dierum numero verum gaudium tempore resurrectionis doceret esse venturum. Nam & ipse octava die, hoc est post sextam sabbathi, qua crucem ascendit; ac septimam sabbathi, qua in sepulchro quievit, à mortuis resurrexit: & nos post sex hujus sæculi ætates, in quibus pro Domino labores toleramus, ac septimam sabbatismi animarum, quæ interim in alia vita geritur, octava profectò ætate resurgemus. Nam quòd Matthæus, vel etiam Marcus, Dominum *post sex dies* transfiguratum dicit; nec ordine temporis, nec ratione mysterii discrepat à Luca, qui *octo dies* ponit. Quia Matthæus narrat medios tantùm dies, unde & absolutè *post sex dies* factum commemorat; hic autem primum, quo hæc Dominus promisit; & ultimum, quo sua promissa complevit adjungit, ideoque temperatiùs loquens *fere dies octo* ponit. Et in ratione mystica, ille *post sex* mundi ætates Sanctis ab omni labore quiescendum, hic autem octavo tempore designat esse resurgendum. Tres autem discipulos Dominus assumpsit, quibus glorificationem suam ostenderet, vel quia qui nunc fidem sanctæ Trinitatis in charitate operantem servant integram, tunc de ejus revelata visione perenniter lætatur; vel quia tres sunt ordines fidelium in Ecclesia, qui soli ad hanc visionem pervenire meantur, videlicet, præpositi, & continentes, atque conjugati. Quisquis enim in aliquo trium istorum graduum inventus non fuerit, ad gaudium visionis hujus non pertinebit. Petrus namque, propter primatum suum, Prælatos Ecclesiæ designat: Johannes autem, qui permansisse virgo perhibitur, cœlibes ac mundi contemptores prænostrat: Jacobus verò, qui supplantator dicitur, conjugatos & mundo licitè utentes significat. Hic ergo tribus discipulis, per quos universi designantur electi, Dominus gloriam suam ostensurus *in montem* eos *ducit excelsum*, ut doceat omnes qui hanc videre desiderant, non in infimis jacere voluptatibus, non illecebris servire carnalibus, non terrenis adhærere cupiditatibus; sed æternorum amore ad superna semper erigi, & Angelicæ

Sex dies significant.

Luc. 9. v. 28.

Tres discipulorum, qui transfigurationem adserunt, mystica significatio.

munditiæ, pietatis, & pacis & dilectionis, & bonitatis, & justitiæ vitam, quantùm mortalibus possibile est,
Ph. 3. v. 20. semper imitari debere, juxta illud Apost. *Nostra autem conversatio in cœlis est. Unde etiam salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Ostensurus gloriam suæ Majestatis, *in montem* discipulos *ducit*, ut discant ipsi, discant omnes, qui hanc videre sitiunt, non eam sibi in hujus sæculi profundo, sed in regno supernæ beatitudinis esse quærendam, & studeant digni fieri ascendere *in montem Domini*, & stare *in loco sancto ejus.* Et bene Evangelista, cùm dixisset quia *duxit illos in montem excelsum*, addidit *seorsum*: quia justi & tunc cùm pravorum vicinià premuntur; animo tamen toto ac mentis intentione, & operum exequutione separati sunt ab illis, & in futuro prorsus etiam corpore & loco segregabuntur ab eis, quando *abscondet vos Dominus in abdito vultus sui à conturbatione hominum, & protegat in tabernaculo suo.* Qui, juxta Lucam, ascendit in montem oraturus, & sic transformandus: quia in cœli secretam altitudinem, ut verus pontifex, ascendit pro suis interpellaturus, suâque gloriam eis ibi manifestaturus; & ut ostenderet quia qui beatam resurrectionem expectant, & regem in decore suo videre desiderant, mente in excelsis habitare, ac continuis precibus insistere debeant.

Sequitur: & *transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies ejus sicut sol: vestimenta autem ejus facta*
Luc. 9. *sunt alba, sicut nix* Lucas verò dicit: *& factum est dum oraret species vultus ejus altera, & vestitus ejus albus refulgens. Transfiguratus* autem Dominus ante discipulos, & in altera specie vultus apparens, non formam humani corporis amisit, sed suam suorumque glorificationem præmonstravit. *Facta est* enim *species vultûs ejus altera*, id est, alterius gloriæ, quando *resplenduit ut Sol.* Cujus, scilicet, splendoris & gloriæ claritas ad naturam susceptæ humanitatis specialiter pertinebat. Nam illam ipsius Divinitatis ineffabilem & inaccessibilem visionem, quæ in æternam vitam beatis mundo corde servatur, nullo modo discipuli mortali adhuc carne circundati poterant intueri. In hac ergo transfiguratione Dominus & sui corporis gloriam, qua per resurrectionem erat illustrandum præmonstravit, & electorum omnium quantæ claritatis post resurrectionem futura sint corpora, præmonuit.
Matth. 13. Nam & de illis alias ait: *Tunc justi fulgebunt sicut sol, in regno Patris eorum.* Et hic in exemplum futuræ clarificationis ipsius, *resplenduit facies ejus sicut Sol.* Non quia Domini, & Sanctorum ejus, æqualis possit esse claritas & gloria; sed quia nihil sole clarius videre novimus: non solùm Domini, sed & Sanctorum in resurrectione gloria solis aspectui comparatur, quia clarius sole aliquid, unde exemplum daretur hominibus, minimè potuit inveniri. Possumus etiam per faciem ejus intelligere præsentem & manifestam cognitionem humanitatis ipsius. *Resplenduit* ergo *sicut sol facies ejus*: quia in illo supernæ beatitudinis regno Sanctis omnibus ita resplendebit unico ac singulari splendore clarissima etiam humanitatis ejus contemplatio, *sicut sol* unica & singulari claritate superat omnia, quæ corporeis oculis lucida videndur. *Vestimenta autem ejus*, quæ *sicut nix* albedine refulsere, non incongruè Sancti ejus figu-
Galat. 3. v. 27. raliter intelliguntur, Apostolo, dicente: *Quotquot baptizati estis, Christum induistis.* Quæ, scilicet, *vestimenta*, ipso inter homines in terris conversante, despecta aliorumque similia videbantur; sed eo montem petente, novo candore refulsere: quia, sicut Johan-
1. Joan. 3. v. 2. nes loquitur, *nunc quidem filii Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus: scimus autem quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.*
Matt. 9. v. 1. Unde bene Marcus de eisdem vestimentis ait quia *facta sunt splendentia, candidaque nimis, velut nix, qua-*
lia fullo super terram non potest candida facere. Quia quod omnibus patet, nemo est qui sine corruptione & dolore vivere possit *super terram*, nemo est qui sine attactu alicujus peccati vivere queat *super terram.* Sed quod *fullo*, id est, doctor animarum, sive mundator aliquis sui corporis eximius, *super terram non potest*, Dominus faciet in cœlo, *emundans Ecclesiam*, vestem videlicet suam, *ab omni inquinamento carnis & spiritus*, insuper & æternâ carnis & spiritûs beatitudine ac luce reficiens. *Fullo est doctor.*

Sequitur: *Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias cum eo loquentes.* Lucas hæc plenius exposuit: *Et*
Luc. 9. *ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant Moyses & Elias visi in majestate, & dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem.* Moyses & Elias, qui loquuti sunt in monte cum Domino, *& dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem*, id est, passionem ac resurrectionem ejus, oracula legis ac Prophetarum designant, quæ in Domino completa, & nunc doctis quibusque patent, & in futuro manifestiùs patebunt electis omnibus. Qui bene *visi in majestate* dicuntur, quia tunc apertiùs videbitur quantâ veritatis dignitate omnis divinorum eloquiorum non solùm sensus, sed & sermo fuerit prolatus. Possumus *excessum ejus* intelligere specialiter exaltationem humanitatis ejus, qua excessit omnia, sicut docet Apostolus dicens de Patre: *Ut sciatis quæ sit supereminens*
Ephes. 1. 19. *magnitudo virtutis ejus, quam operatur in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum, & potestatem & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non solùm in hoc sæculo, sed & in futuro: & omnia subjecit sub pedibus ejus.* Hic est excessus mediatoris Dei & hominum hominis Jesu Christi. Quem excessum licèt Pater operatus sit; ipse tamen secundùm Divinitatis potentiam nihilominus operatus est, atque complevit. *Quæcunque* enim *Pater fecerit, hæc & Filius similiter facit.* Et complevit illum in superna Jerusalem, ubi semper videtur *pax Dei, quæ exuperat omnem sensum.* Sed & in Sanctis suis magnum *excessum* complebit, quando post judicium vos usque ad celsitudinem paternæ visionis elevabit. Hunc itaque *excessum* capitis & membrorum in civitate magni regis complendum Moyses & Elias *dicebant*: quia gloriam exaltationis Christi & Ecclesiæ prædixerunt jugiter Lex & Prophetæ. Subjungit autem hoc loco Lucas solus, dicit: *Petrus verò, & qui cum illo erant gravati erant somno. Et evigilantes viderunt majestatem ejus, & duos viros qui stabant cum illo.* Nam iste solus, qui *octavi diei* mentionem præmisit, nunc speciem resurrectionis describit. Nam in Petro & sociis ejus, ut suprà dictum est, omnes designantur electi, qui gravantur somno, dum corpora eorum in tumulis usque ad finem sæculi dormiunt: sed in die resurrectionis evigilabunt, & ad videndam perpetuò gloriam majestatis ejus sublimabuntur. Sed & duos viros stantes cum eo videbunt, id est veritatem sensus Legis & Prophetarum quæ istam clarificationem prænuntiaverunt. Vel *somno erant gravati*: quia splendor incomprehensibilis Divinitatis premit quodam velut gravi pondere sensus corporis nostri. *Et evigilantes viderunt majestatem ejus*: quia qui somnum corporis à suo corde excutiunt, & mente vigiles fiunt, ad lucem supernæ visionis elevantur.

Sequitur: *Respondens autem Petrus, dixit ad Jesum: Domine, bonum est nos hic esse. Si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum*: Et hæc etiam Lucas, cùm de duobus viris loqueretur, sic ait: *Et factum est; cùm discederent ab illo, ait Petrus ad Jesum: Præceptor, bonum est nos hic esse, faciamus tria tabernacula, unum tibi, unum Moysi, & unum Eliæ, nesciens qui diceret.* Discessio Moysis & Eliæ à Christo, secundùm illud intelligenda est,

Digitized by Google

1. Cor. 13. v. 10. quod ait Apostolus, quia *cùm venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* Recedet enim doctrina Legis & Prophetarum, ubi manifestatio divinæ visionis Sanctis apparuerit. *Petrus* verò ad ea, quæ cernebat, respondit; *bonum est nos hîc esse*, virosque jam discedentes cupiebat ibi retinere novâ tabernaculorum constructione. Nam quia quò ampliùs quisque vitæ cœlestis dulcedinem degustat, eò ampliùs fastidit omnia, quæ placebant in infimis: meritò ipse nunc visâ Domini & Sanctorum ejus majestate, repente cuncta quæ noverat terrena obliviscitur, & solis his quæ videbat, delectatur adhærere; ibique cum Jesu optat habitare, ubi manifestatâ ejus gloriâ lætatur, dicens: *Domine, bonum est nos hîc esse.* Quia re vera solum hominis bonum est intrare *in gaudium Domini* sui, & huic contemplando in æternùm assistere. Unde meritò nihil unquam veri boni habuisse putandus est, cui reatu suo exigente contingit nunquam sui faciem videre Creatoris. Quod si beatus Petrus glorificantam Christi humanitatem contemplatus tanto afficitur gaudio, ut nullatenus ab ejus intuitu velit secerni: quid putamus esse beatitudinis iis qui Divinitatis ejus altitudinem videre meruerint? Et, si cum duobus tantùm sanctis, Moyse, scilicet, & Helia, transfiguratam in monte hominis Christi speciem videre, bonum maximum duxit; quis sermo explicare, & quis sensus valet comprehendere

Heb. 12. v. 22. quanta sint gaudia justorum, cùm accesserit *ad Sion montem*, & ad *civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam*;

1. Cor. 13. v. 12. ipsumque civitatis ejusdem artificem & conditorem Deum, non per speculum, & in ænigmate sicut nunc, sed facie ad faciem conspexerint? Tamen beatus Petrus, in eo quod cœlesti conversationi tabernacula facienda putavit, nesciebat *quid diceret.* In illa namque cœlestis vitæ gloria domus necessaria non erit, ubi divinæ contemplationis luce omnia pacificante, aura adversitatis alicujus timenda nulla remanebit, testante Apostolo Johanne, qui ejusdem supernæ civi-

Apoc. 21. v. 22. tatis claritatem describens ait inter alia: *Et templum non vidi in ea; Dominus enim omnipotens templum illius est, & Agnus.* Nesciebat ægro *quid diceret*, qui mente excesserat; quia in domo Patris, quæ in cœlis est, domus manu facta necessaria non sit. Nesciebat *quid diceret*, qui Christum in illa claritate semper ibi retinere volens, non cogitabat quia salvari mundus nisi morte Christi non poterat. Nesciebat *quid diceret*, qui oblitus est regnum Sanctis à Domino non alicubi terrarum, sed in cœlis esse promissum: nec recordatus est se suosque coapostolos mortali adhuc carne circumseptos immortalis vitæ statum subire non posse.

Sequitur: *Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.* Lucas etiam ita; *Hæc autem illo loquente, facta est nubes: & obumbravit eos, & timuerunt intrantibus illis in nubem. Et vox facta est de nube, dicens: Hic est Filius dilectus, ipsum autem audite.* Quia Petrus tabernacula facere quærebat, obtectu lucidæ nubis est admonitus in illa vitæ cœlestis habitatione domos non fore necessarias, ubi omnia Dominus æter-

1. Tim. 6. v. 16. nâ suæ lucis obumbratione protegit; *qui lucem habitat inaccessibilem.* Hæc enim *nubes lucida*, quæ nunc super discipulos *facta est, & obumbravit eos*, est illa lux inaccessibilis, in qua Deus habitat. Quæ inaccessibilis est viribus nostris, sed acceditur ad eam muneribus

Exod. 20. v. 21. divinis, *Moyses*, enim *accessit ad caliginem: in qua erat Deus.* Nam illa caligo, & ista nubes, atque illa lux, idem sunt. Quia & omnis etiam corporea lux, quæ præ nimietate claritatis non potest aspici, rectè caligo & inaccessibilis dici potest, sicut & oculorum nostrorum reverberatio probat in aspectu solis. De hac nube & luce, dictum est in Exodo mysticè:

Operuit nubes tabernaculum testimonii, & gloria Domini implevit illud, nec poterat Moyses ingredi tectum fœderis, nube operiente omnia, & majestate Domini coruscante. De hac similiter & in tertio Regum libro scriptum est: *Nebula implevit domum Domini,* 1. Reg. 8. v. 10. *& non poterant sacerdotes stare & ministrare propter nebulam: impleverat enim gloria Domini, domum Domini. Tunc ait Salomon: Dominus dixit, ut habitaret in nebula.* De hac & venerandus pater Dionysius ait, sicut & alibi meminimus: Divina caligo est inaccessibile lumen in quo habitare Deus dicitur, & invisibili eo existente propter supereminentem claritatem, & inaccessibili eodem per superexcellentiam superexcellentialis luminum manationis. In hoc fit omnis Deum scire & videre dignus, cum non videndo neque cognosco, verè super visionem & cognitionem factus hoc ipsum cognoscens, quia post omnia est sensibilia & intelligibilia, & Prophetiæ videns, *mi-* Ps. 138. *rabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam.*] His beati Dionysii tam ponderosis verbis consonat & David dicens de Domino: *Cali-* Psal. 17. *go sub pedibus ejus, & ascendit super Cherubim & volavit, volavit super pennas ventorum. Et posuit tenebras latibulum suum. Caligo* namque est ei *sub pedibus*, quia non ea claritate ab inferioribus cernitur, qua in superioribus dominatur. *Ascendit* enim *super Cherubim & volavit: Cherubim* quippe plenitudo scientiæ dicitur; proinde super plenitudinem scientiæ ascendisse prohibetur & volasse, quia majestatis ejus celsitudinem scientia nulla comprehendit. *Volavit* ergo, quia longè in altum ab intellectu nostro se rapuit. *Volavit super pennas ventorum*, quia scientiam transcendit animarum. *Et posuit tenebras latibulum suum*, quia dum caligine nostræ infirmitatis obscuramur, per ignorantiam nostram nobis absconditur, ne à nobis modò in æterna & intima claritate videatur. *Posuit tenebras latibulum suum*, quia in ejus cognitione caligat acies mentis universæ rationalis creaturæ, parumque videt esse quicquid de eo valet agnoscere, ad comparationem eorum, quæ de ipso se sentit ignorare. *Nubes & caligo in circuitu ejus*: quia latet in quadam obscuritate incomprehensibilitatis suæ, nec agnosci potest à creatura, nisi quantùm vult revelare. In hanc itaque *nubem* intrantes Apostoli *timuerunt*, quia quicunque ad Dei contemplationem sic proficiunt, ut eum in hujusmodi nube obscuritatis arcanorum ejus videant, cum magno metu reverentiæ id faciunt. Unde & Seraphim, qui eum primi cognoscunt, faciem ejus & pedes velant, & mediis alis volant: ut intelligamus quia & tam sublimis ordo beatissimorum Spirituum timidus est circa celsiora & profundiora divinarum visionum, & mediocriter ad deificas scientias attollitur. De prædicta verò *nube* venit *vox* Patris, dicens de Christo: *Hic est Filius meus*, quia de immensa obscuritate divinæ incomprehensibilitatis procedit ad nos alta notitia generationis sempiterni Filii Dei, in qua nec genitor est genito prior, nec genitus genitore posterior: quia constat & Patrem sempiternè genuisse, & Filium sempiternè natum esse. Sed cujus fulgorem mentis acies nondum capit, *generationem ejus quis enarrabit?* Quia verò resplendentem Filii hominis faciem Apostoli cernere desiderabant, affuit Pater in voce, docens eundem esse Filium suum dilectum; ut discerent ab humanitatis ejus gloria, quam videbant, ad Divinitatis ipsius, quæ æqualis & consubstantialis est illi, contemplandam suspirare præsentiam. Quòd autem ait de Filio, *in quo* Joan. 1. v. *mihi bene complacui*, hoc est, quod idem Filius alibi 29. testatur: *Qui me misit mecum est, & non reliquit me* Gen. 8. v. 21. *solum, quia ego quæ placita sunt ei facio semper.* Nam quando de hominibus dixi: *pœnitet me fecisse* eos, quasi sibimetipsi displicuit in peccatoribus, quos creaverat. In solo autem Unigeto sibi complacuit:

ad creaturam non cognoscitur Deus, nisi quantum vult se revelare.

quia hunc inter homines hominem creasse eum non pœnituit omni modo, in quo peccatum nullum invenit, propter quod se reprehenderet, quasi per pœnitentiam; sed plenitudinem totius sanctitatis, quæ sibi valde complacuit. Et quod adjunxit, *ipsum audite*, admonuit eum esse, de quo suprædictus Moyses populum, cui legem dedit, prænonebat, quia *Prophetam vobis suscitabit Dominus Deus vester de fratribus vestris tanquam me, ipsum audietis juxta omnia quæcumque loquutus fuerit vobis.* Neque enim Moysen & Heliam, id est, Legem & Prophetas audiri vetat; sed omnibus his auditionem Filii, qui Legem & Prophetas venit adimplere, præferendam insinuat, cunctisque veteris instrumenti typis & ænigmatibus lucem Evangelicæ veritatis anteponendam intimat.

Deut. 18. v. 15.

Sequitur solus Matthæus, dicens: *Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde.* Humana fragilitas conspectum majoris gloriæ ferre non sustinet, totoque animo ac corpore contremiscens ad terram decidit. Omnesque Sancti, cùm in Dei visione proficiunt, quantò magis Divinitatis interna conspiciunt, tantò magis se nihil esse cognoscent. Audita ergo Dei voce, Petrus & socii ejus *in faciem suam ceciderunt*, quia quamvis homo ad intelligenda sublimia levetur; ex contemplatione tamen majestatis Dei infirmitatem suæ conditionis intelligit. Et quasi statum non habet, qui se ante Dei oculos esse pulverem & cinerem videt. Audierunt enim vocem Patris, quia ex ejus revelatione cognoverunt Filium ei prorsus æqualem, omnia tenentem, omnia implentem, omnia circumplectentem, omnia superexcedentem, omnia sustinentem, ubique totum, incircumscriptum, & incomprehensibilem: & *ceciderunt in faciem*, quia tantò apud se in suis cogitationibus consternati sunt, quantò eis illud altum erat quod audiebant. Ac naturam & excellentiam Unigeniti Dei cogitantes expaverunt, & vilia de se senserunt in eo quod comprehendebant, dum supernis intenderent, quæ ab eis comprehendi non poterant. Hinc & Ezechiel de pennatis animalibus ait: *Cùm fieret vox super firmamentum, quod erat super caput eorum, stabant, & submittebant alas suas:* Animalia namque Sanctos designant. Et firmamenti nomine exprimitur incarnatus Unigenitus, per hoc quòd in eo natura nostra ad æternitatem firmata est. Fit ergo *vox super firmamentum*, cùm Pater de Christo dicit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Et tunc animalia stant, alasque submittunt: quia sancti intenta mente supernis intendunt, & virtutes suas humiliant. Stant enim, quando eum, qui *super caput*, id est, super mentes *eorum* est, intenta contemplatione considerant; & *alas* demittunt, quia suæ virtutes eis vilescunt, dum alta supernæ incomprehensibilitatis aspiciunt. Sed & in eo, quod dicitur, *Hic est Filius, in quo mihi bene complacui, alas* submittunt, quia in ejus innocentia & sanctitate vident in quantis ipsi quotidie delinquant, & quàm parum de perfectione sanctitatis habeant; & omnem de suis viribus præsumptionem deponunt.

Ezech. 1. v. 25.

Sequitur adhuc Matthæus, dicens: *Et accessit Jesus, & tetigit eos, dixitque eis: Surgite, & nolite timere.* Ad discipulos in infirmitatis suæ confusione jacentes *accessit* per gratiam, & *tetigit eos* per virtutem, jussitque ut ad opera fortia surgerent; & timorem quem charitas ejicit, abjicerent. *Accessit, & tetigit*, quia illuminavit & adjuvit. Accedit, sed non tangit; quandoquidem per ejus gratiam illuminamur, sed exigentibus nostris meritis non adjuvamur. Plerumque enim videmus quæ agenda sunt, sed hæc opere non valemus implere. Nitimur, & infirmamur. Mentis judicium rectitudinem conspicit, sed ad hanc operis fortitudo succumbit. Quia nimirum jam de pœna peccati est, ut ex dono quidem possit bonum conspici; sed tamen ab eo, quod conspicitur, contingat per meritum repelli. Sed ad prostratos *accessit* Dominus, *eosque tetigit*, & ut surgerent imperavit: quia cùm nos infirmitatem nostram subtiliter agnoscentes humiliter jacemus, tunc virtute Spiritus sancti tangimur, & ad robusta opera surgere præcipimur, quæ non per timorem, sed per charitatem faciamus.

Quando tetigit Deus eorum suum.

Sequitur Matthæus: *Levantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Jesum.* Quod & Lucas, dum de Patris voce loqueretur, sic ait: *Et dum fieret vox, inventus est Jesus solus. Vox Patris facta est de nube, dicens, hic est Filius meus; & dum illa fieret, evanuerunt servi, & inventus est Jesus solus:* ut indubitanter agnosceremus quia *solus Jesus est naturalis & unicus Dei Filius, non Moyses, aut Helias.* Qui igitur in consideratione suæ infirmitatis oculos mentis, dum jacerent, defixerant; ipsi surgentes levaverunt eosdem spiritales oculos ad altiores divinæ contemplationis. Et tunc *neminem viderunt, nisi solum Jesum:* quia nullus est in gloria Dei Patris, nisi Dominus Jesus Christus, & ad ejus comparationem nullus Sanctorum est aliquid; cessantque voces Legis, & Prophetarum, ubi Pater voce propria declarat Unigenitum suum.

Sequitur: *Et descendentibus illis de monte, præcipit eis Jesus, dicens: Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis à mortuis resurgat.* Lucas autem observantiam hujus præcepti refert, dicens: *Et ipsi tacuerunt, & nemini dixerunt in illis diebus* quicquam *ex his quæ viderant.* Dominus verò visionem ostensæ suæ majestatis ad tempus taceri jussit, ne si palàm vulgaretur in populos, aut dispensationem passionis illius idem populi principibus repugnando impedirent, & sic humanæ salutis effectus, qui per sanguinè ejus erat venturus retardaretur: aut certè hi, qui eandem visionem audientes credidissent, viso crucis opprobrio scandalizarentur. Opportuniùs autem completâ passione ac resurrectione & ascensione ejus in cœlum, repletisque Spiritu sancto Apostolis, prædicata est; quatenus omnes qui sacramentis ejus initiari voluissent, non solùm effectum resurrectionis credere, sed etiam modum resurrectionis ejusdem ab his qui viderant, potuissent edisscere; nec non æternitatem divinæ nativitatis, quam à Patre audierant, cunctis pariter credendam & amandam ipsi prædicarent. His verò de lectione Evangelica dictis, addendum videtur quia sicut in ea Moyses & Helias Legem & Prophetiam, sic Dominus Jesus Evangelium designare potest; & tamen si ea, quæ sunt in lectione, potuerint alicubi minùs apertè de verbo Evangelicæ prædicationis intelligi, referenda sunt ad Verbum quod caro factum est & habitavit in nobis. Ait ergo: *Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.* Filius hominis non absurdè intelligitur Evangelicus sermo, quia *mediator Dei & hominum homo Christus Jesus eum genuit*, hoc est, ex se protulit. Qui, scilicet, sermo videtur *in regno suo*, dum clarus & potens apparet, ut & per claritatem illuminet mentes audientium, & per potentiam virtutis sancti Spiritus eas corroboret, quatenus ab eis & intelligatur & opere compleatur. Nec gustant mortem, donec eum talem videant, qui priusquam mortis debitum solvant, ad magnam ejus provehuntur intelligentiam, & magnâ eum virtute operum adimplent. Nec omnibus Christo assistentibus, hoc est, in fide Christi manentibus, id promissum est & datum, sed quibusdam. Huic autem sententiæ verborum Domini subdit Evangelista: *Et post dies sex, assumpsit Jesus Petrum & Jacobum, & Johannem, & duxit illos in montem excelsum seorsum.* Vel: *factum est post hæc verba dies octo, & assumpsit Petrum, & Johannem, & Jacobum, & ascendit in montem, ut oraret. Jesus* verò, id est, Salvator & salutaris, est sermo Evangelicus, de quo dicitur: *Suscipite verbum insitum, quod potest salvare animas vestras*, &: *Notum vobis facio Evan-*

Luc. 9.

gelium, quod prædicavi vobis, quod & accepistis in quo statis, per quod & salvamini. Hic ergo salutaris & salvator sermo gratiam in se sancti Spiritus continens, *assumpsit Petrum*, qui dicitur agnoscens; *& Johannem*, cujus interpretatio sonat, in quo est gratia; *& Jacobum*, qui interpretatur supplantator; *& assumpsit eos post dies sex*, vel *octo*. Nam quia sex diebus opera mundi sunt creata, per *sex dies* mundum & opera ejus intelligimus; & quia octo die facta est resurrectio, per *octo dies* gratia resurrectionis exprimitur. Qui ergo supra mundum ascenderint, & hujus sæculi opera transcenderint, ac futuræ resurrectionis immortalem fructum bonâ conscientiâ expectaverint, hi potuerunt à verbo Evangelii *in montem* sublimis intelligentiæ duci; & *seorsum*, ut à tumultu terrenarum cogitationum sint remoti, ibique claritatem ipsius Verbi in glorioſum aspectum transformati videre. In quem, scilicet, *montem ascendit* orare: quia ipsum gratiæ Verbum, dum coram oculis nostræ mentis in altum celsiori & clarioris intelligentiæ progreditur, *interpellat* quodammodo *pro nobis*, quoniam spiritales nos facit, & Deo commendabiles. Ascendamus ergo cum Verbo in montem: ut in specie & puchritudine sua nobis appareat, & prosperè procedat & regnet. Nam juxta modum nostræ capacitatis Verbum ipsum nobis & minuitur & crescit; & nisi celsioris prudentiæ cacumen ascendamus, non nobis apparet sapientia, non nobis apparet mysteriorum cognitio, non nobis apparet quanta sit gloria, quantus decor in Evangelico verbo, sed quædam vilitas & contemptibilitas nobis in eo videtur. *Transfiguratus est ante eos*, inquit, *& facta est species vultus ejus altera*, quia ipse Dei sermo in aliam speciem admirandæ pulchritudinis transformatur in oculis eorum, quos assumit, id est, docet: & in montem sublimioris intelligentiæ ducit, quàm videtur eis, quos in infirmo sensu deorsum relinquit. *Et facies ejus, sicut Sol resplenduit*, id est, nitor aspectu pulchritudinis ejus incomparabili ac singulari claritate refulsit. Nihil enim sunt, in ejus comparatione, eloquia singularis doctrinæ. *Vestimenta* verò *ejus facta sunt alba sicut nix: & vestitus ejus albus refulgens. Vestimenta* Christi, verba sunt Scripturarum, & in oculis alta petentium albescunt ut *nix*, & refulgent sermones divinarum lectionum. Cùm autem nix ceciderit, aves cœli non habent ubi inhabitent, & lætior solito tritici proventu exuberat. Cui rei verba Scripturarum aptè comparantur, quæ de cœlo missa sunt in terram, & jejuna nostrorum pectorum arva fœcundaverunt, ac spiritibus aëreis tanquam avibus immundis locum non reliquerunt.

Nomen aliquod omittitur, ut *ejus*, vel *ejus*.

Sequitur: *Et ecce apparuerunt illis Moyses & Helias, cum eo loquentes.* Vel: *Ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyses & Helias visi in majestate, & dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem. Moyses & Helias apparuerunt in monte cum* Domino, *loquentes cum eo*, quia Lex & Prophetæ in alto celsioris intelligentiæ cernuntur cum Evangelio, ac concordant in dictis suis cum eo. Sed *& in majestate cum eo visi* sunt: quia sapientibus & spiritualibus effulgent cum illo in gloria divinæ excellentiæ, *& dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem:* quia pronuntiaverunt futuram celsitudinem ipsius Evangelici sermonis, quo scilicet dignitate & potentia foret excessurus omnia in urbe pacis æternæ, ac mansurus absque fine. Hinc & Psalmista cecinit: *In æternum, Domine, verbum tuum permanet in cœlo.* Dominus quoque dixit: *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.*

Psal. 118. Luc. 21.

Petrus verò & qui cum illo erant, gravati erant somno: quia *corpus quod corrumpitur aggravat animam: & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem*, ac velut somno quodam corporis pigrum reddit. *Et evigilantes viderunt majestatem ejus, & duos viros* qui stabant cum illo, quia cùm mens fortiter eluctata torporem negligentiæ & somnum imperitiæ superaverit, potest videre *majestatem* sensuum sacri eloquii, & Legem ac Prophetiam persistentes cum verbo gratiæ Evangelii. Aliter, *Petrus*, & socii ejus, *Erant somno gravati.* Somno gravantur Sancti, dum ab actione terrena, & ab amore temporalium rerum quiescunt, & ab appetitu visibilium mentis oculos claudunt: Qui idcirco non simpliciter dormire, sed somno gravari dicuntur; quia non sine pondere laboris agitur hujusmodi dormitio. Sancti enim viri, qui à mundi operibus non torpore sed virtute sopiuntur, laboriosius dormiunt, quàm vigilare potuerunt; quia in eo quòd actiones hujus sæculi deserentes superant, robusto conflictu quotidie contra semetipsos pugnant, ne mens per negligentiam torpeat, & ne concupiscentia carnis adversus eam in aliquo prævaleat, & ne ipsi à bono opere & à cœlesti desiderio pigri fiant. *Et evigilantes*, inquit, *viderunt majestatem ejus*, quia qui exterioribus, ut dictum est, obdormiunt, & in interioribus evigilant, interna mysteriorum penetrant. Hinc est quòd Sponsa dicit: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Ac si dicat: Dum exteriores sensus ab hujus vitæ sollicitudinibus sopio, vacante mente vivaciùs interna cognosco. Agit enim talis anima ut hujus mundi inquietam concupiscentiam à se penitus ejiciat, & terrenarum cogitationum strepitum deserat; ac per quietis studium virtutibus intenta vigilans dormit. Neque enim ad contemplanda interna perducitur, nisi ab his quæ exteriùs implicant, studiosè subtrahatur. Itaque qui somno gravabantur, evigilaverunt, ac *majestatem ejus viderunt*: quia qui ab hujus mundi curis obdormiunt, & supernis studiis evigilant, *majestatem* sacri eloquii contemplantur, & spiritales visiones aspiciunt. *Domine*, inquit Petrus, *bonum est nos hic esse*, id est, in contemplatione majestatis Evangelici sermonis immorari, & Legem simul ac Prophetias in claritate spiritalis intelligentiæ contueri. Quem, scilicet, sermonem, vocabat dominum & præceptorem: quia præceptis ejus ex charitate servire paratus erat, & ejus doctrinis erudiri volebat. Sed in eo quòd *tria tabernacula* facere tribus quæsivit, nesciebat *quid diceret*: cùm unum sit tabernaculum Evangelii, in quo Lex & Prophetæ morantur. Nam & usque nunc imperitiæ notatur, quisquis Evangelio & Legi ac Prophetis *tria tabernacula* facere cupit; cùm hæc ab invicem nullatenus valeant separari, unum habentia tabernaculum, id est, Ecclesiam Dei.

Somni Sanctorum.

Sancti laboriosius dormiunt, quàm vigilant.

Unum Evangelii tabernaculum, in quo Lex & Prophetæ morantur.

Cant. 5.

Sequitur: *Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Quia imprudenter tribus, quasi paribus ac divisis *tria tabernacula* offerebat, venit *nubes lucida*, id est, mysteriorum incomprehensibilitas quæ & splendet & obumbrat, quia & mentem illuminat ostensione divinorum, & ex toto Deum non manifestat; sed de eo plura tegit, quàm revelat. Venit, inquam, hujusmodi *nubes lucida*, & *obumbravit* mentes eorum obscurâ luce suâ. In quam intrantes timuerunt, propter incomprehensibilia Dei judicia, & propter cætera, quæ in Scripturis mente nequiverunt comprehendere. Et de tanta mysteriorum incomprehensibilate venit *vox* Dei dicentis de sermone Evangelii quia *hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Processit enim ex Deo, & per Deum incarnatum datus est idem gratiæ sermo; omnemque perfectionem justitiæ, quam mortales capere possunt, continet; & omne Dei beneplacitum declarat. Propter quod & de eo dicit, *in quo mihi bene complacui.* Unde & Apostolus ait: *Reprobatio quidem fit precedentis mandati propter infirmitatem ejus & inutilitatem; nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio verò fit melioris spei, per quam proximamus ad Deum.* Et item: *Nam si illud primum culpâ*

Heb. 7. v. 18.

Heb. 8. v. 7.

vacasset; non utique secundi locus inquireretur. Et ideo A Testamentum vetus, quod datum est per servum, retinet in se vilitatem servitutis; novum verò, quod datum est per Filium, possidet honorem filiationis, de quo dicitur: *hic est Filius meus dilectus*: & additus de eo, *ipsum audite*: quia quicquid Lex justitiæ & Prophetæ promulgaverunt, in eo continetur, & multò
Matth. 7. v. 12. amplius. Ait enim Dominus ibi: *Omnia quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis: hæc est enim Lex & Prophetæ.* Et de majore justitia quæ est
Matth. 5. v. 33. in novo, quàm in veteri: *Audistis*, inquit, *quia dictum est antiquis; non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare omnino.* Itemque: *Audistis quia dictum est, diliges amicum tuum; & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros: benefacite his, qui oderunt vos*, & alia multa hujusmodi. Quia ergo novum Testamentum continet omnia, B quæ vetus justerat, & alia multa adhuc sacratiora; & ideo solùm novum jubemur audire, id est, præceptis ejus obedire.

Sequitur: *Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde.* Quia videlicet nos audita divini sermonis excellentia, quæ in novo Testamento est, cadimus *in faciem*, id est, humiliamur, & erubescimus quòd non ut decuit eum honoravimus obediendo illi reverenter in omnibus: ideoque nimis timemus ne ob id damnemur. *Et accessit Jesus, & tetigit eos, dixitque eis; Surgite, nolite timere.* Quia nimirum ipse sermo Evangelicus nobis per cognitionem nostri reatus in pœnitentia jacentibus fit quodammodo propinquior, ac tangit nos manu sententiarum suarum, & ad bene operandum surgere præcepit, ac de cætero timorem excutit. Cur enim jam timeat, qui ex pœni- C
1 Joan. 4. tentia erigitur ad fortia virtutum opera? Nam & *perfecta charitas foras mittit timorem. Levantes autem oculos suos neminem viderunt, nisi solum Jesum*, id est, novum Testamentum. Ablatâ enim nube, & evanescentibus Moyse & Helia, Christus solus cernitur; quia Legis & Prophetarum umbra discedente verum lumen, coruscante gratiâ Evangelii, splendet. Ubi enim Legis & Prophetiæ umbra recedit, quæ suo velamine mentes hominum tegebat, utraque reperitur in Evangelio. Nam cùm tres essent, unus est factus. Tres in principio visi sunt, unus in fine. Quia Lex, & Prophetia, & Evangelium, quando secundùm litteræ superficiem attenduntur, tres vidéntur: quando secundùm interiorem sensum inspiciuntur, unus apparet. Lex enim, & Prophetiæ, juxta spiritalem intellectum, nihil aliud sunt quàm doctrina Evangelica. Hinc jam de monte descendentibus, id est, de altitudine sublimioris intelligentiæ & contemplationis ad ima communis conversationis redeúntibus præcipitur visionem hanc nulli dicere, nisi post Domini resurrectionem. Nemini enim narranda est claritas sacri eloquii, quæ sapientibus in alto hoc contemplationis jam ostensa est, nisi qui Christum resurrexisse jam credidit, quia nec ipse nisi post resurrectionis suæ triumphum discipulis, ut Scripturas intelligerent, sensum aperuit. Unde & Apostolus hanc speciosæ claritatis gloriam, qua divinus sermo interiùs refulget, quibusdam celabat, dicens: *Nihil me judicavi scire inter vos: nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum.* Aliis verò jam provectis aperiebat, de quibus ait: *Sapientiam autem loquimur inter perfectos.* Minoribus enim minora prædicari debent, & majoribus majora: unusquisque juxta modum capacitatis suæ doceatur. Eis ergo qui magnum sensum habent, & in novitate vitæ ambulant, dicenda est celsa visio clarificationis divini sermonis. Unde & nunc, sicut & superiùs, potest ipse sermo filius hominis intelligi. Qui, scilicet, sermo quasi perimitur, & velut inter mortuos computatur ab illis, qui graviter in eum peccant; & quasi non sit, eum transgredi & conculcare non verentur. Quibus, dum tales sunt, dicere non debemus ejusdem divini sermonis clarificationem; ne *sanctum* Matth. 7. *canibus & margaritas* porcis dedisse culpemur. Sed si idem sermo resurrexerit in eis per pœnitentiam ipsorum, & vitæ melioratione; tunc jam dici potest eis visio claritatis ejus, quæ rursum apparet ad alta tendentibus. Sed hanc lectionem, prout cœlitus nobis datum est, exposuimus, & ejus mysteria patefecimus; quatenus omnes qui hæc agnoverunt, adjuvante Domino, sic vivere studeant, & supernis intendant, ut de his quæ dicta sunt, gaudere & in præsenti sæculo mereantur & in futuro, per Jesum Christum salvatorem nostrum, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus, ante omnia sæcula, & nunc, & in omnia sæcula. Amen.

Lex, Prophetia, & Evangelium omnia sunt; licet ea ita ut supervisa.

1. Cor. 2. v. 2.

Heb. 5. v. 13.

HOMILIA V.

IN EVANGELIUM SECUNDUM MATTHÆUM.

Matth. 18. Dixit Dominus Jesus discipulis suis parabolam D hanc: *Assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis. Et cùm cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta.* Et reliqua.

In hac lectione monemur ut fratribus in nos peccantibus dimittamus; si nobis à Deo, quæ in eum peccavimus, dimitti volumus; aut potius si ea, quæ jam nobis dimisit, ne rursum à nobis exigat, optamus. Ecce enim servus, qui decem millium talentorum erat debitor, universi debiti relaxationem à Domino suo consequutus esse narratur: sed quia ipse postmodum E conservo suo *denarios centum* dimittere noluit; omnia, quæ sibi à Domino fuerant dimissa, coactus est reddere. Debuisset enim conservo libenter dimittere minora, qui sibi noverat à domino dimissa fuisse majora. Sed jam verba sacræ lectionis seriatim videamus. *Assimilatum est*, inquit, *regnum cœlorum homini regi*, quia videlicet sicut iste rex fecisse describitur, sic in regno cœlorum fieri decretum est. *Regnum* autem *cœlorum*, vocatur etiam in hoc sæculo Ecclesia fidelium: quia dum cœlestem in terris vitam pro posse suo ducere student, jam in eis Dominus quasi in Angelis regnat. Et ob insigne meritum eorum, tota simul Ecclesia, cujus ipsi membra sunt, appellatur *regnum cœlorum*: licèt in ea multi, qui plus terrena quàm cœlestia quærunt, nec in suis moribus adhuc Christum, sicut oportet, regnare sinunt. Homo autem rex, cui *regnum* istud *assi-* Luc. 19. v. *milatum est, mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus* intelligitur, de quo aliàs scriptum est; *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam, accipere sibi regnum, & reverti.*

Qui voluit rationem ponere cum servis suis: quia placuit ei requirere in judicio rationem eorum, quæ quisque fuerit operatus. *Et cùm cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus, qui debebat decem millia talenta.* Incipit nunc *rationem ponere*, quoniam sicut Petrus ait: *tempus est, ut incipiat judicium à domo Dei.* In- 1. Pet. 4. v. cipit *rationem ponere*, quando per infirmitatis molestiam ad lectum & ad mortem pertrahit homines; ut eos de singulis actibus suis in judicio discutiens, rationem redde cogat. Dum ergo sic *cœpisset rationem*

pengre, id est, ad mortem quoslibet per ægritudinem urgere, ut cogitarent jam quasi ante tribunal se esse positos, ut ei rationem redderent; *obligatus est ei*, hoc est, per ministerium Angelorum ad mortem coactus est *unus qui debebat ei decem millia talenta*, id est, multorum gravium peccatorum perpetrationis reus tenebatur. Denarius enim numerus plenitudinem divinorum significat mandatorum, propter Legis decalogum. Millenarius verò consummatum perfectionem. Talentum autem dicitur esse maximum inter omnia ponderum genera. *Decem* ergo *millia talenta*, perfectionem gravium multorumque criminum designant, quæ per plenariam transgressionem mandatorum Dei sint facta. Et tam gravi debito constrictus erat iste, qui nunc dicitur *oblatus* fuisse *regi*, id est, qui ad mortem in infirmitate per Angelos urgebatur. *Cum autem non haberet unde redderet; jussit eum Dominus venundari, & uxorem ejus, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi.* Non habebat *unde redderet*: quia ex seipso habebat, unde in culpam caderet; sed ex seipso non habebat, unde ad veniam resurgeret. Et ideo *jussit eum Dominus venundari*, id est, possidendum dæmonibus in æternam damnationem tradi, & pœnas de illo sumi. *Et uxorem*, id est, carnalem voluptatem *ejus*: & concupiscentiam, *& filios*, id est, iniqua ejus opera; *& omnia quæ habebat*, id est, verba & cogitationes ejus. Venditur enim cum uxore & filiis & omnibus quæ habet, ut debitum reddat, qui per mortem corporis ab hac vita subtrahitur; & cum reatu carnalis suæ voluptatis & cupiditatis, & operum atque verborum & cogitationum traditur malignis spiritibus in æternum possidendus; ut perpetuas luens pœnas, divinæ justitiæ satisfaciat. *Procidens autem servus ille, orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Tunc servus domino procidit & ut venditionem, id est, damnationem effugiat, submissus obsecrando deposcit; cùm is, qui propter peccata sua imminentem sibi mortem, utpote damnandus metuit, humiliter se subdit divinæ clementiæ, & per veram pœnitentiam ac puram animi intentionem convertit ad Deum, promittens se in reliquo redditurum Deo omnia, quæ debet illi, si impendentem sibi sententiam mortis evaserit. Qui enim universa quæ malè egit emendat, & deinceps religiosè vivit; omnia, quæ debebat Domino, reddit. *Misertus autem Dominus servi illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei.* Servus humiliter petebat dilationem, & dominus misericorditer concessit remissionem. Nam *dimisit eum*, id est, proprio arbitrio relaxavit, concedens ei rursus spatium vivendi. Et per confessionem ac pœnitentiam, *dimisit ei debitum* omne culparum. *Egressus autem servus ille, invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios. Et prehensum suffocabat eum dicens: Redde quod debes.* Dum servus esset in angustia prædictæ districtionis, stabat quodammodo positus ante faciem Domini. Sed quando dimissus est, ut juxta voluntatem liberi arbitrii sui bonum adhuc, sive malum facere posset; tunc à Domino suo *egressus* est. Dominus enim Deus ubique est, nec potest alicubi quisquam egredi, ubi ipse non sit. Sed, ut dixi, tunc *egressus* est, non loco, sed relaxatione sui servus à Domino, quando rursum dimissus est arbitrio suo. *Egressus autem invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios.* Conservus iste alius homo erat, qui Christo regi cum hoc servire proposuerat. Sed *debebat ei centum denarios*, quia peccaverat in eum aliquas illi injurias faciendo. *Centum* enim *denarii*, significant peccata, quæ homo in hominem committit; sicut *decem millia talenta*, significant ea, quæ in Deum agit: quia sicut quantitas centum denariorum exigua est ad comparationem quantitatis & numeri decem millium talentorum: ita quicquid in nos homo peccat, exiguum est & ratum ad comparationem culparum, quas in Deum nocte & die & singulis horis committimus. Licèt enim centenarius perfectionem significet; multò tamen pleniorem consummationem designat millenarius. Talentum quoque mira granditate superat exiguitatem denarii. Ex quibus liquidò demonstratur quòd ea quæ nos in Deum peccamus, magna & multa sunt; ea verò, quæ homines in nos peccant, exigua sunt & pauca. Et idcirco si Deus libenter nobis tot & tanta mala, quæ in eum commisimus, dimittit; multò facilius nos hominibus dimittere debemus pauca & parva quæ in nos ipsi deliquerunt. Sed iste *servus* non sic agere voluit. *Invenit* enim, ut dictum est, *unum de conservis suis qui debebat ei centum denarios, & tenens suffocabat eum.* Tenebat eum, quia nolebat ei dimittere quod in se peccaverat. Et *suffocabat eum*, id est, coangustabat spiritualiter, & extinguere nitebatur in reatu peccati in se ab eo commissi. Debitorem enim conservum, id est, fratrem in se peccantem tenet, qui non dimittit ei quod in se peccavit; sed memoriam injuriæ, quam ab eo passus est, in côrde suo reservat. Quem & suffocat, dum animam ejus spiritaliter strangulat, & opprimit, atque coangustat in periculo peccati, non dimittens ei quod in se commisit, sed alligans eum in culpa. *Redde*, inquit, *quod debes*, id est, jam nunc sine mora persolve mihi rectum de omnibus injuriis, quas mihi fecisti. *Et procidens conservus ejus, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Procidens conservus ejus, rogabat eum*: quia humiliter ab eo saltem dilationem postulabat, dicens: *Patientiam habe*, id est, patienter expecta me; *& omnia reddam tibi*, hoc est, universa, quæ in te peccavi, emendabo tibi, & bene deinceps me erga te habebo. *Ille autem noluit; sed abiit, & misit eum in carcerem, donec redderet debitum.* Noluit conservum suum patienter expectare ut posset emendare, noluit inducias illi concedere; *sed* absque reverentia domini sui *abiit, & misit eum in carcerem. Abiit*, hoc est, apostatando & in deteriora retrorsum eundo, perrexit: *& misit eum in carcerem, donec redderet debitum*, id est, quantum ad suæ voluntatis malignam obstinationem demersit eum in infernum, donec pro culpa sempiternas persolveret pœnas. Sunt enim nonnulli malignæ mentis homines, quorum iste *servus* imaginem tenet, qui gravium peccatorum, quæ ipsi perpetraverunt immemores, si & leviter culpa fratris in se peccantis offendantur, in tantam obstinationem prorumpunt, ut quod dictu quoque nefas est, optent fratrem suum æternis ante perire suppliciis, quam quod in se peccaverat, indulgeant. *Videntes autem conservi ejus quæ fiebant, contristati sunt valde. Et venerunt & narraverunt domino suo omnia quæ facta fuerunt. Conservi ejus* hoc loco sacerdotes & religiosi viri intelliguntur, qui *videntes ea quæ* nequiter in fratrem ab eo *fiebant, contristati sunt valde. Et venerunt, & narraverunt* hæc *omnia domino suo*: quia redierunt ad cor suum, & ibi divino conspectui intendentes, conquesti sunt in precibus suis coram eo de his omnibus. Vel sancti Angeli possunt intelligi *conservi*. Cùm enim Johannes in Apocalypsi vellet Angelum adorare, dixit ei Angelus: *Vide ne feceris, conservus tuus sum, & fratrum tuorum. Conservi* ergo sunt Angeli, qui viderunt ea *quæ fiebant* à malo servo, & *contristati sunt valde*: quia nobis ad custodiam deputati, cuncta quæ facimus diligenter aspiciunt, & de bonis actibus nostris lætantur, de malis verò contristantur. Non tamen tristitia possunt affici, quia perfectè beati sunt; sed hoc, quòd eis mala nostra displicent, vocatur eorum tristitia. *Valde* ergo *contristati sunt*, id est, *valde* displicuit eis quod iniquè fieri viderunt. *Et venerunt, & narraverunt domino suo omnia quæ facta fuerant*: quia ipsi cuncta, quæ gerimus, sive bona, sive mala, renuntiant Deo, ut sciant quid ipse de his omnibus fieri

Vendi peccatorum quid.

Quando debitum reddatur Deo.

Centum denarii peccata in hominem significant.

Apoc. xix. 9

fieri jubeat. *Tunc vocavit illum dominus ſuus, & ait illi: Serve nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me. Nonne ergo oportuit & te miſereri conſervi tui, ſicut & ego tui miſertus ſum?* Ingratum ſervum Dominus rurſum vocat; & cur ipſe miſericordiam conſequutus à Domino miſereri conſervo noluerit, arguit; cùm illum, qui perceptæ à Deo indulgentiæ immemor noluit indulgere fratri quod in ſe peccaverat, ad mortem per corporis infirmitatem revocat, & ſic ad judicium: atque peccata etiam illa in caput ejus denuò replicat, quæ ibi jam fuiſſe per pœnitentiam dimiſſa gaudebat. *Judicium enim ſine miſericordia illi qui non fecit miſericordiam.* Unde & ſubditur: Et iratus Dominus ejus, tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum. Qui enim fratri indulgere noluit, ſed eum in carcerem pro debito miſit, meritò ipſe indulgentiam quam perceperat, miſit, & in manus tortorum venit. Nam quiſquis hominem ad imaginem Dei factum à peccato non ſolvit rogatus; ſed obdurationе mentis ſuæ, quantum in ſe eſt, tartareo carceri puniendum tradit, Deo eſt odibilis, & eandem ſibi damnationem indubitanter acquirit. *Iratus* eſt ergo *Dominus ejus*, id eſt, aſperitatem juſtæ ultionis in eum exercuit. Non enim in natura ſua Deus iraſci poteſt, qui ſemper tranquillus & incommutabilis permanet; ſed *iratus* videtur eis, quibus vindictam reddit. Ideoque vindicta ipſa vocatur ejus ira. *Iratus* itaque *tradidit eum tortoribus*, hoc eſt, malignis ſpiritibus, qui torquerent eum in inferno, *quoadusque redderet universum debitum*, id eſt, ſine fine. Quiſquis enim ſemel traditus irrevocabiliter fuerit crudelibus Angelis, quorum officium eſt reprobos torquere, nunquam ulterius valet debitum reddere: quia non poteſt per pœnitentiam & opera bona quod malè geſſit emendare, & propterea ſemper cogitur pœnas ſuſtinere. Ad quid autem hæc parabola tendat, conſequenter Dominus ſubdendo manifeſtat: *Sic & Pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.* Sicut autem à ſervo cuncta, quæ dimiſerat, repetit; eumque, cùm non poſſet reddere, damnavit, quia ille conſervo ſuo dimittere noluit: *ſic & Pater meus* à quolibet ex vobis iterum exiget quicquid illi per pœnitentiam dimiſit; ille fratri ſuo cuncta, quæ in ſe peccavit, ex corde non dimiſerit. Ita vos ſingulos *Pater meus* ad judicium revocabit; & quæ miſericordiâ flexus primùm dimiſit, repetet, voſque *tortoribus* Angelis tradet: *ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo* peccatum omne, quod in vos frater ille commiſit; & *remiſeritis* illud non ſimulatoriè, ſed veraciter *de cordibus veſtris*: ut non remaneant in corde, cùm *remiſeritis* illud ore. Non tamen per ſeipſum Pater hujuſmodi judicia faciet, ſed per Filium: quia, ſicut Apoſtolus teſtatur, *Judicabit Deus occulta hominum per Jeſum Chriſtum.* Idcirco *de cordibus veſtris* remittendum eſt fratris peccatum: quia *judicabit Deus occulta hominum*, ne nunc in occultis cordium noſtrorum latere illud videat, & tunc manifeſtam pro hoc damnationem inferat. Miſericordiam & charitatem erga proximum habere ſtudeamus, remittentes ei miſericorditer quod in nos deliquit, & puro corde illum diligentes, ut & nos ſimilem viciſſitudinem à pio judice noſtro conſequamur, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Jacob. 2. v. 13

Rom. 12. v. 19

HOMILIA VI.

IN EVANGELIUM SECUNDUM LUCAM.

Luc. 2. v. 22

Poſtquam impleti ſunt dies purgationis ejus ſecundum legem Moyſi, tulerunt illum in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini: Quia omne maſculinum adaperiens vulvam, ſanctum Domino vocabitur. Et reliqua.

Præclaram hujus diei feſtivitatem celebrantes gratulemur ſuper beneficiis in ea nobis divinitus conceſſis. Nam neque Virgo, quæ de ſancto Spiritu concipere digna fuit; neque filius, quem ita genuit, purgatione indiguit: ſed in eorum purgatione noſtram purgationem Deus præparavit, ac præfiguravit, qui multis ſordibus infecti multimoda purgatione indigemus. Quæ igitur de Domino nunc hiſtorialiter in Evangelica lectione narrantur, de nobis ſpiritualiter intelligantur: quia ſi membra vel corpus ejus ſumus, ipſe in nobis eſt; & quæ de nobis fiunt, & de illo rectè fieri dicuntur. Nam & corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia, vocatur Chriſtus, Apoſtolo dicente: *Sicut corpus unum eſt, & membra habet multa: omnia autem membra corporis, cùm ſint multa, unum corpus ſunt; ita & Chriſtus.* Unde patet quia ſimul univerſi fideles cum capite ſuo ſunt Chriſtus: quod & ex multis aliis Scripturarum locis probari poteſt. Cùm ergo de purgatione Chriſti loquimur, ad illam ejus partem, quæ purgatione indiget, referamus, id eſt, ad corpus. Itaque vel ad corpus, vel ad quodlibet membrum ejus myſticè referatur quod nunc hiſtorialiter de capite legitur: quia *poſtquam impleti ſunt dies purgationis ejus ſecundum legem Moyſi, tulerunt illum in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino.* Dies enim purgationis populi fidelium, vel Eccleſiæ, id eſt, corporis Chriſti, implentur quidem quotidie, dum unuſquiſque eorum magis ac magis purgari atque mundari jugiter ſatagit; ſed impleti non erunt ex toto, niſi in fine ſæculi. Finis tamen ſæculi eſt unicuique hora obitûs ſui, & qui mundatus à peccatis omnibus in obitu ſuo repertus fuerit, *impleti ſunt dies purgationis ejus ſecundum legem Moyſi.* Nam quadraginta diebus ſecundùm legem fiebat iſta purgatio, & quadragenarius numerus vel ſpacium quod eſt uſque ad finem ſæculi, vel tempus vitæ uniuſcujuſque noſtrùm ſignificat. Expleto igitur tali quadragenario, impleti erunt dies purgationis vel Eccleſiæ vel cujuſlibet juſtorum. Ita enim lex loquitur: *Mulier ſi ſuſcepto ſemine peperit maſculum, immunda erit ſeptem diebus, juxta dies ſeparationis menſtruæ; & die octavo circumcidetur infantulus. Ipſa verò triginta diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ. Omne ſanctum non tanget, nec ingredietur ſanctuarium, donec impleantur dies purgationis ejus.* Et quæ eſt iſta mulier, niſi electorum Eccleſia, vel prædicatorum perſona? Hæc enim ſuſcepto verbi Dei ſemine parit ex eo maſculum, id eſt, per prædicationem ſpiritualiter gignit fortem & novum populum electorum. Dies quadraginta purgationis ejus, qui dividuntur in ſeptem & triginta tres, ſi ſeparatim exponantur, poſſunt ob confirmationem bis idipſum ſignificare, quod conjuncti ſemel ſignificant. Nam iſta mater cum ſua prole eſt immunda ſeptem diebus: quoniam ſancta Eccleſia, vel prædicantium perſona, cum his quos in fide genuit, non eſt abſque aliqua ſorde peccati toto tempore præſentis vitæ, quod ſeptem diebus agitur. Videt enim *aliam legem in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ.* Et inde manet *immunda, juxta dies ſeparationis menſtruæ*: quia ſicut menſtrua ſeparatur à conventu mundorum in diebus immunditiæ ſuæ, ſic & iſta ſeparatur à conventu Angelorum in diebus mortalitatis ſuæ. Menſtrua enim alienâ carne non

Quadragenarius numerus ſignificat.

Levit. 12.

Rom. 7.

Dies purgationis quotidie implentur.

Digitized by Google

tangitur, sed fluxu immunditiæ suæ polluitur; & significat animam, quæ non actu, sed cogitatu sordido latenter inquinatur. Sic & sanctorum Ecclesia, vel electa anima, dum in carne peccati vivit; quamvis non opere, tamen cogitatione peccati multotiens sordidatur; & ideo beatorum societate Angelorum adhuc indigna judicatur. Octavus autem dies, in quo circumciditur infantulus, dies est baptismatis, in quo neophytus quisque exuitur labe primæ generationis, & ascendens de lavacro fit particeps resurrectionis Christi, quæ die octavo mundum illustravit. Nam propterea diem octavum, quo parvulus circumciditur, non ad tempus externæ resurrectionis omnium, sed ad resurrectionem Christi, id est, ad baptismum cujuslibet nostri retulimus; quia ipse parvulus, postquam erat circumcisus, non ingrediebatur sanctuarium, nisi impletis diebus trigenta tribus; sicut & unusquisque nostrûm, licèt sit baptizatus, non tamen supernæ beatitudinis templum ingredi valet, nisi decurso mortalitatis vitæ spatio quod per dies trigenta tres designatur. Totus enim hic numerus ex ternariis constat, & fidei tempus significat. Cum filio igitur circumciso manet triginta tribus diebus mater in sanguine purificationis suæ; quia cum quolibet electo baptizato sancta mater Ecclesia, quamdiu per fidem ambulat, & non per speciem, non potest ex toto mundari à sanguine purificationis suæ, id est, à peccato, quo se jugiter purgare studet, & ad perfectum nequit, dum adhuc mortale corpus gerit. Unde Psalmista: *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Et Salomon: *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Et discipulus ille, quem diligebat Jesus: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Constat ergo quia omnes, qui in carne peccati vivunt, peccati sordem ad purum exuere non possunt. Unde adhuc de Ecclesia matre subditur: quia *omne sanctum non tanget*; illud, videlicet, perfectissimæ puritatis, quod habent Angeli; *nec ingredietur sanctuarium*, subauditur, patriæ cœlestis, *donec impleantur dies purgationis ejus*; id est, donec peractum sit ei tempus vitæ mortalis, in quo purgatur assiduè, sed perfectionem purgationis in eo non assequitur. Tanta quippe est & tam perseverans inquinatio, quam immundus spiritus humano generi per Evam infudit, ut ex toto purgari nequeat, nisi cùm vitæ mortalis aut sæculi terminus advenerit. Sed sicut per Evam venit inquinatio, sic per Mariam revertitur emundatio. Tunc autem erit purgationis & emundationis perfectio, cùm justi in resurrectione triumphantes dixerint: *Ubi est mors contentio tua? Ubi mors aculeus tuus? Aculeus enim mortis, peccatum est.* Talibus itaque modis implentur *dies purgationis* populi Dei, secundùm *legem Moysi*. Sed cùm *dies purgationis* sic *impleti* fuerint; deferent eum Angeli in supernam Jerusalem, ut sistant eum Domino, mansurum ibi perenniter coram eo. Et hoc fiet; *scriptum est in lege Domini: quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur.* Scimus enim quia lex spiritalis est; & spiritaliter loquens spiritalem vulvam significat, & spiritalem masculum. Hic namque masculus est fortis ac novus electorum Christianorum populus, vel unusquisque eorum. Et quoniam Ecclesia, secundùm Isaiam, diu sterilis fuerat; iste populus ex ea spiritaliter nascens, aperuit vulvam ejus, id est, genitale secretum ipsius: unde nemo taliter antea natus fuerat. *Omne* verò significat universitatem: quod hìc ponitur, cùm dicitur, *omne masculinum*; quia populus iste Catholicus est, & omnes electos in se continet. Hic ergo spiritalem Ecclesiæ *vulvam*, sicut diximus, aperiens *vocabitur* sanctus *Domino*, id est, vocabulum & laudem sanctitatis in regno supernæ beatitudinis obtinebit; ut in omni sanctitate beatis æquatus Angelis, perenniter assistat conspectui gloriæ Creatoris. Et ideo Christus Dominus, & sanctissima ipsius genitrix purgationem legis observavit: ut omnes quos membra sua noverat futuros, ita purificaret, ut ad hanc gloriam pervenire dignos faceret. Ipse enim, ut & supra dictum est, aut Virgo mater ejus, purgatione non eguit: quia Spiritus sanctus eam ab initio jam purificaverat; & ille tam mundam in ejus utero carnem sibi creavit, ut per eam efficiat suorum carnem ita mundam, ut sunt Angeli: sed & animam ibi tam sanctam assumpsit, ut per eam reddet animabus omnium suorum illam sanctitatem, quæ manet in Angelis. Sed quoniam ipse in suis est; quod agitur de suis, ut & præmissum est, dicitur agi de ipso, quia ipsi sunt corpus ejus. De quo, scilicet, corpore, subjungitur: *Et ut darent hostiam secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.* Nam *tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino*, sicut diximus; *& ut darent hostiam* pro eo, juxta id *quod dictum est in lege Domini, par turturum*, id est, parem castitatem corporis & animæ ejus, *aut duos pullos columbarum*, id est, carnis & cordis ejus patientiam. Turtur enim castissima avis est, & vivo ac mortuo socio indissolubilem fidem conservans: columba verò felle & amaritudine caret. Ideoque par turturum designat castitatem interioris & exterioris hominis; ac *duo columbarum pulli*, patientiam fortis ostensam, & intus in mente servatam. Offerunt igitur Angeli *hostiam secundùm* legem, id est, *par turturum*, vel *duos pullos columbarum*, pro sanctorum populo, vel pro quolibet electo, quem exhibent Deo; cùm merita castitatis ejus quam corpore & corde servavit, aut patientiæ quam intus & fortis custodivit, repræsentant Domino. Castitas verò magis ad confessores, & patientia plus pertinere videtur ad Martyres. Et quia nullus electorum est, qui aut in ordine confessorum, aut in ordine Martyrum non computetur: ideo ad hostiam populi Dei sufficit par turturum, aut duo pulli columbarum. Per *pullos* enim *columbarum* potiùs quàm per columbas hoc loco patientia designatur: quia qui sicut oportet patientiam custodiunt, hi apud se parvuli & infimi sunt, & majores imitando jugiter crescunt. Totum ergo simul populum electorum completâ generali resurrectione deferent Angeli gaudentes in supernam Jerusalem, cum hostiis bonorum operum, ut sistant eum Domino; & ab ascensione Redemptoris non cessaverunt eum in singulis, cui migrant, illuc deferre, quando *impleti sunt dies purgationis* cujusque.

Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon. Et homo iste justus & timoratus, expectans consolationem Israël; & Spiritus sanctus erat in eo. Et responsum acceperat à Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Et venit in spiritu in templum. Homo iste sanctum Israëliticæ gentis populum designat; qui adventum Redemptoris diutiùs expectavit, & ab eo de miseriis exilii hujus liberari speravit. Unde & *Simeon* vocatur, quod est, audiens tristitiam: quia populus ille fidelis tristitiam expulsionis suæ de paradiso, & amissionis æternalium bonorum per Scripturas audire consueverat; ideoque super his *consolationem* divinitùs sibi venturam expectabat. Alia interpretatio Simeônis est, exauditio: quia populus Hebræorum exaudire solebat Deum jubentem, ut Deus cum exaudiret orantem: non enim est nunc sermo nisi de electa parte ejus. Propter quod & homo dicitur: quia uni ratione noverat in cognitione divinorũ, & in exquisitione evasionis hujus miseriæ. Et hic *erat in Jerusalem*, hoc est, in civitate magni regis, per quam jurare prohibemus; in civitate Dei, quæ est Ecclesia. *Jerusalem* enim & supernæ beatitudinis regnũ, ut supra diximus, significat, & Ecclesiam justorum adhuc in terris peregrinantium. In hac ergo *Jerusalem*, hoc est, in numero

Psal. 142. v. 2.

1. Joh. 1. v. 8.

Levit. 12.

Per Mariam emundatio

Osee 13. v. 14.

Rom. 7.

Isai. 54.

Omnes nobiles, aut confessores, aut Martyres.

Luc. 12. v. 8.

fidelium, erat jam diu populus Hebræorum, quando puer ad templum portabatur; hoc est, in exordiis Apostolicæ prædicationis, quando per Christum patefacto cœlorum ingressu novellus Christianorum populus in suis, qui de hoc sæculo migrabant, deferebatur jam illuc per Angelos. Nam electus ille Hebræorum populus tamdiu perseveravit, donec gratia novi Testamenti per novos doctores ubique prædicari cœpisset, & multi credentium patriam æternæ felicitatis transitu beato intrarent. *Et homo iste*, per quem mystice populus ille sanctus intelligitur, *justus* erat; quia idem populus Deo serviens, quæ Deberant Deo reddebat. Justitia enim dat unicuique quod suum est; & Dei est humana natura, ut ejus voluntati deserviat; ideoque justè agit omnis homo, qui obtemperat Deo. *Et timoratus* erat ipse populus: quia vel timore legis, vel timore charitatis Deum metuebat. Sed & *consolationem Israël* expectabat, quia solicitus præstolabatur inter pressuras hujus exilii quando populum suum Dominus adventu suo consolari dignaretur. Nam *& Spiritus sanctus erat in eo*, quia justificari per legem non valuisset, nisi occulta sancti Spiritus gratia per Christi fidem eum justificasset. *Et responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini*: quia hoc ejus desideriis & orationibus cœlestis inspiratio revelaverat quòd in fide victurus esset, nec mortem perfidiæ subiturus, donec videret in carne præsentem Deum à Deo præ suis participibus unctum, qui participationem ipsam & in vocabulo demonstrarent, ut à Christo Christiani vocarentur. *Et venit in Spiritu in templum*; quia quò omnes justi post resurrectionem in suis corporibus venturi sunt, illuc ipse spiritu per contemplationem & propheticam visionem frequenter venit, intrans, scilicet, in sanctuarium Dei, & intelligens in novissima.

Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, & ipse accepit eum in ulnas suas, & benedixit Deum. Et dixit: Nunc dimittis servum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace: Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Quod parasti ante faciem omnium populorum: Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israël.

Puerum Jesum, juxta quod superiùs tractatum est, intelligere debemus in novo credentium populo: quoniam Ecclesia est corpus ejus, & omnes Sancti membra ipsius: ideoque quod de capite narratur, de corpore vel membris nunc intelligatur. Ad hoc enim spectat, & quod ipse dicturus est: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Itaque *puer Jesus* sic nunc accipiatur, ac si diceretur, novellus Christianorum populus. Sed qui sunt *parentes ejus*, nisi Angeli? Nam & ipsi quandam spiritalis consanguinitatis parentelam se demonstrant habere nobiscum, ubi nos fratres suos in Apocalypsi vocant, dicendo? *Projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri.* Hi ergo *parentes* inducunt nostrum puerum, sicut & superiùs declaratum est, in cœlestis sanctuarii templum, vel in obitu singulorum, vel in resurrectione omnium. Et hoc, ut faciant *secundum consuetudinem legis pro eo*: quia ritu legis expletâ purgatione præsentant eum Domino cum bonorum oblationibus meritorum. Vel isti *parentes* intelligi possunt sancti prædicatores, qui quoniam in Petro claves regni cœlorum acceperunt, aperiunt illud novo fidelium populo; & in templum ejusdem regni cœlestis eum inducunt, dum absolvunt eum & benedicunt, atque rogant ut hinc migrans illic suscipiatur. Et hoc agunt ut ritum legis expleant, quia taliter eum suis orationibus in illud beatitudinis sanctuarium inducunt, ut sicut lex decreverat expletis in fine diebus *purgationis*; sistant *eum Domino* cum oblatione meritorum ejus. Potest etiam puer iste, qui in templum inducitur, illos nunc significare, qui ad fidem venientes in Ecclesiam inducuntur. Nam & hanc inductionem sic agunt sancti patres, ut consuetudinem legis observent: quia expleta in baptismo purgatione introducunt eos ad sanctum altare consecrandos victimâ divinæ Eucharistiæ. Itaque dum à suis parentibus, id est, ab Angelis, vel à prædicatoribus tempore fulgentis Evangelii novellus fidelium populus, quasi puer, cœpisset in suis qui de hac luce migrabant, sicut diximus, in supernæ sanctitatis ac beatitudinis templum induci, vel in his qui ad fidem veniebant, in Ecclesiam adduci; *accepit eum & ipse Simeon in ulnas suas*, hoc est, *& ipse* religiosus Hebræorum populus ulnis charitatis amplexus est eum sicut dilectissimum. Amplexio quippe charitatem, & ulnæ fortia designant opera: ideoque in ulnas suscipere, & robustis operibus dilectionis amplecti. Taliter ergo suscepit *eum in ulnas suas*, hoc est, in brachia portans eum in fortibus magnæ charitatis operibus: *& benedixit Deum*, qui sibi præsentem ostenderat novæ gratiæ populum, ingredientem jugiter regni cœlestis habitaculum, & ait: *Nunc*, id est, post datam gratiam, *dimittis Domine, servum tuum in pace*, id est, relaxas de ergastulo præsentis exilii me, qui sub legis servitute premebar; ut jam ad cœlestis habitationis patriam in pace transeam, ligato per Christi tropheum mortis principe, *secundùm verbum*, quod mihi dixeras de adventu gratiæ. Quia ecce jam vel in se, vel in suis, viderunt oculi mei, Domine, salutare tuum, id est, Jesum tuum, qui salutaris sive Salvator interpretatur, & qui missus est à te mundum salvare. Quod, scilicet, *salutare parasti ante faciem omnium populorum*, ut ab omnibus populis qui sunt in orbe, videri facias oculis fidei Salvatorem mundi. *Parasti*, inquam, eum *lumen ad revelationem gentium*, ut splendore claritatis ejus fugentur tenebræ, quibus velabantur corda gentilium, ne illustrarentur divina cogitatione: *& gloriam plebis tuæ Israël*, ut ipse sit gloria plebis Israëliticæ credentis, quæ semper tua fuit. Magna enim gloria est Hebræis credentibus, quòd ex eorum genere carnem assumpserit Deus. Qui & gentes per fidem suam illuminavit, dicens: *Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat.* Unde pulcher Ecclesiæ mos inolevit ut fideles in hac celebritate cereos sive candelas efferant. Nam quia Christus hodie in templo est oblatus, ipsi mystica oblatione sua hoc ipsum repræsentant; dum singulis recurrentibus annis ad domum Dei cereos in hac die portant. Cereus enim, vel candela, Christum significat. Et quia unusquisque devotus ad hanc solennitatem veniens, Christum lumen verum affert in pectore: ideo convenienter cereum præsentat in oblatione. In cereo quippe tria offeruntur, cera, lychnus, & flamma: cera, quam apis virgo confecit, significat Christi carnem, quam Virgo Maria genuit; interior autem lychnus, animam; flamma verò superior, Divinitatem. Nec inveniri aliquid in creatura potest, quo congruentiùs significaretur Christus. Sed & hoc auget decus festivitatis hujus; quòd ad eam, prout decuit, versa est gloria magnæ processionis illius, quam in isto mense, qui Februarius, id est, purgatorius dicitur, agere solebant Romani veteres anno quinto civitatem lustrantes, id est, circumeuntes; &, ut putabant, à peccatis quæ per quinquennium illud commiserant, purgantes. Lustrare enim, & circuire significat & purgare. Et hæc nostra festivitas est purgationis, ideoque competenter ad eam translata est processio purgationis; quamvis longè dissimiliter fiat à nobis, quàm fiebat ab Ethnicis. Et lectio igitur Evangelica, & festivitas, & tempus ejus, purgationem significant ut per hæc omnia nos, qui purgatione indigemus, purgari mereamur cooperante Christi gratia, cui cum Patre & Spiritu sancto omnis honor & gloria, & antequam mundus esset, & nunc, & in omnia sæcula sæculorum. Amen.

Per legem non erat justificare.

Matth. 25. v. 40.

Apoc. 12. v.

HOMILIA VII.

IN EVANGELIUM SECUNDUM LUCAM.

Luc. 2.

IBant parentes ejus per omnes annos Jerusalem, in die solemni Paschæ. Et cùm factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis in Hierosolymam secundùm consuetudinem diei festi, consummatisque diebus cùm redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem: & non cognoverunt parentes ejus. Et reliqua.

Religiosi *parentes* Salvatoris, juxta præceptum legis *per* singulos *annos ibant in Jerusalem*, ut legem audirent, sacrificiis participarent, solemnitatibus interessent, & ejus adhuc umbræ serviebant, cujus veritatem tenebant. Significabant autem Judæos, ex quibus carnem Dominus assumpsit, & qui veteris observantiæ ritum jugiter custodiebant. Ipse verò mysticè duodecim annorum factus est, quando ei prædicatio ad hoc usque profecit, ut duodecim Apostolis committeretur, qui per eam quatuor orbis partibus notitiam summæ Trinitatis intimarent: quia duodecim sunt ter quatuor. Et tunc *parentes ejus secundùm consuetudinem diei festi* ascenderunt Hierosolymam: quia Judæi secundùm morem festivæ exultationis, quam agunt qui ad Deum convertuntur, promoti sunt ad spiritualem sensum, & venerunt per fidem ad Ecclesiam. Tandemque *consummatis diebus*, & completa solennitate; *cùm redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem.* Tunc enim Judæorum solennitates completæ sunt; quando Salvatore nostro à mortuis resurgente vetera transierunt, & facta sunt omnia nova. Et tunc incredulis Judæorum ad ea quæ retro sunt redeuntibus, *remansit puer Jesus in Jerusalem*, quæ visio pacis interpretatur, & Ecclesiam designat. Unde & dicitur: *Factus est in pace locus ejus,* Psal. 75. v. 3. *& habitatio ejus in* Sion. Hoc autem *parentes ejus*, id est, synagoga & Judæorum populus, non *cognoverunt*; sed eum *in comitatu esse existimantes, venerunt iter diei*, per quod intelligitur tempus, quo post resurrectionem ejus nondum se cognoscebant errare. Cæci enim secum adhuc eum esse putabant, quem Matth. 23. v. 38. jam occiderant, & dicentem audierant: *Ecce relinquetur vobis domus deserta:* & in Psalmis: *Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine.* Psal. 54. v. 8.

Requirentes autem *cum inter cognatos & notos, & non invenientes, regressi sunt in Jerusalem, requirentes eum.* Hoc tunc spiritualiter completum est, quando post Christi passionem quidam Judæorum *corde compuncti* venerunt ad Apostolos. Hoc enim fuit quærere Christum, & redire in Hierusalem. *Et dixerunt: Quid faciemus, viri fratres?* Quibus ait beatus Act. 2. v. 38. Petrus: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum.* Hos igitur & cæteros, qui tunc temporis crediderunt, significabant parentes Jesu: quoniam sicut illi ignorantes eum perdiderant, ita & isti ignoranter eum occiderant. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

Et factum est, post triduum invenerunt illum in templo sedentem, in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem. Post triduum in templo Jesu invenitur: quia post resurrectionem, quæ die tertia facta est, ab his qui eum quærunt, in Ecclesia reperitur. Ante triduum enim non inveniebatur: quia non Deus, sed homo tantùm ab hominibus putabatur. Sed ubi invenitur? *In templo*, in Ecclesia, in conventu fidelium, *in medio doctorum*, in cœtu prædicatorum. Ibi reperitur audiens eos, & interrogans. Audire nostrum est, sono aliunde venienti aurem aliò politam commodare. At contra, Deo, cui nihil extra est, audire propriè est, surgentia sub semetipso desideria nostra percipere. Tribus autem modis nos interrogare consuevit, cùm aut flagelli districtione percutit, & quanta nobis infit vel delet patientia ostendit: aut quædam quæ nolumus præcipit, & nostram nobis obedientiam vel inobedientiam patefaeit: aut aliqua nobis occulta aperit & aliqua abscondit, & mensuram nobis nostræ humilitatis innotescit. Et hoc tertio modo magis doctores interrogat.

Tribus modis interrogat Deus.

Stupebant, inquit, *omnes, qui eum audiebant, super prudentia & responsis ejus.* Quicunque cordis aure eum adhuc audiunt, stupent ad ejus prudentiam: sicut & beatus Job, qui inter homines sapienter loquutus fuerat; sed auditis Dei sermonibus se dixit insipienter loquutum. Responsa quoque ejus sunt stupenda. Respondere enim illius est, eum qui se humiliter nescientem cognoverit, occultis inspirationibus erudire. Respondet enim ex magisterio aspirationis, & mentem humilium mirabiliter docet. Respondet, sicut & alibi dictum est ei: *Voca me, & respondebo tibi; aut certè loquar, & tu responde mihi.* Vocare enim Dei est, nos amando & eligendo respicere. Respondere autem nostrum est, amori illius bonis operibus parere. Loquimur etiam, cùm ejus faciem per desiderium postulamus. Et ipse respondet loquentibus, cùm nobis se amantibus apparet.

Vocare Dei: Respondere nostrum & loqui.

Sequitur: *Et videntes admirati sunt.* Admirati sunt parentes ejus, cùm eum in templo in medio doctorum sedere vidissent. Admirantur usque hodie Judæi quicunque ad Ecclesiam veniunt, & ad fidem convertuntur: dum ibi Messiam, id est, Christum vident, quem in synagoga, *& inter cognatos & notos*, nulla eorum expositione videre vel intelligere potuerunt.

Et dixit mater ejus ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Diximus per matrem Domini synagogam significari, de qua Dominus secundùm carnem originem duxit. Hæc autem quocunque tempore ad Ecclesiam veniens, ibique veritatem intelligens, suam ignorantiam & Christi ablentiam admiratur, & admirando dicit: *Fili, quid fecisti nobis sic?* cur nos reliquisti, & ad gentium Ecclesiam pertransisti? *Ecce pater tuus*, populus Judaicus, *& ego dolentes quærebamus te.* Hoc est enim, quod Apostolus ait: *Testimonium illis perhibeo quia zelum Dei habent, sed non secundum scientiam.* Rom. 10. v. 2. Quærunt Jesum, & non inveniunt; quia nondum ad templum & Ecclesiam pervenerunt.

Et ait ad illos: Quid est quòd me quærebatis? Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? *Quid est*, inquit, *quod me* in conventu infidelium *quærebatis*, & extra Ecclesiam esse putabatis? Hic enim, me quærat, qui quærere vult. An *nesciebatis quia in his, quæ Patris mei sunt*, & inter illos qui Patris mei voluntatem faciunt, *oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum quod loquutus est ad eos.* *Non intellexerunt*, quia cor cæcatum habebant, & in Ecclesia gentium esse Christum non agnoscebant: quoniam *cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israël salvus fieret.* Rom. 11. v. 25. Nam quia in extremo tempore Salvator ad reliquias Israël revertetur, aptè subjungitur: *Et descendit cum eis, & venit Nazareth: & erat subditus illis.* *Descendit* enim novissimè *cum* Hebræis: *& venit Nazareth*, ubi nutritus fuerat; quia cum his qui de circumcisione crediderant, se misericorditer inclinavit ad plebem Israëliticam. Quod tamen adhuc est futurum; licet narremus illud quasi præteritum. *Et erat subditus*

Audire nostrum: & ea duo Dei.

Salvator ad reliquias Israël reversurus.

illi, sicut & de Spiritu sancto dicit Apostolus, quia Spiritus prophetarum prophetis subjectus est, ut scilicet voluntatem eorum faceret, nec eorum arbitrio repugnaret. Hoc enim modo, sicut Spiritus Prophetarum Prophetis subjectus est; sic sapientia prædicantium prædicantibus subjecta est. Sapientia verò prædicantium vel magistrorum, Christus est. *Et mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo.* Pia plebs circumcisionis sedulò corde retinebat, vel potius retinebit mysteria Christi.

Et Jesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia, apud Deum & homines. Jesus proficiebat; quia sermo prædicationis ejus crescebat. *Proficiebat sapientia* quoniam major sapientia reperiebatur semper in ejus doctrina. *Proficiebat & ætate*, quoniam animæ proficientis ætas maturior jugiter inveniebatur in ejus sermone. *Proficiebat & gratiâ*, quoniam majorem suis gratiam quotidiano profectu dabat. Non enim sibi, sed & suis, profectus iste fiebat. *Apud Deum & homines ita proficiebat*, quia & ad Dei gloriam & ad hominum salutem hæc gerebantur: & magis ac magis innotescebant Angelis qui sunt apud Deum, & hominibus ad exemplum. Unde laus & honor sit eidem pio Salvatori cum Patre & Spiritu sancto, per infinita sæcula. Amen.

HOMILIA VIII.

IN EVANGELIUM SECUNDUM LUCAM.

Luc. 3. v. 21. *Factum est cum baptizaretur omnis populus; & Jesu baptizato & orante, apertum est cælum.* Et reliqua.

Baptizavit Joannes universum populum ad se venientem: quia si solum Dominum baptizasset, non deessent qui putarent sanctius fuisse baptisma Joannis, quàm Christi, quasi baptismo Johannis solus Christus meruisset baptizari; baptismo autem Christi, genus humanum. Si enim solus Christus baptismo Johannis esset baptizatus; dicerent homines: Qualem baptismum habuit Johannes? Magnum baptismū habuit, ineffabile sacramentum, videte quia solus Christus meruit baptizari baptismo Johannis. Atque ita major videretur baptismus servi, quàm baptismus Domini. Baptizati sunt igitur & alii baptismo Johannis; ne melior baptismus Johannis videretur, quàm Christi. Baptizatus est autem Dominus: ut Domino suscipiente baptismum servi, non dedignarentur alii servi suscipere baptismum Domini. Baptizatus est Dominus, non ipse aquis mundari, sed ipsas mundare cupiens aquas; quæ ablutæ per carnem ejus, peccati utique nesciam, baptismi jus assumerent; & quod tot sub lege baptismata nequiverant, contra prævaricationis malum vim regenerativæ sanctificationis conciperent. Unde bene Evangelista cùm baptizatum diceret omnem populum, nihil magni addidit; sed Jesu baptizato & orante, apertum mox cœlum esse perhibuit. Quia dum corporis humilitate Salvator undas fluminis subiit, Divinitatis suæ potentia nobis cæli januas aperuit. Et dum carnem innoxiam frigentibus aquis tingeret, oppositum quondam noxiis ignitum portæ paradisi gladium extinxit. Nam tota naturæ humanæ massa in primis parentibus ejecta de paradiso fuerat; & ex illo tempore clausa illi erat cœlestis janua. Sed hujus naturæ particeps fieri clemente dignatus est Dominus; per hanc totius humani generis causam, ut verus advocatus, perorare. Hinc est, quod nunc baptizatus cœpit orare. Nam sicut pro nobis est baptizatus, sic & pro nobis oravit: quia noster est Pontifex, ac pro nobis humanitati suæ cœlū, quod, ut diximus, toti massæ generis humani clausum erat, aperuit; & per eam cunctis hominibus, qui membra ejus affecti fuerint.

Sequitur: *Et descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba, in ipsum.* Rectè *Spiritus sanctus in specie corporali descendit*: quia Filius assumendo corporis veritatem, jam descenderat. Rectè & *sicut columba in* eum *Spiritus descendit*, ut ejus mansuetudinem nobis intimaret. Ipse enim judex est generis humani. Sed quis ejus ferret justitiam, si priùs quam nos per mansuetudinem corrigeret, culpas nostras per zelum rectitudinis examinare voluisset? Homo ergo pro hominibus factus, mitem se hominem præbuit. Noluit peccatores ferire, sed corrigere. Priùs voluit mansuetè corrigere, ut haberet quos postmundum in judicio salvaret. In columba ergo apparere super eum debuit Spiritus, qui non venerat ut peccata per zelum jam percuteret, sed adhuc per mansuetudinem toleraret. Non enim propterea tunc Spiritus sanctus in eum descendit, ut ipse tunc primò Spiritum sanctum acciperet, qui semper ab exordio suæ conceptionis Spiritu sancto plenus permanserat. *Cur in columbæ specie Spiritus sanctus super Christum descendit.*

Sequitur: *Et vox de cælo facta est. Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi.* Hanc vocem corporaliter sonantem, per angelicam creaturam Pater emisit. *Tu*, inquit, *es Filius meus.* Non autem ipsum Filium, qui semper novit omnia, sed Johannem & cæteros qui aderant, hac voce docebat quis esset quem Filium Joseph putabant. Unde Matthæus hac voce Patris dicere maluit, *Hic est Filius meus.* Quod igitur ait, tale est, *Tu es Filius meus*, ex substantia mea naturaliter æqualis genitus: & idcirco *dilectus*, ut pote unigenitus. *In te complacui mihi*, hoc est, simul de omnibus, quæ in te sunt, vel quæ egisti, placui mihi: quia nihil in te unquam inveni nisi quod semper placet mihi, & propterea gratum mihi est quia te humanavi. In illis autem mihi quodammodo displicui, de quibus humano more quondam locutus sum: *pœnitet me fecisse eos.* Genes. 6.

Quod autem de capite diximus, referendum est ad membra, vel corpus. Nam *Jesu baptizato & orante, apertum est cælum*: quia cùm quilibet electorum ejus baptizatus est, & non otio vacat, sed devotis precibus occupatur, & iter virtutem arripit; tunc ei porta regni cœlestis panditur. *Et descendit Spiritus sanctus in ipsum*: quia in eum qui baptizatus est & orat, venit almus Spiritus *corporali specie*, ut designet firmitatem donationis suæ. *Sicut columba*, ut innocentiam & simplicitatem se talibus afferre demonstret. *Et vox de cælo facta est, Tu es Filius meus*: quia tunc primùm quisque est Filius Dei, cùm de baptismo ascendit. *Et dilectus meus*, per prævenientem gratiam meam; qui priùs eras odibilis in malitia tua. *In te complacui mihi*, totum placet quod in te gessi; cùm huc usque displicuisset quicquid ipse gesseras. In eo autem quod Pater in voce sonat, & Spiritus sanctus in columba descendit, Filiusque baptizatur in homine; Trinitas evidenter declaratur, in cujus nomine & fide unusquisque nostrûm baptizatur.

Sequitur: *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta: ut putabatur, Filius Joseph. Jesus annorum triginta baptizatur*: & tunc demum incipit signa facere, & Evangelium prædicare, legitimum videlicet & maturum tempus ætatis ostendens his, qui omnem ætatem vel ad sacerdotium, vel ad magisterium putant opportunam. Nam & Joseph in typum hujus nostri Salvatoris triginta annorum erat, quando regni gubernacula suscepit; atque David tricenarius regnare cœ- *Quæ ætas assumendum doctoris & sacerdotis officium.*

Digitized

pit; & Jezechiel ejusdem ætatis erat quando vaticinium inchoavit. Talem igitur ætatem exemplo Christi debent habere qui sacerdotes fiunt, vel doctores, aut aliquem hujusmodi primatum accipiunt. Potest verò tricenalis ætas baptizati Salvatoris, etiam nostri baptismatis intimare mysterium, propter fidem, scilicet, sanctæ Trinitatis, & operationem decalogi legis. Tres enim decadæ, quæ sunt in tricenario, fidem & operationem eorum, quibus prodest baptismus, insinuant. Fidem in ternario, & operationem in denario numero. Has enim tres decadas habere eos qui baptizantur, præcipiebat Dominus, cùm
Matt. 28. v. 19. diceret: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quecunque mandavit vobis.*

Ut putabatur, inquit, *filius Joseph.* Hoc propter illos dictum est, qui eum reverà carnaliter genitum ex carne Joseph putabant; & quia per Joseph, qui propinquus erat Virginis Mariæ describenda fuerat genealogia ipsius Mariæ, quæ de Spiritu sancto Christum concepit: quoniam non est consuetudinis scripturarum genealogias texere per fœminas. Ob hoc enim per Joseph congruè describitur genealogia Christi, quia de ejus conjuge, licet semper Virgine, natus est. Cùm autem Joseph nominatus esset: subjunctum est.
Matt. 1. *Qui fuit Heli, qui fuit Mathat, qui fuit Levi*, &c. Matthæus verò descendens, sic ait: *Mathan autem genuit Jacob, Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ.* Quid est, quod duos patres, id est *Heli* & *Jacob*, habuisse videtur Joseph. Cujus quæstionis difficultas ita solvitur. *Mathan* & *Mathat*, de una eademque uxore Estâ nomine, singulos filios procrearunt. Quia Mathan qui per Salomonem descendit, uxorem eam primus acceperat; & relicto uno filio, *Jacob* nomine, defunctus est. Post cujus obitum *Mathat* qui per Nathan genus ducebat, cùm esset ex eadem tribu, sed non eodem genere, accepit eam uxorem; genuitque ex ea filium, nomine *Heli*. Per quod ex diverso patrum genere efficiuntur *Jacob* & *Heli* uterini fratres. Quorum alter, id est, *Jacob* fratris *Heli* sine liberis defuncti uxorem ex mandato legis accipiens genuit *Joseph*, naturâ quidem germinis suum filium; propter quod & scribitur, *Jacob autem genuit Joseph*: secundùm verò legis præceptum, *Heli* efficitur filius, cujus Jacob, quia frater erat, uxorem ad suscitandum fratri semen acceperat. Et per hoc rata invenitur atque integra generatio, & ea, quam Matthæus refert dicens:
Matt. 1. *Jacob autem genuit Joseph*: & ea, quam Lucas designat, dicens: ut *putabatur filius Joseph, qui fuit Heli.* Qui & ipse, subsonante eadem distinctione, *Heli* esse filius putabatur, qui, scilicet, *Heli* fuerat filius Matthat. Quoniam Evangelista legalem hanc successionem, quæ velut adoptione quadam erga defunctos constat, magis quàm germinis veritate, competenti satis per hoc designavit indicio, observans ne omnino in hujusmodi successionibus genuisse aliquem nominaret. Nec mireris si Lucas à David usque ad Christum plures successiones, & Matthæus paciores; hoc est, iste quadraginta tres, & ille viginti octo posuit; cùm per alias personas generatio sit decursa. Potest enim fieri ut alii longævam transegerint vitam, alterius verò generationis viri in matura ætate decesserint: cùm videamus complures senes cum suis nepotibus vivere, alios autem viros statim filiis obire susceptis. Lucas, non sicut Matthæus, ab initio Evangelii sui; sed à baptismo Christi generationes narrat, nec descendendo, sed ascendendo, tanquam sacerdotem in expiandis peccatis magis assignans, ubi eum vox de cœlo declaravit, ubi testimonium Johannes ipse perhibuit, di-
Johan. 1. cens: *Ecce qui tollit peccata mundi.* Ascendendo autem transit, & ab Abraham pervenit ad Deum, cui mundati & expiati reconciliamur. Meritò & adoptionis originem ipse suscepit, quia per adoptionem efficimur filii Dei credendo in Filium Dei. Satis autem demonstravit non se ideo dixisse *Joseph* filium *Heli*, quòd de illo genitus sit; sed quòd illi fuerit adoptatus: cùm & ipsum Adam filium Dei dixit, cùm sit factus à Deo; sed per gratiam, quam postea peccando amisit, tanquam filius in paradiso constitutus sit. Qui tamen creditur, per Christum acceptâ remissione culparum, inter filios adoptionis computatus. Quapropter in generationibus Matthæi significatur nostrorum susceptioni peccatorũ à Christo Domino: in generationibus autem Lucæ designatur nostrorum abolitio peccatorum à Christo Domino. Ideo ille eas descendens enarrat, iste ascendens. Remissis enim peccatis ad Dominum revertimur & ascendimus, à quo per Adam peccantes recessimus, & huc delapsi sumus. Nam
Rom. 8. v. 3. quòd dicit Apostolus, *misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati*, hæc est susceptio peccatorum. Quòd autem addidit, *ut de peccato damnaret peccatum in carne*, hæc est expiatio peccatorum. Proinde Matthæus à David per Salomonem descendit, in cujus matre ille peccavit: Lucas verò ad ipsum David per Nathan ascendit, per cujus nominis Prophetam Deus peccatum illius expiavit. Ignoramus autem vel parum novimus qui vel cujus meriti fuerint viri, quos Lucas posuit à *Joseph* usque ad *Zorobabel*, & à *Salathiel* usque ad *Nathan* filium David, præterquàm quòd de genere David eos fuisse non dubitamus. Ait autem inter cætera: *Qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri.* Quod & Matthæus ita retulit: *Jechonias genuit Salathiel, Salathiel autem genuit Zorobabel, Zorobabel autem genuit Abiud.* Ecce juxta duos Evangelistas & *Salathiel*, habuisse videtur duos patres, id est, *Jechoniam* & *Neri.* Sed aliquid tale & de his duobus intelligi debet, quale superiùs dictum est de binis patribus *Joseph.* Nam apud Hebræos generationum nomina nunc secundùm naturam, nunc secundùm legem computantur. Secundùm naturam, cùm ex feminis veritate descendunt: secunndùm legem, cùm quis filius alio generante substituitur sub nomine fratris defuncti sine liberis. Nam & ille defunctus non falsò dicitur pater filii hujusmodi. Alter ergo duorum patrum *Salathiel* intelligitur secundùm carnem, alter secundùm legem, vel secundùm adoptionem. Frequens enim erat apud Judæos adoptandi consuetudo, & non incongruè dicitur quis eum genuisse quem adoptavit; quia videlicet beneficio illum genuit. Hoc etiam quod juxta duos Evangelistas *Salathiel* est pater *Zorobabel*; nisi prædictæ rationes occurrerent, dissonare videretur à verbis dierum, ubi scriptum est, quia *filii Je-* 1. Par. 3. 7.
chonia fuerunt Salathiel & Phadaia, & *de Phadaia* 17. 18. 19.
orti sunt Zorobabel & Semei. Sed *Zorobabel* secundùm naturam ortus ex *Phadaia*, intelligitur secundùm legem appellari filius *Salathiel.* Nam ipse *Zorobabel* erat primogenitus; & primogenitus nomine fratris defuncti jussus est vocari. Potuit etiam fieri ut *Salathiel* Zorobabelem filium *Phadaia* fratris sui adoptaret in filium; sicut legimus quia Mardochæus Hester filiam fratris sui adoptavit in filiam. Item *Zorobabel* ostenditur hîc habuisse fi-
Neh. 2. lios *Abiud* & *Resa*, cùm in septem filiis, quos se-
1. Par. 3. cundùm verba dierum genuit, nullus ita vocatus sit, nisi fortè aliqui eorum binis nominibus usi fuerint. Hoc enim sæpe contingebat. Aut si hoc non fuit, constat pro certo quia vel secundùm legis præceptum, vel secundùm adoptionis beneficium hi duo fuerint ejus filii. Rursum inter alia dicitur: *Qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad.* Nomen autem & generatio hujus Cainan, juxta Hebraicum in Genesi non invenitur; sed *Arphaxad Sale* filiũ nullo interposito genuisse refertur. Sic enim legimus:
Genes. 11. v. 12. *Porrò Arphaxad vixit triginta quinque annis, & genuit Sale.* Sed Evangelista sumpsit hanc genera-

tionem de septuaginta interpretorum editione, ubi scriptum est quòd *Arphaxad cxxxv. annorum* genuerit *Cainam*; & ipse *Cainan* cùm cxxx. esset annorum genuerit *Sale*. Nemo autem fidelium putet hoc in loco lxx. translatores erralse; sed credat indubitanter eos, quod verũ esse noverant, posuisse; & quod Moyses minus dixerat, suppletse. Neque enim Spiritus sanctus hoc in Evangelio posuisset, nisi verum omnino esset. Nam ipsi septuaginta seniores à tempore Moysi magisterium in Synagoga tenebant, & de spiritu Moysi acceperant, ac legem ex ipsius Moysi traditione didicerant: ideoque si quid ibi prætermissum esset, & suppleri posset, vel aliter interpretari noverant. Moyses verò propter aliquam causam, quæ Deo nota est, transiliit generationem *Cainan*, & partem annorum qui sub eo & sub ejus patre fluxerunt. Fortasse enim cùm secundam ætatem describeret, voluit à diluvio usque ad Abraham decem solummodò generationes ponere; & ideo generationem unam prætermisit. Nam & Matthæus à David usque ad transmigrationem Babylonis quatuordecim generationes ponere volens, prætermisit tres, ubi ait: *Joram autem genuit Oziam.* Sicut ergo *Joram*, tribus in medio positis, genuisse dicitur *Oziam*, sic & *Arphaxad* uno *Cainan* interposito dicitur genuisse *Sale*. Quòd autem pars annorum in Scripturis sanctis aliquando ponatur, & pars omittatur, ostendit liber Regum, dicens: *Filius unus anni erat Saul cùm regnare cœpisset, duobus autem annis regnavit super Israël.* Nunquid enim unum tantummodò ætatis annum habebat, qui *ab humero & sursum altior cunctis erat?* Et nunquid *duobus* solummodò *annis regnavit*, qui tam longo tempore regnum tenuit? Sicut igitur pars annorum Saul est prætermissa, sic & pars annorum *Arphaxad* & *Cainan*. Itaque veridicus est & Moyses, & noster Evangelista cum septuaginta senioribus. Item *qui fuit*, inquit: *En eh.* Et pulchrè generationum ordo à baptizato Dei Filio usque ad Deum Patrem ascendens, septuagesimo gradu *Enoh* habet, qui dilatâ morte translatus est in paradisum; ut significet eos, qui in gratia adoptionis filiorum ex aqua & Spiritu sancto regenerantur, interim post absolutionem corporis æternam suscipiendos in requiem. Septuagenarius quippe numerus, propter septimam sabbati, ad requiem eorum significandam, qui juvante Christi gratia decalogum legis impleverunt, aptissimè congruit, ut in tempore resurrectionis indemutabili Dei sapientiæ contemplandæ per sæcula monstret esse jungendos. Ad ultimum verò dicitur: *Qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.* Quia Christus justitiæ suæ Patrisque nos expiatos ab omni peccato purgatosque conjungit, ut fiat quod ait Apostolus: *Qui autem adhæret Domino, unus Spiritus est*: propterea in hoc numero generationum: & ipse Christus, à quo incipit enumeratio; & Deus, ad quem pervenit, connumerantur: & fit numerus septuaginta septem, quo significatur omnium prorsus remissio & abolitio peccatorum: quam etiam ipse Dominus per hujus numeri mysterium evidenter expressit, dicens remittendum esse peccata non solùm septies, sed etiam usque septuagies septies. Nec frustra ille numerus ad peccatorum omnium pertinet mundationem, si diligentiùs inquiratur: constat enim ex undenario & septenario, quia vel undecies septem, vel septies undecim, faciunt septuaginta septem. Undenarius verò transgressionem denarii significat. Denarius quippe tanquam justitiæ numerus in decem præceptis legis ostenditur.

Porrò peccatum est legis transgressio; & utique trangressio denarii numeri congruenter undenario figuratur. Unde & vela cilicina jubentur in tabernaculo undecim fieri. Quis autem dubitet ad peccati significationem cilicium pertinere? Ac per hoc quia universum tempus septenario dierum numero volvitur, convenienter undenario septies multiplicato, ad numerum septuagesimum & septimum cuncta peccata, quæ temporaliter geruntur, perveniunt. In quo numero etiam fit plena remissio peccatorum, expiante nos carne sacerdotis nostri à quo nunc ille numerus incipit; & reconciliante nos Deo, ad quem nunc ille numerus pervenit; per Spiritum sanctum, qui in columbæ specie in hoc baptismo, ubi numerus ipse commemoratur, apparuit. At si in denario perfectio beatitudinis significatur (unde est etiam illud, quòd omnes conducti ad vineam denario remunerantur) quod fit cùm septenaria creatura, id est, homo interior & exterior, Trinitati quæ Deus est, adjungitur; manifestum est quòd transgressio denarii peccatum significat per superbiam plus aliquid habere cupientis, & integritatem perfectionemque amittentis. Unde denarius autem ideo septies ducitur, ut motu hominis fieri significetur ipsa transgressio. Ternario enim numero incorporea pars hominis designatur, ubi *Deum toto corde, & tota anima, & tota mente* diligere jubetur. Quaternario autem corpus exprimitur, propter quatuor ejus principalia membra, vel propter quatuor elementa, quibus constat. Et ex his compositus homo aptè designatur septenario. Motus autem in numeris non exprimitur, cùm *unum, duo, tria, quatuor*, &c; sed cùm dicimus *semel, bis, ter, quater*. Ideoque non septem & undecim, sed septies undecim significatur transgressio, quæ motu facta hominis peccantis, hoc est, perfectionis suæ stabilitatem transgredientis cupiditate amplius aliquid habendi. Itaque quia in septuagesimo septimo numero designatur & primi hominis, & cæterorum qui ex eo prodierunt transgressio; aptè Deus septuagesima & septima generatione venit, abolitorus omnia peccata suorum fidelium. Omnes enim qui more Christiano accedunt ad lavacrum, continentur in mysterio septuaginta & septem generationum; & ideo remissionem peccatorum consequuntur ab eo, qui tot generationes mundans in hoc numero remissionem culparum constituit, & in fine tot generationum venit tollere peccata mundi. Non solùm enim eos, qui in novo testamento baptizantur, purificat; sed & illos, qui ab exordium mundi in eum venturum rectè crediderant. Unde sursum redeundo numerat Evangelista sanctas has generationes: ut ostendat & ad omnes eas pertingere purgatoriam & reconciliatricem Christi gratiam, omnesque qui nunc Baptismi Sacramentum rectè servant, ad Deum redire. Nam gratia divinæ incarnationis & purificationis in omnes retro generationes ascendit; ut intelligamus nullum tempus unquam sine electis Christi transisse, qui per eum ab originali culpa sunt liberati. Propter quod & ipse Adam, quem Dei sapientia, quæ Christus est, *eduxit*, ut scriptum est, *à delicto suo*, in fine relationis generationum, filius Dei per hanc Christi gratiam ostenditur. Ac inde Pater Deus Christum Deum & hominem recipit, & per hunc omnes qui membra sunt ejus. Deinde nomina patrum retro sic interpretari studeamus, ut ascensum in his atque provectum semper intelligamus, ac seriem genealogiæ ipsorum veluti scalam usque ad Deum, per quam & omnes baptizati gradatim ascendere debeant. Hæc enim genealogia, quæ à Jesu baptizato ad Deum tendit, videtur nobis esse scala illa, de qua legimus quia Jacob lapidem *supponens capiti suo dormivit, & vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum, Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ.* Lapis enim capiti suppositus, & velut fundamentum scalæ factus, Christus est qui seipsum humiliavit, ut omnes suos exaltaret, qui sicut fundamentum omnes portat, & à nullo portatur. Et per hanc genealogiæ scalam alii ascendunt, & alii descendunt. Ascendunt qui proficiunt, descendunt qui deficiunt. Angeli autem,

Matth. 1.

1. Reg. 13. v. 1

Septuagenarii numerus figuram habet.

Matth. 18.

Septuagesima & septima ætate venit Christus.

Cur ascendat Lucas numerando.

Gen. 28. v. 12.

Digitized b

id est, nuntii Dei vocantur, quia Christum loquuntur. Quisquis igitur in Christo baptizatus est, apertum est ei cœlum, & Deus desuper paratus est eum suscipere; sed ille per gradus scalæ, quæ à baptismo usque ad Deum porrecta est, debet ascendere: quia, & sicut Salomon ait, semita vitæ super eruditum; qua, scilicet, eruditus ipse tendat in cœlum. Nam & populus Israël transito mari rubro non stetit; sed postea longis itineribus ac laboribus ad terram promissionis pervenit. Sic & qui baptizatus est, non sit piger; sed per viam mandatorum Dei tendat ad cœlestem patriam sibi promissam, & per gradus scalæ generationis conetur ascendere; si ad Deum, qui in summitate ejus est, desiderat pervenire. Hæc autem genealogiæ scala via est ad cœlum & ad Deum ducens, quam quò veriùs quisque ascendit, eò potentiùs illuc pervenit. Alius enim alio fortiùs eam scandit, & alius adhuc fortiùs vel perfectiùs, sicut unicuique divinitùs est datum. Væ autem illi, qui nullum ejus gradum ascenderit, quia in infimis remanebit.

Veniamus igitur ad hos gradus, interpretando Patrum nomina. Humillimus omnium invenitur Jesus, ut pote fundamentum universorum, interpretatur Salvator, quia ipse solus humanum genus salvat, & non est in alio aliquo salus: *Neque enim est aliud nomen* Act. 4. v. 11. *sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Hujus itaque salutis per baptismum quisque fieri particeps inchoat. Sed si vult non amittere quod gratis accepit, oportet ut in eo crescere studeat per proprium laborem sanctæ actionis. Unde mox *Joseph* ponitur, qui augmentum interpretatur: quia ille augmentum gratiæ post baptismum consequitur, qui ad bene agendum piger non fuerit. Inde sequitur *Heli*, qui ascendens dicitur, ut ascensum proficientis de virtute in virtutem significet. Deinde est *Matthat*, qui donum interpretatur: quia qui virtutum gradibus ad alta nititur, majoris adhuc gratiæ donum consequitur. Et inde sequitur *Levi*, qui assumptus dicitur: quia Deus illum sibi assumpsit ad jugem famulatum suum, confirmans in assiduitate bonorum operum. Sequitur & *Melchi*, qui rex meus interpretatur; quia sæpe contingit ut qui jam talis est, rector Ecclesiæ efficiatur. Sed & *Janne* sequitur, qui præparatus dicitur: quia talis vir ad omne bonum opus est jam paratus. *Joseph* quoque subjungitur, qui, sicut suprà dictum est, augmentum interpretatur: quia proficit semper & religionis augmentum capit. Nec non & Matthias, qui donum Dei dicitur: quia donum divinæ gratiæ novis adhuc in eum beneficiis infunditur. Et *Amos*, qui honorans, vel fortis, vel populum avellens interpretatur: quia Deum honorat bene vivendo, & fortis est ad adversa toleranda, & doctrinis ac exemplis suis ab amore mundi cor avellit populi. Sed & *Naum*, qui consolator vel consolatio dicitur: quia illos, qui temporalia contempserunt, promissione æternorum consolatur. *Esli* quoque, qui vicinus meus dicitur: quia vicinus ei fit, quem consolatione demulcet. Et *Nagge*, qui solennitas interpretatur: quia ipse solennitas lætitiæ fit ei, quem consolatur. Atque *Mahath*, vel *Manat*, qui requiescens dicitur: quia requievit jam in secreto divinæ contemplationis, sequestratus à labore sæcularis cupiditatis; vel in eo requiem habet, quem suam consolationem accepisse videt, & in tribulationibus pro Christo jam gloriari. Sed & *Matthathias*, qui donum Dei, sicut præmissimus, dicitur: quia majus adhuc donum supernæ gratiæ percipit, propter supradicta bona, quæ sic agere studuit. Neque enim de antiquis Patribus, quorum nomina interpretamur, ista dicimus; licet & de ipsis fortasse possit intelligi; sed potius de uno quolibet justo viro, quem per hos virtutum gradus à baptismo ascendentem ad Deum describimus. Nam per hos ascendit electorum Ecclesia, de qua dicitur: *Deus in gradibus ejus cognoscetur, cùm* Ps. 47. v. 4. *suscipiet eum.* Per hos etiam sanctus Job ascendebat, dicens: *Per singulos gradus meos pronuntiabo illum.* Job 31. v. 37.

Ad ordinem ergo graduum revertamur, ut ad cæteros videamus. Nam *Semei* sequitur, qui audiens interpretatur: ut auditum obedientiæ in sancto viro designet. Sequitur & *Joseph*, qui, sicut jam bis dictum est, augmentum interpretatur: quia novum augmentum semper justus adipisci studet. Sed & *Juda* sequitur, qui confessio vel laudatio dicitur: quia confessionem laudis semper Deo reddit. Et *Johanna*, qui dicitur, cui est gratia; vel, Dominus gratia ejus: quoniam multa inest ei gratia, & ipsa gratia Dominus est, ut Domino Deo in se manente gratiosus sit. Et *Acia*, qui caput ejus interpretatur: quia Dominus, qui est gratia ejus, ipse est & caput ejus. Talis enim dignus est habere Christum caput. Sequitur & *Zorobabel*, qui interpretatur ortus in Babylone; vel, ipse magister Babylonis: quia talis vir inter iniquos primo nascitur, & postmodum docet eos quomodo possit ad salutem pertingere. Et *Salathiel*, cujus interpretatio est, petitio mea Deus: quia iste jam nihil nisi Deum appetit, sciens quia nihil ad beatitudinem sibi nisi Deus sufficit. Et *Neri*, qui dicitur lucerna mea: quia talis Deo potest dicere: *Lucerna pedibus meis* Ps. 118. *verbum tuum*: vel nos de illo, quia *lucerna ejus est* Apoc. 21. *agnus.* Et *Melchi*, qui rex meus interpretatur; atque subauditur, à superioribus Deus, ut iste dicat: rex meus, Deus. Talis enim non vitium aliquod, sed solum Deum habet regem. Vel Ecclesia de illo potest dicere, *Neri* & *Melchi*, id est, lucerna mea rex meus: quia ipse eam illuminat & regit. Sequitur & *Addi*, qui robustus interpretatur: quia vir iste cordis robore est prævalidus. Et *Cosam*, vel *Cusam*, qui dicitur, Æthiopia eorum; quia illis, qui tenebras putant lucem, & lucem tenebras, videtur hujusmodi vir nigredo eorum, qua multi tenebrescant, quoniam multos illuminat. Vel Æthiopia eorum, id est, denigratio eorum dicitur: quia comparatione luminis doctrinæ & sanctitatis suæ, nigredine vitiorum & errorum opertos esse eos declarat. *Elmodach*, vel *Elmadan* quo- al. Helmodad que sequitur, qui Dei mansura dicitur: quia iste tam regulariter & moderatè semper agit, ut mensuram regulæ divinitus sibi datæ non excedat. Et *Her*, qui vigilans interpretatur: quoniam juxta præceptum Evangelii semper vigilat. Atque *Jesus*, qui salutaris, vel, Salvator dicitur: quia salutem multorum verbis & exemplis operatur. Nam *qui converti fecerit pec-* Jac. 5. v. 20. *catorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte.* Sequitur & *Eliezer*, qui Dei auxilium, vel Deus meus adjutor, interpretatur: quia ipse multis fit Dei auxilium, & multos per eum Deus adjuvat. Atque *Jorim*, qui dicitur, Dominus exaltans, vel, est exaltans: quia per eum Dominus exaltat, & ipse quos valet exaltare non cessat, dum eos ab infimis cupiditatibus elevat dicens: *Quæ sursum sunt quærite, ubi* Coloss. 3. v. 1. *Christus est in dextera Dei sedens.* Sed & *Matthat*, qui donum interpretatur: quia in eo redundat donum gratiæ cœlestis, & eum Deus multis in salutem dedit. *Levi* quoque, qui dicitur, assumptus: Deus enim illum assumpsit, id est, sibi specialiùs servientem, & constanter perseverantem fecit. Sequitur & *Simeon*, qui dicitur, exauditio: quia talis vir est exauditio precis multorum effusæ coram Domino pro doctore salutifero. Interpretatur etiam *Simeon*, audiens tristitiam: quia piè compatiens audit tristitiam luctus pœnitentium. *Juda* quoque sequitur, qui confitens dicitur: quia confessionem laudis Deo magis ac magis semper eò amplius reddit, quò ampliùs in virtutibus proficit. Undè & *Joseph* subditur, qui augmentum interpretatur, ut augmentum meritorum quotidiano profectu designet in eo fieri. Sequitur & *Eliacim*, qui Dei resurrectio dicitur: ipse enim

Digitized by Google

enim fit multorum cordibus resurrectio divinæ gratiæ, quæ per peccatum in eis ceciderat. Et *Ateles* qui laudans interpretatur, laudat enim semper Dominum. Sed & *Enem*, qui oculus eorum dicitur: quia talis vir providet aliis. Et *Matthatha*, qui donum ejus, id est, donum Dei interpretatur: quia ipse est donum Dei, vel in eo est donum Dei. Atque *Nathan*, qui dicitur, dedit, vel, dantis: quia prædictum Dei donum dedit ipse Deus, & illud donum est ejus dantis. Vel ipse vir Dei dedit exteris donum Dei quod acceperat. Hinc sequitur & *David*, qui interpretatur manu fortis vel desiderabilis: quia in opere fortis est, & meritò suæ sanctitatis desideratur à multis. *Jesse* quoque, qui dicitur insulæ libamen: quia ipse quasi quoddam sacrificii libamen offertur Deo ab Ecclesia, quæ velut insula tunditur undique fluctibus sæculi, nec movetur. Necnon & *Obed*, qui serviens interpretatur: quia Deo servit in conscientia pura. Atque *Roos*, qui dicitur in fortitudine: quia in fortitudine magnanimitatis Deo servit ex devotione charitatis. Et *Salomon*, qui dicitur dependens, sive perfectio; quia elevatus à terrenis, quantùm valet, cœlestibus adhæret, & pro posse perfectus est. Sed & *Naasson*, qui serpentinus interpretatur: quia serpentis astutiam habet, & serpentem æreum, quem Moyses in eremo suspendit, hoc est, Christum imitatur. *Aminadab* quoque, qui dicitur, populus meus spontaneus: quia idem vir justus fit populus Dei spontaneus atque voluntarius, dum per prædicationem facit multum fructum in multiplicatione fidelium voluntarè Deo sacrificantium. Necnon & *Aram*, qui dicitur excelsus, quia completum est in eo propheticum illud: *Suscitabo te super altitudines terræ.* Vel: *Convitui te super gentes & super regna. Efrom* quoque sequitur, qui sagittam videns interpretatur: quia quò excelsiùs in arce mentis residet, cò liberiùs jacula tentationum hostis antiqui prævidet. Et *Phares*, qui divisio vel dissipans dicitur: quia sagittas inimici, quas prævidet, dividit ac dissipat. Sed & *Judas*, qui confitens vel glorificans interpretatur: quia confitetur humiliter, si quid adhuc ei humanum acciderit; vel confessionem gloriæ Deo reddit. Necnon & Jacob, qui supplantator dicitur: quia supplantat vitia in se, vel in aliis. Solent enim & post multa virtutum exercitia, pulsare mentem aliqua vitiorum contamina. Sequitur & *Isaac*, qui risus, vel gaudium dicitur: quia de supplantatis vitiis lætatur. Et *Abraham*, qui interpretatur pater videns populum, quia talis multorum fit pater, & spiritualium filiorum suorum videt ingentem populum, ac virtutum quas genuit exercitum. His, quas describimus, virtutum gradibus, & quas ostendunt interpretationes istorum nominum, vir justus quotidie proficiendo fit semper cœlo vicinior, & his in cœlum ascensionem suam ædificat, ac cantica graduum cantans, *ascensiones in corde suo* disponit, & *de virtute in virtutem* assiduè proficit, ut tandem *in Sion* Deum Deorum videre possit. Unde ultra *Abraham* adhuc Evangelista patres referens ascendendo transit, & usque ad ipsum Deum pervenit, ut ei virum sanctum per hanc graduum scalam ascendentem ad ultimum jungat. Nam post *Abraham*, qui pater videns populum dicitur, est superius, *Thare*, qui pastura vel pascens interpretatur: ut significet illum eos pabulo verbi nutrire, quos spiritualiter genuit. Et inde sequitur *Nachor*, cujus interpretatio est, requiescens luce, vel, obsecratio novissima: quia hoc solùm vir ille quærit ut requiescat & placeat coram Deo in lumine viventium, & pro novissimis obsecrat. Atque *Serug*, vel, *Sarug*, qui perfectus dicitur; ut perfectionem virtutum adeptus esse monstretur. Sed & *Ragau* sive *Rau*, qui dicitur ægrotans, vel, pascens, sive pastio: quia ægrè fert moras vitæ præsentis, & corporale robur in eo spiritualium virtutum exercitiis emarcuit, oviesque dominicas pascit. Necnon & *Phaleg*, qui dividens, vel, divisit interpretatur: quia subtiliter discernens inter virtutes & vitia, separavit pretiosum à vili. Et *Heber*, qui transitor dicitur: quia non fixit mentem in amore præsentis sæculi, sed ad futurum sæculum desideriis & profectibus assiduè tendit. Sed & *Sale*, qui pax interpretatur: quia jam extinctis vitiis magna pace delectatur in virtutum actionibus. Atque *Cainan*, qui dicitur possessio eorum, quia iste jam à bonis, hoc est, à virtutibus possidetur, nec ullum in eo vitium aliquid dominationis habet. Et *Arphaxad*, qui sanans depopulationem interpretatur; quia virtutum devastationem, quas hostis antiquus in multis fecit, ac barbaricè destruxit, ipse sanat & reparat. Necnon & *Sem*, cujus interpretatio est, nomen, vel, nominatus; quia qui talibus studet, clarum ac celebre nomen possidet. Sed & *Noe*, qui interpretatur requies: quoniam Davidico labore debellatis vitiorum cuneis, requiescit in pace Salomonis. Post hæc sequitur *Lamech*, cujus interpretatio est, humiliatus, percussus, sive percutiens; & eum significare videtur, qui post diutina virtutum exercitia pervenit ad martyrii gloriam, & humiliatus ac percussus suppliciis hostem suum spiritualiter gravius percutit. Et aptè subditur *Mathusale*, qui interpretatur, mortuus est, &, interrogavit, vel, qui mortis emissio: quia talis quisque pro justitia mortuus exemplo vel memoriâ suæ mortis interrogat & convenit singulorum conscientias, utrum justitiam & vitam perennem diligant, an solis temporalibus delectentur; & mortem à se funditus emisit, ut jam nullatenus à morte lædi vel tangi valeat, sed in perpetuum vivat. Pulchrè & *Henoch* adjicitur, qui dedicatio dicitur; quia taliter consummatus, in illius sæculi felicitate dedicatur. Et *Jared*, qui descendens, vel, roborans interpretatur, quoniam pia condescensione de supernis inclinatur ad nos, ut nostram infirmitatem roboret. Atque *Malaleel*, cujus interpretatio est, laudans Deum; quia divinis laudibus in excelsis vacat. Necnon & *Cainan* qui dicitur possessio eorum, quoniam Pater & Filius & Spiritus sanctus, qui sunt unus Deus, possident illum in cœlestibus. Et *Henos*, qui violentus interpretatur, quoniam violentiâ nimiæ virtutis suæ regnum cœlorum rapuit, quod *à diebus Johannis Baptistæ vim patitur, & violenti diripiunt illud.* Atque *Seth*, cujus interpretatio est, positus, vel, posito; quia nunc in regno illo supernæ beatitudinis, à quo diu exulaverat, est positus. Interpretatur etiam semen, vel, resurrectio: quia seminatum est corpus ejus animale, sed surget idem corpus ipsius spirituale. Ad ultimum in superiori ponitur *Adam*, qui interpretatur, homo: quia his profectuum gradibus fidelis quilibet promotus, & corporis etiam resurrectione innovatus, summam perfectionem illam consequitur, quam homo vel habuit vel habere potest; ut tunc perfectus sit homo, & idoneus jam inseparabiliter adhærere Deo. Unde & in summo cacumine super omnia *Deum* ipse ponitur, usque ad quem gradus scalæ generationis describuntur, ibique finiuntur: quia ibi finis nostræ perfectionis usque ad quem tendimus, ut in ipso fine fine quiescamus. Ibi enim est sufficientia bonorum omnium: quia tunc Deus est omnia in omnibus, ut nulli sit opus ultra quicquam quærere. Locus autem præmissus, quem de Martyre nunc interpretati sumus, intelligi potest & de eo perfecto, qui non per martyrii passionem ex hac luce migrat, neque enim omnes perfecti ferro perimuntur. Nam *Lamech* interpretatur humilis, vel, humiliatus. *Mathusale* verò, mortuus est, & interrogavit. *Henoch* autem, dedicatio; & *Jared*, descendens. Soletque frequenter evenire ut qui

al. Mame

Isa. 58. v. 14 Jer. 1. v. 10.

Psal 83.

al. Sarug.

Digitized by Google

diu laudabilis virtutum operibus insudavit, inanis gloriæ typho moveatur, ut exterius gloriari de virtutibus incipiat. Et ideo nunc iste post tot laudabiliter acta dicitur humilis : quia quantò magnus est, humiliat se in omnibus, & ab omni vitio jactantiæ vel superbiæ sit alienus. Et qui sæculi gloriam sic abjecit, mortuum se mundo esse comprobavit. Exemploque talis suæ mortis cæteros interrogat, quis eorum sic mundo mori appetat. Et hinc sequitur dedicatio : quia jam per contemplationem in supernis dedicatur. Et inde fit descendens, quia ut cæteros ad ea quæ sursùm contemplari solitus est, elevet, ad eorum ima piè descendit, juxta illud Apostoli : *Sive mente excedimus, Deo ; sive sobrii sumus, vobis.* Duo nomina quæ sequuntur id est *Malaleel*, cujus interpretatio sonat, laudans Deum ; & *Cainan*, qui dicitur possessio eorum, indicant mysticè quid agatur in illa contemplationis dedicatione, & ad proximos descensione : quia videlicet ibi Deum laudat, & hic possidetur ab illis, quorum utilitatibus servit. Sequitur & *Henos*, cujus interpretatio est, desperatus ; quia spem in temporalibus & caducis habere contempsit, juxta illud beati Job : *Desperavi, nequaquam ultra jam vivam.* Mortuus enim mundo non habet jam spem in eo. Deinde venit Seth, qui dicitur, positio, vel, resurrectio : quia nunc ponit corpus quod in fine relurget. Et tunc erit perfectus homo reformatus in antiquum & meliorem statum, sicut consequens insinuat Adam, qui interpretatur homo ; & primus fuit conditus : sicque jam sociatur Deo, ut ei perpetualiter inhærens vivat in ipso. Ob hoc enim se Dei Filius miserieorditer humiliavit, ut usque ad hanc celsitudinem suos, qui lapsi fuerant, exaltaret ; & ex gradibus generationum, per quos ceciderant, fecit eis gradus virtutum, per quos ascenderent. Quos, scilicet, gradus in nominibus Patrum, ut ostensum est, designatos unusquisque proficientium juxta modum suum ascendit, & aliquid de singulis virtutibus assequitur ; sed tanto fortiùs & gloriosiùs ad Deum pervenit, quantò veriùs ac perfectiùs in his profecerit : tantoque rursùm tardiùs ac difficiliùs ad eum pertingit, quantò remissiùs ac negligentiùs in his egerit. Posset autem de uno quoque gradu, vel nomine prolixa fieri loquutio ; sed cavendum erat fastidium, & relinquendum eis qui sciunt ex paucis multa dicere, unde possent & ipsis tractare. Nam & multas ipsorum nominum interpretationes, quos similiter proferre quivissemus, prætermisimus ; multasque alias adhuc esse, quarum notitiam necdum attigimus, non dubitamus, quæ suos habent mysticos sensus. Et ideo nihil perfectionis in observatione justitiæ consequi possunt homines Dei, quod in hac genealogiæ scala figuraliter non sit expressum. Sed & bravium, ad quod per eam tendunt, ipse Deus sursum in fine positus est. Principium verò profectus, vel ascensionis hujus de qua tractatum est, Dominus in seipso statim nobis indicavit, de quo subjunctum est : *Jesus autem plenus Spiritu sancto* regressus est à *Jordane*. Non autem dicitur afflatus Spiritu sancto, sed *plenus* : quia *in ipso habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* : Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum ipsi, videlicet, Christo. Nam cæteris Sanctis dat eum ad mensuram : huic autem immensurabiliter, id est, totum ipsum immensum Spiritum. Neque primùm impletus est Spiritu sancto ; sed ex quo cœpit in utero Virginis concipi, semper in eo totus mansit Spiritus sanctus. Sed ideirco nunc illo plenus fuisse dicitur, quia nunc cœpit operibus declarare plenitudinem ejus in se manere. Et sic regressus est à *Jordane* : quia regnum principis mundi aggressus est destruere à baptismo, regnumque suum in orbe novum construere. Nam & quilibet fidelis ejus accepto in baptismate Spiritu sancto regreditur ab Jordane ; cùm à lavacro rediens, adversùm sæculi vitia, in quibus ante conversabatur, pugnam inchoat. Ab Jordane enim regreditur, qui à baptismo ad certamen contra relictas mundi tentationes properat, ut his devictis coronam vitæ mereatur per ipsum mediatorem Dei & hominum, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

2. Cor. 5. v. 13.

Coloss. 2. v. 9.

Job. 7. v. 16

HOMILIA IX.

IN EVANGELIUM SECUNDUM LUCAM.

Luc. 10. v. 38. *INtravit Jesus in quoddam castellum : & mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam, &c.*

In Scriptura sacra res una & eadem multoties inventur diversa significare, sicut leo, hædus, ignis, aqua, vel etiam Sol, & alia multa. Est enim leo de tribu Juda ; & est leo, qui circuit quærens quem devoret. Est hædus emissarius, qui peccata nostra portavit ; est hædus à sinistris, qui damnatur. Est ignis quem Dominus misit in terram, & quem vult ut ardeat : est ignis ; qui super impios cadit, ut non videant Solem. Est aqua cujus flumina fluunt de ventre credentis ; est aqua, cujus tempestas * non nos demergat. Est Sol justitiæ, qui nos * illuminet ; & Sol qui * nos non urat per diem. Licet ergo castellum aliàs malum significet, ut illud de quo dicitur : *Ite in castellum* : ubi * additur, *quod contra vos est*, planè * manifestatur quid significet ; tamen * hîc castellum, in quod intravit Jesus, singularem & intemeratam Virginem ejusdem Jesu genitricem, salvâ Scripturarum regulâ, per similitudinem accipimus. Castellum enim dicitur quælibet turris, & murus in circuitu ejus. Quæ duo sese invicem defendunt, ita ut hostes per * murum ab arce, & à muro per arcem arceantur. Hujusmodi castello non incongruè Virgo Maria assimilatur, quam virginitas mentis & corporis, quasi murus, ita undique vallavit ; ut nullus unquam libidini ad eam esset accessurus, nec sensus ejus aliquâ * corrumperentur illecebra. Et quia virginitatem, cùm libido non possit, solet impugnare superbia ; est in eadem virgine turris humilitatis, quæ a muro virginitatis omnem repellit superbiam. Et quia humilitatem, cùm superbia non possit, solet impugnare libido ; murus virginitatis à turre humilitatis omnem repellit libidinem. Itaque hæc duo, murus, videlicet, virginitatis, & turris humilitatis ab alterutro muniuntur ; ut nunquam in humili Virgine fuerit nec * superba virginitas, nec inquinata humilitas : sed semper in eadem permanserit, & humilis virginitas & * virgo humilitas. Quamvis autem quod dicitur, ita verum sit, ut nihil verius Christiana fides credere possit ; ponamus tamen aliqua de Evangelio, virginitatis ipsius & humilitatis testimonia. Quippe cùm ab Angelo filius ei promitteretur, respondit : *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco* : Si cuilibet virgini desponsatæ in animo suo disponenti nubere diceretur, filium habebis ; non miraretur, neque interrogaret quomodo istud fieret, ut pote quæ se desponsatam, & in proximo nupturam sciret, & à viro * gravidari usu naturæ speraret : hæc autem non immeritò mirata est ; & quomodo fieret, quod promittebatur, scisscitata * est

al. vel æther

al. non demergit

al. illuminare solet

al. non urit

al. ubi & quod

al. manifestatur hoc

al. muros

al. omnis

Luc. 1.

gitized by Google

quoniam quamvis desponsatam, tamen se nunquam nupturam, neque virum cognituram certissimè sciebat. *Hæc de virginitate. De humilitate verò, * dicendum est; quòd cùm ab Angelo salutaretur * mater Dei eligeretur; quomodo fieret salvâ virginitate, (cui tantùm timebat) doceretur; * benedicta super omnes mulieres prædicaretur: respondit: *Ecce ancilla Domini.* Et in alio loco: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* O sublimis Virgo mater Dei! ô mater humilis ancilla Dei! Quid sublimius esse posset? * Quid humilius de se sentire posset? Sunt qui castellum hoc Magdalum fuisse arbitratur, à quo Maria Magdalena cognominatur: quod si verum est, prædictæ interpretationi famulatur. * Magdalus enim turris dicitur, & humilitati * coaptatur. Hic verò non nominatur, sed tantùm *quoddam* dicitur: quod indiscussum præterire non debemus. Quoddam, id est, singulare castellum fuit virgo Maria. Quamvis enim & multæ aliæ murum * virginitatis habeant, & turrim humilitatis, id est, & virgines sint, & humiles: tamen salvâ virginitate matres esse non possunt, neque filium generare: quod ista sola fecit. Et ideo castellum hoc merito *quoddam*, id est, singulare dicitur; quia ista singulariter & virgo & mater * fuit: quod nulla alia esse potuit vel esse poterit. * Verùm concedamus aliquam * posse esse & virginem, & matrem: quamvis sit impossibile: etiam sic Virgo Maria singularis erit, quia unicum Dei filium genuit, qui sicut est unicus unico Patri; ita est unicus unicæ matri. Et ideo nulla, etiam si virgo pariat, vel eúndem vel alium talem generabit. Est ergo castellum quoddam, in quod intravit Jesus: porta verò, per quam intravit, est fides. Quia enim credidit; perfecta sunt ei à Domino quæ ab Angelo dicta sunt * ei; sicut ait ad eam Elizabeth. Nec quòd Jesus intravit castellum hoc, violatum est: Jesus enim salvat, non violat; confracta solidat, non confringit solida. Secundùm nomen ejus, ita & opus ejus. *Et mulier quædam, Martha nomine, excepit eum in domum suam: & huic erat soror nomine Maria.* Duæ istæ sorores, sicut * Patres sancti plenissimè nobis exposuerunt, duas in S. Ecclesia vitas designant; Martha, scilicet, activam; Maria, contemplativam. Ista laborat ad exhibenda indigenti omnia humanitatis officia; illa vacat, & videt quoniam Deus est. Ista circa exteriora occupatur, illa interiora contemplatur. Sicut * autem mater Dei & singularis; ita & istarum vitarum effectus, quarum istæ * duæ sorores typum tenent, in ea extitit singularis. Nunquam in aliqua persona, Martha sic operata est: nunquam aliàs, sic Maria contemplationi vacavit. Nunquam * sic aliàs, vel hæc, vel illa, quod suum est, exhibuit. Cùm Martham, vel Mariam dico, * earum significata intelligo. Sed jam videamus actionem hujus Marthæ; deinde conjiciamus contemplationem hujus Mariæ. Et ut planius id * faciamus; quid alii Martham operantur; & quid ista operata est, conferamus. Alii hospitem quemlibet in domo sua suscipiunt; ista non quemlibet, sed proprium Dei filium, * qui non habet ubi caput reclinet, non in domo, sed in utero suscipit. Alii nudum quemlibet veste mutabili atque corruptibili undelibet compositâ operiunt, ista Verbum Dei * quodammodo nudum carne induit; dum idem verbum in eadem * Virgine carnem in unitate personæ assumpsit, quæ sine fine incommutabilis atque incorruptibilis * permanebit. Alii quemlibet esurientem vel sitientem cibo, vel potu exteriori reficiunt; ista hominem Deum humanitùs indigentem, non solùm exterioribus cibis vel potibus pavit, verumetiam * interiori suo lacte aluit. Et, ut breviter illa sex misericordiæ opera percurramus quæ cùm uni ex minimis suis * fiunt, Deus sibi facta confitetur; ista non quemlibet ex minimis, sed summum Dei Filium hospitem * in utero suscepit, nudum carne vel etiam pannis operuit, esurientem pavit, sitientem lacte potavit, infirmum per infantiam * jacentem non solùm visitavit; sed etiam * balneando, fovendo, leniendo, gestando frequentavit, ut meritò de eâ dicatur: *Maria autem satagebat circa frequens ministerium.* Comprehenso, & crucifixo, quasi in carcere posito affuit, sicut scriptum est: *Stabat autem juxta crucem Jesu mater ejus.* Inter hæc autem sollicita erat, & turbabatur, cùm fugeret in Ægyptum à facie Herodis, qui suum talem filium adeo persequebatur, ut multos * pro eo suspectæ ætatis pueros occideret. Turbabatur, cùm Judæos insidiantes & mortem ei inferre * molientes cognosceret. Ad ultimum turbata est valde, & juxta * Simeonis vocem, suam ipsis animam pertansiit gladius, cùm videret suum talem filium comprehendi, ligari, flagellari, conspui, spinis coronari, derideri, colaphizari, crucifigi, mori, sepeliri. Unde & bene ei congruit quod dicitur: *Martha, Martha, solicita es, & turbaris erga plurima.* Nemo verò * dubitat quòd B. Maria filium suum vellet liberari de omni tribulatione, & seipsam in perturbatione adjuvari à Divinitate, quam eidem filio suo inesse sciebat per theoriam, quæ est pars Mariæ. Hoc est, quod Martha conqueritur, quòd eam soror * sua reliquerit solam ministrare, & ejus auxilium in ministerio flagitat. * Hæc de parte Marthæ. Porro de parte Mariæ, quæ optima prædicatur; quanta, * vel qualis in B. Maria fuerit, quis dignè loquatur? Si talis est, ut diximus, imò quia melior est quàm diximus, in Beata Maria pars Marthæ, quæ * tantùm à Domino non laudatur; sed tamen non vituperatur: qualis est pars, quam optimam Maria elegit, quæ sic laudatur, ut ab ea * non auferri dicatur? O quàm magna multitudo dulcedinis Dei fuit in Beata Virgine, quando Spiritus sanctus * super eam venit, & virtus altissimi obumbravit ei, & de eodem Spiritu sancto concepit. Quid de Deo non sapiebat, in qua sapientia * Dei latebat, & in cujus utero corpus sibi aptabat? *Christus est*, * ait Apostolus, *Dei virtus, & Dei sapientia:* * & in eo *sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Christus autem in Maria: Ergo Dei virtus & Dei sapientia, & omnes thesauri sapientiæ & scientiæ in Maria. Hæc non tantùm ad pedes, sed * etiam ad caput Domini sedens audiebat * verbum ex ore ejus. Hæc * conservabat omnia verba Angelorum, pastorum, magorum, nec non ipsius filii sui, conferens in corde suo. Nemo umquam sicut ipsa gustavit quam suavis est Dominus. Inebriabatur ab ubertate domûs Dei, & torrente voluptatis * ejus potabatur. Nec mirum: quoniam apud eam, imò intra eam erat fons vitæ, de quo manabat * cuncta perfectio utriusque vitæ. Circa plurima, ut Martha, occupabatur; circa unum, ut Maria, delectabatur, quia unum est necessarium; plurima auferuntur, unum manet. Singulariter igitur partem Marthæ peregit, singulariter optimam partem Mariæ elegit: sed pars Marthæ ei auferetur. Jam enim non erit sollicita ut ministret ei, sicut puero, cui omnes ordines Angelorum ministrant, ut Domino. Jam non turbabitur fugiens cum eo in Ægyptum à facie Herodis: quia * ipse ascendit in cœlum, & Herodes descendit in infernum à facie ejus. Jam non turbabitur erga plurima, quæ fecerunt filio ejus Judæi: quia omnia subjecta sunt ei. Jam filius Mariæ à Judæis, vel militibus, non flagellabitur, nec occidetur: quia Christus *ex mortuis resurgens jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur.* Pars * ergo Marthæ ei auferetur, sed bono suo: pars * verò Mariæ ei perficitur, quæ non auferetur ab ea. Exaltata est enim super choros Angelorum, repletum est in bonis desiderium suum, videt Deum facie ad faciem, sicuti est, gaudet cum filio in æternùm. Hæc est pars optima, quæ non auferetur ab ea; cujus & nos participes simus, meritis & precibus ejus, per Jesum Christum filium ejus, qui vivit & regnat cum Deo Patre * in unitate Spiritus sancti, per omnia sæculorum sæcula. Amen.

al. simile
al. Magdala
al. compara-tur
al. enim
al. omit. duæ
al. semper in omnibus sic Martha
al. fuit
al. posse esse
al. omit. et
al. omit. sui
al. fecit
al. omit. in utero
al. omit.
al. virginea carne
al. humanitatis
al. & autem
al. myrrhæ
al. tamen
al. auferri non dicatur
al. ipse ascendit ad inferum à
Luc. 10.
Joan. 19.
Rom. 6.
1. Cor. 2. Coloss. 2.

HOMILIA X.

IN EVANGELIUM SECUNDUM LUCAM.

Luc. 14. v. 1. *CUm intraret Jesus in domum cujusdam principis Pharisæorum sabbatho manducare panem; & ipsi observabant eum.* Et reliqua.

Hæc, quæ nunc secundùm historiam mira referuntur, secundùm spiritalem sensum plus admiranda noscuntur. Nam Pharisæi, qui interpretantur, divisi, significant Judæos ab omnibus aliis gentibus circumcisione & lege divisos. Princeps Pharisæorum mysticè est Pontifex olim Judæorum. Domus *principis* hujus, synagoga. *In* quam, scilicet, *domum* intravit Dominus, quando *tanquam sponsus procedens de thalamo*, Ps. 18. v. 6. natus est, in plebe Judæorum ex intemeratæ Virginis utero; & hoc fecit *sabbato* id est, cùm jam cessarent juxta Dei voluntatem carnalia legis opera, & operum edicta: quia Lex & Prophetæ usque ad Johannem. Nam secundùm Legem sabbatho cessabatur ab exteriori actione; & ideo sabbathi nomine designatur cessatio carnalium Legis ipsius actionum. In hujusmodi sabbatho Dominus *in domum* prædictam intravit, & intravit *manducare panem*, id est, ut caperet cibum, hoc est, ut faceret Patris voluntatem. Ait enim: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem* Joan. 4. v. 34. *ejus qui me misit.*

Et ipsi observabant eum; id est, etiam *ipsi*, ad quos venerat, insidiabantur ei. Significaverunt autem eam Judæorum partem, in qua & *ipsi* erant, quæ ei semper invidens insidiabatur; & quærebat occasiones reprehendendi vel accusandi eum.

Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. *Hydropicus* iste qui *erat* in domo *principis Pharisæorum*, typus fuit populi, qui erat in synagoga Judæorum, avaritiæ morbo laborans. *Hydropicus* enim, quò amplius bibit, eò amplius sitit. Sic & avarus quò magis pecuniam auget, eò magis pecuniæ siti ardet; & ei *crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.* Talemque Dominus synagogæ populum invenit, qui solam Legis literam occidentem sectabatur, & Spiritum vivificantem nesciebat; atque promissiones, quæ secundùm literam ibi non nisi carnales inveniuntur, expectabat à Deo pro remuneratione laborum suorum, velut maxima bona: & ideo se totum in appetitu talium effuderat, solaque præsentis vitæ bona sitiebat, quæ in sola Dei lege promitti putabat; & sic eum litera malè intellecta perimebat, & propter hujus languorem spiritualem Dominus insidiatoribus suis *respondens, dixit ad Legis peritos & Pharisæos*, qui se volebant reprehendere: *Si licet sabbatho curare*, id est, si justè potest fieri ut cessantibus Legis operibus, quorum otium appellatione sabbathi designatur, iste populus sanetur ab hoc avaritiæ morbo, quo turgidus æstuat: & revera non nisi sabbatho curari A poterat, quia nisi cessasset actio carnalium bonorum in lege promissorum, nec eorum cupiditas extingueretur in corde judaici populi. *At illi*, qui de hac re fuerant interrogati, *tacuerunt*: quia de abolitione carnalium observationum loqui noluerunt, quas jam debere secundùm rationem stare nequibant ostendere. Nam ex illo tempore jam à confessione veritatis ora clauserant, ex quo de Salvatore conspirationem fecerant, *ut si quis eum confiteretur Christum extra Synagogam fieret.* Joh. 9. v. 22. Quorum taciturnitas silentio Zachariæ non credentis est designata. Dominus autem ægrotum apprehendit & *sanavit*; quia populum Judæorum morbo avaritiæ, in quo dictum est, laborantem apprehendit in his, qui elegit & ab omni terrena cupiditate liB beravit; quando venditis omnibus, quæ possederant, & positis eorum pretiis ad pedes Apostolorum, pauperem vitam communemque ducebant unanimes in Act. 4. charitate. Sic ergo per gratiam suam Christus eos ab omni illa peste insatiabilis avaritiæ *sanavit*; & ita *dimisit*, id est, à jugo legis solvit, & in libertate charitatis arbitrio suo relaxavit; ut non jam coacti, sed spontanei bona facerent. Quisquis enim charitate flagrat, non necesse est ut ei præcipiatur, nisi ut faciat *Amanti nihil præcipiendum.* quicquid voluerit. Dehinc æmulorum invidiam confutans Salvator, ait illis: *Cujus vestrùm asinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die sabbathi?* Quæ, scilicet, sententia & insidiatores convincit, & a ipsum nostræ liberationis auctorem specialiter respicit. Ipse enim secundùm carnis materiam C unus Judæorum erat, qui carnem ex eorum gente susceperat. *Cujus asinus & bos in puteum* cecidit: quia gentilis & Judaicus populus, quem utrumque ipse creaverat, in ima vitiorum corruit. *Asinus* enim gentilem *Asinus gentilis populus: bos, Judaicus.* designat populum brutum nimis & oneribus cunctis errorum substratum: *bos* verò, Judaicum jugo legis subditum. Non solùm enim *asinus*, id est, gentilis populus: sed & *bos*, id est, Judaicus, est in profunditatem peccatorum delapsus, quia nec ipse justificari potuit ex Legis operibus. Sed utrumque Dominus extraxit; quia per fidem suam utrumque justificans, ad libertatem charitatis eduxit. Et hoc fecit, *continuò*, id est, sine dilatione: quia in baptismo delevit absque mora culpas eorum, & dedit eis innocentiam. *Die sabbathi*, id est, clara luce fidei & scientiæ, in operum legis cessatione. *Et non poterant ad hæc respondere illi*: quia D eductis de profundo malorum duobus populis, & ad lucem fidei convocatis, sic stultam fecit Deus sapientiam mundi, ut ejus sapientes, qui Ecclesiæ Salvatoris invident, non inveniant quid respondeant econtra & rationabiliter dicant, sed clauso ore silentium teneant, & interno livore tabescant.

HOMILIA XI.

IN EVANGELIUM SECUNDUM LUCAM.

Luc. 14. *HOmo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos. Et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis ut venirent: quia jam parata sunt omnia. Et cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei.* Et reliqua.

1. Tim. 2. *Homo* iste est *mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus.* Magna ejus cœna est, nova spiritualis scientia, quam ad ultimum per se, & per Apostolos, ac per expositores Scripturarum nobis copiosè diE gnatus est dare, ut animas nostras spiritualibus deliciis saginaret. Addit & aliud ferculum, dum mentes *Triplex fercula cœnæ dominicæ.* nostras amore suo delectabiliter pascit. Addit & tertium, dum nobis suæ Divinitatis visionem inter Angelos perenniter tribuit. Hæc est ejus cœna, quam suis paravit, & ad quam multos vocavit, Judæos, scilicet, & Gentiles de toto orbe; sed primò Judæos, deinde gentiles. Hæc enim cœna per convivium illud

designata est, quod Assuerus tertio anno regni sui fecit optimatibus & amicis suis: ac dehinc ad illud omnem populum, qui in suis repertus est, invitavit. Nam Assuerus, mysticè Christus; tertius annus, tertium tempus est. Primum enim tempus fuit ante legem, secundum sub lege tertium sub gratia. In hoc rex regum celebrat convivium suum. Optimates & amici sunt Apostoli, & qui de Judæis primò crediderunt. Populus de tota urbe invitatus, est multitudo gentium de toto orbe vocata; quoniam civitas vel mundum, vel gentilitatem designat.

Misit itaque Dominus iste *servum suum hora cœnæ dicere invitatis ut venirent: quia jam parata sunt omnia.* Servus est ordo prædicatorum. *Hora cœnæ*, extrema ætas sæculi, de qua beatus Johannes loquitur: 1. Joh. 2. v. 18. *Filioli, novissima hora est.* Hæc enim hora, est spatium temporis ab adventu Domini usque ad finem sæculi, in quo scientia spiritalis est revelata, & gratia sancti Spiritus effusa, & regna cœlorum aperta. Ideoque dicitur *quia jam parata sunt omnia.* Nihil enim restat, nisi ut quisque dignum se præparet, & veniat, & his omnibus pertruatur. Tunc autem primò *servum suum* Dominus misit ut invitatos vocaret, quando suis Matt. 10. v. 5. discipulis ait: *In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis: sed potius ite ad oves quæ perierunt domus Israël.* Hinc enim jam invitaverant ad hanc cœnam & Patriarchæ, & Moyses, & Prophetæ. Illi autem nec tunc, nec modò voluerunt venire, sed *cœperunt omnes simul excusare.*

Primus dixit: Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam. Rogo te, habe me excusatum. Iste primus gerit personam potentum sæculi, qui villas & castella sibi vendicant, ut super cæteros potestatem exerceant, & honorabiliores atque ditiores sint cæteris. Et hi sua intima deferentes exeunt animo foras ad exteriores curas, & quibusdam necessitatum vinculis retinentur ne ad interiora redeant; sed villas & possessiones suas semper videant, & de his cogitent, ac in his delectabiliter teneantur; ideoque cœnam Dei negligant. Talibus autem si quando prædicatores persuadent meliora, promittunt se facturos quod eis præcipitur; sed impedimenta objiciunt, excusationem opponunt, & ut ipsi pro eis Deum precentur exorant. Hoc autem quid est aliud dicere, nisi *rogo te, habe me excusatum?* Et multi tales erant in Judæa quando Dominus hæc loquebatur; sed hi, qui nunc sunt, Judæi, quia villas non possunt, pecunias acquirunt. *Et alter dixit: Juga boum emi quinque & eo probare illa. Rogo te, habe me excusatum.* Iste significat illos Judæorum, qui magis dediti sunt carnali studio legis. *Quinque* enim *juga boum*; quinque sunt libri Moysi deprimentes gravi servitute illos, qui sub se carnaliter sunt positi. Hos autem libros Judæi emerunt, quia pro his circumcisi sunt, pro his decimas & primitias & sacrificia offerunt. Hos tamen nondum probatos habent, quia nondum eos intelligunt. Si enim eos intellexissent, nullâ excusationem prætendissent; sed ad cœnam jam venissent. Sed quia eos non intelligunt; dum eo venerari se simulant, *suam justitiam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.*

Rom. 10. v. 3. *Et alius dixit: Uxorem duxi, & ideo non possum venire.* Per hunc designantur illi, qui se luxuriæ carnisque voluptatibus per omnia subjiciunt. Qui excusari non quærunt, quia solam hanc vitam diligentes, aliam parvipendunt. In his autem tribus, qui venire cœnam noluerunt, designati sunt omnes qui ad eam venire negligunt: & in horum typo Judæi cœnam hanc adire noluerunt.

Et reversus servus nuntiavit hæc Domino suo. Unde Isa. 53. v. 1. Isaias: *Domine, quis credidit auditui nostro? Tunc iratus pater familias, dixit servo suo: Exi citò in plateas & vicos civitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.* Judæis venire nolentibus, *iratus* est Dominus, quia non ultra per suos prædicatores monuit eos ut converterentur; sed ex toto reliquit eos in sua malitia, mandans nubibus ne super infructuosam vineam pluerent, id est, præcipiens Apostolis, ne Judææ prædicarent. Magna enim ira Dei est, peccatores ad pœnitentiam non vocare, sed in peccatis usque ad mortem relinquere. Sic *iratus* est Judæis ad cœnam venire & credere nolentibus; & gentes intuitu misericordiæ respexit. Unde ipsis Judæis Paulus & Barnabas dixerunt: *Vobis oportebat primùm loqui verbum* Act. 13. v. 46 *Dei; sed quia repulistis illud, & indignos vos judicatis æterna vita, ecce convertimur ad gentes.* Civitas autem in hoc loco gentilitas intelligitur, muris disputationum & argumentorum atque potestatum sæcularium munita. Unde & per Psalmistam Dominus ait: *Quis deducet me usque in civitatem munitam? Quis de-* Ps. 59. v. 11. *ducet usque in Idumæam?* Christum enim ad peccatores ducit, qui eum peccatoribus prædicat. Qui quia rarus est, ideo Dominus ait: *Quis deducet me?* Luc. 10. v. 2. *Messis enim multa, operarii autem pauci.* Civitas verò, sicut diximus, est gentilitas; & ipsa est Idumæa, id est, terrena. *Plateas* autem & *vicos civitatis*, latitudines & angustias gentilitatis intelligamus. Ait itaque prædicatorum ordini: *Exi citò in plateas & vicos civitatis, & pauperes, ac debiles, cæcos & claudos introduc huc.* Ac si diceret: Festinanter ad exteras nationes perge & quos ibi vel amplitudine possessionum dilatatos, vel angustiâ facultatum arctatos repereris, ad vitam introducere non moreris. *Pauperes* enim *ac debiles, & cæci, & claudi* erant gentiles: quia nec legis divitias, nec virtutum fortitudinem, qua resistere possent diabolo, nec scientiæ lumen, vel illuminatos cordis oculos habebant, nec in via justitiæ rectis pedibus incedebant. Qui tamen invitati ad convivium Christi, divites spiritaliter & fortes facti sunt, & interius illuminati jam in via Dei non errant, sed recto tramite gradiuntur.

Et ait servus: Domine, factum est ut imperasti, & adhuc locus est. Vocavimus, inquit, juxta præceptum tuum Judæos & gentiles; *& adhuc locus est*, ubi suscipiantur qui venire voluerint. Iste *locus* tunc complebitur, quando sæculum hoc terminabitur. Adhuc enim quotidie mittuntur servi, adhuc ad cœnam veniunt fideles, aliis per baptismum, aliis per pœnitentiam festinantibus.

Ait namque *Dominus servo: Exi in vias & sepes, & compelle intrare, ut implcatur domus mea.* Jam enim neque viæ, neque sepes, neque locus ullus, sive pervius, sive septus, sive manifestus, sive abditus, relictus est, ad quem servi Christi scrutandum non pervenerint. Qui igitur huic cœnæ defuerunt aut desunt; non servorum negligentiæ, sed suæ hoc inobedientiæ deputent. Hæc autem ultima invitatio magis ad nostrum tempus pertinet; in quo crebrescunt adversitates sæculi; & ob hoc in ea dicitur: *compelle intrare.* Aliquando enim nos mundus retraxit à Deo, sed nunc tot tantisque malis plenus est, ut ipse nos jam mittat ad Deum. Unde & scriptum est de aquis diluvii. *Vehe-* Gen. 7. v. 17. *menter inundaverunt, & levaverunt arcam in sublime à terra.* Quid enim per aquas nisi tribulationes, & quid per arcam nisi Ecclesia figuratur? Aquis ergo inundantibus levatur arca *in sublime à terra*: quoniam adversis irruentibus separatur à terrenis cupiditatibus Ecclesia, vel fidelis anima, & cœlo fit proxima. Sunt enim nonnulli, qui in hoc mundo prospera quærunt, sed adversa reperiunt; & apprehendere temporalem gloriam conantur, & nequeunt: & quo magis voluptates; & opes, vel honores appetunt; eò punctiones, & ærumnas, & abjectiones sentiunt. Hos igitur adversa compellunt, ut ad Dei cœnam veniant. Sed quia in ipsis adversis mens eorum stupore sic obduruit, ut intelligere nequeat mala quæ patitur; dum prædicator eis, mala sæculi, quibus affliguntur, declarat; & quadam vitationum & adhortationum cogit eos, ut cœ-

Arabo Episc.

lestia bona appetant; agit quod dictum est, *compelle intrare*. Sicque numerus electorum perficitur, & superna domus impletur. De illis autem, qui venire contempserant, subditur: *Dico vobis quòd nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam. Nemo illorum, qui vocati sunt*, & venire noluerunt, *gustabit* internæ dulcedinis cœnam: *nemo* eorum simul cum Sanctis ad æterni convivii epulas intrabit. Unde & per Prophetam illis Dominus ait: *Ecce servi mei comedent, & vos esurietis. Ecce servi mei bibent, & vos sitietis. Ecce servi mei lætabuntur, & vos confundemini. Ecce servi mei laudabunt pra exultatione cordis, & vos clamabitis pra dolore cordis, & pra contritione spiritus ululabitis.* Sed & in Evangelio loquitur ipse Dominus: *Qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet unquam.* Simili sensu dictum est & in Exodo: *Viderunt Deum Israël, & comederunt, & biberunt.*

Isa 65. v. 13. & 14.

Joh. 6. v. 35.

Exod. 24. v. 11.

Quæ omnia nos vel terrere debent, vel accendere. Terrere, ne contingat esurire & dolere cum reprobis: accendere ut mereamur epulari & gaudere cum electis. Quicunque enim huic convivio defuerit, tabescet in æternum fame & miseriâ, & omnium bonorum inopiâ. Et quicunque interfuerit, satiabitur perenniter omnium bonorum plenitudine immensa. Nam esca justorum est, præsens vultus Dei; qui dum sine defectu cernitur, sine fine mens cibo vitæ satiatur. Unde & dictum est: *Justi epulentur & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia.* Ibi de æternitatis societate lætantur, qui jam laqueos voluptuosæ temporalitatis evaserunt. Ibi hymnidici Angelorum chori; ibi societas supernorum civium. Ibi dulcis solennitas à peregrinationis hujus tristi labore redeuntium. Festinemus igitur hoc intrare convivium, ubi cum electorum omnium societate festivis gaudiis perpetim exultemus, eo largiente qui vivit & regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

esca justorum, Deus.

Ps. 67. v. 4.

HOMILIA XII.

IN EVANGELIUM SECUNDUM LUCAM.

Luc. 16. v. 1. *Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam erat dives, qui habebat villicum, & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius. Et vocavit illum, & ait illi:* Et reliqua.

Hæc sacra lectio sub figura villici priùs dissipantis bona Domini sui; & postea de bonis ipsius ut ab eo laudaretur prudenter agentis, ostendit pravitatem & correctionem cujuslibet præpositi Ecclesiæ, qui in principiis quidem non solùm in se, sed & in subjectis disciplinam ac religionem debilitat, postea, verò tam se quam subditos nobiliter emendat.

Homo, inquit *erat dives*, &c. *Homo* enim iste intelligetur *mediator Dei & hominum, homo Christus* 1. Tim. 2. v. 5. *Jesus*. Qui & *dives* est, utpote Creator & Dominus omnium. Villicus autem à villæ custodiâ nomen accepit, eum significans cujus officium est in custodia Ps. 126. v. 1. & regimine Ecclesiæ vigilare, sicut scriptum est: *nisi Dominus custodierit civitatem; frustra vigilat, qui custodit eam.* Villicus ergo gubernatorem Ecclesiæ designat. Sed plerumque contingit ut is, qui Ecclesiam ad gubernandum suscepit, terrenis commodis inhians lucra spiritualia negligat, ac malè vivendo pravis exemplis religionem in subjectis destruat. Sed talis quisque diffamatur apud dominum suum, quasi dissipator bonorum ejus: quoniam ab Angelis coram Deo recitantur opera ipsius, per quæ disciplinam eis quos ad regendum susceperat, mala de se exempla præbendo dissipat. Annuntiant enim Deo Angeli nostra opera, cuncta nec non orationes, non ut ipse discat quæ nescie- *Angeli Deo opera nostra referunt.* bat, nihil enim est quod ignoret; sed quia necesse habet rationalis creatura obtemperans Deo temporales causas ad æternâ veritatem referre, sive petendo quid erga se vel erga nos fiat, sive consulendo quid faciat. Qui pius mentis affectus est, ut ipsa constituatur, non ut Deus instruatur. Nam & hæc quædam contestatio est rationalis creaturæ, quòd non sibi ipsa sit bonum quo beata fiat; sed illud incommutabile, cujus participatione etiam sapiens efficitur. Hoc itaque modo *diffamatus est apud* dominum iste villicus, quem *vocavit* dominus, ut ei rationem redderet: quia ipse non novissimo per semetipsum facta præpositorum examinat; qui quotidie per præpositos actiones subditorum judicat. *Vocatio Dei.* Vocavit eum; quia per ægritudinis molestiam ad mortem hunc urgens, præsentari sibi per Angelos fecit, eique dixit: *Quid hæc audio de te?* scilicet, quia de meis bonis non mea lucra quæris, sed tua; & quibus prodesse debueras, obes.

Redde rationem villicationis tuæ. Jam enim, post mortem, *non poteris villicare.* Considerabis autem villicus tanta se districtionis angustia coarctari, cœpit hujusmodi cogitationes anxius in corde suo volvere: *Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationem?* id est, à prælatione, quam habui in Ecclesia, velut indignum me per mortem deponit. *Fodere* jam post hanc vitam *non valeo*, id est, terram cordis mei ligone compunctionis & exercitio disciplinæ innovare, ut semen verbi suscipiens segetem bonorum operum proferat. *Mendicare erubesco*, id est, cibum vitæ, quem hic non præparavi, confundor in illo sæculo quærere: sicut ille *piger*, qui juxta Salomonem *propter frigus arare noluit*, ideoque *mendicabit æstate, & non dabitur ei.* Videns verò temporis spatium adhuc sibi aliquod ad emendationem indulgeri, accepto jam rationabili consilio, subjunxit: *Scio quid faciam*, id- D est, excogitavi quid facere debeam, *ut cùm amotus fuero à villicatione, recipiant me*, & cohabitatorem habere dignentur electi Dei, qui nunc in mea sunt villicatione; *in domos suas*, id est, in mansiones æternas, quæ illis divinitus sunt paratæ. In his ergo cogitationibus dimissus ac sospitati redditus, quod mente conceperat, opere cœpit implere, convocans debitores Domini sui, hoc est, mortales omnes, quoscunque potuit, ad auditum suæ prædicationis accersens. Nam omnis homo debitor Dei est. Cumque sint debitores innumerabiles, duo tantùm referuntur: quia omnis hic Christianorum populus in duas partes dividitur, peccatorum, videlicet, atque justorum. Primus enim debitor, illa pars est fidelium, quæ peccatis adhuc & vitiis servit; quoniam peccata propriè solent vocari debita, velut; cùm oramus: *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Qui, scilicet, debitor *centum cados olei* se debere fatetur, quia ut indulgentiam mereatur, mensuras ac quantitates vitiorum suorum Ecclesiastico villico confitetur. Centenarius enim numerus perfectionem designat. Cadi verò mensuras peccatorum. Oleum autem favorem eorundem peccatorum, quando quis sibi ipsi placet in vitiis suis, vel alios peccantes malè dulci adulatione demulcet. De cujusmodi oleo dicitur: *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Impinguat enim *caput oleum peccatoris*, cùm demulcet mentem favor adulantis. Quia ergo favor & laudatio vitiorum, quæ nunc olei nomine designatur, maximè damnabilis est; idcirco debitor iste medullas culparum suarum confitens,

Matth. 6.

Ps. 140. v. 5.

Laus vitiorum maximè damnabilis.

centum cados olei se debere testatur, intelligens multas valde esse mensuras malè dulcis favoris, quo placebat sibi in nequitiis suis, & aliorum vicia mulcebat. Huic itaque jubet villicus ut accepta cautione, id est, retenta & refrænata priorum operum impressione sedeat, id est, humilietur & pœniteat. Nam quòd cautio formam & impressionem vel numerum operum designet, indicant figuraliter exaturæ, quas Salomon in templo fecisse refertur. Quòd autem sessio humiliationem significet, sanctus David operibus & verbis ostendit, qui cùm se multùm humiliaret, *ingressus est*, 2. Reg. 7. 18. ut Scriptura loquitur, *& sedit coram Domino, dixitque: Quis ego sum Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxisti me huc usque.* Et rex Ninive pœnitens indutus est sacco, & sedit in cinere. Sedere ergo debitor ille præcipitur, ut ad pœnitentiam humilietur. Et quia incertum est qua hora mors veniat, *citò* sedere, dum adhuc vacat, jubetur. Scribere, id est, operibus annotare *quinquaginta*, id est, pœnitentiam, imperatur. Quicquid enim operamur, quasi in libro scribi- Dan. 7. 10. mus, ut in die judicii coram Christo recitetur. Unde Daniel: *judicium sedit, & libri aperti sunt.* Quinquagenarius autem numerus pœnitentiam & remissionem peccatorum designat: quia & David in quinquagesimo Psalmo pœnitentiam agens veniam peccatorum obtinuit. Et quinquagesimus annus in lege jubilæus est institutus, in quo fiebat remissio. Pro *centum* ergo scribit *quinquaginta*, qui pro consummata vitiorum multiplicitate, evidentem suis operibus memoria dignam ostendit pœnitentiam, in qua & remissionis gratiam consequatur. Sicut autem primus debitor vel eam partem fidelium quæ peccatis est subdita, vel unumquemque peccatorum insinuat; ita secundus vel eam partem eorum, ut dictum est, quæ justitiam sectatur, vel unumquemque justum significat. Nam & justus quisque debitor Dei est, quoniam omnia bona quæ ab eo percepit, debet illi; ut eadem, vel paria, si potest, reddat: si autem non potest, vel debitorem se esse humiliter agnoscat, & gratias agens dicat: *Quid retri-* Ps. 115. v. 12. *buam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?*

Centum quippe cori *tritici*, quos se debere testatur, perfectionem justitiæ, cæterarumque virtutum, quæ illi secundùm mensuram donationis Christi datæ sunt, insinuant. Cori namque *tritici*, mensuras donorum gratiæ significant. Quòd verò triticum virtutes & spiritualia charismata, quibus anima pascitur, designet, Ps. 64. v. 14. Scriptura docet dicens: *& valles abundabunt frumento.* Joh. 37. v. 21. Itemque: *Frumentum desiderat nubes. Valles* quippe, id est, humiles *frumento*, id est, virtutum gratiâ replentur, qua spiritualiter vivant & saginentur. Quæ, scilicet, virtutes desiderant *nubes*, id est sanctos prædicatores, ut imbre verborum cœlestium per eos rigentur. *Centum* itaque *cores tritici* debebat iste: quia secundùm mensuras sibi divinitus concessas, perfectionem virtutum acceperat. Cui à villico jussum est ut in litteris suis, id est, in operibus suis pro *centum* scribit *octoginta*, id est, pro omnibus quæ debebat, Deo dignum se futura resurrectione justis actibus exhiberet. Litteræ enim quas scribimus, actiones nostræ sunt; quas divinæ memoriæ assignamus, sive bonas, sive malas. Unde & ipse de omni opere quod egerunt ho- Isa. 65. v. 6. mines, dicit: *Ecce scriptum est coram me.* Octogenarius autem numerus, sicut & octonarius, mysterio resurrectionis congruit, quia & Domini resurrectio facta est octava die, & nostra quoque post septem dies, quibus omne tempus volvitur, id est, in die judicii, quæ erit octava, proveniet. Unde & nonnulli Psalmi *pro octava* scribuntur. Suis ergo litteris inscribit *octoginta*, qui suis operibus dignum se illa resurrectione & electorum societate demonstrat.

Hæc sunt itaque in quibus prudens villicus tam se, quàm habitatores villæ suæ, id est, filios Ecclesiæ quam regebat, corrigere & meliorare studuit, pro- A quibus & laudari à Domino meruit. Et nos ergo laudemus eum qui divino laudatur judicio; nec eum in aliquo, priusquam correctus est, audeamus reprehendere; ut hæc putemus in his quæ erga debitores egit, domino fraudem fecisse: sed potius credamus eum in his lucra Domini sui prudenti consilio quæsisse, & ejus voluntatem implesse. Qui tantùm adhuc *iniquitatis villicus* appellatur, quia priùs vilicatum suum iniquè tractabat; sicut & *Matthæus*, quia *publicanus* fuerat, etiam in Apostolorũ catalogo *publicanus* dicitur. Sed in his omnibus est maximè prædicanda piissimi judicis nostri misericordia, qui cùm hunc antea vocasset, & justo judicio damnare potuisset; maluit eum indulto rursus vivendi spacio à morte revocare, ut postmodum hunc emendatum posset inter amicos computare. B Complevit enim quod loquutus fuerat, quia *nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat.* Ad Ezech. 18. & 33. hoc autem quod dixerat *villicum iniquitatis prudenter* fecisse, subjungit sententiam, in qua significat multos similia facere.

Quia filii, inquit, *hujus sæculi, prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. Filii* enim *sæculi* vocantur, qui sæcularem vitam ducunt. *Filii* autem *lucis* justi dicuntur. Sed sunt aliqui justi, qui licèt justè vivant, & ab illicitis se contineant; magna tamen bona nunquam operantur. Et sunt alii, qui priùs sæculariter & criminosè vixerunt; sed postmodum redeuntes ad cor suum, quia se illicita egisse considerant, ex ipso suo dolore compuncti inardescunt ad amorem Dei, teseque in magnis virtutibus exercent, cuncta etiam difficilia sancti certaminis appetunt, omnia mundi blandimenta derelinquunt. Flagrant desiderio, ad cœlestem patriam anhelant. Et quia se erasse à Deo conspiciunt, damna præcedentia lucris sequentibus recompensant. Isti ergo *in generatione sua*, id est, in tempore suo, quo præsentem vitam transcurrunt, *prudentiores sunt* illis *filiis lucis*, qui à luce matre nunquam recedunt, sed tamen opera lucis remissiùs agunt, & ad patriam æternæ lucis anxiè non anhelant.

Post sententiam verò subjicit Dominus exhortationem, ut qui malè priùs egerunt, exemplo villici convertantur ad bonum, & clementer agere studeant. Ac si dicat: Iste quidem villicus, qui antea villicatum suum malè tractaverat, post de bonis ejusdem villicatus erga subditos spiritalia beneficia clementer operatus est, pro quibus & supernæ felicitatis habitacula D cum electis intrare meruit: *& ego* quoque *vobis dico*, & suadeo, qui mammonam, id est, divitias habetis *iniquitatis*, id est, quas per iniquitatem adquisistis, & iniquè dispensastis hactenus, vel possedistis; jam bene dispensando eas Sanctis, qui indigentiam patiuntur, *facite* eos *vobis* inde *amicos*; *ut cùm defeceritis*, id est, cùm obieritis, *recipiant vos* libenter secum *in æterna tabernacula*, id est, in perpetuas mansiones, ubi perenniter cum eis gaudeatis: quoniam *qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet.*

Quidam verò sententiam istam malè intelligentes rapiunt res alienas, & aliquid inde pauperibus largiuntur, & putant se facere quod præceptum est. Dicunt Matth. 6. v. 9. enim; Rapere res alienas, *mammona iniquitatis* est. E Erogare aliquid inde, maximè egentibus sanctis, hoc est facere *amicos de mammona iniquitatis*. Intellectus iste corrigendus est. Non ex rapinis, & usuris, vel fraudibus adquirere debemus, unde eleemosynas faciamus; sed si contigerit nos ante conversionem nostram talibus modis opes adquisisse, jam post conversionem rapinas & fraudes non faciamus; sed tamen ex opibus largè tribuamus. Sic enim Zachæus fecisse laudatur, qui princeps erat publicanorum, & divitiis abundabat; sed recepto in domum suam Christo, medietatem earum pauperibus dedit; & cuicunquè fecerat fraudem, ex alia medietate quadruplum reddidit. Sicut ergo villicus dicitur *iniquitatis*, etiam post correctionem suam,

igitized by Google

quia villicatum iniquè priùs tractaverat; ita divitiæ, quas ante conversionem quis iniquè conquisivit, sive possedit, aut dispensavit, etiam post conversionem ejus vocantur divitiæ *iniquitatis*. Sed sicut villicus ex eodem villicatu, postquam correctus est, adquisivit amicos: ita quisque de suis facultatibus, quamvis antea ex licitis & illicitis adquisisset eas, amicos sibi facere studeat; ita duntaxat ut nihil ultra per iniquitatem adquirat.

Tota itaque lectio ista correctionem & emendationem docet, & hortatur ut quicunque malè vivebat, & res quas dispensandas susceperat, perversè tractabat; mutet suos mores, & mala præcedentia bonis sequentibus vincat & deleat. Possunt tamen omnes divitiæ sæculi, divitiæ *iniquitatis* appellari, quia cùm à Deo pro omnibus sint creatæ, has sibi nonnulli, quamvis A justo labore, iniqua tamen cupiditate congregant; & quas nulli tribuunt, has indigentibus quodammodo tollunt, dum eas in usum eorum venire non sinunt. Licèt ergo justis, ut dictū est, laboribus adquisitæ, vel in patrimonio à religiosis parentibus acceptæ: tamen divitiæ *iniquitatis* sunt, quia iniquum est, id est, ab æquitatis regula discordans, ut alius divitiis superabundet, alius autem egeat. De quibuscunque igitur divitiis sæculi fiant eleemosynæ, de divitiis *iniquitatis* sunt. Itaque non jam iniquè sed justè conquiramus divitias, ex quibus justas faciendo eleemosynas, sanctos pauperes adquiramus nobis *amicos*, *ut* ipsi nos secum recipere dignentur *in æterna tabernacula*: Per Jesum Christum Dominum nostrum, cui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIII.

IN EVANGELIUM SECUNDUM LUCAM.

Luc. 17. v. 11. DUm iret Jesus *in Jerusalem, transibat per mediam* B *Samariam & Galilæam*. Et reliqua.

Præsens lectio secundùm historiam quidem semel opere completa est, sed secundùm spiritalem sensum quotidie impletur. Nos enim in Adam à visione pacis, quod Hierusalem interpretatur recesseramus; ac in hujus exilii tixosas inquietudines decideramus, & ad inferni supplicia nihil pacificum ultra visuri properabamus. Verbum autem Dei per quod facta sunt omnia, nos misericorditer ad suæ pacis visionem in qua perenniter quiesceremus, reducere volens, descendit ad nos qui ad ipsum nequibamus ascendere; & susceptâ in se nostra humanitate, tetendit ad supernam Hierusalem, ubi semper vera pax cernitur, & illuc nobis viam aperuit: & quia electos homines sua membra fecit, in ipsis membris suis adhuc quotidie vadit in Hierusalem, dum electos suos ab hoc exilio reducit ad pa- C triam, in qua pax regnat sine ulla inquietudine carnis aut spiritûs. Quæ, scilicet, patria nomine Hierusalem hic designatur, quæ visio pacis, ut dictum est, interpretatur. Ad quam pergens, *transibat per mediam Samariam & Galilæam*. Samaria namque interpretatur custodia, & significat justorū diligentiam, qui custodiunt mandata Dei, qui *omni custodia cor* suum servant, qui actus suos omni hora custodiunt. Galilæa verò, quæ dicitur transmigratio facta, designat eorum viam, qui à malis operibus ad religiosam conversationem per angustiam pœnitentiæ viam migraverunt.

Vadens ergo in Hierusalem, *transibat per mediam* D *Samariam & Galilæam*: quia quotidie quosdam sibi unitos transire facit ad æternæ pacis beatam visionem, & ex his, qui non erraverunt; & ex his, qui aberrore ad veritatem redierunt. In eis enim transit in Hierusalem, quos sua membra factos de præsenti sæculo nequam eripit, & ad supernæ majestatis perpetuam contemplationem perducit. Transit *per medium Samariam & Galilæam*, id est, dividit per medium tali transitu *Samariam & Galilæam*, per quas, ut dictum est, intelligimus justos & pœnitentes, quia videlicet & ex justis, & ex conversis quosdam eligens, ad terram viventium secum ducit, quosdam autem ex eis hic E adhuc agonizari permittit. Verbo autem præteriti imperfecti dicitur, quia *transibat*, ut detur nobis intelligi quia transitus ipse nondum peractus est, sed adhuc agitur. Illa verò pars electorum quæ retinetur in hujus vitæ laboribus, designatur non incongruè per *castellum*, de quo subditur quia dum *ingrederetur* Jesus *quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi*. Nam Sancti inter pericula tentationum hujus sæculi instar castelli seipsos intra vallum disciplinæ cauta circumspectione custodiunt. *Castellum* enim munitur adversùs hostes, & sollicitè custoditur, significans Ecclesiam inter hujus vitæ discrimina fortiter undique clausam atque munitam contra malignos spiritus, & pervigili solicitudine servatam. Quod *castellum* dicitur *quoddam*, ut juxta litteram nesciatur, & juxta spiritalem sensum cognoscatur. In quo, scilicet, spiritali castello, id est, in Ecclesia, semper est Dominus, sicut ait suis discipulis: *Ecce ego vobiscum sum omnibus die-* Matth. ult. *bus usque ad consummationem sæculi*: sed tamen deesse v. 20. videtur aliquotiens, ubi permittit iniquos multiplicari, & suum electis suis palàm non præstat auxilium; sed tribulationibus & adversis eos affligi, velut a se derelictos, finit. Unde & illa vox est: *Ut quid Domine re-* Ps. 9. v. 2. *cessisti longè, despicis in opportunitatibus, in tribulationes?* Cùm autem deesse Dominus videtur, tunc foras tendunt illi qui per decem leprosos figurantur. Multi enim vel adversitatibus fracti volunt à fide recedere, & infidelibus se jungere, quasi dicendo: *eamus*; *& dis-* 1. Mach. *ponamus testamentum cum gentibus, quæ circa nos sunt*; 1. v. 11. Vel tentationibus vitiorum superati mala tot & tanta faciunt, ut gentilibus in actione similes fiant, dum ab Ecclesiæ visceribus ad res sæculi per desideria foras tendunt. Hi sunt enim spiritaliter *leprosi*: qui propterea dicuntur *decem*, qui contra Dei præcepta faciunt, quæ propter decalogum legis per denarium numerum intelligi solent. Sicut enim observatores mandatorum cœlestium assequuntur inde mundationem & sanitatem animæ; sic contraria mandatis ipsis agentes, spiritalem contrahunt inquinationem & infirmitatem: adeò ut tales in anima fiant, quales in corpore cernuntur, qui lepram carnis patiuntur. Qui tantò magis foras tendunt, quantò perversiùs agunt; & ita fiunt hæc, dum Jesus abesse videtur.

Fit autem plerumque per respectum divinæ gratiæ ut Dominus ipse Jesus ad hoc Ecclesiæ *castellum* palàm venire & ingredi videatur, subitò, scilicet, tribulationes sedans, populumque suum à pravitatibus convertens, & magnum religionis incrementum ei largiens. Et tunc spiritaliter agitur quod dictum est, quia dum ipse *castellum* hoc *ingreditur*, *occurrerunt ei decem viri leprosi*. Nam invenit eos contra se tendentes, id est, via sibi contraria gradientes, dum illi foras, & ipse tendit intus; atque sistit eos, & stare facit atque cessare, ne pergant ulteriùs in via perversa. *Steterunt* etenim, & *steterunt à longe*; quia non statim potuerunt ei propinquare, sed procul stantes versi sunt ad preces, & magno cordis clamore dixerunt: *Jesu præceptor, miserere nostri*. Non intellexerunt eum esse Salvatorem, qui

qui peccatorum morbos omnes ſanare poſſit : & ſe miſeros ob hoc eſſe factos agnoverunt, quia præceptis contraria fecerant ; ideoque Jeſum, id eſt, Salvatorem vocabant eum, & præceptorem, quem ut ſui misereretur orabant. *Quos ut* intuitu clementiæ *vidit, dixit, Ite, oſtendite vos ſacerdotibus*, id eſt, per humilem oris confeſſionem ſacerdotibus veraciter manifeſtate omnes interioris leprę veſtræ maculas, ut mundari poſſitis. Et quod rogabant, factum eſt eis *dum irent* ad ſacerdotes : quia, ſcilicet, mundati ſunt : quoniam peccatores, licèt gravi criminum lepra ſint fœdati, euntes tamen ad confitendum purgantur in ipſa cõfeſſione propter pœnitentiam, quam acturi ſunt. Dum irent, mundati ſunt : quia ex quo iter hoc intrant, incipiunt operari juſtitiam, & juſtitiæ operatio eſt eorum mundatio. Dum irent, mundati ſunt : quia ex quo tendentes ad confeſſionẽ & pœnitentiam, tota deliberatione mentis peccata ſua damnant, & deſerũt ; liberantur ab eis in conſpectu interni inſpectoris. Unde & per Prophetã Dominus ipſe teſtatur quia *impietas impii non nocebit ei in quacunque die converſus fuerit ab impietate ſua.* Perveniendum tamen eſt ad ſacerdotes, & ab eis quærendam ſolutio; ut qui jam coram Deo ſunt mũdati, ſacerdotũ judicio etiam hominibus oſtendantur mundi.

Confeſſionis ſacramentalis efficax.

Ezech. 33. Sacerdotibus confitendum.

Sequitur : *Unus autem ex illis, ut vidit quia mundatus eſt, regreſſus eſt cum magna voce magnificans Deum.* *Unus* deſignat unum in bono perſeverantem affectu eorum, qui poſtquam pœnitendo veniam adepti ſunt, permanent in humilitate, & gratiarum actione. Quod enim dicitur *unus* ; intelligendum eſt, non diverſis jam ſe voluntatibus varians, ſed in Deo placendi voluntate perdurans. Nam & omnes electi propter hanc bonitatis unanimitatem, non ſolùm unum, ſed etiam *unus* rectè dici poſſunt, ſicut indicat Apoſtolus, ubi de omnibus, qui ſunt in Eccleſia bonis & malis, myſticè loquitur : *Omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium.* *Omnes* enim Chriſtiani & boni & mali, pro modo ſuo quiſque, *currunt* ad bravium ; *ſed unus*, qui legitimè currit, id eſt, unitas electorum percipit illud ; ſicut & omnes hi leproſi mundati ſunt, ſed unus egit gratias. *Unus* itaque cùm vidiſſet quòd à criminum lepra mundatus eſſet, rediit ad mundatorem, grates ei referens, & ſe magis illi humilians, & devotior exiſtens, ac ſemper ei placere ſtudens. Nam hic *unus*, ut dictum eſt, eos qui ſic agunt, deſignant. Noluit ingratus jam eſſe ; ſed *regreſſus eſt cum magna voce magnificans Deum.* Rectè *cum magna voce*, quia magna Dei beneficia ſe percepiſſe gratulabatur. *Magna voce*, devotâ potiùs quàm clamosâ debemus intelligere. Non enim exigua vocis devotione *Deum* magnificare cupiebat, qui ſe de tantis malis magnificè liberatum gaudebat. Interioris lepræ ſanitatem à Chriſto conſecutus magnificabat *Deum*, ut glorificaretur *Pater in Filio.*

1. Cor. 9. v. 24.

Et cecidit in faciem ante pedes ejus, quia de prioribus actibus erubeſcens ſibi vilis apparuit, & devota ſe Chriſto humilitate proſtravit. Statum jam rigiditatis & ſuperbiæ non habuit ; ſed tota mentis conſternatione ſub pedibus Salvatoris bene jacuit, *gratias agens* quòd de tanta miſeria liberatus eſſet : *& hic erat Samaritanus*, id eſt, cuſtos ; quia ne percepta beneficia poſſet amittere, ſervabat ea per humilitatis cuſtodiam, & ſeipſum cautè jam cuſtodiebat, ne plagam ulterius leprę ſpiritalis incurreret ; & cor ſuum actuſque ſuos à malo cuſtodiebat.

Reſpondens autem Jeſus, dixit : Nonne decem mundati ſunt ? & novem ubi ſunt ? Operibus hujus, qui gratias retulit ; & aliorum, qui ingrati fuerunt, reſpondit Dominus : *Nonne*, inquit, *decem mundati ſunt*, & omnes pariter ad reddendas gratias redire debuiſſent ? *Decem mundati ſunt*, quia legitimus numerus eſt purgatus. Sed *novem* quaſi neſciuntur à Domino ; quia maluerunt elongari ab eo per peccata, quàm propinquare ei per bona opera. De quibus ait : *Ubi ſunt ?* Quod eſt dicere : Qui in humilitate & gratiarum actione deberent adeſſe, *ubi ſunt ?* Qui mihi per meritum devotionis & operis propinquare deberent, *ubi ſunt ?* Qui in obſervantia mandatorum meorum eſſe deberent, *ubi ſunt ?* Quia verò novenarius numerus habet ter tria, & ad fidem Trinitatis pertinet ; hi novem deſignant illos, qui poſtquam pœnitendo *mundati ſunt*, à præcedentibus culpis exiſtunt deſides & ſecuri, nec ſe in bonis operibus exercent, ſed ſolam ſibi fidem ſufficere putant.

Novem neſciuntur a Domino.

Non eſt inventus qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena : quia non invenitur, qui poſt acceptam veniam recordetur divinæ pietatis, & ei gratias devoto corde referens perſeveret in bonis actibus, niſi qui non ſit ex filiis terrenæ Babylonis, ſed ex filiis Hieruſalem cœleſtis.

Et ait illi : Surge, vade : quia fides tua te ſalvum fecit. Humiliter adhuc jacenti pro peccatis pœnitendo deletis præcipitur ut ſurgat ad bene agendum, & vadat, id eſt, promoveatur ac proficiat in bonis operibus. Qui enim infirmitatem ſuæ conditionis humiliter agnovit, ac pulverem & cinerem ſe eſſe perpendit, jubetur ad robuſta opera ſurgere, ac promoveri in profectu juſtitiæ. Cui & dicitur : *Fides tua te ſalvum fecit.* Credidit enim grates eſſe referendas ei qui ſe mundaverat & opere Deus innotuerat ; & fidem *qua per dilectionem operatur*, habebat, ac per eam à prioribus malis ſalvus erat, in quibus ante perierat ; quia non ſine operibus fidem ſibi ſolam ſufficere, ſicut illi *novem*, æſtimavit.

al. in Deo.

HOMILIA XIV.

IN EVANGELIUM SECUNDUM JOHANNEM.

Joh. 4. v. 46. *Erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum.* Et reliqua.

Quod in lectione Evangelica de uno regulo & ejus filio ſingulariter factum audivimus, humano generi generaliter conſonare videbimus, ſi adhibitâ diligentiâ myſticum intellectum ſuperficiei litteræ coaptemus. Regulum autem à rege nomen deductum & litterarum conſonantia demonſtrat, & ſignificatio deductionis approbat. Scimus etiam quia fuere reguli, id eſt, minores reges. Hominem igitur ad excellentiſſimi regis imaginem & ſimilitudinem factum, dum bene ſe rexit, dum ſibi temperanter imperavit, regem fuiſſe quis dubitet ? Regnum verò iſtius regis, paradiſus Dei fuit, in quo felix homo colonus, in quo operarius poſitus, in quo rex & dominus ut dominaretur ac præeſſet beſtiis & piſcibus, atque repetilibus, & avibus, tanquam rex in ſolio collocatus eſt.

Sed proh dolor ! qui hoc modo magnus rex ſublimatus præſidebat, per inobedientiæ tumorem à regno illo depulſus eſt, & ærumnis ac triſtitiæ expoſitus eſt. Tamen miſerante Deo, cujus *miſerationes ſuper omnia opera ejus*, non ex toto miſer homo in perditionis abyſſum redactus eſt ; quoniam neque liberum amiſit arbitrium, neque à rationis capacitate alienatus eſt. Perdidit ergo per ſeipſum magnum quid ; reliquit autem ei miſericordia Conditoris parum quid. In eo itaque quod amiſit, rex eſſe deſiit ; in eo autem quod præ cæteris animalibus ſibi relictũ eſt, quaſi regulus victitavit. Quod ipſa Evangelii verba videntur innuere, dicendo quia *erat quidam regulus.* Per hoc enim quod dicitur

erat, quod imperfectæ significationis verbum est, quod sic ex parte jam præteriit, ut ex parte videatur adhuc non præteriisse, & sensum habet substantivum, essentia hominis indicatur; quæ jam ex parte transierat mortua, & ex parte ægrotabat saucia, ut penè nihil esset homo qui *erat*: quoniam *infirmabatur & mori incipiebat*, cujus
Rmd. 15. v. 17. proprium nomen tacetur, & dicitur: *erat quidam*, quia non erat dignus audire, *novi te ex nomine*, neque erat nomen ejus scriptum in cœlis, ut Deus illud dignaretur nominare. Nam & nos plerumque quorundam vocabula, quæ tamen bene meminimus, propter dedignationem prætermittimus, cum eorum recordationem fastidimus. Ideirco autem nomen istius Spiritui sancto viluerat qui peccator *erat*, quia infimus *regulus*.

Cujus filius infirmabatur Capharnaum. Filius est, in quo pater affectu paterno specialiter delectatur, quem B tenerrimo & toto tanquam seipsum confovet amplexu. Hoc in homine interiore animum intelligimus, quem à primo plasmate usque ad Christum multa spiritalium febrium incommoditate prævenum nequaquam dubitamus. *Capharnaum* autem ager pulcherrimus dicitur: & mundus iste creaturarum ornamentis decoratus, magni opificis ordinatione conspicuus, ager pulcherrimus non incongruè intelligi potest. Cujus colonus homo, ut pote advena & peregrinus, quantò licentiùs peccabat, tantò abundantiùs ægrotabat. Ægrotavit autem hominis portio pretiosior, animus videlicet, qui tanquam filius homini debet esse charior.

Hic cùm audisset quia Jesus advenisset à Judæa in Galilæam, abiit ad eum & rogabat eum ut descenderet, & sanaret filium ejus: incipiebat enim mori. Judæa quidem confessio; sive laudatio; & glorificatio: Galilæa verò interpretatur, transmigratio facta. Et *Jesus* venit à Ju- C dæa in Galilæam, quando à confessione & laudatione, quæ illi sursum à Sanctis Angelis incessanter, dabatur, dignatus est per carnis assumptionem venire ad nos, qui transmigrationem feceramus à Paradiso ad hujus vallem miseriæ. Et hunc adventum audivit *regulus*:
Zach. 2. v. 10. quia illum per Zachariam homo dicere comperit, *lauda & lætare filia Sion, quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus.* Cùmque hæc, & his similia de ejus adventu verba Prophetarum audisset; *abiit ad eum*, pro filio supplicaturus, mores mutaturus, in ipsum crediturus. *Abiit ad eum*: quia cæpit ad ejus fidem aliquantulùm accedere. *Et rogabat ut descenderet, & sanaret filium ejus*, quem diximus animum ipsius esse:
Ps. 143. v. 5. Quia per Psalmistam dicebat: *Domine inclina cœlos tuos,*
Ps. 40. v. 5. *& descende*: &, *Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi. Rogabat ut descenderet*, hoc est, ad humilitatem passionis se misericorditer inclinaret, *& filium ejus*, hoc est, charioré ejus portioné sanaret. Non enim poterat animus hominis à peccati morbo sanari, nisi medicamentum ei hæret mors ipsius medici.

Incipiebat enim peccati languore jam *mori.* Hic est enim saucius; quem, sicut alibi dicitur, latrones in via semivivum reliquere. Vivit enim ex ea parte, qua Deum potest cognoscere, & quid rectum sit discernere; mortuus verò est ex ea parte, qua peccatis tabescit, & nequitiâ deficit. Ex toto autem erit mortuus, si fuerit in inferno damnatus. Sic ergo *incipiebat mori*, id est, vitiorum languore nimiùm gravabatur, & morti dam- E nationis æternæ propinquabat. Sed ne ex toto moreretur; accessit pater ad Jesum pro eo rogaturus, ut ipse qui vita, qui medicus, qui medicina est, obviaret morti. Post mortem enim nulla posset inveniri medicina: quia *in inferno nulla est redemptio.* Quisquis enim semel æternæ damnationi traditus, nunquam ulteriùs redemptionem consequi potest.

Dominus autem regulo deprecanti respondit: *nisi signa & prodigia videritis, non creditis.* Inter signa & prodigia hoc distat quòd signa quidem dicuntur, eò quòd præsentialiter aliquid significent; prodigia verò quasi porrodicia vocãtur, eò quòd porrò dicant, porrò significent, & aliquid futurum portendant. Et Dominus signa fecit atque prodigia: quoniam opera ejus alia in præsenti aliquid significabant, alia in futurum prospiciebant. *Regulus* ergo descensum ejus ad salutem filii rogabat; Dominus autem descensum suum commendabat, & regulo subtiliter intimabat, dicens: *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.* Ac si diceret: Descensus meus ad mortem & ad inferos, quem desideras, signum magnum est, quia febricitantium salus est; & prodigium magnum est, quia resurrectio mortuorum est. Nec fides Christiana in gentibus pullulare poterit, nisi *signa* hæc *& prodigia* viderit. *Dicit ad eum regulus*, unus credens ex gentibus, gentium primitiæ præsignatus. *Domine, descende, priusquam moriatur filius meus. Domine*, quandoquidem descensus tuus signum & prodigium magnum est, nec præputium ab infirmitatibus suis poterit convalescere, *nisi signa* hæc *& prodigia* meruerit videre: *descende*, quoniam melius est, sicut præordinasti, ut descendas; quàm ut *filius meus*, id est, gentilis populi animus in æternùm pereat. *Descende* ergo de incarnatione ad passionem: quoniam ex passione tua consequetur anima mea liberationem.

Huic tantæ fidei ac devotioni duntaxat respondit Dominus: *Vade filius tuus vivit.* Durum est enim intelligere quòd incredulo & infideli dixerit, *vade filius tuus vivit*, nisi supplicantis fidem devotionemque cognovisset. Præscit igitur, antequam miraculum faceret, subtilem fideliter obsecrantis responsionem, & ad miraculi processit ostensionem, ut & fides jam credentis procederet in manifestationem. *Vade*, inquit, hoc est, ad perfectionem transmigra cogitationum; & sicut audisti meam incarnationem, expecta etiam passionem; C Jam enim ex hac fidei scintilla *filius tuus*, id est, animus tuus *vivit.* Nec quenquam moveat quòd omnia hæc verba secundùm historiam non inveniantur & à regulo, id est, ab humano genere dicta esse Domino, & à Domino generi humano. Tales enim sunt istæ loquutiones, quales & illæ de Canticis Canticorum; ubi sponsus ad sponsam, & sponsa ad sponsum ea verba loquitur, quæ nusquam historialiter reperiuntur. Neque enim tam vocibus, quàm rebus fiunt hujusmodi loquutiones. *Vade* ait, hoc est, ad majora fidei promovere, & ad spiritalem sensum progredere: quoniam *filius tuus vivit*, ex hac fidei inchoatione, & ex mea prædestinatione.

Credidit ei homo sermoni quem dixit ei Jesus, & ibat. D *Credidit* humanum genus quòd animus suus per Dei gratiam interiùs viveret: quoniam ex Salvatoris sermone, quem veracem esse didicit, hoc audivit: *& ibat*, proficiens in fide & moribus.

Jam autem eo descendente, servi occurrerunt ei, & nuntiaverunt dicentes quia filius ejus viveret. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei quia heri hora septima reliquit eum febris. Descendente homine, id est, ad seipsum revertente, & cogitationes suas inspiciente, *occurrerunt ei servi* sui, qui non incongruè rationales hominis sensus intelliguntur, qui debent homini, ut pote Domino suo servire, & quæ jocunda sint nuntiare, ac de sospitate totius interioris hominis & animi respondere; sicut hîc dicuntur nuntiasse filium vivere. Hominem enim à Deo descendere, est humanitatem nostram à contemplatione illa parumper avelli; & ad ea, quæ intra nos sunt, aliquantulum reverti; quid sumus, quid egimus, solerter intueri. Servos autem Domino descendenti occurrere, est sensus omnes totius humanitatis obsequio Domini parere, & suo patrifamilias quæ sunt placitura devotè referre. Homo verò jam Dei colloquio roboratus, & Scripturarum exercitio recreatus, tanquam indagator discretissimus debet perpendere, & tanquam servos & amicos sensus suos consulere qua hora filius suus meliùs habuerit, quando animus suus liberiùs convaluerit. Et hoc est

quod dicitur, quia *interrogabat horam ab eis, in qua melius habuerit.*

Sed quid servi respondent, audiamus: *Heri*, inquiunt, *hora septima reliquit eum febris. Heri*, tempus est præteritum. Et nos, dum in hac vita sumus, duo tempora sentimus; tertium expectamus. Totum tempus ab Adam usque ad Christi passionem, præteritum tempus est. A passione Christi usque ad diem judicii, hodiernum tempus est. A die judicii quando jam corpora nostra fuerint reformata, tertium tempus erit, quod finem habere non poterit. *Heri* ergo in passione Christi *reliquit* hominem febris, quoniam Christus vitiorum nostrorum peregrinos & inordinatos fervores, ac variarum incentiva libidinum cruci suæ affixit, quia *languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Sed tam magnum tamque diuturnum *heri*, horas suas habuit, dum per temporum incrementa tempus tempori successit. Ab Adam enim usque ad Noë, prima hora est, quæ in diluvio alterata est. A Noë in Abraham extende, & horam secundam in circumcisione perpende. Tertiam ab Abraham in Moysen; & cave ne prætermittas legem. Quartam à Moyse in David, ibique Judæorum regnum florere videbis. Quintam à David usque ad tempus transmigrationis, & Israël gloriam marcuisse non negabis. Inde sextam usque ad nativitatem sancti Johannis dirige, ibique Legem ac Prophetas habere finem intellige. Septimam ab ortu sancti Johannis usque ad passionem Salvatoris metire, & ibi totius mundi reatum crucifixum collige. Hæc est enim *hora septima*, in qua *febris* docente & monente Christo, animum nostrum quasi *reguli* filium *reliquit.* Et ecce jam in octava sumus, atque *pro octava* Domino Psalmum decantamus. Sumus enim in quadam resurrectionis gloria, in quadam honestatis eminentia: ut non sit jam quod doleamus nisi fortè morticinum aliquod post baptismi lavationem ultronei tetigerimus. Itaque tempus præteritum, ut imperfectionem suam demonstret, septem horis consummatur. Nam si diem perfectam habuisset, horis duodecim clauderetur. Desunt hesternæ diei horæ quinque ut intelligamus quia nihil Lex & tempus illud ad perfectum adduxit; & audiamus vocem Psalmistæ conquerentis: *Imperfectum meum viderunt oculi tui.* Ps. 138. Sed quod illi diei defuit, dies nostra dies octava, dies diem illuminans supplevit. Ecce etenim Pentateuchum ablato Moysi velamine revelata facie legimus, & decalogum ad observantiam quinque sensuum nostrorum spiritualiter redigimus, & *quinque prudentes* à quinque fatuis virginibus sequestramus. Dies autem nostra horis duodecim extenditur, quoniam civitas nostra portis duodecim gloriatur, duodecim Apostolis commendatur, duodecim sportis divinæ affluentiæ plenitudo & Ecclesiæ valetudo circumfertur.

Cognovit ergo pater quia illa ora erat, in qua dixit ei Jesus, filius tuus vivit. Omnis, qui tanquam *pater* suo præest animo, & ex ratione debet perpendere, & ex servientium sibi sensuum relatu atque Scripturarum attestatione colligere quoniam hesterno tempore in Christi, quæ est hora septima, passione cœpit animus hominis per fidem vivere, hoc est, credendo sicut oportet in Christi mortem, meruit illicò vitam accipere.

Et credidit ipse, & domus ejus tota. Credit *pater*: quia peccato jam evacuato, quasi febre filii extincta, cupit inexplebiliter & indeficienter adhærere Domino. Credit *& domus ejus tota*: quoniam omnes, qui in ipso sunt, animæ motus ejus voluntati obediunt, & de virtute in virtutem proficiunt; ut ex ipsa consuetudine jam velut cogantur benefacere.

His ita discussis, totam adhuc ex ordine lectionem breviter volumus repetere; ut possimus & ea, quæ adhuc aliter de illa sentimus, aperire. *Erat quidam regulus*, &c. Quatuor homines in Evangelio Dominus ad vitam revocavit. Illum reguli Filium, qui *incipiebat mori*, & significavit spiritum hominis, qui per initium consensus pravæ delectationis intrinsecus inchoat mori. Et puellam jam mortuam, sed adhuc domo clausam, quæ significavit mentem hominis introrsus per consensum iniquæ delectationis mortuam, & per latentem pravi operis perpetrationem. Juvenem quoque delatum extra portam, qui designavit hominem, cujus spiritalis mors publicè patet in opere. Sed & Lazarum quatriduanum ac fœtidum, qui significavit peccatorem longa consuetudine jacentem in tumulo mortiferæ conversationis, & spargentem de se fœtorem sordidæ opinionis. In his ergo quatuor mortis gradibus, iste qui nunc reguli filius laborare describitur, est primus. Nec est ulla in hoc sæculo mors animæ, nisi fallor, quæ in aliquo graduum istorum non inveniatur; & idcirco Dominus omnes istos resuscitasse describitur, ut omnes animarum mortes ad vitam reformare monstretur. Sed ad lectionem respiciamus.

Erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum. Regulus iste, ratio nō inconvenienter intelligitur. *Filius* ejus, cogitatus qui ex rationabili sensu nascitur. *Erat quidam regulus*, id est, rationabilis sensus, cujus potentia defectum patiebatur, cujus spiritale regnum fuerat imminutum. *Cujus filius infirmabatur*, id est, cujus cogitatus & spiritus infirmiter resistebat peccati delectationibus. *Infirmabatur* autem in *Capharnaum. Capharnaum* verò interpretatur ager consolationis, & villa consolationis: & significat hunc mundum, in quo temporalem habent consolationem illi, quibus dicitur: *Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram*, & de quo legimus quia *ager est mundus. Infirmabatur* ergo *in Capharnaum*, quia in prosperitatibus & divitiis atque blanditiis hujus sæculi vires internas amittebat, ut jam resistere noxiis delectationibus non valeret. *Hic* ergo *regulus*, id est, rationabilis sensus, *cum* à doctoribus *audisset quia Jesus adveniret à Judæa in Galilæam*, id est, quia Salvator veniret à confessione peccatorum in transmigrationem perpetratam, hoc est, ad eos, qui ad iniquitatem transmigraverant, *abiit ad eum*, id est, per ipsum & devotionem accessit spiritaliter *ad eum*: ut eum ad se deduceret: *& rogabat eum ut descenderet*, hoc est, misericordiam suam inclinaret, *& sanaret* cogitatum *ejus* de imbecillitate resistendi blanditiis: *incipiebat enim mori*, id est, consentire peccatis.

Dixit ergo Jesus ad eum, increpans in eo tarditatem eorum qui hæsitant in fide: *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Non creditis* judicium futurum securitate torpentes, *nisi* mirabilibus excitemini. Videntes enim *signa* solent hujusmodi hominum mentes terreri, & credere *ad horam. Non creditis* mandatis meis, quia non ea facitis; *non creditis* promissionibus meis, quoniam has quærere negligitis. *Signa & prodigia* sunt vobis necessaria, ut per hæc ad fidem *quæ per charitatem operatur*, adducamini. *Dicit ad eum regulus*, in potentia minoratus: *Domine, descende*, id est, beneficium tuæ visitationis aut compassionis ad me clementer humilia, *priusquam* ex toto per consummatum peccati consensum *moriatur* cogitatus *meus.*

Dicit ei Jesus: Vade, id est, callabora gratiæ meæ, proficiens in bonis operibus cum adjutorio meo: & sic *filius* cordis tui profectum justitiæ *vivit. Credidit homini*, id est, obediens fuit ratio *sermoni, quem dixit ei Jesus, & ibat*, promovendo se in via justitiæ.

Jam autem eo descendente, id est, se humiliante in pœnitentia, & affligente, & ad seipsum ab alto contemplationis redeunte, *servi occurrerunt ei*, hoc est, membra corporis sui subservierunt ei ad bonum, juxta illud Apostoli: *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.* Rom. 6. v. 19. Ex hac obeditione sua nuntiaverunt ei quòd interior

Luc. 6. v. 24.

Matth. 13. v. 38.

filius ejus viveret. Non enim caro ad bonum ſervire parata eſſe poterit, ſi interior dominus ejus in bona voluntate vivens non fuerit. Vel *ſervi* ſunt carnales ſenſus, qui ſervire debent rationi: qui *occurrerunt ei*, dum ſe paratos ad obſequium offerunt. Et ſive corporis artus, ſive carnales ſenſus intelligantur hi *ſervi*; neceſſe eſt ut hi nuntient regulo vitam filii ſui, quatenus hunc indubitanter vivere ſciat: quia non poteſt ratio veraciter agnoſcere cogitatum ſuum vivere, niſi ejus vitam opera bona ſibi certam indicaverint. Non enim ſibi aliquis debet credere, quicquid ſibi animus de cogitatus ſui vita ſine operis atteſtatione reſpondit. Si enim veraciter interius vivit cogitatus, mox in opere componuntur exteriores motus. *Interrogabat ergo*, id eſt, ſubtiliter inveſtigabat *horam ab eis, in qua melius habuerit.* Opera enim per membra corporis exhibita, hoc reſpondere poterant.

Et dixerunt, id eſt, cauſa intelligendi fuerunt *ei*, *quia heri*, id eſt, in præteritorum recordatione peccatorum; *in hora ſeptima*, hoc eſt, in inſpiratione ſeptiformis Spiritus, *reliquit eum febris*; id eſt conſuetudinaria & fervens ac tremula imbecillitas. Vel *heri*, id eſt, dum eſſet coram Deo in oratione, *reliquit* cogitatum ſuum *febris*. Dies quippe illi erat, dum ipſe Deo in contemplatione & oratione aſſiſteret; ſed nox

Pſ. 34. v. 1. brum ejus, velut cùm dicit: *Judica, Domine, nocentes me, expugna impugnantes me*, & his ſimilia.

Nunc igitur iſta quæ loquitur, ſic intelligi volumus, tanquam ſi ea quis ſanctorum ejus loqueretur, ait enim: *Ego ſum paſtor bonus.* Et unuſquiſque noſtrùm debet eſſe *paſtor*, non qualiſcunque, ſed *bonus*: quia gregem ovium, id eſt, mundarum & innoxiarum cogitationum atque virtutum habet, quem paſcuis Scripturarum paſcens nutriat, quem velut de eo rationem redditurus Domino cuſtodiat. Talium ovium idoneus paſtor erat ſanctus David, quando in regem unctus eſt, ut qui bene ſuos mores & ſeipſum regere noverat, rector aliorũ fieret. Talium ovium ſanctus Job ſeptem millia poſſidebat: quia perfectè virtutibus ſeptiformis gratiæ ditatus erat. Sunt verò nonnulli, qui bona quæ faciunt, nequaquam ſenſibus & regulis eloquiorum Dei paſcunt, ſed juxta quod eis rectum videtur nutriunt. Et hi perfectè boni paſtores non ſunt: A facta eſt, dum ad ſeipſum rediret. Deinde cùm opera ſenſuſque ſuos clara mentis luce vigilanter aſpiceret; dies illi quædam radiavit. Non tamen in hac, ſed in præterita die, id eſt, non quando ſibi ipſi vigilans attendebat, ſed quando Deo precator aſſiſtebat; *reliquit* interna *febris* cogitatum quaſi filium cordis ſui. *Et relinquit eum hora ſeptima*, id eſt, in illuminatione ſeptiformis gratiæ. *Cognovit ergo pater*, id eſt, etiam admonitus experimento carnalium ſenſuum & artuum obtemperantium ſibi in bonum animadvertit rationalis ſenſus: *quia illa hora erat, in qua dixit ei Jeſus: Filius tuus vivit*, id eſt, *in qua* prius ſpem ejus erexit de ſalute cogitatûs ſui. *Et credit ipſe* rationalis ſenſus qui priùs perfectè non credebat, *& domus ejus tota*, id eſt, univerſa multitudo cogitationum mentis ejus. Et nos B itaque beneficium hoc Salvatoris cognoſcentes, ſtudeamus, ſi neceſſe fuerit, in nobis ipſis hoc idem experiri; ut quiſquis cogitatum ſuum, quaſi filium, viderit inter illecebras delectationũ languere, non ſinet eum ex toto, ſicut filiam Archiſynagogi per conſenſum delectationũ & per actionem mori; ſed occurrat Salvatori ſalutem peccantium quærenti, & piâ ſupplicatione obtineat ab eo vitam ac ſalutem ejus, præſtante ipſius gratia Salvatoris, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

HOMILIA XV.

IN EVANGELIUM SECUNDUM JOHANNEM.

Joh. 10. v. 11. EGo ſum paſtor bonus. *Bonus paſtor animam ſuam ponit pro ovibus ſuis. Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cujus non ſunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit: & lupus rapit, & diſpergit oves. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt, & non pertinet ad eum de ovibus.* Et reliqua.

Quia plerique ſibi ipſis non attendentes, nec ſua vitia conſiderantes, gaudent in hujus lectionis tractatulo audire lacerationem vitæ paſtorum Eccleſiæ: nos aliam ei fecimus expoſitiunculam, quæ nos ad intima noſtra revocet, ut nullus mordere vitam præpositorum, quam Chriſtus per ſeipſum diſcuſſurus eſt, audeat; ſed magis unuſquiſque talis eſſe ſtudeat, qualem approbando lectio demonſtrat; & mala quæ reprehendit, caveat. Loquitur autem Dominus Phariſæis, qui ſe cæcos non eſſe jactabant, & in eorum typo cæcitatem omnium pſeudoreligioſorum denotat. Ea verò quæ loquitur, ſic nunc intelligamus; ut non ad ipſum caput, ſed ad aliquod ejus membrum referantur. Nam ſæpiſſime in Scripturis verba Domini primò ad ipſum Dominum referuntur, & deinde ad Eccleſiam quæ eſt corpus ejus, vel ad aliquem electorum qui eſt mem-

C quia greges actionum ſuarum non bene paſcunt, cùm ſcriptum ſit, *diſcite bene facere.*

Bonus verò *paſtor animam ſuam ponit pro ovibus ſuis:* Iſa. 1. v. 16. quia præſentem vitam ſuam, quæ appellatione animæ deſignatur, in afflictionibus ponit, hoc eſt, ſpontanea voluntate cruciat, pro utilitate ſpiritualium ſuarum virtutum & bonarum actionum. *Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cujus non ſunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit. Et lupus rapit, & diſpergit oves. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt, & non pertinet ad eum de ovibus.* Dictum erat de eo, qui laudabiliter agit; dicitur & de illo, qui ſegniter vivit: dictum inquam, fuerat de paſtore, qui non recuſat *pro ovibus animam* ponere; dicitur & de mercenario, qui non audet lupo reſiſtere. D Nam *mercenarius* eſt, qui pro mercede temporalium rerum agit bona, qui non gratis Deum colit, qui pro his quæ religioſè videtur operari, quærit in hoc ſæculo præmium vel laudis vel muneris. Et ille non eſt paſtor: quia oves actionum ſuarum non paſcit Scripturarum paſcuis, ut eo modo vel ſtudio, quo ſacra eloquia docent, agat illas. *Cujus non ſunt oves propriæ:* quia virtutes, quas in ſeipſo cuſtodire videtur, ab eo ſunt alienæ: dum eas ob tranſitoriam retributionem ſervat, & non quaſi proprias amat. Hic ergo qui in proſperis ſic agebat, audiamus in adverſis quid faciat. *Mercenarius*

Videt lupum venientem, & dimittit oves: quia vel in E homine perverſo, vel in tribulationum procella ſurgente ſentit adeſſe beſtiam, quæ bonorum operum oves quærit devorare, id eſt, diabolum, qui tentationibus adverſitatũ nititur ovile virtutum extinguere. Et qui priùs ideo bona faciebat, ut mercedem pro his in præſenti reciperet; nunc autem pro ipſis imminere ſibi adverſa conſiderat; *dimittit oves*, relinquit virtutes quas ſervabat, deſerit bona quæ faciebat, ne pro ipſis mala ſuſtineat; *& fugit*, hoc eſt, adverſitatis ſe ſubducit. Non enim tam loco quàm operũ immutatione fugit. *Et lupus rapit*, quoniam diabolus ea meritorum bona quæ videbatur habere, tollit. *Et diſpergit oves*, quia diſſipat ejus actiones: ut omnia quæ jam fecerit, ſint incompoſita, & incongrua, & diſſidentia.

Mercenarius autem non resistit lupo gregem suum ita devoranti, sed *fugit*: quia ille qui virtutum aut religiosarum actionum ovile non propter ipsas virtutes, sed propter lucra temporalia servabat, recedit ab earum tutela, & relinquit eas in ore devoratoris, ne periculum sentiat adversitatis. Qui propterea sic *fugit, quia mercenarius est*: id est, quia virtutum opera propter emolumentorum carnalium mercedem servare consueverat; *& non pertinet ad eum de ovibus*, quia non sunt ejus virtutes vel actiones quas custodit, sed lucra quæ pro his appetit: nec earum perditio mentem ejus dolore tangit; quia non eas, sed mercedem diligit.

Hucusque sermo divinus perversitatem eorum qui ficto corde, sicut Pharisæi, bona gerunt, sub unius typo denotavit; & post hæc denuo puritatem eorum, qui perfecto corde bona faciunt, describere incipit, dum voce cujuslibet talium dicit: *Ego sum pastor bonus*. Ac si dicat: Ego bene pasco & germana solicitudine custodiens nutrio oves bonarum cogitationum, atque virtutum mihi divinitùs traditarum. *Et cognosco meas oves*; id est, non negligo; & diligo meas virtutes: *& cognoscunt me meæ*, id est, velut dilecto mihi adhærent, nec à me vel in adversis separantur. Eum namque *cognoscunt* virtutes, qui non fit eis incognitus per aliquas vitiorum perpetrationes.

Sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem: quia sicut cœlestis ille Pater dilexit me propter me, id est, propter meam salutem, & non propter aliud; ita & ego diligo eum propter eum, & non propter aliud. Nam nec ille aliud quæsivit pro hac dilectione, nisi me; nec ego aliud quæro pro hac dilectione, nisi illum. Hinc est quod & in epistola sua Johannes ait: *Quia sicut ille est, ita & nos sumus in hoc mundo*. Sicut enim non æqualitatem nunc significat, sed similitudinem: quia non loquimur de Redemptore, qui secundùm Divinitatem æqualis est Patri; sed de redempto, qui membrum est Redemptoris. Qui scilicet redemptus subjungit: *Et animam meam pono pro ovibus meis*. Id est, temporalem vitam humilio in laboribus & expendo, ut oves virtutum & actionum mearum non amittam, sed multiplicem & foveam. Quia verò post activæ vitæ labores justus ad contemplativæ suavitatem proficere solet, aptè subjicit: *Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovile*. Id est, virtutes, theoricæ dulcedinis, quæ *non sunt* ex grege virtutum practicæ exercitationis. Alias enim virtutes habet justus in activa vita, & alias in contemplativa. *Et illas*, inquit, quæ sunt contemplationis, *oportet me adducere* ad ima meæ possibilitatis, ut in conversatione mea sociem illas his quæ sunt actionis.

Et vocem meam audient; quia se monem voluntatis meæ facient, hoc est, nutum cordis mei sequentur. Nam & cor habet suam vocem, suamque loquutionem. *Et fiet unum ovile* de virtutibus utriusque vitæ; *& unus pastor* fiet utrarumque, meus, scilicet, animus, qui in utrarumque custodia sit solicitus. Hæc itaque si quis diligenter attendat, & utrùm ipse sic egerit vel non egerit inspiciat, desistet lacerare vitam pastorum Ecclesiæ.

1. Johan. 4. v. 17.

HOMILIA XVI.

IN ILLUD.

Decebat enim eum propter quem omnia, & per quem omnia.

Ex MS. Corb. f. 196.

Ad Hebr. 2. v. 10.

DEus omnipotens si nullam penitus creaturâ fecisset, in seipso plenè beatus esse potuit; quippe nullo indigens, sed sibimet usquequaque sufficiens. Volens autem ex summa bonitate creaturam beatificari, quod ex ipsius tantùm cognitione & amore futurum erat, Angelicas creaturas fecit, à quibus laudaretur: non ut ei de laude eorum aliquid accresceret, sed ipsis. Porro eâdem bonitate, ut laus imperfecta non esset, corpoream creaturam condidit, & beatificare voluit. Hac de causa spiritum rationalem corpori indidit; qualiter bene regendo ipsum, simul cum corpore in Deo beatificaretur; & ita laus Dei ab omni creatura plena esset. Inde est quòd omnia laudare Deum dicuntur: dum rationales creaturæ, Angeli, scilicet, & homines miram Dei potentiam & bonitatem tam in se quàm in cæteris creaturis mirantur & laudant. Sic ergo Apostolus ait: *propter eum omnia*, scilicet, laudandum & glorificandum: *& per eum omnia*; nihil, scilicet, superfluè est. Quod si verum est, immo quia verum est; hominem ad gloriam duci necesse est. Quæ tamen necessitas non aliunde quàm ex magna Dei, quam prædiximus, bonitate descendit. Homo à peccato suo perditus est: ergo ad gloriam non ducitur: ergo ipse non laudat. Consequenter igitur corporea creatura non laudat: otiosè igitur facta est. Quod si ita est: ergo nec ipsi Angeli plenè laudant; cùm numerus eorum sit diminutus. Ut autem hæc omnia inconvenientia ab ipso quo procedunt fonte supprimamus, hominem perditum ad gloriam duci constituamus. Cujus gloriosæ salvationis ordinem, ipso auctore adjuvante, videamus.

Deus hominem ipsum sic in medio condidit, ut si obediens ei existeret, peractâ obedientiâ, sine interposita morte de mortali immortalis fieret: sin autem, de mortali in mortem præcipitaretur. Persuasus ergo à diabolo, juxta terribilem Dei commination em, de mortali mortuus factus est; & justè à diabolo possessus, cui sponte consenserat. Voluit tamen eum Deus requirere: quia licet sponte, alienà tamen cecidit persuasione. Diabolus verò requiri non debuit; quia in naturæ suæ firmitate per seipsum nulla extrinsecus persuasione cecidit. Oportuit ergo ut auctorem salutis haberet, per quem justa ratione ad Deum rediret. Videamus ergo quis ille auctor esse potuerit. Si Deus simpliciter esset: poterat quidem diabolum vincere, hominem eripere: sed hæc sola jam esset potentia, non ratio justitiæ; si diabolo, qui mortis habebat imperium, sicut ait Apostolus, quamvis rem alienam invasisset, tamen sponte assentientem justè obtinendi hominem sic subditum auferret. Si homo simplex esset; quomodo in natura corrupta resisteret, qui in meliori statu positus tam facilè succubuit. Hîc notandum est quòd gratia Dei vim non infert libero arbitrio. Rursus, si hanc pugnam Angelus assumeret: quare propterea diabolus victus etiam hominem amitteret, ratio non esset. Sed nec Angelus in homine hæc poterat; quia si in sua simplici & forti natura infirmus inventus est; multò magis infirmæ huic naturæ, humanæ videlicet, admixtus debilis inveniretur. Oportet ergo ut auctor ille salutis Deus in homine sit, qui ex hoc quòd Deus est, possit; ex hoc quòd homo, debeat. Congruo multùm ordine, ut sicut diabolus malâ fraude primùm invasit rem alienam; ita Deus bonâ, ut ita dicamus, fraude rem suam faceret per gratiam: & sicut homo ille propriâ libertate succubuit; ita homo iste ex arbitrii libertate diabolo resisteret. Quem & pati oportuit, ut diabolus in eo peccaret, in quo culpam non reperit illum puniendo: hunc quippe sicut & cæteros omni genere tentationis aggressus est, blandis primùm, ut draco; deinde asperis, ut leo; ad

ultimum, occidit. Et sic justissimè omne suum in homines dominium perdidit, dum se ultra licitum extendit. Unde adhuc lex communis habet ut debitum perdat, qui plusquam debitum exigit. Sicut ergo in ipsum, qui ei non consensit, jus amittit; ita in omnes filios ejus, qui ejus innocentiam imitantur. Nunc verò iste in morte remanere non debuit: quia hoc modo nec sibi nec alteri profecisset. Per passionem ergo consummendus erat, ut ita suos sequaces consummaret: & A hoc est quod Apostolus ait: *decebat enim eum propter quem omnia, & per quem omnia.* Singulos passus nota. *Decebat* multos filios in gloriam adducere *eum*, scilicet, patrem; *propter quem*, scilicet, laudandum & glorificandum *facta sunt omnia, & per quem facta sunt omnia.* Et hoc, dando auctorem salutis, scilicet, Christum; & hunc dando passioni; & sic consummando. Quem ordinem si diligenter attendis; videbis hominem debuisse salvari etiamsi nullus Angelus cecidisset.

SANCTI ANSELMI

CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI

EXHORTATIO

AD CONTEMPTUM TEMPORALIUM, ET DESIDEIRUM ÆTERNORUM.

QUID agis, ô homo? quid quasi jumentum B Angelorum. Habeto odio hunc mundum: Redemversaris in mundo? Sapientem & discretorem creavit te Dominus. Ne assimilari velis iis quibus deest prudentia, invigila, ô miserande! miserere tui. Esto Sapiens. Propter te Deus excelsus de cœlis advenit; ut te à terrenis elevaret ad cœlum.

In nuptiis cœlestis Sponsi vocatus es, homo. Cur contemnis, & indignum te exibes? Quomodo intrabis ad nuptias, dicito mihi, non habens pretiosam vestem, nec lampadem refulgentem? Habe mundum odio, fac meditationem tuam in Deo. Execrare malitiam & peccatum, & dilige benignum Redemptorem tuum.

Conserva te in terris; sicut Angelus, castos jugiter ac sanctos habe cogitatus. Emendare à perversis cogitationibus, ne mundi impliceris actibus. Libera animum tuum, ex hujus mundi negotiis vanissimis ex integro, ut super cœlos coroneris à Christo. Esto velut nubes ad proferendam pluviam lachrymarum; ut possis extinguere flammas peccatorum.

Recordare illius diei tremendæ: appone remedia vulneribus animæ tuæ. Ambula viriliter in lege Domini: fac jugiter mansionem profectuum per sinceram fidem atque charitatem. Cresce quotidie per disciplinam in continentia, habens spem certam videndi Dominum in claritate sua, & regno, & gloria. Cave ab otioso verbo: ne recedas à Christi mandato. Planta bonam plantationem in corde tuo & in anima tua, D virtutes, scilicet, & vias sanctorum Patrum, & Deo placentium Sacerdotum.

Memor esto, miserabilis, quia in medio laqueorum diaboli ambulas. Evigila, ne in mortis barathrum incidas. Ne te arbitreris diu victurum in terris; ne pro hoc diutius in malis actibus immoreris. Christum semper exora; ut totus affectus tuus fructificet: ut bona terra & optima, sit fructifera & Deo acceptissima vita tua.

Habeto ante oculos tuos diem exitûs tui: festina in illa hora sine peccato inveniri, ut in die vocationis tuæ anima tua conscendat ad Deum, evecta officiis

torem tuum toto mentis desiderio dilige. Non negligat anima tua: nec oblectetur dulcedine ac suavitate laqueorum diaboli mortifera; ne plena peccatis, & ingenti confusione depressa, tremens in illa hora contabescat ex formidine nimia.

Esto, insensate, semper paratus; vigila liber ab omni fœce terrena; observa ut ab omnibus scandalis ac cogitationibus turpissimis eruaris: Esto providus, insensate, excitare à sumno nequitiæ. Si vis esse cœlestis, semper quæ terrena sunt execrare & despice. Perfectorum exempla sectare, ut ad paradisum deliciarum & desiderabilem pervenias patriam Sacerdotum.

Quare odisti vitam tuam, miserande? Quid pretiosius animâ tuâ quæris, infidelissime? Accede, properâ, antequam claudatur ostium pœnitentiæ. Lætifica cœlestem exercitum in tua conversatione. Expectat medicus videre lachrimas tuas. Accede, noli timere. Ostende vulnus tuum, & offer medicamentum lachrymarum & fletuum. Ecce apertum est ostium pœnitentiæ. Accelera priusquam claudatur.

Effunde, dum tempus est, lachrymas; ne in alio sæculo sine utilitate plangas. Hìc enim misericordia, ibi judicium; hìc voluptas, ibi tormenta; hìc risus, ibi verò fletus; hìc cantus, ibi ignis æternus; hìc ornatus vestium, ibi cruciatus vermium; hìc elatio, ibi humiliatio. Humiliare ergo in vita; ne in tenebris exterioribus condemneris. Non ergo oblectet te hìc terrena delectatio; ne ibi sit amara deploratio.

Quis non plangat nos, & quis non defleat? Odientes vitam, diligimus mortem. Quid excelsiùs atque magnificentiùs, quàm exercere mentem, ne servitutem redigere carnem, ut obediat animi imperio, consiliis obtemperet, impigrè exequatur propositum animi ac voluntatem. Quis autem jucundio cibus, quàm voluntatem Dei facere, virtute mentis impetus superare diaboli?

Quilque seipsum vincat, iram contineat, nullis illecebris emoliatur. Non perturbetur adversis, non

ed by Google

extollatur prosperis; nec, quasi vento, variarum rerum circumferatur mutatione. Reputa, charissime, in temetipso quid melius est, in præsenti sæculo pro peccatis plangere ac crebriùs exorare; aut in igne æterno sine aliqua utilitate deflere.

Cur tabescit virtus animi tui affectu ac desiderio pereuntis mundi? Eleva mentem ad inæstimabilem æternæ felicitatis claritatem, quam oculus non vidit, nec auris audivit, quam præparavit Deus diligentibus se. Continentiam habeto in lingua, continentiam in aspectu, in cibo, in habitu, in cogitatu, in risu; ut athleta Dei perfectissimus in omnibus demonstreris. Stude præ omnibus ne habeas inimicum præter diabolum.

Quid tibi munus prodesse potest, si ejus sollicitudinibus, colligaris? Quid acquires de pretiosi vestimenti cura, nisi æterna supplicia? Quid tumore elationis inflaris? Quis non contremiscat lamentetur & lugeat; cùm in conspectu Angelorum & hominum occulta nostra manifestabuntur? Cur malis actibus tuis contristas patrem piissimum, insensate, qui te in filiorum numero dignatus est computare?

Prohibe à malo linguam tuam, inquire pacem, & sequere eam; ne irritatus Dominus malis tuis ut nequissimum servum perpetuam tradat ad pœnam, si eum sequi nolueris ad gloriam. Æterno regi militaturus propriis abrenuntia voluntatibus. Esto omni vilitate vel extremitate contentus. Pronuntia te lingua tua omnibus inferiorem, intimo cordis affectu crede te viliorem. Age dum vacat, quod in perpetuum expediat.

Consurge per noctem ad orationes & lachrymas ad Deum; ut libereris ab omnibus laqueis & scandalis passionum. Si enim subitò rapiatur à te anima tua; peccatrix reperietur & fœtidissima, non habens tempus pœnitentiæ ultimæ. Quid dices morti in hora separationis tuæ, cùm jam non concedetur tibi vel momento unius horæ vivere? Habeto præ oculis diem mortis. Pertracta qualiter statuendus sis ante conspectum Judicis. Para jugiter lampadem tuam in conservatione optima; festina ut semper sit accensa.

Despice temporalia & caduca; ut tanquam eximius belligerator pompam relinquens sæculi, possis bravium post victoriam promereri. Recurre, miserabilis, ad conscientiam tuam; exonera te ponderibus sollicitudinum terrenarum. Non regnet contentio in te, non contradictio, non ulla omnino iniquitas. Terrena respue, cœlestia appete, temporalia desere, sempiternam beatitudinem dilige.

Expergiscere parumper à sumno miserando, aperi os tuum, obsecra Deum, projice à te onera peccatorum. Ora frequenter, sine cessatione lachrymas funde. Mollitiem animi fuge, negligentiam execrare, malitiam detestare. Ama mansuetudinem, dilige continentiam, meditare psalmodiam.

Festina orare, dum tempus est pœnitentiæ. Dilige Deum ex tota anima tua, sicut ille dilexit te. Time diem judicii. Amore Christi abnega temetipsum tibi. Actus vitæ tuæ omni hora custodi. Fac te alienum ab actibus sæculi, ut hæres efficiaris regni Dei.

Audi, anima, quæ loquor; ausculta quæ dico; attende quæ moneo. Nullà jam immunditiâ polluaris, nulla libidine maculeris, ab omni te carnis corruptela suspende, ab omni carnis corruptione extrahe. Luxuria ultra non invalescat, libido ultra non te devincat. Melius enim est mori, quàm libidine maculari. Melius est animam effundere, quam eam per incontinentiam perdere.

Castitas hominem Deo proximum reddit, castitas homini Deum proximum facit, castis regnum cœlorum promittitur. Quod si adhuc carnis stimulis tangeris, si adhuc libidinis suggestione pulsaris; memoriam mortis tibi objice, diem exitus tui propone, finem vitæ ante oculos tuos adhibe. Propone tibi futurum judicium & futura tormenta, propone tibi infernorum perpetuos ignes, propone tibi gehennæ pœnas horribiles.

Ora cum lachrymis indesinenter, ora jugiter, insiste orationi frequenter. Precare Deum diebus ac noctibus, incumbe orationi assiduè, geme semper & plange. Surge ad precem in nocte, pernocta in oratione & prece, incumbe nocturnis vigiliis, rursum ora, ad modicum clausis oculis.

Oratio frequens diaboli submovet jacula, immundos spiritus precis expellit frequentia, immundos spiritus orationis vincit instantia, dæmonia oratione vincuntur, omnibus malis prævalet oratio.

Adime tibi quoque saturitatem panis, parcimoniâ tuum corpus castiga, jejuniis & abstinentiæ intentus pallida ora gere, aridum porta corpus. Esuri, & siti, abstine, & aresce. Nisi jejuniis erudiaris, non potes tentationes vincere.

Esto humilis, esto in humilitate fundatus, humilia te, minimum te fac. Nulli te præponas, nulli te superiorem deputes. Existima omnes superiores esse tibi. Omnium te minimum existima, inferiorem te omnibus deputa. Quamvis summus sis, humilitatem tene. Quantò enim humilior fueris, tantò te sequetur gloriæ altitudo.

Cave jactantiam, cave ostentationis appetitum, cave gloriæ inanis studium. Non te arroges; non te jactes. Non te insolenter extollas; alas superbiæ non extendas. Elationis pennas non erigas, nihil de te præsumas, nihil boni tibi tribuas.

De justitiæ virtute nulla elatione superbias, de bonis factis non attolaris, de bono opere non glorieris: humiliare ut exalteris; ne exaltatus humilieris: qui enim attollitur, humiliatur; qui exaltatur, dejicitur; qui elevatur, prosternitur; qui inflatur, allidítur.

Superbia Angelos deposuit, tumor regna dissolvit, arrogantia sublimes humiliavit, humilitas casum nescit, humilitas lapsû non novit. Cognosce, miserande, quia humilis Deus venit. Ambula, sicut ille ambulavit; sequere exemplum ejus, imitare vestigia illius.

Existe tibi vilis, existe abjectus, existe despectus displice tibi, despectus esto apud temetipsum. Qui enim sibi vilis est, ante Deum magnus. Qui sibi displicet, Deo placet. Esto ergo parvus in oculis tuis, ut sis magnus in oculis Dei: tantò enim eris apud Deum pretiosior, quantò apud homines despectior.

Porta semper verecundiam in vultu de recordatione delicti: porta pudorem in facie de memoria commissi peccati. Peccati pudore oculos tuos attollere erubesce. Incede depositâ facie, abjecto vultu, mœsto ore, percusso corde, lugubri veste, sacco involutus, operus cilicio corpus, semper lugens, semper mœrens, semper gemens, semper suspiria cordis emittens. Sit compunctio in corde, lamentum in pectore: delectet te semper planctus & luctus.

Esto semper paratus ad lachrymas Planctum & lachrymas nunquam deseras. Nulla te res de peccato securum faciat, incessanter in corde tuo spes & formido consistant. Sic spera misericordiam, & metuas justitiam: sic te spes indulgentiæ erigat, ut metus gehennæ semper affligat.

In infirmitatibus tuis non contristeris, in languoribus tuis gratias age Deo: valere te magis animo opta quàm corpore, valere te magis opta mente quàm carne. Ægritudo carnem vulnerat, mentem castigat.

Si prosperitas arriserit, non extollaris; si adversitas acciderit, non dejiciaris. Si contingerit calamitas; pusillanimus non existas. Habeto temperamentum in prosperis, habeto patientiam in adversis. Probari te in dolore cognosce, ne exalteris.

Æqualis esto in omnibus, mentem nec gaudio nec

mœrore commutes. Omnia æquali jure sustine, ad nullam insolentiam commuteris. Nullus te casus imparatum inveniat, nullus sit casus quem non meditatio tua præveniat.

Propone tibi nihil esse quod non possit accidere. In fœcundis meditare quo pacto adversa feras; futuras semper comminiscere miserias. Cedit adversus casus consilio: advenientes impetus frangit præmeditatio. Et ad bona igitur, & ad mala cor tuum præpara: & bona & mala prout eveniunt porta: adversa & prospera ut occurrunt tolera: quodcunque evenerit sustine mente liberâ.

Si prævenerit iracundia, restringe illam; si præoccupaverit, mitiga eam. Tempera furorem, tempera indignationem, cohibe animi motum, refræna iracundiæ impetum. Si non potes iram vitare, vel tempera; si non potes furorem cavere, vel cohibe. Disce mala ferre potiùs quàm referre: disce mala magis tolerare, quàm facere.

Esto mansuetus, esto patiens, esto mitis, esto modestus. Serva patientiam, serva modestiam. Despice probra illatæ contumeliæ. Sagittas contumeliæ patientiæ clypeo frange. Præpara contra verbum asperum patientiæ clypeum; contra linguæ gladium, patientiæ præbe scutum. Quamvis quisque incitet, quamvis exasperet, quamvis insultet, quamvis convicietur, quamvis criminetur, quamvis ad litem provocet, quamvis convitium dicat, quamvis injuriam faciat, quamvis contumeliis afficiat; tu sile, tu tace, contemne, tu dissimula injuriam, non respondeas, convitium non retorqueas. Tacendo citiùs vinces.

Disce à Christo tolerantiam, disce modestiam. Christum attende, & non doleas de injuriis. Consideratione justitiæ, dolorem tempera. Inimicos omni modestiâ placa, mala aliorum tuo bono exupera.

Cùm ergo derogatur tibi, tù ora: cùm maledicitur tibi, tu benedic: maledicenti tibi benedictionem oppone. Irascentem patientiâ delinito, blandimento iracundiam furentis dissolve, vince nequitiam lenitate, vince malitiam bonitate. Tranquilla etiam mente illatas contumelias prode. Aperi tranquillo corde dolorem injuriæ: valde enim comedit animum vulnus inclusum.

Si contristaveris fratrem tuum in aliquo, age pœnitentiam coram illo. Si offenderis in fratre, reconcilia eum in prece. Offensionis tuæ citò veniam postula, celerrimo dilectionis affectu, humilitate ad veniam eum provoca, supplici animo veniam deprecare, affectu prosterne te.

Petenti veniam placenter indulge, revertentem statim amplectere, redeuntem confestim benignâ suscipe charitate. Dimitte ut dimittatur tibi, ignosce ut ignoscatur tibi. Indulgentiam non habebis, nisi dederis. Etsi ille non supplicet, si sibi dimitti non postulet, si deprecandi humilitatem non habeat, si peccatum suum mala conscientia non agnoscat; tu relaxa ex corde, tu dimitte ex animo, tu gratis indulge, tu veniam ex propria voluntate concede.

Non retentes cordis & dolorem, aufer à corde fraternam offensionem, alienæ nequitiæ non serves dolorem: odium enim à regno Dei hominem separat, à cælo subtrahit, à paradiso ejicit. Odium nec passione adimitur, nec martyrio expiatur.

Quid zeli referam ignes? Invidia cuncta virtutum germina concremat: invidia cuncta bona ardore pestifero devorat. Hæc primùm sibi nocet, primùm se mordet, primò suum rodit auctorem. Invidia animæ tinea est, sensum comedit, pectus urit, mentem afficit, cor hominis quasi quædam pestis depascit.

Occurrat ergo contra zelum bonitas; adversus invidiam præparetur charitas. Pacem ama, pacem dilige, pacem cum omnibus retine, omnes in mansuetudine & charitate amplectere. Non sis in pace infidus. Esto affectu promptus, semperque retine vinculum constantiæ. Habeto mentis placabilitatem, animi benignitatem.

Affabilis esto in sermone; grato animo ad omnes appare, fuge rixas, vita lites, cave contentiones, omnes litis occationes. Litem sperne, vive semper in pace, in nulla actione studeas decertare. Contentio lites parit, rixas gignit, faces odiorum accendit, pacem cordis extinguit, concordiam rumpit.

Si ceciderit inimicus tuus, noli gratulari; in ruina adversarii noli extolli; sit tibi magis erga humilitatem ejus humanus affectus. Satiare fletibus in alienis mœroribus. Non sit tibi ferreum pectus, non dura præcordia. Sic alienam luge miseriam, tanquam tuam. Cum flentibus fle, lugentibus mentis affectum conjunge.

In omnibus actibus tuis, in omni opere tuo, in omni conversatione tua imitare bonos, æmulare sanctos. Sint tibi Patrum exempla, disciplinæ incitamenta. Nullum vitæ scandalizet infamia, nullum opinio contristet adversa. Disce, homo, flagrare præconio, testimonium bonum habeto. Nullis fama tua obscuretur fœtoribus, nullis lacereturopprobriis.

Cave gloriam popularem, vita vulgi admirationem, favores contemne, esse magis bonus quàm videri stude. Non te favor seducat, nec vituperatio frangat. Qui laudem non appetit, nec contumeliam sentit. Discerne te tuo non alieno judicio. Non ex aliorum sed ex tua te mente metire.

Qualis haberi vis, talis esto. Professionem tuam & habitu & incessu demonstra: ne præbeas de te spectaculum, non des aliis obtrectandi locum. Vita malos, cave iniquos, bonorum consortium appete, bonorum societatem require, sanctis individuè adhære. Melius est habere malorum odium, quàm consortium.

Ab otioso etiam sermone linguam compesce, ab otioso verbo linguam reprime. Sermones impudicos respue, fuge inhonesta verba. Ne garrias verba inania; vanus enim sermo citò polluit mentem, & facilè agitur quod libenter exauditur: hoc procedat ex labiis, quod aures non polluat audientis. Evita minima, ne pervenias ad majora. Quæ loqueris, existant digna, atque gravidata doctrinâ.

Sit sermo tuus irreprehensibilis, sit expectationi audientium utilis. Discerne quid loqueris, quid taceas, & in loquendo & in tacendo peritus esto. Multùm ante delibera quid dicas: in nulla re contendas. Labiis tuis signaculum præbe linguæ tuæ, silentii claustra oppone, circumclude linguam munitione custodiæ. Interrogatio os tuum aperiat.

Sint verba tua pauca. Multiloquium non declinat peccatum. Linguosus homo, imperitus est: Sapiens paucis utitur verbis: loqui multùm, est stultitia; brevem sermonem facit scientia. Imperitus satis perstrepit, & nihil sensu dicit. Vox insipientis in multiplicationem sermonis. Semper verba tua moderare, maneat in verbo mensura, in sermone statera.

Alienam vitam non laceres, de malo alieno os tuum non coinquines: non detrahas peccanti, sed condole. Quod in alio detrahis, in te pertimesce. Grave crimen est detractio, gravis damnatio est detractio: hoc fœdius nihil est, hoc summæ turpitudinis est. Canum mos est lacerare, canum linguas exercere, canum dente pestifero mordere.

Quando alii detrahis, te discute: quando alium mordes, tua peccata redargue. Si vis detrahere, ad tua peccata te retorque: non alterius delicta, sed propria cerne. Vitia tua, non aliena intende.

Nunquam alii detrahes, si bene te perspexeris. De tua ergo correctione sollicitus, de tua salute intentus, susurrantibus auditum non præbeas. Pari reatu detrahentes tenentur, & audientes. Tantâ curâ corrige tua vitia, quanto studio prospicis aliena.

Cave

Digitized by Google

Cave quoque in omnibus mendacium; nec casu, nec studio loquaris falsum. Nullum justum mendacium; omne mendacium est peccatum. Omnis enim qui mentitur, occidit animam. Et *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*, & *testis falsus non erit impunitus*. Refuge ergo fallaciam, declina mendacium. Cave falsum, nunquam mentiaris. Esto in verbo verax, neminem mentiendo fallas.

Prohibe juramentum, tolle jusjurandum. Sit in ore tuo, *est*; sit in ore tuo, *non est*. Non sis in verbis facilis, & in opere difficilis. In turpe votum muta decretum.

Ibi pecca, ubi Dominum esse nescis. Videt occulta qui fecit abscondita: & si te non damnat publica fama, condemnet tamen propria conscientia.

In omni opere tuo, Dei auxilium posce: omnia B divinæ gratiæ, divino dono adscribe: nihil meritis tuis attribuas, in virtute tua nihil præsumas.

Sine consideratione vitium nihil voveris. Inter infideles computantur, qui quod voverunt non impleverunt. Occulta virtutes præ elatione. Abscondе bona facta præ arrogantia; fuge videri quod esse meruisti.

Vitia cordis tui revela, pravas cogitationes illico manifesta. Si patet, vitium sit ex magno pusillum; si latet, fit ex minimo magnum.

Ancipitem diu delibera sententiam. Quod vis agere diu exquire. Absit in bonis segnities remissa; absit torpens negligentia. In id quod expedit, differre impedit. Desidia frigescit ingenium: negligentia & torpor dissolvit animum.

Nihil sapientiâ melius, nihil prudentiâ dulcius, nihil scientiâ suavius: nihil stultitiâ pejus, nihil insipientiâ deterius, nihil ignaviâ turpius. Indoctus facilè decipitur, stultus in vitia citò dilabitur.

Quæ ore promis, opere adimple; verba tua præcedant opera. Cave ne dum alios docendo erigis, ipse laudis appetitu mergaris.

Cede citò veritati, in disputatione tolle certamen, tolle pertinacem defentionem. Plus dilige audire, quàm dicere: in principio audi; loquere novissimus. Primus taceas, prostremus dicas.

Juxta dignitatem redde unicuique honorem. Cede majorum auctoritati, obsequere voluntati. Malum autem facere justus non acquiescas. Malum justus facere non consentias.

Tene modum in omni opere, in omni re discretionem tene. Quod tibi vis fieri, fac alteri. Talis esto aliis, quales optas esse alios circa te. Cave honores, quos tenere non potes. Sublimitas honorum, magnitudo est scelerum.

Quid differs in crastinum? Potes lucrari & diem hodiernum. Cavendum est enim ne & illum non teneas, & hunc amittas. Non exiguum detrimentum est vel horæ unius.

Diebus ergo & noctibus Deum precare, & oculos à petulantia reprime. Tolle occasionem, aufer materiam delinquendi. Omnia non turbulento animo, sed tranquillo corde dispone; nec quenquam districtiùs judices, quàm te.

Brevis est hujus mundi fœlicitas, modica est hujus sæculi gloria. Caduca est & fragilis temporalis potentia. Dic ubi sunt Reges? ubi Principes? ubi Imperatores? ubi rerum locupletes? ubi potentes sæculi? ubi divites mundi? Quasi umbra transierunt, & velut somnium evanuerunt.

Sollicitudines rerum mentem conturbant, curæ rerum mentem exagitant. Si vis esse quietus, nihil sæculi appetas. Semper requiem mentis habebis, si à te mundi curas abjeceris. Quis curis terrenis se implicat, à Dei amore se separat.

Nemo potest amplecti Dei gloriam, simul & sæculi. Nemo potest amplecti Christum, simul & sæculum. Propter Deum ergo renuncia omnibus. Sine impedimento sæculi, Deo servire stude.

Omnibus communica, omnibus tribue, omnibus præbe. Major sit benevolentia, quàm res impetrata: C major gratia, quàm res data. Non est misericordia, ubi non est benevolentia. Tale erit opus tuum, qualis fuerit intentio tua.

Esto templum Dei, & Deus excelsus habitabit in te: de tuis justis laboribus ministra pauperibus: non auferas uni quod tribuas alteri.

Quicquid agis, age pro futura mercede, pro æternæ remunerationis expectatione; futura merces, non præsens, promittitur sanctis. In cœlo, non in terra, merces promittitur justis. Non est hic expectandum, quod est alibi dandum.

Esto mortuus mundo, & mundus tibi. Mundi D gloriam aspice, tanquam mortuus; sicut sepultus non habeas curam de sæculo. Tanquam defunctus ab omni terreno te priva negotio. Contemne vivens, quod post mortem habere non potes.

Nihil studeas propter laudem, nihil propter temporalem opinionem, nihil propter famam; sed propter vitam æternam, quam concedat tibi qui cum Patre, & Spiritu sancto, vivit & regnat Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen.



Digitized by Google

SANCTI ANSELMI

ADMONITIO MORIENTI,

ET

DE PECCATIS SUIS NIMIUM FORMIDANTI.

INTERROGATIO. Lætaris frater quòd in fide Christiana * moreris?

al. morieris

Responsio. Gaudeo.

al. morieris

Interrog. Gaudes quòd * moreris in habitu * monachico?

Responsio. Gaudeo.

al. religionis? al. te non bene vixisse sicut debuisses

Interrog. Fateris te * tam malè vixisse, * ut meritis tuis pœna æterna debeatur?

Responsio Fateor.

al. te Deum offendisse?

Interrog. Pœnitet te * hoc?

Responsio. Pœnitet.

Interrog. Habes voluntatem emendandi, si spatium B haberes.*

al. vivendi?

al. habeo.

Responsio. * Etiam.

al. Credis ita quod

Interrog. Credis * quòd Dominus Jesus Christus pro te mortuus est?

Responsio. Credo.

al. Agis etiam gratias de passione & morte sua?

Interrog. Agis * ei gratias?

Responsio. Ago.

Interrog. Credis te non posse nisi per mortem ipsius salvari?

Responsio. Credo.

al. ergo ista semper dum in te est anima: habeas fiduciam in Christo, & fidem tuam constitue in hac sola morte Jesu Christi, & in nullam aliam rem speres. Spetans, hujus morti.

Inter. Age ergo * dum supereſt in te anima: in hac C sola morte totam fiduciam tuã constitue: in nulla alia re fiduciam habeas: huic morti te totum committe, * hac solà te totum contege: hac morte te totum involve: Et si Dominus Deus voluerit te judicare, dic: Domine, mortem Domini nostri Jesu Christi objicio inter me & judicium tuum; aliter non contendo tecum. Et si tibi dixerit * quia peccator es; dic: Domine, mortem Domini N. J. C. obtendo inter te & peccata mea: Si dixerit tibi] quia meruisti damnationem; * dic: Domine, mortem Domini nostri Jesu Christi pono inter D * te, & mala merita mea; ipsiusque * meritum offero pro merito quod habere debuillem, nec habeo. * Si dixerit quòd tibi iratus est; dic: Domine, mortem Domini N. J. C. oppono inter me & iram tuam.] Quo expleto, iterum dicito, Domine, mortem Domini nostri JesuChristi pono inter te & me, & iram tuam. Hoc facto, dicat infirmus ter hæc verba: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum:* * *Redemisti me, Domine, Deus veritatis.* * Iterum versus: *Dirupisti, Domine, vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini invocabo.* Versus: *Educ de custodia animam, ad confitendum nomini tuo: me expectant justi, donec retribuas mihi.* Postea dicat, *Maria, mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe: per tuum ergo, Virgo, Filium:* al. explicit hic admonitio. *per Patrem, & Spiritum sanctum, præsens adsis ad obitum meum, quia imminet exitus.* Amen.

al. te sic, al. amit. al. Respond. de ei sic: al. me & te, mala al. mortem: meritum

Post hæc dicta & responsa ab infirmo, Sacerdos dicat pro infirmo istos Psalmos. Psal. *Deus, in nomine tuo salvum me fac.* Psal. *Credidi.* Ps. *Deus in adjutorium.* Psal. *Voce mea.* Ps. *In te, Domine, speravi.*

Si fuerit sæcularis, infra scripto modo debet interrogari per Sacerdotem.

Prima interrogatio. Credis tu ea quæ sunt Christianæ fidei, quantum ad ea quæ sunt * determinata ab Ecclesia? *Resp* Credo. al. distincta al. hoc omit.

Interr. Gaudes quia in fide Christiana moreris?

Resp. Gaudeo.

Interrog. Recognoscis te Deum graviter offendisse?

Resp. Recognosco.

Interrog. * Doles te quod offendisti Creatorem tuum?

Resp. Doleo.

Interrog. Proponis quòd, si Deus tibi vitam prolongaverit, ab ejus offensa cavebis? *

Responsio. Propono.

Interrog. Speras, & credis tu quòd pervenias ad salutem æternam non tuis meritis, sed meritis passionis Jesu Christi.

Responsio. Spero.

Tunc sequitur assecuratio, & dicat sibi. Si tibi se objiciat aliquis, & contra te proponat; opponas inter te & ipsum, merita passionis Christi.] * In fine fac eum dicere istos versus: *In manus tuas, Domine, commendo*, &c. ut supra. al. Resp. oppone & hic sanctis, dicit Anselmus quod sine dubio salvabitur

Nota bene: tu qui vis intrare ad vitam æternam, cogita verba subscripta omni die in vita tua, & sic nunquam offendes Deum. Primò, brevitas vitæ. Secundò, * lubricitas. Tertiò, mors incerta. Quartò, pœnæ malorum. Quintò, præmia justorum. Quintò, supplicia impiorum. al. mentalium

Digitized by Google

SANCTI ANSELMI
CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI
CARMEN
DE CONTEMPTU MUNDI.

Quid deceat monachum, vel qualis debeat esse,
Qui jubet ut dicam, porrigat ipse manum.
Grex sanctus (monachi) vobis hæc scribimus; * hæc vos* al. scripsimus al. hoc
Instruit, hæc vitæ pagina pandit iter.
Nec vos, dilecti Fratres, contemnite, si quid
Nostra pium, si quid nostra salubre monent.* al. monet
Sæpius ingentes lux pellit parva tenebras,
Rivulus & dulces sæpe ministrat aquas.
Non tonsura facit monachum; non horrida vestis;
Sed virtus animi, perpetuusque rigor.
Mens humilis, mundi contemptus, vita pudica,
Sanctaque sobrietas: hæc faciunt monachum.
Hæc vos in cælum, monachi, quadriga levabit:
Hæc post hanc vitam præmia summa dabit.
Nil tonsura juvat, juvat aut vilissima vestis,* al. omit.
Si lupus es: quamvis esse videris ovis.
Nam falli possunt homines, & fallere: Christum,
Qui nullum fallit, fallere nemo potest.* al. fed fallere Christum al. hominem nemo
Ille quidem fucum simulatæ religionis* al. simulatæ
Damnat, & in reprobis moribus esse nequit.
Vovistis, (Fratres) vovistis: vestra, rogamus,
Vivite solliciti reddere vota Deo.
In majestatem divinam peccat abundè,
Quisquis quæ non vult reddere, vota vovet:
Vovistis Domino vestros convertere mores:
Jam nunc peccatis sit modus & vitiis.
Nunc humilis vivat, qui vixerat ante superbus:
Sit castus quisquis luxuriosus erat.
Quærebat census aliquis, captabat honores,
** At modo vilescant census honorque sibi.* al. Amodo
Gaudebat dapibus, gaudebat divite mensa,
Nunc tenuem victum sobria cœna dabit.
Ille suis lætus successibus esse solebat,
Nunc lachrymis culpas diluat ipse suas.
Ostro canspicuus, gemmis insignis & auro,
Veste modo vili squalida membra tegat.
Verbosus taceat, mitescat fervidus ira.
Invidus invidiæ dira venena vomat.
Cuique prius cædes placuit, placuere rapinæ;
Nunc pius & mitis pacis amator erit.
Quisquis adulantum ventosa laude tumebat,
Nunc hominum laudes æstimet esse nihil.
Et qui sponte malum gratisque nocere solebat,
Nunc etiam læsus utilis esse velit.
Ad lites facilis fuit hic, ad jurgia præceps;
Fortiter alterius nunc maledicta ferat,* al. fetet
Non hunc contemptus, non hunc injuria frangat,* al. omit.
Omnia robusto corde molesta ferat.]
Pax, animique quies inter convitia duret;
Nam fortem rerum nulla procella* movet.* al. fontem movet
Hæc veniam (Fratres) conversæ vera meretur,
Hæc valet offenso vita placere Deo* al. offensum vita placare Deum
Non vos illiciat brevis hæc & falsa voluptas,
Non vos decipiant hæc peritura bona.

Cur quæso cupiat quicquam, cui cuncta reliquit;
Ad mala cur redeat, qui bona proposuit?
Terram contemnas, qui cælum quæris habere;
Si mansura placent, hæc fugitiva fuge* al. volas
Dum licet, & spatium vitæ conceditur hujus;
Semper ad omne bonum vive paratus opus.
Fac bona quæque potes, modico dum tempore vivis;
Multa metes, si nunc semina pauca jacis.
Parvo perpetuum mercare labore quietem,
Et pœna brevis gaudia longa brevi.
Mens tua terrenis non hæreat atque caducis:
Labitur & transit quicquid in orbe vides.* al. ubique
Vita quid est præsens? tentatio, pugna molesta,*
Hic atris semper, semper & hostis adest.
Sed cùm nulla tibi fuerit jam furcina carnis;
Tunc sine fine quies, pacque perennis erit.
B *Liver & ambitio, gula, fraus, metuenda libido,*
Ira, tumor mentis, schismata, laudis amor.* al. fremitus
Et quæ de Satanæ castris sunt cætera mille,
Undique nos vallant assiduèque premunt,
Has inter pestes dum mens infirma tenetur;*
Fluctuat, & miris æstuat illa modis.
Nec cadat illa licet semper casura videtur,
Et quatitur tantis exagitata malis.
Et quis habet tantas vitiorum ferre procellas,
Si non divinum subvenit auxilium?
Hæc monachi toto mentis conamine vitent;
Præteritas culpas flendo, gemendo, lavent.
Distinctisque legant spatiis, operentur, & orent
A studiis fuerit tempora nulla vacent.
C *Utilibus semper studeant, & rebus honestis:*
Res est segnities perniciosa nimis.
Luxuriæ fomes res incentiva malorum,
Spiritibus nequam præparat ipsa locum.
Funestum monacho cùm quid malè suggerit hostis,
Et conatur eum fallere mille modis.
Esse Deum credat præsentem semper ubique;
Nec se, si peccat, posse latere putet.
Cuncta scit atque videt, nec quicquam præterit illum,* al. patet
Omnia sunt oculis nuda & aperta suis.
Cùm quid turpe facit, qui me spectante ruberet;
Cur spectante Deo, non magis ipse rubet?
*Si patriæ Judex sciret sua facta, * timeret:* al. timebit
Scit Dominus rerum; cur nihil ergo timet;
Sed tacet, & differt, & nondum crimina punit:
Puniet, & meritis arbiter æquus erit.
D *Propositum vitæ (monachi) servate rigorem,*
Nec pigeat paucо tempore dura pati.* al. tempore.
Sed mundi quamvis delectent vana cavete:
Et cerè gustu dulcia sæpe necant.* al. nocent
Nec quicquid carnis sensus demulcet, amate:
Quæ carnem oblectant, mentibus ipsa nocent.
Gaudia perpetuos pariunt mundana dolores,* al. labores
Tollit & æternum vivere vita brevis.
Exiguus labor est, sed merces magna laboris;

Digitized by Google

Præterit ille cito, præmia fine carent.
Ergo Deo melius si nil cognoscitis esse;
al. creditur *Imme si summum * creditis esse bonum.*
Contemptis rebus mundi labentibus istis
Jam sint in solo gaudia vestra Deo.
Et mihi quæ possint amitti? nulla videntur.
al. definis *Nec longum, quicquid * præterit, esse reor.*
Otia quid bonos, quid opes, quid gloria, quidve
juventus?
Forma, genus, vires, fœmina, vestis, ager.
al. regum. *Gemma vel argentum, quid regum sceptra, vel*
aurum
Purpura, quid lætus fundus, & ampla domus?
Magna potentia, multa scientia, falsa voluptas.
al. vidit ** Vita quid & nostri corporis ipsa salus?*
Non amo quod pestis, quod fur, quod fubripit hostis;
Et quæ, si parcant cætera, mors adimit.
Sunt quos falsus honor juvat, & peritura potestas:
*Seque putant aliquos, quod * loca celsa tenent.*
Et velut è specula campos & plana viderent;
al. montis *Sic quoque de * montis vertice quosque virent.*
Dum non attendunt humanam conditionem;
Non norunt quid sint cernere, sed quid habent.
al. rectrices diademata *Sed dum sceptra gerunt, * renitent diademate reges,*
Et gaudent lati finibus imperii:
Dum distenduntur dapibus, dum nectare fervent;
Et servit mensis terra fretumque suis:
Et dum byssus eos, pretiosaque purpura vestit;
Majestasque vacat regia deliciis:
Dumque emollitos delinit blanda libido
Carnis, & illecebris in sua jura trahit:
Dum turpi domino famulantur turpiter isti,
al. falsos *Quos * falsa reges nomine mundus habet.*
Avertunt oculos, renuuntque videre profecto,
al. Quid sint isti ** Quòd sint ipsi homines & moritura cæra.*
Quòd citius transit mundana potentia fumo
Quòd vitreum, seu quod fictile vas sit homo;
Quòd caro mortalis tanquam vestis veterascit,
Et celeri lapsu curva senectus venit:
Quòd nostra semper minuuntur tempora vitæ,
Quòdque dies hominis fumus & umbra fugit:
Quòd sit vita brevis, quòd mors incerta, quòd omni
Tempore nos gravis causa molesta premit.
Rex appellaris, quid inanis nomine gaudes,
al. omit. ** Qui vitiis pulsus, vilius ubique jacet?*
In tanto, quæso, qui tanto nomine fulget,
Cur ratio servit, regna libido tenet?
Cur vitiis servit, qui regnis imperat: & non
al. vile *Mancipium * vilis corporis esse pudet?*
O divitiarum mundi, falsique potentes:
Exquid terrenas esse putatis opes?
Quid quoque mundanos quos affectatis honores,
Quorum perpetua est solicitudo comes?
Omnia præcipitem formidant arduæ casum;
Et magnis semper vis aliena nocet.
Sapius alta ruit venterum flatibus arbor;
Tuta humilis myrtus, tuta myrica manet.
Bellica cum celsas subverit machina turres,
Nil nocet exigua pauperis illa casa.
al. ingentes al. fluvium Et rapid* obstantes * fluvii violentia moles,
Plana satis placido permeat ille gradu.
al. undas *Montes & scopulos sævi maris obruit * unda,*
Ad placidum littus mitior unda venit.
Aerias Alpes nivibus candescere scimus;
Frigoribusque premi, perpetuoque gelu.
Illic & rabies ventorum plurima sævit,
Temperiem gratam proxima vallis habet.
Sic vobis numquam desunt adversa, potentes;
Non est pax vobis ulla, nec ulla quies.
O quantos regum patiuntur corda tumultus!
Quamque procellosis motibus ipsa fremunt!
Inter regales epulas, varioque paratu,
Tabescunt curis, sollicitoque metu.

A *Non paucos metuit multis metuenda potestas;*
*Vix alicui credit, dum * cavet insidias.*
Mille satellitibus cinctus, telisque suorum,
Non valet è trepido pellere corde metum.
Rursus quid domino numerosa pecunia prodest?
Accipe quid curæ, quidve timoris habet.
Et brevis & rarus sit somnus habentibus aurum;
Omnis enim evigilat non moderatus amor.
Non dat securos nec ebur nec purpura somnos,
Pauperis vili stramine tuta jacet.
Auri possessor formidat semper, & omnem
Ad strepitum factas æstimat insidias.
*Arma, venena * pavet, furtum timet atque rapi-* al. timet
nam: nam:
Sollicitus servat quæque lucrata diu.
B *Hunc, dum quærit opes, cruciat miseranda cupido;*
Cùm jam quæsitas cœpit habere, timor.
Sic igitur miser est, dum pauper quærit habere:
Et miser est dives, perdere parta timens,
Dum jacet in plumis serico contectus & ostro;
*Mordetur * curis, invigilatque dolis.* al. cujus
Continuare suis vicini paupertis agrum.
*Ardet, & ad facinus * nescit habere modum.* al. cogitat illa modum
Expellit domibus pupillos ille paternis,
Insequitur viduas, judiciisque premit.
Cùm sit avaritiæ facibus succensus iniquis,
*Non valet * injustis se saziare lucris.* al in justis se saciare lucris
Ergo facit multos inopes: diversque rapinis,
Luxuria servit: sed spoliatus eget. al. malis
*Deliciis fruitur, & rebus pauperis * iste;* al. iste
*Sed * gemet amissis indignus iste bonis.* al. gemit
C *Huic epulæ variæ, vestis pretiosa paratur:*
** Sed panem & * grossum vix habet ille tegam.* al. Pauper pannosam
Ad petet in flammis ingressus tartara, parvam al. credimus
De digiti extremo pauperis hujus aquam:
Et vice conversa, qui dives abundat, egebit:
** Huic * qui pauper eget, copia dives erit.*
At quid avarus opes quicunque es, congeris istas? al. nunc qui vel hic qui vel hinc qui
Forsitan hæ facient ut citius pereas.
Dic mihi, divitibus si quando defuit hostis:
Hos terit & quassat sæpè ruina gravis.
*Invidia * comes est melior fortuna, nec unquam* al. invido
Fida satis cuiquam mobilis illa manet.
Ergo sollicitæ causas exclude timoris;
Esse velis pauper, illicò tutus eris.
D *Paupertate quidem nihil esse beatius unquam,*
Paupertate nihil tutius esse potest.
Non tibi subsidium sunt hæc, sed sarcina grandis:
Quæ malè te miserum semper ad ima premit.
Justitiæ montes, virtutumque arduus nullus
Scandet, dum mundi rebus onustus erit.
*Stulte quid hæc sequeris, * cur sic labentibus hæres,* al. moriture
** Mortalis, quid vis & moriturus opes?*
*Cùm te post mundi curas, * vanosque labores;* al. vanosque
Cùm tibi transierint, quæ mala parta tenes;
Tartarus horrendo pavidum absorbebit hiatu,
*Atque miser variis * excruciere modis.* al. exterminare
Cùm te terribilis exactor jussus ab æquo
Judice, sulphurei mergat in ima lacus.
E *Tunc, tunc infelix, super his serò pœnitebit,* al. non sed certè serò dolebis
** In falsis illis spem posuisse bonis.* al. super his sero pœnitebis
Non hæc argentum, non hæc descendet & aurum, al. Et falsis
Non aderis mundi gloria lapsa brevi.
Forsitan hæc parcus, quæ tu modò colligis, omnes
Effundet quondam prodigus alter opes,
Tunc pariter rebusque tuis & conjuge felix;
Cum cinis exiguus, sive cadaver eris.
Magnum nomen habes, clara est tibi fama per orbem,
Laudat te mundus: sed morière tamen.
Non prosunt quisquam præconia vana sepultis;
*An faciunt quisquam scieris * illa cinis?* al. ulla
Fama placet populi, cupida trahis aure favorem,
Nescis divinum quis paret arbitrium.

Digitized by Google

Fœnum & umbra levis tota eſt hæc gloria mundi:
** Torquent famoſos tartara ſæva reos.*
Et color, & facies, & multum grata juventus,
Et vox quæ dulces noverat ante domos:
Diffugiunt miſerâ tandem veniente ſenectâ,
Diffugiunt pexæ quæ decuere comæ.
Os exarmatur decuſſis dentibus; inde
Vix imperfectè ſufficit ille ſonis.
Deficiunt vires, jam prædit ruga ſenilis,
al. effœto *Horret in * effœto corpore ſcabra cutis.*
Jam jam curvatur, jam manant ora ſaliva:
Exanguis color eſt, halitus ipſe gravis.
Sicque perit placidè paulatim gratia formæ:
Nullaque de multis, quæ placuêre, manent.
al. nam *Jam * guſtata minus ſapiunt, vix ſentit odores.*
*Vix quoque clamoſos percipit aure * ſonos,*
Caligant oculi: de toto ſola ſuperſunt,
Huic cutis, & nervis oſſa ligata ſuis.
Vix jam fuſtè poteſt nutantes figere greſſus,
Vixque valet tremulâ quæque tenere manu.
Si qua ſibi fuerat prudentia tota receſſit:
al. Idque tu. men ** Id tacitùm laudat, *quod puerile ſapit.*
Sic igitur ſe quiſque ſenex miſerabilis ipſum
Quotidie perdit, ſubtrahiturque ſibi.
Et cùm ſit morbus nimium gravis ipſa ſenectus,
Attamen innumeris angitur ille malis.
al. quiſque ſic inde dolet *Hæc inquam multis vexatur inutilis ætas,*
Semper & unde ſenex quiſque queratur habet.
Manducare labor, ſit jejunare moleſtum,
Somnus ei gravis eſt, & vigilare nocet.
Æſtates odit; ac hyemes & frigora culpat:
Autumnum, cauſam quod dolet, eſſe putat.
Hunc quoque minimum veris clementia ladit,
Nec querulo poſſunt ulla placere ſeni.
Hæc inter quæ cuncta ſenex incommoda ſentit,
Urget eum ſcabies, tuſſis anhela quatit.
Ingratuſque ſuis morbo confectus & annis,
Conqueritur vitæ tempora longa ſuæ.
Labile formæ bonum, ſpecies inimica pudori,
Utile virtutum ſæpe retardat iter,
Nunc inſenſatos inflat, nunc turpia ſuadet;
Sæpe etiam fortes præcipitare ſolet.
Et mors & morbus rapit hanc, & maſta ſenectus:
al. illa die *Mille perit cauſſis, nec manet * illa diu,*
Nec bona forma Deum, ſed mens ſincera meretur:
Juſtitiæ ſoli vita beata datur.
Tu reges avos memoras, magnoſque parentes:
Et vanâ carnis nobilitate tumes.
Neſcis cunctorum quòd ſit communis origo,
al. non facis emergunt duvus, horrifve ferox Ortus & occaſus, & elatum ** Ortus & occaſus unus, & una caro.*
Quid tibi nobilitas, & clarum nomen avorum;
Si vitiis ſervus fallus es ipſe tuis?
Nobilis eſt, animi quiſquis virtute refulget:
Degener eſt ſolus, cui mala vita placet.
al. aut *Nec genus, * at mores veneratur curia cœli:*
Et cœlum juſtus, non generoſus habet.
Sed nec præpoſitus mortis, ſcelerumque miniſter
Vexat damnatum mitius ingenium.
Nullum ei ſervatur honor, reverentia nulla:
Nec magis eſt tutus nobilitate ſua.
al. munera-que *Sed fortes humeros * nervoſaque brachia jactas,*
Atque tui vires corporis eximias.
Bella refers, domitoſque duces, genteſque ſubactas:
Maximaque imperio ſubdita regna tuo.
al. illos *Non bove, non aſino tu fortior; attamen * illos*
al. emis *Ipſe ſatis vili carnis * emi pretio.*
Sic quæcunque feris tecum communia cernis,
Nec mirare nimis, nec pretioſa puta.
Quod ſi vis ſenſus, vireſque attendere carnis,
Exuperant multa nos in utroque fera.
al. Nam *Nos * & equi vincunt veloces præpete curſu,*
Et melius nobis audit alesque canis.
Quis velit iratos luctu tentare leones,

A *Terribiles urſos, fulmineſque fues.*
Sola animi eſt virtus, quæ nos præponimur illis;
Cætera ſunt equidem noſtra minora ſatis.
Jejuna triduum, totum ruit unde ſuperbis:
*Vix * tenuem ſtarum jam moriture trahis.* al. tenuâ
*Quod ſi vel * leviter te decoquat ignea febris,* al. teneant
Statim marceſcet, illicò nullus eris.
Sed cùm te victum vitiis ſuccumbere cernis;
Miror, te fortem dicis, & eſſe putat.
Bella libido movet; tu primus cedis ad illas,
Et tua das fœdo colla prementa jugo.
Sic & avaritiæ ſervis, ſic motibus îræ,
Sic facis ardentis juſta pudenda gulæ.
Fœmina dulce malum, mentem roburque virile
Frangit blanditiis infidioſa ſuis.
Fœmina, fax Satanæ gemmis radiantibus aucta,
*Veſtibus ut * poſſit perdere empta venit.*
B *Quod natura ſibi ſapiens dedit, illa reformat:*
Quicquid & accepit dedecuiſſe putat.
*Pungit acu, & ſuco * lividum reddit ocellis,*
Sic oculorum, inquit, gratia major erit.
Eſt etiam teneras aures qui perforet, ut ſic
Aut aurum aut carus pendeat inde lapis.
Altera jejunat miſerè, minuitque cruorem;
Et prorſus quare palleat, ipſa facit.
Nam qua non pallet ſibi ruſtica quæque videtur;
Hic decet, hic color eſt vernus amantis, ait.
Hæc quoque diverſis ſua ſordibus inficit ora.
Sed quare; melior quæritur arte color.
Arte ſupercilium rarefcit, rurſus & arte.
In minimum mammas colligit ipſa ſuas.
Arte quidem videas nigros flaveſcere crines,
Nititur ipſa ſuo membra movere loco.
Sic fragili pingit totas in corpore partes:
C ** Ut quicquid nata eſt, diſplicuiſſe putes,* al. quæ. in gelte
*O * quos in geſtus ſe mollis fœmina frangit,*
Et placet in bieſis ſubdola lingua ſonis.
*Dulcia ſæpe canit, componit * ſedula greſſum,*
** Ut quadam credas arte movere gradum.*
Sæpe auditores ejus facundia torquet;
*Et modo ridendo, * nunc quoque flendo placet.* al. non.
Mille modis noſtras impugnat fœmina mentes,
Et multos illi perdere grande lucrum eſt.
Nil eſt in rebus muliere nocentius; & nil
Quo capiat plures lethifer hoſtis, habet.
Nec nos in totum jactamus crimina ſexum;
Tempore ſed noſtro rara pudica manet.
Sed carnem fœnum clamas ſacer eſſe Prophetæ;
D *Fac procul à fœnum flamma ſit iſta tuo.*
Tu molles riſus, nutus, & dulcia verba,
Fœmineoſque jocos effuge; virus habent.
Fœminei ſenſim virus ſubrepſit amoris; al. ſenſum
Hos tibi ni videas, illicò captus eris.
Fœmineum fuge colloquium, vir ſancte, cavato.
Fœmineas, ſi vis vincere, blandicias.
Namque fœmineo mens capta ligatur amore,
Nunquam virtutum ſurgere ad alta poteſt.
Harum colloquium quid confert utilitatis,
Veniſti monachus, turpis amator abis.
*Ergo vive ſum niſi declinaveris * anguem;* al. eguem
*Ni longè * fias, inficière quidem.* al. facum
E *Accendit mulier quæcunque libidinis ignes*
Et ſanctis ipſis proxima facta nocet.
Fundana Andreas ubi magnus Epiſcopus urbis
** Natavit, virgo fœmina cauſa fuit.*
Si veterum libros, & patrum ſcripta revolvas;
*Quod doleas ſanctos * ſic cecidiſſe viros,* al. ſi
Nec docto Salomone quidem tu doctior eſſe,
Nec David ſancto ſanctior eſſe putes.
Si Leib, Samſonem, ſi David, ſi Salomonem,
Fœmina dejecit, quis modo tutus erit?
Nunquid non hominem mulier de ſede beata*
Expulit, & noſtræ mortis origo fuit?

Digitized by Google

Sed clara facie satiùs est, & forma venusta,
** Et tibi non minimum lactea tota placet.* al. Exteriora placent, disconvenit intestina.
Viscera si patent, pateant & cætera carnis,
*Cernes quas sordes contegat * alba cutis.*
Si simum vilem præfulgens purpura velet,
Ecquis ob hoc simum vel male sanus amet,
Intra compta satis cellarum fœmina claustra;
Suspirans dicit, discere sancta volo.
*Accedo * ad monachos peccatrix fœmina, namque* al. illa al. accedat
Hi monita, & sancta dant documenta via.
Compta venis, & sancta placent: quis credere possit?
Suspectam te habeo; credo, nocere venis.
Lascivi risus, ardentis nutus ocelli,
Et tua garrulitas displicuère mihi.
Pastores vigilate, lupas arcete rapaces
*A gregibus * vestris, claustra negentur eis.*
Occidunt animas, multosque ad tartara mittunt;
Et monachis pestis nulla timenda magis.
Fœmina mortis anima, monachis accedere nunquam
Audeat; à sacro sit procul ipsa choro.
Sit procul à cœtu sanctorum fœmina; namque
Et si non valeat vincere, bella movet.
Sed forsan dices esse maritos,
Et casti laudes fœdera conjugii.
Crede mihi, frater; miser est quicunque maritus
al. est ** Vis dicam quantùm triste sit istud onus?*
Si quis habet sponsam turpem, fastidit & odit:
Si pulchram, mœchos anxius ipse timet.
Cernis enim quantùm sibi forma pudorque repugnent,
Raraque de pulchris esse pudica potest.
In quam suspirant multorumque vota, timebis
*Perdere, vel soli ne * sit habenda tibi.*
Si sit pragnans, accessit & altera cura;
Accrescuntque tibi multiplicata mala.
Hinc illam metuis ne quis corrumpat adulter,
Et pariat quorum non eris ipse pater.
Hinc res arcta nimis tenuisque pecunia, totam
Infaustam tecum cogit egere domum.
Est quoque perpetuas quæ miscet garrula lites,
Fitque molesta suo nocte dièque viro.
Et vinosa quidem multum damnosa marito est:
Nam quæsita diu distrahit illa brevi.
al. fingit *Ista dat amplexus molles, & dulcia figit*
Oscula, sed tacito corde venena premit.
Hæc vel de facie vel nobilitate superbit,
Et sceptro dignam credit habere manum.
Frandibus uxorum multi periêre virorum;
Fœmina nil horret, cuncta licere putat.
al. jam *Audet quicquid * eam jubet imperiosa libido;*
Et metus, & ratio cedit, & ipse pudor.
Hæc leges sacras contemnit, & omnia jura.
Turpe sit aut sævum; dum juvet, illud amat.
Dalila Samsonem, Clytemnestra peremit Atriden.
In lege fœmineos sensi usque dolos.
Sed cur quæso vetus tibi nunc historia narret,
Quæ fieri nostro tempore multa vides?
Quas sordes, quantosque metus curasque mariti
Sustineant, & quis connumerare potest?
Jam nunc, quàm gravis est uxoris sarcina, cernis:
Quamque premat duro subdita colla jugo.
Ergo maritalis damnamus fœdera lecti?
Non: sed perfectis non damus ista viris.
Conjugibus non est finitus censetimus, aut quem
Reddunt per sensus multiplicata decem;
Nec tamen eterni privantur lumine regni,
Accipient meritis præmia digna suis.
al. mollis *Te mollis byssus, te * fulgens purpura vestit;*
Et texunt mundi singula regna tibi.
Quæ preciosa tuos pellis non cedit in usus?
Qua vestis species, quæve coloris abest?
Sed nec ad indecores cultus pudet addere quicquid
al. plurima *Artificis novit * cudere docta manus.*
Irradiant gemmis digiti, pariterque lacerti,

A *Vixque vales auri pondera ferre tui.*
O quàm vana hominum talis vesania: stulte,
Quid juvat externis velle nitere bonis?
Si vitiis sordes, quid prodest fulgida vestis;
Absterget maculas purpura nulla tuas.
Gemmarum & tanti fulgor non efficit auri,
Ut careat tenebris mens tua cæca suis.
*Sed * sancti mores faciunt, non vestis, honestum;*
Et probitas magnos efficit una viros.
*Quæ natura dedit, serva integra: non eget * istis* al. ista
Vilibus ornari rebus imago Dei?
Ista quidem fieri ventosa superbia cogit:
Sola placet justo sobria vita Deo.
Agrorum fines longos extendere queris,
*Et multas * messes, horrea plena cupis.*
*Scis * Evangelicus quid avaro fenore minetur* al. fenus
Hac in nocte animam perdere stulte tuam:
Inquit, habes, & cujus erunt quæcunque parasti?
** Improbe, jam frena vota, timeque mori.* al. improba
B *Tot * fruges, auri tantum, vinique, tot agri,* al. fruges auri
Ad quid eget paucis vita salusque brevis.
Arvum quæris, homo, tibi fertile; nec tamen unquam
Ad sterilem vitam respicis ipse tuam.
Agricolæque Dei tumidus contemptor ubique,
Nullos vis fructus reddere justitiæ.
Ad scelerum vepres suffocas semina vitæ,
Et peccatorum surgit amara seges.
Extirpa mentis tribulos, spinasque revelle:
Et tritico Christi pectoris arva fere.
Fructificètque Deo cordis novale, prematque
Virtutum messis semina nequitiæ.
Esse quid argentum, quid gemmas, credis & aurum,
Prædia? quidve omnes, quas habet orbis, opes?
Hæc Judæus habet, gentilis, latro cruentus;
Crede mihi, iratus sæpe dat ista Deus.
Parva puta quæcunque malos contingit habere.
Parva puta quicquid fur & adulter habent:
C *Quod meretrix, quod mœchus habet, nec magna putabis*
Omnipotens longè dat meliora suis.
Est oculus mentis cæcatus pulvere terræ;
Ut nequeas lumen cernere justitiæ:
*Heu * tibi cui virtus non lucet, lucet * at aurum;* al. nec al. & auro
Et præfers summis infima quæque bonis.
Nec mala magna reor, quibus affliguntur amici;
Nec bona, quæque hostes constat habere Dei.
*At * quoties vir justus eget, scelerosus abundat,* al. Quo vir justus eget nunquid scelerosus abundat?
Non est prævorum copia grande bonum?
Ægrotat sapiens, sed sanus floret iniquus:
Non est grande bonum corporis arcta salus.
D *Dilectus Domini moritur, sed vivit adulter:*
Non est in magnis vita caduca bonis.
Ergo modo similis tibi collige cætera, fili,
Et prudens vilis munera sperne soli.
Vile relinque solum, cupias fastigia cœli:
● *Illic percipies dona beata Dei.*
Non pretiosa facit pretiosa purpura quemquam;
*Nec * mutant mores tradita sceptra malos.* al. corrumpunt
Si pius ista Dei data conspicis hostibus esse;
Impia pars hominum regnat ubique fere.
Virtuti si detur honos, si præmia digna;
Et teneant meritum singula quæque locum.
E *Jam nunc res hominum mihi crede & pace * beatas* al. beatis
Videris, & certo se cohibere modo.
*Sed quia regna malis, * sceleri est donata potestas;* al. scelera donata
Debita virtuti frena libido tenet.
Mundus turbatur, rerum confunditur ordo;
Involvitque simul omnia grande chaos.
Vis prohibet leges, evertunt crimina mores,
Et valido virtus turbine quassa latet.
Dat Libanus tibi lingua: Paros sua marmora mittit:
Aurum præbet Arabs: India præstat ebur.
Tu Cedro peregrina, & marmore construis ædes;
Miraque consurgit fabrica, fundis opes.

Digitized by Google

Rident argento poſtes, laquearia multo
Auro: diſtinctum ſculptile veſtit ebur:
Porticibus vallas operoſis atria: quales
al. domus iotus *Quotque putas thalamos, hæc* labyrinthus habet.
Illic tu viacas vitium, ſculpturaque ſtupeſcas,
Artifices quicquid mensque manuſque poteſt.
Oſtia multa quidem, variæ ſunt mille feneſtræ,
Mille columnare eſt marmore fulta domus.
Quid tanto, morituræ, paras molimine? quare
Das animum vanis, & peritura placent?
Cur ampla ædificas buſto claudendus in arcto?
al. quem pia Pigmæ claudſtra tulere manus? *Deficient vitæ tempora pauca tuæ.*
Quid tibi tanta ædes? quanto felicius ipſe
Templum eſſes vivi viva domuſque Dei.
Eſto domus Domini, quam ſacris moribus orna:
Virtutem cultor religionis ama.
Quam felix anima eſt, in qua ſibi ponere ſedem
Dignatur ſummi ſpiritus ipſe Dei.
Omnis habet ſubitum terrena potentia finem,
Atque fuga celeri deſerit ipſa ſuos.
Ergo time, quiſquis celſos conſcendis honores:
Teque ruinoſo ſtare memento loco.
Magnus erat Ceſar, totoque potentior orbe:
Nunc, quem nec mundus ceperat, urna capit.
Sic & Alexander fortiſſimus ille Macedo,
Clauditur angusto pulvis & oſſa loco.
Major erat mundo magnus, modo nobile corpus
Exulis & vilis vilis arena tegit.
Et cecidit Babylon: cecidit quoque maxima Troja:
Olim mundipotens, aſpice, Roma jacet.
Ecce olim res nulla manet mortalibus: ecce
Nullus honor prohibet, gloria nulla, mori.
Summus Ariſtoteles Logicæ ſcrutator acutus,
Edidit ingenio multa reperta ſuo.
Non ſyllogiſmo, non enthimemate factum eſt,
Ut vellent tanto parcere fata viro.
Quid penetraſſe invitat natura arcana Platonem,
Et mundo ſtudio multa dediſſe ſuo?
Solis iter, cœlique plagas, lunæque meatus;
Et vaga ſeu ſummo ſydera fixa polo:
Multaque præterea ſatis ardua noverat: & nunc
Philoſophus cinis eſt: nomen inane manet.
Dum res & rerum cauſas veſtigat Hypocras,
Dum de naturis diſputat: atque ſuis
al. Infert al. libencia *Inſerit* illa libris, *dum multa* latentia prodit,
Dum medicinali corpora ſervat opa.
Ingens fama viri toto diffunditur orbe;
Et meriti fructus ille favoris habet.
Sed nullis herbis, nullis radicibus actum eſt,
Ne Phyſico mortis lex ſubeunda foret.
Et Juſtis, non Ppiloſophis, dat præmia Chriſtus;
Ruſticus es: juſtus eſto, beatus eris.
Philoſophus Varro, Petrus piſcator: & ecce
Petrus habet cœlum, tartara Varro tenet.
Ille voluptatum varia dulcedine gaudet,
Et deſideriis ſervit ubique ſuis.
Sunt, quæ ſumma putat meretrix, cocnus, biſtrio; nullis
His præfert, aut par æſtimat eſſe bonum.
Quicquid & ad victum mare nutrit, terra, vel aër:
Quærit, habetque viri luxuriosa fames.
Et modico ventri vaſtus vix ſufficit orbis,
Ergo miniſtrorum vocibus aula fremit.
al. videt quoque *Argenteque dapes* ponuntur, *Bacchus in auro,*
Et gemmâ infuſum plurima nectar habet.
Veſtibus & facie longus nitet ordo clientum,
Ad Domini nutus turba parata leves.
Sexus utrque canit: reſonant cytharaque, lyræque;
Et reddunt illic organa dulce melos.
Tandem epulis largis, & pleno ventre beatus
Cum ſcortis porcus gaudia noctis habet.
O præclara viri virtus! ô vita beata!
Deliciis paſtus cum meretrice cubat.
Quid veſtes referam, lectos, & divitis ædes?

A *Neſcit habere modum prodiga luxuries.*
Huic per longa meant nitidi canalia fontes,
Herba columnarum marmore clauſa viret:
Fructiferumque genus totum arboris educat hortus:
Mixtaque ſanguineis alba liguſtra roſis.
Nec viola deſunt; ſed & illic floris & herba
Eſt quicquid ſpecie, quicquid odore viget.
Nunc phaleratorum tergo vectatur equorum,
Nunc ſaturum lento remige cymbas vehit.
Nunc illum eſſe juvat ſub papilionibus, & nunc
Grata ſub arboreis quæritur umbra comis.
Nunc delectatur turbis, & plauſibus urbis:
Et modo privatus degere rure capit.
Quicquid molle juvat, quod viſu, quodque decorum eſt,
Dulceque corporeis ſenſibus eſſe ſolet:
Heu miſero! totum turpes deſtillitur uſus, al. Hæc. al. miſeros
Nullaque deformat ſordida turpe pecus.
Ergo jocis, venere, & vino, ſomnoque beata
Expendit vitæ tempora tota ſuæ.
B *Jamque caro totus neſcit quàm* devius erret, al. eliviùs
Mens male preſſa gravi pondere carnis hæret al. hæret
Neſcit perpetuo quòd terrem nutriat igni
Corpus, quod tantis curat alitque modis.
Qualem tu credis vitam mortalibus eſſe?
Et brevis, & multis eſt onerata malis.
Quotquot naſcuntur, vox illis prima doloris:
Incipit à fletu vivere quiſquis homo. al. Incapit
Aſpice quæ miſeros ferimus nos undique: quot ſunt,
Quantaque privatis publica mixta malis.
Frigore nunc nimio, nimio nunc ladimur æſtu:
Noſque fames vexat, torquet acerba ſitis. al. amara
Muſca nocet, modicuſque pulex, vel regibus ipſis:
Nec faciunt tutos regia ſceptra ſuos.
Hic dolet exilium; mortem dolet alter amici;
Huic chara orbato conjuge flere libet.
C *Hic jacet infamis; miſer hic in carcere luget:*
Hunc metus hoſtilis territat: alter eget.
Hic gemit inceſtum corrupta conjugis: alter al. Jam
Deluſus falſa ſuſpicione timet.
Excuſſas aliquis deplorat grandine vites,
Iſte mari magno deperiiſſe rates.
Pars queritur ſterili male credita femina terræ: al. Clamo-ſum rigidâ-que fuit ille per-tentum,
Pars metuit Domini vimque minaſque ſui.
Perdidit hic juſtam ſub iniquo judice cauſam:
Has rapiunt fures; has cremat ignis opes.
Et quis non quod plangat habet, nulloque dolore
Sanctus eſt, voti compos ubique ſui?
Non ſic blanda fovet rebus fortuna ſecundis, al. Nunc
Miſceat ut lætis improba triſte nihil:
Nec pars parva mali vitiis tabeſcere, totque
D *Captivo ardentes pectore ferre faces.*
Flagrat avaritiâ, mala mens ſuccenditur irâ;
Et modò veſano fervet amore: velut
Interius totam dudum conceperit Ætnam,
Nil quoque quod deceat cæca furore videt.
Sæpe graves ſtimulos livor malus excitat illi:
Sæpe metum generat, ſpemque, cupitus honor.
Illum luxuries, illumque ſuperbia vaſtat:
Hunc quoque triſtitia ſæva procella quatit.
Hæc, & plura premunt nos hujus tempore vitæ;
Quæ nec vel puncti tempore certa manent.
Ille fame, fungo, febri, ſerpente, ſagitta, al. omni
Fluctibus, aut flammis, hoſte, latrone perit.]
E *Et noſtram morbi corrumpunt mille ſalutem,*
Nullus ab humano corpore languor abeſt.
Si nunc aſpicias animalia cætera quæque: al. sic
Invenies tantis ſubdita nulla malis.
Nos capitis laterumque dolor, febriſque fatigat:
Totum hominem tollit lepra, chiragra manus:
Dira podagra pedes; oculos ophtalmia cæcat:
Obſidet arctati pectoris aſthma vias.
Læſa ſuos claudit lotio veſica meatus: al. lubrà
Viſcera torquentur, *parſque pudenda, colus.* al. uterumque

Digitized by Google

Dens dolet, aut cervix; os terpet; lingua ligatur:
Splen tumet; agrotat pulmo, laborat hepar.
Cor marcet; renes patiuntur; folvitur alvus:
Brachia nil possunt: languida crura jacent.
Singula non paucis pars est obnoxia morbis:
Et patet infelix ad mala totus homo.
Non hac ergo salus, non hac mihi vita videtur;
Quam mors extinguit, tollere morbus habet.
Sic est: res istas malè publicus æstimat error;
Vilia sunt, stulti quæ pretiosa putant.
Nos igitur (fratres) quæso meliora sequamur;
Quæ sunt digna bono, quæ sapiente viro.
Cur Dominus rerum, quare deitatis imago
Parva cupis? cupiat maxima magnus homo?
Non decet artificis tanti mirabile plasma
Mirari propriis cuncta minora bonis.
Luna tibi fulget, tibi volvitur orbita Solis,
Et tibi sunt toto sydera sparsa polo.
Nempe dies tuus est, tua nox, tuus igneus æther;
Et tibi commutant tempora quæque vices.
Orbis terrarum tuus est: & quicquid ab illo.
Clauditur, arbitrio subditur omne tuo.
Nempe parens rerum cœlo demissus ab alto
Ad tua descendens, est tibi factus homo.
Te manet astriferi clarissima regia regni,
Tu quoque es æterni regis imago tui.
Ergo tu tantus, qui tantis cætera vincis,
Et minor es solo cuncta creante Deo:
Noli te regno peccati subdere: noli,
Quæ citius fugiunt, ista caduca sequi.
Sed satagat humiles animo transcendere terras,
Arctumque ad cœlos arripe fortis iter.
Vita, salus, hominum quoque cætera, fumus & umbra est:
Omnia prætereunt, nulla manere vides:
Non te quæ pereunt delectent infima: non te
Cœlestem fodiet pulvere terra suo.
Nec te præcipites carnis male suada voluptas:
Nec trahat illecebris esca, venusque suis.
Perpetuum tibi sit studium virtutis & ardor:*
Mens tua continuo flagret amore boni.
Quære boni fontem virtutum passibus, & te*
Istius fontis torreat una sitis.
Sarcina currentem te mundi nulla retardet:
Totum declina quicquid obesse solet.
Cùm tu pervenies lætus felixque viator,
Et data vivifici copia fontis erit:
Æternus fies, sapiens, verèque beatus:
Cuncta tibi fuerint prospera, triste nihil.
Inque suo regem rex ipse decore videbis,
*Deque beatifico lumine lumen eris.**
Nulla mentis erunt tenebra: sed nocte fugatâ
Intus erit perpes & sine nube dies.
Tunc rerum causæ, scripturæ clausa patebunt:
Omnia clara tibi, plenaque lucis erunt.
Tunc in viventum lata regione videbis
Quæ bona sint Domini, quantaque dona Dei.
Mors aberit, morbus, labor, hostis, cura, senectus;
Non habet hæc fœlix illa superna domus.
Non timor afficiet sanctos, sensusque doloris:
Æstus in his nullus, frigora nulla locis.
Nemo hîc esuriens, nudus quoque nemo, sed unus
Omnibus omne bonum fiet, eritque, Deus.
Urbs hæc non Lunæ, non lumine Solis egebit;
Semper erit, magno Sole serena Dei.
Denique justorum tanquam Sol quisque nitebit:
Ista redonata gloria carnis erit.
Spiritus summis aquabit gratia regis:
Pro quibus est nitrò passus amara crucis.
Ad montem vitæ de mortis valle reductus;*
Civis erit fœlix miser exul homo.
Urbis enim illius Deus est respublica; & inde
Grandis ibi est cunctis copia, nullus eget.
Non igitur decerunt regis tibi munera; nec te,
Qui meritos magnis ditat, egere sinet.*
Nam cùm gustabis de vitæ fonte perenni,*
Et dabitur summo participare bono:
Magna scientia, multa potentia, mira voluptas,*
Reddentur vitæ militiæque tuæ.
Quis poterit fari, quis scribere, quis meditari,
Quæ dabis in cœlis præmia Christe tuis?
Hæc, monachi fratres, hæc tota mente sequamur:
Nulla salutiferum causa moretur iter.
Ut majestatis Dominum mihi cernere detur:
Ut decus, & tantum fas sit habere bonum.
Thesauros Arabum, mensas, & prandia regum,
Quicquid habet mundus deputo vile lutum.
Quisquis ad hæc igitur paradisi gaudia tendis,
Sedulus angustam nunc, age, disce viam,
Ne laxes vitiis angustæ mentis habenas,
Divini semper frena timoris habe.
Expecta Dominum, formida judicis iram:
Et quod promittit Rex tibi, miles ama.
Parvulus este, vide, mentis depone tumorem;
Porta Dei nullum, qui tumet, artta capit.*
Vitamus tauros cornu & cervice minaces:
Non leo, non taurus, non equus; agnus eris
Agno: nulla magis agnum juvat hostia Christum:
Agnus eris Christo simplicitate tua.
Offertur Domino turtur, simplexque columba:
Castus eris turtur, blanda columba gemens.
Quot sunt, qui Domino se castravêre, beati;
Tartarus incestos, flammaque, morsque manent.*
Summa quidem virtus mona hi parêre Priori:
Ferre jugum norma, seque negare sibi.
Quicquid præcipiet, mox & sine murmure serva:
Peccatum solum dedecuisse puta.
Non vilis vestis, non te locus ultimus angat:
Sæpe tui stultos Ordinis ista movent.
Sed si nos sanè sapimus, si vera fatemur:
Aggreditur virtus arcta, dura probat.
Qui sibi vilescit, qui se nihil æstimat esse:
Et timet, & mundi labilis alta fugit:
Hic est & sapiens, & cœlo proximus iste,
Non sine re monachi nomen inane gerit.
Si vult ditari, si vanos ambit honores;*
Induit occultum pellis ovina lupum.
Sed qui cuncta videt mundi pius arbiter, ille
Novit oves, tectos novit & ipse lupos.
Hæc igitur monachus labiis & corde frequentet:*
Te mihi, te solum da, Deus, & satis est.
O certè felix possessio, quæque beatum
Sola facit! miserum cætera pondus habent.

ALIUD CARMEN
de contemptu mundi.

Quid probitas, quid nobilitas, nisi mors animarum?
Unde superbit homo, cùm constet quòd moriatur?
Nam cave mortalis, & quisquis ei famulatur,
Morte perit duplici; quia post obitum cruciatur.
Quid prodest homini, si vivat sæcula centum?
Cum moriens vitam transisse putet quasi ventum?
Quid prodest homini sua fœnore sarta crumena;
Si per eam consumat cum sine tempore pœna?
Ut quid homo gaudet de mundi prosperitate,
Quæ nimium brevis est, & habetur in anxietate?
Prosperitas mundi citò transit, & annihilatur:
Unde satis claret quoniam nihil esse probatur.
Rex hujus mundi, quotquot natura creavit,
Sunt quasi flos agri, quem frigus & aura cremavit.
Sicut enim flores autumni tempore nati,
Frigore marcescunt in ventos ire parati:
Sic citò deficiunt, quæ mundus habet pretiosa,
In quibus infelix hominum mens est studiosa.
Res hujus mundi propriè cum fine feruntur,
Et sine lege ruunt, nec cum ratione regnantur:

Sicut

al. meritis
al. Quod cùm
al. summa
al. timet
al. quærit
al. Dei
al. Mens tua continuo flagret bonitatis amore, Sic perit æterni torsit. da flamma rogi
al. Quare
al. noctis

Sicut & in fluviis finit irrevocabilis unda,
Tempora sic hominis fugiunt, & quæque secunda.
Res hujus mundi sunt instabiles velut hora:
Pro nihilo debent reputari cuncta decora.
Ergo miser dum vivis, homo, fine fine labora:
Ne perdas ea pro nihilo quæ sunt meliora.
Sic teneas, ut prævaleas à morte futura:
Da quod habes, ut possideas quæ sunt sine cura.
Dic caro mortalis, dic de putredine vermis,
Cur miser insanis, quid prodest gloria carnis?
Dic homo, dic pulvis, quare putredo superbis?
Dic quid sis, quid eris, memor esto quòd morieris.
al. ville *In cinerem * vermis post mortem regredieris:*
MS. Reg. al. legit al. cadus *Despice quod sequeris, cognosce viam rationis.*
*An * legis defectus humanæ conditionis*
Corpus homo sit:
Corpore semen:
Semine sanguis:
Sanguine corpus:
Sic hominis corpus matris concrevit in alvo:
Sic hominis corpus terræ putrescit in alvo:
Corpore tabes:
Tabeque vermis:
Verme cinis fit:
Pulvere terra.
Sic hominis corpus de terra matre creatur:
Sic hominis corpus in terram regredietur.
Ergo tristis homo vera rationis habenâ
Cor animumque tuum, mundum fugiendo, refrena.
Sic tibi perpetuam nanciscî nitere vitam.

DEUS SOLUS AMANDUS,
in quo & ex quo omnia bona.

OMnia sunt hominum tenui pendentia filo,
Et subito casu quæ valuêre ruunt.
Ludit in humanis divina potentia rebus,
Et certam præsens vix habet hora fidem.
Quàm nimis, & nimis est Dominum super omnia mitem,
Et venia facilem, velle negare pium.
Vis, agnosce pium? te respice, respice quid sis,
Quid fueris, quid eris, quid caro, terra, Deus?
Cœlum Sole tibi, Sol lumine servit, & aër
Flatibus, unda cibis, terraque mille bonis.
Sed quid es? Unde tibi quid habes, quid præbet? utrumque
Sponte facit pietas dulcis & ampla Dei.
Fons bona quaque fluens, fons nescius evacuari,
Fons sine fine patens, & sine fine Deus.
Debes namque scelus metiri non brevitate
Temporis, sed debes impietate sui.
Major enim impietas non est, quàm spernere gratis
Ipsum, qui gratis contulit esse tibi.
Qui tibi te tribuens sese promisit, eoque
Nil habuit melius quam daret ipse Deus.
Quidquid es, & quod habes, & quodque valebis habere,
Quid tamen ad meritum sunt simul ista Dei?
Hunc igitur spernens, se seque per omnia subdens
Demonis obsequio quanta meretur homo?
Adde quod in vitium quisquis ruit: ipse ruendi
Sapius indicit turpe necesse sibi.
Virtus enim vitio, vitiis fit servus: & in se

A *Non habet admissum solvere posse suum.*
Ergo perpes ei debetur pœna necesse,
Qui sibi peccandi sponte perenne facit.
Gratia tollatur non debita: pœna sequatur
Debita, morsque premens, &. sine fine manens.
O quam dulce decus, quàm vera potentia, qualis
Gloria, quàm stabilis quæstus, amare Deum!
Ejus amans Abraham plus civibus hospes, & unus
Plus populo miles, plus ita rege potest.
Nam virtus in amore Dei, verumque perenne
Præstat, & esse facit illud amare quod est.
Verè est ipse quidem, qui permanet unus & idem
* * * * * * * * * * * * *
Esse habet æternum, sine principio, sine fine,
Semper idem, si quis amare studet.
Si non tam solidum, solidum tamen esse meretur:
Nam sequitur vitam vita beata bonam.
Cætera si spectes, quàm sint nihil, omnia finis
Indicat, Assyrium consule, testis adest.
B *Hæc quid honos, quid opes, quid forma, quid arma, quid amplum*
Heu juvat imperium? juvit amasse Deum.
Sed quia vera salus Deus est, & amore tenetur:
Expete propter eum, vos ut ametis eum.
Dignus & ipse quidem est, ut ametur: amando scietis
Quis fructus, quis honos, quid sit amare Deum.
Virtus verò Deum, vel vita meretur honesta:
Quale bonum, quod sit semper amare Deum.
Quàm pius est, quàm promptus adest, quam denique prodest;
Ipsum quisquis amat, hic magè nosse potest.
Si te falsa docent aliena, doceris honeste
Concipere meritis spemve metumve tuis.
O qualis jactura Deo præponere quicquam;
Quem bene si quis habet; quæso, quid est, quid habet?
C *Nam si magna petis, Deus est, super omnia magnus:*
Si bona, quàm bonus est dicere nemo potest.
Si speciosa cupis, quis eo speciosior? optas
Forsan opes, das opes, dives & ipse manet.
Si te celsa juvant, generosaque: quàm generosus,
Quamve sit excelsus nemo referre potest.
Quem si forte potens juvat & pius: ecce potestas
Hinc pia, seu pietas est sine fine potens:
Quid mores? ipse poli, terra, maris auctor, & omnia
Quod fuit, est, & erit, perstat origo boni.
Huic famulans, parens dominatur Hebræus;
Servit, & est liber: subditur, estque potens:
Cui subdi fugiens, satanæ male subditur, hosti
Subditur, & vitiis subditur innumeris.
Tandem verò videns quò lapsus & unde fuisset,
Pectora curarum morsibus æger erat,
Multaque volventi sententia sedit asylum
D *Lapsis quærendum fortiter esse Deum.*
Sicque reus, quem læsit, avet: quem spreverat, orat;
Quem fugit, reperit; quem reprobarat, amat.
Hunc repetit, veniamque petit, de crimine flectum,
De pietate spei gaudia multa capit.
Et quid ad hæc dulcedo placens, dulcedo perennis;
Dulcis disponens ordine cuncta Deus.
Quid dulcedo potens, dulcisque potentia fecit?
Quod solet hæc fecit, dulcia dulcis agit.

SANCTI ANSELMI
CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI
LIBER
MEDITATIONUM
ET ORATIONUM.

PROLOGUS.

MEDITATIONES seu orationes, quæ subscriptæ sunt, * quoniam ad excitandam legentis mentem ad Dei amorem vel timorem, seu ad suimet discussionem editæ sunt, non sunt legendæ in tumultu, sed in quiete, nec * velociter, sed paulatim, cum intenta & morosa meditatione. Nec debet intendere lector, ut quamlibet illarum totam perlegat; sed quantùm sentit Deo adjuvante sibi valere ad accendendum affectum orandi, vel quantùm illum delectat. Nec necesse habet aliquam semper à principio incipere, sed ubi magis illi * placuerit. Ad hoc enim * ipsum paragraphis sunt distinctæ, ut ubi elegerit incipiat vel desinat; ne prolixitas, aut frequens ejusdem loci repetitio generet fastidium; sed potiùs aliquem inde colligat lector, propter quod factæ sunt, pietatis affectum.

* al. quæ ad

* al. placet

LIBER MEDITATIONUM.
MEDITATIO I.
De humanæ conditionis dignitate, & miseria.

I.

Quòd ad imaginem & similitudinem Dei facti sumus.

EVIGILA, anima mea, evigila; exerce spiritum tuum, excita sensum, expelle socordiam lethiferi torporis tui, apprehende sollicitudinem tuæ salutis. Inutilium cogitationum effugetur vagatio, recedat ignavia, diligentia teneatur. Meditationibus sacris insiste, adhære divinis bonis: intende sempiternis, temporalibus derelictis. Quid igitur utilius, quid salubrius in tam divino mentis exercitio poteris cogitare, quàm immensa beneficia conditoris dulcissima cogitatione recolere? Considera igitur in ipso creationis exordio quid sublimitatis, quid dignitatis tibi contulerit; & perpende quo amore, qua veneratione colendus sit. Certè cùm universitatem rerum visibilium & invisibilium creans & ordinans, humanam naturam facere dispotuisset, summo consilio de tuæ conditionis dignitate tractavit, utpote quam cæteris creaturis quæ in mundo sunt, altiùs honorare disposuit. Vide igitur sublimitatem tuæ creationis, & retracta debitum reddendi amoris. Faciamus (ait Deus) hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Si ad hoc dictum tui conditoris non expergiscaris, si in tam ineffabili benignitate erga te dignationis ejus in amorem illius tota non exardescis, si ad ejus desiderium totis medullis non inflammaris, quid dicam? Dormientem te, an potiùs mortuam reputem? Attende igitur diligenter quid sit ad imaginem & similitudinem Dei te esse creatam. Habes dulce pignus piæ meditationis, ubi cogitationes tuas exerceas. Agnosce ergo aliud esse similitudinem, aliud imaginem: verbi gratia, potest habere similitudinem quandam cum homine equus, bos, & cæteræ similes creaturæ; imaginem verò hominis non habet nisi alter homo. Manducat homo, manducat & equus: ecce quædam similitudo ac communitas inter naturas diversas. Imaginem verò hominis non imitatur nisi alter homo ejusdem naturæ, cujus imago est. Dignior igitur est imago, quàm similitudo. Similitudinem itaque ad Deum hoc modo habere poterimus; si eum bonum esse considerantes, nos boni esse studuerimus: si eum justum esse cognoscentes, nos justi esse contendamus: si misericordem contemplantes, nos misericordiæ operam demus. Quomodo autem ad

Digitized by Google

imaginem ſuam? Attende. Deus ſemper meminit ſui, intelligit ſe, amat ſe. Et tu ergo, ſi pro modulo tuo infatigabiliter memor fueris Dei, intellexeris Deum, amaveris Deum; eris ad imaginem ejus: quia hoc facere niteris, quod ſemper facit Deus. Ad memorandum, & intelligendum, atque amandum ſummum bonum, totum debet homo referre quod vivit: ad hoc omnis cogitatio, omnis volutatio eo dis retorqueatur, aequatur, conformetur, ut infatigabili affectu memor ſis Dei, intelligas Deum, ames Deum; & quæ creationis dignitatem, qua ad imaginem Dei creata es, ſalubriter exprimas. Quid dico ad imaginem Dei te eſſe creatam; cùm, teſte Apoſtolo, ipſa Dei imago ſis? *Vir*, inquit Apoſtolus, *non debet velare caput ſuum, cùm ſit imago & gloria Dei.* 1. Cor. 11. v. 7.

II.

Quòd ad hoc facti ſumus, ut Deum ſine fine laudemus.

SUfficiunt ne tibi hæc tam immenſa beneficia conditoris ad juges gratiarum actiones reddendas, & debitum continui amoris; cùm de nihilo, vel potiùs de luto te conſideras ejus bonitate ad tantam celſitudinem in ipſo conditionis exordio ſublimatam? Sanctorum igitur ſententiam in tuam converte vitam, & de ſancto quid dicatur attende. Quæ eſt igitur laus ſancti? *De omni corde ſuo laudavit Dominum.* Ecce ad quod creata es; ecce opus famulatûs tui. Ut quid enim te Deus tam præclaro conditionis privilegio ſublimaret, niſi te ſuis laudibus indeſinenter intendere vellet? Ad laudandum igitur conditorem tuum creata es; ut ejus laudibus vacans, & hic juſtitiæ merito in illum ſemper proficias, & in futuro bene vivas. Laus enim ejus & hîc juſtitiam, & ibi beatitudinem tribuit. Sed ſi laudas; ex toto corde lauda, diligendo lauda. Hæc eſt enim ſanctis laudandi propoſita regula. *De omni corde ſuo laudavit Dominum: & dilexit Deum qui fecit illum.* Lauda ergo, & ex toto corde lauda, & quem laudas dilige; quia ad hoc facta es ut laudes & diligas. Laudat namque, ſed ex toto corde non laudat, quem ad benedicendum Deum proſpera demulcent; ſed à benedicendi munere adverſa reſtringunt. Laudat quoque, ſed non diligit, qui in Dei laudibus aliud quam ipſum laudando requirit. Lauda igitur, & dignè lauda; ut nulla in te cura, nulla intentio, nulla cogitatio, nulla ſollicitudo mentis, in quantùm tibi virtus ſuppetit, à laude Dei ſit vacua. Ab ejus laude nulla te vitæ hujus proſperitas revocet, nulla compeſcat adverſitas. Sic enim ex toto corde laudabis Dominum. Sed cùm ex toto corde eum laudaveris, & diligens laudaveris; nihil ab eo aliud, quàm ipſum expertes; ut ipſe ſit finis deſiderii tui, ipſe præmium laboris, ipſe ſolatium hujus umbratilis vitæ, ipſe poſſeſſio illius beatæ vitæ. Ad hoc itaque facta es ut eum ſine fine collaudes: quod tunc utique intelliges pleniùs, cùm ejus beatâ viſione ſublimata videbis te ſolâ & gratuitâ bonitate illius, cùm non eſſes, de nihilo tam beatam, & ad tam ineffabilem beatitudinem creatam, vocatam, juſtificatam, glorificatam. Talis namque contemplatio infatigabilem tibi amorem dabit eum ſine fine laudandi, ex quo, & per quem, & in quo tantis & tam immutabilibus bonis te beatificatam gaudebis. Pſalm. 47. v. 10.

III.

Quod ubicunque ſumus, in illo vivimus, movemur, & ſumus: dum ipſum intra nos habemus.

SEd ab illa fœlicitate futura, contemplationis intuitu paululum etiam magnitudinem gratiæ, qua te in hac etiam vita fugaci ditavit, conſidera. Ipſe qui in A cœlis habitat, qui in Angelis regnat, qui cœlum & terra cum omnibus quæ in eis ſunt ſe inclinat, ſe tibi habitaculum præbuit, ſuam tibi præſentiam paratam fecit: docente enim Apoſtolo Paulo, *in illo vivimus, movemur & ſumus.* Dulcis vita, motus amabilis, optabile eſſe. Quid enim dulcius, quàm in illo vitam habere, qui eſt ipſa vita beata? Quid amabilius, quàm omnem voluntatis vel actionis noſtræ motum ad illum & in illo dirigere, qui nos perpetuâ confirmet ſtabilitate? Quid optabilius, quàm voto & converſatione jugiter in illo eſſe, in quo ſolo, vel potiùs qui ſolus eſt verum eſſe, ſine quo nulli poteſt bene eſſe? *Ego,* Exod. 3. v. 14. ait, *ſum qui ſum.* Et pulchrè. Ipſe enim verè ſolus eſt, cujus immutabile eſt eſſe. Ille itaque, cujus eſſe tam excellens, tam ſingulariter eſt, ut ſolum verè ſit; in cujus comparatione omne eſſe nihil eſt; cùm te ad celſitudinem creaverit, ut tuæ gloriam dignitatis nec intelligere poſſis, ubi te eſſe conſtituit? quem tibi manſionis locum præparavit? Attende ipſum ſuis in Evangelio dicentem: *Manete in me, & ego in vobis.* O in- Joh. 15. v. 4. æſtimabilis dignatio, ô beata manſio, ô glorioſa viciſſitudo! Quanta dignatio creatoris, ut in ſe ſuam velit habitare creaturam? Quàm incomprehenſibilis beatitudo creaturæ, in ſuo manere creatore? Quanta rationalis creaturæ eſt gloria, tam fœlici viciſſitudine creatori ſociari; ut ipſe in ea, & ipſa in eo teneat manſionem? Tam excellenter ergo creatos, in ſe nos manere miſericorditer voluit; ſuper omnia, ſicut omnium gubernator, ſine ſollicitudine exiſtens; omnia, velut omnium fundamentum, ſine labore ſuſtinens; omnia ſicut omnibus rebus excellentior, ſine ſuperbia excedens; omnia, velut qui univerſa continet, ſine diffuſione complectens; omnia, ſicut omnium plenitudo, ſine ſui anguſtia complens. Hic ergo cùm nuſquam deſit, delectabile intra nos ſibi regnum elegit: Evangelio demonſtrante, ubi dicitur: *regnum Dei intra vos* Luc. 17. v. 21. *eſt.* Sed ſi regnum Dei intra nos eſt & Deus in ſuo regno habitat; nonne ipſe in nobis manet, cujus intra nos regnum eſt? Ita planè: ſi enim Deus ſapientia eſt, & *anima juſti ſedes eſt ſapientiæ*; qui verè juſtus eſt, Deum in ſe manentem habet. *Templum enim Dei* 1. Cor. 3. v. 17. *ſanctum eſt, quod eſtis vos*, ait Apoſtolus. Et tu igitur ſanctitatis ſtudio infatigabiliter inſiſte, ne templum Dei deſinas eſſe. Ipſe de ſuis dicit, *inhabitabo in illis,* 2. Cor. 6. v. 16. *& inambulabo.* Nec dubites, ubicumque animæ ſanctæ fuerint, eum in illis eſſe. Si enim & tu in omnibus membris, quæ vivificas, ubique tota es; quantò magis Deus ubique totus eſt, qui teipſam & corpus creavit? Summâ igitur diligentiâ conſiderandum eſt cum quanta ratione & reverentia ſenſus noſtros & membra corporis noſtri movere debemus, quibus Divinitas ipſa præſidet. Demus igitur, ut dignum eſt, tanto inhabitatori omne imperium cordis noſtri, ut nihil ei repugnet in nobis; ſed omnes cogitationes, & voluntatis motus, omnia verba, & univerſa opera noſtra illius nutum attendant, ejus voluntati deſerviant, ad rectitudinis ejus regulam dirigantur. Sic enim verè regnum ejus erimus, & ipſe in nobis manebit; & nos in illo manentes, bene vivemus.

IV.

Quòd omnes, qui in Chriſto baptizati ſumus, Chriſtum induimus.

EXcita quæſo te, anima mea, & exardeſcat ignis ſuperni amoris in intimis tuis, & decorem à Domino Deo tuo tibi collatum prudenter intelligere, intelligens dilige, diligens ſanctæ converſationis obſequiis venerare. Nonne ipſe qui tibi in ſeipſo tribuit manſionem, & in te dignatus eſt habitare, ſeipſo veſtit te, munit, & ornat? *Quotquot,* ait Apoſtolus *in Chriſto* Gal. 3. v. 27. *baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Quid igitur laudis

Digitized by Google

SANCTI ANSELMI

ADMONITIO MORIENTI,

ET

DE PECCATIS SUIS NIMIUM FORMIDANTI.

INTERROGATIO. Lætaris frater quòd in fide Christiana * moreris ?

al. moriendo

Responsio. Gaudeo.

al. moriendo

Interrog. Gaudes quòd * moreris in habitu * monachico ?

al. religionis? al. te non bene vixisse si erat debuisse

Responsio. Gaudeo.

al. te Deum offendisse?

Interrog. Fateris te * tam malè vixisse, * ut meritis tuis pœna æterna debeatur ?

Responsio Fateor.

Interrog. Pœnitet te * hoc ?

al. vivendi?

Responsio. Pœnitet.

Interrog. Habes voluntatem emendandi, si spatium haberes. *

al. habeo.

* *Responsio.* * Etiam..

al. Credis tu quod

Interrog. Credis * quòd Dominus Jesus Christus pro te mortuus est ?

Responsio. Credo.

al. Agis etiam gratias de passione & morte sua?

Interrog. Agis * ei gratias?

Responsio. Ago.

Interrog. Credis te non posse nisi per mortem ipsius salvari ?

Responsio. Credo.

al. ergo ista semper dum in te est anima : habeas fiduciam in Christo, & fidem tuam constitue in hac sola morte Jesu Christi, & in nullam aliam tem speres. Speranti, hujus morri.

Inter. Age ergo * dum supereſt in te anima : in hac sola morte totam fiduciam tuã constitue : in nulla alia re fiduciam habeas : huic morti te totum committe, * hac solà te totum contege : hac morte te totum involve : Et si Dominus Deus voluerit te judicare, dic : Domine, mortem Domini nostri Jesu Christi objicio inter me & judicium tuum ; aliter non contendo tecum. Et si tibi dixerit * quia peccator es ; dic : Domine, mortem Domini N. J. C. obtendo inter te & peccata mea: Si dixerit tibi] quia meruisti damnationem; * dic : Domine, mortem Domini nostri Jesu Christi pono inter * te, & mala merita mea ; ipsiusque * meritum offero pro merito quod habere debuissem, nec habeo. * Si dixerit quòd tibi iratus est ; dic : Domine, mortem Domini N. J. C. oppono inter me & iram tuam.] Quo expleto, iterum dicito, Domine, mortem Domini nostri JesuChristi pono inter te & me, & iram tuam. Hoc facto, dicat infirmus ter hæc verba: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum :* * *Redemisti me, Domine, vinculum meum : tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini invocabo.* Versus : *Educ de custodia animam, ad confitendum nomini tuo : me expectant justi, donec retribuas mihi.* Postea dicat, *Maria, mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe : per tuum ergo, Virgo, Filium; per Patrem, & Spiritum sanctum, præsens adsis ad obitum meum, quia imminet exitus.* Amen.

al. mortis

al. te Deum offendisse?

al. de ei sic: al. me & te, mala al. mortem: meritum

al. explicit hic admonitio

Post hæc dicta & responsa ab infirmo, Sacerdos dicat pro infirmo istos Psalmos. Psal. *Deus, in nomine tuo salvum me fac.* Psal. *Credidi.* Ps. *Deus in adjutorium.* Psal. *Voce mea.* Ps. *In te, Domine, speravi.*

Si fuerit sæcularis, infra scripto modo debet interrogari per Sacerdotem.

Prima interrogatio. Credis tu ea quæ sunt Christianæ fidei, quantum ad ea quæ sunt * determinata ab Ecclesia ? *Resp.* Credo.

al. diffinita al. hoc tenet.

Interr. Gaudes quia in fide Christiana moreris ?

Resp. Gaudeo.

Interrog. Recognoscis te Deum graviter offendisse?

Resp. Recognosco.

Interrog. * Doles te quod offendisti Creatorem tuum ?

Resp. Doleo.

Interrog. Proponis quòd, si Deus tibi vitam prolongaverit, ab ejus offensa cavebis ? *

Responsio. Propono.

Interrog. Speras, & credis tu quòd pervenias ad salutem æternam non tuis meritis, sed meritis passionis Jesu Christi.

Responsio. Spero.

Tunc sequitur affeuratio, & dicat sibi. Si tibi se objiciat aliquis, & contra te proponat ; opponas inter te & ipsum, merita passionis Christi.] * In fine fac eum dicere istos versus : *In manus tuas, Domine, commendo*, &c. ut supra.

al. Resp. oppone. Et his factis, dicit Anselmus quod sine dubio salvabitur

Nota bene: tu qui vis intrare ad vitam æternam, cogita verba subscripta omni die in vita tua, & sic nunquam offendes Deum. Primò, brevitas vitæ. Secundò, * lubricitas. Tertiò, mors incerta. Quartò, pœnæ damnatorum. Quintò, præmia justorum. Sextò, supplicia impiorum.

al. mortalitas

Digitized by Google

SANCTI ANSELMI
CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI
CARMEN
DE CONTEMPTU MUNDI.

QUid deceat monachum, vel qualis debeat esse,
Qui jubet ut dicam, porrigat ipse manum.
*Grex sanctus (monachi) vobis hæc * scribimus; * hæc vos*
Instruit, hæc vitæ pagina pandit iter.
Nec vos, dilecti Fratres, contemnite, si quid
*Nostra pium, si quid nostra salubre * monent.*
Sæpius ingentes lux pellit parva tenebras,
Rivulus & dulces sæpe ministrat aquas.
Non tonsura facit monachum, non horrida vestis;
Sed virtus animi, perpetuusque rigor.
Mens humilis, mundi contemptus, vita pudica,
Sanctaque sobrietas: hæc faciunt monachum.
Hæc vos in cœlum, monachi, quadriga levabit:
Hæc post hanc vitam præmia summa dabit.
*Nil tonsura * juvat, juvat aut vilissima vestis,*
Si lupus es: quamvis esse videris ovis.
Nam falli possunt homines, & fallere: Christum,
*Qui nullum fallit, * fallere nemo potest.*
*Ille quidem sucum * simulatæ religionis*
Damnat, & in reprobis moribus esse nequit.
Vovistis, (Fratres) vovistis: vestra, rogamus,
Vivite solliciti reddere vota Deo.
In majestatem divinam peccat abundè,
Quisquis quæ non vult reddere, vota vovet:
Vovistis Domino vestros convertere mores:
Jam nunc peccatis sit modus & vitiis.
Nunc humilis vivat, qui vixerat ante superbus:
Sit castus quisquis luxuriosus erat.
Quærebat census aliquis, captabat honores,
** At modo vilescant census honorque sibi.*
Gaudebat dapibus, gaudebat divite mensa,
Nunc tenuem victum sobria cœna dabit.
Ille suis latus successibus esse solebat,
Nunc lachrymis culpas diluat ipse suas.
Ostro conspicuus, gemmis insignis & auro,
Veste modo vili squalida membra tegat.
Verbosus taceat, mitescat fervidus ira.
Invidus invidiæ dira venena vomat.
Cuique prius cadet placuit, placuere rapinæ;
Nunc pius & mitis pacis amator erit.
Quisquis adulantum ventosa laude tumebat,
Nunc hominum laudes æstimet esse nihil.
Et qui spernte malus gratisque nocere solebat,
Nunc etiam læsus utilis esse velit.
Ad lites facilis fuit hic, ad jurgia præceps;
*Fortiter alterius nunc maledicta * ferat,*
*Non * hunc contemptus, non hunc injuria frangat,*
Omnia robusto corde molesta ferat.]
Pax, animique quies inter convitia duret;
*Nam * fortem verum nulla procella * movet.*
Hæc veniam (Fratres) conversio vera meretur,
*Hæc valet * offenso vita placere Deo*
Non vos illiciat brevis hæc & falsa voluptas,
Non vos decipiant hæc peritura bona.

Cur quæso cupiat quicquam, cui cuncta reliquit;
Ad mala cur redeat, qui bona proposuit?
Terram contemnas, qui cœlum quæris habere;
*Si mansura * placent, hæc fugitiva fuge*
Dum licet, & spatium vitæ conceditur hujus;
Semper ad omne bonum vive paratus opus.
Fac bona quæque potes, modico dum tempore vivis;
Multa metes, si nunc semina pauca jacis.
Parvo perpetuam mercare labore quietem,
Et pœna flenda gaudia longa brevi.
Mens tua terrenis non hæreat atque caducis:
*Labitur & transit quicquid * in orbe vides.*
*Vita * quid est præsens? tentatio, pugna molesta,*
Hîc acies semper, semper & hostis adest.
Sed cùm nulla tibi fuerit jam sucina carnis;
Tunc sine fine quies, pacque perennis erit.
B *Liver & ambitio, gula, fraus, metuenda libido,*
*Ira, tumor mentis, * febilmata, laudis amor.*
Et quæ de Satanæ castris sunt cætera mille,
Undique nos vallant assiduèque premunt,
*Has * inter pestes dum mens infirma tenetur;*
Fluctuat, & variis æstuat illa modis.
Nec cadat illa licet semper casura videtur,
Et quatitur tantis exagitata malis.
Et quis habet tantas vitiorum ferre procellas,
Si non divinum subvenit auxilium?
Hæc monachi toto mentis conamine vitent;
Præteritas culpas flendo, gemendo, lavent.
Distinctisque legant spatiis, operentur, & erunt
A studiis sacris tempora nulla vacua.
C *Utilibus semper studeant, & rebus honestis:*
Res est segnities pernicies nimis.
Luxuriæ fomes res incentiva malorum,
Spiritibus nequam præparat ipsa locum.
Funestum monacho cùm quid malè suggerit hostis,
Et conatur eum fallere mille modis.
Esse Deum credat præsentem semper ubique;
Nec se, si peccat, posse latere putet.
*Cuncta scit atque * videt, nec quicquam præterit illum,*
Omnia sunt oculis nuda & aperta suis.
Cùm quid turpe facit, qui me spectante ruberet;
Cur spectante Deo, non magis ipse rubet?
*Si patriæ Judex sciret sua facta, * timeret:*
Scit Dominus rerum; cur nihil ergo timet;
Sed tacet, & differt, & nondum crimina punit:
Puniet, & meritis arbiter æquus erit.
D *Propositum vitæ (monachi) servate rigorem,*
*Nec pigeat parvo * tempore dura pati.*
Sed mundi quamvis delectent vana cavete:
*Et certè gustu dulcia sæpe * necant.*
Nec quicquid carnis sensus demulcet, amate:
Quæ carnem oblectant, mentibus ipsa nocent.
*Gaudia perpetuos pariunt mundana * dolores,*
Tollit & æternum vivere vita brevis.
Exiguus labor est, sed merces magna laboris;

al. scripsimus
al. hoc
al. monet
al. omis.
al. sed fallere Christum
al. hominum nemo
al. simulatæ
al. fortem monet ad offensum vita placare Deum
al. volet
al. ubique
al. flemmata
al. parvo
al. nocent
al. labores
al. timebit

Praeteris ille cito, pramia fine carent.
Ergo Deo melius si nil cognoscitis esse;
Immo si summum credidit esse bonum.* (al. credicur)
Contemptis rebus mundi labentibus illis
Jam sint in solo gaudia vestra Deo.
Et mihi quæ possunt amitti? nulla videntur.
Nec longum, quicquid præterit, esse reor.* (al. desinit)
Nam quid honor, quid opes, quid gloria, quidve juventus?
Forma, genus, vires, fœmina, vestis, ager.
Gemma vel argentum, quid regum sceptra, vel aurum (al. regum)
Purpura, quid latus fundus, & ampla domus?
Magna potentia, multa scientia, falsa voluptas.
** Vitæ quid & nostri corporis ipsa salus?* (al. vitæ)
Non amo quod pestis, quod fur, quod subripit hostis;
Et quæ, si parcant cætera, mors adimit.
Sunt quos falsus honor juvat, & peritura potestas:
Sequæ putant aliquos, quod loca cassa tenent.*
Et velut è specula campos & plana viderent;
Sic quoque de mentis vertice quosque vigent.* (al. montis)
Dum non attendunt humanam conditionem;
Non norunt quid sint cernere, sed quid habent.
Sed dum sceptra gerunt, renitent diademate reges,* (al. retinent diadémata)
Et gaudent lati finibus imperii:
Dum distenduntur dapibus, dum nectare fervent;
Et servit mensis terra fretumque suis:
Et dum byssus eos, pretiosaque purpura vestit;
Majestasque vacat regia deliciis:
Dumque emollitos delinit blanda libido
Carnis, & illecebris in sua jura trahit:
Dum turpi domina famulantur turpiter isti,
Quos falso reges nomine mundus habet.* (al. falso)
Avertunt oculos, renuuntque videre profecto,
** Quòd sint ipsi homines & moritura caro.* (al. Quòd sint ipsi)
Quòd citius transit mundana potentia fumo
Quòd vitreum, seu quod fictile vas sit homo;
Quòd caro mortalis tanquam vestis veterascit,
Et celeri lapsu curva senectus venit:
Quòd nostra semper minuuntur tempora vitæ,
Quòdque dies hominis fumus & umbra fugit:
Quòd sit vita brevis, quòd mors incerta, quod omni
Tempore nos quævis causa molesta premit.
Rex appellaris, quid inanis nomine gaudes,
** Qui vitiis pulsus, victus ubique jaces?* (al. emit.)
In tanto, quæso, qui tanto nomine fulget,
Cur ratio servit, regna libido tenet?
Cur vitiis servit, qui regnis imperat: & non
Mancipium vilis corporis esse pudet?* (al. vile)
O dilectores mundi, falsique potentes:
Exquid terrenas esse putatis opes?
Quid quoque mundanos quos affectatis honores,
Quorum perpetua est solicitudo comes?
Omnia præcipitem formidant ardua casum;
Et magnis semper vis aliena nocet.
Sæpius alta ruit ventorum flatibus arbor;
Tuta humilis myrtus, tuta myrica manet.
Bellica cum celsas subverterit machina turres,
Nil nocet exigua pauperis illa casa.
Et rapinæ obstantes* fluvii violentia moles,* (al. ingentes; al. fluvium)
Plana satis placido permeat ille gradu.
Montes & scopulos sævi maris obruit unda,* (al. umbra)
Ad placidum litus mitior unda venit.
Aerias Alpes nivibus candescere scimus;
Frigoribusque premi, perpetuoque gelu.
Illic & rabies ventorum plurima sævit,
Temperiem gratam proxima vallis habet.
Sic vobis numquam desunt adversa, potentes;
Non est pax vobis ulla, nec ulla quies.
O quantos regum patiuntur corda tumultus!
Quamque procellosis motibus ipsa fremunt!
Inter regales epulas, varioque paratu,
Tabescunt curis, solliciloque metu.

Non paucos meruit multis metuenda potestas;
Vix alicui credit, dum cavet insidias.*
Mille satellitibus cinctus, telisque suorum,
Non valet è trepido pellere corde metum.
Rursus quid domino numerosa pecunia prodest?
Accipe quid cura, quidve timoris habet.
Et brevis & rarus sit somnus habentibus aurum;
Omnis enim vigilat non moderatus amor.
Non dat securos nec ebur nec purpura somnos,
Pauperis vili stramine tuta jacet.
Auri possessor formidat semper, & omnem
Ad strepitum factas æstimat insidias.
Arma, venena pavet, furtum timet atque rapi-* (al. timet)
nam:
Sollicitus servat quæque lucrata diu.
Hunc, dum quærit opes, cruciat miseranda cupido:
Cùm jam quæsitas cœpit habere, timor.
Sic igitur miser est, dum pauper quærit habere:
Et miser est dives, perdere parta timens,
Dum jacet in plumis serico contectus & ostro;
Mordetur curis, invigilatque dolo.* (al. cujus)
Contimuare suis vicini pauperis agrum.
Ardet, & ad fatuum nescit habere modum.* (al. cogitat illa modum)
Expellit dominos pupillos ille paternis,
Insequitur viduas, judiciisque premit.
Cùm sit avaritiæ facibus succensus iniquis,
Non valet injustis se satiare lucris.*
Ergo facit multos inopes: diversque rapinis,
Luxuria servit: sed spoliatus eget.
Deliciis fruitur, & rebus pauperis iste;* (al. in justis se saciare lucris; al. malis; al. illis)
Sed gemet amissis indignus iste bonis.* (al. gemit)
Huic epulæ variæ, vestis pretiosa paratur:
** Sed panem & * grossam vix habet ille togam.* (al. Pauper pannosam; al. crassam)
Ad quem si in flammis ingressus tartara, parvam
De digiti extremo pauperis hujus aquam:
Et vice conversa, qui dives abundat, egebit:
** Huic * qui pauper eget, copia dives erit.* (al. nunc qui; vel his qui; vel hinc qui)
At quid avarus opes quicunque es, congeris istas?
Forsitan hæ facient ut citius pereas.
Dic mihi, divitibus si quando defuit hostis:
Hos teris & quassat sæpè ruina gravis.
Invidia comes est melior fortuna, nec unquam* (al. invido)
Fida satis cuiquam mobilis illa manet.
Ergo solliciti causas exclude timoris;
Esse velis pauper, illicò tutus eris.
Paupertate quidem nihil esse beatius unquam,
Paupertate nihil tutius esse potest.
Non tibi subsidium sunt hæc, sed sarcina grandis:
Quæ malè te miserum semper ad ima premit.
Justitiæ montes, virtutumque ardua nullus
Scandet, dum mundi rebus onustus erit.
*Stulte quid hæc sequeris, * cur sic labentibus hæres,*
** Mortalis, quid vis & moriturus opes?* (al. mortales)
*Cùm te post mundi curas, * vanosque labores;* (al. vatiosque)
Cùm tibi transierint, quæ mala parta tenes;
Tartarus horrendo pavidum absorbebit hiatu,
*Atque miser variis * excruciere modis.* (al. excruciare)
Cùm te terribilis exactor jussus ab æquo
Judice, sulphurei mergat in ima lacu.
Tunc, tunc infelix, super his serò pœnitebit, (al. una sed erste serò dolebis; al. super his sero pœnitebis; al. Et fallis)
** In falsis istis spem posuisse bonis.*
Non hæc argentum, non hæc descendit & aurum,
Non aderit mundi gloria lapsa brevi.
Forsitan hæc parvus, quæ tu modò colligis, omnes
Effundet quondam prodigus alter opes,
Tunc pariter rebusque tuis & conjuge fœlix;
Cum cinis exiguus, sive cadaver eris.
Magnum nomen habes, clara est tibi fama per orbem,
Laudat te mundus: sed morière tamen.
Non prosunt quisquam præconia vana sepulcris;
*An fallax quisquam senserit * ille cinis?* (al. illa)
Fama placet populi, cupida trahis aure favorem,
Nescis divinum quis paret arbitrium.

Digitized by Google

Fœnum & umbra levis tota eſt hæc gloria mundi:
** Terquent famoſos tartara ſæva reos.*
Et color, & facies, & multum grata juventus,
Et vox quæ dulces noverat ante domos:
Diffugiunt miſerâ tandem veniente ſenectâ,
Diffugiunt pexæ quæ decuere comæ.
Os exarmatur decuſſis dentibus; inde
Vix imperfectùm ſufficit ille ſonus.
Deficiunt vires, jam prodit ruga ſenilis,
al. effœto *Horret in * effœto corpore ſcabra cutis.*
Jam jam curvatur, jam manant ora ſaliva:
Exanguis color eſt, halitus ipſe gravis.
Sicque perit placidè paulatim gratia formæ:
Nullaque de multis, quæ placuêre, manent.
al. nam *Jam * guſtata minus ſapiunt, vix ſentit odores.*
*Vix quoque clamoſos percipit aure * ſonos,*
Caligant oculi: de toto ſola ſuperſunt,
Huic cutis, & nervis oſſa ligata ſuis.
Vix jam fuſte poteſt nutantes figere greſſus,
Vixque valet tremulâ quæque tenere manu.
Si qua ſibi fuerat prudentia tota receſſit:
al. Idque tamen ** Id tantùm laudat, quod puerile ſapit.*
Sic igitur ſe quiſque ſenex miſerabilis ipſum
Quotidie perdit, ſubtrahiturque ſibi.
Et cùm ſit morbus nimium gravis ipſa ſenectus,
Attamen innumeris angitur ille malis.
al. quiſque ſic laudo dolet *Hæc inquam multis vexatur inutilis ætas,*
Semper & unde ſenex quiſque queratur habet.
Manducare labor, ſit jejunare moleſtum,
Somnus ei gravis eſt, & vigilare nocet.
Æſtates odit; ac hyemes & frigora culpat;
Autumnum, cauſam quod dolet, eſſe putat.
Hunc quoque minimum veris clementia ladit,
Nec querulo poſſunt ulla placere ſeni.
Hæc inter quæ cuncta ſenex incommoda ſentit,
Urget eum ſcabies, tuſſis anhela quatit.
Ingratuſque ſuis morbo confectus & annis,
Conqueritur vitæ tempora longa ſuæ.
Labile forma bonum, ſpecies inimica pudori,
Utile virtutum ſæpe retardat iter,
Nunc inſenſatos ſiſtat, nunc turpia ſuadet;
Sæpe etiam fortes præcipitare ſolet.
Et mors & morbus rapit hunc, & mœſta ſenectus:
al. illa die *Mille perit cauſſis, nec manet * illa diu,*
Nec bona forma Deum, ſed mens ſincera meretur:
Juſtitia ſoli vita beata datur.
Tu reges avos memoras, magnoſque parentes;
Et vanâ carnis nobilitate tumes.
Neſcis cunctorum quòd ſit communis origo,
al. non ſecus emergunt davus, herilve ferox Ortus & occaſus, & clarum ** Ortus & occaſus unus, & una caro.*
Quid tibi nobilitas, & clarum nomen avorum;
Si vitiis ſervis factus es ipſe tuis?
Nobilis eſt, animi quiſquis virtute refulget;
Degener eſt ſolus, cui mala vita placet.
al. aut *Nec genus, * at mores veneratur curia cœli;*
Et cœlum juſtos, non generoſos habet.
Sed nec præpoſitus mortis, ſcelerumque miniſter
Vexat damnatum mitius ingenium.
Nullum ei ſervatur honor, reverentia nulla;
Nec magis eſt tutus nobilitate ſua.
al. tumetoſaque *Sed fortes humeros * nervoſaque brachia jactas.*
Atque tui vires corporis eximias.
Bella refers, domitoſque duces, genteſque ſubactas:
Maximaque imperio ſubdita regna tuo.
al. illos *Non bove, non aſino tu fortior; attamen * illos*
al. emis *Ipſe ſatis vili carnis * emi pretio.*
Sic quæcunque feris tecum communia cernis,
Nec mirare nimis, nec pretioſa puta.
Quod ſi vis ſenſus, viresque attendere carnis,
Exuperant multa nos in utroque fera.
al. Nam *Nos * & equi vincunt veloces præpete curſu,*
Et melius nobis audit oletque canis.
Quis velit iratos luctu tentare leones?

A *Terribiles urſos, fulmineſque fues.*
Sola animi eſt virtus, quæ nos præponimur illis;
Cætera ſunt equidem noſtra minora ſatis.
Jejunus triduum, totum ruit unde ſuperbis:
*Vix * tenuem ſtatum jam moriture trahis.* al. temerè
*Quod ſi vel * leviter te decoquat ignea febris,* al. tenuiter
Statim marceſces, illicò nullus eris.
Sed cùm te vitium vitiis ſuccumbere cernis:
Aſſiror, te fortem dicis, & eſſe putas.
Bella libido movet; tu primus cedis ad illas,
Et tua das fœdo colla premenda jugo.
Sic & avaritiæ ſervis, ſic motibus iræ,
Sic facis ardentis juſſa pudenda gulæ.
Fœmina dulce malum, mentem roburque virile
Frangit blanditiis inſidioſa ſuis.
Fœmina, fax Satanæ gemmis radiantibus aura,
*Veſtibus ut * poſſit perdere compta venit.*
B *Quod natura ſibi ſapiens dedit, illa reformat:*
Quicquid & accepit dedecuiſſe putat.
*Pungit acu, & fuco * vivantes reddit ocellos,*
Sic oculorum, inquit, gratia major erit.
Eſt etiam teneras aures qui perforet, ut ſic
Aut aurum aut carus pendeat inde lapis.
Altera jejunat miſerè, minuitque cruorem:
Et prorſus quare palleat, ipſa facit.
Nam quæ non pallet ſibi ruſtica quæque videtur;
Hic decet, hic color eſt vernus amantis, ait.
Hæc quoque diverſis ſua ſordibus inficit ora.
Sed quare; melior quæritur arte color.
Arte ſupercilium rareſcit, rurſus & arte.
In minimum mammas colligit ipſa ſuas.
Arte quidem videas nigros flaveſcere crines,
Nititur ipſa ſuo membra movere loco.
Sic fragili pingit totas in corpore partes;
C ** Ut quicquid nata eſt, diſplicuiſſe putes,* al. quo. in geſtu
*O * quos in geſtus ſe mollis fœmina frangit,*
Et placet in bleſis ſubdola lingua ſenis.
*Dulcia ſæpe canit, componit * ſedula greſſum,*
** Ut quadam credas arte movere gradum.*
Sæpe auditores ejus facundia torquet;
*Et modo ridendo, * nunc quoque flendo placet.* al. nam
Mille modis noſtras impugnat fœmina mentes,
Et multos illi perdere grande lucrum eſt.
Nil eſt in rebus muliere nocentius; & nil
Quo capiat plures lethifer hoſtis, habet.
Nec nos in totum falſamus crimina ſexum;
Tempore ſed noſtro rara pudica manet.
Sed carnem fœnum clamat ſacer eſſe Prophetes;
D *Fas procul à fœnum flamma ſit iſta tuo.*
Tu molles riſus, nutus, & dulcia verba,
Fœmineoſque jocos effuge; virus habent.
Fœminei ſenſim virus ſubrepit amoris; al. furtim
Hos tibi ni videas, illicò captus eris.
Fœmineum fuge colloquium, vir ſancte, cavento.
Fœmineas, ſi vis vincere, blandicias.
Namque fœmineo mens capta ligatur amore,
Nunquam virtutum ſurgere ad alta poteſt.
Harum colloquium quid confert utilitatis,
Venifti monachus, turpis amator abis.
*Ergo vive ſum niſi declinaveris * anguem;* al. ignem
*Ni longè * fias, inficiêre quidem.* al. facem
E *Accendit mulier quæcunque libidinis ignes*
Et ſanctis ipſis proxima facta nocet.
Fundana Andreas ubi magnus Epiſcopus urbis
** Nutavit, virgo fœmina cauſa fuit.*
Si veterum libros, & patrum ſcripta revolvas;
*Quod doleas ſanctos * ſic cecidiſſe viros,* al. ſi
Nec docto Salomone quidem tu doctior eſſe,
Nec David ſancto ſanctior eſſe potes.
Si Loth, Samſonem, ſi David, ſi Salomonem,
Fœmina dejecit, quis modo tutus erit?
*Nunquid non hominem mulier de ſede * beata*
Expulit, & noſtræ mortis origo fuit?

Digitized by Google

Sed clara facie satis est, & forma venusta,
al. Et videor placens diffonat intextus. * *Et tibi non minimum lactea tota placet.*
Viscera si pateant, pateant & cætera carni,
*Cernes quas sordes contegat * alba cutis.*
Si fimum vilem prafulgens purpura velet,
Ecquis ob hoc fimum vel male sanus amet,
Intra compta satis cellarum fœmina claustra;
Suspirans dicit, discere sancta volo.
al. Illa al. accedes *Accedo * ad monachos peccatrix fœmina, namque*
Hi monita, & sancta dant documenta via.
Compta venit, & sancta placent: quis credere possit?
Suspectam te habeo; credo, nocere venis.
Lascivi risus, ardentis nutus ocelli,
Et tua garrulitas displicuère mihi.
Pastores vigilate, lupas arcete rapaces
*A gregibus * vestris, claustra negentur eis.*
Occidunt animas, multosque ad tartara mittunt;
Et monachis pestis nulla timenda magis.
Fœmina mors anima, monachis accedere nunquam
Audeat; à sacro sit procul ipsa choro.
Sit procul à cœtu sanctorum fœmina; namque
Et si non valeat vincere, bella movet.
Sed forsan dices esse maritos,
Et casti laudes fœdera conjugii.
Crede mihi, frater; miser est quicunque maritus
al. Is * *Vis dicam quantùm triste sit istud onus?*
Si quis habet sponsam turpem, fastidit & odit:
Si pulchram, mœchos anxius ipse timet.
Cernis enim quantùm sibi forma pudorque repugnent,
Raraque de pulchris esse pudica potest.
In quam suspirant multorumque vota, timebis
*Perdere, vel soli ne * sit habenda tibi.*
Si fias pregnans, accessit & altera cura;
Accrescuntque tibi multiplicata mala.
Hinc illam metuis ne quis corrumpat adulter,
Et pariat quorum non eris ipse pater.
Hinc res arcta nimis tenuisque pecunia, totam
Infaustam secum cogit egere domum.
Est quoque perpetuas qua miscet garrula lites,
Fitque molesta suo nocte dièque viro.
Et vinosa quidem multum damnosa marito est:
Nam quæsita diu distrahit illa brevi.
al. fingit *Ista dat amplexus molles, & dulcia figit*
Oscula, sed tacito corde venena premit.
Hæc vel de facie vel nobilitate superbit,
Et sceptro dignam credit habere manum.
Fraudibus uxorum multi periêre virorum;
Fœmina nil horret, cuncta licere putat.
al. jam *Audet quicquid * eam jubet imperiosa libido;*
Et metus, & ratio cedit, & ipse pudor.
Hæc leges sacras contemnit, & omnia jura.
Turpe sit aut sævum: dum juvet, illud amat.
Dalila Samsonem, Clytemnestra peremit Atriden.
In lege fœmineos sensi uterque dolos.
Sed cur quæso vetus tibi nunc historia narret,
Quæ fieri nostro tempore multa vides?
Quas sordes, quantosque metus curasque mariti
Sustineant, & quis connumerare potest?
Jam nunc, quàm gravis est uxoris sarcina, cernis:
Quamque premat duro subdita colla jugo.
Ergo maritalis damnamus fœdera lecti?
Non: sed perfectis non damus ista viris.
Conjugibus non est fructus centesimus; aut quem
Reddunt per sensus multiplicata decem;
Nec tamen æterni privantur lumine regni,
Accipient meritis præmia digna suis.
al. mollis *Te mollis byssus, te * fulgens purpura vestit;*
Et texunt mundi singula regna tibi.
Quæ pretiosa tuos pellis non cedit in usus?
Quæ vestis species, quæve coloris abest?
Sed nec ad indecorem cultus pudet addere quicquid
al. plurima *Artificis novit * cudere docta manus.*
Irradiant gemmis digiti, pariterque lacerti,

A *Vixque valet auri pondera ferre tui.*
O quàm vana hominum talis vesania: stulte,
Quid juvat externis velle nitere bonis?
Si vitiis sordes, quid prodest fulgida vestis;
Absterget maculas purpura nulla tuas.
Gemmarum & tanti fulgor non efficit auri,
Ut careat tenebris mens tua cæca suis.
*Sed * sancti mores faciunt, non vestis, honestum;*
Et probitas magnos efficit una viros.
*Quæ natura dedit, serva integra: non eget * istis* al. ista
Vilibus ornari rebus imago Dei?
Ista quidem fieri ventosa superbia cogit:
Sola placet justo sobria vita Deo.
Agrorum fines longos extendere quæris,
*Et multas * messes, horrea plena cupis.*
*Scis * Evangelicus quid avaro fermo minetur* al. sicut
Hac in nocte animam perdere stulte tuam:
Inquit, habes, & cujus erunt quæcunque parasti?
** Improbe, jam frana vota, timeque mori.* al. improba
B *Tot * funges, auri tantum, vinique, tot agri,* al. fungeris auri
Ad quid eget paucis vita salusque brevis.
Arvum quæris, homo, tibi fertile; nec tamen unquam
Ad sterilem vitam respicis ipse tuam.
Agricolæque Dei tumidus contemptor ubique,
Nullos vis fructus reddere justitiæ.
Ad scelerum vepres suffocas semina vitæ,
Et peccatorum surgit amara seges.
Extirpa mentis tribulos, spinasque revelle:
Et tritico Christi pectoris arva fere.
Fructificetque Deo cordis novale, premasque
Virtutum messis semina nequitiæ.
Esse quid argentum, quid gemmas, credis & aurum,
Prædia? quidve omnes, quas habet orbis, opes?
Hæc Judæus habet, gentilis, latro cruentus;
Crede mihi, iratus sæpe dat ista Deus.
Parva puta quæcunque malos contingit habere.
Parva puta quicquid fur & adulter habent:
C *Quod meretrix, quod mœchus habet, nec magna putabis*
Omnipotens longè dat meliora suis.
Est oculus mentis cæcatus pulvere terræ;
Ut nequeas lumen cernere justitiæ:
*Heu * tibi cui virtus non lucet, lucet * at aurum;* al. nec al. & non
Et prefers summis infima quæque bonis.
Nec mala magna reor, quibus affliguntur amici;
Nec bona, quæque hostes constat habere Dei.
*At * quoties vir justus eget, scelerosus abundat,* al. Quo vit justus eget nunquid scelerosus abundat?
Non est pravorum copia grande bonum?
Ægrotat sapiens, sed sanus floret iniquus:
Non est grande bonum corporis arcta salus.
D *Dilectum Domini moritur, sed vivit adulter:*
Non est in magnis vita caduca bonis.
Ergo modo similis tibi collige cætera, fili,
Et prudens vilis munera sperne soli.
Vile relinque solum, cupias fastigia cœli:
● *Illic percipies dona beata Dei.*
Non pretiosa facit pretiosum purpura quemquam;
*Nec * mutant mores tradita sceptra malos.* al. quondam
Si pius ista Dei data conspicis hostibus esse;
Impia pars hominum regnat ubique fere.
Virtuti si detur honos, si præmia digna;
Et teneant meritum singula quæque locum.
E *Jam nunc res hominum mihi crede & pace * beatas* al. beasse
Viderit, & certo se cohibere modo.
*Sed quia regna malis, * scelori est donata potestas;* al. scelera donata
Debita virtuti frana libido tenet.
Mundus turbatur, rerum confunditur ordo;
Involvitque simul omnia grande chaos.
Vis prohibet leges, evertunt crimina mores,
Et valido virtus turbine quassa latet.
Das Libanum tibi lingua: Paros sua marmora mittit:
Aurum præbet Arabs: India præstat ebur.
Tu Cedro peregrina, & marmore construis ædes:
Miraque consurgit fabrica, fundis opes.

Digitized by Google

Rident argenta postes, laquearia multo
Auro: distinctum sculptile vestit ebur:
Porticibus vallas operosis atria: quales
al. domus intus *Quoque putas thalamos, hæc* labyrinthus habet.*
Illic tu videas pictum, sculptumque stupescas,
Artificis quicquid mensque manusque potest.
Ostia multa quidem, variæ sunt mille fenestræ,
Mille columnare est marmore fulta domus.
Quid tanto, moriture, paras molimine? quare
Das animum vanis, & peritura placent?
Cur ample ædificas bustо claudendus in arcto?
al. Quem pia Pigmæa clau- ** Deficient vitæ tempora parca tuæ.*
stra colere *Quid tibi tanta ædes? quanto fœlicius ipse*
mavis? *Templum esses vivi viva domusque Dei.*
Esto domus Domini, quam sacris moribus orna:
Virtutem cultor religionis ama.
Quam fœlix anima est, in qua sibi ponere sedem
Dignatur summi spiritus ipse Dei.
Omnis habet subitum terrena potentia finem,
Atque fuga celeri deserit ipsa suos.
Ergo time, quisquis celsos conscendis honores:
Teque ruinoso stare memento loco.
Magnus erat Cæsar, totoque potentior orbe:
Nunc, quem nec mundus ceperat, urna capit.
Sic & Alexander fortissimus ille Macedo,
Clauditur angusto pulvis & ossa loco.
Major erat mundo magnus, modo nobile corpus
Exulis & vili vilis arena tegit.
Et cecidit Babylon: cecidit quoque maxima Troja:
Olim mundipotens, aspice, Roma jacet.
Ecce dies res nulla manet mortalibus: ecce
Nullus honor prohibet, gloria nulla, mori.
Summus Aristoteles Logicæ scrutator acutus,
Edidit ingenio multa reperta suo.
Non syllogismo, non enthimemate factum est,
Ut vellent tanto parcere fata viro.
Quid penetrasse invitat natura arcana Platonem,
Et mundo studio multa dedisse suo?
Solis iter, cœlique plagas, lunæque meatus:
Et vaga cum summo sydera fixa polo:
Multaque præterea satis ardua noverat: & nunc
Philosophus cinis est: nomen inane manet.
Dum res & rerum causas vestigat Hypocras,
Dum de naturis disputat; atque suis
al. Infert al. libentis *Inserit* illa libris, dum multa* latentia prodit,*
Dum medicinali corpora servat ope.
Ingens fama viri toto diffunditur orbe;
Et meriti fructus ille favoris habet.
Sed nullis herbis, nullis radicibus actum est,
Ne Physico mortis lex subeunda foret.
Et Justis, non Ppilosophis, dat præmia Christus;
Rusticus es: justus esto, beatus eris.
Philosophus Varro, Petrus piscator: & ecce
Petrus habet cœlum, tartara Varro tenet.
Ille voluptatum varia dulcedine gaudet,
Et desideriis servit ubique suis.
Sunt, quæ summa putat meretrix, cognus, histrio; nullis
His præfert, aut par æstimat esse bonum.
Quicquid & ad victum mare nutrit, terra, vel aër:
Quærit, habetque viri luxuriosa fames.
Et modico ventri vastus vix sufficit orbis,
Ergo ministrorum vocibus aula fremit.
al. ridet quoque *Argentoque dapes* ponuntur, Bacchus in auro,*
Et gemmâ infusum plurima nectar habet.
Vestibus & facie longus nitet ordo clientum,
Ad Domini nutus turba parata leves.
Sexus utrique canit: resonant cytharæque, lyræque;
Et reddunt illic organa dulce melos.
Tandem epulis largis, & pleno ventre beatus
Cum scortis pectus gaudia mollis habet.
O præclara viri virtus! ô vita beata!
Deliciis pastus cum meretrice cubat.
Quid vestes referam, lectos, & divitis ædes?

A *Nescit habere modum prodiga luxuries.*
Huic per longa meant nitidi canalia fontes,
Herba columnarum marmore clausa viret:
Fructiferumque genus totum arboris educat hortus:
Mixtaque sanguineis alba ligustra rosis.
Nec viole desunt; sed & illic floris & herbæ
Est quicquid specie, quicquid odore viget.
Nunc phaleratorum tergo vectatur equorum,
Nunc saturum lento remige cymbas vehit.
Nunc illum esse juvat sub papilionibus, & nunc
Grata sub arboreis quæritur umbra comis.
Nunc delectatur turbis, & plausibus urbis:
Et modo privatus degere rure cupit.
Quicquid molle juvat, quod visu, quodque decorum est,*
Dulceque corporeis sensibus esse solet:
Heu misero! totum turpes deflet-Elysia usus,* al. Hæc. al. miseros
Nullaque declinat sordida turpe pecus.
Ergo locis, venere, & vino, somnoque beata
Expendit vitæ tempora tota suæ.
B *Jamque caro totus nescit quam* devius erret,* al. cliviùs
Mens male pressa gravi pondere carnis habes* al. habet
Nescit perpetuo quòd torrem nutriat igni
Corpus, quod tantis curat alitque modis.*
Qualem tu credis vitam mortalibus esse?
Est brevis, & multis est onerata malis.
Quotquot nascuntur, vox illis prima doloris:
** Incipit à fletu vivere quisquis homo.* al. Incepit
Aspice qua miseros ferimur nos undique: quot sunt,
** Quantaque privatis publica mixta malis.*
Frigore nunc nimio, nimio nunc ladimur æstu:
Nosque fames vexat, torquet acerba sitis.* al. amara
Musca nocet, mediscusque pulex, vel regibus ipsis:
Nec faciunt tutos regia septa suos.
Hic dolet exilium; mortem dolet alter amici;
Huic chara orbato conjuge flere libet.
C *Hic jacet infamis; miser hic in carcere luget:*
Hunc metus hostilis territat: alter eget.
Hic gemit incestum* corrupta conjugis: alter* al. Jam
Delusus falsa suspicione timet.
Excussas aliquis deplorat grandine vites,
Iste mari magno deperiisse rates.
Pars queritur sterili male credita semina terræ:* al. Clamo- fum rigidâ- que puer ti- met ille pe- riculum,
Pars metuit Domini vimque minasque sui.
Perdidit hic justam sub iniquo judice causam:
Has rapiunt fures; has cremat ignis opes.
Et quis non quod plangat habet, nulloque dolore
Sanctus est, voti compos ubique sui?
Non sic blanda fovet rebus fortuna secundis,* al. Nunc
Misceat ut lætis improba triste nihil:
Nec pars parva mali vitiis tabescere, totque
D *Captivo ardentes pectore ferre faces.*
Flagrat avaritiâ, mala mens succenditur irâ:
Et modò vesano fervet amore: velut
Interius totam dudum conceperis Ætnam,*
Nil quoque quod deceat cæca furore videt.
Sæpe graves stimulos livor malus excitat illi:
Sæpe metum generat, spemque, cupitus honor.
Illum luxuries, illumque superbia vastat:
Hunc quoque tristitiæ sæva procella quatit.*
Hæc, & plura premunt nos hujus tempore vitæ;
Quæ nec vel puncti tempore certa manent.
** Ille fame, funge, febri, serpente, sagitta,* al. omisi
Fluctibus, aut flammis, hoste, latrone perit.]
E *Et nostram morbi corrumpunt mille salutem,*
Nullus ab humano corpore languor abest.
Si nunc aspicias animalia cætera quæque:* al. sic
Invenies tantis subdita nulla malis.
Nos capitis laterumque dolor, febrisque fatigat:
Totum hominem tollit lepra, chiragra manus:
Dira podagra pedes: oculos ophtalmia cæcat:
Obsidet arctati pectoris asthma vias.
Læsa suos claudit lotio vesica meatus:* al. Urbis
Viscera torquentur, parsque pudenda, colus.* al. torquentur

Digitized by

Dens dolet, aut cervix; os terpet; lingua ligatur:
Splen tumet: agrotat pulmo, laborat hepar.
Cor marcet; renes patiuntur; solvitur alvus:
Brachia nil possunt: languida crura jacent.
Singula non paucis pars est obnoxia morbis:
Et patet infœlix ad mala totus homo.
Non hæc ergo salus, non hæc mihi vita videtur;
Quam mors extinguit, tollere morbus habet.
Sic est: res istas malè publicus æstimat error;
Vilia sunt, stulti quæ pretiosa putant.
Nos igitur (fratres) quæso meliora sequamur:
Quæ sunt digna bono, quæ sapiente viro.
Cur Dominus rerum, quare deitatis imago
Parva capit? capiat maxima magnus homo?
Non decet artificis tanti mirabile plasma
Mirari propriis cuncta minora bonis.
Luna tibi fulget, tibi volvitur orbita Solis,
Et tibi sunt toto sydera sparsa polo.
Nempe dies tuus est, tua nox, tuus igneus æther;
Et tibi commutant tempora quæque vices.
Orbis terrarum tuus est: & quicquid ab illo.
Clauditur, arbitrio subditur omne tuo.
Nempe parens rerum cœlo demissus ab alto
Ad tua descendens, est tibi factus homo.
Te manet astriferi clarissima regia regni,
Tu quoque es æterni regis imago tui.* (al. Dei)
Ergo tu tantum, qui tantis cætera vincis,
Et minor es solo cuncta creante Deo:
Noli te regno peccati subdere: noli,
Quæ nitius fugiunt, ista caduca sequi.
Sed satagat humiles animo transcendere terras,
Arctumque ad cœlos arripe fortis iter.
Vita, salus, hominum quoque cætera, fumus & umbra est:
Omnia prætereunt, nulla manere vides:
Non te quæ pereunt delectent infima: non te
Cœlestem fœdet pulvere terra suo.
Nec te præcipitet carnis male suada voluptas:
Nec trahat illecebris esca, venusque suis.
Perpetuum tibi sit studium virtutis & ardor:* (al. Mens tua continuo flagret bonitatis amore, Sic periit æterni torrida flamma rogi)
Mens tua continuo flagret amore boni.
Quære boni fontem virtutum passibus, & te* (al. Quare)
Istius fontis torreat una sitis.
Sarcina currentem te mundi nulla retardet:
Totum declina quicquid obesse solet.
Cùm tu pervenies lætus fœlixque viator,
Et data vivifici copia fontis erit:
Æternus fies, sapiens, verèque beatus:
Cuncta tibi fuerint prospera, triste nihil.
Inque suo regem rex ipse decore videbis,
*Deque beatifico lumine lumen eris.**
Nulla mentis erunt tenebræ: sed nocte fugatâ
Intus erit perpes & sine nube dies.
Tunc rerum causæ, scripturæ clausa patebunt:
Omnia clara tibi, plenaque lucis erunt.
Tunc in viventum læta regione videbis
Quæ bona sint Domini, quantaque dona Dei.
Mors aberit, morbus, labor, hostis, cura, senectus;
Non habet hæc fœlix illa superna domus.
Non timor afficiet sanctos, sensusque doloris:
Æstus in his nullus, frigora nulla locis.
Nemo hîc esuriens, nudus quoque nemo, sed unus
Omnibus omne bonum fiet, eritque, Deus.
Urbs hæc non Lunæ, non lumine Solis egebit;
Semper erit, magno Sole serena Dei.
Denique justorum tanquam Sol quisque nitebit:
Ista redonata gloria carnis erit.
Spiritus summis æquabit gratia regis:
Pro quibus est ultrò passus amara crucis.
Ad montem vitæ de mortis valle reductus;* (al. nocte)
Civis erit fœlix miser exul homo.
Urbis enim illius Deus est respublica; & inde
Grandis ibi est cunctis copia, nullus eget.

* *Non igitur decrunt regis tibi munera; nec te,*
Qui meritos magnis ditat, egere sinet.* (al. meritò)
Nam cùm gustabis de vitæ fonte perenni,* (al. Quod cùm)
Et dabitur summo participare bono:
Magna scientia, multa potentia, mira voluptas,* (al. summa)
Reddentur vitæ militiæque tuæ.
Quis poterit fari, quis scribere, quis meditari,
Quæ debis in cœlis præmia Christe tuis?
Hæc, monachi fratres, hac tota mente sequamur:
Nulla salutiferum causa moretur iter.
Ut majestatis Dominum mihi cernere detur;
Ut decus, & tantum fas sit habere bonum.
Thesauros Arabum, mensas, & prandia regum,
Quicquid habet mundus deputo vile lutum.
Quisquis ad hæc igitur paradisi gaudia tendis,
Sedulus angustam nunc, age, disce viam,
Ne laxes vitiis angustæ mentis habenas,
Divini semper frena timoris habe.
Expelle Dominum, formida judicis iram:
Et quod promittit Rex tibi, miles ama.
Parvulus esto, vide, mentis depone tumorem;
Porta Dei nullum, qui tumet, artta capit.* (al. timet)
Vitamus tauros cornu & cervice minaces;
Non leo, non taurus, non equus; agnus eris
Agno; nulla magis agnum juvat hostia Christum:
Agnus eris Christo simplicitate tua.
Offertur Domino turtur, simplexque columba:
Castus eris turtur, blanda columba gemens.
Quot sunt, qui Domino se castravêre, beati;
Tartarus infestos, flammaque, morsque manent.*
Summa quidem virtus mona hi parêre Priori;
Ferre jugum norma, seque negare sibi.
Quicquid præcipiet, mox & sine murmure serva:
Peccatum solum dedecuisse puta.
Non vitiis vestis, non te locus ultimus angat:
Sæpe tui stultos Ordinis ista movent.
Sed si nos sanè sapimus, si vera fatemur:
Aggreditur virtus ardua, dura probat.
Qui sibi vilescit, qui se nihil æstimat esse:
Et timet, & mundi labilis alta fugit:
Hic est & sapiens, & cœlo proximus iste,
Non sine re monachi nomen inane gerit.
Si vult ditari, si vanos ambit honores;* (al. quærit)
Induit occultum pellis ovina lupum.
Sed qui cuncta videt mundi pius arbiter, ille
Novit oves, tectos novit & ipse lupos.
Hæc igitur monachus labiis & corde frequentet:*
Te mihi, te solum da, Deus, & satis est.
O cerè felix possessio, quæque beatum
Sola facit! miserum cætera pondus habent.

ALIUD CARMEN
de contemptu mundi.

Quid probitas, quid nobilitas, nisi mors animarum?
Unde superbit homo, cùm constet quòd moriatur?
Nam caro mortalis, & quisquis ei famulatur,
Morte perit duplici; quia post obitum cruciatur.
Quid prodest homini, si vivat sæcula centum?
Cum moriens vitam transisse putet quasi ventum?
Quid prodest homini sua fœnore parta crumena,
Si per eam consumat cum sine tempore pœna?
Ut quid homo gaudet de mundi prosperitate,
Quæ nimium brevis est, & habetur in anxietate?
Prosperitas mundi citò transit, & annihilatur:
Unde satis claret quoniam nihil esse probatur.
Rex hujus mundi, quotquot natura creavit,
Sunt quasi flos agri, quem frigus & aura cremavit.
Sicut enim flores autumni tempore nati,
Frigore marcescunt in ventos ire parati:
Sic citò deficiunt, quæ mundus habet pretiosa,
In quibus infelix hominum mens est studiosa.
Res hujus mundi proprio cum sine feruntur,
Et sine lege ruunt, nec cum ratione reguntur:

Sicut

ized by Google

Sicut & in fluviis fluit irrevocabilis unda,
Tempora sic hominis fugiunt, & quæque secunda.
Res hujus mundi sunt instabiles velut hora;
Pro nihilo debent reputari cuncta decora.
Ergo miser dum vivis, homo, sine fine labora:
Ne perdas ea pro nihilo quæ sunt meliora.
Sic teneas, ut prævaleas à morte futura:
Da quod habes, ut possideas quæ sunt sine cura.
Dic cave mortalis, dic de putredine vermis,
Cur miser insanis, quid prodest gloria carnis?
Dic homo, dic pulvis, quare putredo superbis?
Dic quid sis, quid eris, memor esto quòd morieris.
al. vilis *In cinerem * vermis post mortem regredieris:*
MS. Bod. al. legas al. calles *Despice quod sequeris, cognosce viam rationis.*
*An * legas nescis humanæ conditionis*
Corpus humo fit:
Corpore semen:
Semine sanguis:
Sanguine corpus:
Sic hominis corpus matris concrescit in alvo:
Sic hominis corpus terræ putrescit in alvo:
Corpore tabes:
Tabeque vermis:
Verme cinis fit:
Pulvere terra.
Sic hominis corpus de terra matre creatur:
Sic hominis corpus in terram regredietur.
Ergo tristis homo vera rationis habenâ
Cor animumque tuum, mundum fugiendo, refrana.
Sic tibi perpetuam nanciscî nitere vitam.

DEUS SOLUS AMANDUS, in quo & ex quo omnia bona.

OMnia sunt hominum tenui pendentia filo,
Et subito casu quæ valuêre ruunt.
Ludit in humanis divina potentia rebus,
Et certam præsens vix habet hora fidem.
Quàm nimis, & nimis est Dominum super omnia mitem,
Et venia facilem, velle negare pium.
Vis, agnosce pium? te respice, respice quid sis,
Quid fueris, quid eris, quid caro, terra, Deus?
Cœlum Sole tibi, Sol lumine servit, & aër
Flatibus, unda cibis, terraque mille bonis.
Sed quid es? Unde tibi quid habes, quid præbet? utrumque
Sponte facit pietas dulcis & ampla Dei.
Fons bona queque fluens, fons nescius evacuarî,
Fons sine fine patens, & sine fine Deus.
Debes namque scelus metiri non brevitate
Temporis, sed debes impietate sui.
Major enim impietas non est, quàm spernere gratis
Ipsum, qui gratis contulit esse tibi.
Qui tibi te tribuens sese promisit, eoque
Nil habuit melius quàm daret ipse Deus.
Quidquid es, & quod habes, & quodque valebis habere,
Quid tamen ad meritum sunt simul ista Dei?
Hunc igitur spernens, se seque per omnia subdens
Dæmonis obsequio quanta meretur homo?
Adde quod in vitium quisquis ruit: ipse ruendi
Sæpius indicit turpe necesse sibi.
Virtus enim vitio, vitiis fit servus: & in se
A *Non habet admissum solvere posse suum.*
Ergo perpes ei debetur pœna necesse,
Qui sibi peccandi sponte perenne facit.
Gratia tollatur non debita: pœna sequatur
Debita, morsque premens, & sine fine manens.
O quam dulce decus, quàm vera potentia, qualis
Gloria, quàm flebilis quæstus, amare Deum!
Ejus amans Abraham plus civibus hospes, & unus
Plus populo miles, plus ita rege potest.
Nam virtus in amore Dei, verumque perenne
Præstat, & esse facis illud amare quod est.
Verè est ipse quidem, qui permanet unus & idem
* * * * * * * * * * * *
Esse habet æternum, sine principio, sine fine,
Semper idem, si quis amare studet.
Si non tam solidum, solidum tamen esse meretur:
Nam sequitur vitam vita beata bonam.
Cætera si spectes, quàm sint nihil, omnia finis
Indicat, Assyrium consule, testis adest.
B *Hæc quid honos, quid opes, quid forma, quid arma, quid amplum*
Heu juvat imperium? juvit amasse Deum.
Sed quia vera salus Deus est, & amore tenetur:
Expeto propter eum, vos ut ametis eum.
Dignus & ipse quidem est, ut ametur: amando scietis
Quis fructus, quis bonos, quid sit amare Deum.
Virtus verò Deum, vel vita meretur honesta;
Quale bonum, quod sit semper amare Deum.
Quàm pius est, quàm promptus adest, quam denique prodest;
Ipsum quisquis amat, hic magè posse potest.
Si te falsa docent aliena, doceris honeste
Concipere meritis spemve metumve tuis.
O qualis jactura Deo præponere quicquam;
Quem bene si quis habet; quæso, quid est, quid habet?
C *Nam si magna petis, Deus est, super omnia magnus:*
Si bona, quàm bonus est dicere nemo potest.
Si speciosa cupis, quis eo speciosior? optas
Forsan opes, dat opes, dives & ipse manet.
Si te celsa juvant, generosaque: quàm generosus,
Quamve sit excelsus nemo referre potest.
Quem si forte potens juvat & pius: ecce potestas
Hinc pia, seu pietas est sine fine potens:
Quid mores? ipse poli, terræ, maris auctor, & omnia
Quod fuit, est, & erit, perstat origo boni.
Huic famulans, parens dominatur Hebræus;
Servit, & est liber; subditur, estque potens:
Cui subdi fugiens, satanæ male subditur, hosti
Subditur, & vitiis subditur innumeris.
Tandem verò videns quò lapsus & unde fuisset,
Pectora curarum morsibus ager erat,
Multaque volventi sententia sedit asilum
D *Lapsis quærendum fortiter esse Deum.*
Sicque reus, quem læsit, avet; quem spreverat, erat;
Quem fugit, reperit; quem reprobarat, amat.
Hunc repetit, veniamque petit, de crimine flentem,
De pietate spei gaudia multa capit.
Et quid ad hæc dulcedo placens, dulcedo perennis;
Dulcis disponens ordine cuncta Deus.
Quid dulcedo potens, dulcisque potentia fecit?
Quod solet hæc fecit, dulcia dulcis agit.

Digitized by Google

imaginem ſuam ? Attende. Deus ſemper meminit ſui, intelligit ſe, amat ſe. Et tu ergo, ſi pro modulo tuo infatigabiliter memor fueris Dei, intellexeris Deum, amaveris Deum; eris ad imaginem ejus: quia hoc facere niteris, quod ſemper facit Deus. Ad memorandum, & intelligendum, atque amandum ſummum bonum, totum debet homo referre quod vivit: ad hoc omnis cogitatio, omnis volutatio eo dis retorqueatur, acuatur, conformetur, ut infatigabili affectu memor ſis Dei, intelligas Deum, ames Deum; & tuæ creationis dignitatem, qua ad imaginem Dei creata es, ſalubriter exprimas. Quid dico ad imaginem Dei te eſſe creatam; cùm, teſte Apoſtolo, ipſa Dei imago ſis? *Vir*, inquit Apoſtolus, *non debet velare caput ſuum, cùm ſit imago & gloria Dei.*

1. Cor. 11. v. 7.

II.

Quòd ad hoc facti ſumus, ut Deum ſine fine laudemus.

SUfficiunt ne tibi hæc tam immenſa beneficia conditoris ad juges gratiarum actiones reddendas, & debitum continui amoris; cùm de nihilo, vel potiùs de luto te conſideras ejus bonitate ad tantam celſitudinem in ipſo conditionis exordio ſublimatam? Sanctorum igitur ſententiam in tuam converte vitam, & de ſancto quid dicatur attende. Quæ eſt igitur laus ſancti? *De omni corde ſuo laudavit Dominum.* Ecce ad quod creata es; ecce opus famulatûs tui. Ut quid enim te Deus tam præclaro conditionis privilegio ſublimaret, niſi te ſuis laudibus indeſinenter intendere vellet? Ad laudandum igitur conditorem tuum creata es; ut ejus laudibus vacans, & hic juſtitiæ merito in illum ſemper proficias, & in futuro bene vivas. Laus enim ejus & hic juſtitiam, & ibi beatitudinem tribuit. Sed ſi laudas; ex toto corde lauda, diligendo lauda. Hæc eſt enim ſanctis laudandi propoſita regula. *De omni corde ſuo laudavit Dominum: & dilexit Deum qui fecit illum.* Lauda ergo, & ex toto corde lauda, & quem laudas dilige; quia ad hoc facta es ut laudes & diligas. Laudat namque, ſed ex toto corde non laudat, quem ad benedicendum Deum proſpera demulcent; ſed à benedicendi munere adverſa reſtringunt. Laudat quoque, ſed non diligit, qui in Dei laudibus aliud quam ipſum laudando requirit. Lauda igitur, & dignè lauda; ut nulla in te cura, nulla intentio, nulla cogitatio, nulla ſollicitudo mentis, in quantùm tibi virtus ſuppetit, à laude Dei ſit vacua. Ab ejus laude nulla te vitæ hujus proſperitas revocet, nulla compeſcat adverſitas. Sic enim ex toto corde laudabis Dominum. Sed cùm ex toto corde eum laudaveris, & diligens laudaveris; nihil ab eo aliud, quàm ipſum expertes; ut ipſe ſit finis deſiderii tui, ipſe præmium laboris, ipſe ſolatium hujus umbratilis vitæ, ipſe poſſeſſio illius beatæ vitæ. Ad hoc itaque facta es ut eum ſine fine collaudes: quod tunc utique intelliges pleniùs, cùm ejus beatâ viſione ſublimata videbis te ſolâ & gratuitâ bonitate illius, cùm non eſſes, de nihilo tam beatam, & ad tam ineffabilem beatitudinem creatam, vocatam, juſtificatam, glorificatam. Talis namque contemplatio infatigabilem tibi amorem dabit eum ſine fine laudandi, ex quo, & per quem, & in quo tantis & tam immutabilibus bonis te beatificatam gaudebis.

Eccli. 47. v. 10.

III.

Quod ubicunque ſumus, in illo vivimus, movemur, & ſumus: dum ipſum intra nos habemus.

SEd ab illa fœlicitate futura, contemplationis intuitu paululum etiam magnitudinem gratiæ, qua te in hac etiam vita fugaci ditavit, conſidera. Ipſe qui in cœlis habitat, qui in Angelis regnat, qui cœlum & terra cum omnibus quæ in eis ſunt ſe inclinat, ſe tibi habitaculum præbuit, ſuam tibi præſentiam paratam fecit: docente enim Apoſtolo Paulo, *in illo vivimus, movemur & ſumus.* Dulcis vita, motus amabilis, optabile eſſe. Quid enim dulcius, quàm in illo vitam habere, qui eſt ipſa vita beata? Quid amabilius, quàm omnem voluntatis vel actionis noſtræ motum ad illum & in illo dirigere, qui nos perpetuâ confirmet ſtabilitate? Quid optabilius, quàm voto & converſatione jugiter in illo eſſe, in quo ſolo, vel potiùs qui ſolus eſt verum eſſe, ſine quo nulli poteſt bene eſſe? *Ego,* ait, *ſum qui ſum.* Et pulchrè. Ipſe enim verè ſolus eſt, cujus immutabile eſt eſſe. Ille itaque, cujus eſſe tam excellens, tam ſingulariter eſt, ut ſolum verè ſit; in cujus comparatione omne eſſe nihil eſt; cùm te ad celſitudinem creaverit, ut tuæ gloriam dignitatis nec intelligere poſſis, ubi te eſſe conſtituit? quem tibi manſionis locum præparavit? Attende ipſum ſuis in Evangelio dicentem: *Manete in me, & ego in vobis.* O inæſtimabilis dignatio, ô beata manſio, ô glorioſa viciſſitudo! Quanta dignatio creatoris, ut in ſe ſuam velit habitare creaturam? Quàm incomprehenſibilis beatitudo creaturæ, in ſuo manere creatore? Quanta rationalis creaturæ eſt gloria, tam fœlici viciſſitudine creatori ſociari; ut ipſe in ea, & ipſa in eo teneat manſionem? Tam excellenter ergo creatos, in ſe nos manere miſericorditer voluit; ſuper omnia, ſicut omnium gubernator, ſine ſollicitudine exiſtens; omnia, velut omnium fundamentum, ſine labore ſuſtinens; omnia ſicut omnibus rebus excellentior, ſine ſuperbia excedens; omnia, velut qui univerſa continet, ſine diffuſione complectens; omnia, ſicut omnium plenitudo, ſine ſui anguſtia complens. Hic ergo cùm nuſquam deſit, delectabile intra nos ſibi regnum elegit: Evangelio demonſtrante, ubi dicitur: *regnum Dei intra vos eſt.* Sed ſi regnum Dei intra nos eſt & Deus in ſuo regno habitat; nonne ipſe in nobis manet, cujus intra nos regnum eſt? Ita planè: ſi enim Deus ſapientia eſt, & *anima juſti ſedes eſt ſapientiæ*; qui verè juſtus eſt, Deum in ſe manentem habet. *Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos*, ait Apoſtolus. Et tu igitur ſanctitatis ſtudio infatigabiliter inſiſte, ne templum Dei deſinas eſſe. Ipſe de ſuis dicit, *inhabitabo in illis, & inambulabo.* Nec dubites, ubicumque animæ ſanctæ fuerint, eum in illis eſſe. Si enim & tu in omnibus membris, quæ vivificas, ubique tota es; quantò magis Deus ubique totus eſt, qui teipſam & corpus creavit? Summâ igitur diligentiâ conſiderandum eſt cum quanta ratione & reverentia ſenſus noſtros & membra corporis noſtri movere debemus, quibus Divinitas ipſa præſidet. Demus igitur, ut dignum eſt, tanto inhabitatori omne imperium cordis noſtri, ut nihil ei repugnet in nobis; ſed omnes cogitationes, & voluntatis motus, omnia verba, & univerſa opera noſtra illius nutum attendant, ejus voluntati deſerviant, ad rectitudinis ejus regulam dirigantur. Sic enim verè regnum ejus erimus, & ipſe in nobis manebit; & nos in illo manentes, bene vivemus.

Act. 17. v. 28.

Exod. 3. v. 14.

1. Cor. 3. v. 17.

2. Cor. 6. v. 16.

IV.

Quòd omnes, qui in Chriſto baptizati ſumus, Chriſtum induimus.

EXcita quæſo te, anima mea, & exardeſcat ignis ſuperni amoris in intimis tuis, & decorem à Domino Deo tuo tibi collatum prudenter intelligere, intelligens dilige, diligens ſanctæ converſationis obſequiis venerare. Nonne ipſe qui tibi in ſeipſo tribuit manſionem, & in te dignatus eſt habitare, ſeipſo veſtit te, munit, & ornat? *Quotquot*, ait Apoſtolus *in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Quid igitur laudis

Gal. 3. v. 27.

Digitized by Google

quid gratiarum actionis, ei condignè tribues, qui te tanto vestivit decore, tanto sublimavit honore, ut jucundissimo cordis jubilo dicere possis: *Induit me Dominus vestimento salutis, indumento lætitiæ circumdedit me?* Angelis Dei summum gaudium est, Christum contemplari: & ecce immensa dignatione sua se tibi tantùm inclinat, ut seipso te velit vestiri. Quali vestimento, nisi eo de quo gloriatur Apostolus dicens, *Christus factus est nobis à Deo sapientia, & justitia & sanctificatio?* Quibus vestimentorum insignibus te magis ornaret, quàm ut te splendidam redderet amictu sapientiæ, ornamento justitiæ, satisfactionis decore?

Isa. 61. v. 10

1. Cor. 1. v. 30.

V.

Quòd corpus Christi sumus.

ET quid dicam quia se tibi Christus vestimentum fecit, cùm se tantùm univerit, ut in unitate Ecclesiæ de carne sua te esse voluerit? Audi Apostolum Scripturæ testimonium exponentem: *Et erunt duo in carne una. Ego autem*, inquit, *dico in Christo & in Ecclesia.* Super hoc quoque, quanta te unione copulaverit, contemplare. Corpus Christi te Apostolus esse confirmat. *Vos estis*, ait, *corpus Christi, & membra de membris.* Serva igitur corpus & membra, ea dignitate qua decet: ne si ea quolibet levitatis studio injuriosè tractaveris; quantò potiori præmio coronareris, si ea dignè tractasse; tantò majori supplicio subjiciaris, si eis indignè abusus fueris. Oculi tui oculi Christi sunt. Non igitur licet tibi oculos Christi ad aliquas vanitates conspiciendas dirigere: quia Christus est veritas, cui omnis vanitas contraria est. Os tuum, os Christi est. Non debes, non dico ad detractiones, non dico ad mendacia; sed nec ad otiosos sermones os aperire, quod ad solas laudes Dei, & ædificationem proximi debes patulum habere. Sic de cæteris Christi membris tuæ custodiæ commissis intellige.

Eph. 5. v. 31.

1. Cor. 12. v. 27.

VI.

Quòd unum in Christo sumus, & cum ipso unus Christus sumus.

SEd adhuc altiùs agnosce quantâ illi societate jungaris. Ipsum Dominum audi pro suis Patrem exorantem. *Volo*, ait, *ut sicut ego, & tu, unum sumus; sic & isti in nobis unum sint.* Sum ego filius tuus per naturam; sint & illi filii tui & fratres mei per gratiam. Quanta celsitudo est Christianum hominem sic in Christo proficere, ut & ipse quodammodo Christus dicatur? Quod ille verè si fidelis dispensator Ecclesiasticæ familiæ sensit, qui dixit; *Omnes Christiani in Christo unus Christus sumus.* Nec mirum, cùm ipse sit caput, & nos corpus ejus: ipse sponsus, ipse sponsa; sponsus in se, sponsa in animabus sanctis, quas sibi æterni amoris vinculo sociavit. *Sicut sponso*, inquit, *imposuit mihi mitram, & sicut sponsam ornavit me ornamento.* Hic igitur, anima mea, hic erga te revolve beneficia ejus, accendere in dilectione ejus, exardesce in desideria beatæ contemplationis ejus. Exclama ergo fortiter ardentissimo illo intimi amoris affectu, & tota in ejus desiderium liquefacta, in vocem sponsæ fidelis erumpe: *Osculetur me osculo oris sui.* Recedat ab animo meo omnis delectatio, quæ extra illum est; nullus præsentis vitæ affectus, nullum mihi solatium blandiatur, dum mihi ejus præsentia beata denegatur. Ipse me charitatis brachiis amplectatur, ipse me ore superni illius suavitatis osculetur, ipse me eloquio illo ineffabili, quo Angelis sua secreta manifestat, alloquatur. Hæc sit sponsi ad sponsam vicaria sermonum vicissitudo, ut ego illi totum cor meum expendam, & ipse mihi suæ dulcedinis secreta revelet. His itaque anima & hujusmodi meditationibus vegetata, pleno sancti desiderii affectu, sponsum tuum sequi contende, & dic ei: *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* Sed dic, & fideliter dic, non transitorio sono, sed infatigabili desiderio. Sic dic, ut audiaris; sic attrahi concupisce, ut sequi possis. Dic ergo redemptori & salvatori tuo: *Trahe me post te.* Non trahat dulcedo sæculi; sed trahat me suavitas beatissimi amoris tui. Traxit me aliquando vanitas mea; sed jam trahat me tam post se veritas tua. Trahe, quia traxisti; retine, quia apprehendisti. Traxisti redimendo, trahe salvando. Traxisti miserando, trahe beatificando. Apprehendisti inter homines apparens pro nobis homo factus, retine cœlo præsidens super Angelos exaltatus. Tuus sermo, tua promissio est. Promisisti dicens: *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia trahama ad meipsum.* Trahe igitur jam potenter exaltatus, quem attraxisti misericorditer humiliatus. Ascendisti, sentiam; super omnia regnas, agnoscam. Nunquid te regnare non agnosco: agnosco certè, & gratias ago. Sed agnoscam perfectè amando quod agnosco piè de te sentiendo. Agnoscam videndo quod agnosco credendo. Liga tecum indissolubilibus amoris vinculis desideria cordis mei, ubi tecum sunt primitiæ spiritus mei. Societ nos unitas charitatis, quos copulavit charitas redemptionis. Dilexisti enim me, tradidisti temetipsum pro me. Sit itaque tecum in cœlo jugiter intentio mea, sit mecum in terra continuè protectio tua. Adjuva tui amoris desiderio æstuantem, qui dilexisti contemnentem. Da quærenti, qui te dedisti nescienti. Suscipe redeuntem, qui revocasti fugientem. Diligam ut diligar: imò quia diligor, magis ac magis diligam, ut magis diligar. Uniatur tecum cogitatio mea, una & singularis sit tecum intentio mea, ubi tecum à te misericorditer suscepta beata jam regnat substantia nostra. Adhæream tibi inseparabiliter, adorem te infatigabiliter, serviam tibi perseveranter, quæram te fideliter, inveniam te fœliciter, possideam te æternaliter. His sermonibus, ô anima mea, Deum interpellando accendere, inflammare, exardesce, & tota in ejus desiderio ignea effici contende.

Cant. 1. v. 1.

Cant. 1. v. 3.

Joan. 12. v. 32.

VII.

Retractio peccatorum nostrorum, de quibus nos conscientia nostra plus remordet, per quæ perdidimus hæc omnia.

CUm autem consideras ad quæ & quanta bona per ejus gratiam profecisti, retracta etiam quæ & quanta bona per tuam culpam perdidisti, & in quæ mala culpis gravata corruisti. Revolve suspirando mala, quæ nequiter fecisti; & recogita gemendo bona, quæ propter eadem mala miserabiliter amisisti. Quid enim boni præstantissimus tuus creator sua tibi non contulit bonitate? Et quid mali tu ei non rependisti, execrabili vegetata iniquitate? Bona perdens, mala meruisti; imò bona projiciens, mala elegisti; & amissâ vel potiùs abjectâ gratiâ conditoris, iram ejus miserabiliter incurristi. Non est unde te probes innocentem, cùm malorum tuorum caterva te velut exercitus immensus circumdet, hinc pravorum operum probra objiciens; illinc inutilium &, quod damnabilius est, pernicioforum verborum immensam congeriem proferens; inde malarum cogitationum molem infinitam ostentans. Hæc sunt, propter quæ bona inæstimabilia perdidisti; propter hæc conditoris gratiâ caruisti. Hæc recogita gemendo, geme eis abrenuntiando, abrenuntia damnando; damna ea, vitam in melius commutando. Luctare tecum in animo tuo, ne amodò vel ad momentum alicui vanitati seu corde, seu lingua, sive, quod summæ damnationis est, opere assensum præbeas. Sit quotidiana, imò continua in animo tuo rixa; ne quodlibet cum vitiis fœdus retineas. Districtè temetipsam semper examina, secreta discute, & quicquid in te reprobum

inveneris, rigida animadversione percute, prosterne, contere, extirpa, projice, & ad nihilum redige. Non tibi parcas, non tibi blandiaris, sed in matutino, id est, in contemplatione extremi judicii, quod nocti præsentis vitæ tanquam lux matutina succedit, interfice omnes peccatores terræ, id est, delicta atque peccata conversationis terrenæ, ut disperdas de civitate Domini, quam in temetipsa illi ædificare debes, omnes operantes iniquitatem; id est, diabolicas suggestiones, odibiles Deo delectationes, mortiferos consensus, & opera perversa. Ab omnibus iis tanquam civitas Dei debes emundari, ut placitam in te mansionem tibi creator inveniat, obtineat, possideat. Noli esse de illis, querù pertinaciam Deus ipse videtur plangere, dicens: Isa. 57. v. 1. *Non est qui recogitet in corde suo, & dicat, quid feci?* Si reprobantur illi, quia pro transactis malis erubescere & se reprehendere noluerunt; tu-ne ut in electorù numerum curras, temetipsam convenire, dijudicare, ac severà disciplinà corrigere negliges? Revolve igitur sedulo cogitatu immensa beneficia conditoris, quibus te nullis intercurrentibus meritis sublimavit, & ad memoriam revoca mala innumera, quibus ejusdem beneficiis tua iniquitas indignè respondit; & magnum dolorem parturiens, clama: Quid feci? Deum exacerbavi, creatorem meum ad iracundiam provocavi, beneficiis ejus immensis innumera mala rependi. Quid feci? Sed hæc dicens, cor tuum acerbè contere, genitus emitte, lacrymas funde. Si enim hic non ploras, quando plorabis? Si te ad compunctionem non excitat aversio vultùs Dei à te, quam tua peccata fecerunt; confringat duritiam tuam vel enormitas infernalium suppliciorum, quam super te eadem peccata provocaverunt. Redi ergo, redi, prævaricatrix, ad cor, & sedem ab inferis extrahe; ut debita mala evadere, & amissa bona quibus justè privaris, possis recuperare. Si enim ad mala tua respicias; omnia bona quæ tibi sunt ab eo collata, perdidisti. Oportet te igitur ad ea, & maximè de quibus te conscientia graviùs accusat, semper oculos retorquere, ut ille oculos suos avertat. Nam si tu peccata tua digna satisfactionis intentione avertis; ille ab eis intuitum ultionis avertit. Si tu obliviscèris; ille recordatur.

VIII.

Retractatio Dominicæ Incarnationis, per quam recuperavimus hæc omnia.

UT igitur inde libereris, miserationes erga te tui redemptoris attende. Certè originalis peccati merito cæcata eras, sublimitatem tui conditoris videre non poteras. Peccatorum nubibus circumsepta in obscura tendebas, & ad æternas tenebras rapidis fluctibus vitiorum agitata festinabas. Et ecce redemptor tuus cæcatis luminibus collyrium suæ Incarnationis apposuit; ut quæ Deum in secreto majestatis fulgentem videre non poteras, Deum in homine apparentem aspiceres, aspiciendo agnoscerès, agnoscendo diligeres, diligens summo studio ad ejus gloriam pervenire satageres. Incarnatus est, ut te ad spiritualia revocaret. Mutabilitatis tuæ particeps factus est, ut te suæ incommutabilitatis participem faceret. Inclinavit se ad humilia tua, ut te sublimaret ad excelsa sua. De virginitatis integritate natus est, ut prævaricatricis naturæ corrupta sanaret. Circumcisus est, ut omnia peccatorum vitiorumque superflua hominem abscindere à se debere doceret. Oblatus est in templo, & à sancta vidua susceptus, ut fideles suos domum Dei frequentare, & ut eum mereantur suscipere, studio sanctitatis intendere moneret. A Simeone sene susceptus atque laudatus est, ut vitæ gravitatem & morum maturitatem se diligere patefaceret. Baptizatus est, ut nostri baptismatis Sacramenta sanctificaret. In Jordane sub manu Johannis se ad baptismum inclinans paternâ vocem audivit, & Spiritus sancti in columba adventum suscepit; ut nos doceret in humilitate mentis (quæ per Jordanem notatur; Jordanis enim, descensio eorum interpretatur) debere consistere, ibique superni Patris honorari colloquio, de quo dicitur *quia* Deut. 3. v. 36. *cum simplicibus sermocinatio ejus*; & Spiritus sancti præsentiâ sublimari, qui super humiles requievit. Et hoc sub manu Johannis, qui Dei gratia dicitur; ut eidem gratiæ quicquid à Deo percipimus, non nostris meritis adscribamus. Quadraginta dierum completo jejunio diabolum cum suis tentamentis superans, Angelico est ministerio glorificatus; edocens nos toto vitæ præsentis tempore delectationes rerum temporalium declinando mundum cum suo principe pedibus nostris subtlernere, & sic Angelicis præsidiis communiri. Regnum Dei prædicando diebus cum populo commoratur, & confluentes turbas miraculis & verbis ædificat; noctibus montem frequentans orationibus vacat, admonens nos pro congruentia temporis nunc proximis, inter quos vivimus, verbis & exemplis pro modulo nostro vitæ vitam demonstrare; nunc solitudinem mentis adeuntes & virtutum montem ascendentes dulcedini supernæ contemplationis inhiare, & intentionem nostram infatigabili affectu in superna dirigere. In monte coram Petro, & Jacob, & Johanne transfiguratur, insinuans nobis quòd si tanquam Petrus (qui agnoscens interpretatur) nostram infirmitatem humiliter agnoscere, si vitiorum supplantatores (quod Jacobus sonat) fieri, si Dei gratiæ (quæ per Johannis nomen innuitur) fideliter nos submittere studuerimus; ad Jesù gloriam contemplandam illum cœlestem montem, eodem rege nostro duce, fœliciter conscendemus. In Bethania (quod domus obedientiæ interpretatur) Lazarum suscitavit, ostendens omnes, qui bonæ voluntatis studio huic mundo morientes in sinu obedientiæ requiescunt, in vitam æternam ab eo resuscitandos. Corpus & sanguinem suum discipulis suis in cœna mystica tradens eorum pedes humiliter lavit, docens sacrosancta ministeria mundis operibus & piâ mentis humilitate celebranda. Resurrectionis sacræ gloriâ sublimandus ludibria perfidorum, asperitatem verborum, crucis opprobrium, fellis amaritudinem, & ad ultimum mortem sustinuit, admonens suos ut qui post mortem ad gloriam pervenire contendunt, vitæ præsentis angustias & labores, pravorumque oppressiones non solùm æquo animo tolerent, sed omnia hujus mundi aspera pro præmiis æternis ament, appetant, & gratanter suscipiant. Hæc itaque tam præclara, tam immensa tui conditoris erga te beneficia si dignè cogitare, si devotè amplecti, si fervida charitate imitari studueris; non modò bona per primum parentem amissa recuperabis, sed multò potiora per ineffabilem salvatoris tui gratiam æternaliter possidebis. Ipse namque Deus tuus per Incarnationis mysterium factus frater tuus, quid tibi inenarrabilis gaudii causaverit; dum naturam super omnem creaturam videris in eo exaltatam?

IX.

Quòd orandum sit ut de lacu miseriæ eripiaris, & de luto fæcis.

QUid ergo jam restat, nisi ut iis omnibus dignè consideratis, modis omnibus ad hæreditatem tantorum bonorum mentem succendas, ipsumque qui te alia possidenda creavit, continua supplicatione deposcas ut te de lacu miseriæ, & de luto fæcis eripiat, & tantæ beatitudinis possessorem efficiat? Quid est autem lacus miseriæ, nisi profunditas cupiditatis mundanæ? Et quid est lutum fæcis, nisi fœtor carnalis voluptatis? Hæc enim sunt duo retinacula, quibus humanum genus ne ad beatam supernæ contemplationis tendat libertatem, flenda contritio-

Digitized by Google

ne præpeditur, cupiditas, ſcilicet, & voluptas. Verè enim lacus miſeriæ eſt cupiditas mundana, quæ mentem quam ſuo dominio ſubjicit, per innumera deſideria, velut quibuſdam vinculis, in profundum vitiorum trahit, nec eam requiem ullam habere permittit. Mens namque hominis cupiditatis oppreſſa jugo, amore rerum viſibilium extra ſe ſpargitur, & per diverſas animi paſſiones raptatur. Devaſtant illam labor in acquirendo, anxietas in multiplicando, gaudium in poſſidendo, timor amittendi, dolor cùm amiſerit, nec in quantis periculis ſit omnino eam videre permittunt. Hic eſt lacus miſeriæ, quem tantis malis mundana cupiditas non deſinit implere. De hoc lacu beatus David ſe gratulabatur ereptum, cùm gratias agens loqueretur, & diceret: *Eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fæcis.* Quid eſt lutum fæcis? Delectatio immundæ voluptatis. Exclama ergo fortiter cum beato David, & dic creatori tuo: *Eripe me de luto, ut non infigar.* Terge cor tuum ab omni inquinamento carnalis delectationis, cogitationes immundas ab animo tuo exclude, ſi hujus luti ſordes cupis evadere. Sed cùm pœnitendo, confitendo, flendo, & ſanctas cogitationes cordi tuo ſedulè ingerendo evaſeris, inde ne recidas; ſed totis præcordiis ante Deum ſuſpira, ejus clementiam deprecans, ut ſtatuat ſupra petram pedes tuos; id eſt, affectiones cordis tui, Chriſti virtutibus ſolidet: ut colloceat ſe mens tua ſupra firmamentum juſtitiæ, conſtanter Chriſto adhærens, de quo dicitur quòd *factus eſt nobis ſapientia à Deo, & juſtitia, & ſanctificatio.* Ora etiam ut dirigat greſſus tuos, ne reflectantur in vitia; ſed in præceptis cæleſtibus inflexibili ſtatu proficiant, & ad beatam Angelorum patriam tota intentione feſtinent. Sed tali directione ſublimatus noli eſſe piger in laude creatoris; ſed ejus clementiam ſupplica, ut immittat in os tuum canticum novum, ut digna devotione carnem Deo noſtro decantes. Dignum eſt enim ut per vitæ novitatem Deo ſociata canticum in ejus laudibus reſones novum, contemptis temporalibus, ſola æterna deſiderans; nec jam timore pœnæ, ſed amore juſtitiæ, divinæ legi obtemperans. Hoc eſt enim canticum novum Deo cantare, veteris hominis ſtudia conterere, & novi hominis vias quas filius Dei mundo demonſtravit, toto conatu cordis, ſolo deſiderio vitæ permanentis incedere. Carmen quoque decantat, qui gaudia illa patriæ cœleſtis in memoria puræ mentis retentat; & ad eadem, conſcientiâ ſanctæ vitæ ſuffultus & ſupernæ gratiæ dono ſubnixus, ſatagit pervenire.

Pſal. 39. v. 3.

Pſ. 68. v. 15.

1. Cor. 1. v. 30.

X.

Conſideratio miſeriarum hujus vitæ.

INter hæc autem miſerias vitæ præſentis perpende, & cum quantâ cautelâ in ea tibi vivendum ſit pervigili corde revolve. Conſidera te de illius eſſe conſortio, de quo Scriptura dicit: *viro cujus abſcondita eſt via, & circumdedit eum Dominus tenebris.* Verè enim profundâ ignorantiæ cæcitate circumdaris, qui neſcis quomodo Deus penſet opera tua, & qualem finem ſis habiturus ignoras. *Neſcit homo*, ait Salomon, *utrùm odio, an amore dignus ſit; ſed omnia ſervantur inſque in finem incerta.* Pone in animo tuo te videre aliquam vallem profundam, tenebroſam, omne genus tormentorum in fundo habentem. Cogita deſuper pontem unum, longo ſpatio extentum, in latitudine tantum unius pedis menſuram tenentem. Hunc igitur tam ſtrictum, tam altum, tam periculoſum pontem ſi quilibet tranſire cogeretur, cujus oculi ligarentur, ne greſſus videret; cujus manus retrò conſtringerentur, ne vel baculo iter ſuum palpando regere poſſet; quid timoris, quidve anguſtiæ putas in animo gereret; Eſſet ne illi aliquis locus lætitiæ, jucunditatis, ſive laſciviæ? Non puto. Auferretur omnis ſuperbia, vana gloria tu-

Job. 3. v. 23.

Eccleſ. 9. v. 1. & 2.

garetur, ſolius mortis in mente tenebroſa caligo verſaretur. Adhuc cogita crudelium avium monſtra circa pontem volitantia, & in profundum tranſeuntem pertrahere cupientia; nonne timor augebitur? Quid ſi eo tranſeunte, ſemper à talo tabulæ ſubtrahantur? Nunquid non tranſeunti major ſollicitudo incutietur?

Sed exemplum tale quid ſibi velit agnoſce, & mentem tuam divino timore ſollicitus aſtringe. Vallem profundam & tenebroſam, infernum intellige, ſine menſura profundum, & tenebroſa caligine horribiliter obſcurum. Ibi omne genus tormentorum confluit. Ibi omne quod demulcet, abeſt; & omne quod terret & cruciat, & quod anguſtias inferre poteſt, præſtò eſt. Pons periculoſus, de quo qui malè tranſit inferiùs præcipitatur, vita præſens eſt; in qua qui malè vivit, ab illa cadens ad inferna deſcendit. Tabulæ quæ poſt tranſeuntes ſubtrahuntur, ſinguli ſunt dies vitæ noſtræ; qui ſic prætereunt, ut numquam revertantur, ſed diminutione ſui nos ſemper urgent ad finem, & ad terminum feſtinare compellunt. Aves circa pontem volitantes, & tranſeuntibus inſidiantes, maligni ſpiritus ſunt, quorum omne ſtudium eſt homines à rectæ viæ ſtatu dejicere, & ad profunda inferni præcipitare. Nos ipſi tranſeuntes ſumus, ignorantiæ caligine cæci, & difficultate bene operandi velut gravi catena ligati, ne liberos ad Deum ſanctæ vitæ greſſus dirigere poſſimus. Attende igitur ſi non ſummo ſtudio in tanto diſcrimine tibi ad creatorem tuum clamandum ſit, quo ejus munita præſidio inter adverſariorum turmas fiducialiter cantes: *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo?* Illuminatio, videlicet, contra cæcitatem; ſalus contra difficultatem. Hæc enim duo mala ſunt, in quibus primus parens nos dejecit, ignorantia & difficultas; ut nec quò tendimus, nec quid agendum ſit, videamus: & cùm ex aliqua parte viderimus; difficultate præpediti nec ipſum quod rectè novimus, implere poſſimus. Hæc meditare, anima mea, hæc cogita, in iis quotidie ſe mens tua exerceat. Iis intenta à rerum inutilium curis & cogitationibus ſe avocet, & totam ſe ad hæc mala fugienda, & ad æterna bona capeſſenda, ſancti timoris & beati amoris igne ſuccendat.

Pſ. 39. v. 14.

XI.

De corpore, poſt animæ diſceſſum.

AD te jam redeo, dulciſſime creator, & benigniſſime redemptor, formator & reformator meus, votis ſupplicibus tuam implorans pietatem, ut doceas cor meum vitali timore & ſalutari tremore conſiderare quàm fœtida & quàm lugubri conditione caro mea poſt obitum, ſpiritu quod ad præſens vegetatur viduata, putredini & vermibus tradatur conſumenda. Ubi tunc erit, ſi qua modo eſt, de qua ſuperbit, pulchritudo ejus; exquiſitæ, quibus nunc defluit, deliciæ illius; delicati artus? Nonne tunc verè implebitur in ea illud propheticum, *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus tanquam flos fœni?* Claudentur oculi ad interiora capitis reflexi, quorum ſæpe vanis & perniciosis vagationibus delectabar. Jacebunt horrendis tenebris obducti, qui modò pro luce vanitates gaudent haurire. Patebunt aures vermibus mox replendæ, quæ nunc detractionis voces & ſæculares rumores damnabili jucunditate ſuſcipiunt. Stringentur dentes miſerabiliter obſerati, quos ſolvit edacitas. Putreſcent nares, quæ nunc variis odoribus delectantur. Squallore fœtidò labia horrebunt, quæ ſtulto cachinno frequenter diſſolvi gaudebant. Ligabitur lingua tabida ſanie, quæ ſæpe inanes fabulas proferebat. Arctabitur guttur, & venter ſaturabitur vermibus qui variis eſcis crebrò diſtenti ſunt. Quid commemorem ſingula? Tota illa compoſitio corporis, cujus ſanitati, cujus commoditati, cujus voluptati omnis penè cura

Iſa. 40. v. 6.

invigilat, in putredinem, in vermen, poſtremò in abjectiſſimum pulverem diſſolvetur. Ubi cervix erecta? Ubi jactantia verborum, ornatus veſtium, varietas deliciarum? Velut ſomnium evanuerunt, omnia ulterius non reditura tranſierunt, & amatorem ſui miſerrimum reliquerunt.

XII.

De anima à corpore ſeparata.

DEus bone, quid eſt quod intueor? Ecce occurrit timor timori, dolor dolori. Poſt ſeparationem ſui à corpore, nonne anima à multitudine occurſantium dæmonum, qui ejus accuſationes exaggerent, circumfundetur, & uſque ad minimam negligentiam de omnibus exquiretur? Veniet princeps mundi hujus cum ſatellitibus ſuis furore rabidus, callidus ad circumveniendum, ad mentiendum pronus, malevolus ad accuſandum, quæcunque poteſt contra eam vera ex perpetratis malis proferens, multa falſa confingens. O tremenda hora, ô examen horridum! Hinc judex diſtrictus ad judicandum; inde adverſarii procaces ad accuſandum. Stabit anima ſola ſine conſolatore, inde ſolatium ſolùm capiens, ſi eam bonorum operum conſcientia defendit. Sed in tanta
2. Pet. 4. v. 18. diſtrictione ubi omnia nuda apparebunt, *quis gloriabitur caſtum ſe habere cor? Si juſtus vix ſalvabitur, peccator & impius ubi parebunt?* Tunc laudantiũ labia ceſſabunt, adulatorum lingua non proderit, vana gloria ſeductrix probabitur fuiſſe. Fugiet inepta lætitia, dignitatum pompa fugabitur, honoris ambitio plena deceptionis fuiſſe videbitur. Beata illa anima, quã in tali diſcrimine innocentiæ conſcientia protegit, ſanctitatis memoria defendit: quam adhuc in carne poſitam piæ compunctionis unda ſæpiùs abluit, confeſſionis diligentia decoravit, ſacræ legis meditatio illuminavit: quam humilitas mitem, tranquillum patientia, obedientia à propria voluntate vacuam reddidit, & charitatis ad omnis virtutis exercitium fervidam fecit. Talis anima tremendam illam horam non
Pſ. 126. v. 6. formidabit, *non confundetur cùm loquetur inimicis ſuis in porta.* Sociabitur enim illis, de quibus Scriptu-
Ibid. v. 4. ra dicit: *Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini.*

XIII.

Retractatio diei judicii, ubi hœdi ad ſiniſtram conſtituentur.

JAm verò de terrore illo extremi judicii quis dicere aliquid valeat, ubi oves ad dexteram, hœdi ad ſiniſtram ſtatuentur? Quis tremor erit, ubi virtutes cœlorum movebuntur? Quæ rerum confuſio, qui gemitus, qui clamores ululantium, cùm vox illa terribilis negligentibus opponetur, *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum?* Verè dies iræ dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris. Verè tunc vox diei amara, tribulabitur ibi fortis. Quia qui mente ſuperba divinam voluntatem contemnentes modò de proſecutione propriæ voluntatis gloriantur, tunc perpetuus ignis involvet, qui nunquam extinguetur; & vermis depaſcet qui non morietur; & aſcendet fumus tormenti eorum, in ſæcula ſæculorum.

XIV.

Retractatio gaudii, ubi oves ad dexteram ſtatuentur.

HIs autem lugentibus, & præ angustia ſpiritus diros cordis rugitus emittentibus, quid putas gaudii & exultationis erit beatis illis, qui ad dexteram Dei conſtituti vocem illam fœliciſſimam audituri ſunt; qua dicetur illis: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi?* Tunc verè vox exultationis & ſalutis morabitur in tabernaculo juſtorum. Tunc Dominus humilium eriget caput, qui modò pro eo viles & abjecti eſſe non dedignantur. Medebitur contritis corde, & perpetuis gaudiis conſolabitur pro ſui deſiderio in hac peregrinatione lugentes. Apparebit ineffabile præmium eorum, qui pro ſui conditoris amore proprias ſe lætabuntur abjeciſſe voluntates. In illa die obedientium capita corona cœleſtis circumdabit; & patientium gloria inenarrabili ſplendore fulgebit. Ibi charitas milites ſuos Angelorum ſocietate ditabit, & cordis puritas amatores ſuos conditoris fœliciſſima viſione beatificabit. Tunc oſtendet ſe Deus omnibus dilectoribus ſuis, & æterna ſecuritate in perpetuum ſublimabit. Tunc verè ab electis omnibus cantabitur: *Beati qui* Pſ. 83. v. 5. *habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Cujus laudis participes nos facere dignetur, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

MEDITATIO II.

De terrore Judicii: ad excitandum in ſe timorem.

alias inſcribitur liber de miſeria hominis.

TERRET me vita mea * Quia diligenter diſcuſſa, apparet mihi * tota aut peccatum, aut ſterilitas ferè tota vita mea: & ſi quid fructûs in ea videtur, ſic eſt aut ſimulatum, aut imperfectum, aut aliquo modo corruptum; ut poſſit aut non placere, aut diſplicere Deo. Ergo, ô peccator, vita tua jam * non ferè tota; ſed certe tota aut in peccato eſt, & damnabilis; aut infructuoſa, & contemptibilis. Sed quid ſeparo infructuoſam à damnabili? Utique, ſi eſt infructuoſa; eſt & damnabilis. Conſtat enim & verum * eſt quod Veritas dixit; *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Denique ſi quid ago utile; prorſus nullatenus illud compenſo alimentis corporis, quibus abutor. Sed quis paſcit pecus, quod nec tantùm prodeſt, quantum conſumit? & tamen tu benigniùs Deus, tu nutris, & expectas tuum inutilem * vermen, & fœtentem peccatorem. Quàm tolerabiliùs canis * putris fœtet hominibus, quàm anima peccatrix Deo; quàm infœliciùs iſta Deo, quàm ille hominibus! Heu non hominem, ſed opprobrium * hominum, vilius pecore, pejus cadavere. Tædet animam meam vitæ meæ: vivere erubeſco, mori pertimeſco. Quid ergo reſtat tibi, ô peccator, niſi ut in tota vita tua plores totam vitam tuam, ut ipſa tota ſe ploret totam?

Sed eſt in * hoc quoque anima mea miſerabiliter mirabilis, & mirabiliter miſerabilis, quia non tantùm dolet, quantùm ſe noſcit; ſed ſic ſecura torpet, velut quid patiatur ignoret. O anima ſterilis, quid agis? quid torpes, anima peccatrix? Dies judicii venit, juxta eſt dies Domini magnus, juxta & velox nimis, dies iræ dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris. O vox diei Domini amara! Quid dormitas, anima tepida & digna evomi? quid dormitas? qui non expergiſcitur, qui non tremit ad tantum tonitruum, non dormit, ſed mortuus eſt. Arbor infructuoſa, ubi ſunt

al. mea anima.

al. jam ferè nusquam

al. eſſe, quod Veritas Dei dixit. v. 10.

al. verum & fœtentem al. putribus

al. hominibus

al. in hac anima

Digitized by Google

fructus tui? arbor digna secari & igne, digna succidi & succendi, qui sunt fructus tui? Utique spinæ pungentes & amara peccata; quæ utinam sic te pœnitendo pungerent, ut * confringerentur: sic amarescerent, ut evanescerent.

al. confurgerent

Forsan parvum quid putas aliquod peccatum: utinam districtus judex parvum existimaret aliquod peccatum. Sed heu me: nonne omne peccatum per prævaricationem Deum exhonorat? * Quid ergo? peccatum peccator audebit dicere parvum? Deum enim exhonorare, quando parvum est? O lignum aridum, & inutile, æternis ignibus dignum, quid respondebis in illa die, cùm exigetur à te usque ad ictum oculi, omne tempus vivendi tibi impensum, qualiter fuerit à te expensum? Tunc quippe condemnabitur quicquid fuerit inventum in te operis vel * otii, sermonis & silentii, usque ad minimam cogitationem, etiam quod vixisti, si non fuerit ad Dei voluntatem directum. Væ! quot peccata ibi prorsus ex improviso, quasi ex insidiis, quæ modò non vides? Certè plura, & fortassis terribiliora his, quæ nunc * vides. * Quot, quæ non esse mala putas: quot, quæ nunc esse bona credis, nudatâ facie apparebunt ibi nigerrima peccata? Ibi proculdubio recipies prout gessisti in corpore; * tunc, cùm jam non erit tempus misericordiæ; tunc, cùm pœnitentia non recipietur, cùm emendatio non promittetur.

al. Quod ergo peccatum

al. non vides al. Et quæ non.. & quæ nunc

al. cùm tunc nullum erit al. cùm tempus, & cùm electio nulla datur

Hîc cogita quid gessisti, quid oporteat te recipere. Si multa bona; pauca mala; multùm gaude: si multa mala, pauca bona; multùm luge. O inutilis peccator! an non sufficiunt tibi hæc ad * immanem rugitum? an non sufficiunt ad eliciendum sanguinem & medullas in * lachrymas: Væ mirabilis duritia, ad quam confringendam leves sunt tam graves mallei! O * insensibilis torpor, ad quem excitandum sunt obtusi tam acuti aculei! * Proh letalis sopor, ad quem excitandum raucum est tam terrificum tonitruum! Peccator inutilis, satis hæc tibi debent esse ad continuandum luctū: sufficere tibi possunt ad forbendas juges lachrymas. Sed * cur debeo de gravedine, de magnitudine imminentis miseriæ quicquam dissimulando tacere, & oculis animæ meæ * furari? An ut * improvisè irruant repentini dolores; ut subitò ingruat intolerabilis tempestas? Certè non sic expedit peccatori. Si autem dixero, quicquid potero excogitare; nondum ad id quod res est, poterit * comparari. Igitur deducant oculi mei lachrymas per diem & noctem, & non taceant. Auge ergo peccator, auge superioribus ærumnis pondus, adde terrorem * super terrorem, ululatum super ululatum: * nam ipse te judicabit, ad cujus contumeliam spectat, quicquid inobediens Deo, aut prævaricator peccat; qui mihi bonum pro malo reddidit, cui ego malum pro bono; qui nunc * patientissimus, tunc districtissimus; clementissimus nunc, justissimus tunc.

al. immanem

al. insuperabilis

al. propheticalis

al. quid

al. frui al. improvisi al. emis. tempestas

al. operari

al. emit. super terrorem

al. emit. nam

al. sapientissimus

Heu me, heu me! cui peccavi? Deum inhonoravi, omnipotentem provocavi. Peccator, quid feci? cui feci? quàm male feci? Væ, væ! ira omnipotentis ne irruas super me. Ira omnipotentis, ubi poteris capi in me? Non * est quod te possit tolerare in toto * me. O angustiæ: hinc erunt accusantia peccata, inde terrens justitia: subtus patens horridum chaos inferni, desuper iratus judex: intus urens conscientia; foris ardens mundus. Justus vix salvabitur; peccator sic * deprehensus in quam * partem se premet? Constrictus ubi latebo? quomodo parebo? Latere erit impossibile, apparere intolerabile. Illud * desiderabo, & nusquam erit: istud execrabor, & ubique erit. * Quid quid tunc? quid erit tunc? quis eruet me de manibus Dei? unde mihi consilium? unde salus? Quis est, qui dicitur magni consilii Angelus, qui dicitur salvator; ut nomen ejus vociferer? Jam ipse est, jam ipse est Jesus, ipse idem est judex, inter cujus manus tremo.

al. irruat

al. quit te possit tolerare: al. In toto me angustiæ

al. reprehensus

al. emis. partem

al. desidero

al. Quicquid tunc, quicquid erit tunc

Respira jam ô peccator, respira; ne desperes, spera in eo quem times. Affuge ad eum, à quo aufugisti. Invoca importunè, quem superbè provocasti. Jesu, Jesu, propter hoc nomen tuum, fac mihi secundùm hoc nomen tuum. Jesu, Jesu, obliviscere superbum provocantem * respice miserum invocãtem nomen * dulce, nomen delectabile, nomen confortans peccatorem, & beatæ spei. Quid est enim Jesus, nisi Salvator? Ergo Jesu, propter temetipsum esto mihi Jesus: qui me * plasmasti, ne peream; qui me redemisti, ne condemnes: qui me creasti tua bonitate, ne * pereat opus tuum mea iniquitate. Rogo, piissime, ne perdat mea iniquitas quod fecit tua omnipotens bonitas. Recognosce, benignissime, quod tuum est: & absterge quod alienum est. Jesu, Jesu, miserere, dum tempus est miserendi; ne damnes in tempore judicandi. Quæ namque tibi utilitas in sanguine meo, si descendero in æternam corruptionem? *Neque enim mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum.* Si me admiseris intra latissimum tuæ misericordiæ sinum; non * erit augustior propter me, Domine. Admitte ergo, ô desideratissime Jesu, admitte me intra numerum electorum tuorum: ut cum illis te laudem, te perfruar, & glorier in te inter omnes qui diligunt nomen tuum. Qui cum Patre & Spiritu sancto gloriaris per interminata sæcula. Amen.

al. emit. respice miserum invocantem al. nomen dilectum al. creasti ne perimas vel salvasti, ne pereat al. perimas

Ps. 118. v. 17.

al. emis.

MEDITATIO III.

Deploratio malè amissæ virginitatis.

ANIMA mea, anima ærumnosa, anima, inquam, misera miseri homunculi, excute torporem tuum, & discute peccatum tuum, & concute mentem tuam: reduc ad cor enorme delictum, & produc de corde immanem rugitum. Intende, infelix, intende sceleris tui horrorem, & * protende horrificum * terrorem, & terrificum dolorem. Tu, inquam, quæ quondam * candidata cœlesti lavacro, dotata Spiritu sancto, in Christiana professione jurata, virgo * fuisti Christo desponsata. O * unde memini. O quem nominavi: Utique non * jam benignum sponsum virginitatis meæ; * sed terribilem judicem immunditiæ meæ. Heu memoria perditæ jucunditatis! Cur sic superaggravas pressuram possidentis * infœlicitatis? quam misera sors * flagitiosi hominis, cui & bonum & malum pariter sunt in tormentum? Torquet enim me mala conscientia, & cruciatus ejus, in quibus timeo mearsurum: torquet me bonæ conscientiæ, & præmiorum ejus, memoria; quæ scio me perdidisse, nec ampliùs recuperaturum. Væ miserum perdere, * dolendum; id perdere irrecuperabiliter, quod servari debet interminabiliter. Heu inconsolabile perdere; quod non solùm est damnosum bonorum, sed insuper est luctuosum tormentorum.

al. protende al. horrorem

al. candida

al. fervisti

al. nimiem

al. non tamquam

al. emis. infœlicitatis al. flagitiosum, cui

al. emit. dolendum

O virginitas, jam non dilecta mea, sed perdita mea; jam non jucunda mea, sed * desperata mea; quo devenisti? in quàm fœtido, in quàm amaro cœno * me dereliquisti? O fornicatio sordidatrix mentis meæ, perditrix animæ meæ; unde misero surrepsisti, de quàm nitido, de quàm jucundo statu me præcipitasti? Hinc uris me, ô amare mœror, quia illud est * amissum: hinc angis me, ô gravis dolor, & timor * gravioris, quia istud est

al. desperatio al. vim

al. dimissum al. gravior *

Digitized by Google

vel gravis al. amissum al. incompassible al. sed si

est * admissum. Hinc est damnum * inconsolabile, hinc tormentum intolerabile. Væ hinc, & væ illinc. * Sic sic pariter bonum & malum, sic utique jam justè punitis adhuc viventem miserum malum. Dignè, certè dignè. Tu namque anima mea perfida Deo, perjura Dei, adultera Christi, libenter de * virginitatis sublimitate miserabiliter es * demersa in barathrum fornicationis. Tu illa olim desponsata regi cœlorum, * ardenter facta es scortum tortoris tartarorum. Heu abjecta à Deo, projecta diabolo: imò abjiciens Deum, amplectens diabolum. Tu enim, tu * misera anima mea, meretrix obstinata, fornicatrix impudens, tu prior amatori & creatori tuo Deo repudium obtulisti, & ad insidiatorem & perditorem tuum dæmonem te sponte contulisti. O * miserima commutatio!

al. de sublimi statu virginitatis
al. demissa
al. miserima mea vel misera mea
al. o misera & plusquam misera

Heu! de quàm sublimi cecidisti; in quàm profundum corruisti. Væ! quam benignum contempsisti; quàm maligno te junxisti. Quid fecisti, ó mentis amentia, amens spurcitia, spurca nequitia, quid fecisti? In cœlo dereliquisti castum amorem tuum, & in infernum sequuta es odiosum corruptorem tuum: & in baratho parasti non thalamum, sed prostibulum tuum. Horror mirabilis: quàm perversa voluntas? Miraculum horribile: quàm volũtaria perversitas? Unde mihi, Deus, tantæ pravitatis * correctio? unde tibi, Deus, tanti sceleris satisfactio? Præcipitare, miser homuncio, in tenebrosum profundum immoderatæ mœstitiæ; qui sponte præcipitatus es in barathrum horrendæ nequitiæ. * Obruere, infelix, mole terribilis doloris, qui corruisti libens in cœnum infernalis fœtoris. Obvolvere, * criminosè, horridis tenebris inconsolabilis luctus, qui volens provolutus es in voraginem tam sordidi luxus. Volutare in gurgite amaritudinis, qui delectatus es in volutabro turpitudinis.

al. corruptio vel susceptio
al. obruere mole nequitiæ. Obruere al. enormosa vel enormoud

Terror horribilis, dolor terribilis, mœror inconsolabilis, aggrerate vos super me, irruite, obruite, perturbate, obvolvite, * pollidete. Justum est, justum est. Impudenti audacia contempsi vos, & * putenti delectatione provocavi vos; imò Deum, non vos; & nunc miserabili pœnitentia desidero vos. Torquete reum, vindicate Deum. Præsentiat fornicator * inferni tormenta quæ meruit, prægustet quod præparavit, affluescat quod est passurus. Extende & produc, immoderate peccator, luctuosam pœnitentiam, qui tam longè produxisti tui sceleris immunditiam. * Revolvere, & revolvere in eundem turbinem amaritudinum, qui totiens revolutus es in eandem * voraginem libidinum. Consolatio, securitas, lætitia, nolo vos, renuo vos; nisi peccati venia reduxerit vos. Procul este, procul este ante mortem, * si fortè indulgentia revocet vos mihi * vel post mortem. Sit continua pœnitentia amara comes ætatis meæ: sit * continuus dolor insatiabilis tortor vitæ meæ. Sint mœror & acerbus luctus infatigabiles * tribulatores juventutis & senectutis meæ. Utinam, utinam ita sit; opto, oro desidero ut ita sit. Si enim non sum dignus oculos ad cœlum * orando levare: certè non sum indignus eos vel plorando cæcare. Si confunditur mens mea orare pudore conscientiæ: æquum est ut confundatur turbine luctuosi doloris & tristitiæ. Si timet exhiberi ante conspectum Dei sui: justum est ut habeat ante conspectum suum tormenta sceleris sui.

al. revolvere
al. vertiginem
al. nisi... revocaret
al. verò
al. acerbus dolor insatiabilis
al. tribulationes
al. levando etiam

Cogitet igitur & recogitet cor meum quid fecit, & quid meruit. Descendat, * inquam, descendat ad terram tenebrosam & opertam mortis caligine mens mea, & consideret * quæ ibi expectent scelerosam animam meam, intendat & contempletur, videat & conturbetur. Quid est, Deus, quid est quod animadverto in terra miseriæ & tenebrarum? Horror, horror. Quid est quod intueor, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat? Heu * confusio ululatuum, tumultus * fletuum, stridor dentium, inordinata multitudo * gemituum. Væ, væ, Quot, quot & quot væ, væ. Ignis sulphureus, flamma tartarea, & caliginosa volumina, quàm terrifico rugitu video vos rotari. Vermes in igne viventes, quæ * mira aviditas * rodendi * sic vos * accendit, quos ille ignis ignium non incendit? Dæmones coardentes, frementes ardore, frendentes furore, cur sic crudeles estis his qui voluntantur inter vos? * O omnimoda tormenta; Justitia moderata, ad sustinendum * immoderata; siccine nullus modus, nullum remedium, nullus finis temperabit vos? Hæccine sunt, magne Deus, quæ parata sunt fornicatoribus, & contemporibus tuis, quorum ego unus sum? Ego, ego utique unus horum ego sum.

al. qui
al. confusio ululatuum
al. tumultus fletuum
al. gemebundi
al. dira
al. rodendi
al. accidit
al. O commoda
al. omit. immoderata

Anima mea, expavesce; mens mea, dēfice, cor meum, * scindere. Quò me rapitis, exactores sceleris mei? Quò me trudis, peccatum meum? quò me tradis, Deus meus? Si feci ut essem reus tuus: nunquid potui facere ut non essem creatus tuus? Si mihi castitatem meam ademi: nunquid tibi misericordiam tuam peremi? Domine, Domine, si ego * admisi unde me damnare potes, tu-ne amisisti unde salvare soles? Noli, Domine, noli sic attendere malum meum; ut * oblivisearis bonum tuum. Ubi * est, ó verax Deus, ubi est, *vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat?* Domine, qui non mentiris: Domine, quid est, *nolo mortem peccatoris*; si tu sepelis in infernum ad te clamantem peccatorem? an detrudere peccatorem in gehennam, * hoc est, *nolo mortem peccatoris?* An hoc est, *volo ut convertatur peccator & vivat?* Peccator sum, Domine, peccator sum ego. Si ergo non vis mortem peccatoris; quid te cogit, quod non vis, ut me tradas ad mortem? Si vis ut convertatur peccator & vivat; quid te prohibet facere quod vis, ut me convertas, & vivam? An immanitas peccati mei cogit te quod non vis, & prohibet quod vis; cùm sis omnipotens Deus? Absit, * omnipotens Deus; absit, Domine Deus: * non prævaleat nequitia peccatoris confitentis & dolentis, sententiæ omnipotentis.

al. amisi
al. ut non
al. ubi verax est
Exod. 33. v. 14.

Memento, juste, sancte, & benigne Deus: Memento quia misericors es, & creator & recreator meus. Ne ergo memineris, bone Domine, justitiæ tuæ adversus peccatorem tuum; sed memor esto benignitatis tuæ erga creaturam tuam: ne memineris iræ adversus reum; sed memor esto miserationis erga miserum. Verum est quia conscientia mea meretur damnationem, & pœnitentia mea non sufficit ad satisfactionem: sed certum est quia misericordia tua superat omnem offensionem. Parce ergo, tu bone * Domine, cujus est salus, & qui non vis mortem peccatoris: Parce peccatrici animæ meæ. Fugit enim exterrita à terrente justitiâ tuâ ad confortantem misericordiam tuam; ut quoniam præmium virginitatis est corruptæ, ô dolor, irrecuperabile; saltem supplicium fornicationis pœnitenti non sit inevitabile: quia non est impossibile omnipotentiæ tuæ, nec indecens justitiæ tuæ, nec insolitum misericordiæ tuæ; quoniam bonus es, & quoniam in æternum misericordia tua, qui es benedictus in sæcula. Amen.

Digitized by Google

MEDITATIO IV.

Quomodo peccator excitet animam ſuam ad corrigenda peccata ſua.

ANIMA mea, anima miſera & fœda, diligenter recollige ad te intrinſecùs omnes ſenſus corporis tui, diligentiſſimèque intuere & vide quàm graviter intùs vulnerata atque proſtrata ſis. Deum enim adhuc immenſa creatoris tui bonitas tibi vitam præſtat; dum ejus ineffabilis miſericordia tuam correctionem, & ſatisfactionem congruam, patienter & cum magna manſuetudine expectat; non ſis pigra & tarda ad curanda vulnera tua, ad corrigenda peccata tua, ad reconciliandum tibi creatorem tuum quem offendiſti; ad * pacificandos tibi omnes ſanctos ejus, quos in offendendo ſuum creatorem & tuum, ſuum Dominum & tuum, tibi adverſarios feciſti. Si recta & munda, ſicuti te creator tuus rectam & mundam creavit, ſemper ſtares; ejuſque voluntati, ſicuti bene poſſes, ſi voluiſſes, indeficiens adhæſiſſes; nunc læta & fœlix, lætam & fœlicem vitam præſentem tranſcurreres: quâ tranſcursâ & finitâ, læta & fœlix cum illius adjutorio qui te creavit, vitam & fœlicitatem, quæ finem non habet, poſſideres. Nunc verò quia voluntatem creatoris tui, infœlix & miſera poſtpoſuiſti; * & carnalibus tuis voluptatibus infœliciter & miſerè adhæſiſti:] ſi ſtudiosè & cum magna diligentia, non te palpans, nec tibi parcens, quantis malis & iniquitatibus involuta ſis, inſpicis, inſpiciens & pœnitens ad ſatisfactionem & emendationem redire diſponis; hoc priùs projice ab interioribus tuis, ſcilicet, voluntatem peccandi; & ea amplectere & fac quæ creatori tuo per omnia placere intelligis.

Sed fortaſſis apud temetipſam dicis inſpiciens enormitatem ſcelerum tuorum, & deſperans de indulgentia & remiſſione, propter aſſiduas fœditates iniquitatum tuarum: quomodo me emendare jam amplius valeo, quæ ferè in omni vita mea contra Dei voluntatem facio, omni malitiæ, omnibuſque malis deſideriis & malis operibus ſemper intenta exiſto; & quaſi lapis, quem nec ferrum incidere, nec ignis emollire poteſt, ſic indurata in peccatis jaceo? Dum itaque juſtitiam creatoris mei diligentiùs inſpicio, & mala * opera quæ ſemper operata ſum, non minori diligentia intueor; cùm ipſe unicuique redditurus ſit ſecundùm opera ſua; tormenta & pœnas, quas mala opera merentur, me recipere ſcio. Verum eſt quod aſſeris, quia Deus judex juſtus, diligens æquitatem, malis operibus & peccatis tormenta irrogat; ſed tamen ſecundùm eandem juſtitiam, qua perſeverantes in malitia punit, reſipiſcentes à malis, bonaque opera facientes, æterna mercede * remunerat. Propter hoc ſuperiùs te admonui, ut diligentiùs omnia interiora tua, & ea quæ coram * agis, inſpicias; & ad quem finem quæque * perventura * ſint, non minori diligentia videas. Et credo quia ſi hoc aſſiduè facis, horumque recordationibus quaſi ferreis malleis duritiam pectoris tui aſſiduè contundis, niſi inſana ſis; ea facies, unde fœlicitatem & gaudia recipias; ea verò dimittes, unde tormenta & triſtitiam mereberis.

* Propter hoc iterum atque iterum admoneo ut ſine intermiſſione recorderis, quàm dulcis & quàm bonus ſit erga te creator tuus, quanta bonitas ejus fuerit, quòd te cùm non eſſes creavit; & quòd te non pecus aut creaturam inſenſibilem, ſed eam creaturam fecit, quæ eum * poſſes intelligere & amare, & cum eo ſuam æternitatem æterna & fœlix poſſidere; & quòd in tantum te dilexit, ut cùm te multa contra ſuam voluntatem acturam ſciret, noluit te non facere, ſed te voluit facere, & eſſe; & quòd te cum tanta manſuetudine, Aut pius ac miſericors adhuc patitur, expectans tuam emendationem. Expectat verò creator tuus, expectat, ſicut dixi, tuam correctionem: quia cui placui te, cùm non eſſes, facere, nullo modo aliquando te cupit perdere; ſed ad ſuam piiſſimam miſericordiam redire, & tibi per veram pœnitentiam purgatæ & emendatæ, æternæ vitæ fœlicitatem, quam per peccatũ amiſeras, * reddere.

Cogita ergo, & recogita tantam erga te cui creatoris benignitatem; & erige te, ſicut rectum eſt, & omnes ſenſus tuos ad ejus ineffabilem dilectionem. Amor * enim illius nullam patitur vitiorum fœditatem, nullam conſentit ſecum eſſe carnalium deſideriorum voluptate. Ubi amor ejus converſatur, ibi eſt ſumma pax, ſumma tranquillitas, & magna * facilitas omnia illa faciendi & cogitandi, quibus acquiratur æterna fœlicitas. In omnibus actionibus * & in omnibus cogitationibus] tuis ſcias pro certo * duos eſſe præſentes, unum amicum, & alterum inimicum tuum. Amicus tuus eſt creator tuus, qui de tuis bonis operibus gaudet: inimicus autem tuus diabolus, qui de eiſdem tuis bonis operibus luget. E contrario diabolus tibi ſemper inſidians, lætatur ſi te viderit mala opera facere, vaniſque cogitationibus & ſtultis operam dare, unde * te valeat ante ſupernum judicem accuſare, accuſatam & damnatam ſecum ad perditionem trahere. Diabolus de perditione fidelium ſemper cupidus, non ſolùm illos de malis operibus, quæ faciunt, accuſat; ſed & ipſorum benefacta, beneque cogitata, * etiam injuſtè accuſando maculare tentat. Tu verò contra ejus ſubtiles fallacias, contraque ejus verſutias multis deceptionibus plenas; eſto cauta, eſto ſollicita; tuumque creatorem & dulciſſimum Dominum invoca, ne ejus fallaciis & deceptionibus te ſeduci permittat. Fuge ſub umbra alarum ejus à facie impiorum qui te affligunt, qui te afflictam & ſupplantatam ad mortem & ad interitum pertrahere ſatagunt. Creator tuus, & Dominus tuus plus eſt pius & miſericors, quàm dici vel etiam excogitari poſſit: unde nullum niſi ſuâ magnâ culpâ ſuâque magnâ iniquitate perdit.

Pater & mater carnales ſolent magnam pietatem habere de illis quos genuerunt: * & ſi illos aliquo dolore, vel aliqua corporali triſtitia affici conſpiciunt; ſe, ſuaſque res, ſi ita ratio exigit, pro eorum recuperanda ſoſpitate libenter impendunt. Multa etiam animalia pro fœtibus ſuis ſæpiùs mortem excipere non metuunt; & ut ipſi fœtus ſui mortem evadant, mortem ipſa incurrunt. Unde verò illis, unde eſt illa naturalis pietas, niſi ab illo qui fons eſt pietatis, qui non vult ullum perire, nec lætatur in perditione morientium? Creator igitur noſter, fons pietatis, fons miſericordiæ, ſuper omnia dulcis & amabilis, cùm nos conſpicit creaturam ſuam aliquo contagio peccati maculatos, vel etiam magnis multiſque vulneribus criminum ferè uſque ad mortem læſos; multò magis, majoremque diligentiam adhibet circa nos curandi peccata noſtra, ſanandi infirmitatem noſtram, mundandi lepram & ſordes criminũ noſtrorum, vanitates & pulverem cogitationum noſtrarum; quàm pater carnalis, vel pecus, adhibeat circa curam filiorum, vel fœtuum ſuorum. Nec ſufficit ei tantùmodò ſanare infirmitatem noſtram, & ſic nos dimittere; ſed ſanatos familiariſſimos ſibi nos faciens, dulciter quaſi chariſſimos filios ſuos poſtea amplectitur; amplectens & oſculans de omni languore & lepra peccati, quam per ſtultitiam incurrimus, mitigat & conſolatur; & omnium injuriarum, quas ei fecimus eum in ſuis præceptis ſpernentes, omnino obliviſcitur.

al. amic

al. & ab interioribus tuis expelle

al. amic. operta

al. ſi aliquos illorum

al. coram Deo

al. proventura

al. ſit

al. præter hoc

al. poſſet

al. reddet

al. felicitas

al. amic.

al. ſemper duo

Honorat nos in præsenti vita, coronat nos in futura, facit nos reges, facit animam nostram reginam; unde nos reges, jam factos, admonet in Psalmo: *Et nunc reges intelligite, erudimini qui judicatis terram.* Tunc verè reges sumus, si nostros motus inordinatos regimus, eosque ad rationem & ad voluntatem nostri creatoris revocamus. Erudimur verò, cùm terram judicamus, id est, cùm cor nostrum si * terrena desiderare conspicimus, terrena contemnere, & cœlestia amare compellimus. * Fit anima nostra Regina, * quia variis vestibus induta, id est, variis virtutum donis decorata, Christo sponso suo qui in cœlis est, perrenni mente actu & habitu interim, dum in terris conversatur, est copulata. Non satis fuit creatori nostro nos creare, creatos gubernare; & Angelos suos quoties nobis opus erat, ad defensionem nostram mittere; sed ipse per semetipsum, assumpta formâ nostrâ, assumptâ naturâ nostrâ, habens pietatem de creatura sua, ad nos descendit, vulnera nostra & mortem diligenter inspexit, inspiciens palpavit, tetigit; pietate motus super miseriam quam nos habere vidit, condolendo ingemuit. Et post hæc, de ipsa carne sua quam pro nobis assumpserat, quasi emplastrum faciens, nostrisque doloribus apponens, totam ex integro infirmitatem nostram sanavit. Et ut in hoc ostenderet quantùm nos diligeret; ipsam carnem, quam pro nobis susceperat, nobis ad manducandum dedit; & adhuc in sacrificio sui altaris ministrare non desinit.

Ps. 2. v. 10.

al. terram

al. Et
al. quæ

Tu verò anima mea horum omnium dulci recordatione animata & consolata, ora Dominum tuum, ora creatorem tuum, invoca omnes Sanctos ejus, ut tibi sint in auxilium, quatenus per eorum intercessionem adjuta & consolata, sic tibi in præsenti conversatione qui te fecit concedat vivere, tuasque iniquitates per veram pœnitentiam & confessionem mundare, ut finito temporali cursu, ad æterna gaudia merearis ascendere, præstante eo qui vivit & regnat Deus per æterna sæcula. Amen.

MEDITATIO V.

*Unde * vivat anima, & unde vivat caro: & de gloria bonæ animæ, & de infœlicitate malæ animæ, quando exeunt de corpore.*

DUm anima * manet in corpore, vivit homo secundùm carnem: quâ carnem deserente, moritur secundùm eandem carnem. Sed sicut anima vitam carni tribuit, dum ipsa manet in carne; sic ipsa caro vitam tribuit animæ, dum ipsâ caro facit opera justitiæ. Ergo hoc modo sibi invicem videntur tribuere, & anima carni, & caro animæ; & sic anima cum carne operante, acquirunt sibi invicem vitam perpetuæ vitæ. Sed illam vitam mox percipit anima exuta carne, quam caro cum anima perceptura est in resurrectione in novissimo die. Ergo, anima mea, & caro, * exultate in Deum vivum, accedite ad Deum creatorem vestrum, accedite & illuminamini; & jam ampliùs non faciatis unde erubescatis; sed semper agere studete, unde in * perpetuum gaudeatis. Hortor vos, moneo vos, ne in vacuum gratiam Dei modò recipiatis, qui etsi modò multa patitur fieri à vobis, quæ multùm displiceant illi; non semper eum ita * pati putetis. Est enim sine dubio patiens redditor, & diligens cordis & renum scrutator. Patitur modò multa, expectans * nostram correctionem, velut mansuetissimus: sed si modò nos non corrigimus; damnabit nos, sicut justissimus: & qui modò tam dulcis est nobis, ut nos suos fratres vocet, & amicos; tunc in extrema discussione * ignoratos, & non sibi per bona opera notos, veluti inimicos suos reputabit nos.

al. hominis

al. exultanter

al. omit. pati

al. Ignorans

Anima mea, & caro mea, jam tandem evigileris, semper & ubique cogitantes de novissimis vestris. Forsitan si hoc facitis, non facilè peccabitis. Si modò, sicut moneo facitis, securæ sitis: quia cùm multi dolebunt, qui modò miserè rident & gaudent; vos lætitia inenarrabili exultabitis & gaudebitis. In ipsis operibus vestris * diligenter intendite. Si recta sunt & Deo placita, gaudete: si prava & Deo non accepta, citiùs corrigite. Non dormitent oculi vestri, non dormiant palpebræ vestræ. Aperta est fovea perditionis: facilè illuc labitur, qui modò cautè se non custodit. Peccatum & iniquitas, stultum & vanum, facilè modò illuc impellunt; in quo semel immersi jam non resurgunt in perpetuum. Sicut * pravis, & mala semper facientibus, apertus est æternus interitus; sic bonis, & in bonis operibus perseverantibus, apertus est paradisi introitus, in quo quis semel susceptus semper & in perpetuum manebit gaudens & lætus. * Hoc modo & bona opera bonum elevant sursum in excelsum: & mala opera malum demergunt in profundum deorsum.

al. nunc diligenter attendite

al. prava

Sed jam nunc diligenter videamus, si possumus, quo ordine bona opera animam illius, qui bene vixit, ducant in cœlum; & mala opera animam peccatoris trahant in infernum. Anima pura mox ut discedit à corpore, videt omnia opera sua; & quia omnia bona videt, gaudet inenarrabili lætitia. Mox accipit eam Angelus, & qui oculos ejus tenuit ne * videret vanitatem; amplectitur eam, qui obturavit aures ejus ne * audiret iniquitatem; protegit eam, qui custodivit os ejus, ne loqueretur mendacium; aggaudet ei, qui eam protexit ne peccaret in sensu olfaciendi sive tangendi; & sic eam ex omni parte lætus & hilaris circundat, & ante thronum claritatis divinæ, ubi sine fine gaudeat, locat. Occurrunt ei alii Angeli, & alii Sancti, qui ibi assistunt ante conspectum divinæ majestatis; & quam sociam sibi per bona opera, & amicam noscunt, in brachiis synceriſſimæ charitatis gaudenter excipiunt; taliterque affantes, quasi singula gaudia omnium ibi cohabitantium ei ostendunt: Ecce, amica nostra, ecce socia nostra, quia fideliter Deo servisti, ejusque præcepta faciendo viriliter laborasti, jam tandem à labore quiesce, & æternis gaudiis amodò & usque in sempiternum nobiscum fruere.

At contrà, anima peccatoris cùm cogitur de corpore exire, mox excipiunt eam Angeli Satanæ, quam igneis catenis fortiter constringentes, fortiùsque ex omni parte propellentes ad tormenta inferni rapiunt, ubi ipse Satanas mersus in profundum jacet deorsum. Ibi est fletus, & stridor dentium; ibi ignis, laqueus, spiritus procellarum pars calicis peccatorum. Tunc ipse Satanas rapiens eam ad se, expuensque in eam * ignem plenum putore, jubet à suis ministris eam ex omni parte arctari, & sic arctatam in ipsis tormentis projici, ubi sine fine cum illis tormentetur, & sine fine in ipsis doloribus indeficiens moriatur. Tunc infœlix anima in ipsis pœnis tormentata, ipsis furiis infernalibus undique coangustata, tandem ad se reducta, cernens omnia mala quæ fecit, infœliciter proclamat. Heu misera, misera! cur unquam in vitam veni, misera, quæ tantis tormentorum generibus undique excrucior misera?] Vermes, vermes, qui tam crudeliter me corroditis, parcite, quæso; parcite mihi miseræ, tot & tam immania alia tormenta patienti. Heu misera, misera! &

al. in eam plenam

al. omit.

Digitized by Google

mori cupio, & tamen moriens mori nequeo. Nunc misera recipio quicquid peccavi per visum, per gustum, per auditum, per odoratum, per tactum. Non tamen valet infelici animæ tam miserè dolenti, tam serò pœnitenti, tam infeliciter proclamanti, quòd tunc tantâ tristitiâ se afficit. Sed quod, dum in vita fuit, promeruit; nunc * in ipsis doloribus inferni, misera & peccatrix recipit.

Ecce, anima mea & caro mea, diligenter intendite; intendentes autem verum judicium judicate; & quid sit melius, quid utilius sequendum discernite: Bene facere & bona recipere? an mala agere, & mala percipere? Nisi insanum sapiatis, nihil aliud respondebitis, nisi, * bene facere & bonum habere. Ergo facite bonum; ut illud possitis habere bonum, à quo est omne bonum, scilicet, omnis boni bonum, quod non potest esse nisi bonum. Multa bona creator noster dedit nobis, multa in potestate nostra tradidit; sed nullum bonum est tam pretiosum, tam ab omni sapiente expetendum, quàm illud bonum, ad quod non potest accedere ullum malum. Hoc bonum est ipse creator noster, qui nunquam nisi bonus est. Quod bonum si, ejus gratiâ largiente, habere poteritis? omnia alia bona in illo habebitis. Si verò alia bona habentes; illum solum non habetis; in vanum laboratis, ventumque stultissimè sequentes, in extremis non veritatem, sed vanitatem invenietis.

Est autem, sicut videtis, si rectè consideratis, præsens gloria, quasi vesica vento plana; quæ dum sic plena tenetur in manibus, conspicitur speciosa & clara; cui si fortuitò punctus permodicus imprimatur, non claritas, sed inanitas, & ventus remanet in manibus. Animadvertite ergo; &, sicut in principio hujus Meditationis vos monui, de novissimis vestris semper cogitetis; quia sic cogitantes, semperque de exitu vestro metuentes non facilè peccabitis, & sic usque in extremum viventes, finitâ temporali lætitiâ, quæ dum sic timebatis, circa oculos vestros quasi ventus volabat, non vanitatem, sed veritatem, quæ Christus est, invenietis, ad quam vos perducat qui vos creavit. Amen.

MEDITATIO VI.

Ad roborandum spiritum ne desperemus: quia si veram pœnitentiam agimus, veram misericordiam sine dubio de omnibus peccatis nostris inveniemus.

Cum ad peccata quæ feci, respicio; & pœnas & tormenta intelligo, quæ pro iis pati debeo; non parvum timorem habeo. Itaque multùm anxius & multùm timidus de perditione mea, si fortè alicubi aliquam consolationem * inveniam requiro. Sed heu miser, nullam invenio; quia non solùm creatorem meum, sed & illum, & omnem creaturam ejus à me offensam * esse certus existo. Creator itaque meus, cum omni creatura sua, peccatis meis graviter offensus, me damnat: mea conscientia certa de suis malis operibus, ex omni parte me accusat. Et ita nullam consolationem invenio, nec ab * ullo facilè me puto habere. Quid ergo faciam? quo me convertam sic desolatus, sic peccatorum meorum malitiis involutus? * Si ad illum, qui me rectum fecit, redire volo, ejusque ineffabilem pietatem, ut de me misericordiam habeat, deprecor; non parum timeo ne pro tanta temeritate magis eum moveam ad iracundiam adversùm me, & pro hoc graviùs se vindicet de sceleribus meis, quibus non timui ejus mansuetudinem exasperare. Quid ergo? Remanebo quasi desperatus sine consilio, sine adjutorio? Adhuc creator meus me patitur vivere: adhuc non dimittit mihi ea, quæ sunt necessaria ad sustentationem hujus vitæ, ministrare. Et, sicut rebus ipsis experior, * peccata mea non possunt ejus bonitatem vincere, ut adhuc velit; sicut jam promerui, confundere, & ex toto destruere. Certissimum est ergo illum esse pium erga me, qui tanta bona mihi largitur, nec adhuc de meis iniquitatibus se quærit vindicare.

Audivi, & sicut ipsi attestantur qui experti sunt, verum est quod audivi, quia ipse fons misericordiæ, qui ab initio mundi currere cœpit, adhuc currit. Fuit autem multùm (ut aiunt) misericors & pius erga primum parentem nostrum Adam, quando illud peccatum de fructu vetito commisit, quòd non statim eum, sicut promeruerat, æternâ perditione damnavit; sed emendationem ejus patienter expectavit, & ut ad gratiam ejus quem offenderat redire posset, misericorditer adjuvit. Misit verò ad hoc opus illi, & omnibus illis qui ex illo exorti sunt, sæpiùs suos Angelos, monens ut redirent, & pœnitentiam pro suis iniquitatibus agerent; quia ipse eos adhuc libenter recipere, si de peccatis suis ex toto corde pœniterent. Sed ipsi adhuc in peccatis suis perdurantes, ejusque monita spernentes, addiderunt peccata peccatis, & quasi insani & abominabiles in suis iniquitatibus facti, cùm in honore facti essent propter similitudinem Dei, cœperunt mores bestiarum contra naturam imitari.

Misit præterea Patriarchas, misit Prophetas; sed nec sic illi voluerunt relinquere vias suas tortas & perversas; sed quosdam illorum, qui eis monita salutis dabant, interficiebant; alios variis & inauditis tormentis cruciabant. Castigabat tamen eos aliquando, ut misericors pater, non ut irritatus malis operibus illorum se de contumeliis, quas ei faciebant, vindicaret; sed ut correcti ad illius misericordiam redirent, qui nullo modo vult illorum, quos bonitate sua creavit, perditionem. Sed cùm nec admonitione, nec correctione sæpiùs ab eo visitati reverterentur; non se potuit fons pietatis ultrà retinere; sed de sinu Patris descendens, assumpta vera humanitate, assumpta peccatorum similitudine, cœpit eos dulciter monere, ut salutem tunc de peccatis suis pœnitentiam agerent, & ipsum esse Filium Dei cognoscerent. Pro illorum enim salute venerat; & propter hoc, non desperarent: sed certissimè adhuc de omnibus peccatis suis veniam habere se crederent, * si tantùm illa dimitterent, & pœnitentiam agerent. Nullum * est enim tam grave peccatum, quod non possit per pœnitentiam aboleri; ita ut nec jam amplius vel ipse diabolus de eo valeat reminisci. Cernentes ergo peccatores tantam dulcedinem creatoris sui, cœperunt & ipsi certatim ad fontem currere misericordiæ, ad fontem pietatis, & peccata sua in eo lavare. Cœpit autem & ipse fons pietatis cum peccatoribus convescì, cœpit eis aperire sacramenta confessionis sanctæ, per quam alleviatur omne onus peccati: quia in vera confessione mundatur omnis macula delicti.

Post hæc appropinquante tempore, quo pati deberet pro redemptione peccatorum, Judæi, ex quorum stirpe secundùm carnem ortus est, ducti invidiâ, illum pro eo quia erat pius & misericors, crucifixerunt. Qui tamen & in ipsa morte non immemor pietatis suæ, pro interfectoribus suis Patrem suum rogabat, ut dimitteret illis hoc peccatum. *Non enim sciunt*, in-

al. inveniam

al. omit. esse

al. alio

al. sed

al. peccatis meis non pollum

al. sed

al. omit. est

quit, *quid faciam*. Excusat illos dulcissima Domini pietas, *qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, et vivat*. Cujus ergo cor tam durum, tamque lapideum non emollire possit tanta mansuetudo creatoris nostri? Quem cùm in multis creatura sua, quam ad * imaginem & similitudinem suam de nihilo creavit, dehonestaret, non se vindicavit: sed dehonestatus, & multis malis operibus illorum irritatus, patienter tulit; & ut ad illum sine hæsitatione redirent, dulciter admonuit. Pius ergo & dulcis Dominus noster Jesus Christus, sicut per Prophetam dicitur, *non vult mortem peccatoris, sed ut relinquat viam suam malam*: & sic pœnitentiam agens de iniquitatibus suis, revertatur ad gratiam sui creatoris. Quàm misericors etiam sit erga peccatricem animam, dicit per alium Prophetam, exhortans eam ut etiam post peccatum revertatur ad eum, & invenient misericordiam. *Tu autem*, inquiens, *Fornicata es cum amatoribus multis*, id est, tu quæ in baptismate mihi fidem promiseras, tuam castitatem cum amatoribus multis *commaculans violasti: tamen pœnitentiam age, & revertere ad me; & suscipiam te. Nullus ergo peccator desperet, quando fornicata cum multis amatoribus recipitur, quia fons pietatis & misericordiæ Jesus Christus, *nullius iniquitatibus exhauritur, * nullius sceleribus polluitur; sed semper purus, & abundans gratiâ dulcedinis, omnes ad se revertentes infimos & peccatores recipit; & quibuscunque peccatis sint maculati, abluit. Et ut certi sint omnes peccatores & iniqui de veniam peccatorum suorum accipere, si ipsa peccata sua curant dimittere, & pœnitentiam agere; ipse fons pietatis, pro amore quem erga eos habebat, eandem carnem quam pro eis sumpsit, licut superiùs exposui, pertulit crucifigi: ut qui erant peccatis mortui, nec aliter ad vitam redire poterant, nisi pretio sanguinis ejus redempti, nullo modo desperent, cernentes pretium quod * est datum pro peccatis suis.

Exc. 31. v. 18. Ezech. 33. v. 11.

al. suis imaginem

Ezech. 18.

Jerem. 3. v. 1.

al. nullis

al. esset

Cùm itaque videam tantam pietatem Domini mei Jesu Christi, totque peccatores & iniquos currere ad fontem pietatis, nullum excludi, omnesque recipi: debeo ego solus desperare quod ipse fons pietatis qui alios abluit, mea peccata non possit abluere? Scio, certò scio, & verè credo quia qui alios abluit, me quoque potest abluere; & mihi, si vult, quia potentissimus est, omnia peccata mea dimittere. Sed inter peccatorem & peccatorem est magna differentia, id est, inter illum qui plus peccat, & eum qui minùs peccat. Unde ego considerans quantùm peccavi, quantisque iniquitatibus infœlix anima mea polluta sit, intelligo me non solùm æqualem cum aliis peccatoribus, sed plusquàm *ullum peccatorem, & ultra omnes peccatores, esse peccatorem. Plures enim peccaverunt, & tunc cessaverunt: quidam etsi sæpiùs peccaverint, tamen aliquando suis malitiis finem imposuerunt. Item alii etsi multa mala fecerunt, multa etiam bona facere non omiserunt: quibus vel ut ex toto ipsa mala *dimitterentur, promeruerunt; vel ut tolerabiliorem ipsam pœnam gehennæ haberent, sibi acquisierunt. Ego autem miser, & super omnes miseros & peccatores peccator & miser, intelligens & sciens ad quantam perditionem me traheret peccatum, & peccati delectatio, à peccatis & malefactis nunquam cessare curavi; sed semper auxi peccata peccatis, & ita totum libens & volens in perditionem peccati me infœlix immersi; & nisi immensa Domini bonitas me adhuc pateretur, jamdiu est quòd ab ipsa gehenna debuissem esse devoratus. * Qui ergo taliter vixi, qui tanta mala commisi, qui tantis iniquitatibus *me involvi, quomodo audebo cum aliis peccatoribus qui tanta mala non fecerunt, currere ad fontem misericordiæ; ne propter fœtorem scelerum meorum, * me nolit, sicut alios peccatores, quorum fœtor tolerabilior est, abluere? Adjuva ergo, Domine Jesu Christe, adjuva creaturam tuam, etsi magnitudine peccatorum obrutam; à te tamen videns creatam, adjuva ne desperet; quia sicut credimus, nulla enormitas scelerum te vincere potest, si tantùm peccator de tua misericordia non desperet.

al. nullum

al. dimitterentur

al. quid

al. meis me

al. eum me

Patere ergo me, Domine Jesu Christe, patere tuam ineffabilem pietatem inspicere; & quàm dulcis & bonus sis erga peccatores & miseros, enarrare. Hoc idem superiùs dixi: sed multùm me delectat, quoties occasio apta se offert, reminisci quanta sit erga peccatores gratia tuæ dulcedinis. Pro amore enim & redemptione peccatorum, non solùm illorum qui minùs vel plus peccant; sed etiam illorum qui ultra modum peccant, si tantummodo pœniteant; de sinu Patris descendisti, Virginis uterum intrasti, carnem ex ea veram assumpsisti, in mundo conversans omnes peccatores ad pœnitentiam vocasti; ad ultimum, crucis patibulum pro illis pertulisti; & sic mortuus secundùm carnem, vitam quam justè pro suis peccatis perdiderant, illis reddidisti. Itaque * cùm respicio ad mala opera quæ operatus sum, si me judicare vis secundùm quod merui, certus sum de perditione mea: cùm verò respicio ad mortem tuam, quam pro redemptione peccatorum passus es, non despero de misericordia tua. Latro verò ille, qui pro suis sceleribus tecum crucifixus est, usque ad ipsius animæ * exitum semper in peccatis fuit; sed tamen in ipsa hora suæ expirationis, quia sua mala confessus est, & culpam clamavit, misericordiam invenit; & tecum ipso die in paradiso fuit. Cernens ergo te pro redemptione peccatorum esse mortuum, manus tuas & pedes clavis confixos, latus tuum lanceâ militis apertum, undam sanguinis & aquæ de eodem tuo latere currentem, desperare debeo? Unum tantummodo est quod vis, sine quo nullus peccator potest salvari; scilicet, ut de malis nostris pœniteamus, & in quantùm possumus emendare curremus. Hoc si * fecerimus, securi sumus; quia si nos sic facientes invenerit dies ultimus (quandoquidem & exemplum latronis, qui sic in ultima hora meruit salvari, habemus;) confidentes de ineffabili pietate Domini nostri Jesu Christi, accusationem inimici aut parum, aut nihil omnino timere possumus. Habentes ergo ante oculos nostros pretium nostræ redemptionis, mortem, videlicet, & sanguinem Redemptoris nostri, qui in remissionem * effusus est pro peccatis nostris; habentes etiam exemplum latronis, & multorum qui in multis & magnis peccatis erant involuti, quos ipse fons pietatis Jesus Christus misericorditer absolvit, non desperemus; sed curramus securi de remissione peccatorum ad ipsum fontem pietatis, in quo jam tot, & tam magnos peccatores * ablutos & videmus, & agnoscimus: & certi simus nos similiter abluendos ab eodem fonte misericordiæ; si abstineamus à malitiis & à peccatis nostris, & in quantùm possumus, curemus deinceps bona operari. Ut verò à malis abstineamus, & bona faciamus, hoc nostra virtute sine illius adjutorio facere non possumus. Illius ergo ineffabilem misericordiam deprecemur, cui cura fuit nos facere, cùm non essemus; ut nobis sic concedat in hac vita, antequam hinc exeamus, nostra peccata emendare, & sic assiduis compunctionibus mundare, quatenus istà finitâ, recto cursu, nullo impediente, ad eum valeamus pervenire; ut cum illo simus in perpetua claritate junctí Angelicis choris, & omnibus sanctis, qui jam illa fruuntur gaudentes sine fine.

al. singulum

al. si faciamus fecerimus

al. absolutos

Digitized by Google

MEDITATIO VII.

I.

Quod nihil ſtabile eſt in mundo.

al. de periclis hujus vitæ

NIhil certius morte, nihil horâ mortis incertius. Cogitemus ergo quàm brevis ſit vita noſtra; quàm lubrica via, * quàm certa mors, & hora mortis incerta. Cogitemus quantis amaritudinibus admixtum ſit, ſi quid dulce aut jucundum in via hujus vitæ, occurſu ſuo nobis alludit. Quàm fallax ac ſuſpectum, quàm inſtabile, & tranſitorium eſt quicquid amor hujus * mundi parturit; quicquid * ſpecies aut pulchritudo temporalis promittit, * quicquid delectatio carnis protendit.] Conſideremus etiam * quæ ſit patriæ cæleſtis ſuavitas aut dulcedo, ſerenitas & amœnitas:] & perpendamus unde cecidimus, & ubi jacemus; quid * perdidimus, & quid invenimus; ut ex utroque intelligamus quantum * nobis in hoc exilio lugendum ſit. Hinc Salomon ait: *Qui apponit ſcientiam, apponit & dolorem*, quia quantò magis homo intelligit mala * animæ ſuæ, tantò magis ſuſpirat & gemit. Meditatio ſiquidem parit ſcientiam, ſcientia compunctionem, compunctio devotionem, devotio orationem commendat. Meditatione aſſidua homo ad ſui cognitionem illuminatur. In compunctione * ex conſideratione malorum ſuorum cor * intimo dolore tangitur.

al. & petitionis ejecundæ inſidiis inimicorum

al. vitæ patrivit

al. ſpes

al. fallax eſt, & tota vanitas.

al. omit.

Eccl. 1. v. 18.

al. malas ſuas

al. & al. interno vel intenſo

II.

De multiplicibus beneficiis Dei.

MIſer ego, quantùm deberem diligere Dominum meum, qui me fecit cùm non eram, redemit cùm perieram. Non eram, & de nihilo me fecit. Inter cæteras alias creaturas ratione carentes non fecit me, id eſt, non arborem, non avem, non aliquod de animalibus, ſed hominem voluit me eſſe. Dedit mihi * vivere, ſentire, & * diſcurrere: * perieram, & ad mortalem deſcendit: immortalis] mortalitatem ſuſcepit, paſſionem ſuſtinuit, mortem vicit, & ſic me reſtauravit: ſic ſic gratia ejus & miſericordia ejus ſemper prævenerunt me: de multis * etiam periculis liberavit me liberator meus. Quando errabam, * reduxit me: quando ignorabam, docuit me: quando peccabam, corripuit me: quando * contriſtabar, conſolatus eſt me: quando deſperabam, confortavit me: quando cecidi, erexit me: quando ſteti, tenuit me: quando ivi, duxit me: quando ad eum veni, ſuſcepit me. Hæc & alia multa fecit mihi Dominus meus Jeſus Chriſtus, de quibus erit mihi dulce ſemper * loqui, ſemper gratias agere * ut pro omnibus beneficiis ſuis poſſim eum amare, & ſemper laudare. Pro his enim omnibus quid illi rependam non habeo, niſi tantùm ut diligam eum ex toto corde meo. Non enim meliùs, nec decentiùs, quàm per dilectionem rependi poteſt, quod per dilectionem datum eſt.

al. poſſe vivere

al. diſcernere

al. cæt.

al. me ad vitam

al. namque

al. corripuit

al. triſtis eram

al. omit.

al. libs fiat intermiſſione, ut

III.

Hic reprehendit ſe peccator de ingratitudine divinorum beneficiorum.

AH, ah, ah, Domine Deus, Pater miſericordiarum, audeone venire, & apparere in conſpectu ſanctorum tuorum infeliciſſimus & miſerrimus, tot & tantorum beneficiorum tam ingratus, donorum tuorum tam impudens & tam execrabilis abuſor? Qui toties ac tamdiu ipſis beneficiis tuis te impugnare non veritus ſum: qui ſtipendiis tuis diabolo contra te militare totiens & tamdiu non erubui: qui ipſa dona tua in arma diabolica convertere non timui: qui me ipſo tam abominabiliter abuti præſumpſi, ac me ipſum ſervum auſus ſum exhibere diabolo, & membra mea ejuſdem facere, quibus te creatorem, auctorem, & membrorum meorum largitorem impugnavi.

Nunquid non ego ſum, Domine Deus meus, qui me ipſum totiens exhibui gladium acutum ingrato diabolo ad devorandas animas? Quotiens armavi me contra te in alienam mortem? Linguam meam in arcum mendacii totiens exhibui, quotiens ſagittas detractionis ac adulationis in alios miſi. Non ſufficio miſericordiſſime ac dulciciſſime Pater, enumerare membrorum meorum nefarias abuſiones, quibus & diabolum armavi, & te benigniſſimum ac clementiſſimum impugnavi.

IV.

Recognitio peccati.

EGo ſum ille homo dementiſſimus, quem de nihilo creaſti, & de maſſa peccati & perditionis in filium gratiæ tuæ elegiſti, & in fratrem & in cohæredem chariſſimo unigenito filio tuo Deo & Domino noſtro Jeſu Chriſto adoptaveras, & ad honorem & gloriam regni tui, & tantâ tam indebitæ gratiæ tuæ largitate me impleviſti; qui & abundantiam hujus tantæ ſuavitatis tuæ oblitus ſum, & tanta bona mihi tradita à te proſpiciens, ſpreto honore regni cæleſtis, & gloriâ tuâ, me in ſpurium filium & degenerem converti, & diabolo diſtrahendo per ſterquilinia luxuriæ & ſpineta avaritiæ, & ad illidendum in ſcandalis fluctibus & procellis ſuperbiæ me tradidi. Ego ſum cæcus mercator, qui pretioſiſſimis talentorum tuorum divitiis tantam miſerabilis inopiam & nuditatem & æterna ſuſpiria mercatus ſum; ſterquilinio luxuriæ & divitiarum ſentibus, jucundiſſimam ac ſuaviſſimam pacem; ſecuriſſimum portum, procellâ ſuperbiæ; æternam lucem, æternitatis tenebris; æterna gaudia, æternis doloribus; & æternam gloriam, æterno opprobrio; & regnum tuum, diabolicâ ſervitute commutavi.

Ego ſum infirmiſſimus ille, qui velut ſignum ad ſagittam jaculis peccatorum confodiendum, & vulneribus lacerandum me expoſui. Ego ſum ille homo, qui velut cadaver canibus infernalibus & omnibus volucribus immundis diſſecandum & laniandum, projectus à civitate tua ſancta, quæ eſt ſanctorum amicorum tuorum, ſanctaque jucundiſſima ſocietate ſanctorum ſpirituum ſupernorum, vitiorum vermibus comedendum me tradidi. Quàm abominabilis appareo coram oculis ſanctis tuis, cœno fœtidiſſimo teterrimoque luxuriæ immundus ac ſordidatus: igne iracundiæ & avaritiæ ſemiuſtus, atque vermibus odii, & invidiæ obſeſſis membris meis: vento ſuperbiæ tumidus; monſtruoſus totus, ulceroſus, atque confoſſus, tot tantorumque peccatorum meorum diabolicæ turpitudinis ſigillatus characteribus. Scio, miſerator Domine, quòd meritò & juſtiſſimè negare me potes, & non me recognoſcere non ſolùm filium tuum, ſed & creaturam tuam in eo quod talis ſum. Nec enim horrenda illa omnigenum turpitudinum monſtruoſa facies, eſt creationis aut recreationis tuæ: non eſt abominatio iſta, imago tui & ſimilitudo æqua. Alteram me creaſti. Verè ſimilitudo iſta diabolicæ turpitudinis me oſtendit

by Google

diaboli hactenus fuisse filium, & tormentorum infidelium hæredem. Hæc est mercatio & commutatio, quia cæcus & dementissimus ego tuæ immortalitatis gloriam & honorem abominabilissimâ ac vilissimâ turpitudine mutavi.

Non ideo, sancte Pater, pretiosa illa talenta tua tradideras mihi; ut pro usuris horrendam illam abominationem faceres me tibi reportare. Non ideò mihi tot ac tantis beneficiis tuis debitis seminasti; ut fœtorem & spinas & tribulos peccatorum de me colligeres. Non ideò tot & tantis beneficiis me implevisti & ditasti; ut in oppugnationem tuam ea converterem. Non erat intentio benignitatis tuæ armare me contra te, nec armare diabolicam auctoritatem donis tuis. Ecce tot hîc vulneribus plagatus sum, nec ullo sensu doloris torqueor. Tot & tantis vulneribus confossus non doleo. Video me cæcum, qui tot & tantas turpitudines meas & nuditatem non erubesco.

Verè insensibilis sum & stupidus corde, qui tot & B tanta damna mea non doleo, & qui mortem meam lugere non valeo. Verè corde lapideo induratus sum, qui nec imminentia mihi æterna supplicia saltem non timeo. Verè corde congelatissimo, quem beneficiorum incendia admota amore Patris clementissimi calefacere non sufficiunt. Verè largiter me reprehendo, quem nec tuba prædicationis, nec comminationum tuarum tonitrua sufficiunt excitare.

al. Vel *Ubi est dolor penetrabilis, dolor compunctionis; quo totam illam duritiam diabolicam conterere & diruere deberem, & totum lapidem duritiæ & obstinationis illius comminuere? Ubi est, Deus meus, ille pudor, quo ante oculos tuos & totius curiæ cœlestis confundi deberem? Ubi est timor ille tuæ vindictæ, quo totus ante conspectum tuum contremiscere deberem? Ubi est amor ille, & desiderium pacis, amoris, & C gratiæ tuæ recuperandæ; quo inardescere deberem? Ubi est torrens ille lachrymarum, quo spurcitias meas ante te delere deberem? Ubi est devotio orationis, qua te mihi placatum & propitium reddere deberem? Quò me vertam, misericors & miserator Pater, qui nihil dignum respectu misericordiæ tuæ offero majestati tuæ? Quò fugiam, piissime Pater, qui sum vacuus omni bono, & tam plenus omni malo appareo ante conspectum sanctorum tuorum, & sanctarum militiarum exercituum cœlestium?

Scio, Domine Deus, dominator vitæ meæ, quòd omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre & fonte luminum; scio me nihil posse acceptum offerre coram te & gratum; D nisi de fonte bonitatis tuæ illud præhauserim; & hoc utique te illuminante, docente. Scio hanc arrham misericordiæ tuæ me prævenire. Scio, dulcissime Pater, quòd bona tua sicut fraude nulla tibi arripere aut auferre possum; sic nec ullis meritis obtinere me omnia posse quibus ad te revertar, & complaceam. Quid enim meritis meis deberi potest, nisi mortis æternæ supplicium? Scio quòd in beneplacito tuo sancto est me disperdere secundùm multitudinem flagitiorũ, facinorum, & negligentiarum & omissionum mearum; vel reformare me vel facere me tibi acceptabilem secundùm divitias inæstimabiles misericordiæ tuæ, qui solus es reformator creaturæ quam solus formasti.

Nunc misericors Pater, ad te confugio, sciens quòd non est mihi fuga à te nisi ad te. Quis me potest liberare de manibus tuis, nisi tu solus? Liberare me potest misericordia tua, quam tot & tantis iniquitatibus meis non solùm demerui sed etiam impugnavi, ab ira justissima tua, quam infelicissimus & gratissimus irritavi. Igitur suscipere me dignare, Domine, revertentem ad te. Averte, obsecro te, oculos sanctos ab ingratitudinibus meis atque spurcitiis. Ad teipsum, obsecro, respice; cui nunquam sine veniæ spe supplicatur. In temetipso invenies unde & propter quod miserearis secundùm abundantiam suavitatis tuæ, & immensitatem misericordiæ tuæ. Noli, obsecro, ad me respicere; quia nihil in me invenies, nisi unde irasci debeas, vel nisi morte æterna dignissimum. Averte, obsecro te, Domine, oculos tuos sanctos à conspectu turpitudinum & abominationum mearum, quas si ego pellucidè & plenè conspicerem & viderem, horrore nimio non sustinerem, sed me ipsum horrerem & fugerem. Averte, obsecro, nates tuas à fœtoribus meis; & ad temetipsum converte. Scio, Domine misericordiæ, quod mundi sunt oculi tui sancti; & horrorem deformitatis meæ (nisi tu dederis mihi bona, quibus placeam tibi,) non possunt aspicere. Scio quòd tota tua curia cœlestis avertit oculos suos, & aures obturat, abominationes meas ferre non sustinens. Sed tu, misericors Pater ad fontem illum misericordiæ convertere, cujus misericordiæ non est numerus nec finis: & pio ac sereno vultu respice me creaturam tuam. Creatura tua ego sum, Domine, & opus manuum tuarum.

Reforma igitur, obsecro, quod in me fecisti; & destrue quod ego contra mandata tua in me feci. Hoc igitur destrue, quod odisti in me, & quod tu utique non fecisti, sed ego miser. Hoc reforma & refice, quod tu ipse fecisti & formasti. Hoc enim est tuum, Domine Deus meus; hoc est odisse, quod nõ posse. Nihil odisti eorum quæ fecisti. Hoc destrue in me; quod meum est; quod utique tu non fecisti, hoc est, turpitudinem abominationũ mearum. Ne me destruas. Hanc destrue, misericors & miserator Domine; hanc enim odisti, & hanc ut odisse incipiam mihi largitus es.

MEDITATIO VIII.

Elevatio pœnitentis ad Patrem.

RESpice, obsecro sancte Pater omnipotens æterne Deus, ad illam misericordiæ tuæ exundantissimam abyssum, qua velut diluvium ablutionis charissimi filii tui unigeniti pretiosissimum vivificumque in mundi emundatione exundavit; cujus & morte placuit bonitati tuæ etiam nos vivificare, & ejus sanguine lavare. Qui etiam filium tuum charissimum mundo scuto bonæ voluntatis tuæ largitus es, quo se ab ira tua protegerent; & mortem quam metuunt, ipse illam scuto justitiæ tuæ & justissimæ iræ tuæ objecto exciperet. Ubi quantùm per te nobis boni velles, ostendere dignatus es; dum charissimum filium tuum, velut scutum, iræ tuæ opponere dignatus es. Et ipsum placuit misericordiæ tuæ & iram tuam & mortem nostram excipere: iram quam merueramus, & mortem. Ipse verò unigenitus tuus mortem nostram solus portavit.

Reminiscere miserationum tuarum, Domine, & misericordiarum tuarum, quæ à sæculo sunt; & conanti creaturæ tuæ ad te porrige dexteram. Adjuga infirmitatem conantis ad te: Trahe ipsum, qui scis ipsum non posse ad te venire, nisi tu Pater traxeris eum tuo amore & desiderio. Fac me servum tibi acceptabilem & placitum, qui scis me non posse aliter tibi placere. Da, obsecro, dona illa sancta, quibus solis tibi placeam; qui das bona grata petentibus te; fac, quæso, ut tu solus sis amor meus & desideriũ meum, tu solus sis amor

Digitized by Google

meus & timor meus. Vindica me totum tibi; qui me totum quod ſum, & totum quod in me, imò totum quod ſapio, totum quod moveor, debere tibi ſoli ſcio. Totum me converte in laudem & gloriam tuam, qui totum me debeo laudi tuæ. Ne tradas, obſecro te, Domine, hoſtibus tuis creaturam tuam: retine eam tibi, cujus eſt ſolius pleniſſimè, & ſingillatim conſumma in me quod cœpiſti, & confirma quod operatus es.

Exaudi, obſecro, orationem meam, cujus tu largitor & inſpirator es, antequàm invocarem te. Reſpice ſupplicantem tibi, qui me, dum orarem, reſpicere ſic dignatus es. Non in vacuum, miſerator Domine, orationem iſtam inſpirare dignatus es, non fruſtra eam largitus es mihi. Ad hoc utique mihi eam largiri dignatus es, ut exaudias me. Ad hoc dediſti mihi, ut ſupplicarem tibi; ut miſererearis mihi peccatori: & cui jam arrham miſericordiæ tuæ tribuiſti, largire reſiduũ. Recupera me, Dominus Deus meus, & erue de manibus inimicorum meorum, quia & ipſi tui ſunt, & omnipotentiæ tuæ ſubjicitur; qui etiam nihil oderunt in me, niſi quod dediſti mihi in omnibus bonis actibus. Nihil oderunt in me, niſi quòd diligo te. Hoc omnibus ſtudiis & viribus ſuis & tota fraude moliuntur ne diligam te, ne glorificem te, nec omnino quæram te.

Ne ergo prævaleant adversùm me hoſtes gloriæ tuæ; ſed magis confundantur multitudine miſericordiæ tuæ, videntes me converſum in laudem & gloriam tuam totum quærere pacem & gloriam tuam contra inſidiantes, & cujus immutationem intendunt. Ne expleri patiaris, obſecro te, Domine, tam iniquam, tam execrabilem voluntatem eorum de me, & contra me. Magnifica ergo, Deus meus, animam meam ad annuntiandum laudem tuam, & gloriæ tuæ præconia; ut totus de cætero ſecundùm magnitudinem gloriæ tuæ vivam, totaque vita mea te glorificet. Exemplo meo ad glorificandum te, invita & provoca multos prædeſtinatos. Abſtrahat, quæſo, viliſſimos & immundiſſimos abominabileſque ſpiritus tenebrarum à me, præſentiæ luminoſitatis & ſuavitatis gloriæ tuæ, quam ſuſtinere non poſſunt. Dirumpe vincula mea, & educ me de concluſione, & de carcere horrido & tenebroſo teterrimoque, & de lacu miſeriæ, & de luto fæcis, & de profundo mortis & tenebrarum in libertatem & lucem tuam admirabilem.

Illumina me fide ſaluberrimâ tuâ, lætifica me & confirma ſpe jucundiſſima & certiſſima tua. Vivifica me dilectione fortiſſimâ & juſtiſſimâ tuâ. Deprime me & humilia; atque cuſtodi me timore fortiſſimo, ſecuriſſimo, & * invictiſſimo tuo Confunde ſalubriter me pudore pulcherrimo, & glorioſiſſimo tuo. Quoties ante oculos tuos aliquid quod eos offendat affero, torque me, afflige me dolore muliebri, & ſuaviſſimo modo compunctionis medicinæ efficaciſſimæ tuæ; ne recedam à facie miſericordiæ tuæ vacuus & confuſus, ſed obtineam quicquid te jubente, te largiente, & inſpirante petam, & quicquid te petentibus promiſiſti. Sentiam, miſericors & miſerator Domine, quòd non in vanum ad miſericordiam tuam confugitur, & præſtò es te quærentibus ad inveniendum te: & quòd non deficiam apud te fontem miſericordiæ tuæ, qui de profundo me eripuiſti; & quæ, & quanta, & quot intelligis, contuliſti. Eadem quippe facultate omnipotentiæ, ſapientiæ, & bonitatis tuæ qua dixiſti & facta ſunt omnia; eâ facilitate miſericordiæ tuæ dicere potes, & informabuntur in me omnia deformata.

Ecce, omnipotens & miſericors Pater, tot & tanta beneficia tua quæ recepi, enumeravi; tot & tanta mala, quæ bonitati tuæ reddidi, recitavi; infelix ego ſum & ingratus, qui poſt tot & tanta mala, quæ manent me, & imminent mihi, adhuc gelido, duro & impudenti & mortuo & ſtupido corde ſum coram te, & non erubeſco. In tot & tantis latrociniis deprehenſus, & ſolùm expectans infernale patibulum, nec timore concutior, nec dolore torqueor, nec pudore confundor nec amore tam placidæ, tam durabilis bonitatis tuæ accendor. An expectas, dulciſſime Pater, & differs reſpicere in me, & miſereri mei, quouſque ſecundùm miſericordiam tuam dignus ante te appaream, & dignum aliquid rogatu & exauditione tua ante te offeram? Ecce cadaver mortuum, & vermibus ſcatens, & triduanum fœtés ad te veniens in te vitæ largitorem, attuli. Ecce cæcum ad illuminandum offero omnipotenti miſericordiæ tuæ, & languidum ad ſanandum; & tot & tantis debitis obligatum, ad ſolvendum; nudiſſimum & pauperrimum, ad ditandum: in cujus oculis facile eſt ſubitò honeſtare pauperem.

Non aliquid aliud poſſum, clementiſſime Deus, offerre tibi, niſi memetipſum qualis ſum, & oſtendere mortem & vulnera mea, nuditatem & paupertatem meam, & debita mea; ſecundùm quæ carcerem mortis æternæ timeo. Oſtende itaque oculos tuæ miſericordiæ, ſi quomodo convertaris & ignoſcas, & infundas gratiam beatitudinis tuæ ſuper me. Nec enim convertere me poſſum ad te tot & tantis vulneribus & ægritudinibus & morte ipſa depreſſus, & impotens effectus. Sed tu, miſericors Pater, converte me, & convertar ad te. Converte me, Domine, ad te, & contere & contribula cor meum, & ſenſus vivifici doloris immitte. Non enim eſt fons bonorum præter te. Non eſt à quo accipiam amorem & timorem & dolorem & pudorem, quibus coram te miſericordia dignus inveniar, niſi de prælarga miſericordia tua ſuper me indigniſſimum gratiam effuderis. Domine, ſi iſtam mihi conceſſeris, beatus ero. Si in me flagitia & facinora mea vindicare ſecundùm judicium & juſtitiam tuam dignatus fueris, fœlix ſum; non autem ſi ſecundùm iram tuam, quæ rebelles & contumaces miſericordiæ tuæ comprehendit in fine.

Et hæc eſt juſtitia tua, & judicium tuum, miſericors Pater, quod timore, & amore, & pudore, & dolore agitur in cordibus veraciter pœnitentium & redeuntium ad bonitatem tuam, ut miſericordiam conſequantur. Confige ergo latronem iſtum timore tuo ſancto; & adure apoſtatam iſtum igne amoris & charitatis tuæ. Confige, Domine, malefactorem iſtum dolore vivifico ac ſaluberrimo tuo, confunde impudentem prævaricatorem iſtum glorioſo tuo pudore. Affige ſceleratum iſtum cruci pœnalis laboris, & acceptabilis miſericordiæ tuæ; fac me toto corde eſurire & ſitire te totis viſceribus, totoque deſiderio amplecti te. Fac me totis viſceribus ſervire tibi ſoli, toto ſtudio quærere quæ beneplacita ſunt coram te; cui cum unigenito tuo & Domino noſtro Jeſu Chriſto, & Spiritu ſancto paraclito dono ſanctiſſimo tuo omnis honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

* al. invictiſſimo

MEDITATIO

MEDITATIO IX.

De humanitate Christi. *

al. infirmitatem, Rimulus amoris. Vel, secundùm Evangelici sermonis. al. nostri infirma.

JEsum Nazarenum à Judæis innocenter condemnatum, à gentibus cruci affixum, nos Christiani divinis honoremus obsequiis. Salvatoris * infirma nos, qui Christi sumus, reverenter venerari, amanter amplecti, fortiter imitari dignum est & salubre & honorificum. Hæc enim sunt instrumenta fortissima; quibus omnipotens virtus, & investigabilis sapientia Dei restaurationem mundi potenter ac mirificè operata est, & usque modò operatur. Christus Dominus minoratus est paulominus ab Angelis, ut nos æquaret Angelis: & quis propter Christum se non humiliet? Christus Dominus pro peccatis nostris crucifixus est, & crucis amara suis amatoribus dulcoravit: mortuus est, & mortem enecavit, ut viveremus per illum: & quis non amet Christum Dominum? quis non patiatur pro Christo? Christus per crucis ignominiam ad supernæ claritatis gloriam transivit, & data est ei pro sua reverentia à Deo Patre omnis potestas in cœlo, & in terra; ut adorent eum omnes Angeli Dei; & in nomine * ejus omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.

Matth. 28. al. Jesu

Ubi est ergo gloriatio tua, ô Christiane, nisi in nomine crucifixi Domini * tui Jesu Christi: in nomine, quod est super omne nomen; in quo qui benedictus est super terram, benedicetur in cœlis? Gloriamini in nomine sancto ejus, filii redemptionis; date honorem Salvatori vestro, qui magna fecit in vobis; & magnificate nomen ejus mecum, dicentes: Adoramus te, * Christe, Rex Israël, princeps regum terræ, lux gentium, Domine sabbaoth, virtus Dei omnipotentis fortissima. Adoramus te, pretiosum redemptionis nostræ pretium, hostia pacifica, quæ sola odoris tui * mirabili suavitate Patrem, qui in * cœlis habitat, ad respiciendum humilia inclinasti, & * solus ipse ipsum placabilem * reddidisti. Tuas, Christe, miserationes prædicamus; tuæ suavitatis * memoriam cum abundantia eructamus: tibi, Christe, sacrificium laudis immolamus pro multitudine bonitatis tuæ, quam ostendisti nobis, semini nequam, filiis sceleratis. *

al. nostri

al. Jesu

al. humillimæ vitæ

al. filius iste

al. dedisti.

al. misericordiam

al. & perditis.

Cùm enim adhuc essemus inimici tui, Domine; & mors antiqua in omnem carnem * exerceret dominium, cui omne semen Adam lege primordialis culpæ obnoxium erat; recordatus es ubertimæ misericordiæ tuæ, & prospexisti de sublimi habitatione tua in hanc vallem ploralionis & miseriæ. Vidisti, Domine, afflictionem populi tui; & tactus dulcore charitatis intrinsecùs, apposuisti cogitare super nos cogitationes pacis & redemptionis. Et quidé cùm esses Filius Dei, verus Deus, Deo Patri sanctoque Spiritu coæternus & consubstantialis, lucem habitans inaccessibilem, portansque omnia verbo virtutis tuæ; non despexisti in hoc nostræ mortalitatis ergastulum altitudinem tuam inclinare, ubi nostram & gustares & absorberes miseriam, noxque reparares ad gloriam. Parum * fuit charitati tuæ, ad consummandum opus nostræ salutis, Cherubim, aut Seraphim, aut unum ex Angelis destinare: ipse ad nos venire dignatus * es per mandatum Patris, cujus nimiam charitatem experti sumus in te. Venisti, inquam, non locum mutando; sed præsentiam tuam nobis per * carnem exhibendo. Descendisti à regali solio sublimis gloriæ tuæ in humilem & abjectam in oculis suis puellam, primo virginalis continentiæ voto sigillatam. In cujus sacro * utero * Spiritûs sancti inenarrabilis virtus & te concipi fecit, & nasci in vera humanitatis natura: ita ut nec majestatè Divinitatis in te, nec integritatem virginitatis in matre, violaret nativitatis occasio.

al. enim fuit

al. es

al. charitatem

al. incarnatio

al. sola spiritus

O amanda, ô admiranda dignatio! Deus immensæ gloriæ, vermis contemptibilis fieri non despexisti: Dominus omnium, conservus servorum apparere voluisti. Parum tibi visum est patrem te * nostrum esse; etiam, Domine, frater noster esse dignatus es. Et tu, Domine universorum, qui nullam * habes indigentiam, inter ipsa nativitatis tuæ initia non horruisti abjectissimæ paupertatis degustare incommoda. Ut enim ait Scriptura, tibi, cùm nascereris, non erat locus in diversorio; neque cunabula, quæ teneritudinem tuam exciperent habuisti; sed tu in vili præsepio sordentis stabuli, tu qui terram palmo concludis, involutus panniculis reclinatus es; & * hospitium, scilicet, præsepium à brutis animalibus mater tua mutuò accepit. Consolamini, consolamini, qui in sordibus paupertatis enutrimini: quia vobiscum * est Deus in paupertate, non cubat in deliciis splendidi cubilis, nec enim invenitur in terra suavivter viventium. Quid ultra gloriaris, ô dives, * lutea res, in volutabro lecti picti & delicati; cùm rex regum suo recubitu stramenta pauperum honestare maluerit? Quid dura strata detestaris; cùm tener infantulus, in cujus manu sunt omnia, tuis sericis, tuis plumis duras jumentorum stipulas prælegerit? Sed & tenella hæc tua, Christe, infantia à persecutorum gladiis tuta non fuit. Adhuc enim inter dulcia matris ubera sugens dependebas, quando *apparuit Angelus in somnis Joseph, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum; & esto ibi usque dum dicam tibi: futurum est enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* Jam ex tunc, bone Jesu, pati cœpisti. Non solùm autem illâ infantiæ tuæ vexationem in te ipso pertulisti; sed & mortem in pusillis tuis, quorũ multa millia inter mamillas matrũ pro te Herodis trucidavit immanitas.

al. hoc ipsum

Matth. 2.

al. in stramentis

Infantiâ verò teneriori decursâ, discendæ * humiliter veritatis nobis exemplum præbuisti. Non enim sedisti cum consilio vanitatis; sed in medio Doctorum, interrogans & audiens illos: cùm tamen Dominus scientiarum tu esses, atque ipsa Dei Patris sapientia. Sed & obedientiæ nobis formam præstitisti: dum parentum imperio tu, imperator mundi, humiliter subditus extitisti. At * ubi robustioris ætatis plenitudo advenit, missurus * manum ad fortia, egressus es in salutem populi tui, ut gigas fortis ad currendum viam totius miseriæ nostræ: Et primùm quidem, ut per omnia te fratribus assimilares, servum tuum baptizantem peccatores in pœnitentiam, tanquam peccator adiisti; baptizare quoque te postulasti, innocens agne Dei, quem nulla peccati stilla * unquam maculavit. Baptizatus es, non te in aquis, sed aquas in te sanctificans; ut per eas sanctificares nos. De baptismo in desertum in spiritu fortitudinis egressus es; ut & vitæ solitariæ in te non deesset exemplum. Solitudinem, ac jejunium quadraginta dierum, famis acerbitatem, tentamenta illusoris spiritûs æquanimiter toleravisti; ut omnia hæc nobis tolerabilia efficeres. Demum venisti ad oves, quæ perierant domus Israël, divini verbi lampadem palàm extollens ad illuminationem orbis terræ; & regnum Dei cunctis annuncians, * factus es causa salutis æternæ omnibus] obtemperantibus, * sermonem sequentibus

al. humilitatis

al. vel contra

al. omis. al. verbo

Digitized by Google

signis confirmasti; virtutem Divinitatis tuæ ostendisti in cunctis malè habentibus, omnia omnibus gratis exhibens quæ saluti eorum congruerent, ut omnes lucrificares. Sed obscuratum est insipiens cor eorum, Domine, & projecerunt sermones tuos retrorsum; neque attenderunt ad omnia mirabilia, quæ operatus es in eis, exceptis perpaucis nobilioribus athletis, quos inter infima & abjecta mundi elegisti, ut per ipsos alta & fortia magnificè expugnares. Nec solùm ingrati gratuitis tuis beneficiis exiterunt; sed & contumeliis affecerunt te Dominum dominantium, & fecerunt in te quæcunque voluerunt. Te enim faciente* opera Dei, quæ nemo alius fecit, * quid dixerunt? *Non est hic homo à Deo: in principe dæmoniorum ejicit dæmonia: dæmonium, habet: seducit turbas: vorax est & potator vini: amicus publicanorum & peccatorum.*

al. in eis operatis

al. dixerunt Matth. 11. v. 18. & 19.

Quid fles? quid suspiras, ô homo Dei, dum sustines verborum injurias? Non audis quanta propter te in Dominum * Dem tuum ceciderunt opprobria? *Si patrem familias Beelzebud vocaverunt, quanto magis domesticos ejus?* Et hæc quidem & similia blasphemantes, & aliquotiens lapidibus te impetentes, Jesu bone, patienter sustinuisti; & factus es coram eis quasi homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones. Novissimè autem & justum sanguinem tuum, * à discipulo tuo, filio perditionis, triginta argenteis appretiati sunt; ut præcipitarent animam tuam in mortem sine causa. Et te perditissimi* proditoris tui perfidia non latebat, quando in cœna ablutionis causâ etiam coram ipso, genu flexo procumbens, meledictos pedes ejus veloces ad effundendum sanguinem tuum sanctissimis manibus tuis attrectare, lavare & extergere dignatus es. Et * adhuc extento collo ambulas, ô terra & cinis; adhuc superbia te supra te elevat; adhuc impatientia te exagitat. Intuere humilitatis & mansuetudinis * magistrum, * Dominum Jesum Christum, universæ creaturæ factorem, tremendum] judicem vivorum atque mortuorum, ante pedes hominis * & traditoris sui genua incurvantem. Disce quia mitis est, & humilis corde; & confundere in superbia tua, erubesce * impatientiam tuam. Hoc quoque erat mansuetudinis tuæ, Domine Jesu, quòd perfidum illum in cœtu fratrum palam detegere & confundere noluisti; sed leniter admonitum accelerare justisti quod * parabatur. In omnibus his non est aversus furor ejus à te; sed egressus foras satagebat circa frequens maleficium: Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris in deliciis paradisi? Gloriosus apparuisti, civium cœli socius, & Verbi divini conviva. * Qui nutriebaris in croceis, amplexatus es stercora? Tunc clarificata est familia tua, Christe, in modum societatis Angelicæ: tunc demum divinissimi verbi uberrima inundatione fœlix ille conventus * ex ore tuo potatus est. Siquidem corruptus ille * uter foras missus fuerat, quem hujus limpidissimi liquoris infusione sciebas indignum.

al. Jesum Matth. 10. v. 25

al. bone Jesu

al. & intento

al. speculum al. omn.

Isai. 14. v. 16.

al. quomodo ergò reputatus est inter filios sanctorum, qui nutriebaris in croceis? Quomodo amplexatus es stercora? al. facer ex al. vasé

Dato autem charitatis & patientiæ * Salvatoris mandato, & dispositio fratribus regno Patris tui ad locum traditori tuo notum cum illis divertisti, sciens omnia quæ ventura erant super te. Ibi animæ tuæ tristitiam, quam ex imminente passione sponte assumpsisti; sicut & cætera, quæ passus es, in auribus fratrum profiteri non erubuisti, dicens: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Positis * quoque genibus procidisti in faciem tuam, orans in agonia, & dicens: *Abba Pater, Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste.* Et angustias cordis tui * tristissimi indicabat sudor ille sanguineus, qui orationis tempore de sanctissima carne tua guttatim decurrebat in terram. Dominator Domine Jesu Christe, unde animæ tuæ hæc tam vehemens tristitia? unde * tanti sudoris anxietas, & tam anxia supplicatio? Nonne voluntarium omnino Patri sacrificium obtulisti; & nihil invitus pertulisti? Utique, Domine. Arbitramur autem quòd & hoc quoque ad consolationem infirmorum membrorum tuorum assumpsisti; ne fortè desperet quis, si caro infirma remurmuret, * cùm tamen ad passionem promptus est spiritus. Nimirum & * ut majores erga te amoris & gratitudinis stimulos haberemus, naturalem carnis infirmitatem, hujusmodi indiciis in te expressisti; quibus doceremur quia verè languores nostros ipse portasti; & non absque sensu doloris, passionum sentes percurristi. Vox enim illa, vox carnis fuisse videtur, non spiritûs; ex eo quo subjunxisti, *Spiritus quidem* Matth. 26. *promptus est caro autem infirma.* Quàm promptus enim fuerit spiritus tuus, bone Jesu, ad passionem, evidenter ostendisti, quando venientibus unà cum proditore tuo viris sanguinum, quærentibus animam tuam cum lernis, facibus, & armis per noctem, ultro occurrisi; & signo* quod à duce flagitii acceperant teipsum manifestasti. Nam accedentem ad osculum * oris tui cruentam bestiam aversatus non es; sed os, in quo dolus inventus non est, ori quod abundavit malitiâ, dulciter applicuisti.

al. nbi ad

al. ut & majoris

al. dato quod

O innocens Agne Dei, quid tibi & lupo illi? *Quæ* 2. Cor. 6. v. 15. *conventio Christi ad Belial?* Sed & hoc benignitatis tuæ erat, Domine Jesu: ut omnia illi exhiberes, quæ pravi cordis pertinaciam emollire potuissent. Nam & veteris amicitiæ illum commonuisti, dicens: *Amice,* Matth. 26. *ad quid venisti?* Et horrore sceleris sui cor impii ferire voluisti, cùm ei dicebas: *Juda, osculo filium hominis* Luc. 22. *tradis?* Et *ecce Philistiim super te, Samson.* Non illos * à te absterruit, quòd in hora comprehensionis tuæ omnipotenti brachio tuo terræ eos allisisti; non quidem defensionis causâ, sed ut cognosceret humana præsumptio nihil se posse adversùm te, nisi quantùm permitteretur à te. Et quis audiat sine gemitu qualiter in illa hora homicidas manus tibi injecerunt, & innocentes manus tuas, bone Jesu, vinculis constringentes, * te agnum mansuetissimum nihil * obloquentem, ad instar latronis, contumeliosè pertraxerunt ad victimam? Sed nec tunc misericordiam tuam super inimicos tuos distillare favus dulcedinis tuæ, Christe, cessavit. Nam & mutilam ab * discipulo tuo aurem inimici * sanasti; & defensoris tui zelum à læsione trahentium te compescuisti. Maledictus furor eorum, quia pertinax; quem nec majestas miraculi, nec pietas beneficii confringere potuit.

al. abs te terruit

al. ipso discipulo al. tangens sanasti

al. obloquentem

Concilio malignantium adversùs te Pontificum præsentatus es, & veritatem, prout * oportuit, confessus, quasi de blasphemia adjudicatus es morti. Amantissime Domine Jesu, quanta illic indigna * à propria gente pertulisti? Vultum tuum honorabilem, in quem desiderant Angeli prospicere, qui omnes cœlos adimplet lætitia, quem deprecantur omnes divites plebis, polluti labii sui sputis inquinaverunt, sacrilegis manibus cæciderunt, velo operuerunt in derisionem, & te Dominum universæ creaturæ, tanquam servum contemptibilem, colaphizaverunt. Adhuc autem & animam tuam incircunciso cani deglutiendam tradiderunt. Vinctum siquidem ante faciem Pilati * Præsidis te perduxerunt, postulantes supplicio crucis perimi te, qui peccatum non noveras; & virum homicidam donari sibi * lupum agno, auro lutum præponentes. O indignum & infœlix concambium! Et quidem non ignorabat impius ille per invidiam hoc fieri in te: nec tamen abstinuit à te temerarias manus, sed replevit amaritudine animam tuam sine causa. Illudendum Herodi te misit, illusum recepit, nudum in conspectu insipientium astare te * fecit: nec pepercit amarissimis verberibus virgineam carnem tuam divellere, plagis, livores livoribus crudeliter infligens.

al. dilectus

al. agnum lupo, aurum luto postponentes

al. justit

* Electe puer Domini mei, quid tanta amaritudine, * quid tãta confusione dignum commisisti? prorsus nihil: ego homo perditus, totius contritionis, totius confusionis * tibi causa extiti. Egò uvam acerbam co-

medi, & dentes tui obſtupuerunt; quia quæ non rapuiſti tunc exolvebas. In omnibus his non eſt perfidorum Judæorum * ſatiata impietas. Noviſſimè autem in manus incircumciſorum militum devolutus es, morte turpiſſima conſumendus. Parum erat ſacrilegis iſtis crucifigere te, niſi priùs & ipſi repleviſſent illuſionibus animam tuam. Quid enim de illis ait Scriptura? *Et congregaverunt ad eum univerſam cohortem in Prætorium: & exuentes eum veſtimentis ſuis, induerunt eum tunica purpurea, & clamydem coccineam circumdederunt ei; & plectentes coronam de ſpinis, impoſuerunt capiti ejus, & arundinem in dextera ejus, & genu flexo illudebant ei, dicentes: Ave Rex Judeorum; & dabant ei alapas, & expuentes in eum accipiebant arundinem, & percutiebant caput ejus.*

*Et poſtquam illuſerunt ei, induerunt eum veſtimentis ſuis; & duxerunt, ut crucifigeretur, bajulantem ſibi crucem. Et perduxerunt eum in Golgotha, & dabant ei vinum myrrhatum cum felle mixtum bibere; & cùm guſtaſſet, noluit bibere. Tunc crucifixerunt eum, & duos latrones cum eo, hinc & hinc, medium autem Jeſum. Jeſus autem dicebat: Pater dimitte illis, quia neſciunt, quid faciunt. Poſtea ſciens Jeſus quia jam omnia conſummata erant, ut Scriptura * impleretur, dixit: Sitio. Et currens unus ex eis acceptam ſpongiam implevit aceto, & impoſuit arundini, & dabat ei bibere. Cum autem * acceperit acetum, dixit: Conſummatum eſt. Et exclamans voce magna dixit: Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum: & inclinato capite * tradidit ſpiritum. Tunc unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuò exivit ſanguis & aqua.*

Expergiſcere nunc, anima mea, * excutere de pulvere, & contemplare attentiùs virum hunc memorabilem: quem * in ſpeculo Evangelici ſermonis quaſi præſentem intueris. Attende, anima mea, qui eſt iſte, qui ingreditur habens imaginem quaſi Regis; & nihilominus ſervi deſpectiſſimi confuſione repletus eſt. Coronatus incedit; ſed ipſa ejus corona cruciatus eſt illi, & mille puncturis ſpecioſum ejus verticem divulnerat. Regali purpura induitur; ſed potiùs in ea deſpicitur, quàm honoratur. Sceptrum in manu * geſtat; ſed eo ipſo caput ejus reverendum feritur. Adorant coram ipſo poſitis in terram genibus, Regem conclamant; & continuò ad conſpuendum amabiles genas ejus * inſiliunt, maxillas palmis concutiunt, & honorabile collum * inhonorant. Vide * alia, quomodo per omnia vir iſte coarctatur * & conſpuitur & ſpernitur. Sub crucis onere dorſum incurvare jubetur, & ſuam ipſius portare ignominiam. Ad locum deductus ſupplicii myrrhâ potatur & felle. In * cruce ſublevatur, & dicit: *Pater dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt.* Qualis eſt hic, qui in omnibus preſſuris ſuis nec ſemel os ſuum aperuit, ut aut querelæ, aut excuſationis, aut comminationis, aut maledictionis verbum adversùs maledictos canes iſtos proferret: & noviſſimè verbum benedictionis, quale à ſæculo non eſt auditum, ſuper inimicos ſuos effudit? Quid hoc viro manſuetiùs? quid benignius, anima mea, vidiſti? Adhuc autem * attentiùs illum intuere, quia & grandi admiratione & tenerrima compaſſione dignus apparet. Vide nudum & verberibus laceratum, in medio latronum cruci ignominiosè ferreis clavis affixum, aceto in cruce potatum, & poſt mortem lanceâ in latere vulneratum, & copioſos ſanguinis rivos ex quinque vulneribus manuum, pedum & lateris effundentem. Fletum deducite oculi mei: liquiſce, anima mea, igne cõpaſſionis ſuper contritione amabilis viri illius, quem in tanta manſuetudine tantis vides afflictum doloribus.

Et jam quidem infirma ejus, anima mea, vidiſti, & * miſerata es? nunc majeſtatem ejus attende, & * miraberis. Quid enim ait Scriptura? *A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt * in univerſa terra, uſque in horam nonam, & obſcuratus eſt ſol; & velum templi ſciſſum eſt à ſummo uſque deorſum; & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt; & monumenta aperta ſunt; & multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt.* Qualis eſt hic, quia cœlum & terra compatiuntur ei; cujus mors mortuos vivificat? Cognoſce, anima mea, cognoſce; hic eſt Dominus Jeſus Chriſtus Salvator tuus, unigenitus Dei Filius, verus Deus, verus homo, qui ſolus ſub ſole ſine macula inventus eſt. *Et ecce quomodo cum ſcelerato reputatus eſt, & quaſi vir leproſus, & noviſſimus virorum æſtimatus eſt. Et tanquam abortivum, quod projicitur à vulva: ſic projectus eſt ab utero matris ſuæ* infelicis ſynagogæ. Iſte formoſus præ filiis hominum: quàm deformis præ filiis hominum factus eſt? Siquidem *vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, & attritus eſt propter ſcelera noſtra.* Et factus eſt holocauſtum ſuaviſſimi odoris in conſpectu tuo, Pater æternæ gloriæ, ut averteret indignationem tam à nobis, & confedere ſibi nos faceret in cœleſtibus.

Reſpice, Domine ſancte Pater, de ſanctuario tuo, & de excelſo cœlorum habitaculo, & intuere hanc ſacroſanctam hoſtiam, quam tibi offert magnus Pontifex noſter ſanctus puer tuus * Jeſus pro peccatis fratrum ſuorum; & eſto placabilis ſuper multitudinem malitiæ noſtræ. Ecce vox ſanguinis fratris noſtri Jeſu clamat ad te de cruce. Quid enim eſt, Domine, quod pendet in ea? Pendet, inquam, * quia præterita quaſi præſentia coram te ſunt. Cognoſce, Pater, tunica filii tui * Joſeph * hæc eſt: fera peſſima devoravit eum: & conculcavit in furore ſuo veſtimentum ejus, & omnem decorem illius * reliqui corporis inquinavit: & ecce quinque ſciſſuras lamentabiles in eo dereliquit. * Hoc eſt veſtimentum quod in manu Ægyptiæ meretricis, innocens puer tuus Jeſus pro peccatis fratrum ſuorum dereliquit, meliorem æſtimans jacturam * pallii, quàm pudicitiæ; magiſque eligens ſpoliatus à carnis pallio in carcerem mortis deſcendere, quàm pro mundi gloria adulterinæ voci acquieſcere: illi, inquam, voci, qua dictum eſt: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me:* quod utique eſſet dormire cum adultera. Et nunc, Domine Pater, ſcimus quia *vivit Filius tuus, & dominatur in tota terra Ægypti*, imò in omni loco dominationis tuæ. Eductus enim ad imperium tuum de carcere mortis & inferorum, & attonſus mortalitatis comam, mutatâ veſte carnis, in immortalitatis decore refloruit; & cum gloria ſuſcepiſti eum. Subnervavit * diri Pharaonis imperium, & cum triumpho nobili virtute propria cœlos penetravit. Et ecce gloria & honore coronatus in dextera majeſtatis tuæ aſſiſtit vultui tuo pro nobis. *Frater enim & caro noſtra eſt.*

Reſpice, Domine, *in faciem Chriſti tui*, qui tibi uſque ad mortem obediens factus eſt: nec recedant ab oculis tuis cicatrices vulnerum ejus in perpetuum, ut meminetis quantam ſatisfactionem pro peccatis noſtris ab eo ſuſceperis. Utinam, Domine, appendas in ſtatera peccata * quibus iram merimus, & calamitatem, quam paſſus eſt pro nobis innocens Filius tuus. Certè, Domine, hæc gravior apparebit, & magis digna, ut ipſam effundas miſericordiam * ſuper nos; quàm ſint illi, aut in ipſis * contineas in ira miſericordias tuas. Gratias tibi, Domine ſancte Pater, referat omnis lingua * ſuper abundantia pietatis tuæ, qui unico Filio cordis tui non pepercifti; ſed pro nobis illum tradidiſti in mortem: ut tantum, tamque fidelem advocatum haberemus in cœlis coram te.

Et tibi, Domine Jeſu, fortiſſime zelotes, quid gratiarum, quid retributionis dignè retribuam ego homo, pulvis, & cinis, & vile figmentum? Quid enim pro ſalute mea facere debuiſti, & non feciſti? Ab imo pedis uſque ad ſummum verticis totum in * aquis paſſionum te demerſiſti, ut me totum de illis extraheres; & intraverunt aquæ uſque ad animam tuam. Nam & animam tuam in mortem perdidiſti; ut animam meam perditam mihi redderes. Et ecce duplici debito me

Matth. 26.

Luc. 23. Joann. 19.

Luc. 23.

al. ſanata

al. consummaretur

al. ergo accepiſſet

al. tradit

al. nec in

al. geſtatur

al. ſubſiliunt

al. exhonorant

al. anima mea

al. omit. & conſpuitur

al. crucem

al. ſi

al. attentiùs

al. & amplius

al. reliquis cruoris

a Vide, Domine, pallii quod in manu adulteræ generationem ſignificat. Ægyptiæ meretricis pudicus ille adoleſcens reliquit

al. Veſtimentis, quàm innocentis ſanctus

al. noſtra

al. per ipſam

al. pro peccatis noſtris

al. de ſuper abundantiâ

obligasti: nam & pro eo quod dedisti, & pro eo quod mei causâ perdidisti, debitor tibi sum. Et pro mea quidem vita bis à te mihi data, semel in creatione, semel in redemptione, quid magis justè tibi reddam, quàm ipsam, non habeo: pro tua autem pretiosa anima ita contribulata, quid ab homine dignè rependi possit, non invenio. Nam si cœlum & terram & omnem ornatum eorum pro ea rependere possem; certè nec sic usque ad mensuram debiti ullatenus attingerem. Ut autem & idipsum quod * habeo & possum, tibi, Domine, retribuam, tui muneris est. Diligendus * ergo es toto corde, tota anima, tota mente, tota virtute, & tua * modo sequenda vestigia, qui mori dignatus es pro me. Et quomodo fiet istud in me, nisi per te? Adhæreat anima mea postte: quia tota virtus ejus * pendet ex te.

al debeo, & mihi possibile est
al. mihi es
al. mihi

Et nunc, Domine, Jesu Redemptor meus, te ut verum Deum adoro, in te credo, in te spero, & quibus possum desideriis ad te suspiro. Adjuva imperfectionem meam; ad tuæ passionis gloriolà insignia, in quibus salutem meam operatus es, totum me inclino. Tuæ victoriosæ crucis regale vexillum in nomine tuo, Christe, adoro; tuum spineum diadema, tuo rubentes sanguine clavos; tuo sancto lateri * immersam lanceam, tua vulnera, tuum sanguinem, tuam mortem, tuam sepulturam, tuam victoriosam resurrectionem & glorificationem, Christe, supplex * adoro & glorifico. Odor enim vitæ mihi spirat in omnibus his. Horum vivifico odore spiritum meum, Domine, à peccati morte resuscita. Horum virtute ab astutiis Satanæ me custodi, meque conforta, ut & jugum mandatorum tuorum suave mihi fiat; & onus crucis, quod post te bajulare me jubes, humeris animæ meæ leve sit atque portabile. Quæ est enim fortitudo mea, ut juxta præceptum tuum mundi pressuras tam multiplices animo invicto sustineam? Nunquid pedes mei tanquam cervorum, ut te * velociter currentem per spinas & confraga passionum consequi valeam? Sed audi, quæso, vocem meam, & inclina super * servum tuum suavem illam crucem, quæ lignum vitæ est his qui apprehenderint eam, * & ut & spero, curram alacriter: Portabo infatigabiliter eam, quæ ab inimicis est, crucem post te. Illam, inquam, diviniſſimam crucem humeris meis impone, cujus latitudo est charitas, super omnem creaturam se extendens; cujus longitudo æternitas; cujus sublimitas omnipotentia; cujus profunditas inscrutabilis sapientia est. Confige illi manus meas? & pedes meos; & totam formam passionis tuæ * servo tuo indue. Da mihi, obsecro, continere ab operibus carnis, quæ odisti; & facere justitiam, quam dilexisti: & in utroque tuam * quærere gloriam: & sinistram quidem meam clavo temperantiæ, dexteram verò clavo justitiæ in illa sublimi cruce confixam arbitrabor. Da menti meæ jugiter meditari in lege tua, & omnem cogitatum * jugiter jactare in te; & dexterum pedem meum eidem ligno vitæ prudentiæ clavo affige. Da ut * ministram spiritus mei sensualitatem nec enervet * labentis vitæ infœlix fœlicitas, nec conturbet perennis vitæ præmia fœlix infœlicitas; & sinister quoque pes meus fortitudinis clavo in cruce tenebitur. Ut autem & spinarum capitis tui aliqua in me similitudo appareat; detur, obsecro, menti meæ & salubris pœnitentiæ compunctio, & alienæ miseriæ compassio, & stimulus zeli æmulantis quod rectum est coram te; & ad te convertar in ærumna mea, dum triplex mihi configitur spina. Libet ut & spongiam per arundinem ori meo porrigas, & aceti amaritudinem gustui meo adhibeas. Libet ut per scripturas tuas rationi meæ conferas gustare & videre quomodo florens hic mundus tanquam spongia inanis est, & omnia concupiscentia ejus aceto amarior. Ita, Pater, in me fiat, ut calix ille Babylonis aureus inebrians omnem terram, nec inani me splendore seducat, nec falsa dulcedine inebriet; quemadmodum eos, qui tenebras lucem, & lucem tenebras, amarum dulce, & dulce amarum arbitrantur. Vinum myrrhatum * suspectum est mihi pro eo, quod tu ex eo bibere noluisti: fortè quia nimiam acerbitatem * crucifixorum tuorum indicabat. Tuæ quoque vivificæ morti servum tuum configura, faciens in me ut moriar quidem peccato secundùm carnem; vivam autem justitiæ secundùm spiritum. Ut autem integram crucifixi imaginem portare me glorier; illud quoque * quæso quod post mortem tuam insatiabilis malitia * impiorum in te exercuit, hanc in me similitudinem exprime. Vulneret cor meum vivus & efficax sermo tuus penetrabilior omni lanceâ acutissimâ; & pertingens usque ad interiora animæ meæ, producat ex ea, tanquam à dextro latere meo, vice sanguinis & aquæ, amorem tuum, & fratrum meorum. Postremò & mundâ sindone primæ stolæ spiritum meum involve, in qua requiescam ingrediens ad te in locum tabernaculi admirabilis; & abscondas me, donec pertranseat furor tuus.

al. cum felle mixtum suspectum
al. invidiæ & nequitiæ crucifixorum
al. quoque quod

Die autem tertio, post diem laboris, post diem simplicis gloriæ, mane primâ Sabbati perpetui inter filios tuos me indignum resuscita, ut in carne mea videam claritatem tuam, & adimplear lætitiâ vultûs tui. O Salvator meus, & Deus meus, veniat, veniat, oro, tempus, ut quod nunc credo, relevatis tandem oculis aspiciam; quod nunc spero & à longè saluto, apprehendam; quod nunc pro viribus meis desidero, ulnis animæ meæ amplectar ac deosculer, & amoris tui abyssо totus absorbear. O Salvator meus, & Deus meus! Sed nunc interim benedic, anima mea, Salvatorem tuum; & magnifica nomen ejus, quod est sanctum, & sanctissimis deliciis plenum.

O quàm bonus & suavis es, Domine Jesu animæ quærenti te: Jesu, redemptor * captivorum, Salvator * perditorum, spes exulum, laborantium fortitudo, * anxiati spiritus latitudo, animæ lacrymosæ & post te in sudore currentis dulce solatium & suave refrigerium, corona triumphantium, unica merces & lætitia * supernorum civium, * uberrimus fons omnium gratiarum, inclyta proles summi Dei. Summæ Deus, te benedicant omnia quæ in cœlo sunt sursum, & quæ * sunt in terra deorsum; quia magnus es tu, & magnum nomen tuum. O immarcescibilis decor Dei excelsi, & purissima claritas lucis æternæ, vita omnem vitam vivificans, lux omne lumen illuminans & conservans in perpetuo splendore, mille millena * millia luminum fulgentia ante thronum * Divinæ Majestatis tuæ à primævo diliculo. O æternum & incessabile, clarum & dulce profluvium fontis absconditi ab oculis * mortalium, * cujus unda sine ortu, profundum sine fundo, cujus altum sine termino, cujus latitudo incirconscriptibilis, cujus puritas imperturbabilis. Eructat te cor Dei altissimi de suæ profunditatis impenetrabili abyssо, vita vitam, lux lucem, Deus Deum, æternus æternum, immensus immensum ac per omnia sibi coæqualem: & de plenitudine tua omnes accepimus. Te enim, largissime fons omnis boni, septemplicis gratiæ pretiosum lumen, * te, inquam, piissime spiritus, deprecor ut si qua pro fragilitate mea in veritate majestatis tuæ minùs intellexi, & in præceptis dominicis intellecta per lasciviam carnis neglexi; tua me visitatione illustrare digneris: quibus ea me decenter & mihi necessariè corrigam, meique erroris per te misericordiam consequar, ut per te, quem in periculoso hujus vitæ pelago in auxilium advocavi, sine naufragio ad portum perennis requiei perducar. Te itaque, Pater clementissime, peto, ut qui me primitus creasti, per passionem unigeniti tui

al. angustiati
al. omnium superorum
al. millena millia luminum a nam al. divinitatis al. nostris al. qui solem ortum nesciat, fundo caret circonscriptionis terminum non habet, nihil perturbationis admittit. Eructavit te
In MS. alia lectura ut in variis lectionibus annotatum est.

recreasti, qui quicquid ad laudem tuam pertinet, me cogitare facias & amare. Sed quia fragilis sum, nec possum perficere, sedula tamen confessione concedas me studere, ut redemptionis ac salvationis tuæ gratiam consequar. Et quicquid deinceps operis agam, ex tua, & per tuam, & in tua gratia ad laudem tuam totum pervenire facias, meque deinceps tuere à peccatis, & in bonis operibus validiorem esse præcipias, & ut quamdiu in hoc corpore vivam, aliquid servitii tibi semper exhibeam. Post exitum verò animæ meæ à corpore veniam omnium peccatorum consequi & vitam æternam me percipere concedas. Per eum, qui tecum vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

MEDITATIO X.

DE PASSIONE CHRISTI.

Ex Biblioth. Vaticana.

DUlcis Jesus in inclinatione capitis & morte, dulcis in extensione brachiorum, dulcis in apertione lateris, dulcis in confixione pedum clavo uno. Dulcis in inclinatione capitis; inclinans enim caput in cruce, quasi dilectæ suæ dicere videtur: O dilecta mea, quotiens desiderasti frui osculo oris mei, nuncians mihi per sodales meos, *osculetur me osculo oris sui!* Ego paratus sum, caput inclino, os porrigo, osculare quantumlibet: nec dicas in corde tuo, illud osculum non quæro, quod est sine specie & decore; sed illud gloriosum, quo semper frui desiderant Angelici cives. Noli sic errare; quia nisi primò osculatum fueris illud os, ad illud omnino pervenire non poteris. Igitur osculare istud os, quod tibi nunc offero; quoniam etsi sine specie & decore est; tamen non sine gratia. Dulcis in extensione brachiorum: extendens enim brachia nobis insinuat quòd amplexus nostros ipse desiderat, & quasi dicere videtur: ô vos qui laboratis & onerati estis, venite, & reficimini inter brachia mea, inter amplexus meos: videte quia paratus sum intra brachia mea congregare vos, venite ergo omnes: nullus timeat repelli, *quia nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat. Delicia enim meæ sunt esse cum filiis hominum.* Dulcis in apertione lateris; apertio siquidem illa revelavit nobis divitias bonitatis suæ, charitatem, scilicet, cordis sui erga nos. Dulcis in confixione pedum clavo uno; quia per hoc nobis quasi ita loquitur, ecce si putatis quia fugere debeam, & ideo ad me accedere tardatis, scientes quia sum nimis velox, & sicut hinnulus; videte quia pedes mei clavo uno confixi sunt ita ut omnino non possim fugere vos, quia misericordia me omnino ligatum tenet; nec fugiam vos ut meruerunt peccata vestra, quia manus meæ clavis confixæ sunt. Benigne Jesu, humilis Domine, pie Domine, dulcis in ore, dulcis in corde, dulcis in aure, inscrutabiliter & inenarrabiliter amœnus, pius & misericors, potens, sapiens, benignus, largus sed non prodigus, valdè dulcis, & suavis. Solus es summum bonum, speciosus forma præ filiis hominum, pulcher, & decorus, & electus ex millibus, & totus desiderabilis. Pulchrum pulchra decent. O mi Domine, nunc tota anima mea desiderat in amplexus tuos, & óscula. Nihil quæro nisi teipsum, quamvis nulla merces repromitteretur; licet infernus, & paradisus non essent, tamen propter dulcem bonitatem tuam, propter te ipsum adhærere vellem tibi. Tu continua meditatio mea, verbum meum, opus meum. Amen.

Cant. 1. v. 1.

Ezech. 33. v. 11. Prov. 8. v. 31.

MEDITATIO XI.

De redemptione humana.

ANima Christiana, anima de gravi morte resuscitata, anima de misera servitute sanguine * Dei redempta & liberata, excita mentem tuam, memento * resuscitationis tuæ; recogita redemptionem & liberationem tuam. Retracta ubi, & quæ sit virtus salvationis tuæ versare in meditatione ejus, delectare in contemplatione ejus, excute fastidium tuum, fac vim cordi tuo, intende in hoc mentem tuam: gusta bonitatem Redemptoris tui: accendere in amorem Salvatoris tui. Mande favum verbo um, suge plusquam mellitum saporem, gluti salubrem dulcorem. Mande cogitando, suge intelligendo, gluti amando & gaudendo. Lætare mandendo, gratulare sugendo, jocundare glutiendo. Ubi ergo, & quæ est virtus & fortitudo * salvationis tuæ? Certè Christus te resuscitavit: Ille bonus Samaritanus te sanavit: ille bonus amicus animâ suâ te * redemit & liberavit. Christus, inquam. Ergo virtus * salvationis tuæ, virtus est Christi. Ubi * est hæc virtus Christi? Utique *cornua in manibus ejus: ibi abscondita est fortitudo ejus.* Cornua quidem in manibus ejus; quia brachiis crucis confixæ sunt manus ejus. Quæ autem fortitudo in tanta infirmitate? Quæ altitudo in tanta humilitate? Quid venerabile in tanto contemptu? Sed certè ideo * absconditum, quia in infirmitate: ideo celatum, quia in humilitate: & ideo occultum, quia in contemptu. O fortitudo abscondita! hominem in cruce pendentem, suspendere mortem æternam genus humanum prementem: hominem ligno confixum, defigere mundum perpetuæ morti affixum. O celata potestas! hominem damnatum cum latronibus, salvare homines damnatos cùm dæmonibus: hominem in patibulo extensum omnia trahere ad seipsum. O virtus occulta! unam animam emissam in tormento, innumerabiles extrahere de inferno: hominem mortem corporis suscipere, & mortem animarum perimere.

Cur, bone Domine, pie Redemptor, potens Salvator, cur tantam virtutem operuisti tanta humilitate? An ut * falleres diabolum, qui fallendo hominem dejecit de paradiso? Sed utique veritas nullum fallit: Qui ignorat, qui non credit veritatem, ipse se fallit: qui videt veritatem; & odit vel contemnit, ipse se fallit. Veritas itaque nullum fallit. An ideo, ut ipse diabolus se falleret? Sed utique sicut veritas nullum fallit, ita non intendit ut aliquis se fallat: quamvis hoc dicatur facere, cùm permittit. Non enim assumpsisti hominem, ut te notum operies; sed ut ignotum aperires. Verum Deum, verum hominem te dixisti, &

* al. resurrectionis

* al. Salvatoris tui

Hab. 3. v. 4. & 5.

Digitized by Google

operibus ostendisti. Res per se occulta fuit, non studio
al. occulta * occultata; non sic est facta ut absconderetur, sed ut
suo ordine perficeretur; * nec ut aliquem deciperet,
sed ut quemadmodum oportebat fieret. Et si dicitur
ab occultata * occulta; non est aliud, quàm non est * omnibus re-
velata. Nam etsi veritas non omnibus se manifestat:
nulli tamen se negat. Ergo, Domine, nec ut falleres,
nec ut aliquis se falleret, sic fecisti; sed ut faceres quod
al. sic veritate omnia permansisti & quomodo faciendum erat, * per omnia in veritate
perstitisti. Qui ergo se fefellit in tua veritate; non de
te, sed de propria queratur falsitate.

An diabolus habebat justè aliquid adversùs Deum,
al. penius vel adversùs hominem, propter quod Deus * priùs de-
beret adversùs eum pro homine hoc modo agere,
al. illectum filium quàm aperta fortitudine: ut dum * illectum justum homi-
nem injustè occideret; justè potestatem, quam su-
per injustos habebat, perderet? Sed certè diabolo
nec Deus debebat aliquid, nisi pœnam; nec homo,
al. vincere: sua ut nisi * vicem: ut quemadmodum ab illo se facilè per-
misit vinci peccando: ita illum vinceret usque ad dif-
ficultatem mortis, justitiam integram servando. Sed
& hoc non nisi Deo debebat homo. Nam non pecca-
vit adversùs diabolum, sed adversùs Deum; nec ho-
mo diaboli erat, sed & homo & diabolus Dei erant.
Sed & quòd diabolus vexabat hominem, non hoc fa-
ciebat zelo justitiæ, sed nequitiæ; nec jubente Deo,
sed permittente: non diaboli, sed Dei justitia exigen-
te. Nihil ergo erat in diabolo, cur Deus adversus eum
ad salvandum hominem fortitudinem suam celare
aut differre deberet.

An aliqua necessitas coëgit ut altissimus sic se hu-
miliaret, & omnipotens ad faciendum aliquid tantùm
laboraret? Sed omnis necessitas & impossibilitas ejus
subjacet voluntati. Quippe quod vult necesse est esse;
& quod non vult, impossibile est esse. Sola ergo
al omnis ejus voluntas voluntate: & quoniam * voluntas ejus semper bona
al. voluntate est; sola fecit hoc * bonitate. Non enim Deus ege-
bat, ut hoc modo hominem salvum faceret: sed hu-
mana natura indigebat, ut hoc modo * Deo satisfa-
ceret. Non egebat Deus, ut tam laboriosa pateretur;
sed indigebat homo, ut sic Deo reconciliaretur: nec
egebat Deus, ut sic humiliaretur; sed indigebat ho-
mo, ut sic de profundo inferni erueretur. Divina na-
tura humiliari aut laborare non eguit, nec potuit. Hæc
omnia humanam naturam, ut ad hoc restitueretur
propter quod facta erat, necesse erat facere; sed nec
illa, nec quicquid Deus non est, poterat ad hoc sufficere. Nam homo ad hoc quod institutus est, non resti-
al. vitium tuitur: si non ad similitudinem Angelorum, in quibus
nullum est * peccatum, provehitur: quod est impossi-
bile fieri, nisi omnium perceptâ peccatorum remissione, quæ non fit, nisi præcedente integra satisfactione:
al. facere quam satisfactionem talem oportet * esse, ut pecca-
tor, aut aliquis pro illo det aliquid Deo de suo, quod
debitum non sit, quod superet omne quod Deus non
est. Si enim peccare est Deum exhonorare; & hoc
homo facere non * debet, etiamsi necesse esset quic-
quid est, quod Deus non est, perire: utique veritas
immutabilis, & aperta ratio exigit, ut qui peccat,
reddat aliquid Deo pro honore ablato majus, quàm
sit hoc, pro quo illum exhonorare non debuit. Quod
quoniam humana natura sola non habebat; nec sine
al. sic nec illa nec quicquid Deus non est ad hoc sufficeret Ne ergo justitia al. ut ea debita satisfactione reconciliari poterat: * Ne justitia
Dei in regno suo peccatum inordinatum relinqueret;
subvenit bonitas Dei, & eam in suam personam as-
sumpsit Filius Dei: ut *in ea persona esset homo Deus,
qui haberet quod superaret non solùm omnem essen-
tiam, quæ Deus non est; sed etiam omne debitum,
quod peccatores solvere debent: & hoc, cùm nihil pro
se deberet, solveret pro aliis, qui quod debebât reddere*
non habebant. Pretiosior namque est vita hominis il-
lius, quàm omne quod Deus non est; & superat omne
debitum, quod debent peccatores pro satisfactione.

Si enim * interfectio illius superat mnem multitudi-
nem & magnitudinem peccatorum, quæ cogitari pos-
sunt extra personam Dei; palàm est quia vita ejus ma-
gis est bona, quàm omnia peccata sint mala, quæ ex-
tra personam Dei sunt. Hanc vitam homo iste, cùm
ex debito mori non * deberet, quoniam peccator non al. debebat
erat, sponte dedit de suo ad honorem Patris: cùm
eam sibi auferri propter justitiam permisit, ut exem-
plum * omnibus aliis daret, justitiam Dei ab illis non al. hominibus
esse deserendam propter mortem, quam ex necessitate
aliquando solvere debent: cùm iste, qui eam non de-
bebat, & servatâ justitiâ vitare posset, eam sibi illatam
propter justitiam sponte sustineret. Dedit itaque hu-
mana natura Deo in illo homine sponte & non ex
debito quod suum erat; ut redimeret se in aliis, in qui-
bus quod ex debito exigebatur, reddere non habebat.
In omnibus his Divina natura non est humiliata; sed
humana est exaltata: nec est illa imminuta; sed ista
est misericorditer adjuta.

Nec humana natura in isto homine passa est aliquid
ulla necessitate, sed sola libera voluntate. Nec alicui
violentiæ succubuit, sed spontanea * bonitate ad ho- al. voluntate
norem Dei, & utilitatem aliorum hominum, quæ illi
malâ voluntate sunt illata, laudabiliter & misericordi-
ter sustinuit; nec ulla cogente obedientia, sed potenti
disponente sapientia. Non enim illi homini Pater ut
moreretur cogendo præcepit; sed ille quod Patri pla-
citurum, & hominibus profuturum intellexit, hoc
sponte fecit. Non enim ad hoc eum cogere potuit Pa-
ter, quod ab eo exigere non debuit: nec Patri tantus
honor potuit non placere, quem tam bona voluntate
Filius sponte obtulit. Sic itaque Patri liberam obe-
dientiam exhibuit; cùm hoc, quod Patri placiturum
scivit, sponte facere voluit. Denique quoniam Pater
illi hanc bonam voluntatem dedit, quamvis liberam:
non immeritò dicitur, qui eam ille velut præceptum
Patris accepit. Hoc itaque modo obediens fuit Patri
usque ad mortem. Et sicut mandatum dedit illi Pater:
sic fecit. Et calicem, quem dedit illi Pater, bibit. Hæc
est enim perfecta & liberrima humanæ naturæ obe-
dientia; cùm voluntatem suam liberam sponte volun-
tati Dei subdit, & cum acceptam bonam voluntatem
sine omni * exactione, spontaneâ libertate, opere al. exactione
perficit. Sic homo ille redimit omnes alios: cùm hoc,
quod sponte dedit Deo, computat pro debito quod
illi debebant. Quo pretio non semel tantùm à culpis ho-
mo redimitur; sed etiam quotiens * cum digna pœni- al. condignâ
tentia redierit, recipitur: quæ tamen pœnitentia * pec- al. peccati
canti non promittitur. Quod quoniam in cruce factum
est; per crucem noster Christus nos redemit. Qui ergo
ad hanc gratiam volunt cum digno affectu accedere,
salvantur: qui verò illam contemnunt, quia debitum
quod debent non reddunt, justè damnantur.

Ecce, anima Christiana, * hæc est virtus salvationis
tuæ, hæc est causa * libertatis tuæ; * hoc est pretium al. hæc
redemptionis tuæ. Captivas eras; sed hoc modo es re-
dempta. Ancilla eras, & sic es liberata. Sic es exul, re-
ducta; perdita, restituta; & mortua, resuscitata. Hoc
mandat, ô homo, hoc ruminet, hoc sugat, hoc glutiat
cor tuum; cùm ejusdem Redemptoris tui carnem &
sanguinem * accipit os tuum. Hoc fac in hac vita quo-
tidianũ panẽ & victum, & viaticum tuum: quia per
hoc, & non nisi per hoc, & tu manebis in Christo, &
Christus in te: &*in futura vita erit plenum gaudium al. & futura
tuum. Sed, ô Domine, tu qui ut ego viverem, mortem
suscepisti: quomodo lætabor de libertate mea, quæ non
est nisi de vinculis tuis? Qualiter gratulabor de salute
mea, cùm non sit nisi de doloribus tuis? Quomodo gau-
debo de vita mea, quæ non est nisi de morte tua? An
gaudebo de his, quæ passus es; & de crudelitate illo-
rum, qui ea tibi fecerunt? Quoniam nisi illi * ea feci-
sent; tu passus non esses: & si tu passus non esses, hæc
* omnia bona non essent. Aut si de illis dolebo, quo- al. hæc mea

modo de istis, propter quæ illa fuerunt, & quæ non esset, nisi illa fuissent, gaudebo? Sed certè illorum nequitia nihil facere potuit, nisi quia tu sponte permisisti; nec tui passus es, nisi quia piè voluisti. Illorum itaque debeo crudelitatem execrari, mortem & labores tuos compatiendo imitari; piam voluntatem tuam gratias agendo amare, ac sic secuté de bonis mihi collatis exultare.

Ergo, homuncio, illorum crudelitatem * dimitte Dei judicio; & tracta de his, quæ debes Salvatori tuo. Considera quid tibi erat, & quid tibi factum sit; & pensa qui hoc tibi fecit, quo amore dignus sit. Intuere necessitatem tuam, & * bonitatem ejus, & * vide quas gratias reddas, & quantùm debeas amori ejus. In tenebris, in lubrico, in descensu * super irremeabile chaos inferni eras: * immensum, & quasi plumbeum pondus pendens à collo tuo te deorsum trahebat: onus importabile desuper te premebat: hostes invisibiles te toto conatu impellabant. Sic eras sine omni * auxilio; & nesciebas, quia sic conceptus & natus eras. O quid tibi tunc erat; & quo te ista rapiebant? expaveſce memorando: contremisce cogitando. O bone, * ô Domine Jesu Christe, sic posito nec petenti, nec opinanti, ut sol mihi illuxisti; & * mihi quomodo eram ostendisti. Abjecisti plumbum, quod deorsum me trahebat; removisti onus quod desuper me premebat; impellentes me repulisti, ac illis te pro me * opposuisti. Vocasti me nomine novo, quod mihi de tuo nomine dedisti; & incurvatum ad aspectum tuum erexisti, dicens: Confide, ego te redemi, animam meam pro te dedi. Si adhæres mihi; & mala, in quibus eras, evades; & in profundum, quo properabas, non cades: sed perducam te ad regnum meum; & faciam te hæredem Dei, & cohæredem meum. Exinde accepisti me in tuitionem tuam: ut nihil noceret animæ meæ contra voluntatem * suam. Et ecce, * cùm nondum adhæserim tibi, sicut consuluisti; nondum tamen in infernum me cadere permisisti: sed adhuc expectas, ut adhæream; & * facias quod promisisti. Certè, Domine, sic eram, & * hæc fecisti mihi. In tenebris eram, quia nihil nec meipsum sciebam: in lubrico, quia imbecillis & fragilis ad lapsum peccati eram: in descensu super chaos inferni, quia in primis parentibus descenderam de justitia ad injustitiam, per quam descenditur ad infernum; & de beatitudine ad temporalem miseriam, de qua caditur * in æternam. Pondus originalis peccati deorsum me trahebat, & onus importabile judicii Dei me premebat; & inimici mei dæmones, ut me aliis peccatis damnabiliorem facerent, quantùm in ipsis erat, vehementer instillebant. Sic destituto omni auxilio illuxisti mihi, & quomodo eram ostendisti. Quia & cùm ego nondum hoc * nosse poteram; alios, qui pro me * essent, & postea meipsum, antequam pollutarem, hæc * omnia docuisti. Plumbum trahens, & onus gravans, & hostes impellentes rejecisti: quia peccatum, in quo natus & conceptus eram, & damnationem ejus amovisti; & malignos spiritus, ne vim animæ meæ facerent, prohibuisti. Christianum me fecisti vocari de nomine tuo, per quod & ego confiteor, & tu cognoscis me inter redemptos tuos, & erexisti & levasti me ad notitiam & amorem tuum: fecisti me confidere de salute animæ meæ, pro qua dedisti animam tuam; & mihi, si te sequerer, promisisti gloriam tuam. Et ecce cùm nondum sequar te, sicut consuluisti; sed insuper multa peccata feceram, quæ tu prohibuisti, * adhuc expectas ut te sequar, & dones quod promisisti.

* Confidera anima mea, intendite omnia intima mea quantùm illi debeat substantia mea tota. Certè, Domine, quia me fecisti, debeo amori tuo meipsum totum: quia me redemisti, debeo meipsum totum: quia * tantum promittis, debeo meipsum totum; immò tantùm debeo amori tuo, plus quàm meipsum; quantò tu es major me, pro quo dedisti teipsum, & cui promittis teipsum. Fac, precor Domine, me gustare per amorem, quod gusto per cognitionem: sentiam per affectum, quod sentio per intellectum: plus debeo, quàm meipsum totum; sed nec plus * habeo, nec hoc ipsum possum per me reddere totum. Trahe me, Domine, in amorem tuum, vel hoc ipsum totum. Totum, quod sum, tuum est conditione; fac totum tuum dilectione. Ecce, Domine, coram te est cor meum: conatur, sed per se non potest: fac tu quod ipsum non potest. Admitte me intra cubiculum amoris tui, peto, quæso, pulso. Qui me facis petere; fac & accipere. Das quærere; da invenire. Doces pulsare; aperi pulsanti. Cui das, si negas petenti? Quis invenit, si quærens frustratur? Cui aperis, si pulsanti claudis? Quid das non oranti, si amorem tuum negas oranti? A te habeo desiderare: à te habeam impetrare. Adhære illi, adhære importunè, anima mea. Bone * bone Domine, * ne rejicias eam: fame amoris tui languet, refocilla eam: satiet eam dilectio tua, impinguet eam affectus tuus, impleat eam amor tuus; occupet me totum, & possideat * totum: quia tu es cum Patre & Spiritu sancto Deus solus benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

al. benignitatem
al. fubier
al. immenſum
al. conſilio
al. obtuliſti
al. tuum
al. licet adhuc non
al. faciam
al. æternam miſeriam
al. noſſent
al. hoc me

MEDITATIO XII.

De humanitate Christi.

JUcunditate, pietate, utilitate redundat plenè sanctissima nativitas & infantia nostri Salvatoris. Jucunditate quantùm ad exultationem, pietate quantùm ad passionem, utilitate quantùm ad significationem. Quid enim magis jucundum, quàm ipsum videre hominem quem esse constat hominis conditorem? Quid iterum eidem homini magis debet videri pium, quàm claro videre oculo quòd in hoc mediatore Dei & hominum Domino nostro Jesu Christo miro quodam & ineffabili modo æternitas incipit, sublimitas humiliatur? Concipitur in utero matris, qui sempiternus est in sinu Patris. Natus ab æterno de Patre sine matre, nascitur in tempore de matre sine Patre. Pannis est involutus, qui stirpibus & arboribus terram vestivit, luminaribus cœlum ornavit, mare piscibus implevit. Quem cœli cœlorum capere non possunt, præsepis angustiâ continetur, lacte materno nutritur. Proficit sapientia, cujus sapientia non incipit, nec desinit, qui & Dei Patris sapientia existit: ætate, cujus æternitas sicut non proficit in majus, sic nec deficit in minus: gratiâ, totius ipse gratiæ auctor & conservator & remunerator. Parentibus subditur, quem adorat omnis creatura, cui & omne genu curvatur. Addamus, si placet quia baptizatur, & quidem Dominus à servo, Deus ab homine, & à milite Rex. Tentatur à diabolo, cui ministrant Angeli. Esurit cibus, sitit fons, lassatur via, deprimitur altitudo, virtus infirmatur, debilitatur fortitudo, injuriatur gloria, mœret lætitia, gaudium dolet, & humiliatur majestas, & moritur vita.

Jesu bone; quàm dulcis es in corde cogitantis de te, & diligentis te! Et certè nescio, quia nec plenè comprehendere valeo, unde hoc est quòd longè dulcior es in corde diligentis te, in eo quòd caro es, quàm

Digitized

in eo quòd Verbum : dulcior in eo quòd humilis, quàm in eo quòd sublimis. Siquidem longe dulcius est memoriæ diligentis te, videre te ex matre virgine in tempore natum, quàm in splendoribus ante luciferum à Patre genitū; temetipsum exinaniviſſe, servique formam accepiſſe, quàm in forma Dei æqualem te Deo esse. Dulcius te videre coram Judæis mori in ligno, quàm dominari super Angelos in cœlo: intueri te inter omnia subjectum, quàm super omnia prælatum; hominem humana pertuliſſe, quàm divina Deum geſſiſſe; redemptorem esse percuntium, quàm conditorem esse non existentium. O quàm dulce est, bone Jesu, in secreto cordis ad memoriam revocare, te pro nobis in Virgine absque pollutione conceptum, absque læsione virginitatis ejus natum, pannis involutum, in præsepio reclinatum, sustinentem convitia, tacentem ad opprobria, pedes discipulorum lavantem, linteo tergentem, de nocte prolixiùs orantem, sudorem sanguinis emittentem, triginta argenteis venditum, osculo traditum, cum gladiis & fustibus captum, ligatū, judicatum, flagello damnatum; ad occisionem ut agnum innocentem ductum; os tuum, cùm malè tractareris, non aperientem; cùm accusareris in multis, non respondentem, colaphizatum, alapas patientem, flagellis cæsum, plagis lividum, sputis illitum, chlamyde coccinea indutum; spinis coronatum, in derisum adoratum, arundine capite percussum, in veste alba illusum, ad mortem condemnatum, crucem tuâ bajulantem, & in ea affixum, pro crucifixoribus orantem, aceto potatum, felle cibatum, à latrone convitiatum, sanguinem tuum per quinque vulnera corporis tui effundentem, caput inclinantem, spiritum emittentem, dilectam animam tuam in manus Patris commendantem, & hæc omnia pro nobis sustinentem. Hæc omnia formant & adaugent magis ac magis exultationem, fiduciam & consolationem, amorem & desiderium.

Quis enim non lætetur & exultet? quis non suprà modum jucundetur & gratuletur, videns conditorem suum non solùm pro se hominem esse, sed tam dura tamque indigna sustinuiſſe? Quid in mente suavius ruminatur? quid dulcius gustatur? quid lætius cogitatur? Quis mihi auferet locum in regno; ubi is omnipotens est, qui frater & caro mea est? Quis mihi eventus aliquam ingeret desolationem, cui spes tanta tantam confert certitudinem? Quomodo aliquem in eo potest habere locum aliqua tristitia, in quo indesinenter versatur cogitatio ista? Nec minorem in eo fiduciam parit, cùm ipsa in conditorem suum diligenter accenditur. Secura certe per omnem modum, & in nullo temeraria præsumptio, quam formavit in mente consideratio humanitatis in Christo. Quomodo non sperem me ad electorum pertingere sortem, cùm pro me videam mortuum ipsum universorum conditorem? Effudit pro me de latere suo sanguinem; quomodo non præsumam me redemptum, cùm datum pro me non ignorem tantum taleque pretium? Effudit & pro me aquam; quomodo non me confidam ab omnibus inquinamentis meis mundatum, quem constat aquâ, quæ de viscеribus Christi confluxit, mundatum? Effusus est, inquam, ille; effusa est illa; ille ad redemptionem, ista ad redempti ablutionem: ille, ut me redimeret captivum; ista, ut ablueret immundum. Traditus est pro me servo filius, ut morte sua mihi emeret hæreditatem; quomodo me non credam hæredem, & quidem hæredem Dei, cohæredem autem Christi? Cùm inimicus essem, reconciliatus sum Deo per mortem filii sui: quomodo justificatus nunc in sanguine ejus, non salvus ero ab ira per ipsum? Proprio filio suo non pepercit pius pater, sed pro me tradidit illum: quomodo etiam non omnia mihi donavit cum illo? Quis accusabit adversùm me, cùm charitas ejus operiat multitudinem peccatorum? Clamat sanguis ejus de terra, melius quàm Abel; & non movebit cor patris, tanti talisque sonus clamoris?

Absit, semel & iterum absit, ut compassionis visceribus carean intuens te, ô bone Jesu, mori pro me. Ante oculos meos crucifigeris; & nulla tanget motio cor meum? Apparet mihi gladius tuus; & non pertransibit animā meam? Dulcis Jesu, quid mihi ut compatiar tibi? Sed non minùs utile. Quomodo minùs utile; cùm constet, si verum cernit ille & sentit, in quo tu loquebaris, quia *si compatimur, & conregnabimus?* Rom. 8. v. 17. 2. Tim. 2. v. 12. Et alibi, *si commortui sumus, & convivemus.* Ut autem hæc, de qua loquimur, compassio in mente vigeat, necesse est ut ardens in ea fuerit dilectio: quia quem amore ferventi complectimur, ejus nimirum & adversitati compatimur, & prosperitati congratulamur. Jesu, nec mens mea capere, nec lingua sufficit exprimere quàm sis dignus amari à me, qui tantùm dignatus es amare me. Dilexisti me, & lavasti me à peccatis meis in sanguine tuo. Nam si diligo multùm te; tu certè & antè dilexisti me, & plus. *In hoc enim charitatis Dei* 1. Joan. 4. *apparet*, ait Apostolus, *non quasi dilexerimus Deum, sed quia prior dilexit nos.* Dilexit quando non dilexi; quia & nisi non diligentem diligeres, diligentem quoque non efficeres. Diligo te super omnia, ô dulcissime Jesu, sed nimis parum; quia longè minùs, quàm dignus es, dilectissime, ac proinde minùs quàm debeo. Et quis hoc posset? Diligere te potest aliquis, te donante, quantùm valet; sed nunquam quantum debet. Quis tibi reddet innoxium sanguinem tuum; cujus non gutta, sed unda per quinque corporis tui partes profluxit? Creasti me, cùm non essem; redemisti me, cùm perditus essem. Sed conditionis quidem meæ & redemptionis causa sola fuit dilectio tua. Quia ergo, ô dulcedo vitæ meæ Jesu, quid in me vidisti pro quo tantum pretium dares? Nihil prorsus, nisi quia sic fuit placitum ante te. Multum quidem contulisti creator, sed longè plus redemptor. O quàm decorus es, Domnie Jesu, & quam suavis! Decorus, sed videntibus te; suavis, sed gustantibus te. Nesciris, nisi videaris. Non fis dulcis, nisi gusteris. Fac me quærere te, quæsitum invenire te, tentum possidere, ut tu solus dulcescas mihi, sapias, & placeas. Fac me agnoscere te, timere, amare, desiderare. In amorem temporalium labi ne sinas me. Heu, mi Domine, quia incessanter non possum gustare quàm suavis & dulcis sis.

Peccator sum, ô misericordissime Jesu. Miserere mei, qui non venisti vocare justos, sed peccatores. Fons patens domui David, appare, & effundere, & ablue me. Patens es enim omnibus sitientibus te, & omnes omnium verè pœnitentium sordes abluis; reddens eis, ô dulcissime Jesu, bonum pro malo, donum pro iniquitate, meritum pro delicto, pro facinore justitiam, & gratiam pro culpa. Expertus est hoc Rex David, qui pœnitens à nuntio tuo audivit. *Dominus transtulit peccatum tuum à te, non morieris.* In te nāque lotus est lachrymis pœnitentiæ, & mundatus est à maculis gravis culpæ. Tua siquidem in eo munditia crimen lavit adulterii, & pietas crudelitatem exterſit homicidii. In te purgatus est ille princeps Apostolorum, qui amarè flexit quod timidè negavit. In te etiam illa famosa peccatrix, ô fons purissime & dulcissime, dealbata tantâ meruit familiaritate donari, ut ipsis Apostolis novam tuæ resurrectionis gloriam & prior videret, & eis eam annunciaret. In te quoque ille mundatus est, qui juxta te in cruce pendens, dum & se digna factis recepisse recognovit, & te in tuo regno sui habere memoriam petiit, statim à te audire meruit. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Et quot in te, pie Jesu, quotidie illustrantur & abluuntur, de tenebris ad lucem, & de sordibus ad munditiam? Suscipe me diu exulantem à te. 2. Reg. 12. v. 13. Luc. 23. v. 43

Dulcedo vitæ, & sanitas non fallax, ô bone Jesu;

ſi in carne ſeminavi, quid de carne metam niſi corruptionem? Et ſi mundum dilexi, quem ex eo capiam fructum? Triplex, Domine Deus, ſolebam regi Babylonico perſolvere tributum in nefando ejus obſequio. Obſequium ejus quid eſt, niſi peccatum? Tributum verò eſt triplex, delectatio, conſenſus, conſuetudo. Et ſolvebatur hoc tributum de corde, ore, & opere. Ecce quibus ardoribus hæc erat olla ſuccenſa, cujus facies à facie aquilonis, cujus prunas ardere fecit ſuggeſtio hoſtis, qui mentis meæ cogitatus exuſſit. Ecce miſericors Deus, ecce funiculus triplex mentem, linguam, corpus ferociter ſtringens. Nunquam erat in me ſanitas, à planta pedis uſque ad verticem. *Sana ergo animam meam, quia peccavi tibi.* Fac ergo opus tuum, pie Jeſu, & ſalva me. Vocaris enim Jeſus, non ob aliud, niſi quia tu ſalvum facies populum tuum à peccatis eorum: qui cum Patre, & Spiritu ſancto vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Pſ. 40 *v.* 5.

MEDITATIO XIII.

De Chriſto.

VErbum ſecretum mihi eſt ad te, Domine mi rex ſæculorum, Chriſte Jeſu. Auſu charitatis alloqui te præſumit factura manus tuæ, concupiſcens decorem tuum, & audire te geſtiens. Deſiderate cordis mei, uſquequò ſuſtinebo abſentiam tuam? Uſquequò ingemiſcam, & ſtillabit poſt te oculus meus? Amabilis Domine, ubi habitas? Ubi eſt diverſorium tuum, in quo lætus recumbis inter chariſſimos tuos, & ſatias eos manifeſtatione gloriæ tuæ? Quàm fœlix, quàm illuſtris, quàm ſanctus, quantâ appetendus aviditate locus ille deificæ voluptatis, locus perennium deliciarum. Non acceſſit oculus meus, neque appropinquavit cor meum uſque ad multitudinem dulcedinis tuæ, quam intrinſecùs abſcondiſti filiis tuis. Solo ejus odore foris utcunque ſuſtentor. Spiramentum ſuavitatis tuæ de longinquo venit ad me, quæ eſt mihi ſuper odorem balſami & fragrantiam thuris ac myrrhæ, omniſque generis ſuavia odoramenta. Concupiſcentias mundas parit in me, quarum eſt adultio dulcis; vix portabilis tamen. Quid enim mihi eſt in cœlo? quis eſt theſaurus meus in illa cœlica cella? quæ eſt hæreditas mea in terra viventium? Nonne Chriſtus Dominus meus, unica ſalus mea, totum bonum meum, plenum gaudium meum? Et quomodo potero continere cor meum, Domine, ut non amet te? Si non amavero te; quid amabo? Si tranſtulero amorem meum à te; ubi ipſum dignè collocabo? Deſiderabilis Domine, ubi extra te requieſcerent deſideria mea? Si uſpiam extra te pedem extendat amor meus, pollutus erit: ſi à te declinaverint deſideria mea, vana erunt. Nonne tu amabilis & deſiderabilis es ſuper omnia quæ amari pollunt & deſiderari? abs te habet quicquid habet omnis creatura decoris & pretii. Et quid mirum, ſi omnia ſolus præcellis? Tu inter aſtra excellenti ſolem claritate veſtiſti, & clarior ſole tu es. Imò quid eſt ſol, quid eſt omnis creata lux ad tui comparationem, niſi tenebræ? Ornaſti cœlum ſyderibus, empyreum Angelis, aëra volucribus, aquas piſcibus, terras herbis, floribus virgulta. Sed non eſt ſpecies ultra, neque decor omnibus iis, in tui comparatione, ô fons univerſæ pulchritudinis Domine Jeſu. Melli dulcedinem ſuam prælitiſti, & dulcior melle tu es. Oleo ſuavitatem ſuam dediſti, & ſuavior oleo tu es. Aromatibus cunctis odores ſuos tribuiſti, & eſt, ô Jeſu, odor tuus ſuper omnia aromata ſuavis & gratus. Aurum inter omnia metalla pretioſum & pulchrum in ſingulari excellentia à te conditum eſt: Et hoc quid eſt, comparatum impretiabili Domino, & immenſæ claritati, in quam deſiderant Angeli proſpicere? Opus manuum tuarum eſt omnis lapis pretioſus, & deſiderabilis ad videndum, ſardius, topazius, jaſpis, chryſolitus, onyx, berylius, amethyſtus, ſaphirus, carbunculus, ſmaragdus. Et hæc quid ſunt, niſi feſtucæ, ad tui comparationem, ô Rex decorus nimis & multùm amande? Tuæ operationis ſunt gemmæ vivæ & immortales, quibus, ô ſapiens architecte, in exordio ſæculorum aulam ſuperætheream pulchrè diſtinxiſti; ad laudem & gloriam Patris.

Per te millia millium, ad complenda Patris myſteria, alacri diſcurſu jugiter meant inter cælum & terram, quaſi apes negotioſæ inter alvearia & flores diſponentes omnia ſuaviter: populus accinctus, neſciens labem vel inobedientiæ moram. Per te centena decies millies millena aſſiſtunt in ſanctuario uranici templi, intendentes in vultum majeſtatis claro & inflexibili viſu, ac perſonantes harmoniam inceſſabilis hymni, in gloriam trinæ & ſimplæ Divinitatis. Per te Seraphim ardet, per te Cherubim lucet, per te Throni judicant.

Tu Dominus noſter, ignis es innocuè ardens, & à tuæ Divinitatis immediata approximatione totus charitate ignitur, & flammea coruſcatione veſtitur ſacer ordo Seraphim, qui & ſui ſuavis incendii exuberantiam ſpargit in cæteras tibi militantes phalangas, de quarum plenitudine guſtamus & nos. Tu Deus noſter, vera lux es, & ſuſcipiunt montes populo tuo lucem; dum theſauros ſapientiæ & ſcientiæ in te reconditos ad intuentes te è vicino oculos Cherubim; per te ipſum largè effundis, & derivari facis ad illuminandas ſubordinatas illis electas lampades admirabilis tabernaculi tui, quæ ante faciem tuam, Domine, inextinguibiliter lucent. Tu Rex Regum, & Judex Judicum magne & metuende, excellos infides thronos, ſolam ſuper ſe habentes celſitudinem tuam, ſedes vivas & ſuaves, pacatiſſimas, ſummæque tranquillitatis uniformitate compactas, per te diſcernentes vias veritatis, per te judicantes judicia æquitatis. Dominator Domine, te dominationum ſublimitas ſancta adorat, ſingulari liberalitate animum in divina extendens, atque inter prænobiles aulæ tuæ heroes, per te primatum agens alti dominii ſine altitudine faſtus. Nobile decus principum; per te, Domine Deus meus, celſus ordo principatuum, ſine invidioſa præcellentia principatur ſuper militiam cœli, cui ad explenda divina myſteria, juxta perceptam intrinſecus cordis tui diſpoſitionem, dulcis magiſterii præbet ducatum. Tua eſt potentia, poteſtatum Domine, prementium in flammeo telo colla tartaricorum principum; & te in illis metuunt ne quantùm volunt, valeant perficere malum ob perniciem noſtram. Tua eſt, ô virtus Patris, omnis mirificentia beatarum virtutum, quarum agitur miniſterio, ut te miretur omne ſæculum, & obmuteſcens in mirabilibus tuis exclamet & dicat: *Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis.* Tua eſt, ô dulcis Jeſu, magnificentia Archangelorum, in quibus multæ dignationis opus operatur benignitas tua; dum tam glorioſos palatii tui Sapatras deſtinare non ſpernis in hæc mundi infima, ad ſuffragandum parvitati noſtræ, qui comparati ſumus luto, & aſſimilati favillæ & cineri. Per hos quippe tuo juſſu ſumma noſtræ ſalutis adminiſtrantur negotia, ſummæ

Pſ. 134. *v.* 6.

que ſuperni conſilii ad nos deferuntur arcana: per hos ſanitates mortalium procreantur, per hos conſiſtunt regna & imperia mundi. Inter quos præcipuum novimus tuum Michaëlem, ſigniferum nobilem, cœli civem, qui ſtat pro acie Dei viventis extendens romphæam propugnationis, ac voce terrifica intonans, *quis ut Deus?* ſuper eos qui ex adverſo ſunt. Sed & illa fœlicium Angelorum amabilis innocentia, nonne pretioſum opus digitorum tuorum eſt, ô Dei ſapientia? Unde exornaſti eos quaſi incorruptibili veſtitura in die qua condidiſti eos, in opus ſacri miniſterii tui. Hi ſunt viva ſydera ſuperioris cœli, lilia interioris paradiſi, roſæ plantatæ ſuper aquam Siloë, quæ fluit cum ſilentio, tibi mentium radicibus immobiliter hærent. O flumen pacis, ô deliciarum agri odor, ô ſapientia ſola gyrum cœli circuiens, ex te lucent, candent, rubent in ſapientia multa, in caſtitate virginea, in charitatis ardoribus ſempiternis. Florida hæc juventus, Domine, fideliter tibi in noſtra infirmitate deſervit; dum in his tenebris mundi grellus noſtros pædagogica manuductione dirigit, dum hoſtiles incurſus à nobis repellit, dum voluntatis tuæ ſecreta nobis nuntiat, dum ad bona quæque mentes diſſolutas roborat, dum orationum noſtrarum thymiamata ad aram auream transfert, & faciem pii Patris pro nobis ſemper exorat. Ita, pie Pater, de nobis longè adhuc agentibus aliqua tibi cura eſt. Et ſi quid pretii habet drachma decima olim è ſinu tuo elapſa, & nunc tandem in laboribus tuis requiſita; hoc tui, bone Jeſu, pii eſt muneris. Si quid dulciſonæ vocis habet hæc decima chorda divinæ laudationis; hoc tuus in ea ſuavis contactus operatur, dum in pſalterio decachordo pſallis gloriam Patris. Pſalle ut pſallis, Domine, modulare dulce melos Patri velocibus articulis multiformium gratiarum. Tange novem illas puriſſimas chordas in cœlo, quæ nihil triſte unquam ſonuerunt. Tange & iſtam decimam gravem, cujus ſuperior quidem portio jam pertracta ad te lætitiam ſonat, interior adhuc terræ aſtricta mœſtos novit roboare ſonos.

Cuncta virtutis tuæ opera, ô Dei unigenite, dum attenta mente conſidero, ſtupens expaveſco; quia multùm per omnem modum in eis glorioſus appares. Magna enim, pulchra & bona ſunt valde; ſed ad tui comparationem, quaſi nihilum & inane reputantur. Cœli & terra, & omnis ornatus eorum, te auctore & gubernatore ſubſiſtunt, & te potentem & metuendum, ſapientem & pulchrum, bonum & amabilem omnia prædicant; & quantùm lux tenebras, tantùm cuncta ſolus præcedis. Et tu in cœlo ſervatus es, Deus meus, merces ſervi tui, ipſe dator & donum ſalutis, quam à te expectat anima mea. *Et à te* Pſ. 72. v. 25. *quid voluit ſuper terram?* Quid volvor de cœlo in centum? Quid melius, quid amabilius te exiſtimavi ſuper terram, ut abſtraherem cor meum à te, ad concupiſcendum quidquam in mundo abſque te? Cur amavi, quare concupivi in omni vita mea quicquam, præter te Jeſum Deum meum? Quare diſtuli, cur intermiſi ullo tempore te, Jeſu, verſare in corde, te tota mente amplecti, & delectare in tua dulcedine omnia interiora ſpiritus mei? Ubi eram, quando tecum mente non eram? Quò defluxerunt, quando non te ſolum habuerunt deſideria mea?

Deus vitæ meæ, quàm vanè conſumpta ſunt, quàm infructosè elapſa ſunt tempora mea, quæ dediſti mihi ut facerem voluntatem tuam in eis; & non feci? Quanti anni, quot horæ perierunt apud me, in quibus ſine fructu vixi coram te? Et quomodo ſubſiſtam? Quomodo levare potero oculos meos in faciem tuam in illo magno examine tuo, ſi rememorari juſſeris omnia peccata mea, vel tempora mea, & fructum requiſieris ſingulorum? Patientiſſime Pater, non fiat hoc; ſed ſint in oblivione coram te, quæ perdidi tempora heu multa nimis. Et ſi quæ te juvante utiliter ſervavi, quorum, ô Domine, numerus brevis eſt, in memoria æterna fac permanere; fiat, amande pater, ſaltem hoc reſiduum temporis mei fructuoſum & ſanctificatum in gratia tua, ut in diebus æternitatis inveniat locum, & computabile ſit ante te. Jam ex hoc nunc omnia deſideria mea incaleſcite, & effluite in Dominum Jeſum; currite, ſatis hactenus tardaſtis? properate quò pergitis, quærite quem quæritis. Jeſum quæritis Nazarenum crucifixum. Aſcendit in cœlum, non eſt hîc. Non eſt ubi erat. Non eſt ubi nobile caput ſuum reclinare non poterat. Non eſt ubi ambulavit in medio tribulationis, repletus deſpectione. Non eſt ubi ſteterit judicandus ante faciem Pilati. Non eſt ubi ſtetit ſpretus & illuſus coram Herode. Non eſt ubi pependit conſputus, cæſus, vulneratus, & cruore perfuſus in medio ſceleratorum. Non eſt ubi jacuit lapide clauſus, & gentium militiâ cuſtoditus. Ubi verò eſt amantiſſimus Domini, habitat confidenter & flagellum non appropinquat tabernaculo ejus. Super altitudinem cælorum, ſuper omnem excellentiam Angelorum, propria virtute aſcendit; ſuper ſolium ſingularis gloriæ in dextra Patris, cui coæternus & conſubſtantialis ſedet, & divino amictus lumine, coronatus gloria & honore, ut decet unigenitum Dei, ſerenus in lætitia, plenus omnipotentatu, Dominus in cælo & in terra. Ibi adorant eum omnes Angeli Dei, & univerſa multitudo civium cœleſtis Sion. In ipſo unanimiter lætantur omnium corda, in ejus deſiderabili facie paſcuntur omnium oculi bonorum. In ipſum undique confluunt deſideria omnium ſanctorum, ipſi jubilat, ipſi applaudit, ipſum magnificat tota uranica civitas, glorioſa per omnem modum in ſplendoribus ejus.

Exulta & laud. habitatio Sion, quia magnus in Iſa. 12. v. 6. *medio tui ſanctus Iſraël.* Exultate in nobili filio veſtro, vos illuſtres Patriarchæ, quia impleta eſt in eo omnis expectatio veſtra, & ipſe ſublimis eſt valde, *& benedicentur in ipſo*, veſtro videlicet ſemine, *omnes gentes*: ſic enim pollicitus eſt ſermo divinus. Gaudete in Jeſu Propheta magno; vos Prophetæ viri veraces, quia mirificè & glorioſè impleta videtis omnia, quæ de ipſo annuntiaſtis in Spiritu ſancto, & fideles inveniſtis per ipſum in cunctis ſermonibus veſtris. Gaudete in Domino Jeſu magiſtro veſtro, vos inclyti proceres cœli, beati Apoſtoli, gaudete in ipſo, & iterum dico, gaudete cum Chriſto familiari lætitia. Ecce enim, quem vidiſtis in medio veſtri eſurientem & ſitientem, fatigatum, & iis ſimilia carnis infirma tolerantem ab omnibus reprobari, & cum ſceleratis reputari, quomodo vicit; quomodo regnat; quomodo ei omnia ſub pedibus ſunt; quàm glorioſus in ſuo dominio lumine fulget; & ſui gaudii, ſuæ ineffabiliſque gloriæ nunc vos ſocios habet, qui olim permaniſtis cum ipſo in tentationibus ſuis, & vexationum ejus conſortes fuiſtis. Adorate nunc dulcia illa genua, quæ ſe curvaverunt ante vos uſque ad terram, ſedentibus vobis ad ſanctiſſimam cœnam. Adorate nunc ſacroſanctas illas manus, quibus pulverem pedum veſtrorum Rex Regum lavare & extergere dignatus eſt. Gaudete in Jeſu, principe militiæ veſtræ, vos martyres victorioſi, qui ipſum pro quo tradidiſtis in mortem animas veſtras; ipſum, inquam, Jeſum, filium Dei, poſſidetis præmium certaminis veſtri. Gaudete in Jeſu ſummo doctore veritatis, ô venerandi Confeſſores & Doctores, quia quem olim doctrinis ſacris & operibus juſtis confeſſi eſtis coram hominibus, nunc confitetur vos coram Patre ſuo & ſanctis Angelis ejus. Gaudete in Jeſu virgine & virginum ſanctificatore, vos paradiſicolæ virgines, vos Angelis ſimiles; quia ecce quem amaſtis, quem optaſtis, quem ardentibus deſideriis expetiſtis, pro cujus amore terrenos ſponſos & omnem ornatum ſæculi contempſiſtis, ſummi Regis filium nunc videtis, nunc

tenetis, nunc in ejus caſtis amplexibus quieſcitis, & divelli à vobis nullâ inſidiatoris fraude aut ſtrepitu poteſt.

Verùm inter omnes cœlicolas uberrimum tibi gaudium ſit, ò Maria, Virginum virgo ſingularis, roſa cœlicæ amœnitatis, præclucidum ſydus inter primævas lucernas divini luminis ſuſceptivas. In tuo Jeſu filio dulciſſimo ſola præ omnibus gaude gaudio magno, quia quem ut hominem peperiſti, & propriis uberibus enutriſti, ipſum cum Angelis & univerſis civibus cœli adoras ut Deum vivum & verum. Gaude, felix mater, quia quem vidiſti in ligno crucis pendentem, vides in cœlo regnantem cum gloria magna, vides omnem altitudinem cœleſtium, terreſtrium, & infernorum majeſtati ejus inclinatam, & omne robur inimicorum ejus attritum. Gaudia gaudiorum ſunt tibi, omnis plenitudo Sanctorum, beata Hieruſalem mater noſtra, quæ ſurſum es: feſtivitatem age lætabundam, & indeſinentem in viſione pacifica tui Jeſu libertatis tuæ auctoris.

Et tu nunc rurſum elevare, anima mea, quali potes conatu, & ſanctis te ingere millibus lætantium in Domino Jeſu. Illuc fidei & ſpei vehiculo perge, ibi per charitatis ardorem converſare, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens. Intende mentis oculum in lumine vultûs ejus. Luſtra ac deoſculare gratulabunda devotione ſingula loca fœlicium plagarum ejus, de quibus egreſſi ſunt pretioſi illi liquores ſanguinis ſancti, quo te appretiavit unigenitus Dei, & ſanctificavit in vitam æternam. Jeſu, qui non amat te, anathema ſit. Qui te non amat, amaritudinibus repleatur. Caſtus eſt amor tuus, Domine, & nihil impuritatis admittit. Sobrius eſt ſapor amoris tui, & nullam mentem alienat à recto. Suavis eſt amor tuus, & nihil habet amari: nam & quæ amara ſunt mundi, indulcat; & dulcia ejus, reddit amara. Inter anguſtias non coarctatur, inter preſſuras non comprimitur; non perit ſub inopia, non mœrore contrahitur. In laboribus manuum æquanimis, inter minas ſecurus, inter blandimenta incorruptus, inter tormenta perſeverat invictus, in morte ſemper eſt vivus. Sicut in theſauro cupidus gaudet, & ſicut in amore unici filii delectatur mater; ita gaudium & delectatio eſt grata in charitate tua, dulcis Jeſu, animæ amanti te. Dulcedo meilis, ſuavitas lactis, vini inebrians ſapor, cunctæque deliciæ non ſic oblectant fauces guſtantium ſe, ut tuus amor mentes diligentium te.

O dulcis Jeſu, vive panis nimis concupiſcibilis, botre ſuavis, oleum mixtum, mitis agne, fortis leo, formoſa panthera, ſimplex columba, velox aquila, ſtella matutina, ſol æterne, Angele pacis, fontale lumen ſempiternorum luminum, te amet, in te delectetur, te admiretur omnis ſenſus bonus tuæ conveniens laudi, Deus cordis mei, & pars mea Chriſte Jeſu, deficiat cor meum ſpiritu ſuo, & caro à concupiſcentiis ſuis, & vivas tu in me, & concaleſcat in ſpiritu meo vivus carbo amoris tui, & excreſcat in ignem perfectum. Foveat & enutriat illum in me gratia tua, ut ardeat jugiter in ara cordis mei: ferveat in medullis meis, flagret in abſconditis animæ, in die conſummationis meæ conſummatus inveniatur apud te. In die qua erui me videbis a tunica iſta mortali quam nunc circumfero, circumdet me dilectio tua, ſit animæ meæ quaſi veſtimentum decoris, ut non nuda ſed veſtita inveniatur, & habeat unde abſcondantur infirma ejus ab oculis tuis. Ignem alienum, ignem qui per adverſarios tuos ardeat, dilectionis tuæ fervor elonget à me: animam meam ad te creatorem ſuum attollat; & quantum ſatis eſt, tuo divino lumine eam immergat. Domine Jeſu, omnes qui te diligunt, repleantur benedictionibus tuis. Accedentes ad te, in cœlo ſcribantur; ut ſit pax eis in velamento alarum tuarum per ævum. Tibi autem, unice Dei, ſit cum æterno Patre & ſancto Spiritu laus indeficiens, inviolabile decus, & ſolidum regnum, permanens in ſæcula ſæculorum. Amen.

MEDITATIO XIV.

Alias

*ENCHIRIDION, SIVE MANUALE

Ad excitandum Dei amorem.

al. liber de ſalute animæ ſive. De Contemplatione Chriſti

PROLOGUS.

QUONIAM in medio laqueorum poſiti ſumus, facile à cœleſti deſiderio frigeſcimus. Quapropter aſſiduo indigemus *monimento, ut expergefacti ad Deum noſtrum verum & ſummum bonum, cùm defluimus, recurramus. Idcirco non præſumptionis temeritate, ſed magna Dei mei dilectione huic opuſculo ad laudem ejus operam dedi, ut ex elegantioribus dictis ſanctorum Patrum breve & manuale verbum de Deo meo mecum ſemper haberem; ex cujus *lectionis igne, quoties tepeſco, in ejus accendar amorem.

al. munimento

al. dilectionis

I.

NUnc adeſto mihi, Deus meus, quem quæro, quem diligo, quem corde & ore *confiteor, & qua valeo virtute laudo atque adoro. Mens mea devota tibi, tui amore ſuccenſa, tibi ſpirans, tibi inhians, te ſolum videre deſiderans nihil habet dulce, niſi de te loqui, de te audire, de te ſcribere, de te conferre, tuam gloriam frequenter ſub corde revolvere, ut tui ſuavis memoria ſit inter hos turbines aliqua repauſatio mea. Te ergo invoco, deſideratiſſime, ad te clamo clamore magno in toto corde meo. Et cùm te invoco, utique in *meipſo invoco: quoniam omnino non eſſem, niſi tu eſſes in me; & niſi ego eſſem in te, non eſſes in me. In me es, quoniam in memoria mea manes: ex ea cognovi te, & in ea invenio te, cum reminiſcor tui, & delector in te de te, ex quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia.

al. tuo.

al. meipſum

Tu, Domine, cœlum & terram imples, omnia portans ſine onere, omnia implens ſine inclusione. Semper agens, ſemper quietus. Colligens & non egens. Quærens cùm nihil deſit tibi. Amans, nec æſtuans; zelans, & ſecurus es. Pœnitet te; & non doles. Iraſceris; tranquillus es. Opera mutas, ſed non mutas conſilium. Recipis quod invenis, & nunquam amiſiſti. Nunquam inops, & gaudes lucris. Nunquam

Digitized by Google

avarus, & uſuras exigis. Supererogas cui non debes, vel ſemper ſupererogatur tibi, ut debeas. * Et quis habet quicquam non tuum? Reddis debita, nulli debens. Donas debita, nihil perdens. Qui ubique es, & ubique totus. Qui ſentiri potes, & videri non potes. Qui nuſquam dees, & tamen ab iniquorum cogitationibus longè es. Qui nec ibi dees, ubi longè es: quia ubi non es per gratiam, ades per vindictam. Qui ubique præſens es, & vix inveniri potes. Quem ſtantem ſequimur, & apprehendere non valemus. Qui tenes omnia, imples omnia, circumplecteris omnia, ſuperexcedis omnia, ſuſtines omnia. Qui corda fidelium doces ſine ſtrepitu verborũ. Qui locis non diſtenderis, nec temporibus variaris, nec habes acceſſus & receſſus. Qui habitas lucem inacceſſibilẽ, * quem nullus hominum vidit nec videre poteſt. In te manens quietus, ubique circuis totum. Non enim ſcindi & dividi potes, quia verè unus es; nec * in partes efficeris, ſed totus totum tenes, totum imples, totum illuſtras & poſſides.

al. Requis

al. quam

al. omis.

Si totum mundum libri repleant, tua ſcientia inenarrabilis non poteſt enarrari. Quoniam verò indicibilis es, nullo modo ſcribi poteris, nec concludi. Tu es fons lucis divinæ, & ſol claritatis æternæ. Magnus es ſine * quantitate, & ideo immenſus. Bonus ſine qualitate; & ideo verè & ſummè bonus: & nemo bonus niſi tu ſolus. Cujus voluntas opus eſt, cujus velle poſſe eſt. Qui omnia quæ ex nihilo creaſti, ſola voluntate feciſti. Qui omnem creaturam tuam abſque indigentia aliqua poſſides, & ſine labore gubernas, & abſque tædio regis, & nihil eſt quod conturbet ordinem imperii tui, vel in ſummis, vel in imis. Qui in omnibus locis ſine loco haberis, & omnia continens ſine ambitu, & ubique præſens es ſine ſitu & motu. Qui nec mali auctor es, quod facere non potes. Qui nihil non potes, nec unquam quicquam te feciſſe pœnituit. Cujus bonitate facti ſumus, & juſtitiâ pœnas luimus, & clementiâ liberamur. Cujus omnipotentia omnia gubernat, regit, & implet quæ creavit. Nec ideo te implere omnia dicimus, ut te contineant; ſed ipſa potius à te contineantur. Nec particulatim imples omnia, nec ullatenus ita putandum eſt, ut unaquæque res pro magnitudine ſuæ portionis capiat te, id eſt, maxima majus, minima minus, cùm ſis potius ipſe totus in omnibus, & omnia in te. Cujus omnipotentia omnia concludit, nec evadendi potentiam tuam quis aditum invenire poterit. Qui enim te non habet placatum, nequaquam evadet iratum.

al. qualitate

II.

TE igitur, clementiſſime Deus, invoco in animam meam, quam præparas ad capiendum te, ex deſiderio quod inſpiras ei. Intra, rogo, in eam, & coapta eam tibi, ut poſſideas illam quam feciſti & refeciſti; ut habeam te velut ſignaculum ſuper cor meũ. Quæſo, piiſſime, invocantem te non deſeras; quia priuſquam te invocarem, me vocaſti & quæſiſti, ut ego ſervus tuus te quærerem, quærendo invenirem, & inventum amarem. Quæſivi & inveni te, Domine, & amare deſidero. Auge deſiderium meũ, & da quod peto: quoniam ſi cuncta quæ feciſti, mihi dederis; non ſufficit ſervo tuo, niſi teipſum dederis. Da ergo teipſum mihi, Deus meus, redde te mihi. En amo te: & ſi parum eſt, amem validiùs. Tui ergo amore teneor, tui deſiderio flagro, tui dulci memoriâ delector. Ecce dum tibi mens mea ſuſpirat, & tuam ineffabilem pietatem meditatur; ipſa carnis ſarcina minùs gravat, cogitationum tumultus ceſſat, pondus mortalitatis & miſeriarum more ſolito non hebetat, ſilent cuncta, tranquilla ſunt omnia. Cor ardet, animus gaudet, memoria viget, intellectus lucet, & totus ſpiritus ex deſiderio viſionis tuæ acceniſus, invisibilium amore rapi ſe videt. Aſſumat ſpiritus meus pennas ut aquilæ, volet & non deficiat; volet, & perveniat uſque ad decorem domus tuæ, & thronum gloriæ tuæ: & ibi ſuper menſam refectionis civium ſupernorum paſcatur de * oculis tuis in loco paſcuæ juxta fluenta pleniſſima. Tu eſto exultatio noſtra, qui es ſpes noſtra, ſalus atque redemptio. Tu eſto noſtrum gaudium, qui es futurus præmium. Te ſemper quærat anima mea, & tu præſta ut quærendo non deficiat.

al. oculis

III.

VÆ miſeræ animæ! quæ Chriſtum non quærit nec amat, arida manet & miſera. Perdit quod vivit, qui te Deum non diligit. Qui curat vivere non propter te, Domine; nihil eſt, & pro nihilo eſt. Qui tibi vivere recuſat, mortuus eſt. Qui tibi non ſapit, deſipit. Miſericordiſſime, tibi me commendo, reddo & concedo, per quem ſum, vivo, & ſapio. In te confido, ſpero, & totam ſpem meam pono, per quem reſurgam, vivam, & requieſcam. Te cupio, diligo, & adoro; cum quo manebo, regnabo, & beatus ero. Anima quæ te non quærit nec diligit, mundum diligit, peccatis ſervit, & vitiis ſubjecta eſt, nunquam * quieſcit, numquam ſecura eſt. Famuletur tibi ſemper mens mea, piiſſime. Suſpiret tibi ſemper peregrinatio mea, ardeat in amore tui cor meum. Requieſcat in te, Deus meus, anima mea, contempletur te in mentis exceſſu, cantet laudes tuas jubilatione, & hæc ſit in hoc exilio meo conſolatio mea. Confugiat mens mea ſub umbra alarum tuarum ab æſtibus cogitationum ſæculi hujus. Repauſet in te cor meum, cor mare magnum, tumens fluctibus. O dives omnium bonarum dapum, ſupernæ ſatietatis opulentiſſime largitor Deus, da laſſo cibum, collige diſperſum, libera captivum, & redintegra ſciſſum. En ſtat ad oſtium, & pulſat. Obſecro per viſcera miſericordiæ tuæ, quibus viſitaſti nos oriens ex alto, jube pulſanti miſero aperiri, ut liberis greſſibus ingrediatur ad te, & requieſcat in te, & reficiatur de te pane cœleſti: tu enim es panis & fons vitæ, tu lumen claritatis æternæ, tu omnia ex quibus vivunt recti qui diligunt te.

al. quieta

IV.

DEus lumen cordium te videntium, & vita animarum te amantium, & virtus cogitationum te quærentium, da ut ſancto tuo amori inhæream. Veni, rogo, in cor meum, & ab ubertate voluptatis tuæ inebria illud, ut obliviſcar iſta temporalia. Pudet ac piget me talia pati, qualia mundus iſte agit. Triſte eſt mihi quod video, grave eſt omne quod de tranſitoriis audio. Adjuva me, Domine Deus meus, & da lætitiam in corde meo, veni ad me ut videam te. Sed anguſta eſt mihi domus animæ meæ, quouſque venias ad eam, & dilatetur à te. Ruinoſa eſt, refice eam. Habet plurima quæ offendant oculos tuos, fateor & ſcio: ſed quis mundabit eam, aut cui alteri præter te clamabo? Ab occultis meis munda me, Domine, & ab alienis parce ſervo tuo? Fac me, dulcis Chriſte, bone Jeſu, fac me, rogo, amore & deſiderio tui deponere onus carnalium deſideriorum, & terrenarum concupiſcentiarum. Dominetur carni anima, animæ ratio, rationi gratia tua, & tuæ me interius & exterius ſubde voluntati. Tribue mihi ut laudet te cor meum, & lingua mea, & omnia oſſa mea. Dilata mentem meam, & attolle intuitum cordis mei; ut vel rapida cogitatione ſpiritus meus attingat te æternam ſapientiam ſuper omnia manentem. Diſſolve me, oro, à vinculis, quibus conſtrictus teneor, ut relinquens omnia iſta tibi ſoli inhæream, tibi ſoli intendam.

Digitized by Google

V.

FElix anima, quæ terreno reſoluta carcere libera cœlum petit, quæ te dulciſſimum Dominum facie ad faciem cernit, quæ nullo metu mortis afficitur, ſed de incorruptione perpetuæ gloriæ lætatur. Tranquilla eſt & ſecura, jam non timet hoſtem nec mortem. Habet te pium Dominum, quem diu quæſivit, ſemperque amavit, hymnidicis ſociata choris, melliflua perpetuæ feſtivitatis carmina ad laudem gloriæ tuæ, Rex Chriſte bone Jeſu, in æternum concinit. Inebriatur enim ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potas eam. Felix ſocietas ſupernorum civium, & glorioſa ſolennitas omnium ad te redeuntium ab hujus noſtræ peregrinationis triſti labore ad amœnitatem pulchritudinis, ad formoſitatem totius ſplendoris, atque dignitatem totius elegantiæ, ubi te jugiter, Domine, tui cives cernunt. Nihil omnino quod B conturbet mentem, ibidem auribus audire datur. Quæ cantica? Quæ organa? Quæ cantilenæ? Quæ melodiæ ibi ſine fine decantantur? Sonant ibi ſemper melliflua hymnorum organa, ſuaviſſima Angelorum melodia, cantica canticorum mira, quæ ad laudem & gloriam tuam à ſupernis civibus decantantur. Amaritudo & omnis fellis aſperitas in regione tua locum non habent. Non enim eſt ibi malus neque malitia, Non adverſarius & impugnans, nec eſt ulla peccati illecebra. Nulla eſt ibi indigentia, dedecus nullum, rixa nulla, nullum impropernium, cauſatio nulla, nullus timor, nulla inquietudo, nulla pœna, nulla dubietas, nulla violentia, nulla diſcordia: ſed eſt ibi pax ſumma, charitas plena, jubilatio & laus Dei æterna, ſine fine ſecura requies, & gaudium ſemper in Spiritu ſancto. O quam fortunatus ero, ſi audivero jucundiſſimas civium tuorum cantilenas, carmina melliflua laudes ſummæ Trinitati debito honore promentia. Sed & nimium felix, ſi ego ipſe meruero cantare canticum Domino Jeſu Chriſto, de dulcibus canticis Sion.

VI.

O Vita vitalis, vita ſempiterna & ſempiternè beata! ubi gaudium ſine mœrore, requies ſine labore, dignitas ſine tremore, opes ſine amiſſione, ſanitas ſine languore, abundantia ſine defectione, vita ſine morte, perpetuitas ſine corruptione, beatitudo ſine calamitate: ubi omnia bona in charitate perfecta; ubi ſpecies & viſio facie ad faciem, ubi plena ſcientia in omnibus & per omnia; ubi ſumma Dei bonitas cernitur, & lumen illuminans à ſanctis glorificatur: ubi D præſens majeſtas Dei conſpicitur, & hoc vitæ cibo ſine defectu mens intuentium ſatiatur: vident ſemper, & videre deſiderant; ſine anxietate deſiderant, & ſine faſtidio ſatiantur: ubi verus Sol juſtitiæ mira ſuæ pulchritudinis viſione omnes reficit, & ita univerſos cœleſtis patriæ cives illuminat; ut luceant ipſi, lumen, videlicet, illuminatum per * Deum, lumen illuminans ultra omnem Solis noſtri ſplendorem, atque cunctarum ſtellarum claritatem immortali adhærentes deitati, ac per hoc immortales * & incorruptibiles facti,

al. per divinum lumen

al. incorpo-ralem

A juxta promiſſionem Domini Salvatoris: *Pater, quos dediſti mihi, volo ut ubi ego ſum, & illi ſint mecum: ut videant claritatem meam, ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, & ipſi in nobis unum ſint.* Joh. 17. v. 24

VII.

REgnum cœlorum, regnum feliciſſimum, regnum carens morte, & vacans fine, cui nulla tempora ſuccedunt per ævum, ubi continuus ſine nocte dies neſcit habere tempus, ubi victor miles poſt laborem donis ineffabilibus cumulatur.

Nobile perpetuâ capus amplectente corona.

Utinam remiſsâ peccatorũ mole, me ultimum ſervorum Chriſti juberet divina pietas hanc carnis ſarcinam deponere, ut in ſuæ civitatis gaudia æterna repauſandus tranſirem, ſanctiſſimis ſupernorum choris intereſſem, cum beatiſſimis ſpiritibus gloriæ conditoris aſſiſterem, præſentem Dei vultum cernerem, nullo mortis metu tangerer, de perpetuæ immortalitatis incorruptione ſecurus gauderem, & ſcienti omnia conjunctus omnem ignorantiæ cæcitatem amitterem, terrena cuncta parvipenderem, convallem lacrymarum iſtam intueri vel reminiſci ulteriùs non dignarer; ubi vita laborioſa, vita corruptibilis, vita omni amaritudine plena, vita domina malorum, ancilla infernorum; quam humores tumidant, dolores extenuant, ardores exſiccant, ærа morbidant, eſcæ influant, jejunia macerant, joci ſolvunt, triſtitiæ conſumunt, ſolicitudo coarctat, ſecuritas hebetat, divitiæ jactant, paupertas dejicit, juventus extollit, ſenectus incurvat, infirmitas frangit, mœror deprimit, diabolus C inſidiatur, mundus adulatur, caro delectatur, anima excæcatur, totus homo conturbatur. * Et his tot & tantis malis mors furibunda ſuccedit, vaniſque gaudiis ita finem imponit, ut quum eſſe deſierint, nec fuiſſe putentur. al. ut

Sed quas laudes, quaſve gratiarum actiones tibi referre valeamus, Deus noſter, qui nos etiam inter has tantas mortalitatis noſtræ ærumnas non deſinis conſolari mirâ viſitatione gratiæ tuæ? Ecce me miſerum multis mœroribus plenum, dum vitæ meæ finem timeo, dum peccata mea conſidero, dum judicium tuum formido, dum mortis horam cogito, dum ſupplicia tartari horreo, dum opera mea qua diſtrictione & diſcuſſione à te penſentur ignoro; dum quo fine illa clauſurus ſim penitus neſcio, dumque hæc & alia multa mecum ſub corde retracto; D conſolaturus ades ſolita pietate, Domine Deus: & inter has querelas, nimioſque ploratus ac profunda cordis ſuſpiria, aſſumis mœſtam & anxiam mentem ſuper alta juga montium ad areolas uſque aromatum, & collocas me in loco paſcuæ ſecus rivulos dulcium aquarum, ubi præparas in conſpectu meo menſam multiplicis apparatus, quæ fatigatum ſpiritum repauſet, & cor triſte lætificet, quibus tandem refocillatus deliciis, & multarum miſeriarum mearum oblitus, levatus ſuper altitudinem terræ, in te vera pace quieſco.

Digitized by Google

MEDITATIO XV.

Hanc S. Anselmus scripsit ad sororem suam.

De præteritorum beneficiorum Christi memoria, de præsentium experientia, & expectatione futurorum.

QUæ ad dilectionem Dei excitant, nullum ut audiat tædere debet : legitur autem in Evangelio quod duæ sorores vehementi amore dilexerunt Dominum ; & licet utraque Deum proximumque dilexerit, specialiter tamen circa obsequium proximorum occupabatur Martha ; ex divino verò fonte dilectionis hauriebat Maria. Ad Dei verò dilectionem duo pertinent ; affectus mentis, & affectus operis. Et hoc opus, in virtutum exercitatione ; affectus verò mentis, in spiritualis augustus dulcedine. Exercitatio virtutum in certo vivendi modo, in jejuniis, in vigiliis, in opere, in lectione, in oratione, in silentio, in paupertate, & cæteris hujusmodi commendatur : affectus salutari meditatione nutritur. Itaque ut ille dulcissimus amor Jesu in tuo crescat affectu, triplici meditatione opus habes de præteritis, scilicet, præsentibus & futuris, id est, de præteritorum recordatione, de experientia præsentium, de consideratione futurorum. Cùm ergo mens tua fuerit absque cogitationum tumultu, virtutum exercitatione purgata ; jam oculos defæcatos ad posteriora retorque, ac primùm cum Beata Maria ingressa cubiculum libros, quibus Virginis partus & Christi prophetatur adventus, evolve. Ibi adventum Angeli præstolare, ut videas intrantem, audias salutantem ; ut sic repleta stupore & extasi dulcissimam Mariam dominam tuam cũ Angelo salutante salutes, clamans & dicens : *Ave Maria*, &c. Hoc crebriùs repetens, quæ sit hæc gratiæ plenitudo de qua totus mundus mutuavit gratiam, quodnam Verbum caro factum est contemplare ; & admirare Dominum, qui terram implet & cœlum, intra unius puellæ viscera claudi, quam Pater sanctificavit, Filius fœcundavit, Spiritus sanctus obumbravit. O dulcis domina, quantâ inebriebaris dulcedine, quo amoris igne succenderis, cùm sentires in mente & in ventre tante majestatis præsentiam ; cùm de tua carne sibi carnem assumeret, & membra in quibus corporaliter omnis plenitudo Divinitatis inhabitaret, de tuis sanctis membris aptaret ? Hæc omnia propter te, ó Virgo ; ut Virginem, quam imitari proposuisti, diligas ; & Virginis filium, cui nupsisti.

Jam nunc cum dulcissima domina tua in montana conscende ; sterilis & Virginis intuere complexum, & salutationis officium, in quo servulus Dominum, præco judicem, vox Verbum, intùs anilia viscera conclusus in Virginis utero clausum & agnovit, & indicibili gaudio salutavit. Beati ventres, in quibus totius mundi Salvator exoritur, pulsisque tristitiæ tenebris sempiterna lætitia prophetatur. Accurre, quæso, accurre, tantis gaudiis admiscere, prosternere ad pedes utriusque, & in unius ventre sponsum tuum amplectere, amicum verò ejus in alterius utero venerare. Hinc matrem cum omni devotione in Bethleem prosequere, & in hospitium divertens cum illa assiste, & obsequere parienti : locatoque in præsepio parvulo, erumpe in
Isai. 9. v. 7. vocem exultationis, clamans cum Isaia, *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis*, & amplectere illud dulce præsepium. Mitiget verecundiam amor, timorem depellat affectus, ut sanctissimis pedibus figas labia, & oscula genibus. Exinde pastorum excubias mente pertracta, Angelorum exercitum admirare, cœlesti melodiæ tuas interpone preces, simul corde & ore decantans : *Gloria in excelsis Deo.*

Luc. 2. v. 14. Noli in tua meditatione, Magorum munera præterire, nec fugientem in Ægyptum relinquere incomitatum. Inspiciat oculus devotionis parvulum Jesum dulces mammillas gloriosæ Virginis matris dulciter sugentem, & mammas maternas filiali more tractantem, matri arridentem. Quid visu jucundius ? Quid delectabilius ? Cerne illum, qui immensus est, parvulis brachiis ad materna colla pendentem, & dicas : fœlix sum, fœliciorque, dum illum video, quem Reges optaverunt videre, & non viderunt. Dignus est vitu, *qui speciosus est forma præ filiis hominum.*

Cogita, & recogita quo animo & qua cogitatione tenebatur illa dulcissima mater ejus, cùm illum Dominũ tantum ac tantillum in brachiis suis exultans ac læta teneret : cùm ei ut infantulo gestienti oscuiis frequentibus congauderet ; cùm eum lacrymantem super genua tua, quibus potuit modulis, consolaretur ; cùm denique aliis atque aliis suavibus, ad quæ ipsa materna pietas informabat eum, pro qualitatum vicissitudinibus sedula blandiretur. Opinare verum esse quod dicitur eum à latronibus deprehensum in via, & adolescentuli cujusdam beneficio ereptum. Erat is, ut dicunt, principis latronum filius, qui præda potitus cùm parvulum in matris gremio conspexisset, tanta in ejus speciosissimo vultu splendoris majestas apparuit, ut eum supra hominem esse non ambigens, incalescens amore amplexatus sit eum : &, ó, inquit, beatissime parvulorum, si aliud se tempus obtulerit mihi inferendi, tunc memento mei, & hujus temporis noli oblivisci. Ferunt hunc fuisse latronem, qui ad dexteram Dei crucifixus alterum blasphemantem corripuit dicens, *Neque tu* *Job. 23. v. 40.*
times Deum, &c. conversus verò ad Dominum, eum in illa quæ in parvulo apparuit intuens majestate pacti sui non immemor, *memento*, inquit, *mei dum veneris* *Ibid. v. 42.*
in regnum tuum. Itaque ad incentivum amoris hac non inutile arbitror uti opinione, remotâ omni affirmandi temeritate.

Præterea nihil ne suavitatis æstimes tibi accessurum, si eũ apud Nazareth puerum apud * pueros contemperis ? si obsequentem matri, si operanti nutritio assistentem intuearis ? Quid si duodennem cum parentibus Jerosolymam ascendentem, & illis redeuntibus & nescientibus in urbe manentem per triduum cum matre quæsieris ? O quantâ copiâ fluent lacrymæ cùm audieris matrem dulci quadam increpatione filium verberantem, *Fili quid fecisti nobis sic ?* *Luc. 2. v. 48*

Si autem sequi sponsum virginem quocunque ierit, delectet ; altiora ejus & secretiora scrutare, ut in Jordanis flumine audias in voce patrem, in carne filium, in columba videas Spiritum sanctum. Ibi ad spirituales nuptias invitata sponsum suscipis datum à Patre, purgationem à Filio, pignus amoris à Spiritu sancto. Exinde dilectissimus Jesus solitudinis tibi secreta dicavit, & sanctificavit tibi jejunium subeundum, docens cum callido hoste conflictum. Hæc ibi facta, pro te facta, & quonam modo facta sunt diligenter attendas. Dilige eum à quo facta sunt ; & imitare quæ facta sunt.

Occurat jam nunc memoriæ mulier illa in adulterio deprehensa ; & Jesus rogatus ad sententiam quid egerit, quidve dixerit, recordare. In terram oculos jecit, ne fortè accusatam respiciens nimis confunderet. Cùm enim scribens in terra, terrenos eos non cœlestes prodidisset, *qui sine peccato est vestrûm*, inquit, *primus in* *Joh. 8. v. 7.*
illam lapidem mittat. O mira & inextinguibilis Christi benignitas ! Quam condemnare justè potuit, adverte quàm piè & quàm cautè liberavit. Cùm enim omnes sententiâ trivisset & expulisset è templo ; imaginare

Digitized by Google

quàm pios oculos in illam levaverit, quàm dulci & suavi voce sententiam absolutionis ejus protulerit? Puta quòd suspiravit, quòd lacrymatus fuerit, cùm diceret: *Ibid.* *Nemo te condemnavit mulier*, &c. Fœlix ut ita dicam hæc adultera mulier, quæ de præteritis absolvitur, *Rom. 8. v. 34* *Joa. 8. v. 11.* secura efficitur de futuris. Jesu bone, te dicente, *nec ego te condemnabo*, quis condemnabit? *Deus est qui justificat, quis est qui condemnet?* Audiatur de cætero vox tua, *Vade, & jam amplius noli peccare.*

Jam nunc ingredere domum Pharisæi, recumbentè ibi Dominum tuum attende, accede cum beatissima peccatrice ad pedes ejus, lava lacrymis, terge capillis, demulce osculis, fove unguentis. Nonne jam sacro liquoris illius odore perfunderis? Si tibi adhuc suos negat pedes, insta, ora, & gravidos lacrymis oculos attolle; tuisque suspiriis, inenarrabilibusque gemitibus extorque quod petis. Luctare cum eo sicut Jacob, ut ipse se gaudeat superari. Videbitur tibi aliquando quòd avertat oculos, quòd aures claudat, quòd delideratos pedes abscondat. Tu nihilominus insta opportunè, importunè; clama: *Usquequò clamabo, & non exaudies?* Redde mihi, Jesu bone, lætitiam salutaris tui; quia tibi dixit cor meum, quæsivi faciem tuam, faciem tuam requiram. Certè non negabit pedes suos virgini, quos osculandos præbuit peccatrici.

Sed & domum illam non præteribis, ubi per tegulas paralyticus ante pedes ejus submittitur, ubi pietas *Matt. 9. v. 2.* & potestas obviaverunt tibi. *Fili*, inquit, *remittuntur tibi peccata tua.* O mira clementia! ô indicibilis misericordia! Accepit fœlix remissionem peccatorum suorum quam non petebat, quam non præcesserat confessio, nec meruerat satisfactio, non exigebat contritio. Corporis salutem petebat, non animæ; & salutem corporis & animæ recepit. Verè Domine, vita in voluntate tua; si decreveris salvare nos, nemo poterit prohibere. Si aliud decreveris, non est qui audeat dicere, cur ita facis? Pharisæe, quid murmuras? An oculus tuus nequam est, quia ipse bonus est? Certè misereatur cui voluerit: ploremus & oremus ut velit. Bonis etiam operibus pinguescat oratio, augeatur devotio, excitetur dilectio. Leventur puræ manus in oratione, quas non sanguis immunditiæ maculavit, tactus illicitus non fœdavit, avaritia non exasperavit; levetur & cor sine ira & disceptatione, quod tranquillitas sedavit, & pax composuit, puritas conscientiæ lavit. Sed nihil horum paralyticus iste legitur præmisisse, qui tamen legitur remissionem omnium peccatorum meruisse. Hæc est autem ineffabilis misericordiæ ejus virtus: cui sicut blasphemum est derogare; ita & hoc sibi præsumere, stultissimum. Potest cuicunque vult, hoc ipsum efficaciter dicere, quod dixit paralytico: *Dimittuntur tibi peccata tua.* Sed quicunque sine suo labore, vel contritione, vel confessione, vel etiam oratione, sibi hoc dicendum expectat; nunquam ei remittuntur peccata.

Sed exeundum est hinc, & ad Bethaniam veniendum, ubi sacratissima fœdera amicitiæ auctoritate Domini consecrantur. Diligebat enim Jesus Martham, Mariam, & Lazarum. Quod ob speciale amicitiæ privilegium, quo illi familiariori adhærebant affectu dictum nemo est qui ambigat. Testes sunt lacrymæ illæ dulces, quibus collacrymatus est lacrymantibus quas totus populus interpretabatur amoris indicium, *videte*, inquiens, *quomodo amabat eum.* *Joh. 11. v. 36* Et ecce *faciunt ei cœnam ibi, & Martha ministrabat: Lazarus autem unus erat ex discumbentibus. Maria sumpsit alabastrum unguenti*, &c. Gaude, quæso, huic interesse convivio. Singulorum distingue officia. Martha ministrabat, discumbebat Lazarus, ungit Maria. Hoc ultimum tuum est; frange ibi alabastrum cordis, & quicquid habes devotionis, quicquid amoris, quicquid desiderii, quicquid affectionis, totum effunde super caput sponsi tui adorans in homine Deum, & hominem in Deo. Si fremit, si murmurat, si invidet proditor, si perditionem vocat devotionem; non sit tibi curæ, *ut quid* ait, *perditio hæc? Marc. 14. v. 4* *poterat hoc unguentum venundari multo*, &c. Pharisæus murmurat invidens pœnitenti, murmurat Judas invidens effusioni unguenti. Sed Judex accusationem non recipit, accusatam absolvit. *Surite*, inquit, *illam; bonum enim opus*, &c. Laboret Martha, ministret, paret hospitium peregrino, esurienti cibum, sitienti potum, vestem algenti. Ego solus Mariæ, & illa mihi. Totum præstat quod habet; à me quicquid optat, expectet. Quid enim? Tu-ne Mariæ consulis relinquendo pedes, quos dulciter osculatur; avertendos oculos ab illa speciosissima facie, quam contemplatur; amovendum auditum ab ejus suavi sermone, quo reficitur?

Sed jam surgentes eamus hinc. Quò? inquis. Certè ut intidentem asello cœli terræque Dominum comiteris; tantaque fieri pro te obstupescens, parvorum laudibus tuas inseras, clamans & dicens; *Osanna filio David*, &c.

Jam nunc ascende cum eo in cœnaculũ grande stratum, & salutaris cœnæ interesse deliciis gratulare. Vincat verecundiam amor, timorem excludat affectus; ut saltem de micis mensæ illius eleemosynam præbeat mendicanti. Vel à longe sta, & quasi pauper attendens in divitem, ut aliquid accipias extende manum, famem lacrymis prode. Cùm autem surgens à cœna linteo se præcinxerit, miseritque aquam in pelvim, cogita quæ majestas, quæ potestas hominum pedes abluit, & extergit; quæ benignitas proditoris vestigia sacris manibus tangit. Specta, & expecta, & ultimò omnium tuos ei præbe pedes abluendos; quia quem ipse non laverit, non habebit partem cum eo. Quid modò festinas exire? Sustine paululùm. Videsne quisnam ille est, rogo te, qui super pectus ejus recubuit, & in sinum ejus caput reclinat? Fœlix, quicunque est ille. O certè ecce jam video! Johannes est nomen ejus. O Johannes, quid tibi dulcedinis, quid gratiæ & suavitatis, quid luminis & devotionis hauriebas ab illo fonte? Ibi certè omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi sunt. Ibi fons misericordiæ, ibi domicilium pietatis, ibi favus æternæ suavitatis. Unde tibi, ô Johannes, omnia ista? Nunquid tu sublimior Petro, Andrea sanctior, aut certè omnibus Apostolis gratiosior? Speciale hoc virginitatis privilegium, quia virgo es electus à Domino, atque inter cæteros magis dilectus. Jam nunc exulta, virgo, accede propiùs, & aliquam hujus dulcedinis portionem vendicare non differas: si potiora non potes, dimitte Johanni pectus, ubi se cum vino lætitiæ in Divinitatis cogitatione inebriat; tu currens ad humanitatis ubera lac exprime, quo nutriaris. Inter hæc, cùm sanctissima illa oratione discipulos commendans Patri dixerit, *Pater serva eos* *Joh. 17. v. 11.* *in nomine tuo*, inclina caput tuum, ut merearis audire, *volo ut ibi ego sum, & illi sint mecum.*

Bonum est tibi hîc esse; sed exeundum est. Præcedet ipse ad montem Oliveti, tu eum sequere. Et licet assumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi ad secreta secesserit; vel à longè intuere quomodo in se nostram transtulerit necessitatem. Vide quomodo ille cujus sunt omnia, pavere cœpit & tædere. *Tristis* *Mat. 26 v. 38* *est*, inquiens, *anima mea*, &c. Unde hoc, Deus meus? Ita compateris mihi exhibens hominem, ut quodammodo videaris nescire quòd Deus es. Prostratus in faciem oras, *& factus est sudor*, &c. Quid stas? *Luc. 22. v. 44* accurre, & suavissimas illas guttas lambe, & pulverem pedum illius linge. Noli dormire cum Petro, ne merearis audire: *Sic non potuistis una hora vigilare* *Ibid. v. 40.* *mecum?*

Digitized by Google

Sed ecce jam proditorem præeuntem impiorum turba A
Prosequitur; & osculo præbente Juda manus injiciunt
in Jesum, Dominum suum tenent ligatum, & illas dul-
ces manus vinculis stringunt. Quis ferat? Scio, occu-
pat nunc cor tuum pietas, omnia viscera tua zelus in-
flammat. Sine, rogo, patiatur, qui pro te patitur.
Quid optas gladium? quid irascéris? quid indignaris?
Si instar Petri cujuslibet aurem abscideris, si ferro
brachium tuleris, si pedem truncaveris, ipse restituet
omnia. Qui etiam si quem occideris, absque dubio
suscitabit. Sequere potius eum usque ad atrium princi-
pis Sacerdotum; & speciosissimam faciem ejus quam
sputis illinunt, tu lacrymis lava. Intuere quàm piis ocu-
lis, quàm misericorditer, quàm efficaciter tertiò ne-
gantem respexerit Petrum, quando ille conversus & in
se reversus flevit amarè. Utinam, bone Jesu, tuus me B
dulcis oculus respiciat, qui te toties ad vocem ancillæ
procacis, carnis, scilicet, meæ, pessimis operibus affe-
ctibusque negavi. Sed jam, mane facto, traditur Pi-
Matt. 8. v. 31 lato; ibi accusatur, & tacet, quoniam *tanquam ovis*
ad occisionem ductus est. Vide, attende quomodo stat
ante præsidem inclinato capite, demissis oculis, vultu
placido, sermone raro, paratus ad opprobria, promp-
tus ad verbera. Scio, non poteris ulteriòs sustinere,
nec dulcissimum dorsum ejus flagellis atteri, nec fa-
ciem alapis cædi, nec tenerum illud caput spinis coro-
nari; nec dexteram, quæ cœlum regit & terram, arun-
dine dehonestari, tuis oculis aspicere poteris. Ecce
educitur, flagellatur portans spineam coronam & pur-
pureũ vestimentum: & Pilatus dicit, *Ecce homo.* Ve-
rè homo est: quis dubitet? Testes sunt plagæ virgarum, C
livor vulnerum, fœditas sputorum. Jam nunc cognos-
ce, Zabule, homo est. Verè homo est iste, inquis. Sed
quid est iste, inquis. Sed quid est, quod in tot injuriis
non irascitur ut homo, non movetur ut homo, non suis
indignatur tortoribus ut homo? Ergo plus est, quàm
homo. Sed quis cognoscit illum? Cognoscitur certè
homo impiorum terræ judicia sustinens; sed cognosce-
tur Deus judicia faciens. Serò animadvertisti, Zabule.
Quid tibi per mulierem agere visum est, ut dimittatur?
Tardè locutus es. Sedet pro tribunali judex, prolata est
sententia. Jam propriam portans crucem ducitur ad
Isa. 9. v. 6. mortem. O spectaculum! Videsne? *Ecce principatus*
ejus super humerum ejus. Hæc est virga æquitatis, virga D
regni sui. Datur ei vinum felle mixtum, exuitur vesti-
mentis, & inter milites dividuntur. Tunica non scin-
ditur, sed sorte transit ad unum. Dulces manus ejus &
pedes clavis perforantur; & extensus in cruce inter la-
trones suspenditur. Mediator Dei & hominum, inter
cœlum & terram medius pendens, ima superis unit,
Forte miratur cœlestibus terrena conjungit. Stupet cœlum, *terra mi-
seratur. Quid tu? Non mirum si Sole contristato, tu
contristaris: si terra contremiscente, tu contremiscis:
si scissis saxis, cor tuum scinditur: si flentibus juxta
crucem mulieribus, tu conclamaris. Inde in omnibus
iis considera illud dulcissimum pectus quam tranquilli-
tatem servaverit pietatis. Non suam attendit injuriam,
non pœnam reputat, non sentit contumelias. Sed ipsis E
potius à quibus patitur, ille compatitur; à quibus vul-
neratur, ille medetur; ille vitam procurat, à quibus oc-
ciditur. Cum qua mentis dulcedine, cum qua spiritus
Luc. 23. v. 34. devotione, cum qua charitatis plenitude clamat: *Pa-
ter ignosce illis?* Ecce ego, Domine, tuæ majestatis
adorator, non tui corporis interfector; tuæ mortis ve-
nerator, non tuæ passionis derisor; tuæ misericordiæ
contemplator, non infirmitatis contemptor. Interpel-
let itaque pro me tua dulcis humanitas, commendet
me Patri tuo tua ineffabilis pietas. Dic igitur, dulcis
Domine: *Pater agnosce illi.*

At tu, virgo, cui major est apud Virginis filiũ confi-
dentia, quàm mulieribus quæ longè stant; cum matre
Virgine & discipulo virgine accede ad crucem, & per-
fusum pallore vultum cominus intuere. Quid ergo?
Tu sine lacrymis, amantissima, dominæ tuæ lacrymas
videbis? Tu siccis manes oculis, & ejus animam per-
transit gladius doloris? Tu sine singultu audies dicen-
tem matri, *Mulier ecce filius tuus*; & Johanni, *Ecce ma-* Joh. 19. v. 26.
ter tua? Similiter cùm discipulo matrem committeret,
latroni paradisum promitteret; tunc unus ex militibus
lanceâ latus ejus perforavit. Festina, ne tardave-
ris, comede favum tuum cum melle tuo. Bibe vinum
tuũ cum lacte tuo. Sanguis tibi in vinum convertitur,
ut inebrieris. In lac aqua mutatur, ut nutriaris. Facta
sunt tibi in petra flumina, in membris ejus vulnera, &
in corporis ejus macerie, caverna. In quibus instar
columbæ lacitans & deosculans singula, ex sanguine
ejus fiant sicut vitta coccina labia tua, & eloquium
tuum dulce. B

Sed adhuc expecta, donec nobilis ille decurio veniens
extractis clavis manus pedesque dissolvat. Vide quo-
modo fœliciſſimis brachiis corpus amplectitur, ac suo
astringit pectori. Tunc potuit vir ille sanctissimus di-
cere, *fasciculus myrrhæ dilectus meus*, &c. Sequere tu
pretiosissimum cœli terræque thesaurum, & vel porta
pedes, vel manus, brachiaque sustenta. Vel certè de-
fluentes minutatim pretiosissimi sanguinis guttas curio-
siùs collige, & pulverem pedum ejus linge. Cerne
præterea quàm dulciter, quàm diligenter beatissimus
Nicodemus sanctissima ejus membra tractat digitis,
fovet unguentis, & cum S. Joseph involutum sin-
done collocat in sepulchro.

Noli præterea Mariæ Magdalenæ deferere comita-
tum, sed paratis aromatibus cum ea dominicum sepul-
chrum visitare memento. O sicut illa oculis, tu in spi-
ritu cernere merearis nunc super lapidem revolutum ab
ostio monumenti Angelum residentem; nunc intra
monumentum unum ad caput, unum ad pedes resurre-
ctionis gloriam prædicantes; nunc ipsum Christum
Mariam flentem & tristem tam dulci reficientem ocu-
lo, tam suavi voce dicentem, *Maria.* Rumpuntur ad
hanc vocem omnes capitis cataractæ, ab ipsis medullis
eliciuntur lacrymæ, singultus & suspiria ab imis tra-
huntur visceribus. *Maria.* O beata, quid tibi mentis Joh. 20. v. 16
fuit, quid animi, cùm ad hanc vocem te prosternens, & 17.
& reddens vicem salutanti, clamares, *Rabboni?* Quo,
rogo, affectu, quo desiderio, mentisque ardore cla-
masti, *Rabboni!* Nunc plura dicere lacrymæ prohibent,
cùm vocem excludit affectus, omnesque animæ corpo-
risque sensus nimius amor absorbeat. Sed, ô dulcis Je-
su, cur à sacratis ac desideratissimis pedibus tuis sic ar-
ces amantem? *Noli*, inquis, *me tangere.* Ut quid,
Domine? Quare non tangam illa desiderata vestigia tua
pro me perforata clavis, perfusa sanguine, non tan-
gam, nec deosculabor? An inimicitior solito, quia
glorioſior? Ecce non dimittã te, nec recedam à te, non
parcã lacrymis, pectus singultibus suspiriisque rumpe-
tur, nisi tangã. Et ille inquit: *Noli timere.* Non aufe-
retur tibi hoc bonũ, si differtur: vade tamen, & nun-
tia fratribus meis quia surrexi. Cucurrit cito, citò vo-
lens redire. Redit; sed cum aliis mulieribus, quibus
ipse Jesus occurrens blandâ salutatione dejectas erigit,
tristes consolatur. Adverte: tunc est datum quod fuit
ante dilatum. Accesserunt enim, & tenuerunt pedes
ejus. Hîc quandiu potes, virgo, morare. Non has de-
licias tuus somnus interpellet, nullius exterior tumultus
impediat. Verùm quia in hac vita misera nihil stabile,
nihil æternum est; nec unquam eodem statu permanet
homo: necesse est ut anima nostra, dum vivimus, qua-
dam varietate pascatur. Unde à præteritorum recorda-
tione, ad experientiam præsentium transeamus; ut ex
his quoque, quantùm à nobis diligendus sit Deus,
intelligamus.

MEDITATIO

MEDITATIO XVI.

De præsentibus beneficiis Dei.

Secunda Pars.

NOn parvùm æstimo beneficium ; quò Deus bene utens malo parentum nostrorum creavit nos de carne illorum, & inspiravit in nobis spiraculum vitæ discernens nos ab illis, qui vel arbortivi projecti sunt ab utero, vel qui inter materna viscera suffocati pœnæ videntur concepti non vitæ. Quòd etiam integra nobis & sana membra creavit ; ne essemus nostris dolori, alienis opprobrio. Magnum est hoc certè. Sed quomodo illud quantæve bonitatis æstimabimus, quòd eo tempore & inter talès nasci voluit, per quos ad fidem suam & sacramenta pervenimus ? Videmus innumerabilibus hominibus hoc negatum, quod nobis gratulamur esse concessum, cum quibus una est & nobis conditio. Illi derelicti sunt per justitiam, nos vocati sumus per gratiam. Procedamus intuentes munus ejus fuisse quòd educati à parentibus fuimus Christiani. Quod nos flamma non læsit quòd aqua non absorbuit, quòd non vorati à dæmone, quòd non percussi à bestiis, quòd præcipitio non necati, quòd usque ad congruam ætatem in ejus fide & bona voluntate nutriti. Huc usque ea percurrimus, soror, quibus fuit nobis una conditio, quos idem pater genuit, ac idem venter complexus est, eadem viscera profuderunt.

Jam nunc, soror, in me adverte quanta fecerit Deus animæ tuæ. Divisit enim inter me & te, quasi inter lucem & tenebras, tibi te servans, me mihi relinquens. Deus meus, quò abii ? quò fugi ? quo evasi ? Ejectus à facie tua sicut Cain, habitavi in terra vagus & profugus, & quicunque invenerit me, occidet me. Quid enim ageret miserabilis creatura, à suo derelicta creatore ? Quò iret, quove lateret ovis erronea suo destituta pastore ? O soror, fera pessima devoravit fratrem tuum. In me ergo cerne, quantùm ibi contulerit qui te à tali bestia conservavit illæsam. Quam miser ego sum, qui meam pudicitiam perdidi ; tam beata tu, cujus virginitatem misericordia divina protexit. Quoties tentata, quoties impetita tua tibi castitas est servata, cùm ego libens in turpia quæque progrediens, coacervavi mihi materiam ignis quo comburerer, materiam fœtoris quo necarer, materiam vermium à quibus corroderer ? Recole si placet illas fœditates meas pro quibus plangebas, & corripiebas sæpe, puella parvulum, fœmina masculum. Sed non fallit Scriptura quæ ait, *Nemo potest corrigere, quem Deus despexerit.* O quàm diligendus est à te, qui cùm me repellerem, te attraxit ; & cùm æqua conditio foret utriusque tamen me despexerit, te dilexerit. Recole nunc, ut dixi, corruptiones meas, cùm exaltaretur nebula libidinis ex luxuriosa concupiscentia carnis, & non esset qui eriperet & salvum faceret. Verba enim iniquorum prævaluerunt super me, qui in suavi poculo amoris propinabant mihi venenum luxuriæ. Convenientes in unum affectionis suavitas & cupiditatis impuritas, rapiebant imbecillem adhuc ætatem meâ per abrupta vitiorum, atque mergebant gurgite flagitiorum. Venerunt super me ira & indignatio tua, Deus, & ego nesciebam. Ibam longiùs à te ; & sinebas. Jactabar, & effundebar, & defluebar per immunditias meas ; & tacebas. Eia, soror, diligenter attende omnia ista turpia & nefanda, in quæ me præcipitavit meum arbitrium ; & scito quòd in hæc corruisses, si te Christi misericordia non servasset. Non hæc dico quali nihil mihi contulerit bonè, dùm exceptis iis quæ superiùs diximus utrisque collata, mirâ patientiâ meas sustinuerit iniquitates. Cui debeo quòd terra non me absorbuit, nec fulminavit cœlum, nec flumina submerserunt ? Quomodo enim sustineret creatura tantam injuriam creatoris sui, si non impetum ejus cohiberet ille ipse qui condidit, qui non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat ? At illud quantæ fuit gratiæ, quòd fugientem persecutus est, mœrenti blandiebatur, quòd erexit in spem totius desperatum, quòd suis obruit beneficiis ingratum, quòd gustu interioris dulcedinis, immundis afflictum delectationibus attraxit & illexit, quòd indissolubilia malæ consuetudinis vincula dissolvit, & abstractum sæculo benignè suscepit ? Taceo multa, & magnæ misericordiæ suæ circa me opera ; ne aliquid gloriæ suæ, quæ tota illius est, ad me videatur transire. Ita etiam secundùm hominum æstimationem sibi cohæret gratia dantis & fœlicitas recipientis ; ut non solùm laudetur, quia solus laudandus esset ille qui dedit, sed etiam ille qui recipit. Quis enim habet aliquid quod non receperit ? Si autem gratis accepit, quare laudatur velut promeruerit ? Tibi igitur laus, Deus meus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, mihi autem confusio faciei meæ, qui tot mala feci, & tot bona recepi. Quid igitur (inquis) me minus accepisti ? O soror, quia fœlicior est ille, cujus navem plenam mercibus & onustam divitiis flatus ventorum integram revexit ad portum, quàm qui passus naufragium nudus evasit mortem. Tu ergo in his, quas tibi divina gratia conservavit, exultas divitiis ; mihi maximus labor incumbit ut fracta redintegrem, amissa recuperem, scissa resarciam. Verumtamen & me volo ut æmuleris, valdeque putes erubescendum, si post tot flagitia in mea vita tibi inventus fuero æqualis ; cum sæpe virginitatis gloriam intervenientia quædam vitia minuant, & veteris conservationis opprobrium morum imitatio & succedentes vitiis virtutes oblitterent. Sed jam illa, in quibus tibi sola conscia es divinæ bonitatis, inspice nunc munera, quàm jucunda facie abrenuncianti sæculo Christus occurrerit, quibus esurientem deliciis pavit, quas miserationum suarum divitias ostendit ; quos inspiravit affectus, quo te charitatis poculo ebriavit. Nam si fugitivum servum & rebellem solâ suâ miseratione revocatum spiritualium consolationum non reliquit inexpertum ; quid dulcedinis crediderim eum virgini contulisse ? Si tentabaris, ille sustentabat ; si fluctuabas, ille solidabat. Quoties præ timore arescenti pius consolator astabat ? Quoties æstuanti præ amore, ipse se tuis visceribus infundebat ? Quoties psallentem vel legentem spiritualium sensuum lumine illustrabat ? Quoties orantem ineffabile desiderium suum rapiebat ? Quoties mentem tuam à terrenis subtractam, ad cœlestes delicias & paradisi amœnitates transportabat ? Hæc omnia revolve animo, ut in eâ totus tuus totus revolvatur affectus. Vilescat tibi mundus, omnis amor carnalis fordeat, nescias te esse in mundo hoc ; quoniam ad illos qui in cœlo sunt & Deo vivunt, tuum transtulisti propositum. Ubi est thesaurus tuus, ibi sit & cor tuum. Noli cum argenteis simulachris vili marsupio tuo tuto includere animum ; quia nunquam cum nummorum pondere poteris transvolare ad cœlum. Puta te quotidie moriturum, & de crastino non cogitabis. Non te

futuri temporis sterilitas terreat, non futuræ famis timor mentem tuam dejiciat; sed ex ipso tota fiducia tua pendeat qui aves pascit, lilia vestit. Ipse sit horreum tuum ipse, apotheca, ipse marsupium tuum, ipse divitiæ, ipsæ deliciæ tuæ, solus tibi sit omnia in omnibus. Hæc interim de præsentibus satis sint.

MEDITATIO XVII.

De futuris beneficiis Dei.

Pars Tertia.

QUi autem præstat suis tanta in præsenti, quanta illis servat in futuro? Principium futurorum, & finis præsentium, mors est. Hanc cujus natura non abhorret? cujus non expavescit affectus? Nam bestiæ fugâ, latibulis, & aliis mille modis mortem cavent, vitam tuentur. Jam nunc diligenter attende quid tua tibi respondeat conscientia, quid præsumat fides, quid spes promittat, quid expetat affectus. Si vita tua tibi oneri est, si mundus fastidio, si caro dolori; profectò desiderio mors est tibi, quæ jugum hujus oneris deponit, tollit fastidium, corporis dolore adsumit. Hoc unum dico omnibus hujus mundi præstare deliciis, honoribus, atque divitiis; si ob conscientiæ serenitatem, fidei firmitatem, spei certitudinem, mortem non timeas. Quod illic poterit maximè experiri, qui aliquo tempore sub hac servitute suspirans, in liberiores conscientiæ auras evasit. Hæc sunt futuræ beatitudinis tuæ primitiæ salutares, ut morte supervenientè naturalem horrorem fides superet, spes temperet, conscientia pura repellat: & inde quodammodo mors est principium quietis, laborum meta, peremptoria vitiorum. Sic enim scriptum est: *Apoc. 14. v. 13. Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Unde Prophetæ reproborum mortem ab electorum morte discernens, *Isa. 14. v. 19.* *omnes* (inquit) *Reges dormierunt in gloria, unusquisque in domo sua: tu autem projectus es de sepulchro tuo, quasi stirps inutilis, pollutus & obvolutus.* Dormierunt quippe in gloria, quorum mortem commendat bona conscientia, quia pretiosa est in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Dormierunt sanè in gloria, quorum dormitioni assistunt Angeli, occurrunt sancti, concivi suo præbentes auxilium, & impartientes solatium: hostibus se opponunt, obsistentes repellunt, refellunt accusantes, & sic usque ad sinum Abrahæ sanctam animam comitantes in loco pacis collocant & quietis. Non sic impii, non sic; quos de corpore quasi de fœtenti sepulchro pessimi spiritus cum instrumentis infernalibus extrahentes, pollutos libidine, obvolutos cupiditate injiciunt ignibus exurendos, avibus lacerandos, æternis fœtoribus deputât suffocandos. *Thes. 10. v. 18.* *Verè expectatio justorum lætitia; spes autem impiorum peribit.* Sanè qualis sit illa requies, quæ pax illa, quæ jucunditas in sinu Abrahæ, quæ illis quiescentibus promittitur, & expectatur lætitia, quia experientia non docuit, stylus explicare non poterit. Expectant fœlices donec impleatur numerus fratrum suorum, ut in die resurrectionis duplici stola, scilicet, corporis & animæ perpetua fœlicitate fruantur.

Jam nunc intuere illius diei terrorem, quando cœlorum virtutes movebuntur, elementa ignis calore solventur, patebunt inferi, occulta omnia nudabuntur; veniet desuper iratus Judex, ardens furor ejus, & ut tempestas cursus ejus; ut reddat in ira vindictam & vastitatem in flamma ignis. Beatus est qui paratus est occurrere illi. Quid tunc miseris animabus erit? Quàm tunc miseri erunt, quos nunc luxuria fœdat, avaritia dissipat, extollit superbia. Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum, istos à dextris, illos à sinistris statuentes.

Cogita te nunc ante tribunal Christi inter utramque hanc societatem assistere, & nec dum in alteram partem separatam. Deflecte oculos nunc ad sinistram Judicis, & miseram illam multitudinem contemplare. Qualis ibi horror, quis pudor, quis fœtor, quis timor, quis dolor? Stant miseri & infœlices, stridentes dentibus, nudo latere palpitantes, aspectu horribiles, vultu deformes, dejecti præ pudore, præ corporis turpitudine & nuditate confusi. Latere volunt, & non datur: fugere tentant, nec permittitur. Si oculos levant desuper, Judicis imminet furor: si deponunt, infernalis putei eis ingeritur horror. Non suppetit criminum excusatio, nec de iniquo judicio erga Deum aliqua poterit esse causatio: cùm quicquid decretum fuerit, justum esse ipsam eorum conscientiam non latebit. Cerne nunc quam amandus tibi sit, qui te ab hac damnata societate prædestinando discrevit, vocando separavit, justificando purificavit.

Retorque nunc ad dexteram oculos, & quibus te glorificando sit inferturus adverte. Quis ibi decor, quis honor & quæ fœlicitas, & quæ securitas? Alii judiciariâ sede sublimes, alii coronâ martyrii splendentes, alii flore virginitatis candidi, alii eleemosynarum largitione fœcundi, alii doctrinâ & eruditione præclari, in unum charitatis fœdus copulantur. Lucet eis vultus Jesu, non terribilis, sed amabilis; non amarus, sed dulcis; non terrens, sed blandiens.

Sta nunc quasi in medio nesciens quibus te Judicis sententia deputabit. O dura expectatio! *Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ.* Si me sinistris sociaverit, non causabor injustum: si dextris adscripserit, gratiæ ejus hoc non meis meritis est imputandum. Verè, Domine, vita in voluntate tua. Vides ergo quantùm in ejus amore tuus extendi debeat animus, qui cùm injustis posset in te prolatam retorquere sententiam, justis te maluit ad salvandum inserere. Jam te puta sanctæ illi societati conjunctam vocis illius audire decretum: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Inde miseris audientibus verbum Domini plenum iræ & furoris: *Discedite à me maledicti in ignem æternum. Tunc ibunt ii*, inquit, *in supplicium æternum; justi autem in vitam æternam.* O dura separatio! ô miserabilis conditio! Sublatis enim impiis ne videant gloriam Dei; de justis verò singulis secundùm gradum suum & meritum Angelicis ordinibus insertis, fiet illa gloriosa processio, Christo præcedente capite nostro, omnibusque suis membris sequentibus; & tradetur regnum Deo patri, ut ipse regnet in eis, & ipsi in eo; regnum illud percipientes, quod paratum est illis ab origine mundi; cujus regni status ne cogitari quidem à nobis potest, multò minùs dici vel scribi. Hoc scio quòd nihil omnino aberit quod velis adesse. *Ps. 54. v. 6.* *Matt. 25. v. 34.* *Ibid.*

Nullus igitur ibi luctus, nullus fletus, nullus dolor, nullus timor. Non tristitia, non discordia, non invidia, non tribulatio, non tentatio, non aëris mutatio vel corruptio, non suspicio, non ambitio, non adulatio, non detractio, non ægritudo, non senectus, non mors, non paupertas, non nox, non tenebræ, non edendi vel bibendi vel dormiendi ulla necessitas, fatigatio nulla. Quid ergo ibi boni est? Ubi neque luctus,

Digitized by Google

neque fletus, neque dolor, nec triſtitia; quid poteſt A eſſe niſi perfecta lætitia? Ubi nulla tentatio, vel tribulatio, nulla temporum mutatio, vel corruptio aëris, æſtus vehementior, nec hyems aſperior; quid poteſt eſſe niſi ſumma quædam rerum temperies, & mentis & carnis vera & ſumma tranquillitas? Ubi nihil eſt quod timeas; quid poteſt eſſe niſi ſumma ſecuritas? Ubi nulla diſcordia, nulla invidia; quid poteſt eſſe niſi ſumma & vera dilectio? Ubi nulla deformitas; quid poteſt eſſe niſi ſumma & vera pulchritudo? Ubi nulla paupertas; quid poteſt eſſe niſi omnis plenitudo? Ubi nullus labor vel defectio; quid erit niſi ſumma requies & fortitudo? Ubi nihil eſt quod gravet vel oneret; quid erit niſi ſumma fœlicitas? Ubi nec ſenectus expectatur, nec morbus timetur; quid poteſt eſſe niſi vera ſanitas? Ubi nec nox, nec tenebræ; quid eſt niſi lux perfecta? Ubi mors & mortalitas omnis abſorpta; quid eſt niſi vita æterna?

Quid eſt ultra quod quæramus? Certè, quod iis B omnibus excellentius eſt, ſcilicet, viſio, cognitio, & dilectio creatoris. Videbitur in ſe, videbitur in omnibus creaturis ſuis, regens omnia ſine ſollicitudine, ſuſtentans omnia ſine labore, impertiens quodammodo ſe ſingulis pro ſua capacitate, ſine diminutione vel diviſione. Videbitur ille vultus amabilis & deſiderabilis, in quem Angeli deſiderant proſpicere: de cujus plenitudine, de cujus lumine, de cujus ſuavitate quis dicet? Videbitur Pater in Filio, & Filius in Patre, Spiritus ſanctus in utroque. Videbitur enim ſicuti eſt, impleta ejus promiſſione qua dicit: *qui diligit me, diligitur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.* Joh. 14. v. 21. Ex hac viſione illa procedit cognitio, de qua ipſe ait: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum.* Joh. 17. v. 3. Ex his tanta naſcetur dilectio, tantus ardor pii amoris, tanta dulcedo charitatis, tanta fruendi copia, tanta deſiderii vehementia; ut nec ſatietas deſiderium, nec deſiderium ſatietatem impediat. Quid eſt hoc? Certè quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit quæ præparavit Deus diligentibus ſe.

Hæc tibi, ſoror, de præteritorum beneficiorum Chriſti memoria, de præſentium experientia; de expectatione futurorum, quædam meditationum ſpiritualium ſemina proſeminare curavi, ex quibus divini amoris fructibus uberior oriatur & creſcat: ut meditatio affectum excitet, affectus deſiderium pariat, lacrymas deſiderium extorqueat: ut tibi ſint lacrymæ tuæ panes die ac nocte, donec appareas in conſpectu ejus, & ſuſcipiaris ab amplexibus ejus, dicaſque illud quod in Canticis ſcriptum eſt: *Dilectus meus mihi, & ego illi inter ubera mea commorabitur.* Cant. 1. v. 13. Quod ipſe tibi præſtare dignetur, qui vivit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

MEDITATIO XVIII.

Gratiarum actiones pro beneficiis divinæ miſericordiæ; & petitio divini adjutorii.

Spes mea Chriſte Deus, hominum tu dulcis amator, C
Lux mea, vita, ſalus, pax, & decus omne tuorum,
Omnia pro quorum voluiſti ferre ſalute,
Carnem, vincla, crucem, vulnus, mortemque, ſepulchrum.
Poſt tres inde dies devictâ morte reſurgens,
Diſcipulis viſus, mutantia corda reformans,
Inde quater dena cœlorum ſumma petiſti,
Vivis in æternum, nunc & per ſæcula regnas.

TU es Deus meus vivus, Chriſtus meus ſanctus, Dominus meus pius, Rex meus magnus, Paſtor meus bonus, magiſter meus verax, adjutor meus opportunus, dilectus meus pulcherrimus, panis meus vivus, Sacerdos meus in æternum, dux meus ad pa- D triam, lux mea verax, dulcedo mea ſancta, vita mea recta, ſapientia mea præclara, ſimplicitas mea pura, concordia mea pacifica, cuſtodia mea tuta, portio mea bona, ſalus mea ſempiterna, miſericordia mea magna, patientia mea robuſtiſſima, victima mea immaculata, redemptio mea ſancta, ſpes mea firma, charitas mea perfecta, reſurrectio mea ſancta, vita mea æterna, exultatio & vita mea beatiſſima ſine fine manſura. Te deprecor, ſupplico, & oro, ut perficias in me opus cœptum miſericordiæ tuæ; ego enim ultimus ſervorum tuorum, non immemor beneficiorum miſerationis tuæ, quæ mihi peccatori collata ſunt, gratias tibi ago, quia me indignum pro tua ſola clementia ex Chriſtianis parentibus naſci feciſti, & per aquam ſancti baptiſmatis & renovatio- E nem ſancti Spiritus ab originalibus vinculis expediſti, & in tuos adoptionis filios aggregaſti; quoniam mihi rectam fidem donaſti, eamque in corde meo ſemper augere, & confirmare dignatus es per illuminationem gratiæ tuæ, & per documenta ſanctæ Matris Eccleſiæ: obſecroque te, Domine, & ſuppliciter rogo, adauge ſemper in me hanc fidem, fidem veram, & fidem ſanctam, Catholicam & orthodoxam, fidem prudentiſſimam & invictiſſimam, bonis omnibus cunctiſque virtutibus adornatam, quæ per dilectionem operetur in me quod tibi placet; quæ nequeat vinci inter verba altercationis in tempore perſecutionis, vel in die neceſſitatis & mortis. Cunctarum fons & origo, largitor & conſervator virtutum, Deus, auge, quæſo, in me fidem rectam, ſpem inconcuſſam, charitatem perfectam, humilitatem profundam, patientiam invictiſſimam, corporis & animæ caſtitatem perpetuam. Da mihi prudentiam, juſtitiam, fortitudinem, & temperantiam, diſcretionem in omnibus, & ſenſum pervigilem, ut poſſim inter bona & mala, inter dextram & ſiniſtram prudenter diſcernere. Fac me ergo divitem ſacrarum virtutum tuarum, ex quibus tibi ſerviam, per quas tibi in veritate placeam; amator enim factus ſum pulchritudinis earum per gratiam tuam. Da mihi eas propter honorem, & gloriam nominis tui; conjunge illas fidei meæ, ut ſint ei individuæ comites per omne tempus vitæ meæ; unde, rogo, fac me per gratiam tuam ſemper & in fide ſtabilem, & in omni opere efficacem: ut fidem tuam, quam lingua mea loquitur, & manu mea ſcripta teſtantur, probabilis vita bonis moribus fateatur.

Gratias tibi ago, Domine, quia me vas vacuum, & inutilem idiotam repleſti ſcientia, intelligentia; & dediſti ſemper humilem ſcientiam, quæ ædificet. Da mihi & mitiſſimam & ſapientem eloquentiam, quæ neſciat inflari, & de tuis bonis ſuper fratres extolli. Pone, quæſo, in ore meo verbum conſolationis & ædificationis & exhortationis per Spiritum ſanctum tuum, ut & bonos valeam ad meliora exhortari; & eos, qui adverſè gradiuntur, ad tuæ rectitudinis lineam revocare verbo & exemplo. Sint verba, quæ dederis ſervo tuo tanquam acutiſſima jacula, & ardentes ſagittæ, quæ penetrent & incendant mentes audientium ad timorem & amorem tuum. Tu paſtor & rector omnium, Chriſte Deus, qui nullus meis meritis, ſed ſola dignatione miſericordiæ tuæ, vocaſti parvitatem

meam ad hoc paſtorale officium ; propter te & nomen tuum fac me idoneum ad hoc miniſterium, & ſapienter domum tuam regam, & in omnibus ſecundùm voluntatem tuam gregem tuum paſcere valeam. Tribue pro pietate & bonitate tua, ut efficiar in domo tua lucerna ardens & lucens ; concede propter honorem & gloriam nominis tui, ut cum multo bono fructu fraternæ ſocietatis, merear pervenire ad gloriam tuam : non eſt tibi enim quicquam difficile, non aliquid impoſſibile. Velle tuum, facere ; voluntas tua, opus eſt. Et ideo corde credo, & ore confiteor quòd tu potes & vis opus illud magnificè adimplere per me tantillum : ſcio, & certus ſum quòd tu vales fructus bonos & magnos facere de grege tuo per me exiguum & infirmum. Parvulus quippe ſum, & nullius virtutis homuncio, nihil habens in me quod expediat, vel quod dignum ſit tanti officii, idcirco deſperans omnimodis de parvitate, non reſpiro niſi in ſola miſericordia tua.

Sed licet ſis magnus in magnis, glorioſiùs tamen operaris magna in minimis. Erit certè tua laus dulcior, & copioſior in ore hominum, cùm per me tantillum operari dignatus fueris magna de grege tuo. Mitte ergo in auxilium meum ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui me adjuvans in omnibus, proſperari iſtud opus faciat in manu mea : ita ut glorificetur nomen tuum benedictum in me miſero peccatore. Dives in miſericordia, largùs in muneribus, qui omnibus omnia tribuis, & nihil perdis, da mihi cœleſtia & terrena ſubſidia ad omnem ſufficientiam : ut habeam unde gregem tuum poſſim paſcere, & ſuſtentare tam ſpiritualiter, quàm corporaliter, atque venientes in tuo nomine ſuſcipere abſque ulla hæſitatione, ſimulque loca commiſſa ordinare, & præparare ad quietem & ſalutem fratrum, ſicut decet, & oportet. Omnia à te hæc poſtulo, Domine Deus noſter, quia cuncta bona noſtra, dona tua ſunt. Non enim aliunde poſſumus tibi ſervire neque placere, niſi de tuo munere.

At ſi non fortè eſt in conſilio æternæ voluntatis tuæ, ut facias per me de ovibus tuis fructum bonum & magnum ; obſecro & ſuppliciter rogo, diſſolve me à nexu tanti officii, modis quibus tibi videtur, ordine quo tibi placet. Scis enim omnia, & potes omnia. Quid hîc facio ? Quid moror in his tumultibus, ſi facturus non ſum per gratiam tuam aliquid boni de fratrum ſalute ? Duo à te peto : unum horum pro tua clementia ne deneges mihi. Rogo te per omnes miſerationes tuas, da mihi conſalionem tuam cœleſtem in multis tribulationibus meis. Pondus enim iſtud graviſſimum, quod impoſitum eſt ſuper cervices meas, ferre non valeo, deponere timeo : anguſtiæ mihi ſunt undique, & quid eligam ignoro. Adjutor omnium in te ſperantium Deus, ne me deſerat pietas tua, ne me derelinquat gratia tua. In te ſperantem Deus, & in tua miſericordia ſolummodò confidentem adjuva me ; quia ſine te tibi placere non valeo. Quis unquam ſperavit in te, & derelictus eſt ? Non eſt auditum a ſæculo. Deus tu es optimus infinitæ pietatis, & immenſæ bonitatis ; qui in te ſperantes nunquàm conſuevisti relinquere. Oſtende quæſo miſericordiam tuam in me, quia *ad te confugi* ; *ut videant, qui me oderunt, & confundantur* ; *quoniam tu Domine adjuviſti me, & conſolatus es me.* Pſ. 85. v. 17.

Gratias tibi ago, Domine, quia me & à vano hujus mundi conſortio ſeparaſti, & ad tuum ſanctum officium perduxiſti, nullis meis meritis, ſed ſola dignatione miſericordiæ tuæ. Benedico te, Domine Deus noſter, qui mihi das indigno ſervorum tuorum ſocietate & charitate perfrui. Da mihi quietem, & ſalutem corporis & animæ, ſimulque opportunam ad te vacationem. Libera me à vaniſſimis hujus mundi implicationibus ad profectum animæ meæ, propter honorem, & gloriam nominis tui : & quia ſcriptum eſt, *nemo militans Deo implicat ſe ſecularibus negotiis*, & ab omnibus curarum tumultibus ſeparas animas ſervientium tibi, ut tibi ſoli Domino vacent die ac nocte ; da fructuoſum & ſpiritale otium abrenuntiantibus mundo ; ut ipſo cordis palato guſtent & ſapiant quoniam dulcis & ſuavis es, Domine, ſicut tua ſcriptura admonet, dicens, *Vacate, & videte, quoniam ego ſum Deus.* Et alibi, *Sapientiam diſcite in tempore otii, & qui minoratur actu ipſe percipiet eam.* Sed & ſacratiſſima ſententia tua ore tuo pio prolata plenius informat nos, & à mundanis curis prorſus prohibet, dicens, *non poteſtis Deo ſervire, & Mammonæ.* Et rurſum, *nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & aſpiciens retrò, aptus eſt regno cœlorum* : & alibi nos evidenti exemplo retrahere dignaris, dicens : *Memento-te uxoris Loth.* 2. Tim. 2. v. 4. Pſ. 45. v. 11. Eccli 32. v. 15. Mat 6. v. 24. & Luc. 16. v. 13. Luc. 9. v. 62. Luc. 17 v. 32.

Gratias tibi ago, miſericordiſſime Domine, qui me miſerum multumque negligentem peccatorem à principio, & à cunabulis per univerſa penè vitia & peccata decurrentem, benignè & patienter adhuc ad pœnitentiam expectas, nolens me perdere cum peccatis, vitiis, culpis, & negligentiis meis. Si enim mihi, Domine, ſecundùm peccata mea facere voluiſſes ; olim me terra vivum abſorbere debuiſſet. Sed rogo, pie Domine, ne tua in me expectatio ſit vacua, ſit quod abſit, infructuoſa. Tu qui non vis mortem peccatoris, da mihi de præteritis malis meis indulgentiam, de præſentibus concede emendationem, de futuris verò largire jugiter cuſtodiam atque cautelam. Da locum & ſpatium ad dignos pœnitentiæ fructus. Aperi oculos cordis mei per Spiritum ſanctum tuum, ut videam & plangam omnia peccata mea. Domine, tempus eſt acceptabile, & dies ſunt ſalutis. Miſerere mei, Domine, & ne perdas me cum peccatis meis, ne reſerves mala mea punienda in illa futura vita, in illis infernalibus ſuppliciis, in illo tremendo examine tuo. Propter magnam clementiam tuam ſolve omnium peccatorum meorum vincula, priuſquam ab hac vita egrediar. Da mihi cor contritum & humiliatum, da mihi gratiam lacrymarum. Da lumen in corde, da vires in corpore ; ut quæ agenda ſunt videam, & ad ea implenda, quæ videro, fortiter convaleſcam cunctis diebus vitæ meæ. Miſerere mei, Domine, miſerere mei. Non permittas hanc animam peccatricem, pro qua & naſci de Virgine, & mori in cruce dignatus es ; non jubeas, quæſo, ſeparari eam ab hoc mortali corpore, priuſquam me facias plenè & perfectè pœnitere, & plangere omnia peccata mea quæcumque egi poſt baptiſmum ab ipſis cunabulis meis, ſive ſcienter, & neſcienter ; ſive ſuperbè, vel negligenter : ita ut in die exitus mei, emundatis dilectis omnibus, & bene correctis moribus, ſecurus & gaudens videam dulciſſimam & pulcherrimam faciem tuam cum lætitia & exultatione propter tuam nimiam miſericordiam & bonitatem.

Gratias tibi ago iterum, iterumque, omnipotens & miſericors Chriſte, qui immeritam exiguitatem meam propter te, & nomen ſanctum tuum, de multis anguſtiis, tribulationibus, calamitatibus, & infirmitatibus ; de multis foveis, laqueis, ſcandalo, & peccatis ; de multis inſidiis viſibilium, & inviſibilium inimicorum ; de multis malis, & graviſſimis periculis hactenus liberare dignatus es, dirigens mirabiliter & miſericorditer vitam meam inter adverſa & proſpera ; ita ut nec adverſa me dejicerent, nec proſpera extollerent. Poſuiſti enim frænum tuum in maxillis meis, & non dereliquiſti me penitus in manu arbitrii mei, habens curam mei paterna pietate, & non permittens amplius tentari ſupra id quod potero ſuſtinere. Ubi locus fuit peccandi, quandoque non fuit voluntas ; vel quando voluntas, non fuit locus.

Sit itaque tibi laus, ſit benedictio, ſit gratiarum actio, Domine Deus meus, pro univerſis tuis donis & da-

tis, & pro omnibus beneficiis tuis, quæ animæ & corpori meo largitus, & semper largitus es ab ipsis cunabulis, pro pietate tua, & bonitate, nullis meis meritis exigentibus, imò peccatis meis gravissimis non obstantibus. Sed rogo, Domine, rogo ne linas me ingratum esse tantis beneficiis, & indignum tam multis miserationibus. Non mihi, non diabolo, non mundo, non alicui rerum, non cuilibet hominum liceat in me tua dona subvertere: quia totum est fragile, quicquid tibi nititur obviare. Pone, quæso, magis magisque frænum tuum in maxillis meis, & trahe me post te tanquam mansuetum animal, in nullo tuis jussionibus recalcitrantem; sed piano moderatoque incessu, te Dominum meum portantem, & voluntati tuæ in omnibus obtemperantem. Excita, Domine, torporem meum tuis stimulis, & fac me toto corde totaque virtute quærere faciem tuam cunctis diebus vitæ meæ. Attrahe me ad te, virtus salutis nostræ Deus, fræno potentis gratiæ tuæ; & non linas me propria voluntate in arbitrio proprio evagari. Imaginem tuam non linas in me obscurari; quæ si te præstante defendatur, semper egregia, nobilis, & perspicua est. Miserere, Domine, mei miserrimi & indigni servi tui; quia non sum sicut innumeri & multiplices famuli tui, qui tibi ab ipsis cunabulis devotissimè servierunt. Non sicut illi qui, post publica flagitia pœnitendo, tibi meruerunt esse devoti. Non sum sicut nonnullæ Christianæ fœminæ viris conjunctæ, quæ tibi serviunt in actibus misericordiæ cum summa devotione. Non sum sicut & multi illorum, qui in oculis hominum tanquam iniqui & perversi esse videntur; sed multò aliter se habent in conspectu tuo: *Tu enim solus nosti* 1. Par. 6. v. *corda filiorum hominum.* Si quid tamen, Domine, boni facio, aut fecero, tua gratia largiente; quo fine hoc faciam, quave districtione à te pensetur, ignoro. Unde, Deus terribilis in consiliis super filios hominum, tuam sanctam & immensam supplex & multùm tremens deprecor clementiam, ut qui neminem vis perire, sed omnes salvos facere, non me derelinquas in manu consilii mei, neque in judicio arbitrii mei, neque in potestate aut tentatione dæmonum, neque in errante judicio aut noxio consilio hominum; sed pro bonitate ac pietate tua, juxta suam benignissimam, quæ in sui dispositione talli non potest, providentiam, dispone hic & ubique, nunc & semper, dies vitæ meæ in beneplacito tuo, & dirige per Spiritum sanctum tuum cor, linguam, actusque meos secundùm voluntatem tuam in tua misericordia; ut te rectore, te duce illa semper studeam cogitare, loqui, & agere quæ tibi placent, per gratiam tuam in veritate; & me tandem ad vitam perducant æternam, te miserante, & donante, qui es largitor omnium bonorum, & qui es Deus benedictus cum Patre, & Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

MEDITATIO XIX.

DE DULCEDINE DIVINÆ MAJESTATIS,

ET DE ALIIS MULTIS.

I.

** Admiratio de ineffabili bonitate Creatoris, & de magna miseria creati hominis.*

DUm considero quid sit Deus, quàm dulcis natura, quàm amabilis, quàm bona, quàm ineffabilis, quàm admirabilis, quantùm ab omni creatura veneranda & adoranda; & iterum video & intelligo quid sit homo, quem ipse Deus fecit ad imaginem & similitudinem suam: quemque * præterea talem creavit, ut sicut semper in se exprimeret imaginem creatoris sui; sic semper in memoria haberet voluntatem ejus & dilectionem, * qui eum talem creavit: miror multùm, & obstupesco & de inæstimabili bonitate Dei creatoris, & de magna miseria creati hominis.

al. propterea

al. quia

De ineffabili bonitate Dei miror quòd cùm sit ipse omnipotentissimus & justissimus, patitur hominem vel ad horam vivere, quem propterea voluit tam * honorabilem creare; ut sicut ipse homo honorabilior esset * cæteris creaturis, honorabilius cæteris creaturis viveret semper secundùm voluntatem sui creatoris: & ipse miserrimus & infelicissimus per contrarium agit, quòd cùm omnes aliæ creaturæ semper concordent cum voluntate creatoris sui; ipse semper aut ferè semper resistit illius voluntati. De immensa verò miseria hominis miror quomodo sensum sic perditum habeat, sic quasi pecus quod sensum non habet, * vivat; ut unquam obliviscatur creatoris sui, * qui sui ipsius non potest obliviscì. Puto nisi insanus sit, nunquam sui ipsius * est immemor; ut non intelligat se esse, vivere, & intelligere. Hæc autem omnia homo se intelligens habere, mirandum est & multùm obstupescendum quomodo unquam ipsius obliviscatur, cui complacuit sibi omnia ista dare.

al. honorabilior

al. sanctis

al. amit.

al. esse

II.

Quantùm homo ab homine diligatur; & quare Deus plus debeat diligi, quàm aliquis homo.

HOmo * igitur, cui ab alio homine aliquod bonum in hoc sæculo datur sæpius tam ferventer illum solet diligere, * qui sibi hoc bonum fecit, sicque jugiter se præsentare in ejus * obsequium; ut si causa illius benefactoris sui exigat, mortem etiam sæpiùs incurrere pro illo non metuat; * & tamen nullum, quod unquam homo in hoc sæculo possit habere, vel * quod alius alii possit dare, nullus est tam parvi sensus qui non intelligat se non in perpetuum retinere; sed vel antequam finis ei eveniat, vel si non ante, saltem tunc cum finis ei advenerit, dimittere. *

al. namque

al. quia

al. obsequiis

al. modo, &

al. amit.

al. illud aut portebit.

Quod verò Deus homini in hoc sæculo dat, aut tale est, quod nunquam * amittat, & nunquam ei * aliquis auferat; aut tale est, ut etiamsi homo illud perdat, per illud tamen * promereri possit, finitâ præsenti vitâ, ut in æternum sit cum creatore suo in beata vita. Dat autem Deus homini sæpiùs in hoc sæculo secundùm rationem vivere; & creatorem suum sicut ipse præcipit, & justum est, diligere; præceptis ejus sine ulla contradictione per omnia obtemperare; & hoc bonum nullus hominum, nisi ipse sola sua voluntate dimittat, potest auferre. Pecuniam temporalem, velit nolit homo, necesse ei erit dimittere; sed dum eam habet, si largitur eam sicut Deus suus præcepit, * merebitur sic faciendo ad perpetuam vitam pervenire.

al. amittat. al. per illum auferatur. Tale, inquit, est

al. providere

al. membris, potest sic

O immensa creatoris nostri bonitas! ô inæstimabilis misericordia! Ipse * in nullo unquam egens homine, hominem tamen pro sola bonitate sua creavit, creando * rationalitate exornavit; ut felicitatis ejus & æternitatis pollet esse particeps, & sic cum eo gau-

al. amittit

Digitized by Google

al. possidere

dium & lætitiam in perpetuum * possidere. Adhuc etiam cùm homo in multis contrarius ei existat; multa, quamquam ei displiceant, sciens volensque faciat: monet tamen eum ut redeat, & misericordiam creatoris sui requirat, nec pro ullo commisso tametsi gravi desperare præsumat. Est enim fons pietatis, & misericordiæ: & omnes, quacumque maculâ peccati * sint fœdati, desiderat mundare; mundatis perennis * vitæ lætitiam reddere.

al. quocumque
al. sint
al. gloriæ

III.

Quòd omnia bona Deus fecit, & quòd solus ipse essentialiter bonus sit.

al. & pius ac
al. peccator
al. adoret, al misericordia

SUavissime & dulcissime * Jesu Christe, qui est pius amator hominum, * ac benignissimus redemptor * peccatorum, te * adoret anima mea, tibi serviat omnis vita mea, te desiderent omnia interiora mea. Vult, pissime Domine, vult * mea misera anima cogitare de te, tua mirabilia inspicere, & quàm bonus & misericors sis erga peccatores intelligere; ne propter mea peccata desperans, à bonitate tua (heu miser) me velim alienare; ut sic cogitans, & tibi qui veritas es, credens, jam aliquando ab iniquitatibus possim cessare, & ad recta facienda animum meum malis operibus & peccatis * incurvatum * reformare.

al. maculatum
al. infoemare

Ecce scio, Domine, quia omnia quæ sunt, de nihilo fecisti. Id est, non erant, & ea fecisti; sed tu ipse qui ea fecisti, semper fuisti, & nuhquam * fuit quando fueris; fuisti verò semper bonus, & semper omnipotens; & propterea omnia quæcumque fecisti, bona fecisti. Tu ergo qui semper fuisti, & es, & eris, & non qui de non esse ad esse venisti; sicut tibi semper esse fuit, ita tibi semper bonitas & omnipotentia fuit. Et propter hoc non tibi est aliud essentia, quàm bonitas & omnipotentia; * sed quæ est tibi essentia, eadem est bonitas & omnipotentia.] Et idcò non potes esse, nisi bonus & omnipotens, & omnia illa quæ similiter de te dicuntur & creduntur.

al. nunquam finieris

al. omit.

Tu verò verè es, & non est aliud nisi tu, & non est tibi nisi unum est:] quia non quod modò es, modò non es: sed quod modò es, semper es. Creaturæ autem, cui non semper esse fuit, sed quæ de non esse ad esse venit * per te & à te cui semper esse fuit, non est eadem essentia, quæ bonitas & quæ potentia: sed quando bona est, & quando bona facere potest: à te bona est, & à te bona facere potest, qui essentialiter es bonus & omnipotens. Fecisti autem omnem creaturam bonam; sed tamen non omni creaturæ, licet sit bona facta à te, dedisti rationem intelligendi te. Et quamvis omnis creatura te laudet, te creatorem suum & gubernatorem esse * reclamet; tamen non omnis creatura te intelligit, nisi tantummodò rationalis, & quam fecisti ad imaginem & similitudinem tuam.

al. creata à te

al. reclamet

IV.

Quòd omnis creatura suum laudet creatorem.

LAudat te etiam illa creatura, cui donum intelligentiæ non dedisti; quando rationalis creatura eam à te creatam bonam pulchréque ordinatam conspicit: & hoc est ab * illa te laudari, à rationali creatura, scilicet, intelligi te eam bonam fecisse, pulchréque ordinasse. Humanam verò naturam, quam rationalem fecisti; & illam naturam, cui intelligentiæ donum non dedisti; sic distinxisti, ut * humana natura, propter quam aliam creaturam fecisti, illam secundùm tuam voluntatem disponeret; & ex ipsa, te concedente, alimentum unde se sustentaret, acciperet.

al. ab illa te laudari,

al humanam naturam

al secundum quod

* Sed quia homo ex duabus naturis constat, ex anima, scilicet, & carne; alimentum, unde secundùm carnem vivit, accipit à creatura; unde verò secundùm animam vivit, accipit à creatore; sed tamen utrumque à creatore. Vivit autem homo hîc interim secundùm carnem, dum aliter cibis humanis: vivit verò secundùm animam, dum voluntatem & præcepta creatoris sui custodit. Et sicut moritur secundùm carnem, si non sustentatur cibis humanis; sic moritur secundùm animam, quando non obtemperat præceptis divinis. Homo itaque qui constat ex animâ & carne, faciendo quæ jubet Deus, vivit in carne & in anima; quia in hoc agendo promeretur ut feliciter vivat cum creatore suo in vita æterna. Si verò ab agendo quæ * jubet creator suus, deviare * conatur; & magis appetit secundùm carnis desideria vivere: quod verè non est vivere; sed sibi infeliciter vitam auferre: si quis diligenter intueretur, videret in illo non figuram illius hominis, qui factus est ad imaginem Dei; sed figuram pecudis, cujus & mores satagit imitari. Et tunc verè potest * asseri quia est mortuus, mortem æternam sine dubio subiturus, si in hoc perseverans finiatur.

al. omit.

al. assibi

V.

In quo similis est homo creatori suo.

FEcit autem Deus creator hominem ad imaginem & similitudinem suam, quia fecit eum rationalem. Et sicut Deus voluntate bonus est; sic homo ad ejus similitudinem factus, * voluntate bonus est: in hoc similis creatori, quia creator voluntate bonus, * homo voluntate bonus: sed in hoc differens, quia creator æternaliter à se ipso est bonus, & essentialiter; homo verò * ideò bonus, quia imitatur eum qui æternaliter & essentialiter à se ipso est bonus. Est autem, sicut dixi, creator voluntate bonus, * homo ad similitudinem creatoris factus voluntate bonus; sed in hoc differens, quòd creator non vult nec potest esse, vel velle aliud, quàm esse bonus; voluntas enim, & potentia est illi essentia. Homini verò est aliud voluntas & potentia, quàm essentia. Si tamen concordat cum voluntate Dei, & idem vult quod Deus; exprimit in se imaginem Dei. Et si in hoc usque in finem * perseverat, meretur operante miseratione divina ut post in æternùm voluntati creatoris sui adhæreat, nec jam amplius ab ea divelli queat. Et sicut postea semper erit, quod erit; sic semper quodcunque voluerit erit. Et sicut creatori non est aliud * essentia quàm voluntas, nec aliud voluntas quàm essentia: sic homini in * ipsa felicitate jam existenti, secundùm suum modum tam immutabilis erit, dono creatoris sui, voluntas quàm essentia; quæ tam sine dubio poterit quicquid voluerit, quàm sine dubio feliciter existens felix essentia erit. Et tunc homo habebit liberum arbitrium verè ab omni malo ex toto liberatum, secundùm quod hic interim dum vivit, operante Dei gratiâ, * vult quæ Deus præcepit facere, quæ verò prohibet dimittere.

al. volumtate
al. omis.
al. à Deo est bonus qui æternaliter
al. omni.
al. manens
al. omit.
al. secum vult & ponit (leg. proponit) bona quæ

VI.

Quòd homo existat in duabus naturis, quarum una erigitur ad summa, altera deprimitur ad ima.

COnstat autem homo ex duabus naturis; ex natura animæ, & ex natura carnis. Natura autem animæ, quia anima * spiritalis est, naturaliter tendit ad superiora. Natura autem carnis, quia caro ex desiderio * in carnales appetitus exit, quasi naturaliter ad ima tendit. Est verò inter has duas naturas, ex quibus homo constat, voluntas quasi media habens liberum arbitrium. Quo libero arbitrio si se junxerit cum anima quæ naturaliter tendit ad superiora; tunc anima

al. anima
al. omit.

Digitized by Google

&] voluntas (opitulante tamen divinâ gratiâ) carnem sursum ad excelsa secum elevant, & in æterna felicitate sine fine victuram locant; ut jam amplius non sit inter carnem & animam ulla repugnantia, sed semper idem amor, eademque voluntas. Et tunc erit una voluntas creatoris, & creati hominis, quem creavit ad imaginem & similitudinem suam; * cùm Deus omnia in omnibus erit. Si verò eodem libero arbitrio se junxerit desideriis carnis, * quæ quasi naturaliter ad infima tendit; tunc voluntas male utens libero arbitrio, & caro animam superno auxilio destitutam ad inferiora trahunt: & peccata hominis totum ipsum hominem, scilicet; animam, & carnem, in perditionem mergunt; ut jam amplius non habeat nisi malum, * vel quod patiatur nisi tormentum.

al. cum Deus

al. quæ

al. per quod

VII.

*His orat homo Deum, ut non permittat eum malè uti * libero arbitrio.*

al. malo uso libero arbitrio

O Dulcissime Domine * & piissime Deus meus, creator meus, salus mea, vita mea, spes & consolatio mea, refugium meum; per gratiam tuam, & per pietatem tuam gubernans & sustinens liberum arbitrium meum, ne illo malè utendo possim offendere te dulcissimum Creatorem meum: & quotiescumque malum mihi placet, antequàm illud opere perficiam, * destrue & confunde omne malum desiderium meum. Malo * a te, dulcissime Pater, vel invitus trahi, vel etiam catenis ligatus in aliquo angulo domus tuæ projici, quàm à te separari; ubi etsi non piissimum vultum tuum possim propter peccata mea respicere, saltem lætitiam & gaudium illorum qui tibi famulantur valeam audire.

al. ipsum destrue
al. ad te

Quis, dulcissime Creator * hominum, potest æstimare ineffabilem bonitatem tuam, * qua in tantùm humanam naturam dilexisti; ut non solùm eam * creares, cùm non esset, sed tu ipsa Creator ejus pro amore ejus creatura fieres? Cujus cor tam durum, tam ferreum, sciens & intelligens tantam dilectionem tuam erga hominem quem creasti, non potest emolliri, & totum liquefieri in gratiam & venerationem tuæ dulcedinis? Verè, anima mea, verè cor meum, & omnia intima mea mirum est si unquam tantæ charitatis tantæque pietatis Creatoris vestri potestis oblivisci. Ecce, miser homo, quid fecit Creator tuus, quid fecit Dominus tuus. Ipse * cui semper esse est, & semper esse fuit, * immutabilis & invisibilis, inæstimabilis & incomprehensibilis, * miro & ineffabili modo suum esse non dimittens, pro te se exinanivit, cùm pro te creatura fieri voluit: ut te qui de non esse ad esse venisti, ad se qui non de non esse ad esse venit, sed cui semper esse fuit, familiaritis reconcilliaret, reconciliatum, & ex toto in pristinam dignitatem reformatum ad suum esse reduceret; uti felix semper & lætus in æterna sua gloria secum in æternum gauderes. Ecce, Deus meus, & Creator meus, ecce vides * quò cogitando perveni; & tamen hoc cogitando, quantis adhuc vanitatibus & stultitiis infelix anima mea subjecta sit. Si aliquando gratiâ tuâ respectus incipio cogitare * quomodo pertineat ad aliquam utilitatem animæ meæ; instabilis mens mea, & ferè ab omni bono vacua citò labitur ad inania & noxia, veluti palea quam levissimus flatus venti exsufflat de area.

al. eum esse
al. incommutabilis
al. immutè

al. quomodo

al. quid

Cernens ergo, Creator meus, tantam inconstantiam mentis meæ, tam torpentem & desidiosam ad cogitandum ea quæ sunt utilia; tam ferventem & studiosam ad ea quæ sunt noxia; * non respicias ad hoc quòd peccator sim. Fateor, * fateor, peccator sum, indignus sum, * immundus sum; & tamen non recedo à te, dulcissime * Jesu Christe, velis nolis, non dimitto te, etsi infirma manu tenebo te, nec recedes à me, donec ab omni cogitatione peccati absolvas me. Verbera me, emenda me, & corripe me, & tandiu castiga servum tuum, * donec per ineffabilem bonitatem tuam perducis me ad gloriam tuæ contemplationis.

al. insipiens ab omni

MEDITATIO XX.

Querimonia de absentia Dei.

Ex Ms. Bibl. Thuan.

NOn sufficit, Domine, non sufficit peccatrici animæ meæ quòd ex abundantia ineffabilis clementiæ tuæ sua sibi ipsemet relaxari peccata: nisi dolorem suum, quem patitur de absentia vultus tui, querimoniam suam saltem coram te exponendo, quoquo modo studeat relaxari. Peregrinatur enim à te; & hoc propter iniquitates suas. Ubi ergo mihi caput sermonis * occurretur dolorem meum intendo consolari; & eum intueor acquisitâ consolatione augmentari. Ipsa enim inquisitio consolationis menti memoriam repræsentat doloris. Consolationem namque de dolore non quærerem, nisi me dolere meminissem: quia ex memoria doloris quæritur refugium consolationis, & ex appetitu consolationis augetur memoria doloris: & quò sæpiùs dolor menti repræsentatur, eò majori augmento cumulatur. Quid igitur facio? an ipsa expositio doloris qualecumque dat emolumentum consolationis? Expandam ergo, Domine, coram misericordia tua amaritudines animæ meæ, quibus circumdata est ex abundantia iniquitatum suarum; propter easdem enim iniquitates amaram patitur absentiam pulcherrimæ faciei tuæ. Hinc itaque, Deus meus, hinc est summa doloris mei, quia cognosco me clementiam tuam mea iniquitate graviter offendisse; & oculos cordis mei ob eandem iniquitatem, ne desiderandæ claritatis tuæ lumen aspiciant, cæcatos fuisse. Fecisti me, ut gauderem de te: & ego tam turpem me feci, ut erubescam apparere coram te. Iniquitates enim meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me: mens mea malitiæ felle inebriata est, & anima mea pondere scelerum incurvata est, animus meus vitiorum luto fædatus est, & cor meum injustitiæ tabe repletum est: anima mea peccatorum nexibus irretita est, & tota substantia mea molè crimihum oppressa est. Quis ergo mihi in tanta miseriarum profunditate constituto subveniet? Quis manum porriget? An ego, quod verum est, tanta iniquitate Deum solus exacerbavi; ut nec ipse, * nec aliqua creatura sua me ulteriùs jure debeat intueri. Heu mihi! quare vel unâ hora postquam natus fui in hoc mundo manere debui, ut tanta à me mala contra Deum deberent exerceri? Quare mihi vita tàm diu conceditur, quæ tota vitiosis affectibus dissipatur? Sed dilationem vitæ cur deploro; quandò me per eam ad pœnitentiam à Deo invitari cognosco? *An ignoras*, ait Apostolus, *quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit: Tu autem secundùm duritiam tuam, & cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ & revelationis justi judicii Dei!* Ad hoc ergo mihi vita præstatur, ut eadem emendetur. Cur igitur non fiat ista? si propter pœnitentiam vita differtur, quare pœnitentia ipsa simulatur? Si Deus animæ meæ parcit, ad tempus subsistendo; quare ipsa sibi non parcit, peccata dimittendo? O insensibilis duritia cordis mei! ob hoc mors differ-

al. meæ

Rom. 2. v. 4.

Digitized by Google

tur, ut vita melioretur: & dum vita prolongatur, A mors deterior acquiritur. Utrobique angustia. Cùm sum in corpore, peregrinor à Domino; & ne mihi propter peccata mea extra corpus pejus sit, exire de corpore pertimesco: præsentiâ Dei privari doleo; & absentiam corruptibilis corporis, sine qua præsentiæ Dei sociari non possum, subire pertimesco. Quid est, Domine, quid est, quod cor hujus peccatoris intuetur, & verbis explicare non sufficit. Certè, bone Jesu, dissolvi & tecum esse multo magis optimum est. Quare ergo non desideratur quod optimum esse probatur. Dissolvi à mortali corpore & esse cum Christo, beatitudo est; ligari corpore, & abesse à Christo, miseria est: utquid igitur misera timetur amitti, & beatitudo non desideratur haberi? Sed hæc est causa: quare à nobis à corpore dissolvi non appetitur; quia post dis- B solutionem utrùm cum Christo esse contingat dubitatur. Ac per hoc commoratio in carne idcirco utilis esse judicatur; qui dum in ea vivitur, melioratio vitæ speratur. Væ peccatis hominum, quorum merito agitur ut ipsa vitæ humanæ miseria utilis judicetur! Nonne tota præsens vita miseria? & tamen hæc miseria nonnumquam ipsis etiam justis utilis est, propter boni meriti augmentum: injustis autem maximè necessaria propter pœnitentiæ medicamentum. Tunc verò hæc eadem miseria præcipuè bonis mentibus lugenda esse videtur, quando ab insipientibus nimis periculosè amatur. Quia cùm in ejus amore perseveratur, per ipsam eandem miseriam ad æternam miseriam pervenitur, fitque modo miserabili per miseriam ad miseriam transitus; dum & præsens miseria expenditur in C cupiditatum labore, & hinc succedens æterna miseria sustinetur in sempiterno dolore. Sed & ipsa miseria æterna eò utique erit acrior ad vindictam, quò præsentis vitæ miseria a misericorde Christo dilatius fuerit dilata propter pœnitentiam. O Pater, qui verè es, quoniam summè es, quia tu ipse es & anni tui non deficient, succurre mihi miseria oppresso. Si ipsa, quam patior, miseria disponente misericordiâ tuâ propter majorem miseriam devitandam, quod pœnitentiæ studio fieri solet, differtur: quare vel ipsa miseria amatur? Quare amo quod me necesse est citiùs amittere; & illud non desidero quod me præsentis vitæ finitâ miseriâ posset beatificare? Si beatitudinem, D quam te diligentibus promittis, pro ut mihi expediret, amare non valeo: quare saltem supplicia, quæ contemptoribus tuis minaris, ex quibus proh dolor ego sum unus, non expavesco? Si enim ea expavescerem; aliquâ ex parte me ipsum emendarem, hæretque misericordiâ tuâ præstante ut per timorem ac correptionem pervenirem aliquando ad amorem. Quare autem judicia tua non timeo; nisi quia de eis negligo cogitare? Ne verò de eis frequentiùs valeam cogitare, vitia mea letiferis amœnitatibus & voluptatibus mihi blandientia me impedire non desinunt. O Domine, Domine, ecce ego servus tuus & filius ancillæ tuæ. Quia etsi peccator, tamen filius sanctæ Ecclesiæ tuæ. Sed quid dixi, qui audaciâ præsumpti E nominare servum tuum; cùm servum me non ignorarem peccatorum? Omnis enim qui facit peccatum, servus est peccati; ego autem indesinenter peccare non desisto: servus ergo sum peccati: quomodo ergo me sum ausus nominare servum tuum? Non utique hoc dicerem, nisi quia de tua ineffabili miseratione præsumpsi ut hæc dicere auderem, quia etsi servus peccati sum propter infirmitatem, quam sustineo ex iniquitate: tamen servus tuus sum per desiderium, quod mihi præstitum esse gaudeo ex tua venerabili bonitate. Servus ergo tuus sum, Domine, & si non opere & conversatione, certè affectu & voluntate. Sed in hoc miserabilis sum, & valdè deflendus: quia cùm me servum tuum esse cognoscam; honorem Domini, sicut mihi expediret, tibi deferre non studeo. Si enim hoc agerem; nihil utique esset quod me à memoria tui, ac desiderio te intelligendi, à beata tui amoris dulcedine revocaret. Domine meus, Domine meus, quare tu cùm sis Dominus meus, non vivo sicut debet vivere servus tuus? Te Deum meum cognosco, & servus tuus esse desidero. Quare vitam servi tui veri conversatione tenere non valeo? Sed cur hujus miseriæ meæ causam quæro; quando meam iniquitatem hanc promeruisse non ambigo? Heu mihi, ut quid vivo? quare tamdiù vivo, qui tam malè vivo? Idcirco mihi vivere conceditur, ut mors evadatur: & vita ipsa deterior morte invenitur. Concedis mihi, formator meus sapientissime, ut me ad contemplandam pulchritudinem tuam studeam præparare: & ego me turpiorem non cesso quotidie exhibere. Quid, Deus meus, quid tuâ inenarrabili claritate pulchrius, & quid mea iniquitate turpius! O totum cor meum, suspiriis delectare, quorum studio & tua pulchritudine illumineur, & ad supernæ lucis claritatem contemplandam tuus interior oculus faciliùs erigatur! O tota anima mea, jam omnes tuas depone vagationes, soli divino splendori intende, ex ejus desiderio opulentos lachrymarum imbres effunde, quarum mundatione & tui innumerabiles cœnosi reatus diluantur, & naturalis decor, quem tibi bonus universorum cõtulit artifex, ejus præsulante miseratione tibi reparâretur! O, inquam, omnia intima mea sumite vires, totum vestrum exerite conatum ad quærendum illud sincerum, simplex, æternum, & solum beatum bonum, cujus lux tenebras vestras repellat, cujus fons limpidissimus vestra contagia abluat, cujus libertas eos quibus sub vitiorum dominio constringimini vestros nexus absolvat, cujus fortitudo imbecillitatem vestram corroboret, cujus sapientia stultitiam vestram evacuet, cujus vita ab æterna vos morte eripiat, & suæ immortalitati consocie! O bonum quod superat omnia bona; quia à te & in te omnia bona: Tu es enim omnia bona. Confiteor quia nimia sunt mala mea, quia nimis multa & gravia sunt peccata mea, & sine mensura multiplicata vitia mea, quia eis miserabiliter intenta hactenus extitit anima mea. O malæ mea, quare super me tam crudeliter irruistis, ut me ab omni bono alienum efficeretis? O peccata mea, quomodo me tam immisericorditer nodis vestris irretitum tenetis, ut nullam justitiæ libertatem me adire permittatis? O vitia mea, ut quid letiferis illecebris, sicut gliris hastulam suam tenacitate infectam vincere solet, animum meum vobis agglutinatis, ut ullo constitutum itinere, vel * rependo, me incedere finatis, Enth. Mens mea, angustiare: cor meum, defice: anima mea, exhorresce: oculi mei, plorando deficite. Quid enim me in omni statu miserabilius inveniri potest? Omnia constitutum sibi ordinem inviolabiliter servant; ego quotidie violo. Sed qui peccantem tamdiu tolerat; pœnitentem non suscipiet? Hoc fieri non potest, nisi ut me vivere permittat. Adibo ergo patrem meum, tametsi indignus filius: adibo illum post dissipatam ab illo mihi datam innocentiam, post diuturnam cœlestis eloquii, quam tolero, famem. Et dicam ei: Patèr jam non sum dignus vocari filius tuus, non cum filiis de dignitate præsumo certare, sed cum servis misericordiam quæro; & ideo fac me sicut unum ex mercenariis tuis: prædicabitur inde, pie Pater, clementia tua, nec minuentur divitiæ tuæ; si mihi ad te cupienti redire occurras, si me misericordiæ tuæ brachiis amplectatis, si me fidei annulo & stolâ justitiæ vestiri præcipias, si de me Angelis tuis dicere digneris: gaudere nos oportet, quoniam hic filius meus mortuus fuerat, & revixit; perierat, & inventus est. Sed quis, ô Pater optime & admirabilis, quis dabis mihi de vitulo illo saginato digno fidei ac sanctitatis affectu comedere, quem pro mea redemptione in ara crucis immolari præcepisti? & quis iste vitulus tam

mitis

mitis ad immolandum, tam ſalubris ad comedendum, A niſi ille tuus proprius ac unigenitus filius, cui non pepercisti, ſed pro nobis omnibus illum tradidisti? Iſte eſt, Domine, iſte eſt, cujus dulcedine refici deſiderat cor meum: hic eſt, quem præ omnibus amare affectat mens mea. Iſte eſt, à cujus abſentia non ſine magnis gemitibus ſeparari conqueritur anima mea: ſed dum Filium deſidero, numquid Patrem negligo? Abſit. Hoc enim quomodo fieri poteſt: cùm non ſit aliud Pater, qui genuit; quàm qui genitus eſt, Filius, ſed hoc ſit Pater, quod Filius; licet non ipſe ſit Pater, qui Filius. Sed quomodo poſſum deſiderare Patrem & Filium, remoto amore Patris & Filii, qui non eſt aliud, quàm quod eſt Pater & Filius; tametſi alius ſit, quàm Pater & Filius? Nullâ utique ratione. Dic ergo, anima mea, dic factori tuo Patri & Filio & Spiritui ſancto, B uni Deo, *quæſivi vultum tuum; vultum tuum Domine, requiram.* Ecce, Domine, ecce quæro, peto, & pulſo: quando inveniam, quando accipiam, quando mihi aperietur? Tibi, Domine, patent ſecreta cordis mei: tu vides quia ſola præſentia vultus eſt ſpes conſolationis meæ. Heu mihi! quàm longè ſum projectus ab illo inæſtimabili gaudio præſentiæ illius: quomodo ergo conſolabor? Numquid, niſi illa, Domine, pulchritudo vultûs tui appareat, in qua ſpes univerſæ conſolationis meæ ſuſpenditur? Deficiant ergo, *Pſalm. 118.* Deus meus, deficiant oculi mei in eloquium tuum, dicentes quando conſolaberis me. Attende ergo, Deus meus, ad ſingulare deſiderium animæ meæ; attende gemitum cordis mei, & pone lachrymas meas C in conſpectu tuo, quas fundo ex dolore quo afflicitur anima mea propter abſentiam vultûs tui * deficiens: *al. beneficii* quoniam defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. Miſerere mei, Domine, miſerere mei; oportunè importunè clamabo ad te: nec derelinquam te, donec de præſentia vultus tui lætificaveris me, omnem mihi negabo conſolationem, ſolo de abſentia vultus tui luctu me vindicabo. O vultus ſplendide! ô facies Dei luminoſa! quamdiu * non videbo te, *MS. videro.* manebit anima mea tenebroſa, O dura, ô amara abſentia vultûs Dei, * quamdiu me cruciabis? O moleſta vita hujus ſæculi vani, quamdiu infeliicem tua inhabitatione animam meam in tuis vanitatibus, tamquam carcere, incluſam tenebris? O anima mea, qui te in hac vita mortali delectat? Cur non feſtinas ad felicitatem divinæ viſionis pervenire, à qua culpæ merito ſepararis? Quare non horres peregrinari à facie Dei, & vitæ hujus luculentis vinculis irretiri? Quare non tanto affectu concupiſcis illius beatæ vitæ gaudiis intereſſe; & hujus obſcenæ vitæ ſpurcitiis abeſſe? Cur non iſtam fugis, & in illam curris? Si tibi iſta vita ad inducias præſtatur; quare tardas? Quare Deo talem *forte leg. tardas reddere* citò pœnitentiam *, ut peccatis tuis indulgeat & te miſericorditer ad ſe aſſumat? Sed ad te converſio mea; ut me reſpiciat miſericordia tua, & mentem meam in deſiderio vultûs tui confirmet, & perſeverantem reddat clementia * tua; credo enim quia à beatitudine *MS. fas* non ero alienatus, ſi deſiderando te non fuero fatigatus. Deſideret gloriam vultûs tui jugiter anima mea, amet eam mens mea, intendat in illam cogitatio mea, ſuſpiret ad illam totus affectus cordis mei, loquatur de ea lingua mea, occupetur in amore illius tota ſubſtantia mea: tantummodo jubeat me pietas tua, dum hoc mortale corpus gero, & peregrinationis meæ nexus ſuſtineo, * in timore eſſe tuo fundatum, in amore C tuo magnanimum, in lege tua eruditum, in præceptis tuis devotum, in promiſſis tuis deſiderandi ferventiſſimum, vitiorum calcatorem & virtutum cultorem: Quibus ornatus & tibi ſemper placere, & ad te quantociùs feliciter pervenire valeam, ubi eſt tibi gloria ſine fine, laus ſine termino, honor in ſæcula. Amen.

MEDITATIO XXI.

Hæc Meditatio eſt miſella in Prologio.

EXCITANS ANIMAM AD QUÆRENDUM ET INVENIENDUM DEUM.

Ex cap. 1. Proſogii.

Fiat nunc homuncio, fuge paululùm occupationes * terrenas, abſconde te modicùm à tumultuoſis cogitationibus tuis; abjice nunc oneroſas curas * tuas, & poſtpone laborioſas * diſtenſiones tuas. Vaca aliquantulùm Deo, & requieſce aliquantulùm in eo. Intra in cubiculum mentis tuæ; exclude omnia præter Deum, & quæ te juvant ad quærendum eum; & clauſo oſtio quære eum: & dic nunc, totum cor meum, * dic nunc Deo: Quæro vultum tuum; vultum tuum, Domine, requiram.

al. curas. al. diſtenſiones.

al. de Deo

Eia nunc ergo, Domine Deus meus, * doce cor meum ubi & quomodo te * quærat, ubi & quomodo te * inveniat. * Domine, ſi hîc non es; Ubi te quæram abſentem. * Si autem ubique es, cur non te video] præſentem? Sed certè habitas * lucem inacceſſibilem: Et ubi eſt * lux inacceſſibilis? aut quomodo accedam ad * lucem inacceſſibilem? aut quis me ducet in illam, ut videam * te in illa? Denique quibus ſignis, qua facie te quæram? Nunquam te vidi, Domine Deus meus, non novi faciem tuam. Quid faciet, Altiſſime Domine, quid faciet iſte tuus longinquus exul. Quid faciet ſervus tuus anxius amore tui, & longè projectus à facie tua? Anhelat videre te; & nimis abeſt illi facies tua. Accedere ad te deſiderat; & inacceſſibilis eſt habitatio D tua. Invenire te cupit; & neſcit locum tuum. * Quærere te affectat; & ignorat vultum tuum.

al. quærem ad inveniem. Ubi, Domine es, ſi al. ames al. intra lucem al. hæc lux al. illam lucem al. videam eam

al. Quem

Domine, Deus meus es, & Dominus meus es, & nunquam te vidi. Tu me feciſti, & refeciſti; & omnia bona, quæ habeo, tu mihi contuliſti; * & nondum novi te. Denique ad videndum te factus ſum; * & nondum feci propter quòd factus ſum.] O miſera ſors hominis, cùm hoc perdidit homo, ad quod factus eſt! O durus, ô dirus caſus ille! Heu quid perdidit, & quid invenit? Quid abſceſſit, & quid remanſit? Perdidit beatitudinem ad quam factus eſt; & invenit miſeriam, propter quam factus non eſt. Abſceſſit ſine quo nihil felix eſt; & remanſit quod per ſe non niſi miſerum eſt. * Manducabat tunc homo panem dolorum, quem tunc E neſciebat.

al. Et exhibuiſti, &

al. amde

al. mandocavit

al. quo

Heu publicus luctus * hominum, univerſalis planctus filiorum Adæ! Ille * eructabat ſaturitatem; nos ſuſpiramus * eſuriem. Ille * abundabat; nos mendicamus. Ille feliciter tenebat & miſerè deſeruit: nos infeliciter egemus, & miſerabiliter deſideramus; & heu vacui remanemus. Cur non nobis cuſtodivit, cùm facilè poſſet, quo tam graviter caremus? Quare ſic nobis obſeravit lucem, & obduxit nos tenebris? Ut quid nobis abſtulit vitam, & * induxit

al. omnium hominum al. eructabat ſaturitate al. eſurie al. abundavit.

al. inſinuit

igitized by Google

mortem? Ærumnósi, unde sumus expulsi, quò sumus impulsi? Unde præcipitati, quò sumus obruti? A patria in exilium. A visione Dei in cæcitatem nostram: A jucunditate immortalitatis in amaritudinem & horrorem mortis. Mitera mutatio! De quanto bono in quantum malum.

al. omit. et Grave damnum *, gravis dolor,* grave totum. Sed heu me miserum, unum de aliis filiis Evæ, miseris elongatis à Deo! Quid incepi? quid feci? quò tendebam? quò deveni? ad quid aspirabam, & in quibus suspiro? *Quæsivi bona: & ecce turbatio.* Tendebam in Deum; & offendi in me ipsum. Requiem quærebam in secreto meo; & tribulationem, & dolorem inveni in intimis mei. Volebam redire à gaudio mentis meæ, & cogor rugire à gemitu cordis mei.

al. unde densatur * Sperabatur lætitia, & ecce * condensantur suspiria. Et ô tu, Domine, usquequo? Usquequo Domine, B obliviscēris me, usquequo avertis faciem tuam à me? Quando respicies & exaudies me? Quando illuminabis oculos meos, & ostendes mihi faciem tuam? Quando restitues mihi. *

Respice, Domine, & exaudi me, & illumina me; ostende mihi te ipsum. Restitue mihi te, ut bene sit mihi, sine quo tam malè est mihi. Dirige, Domine, labores meos, & coronatus meos ad te; quia nihil valeo sine te. Invitas me; adjuva me, obsecro, Domine, ne desperem * suspirando; sed respirem * sperando. Obsecro te,* Domine, amaricatum est cor meum sua desolatione, indulca illud tua consolatione. Obsecro te, Domine, esuriens incepi quærere te, ne * deficiam jejunus de te: famelicus accessi; ne recedam impastus. Pauper veni ad * divitem, miser ad misericordem; ne * recedam vacuus & contemptus. Et si antequam comedam suspiro, da * mihi post suspiria, quod comedam.

al. impetrando
al. amando
al. deficiam
al. te divitem
al. vel

Domine, incurvatus sum, non nisi deorsum aspicere valeo. Erige me, ut possim sursum intendere. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum*, & obvolvunt me, & sicut onus grave gravant me; evolve me, exonera me; ne urgeat puteus earum super me os suum. Liceat mihi de longè aspicere lucem tuam, vel de profundo. Doce me quærere te, Domine, & ostende te quærenti; quia nec quærere te possum, nisi tu doceas me; nec invenire *, nisi ostendas te mihi. Quæram te deliderando, deliderem * quærendo, inveniam amando, amem] inveniendo. Fateor, Domine, & gratias ago tibi, quia tu creasti me* hanc imaginem tuam; ut tui memor te cogitem, te amem. Sed D sic abolita est attritione vitiorum, sic offuscata fumo peccatorum, ut non possit facere ad quod facta est, nisi tu rénoves & * reformes eam. Non tento, Domine, penetrare altitudinem tuam, quia nullatenus comparo illi intellectum meum; sed desidero aliquatenus intelligere veritatem tuam, quam credit & amat cor meum: neque enim quæro intelligere, ut credam; sed * credo, ut intelligam.

Psal. 37.
al. non possum, nisi al. omit.
al. in hanc
al. informes
al. credere.

Verè, Domine, hæc lux est inaccessibilis in qua habitas. Verè enim non est * aliquid, quod hanc penetret, ut * ibi te videat. Veré hanc non video, quia * nimia est; & tamen quicquid video, per hanc video: sicut infirmus oculus, qui quicquid videt per lucem solis videt,* quam in ipso sole nequit aspicere. Non potest intellectus meus ad illam accederé: nimis enim fulget; ideo non capit illam, nec sufficit oculus animæ meæ diu intendere in illam. Reverberatur fulgore, vincitur amplitudine, obruitur immensitate, confunditur capacitate. O summa & inaccessibilis lux, ô * sancta & beata * veritas, quæ longè es à me, qui tam propè sum tibi! Quàm remota es à conspectu meo, qui sic præsens sum conspectui tuo! Ubique es tota præsens, & non video te. In te moveor, & in te sum, * & ad te non possum accedere.] In-

Ex cap. 16. Prosl. gii
al. aliud
al. ipse tu
al. nimia mihi est infirma
al. quia vel qui in ipsum solem
al. ô tota
al. unitas
al. omit.

tra me & circa me es; & non sentio te.

Adhuc lates, Domine, animam meam in luce & beatitudine tua; & idcirco versatur illa adhuc in tenebris & miseria sua: conspicit enim, & non videt pulchritudinem tuam. Auscultat, & non audit harmoniam tuam. Olfacit, & non percipit odorem tuum: palpat, & non sentit lenitatem tuam: gustat, & non agnoscit saporem tuum. Habes enim hæc in te, Domine Deus meus, tuo inffabili modo, * quia ea dedit rebus creatis suo sensibili modo] sed obriguerunt, & obstupuerunt, & obtusi sunt sensus animæ meæ veteri languore peccati. * Quid sis, Domine, quid es, quid te * intelligit os meum? Certè Vita es, Veritas es, Bonitas es, Beatitudo es, Æternitas es, & omne bonum es.

Ex cap. 17. Prosl.
al. omit.
Ex cap. 18. Prosl.

Excitare nunc, anima mea, & erige totum intellectum tuum; & cogita quantum, quale, & quod sit illud bonum. Si enim singula bona delectabilia sunt; cogita intentè quàm delectabile sit illud bonum, quod continet * omnia bona & jucunditatem omnium bonorum: non qualem experti sumus in rebus creatis; sed tantò differentem, quantùm differt creator à creatura. Si enim bona est vita creata; quàm bona est vita * creatrix? Si * jucunda est salus facta; quàm jucunda est salus, quæ fecit omnem salutem? Si amabilis est sapientia in cognitione rerum conditarum; quàm amabilis est sapientia, quæ omnia condidit ex nihilo? Denique si multæ & magnæ delectationes in rebus delectabilibus sunt; qualis & quanta est delectatio in eo, qui fecit delectabilia? O qui hoc bono fruetur; * quid illi erit, & quid illi non erit? Certè quidquid volet, erit; & quidquid nolet, non erit: ibi quippe erunt bona corporis & animæ, qualia nec auris audivit, nec oculus vidit, nec cor hominis cogitavit.

al. omnia bona, &
al. creatrix
al. bona
Ex cap. 25. Prosl.

Cur ergo per multa vagaris, homuncio, quærendo bona animæ tuæ & corporis tui? ama unum bonum, in quo sunt omnia bona; & sufficit. Desidera simplex bonum, quod est omne bonum; & satis est. Quid enim amas, caro mea? quid desideras, anima mea? ibi est quicquid amatis, quicquid desideratis. Si pulchritudo delectat; *fulgebunt justi sicut sol.* Si velocitas, aut fortitudo, aut libertas corporis, cui nihil obsistere possit; *Erunt similes Angelis Dei; quia seminatur corpus animale, surget corpus spirituale*, potestate utique, non naturâ. Si longa & salubris vita; ibi est sana æternitas, & æterna sanitas; quia *justi in perpetuum vivent: & salus justorum à Domino.* Si satietas; *satiabuntur cum apparuerit gloria Dei.* Si melodia; ibi Angeli concinunt sine fine Deo. Si ebrietas. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ.* Si quælibet, non immunda, sed munda voluptas: *De torrente voluptatis tuæ potabis eos, Domine.* Si sapientia; ipsa Dei sapientia ostendet eis semetipsam. Si amicitia; diligent Deum plusquam seipsos; & Deus illos, plusquam illi seipsos. Quia illi illum, & se invicem per illum; & ille se, & illos per seipsum. Si concordia; omnibus illis erit una voluntas; quia nulla erit illis, nisi sola Dei voluntas. Si potentia; omnipotentes erunt voluntatis suæ, ut Deus suæ. Nam sicut Deus poterit quod volet per se ipsum; ita illi per illum. Quia sicut non aliud volent, quàm ille; ita ille volet, quicquid volent illi: & quod ille * volet, non poterit non esse. Si honor; & divitiæ; Deus servos suos bonos & fideles super multa constituet. Imò Filii Dei, & dii vocabuntur; & ubi erit filius, tunc etiam illi, *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Si vera securitas; certè * certi erunt se sua sponte illud non amissuros; nec dilectorem Dominum dilectoribus suis illud ablaturum, nec aliquid Deo potentius invitos Deum & illos separaturum. Gaudium verò quale ac quantum est;

Matt. 13.
1. Cor. 15.
Sap. 5.
Psalm. 36.
Psalm. 16.
Psalm. 35.
Ibid.
al. Nolet. non potest esse
Rom. 8.

ubi tale, ac tantum bonum eſt? Cor humanum, cor indigens, cor expertum ærumnas, immò * obrutum ærumnis, quantùm gauderes ſi iis omnibus abundares? Interroga omnia intima tua, ſi capere poſſunt gaudium ſuum de tanta beatitudine ſua. Sed certè, ſi quis alius, quem omnino ſicut teipſum diligeres, eandem beatitudinem haberet, duplicaretur gaudium tuum; quia non minùs gauderes pro * eo, quàm pro te ipſo. Si verò duo, vel tres, vel multò plures id ipſum haberent; tantumdem pro ſingulis, quantùm pro te ipſo gauderes, ſi ſingulos ſicut temetipſum amares. Ergo in illa perfecta charitate innumerabilium beatorum Angelorum, & hominum, ubi nullus alium diligit minùs, quàm ſe ipſum; non aliter gaudebit unuſquiſque pro ſingulis aliis, quàm pro ſe ipſo.

Si ergo cor hominis de tanto ſuo bono vix capiet gaudium ſuum; quomodo capax erit tot & tantorum gaudiorum? Et utique quantùm quiſque diligit * aliquem, tantùm gaudebit de ſuo bono. Sic & in illa perfecta felicitate, unuſquiſque plus amabit Deum ſine comparatione, quàm ſe & omnes alios ſecum. Itaque plus gaudebit abſque æſtimatione de felicitate Dei quàm de ſua & omnium aliorum ſecum. Sed ſi Deum ſic diligent toto corde, tota mente, tota anima; ut totum cor, tota mens, tota anima non ſufficiant dignitati dilectionis; profectò ſic gaudebunt juſti in illa ſuperna felicitate toto corde, tota mente, tota anima; ut totum cor, tota mens, tota anima non ſufficiant plenitudini gaudii.

Deus meus, & Dominus, ſpes mea, & gaudium cordis mei, dic animæ meæ, ſi hoc eſt gaudium de quo nobis dicis per filium tuum. *Petite, & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum.* Inveni namque gaudium quoddam plenum, & pluſquàm plenum. Pleno quippe corde, plena vita, plena anima, pleno toto homine gaudio illo; adhuc ſupererit ſupra modum gaudium. Non enim totum illud gaudium intrabit in gaudentes; ſed toti gaudentes intrabunt in illud gaudium.

Dic, Domine, dic ſervo tuo intus in corde ſuo, ſi hoc eſt gaudium in quod intrabunt ſervi tui, qui intrabunt in gaudium Dei ſui. Sed gaudium illud certè, quo gaudebunt electi tui; *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit* in hac vita. Nondum ergo dixi, * Domine, aut cogitavi quantùm gaudebunt illi beati tui. Utique tantùm gaudebunt, * quantùm amabunt; tantùm amabunt, quantùm cognoſcent. Quantùm te cognoſcent tunc, Domine, & quantùm te amabunt? Certè nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit in hac vita quantùm te cognoſcent, & amabunt in illa vita ſancti tui. Oro te, Deus meus, ut cognoſcam te, amem te, gaudeamque de te: & ſi non poſſum in hac vita ad plenum; vel proficiam in dies, quouſque * veniat illud ad plenum. Proficiat hîc in me notitia tua, & ibi fiat plena. Creſcat hic amor tuus, & ibi fiat plenus; ut hîc gaudium ſit in ſpe magnum, & ibi ſit in te plenum.

Domine, per filium tuum jubes, imò conſulis, petere, & promittis accipere, ut gaudium * noſtrum ſit plenum. Peto, Domine, quod conſulis per admirabilem conſiliarium tuum, ut accipiam quod promittis per veritatem tuam, ut gaudium meum plenum ſit. Meditetur interim in te mens mea, loquatur inde lingua mea, amet illud cor meum, ſermocinetur de ipſo os meum, eſuriat illud anima mea, ſitiat caro mea, deſideret tota ſubſtantia mea, donec intrem in gaudium Domini mei, qui eſt trinus & unus Deus, benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

al. obnoctum

al. pro ſe

al. alium

Ex. cap. 16. Prophet.

Joh. 16.

1. Cor. 2.

al. dixi tibi

al. omit.

al. deveniam hic.

al. veſtrum

Digitized by Google

SANCTI ANSELMI
CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI
ORATIONES.

ORATIO PRIMA.

Ad ſanctam Trinitatem.

ADESTO ſancta Trinitas, Deus unus omnipotens, Pater & Filius & Spiritus ſanctus, qui non mortem, ſed pœnitentiam deſideras peccatorum, me miſerum, & peccatorem fragilem & indignum à tua non repellas pietate. Non aſpicias ad ſcelera mea & immunditias, turpeſque cogitationes, quibus flebiliter à tua disjungor voluntate; ſed effunde ſuper me largam benignitatis tuæ clementiam. Nec ſinas de interitu meo inimicos meos gratulari in inferno, ubi nemo confitebitur tibi; ſed miſerare pondere facinorum oppreſſum, cunctarumque nequitiarum labe pollutum. Concede mihi, quæſo, miſero gratiam tuam, & libera me ab omnibus malis, præteritis, præſentibus, & futuris, à ſubitanea & perpetua morte, ab omni peſtilentia & clade, ab omni ſcandalo & periculo, à deſiderio maligno, ab opere perverſo, & ab omni peccato. Dele omnia crimina mea, iniquitates, offenſiones, & negligentias meas. Propitiare mihi in omnibus angustiis & tribulationibus, in neceſſitatibus & tentationibus, in omnibus periculis, & infirmitatibus meis.

Sancta & individua Trinitas, indeficiens bonitas, adeſto ſupplicationibus meis, ut ſicut me tuis Sacramentis feciſti participem, nullis meis meritis, ſed tua ſola benignitate gratuita; ita uſque in horam illam, qua hinc exiturus ſum, in fide, ſpe, & charitate me perſeverare facias, ab omni malo protegas & defendas, omnia mihi profutura concedas, ab æterno ſupplicio liberes, atque ad ſempiterna gaudia introducas, & illam mortiferam ac diabolicam tentationem, qua pro peccatis meis ſuper me pertimeſco prevalere, tua miſeratione, clementiſſime, amodò facias ceſſare. Trine Deus & une, humilis ſervuli tui preces nunc ſuſcipe. Dona mihi, Domine, diligentiam, quæ te quærat; ſapientiam, quæ te inveniat; animam, quæ te agnoſcat; oculos, qui te videant; converſationem, quæ tibi placeat; perſeverantiam uſque in finem, finem perfectum, retributionem æternam.

Exaudi me orantem, ſicut exaudiſti Jonam de ventre ceti: libera me, qui liberaſti Suſannam de falſo crimine. Exaudi me, ſicut exaudiſti Petrum in mari, Paulum in vinculis. Auxiliare mihi, quæſo, Domine, & ab omni malo indeſinenter libera me, à faucibus dæmonum eripe, à morte perpetua ſubtrahe, gratiæ tuæ abundantia reple: pectus meum tua virtute muni, mentem purifica, vitam ſanctifica, mores emenda, cor cœleſti ſapientia illuſtra, A æſtum carnalem tempera, iram extingue, linguam à vaniloquio compeſce, verba veritatis & miſericordiæ, benignitatis & concordiæ, procedant ex ore. In univerſa morum honeſtate ad plenum me dirige; & ne arguar in furore, confirma me, clementiſſime, in omni bono opere. Tibi, Domine, pando cordis mei ſecreta, tibi confiteor omnia peccata mea, tibi denudo fœditatem cordis mei, tibi detego ſordes turpitudinis meæ. Durius namque peccavi, quàm Sodoma; graviùs deliqui, quàm Gomorrha. Tibi debitor ſum non tantùm decem millium talentorum criminum meorum, ſed totius vitæ meæ rationem tibi debeo: prævaricator enim legis tuæ factus ſum præ omnibus negligens, inobediens tranſgreſſor omnium mandatorum tuorum in omni vita mea. Unde nunc prævenio faciem tuam in confeſſione, exorans nimia cordis anxietate, fletuum & lacrymarum contritione, ut in hoc tempore accepto exaudias me, & in iis die- B bus ſalutis adjuves me. Omnes actus meos in beneplacito tuo compone, ut proficiam de die in diem, & eam de virtute in virtutem. Tibi, Domine, ſupplices preces, tibi fletum cordis effundo. Tu parce confitenti, ut ſic in hac mortalitate (te adjuvante) peccata mea defleam, ut in die judicii ſententiam damnationis evadam. Tu lumen æternum, ab omni cæcitate humana oculos meos adaperi, propoſitum & habitum religionis in me cuſtodi. Ab omni impedimento mundi, vel ſeculari deſiderio cor meum defende: & ſicut habitum gero innocentiæ, ſic mihi virtutum incrementa tribue; ut veterem cum ſuis actibus hominem exuere, & novum cum juſtitia & ſanctitate merear induere; ut omnibus protectionis tuæ munitus auxilio, in tua ſemper dilectione permaneam, cœleſtem benedictionem accipiam, & præſentis vitæ præſidiis (te donante) gaudeam, & æternæ. Amen.

C Immenſam miſericordiam tuam, miſericors Deus & miſerator, iterum exoro, remitte mihi omnes lubricæ temeritatis offenſas; ut anima mea benignitatis tuæ dulcedine repleatur, & conceſſâ veniâ plenæ indulgentiæ, quidquid pro proprio reatu delibui, totum per ineffabilem pietatem tuam dele & abſterge. Nec ſit à me clementiæ tuæ longinqua miſeratio; ſed quidquid tuæ voluntati contrarium, fallente diabolo, & propria iniquitate atque fragilitate contraxi, tu pius & miſericors ablue indulgendo. Sana vulnera, cunctaque remitte peccata; ut nullis à te iniquitatibus ſeparatus, ſed ſemper hîc &

Digitized by Google

ubique defensionis tuæ auxilio munitus, tibi Domino semper valeam adhærere, & perpetuæ gloriæ quandoque portionem percipere, quam oculus non vidit, & auris non audivit, & in cor hominis non ascendit, quæ præparasti diligentibus te. Amen.

O lux beata Trinitas, & principalis unitas, auge in nobis fidem, auge spem, auge charitatem, libera nos, salva nos, justifica nos. O beata Trinitas, solve crimina, dimitte peccata, miserias pelle, angustias amove, tribulationes inspice, adversitates pelle, effectumque petitionis nostræ largiens, clementer nos exaudi; ut exuti ab omnibus, quæ patimur, malis in tuis semper delectemur exultare judiciis. Advent quæso, pie Domine, & in medium nostri consilte, ut te invenire in cordibus nostris sentiamus. Oris nostri confessionem libenter suscipe; & fructum nos viriditatis habere concede; quatenùs tuis imbribus irrigati mereamur tibi suavium fructuum ubertate placere, ut in tui amoris accendamur illustratione, & veræ charitatis illuminemur igne. Et sicut Moysem famulum tuum mirabili illuminasti splendore, ita corda & sensus nostros illuminare digneris; ut peccatorum labe expiati ad te, qui æterna vita es, pervenire mereamur. Da gaudiorum præmia, da gratiarum munera, dissolve litis vincula, astringe pacis fœdera. Illumina cor hominum, absterge sordes mentium, resolve culpæ vinculum, everte moles criminum.

Peccavimus tibi, Domine, patientiam habe in nobis, & erue nos à malis, quæ quotidie accrescunt super nos. Iniquitates nostræ, Domine, multiplicatæ sunt super capita nostra, delicta nostra creverunt usque ad cœlos. Parce, Domine, & inclina super nos misericordiam tuam. Domine, imminuti sumus propter peccata nostra hodie; sed in animo contrito & spiritu humilitatis suscipiamur, & fac nobiscum secundùm mansuetudinem tuam, quia non est confusio confidentibus in te, Domine. Non est alius Deus præter te, Domine, & tibi de omnibus cura est, eo quòd Dominus omnium es. Parce populo tuo, qui das precantibus largitatem, ut convertatur malitia in bonitatem. Exaudi, Domine, deprecationem servorum tuorum, & miserere populo tuo, ut sciant omnes gentes quia tu es Deus sæculorum. Miserere civitati sanctificationis tuæ, Domine Deus noster. Miserere plebi tuæ, Domine, super quam invocatum est nomen tuum sanctum; ut sciant omnes, qui habitant terram, quia tu es Deus protector populorum tuorum. Dimitte, Domine, peccata populi tui, secundùm multitudinem misericordiæ tuæ. Sicut propitius fuisti patribus nostris, propitius esto & nobis, ut impleatur gloria tua in universa terra.

Exaudi, Deus, deprecationem nostram, & propitius esto populo tuo, & converte tribulationem nostram in gaudium, ut viventes benedicamus te Domine. Deprecamur te, Domine, in omni misericordia tua, ut auferatur furor tuus, & ira tua à civitate ista, & à domo sancta tua, quoniam peccavimus. Inclina, Domine, aurem tuam, & audi; respice de cœlo, & vide afflictionem populi tui. Exaudi, Domine; propitiare, Domine; intende, ne tardaveris, quia nomen sanctum tuum invocatur super nos. Multa sunt, Domine, peccata nostra; tibi peccavimus; patientia, Israël; libera nos, Domine, in tempore angustiæ nostræ. Peccavimus, Domine, & tu iratus es nobis, & non est qui effugiet manum tuam; sed supplicamus ut veniat super nos misericordia tua. Qui Ninivæ pepercisti, miserere nobis. Reminiscere miserationum tuarum, Domine, & quos huc usque toleras, ad pœnitentiam compunge. Propitiare, Domine, omnibus Christianis vivis, & defunctis. Auxiliare optimis, ut in bonitate semper consistant. Miserere bonis & mediocribus, ut meliores fiant. Succurre pravè agentibus & delinquentibus, ut citò se corrigant. Propitiare etiam, Domine, hæreticis, & schismatis, Judæis, & Paganis, ut revertantur à viis suis malis, & cognoscant te Deum vivum & verum, qui fecisti cœlum & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt. Miserere omnibus fidelibus defunctis, dans eis vitam beatam propter pietatem tuam.

Memento nostri, Domine, in gravi isto corpore, convertat tua benignitas, quos longa sustinuit pietas. Miserere nostri, Deus omnium, & respice nos, & ostende nobis lucem miserationum tuarum. Nos miseri, nos sumus opera tua, quæ dedisti Filio tuo in hæreditatem sibi. Noli claudere aurem tuam ad preces nostras, sed subleva clemens afflictionem populi tui, illud revolvens quod pollicitus es dicens: *Convertimini ad me, & ego revertar ad vos.* Memento nostri, Domine, memento nostri, ut efficiamur hæredes regni tui, & videntes gloriam tuam adoremus bonitatem tuam, & dicamus pariter, cùm viderimus inæstimabilem pulchritudinem tuam, Gloria Patri, qui fecit nos; gloria Filio, qui salvavit nos; gloria Spiritui sancto, qui renovavit nos, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO II.

Ad Deum Patrem per merita Filii incarnati.

INvoco te Deus meus, invoco te, quia prope es omnibus invocantibus te: sed * invocantibus in veritate: Tu enim veritas es. Doce me, quæso * per clementiã tuam, sancta veritas, * doce me invocare * te in veritate: quia quomodo hoc fieri oporteat, nescio; sed doceri à te, beata veritas, humiliter imploro. Abs te enim sapere, desipere est: te verò nosse est * perfectè scire. Erudi me, ô divina sapientia, & doce me legem tuam. Credo * namque quia * beatus erit, quem tu erudieris & de lege tua docueris eum. Desidero invocare te, quod * quæso fiat in veritate. Quid est invocare in veritate veritatẽ, nisi in Filio Patrem? Ergo, sancte Pater, sermo tuus veritas est, principium verborum tuorum veritas. Hoc quippe est verborum tuorum principium, quod in principio erat Verbum. In ipso principio te summum adoro principium: in ipso veritatis Verbo te perfecta invoco veritas: * in quo ipsa eadem veritas, dirigas me & doceas in veritate. Quid enim dulcius quàm Genitorem in nomine Unigeniti exorare, Patrem in recordatione Filii ad pietatem flectere, Regem charissimæ * sobolis denominatione mitigare?

Sic rei solent carceribus eripi; sic mancipati vinculis liberari; sic tristem capitis excipientes sententiam, non solùm * absolvi, sed insuper nancisci insolitam gratiam; dummodo iratis * principibus delectæ prolis intimaverint charitatem. Sic delinquentes servuli evadunt supplicia dominorum, dum pro eis intervenit dulcedo filiorũ. Sic te, Pater omnipotens, per omnipotentis Filii tui charitatem postulo: educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo, libera me à vinculis peccatorum, per coæternum tibi natum unicum flagito; meque, cui propria merita * lethalem minantur sententiam, * pretiosissimæ ad dexteram tuam consedentis prolis * interpellatione restaura placatus ad vitam. Quem alium enim dirigam intercessorem pro me tibi, nescio: nisi hunc, qui est * propitiatio pro peccatis nostris, qui sedet ad dexteram tuam * interpellans pro nobis.

Ecce advocatus meus apud te Deum & Patrem:

al. om. per al. veritas invocare, quia

al. sanè

al. quæso ut

al. quod in ipsa eadem

al. prolis denotatione

al. virum

al. patribus

al. qui etiam communi sibi gloriã pietatem tuam interpellat.

ecce Pontifex summus, qui non eget alieno expiari sanguine; quia proprio refulget * perfusus cruore. Ecce hostia sancta, beneplacens & perfecta, in odorem suavitatis & oblata & accepta. Ecce Agnus sine macula, qui coram se tondentibus obmutuit, qui * alapis cæsus, sputis illitus, probris affectus, os suum non aperuit. En qui peccatum non fecit, peccata nostra pertulit, & languores nostros suo livore sanavit. Aspice, pie Pater, pissimum Filium tuum pro me tam * impia passum. Respice, Rex clementissime, * quis patitur; & reminiscere, benignus pro quo patitur. Nonne hic est ille innocens, mi Domine, quem ut servum redimeres, Filium tradidisti? Nunquid non auctor vitæ hic est, qui ut ovis ad occisionem ductus, tibique obediens usque ad mortem factus, atrocissimæ non timuit necis genus subire? Recole totius salutis * dispensator, quia hic ipse est, quem etsi ex * tua virtute genuisti; meæ tamen infirmitatis participem fieri voluisti.

Verè hæc est tua Deitas, quæ meam * induta naturam crucis ascendit patibulum * in assumptaque carne triste tulit supplicium. Reduc, Deus meus, oculos majestatis tuæ super opus ineffabilis pietatis, intuere ducem natum toto corpore extensum, cerne manus innocuas pio manantes sanguine, & remitte placatus scelera quæ patraverunt manus meæ. Considera inerme latus crudeli perfossum cuspide, & renova me sacro fonte, quem inde fluisse credo. Vide immaculata vestigia, quæ non steterunt in via peccatorum; sed semper ambulaverunt in lege tua, diris confixa clavis; & perfice gressus meos in semitis tuis: & fac me odio habere omnem viam iniquitatis, viam iniquitatis, misericors, amove à me: & fac me propitius viam veritatis eligere. Oro te, rex * sæculorum, per hunc Redemptorem meum, fac me currere viam mandatorum tuorum, ut ei valeam spiritu uniri, qui non horruit mea carne vestiri.

Nunquid non attendis, pie Pater, adolescentis Filii * charissimum caput, nivea cervice deflexa, * pretiosissimam resolutum in mortem? Aspice, mitissime Conditor, dilectæ sobolis humanitatem, & miserere super infirmi plasmatis debilitatem. Candet nudatum pectus, rubet cruentum latus, tensa arent viscera, decora languent lumina, regia pallent ora, procera rigent brachia, pendent crura marmorea, rigat terebratos pedes sacri sanguinis unda. Specta, gloriose genitor, gratissimæ prolis lacerata membra, & memorare benignus quæ mea est substantia. * Conspicare Dei hominis pœnam, & * relaxa conditi hominis miseriam. Vide Redemptoris supplicium, & redempti dimitte delictum. Hic est, Domine mi, quem propter peccata populi tui percussisti; licet ipse sit dilectus in quo tibi bene complacuisti. Hic est ille innocens in quo dolus non est inventus, & tamen cum iniquis deputatus est.

Quid commisisti, dulcissime puer, ut sic judicareris? Quid commisisti, amantissime juvenis, ut * sic tractareris? Quod scelus tuum, quæ noxa tua, quæ causa mortis, quæ occasio tuæ damnationis? Ego enim sum tui plaga doloris, tuæ culpa occisionis. Ego tuæ livor passionis, tui cruciatus labor. Ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium. O mirabilis censuræ conditio, & ineffabilis mysterii dispositio! peccat iniquus, & punitur justus: deliquit reus, & vapulat innocens: offendit impius, & damnatur pius: quod meretur malus, patitur bonus: quod perpetrat servus, exolvit dominus: quod committit homo, sustinet Deus. Quo, nate Dei, quo tua descendit humilitas? quo tua flagravit charitas? quo processit pietas? quo excrevit benignitas? quo tuus attigit amor? quo pervenit compassio? Ego enim iniquè egi, tu pœnâ mulctaris: ego facinus admisi, tu ultione plecteris: ego crimen edidi, tu torturæ subjiceris: ego superbivi, tu humiliaris: egò tumui, tu attenuaris: ego inobediens extiti, tu obediens Patri scelus inobedientiæ tuis: ego gulæ parui, tu inedia afficeris: me ad * illicitam rapuit concupiscentia ardorem, te perfecta charitas ducit ad crucem: ego præsumpsi vetitum, tu subiisti oculeum: ego delector cibo, tu laboras in patibulo: ego fruor deliciis, tu laniaris clavis: ego pomi dulcedinem, tu felis gustas amaritudinem: mihi * reo ridens congaudet Eva, tibi * piè plorans compatitur Maria.

Ecce, rex gloriæ, ecce impietas mea & claret pietas tua; en mea injustitia, & tua liquet justitia. Quid, rex meus, & Deus meus, quid retribuam tibi pro omnibus quæ retribuisti? Non enim inveniri potest in corde hominis quod condignè talibus referatur præmiis. Nunquid potest sagacitas machinari humana, cui comparetur miseratio divina? Nec est creaturæ moliri officium, quo justè Creatoris recompenset præsidium. Est autem, nate Dei, in hac tua admirabili * dispensatione, est cui mea fragilitas in aliquo * suppetit, si tua visitatione compuncta mens carnem suam crucifigat cum vitiis & concupiscentiis. Et * si hoc à te conceditur, quasi jam tibi incipit compati; * quia & tu pro peccato meo dignatus es mori: sicque per * interiorem hominis victoriam te duce, armabitur ad exteriorem palmam: quatenus devicta persecutione spiritali, non vereatur pro amore tuo subjici gladio materiali. Ita exiguitas conditionis, si tuæ complaceat pietati, magnitudini valebit pro viribus respondere Creatoris. Et * hæc cælestis medicina, bone Jesu, hoc tui antidotum amoris.

Oro te per antiquas misericordias tuas, infunde meis * visceribus, quod rejectâ viperea * contagionis * bile, reintegret me incolumitati pristinæ; * quod gustato nectare tuæ suavitatis, faciat me illecebrosa mundi prospera toto affectu despicere, & nulla ejus adversa pro te formidare: memorque perpetuæ nobilitatis semper fastidiam ventos hujus transitorii * timoris. Nihil, quæso, sine te mihi dulcescat, nihil complaceat, nihil pretiosum, nihil præter te mihi arrideat speciosum: vilescant, obsecro absque te mihi omnia, sordeant universa. Quod tibi adversum est, sit mihi molestum; & beneplacitum tuum, mihi indeficiens desiderium: tædeat me gaudere sine te, & delectet me tristari pro te. Sit mihi nomen tuum refocillatio, & memoria tua mea consolatio; fiant mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, tuas investigando justificationes, sit bonum mihi lex oris tui, super millia auri & argenti sit obedire tibi mihi amabile, & resistere tibi execrabile. Rogo te, spes mea, per omnes pietates tuas, ut propitieris omnibus * impietatibus meis. Adaperi aures meas mandatis tuis, & ne declines, flagito, per nomen sanctum tuum, in verba malitiæ cor meum, ad excusandas excusationes in peccatis. Peto etiam per admirabilem humilitatem tuam, ne veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moveat me.

Ecce, omnipotens Deus, Pater Domini mei, dispone benignus quo mihi misereris: * quoniam quicquid pretiosius inveni, devote tibi obtuli: quicquid carius reperi, suppliciter præsentavi: mihi nihil reliqui quin tuæ expoluerim majestati: nihil jam superest quod adjiciam; quia totam tibi delegavi spem meam. Direxi tibi advocatum meum, tuum dilectum Filium, misi, inquam, intercessorem, per quem confido veniam; mihi verbis * Verbum quod pro meis dixi missum factis: & numeravi tibi sanctissimæ sobolis * mortem quam pro me credo fuisse perpessam. Credo à te missam Deitatem * nostram suscepisse humanitatem, in qua dignum duxit vincula, alapas, sputa, irrisionesque perferre, necnon cruces clavosque suscipere. Hanc olim infantiæ vagitibus demolitam, pueritiæ pannis constrictam, * sudoribus vexatam, jeju-

al. plagis
al. Impio
al. patet
al. cum, qui
al. dispositor
al. una
al. laduit
al. qui assumptaque
al. Sanctorũ per hunc sanctum Sanctorum
al. charissimi
al. pretiosa resolutum in morte
al. conspice
al. relaxa
al. adeo dure
al. illicitum rapuit concupiscentia ardorem vel ad illicitam concupiscentiam sepelit arbor
al. dispositione suppeditet
al. cùm
al. compati, vel vivere: quia & pro peccatoribus
al. interiorem hominis vel interiorem victoriam
al. hoc cœlestis medicina
al. vulneribus
al. cogitationibus.
al. labe
al. quo gustato nectare
al. mundi
al. quomodo
al. verbis quia pro
al. passionem
al. juventutis sudoribus

niis maceratam, vigiliis afflictam, itineribus fessam; A postea affectam flagris, laceratam suppliciis, deputatam cum mortuis: * dotatam verò gloriâ resurrectionis cœlorum gaudiis induxit, & in dextera tuæ celsitudinis collocavit.

al. dilatam

* Tu placatio mea, & propitiatio mea, hîc intende pius * quem genueris Filium, & quem redemeris servum: hic aspice factorem, & ne despicias facturam: amplectere serenus pastorem, & recipe misericors allatam propriis humeris ovem. Hic ipse est fidelissimus pastor ille, qui dudum errabundam ovem per abrupta montium, per præcipitia vallium multis variisque quæ fierat laboribus; quique jam morienti, jam per longa exilia deficienti tandem inventæ gaudens se * supposuit, & miro sibi adnisu charitatis anxiam de * profunda confusionis abysso levavit; piisque afflictam complexibus ad nonaginta novem, unam quæ perierat, * reportavit ovem. Ecce, Domine mi Rex, omnipotens Deus, ecce pastor bonus refert tibi * quod commisisti ei. Suscepit, te disponente, ad salvandum, hominem; quem tibi restituit omni labe immunem: ecce B tibi tuum charissimus Filius plasma reconciliat, quod à te procul * devia verat. En gregi tuo mitis pastor reformat, quod prædo violentus abegerat: reddit tuis conspectibus servum, quem sua * fecerat conscientia fugitivum; ut qui per se pœnam meruit, per factorem mundi mereatur veniam; cuique pro culpis suis superat gehenna, tanto duce jam confidat revocari ad patriam. Potui per me te, sancte Pater, offendere; sed non potui per me te * mihi placare: factus est adjutor meus*, Deus meus, tuus dilectus Filius, meam participans humanitatem, ut curaret infirmitatem: quatenus unde * culpa emerserat offensionis, inde tibi immolaret sacrificium laudis: meque per hoc tuæ redderet pietati placabilem, quo sedens ad dexteram tuam semper * meæ substantiæ se ostenderet esse consortem. Ecce spes mea, ecce tota fiducia. Si me pro mea, ut dignum est, despicis iniquitate; respice me saltem * misertus pro dilectæ soboli charitate: attende in Filio * quo propitieris servo. Vide carnis sacramentum, & carnis remitte reatum: * recolo quod bonus perpessus est Filius, & obliviscere quod malus operatus est servus.]

al. hanc placatio mea & propitiatio tua.
al. quomodo
al. respice
al. posita
al. ovem quam
al. sua propria
al. satisfactionem hujus
al. quique sperabat gehennam
al. culpam emiserat
al. me
al. quid propitieris in servo
al. amis.

Quotiens beatæ prolis tibi patent vulnera, delitescant, obsecro, scelera mea: quotiens rubet pretiosus sanguis pio de latere, * deleatur, supplico, * labes meæ pollutionis. Et quia te caro lacessivit ad iram, caro te inflectat, precor, ad misericordiam; ut sicut me caro seduxit ad culpam, caro deducat ad veniam.

al. valeta
al. tabes

Multum * quippe est, quod mea mereretur impietas; longè autem majus est, quod Redemptoris mei * repositi jure * pietas: magna enim est mea injustitia; * multò verò major est Redemptoris mei justitia. Quantò enim superior est Deus homine; tantò mea malitia est inferior bonitate ejus, * ut qualitate ita etiam quantitate. Quid enim * delinquere posset homo, quod non redemerit Dei Filius factus homo? Quæ tanta superbia tumeret, quam non tanta humilitas sterneret? Quodnam * esset mortis imperium, quod nati Dei non destrueret crucis supplicium? Nimirum, Deus meus, si æquâ lance * iniquitates peccantis hominis, & redimentis gratia * libretur auctoris: non tantùm oriens distat ab occidente, seu inferior separatur infernus à summo cœli cardine; * quantùm pietas Redemptoris superat malitiam peccatoris.]

al. posita
al. pietas
al. deliquit
al. tantum esset
al. amit

Jam, lucis optime Creator, jam culpis ignosce meis pro dilecti Filii tui laboribus immensis. Jam quæso, ejus pietati mea impietas, ejus modestiæ mea perversitas, & ejus mansuetudini mea * doneturferocitas. Jam sua humilitas meam superbiam, patientia impatientiam, benignitas duritiam, obedientia inobedientiam, tranquillitas inquietudinem, dulcedo amaritudinem, suavitas iram, charitas lucrifaciat crudelitatem. Qui tecum, &c.

al. domeme

ORATIO III.

AD DEUM

Contra tres inimicos qui peccatorem gravius multoties infestant; & nisi misericordia Dei eum tueatur, sæpius ad mortem vulnerant, scilicet, inanis gloria, invidia, superbia.

DOmine, Deus meus, in te speravi, salvum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me. In te Domine, speravi, non confundar in æternum, in tua justitia libera me & eripe me. Domine, Deus meus, creator meus, & gubernator meus, sicut dixi & semper * dicam, in te speravi, & in te spero; nec quandiu fuerit halitus in naribus meis, à misericordia tua desperabo. A meipso verò, si diligenter omnes actiones meas inspicio, semper despero; quia semper in malis operibus conversor: sed respiciens ad dulcissimum creatorem meum, ad patientissimum Dominum meum, qui malè me vivere conspicit, & adhuc expectat correctionem meam, expectans & tolerans auscultat si in aliqua re * curarem, emendare vitam meam; respiro, & misericordiam creatoris mei, qui tam dulciter me tolerat, invoco. Ex omni * parte invadunt me inimici mei D & jam ferè ex omni parte perforant & irrumpunt interiora cordis mei: & nisi ille piissimus Dominus meus, qui me creavit, mihi subveniat, subveniens, & terrens inimicos * meos, qui sic me tribulant, repellat; illorum vinculis infœliciter ligata jam citò ducetur captiva anima mea. Ergo libera me, Domine, ex omnibus persequentibus me; & si non propter me, saltem propter te. Propter me, fateor, dulcissime Domine Deus meus, non est tibi ratio liberandi me: quia ferè semper delectat me malum facere, & in malis operibus perseverare. Sed propter te libera me, quia verecundia tua est inimicos tuos * creaturam tuam sic deludere, sic delusam & eorum sordidissimis vitiis fœdatam malè tractare, quam tam honestam creasti, tanto honore rationis exornasti, quam ad imaginem & similitudinem tuam plasmasti. C

al. dico
al. curarem
al. omis. at anim
al. fœdatam

Ecce, dulcissime Deus meus, ecce infœlix spiritus meus malis operibus undique corrosus, de dentibus inimicorum suorum, quibus infœliciter dilaniabatur, vix erutus tuum auxilium implorat, tuæ gratiæ visitationem suspirat, quia nisi citò subvenias, eorum insecutione graviter fatigatus jam etiam ad te nec anhelare valebit. Multi sunt inimici mei, sicut vides, piissime creator meus, quorum sævitiâ graviter ferior, percussus & illusus non modicos dolores sustineo: sed unus inter cæteros semper gravius me appetit, & semper sine ulla miseratione, usque ad interitum prosternere contendit. Sæpius enim cùm alii inimici mei ab insecutione mea quasi fatigati quiescunt, unus audacior cæteris fortius telum vibrat, scilicet, inanis gloria; quæ non solùm miserum hominem malis operibus * maculat, sed etiam de ipsis bonis operibus quæ agere videtur, si se cautè non custodit, jugulat. Hæc pestis progenita est ab illa superbia quæ primum hominem prostravit, prostratum & vulnera-

al. sperno maculat

Digitized by Google

tum ab illa fœlicitate, quam poſſidebat, expulit. Et ut miſerum, quem invadit, fortiùs proſternat; invidiam, per quam mors intravit in orbem terrarum, ſecum ad adjuvandum ſe advocat. Invidia igitur miſerum quem arripit, uric; urendo, triſtem & quaſi languore poſſeſſum * incedere facit. Inanis verò gloria, quaſi recreando, de ipſis bonis operibus quæ facere fingit, extollit. Sed ut miſerum quem ſemel inanis gloria * intercipit, infœliciùs captivum ducat, nec ei ullam ſpem evadendi relinquat; ad matrem ſuperbiam recurrit, & ejus animata mortifero conſilio virtutem diligendi Deum & proximum ei primùm abſcidit. Dum enim infœlix, quem inanis gloria inficit, ſuperior cæteris videri cupit; ſi quem conſiderat * in bonis operibus meliorem ſe eſſe, rectiuſque incedere negare non poſſit; illum, ſi valet, & omnia quæ agit, opprimit: non valet, quia apertè recta ſunt; ſaltem ut non ex toto rectè acta credenda ſint, quocumque modo obnubilare ſatagit. Sicque miſer animus hac captivitate poſſeſſus, nec rectum agit, ſi * quid rectum agere videatur; quia nec proximum diligit, quem ſicut ſe amare præcipitur; nec Deum amat, quem hoc * agendo non amare convincitur. Qui enim proximum ſuum non amat, nec eum in quantùm valet, ut in bono proficere poſſit, adjuvat; nec Deus illum amat, nec ad ejus opera reſpicit, etiamſi coram hominibus videantur eſſe bona. Quid verò, quid miſerius poteſt eſſe homine, qui ſe de bono opere extollit? Qui dum ſeſe putat extollere, de ſupernis ad ima ruit: ſuperbia enim ſemper naturaliter in profundum inferni jacet, humilitas verò ſemper in cœlis habitat, & in cœlo manet. Et quem inanis gloria de ſummis dejicit, ſuperbia mater ejus in brachiis æternæ perditionis excipit: * ſicut econtrario, cujus humilis converſatio eſt in terris, Deus qui humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit, eum de ima converſatione elevat in cœlos.

Fateor, mitiſſime Deus, fateor me his tribus malis, imò his tribus furiis infernalibus graviter eſſe proſtratum, & ferè uſque ad interitum in anima vulneratum; & niſi indulgentiſſima miſericordia tua citò ſubveniat, graviùs eſſe damnandum. Heu miſer, heu miſer, ſemper & ubique, heu miſer, quanta captivitas eſt miſeri hominis. Si malè vivit, eſt aperta damnatio; ſi rectè quidem vivere videtur, ſed incautè ſe cuſtodiens inde gloriatur; iterum eſt miſero certa mors, & æterna damnatio. O Deus, noſtrum refugium, ô creator noſter, & virtus noſtra adversùs eos qui nos perſequuntur, & ſi te nos viderint propter peccata noſtra dimittere, ſemper inſidiantur; adjuva nos, miſericors, tuâ miſerico dià ſemper indigentes, tuæ miſerationis auxilium, pluſquam nobis expediret, tepidè poſtulantes. Et ſi nos deſpicis ideo quia multis iniquitatibus * involvimur; ſaltem redue ad nos miſericordes oculos tuos, quia creatura tua ſumus. Et ſicut veriſſimum eſt te noſtrum ſemper eſſe creatorem; ſic ſemper & ubique ſentiamus te noſtrum eſſe defenſorem, & adversùs inimicos noſtros indeficientem protectorem; ut in præſenti vita ſemper à te defenſi & adjuti, finito temporali curſu, ad te creatorem noſtrum & Dominum perveniamus ab omnibus peccatis mundati & abſoluti. Amen.

al. incedens

al. quia

al. hoc modo

al. sic & contrario

* nos involvimur

ORATIO IV.

*Cùm peccator de iniquitatibus ſuis multùm eſt anxius; eaſque coram Deo, omni poſtpoſitâ verecundiâ * expandit.*

ALtiſſime, & mitiſſime amator hominum Deus, creator & gubernator omnium creaturarum, immenſæ bonitati tuæ confiteor omnia peccata mea, quæcunque quocunque modo feci, ex ea hora ex qua peccare potui uſque ad hanc horam, in qua adhuc per miſericordiam tuam me vivere pateris. Omnium verò non poſſum eſſe memor, quia multa ſunt, & facilè enumerari non poſſunt. Sed tu, piiſſime, & miſericordiſſime Deus, cui nota ſunt omnia antequam fiant, qui verus inſpector es cogitationum, & juſtiſſimus ſcrutator cordis & renum: tu noſti omnia peccata mea, quæcunque egi, vel adhuc ago, vel intus in anima mea per occultas cogitationes, vel foris per apertas operationes. Et propterea, * quia veraciter hæc omnia me feciſſe contra voluntatem tuam * intelligis, coram majeſtate tua, & coram * omnibus Sanctis tuis, me reum & culpabilem eſſe confiteor; & niſi indulgentiſſima miſericordia tua priùs ſubveniat, * poſt mortem carnis æterna morte eſſe damnandum, æterniſque tormentis æternaliter eſſe torquendum.

Scio, dulciſſime Deus, ſcio quia me creaſti, & creatum miſericorditer dilexiſti: & quia ad hoc me creaſti, ut & ego quoque te creatorem meum, ſicut dignum eſſet, diligerem, tuiſque præceptis per omnia obediens eſſem. Et hoc totum ad bonum meum feciſti; non ut tu * per me vel melior eſſes, vel in aliquo ditior exiſteres. Tu enim nullo bono eges, quia tu eſſentialiter es ipſum bonum, & à te eſt omnis bonus, quicunque bonus eſt. Et ideo non potes eſſe vel * melior, vel ditior: & hoc non per falſam impotentiam, ſed per veram potentiam non potes. Qui enim malum poteſt & facit, malo ſuo hoc poteſt & facit; quia per hanc potentiam non ſurſum ad excelſa * erigitur fœliciter, ſed deorſum ad ima attrahitur infœliciter. Hac potentiâ, vel potiùs impotentiâ miſerabiliter ſeductus, & quaſi veſica turgens inaniter inflatus, extra rationem poſitus, & quaſi jumento inſipienti ſimilis factus, telo ſuperbiæ miſerrimè percuſſus & proſtratus te creatorem meum & miſericordiſſimum Dominum in tuis præceptis contempſi, quæ mihi ad bonum meum, ſi obſervaſſem, dediſti: * contemnens, & veluti mente perditus, dum huc illucque quaſi ſuperbè feror, vera ſoliditate perdita, vias perditionis & mortis incuſo; ac vanitatem, vanæque elationis * ventum ſtultè & inſipienter ſequor.

Fateor, clementiſſime Deus, fateor coram omnipotentia tua me nimis eſſe ſuperbum, vanum, & omni genere elationis plenum. Et puto quia ſi in hoc ſæculo aliquam haberem potentiam; nullus poſſet ſufferre meam ſuperbiam. Sed & iſta ſuperbia, qua coram hominibus tam graviter vexor, quamvis ſit execrabilis, & nimis periculoſa; eſt tamen alia ſuperbia, qua, cùm diligenter ſecretum mentis meæ non mihi * blandiens inquiro, non parum vexatur & diſſipatur infœlix anima mea. Aliquando verò ſi contingat (quod tamen rarò accidit) infœlix aliquid me facere, quod ſecundùm æſtimationem hominum videatur aliqua ſimilitudo boni; non parum de hoc ipſo ſuperbio. Et ſi meno inde loquitur, vel aliquo modo me laudare * curat; eum, quaſi ſtultum & nihil ſcientem deſpicio: vel etiamſi, quaſi non curans, laudationem hominum vanam & inutilem fugio; non parum in ipſis interioribus meis, ubi ſolus Deus videt, inde glorior; & mirum in modum, * dum laudationem vito, eò ampliùs laudationem & vanam gloriam appeto. Ecce, Deus meus, & creator meus, ecce vides me ita facere, ita vivere, & totum quod vivo perdere: ecce vides, & execraris; &

al. intelligo

al. scio post

al. pro

al. major

al. dirigitur

al. contemptum

al. ventum

al. blandiens

al. non curans

pro

pro tali vita non niſi pœnas & tormenta promittis. Subveni ergo, creator meus, ſubveni adjutor in opportunitatibus, ſubveni & adjuva animam meam, & per ineffabilem miſericordiàm tuam deſtrue & confunde ſuperbiam meam. Ecce, Deus meus, & Dominus meus, ecce confiteor immenſæ bonitati tuæ veneno hujus malitiæ mé totum eſſe infectum, corruptum & deſtructum, & jam ferè nili miſericordia tua ſubveniat, ad nihilum redactum. Sed coram majeſtate tua culpam meam recognoſco, reus & culpabilis veniam & indulgentiam de hoc & de omnibus peccatis meis à te. miſericors creator, peto, qui non vis mortem peccatoris, nec lætaris in perditione morientium. Sunt & alia multa quæ de radice hujus pellis exoriuntur, quæ me habere & eorum moleſtiis non parum inquietari & læſiſſime atteri ſimiliter confiteor. Et ſimiliter de his omnibus veniam & indulgentiam requiro. Sunt autem hæc *, videlicet, ira, impatientia, inimica Deo & omnibus ſanctis odioſa diſcordia, indignatio, rancor animi, tædium mentis, voracitas gulæ, murmuratio avaritia, rapacitas & multa his ſimilia, quibus vexari & affici, lacerari & diſcerpi infœliciter animam meam conſpicio.

Eſt & præter hæc, unum malum ſuper omnia mala malum, quo tantò graviùs & miſerabiliùs laceratum & afflictum animum meum ſentio, quantò * & ab ipſis cunabulis ſemper mecum fuit, mecum crevit, in infantia, in adoleſcentia, in juventute mihi * ſemper adhæſit, nec adhuc jam præ ſenectute membris deficientibus me deſerit. Eſt autem hoc malum, deſiderium voluptatis, delectatio * carnis, tempeſtas libidinis, quæ multis & variis modis infœlicem animam meam maceravit, diſſolvit, & omni virtute deſtitutam inanem & debilem reddidit. Fateor, dulciſſime & mitiſſime Deus, fateor coram omnipotentiâ tuâ me * hujus nefario opere hujus operis nefarii immundis recordationibus ſæpe eſſe pollutum, incenſum, ardores non modicos & inhonellos paſſum, & non ſolùm mearum delectationum malas memorias & ſtultas recordationes mihi nocere; ſed etiam aliorum malefacta mihi narrata, & per recordationes ſordidas ad memoriam reducta, cor meum non * parvo nævo iniquitatis maculate.

Ecce, Deus meus, piiſſime & miſericordiſſime Dominus meus, quamvis non parvam verecundiam paſſus, expandi coram te iniquitates meas, oſtendi vulnera & peccata mea, oſtendi animam meam malis operibus maculatam, malorum operum delectationibus infectam, malarum delectationum recordationibus fœdatam. Deus meus miſericordia mea, reſpice ad pœnitentiam meam, reſpice ad pietatem * tuam; ſuſcipe confeſſionem meam, & fac mecum ſecundùm miſericordiam tuam. Si iniquitates obſervaveris, Domine; Domine, quis ſuſtinebit? vel etiam quis juſticiâ * ſuâ ſine miſericordia tua poterit liberari? Propitius eſto mihi, Domine propitius eſto mihi peccatori: parce peccatis & iniquitatibus meis, ut per tuam miſericordiam ab omnibus vitiis mundatus ac purgatus, & ab omnibus peccatis clementer abſolutus, hnita temporali * converſatione, perduci merear ad regna cœlorum, ubi cum ſanctis omnibus te laudare, & benedicere, & glorificare valeam in ſæcula ſæculorum. Amen.

al. omit.

al. parem venenо

al. meam

al. tua

al. vita &

ORATIO V.

AD DEUM.

Ad obtinendam cordis compunctionem in oratione.

IGnoſce, Domine, ignoſce pie ignoſce & miſerere, parce ignorantiæ meæ & multæ imperfectioni meæ. Noli me tanquam temerarium reprobare, quod audeam ſervus, utinam vel bonus & non etiam inutilis & malus, & ideò valde malus quia te omnipotentem Deum noſtrum terribilem & nimis metuendum ſine cordis contritione & lacrymarum fonte, ſine reverentia debita & tremore laudo, benedico, atque adoro. Si enim Angeli te adorantes & laudantes tremunt mira exultatione repleti: ego peccator dum tibi aſſiſto, laudes dico, ſacrificium offero; cur non corde paveo, vultu palleo, labiis tremo, toto corpore inhorreſco, ſicque obortis lacrymis coram te indeſinenter lugeo? Volo, ſed non valeo; quia nequeo quod deſidero. Hinc enim mecum vehementer admiror, dum te nimis terribilem oculis fidei cerno.

Sed quis hoc ſine opæ gratiæ tuæ? Univerſa enim ſalus noſtra, magna miſericordia tua. Miſerum me, quomodo ſic inſenſata facta eſt anima mea, ut non terreatur terrore nimio, dum ſtat ante Deum, & ſuas illi laudes decantat? Miſerum me, quomodo ſic induruit cor meũ, ut oculi mei indeſinenter non producant flumina lacrymarum; dum conſervus ſermocinatur coram Domino ſuo, homo cum Deo, creatura cum creatore, qui factus eſt ex limo cum eo qui omnia fecit ex nihilo? Ecce, Domine, * pono me ante te, & quid in ſecretis de me ſentio, * paternis auribus non taceo. Tu dives in miſericordia, & largus in præmiis, da mihi de bonis tuis, ut ex eis ſerviam tibi. Non enim aliunde poſſumus tibi ſervire neque placere niſi de tuo munere.

al. pone

al. Hactenus

Confige, quæſo, timore tuo carnes meas; lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum. Utinam ſic te timeret peccatrix anima mea, quomodo ille vir ſanctus qui dixit: *ſemper enim quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum.* Dator enim omnium bonorum Deus, da mihi inter laudes tuas fontem lacrymarum ſimul cum cordis puritate & mentis jubilatione; ut perfectè te diligens, & dignè te laudans, ipſo cordis palato ſentiam, guſtem, & ſapiam quàm dulcis & ſuavis es Domine, ſicut ſcriptũ eſt: *Guſtate & videte quoniam ſuavis eſt Dominus. Beatus vir qui ſperat in eo. Beatus populus qui ſcit jubilationem. Beatus vir cujus eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacrymarum, in loco quem poſuit. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.*

Job. 31. v. 23.

Pſ. 33. v. 9.
Pſ. 118. v. 16.
Pſ. 83. v. 6.
Matt. 5. v. 8.

ORATIO VI.

AD DEUM.

Ne peccator pro ullo peccato deſperare debeat: quia pius eſt & miſericors Dominus; nec vult mortem peccatoris, ſed vitam.

MIſerere mei, *Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam; & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam.* Credimus quòd hanc orationem Spiritus ſanctus dictaverit, cujus inſpi-

Digitized by

ratione compunctus homo peccator, sed & fidelis & sibi postulat * à Deo misereri, iuasque iniquitates secundùm multitudinem miserationum ejus deleri, quem & omnipotentissimum Deum & misericordissimum Dominum esse credit. Est autem hoc opus Spiritus sancti, quòd peccatori sua facinora displicent, & ea agere satagit quæ creatori suo placent. Sed & hoc suis viribus non valet, nisi ejusdem Spiritus sancti gratia * iluminatus; cujus cor cùm per suam gratiam visitat, protinus ab omni labe vitiorum emundat. Dulcis est verò Dominus & pius erga creaturam suam, quam creavit ad imaginem suam & similitudinem; & quam tanto ditavit honore, nullo modo nisi ejus magna iniquitate patitur perire. Est autem, est omnino universitatis creator suavis & mitis, & multæ misericordiæ omnibus invocantibus se, omnibus qui invocant eum in veritate; & voluntatem timentium se * facit, & deprecationem eorum exaudit, & per suam magnam misericordiam salvos ad sempiternam gloriam ducit. Miseretur enim omnium, & nihil odit eorum quæ fecit, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam, & parcens illis, quia pius est Dominus. Est autem misericors Dominus peccatoribus à suis nequitiis cessantibus, & per veram pœnitentiam veræque pœnitentiæ bona opera suas malitias mundantibus; & per veram confessionem, veræque confessionis sacrificium, * sese mactantibus. Est autem vera pœnitentia veraque confessio, & perpetrata mala plangere, & plangenda amplius non admittere. Quomodo verò miseretur pater filiorum, & multò magis quàm pater carnalis filiorum; miseretur pius & misericors Dominus omnium se timentium. Ipse enim novit figmentum nostrum; cognovit etiam unde nos fecit * limum nostrum. Recordatur enim quò pulvis sumus & cinis; sed tamen ad ejus imaginem facti. Intuemes autem veréque confitens tantam misericordiam creatoris nostri erga creaturam suam, non de remissione culparum desperemus. Quoniam si ex toto corde pœniteamus, nostrasque iniquitates dignis fletibus insequamur; ejus indulgentissimam pietatem proculdubio consequemur.

Sed fortassè aliquis mente perditus, & jam ipsis voraginibus æternæ damnationis immersus, considerans enormitatem scelerum suorum, desperans de misericordia Dei, dicere apud se præsumit: quod consilium recuperandæ salutis jam ampliùs invenire potero, aut quam consolationem, aliquam veniam scelerum promittentem, sperabo? Ex quo peccare potui; nunquam à peccatis & malis operibus cessavi. Peccatis peccata semper accumulavi: & peccata, quæ aliquando operibus implere non potui, malis voluntatibus ac malis desideriis perficere nunquam cessavi. Tantis ergo malis [&] * iniquitatibus involutus, tantis criminibus & peccatis circundatus, quid jam expectare possum nisi æternam perditionem, æternæque perditionis æternam damnationem? Aliquando verò si * aliquam misericordiâ Dei peccatorum confessionem feci, & peccatorum pœnitentiam à Sacerdote accipiens, aliquam emendationem malorum promisi, statim, vel post parvam moram, eadem mala vel pejora peccata feci, & quasi canis reversus sum ad vomitum; quod quasi per confessionem evomueram ore & corde, foedidiùs resumpsi. Juravi etiam sæpiùs me deinceps cessare à peccatis viam iniquitatis omnino dimittere, viamque justitiæ sequi. Sed neque timor ipsius perjurii me à peccatis retinere potuit, neque timor Dei cuncta ab alto conspicientis.

Ecce vides, dulcissime amator hominum Deus, ecce vides de Sanctuario tuo, & respicis de excelso cœlorum habitaculo, miserum hominem ad te dorsum * ponentem, teque in tuis præceptis spernentem, & propter sua magna peccata de tua magna misericordia desperantem: & quamvis nimis miserum, & peccatorem; respicis tamen & vides à te creatum, & dum in hac vita exstitit, tuis beneficiis sustentatum. Immitte, bone Deus, in animam ejus timorem tuum, & aufer de corde ejus timorem noxium. Respice, & illumina cor ejus obcæcatum, ut videat & intelligat quàm magna sit, & quàm amabilis multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti desperantibus de te, perfecisti autem sperantibus in te. Non eum demergat, dulcissime Deus, non eum demergat tempestas aquæ nec absorbeat profundum, neque urgeat super eum puteus os suum: scilicet, abyssus iniquitatum suarum, & desperatio miserationum tuarum. Credimus, clementissime creator hominum Deus, te esse omnipotentem, & omnia quæcunque vis facientem. De te * enim Propheta dicit: *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit, in cœlo, & in terra, & in mari, & in omnibus abyssis.* Scimus autem quia non vis peccatores perdere, sed à peccatis cessare, & vivere. Si ergo omnipotens es, sicut verè es; quia quicquid vis, facere potes; & non vis peccatores perdere, sed à malis resipiscere, & vivere; de multitudine miserationum tuarum non debemus desperare; sed securi de spe veniæ, misericordiam expectare. Verum est omnino quia multa sunt & magna peccata nostra; sed certi sumus quia multa est & magna misericordia tua. *ps. 134. v. 6.*

Scimus omnipotens & misericors Deus, scimus quia tu es summus spiritus, incommutabilis, & æternus, vivens vitâ tuâ, quæ tu ipse es, & æternitate tua, & nos creatura tua à te creati bonitate & miseratione tua. Nos autẽ cùm peccamus, id est, cùm ea quæ jubes, non facimus; & quæ prohibes, facimus; * per peccatum nostrum morimur, licet in aliqua vita, nobis etiam mortuis, tua miseratione concessa, existamus. Si verò iterũ tibi obedientes existimus; & à malis operibus tuâ gratiâ adjuti nos retineamus, tibique qui vivus spiritus es & creator noster per bona opera jungimur, iterum reviviscimus: & post mortem in æterna gloria tecum victuri, si deinceps quandiu vixerimus in rectis operibus perseverantes existamus. Heliseus Propheta cùm mortuus esset & sepultus; & quidam, qui erat mortuus, ejus ossibus tangeretur, resurrexit vivus; & iterum est, meritis Prophetæ & tactu corporis, vivere permissus. Si ergo tactu Prophetæ mortui, resurrexit, qui erat mortuus, multò magis nos reviviscimus, si tibi nostro creatori per bona opera jungimur, qui es vivus & immortalis spiritus. Miserere ergo nostri, creator noster, miserere nostri secundùm magnam misericordiam tuam, & secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem nostram, & resuscita nos in hac præsenti vita à morte ad vitam, id est, à morte peccati ad justitiæ vitam; & in fine sæculi per tuam misericordiam justificatos resuscita ad æternam gloriam. Quam ipse nobis præstare digneris, qui vivis & regnas per æterna sæcula. Amen.

al. ab eo

al. inspiratus

al. facit

al. voluntatibus

al. aliqua

al. propter

ORATIO VII.

AD DEUM.

Cum confessione peccatorum, & humili petitione gratiæ.

DEus piissime, Deus clemens & misericors, propitiare peccatis nostris, & præsta ut peccata quæ vel auctore mortis instigati vel propria voluntate commisimus, non ad judicium tuum discutienda reserves; sed concessâ gratiâ de sola tantùm venia gratulemur. Quia si ante oculos tuos, Domine, culpas quas fecimus, & plagas quas excipimus, contemnimus; minus est quod patimur, majus est quod meremur. Peccati pœnam sentimus, & peccati pertinaciam non vitamus. In flagellis tuis fragilitas nostra frangitur, & iniquitas nostra non mutatur. Mens ægra torquetur, cervix dura non flectitur; vita in dolore suspirat, & in opere non emendat. Si expectas, non corrigimur; si vindicas, non duramus. Confitemur in * correptione quod fecimus, obliviscimur in visitatione quod flevimus. Si impresseris manum, facienda promittimus: si suspenderis gladium, promissa non facimus. Si ferias, clamamus ut parcas; si parcis, iterum provocamus ut ferias. Si angustia veniat, tempus petimus pœnitendi; si misericordia nos respexit, abutimur patientiâ quæ pepercit. Adhuc illata plaga vix præterit, & jam non recolit mens ingrata quod pertulit. Si citiùs nos exaudias, ex misericordia insolescimus; si tardiùs, ex impatientia murmuramus. Te volumus servare quod propitiaris, & nos non timemus non observare quod jusseris. Habes ergo, Domine, confitentes reos: parce quia pius es. Novimus quia nisi remittas, rectè nos punias: sed apud te est multa miseratio, & propitiatio perabundans. Præsta ergo sine merito quod rogamus, qui fecisti ex nihilo qui rogarent.

Clamantium ad te, Domine, nostri miserere, moveat pietatem tuam vox fidelis atque flebilis; atque illa de qua totum speramus, misericordia non reputet quod offendimus, dum respicit quod rogamus. Et cùm grandis sit miseria, esse nos reos; major sit tibi clementia, esse nos miseros. Tuo supplices auxilio ante te & criminis nostri mala ponimus, & dolores; & à te precando, misericordiam quam peccando repulimus, expectamus. Da igitur, pater piissime, ut ea quæ committimus defleamus, ac per totius diei vel noctis spatia ab omnibus malorum incursibus liberos tuæ pietati servire concedas. Præstetur nobis de indulgentia tua, quod rogaris, accipere, quos agnoscis de nostra justitia fiduciam non habere. Erige nos, Domine Deus noster, & alleva in misericordia tua; ut communione salutis & gaudio charitatis, dum ipsi salvari ex munere cupimus, etiam fide & pace cunctarum gentium gaudeamus.

* al. correptione

ORATIO VIII.

AD DEUM.

Ex Mſ. Bibliothecâ S. Mariæ Trinitatis.

DEus inæstimabilis misericordiæ, Deus immensæ pietatis, Deus conditor & reparator humani generis, qui confitentium tibi corda purgas, & accusantes ante conspectum divinæ clementiæ tuæ ab omni iniquitatis vinculo absolvis, virtutem tuam totis exoro gemitibus, ut secundùm multitudinem miserationum tuarum de omnibus iniquitatibus meis, de quibus me accusat conscientia mea, puram mihi coram te concedas agere confessionem; veramque ex his omnibus & condignam mihi tribuas pœnitentiam quæcumque peccavi in cogitationibus pravis, in consensu malo, in consilio iniquo, in concupiscentia atque delectatione immunda, in verbis otiosis, in factis malitiosis, in visu, auditu, gustu, odoratu & tactu. Tu enim misericors ad operandum mihi animæ meæ salutem membra singula humanis usibus apta dedisti; sed ego miserrimus omnium & peccator te æternæ salutis amatorem contempsi, & æterna mihi incendia inimico præparanti consensi, lapsus sum in peccatis, corrui in delictis, in membris singulis verè modum excessi, & impiis me laboribus obnoxium feci: non enim hæc narrans tuam, Domine, in me blasphemo creaturam; sed meam à te, piissime Deus, exposco medicinam; quia me reum intelligo supra mensuram: quia ut astra cœli atque arenam maris, ita mea innumerabilia cognosco esse delicta. Insuper etiam ira, tristitia, acedia, jactantia atque desidia. Unde principalibus vitiis obnoxium me esse profiteor: sed tu, qui non vis mortem peccatoris, respice in me & miserere miseri hujus.

ORATIO IX.

AD DEUM.

OMnipotens Deus, & misericors Pater, & bone Domine, miserere mihi peccatori. Da mihi veniam peccatorum meorum; cavere & vincere omnes insidias, & tentationes, & delectationes noxias; * perfectè mente & actu vitare quæ prohibes; facere & servare quæ jubes; credere, sperare, amare, * velle * quod, & quantum, & tu scis & vis; compunctionem humilitatis & pietatis, discretam abstinentiam, & carnis mortificationem; ad te amandum, orandum, laudandum, meditandum, ad omnem secundùm te actum & cogitatum, puram, solidam, devotam mentem; veracem & efficacem mandatorum tuorum notitiam; dilectionem, * facilitatem & effectum: semper, Domine, ad meliora cum humilitate proficere, & nunquam deficere. Ne committas me, Domine, voluntati meæ, nec humanæ ignorantiæ, aut inimicati; neque meis meritis, nec * ulli alii quàm tuæ piæ dispositioni. Sed tu ipse clementer dispone me & omnes cogitatus & actus * meos in beneplacito tuo; ut fiat à me, & in me, & de me tua semper * sola voluntas. Libera me ab omni malo, & perduc me in vitam æternam. Amen.

* al. delectationem

* al. omit. alii

* al. sermones meos

* al. solùm

Digitized by Google

ORATIO X.

AD DEUM.

Pro vitiis reſecandis, & virtutibus obtinendis.

DOmine, Deus meus, da cordi meo te * deſiderare, deſiderando quærere, quærendo invenire, inveniendo amare, amando mala mea redimere, redempta non iterare: da, Domine Deus meus, cordi meo * pœnitentiam, ſpiritui contritionem, oculis lacrymarum fontem, manibus eleemoſynæ largitatem. Rex meus, extingue in me deſideria carnis, & accende * ignem tui amoris. Redemptor meus, expelle à me ſpiritum ſuperbiæ, & concede mihi propitius * ſpiritum humilitatis tuæ. Salvator meus amove à me furorem iræ, & indulge mihi * benignus ſcutum patientiæ. Creator meus, evelle à me animi rancorem, & largire * mitis mentis dulcedinem. Da mihi, clementiſſime pater, ſolidam fidem, ſpem congruam, charitatem * continuam.

Rector meus, averte à me * animi vanitatem, mentis inconſtantiam, cordis vagationem, oris ſcurrilitatem, oculorum elationem, ventris ingluviem, opprobria proximorum, ſcelera detractionum, curioſitatis pruriginem, divitiarum cupiditatem, potentatuum rapinam, inanis gloriæ apetitum, hypocriſis malum, adulationis venenum, contemptum inopum, oppreſſionem debilium, avaritiæ ardorem, invidiæ, rubiginem, blaſphemiæ mortem. Reſeca in me, * factor meus, temeritatem, * iniquam pertinaciam, * inquietam otioſitatem, * ſomnolentam pigritiam, mentis hebetudinem, cordis cæcitatem, ſenſûs obſtinationem, morum truculentiam, boni inobedientiam, conſilii * repugnantiam, linguæ effrenationem, pauperum prædam, impotentum violentiam, innocentum calumniam, ſubditorum negligentiam, circa * domeſticos crudelitatem, adverſùs * familiares impietatem, erga proximos duritiam.

Deus meus, miſericordia mea, oro te per dilectum filium tuum, da mihi opera miſericordiæ, pietatis ſtudiâ. compati afflictis, ſubvenire egenis, ſuccurrere miſeris, conſulere erroneis, conſolari mœſtos, relevare oppreſſos, pauperes recreare, flebiles refovere, dimittere debitoribus, parcere in me peccantibus, odientes me diligere, pro malis bona reddere, neminem deſpicere, ſed * omnes honorare, bonos imitari, malos cavere, virtutes amplecti, vitia rejicere, in adverſis patientiam, in proſperis continentiam, cuſtodiam oris, & oſtium circunſtantiæ labiis meis, terrena calcare, cœleſtia * deſiderare.

Ecce, plaſmator meus, multa rogavi, * cùm nec pauca promerui. Fateor, heu fateor, non ſolùm quæ poſtulo non debentur * dona; ſed multa mihi debentur & exquiſita ſupplicia. * Sed animam me publicani, meretrices & latrones, qui à faucibus hoſtis * momentaneæ pœnitudinis humilitate eruti ſinu recipiuntur paſtoris. Tu enim factor omnium Deus, licet in cunctis operibus tuis ſis mirabilis; mirabilior tamen crediderim eſſe in viſceribus pietatis. Unde de temetipſo per quendam ſervum tuum dixiſti: *Miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus*; & quaſi de ſingulo * loquentem, de univerſo populo tuo * te dixiſſe confidimus: *Miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo.* Nullum enim ſpernis, * neminem abjicis, neminem perhorreſcis, niſi forte qui te amens exhorruerit: ergo non modo * iratus * non percutis; ſed te irritantibus bona, ſi quæſierint, tribuis, Deus meus, cornu ſalutis meæ, & ſuſceptor meus. Ego infœlix te irritavi, ego malum coram te feci, furorem tuum provocavi, iram promerui; peccavi, & paſſus es; deliqui, & adhuc ſuſtines. Si pœnitet, parcis; ſi revertor, ſuſcipis; inſuper dum differo, præſtolaris. Revocas errantem, invitas repugnantem, excitas torpentem, amplecteris redeuntem, doces ignorantem, mœrentem mulces, à ruina ſuſcitas, poſt lapſum reparas, petenti largiris, quærenti invenetis, pulſanti aperis.

Ecce, Domine Deus ſalutis meæ, quid opponam neſcio, quid reſpondeam ignoro: nullum abs te confugium, nullum abs te * patet latibulum. Oſtendiſti mihi bene vivendi viam, dediſti gradiendi ſcientiam, minatus es mihi gehennam, & pollicitus es mihi paradiſi gloriam. Nunc pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, confige timore tuo carnes meas: quatenus quæ minaris, metuendo evadam; & redde mihi propitius lætitiam ſalutaris tui, ut quæ ſpondes, diligendo percipiam. Fortitudo mea, Domine, firmamentum meum, * & refugium meum, & liberator meus, ſuggere mihi quid de te cogitem, doce quibus te ſermonibus invocem, * da quibus operibus * te placem. Scio namque, ſcio unum quo placaris, & aliud quod non ſpernis. Eſt utique ſpiritus contribulatus tibi ſacrificiû, & acceptas cor contritum & humiliatum. His me, Deus meus, * redemptor meus, dita muneribus. His contra inimicum muni protectionibus, hoc de flammis viciorum præſta * refrigerium, hoc à deſideriorum paſſionibus pande pius refugium. Fac Domine, virtus ſalutis meæ, ne ſim in eorum ordine * qui ad tempus credunt & in tempore tentationis recedunt. Obumbra caput meum in die belli, eſto ſpes mea in die afflictionis, * & ſalus in tempore tribulationis.

* En, Domine, illuminatio mea, & ſalus mea, rogavi quibus egeo, intimavi quæ timeo; ſed remordet me conſcientia, reprehendunt me cordis ſecreta; & quod amor miniſtrat, timor diſſipat, zelus incitat, metus increpat: * acta mea formidinem, ſed tua ingerit pietas fiduciam. Tua hortatur benignitas, mea * retardat malignitas; &, ut veriùs fatear, occurrunt memoriæ phantaſmata * vitiorum, quæ reverberant * audaciam præſumentium animorum. Cùm enim quis odio dignus ſit, qua fronte gratiam * peccatorum requirit? * Cùm pœna debetur, qua temeritate * gloria poſcitur? Laceſſit judicem, qui poſtpoſitâ ſatisfactione delicti, quærit præmiis honorari. Regi inſultat obnoxius ſupplicio, qui flagitat donari indebito * bravio. Et dulcem patris affectum ſtultus exacerbat filius, qui poſt illatas contumelias, ante pœnitudinem, hæreditatis uſurpat celſitudinem. Quid, mi pater, me egiſſe recolo? merui mortem, & peto vitam; commovi regem meum, cujus impudens nunc invoco * præſidium; contempſi * judicem quem temerè poſtulo adjutorem; inſolens renui auditorem, quem demum præſumo habere tutorem.

Heu mihi, quàm ſerò venio, heu, heu, quàm tardè feſtino. heu me, quia curro poſt vulnera, * dedignans incolumis præcavere jacula; neglexi proſpicere tela, modòſolicitor de morte vicina. Vulnera vulneribus inflixi, quia ſcelera ſceleribus addere non timui; recenti tabe cicatrices reſperſi, quia priſca flagitia modernis * iniquitatibus reciprocavi, & quæ divina ſolidaverat * medicina, mea * reſolvit prurigo phrenetica. Cutis, quæ ſuperducta vulneribus morbû celaverat, ſanie erûpente putruit; quia iterata iniquitas conceſſam miſericordiam exinanivit. Novi quippe ſcriptum: *In quacunque die juſtus peccaverit, omnes juſtitiæ ejus in oblivione erunt.* Si juſtitia aboletur juſti ruentis, quantò magis * pœnitentia peccatoris in idipſum * revertentis? Quoties ut canis redii ad vomitû, & * quaſi ſus repetii luti volutabrû? Fateri

al. amic. deſiderare

al. pœnitentiæ compunctionem

al. vim

al. theſaurum

al. mihi ſenſum

al. amic. mitis

al. perfectam

al. omit. animi

al. factorum meorum

al. iniquitatem.

al. inquietudinem

al. ſomnolentiam

al. repugnationem

al. ſubditos

al. domeſticos

al. omit. omnes

al. ſinire

al. qui

al. bona

al. animam tamen

al. momentaneæ eruti

Pſ 144. v 9.

Pſ 88. v 34.

al. non iratus

Pſ. 97. v. 8

al. laceſt

al. participem

al. de quibus

al. tibi placeam

al. adjutor

al. refugium

al. qui credunt proſpecto tempore, & recedunt tentationis tempore.

al. actæ vitæ

al. peccatorum

al. aciem vel audaciam

al. omit. peccatorum

al. Cui

al. gloriam poſcit

al. præmio. Et dilecti

al. auxilium

al. judicium judicis

al. inquinationibus

al. gratia vel medicina

al. diſſolvit

Ezech. 33. v. 13.

al. omit. pœnitentia

al. tuentis

al. & ut ſus

al. quis difficile est quos

mihi itaque *difficile est, quia & recordari est impossibile quot mortalium homines ignorantes peccare docui, nolentibus delinquere persuasi, reluctantes coegi, volentibus consensi, quot sanè *gradientibus laqueum induxi, viam quærentibus foveam * detexi, * mala patrare non horrui, donorum Dei oblivisci non metui. Sed tu, juste judex, signasti quasi in sacculo *peccata mea, observasti omnes semitas meas, & cunctos gressus meos dinumerasti. Tacuisti semper, siluisti, patiens fuisti. Væ mihi: demum loqueris quasi parturiens.

al. gradientem te la quorum dextri detexi

al. peccatum. peccata

al aequitiam

Deus deorum, Domine, præstabilis super * malitia, novi quia * manifestè venies; novi quia non semper silebis, cùm in conspectu tuo ignis exardescet, & in circuitu tuo tempestas ingruerit valida, cùm advocaveris cœlum desursum, & terram discernere populum tuum. Ecce * tot millibus populorum nudabuntur omnes iniquitates meæ, tot agminibus Angelorum patebunt universa scelera mea, non solùm actuum, sed etiam cogitationum simulque loquutionum. Tot judicibus inops * astabo quot me præcesserunt in bono opere. Tot arguentibus confundar, * quot mihi præburerunt bene vivendi exempla. Tot convincar testibus, quot me * monuerunt proficuis sermonibus, sequeque imitandos justis mihi dederunt actionibus. Domine, mi Deus, non suppetit quid dicam, non occurrit quid respondeam; & * seu jam illi interim discrimini, urget me conscientia, cruciant & cordis arcana, coarctat avaritia, accusat superbia, consumit invidia, inflammat concupiscentia, incestat luxuria, dehonestat gula, confutat ebrietas, detractio lacerat, ambitio supplantat, * rapacitas obligat, discordia dissipat, ira perturbat, * levitas dejicit, torpor opprimit, hypocrisis fallit, adulatio frangit, favor attollit, calumnia pungit.

al. tot

al. inops astabo quot quot

al. moverunt

al. sequeque

al. ecce jam illi interim seu & cum jam interim sævo illi

al. levitas dissolvit

Ecce, liberator meus de gentibus iracundis, ecce cum quibus vixi à * diebus nativitatis meæ, quibus & studui, quibus & fidem servavi: ipsa me studia, quæ dilexeram, damnant; quæ laudaveram, vituperant. Hi sunt quibus acquievi, amici; quibus parui, magistri; quibus servivi, domini; consules, quibus credidi; cives, quibus cohabitavi; domestici, quibus * consenui. Heu mihi, rex meus, & Deus meus: quia incolatus meus prolongatus est. Væ mihi, illuminatio mea: qui habitavi cum habitantibus Cedar. Et cùm * David sanctus dixerit, *multùm*, quantò magis ego infelix dicere possum, *nimis* incola fuit anima mea? Firmamentum meum, Deus, non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Spes mea, non est in filiis hominum, quem si remota pietate judicaveris, justum invenias; & nisi præveneris miserando impium, non * erit quem glorifices pium. Credo namque, salus mea, quod audivi, * quoniam benignitas tua ad pœnitentiam me adducit. Turris fortitudinis, sonuerunt necessaria mihi labia tua: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus, qui misit me, traxerit eum.*

al. à die

al. confensi

al. omis David

al. non est qui glorificet pium

al. quomodo

Joham. 6.

Enim vero quia * ita instruxisti me, tantâque propitius institutione formasti; totis medullis cordis, toto nisu mentis te * rogo, omnipotens Pater, cùm * dilectissimo Filio tuo; teque, dulcissima proles, cum serenissimo invoco Paracleto. Trahe me, quatenus post te * currens in odorem unguentorum tuorum delecter. Quam magna, Domine, Deus meus, multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te! Abscondisti, quia conservasti, non quia abscondisti. Abstulisti, cùm * eò magis multiplicasti. Solet aliquando quod absconditur diligentiùs investigari, & inventum arctiùs amari; dilata in te non minuuntur, sed magis crescunt desideria: non est ergo tuus amor transitorius, sed æternus. Qui te dirigunt, non tepescunt; sed fervescunt. Non enim tuus amor otiosus, memoria tua super mel dulcis, & meditatio de te plus quàm cibus suavis. De te loqui plena est refectio, te nosse perfecta consolatio, tibi adhærere vita æterna, à te separari mors perpetua. Fons vivus his qui te sitiunt, esca indeficiens qui te esuriunt. Gloria te quærentibus, gaudium invenientibus. Odor tuus suscitat mortuos, respectus curat ægros, lux tua omnem fugat caliginem, visitatio tua cunctam repellit tristitiam. Nullus apud te mœror, procul à te omnis dolor, nulla tecum mœstitia, & nulla indigentia; ubi tu, nulla necessitas, nullius boni est difficultas, nunquam ibi tenebræ, nec terror nominatur gehennæ, nullius noctis * tecum cæcitas, nec tumultûs improbitas, nunquam famis sitisque inopia, frigoris nec æstûs circa te moratur penuria, non invaletudo corporis; prorsus nec corruptio mentis, non zelus, neque contentio, nec omnino ambitio; illinc abest solicitudo finis, & cura mortis, labor senectutis, & languor ægritudinis: ibi nescitur passio aeris, & varietas temporis. Hæc est enim magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te *, sed perfecisti sperantibus in te.

al. tecum

al. omis.

O quàm bona absconsio, quæ efficitur perfectio: non enim hæc absconsio æstimatur perditio, sed magis conservatio, quæ fit perfectio. O gloriose rex, quàm vera sunt tua judicia justificata in semetipsa, vere desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multùm, dulciora super mel & favum. O vita mea, Deus meus, rogo te per nomen redemptoris mei * dilecti Filii tui, largire propitius ut custodiam ea: Cognovi namque quia in custodiendis illis retributio multa. Gloria mea, Deus meus, abscondis thesaurum tuum, ut incites cupidum; recondis margaritam, ut augeas quærentis amorem; differs dare, ut doceas petere; dissimulas audire petentem, ut facias perseverantem. Postremò, incipientibus * promittis; nonnisi verè perseverantibus salutem * tribuis: quod planè indicat illa fibilis, quæ tunm in sepulchro * Christum, imo te in Christo, quærebat durantibus adhuc tenebris, quam accenderas ut quæreret; sed quærenti disparebas, ut perseveraret: perseveravit sperans, & speravit perseverans: & quia in * spe perseveravit, videre te meruit. O beata visio, & plena exultatio. O summum gaudium, & consummatum desiderium! O desiderabilis vultus, & jocundus aspectus! * O beata spes, & felix perseverantia! nisi enim speraret, non perseveraret; & nisi perseveraret, spei fructum non perciperet. Sic enim, Deus meus, misericordia mea, absconderis timentibus te, ut inveniaris sperantibus in te; sic elongaris à quærentibus, ut appropinques perseverantibus: *Qui elongant se à te, peribunt; qui autem expectant te non confundentur. Qui timent te, sperent in te, quoniam protector & adjutor eorum es.* Per timorem * pervenitur ad amorem. Timendus est ut Dominus, amandus ut pater. Timor tuus sanctus permanet: quia sanctos permanere facit, quos possidet. Nihil deest timentibus te: quia oculi tui super eos, & aures tuæ in preces eorum. Misericordia mea & refugium meum, susceptor meus & liberator meus, sic timorem adhibe mihi, * quatenus amorem subinferas; sic irroga metum, ut tui augeas desiderium: sicque me fac participem timentium te, ut & custodientium mandata tua facias: ut per timoris servitutem, ad amoris pertingere merear gratiam *, per quam tandem perveniam ad tuam gloriam. Amen.

al. quis & quos

al. quatenus promittis, ut

al. autem Christum inter mortuos quærebat vivum

al. eo

Psal. 72.

Psal. 144.

ORATIO XI.

AD DEUM.

DOmine Deus, omnipotens Pater, & bone Deus Jesu, miserere mihi peccatori, & da mihi veniam peccatorum meorum. Da mihi cavere & vincere omnes insidias inimicorum meorum, & tentationes & delectationes noxias; perfectè mente & actu vitare quæ prohibes facere: servire tibi, & amare te quantùm scis & vis, & vivere secundùm tuam voluntatem. Da mihi, Domine, compunctionem cordis, exercitium pietatis, virtutem humilitatis, discretam abstinentiam, carnis mortificationem; rectum introitum ad te orandum & amandum, meditandum & laudandum ad omnem secundùm te actum, cogitationem perfectam, sobriam, & veracem, & mentem strenuam & efficacem. Da mihi, Domine, mandatorum tuorum notitiam & dilectionem & delectationem, facilitatem & effectum in custodiendis illis, & jugem perseverantiam ad meliora, cum humilitate proficere, & nunquam deficere. Ne derelinquas me, Domine, nec humanæ infirmitati vel ignorantiæ, nec meritis meis, nec ulli alii rei, nisi tuæ dispositioni. Tu Domine, clementer dispone me, & omnes cogitatus & actus meos in beneplacito tuo; ut fiat à me, & in me, & de me tua solùm semper voluntas. Libera me, Domine, ab omni malo, & da mihi omne bonum, id est, te ipsum; ut gaudium meum sit in te, qui es vita æterna. Amen.

ORATIO XII.

AD DEUM.

Laus Dei, cum gratiarum actione devota.

TIbi ago laudes & gratias, Deus meus, misericordia mea, qui me ad tuam cognitionem perducere, & per sacri baptismatis ablutionem inter adoptionis filios aggregare dignatus es. Tibi ago laudes & gratias, qui me ab ipsis rudimentis infantiæ usque ad hanc horam per multa defluentem peccata, immensæ bonitatis tuæ patientia ad emendationem expectas. Te laudo & glorifico, qui me brachio virtutis tuæ de multis angustiis, calamitatibus & miseriis frequenter liberasti; qui me hactenus de æternis suppliciis & de corporis hujus cruciatibus eruisti. Te laudo & glorifico, qui mihi sospitatem membrorum, tranquillitatem temporum, amorem, affectum & charitatem fervorum tuorum in me, quæ sunt dona tuæ pietatis, conferre dignatus es. Sancte sanctorum, qui sanctificas omnia, benedico te, glorifico te, adoro te, gratias tibi ago. Benedicant te omnes creaturæ tuæ, benedicant te omnes Angeli & sancti tui. Sic benedicamus te in vita mea. Adoret te & glorificet & benedicat omnis interior & exterior compago mea. Salus mea, lux mea, illuminatio mea, benedicant te oculi mei, quos fecisti & præparasti ad contemplandam speciem serenitatis tuæ. Dulcedo mea, delectatio mea, benedicant te aures meæ, quas fecisti & præparasti ad audiendam vocem jucunditatis tuæ. Suavitas mea, recreatio mea, benedicant te nares meæ, quas fecisti ut vivant & delectentur in odore unguentorum tuorum. Laus mea, canticum meum novum, exultatio mea, benedicat te & magnificet lingua mea, quam fecisti & preparasti ut enarrem mirabilia tua. Sapientia mea, meditatio mea, consilium meum, adoret semper & benedicat cor meum, quod præparasti & dedisti mihi ad dignoscendas inæstimabiles miserationes tuas. Vita mea, beatitudo mea, benedicat te licet peccatrix anima mea, quam fecisti & præparasti ad perfruendum bonis tuis.

Adorande, tremende, colende, pater metuende, benedico te, quem amavi, quem quæsivi, quem semper optavi. Deus meus, amator meus te sitio, te esurio, te desidero, te supplico, te totis visceribus totisque gemitibus concupisco. Et sicut mater unici filii sui orbata præsentiâ sedet ad locum monumenti ejus, plorans semper & ejulans; sic & ego non quantùm debeo, sed quantùm valeo, memor passionis tuæ, memor alaparum, memor flagellorum, memor vulnerum tuorum, memor qualiter pro me occisus es, qualiter conditus es, qualiter sepultus, & ubi, sedeo cum Maria plorans ad monumentum mentis meæ. Ubi te fides sepelivit, spes quærit ut inveniat, charitas ut perungat. Benignissime, serenissime, suavissime, quis mihi det ut inveniam te foris & deosculer, & respergam lacrymis loca vulnerum, fixuras clavorum? Filiæ Jerusalem, nuntiate dilecto quia amore langueo. Appareat mihi, ostendat se mihi. Vocet me nomine meo, compescat me à dolore meo.

Non enim capit in me dolor meus, quamdiu peregrinus sum à te, Deus meus. Age jam, Domine, revela faciem tuam, ostende supplicibus misericordiam tuam. Scimus peractam resurrectionem; declara in oculis nostris beatam incorruptionem. Admirabilis, inæstimabilis, incomparabilis, te volebam, te sperabam, te quærebam. En ipse venis purpuratus; rubrum est indumentum tuum. Lavasti in vino stolam tuam, & in sanguine uvæ pallium tuum. Percussisti caput de domo impii, egressus in salutem populi tui.

Mane nobiscum, Domine, mane vel usque mane. Fruamur interim præsentia tua. Lætemur atque delectemur in resurrectione tua. Ingruunt tenebræ, urget diem vesper. Illuminet vultum suum super nos sol noster, lumen nostrum, Christus Deus noster. Sed quid agis, heu mi Domine, heu anima mea? Quid dicam, vel quid faciam, aut quò vadam? Jam jam elevas manus tuas. En ipse ingrederis vias tuas. Occurrunt cæli, sternuntur poli, paratur nubes ascensuro; ego tibi solas orbitatis meæ lacrymas offeram recessuro. Erunt lacrymæ meæ panes mihi die ac nocte. Pascar fletibus meis, potabo animam meam doloribus meis. Deficiet in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Anima mea desiderabit te in nocte, sed & spiritus meus in præcordiis meis de mane vigilabit ad te. Venies ad nos interim, Domine, quoniam bonus es; nec tardabis; quia pius es. Tibi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Digitized by Google

ORATIO XIII.

AD DEUM.

Pro patre, & matre, & parentibus, & amicis.

DOminator Domine Deus, qui mirabiliter cuncta condidisti, & tua dispositione creasti omnia; qui jussisti conditionem propagandæ sobolis ex viro & fœmina esse; & præcepisti dilectionem circa patrem & matrem exhibendam: exaudi me, misericors Deus, clamantem ad te pro salute genitoris mei & genitricis meæ, quos & tua providentia mihi humillimo præparare dignatus es; seu pro fratribus meis, ac sororibus, omnibusque qui mihi peccatori ex carnali consanguinitate, vel familiaritate, vel promissione seu commissione conjuncti sunt, tam vivis quàm defunctis, quorum nomina & merita tibi Domino Deo universorum cognita sunt; ut defunctis vitam æternam concedere digneris, & viventes ab omni malo defendas, & in A viam salutis eos disponas; quatenus per veram confessionem, veramque emendationem suorum omnium delictorum, peccata dimittas; ut carne exuti, cœlesti participatione efficiantur hæredes. Exaudi me miserum, clementissime Deus, supplicantem ad te pro animabus famulorum famularúmque tuarum, qui mihi bene volunt, & faciunt, & serviunt, & qui mihi suas eleemosynas largiti sunt, & de quibus eleemosynas recepi, quorum nomina tibi Domino Deo universorum cognita sunt, & qui se meis orationibus commendaverunt: ut eis tuæ misericordiæ beneficia impendas, & in loco tibi placentium collocare digneris, Salvator mundi, qui cum Deo Patre, & Spiritu sancto vivis, & regnas, &c.

ORATIO XIV.

AD SPIRITUM SANCTUM.

JAm ô Divini amor numinis, Patris omnipotentis, prolisque beatissimæ sancta communicatio, omnipotens Paraclete Spiritus, mœrentium consolator clementissime, jam cordis mei penetralibus potenti illabere virtute, & tenebrosa quæque * laris neglecti latibula coruscî luminis fulgore pius inhabitator lætifica, tuique roris abundantiâ longo ariditatis marcentia squallore visitando fœcunda. Saucia interioris hominis arcana tui amoris jaculo, & * torpentis medullas jecoris flammis salutaribus penetrando succende, sanctique fervoris igne illustrando, * intima mentis & corporis universa depasce. Pota me torrente voluptatis tuæ, ut nihil jam mundanorum degustare libeat venenatæ dulcedinis. Judica me, Domine, & discerne causam meam de gente non sancta; doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Credo ergo quòd quemcumque inhabitaveris, * Patris, ac pariter Filii domicilium condis. Beatus, qui te merebitur hospitem: * quoniam per te Pater & Filius apud eum facient mansionem.

Veni jam, veni, benignissime dolentis animæ consolator * in opportunitatibus, & in tribulationibus adjutor. Veni mundator scelerum, curator vulnerum. Veni fortitudo fragilium, relevator labentium, veni humilium doctor, superborum destructor. Veni orphanorum pius pater, viduarum dulcis Judex. Veni spes pauperum, refocillator deficentium. Veni navigantium sydus, naufragantium portus. Veni omnium viventium singulare decus, morientium unica salus. Veni sanctissime Spiritus, veni, & miserere mei, apta me tibi: & * condescende propitius mihi, ut mea tuæ magnitudini exiguitas, roborique tuo mea imbecillitas, secundùm multitudinem tuarum complaceat miserationum, per Jesum Christum Salvatorem meum, qui cum Patre in tua unitate vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

al. neglectæ loca

al. torpentis

al. intima

al. In eo Patris

al. qui

al. prorgens in

al. naufragis

al. concede vel descende

ORATIO XV.

AD CHRISTUM

Cùm recordatione beneficiorum ejus, & humanæ miseriæ.

AD te, dulcissime & benignissime Domine Jesu Christe, qui fons pietatis es & misericordiæ, potissimè me converto: quia & per potentiam Divinitatis tuæ, qua cum Patre & Spiritu sancto unus Deus omnia ex nihilo fecisti, me creatum esse fateor: & per incarnationem tuam, quam in proprietate personæ tuæ, cooperante tamen Patre & Spiritu sancto, suscepisti, me refectum & renovatum esse scio. Oro itaque dulcissimam misericordiam tuam, piissime & suavissime Domine Jesu, per sanctam Annunciationem tuam, miserere infœlicis animæ meæ. Dulcissime Domine Jesu Christe, per sanctam Incarnationem * & Nativitatem tuam, miserere animæ meæ. Dulcissime Domine Jesu Christe, per Circumcisionem tuam, C miserere mei. Dulcissime Domine Jesu, per sanctam Infantiam tuam, miserere mei. Dulcissime Domine Jesu, per juventutem tuam, miserere mei. Dulcissime Domine Jesu, per baptismum tuum, miserere mei. Dulcissime Domine Jesu, per jejunium tuum, famem & fatigationem, miserere mei. Dulcissime Domine Jesu, per miracula tua, per quæ etsi homo verus eras, verus Deus agnoscebaris, miserere mei. Dulcissime Domine Jesu, per flagella, sputa, & alapas quas pro nobis suscepisti, miserere mei. Dulcissime & misericordissime Domine Jesu, per spineam coronam, quam in capite tuo portasti, ut spinas peccatorum nostrorum auferres, miserere mei. Miserere mei, dulcissime Domine Jesu, per crucem tuam, & mortem quam

Digitized by Google

in eadem cruce passus es, ut nos à morte redimeres. Miserere mei, Domine Jesu, per sepulchrum tuum, in quo secundùm carnem jacuisti; & per benignissimam descensionem tuam ad inferos, in quibus fideles & amicos tuos, qui te ibi suum dulcissimum Redemptorem diu expectaverant, visitasti; visitans à dæmoniaca dominatione, gloriosè triumphans misericorditer eripuisti; infernalibus furiis suum principem valenter inculcantibus quòd te, in quo de suo nihil invenerat, injustè interfecerit; pro qua injusta interfectione justè tunc perdebant quos tamdiu captivos & suis infœliciter vinculis alligatos tenuerant. Miserere mei, Domine dulcissime & benignissime Jesu, per glorioſam resurrectionem tuam, qua tertia die, postquàm pro peccatoribus occisus es, discipulis & amicis tuis de tua morte dolentibus & nimis afflictis vivus & immortalis apparuisti; & per dulcissima colloquia tua, quæ cum eis per dies quadraginta post resurrectionem tuam habuisti; in quibus in multis argumentis apparens eis, & loquens de regno Dei, eosque confortans & refovens, & cum eis sæpiùs convescens, præmissis evidentissimis signis & veritate tuæ carnis, in qua mortem passus es, auferens ab eorum cordibus omnem dubitationem, ad fidem & credulitatem tuæ resurrectionis solidasti. Miserere mei, dulcissime Domine Jesu, per admirabilem ascensionem tuam, qua discipulis tuis & matre tua Virgine aspicientibus, cœlos petens, humanam naturam, quam misericorditer pro peccatoribus susceperas, & in qua mortem pallus mortem destruxeras, ad dexteram Patris collocasti. Miserere mei, dulcissime Domine Jesu, per adventum sancti Spiritus, quem sicut promiseras discipulis tuis die Pentecostes misisti: quo impleti & vehementissimè confortati, omni timore postposito, veritatem tuæ resurrectionis cunctis gentibus annuntiarent, eosque docerent quòd si in te crederent & tuis præceptis obedirent, omni dubitatione posthabita, regnum cœlorum post mortem carnis ascenderent, & in æterna gloria tecum fœliciter regnarent. Miserere mei, dulcissime Domine Jesu, per reditum tuum ad judicandos vivos & mortuos, quo judicio malos à bonis separans, æterna perditione damnabis; bonos verò tecum ad cœlos ducens, in æterna fœlicitate collocabis.

His dulcissimis recordationibus & piis memoriis animatus, dulcissime Domine Jesu; & hæc tanta beneficia infirmis & peccatoribus à te misericorditer collata, dum in secreto pectoris mei dulciter & cum magna admiratione volvo & revolvo; infirmas memorias & recordationes peccati, quæ ad * damnationem & damnationis perditionem trahunt, tua opitulante bonitate, aliquando respuo; & ea quæ divina sapiunt, & infirmam animam & peccatricem sublevare solent, respicio, veneror & amplector. Sed heu infœlici animæ meæ, dulcissime & benignissime Domine, heu tantæ perditioni infœlicè animam tam graviter vexanti, & nisi misericordissima pietate tua sustineatur, in puncto ad infernum descendenti. Ecce enim * dum cordis mei secretum diligenter inspicio, ipsam infœlicem animam meam, quam antè divinam majestatem tuam mundam & immaculatam stare putaveram, veneno malitiæ & iniquitatis non parum infectam invenio. Sæpiùs verò dum etiam causâ alicujus utilitatis cum aliquo loqui incipio; statim, vel post parvam moram, in detractionem incurro, vel pro aliqua re impudenter murmuro, vel vitio curiositatis ineptæ succumbo, vel malarum cogitationum turpitudines motusque * illicitos & impudicos in ipsis interioribus meis sustineo. Iterum atque iterum heu tantæ infœlicitati, tantæque perditioni. Fateor, dulcissime Jesu, & expando coram te iniquitates meas, quas intùs patitur misera anima mea. Dum enim ea quæ retro sunt obliviscens ad ea quæ ante sunt me extendere volo, atque in his dulcissimis recordationibus, quas superiùs commemoratus sum, diutius si * possem delectari cupio; atque omnes cogitationes meas quasi in fasciculum colligens, omni pertubatione animi remotâ, adhærere Deo perseveranti, continuatione desidero, subitò nescio quâ miseriâ me relabi ad inania & noxia conspicio: & tanquam mors * subitò interficiens, vel quemadmodum canis rabidus, qui nec percussione repulsus à laceratione hominis se temperat, carnalis delectatio omnem tranquillitatem animi, omnemque rectitudinem justitiæ, quam me credebam habere, perturbat ac destruit. Et qui putabam me stare in arce virtutum pro suavi odore earum, sentio intolerabilem ac teterrimum fœtorem vitiorum.

Quid ergo faciam, dulcissime Domine Jesu, amator hominum & creator, reformator & redemptor peccatorum? Quò me convertam tantis circumdatus malis, tantis involutus pessimarum delectationum tenebris? Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Quis autem, nisi gratia Domini mei Jesu Christi? Miserere ergo, dulcissime Domine Jesu, miserere creaturæ tuæ, miserere peccatricis animæ meæ. Intende, dulcissime Domine Jesu, intende miseriæ ejus, & libera eam; propter inimicos ejus eripe eam. Illumina oculos ejus, ne unquam obdormiat in morte, nequando dicat inimicus ejus: Prævalui adversus eam. * Judica, Domine, nocentes eam, expugna impugnantes eam,] Apprehende arma & scutum, & exurge in adjutorium ejus. Credo, dulcissime Domine Jesu, credo quoniam si arma tua ad defensionem ejus arripias, & scuto bonæ voluntatis tuæ animam quam creasti defendas, quia nullus hostis, nullus jacula inimici, etsi foris expugnent, vel etiam * intus sævire tentaverint, animam quam defendis ullo modo poterunt superare. Dulcissime & misericordissime Domine Jesu, sana eam multis malis obrutam, multis iniquitatibus superatam, multis facinoribus maculatam. Adjutor pauperum, defensor pupillorum, sana & adjuva eam à te creatam, à te redemptam, per te mundatam. Sustine conatum ejus, conforta desiderium ejus, & concede ei hoc spatium vitæ, in quo in hoc mundo conversanda est, sic percurrere, & cunctas iniquitates suas per ineffabilem misericordiam tuam sic emendare, & per veram pœnitentiam & * veram confessionem purgare, corrigere, mundare & abstergere: ut tuâ largiente indulgentissimâ pietate, ab omni labe vitiorum purgata, mundata, correcta & absterſa post mortem carnis, ad te dulcissimum creatorem suum, piissimum Dominum suum pervenire valeat, tuamque inenarrabilem gloriam cum omnibus sanctis tuis in æterna felicitate possidere per æterna sæcula. Amen.

al. omit.

al. possim

al. subitò

al. inimicus

al. in it.

ORATIO

Digitized by Google

ORATIO XVI.

AD CHRISTUM.

Pro gratia lacrymarum obtinenda ex peccatorum recordatione.

CHriſte Domine, Verbum Patris, qui venisti in hunc mundum peccatores ſalvos facere, rogo te per indulgentiſſima miſericordiæ tuæ viſcera, emenda vitam meam, meliora actus, compone mores, tolle de me quod mihi nocet & tibi diſplicet, & da quod noſti tibi placere & mihi prodeſſe. Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine, niſi tu ſolus? Tu es Deus omnipotens infinitæ pietatis, qui juſtificas impios, & vivificas mortuos propter peccatum, qui munus peccatores, & non ſunt. Tolle ergo de me quicquid tibi diſplicet in me. Imperfecta enim mea plurima vident oculi tui. Mitte, quæſo, manum pietatis tuæ in me: & tolle de me quicquid offendit oculos pietatis tuæ in me. Coram te, Domine, eſt ſanitas & infirmitas mea. Illum, precor, ſerva, iſtam ſana. *Sana me, Domine, & ſanabor: ſalvum me fac, & ſalvus ero:* tu qui infirma ſanas, & ſanata conſervas, tu qui ſolo nutu tuo reſtauras diruta & collapſa. Si enim dignaris in agro tuo corde meo ſerere bonum ſemen; neceſſe eſt ut manu pietatis tuæ ſpinas priùs evellas vitiorum meorum.

Jerem. 17. 14.

Dulciſſime, benigniſſime, amantiſſime, chariſſime, deſideratiſſime, amabiliſſime, pulcherrime, infunde, obſecro, multitudinem dulcedinis tuæ & charitatis tuæ pectori meo: ut nihil terrenum, nihil carnale deſiderem vel cogitem; ſed te ſolum amem, te ſolum habeam in corde & in ore meo. Scribe digito tuo in pectore meo dulcem memoriam tui melliflui nominis, nulla unquam oblivione delendam. Scribe in tabulis cordis mei voluntatem tuam, & juſtificationes tuas; ut te immenſæ dulcedinis Dominum, & præcepta tua ſemper & ubique habeam præ oculis meis. Succende mentem meam igne illo tuo quem miſiſti in terram, & voluiſti vehementer accendi; ut ſacrificium ſpiritus contribulati, & cordis contriti, obortis lacrymis quotidie offeram tibi.

Dulcis Chriſte, bone Jeſu, ſicut deſidero, ſicut tota mente mea peto, da mihi amorem tuum ſanctum & caſtum, qui me repleat, teneat, totumque poſſideat. Et da mihi evidens ſignum amoris tui, irriguum lacrymarum fontem jugiter manantem: ut ipſæ quoque lacrymæ tui in me teſtentur amorem, ipſæ prodant, ipſæ loquantur quantum te diligit anima mea; dum præ nimia dulcedine amoris tui nequit te à lacrymis continere. Reminiſcor, pie Domine, illius bonæ mulieris Annæ, quæ ad tabernaculum rogatura pro filio venit, de qua Scriptura refert quòd vultus ejus poſt lacrymas & preces non ſunt amplius in diverſa mutati. Sed memor tantæ virtutis tantarumque conſtantiæ, dolore torquetor, & verecundiâ confundor: quia me miſerum nimis deorſum jacere intueor. Si enim ita flevit, & in fletu perſeveravit mulier, quæ quærebat filium: quomodo plangere, & in planctu perſillere debet anima mea, quæ quærit & amat Deũ, & ad eum pervenire deſiderat? Quomodò gemere ac flere debet talis anima, quæ quærit Deum die ac nocte, quæ præter Chriſtum nihil vult amare? Minus quippe eſt, ſi jam non factæ ſunt ei lacrymæ ſuæ panes die ac nocte. Reſpice ergo, & miſerere mei, quia dolores cordis mei multiplicati ſunt. Da mihi conſolationem tuam cœleſtem, & noli ſpernere peccatricem animam, pro qua mortuus es. Da mihi, quæſo, lacrymas ex toto affectu internas, quæ peccatorum meorum poſſint ſolvere vincula, & cœleſti jucunditate ſemper repleant animam meam: ſi non cum veris & perfectis monachis, quorum veſtigia nequeo imitari, ſaltem cum devotis mulieribus quantulamcunque portionem in regno tuo merear adipiſci.

1. Reg. 1. v. 12.

Venit quoque mihi in mentem alterius mulieris devotio mira, quæ te in ſepulchro jacentem pio amore quærebat; quæ recedentibus diſcipulis de ſepulchro non recedebat; quæ ſedebat ibi triſtis & mœrens, & diu multumque flebat: & reſurgens multis lacrymis iterum iterumque aut a deſerti ſepulchri vigilantibus oculis explorabat, ſi forte alicubi te videre poſſet, quem ferventi deſiderio quærebat. Jam certè ſemel & iterum ingreſſa ſepulchrum viderat; ſed nimium amanti non ſatis erat: virtus enim boni operis perſeverantia eſt. Et quia præ cæteris dilexit, & diligendo flevit, & flendo quæſivit, & quærendo perſeveravit: ideo prima omnium te invenire, te videre, te alloqui meruit. Et non ſolùm hæc: ſed etiam ipſis diſcipulis glorioſæ reſurrectionis tuæ præmuntia extitit, te præcipiente, & clementer monente: *Vade, die fratribus meis ut eant in Galilæam, ibi me videbunt.* Si ergo ita flevit, & in fletu perſeveravit mulier, quæ viventem cum mortuis quærebat, quæ te manu fidei tangebat: quomodo plangere & in planctu perſillere debet anima, quæ te redemptorem ſuum jam cœlo prælidentem & ubique regnantem corde credit, ore confitetur? Quomodo ergo gemere & flere debet talis anima, quæ te toto corde diligit, teque toto deſiderio videre concupiſcit?

Matt. 28. v. 10.

Solum confugium, & unica ſpes miſerorum, Domine, cui nunquam ſine ſpe miſericordiæ ſupplicatur, præſta mihi hanc gratiam propter te, & propter nomen ſanctum tuum, ut quotiens de te cogito, de te loquor, de te ſcribo, de te lego, de te confero, quotiens tui reminiſcor, tibi aſſito, laudes, preces, & ſacrificium offero, totiens obortis lacrymis in conſpectu tuo copioſè & dulciter fleam: ita ut efficiantur mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte. Tu quidem, rex gloriæ & omnium virtutum magiſter, docuiſti nos verbo & exemplo gemere & flere, dicens: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Tu fleviſti defunctum amicum; & lachrymatus es valde ſuper perituram civitatem. Rogo te, bone Jeſu, per illas pretioſiſſimas lacrymas tuas, & per omnes miſerationes tuas, quibus miraboliter nobis perditis ſubvenire dignatus es, da mihi gratiam lacrymarum, quam multum deſiderat & appetit anima mea: quia ſine dono tuo non poſſum habere eam, ſed per Spiritum ſanctum tuum, qui dura corda peccatorum mollit, & ad fletum compungit. Da mihi gratiam lacrymarum, ſicut dediſti patribus noſtris, quorum veſtigia debeo imitari; ut plangam me in omni vita mea, ſicut ipſi ſe planxerunt nocte ac die. Propter merita & orationes eorum qui tibi placuerunt & devotiſſimè ſervierunt, miſerere mei miſerrimi & indigni ſervi tui, & da mihi gratiam lacrymarum. Da mihi irriguum ſuperius, & irriguum in foris: ut ſint mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte; efficiarque in conſpectu tuo, Deus meus, per ignem compunctionis, holocauſtum pingue & medullatum; macter totus in ara cordis mei, tanquam pinguiſſimum holocauſtum allumar tibi in odorem ſuavitatis. Da mihi, dulciſſime, fontem irriguum, fontemque perſpicuum, in quo lavetur aſſiduè iſtud inquinatum holocauſtum. Licet enim me totum tibi obtulerim opitulante gratiâ tuâ; in multis

Matt. 5. v. 5.

Digitized by Google

tamen quotidie offendo propter nimiam fragilitatem meam. Da ergo mihi gratiam lacrymarum, benedicte & amabilis Deus: præcipuè ex multâ dulcedine amoris tui, & commemoratione misericordiarum tuarum, præpara hanc mensam famulo tuo in conspectu tuo; & da mihi * eam in potestatem, ut quoties volo satier ex ea: tribue pro pietate & bonitate tua, ut ille calix tuus inebrians & præclarus satiet sitim meam, ut inhiet tibi spiritus meus, & ardeat mens mea in amore tui, oblitus vanitatis & miseriæ. Audi, Deus meus, audi, lumen oculorum meorum, audi quæ peto, & da ut petam quod audias. Pie & exorabilis Domine, ne efficiaris mihi inexorabilis propter peccata mea; sed propter bonitatem tuam suscipe preces servi tui, & da mihi effectum petitionis meæ & desiderii mei, precibus & meritis gloriosæ Virginis Mariæ dominæ meæ, & omnium sanctorum. Amen.

al. mihi potestatem

ORATIO XVII.

AD CHRISTUM.

Cum ardenti desiderio solùm Christum amandi.

JEsu nostra redemptio, amor & desiderium, Deus de Deo, adesto mihi famulo tuo. Te invoco, ad te clamo clamore magno in toto corde meo. Te invoco in animam meam, intra in eam, & coapta eam tibi, ut possideas eam sine ruga, & sine macula. Mundissimo namque Domino munda debetur habitatio. Sanctifica ergo me vas tuum quod fecisti, de malitia evacua, imple de gratia, & plenum conserva; ita ut dignum habitationis tuæ efficiar templum hîc & in perpetuum. Dulcissime, benignissime, amantissime, charissime, potentissime, desideratissime, pretiosissime, amabilissime, pulcherrime, tu melle dulcior, lacte & nive candidior, nectare suavior, gemmis & auro pretiosior, cunctisque terrarum divitiis & honoribus mihi charior. Quid dico, Deus meus, una spes mea tam grandis misericordia tua? Quid dico, dulcedo felix & secura? Quid dico, dum talia dico? Dico quod valeo, sed non dico quod debeo. Utinam possem talia dicere, qualia illi hymnidici Angelorum chori! O quàm libenter me in tuis laudibus totum effunderem! O quàm devotissimè illa cœlestis melodiæ cantica ad laudem & gloriam nominis tui in medio Ecclesiæ * infatigabilis perorarem!

al. infrangibilis

Sed quia talia non possum, nunquid tacebo? Væ tacentibus de te, qui ora mutorum resolvis, & linguas infantium facis disertas. Væ tacentibus de te, quoniam ipsi loquaces muti sunt, quum non tuas laudes dicunt. Quis dignè te laudare poterit, ô ineffabilis virtus & sapientia Patris? Et quoniam nulla invenio verba, quibus te sufficienter valeam explicare cunctipotens & omniscium Verbum; dicam interim quod valeo, donec jubeas me venire ad te, ubi possim dicere quod te decet, & me oportet. Et ideo suppliciter rogo ut non respicias tantùm ad id quod modò dico, sed ad id quod dicere opto. Cupio enim desiderio magno de te eloqui quod oportet & decet; quia te decet laus, te decet hymnus, tibique debetur omnis honor. Scis ergo, occultorum cognitor Deus, quoniam * non solùm terrâ, & omnibus quæ in ea sunt, tu mihi * charior es; * sed etiam ipso cœlo & omnibus quæ in eo sunt] tu mihi * acceptabilior es: diligo enim te super cœlum & terram, & cætera omnia quæ in eis sunt; imò * nisi amore nominis tui quæ transitoria sunt, procul dubio amanda non sunt. Amo te, Deus meus, amore magno, magisque te amare cupio. Da mihi ut amem te semper quantùm volo, & quantùm debeo; ut tu solus sis tota intentio mea, & omnis meditatio mea. Te mediter per dies sine cessatione, te sentiam per soporem in nocte, te alloquatur spiritus meus, tecum tabuletur mens mea. Lumine sanctæ visionis tuæ illuminetur cor meum, ut te rectore, te duce ambulem de virtute in virtutem, tandemque videam te Deum deorum in Sion, nunc quidem per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, ubi cognoscam te, sicut & cognitus sum. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.

al. cœlo, terra
al. acceptior
al. omit.
al. amabilior
al. imo amore

Rogo itaque te, Domine, per omnes miserationes tuas, quibus de morte æterna liberati sumus, mollifica cor meum durum & lapideum, saxeum & ferreum, tuâ sacratissimâ & potenti unctione, & fac me per ignem compunctionis coram te omni hora hostiam vivâ heri. Fac me in tuo conspectu cor contritum & humiliatum semper habere, cum lachrimarum abundantia. Fac me ex * tuo desiderio huic mundo funditus extingui, & transeuntium rerum oblivisci præ magnitudine timoris & amoris tui: usque adeò ut de temporalibus nec lugeam, nec gaudeam, nec metuam aliquid temporale nec diligam, nec blandis corrumpar, nec adversis concutiar. Et quia tua valida est ut mors, dilectio; absorbeat, quæso, mentem meam ab omnibus quæ sub cœlo sunt, ignita & melliflua vis amoris tui; ut tibi soli inhæream, solaque tuæ suavitatis memoria pascar. Descendat, Domine, descendat precor, descendat in cor meum odor tuus suavissimus, ingrediatur amor tuus mellifluus. Veniat mihi tui saporis mira & inenarrabilis fragantia, quæ sempiternas in me suscitet concupiscentias, & ex corde meo producat venas salientis aquæ in vitam æternam.

al. meo

Immensus es, Domine, & ideo sine mensura debes amari & laudari ab iis quos tuo pretioso sanguine redemisti. Amator hominum benignissime, clementissime Domine, & æquissime judex, cui omne judicium dedit Pater, sapientissimo tuæ æquitatis judicio discernis hoc rectum & justum * esse, ut filii hujus sæculi, noctis & tenebrarum, præstantiori desiderio, virtute, atque studio diligant & quærant perituras divitias & fugitivos honores: quàm nos servi tui diligamus te Deum nostrum, per quem facti & redempti sumus. Si enim homo hominem tanta diligit dilectione, ut alter alterum vix patiatur abesse: si sponsa sponso tanto conglutinatur mentis ardore, ut præ magnitudine amoris nulla perfrui valeat requie, chari sui absentiam non sine magno mœrore ferens: qua ergo dilectione, quo studio, quo fervore anima, quam desponsasti tibi fide & miserationibus, debet diligere te verum Deum, & pulcherrimum sponsum, qui nos sic amasti & salvasti, qui pro nobis tot, tanta & talia fecisti? Quanquam autem hæc infirma habeant suas delectationes, suosque amores: non tamen tali modo delectant, sicut tu, Deus noster. In te enim delectatur justus, quia amor tui suavis est & quietus: nam pectora quæ possides, dulcedine & suavitate & tranquillitate reples. Econtra amor sæculi & carnis anxius est & perturbatus; animas certè quas ingreditur, quietas non patitur: semper enim suspicionibus & perturbationibus, variisque timoribus sollicitat eas. Tu itaque es delectatio rectorum, & meritò: quies enim valida est apud te, & imperturbabilis vita. Qui intrat in te, bone Domine, intrat in gaudium Domini sui: & nò timebit amplius; sed habebit se optimè in optimo loco, dicens: *Hæc requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo, quoniam elegi eam.* Et illud: *Dominus regit me,* Ps. 131. v. 14. *& nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocavit.* Ps. 22. v. 1.

al. non esse

Dulcis Christe, bone Jesu, reple semper, quæso, cor

meum inextinguibili dilectione tua, continua recordatione tua; adeò ut sicut flamma urens totus ardeam
al. quem in tui amoris dulcedine, * quem & aquæ multæ in me nunquam possint extinguere. Fac me, dulcissime Domine, amare te, & desiderio tuo deponere pondus omnium carnalium desideriorum & terrenarum concupiscentiarum gravissimam sarcinam, quæ impugnant & aggravant miseram animam meam: ut post te expeditè in odorem unguentorum tuorum currens, usque ad tuæ pulchritudinis visionem efficaciter satiandus, quantocyus te quoque duce merear pervenire. Duo enim amores, alter bonus, alter malus; alter dulcis, alter amarus, non se simul in uno capiunt pectore. Et ideo si quis præter te aliud diligit, non est charitas tua, Deus, in eo, amor dulcedinis, & dulcedo amoris, amor non crucians, sed delectans; amor sincerè & castè permanens in sæculum sæculi; amor qui semper ardes, nunquam extingueris. Dulcis Christe, bone Jesu, charitas, Deus meus, accende me totum igne tuo, amore tuo, suavite & dulcedine tua jucunditate & exultatione tua, voluptate & concupiscentia tua, quæ sancta est & bona, casta & munda, tranquilla est & secura, ut totus dulcedine amoris tui plenus, totus flammâ charitatis tuæ succensus diligam te Deum meum ex toto corde meo totisque medullis præcordiorum meorum, habens te in corde, in ore, & præ oculis meis semper & ubique: ita ut nullus pateat in me locus adulterinis amoribus. Audi Deus meus, audi, lumen oculorum meorum, audi quæ peto; & da quæ petam, ut audias me. Pie & misericordissime Domine, ne efficiaris mihi inexorabilis propter peccata mea, sed propter bonitatem tuam suscipe preces servi tui, & da mihi effectum petitionis meæ, & desiderii mei, intercedente, & orante, & impetrante gloriosa Virgine genitrice tua Maria, domina mea, cum omnibus sanctis tuis. Amen.

ORATIO XVIII.

AD CHRISTUM.

Quem unum esurit & sitit anima Christiana

JEsu Domine, Jesu pie, qui mori dignatus es propter peccata nostra, & resurrexisti propter justificationem nostri: rogo te per gloriosam resurrectionem tuam, resuscita me de sepulchro vitiorum & peccatorum meorum omnium, & da mihi quotidie partem in resurrectione prima, ut in resurrectione tua merear, veraciter percipere portionem. Dulcissime, benignissime, amantissime, charissime, pretiosissime, desideratissime, amabilissime, pulcherrime, ascendisti in cœlum cum triumpho gloriæ tuæ, & sedes ad dexteram patris; rex potentissime, trahe me sursum ad te, ut curram post te in odorem unguentorum tuorum, curram & non deficiam, te trahente, te ducente me
al. currens * currentem, trahe os sitientis te animæ in superna fluenta æternæ satietatis: imò trahe me ad * te
al. omit. te al. &
fontem vivum, * ut inde pro captu meo bibam unde semper vivam, Deus meus, vita mea. Tu enim dixisti ore tuo sancto & benedicto: *Si quis sitit, veniat ad*
Joh. 7. v. 37. *me & bibat*. Fons vitæ, da sitienti animæ semper bibere ex te: ut secundùm sanctam & veridicam promissionem tuam, de ventre meo fluant aquæ vitæ. Fons vitæ, reple mentem meam torrente voluptatis tuæ, & inebria cor meum sobria ebrietate amoris tui; ut obliviscar quæ vana sunt & terrena, & te solum jugiter
Ps. 76. v. 4. habeam in memoria mea, sicut scriptum est: *Memor fui Dei, & delectatus sum.*

Da mihi Spiritum sanctum tuum, quem significabant illæ aquæ, quas sitientibus daturum te promiseras. Da, quæso, toto desiderio & omni studio tendere quò te ascendisse post resurrectionem die quadragesimo credimus: ut in præsenti quidem miseria solo teneat corpore; tecum autem sim cogitatione semper & aviditate: ut ibi sit cor meum, ubi tu es thesaurus meus desiderabilis & incomparabilis, multùmque amabilis. In hoc enim magno hujus vitæ diluvio, ubi circùstantibus agitamur procellis, & non invenietur fida statio, & locus eminentior, ubi pes columbæ valeat aliquatenus requiescere: nusquam tuta pax, nusquam secura quies; ubique bella & lites, ubique hostes, foris pugnæ, intus timores. Et quia altera pars sumus cœli, altera terræ; corpus quod corrumpitur, aggravat animam. Idcirco animus meus, socius & amicus meus, fatigatus de via veniens languet, & jacet discissus atque laceratus ab iis, quas pertransierat, vanitatibus: esurit & sitit valde, & non habeo quid ponam ante illum, quia pauper sum & mendicus. Tu, Domine Deus meus, dives omnium bonorum & dapum supernæ satietatis opulentissime largitor, da lasso cibum, collige dispersum, redintegra scissum. En stat ad ostium, & pulsat: obsecro per viscera misericordiæ tuæ, quibus visitasti nos oriens ex alto, aperi pulsanti misero manum pietatis tuæ, & jube propitiabili dignatione ut ingrediatur ad te, requiescat in te, reficiatur de te vivo cœlestique pane: quo satiatus, resumptisque viribus ad superiora conscendat, & de hac valle lachrymarum penna sancti desiderii raptus, ad cœlestia regna volitet.

Assumat, Domine, assumat, rogo, spiritus meus pennas, ut aquilæ, & volitet & non deficiat; volet & perveniat usque ad decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ: ut ibi super mensam refectionis civium supernorum pascatur de occultis tuis in loco pascuæ tuæ, juxta fluenta plenissima: requiescat in te, Deus meus, cor meum, cor mare magnum, tumens fluctibus. Tu qui imperasti ventis & mari, & facta est tranquillitas magna, veni & gradere super fluctus cordis mei; ut tranquilla & serena fiant omnia mea, quatenus unum bonum * meum amplectar te, & dulce
al. Deum meum lumen oculorum meorum contempler te sine tumultuantium cogitationum cæca caligine. Confugiat, Domine, mens mea sub umbra alarum tuarum ab æstibus cogitationum hujus sæculi, ut in tui refrigerii temperamento absconsa, lætabunda cantet & dicat
In pace in idipsum dormiam & requiescam. Psal. 4. v. 9.

Dormiat obsecro * Domine Deus meus, dormiat memoria mea ab omnibus * quæ sub cœlo sunt, vigilans te, sicut scriptum est; *Ego dormio, & cor meum vigilat*. Sit tuta, sit semper secura sub pennis protectionis tuæ anima mea, Deus meus. Maneat in te, & foveatur semper à te. Contempletur te in mentis excessu, & cantet laudes tuas in jubilatione; & hæc dulcia bona tua sint inter hos turbines consolatio mea interim, donec veniam ad te pacem veram, ubi non est arcus, scutum, gladius & bellum, sed est summa & recta securitas, & secura tranquillitas, tranquilla jucunditas, & jucunda fœlicitas, & fœlix æternitas, & æterna beatitudo, & beata tui visio, & laudatio in sæcula sæculorum. Amen.

al. omittuntur hæc omnia, usque ad ista verba sequentia, *fulgorem divinæ lucis*.

ORATIO XIX.

AD CHRISTUM.

Quando dissolvi cupis & esse cum Christo secundùm dictum Apostoli.

CHriste Domine, virtus & sapientia Patris, qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum, qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem urentem; obsecro & humiliter rogo, da præpetes pennas fidei, da celeres alas virtutum, quibus evectus æterna & cœlestia valam contemplari. Adhæreat, quæso, anima mea post te, & suscipiat me dextera tua. Sustollat me super altitudinem terræ, & cibet me illa cælesti hæreditate; cui suspirat peregrinatio mea die ac nocte. Et quia moribunda membra vigorem animæ hebetant,

Disjice terrena nebulas & pondera molis,
Sifte vagam mentem, per devia multa rvcntem;
Et da cœlestem mentem conscendere sedem,

ut supremo lumine irradiata, terram despiciat, cœlum aspiciat, peccata oderit] justitiam diligat. Quid enim pulchrius, quidve dulcius, quàm inter tenebras hujus vitæ multasque amaritudines divinæ dulcedini inhiare, & æternæ beatitudini suspirare, illicque teneri mente, ubi vera haberi gaudia certissimum est? Dulcissime, amantissime, benignissime, charissime, pretiosissime, desideratissime, amabilissime, pulcherrime, quando te videbo? Quando apparebo ante faciem tuam? Quando satiabor de pulchritudine tua? Quando educes me de hoc carcere tenebroso; ut confitear nomini tuo, ita ut deinceps non compungar? Quando transibo in illam admirabilem & pulcherrimam domum tuam, ubi personat vox lætitiæ & exultationis in tabernaculis justorum? *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Beati, & verè beati, quos elegisti, & assumpsisti in illam cœlestem hæreditatem.

Ps. 83. v. 5.

Ecce sancti tui, Domine, florent ante te, sicut lilium. Replentur enim ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potas eos: quoniam tu es fons vitæ, & in lumine tuo vident lumen, usque adeò ut ipsi, videlicet, lumen illuminatum per te Deum illuminantem, sicut Sol, effulgeant in conspectu tuo. O quàm mira, quàm pluchra, quàm acceptabilia sunt domus tuæ habitacula, Domine virtutum! concupiscit intrare in ea hæc peccatrix anima mea. *Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Unam petii à Domino, & hanc requiram; ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Quando veniam, & apparebo ante faciem tuam.* Quando videbo Deum meum, quem sitit anima mea? Quando videbo eum in terra viventium? In ista enim terra morientium videri non potest mortalibus oculis. Quid faciam miser ego gravedine compedis mortalitatis meæ constrictus? Quid faciam? *Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino:* non habemus hîc manentem civitatem, sed futuram inquirimus. Noster autem municipatus in cœlis est. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est: habitavi cum habitantibus Cedar, multùm incola fuit anima mea. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Nihil mihi tam dulce, quàm cùm Domino meo esse. Mihi autem adhærere Deo bonum est. Da mihi, Domine, donec his fragilibus adhisto membris, tibi adhærere, sicut scriptum est: *Qui adhæret Domino, unus spiritus est cum eo.*

Ps. 25. v. 8.
Ps. 26. v. 4.
Ps. 41. v. 2. & 3.
2. Cor. 5. v. 6.
Heb. 13. v. 14.
Ps. 119. v. 5.
Ps. 54. v. 7.
1. Cor. 6. v. 17.

Præbe mihi, rogo, contemplationis pennas, quibus indutus ad te volitem sursum. Et quia omne sinistrum deorsum jacet; tene mentem meam, ne ad ima A tenebrosæ vallis corruat; ne interveniente umbrâ terræ à te verò justitiæ Sole separetur, & * obductâ tenebrarum nebulâ prohibeatur alta respicere. Idcirco sursum tendo ad pacis gaudia, luciſque delectabilem & sereniſſimum ſtatum. Tene cor meum manu tua, quia ſine te ad altiora non rapitur. Illuc feſtino, ubi ſumma pax regnat, & jugis tranquillitas rutilat. Tene & rege ſpiritum meum, & aſſume illum tu ſecundùm voluntatem tuam: ut te duce aſcendat in illam regionem ubertatis, ubi paſcis Iſraël in æternum pabulo veritatis: ut ibi vel rapida cogitatione attingat te ſummam ſapientiam ſuper omnia manentem, cuncta tranſeuntem, & omnia gubernantem. Sed volitanti ad te animæ multa ſunt quæ obſtrepunt. Juſſu tuo, Domine, conticeſcant mihi omnia. Ipſa ſibi anima mea ſileat, omnia pertranſeat, omnia quæ creata ſunt tranſcendat à ſe & perveniat ad te, atque in te ſolo creatore omnium oculos fidei figat, tibi inhiet, tibi intendat, te meditetur, te contempletur, te ſibi ante oculos ponat, te ſub corde revolvat verum & ſummum bonum, & gaudium ſine fine manſurum.

* al. addutta tenebrarum

Multæ denique ſunt contemplationes, quibus anima devota tibi mirabiliter paſcitur; ſed in nulla earum ita delectatur & requieſcit anima mea ſicut in te, & quando te ſolum cogitat & contemplatur. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam mirabiliter inſpiras cordibus amatorum tuorũ! quam mira ſuavitas amoris tui, quo perfruuntur illi qui nihil præter te diligunt, nihil quærunt, nihil etiam cogitare concupiſcunt! Felices illi, quibus tu ſolus ſpes es, & omne opus eorum oratio. Beatus qui ſedet ſolitarius & tacet, & ſtat ſuper cuſtodiam ſuam jugiter die ac nocte: ut adhuc in hoc fragili corpuſculo poſitus prælibare valeat aliquatenus dulcedinem tuam. Rogo te per illa ſalutifera vulnera tua, quæ paſſus es in cruce pro ſalute noſtra, è quibus emanavit ille pretioſus ſanB guis quo ſumus redempti, vulnera hanc animam meam peccatricem, pro qua etiam mori dignatus es: vulnera eam igneo & potentiſſimæ telo tuæ nimiæ charitatis. Vivus eſt enim ſermo Dei & efficax, & penetralior omni gladio ancipiti. Tu ſaggitta electa, & gladius acutiſſimus qui durum ſcutum humani cordis penetrare tuâ potentiâ vales, confige cor meum jaculo tui amoC ris, ut dicat tibi anima mea: Charitate tua vulnerata ſum: ita ut ex ipſo vulnere amoris tui uberrimæ fluant lacrymæ die ac nocte. Percute, Domine, percute, obſecro, hanc duriſſimam mentem meam piâ & validâ cuſpide dilectionis tuæ, & altiùs ad intima penetra potenti virtute: & ſic de capite meo educ aquam immenſam, & de oculis meis verum fontem lacrymarum jugiter manantem ex nimio affectu & deſiderio viſionis pulchritudinis tuæ: ut lugeam die ac nocte, nullam in D præſenti vita recipiens conſolationem, donec ſe in cœleſti thalamo merear videre dilectum & pulcherrimum ſponſum meum, Deum & Dominum meum: ut ibi videns glorioſam, admirabilem & pulcherrimam faciem tuam omni dulcedine plenam, cum iis quos elegiſti, majeſtatem tuam ſupplex adorem; & illic tandem cœleſti & ineffabili repletus jubilo æternæ exultationis exclamem cum diligentibus te, dicens: Ecce quod concupivi, jam video; quod ſperavi, jam teneo; quod deſideravi, jam habeo. Illi namque in cœlis junctus ſum, quem in terris poſitus tota virtute dilexi, tota charitate amplexus ſum, cui toto amore inhæſi: ipſum laudo, benedico atque adoro. Qui vivit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

ORATIO XX.

AD CHRISTUM.

Ad accendendum in ſe amorem Dei, & Chriſti deſiderium.

DOmine Jeſu Chriſte, redemptio mea, miſericordia mea, ſalus mea, te laudo, tibi gratias ago, quamvis valde impares tuis beneficiis, quamvis multùm expertes * dignæ devotionis, quamvis * nimis macras à deſiderata pinguedine dulciſſimi tui affectus: tamen * qualeſcumque laudes,] qualeſcumque gratias, non quales ſcio me debere; ſed ſicut poteſt conari, tibi perſolvit anima mea. Spes cordis mei, virtus animæ meæ, * auxilium infirmitatis meæ,] compleat tua potentiſſima * benignitas, quod conatur mea tepidiſſima imbecillitas. * Vita mea, finis intentionis meæ, etſi nondum merui * te tantùm, quantùm debitor ſum, amare; utique ſaltem deſidero te * tantùm amare, quantùm debeo. Illuminatio mea, tu vides conſcientiam meam; quia, Domine, ante te omne deſiderium meum, & tu donas, ſi quid bene vult * anima mea. Si bonum eſt, Domine, quod inſpiras; imò quia bonum eſt ut te velim amare, da quod me facis velle. Da ut quantùm jubes, tantùm te merear amare. Laudes & gratias * tibi ago pro deſiderio quod inſpiraſti:] Laudes & preces offero, ne ſit mihi donum tuum infructuoſum, quod tua * ſponte dediſti. Perfice quod incepiſti, & dona quòd me benignè præveniendo immeritum deſiderare feciſti. Converte, * benigniſſime, meum * teporem in ferventiſſimum tui amorem. Ad hoc, clementiſſime, tendit hæc oratio mea, hæc memoria & meditatio beneficiorum tuorum, ut * accendas in me tui amorem. Tua me, Domine, bonitas creavit, tua miſericordia creatum ab originali peccato mundavit; tua patientia poſt * illam emundationem baptiſmi, in aliis peccatorum ſordibus * volutatum hactenus toleravit, nutrivit, & expectavit. Expectas tu, bone Domine, meam correctionem; expectat anima mea ad * ſufficienter pœnitendum, & ad bene vivendum, tuæ gratiæ inſpirationem.

Deus meus, creator meus, tolerator & nutritor meus, * eſto adjutor meus,] te ſitio, te eſurio, te deſidero, ad te ſuſpiro, te concupiſco. Et ſicut pupillus benigniſſimi patris orbatus præſentia, flens & ejulans inceſſanter ejus dilectam faciem toto corde amplectitur: ſic & ego non quantùm debeo, ſed quantùm queo, memor paſſionis tuæ, memor alaparum tuarum, memor flagellorum, * memor crucis, memor vulnerum tuorum, memor qualiter pro me occiſus es, qualiter conditus, qualiter ſepultus, ſimul memor tuæ glorioſæ reſurrectionis & admirabilis aſcenſionis. Hæc indubitata fide teneo, exilii mei ærumnas defleo, ſpero tui adventus ſolam conſolationem, * ardeo tui vultus glorioſam contemplationem. Heu mihi, * qui videre non potui Dominum Angelorum humiliatum ad converſationem hominum, ut homines exaltaret ad converſationem Angelorum; cùm Deus offenſus * ſponte moriebatur, ut peccator viveret. Heu * mihi qui tam admirabili, tam inæſtimabili pietati præſens obſtupeſcere non merui. Cur, ô anima mea, te * præſentem non transfixit gladius doloris acutiſſimi; cùm ferre non poſſes vulnerari lanceâ latus tui Salvatoris, cùm videre nequires violari clavis manus & pedes tui plaſmatoris, cùm horreres * effundi ſanguinem tui redemptoris? Cur non es inebriata lachrymarum amaritudine, cùm ille potaretur amaritudine fellis? Cur non es compaſſa caſtiſſimæ Virgini, digniſſimæ matri ejus * benigniſſimæ Dominæ tuæ.

Domina mea miſericordiſſima, quos fontes dicam erupiſſe de tuis pudiciſſimis oculis, quum attenderes unicum filium tuum innocentem coram te ligari, flagellari, & mactari? Quos * fletus credam perfudiſſe piiſſimum tuum vultum, cùm ſuſciperes eundem filium tuum Deum & Dominum tuum in cruce ſine culpa extendi, & carnem de carne tua ab impiis crudeliter diſſecari? Quibus ſingultibus æſtimabo puriſſimum pectus tuum vexatum eſſe, cùm tu audires? *Mulier, ecce filius tuus:* Et diſcipulus: *Ecce mater tua.* Quum acciperes * in filium diſcipulum pro magiſtro, * ſervum pro Domino? Utinam cum felice Joſeph Dominum meum de cruce depoſuiſſem, aromatibus condiviſſem, in ſepulchro collocaſſem, * aut ſaltem proſecutus * eſſem; ut tanto funeri non deeſſet aliquid mei obſequii. Utinam cum beatis mulieribus coruſcâ viſione Angelorum eſſem territus, & audiiſſem nuntium Dominicæ reſurrectionis, nuntium meæ conſolationis, nuntium tam expectatum, nuntium tam deſideratum. Utinam, inquam, audiiſſem ex ore Angeli: *Nolite timere*, vos; *Jeſum quæritis crucifixum, ſurrexit, non eſt hic.*

Benigniſſime, ſuaviſſime, ſereniſſime, quando reſtaurabis mihi, quia non vidi illam beatam tuæ carnis incorruptionem: quia non fui deoſculatus loca vulnerum, & fixuras clavorum: Quia non reperſi lachrymis gaudii cicatrices teſtes veri corporis? Admirabilis, inæſtimabilis, * incomparabilis, quando conſolaberis, & compeſces me à dolore meo? Non enim * capit in me dolor meus, quamdiu peregrinus ſum à Domino meo. Heu mihi, Domine, heu animæ meæ! Receſſiſti conſolator * vitæ meæ, nec valedixiſti mihi. Ingrediens vias tuas benedixiſti tui, nec affui. Elevatis manibus à nube ſuſceptus es in cœlum, nec vidi. Angeli promiſerunt te rediturum, nec audivi. Quid dicam? quid faciam? quò vadam? ubi * eum quæram; ubi vel quando inveniam? Quem rogabo? quis nuntiabit dilecto quia amore langueo? Defecit gaudium cordis mei: verſus eſt in luctum riſus meus. Defecit caro mea, & cor meum; Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Renuit conſolari anima mea niſi de te dulcedo mea. Quid enim mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? Te volo, te ſpero, te quæro, tibi dixit cor meum: Quæſivi vultum, * vultum tuum, Domine, requiram; ne avertas faciem tuam à me.

Amator hominum benigniſſime, tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adjutor. Mi advocate tutiſſime, miſerere mei orphani derelicti; pupillus factus ſum abſque patre: anima mea quaſi vidua. Reſpice orbitatis & viduitatis meæ lachrymas; quas tibi offero, donec redeas. Eia jam Domine, eia appare mihi, & conſolatus ero: * oſtende mihi faciem tuam, & ſalvus ero.] Exhibe præſentiam tuam, & conſecutus ero deſiderium meum. Revela gloriam tuam, & erit perfectum gaudium meum. Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea. Sitivit anima mea ad Deum, fontem vivum; quándo veniam, & apparebo ante faciem Domini? Quando venies, conſolator meus, quem * expecto? O ſi quando videbo gaudium meum, quod deſidero. O ſi ſatiabor quum apparuerit gloria * tua, quam eſurio. O ſi inebriabor ab ubertate domus tuæ ad quam ſuſpiro: ſi potabis me torrente voluptatis tuæ * quam ſitio. Sint mihi, Domine, interim lachrymæ meæ panes die ac nocte, donec dicatur mihi, ecce Deus

al. omit.
al. omit.
al. omit.
al. omit
al. dignitas
al. omit
al. omit.
al. omit.
al. omit.
al. ſponteam voluntate
al. miſericordiſſime
al. corporem
al. accendam
al. omit.
al. involutum
al. omit.
al. omit.
al. ardentet deſidero
al. quia
al. omit.
al. heu quod
al. præſertim non tranſfigit
digniſſ.
al. omit.
al. ut
al. vel omiſi
omit
al. omit.
al. expectato
al. tuæ
al. omit.
al. quem

Digitized by Google

al. audiat anima mea al. omit.

tuus; donec * audiam: anima, ecce ſponſus tuus. A Paſce interim me ſingultibus meis, * pota me interim fletibus meis,] refocilla me doloribus meis. Veniet * interea fortaſſe redemptor meus, quia bonus eſt; nec tardabit, quia pius eſt: ipſi gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

ORATIO XXI.

AD CHRISTUM.

Oratio ſervi Dei de ſe humiliter ſentientis.

SCio Domine * Jeſu Chriſte, ſcio, & fateor quòd non ſum dignus quem tu diligas; ſed certè tu non es indignus, quem ego diligam. Indignus quidem ſum tibi ſervire; ſed non es tu indignus ſervitio creaturæ tuæ. Da mihi ergo, Domine, unde tu es dignus; & ero dignus unde ſum indignus. Fac me quo modo vis, à peccatis ceſſare; ut quo modo debeo, poſſim tibi B ſervire. Concede mihi per tuam piiſſimam miſericordiam ſic cuſtodire, regere, & finire vitam meam, ut in pace dormiam, & requieſcam in te. Præſta mihi, Domine, ut in fine * recipiat anima mea ſomnum cum requie, * requiem cum ſaturitate, * ſaturitatem cum æternitate, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

al. ut me cipiat ſomnus cum.

ORATIO XXII.

AD CHRISTUM.

Oratio Pœnitentis divinum auxilium humiliter poſtulantis.

al. omit. DOmine Jeſu Chriſte Redemptor meus * miſericordia mea, ſalus mea, * conſolatio mea, vita mea, te laudo, tibi gratias ago; tua bonitas me creavit, tua miſericordia me ab originali peccato mundavit; tua præſentia poſt illam emundationem me in aliis ſordibus volutatum hactenus toleravit, nutrivit, & expectavit. Domine Deus, Creator meus, tolerator meus, nutritor meus, & adjutor meus, te ſitio, te eſurio, te deſidero, ad te ſuſpiro, te concupiſco. Benigniſſime, ſuaviſſime, ſereniſſime, te volo, te quæro, * te ſpero videre. * Renuit cõſolari anima mea, niſi de te, dulcedo mea.

al. in te ſpero al. omit.

Accede ad me, Domine; appare mihi, & conſolatus ero; oſtende mihi faciem tuam, & ſalvus ero; exhibe præſeptiam tuam, & implebitur deſiderium meum. Revela gloriam tuam, & perfectum erit gaudium meum. *Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea*: quando venies ad me, conſolator meus? O ſi quando videbo gaudium meum, quod deſidero! O ſi quando ſatiabor, cùm apparuerit gloria ejus quem eſurio! O ſi inebriabor ad ubertate domus ejus, ad quem ſuſpiro! O ſi potabis me torrente voluptatis tuæ, quam ſitio! Da mihi, Domine, in hoc exilio panem doloris & lacrymarum, quem eſurio ſupra omnem copiam deliciarum. Sint interdum mihi, Domine, lacrymæ meæ panes die, ac nocte: donec dicatur mihi, ecce Deus tuus; donec audiam, ecce ſponſus tuus. Paſce me interim, Domine, ſingultibus meis, refocilla me doloribus meis. Amen.

ORATIO XXIII.

AD CHRISTUM.

Pro amicis.

DUlcis & benigne Domine, Jeſu Chriſte, qui exhibuiſti charitatem, qua majorem nemo habet, & cui parem nemo habere poteſt; qui nihil debebas morti, & tamen piam animam tuã pro ſervis tuis & peccatoribus poſuiſti, & pro ipſis interfectoribus tuis oraſti, ut eos fratres tuos & juſtos faceres, & reconciliares miſericordi Patri tuo, & tibi. Tu, Domine, qui tantam charitatem * feciſti inimicis tuis, tu ipſe charitatem] præcepiſti amicis tuis. Bone Domine, quo affectu recogitabo inæſtimabilem charitatem tuam? Quid retribuam immenſo beneficio tuo? Tranſcendit enim omnem affectum dulcedo tuæ benignitatis. Vincit omnem retributionem magnitudo tui beneficii. Quid ergo retribuam creatori & * recreatori meo? * Quid retribuam miſeratori & redemptori meo?] *Domine, Deus meus es tu, bonorum meorum non eges.* Tuus eſt enim orbis terræ, & plenitudo ejus. Quid ergo ego mendicus & pauper, ego vermis & cinis, quid retribuam Deo meo, niſi ut ex corde obediam præcepto ejus? Eſt autem præceptum tuum ut diligamus invicem.

al. amic.

al. redemptori al. amic.

Pſ. 15. v. 2.

D Bone homo, bone Deus, bone Domine, bone amice, bonum totum quicquid es, huic præcepto tuo deſiderat obedire humilis & contemptibilis ſervus tuus. Tu ſcis, Domine, quia dilectionem quam jubes amo, amorem diligo, charitatem concupiſco. Hanc peto, hanc quæro, propter hanc pulſat & clamat hic pauper & mendicus tuus ad januam miſericordiæ tuæ. Et in quantùm jam accepi dulcem eleemoſynã gratuitæ largitatis tuæ, diligens omnem hominem in te & propter te, quamvis non quantùm debeo, nec quantùm deſidero, omnibus exoro clementiam tuam. Sunt tamen plures quorum dilectionem ſicut ſpecialiter & familiariùs cordi meo impreſſit amor tuus; ita ardentiùs bene deſidero illis, & devotiùs opto orare pro illis. Vult, vult, pie Domine, vult ſervus tuus orare te pro amicis ſuis; ſed revocatur reus tuus à dilectis ſuis. Qui enim mihi vel iam exorare non ſufficio, quia fronte gratiam tuam aliis rogare præſumo? Et qui anxius interceſſores quæro, qua fiducia pro aliis intercedo? Quid faciam, Domine Deus, quid faciam? Tu jubes

al. reclamante

me orare pro illis, & dilectio concupiscit; sed * clamante mihi conscientia ut pro meis peccatis sollicitus sim, pro aliis loqui contremisco. Dimittam ergo quod jubes, quia feci quod prohibes? Imò quia præsumpsi prohibita, amplectar imperata? si fortè obedientia sanet præsumptionem, si fortè charitas operiat multitudinem peccatorum meorum.

Oro ergo te, pie & bone Deus, pro iis qui me diligunt propter te, & quos ego diligo in te; & pro illis devotiùs quorum erga me dilectionem, & erga quos

al. synceritatem

meam tu nosti * syncériorem. Non hoc ago, Domine mi, quasi justus securus de peccatis meis; sed qualicunque charitate sollicitus pro alienis. Dilige ergo eos tu, fons dilectionis, qui præcipis & das mihi ut diligam eos. Et si oratio mea non meretur prodesse illis, quia tibi offertur à peccatore; valeat A illis, quia fit te jubente auctore. Propter te ergo, tu auctor & dator charitatis, propter te *, non propter me dilige eos, & fac ut ipsi te toto corde, tota mente, tota anima diligant; ut sola quæ tibi placent, & illis expediunt, velint, loquantur & faciant. Nimis tepida, Domine mi, nimis tepida est oratio mea, quia parum fervida est charitas mea. Sed ne metiaris eis, tu dives in misericordia, beneficium tuum secundùm torporem meæ devotionis: sed sicut tua benignitas superat omnem humanam charitatem; ita tua exauditio transcendat affectum meæ supplicationis. Fac illis & * de illis, Domine, quod ipsis expedit secundùm tuam voluntatem; ut sic à te regantur & protegantur semper & ubique, quatenus & ad gloriosam & ad æternam perveniant securitatem. Qui vivis & regnas.

al. de

ORATIO XXIV.

AD CHRISTUM,

Pro inimicis.

OMnipotens & pie Domine Jesu Christe, quem B opto propitium amicis meis, coram te est * etiam quid exoptet cor meum inimicis meis. Tu enim scrutans corda & renes Deus, tu penetras secreta mentis * meæ. Tibi enim patet si quid in anima servi tui seminasti, quod tibi sit offerendum; nec latere te potest, si quid & ego & inimicus homo seminavimus ibi, quod igne sit comburendum. Ne despicias, benignissime Deus, quod tu seminasti; sed fove, & auge, & perfice, & conserva. Quia sicut nihil boni potui incipere sine te, ita nec possum consummare vel custodire absque te. Ne me judices, misericors Deus, propter id quod tibi displicet in me; sed aufer quod non posuisti, & salva animam meam quam C creasti. Non enim ego corrigere me possum sine te; quia cùm boni sumus, tu ipse facis nos, & non ipsi nos. Nec tolerare poterit anima mea, si secundùm suam nequitiam judicaveris eam. Tu ergo, Domine, qui solus es potens, tu qui solus es misericors, quicquid ipse facis me desiderare inimicis meis, & illis tribue, & mihi retribue. Et si quid aliquando exopto illis extra regulam charitatis, aut ignorantiâ, aut infirmitate, aut malitiâ; bone Domine, hoc ne illis tribuas, nec mihi retribuas. Qui es lux vera, illumina cæcitatem illorum. Qui es summa veritas, corrige errorem illorum. Qui es vita vera, vivifica animas illorum. Tu enim dixisti per dilectum discipulum tuum D

1 Joh. 3. v. 15.

quia *qui non diligit, manet in morte*. Oro ergo, Domine, ut quantam jubes haberi, dones eis tui & proximi charitatem, * ne habeant coram te super fratre suo peccatum.

al. nec

Absit, ô pie Domine, absit ne sim fratribus meis occasio mortis, ne sim illis petra scandali & lapis offensionis. Satis enim & plusquam satis est mihi, Domine, quòd mihi ipsi sum scandalum; sufficit mihi meum peccatum. Obsecrat te servus tuus pro conservis suis, ne offendant benignitatem tam magni, tam boni Domini propter me, sed reconcilientur tibi, & concordent mihi secundùm voluntatem tuam propter te. Hæc est vindicta, quam vult exigere secretum cordis mei de conservis & inimicis & compeccatoribus meis. Hæc est pœna, quam orat anima mea de conservis & inimicis meis; ut te, & invicem, sicut tu vis & nobis expedit, diligamus: ut bono Domino, sicut pro nobis ipsis, ita & pro invicem satisfaciamus, ut communi Domino; * ut communi Domino in] commune bonum magistra charitate concorditer * obquamur. Hanc ultionem poscit præparari omnibus malevolis & malefactoribus suis hic peccator tuus. Hanc * præpara tu, Domine clementissime, peccatori tuo. Age ergo, bone creator, & misericors judex meus, age per inæstimabilem misericordiam tuam, dimitte mihi omnia * debita mea, sicut & ego coram te dimitto omnibus debitoribus meis. Et si nondum, imò quia nondum id perfectè ad tuum examen facit, sed facere vult, & vim sibi faciendo, per te quod potest efficit spiritus meus; & hoc ipsum tibi offero, ut & tu velis * perfectè dimittere mihi peccata mea, & sicut potes indulgeas animæ meæ.

al. redit.

al. consequamur

al. delicta

al. pro

al. perficere

Exaudi me, exaudi, magne Domine, & bone Domine, cujus amoris affectu sese pascere desiderat, sed satiare se de te non potest famelica anima mea: ad quem invocandum non invenit os meum nomen, quod sufficiat cordi meo. Nullum enim verbum hoc mihi sapit, quod te donante affectus meus de te capit. Oravi, Domine, ut potui; sed plus volui, quàm potui. Exaudi, exaudi tu, sicut potes, qui * quod vis potes. Oravi ut infirmus & peccator; exaudi, exaudi tu, sicut potens & miserator: & non solùm amicis & inimicis meis, quæ precatus sum, tribuas; sed sicut scis unicuique expedire, & voluntati tuæ non disconvenire, omnibus vivis & defunctis misericordiæ tuæ remedia distribuas: & me non sicut vult cor meum, nec sicut petit os meum; sed sicut scis & vis me debere velle & petere, semper exaudias, Salvator mundi, qui cum Patre & Spiritu sancto vivis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

al. quidvis

Digitized by Google

ORATIO XXV.

AD CHRISTUM.

** Cum Sacerdos multùm timet ne Officium Altaris, quod gerit, magis & noceat, quàm proficiat: & quod consilium de hac re capiat.*

DUlcissime, & benignissime Domine Jesu Christe, altissimi Patris altissime fili, qui cum eodem Patre tuo, & Spiritu sancto universitatis creator existis; cui nota sunt omnia antequam fiant, tu nosti inipientiam meam, nosti & quàm infirma sit & fragilis anima mea; & ejus peccata atque delicta à te non sunt abscondita. Te verò creatorem meum esse recognosco; & omnia, quæ mihi ad * præsentis vitæ necessitatem sunt, administrare fateor: fecisti ergo me, cùm tibi placuit: & tandiu in hac vita ero, quamdiu tibi placuerit; nec quousque tibi placeat, ulla vis me hinc expellere poterit. Et quia de hac re certissimus sum quòd ita sit; hoc super omnia immensam bonitatem tuam deprecor, ut qualitercunque mihi eveniat, dum vivo, saltem de me bonus sit finis, omnibusque iniquitatibus meis per veram pœnitentiam dimissis, ad visionis tuæ gloriam pervenire valeam, propter quam me creasti.

Fateor, dulcissime Domine Jesu, quia omnia * bona quæ habeo, * tu mihi dedisti: * & quia propter hoc ea mihi dedisti; ut te, sicut dignum esset, super omnia diligerem, & omnia quæ tibi placent, cum magna voluntate facerem; ea verò quæ sibi displicent, nullo modo facere auderem. Sed inter cætera bona, quæ mihi de servitio tuo præcepisti, nescio quo occulto judicio tuo mihi onus Sacerdotii imponi * permisisti. Quod servitium cùm diligenter intueor quantâ reverentiâ sit agendum; & quàm pura conscientia, & ab omni contagione peccati munda debet esse mens, quæ tam terrificum ministerium suscipit tractandum; & * ex altera parte non minori diligentiâ respicio quis sum ego, qui hoc tractare audeo; non parum de præsumptione mea formido, & vehementissimè timeo ne ad majus judicium, majorisque judicii damnationem mihi sit, quòd ad tam dignam rem tam indignus accedere audeo. Scio certè, nec de hac re ullo modo dubito quia si ita viverem, sicut ille vivere debet, qui hoc ministerium agit; nullum servitium Dei facere possem, quòd sic mihi proficuo esset & saluti. Sed sicut proficuum esset, si vita digna existeret; ita majus periculum, & major damnatio infirmæ animæ & peccatis suis oneratæ imminet, quæ tam dignam rem indigna tractare audet. Verè ita est, & plusquàm dici possit, * ista res utilis est & salubris bono Sacerdoti; &, plusquàm dici possit, periculosa est hanc indignè tractanti. Quid ergo faciet, dulcissime Domine Jesu, hic tuus Sacerdos; imò hic peccator quid faciet, hujus tui servitii onere gravatus? Nimis enim sum incertus quid mihi sit utilius, dimittere, an facere. Sed tamen si ex toto dimitto; tunc rursus nimis pertimesco ne sub hujus formidinis occasione multa mala multaque peccata audeam inchoare, vel etiam perpetrare, quæ propter hujus servitii formidinem priùs non audebam vel cogitare.

Fateor quippe multoties, cùm ad hujus officii servitium me præparo, & de malis quæ me fecisse recognosco, angustiùs & districtiùs intra me doleo; & eas, quæ tunc perturbant vanas cogitationes * vanasque delectationes expeditiùs respuo; & post peractum servitium, multa mala atque peccata quæ iterum insurgunt, propter ejusdem servitii formidinem timidiùs recipio. Cùm hoc ita evenit, de ejusdem servitii præsumptione aliquam consolationem habeo; quia propter illius reverentiæ timorem, aliquantulum à peccatis meis cessare me intelligo. Sed, ô mitissime & misericordissime Jesu, ut tu perspicis, ita * sæpius cor meum omni malitia plenum, omniumque iniquitatum tenebris obcœcatum; * ut has omnes formidines * postponens, salutemque tuas præceptiones * contemnens, veluti torrens qui omnes fœtores in se decurrentes secum trahit, & modò sursum modò deorsum secum volvit, * cor meum cum misera anima mea] omnes immunditias carnalium delectationum * recipiat; & quasi porcus in cœno, sic in easdem immunditias se * volvat, & revolvat. Fateor, ô misericordissime Jesu, coram majestate tua iniquitates meas; * fateor immunditias meas,] fateor immanissimas superbias, & sordidas cogitationes meas, quas abjecto timore tuo infœliciter intus amplectitur infœlix anima mea. Ut tu vides, clementissime Domine Jesu, ut tu vides, sæpiùs & sæpiùs ita facio, & in tam foraneo vase, * vel potiùs in tam sordido corde Corpus tuum & Sanguinem suscipio: verum dico, non mihi paveo: sic multoties plenus peccatis & iniquitatibus, ad servitium tui altaris accedo: unde multùm formido * ne magis ad perniciem, quàm ad salutem mihi fit hæc præsumptio, quòd sic fœtens & putens tam munda sacramenta contingere præsumo.

Modò veniat aliquis fidelis, qui spiritu Dei plenus sit, & miserum Sacerdotem suo spirituali consilio instruat quid ei sit melius, quidve deterius, servitium altaris propter hujusmodi impedimenta dimittere, an propter refrænationem multarum iniquitatum, quæ ejusdem servitii formidine sæpiùs reprimuntur, servitium facere. Est autem de hoc (ut mihi videtur) expeditum & salubre consilium à peccatis cessare; & servitium, quod Deo debemus, reddere: nos autem etsi indigni sumus Deo servire, Deus non est indignus servitio suæ creaturæ: de aliis nescio quid ipsi magis eligant; de me scio quia magis volo Deo servire, etsi non ex toto me possum à malitia retinere; quàm propter formidinem peccati, ejus servitium dimittere, & in peccatorum damnatione securiùs jacere. Melius est ut nos verberet propter aliquam offensionem sui servitii, & tamen sibi servientes; quàm nos damnet propter timorem peccati sibi servitium facere nolentes. Immensa est enim ejus pietas, immensa ejus misericordiæ, qui & si viderit nos viam suæ rectitudinis vel claudicando ambulare, etsi sæpiùs labendo & relabendo, non tamen ab ejusdem viæ rectitudine velle recedere; si nos non fallemur, nondùm se retinere poterit, sed conatum nostrum adjuvabit, & diriget gressum nostrum ad viam salutis. Tamen si peccata Sacerdotis sunt criminalia; utilius est ei ab immolatione sacrificii humiliter cessare, quàm per præsumptionem immolando, majorem damnationem incurrere; donec inchoatâ vel peractâ pœnitentiâ, possit ad altaris servitium securiùs accedere.

Sed ecce, dulcissime & misericordissime Domine Jesu, fateor immensæ bonitati tuæ me esse nimis peccatorem, plurima quæ tibi displicent facientem, & tamen tui altaris servitium facere præsumentem. Non enim possum de tua misericordia desperare; non possum, nec mihi expedit, servitium tui altaris dimittere; tuum Corpus & Sanguinem non sumere, quod pro redemptione mea mortem suscepit, & qui pro remissione peccatorum

al. ad præsentem vitam sustentandâ necessaria sunt,

al. omit. al habeo & scio, al dedisti & docuisti

al. præcepisti

al. omit.

al. omit. *

al. quod

al. omit.

al. recipit

al. volvit & revolvit

al. omit.

Digitized by Google

peccatorum de tuo latere lanceâ militis aperto cum aqua exivit. Si indignus sum, sicuti sum, & ego fateor; verbera me, emenda & corripe, & tandiu castiga tuum Sacerdotem, imò tuum peccatorem, donec omnis rubigo peccati recedat à me, quæ per tam longum tempus ex magna incuriâ indurata est in lateribus animæ meæ. Fateor, fateor, peccator sum, immundus sum, indignus sum; & tamen non recedo à te, dulcissime Jesu Christe: velis quid velis, non dimitto te; etsi infirma manu, tenebo te. Non recedes à me, donec ab omni contagione peccati absolvas; & sic Carnem tuam quotidie manducantem, & Sanguinem tuum bibentem, tuæque voluntati jugiter inhærentem, tua præcepta assiduè facientem, me post mortem carnis perducas ad veram salutem, scilicet, ad te verum Sacerdotem, ubi cum aliis Sacerdotibus, tuis, videlicet, membris, ego quoque tunc non peccator, sed dignus Sacerdos & dignum membrum corporis tui, te laudem, te glorificem per æterna sæcula. Amen.

ORATIO XXVI.

AD CHRISTUM.

Cùm Sacerdos diligenter contemplatur quàm misericorditer Redemptor noster naturam nostri limi, unde nos fecit, pro nobis susceperit.

SUmme Sacerdos, & major cæteris Sacerdotibus Domine Jesu Christe, cui adhæret omnis Sacerdos, imò omnis Christianus qui ambulat coram te in veritate, auribus pietatis tuæ audi vocem meam; & si rectè precor, exaudi orationem meam: non enim volo, dulcissime Pater, aliquid te rogare, quod in rogando te justè possit offendere. Et si aliqua * inscitia, vel * carnali voluntate, quod sit contra salutem animæ meæ, aliquid te rogare volo; hoc super omnia, misericordissime Domine, precor ne in hujusmodi petitionibus me unquam velis exaudire. Nosti, & bene nosti, * benignissime Deus, quantis illusionibus, quantis vanitatibus, quantis carnalium desideriorum voluptatibus, quantis sæcularium cupiditatum * appetitionibus omni hora, & sine intermissione vulneretur infœlix animus meus. Et multoties evenit, ut tu ipse, dulcissime Domine, perspicis, quia si me permitteres ire secundùm meam * pessimam voluntatem, totum meipsum in magnam peccatorum voraginé præcipitarem. Propterea te, dulcissime Pater, rogo, quia scio nimis me esse peccatoré, & adversùs peccatũ nullam ferè habere virtutem, ut per magnam misericordiam tuam retineas furorem meum, qui me trahit ad peccatum, & confundas & destruas omne malum desiderium, quod pervertit * in me omnem rectitudinis sensum.

Aliquando, amator hominũ Deus, cùm * studiosius cogito, & mala quæ multoties feci, & adhuc miser & peccator facere non desisto, ad memoriã reduco, & diligenter * intueor qualiter vivã, qualiter ipsa mala quæ feci & adhuc facio, plangã; quòd Sacerdos dicer, sed officiũ Sacerdotis operibus dignis non impleo: quamvis & de multis aliis quæ feci, multùm pertimescam; de hujus officii dignitate, quam indignus porto, super omnia quæ mihi evenire possunt, * formido. Est autẽ hujus officii dignitas, plusquã æstimari possit, magna, & inæstimabiliter Deo & hominibus cara; si Sacerdos ita vivit, sicut ille vivere debet, qui hujus officii curam gerit. Porto autem ego nomen hujus dignitatis; sed infœlix vita mea ferè in omnibus contradicit, malè agendo, hujus nominis dignitati. Est enim cor meum immundum, omnes sensus corporis mei immundi; & sic * intùs & foris totus immundus nõ invenio in toto me aliquid mundũ, ubi honestè & sicut decet possim reponere Corpus dominicũ. In magnis itaque angustiis constitutus, & quid potissimum mihi sit faciendum nescis, huc illucque, modò hoc modò illud cogitans, me circumfero, diligentiusque omnem conscientiam meam revolvo, si fortè aliquod consiliũ salubre invenirem, quod ad * aliquam salutem animæ mihi esse intelligeré. Omnia ergo quæ erga me geruntur, circumspiciens, & ferè nihil aut parum boni in toto me inveniens, hoc tantillũ boni ibi vix animadverti; si tamen bonum debeat dici, quod * bonũ quod ego non habeo, in alio, cùm habet, diligo; & cùm non habeam, humiliter me non habere recognosco; quòd peccatorem & miserum plusquam alium quemlibet me esse credo, & tamen de misericordia Dei omnipotentis non despero. Credo enim quòd ille, cui cura fuit me cùm non essem facere, & adhuc cura est mihi ea quæ ad hujus vitæ usum sunt necessaria, pro misericordia sua providere; cura illi erit pro pietate sua mihi dare adhuc aliquod bonum opus facere, vel saltem, si non ex toto totum, aliquod bonum valeam inchoare; & si non ex toto, à malis vel aliquantulum cessare.

Est enim Deus pius & misericors, & nullo modo creaturam suam perdere valens; sed modis omnibus ut ad pietatem suam redeat, misericorditer * monens. Quantùm verò suã creaturã diligat, quantum invitus eam perdat, in hoc veraciter * ostendit, cùm de cœlo in terrã descendit; cùm ille qui sine initio erat, initiũ pro amore creaturæ habere voluit; limumque unde nos fecit, pro redemptione nostra assumpsit; & ipsum limum, scilicet, carnẽ suam, quã pro nobis assumpsit, postquam per passionem Crucis in ipsius Crucis ara bene excocta est, nobis ad manducandum porrigit, & ipsius carnis Sanguine ejusdẽ Crucis torculari expresso dum nos potat, sitim animæ nostræ extinguit. Hanc autem Carnem nostri Redemptoris cùm manducamus, & Sanguinem bibimus, cum limo nostro miscemus; & de hoc * quasi emplastrum facientes, * nostræque animæ infirmitatibus apponentes, si dignè sumimus, omne protinus quod ad damnationis periculum nos pertrahit, ex interioribus animæ nostræ projicimus. O immensa Domini nostri J. C. pietas! ò admiranda & ineffabilis misericordia! Si aliquis potens homo cum magno comitatu hominum pergens, fortè juxta viam, per quam transiret, in aliquo cœno aliquem pauperem immersum videret, qui se per se ipsum nullo modo extrahere posset de illo cœno in quo immersus esset, miseratione motus eundem pauperem per se ipsum de illo cœno extraheret; nulli dubiũ quin hujusmodi magnæ misericordiæ magnæque pietatis ab omnibus prædicaretur, magnis laudibus ab omnibus rectum sensum habentibus extolleretur. Et quantò hoc corpus misericordiæ pro paupere & inope fecisset; tantò plus pius & misericors omnibus piis & veraciter Christianis appareret. Quid ergo, quid æstimari debet de magna Domini nostri Jesu Christi pietate, de ineffabili ejus misericordia & charitate, qui cùm ipse sine initio sit, & mortale initium & mortalitatem sumpsit pro paupere, & ultra modum paupere & inope; ut illum extraheret de foetidissimo cœno peccati, in quo seipsum * immerserat miser & infœlix? * Præter hoc, miser homo tantam infœlicitatem patiebatur, sicque infœliciter in ipsis voraginibus æternæ perditionis erat immersus, magnis angustiis magnisque doloribus famis & sitis erat oppressus. Ex una igitur parte intolerabilem fœtorem cœni, in quo erat immersus, patiens;

a. aliquando
a. & ecclesiasticarum dignitatum
a. malum
a. studiosius
a. omis.
a. valde formido
a. intùs
a. omis.
a. bonum ego cum habeo
a. quoque
a. nostrique infirmitatibus
a. immiserat
a. propter

ex parte altera, qui ejus miseriæ & dolori compateretur, nullum inveniens, tam ex fœtenti cœno in quo jacebat, quàm ex desperatione consolationis quam à nullo separabat, intolerabili dolore afficiebatur. Et si diutiùs differretur, quòd ab aliquo misericorde aliquando misericordia ei non impenderetur; jam ab ipsis miseriis æternæ perditionis irreparabiliter moreretur. Venit * misericors creator ineffabilem pietatem habens ad hunc peccatorem in luto peccatorum jacentem; non expolians se indumento gloriæ suæ, induit pannos miseriæ nostræ. Venitque velut mundissimus sol per ipsos fœtores, nullam tamen contaminationem fœtoris patiens, usque ad ipsum miserum peccatorem; eumque ab ipsis fœtoribus extergens, tenuit per brachium, extraxit in planum. Extractum verò de lacu miseriæ & de luto fœcis cibavit pane sapientiæ salutaris; & post hæc, ipsa sua Carne quã pro ejus redemptione susceperat, & suo Sanguine qui pro remissione peccatorum fusus est, cibavit & potavit; & sic refocillatum ab ipsis doloribus, quibus tam graviter vexabatur, mitigavit. Hæc autẽ Caro, quam ei ad manducandum dedit, de natura ejusdem limi fuit, unde primum hominem plasmavit, quem ad imaginem & similitudinem suam creavit; quam similitudinem, quam ipse * primus homo per suam culpam disfiguravit, per

* al. primus

A Carnis suæ * comestionem, rectamque fidem ad integrum reformavit: hanc verò Carnem, vel hujus limi naturam postquam Christus passus est in Cruce, postquam resurrexit tertia die; ad cœlos portans, ad dexteram Patris collocavit, eique dominationem super Angelos & Archangelos donavit. Ecce limus, qui per naturam suam in terra semper adhæret, à Redemtore nostro in cœlo potatus, ipsum cœlum & omnia quæ in eo sunt, sub dominio suo habet. Ad quem limum nemo fidelis potest vel poterit ascendere; nisi eum prius curet in terra salubriter comedere ejusque Sanguinem bibere. Hujus Carnis & Sanguinis egó qualiscunque minister & Sacerdos, dum tantam pietatem tantæque pietatis dulcedinem Redemptoris nostri erga creaturam suam conspicio, de ejus immen-
B sa bonitate non diffido. Succurre ergo, Domine Jesu Christe, succurre tuo Sacerdoti, indulge ejus peccatis atque delictis; ut dignè valeam tui Corporis & Sanguinis mysterium celebrare; & dignè celebrans, Corporis tui & Sanguinis veritatem dignè comedere & bibere; & sic usque in finem jugiter perseverans, ad te post mortem carnis valeam pervenire; ubi non per intervalla, sicut modò, sed sine intermissione cum Sanctis omnibus te ipsum, qui veritas & vita es, possim comedere & bibere. Amen.

* al. comestionem

ORATIO XXVII.

AD CHRISTUM.

*Cùm Sacerdos Corpus Christi & Sanguinem in manibus tenet, tenensque dulciter recordetur quos dolores * in Cruce pro nobis passus est*

* al. præparatiua cum Sacerdos est celebraturus, & qualiter cum corpus al. in corde in Cruce

DUlcissime, & super omnia desideranda desideran-
C de & suavissime Jesu Christe, adesto supplicationi meæ, & intende voci orationis meæ; & per tuam magnam misericordiam emunda ab omni inquinamento peccati animam meam, ut dignus possim accedere ad servitium tui altaris, dignéque tractare mysterium Corporis & Sanguinis tui. Fateor, dulcissime Domine, coram omnipotentia tua, me nimis esse culpabilem, & multa mala ferè per singulas horas facientem, & tamen de ineffabili bonitate tua non desperantem. Bonus es tu, Domine, & in bonitate tua doce me justificationes tuas; ut eas intelligendo, easque, sicut decet, jugiter operando, mundo corde mundaque animà possim recipere mysteria tua.

Ecce, anima mea, præpara hospitium cordis tui ad
D suscipiendum Corpus & Sanguinem creatoris tui, mundis cogitationibus, mundisque operibus; expurga ab omnibus interioribus tuis quidquid potest offendere hospitem tam immensæ majestatis; non enim potest in illa anima vel in illo corde manere, quam possidet aliqua contaminatio malitiæ; & nisi ibi summa pax summaque charitas fuerit, indignũ judicans illud hospitiũ conversatione suæ mansionis, nec diu ferens tantam inquietudinem perturbationis, ab illo hospitio citò discedit. Væ autem menti illi, quam Christus propter suas iniquitates deserit, deserensque & damnans tentationibus & dolis inimici seduci permittit.

Diligenter ergo, ô anima mea, inspice, diligenter om-
E nes sensus corporis tui ad te ipsam * intùs recollige, & quidquid eis sordidum vel immundum inveneris, foras projice; expulsaque omni malitia vel iniquitate diligenter posteà as aditum * pectoris tui reclude, ne ad te valeant quandoque redire, vel amplius interiora tua inquinare. Peractis verò omnibus quæ ad ipsius venerabilis mysterii consecrationem pertinent, expulisque omnibus quæ ipsius mentis arcanum maculare solent; ô tu, misera anima mea, cum magna diligentia intuere omnes negligentias tuas, omni mala & peccata quæ

facere solebas. Et cùm ipsius redemptoris tui Corpus & Sanguinem in manibus tenes, illius ineffabilem misericordiam, quàm dulciùs potes, exora; ut per suam magnam pietatem omnia peccata tua dimittat, & ut hæc vel alia amplius admittere non valeas. Hoc ante omnia, & sicut interitum tuum moneo caveas, ne in hujusmodi recordationibus aliquos diaboli laqueos incurras, quos multi incauti sæpiùs incurrunt, qui dùm mala sua quasi pro eis plorantes ante mentis oculos reducunt, per easdem recordationes in * ipso. um malorum delectationes insipienter reincidunt.

* al. ipsa

Recordare, quàm dulciùs potes, ipsius Corporis Christi quod tenes ineffabilem pietatem, & plusquam æstimari possit admirandam dulcedinem, quod pro redemptione tua multas injurias sustinuit, & ad ultimum crucifixum sit. Sed & ipsam passionem, quam in Cruce pertulit, per singulos dolores cogita & recogita; scilicet, cum quanto dolore in ipsius crucis patibulo & pedes ejus & manus infixæ sunt; latus ejus per militis lanceam transforatum; ab ipsis etiam pro quibus patiebatur, ibi ante crucem quasi malefactor sit illusus, irrisus, & tam horrida opprobria sustinens, quasi agnus mansuetissimus, inæstimabilem patientiam ostendit. Qui cùm facilè posset, non se de suis interfectoribus vindicavit; sed * Patrem, ut hoc peccatum illis dimitteret, oravit. Cùm * verò hujusmodi recordationibus quasi satiata requiescere cœperis, nec tamen requiescens hæc dulciter & cum magno affectu ruminare cessaveris, ad ipsum dulcissimum dulcissimi Domini Corpus quod in manibus tenes, loquere; & quasi cum præsenti loquens, tuas illi necessitates expone. De * illo hæc fideliter crede, quòd Corpus hoc veraciter Corpus illud sit quod de Virgine natum est, quod crucifixum est, quod in sepulchro positum est, quòd tertia die à mortuis resurrexit, quod ad cœlos ascendit, & quod sedet ad dexteram Patris.

* al. pro

* al. ergo

* al. de quo hoc

Nec dubites in illa hora sacrificii Corporis & Sanguinis tui Redemptoris Angelos adesse suo Creatori;

* al. interiùs

* al. præcordia interclude

ſuique creatoris Carni & Sanguini cum magna reverentia ineffabile obſequium deferre. Quid verò de omnibus ſanctis æſtimari debet? Quid cogitari poteſt, cùm ipſius redemptionis ſuæ pretium in terra celebrari conſpiciunt, de cujus æterna viſione lætantes, jam magnum gaudium poſſident in cœlo? Tu verò, anima mea, hæc omnia fideliter credens, Carnemque tui creatoris dulciter amplectens; in * ipſis amplexibus ejus pietati ſignifica tuam neceſſitatem, & quàm dulciùs potes ejus exora pietatem; ut per ſuam ineffabilem miſericordiam, omnem tuam emundet fœditatem. Ingere totam te ipſam in Chriſtum, quem tenes; & ipſum * priùs adorans, tuas iterum & iterum repræſentans ingere neceſſitates.

al. eius

al. poſt

ORATIO XXVIII.

AD CHRISTUM.

Facienda à Sacerdote ante conſecrationem corporis Chriſti.

O Dulciſſime Domine Jeſu Chriſte, qui pro mea redemptione crucifixus es & mortuus, ante te eſt omne deſiderium meum, & gemitus meus a te non eſt abſconditus. Ecce, benigniſſime Deus, coram te eſt miſeria mea, & in manibus meis eſt miſericordia tua; miſeria peccatricis animæ meæ, miſericordia redemptionis * tuæ. Miſerere ergo mei, Deus, ſecundùm magnam miſericordiam tuam, & ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam, & ab hac hora uſque in finem cuſtodi vitam meam. Defende ab omni iniquitate animam meam; ut jam amplius agere non valeam, unde oculos tuæ majeſtatis offendam. Da mihi, benigniſſime Deus, te ſicut jubes, & rectum eſt, ſuper omnia diligere: deinde proximum non minùs quàm meipſum, ſicut * iterùm præcipis, amare. Eſt * enim hoc juſtiſſimum & omnino rationabile ut te ſuper omnia, & etiam pluſquam nos, debeamus diligere; quia tu nos antequam eſſemus dilexiſti, diligens creaſti, creatos ad notitiam ſanctiſſimi nominis tui adducere curaſti; nos verò neque hoc ipſum, quòd te vel aliquid boni diligimus, à nobis ipſis niſi à te habemus. Proximum verò noſtrum & tu nobis, ſicut nos ipſos, rectè diligere præcipis; & non rectè diligimus eum, ſicut præcipis: quia æquali dilectione nos omnes creaſti, æquali dilectione pro omnibus paſſionem ſuſcepiſti, æqualiter omnibus vitam æternam præparaſti. Da omnibus, clementiſſime pater, qui fidem rectam habent, rectè & ſanctè vivere, nec in ulla omnino re ab his quæ præcipis deviare: his verò qui nondum in te credunt, antequam de hac vita exeant, da fidem & dilectionem ſanctiſſimi nominis tui ſuſcipere, & ſuſceptam uſque in finem rectam & inviolatam cuſtodire. Sit omnibus vivis & defunctis ſacrificium tui Corporis & Sanguinis remiſſio omnium peccatorum: vivis quidem, qui rectè vivunt; & ſi nondum rectè vivunt, rectè quandoque vivere volunt: defunctis autem, qui per hoc ſacrificium ſe ſperant in miſericordia tua accipere remiſſionem ſuarum iniquitatum, & poſt hac pervenire ad gloriam ſempiternam, regnumque cœlorum.

Credimus * de te, Domine Jeſu Chriſte, quia tu idem ipſe, qui es filius Dei, es filius Virginis: tu idem ipſe, qui in principio eras Verbum, & Verbum eras apud Deum, & Deus eras Verbum, & per quod omnia facta ſunt; à Patre ante-omnia * ſæcula genitus, in tempore es ex Virgine natus: quamvis altera * natura ſis, quàm Pater, poſtquam factus es filius Virginis, & habitaſti in nobis; altera natura exiſtens, ſecundùm quod filius Dei es: quamvis in duabus naturis tua perſona, Deus & homo, exiſtis; æqualis Patri ſecundùm Divinitatem, minor Patre ſecundùm humanitatem. Quia verò tu idem ipſe Deus, qui homo, & qui homo Deus; propterea Sanctiſſima Virgo quæ te portavit, ab omnibus fidelibus Dei genitrix prædicatur & creditur, hoc eſt, mater Dei. Et quia tu non alter filius Dei, alter filius hominis; ſed tu idem ipſe filius Dei, qui filius hominis: paſſionem & mortem pro ſalute humani generis ſuſcepiſti, non in natura Deitatis, ſed in natura humanitatis; tu idem ipſe, non alter propter diſtantiam naturæ, ſicut nec una natura exiſtens propter unitatem perſonæ.

al. mea

al. item

al. omit.

al. perſona

al. omit.

Eſt adhuc, dulciſſime Domine Jeſu Chriſte, quod de ineffabili charitate, qua nos diligis, cogitare poſſumus & debemus; quod nobis miſeris peccatoribus, ab indicium tuæ magnæ dilectionis, in hoc myſterio tui Corporis & Sanguinis oſtendis. Cùm aliquis homo alterum hominem, ſicuti plus poteſt, diligat; præter alia, vi dilectionis forſitan poteſt pro eo mori, ſi ita dilectio exigit; quod tamen rarò accidit, ut quis hoc pro ſuo dilecto velit pati. Quod ſi unquam amicus pro amico facit; in magnam admirationem magnumque ſtuporem * omnes qui hoc audiunt, convertit. Tu verò, dulciſſime Domine Jeſu, non ſolùm pro amicis, ſed & pro inimicis mori voluiſti: & non ſolùm hoc, ſed & iſtud, quod nullus facere pro amico vult, feciſti, & adhuc facis: videlicet, cùm te ipſum, qui pro nobis mortem ſuſtinuiſti, das ad manducandum & bibendum in hoc myſterio tui Corporis & Sanguinis, manducamus Corpus tuum, & bibimus Sanguinem tuum, ſcilicet, noſtræ redemptionis pretium. Da mihi ergo, Domine Jeſu ſic * vivere, ſic caſtè & ſanctè deinceps tui altaris ſervitiũ facere; ut ſic vivendo, ſic faciendo, ſic carnem manducando, & Sanguinem bibendo, poſt mortem carnis ab omnibus peccatis abſolutus ad te Creatorem meum & Redemptorem recto itinere valeam pervenire, ubi te cum omnibus ſanctis in æterna fœlicitate ſine fine poſſim laudare & benedicere.

al. omnis qui hoc audivit convertitur

al. omit.

ORATIO XXIX.

FACIENDA A SACERDOTE ANTE MISSAM.

SUmme ſacerdos, & vere pontifex, qui te obtuliſti Deo Patri hoſtiam puram & immaculatam in ara Crucis pro nobis miſeris * peccatoribus, & qui dediſti nobis Carnem tuam ad manducandum, & Sanguinem tuum ad bibendum, & poſuiſti myſterium iſtud in virtute Spiritus * tui, dicens: *Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis:* Rogo per Sanguinem tuum * pretioſum, magnum ſalutis noſtræ pretium: rogo per hanc miram & * inenarrabilem charitatem, qua nos miſeros & indignos ſic amare dignatus es ut lavares nos à peccatis noſtris in ſanguine tuo: doce me ſervum tuum indignum, quem etiam inter cætera dona tua ad officium ſacerdotale vocare dignatus es nullis meis meritis, ſed ſola dignatione

al. peccatoribus

al. Sancti tui

al. eundem

Digitized by Google

misericordiæ tuæ : dóce me, quæso, per Spiritum A sanctum tuum, tantum tractare mysterium ea reverentia & honore, ea devotione & timore, quibus oportet & decet. Fac me per gratiam tuam semper illud de tanto mysterio credere & intelligere, sentire & firmiter tenere, dicere & cogitare quod tibi placet, & quod expedit animæ meæ. Intret Spiritus tuus bonus in cor meum, qui sonet ibi sine sono, & sine strepitu verborum loquatur omnem veritatem * tantorum mysteriorum : profunda quippe sunt nimis, & sacro tecta velamine. Propter magnam clementiam tuam concede mihi Missarum solemnia mundo corde & pura mente celebrare. Libera cor meum ab immundis & nefandis, vanis & noxiis cogitationibus. Muni me beatorum Angelorum piâ & fidâ custodiâ, ac tutelâ fortissimâ, ut hostes omnium bonorum confusi discedant. Per virtutem tanti mysterii, & per manum sancti Angeli tui repelle à me & à cunctis servis tuis durissimum B Spiritum superbiæ & cænodoxiæ, invidiæ & blasphemiæ, fornicationis & immunditiæ, dubietatis & diffidentiæ. Confundantur qui nos persequuntur, pereant illi qui perdere * cuncta festinant.

Rex virginum, amator castitatis, * Deus cœlesti rore benedictionis tuæ extingue in corpore meo * fomitem ardentis libidinis : ut maneat in me tenor* castitatis corporis & animæ. Mortifica in membris meis carnis stimulos, omnesque libidinosas commotiones ; & da mihi veram & perpetuam castitatem cum cæteris donis tuis, quæ tibi placent in veritate, ut sacrificium laudis casto corpore & mundo corde * quotidie valeam tibi offerre. Quanta enim cordis contritione & lacrymarum fonte, quanta reverentia & tremore, * quanta corporis castitate & animæ puritate istud divinum & cæleste sacrificium est celebrandum, * Domine, ubi Caro tua in veritate sumitur, ubi Sanguis tuus in veritate bibitur, ubi ima summis * conjunguntur, ubi adest sanctorum Angelorum præsentia, ubi tu es sacrificium & sacerdos mirabiliter & ineffabiliter * ?

Quis dignè hoc celebrare * potest, nisi tu Deus omnipotens offerentem fecer is dignum ? Scio Domine, & verè scio, & idipsum * bonitati tuæ confiteor quia non sum dignus accedere ad tantum mysterium propter nimia peccata mea, & infinitas negligentias meas.

Sed scio, & veraciter ex toto corde meo credo, * ore meo confiteor quia tu potes me facere dignum, qui solus potes facere mundum de immundo conceptum semine : * solus de indignis dignos, de immundis mundos], & de peccatoribus justos & sanctos * facis. Per hanc omnipotentiam tuam te rogo*, concede mihi peccatori hoc cœleste sacrificium celebrare cum timore & tremore, cum cordis puritate & lacrymarum fonte, cum lætitia spirituali & * cœlesti gaudio. Sentiat mens mea dulcedinem beatissimæ præsentiæ tuæ, & excubias Sanctorum * tuorum in circuitu meo.

Ego enim * memor venerandæ passionis tuæ accedo ad altare tuum, licèt peccator, ut offeram tibi sacrificium, quod tu instituisti, & offerri præcepisti in commemorationem tui pro salute nostra. Suscipe illud ergo quæso, summe Deus, pro Ecclesia sancta tua, & populo * quem acquisisti sanguine tuo. Et quoniam me peccatorem inter te & eundem populum E tuum medium esse voluisti, licèt in me aliquod boni operis testimonium non agnoscas ; officium saltem dispensationis creditæ non recuses, nec per me indignum eorum salutis pereat pretium, pro quibus victima sanctus salutaris dignatus es esse redemptio. Profero * ergo, Domine (si digneris propitius intueri) tribulationes plebium, pericula populorum, captivorum gemitus, miserias orphanorum, necessitates peregrinorum, inopiam debilium, desperationes languentium, defectus senum, suspiria juvenum, vota virginum, lamenta viduarum.

Tu enim misereris omnium, Domine ; & nihil odisti eorum quæ fecisti. Memorare quæ sit nostra substantia, quia tu pater noster es, quia tu Deus noster es ; ne irascaris satis, neque multitudinem viscerum tuorum super nos contineas. Non enim in justificationibus nostris prosternimus preces * ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Aufer à nobis, Domine, iniquitates nostras, & ignem sancti Spiritus in nobis clementer accende. Aufer cor lapideum de carne nostra, & da nobis cor carneum, quot te timeat, te amet, te diligat, * te delectetur, te sequatur, te perfruatur. Oramus, Domine, clementiam tuam, ut sereno vultu familiâ tuam, sacri tui nominis officia præstolantem, aspicere digneris ; & ut nullius sit irritum votum, nullius vacua postulatio, tu nobis preces suggere, quas ipse audire propitius & exaudire* delecteris.

Rogamus etiam te, Pater sancte, & pro * animabus B fidelium defunctorum : ut sis illis salus, sanitas, gaudium & refrigerium, hoc magnum pietatis sacramentum. Deus meus, sit illis hodie magnum & plenum convivium de te pane vivo, qui de cœlo descendisti, & das vitam mundo de tua Carne sancta & benedicta, Agni, videlicet, immaculati, qui tollit peccata mundi ; quæ de sancto & glorioso beatæ virginis Mariæ utero est assumpta, & de Spiritu sancto concepta ; de illo *, inquam, pietatis fonte, per lanceam militis * ex tuo sacratissimo latere manavit : * ut ex inde refecti & satiati, refrigerati & consolati exultent in laude & gloria tua. Peto clementiam tuam, Deus, ut descendat super * illud plenitudo tuæ benedictionis, & sanctificatio tuæ Divinitatis. Descendat etiam, Domine, illa C sancti Spiritus tui invisibilis incomprehensibilisque majestas, sicut quondam in patrum hostias descendebat, qui & oblationes nostras Corpus & Sanguinem tuum efficiat, & me indignum sacerdotem doceat tanta tractare mysterium cum cordis puritate & lacrymarum devotione, cum reverentia & tremore, ita ut placidè & benignè * suscipias sacrificium de manibus meis ad salutem omnium tam vivorum quàm defunctorum.

Rogo*te, Domine, per ipsum sacrosanctum mysterium Corporis & Sanguinis tui, quo quotidie in Ecclesia tua pascimur & potamur, abluimur & sanctificamur, atque unius summæque Divinitatis participes efficimur. Da mihi virtutes tuas sanctas, quibus repletus bonâ conscientiâ ad altare tuum accedam, ita ut hæc cœlestia sacramenta efficiantur mihi salus & vita. Tu enim dixisti ore tuo sancto & benedicto : *panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* * *Si* D *quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Panis dulcissime, sana palatum cordis mei, ut sentiam suavitatem amoris tui. Sana illud ab omni languore, ut nullam præter te sentiat dulcedinem, * nullum præter te quærat amorem, nullam præter te amet pulchritudinem.] Panis candidissime, habens omne delectamentum & omnem * suavitatis saporem, qui nos semper reficis, & nunquam in te deficis : comedat te cor meum, & dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ. Manducat te Angelus ore pleno, manducet te peregrinus homo pro modulo suo, ne deficere possit in via tali recreatus viatico. Panis sancte, panis vive, panis * pulcher, panis munde qui descendisti de cœlo, E & das vitam mundo, veni in cor meum, & munda me ab omni inquinamento carnis & spiritus : intra in animam meam, & sanctifica * me interiùs & exterius. Esto tutamen & continua salus animæ meæ & corporis mei. Repelle à me insidiante mihi hostes : recedant procul à præsentia potentiæ tuæ * ut foris & intus per te munitus recto tramite ad tuum regnum perveniam *, ubi non in mysteriis, sicut in hoc tempore agitur, sed facie ad faciem te videbimus, cùm tradideris regnum Deo & Patri, & erit Deus omnia in omnibus. Tunc enim me de te satiabis satietate mirifica, ita ut nec esuriam, nec sitiam in æternum.

al. omit.
al. perdere nos
al. & integritatem
al. totum
al. totum
al. omis.
al. omit.
al. terrena divinis
al. confitun tur
al. potuerit
al. pietati
al. omit.
al. omit.
al. rogo*, Deus meus ut concedas
al. amor cœlesti
al. Angelorũ
al. etiam
al. te honorificet, te delectet
al. dignetis
al. spiritibus
al. de crucifixi Domini nostri latere
al. &
al. panem tibi sacrificandum
al. suscipias
al. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Si
al. omit.
al. sana & munda
al. majestatis &
Vide variam lectionem.

ORATIO XXX.

PRO SACERDOTE QUI HABET CELEBRARE.

IMpellit me, Domine Deus, miniſtrandi officium, A hoſtias ſalutares offerre pro populi delicto: terret conſcientia indebiti Sacerdotii pro reatu proprio. Si à me omnium Sacerdotum periclitante ſacrificium offeratur, pollutæ conſcientiæ crimen augetur; tamen majeſtati univerſæ carnis Judicis non offertur, negligentiæ reatus aſcribitur. Inter hæc tuæ, omnipotens Deus, libramen pietatis imploro; cujus diem ultionis, accuſante conſcientia, pertimeſco, ne indignum miſericordia tua judices, quem à tempore pœnitentiæ non excludis. Suſpende, Domine, ſecurim, donec cultor vineæ Spiritus ſanctus admoveat cophinum ſtercoris ad radicem infructuoſæ arboris. Parce mihi, Domine, parce clementiſſime, qui Davidem poſt lapſum clementer ad veniam revocaſti; qui Petri miſericors amarè flentis lacrymas reſpexiſti; qui latronem tanti facinoris reum divinâ gratiâ illuſtraſti, cui mox obtinuit confeſſio perſpicere Dei filium, fides præmium, pœna veniam, lamenta gaudium ſempiternum; dum confeſſor in cruce, paſſiſſor paradiſi extitit poſt crucem. Sed quia verba ventâ pietatis tuæ indigent, quæ indigni Sacerdotis opera non commendant, ſaltem aſtantium vota ſuſcipe; ut & mihi ſalvis apud te precibus veniam, & eorum meritis ſacrificia noſtrorum vulnerum ſalubriter nobis conferant medicinam. Et quia, omnipotens Deus, pro nobis omnibus factus es hoſtia pro peccatis; adſis nobis ſatisfactio in ſacrificio pro delictis, qui vivis & regnas, &c.

ORATIO XXXI.

PRO SACERDOTE CELEBRATURO.

COnſcientia quidem trepidus, omnipotens Deus, B ad altare tuum accedo, ſed ad fiduciam de tuæ pietatis miſericordia retineor. Et licet ad celebranda tibi ſacrificia ſemper inveniar indignus; tamen ſi recedo, vereor de inobedientia condemnari. Pro qua re dignare me, piiſſime Pater, paterna pietate ac placato vultu reſpicere, & cordis mei interim ora purgare. Et ſi ego pondere peccatorum meorum ac reatu conſtringor; meatum tamen precum obtentu, tibi ſint, quæſo Domine, in omnibus placita myſteria conſecranda. Per Dominum noſtrum, &c.

ORATIO XXXII.

AD IDEM FACIENDUM.

COnſcientiâ culpabilis, vitâ trepidus & anxius, C criminum funibus captivatus, te unicum refugium & ſingulare remedium miſerorum deprecor Domine, ut mei indigni Sacerdotis tui miſereariſ, mihique indulgeas quòd illud Sacramentum ſalutare, Angelis, & Archangelis, & omnibus ſublimitatibus tremendum & adorandum, ſceleratis labiis conſecrare, ac profanatis manibus præſumo attrectare: ſed dum accedo per me, fateor Domine, præſumo de te, memor malorum meorum, & tuorum quæ à ſæculo ſunt bonorum. Adhuc, Domine, te rogare præſumo, ut non ſit mihi ſacroſanctum ſacrificium tuum ad judicium, neque ad condemnationem; ſed potius ad liberationem peccatorum & angustiarum mearum, & ad perennem animæ meæ ſalvationem. Idipſum, Domine Deus, ſupplicans repeto, non elata, ut ipſe conſpicis, præſumptione; ſed prona & paſſa præſumptione: quia miſer & immundus Carnis tuæ ſanctæ, & pretioſi Sanguinis tui Sacramentum immundis manibus conſecrare audeo. Supplex exoro & obtecto, Domine, miniſterium tuum reſpice, & miſero mihi miniſtro miſerere, ſacrificatorem purifica, & ſacrificium ſanctifica. Deus Pater, audi me; quicquid eſt in me contra me, clementer aufer à me; apta me tuo ſancto ſervitio, ac miniſtrum idoneum, tibi me perfice; & annue ut quæ tibi placita ſunt, inter hæc ſancta myſteria poſtulem, & quæcumque poſtulo tuâ, Domine, benigniſſimâ, quæſo, miſericordiâ percipiam. Tibi honor, tibi gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

ORATIO XXXIII.

AD IDEM FACIENDUM.

SI tantum, Domine, reatum noſtræ delinquentiæ D cogitamus, deputatum obſervationis miniſterium non implemus: grave eſt enim, quod ad menſam tuam mundo corde & innocentibus manibus non venimus; ſed gravius eſt, ſi dum peccata metuimus, etiam ſacrificium non reddamus. Liceat igitur pro inobedientia aſſiſtere, pro indulgentia petere, pro officio miniſtrare, pro remedio immolare, pro populo obſecrare. Quæſo ergo conforta in me quod trepidat, cura quod tædet, reconcilia quod diſcordat, evacua quod corrumpit, humilia quod ſuperbit. Sit pia juſtitia clemens correctio; nunquam abſorbeat peccatorem, imò reconciliet pœnitentem. Da in ſalutem diſciplinam, non in mortem ſententiam: exaudi peccatoris precem, qui viſitas in dolore gementem. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Digitized

ORATIO XXXIV.

AD CHRISTUM.

Ante perceptionem Corporis, & Sanguinis Chriſti.

DOmine Jeſu Chriſte, qui Patre diſponente, Spiritu ſancto cooperante, per mortem tuam ſponta-
nea voluntate miſericorditer à peccato & morte æterna mundum redemiſti adoro, & veneror eo quo poſſum, quamvis tepido affectu, & humili devotione, gratias agens tanto beneficio, hoc ſanctum Corpus, & hunc Sanguinem tuum, quæ ad emundationem & defenſionem à peccatis, accipere deſidero. Confiteor, Domine, quia nimis ſum peccator, & indignus ad eorum tactum accedere. Sed confidens de illa clementia, qua pro peccatoribus, ut juſtificrent, animam tuam ponens, eam dediſti, & pia hoſtia Patri mactari voluiſti; illa preſumo, licet peccator, ut per illa juſtificer, accipere. Supplex ergo te, pie miſe- A rator hominum, obſecro, ut quæ ad delendum peccata dediſti, non mihi ſint ad peccatorum augmentum, ſed ad indulgentiam & tuitionem. Fac me, Domine, ita ea ore & corde percipere, atque fide & affectu ſentire, ut per eorum virtutem ſic merear complantari ſimilitudini mortis & reſurrectionis tuæ, per veteris hominis mortificationem, & novitatem juſtæ vitæ; ut dignus ſim corpori tuo, quod eſt Eccleſia, incorporari; & ſim membrum tuum, & tu caput meum, & maneam in te, & tu in me: quatenus in reſurrectione reformes corpus humilitatis meæ, configuratum corpori claritatis tuæ, ſecundùm promiſſionem Apoſtoli tui; & in te in æternum gaudeam de gloria tua, qui cum Patre & Spiritu ſancto, &c.

ORATIO XXXV.

AD CHRISTUM.

Ante perceptionem Corporis Chriſti.

DOmine Jeſu Chriſte Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu ſancto, per B
mortem tuam mundum vivificaſti, adoro & veneror hoc ſanctum Corpus tuum, & hunc Sanguinem tuum, quod eſt traditum, & qui pro multis effuſus eſt in remiſſionem peccatorum: deprecorque clementiam tuam, miſericordiſſime Domine, per horum virtutem, fac me unum de illis multis, & fac me hoc ſentire ſic per fidem & affectum, ut ſentiam ea per ſalutis effectum. Et abſolve & libera ſervos & ancillas tuas, me & omnes, qui mihi confeſſi ſunt peccata ſua, & pro quibus promiſi, vel obnoxius ſum exorare, & qui ſe ſperant vel petunt meis orationibus apud te juvari, ab omni peccato, & pœna peccati; & fac Eccleſiam tua continua protectione & conſolatione lætari.

ORATIO XXXVI.

AD DEUM, ET AD OMNES SANCTOS.

DOmine Deus omnipotens, æterne, & ineffabilis, ſine fine atque initio, quem unum in C
Trinitate, trinum in unitate confitemur. Te ſolum Deum adoro, te laudo, te benèdico, teque glorifico, tibi gratias ago, tibi me tota devotione committo; intende voci orationis meæ, Pater de cœlis Deus, Rex meus, & Deus meus. Fili, Redemptor mundi, Deus, miſerere mei, ne perdas me cum iniquitatibus meis, neque in finèm iratus reſerves mala mea: Sanctus Spiritus, benigne Deus, inſpira mihi ſpiraculum gratiæ tuæ, & dirige me in viam ſalutis æternæ: doce me voluntatem tuam facere: quicquid tibi diſplicet in me, remove à me. Trine, & une, omnipotens, pie & miſericors Domine, aſpice in me, & tribulationem meam in gaudium converte, & ne des hæreditatem D
tuam. Altiſſime, in perditionem. Dominator omnium ac protector in te ſperantium, Domine, deprecationem meam ſuſcipe; & per interceſſiones glorioſæ Virginis Mariæ, aufer iram tuam à me, Domine Deus ſalutis meæ; nec animam meam priùs à corpore ſuſcipias, quàm omnia peccata mea dimittas.

O gloriola Dei genitrix, Mater miſericordiæ Virgo ſemper Maria, quæ Dominum omnium meruiſti portare, & Regem Angelorum ſola Virgo lactare, adjuva me in die tribulationis meæ; ut tuis fultus patrociniis ad regna cœleſtia merear pervenire.

O Sancte Michaël, Archangele Dei, præpoſitus paradiſi, veni in adjutorium meum, & defende me ab hoſte maligno in hora mortis meæ, & animam meam deduc in paradiſum exultationis æternæ. Omnes ſancti Angeli & Archangeli Dei, cunctæ cœlorum virtutes, omneſque ſanctorum ſpirituum Ordines, adverſæ damnationis vires reprimite, expugnate impugnantes me, à rugientis inimici ſævitia potenter me defendite, in via veritatis fideliter gradientem omni hora, die ac nocte cuſtodite me, & in hora exitus mei animam meam in pace vobiſcum ſuſcipite.

Sancte Johannes Baptiſta, omnes ſancti Patriarchæ & Prophetæ, exoro vos obnoxiâ prece, manum mihi porrigite, auxilium mihi in cunctis neceſſitatibus meis & infirmitatibus præbete; poſcite mihi à Deo indulgentiam, patientiam, conſtantiam, juſtitiam, obedientiam, continentiam, ſanctamque perſeverantiam.

Sancte Petre; princeps Apoſtolorum beatiſſime, omneſque ſancti Apoſtoli & Evangeliſtæ, Eccleſiarum principes, & cœleſtis aulæ triumphales milites, date mihi vitam honorabilem, virtutum magnitudinem, conſummationem laudabilem, & æternam beatitudinem; influat mihi per vos pax, virtus, & perpetua ſalus.

Digitized by Google

Christi dulcissimi Sacerdotes, atque inclyti Doctores, omnesque sancti Confessores, qui amplia-
stis talentum vobis creditum per immarcescibilem fructum bonorum operum, Dei ineffabili pietate detur mihi per vos peccatorum indulgentia, totius boni copia, cœlestium concupiscentia, grata fratrum benevolentia, morum reverentia, mandatorum Dei observantia. Precor te, beate N. devotissimâ prece, dignare me inter tuos agnoscere, cùm sederis potens in judicio orbem judicaturus cum Domino.

Omnes sanctæ virgines, quæ cœlesti sponso perenni mente adhærentes luxum calcastis sæculi: omnesque sanctæ viduæ impetrate mihi fœtido munus perennis gratiæ, vitæ sanctimoniam, corporis munditiam, cordis innocentiam, fidei firmitatem, fraternitatis charitatem.

Intercedite pro me, omnes Sancti, quicumque Deo placuistis ab initio sæculi. Aptate me ad voluntatem Dei peragendam in omni opere bono: ut peccatis mortuus, Deo vivam; & vota, quæ Deo vovi, vestris suffragantibus meritis illi toto affectu persolvam; ut ad portum salutis æternæ merear pervenire, & in æterna felicitate vobiscum sine fine gaudere. Amen.

Ex MS. Corbej.

ORATIO XXXVII.

AD DEUM.

DOmine Jesu benignissime, fons vitæ, fons misericordiæ, de quo bibunt omnes sancti, bibunt & inebriantur ineffabili dulcedine, vivum æterna satietate: da mihi per merita eorum in præsenti vita sic te semper sitire, ut in futuro sæculo cum eisdem sanctis tuis ad te valeam æternaliter satiari. Oro itaque dulcissimam misericordiam tuam, piissime, suavissime Domine Jesu, pasce miseram animam meam ex recordatione beneficiorum tuorum, ne deficiat in peregrinatione fatigata, immo pondere peccatorum suorum. Tua me, Domine, bonitas creavit, & per baptismum tuum recreavit, patienter hactenus me quotidie peccantem expectat. Potentia Divinitatis tuæ me fecit, humilitas humanitatis tuæ me refecit. Ecce, Domine Jesu Christe, gratiâ tua donante, qui es Dominus meus, Deus meus, ecce recordor quia, sicut prænunciasti per sanctos tuos ab initio mundi, natus de sancta Virgine veram ex ea carnem accepisti, Virginis matris ubera verè suxisti, pasce peccatricem animam meam tua sancta Carne: satia illam tua dulcedine. In præsepio positus, pannis involutus es; involve meam animam pannis misericordiæ tuæ, ne remaneat nuda coram te. Pastores, & ab Oriente Magi venientes adoraverunt te in præsepio jacentem; fac me, Domine, te fideliter adorare jam in cœlo sedentem. Permisisti circumcidi carnem tuam; circumcide ab omni peccato mentem meam. Præsentatus es in Templo, suscepit te Symeon in ulnas suas, id est, in brachia sua; præsenta me sanctæ majestati tuæ, ut te complectar brachiis animæ meæ. Subditus eras parentibus in puritia tua; fac me tibi subditum, & omnibus quibus me subjecerit dispositio tua. Baptisatus es à Johanne*; in infantia tu baptisasti me; post baptismum tuum sanctum multotiens pollutus sum, per veram confessionem & pœnitentiam bapeisa me. Justisti peccatoribus agere pœnitentiam; promisisti dignè pœnitentibus indulgentiam: fac me pro peccatis meis sic pœnitere, ut eorum veniam à te merear obtinere. Veritatem, mansuetudinem, justitiam docuisti: doce cor meum & illumina, ut unus ex eis esse merear quos tu docens interiùs illuminasti. Miracula, virtutes, sanitates in corporibus & animabus hominum quantùm tibi placuit fecisti; sana languores animæ meæ, quia peccavi tibi. Jejunasti propter me fac me abstinere ab omni peccato pro tuo amore. Esuriisti propter me: fac me te, qui panis es verus, veraciter esurire. Fatigatus es propter me; robora, refice lassitudinem animæ meæ. Dulcissime & misericordissime Domine Jesu Christe, dum cœnares cum amicis tuis, pedes eorum lavisti, Corpore tuo & Sanguine pavisti: corpus meum & animam ab omni sorde lava, & eodem Corpore tuo & Sanguine, ne deficiat, conforta. Quid amplius dicam, Domine Jesu Christe? Tu es vita mea, salus mea, dulcedo mea, fortitudo mea, lætitia mea, gaudium meum, redemptio mea, resurrectio mea. Tu propter me traditus es; ne tradas bestiis animam meam. Ligatus es propter me: solve ligamina peccatorum meorum. Illusus es propter me: libera me ab illusionibus dæmonum. Dulcissime Domine, tu solus homo sine peccato flagellatus es propter me; libera me à flagellis quæ merentur iniquitates meæ. Misericordissime Domine, spinis coronatus es propter me: spinas peccatorum meorum aufer à me. Domine Jesu benignissime, tu portasti super sanctos humeros tuos crucem tuam: fac me te sequi & post te portare animam meam. Altissime Domine, tu exaltatus in cruce traxisti omnia ad te: trahe me ad te. Dulcissime Domine, tu permisisti manus tuas & pedes clavis ferreis perforari; lanceâ latus tuum aperiri, sanguinem tuum pro peccatoribus effundi; per ipsum Sanguinem tuum lava animam meam ab omnibus peccatis, & omnem dolorem abea tolle per angustias quas pro nobis sustinuisti. Dulcissime Domine, tu suscepisti petitionem latronis; suscipe orationem mei peccatoris. Aceto potatus es propter me: inebria animam meam melle dulcedinis tuæ. Bone Pastor, tu posuisti pro tuis ovibus animam tuam: ne sinas perire & mori peccatricem animam meam. Liberasti de inferno animas piorum: libera animam meam à damnatione impiorum. Fortissime, potentissime Domine Jesu Christe, tu postquã mortem vicisti, surgens à mortuis vivus & immortalis discipulis tuis apparuisti. Dolentes de tua morte lætificasti, manducans & bibens frequenter cum eis in fide sanctæ Resurrectionis tuæ cor eorum solidasti: animam meam, animam servi tui lætifica & conforta in fide sanctæ tuæ Resurrectionis.

Ex MS. Corbej.

ORATIO XXXVIII.

AD CHRISTUM.

DOmine Jesu Christe, dulcissime, suavissime, pulcherrime, speciosissime, desideratissime, Dominus meus & Deus meus, post Resurrectionem tuam quadragesimo die vidente piissima matre tua Virgine & ineffabiliter gaudente; videntibus amicis tuis Apostolis & ineffabiliter de tua glorificatione lætantibus, benedicens eis ascendis in cœlum & sedes ad dexteram Patris: Benedic etiam nobis & fac nos participes

Digitized by Google

tantæ exultationis, quam illi habuerunt de gloria tuæ exaltationis: & per hæc beneficia tua, & alia innumerabilia quibus hominem perditum ad salutem revocasti: dum in hac vita detineor, miseram animam meam refice & conforta; ut cùm à corpore migraverit, tam piis recordationibus & memoriis enutritam & refocillatam sub alis misericordiæ tuæ, sub pedibus A sanctorum Apostolorum tuorum; sub pedibus gloriosissimi testis tui Stephani, & cæterorum puerorum tuorum qui tecum sunt in sancto cubili tuo, requiescere possit, te miserante, te donante, Salvator mundi, qui cum Deo Patre & Spiritu sancto vivis & regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Ex MS. Corbei.

ORATIO XXXIX.

AD CHRISTUM, ET OMNES SANCTOS

DOmine Jesu Christe, Fili Dei vivi, Dominus meus, & Deus meus, tu es vita mea, salus mea, sine quo non possum bene vivere, vel bene esse; quia & antequam essem & viverem, apud te eram & vivebam in te, & antequam me nossem, noveras me. Benignissime, suavissime, dulcissime, fac me recordari miserationes tuas quas humano generi misericorditer impendisti, fac ex earum recordatione cor meum igne igneſcere dilectionis tuæ jugiter in flammam. Potentissime Domine, prius in utero matris meæ me formasti, tua virtute natum de matre baptismo tuo sanctificasti, parentibus meis ut litterarum studio ac societati Monachorum me traderent inspirasti; ingenium discendi litteras, quantùm tibi placuit, ingrato mihi dedisti. Me quotidie peccantem usque nunc patienter expectasti. Precor, oro, benignissime Domine, dulcissimam misericordiam tuam ne me sinas unquam ad D pristinas sordes peccatorum meorum redire; sed fac me cum servis tuis in tuo servitio perseverare. Scio, Domine, quòd non sum dignus exaudiri propter peccata mea; sed da mihi solatium & intercessionem Sanctorum tuorum quos audeo coram te appellare; ut quod obsistentibus peccatis meis non mereor, eorum meritis suffragantibus obtinere possim; & ne me excludas ab eorum societate. Vos omnes Sancti, filii misericordiæ, pueri Domini Salvatoris, jam cum eo quiescentes in æterna requie, quos ipsa charitas de suis visceribus genuit, vos ego peccator appello; sublevate meam orationem ad aures vestræ matris, altissimæ charitatis. In primis audeo te suppliciter orare quæ vicinior existis saluti nostræ, quæ vitam nostram peperisti, mundo perdito remedium attulisti; benedicta super mulieres Virgo mater ipsius misericordiæ sancta Maria, Domina mundi, Regina cœli, tuæ sanctissimæ pietati meam orationem qualemcumque committo, ut eam offeras dilectissimo filio tuo Domino nostro. Vos etiam sancti Angeli & Archangeli, sancte Michaël, sancte Raphaël, sancte Gabriël, & omnes sancti cœlestium ordines virtutum ad orationes meas ad Deum sublevandas advocare præsumo. Vos omnes sancti Patriarchæ & Prophetæ, qui præcessistis & annuntiastis adventum nostri Salvatoris, vos estote adjutores orationibus meis. Sancte Johannes, tu Baptista Domini, amicus ipsius summi sponsi, tu esto adjutor orationibus meis. Sancte Petre, cui summus Pastor commisit suos agnos pascendos. Sancte Paule, vas electionis Domini Jesu Christi, Doctor Gentium. Sancte Andræa, sancte Jacobe, sancte Jacobe, sancte Johannes dilecte Domini Jesu, sancte Thoma, sancte Philippe, sancte Bartholomæe, sancte Mathæe, sancte Simon, sancte Tadæe, sancte Mathia, sancte Marce, sancte Luca, sancte Barnaba. Omnes sancti Apostoli & Evangelistæ, orate pro me peccatore; vestris meritis orationes meas committo. Sancte Stephane prothomartyr Domini nostri Jesu Christi, amice Dei, tuis meritis me commendo. Sancti Martyres, Line, Clete, Clemens, Xiste, Corneli, Cypriane, Laurenti, Chrysogone, Johannes, Paule, Cosma, Damiane, Ignati, Alexander, Marcelline, Petre, Vincenti, Sebastiane, & omnes Martyres qui pro Salvatoris amore sanguinem vestrum fudistis, orate pro nobis. Sancte Vedaste, Remigi, Benedicte, Martine, Ambrosi, Augustine, Hylari, Basili, Nicolae, Amande, Gregori, Germane, & omnes sancti Confessores qui per sanctitatem vitæ vestræ Deo placuistis, orate pro nobis. Sancta Maria Magdalena, quæ meruisti pedes Domini Salvatoris osculando tangere, lacrymis rigare, prima resurgentem à mortuis videre; Sancta Felicitas, Perpetua, Agatha, Agnes, Cæcilia, Lucia, Anastasia, & omnes sanctæ virgines, viduæ & continentes, orate pro nobis.

Ex MS. Corbei.

ORATIO XL.

RITHMUS AD DEUM ET OMNES SANTOS.

DEus Pater credentium,
Salus in te sperantium,
Exaudi preces servuli,
Quas fundit corde supplici.
Fili Dei piissime,
Dignatus nasci Virgine,
Exaudi cordis hostiam,
Patris sedens ad dexteram.
Amborum sancte Spiritus,
Dextræ Dei tu digitus,
Mentis secretum visita,
Tuaque reple gratia.
Personis sancta Trinitas,
Sed Deitate unitas,
Adesto meis precibus,
D Votis favens supplicibus.
Auge fidem tu Trinitas,
Spem auge sancta unitas,
Ut te colendo Deitas,
Me firmet tua charitas
Qui Deus homo diceris,
Et verus homo nosceris,
Memento mei hominis,
Cùm judicare veneris.
In hoc quod manes Deitas,
Reatûs dele sarcinas;
Ut hoc quod es humanitas,
Adhuc deflectat pietas.
Regnum jurasti Patribus,
Promisisti sequacibus,

Ut

Digitized by Google

Ut ſervetur promiſſio,
Regnum concede famulo.
Concedat tua pietas,
Quæ deſpoſcit humanitas,
Ut quod promiſit charitas,
Aſſequatur hæreditas.
Matia Virgo virginum:
Redemptionis oſtium,
Porta ſalutis integra,
Lapſis cervicem releva.
Potenti manum porrige,
Quietis opem tribue,
Et per tuum auxilium
Placare cura filium.
Regina cœli filia,
Mater Dei caſtiſſima,
Ut manus præſtet filii,
Quod ſervus poſcit, ſubveni.
Tu Michaël Archangele,
Cœli princeps militiæ,
Ora Draconis concute,
Ne noceat in vulnere.
Interpres Dei Gabriel,
Et medicina Raphaël,
Cum Cherubim & Seraphim,
Hoſtis necate hæreſim.
Cœlorum omnes ſpiritus,
Novem diviſi gradibus,
Dei præſentes vultibus,
Meis favete vocibus.
Senes viginti quatuor,
Hæc offerte quæ deprecor.
Qui cytharis & phialis
Orationes funditis.
Patriarcharum dignitas,
Prophetarum ſublimitas,
Veſtri Regis præſentiæ,
Verbo precantis ſolvite.
Johannes Chriſti prævius,
Baptiſta regis inclytus,
Feſtina, ne tardaveris
Labem ſecare vulneris.
Quem matris clauſus utero
Motu prodis corporeo,
Quem demonſtraſti digito,
Fac ſubvenire miſero.
Cœleſtis regni Claviger,
Apoſtolorum ſignifer,
Petre primus in ordine,
Fragilitatem aſpice.
Per te mens tua videat,
Quid ſors humana valeat;
Et dum tui memineris,
Memento caſus hominis.
Te poſcente clementiam,
Extendat mihi dexteram,
Qui te ſuſpendit flumine,
Dum tibi dixit, *Medice.*
Salve reatus vincula,
Ad hoc data potentia,
Quem Verbum Dei nominas,
A quo vocaris Barjona.
Paule tu Doctor gentium,
Et Chriſti teſtimonium,
Dum totum mundum prædicas,
Opem conferre ſtudeas,
Johannes Dei gratia,
Subtilis velut aquila,
Ipſo me fonte ſatia,
Cujus potaſti flumina.
Qui tibi matrem ſociat,
Et cœli clauſa reſerat,
Meæ parcat miſeriæ,

A Tui precatus munere,
Apoſtolorum cæteri,
Evangeliſtæ alii,
Diſcipulorum agmina,
Hæc juvate precamina.
Vos Innocentes pueri,
Qui pro Chriſto truncamini,
Veſtra date ſubſidia,
Quiclamatis, *Nos vindica.*
Et Prothomartyr Stephane,
Tu primus in certamine,
Hæres ſaerati nominis,
Adeſto deſideriis.
Caput nudas lapidibus,
B Cœli patet introitus,
Jeſum ſtantem conſideras,
Securus hoſtes toleras.
Oraſti flexis genibus
Pro inimicis cernuus,
Pro ſupplicanti ſervulo
Intercede, te poſtulo.
Tu Martyr invictiſſime,
. . . . . .
Pius adeſto famulo
Te deprecanti ſedulo.
Qui ſitiens martyrium,
Prece ſiccaſti fluvium,
Regna petens cœleſtia,
Capitali ſententia.
Diſſolve nexus criminum,
Per Jeſum Chriſtum Dominum,
C Ut tecum in cœleſtibus
Sanctorum jungar cœtibus.
Vincenti Martyr inclyte,
Carbones vernans ſanguine,
Cœlum tenens in munere,
Pro me precari ſatage.
Laurenti miles pertinax,
In fide piè contumax,
Cui in igne militas,
Orare pro me ſtudeas.
Cunctorum cœtus Martyrum,
Curam ſpernentes corporum,
Cui funditis ſanguinem,
Hunc reddatis placabilem.
Sylveſter ammirabilis,
Confeſſione nobilis,
Caput factus Eccleſiæ,
D Orationem reſpicere.
In ſede Petri poſitus,
Ejus quidem Vicarius,
Ipſius conſors gloriæ,
Cœli gaudens in culmine.
Meos intende gemitus,
Tuis juvando precibus,
Qui talentum multiplicas,
Ut tuo Regi placeas.
Gregori præſul optime,
Totius flos Eccleſiæ,
Domus Dei candelabrum,
Ut parcat roga Dominum.
E Martine ſydus Galliæ,
Virtutum fervens munere,
Quem Regis . . . . .
Fac ut ſuccurrat Dominus.
Sacerdotum Confeſſio,
Confeſſorum oratio,
Summi Regis conſpectui
Offerte preces famuli.
Vera felix Felicitas,
Quæ prima inter alias,
Ob caritatis meritum,
Hoc tenes privilegium.

Cùm Chriſtum mente conſpicis,
Terrena cuncta deſpicis,
Apud ipſum nos adjuva,
In cujus gaudes gloria.
O Maria Magdalene,
Feſtina opem tradere,
Cui primum ſe obtulit
Chriſtus, cum mortem interit.
Columba ſimplex animo,
Oranti adſis, obſecro,
Quæ corona Martyrii
Amplexum petis Domini.
Omnes ſacratæ Virgines,
Ferentes ſponſo lampades,
Vaſis tenentes oleum,
Meum quæratis commodum.
Sancta Sanctorum concio,
Una quidem communio,
Mihi quidem ſuccurrite,
Et Chriſtum intercedite.
Eſto, Chriſte, propitius,
Quos fundo vide gemitus,
Et quem creaſti dextera,
Ab omni malo libera
Qui naſci, mori, ſurgere,
In cœlum vis aſcendere,
Et ſanctum mittis Spiritum,
Me munda ſorde criminum.

A Judex orbis cùm veneris,
Mercedem dare famulis,
Cum ovibus in dextera,
Non cum hædis, me colloca.
Para panem Eccleſiæ,
Regendo eam protege,
Quæ dum partim dividitur,
In fine ſimplex creditur.
Romanæ ſedis Dominum,
Sibique gregem ſubditum,
Quos redemiſti ſanguine,
Digneris ſemper regere.
Iſtius loci præſulem,
In tua fide ſtabilem,
Tuo conſerva populo,
Munitum crucis clypeo.
Animabus fidelium
Iſta luce carentium,
Ad laudem tui perpetem,
Æternam para requiem.
Agne Dei mitiſſime,
Qui mundum purgas crimine,
Exaudi, parce, adjuva,
Miſerere & libera.
Chriſte, via, lux, veritas,
Dei ſplendor, & charitas,
Soter ſimul & ouſion,
Alpha & omega, eleyſon. Amen.

ORATIO XLI.

AD CRUCEM DOMINI.

SAncta crux, per quam nobis ad memoriam crux illa reducitur, in qua Dominus noſter Jeſus Chriſtus nos per mortem ſuam à morte æterna in quam omnes miſerè tendebamus, ad vitam * æternam quam peccando perdideramus, reſuſcitavit; adoro, veneror & glorifico in te crucem illam quam nobis repræſentas, & in illa eundem miſeratorem Dominum noſtrum, & quæ per illam miſericorditer operatus eſt. O crux amabilis in qua eſt ſalus, vita & reſurrectio noſtra! O lignum pretioſum, per quod ſalvati & liberati ſumus! ô lignum venerandum, per quod Deo ſignati ſumus! O crux glorioſa, in qua ſola gloriari nos oportet!

al. amic.

Non enim es * ſuſcipienda ſecundùm crudelium, qui te mitiſſimo * paraverunt, inſipientiſſimam impietatem; ſed ſecundùm ejus qui te ſponte ſuſcepit ſapientiſſimam pietatem. Nam illi non potuerunt aliquid, niſi illo ſapienter permittente; nec ipſe quicquam juſtinuit, nili ſe miſericorditer volente. Illi te elegerunt, ut per te ſcelus impietatis ſuæ perpetrarent; ille te elegit, ut per te opus pietatis ſuæ conſummaret. Illi, ut per te juſtum morti traderent; ille, ut per te peccatores à morte erueret. Illi, ut vitam interficerent; ille, ut mortem perimeret. Illi, ut Salvatorem damnarent; ille, ut damnatos ſalvaret. Illi, ut vivificantem mortificarent; ille, ut mortuos vivificaret. Illi inſipienter & crudeliter; ille ſapienter & miſericorditer. Non ergo es, ô crux admirabilis, æſtimanda ſecundùm intentionem crudelis inſipientiæ, ſed ſecundùm effectum miſericordis ſapientiæ.

al. ſuſcipienda Crux
al. agno

al. crux

Quomodo igitur te * laudabo? Qualiter te exaltabo? Quo affectu te orabo? Qua jucunditate in te gloriabor? Per te infernus ſpoliatur, & omnibus per te redemptis obturatur. Per te dæmones terrentur, comprimuntur, vincuntur & conculcantur. Per te mundus renovatur, atque veritate in eo lucente & juſtitia regnante decoratur. Per te humana natura peccatrix eſt juſtificata, damnata ſalvata, ancilla peccati & tartari liberata, mortua reſuſcitata. Per te civitas illa beata in cœlis reſtauratur & perficitur. Per te Deus Dei Filius pro nobis voluit obediens eſſe Patri uſque ad mortem; propter quod exaltatus accepit nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Per te paravit thronum ſuum, & inſtauravit regnum ſuum.

O crux, quæ ad tam ineffabilia bona es electa & præparata, laudant & exaltant te non tam humana ſive Angelica mens & lingua, quàm opera quæ per te ſunt facta! O tu, in qua & per quam eſt ſalus & vita mea! O tu, in qua & per quam eſt totum & omne bonum * meum, abſit mihi gloriari niſi in te! Nam quid mihi concipi, naſci, vivere, & omnibus hujus vitæ bonis perfrui * prodeſt, & poſtea in infernum deſcendere? Utique ſi ſic mihi * eſſet; melius mihi erat ſi nec conceptus fuiſſem. Et certè ſic eſſem, ſi per te redemptus non eſſem.

al. amic.

al. amic.

Quo ergo affectu gloriabor in te, ſine * qua non ſolùm mihi nulla eſſet gloria, ſed inſuper * æternè me poſſideret infernalis * luctus & miſeria? Qua delectatione jucundabor in te, * per quam pro ſervitute tartarorum, hæreditas mihi data eſt regni cœlorum? Quo gaudio gratulabor in te, ſine qua futurum erat ut horrerem me vel ad momentum eſſe, & per quam expecto quia gaudebo me in æternùm bene eſſe? Nam etſi adhuc inter ſpem & metum Deo ſerviam; certus tamen ſum quia ad hæc bona, ſi gratias agendo, amando, vivendo in te * gloriabor, per te perveniam.

al. quo

Sit itaque per te & * in te gloria mea, ſit per te & in te vera ſpes mea. Per te peccata mea deleantur, per te anima mea à vita veteri mortificetur, & in novam vitam juſtitiæ reſuſcitetur. Fac, obſecro, fac ut ſicut me in baptiſmo mundaſti à peccatis, in quibus fui conceptus & natus; ita me remundes ab eis quæ contraxi poſtquam ſum renatus: ut per te ad ea bona perveniam ad quæ homo eſt creatus; præſtante eodem Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui ſit benedictus in ſæcula. Amen.

Digitized by Google

ORATIO XLII.

AD CRUCEM DOMINI.

De ſancta Cruce, & beata Virgine, & bono latrone.

SAlve crux ſancta, ſalus & vita mea. Salve crux, quam adorat & deſiderat exercitus Angelorum. Salve crux, quam adorat & invocat omnis chorus Sanctorum. O verè ſancta & venerabilis crux. Ecce peccator & infœlix homo, ante te, & in te crucifixo manet, quamvis indignus; ſed pro peccatis ſuis ita eſt anxius, ut ferè neſciat quid agere debeat. Deſiderat enim te adorare; ſed non audet oculos ad te levare. Deſiderium quidem bonum habet in te; ſed nullum meritum ſentit in ſe, pro quo confidat de te. Maneo itaque in conſpectu tuo trepidus & dubius; ita ut coram te ſtare erubeſcam, & à te recedere pertimeſcam. Hortatur me ſtare ante conſpectum tuum memoria divinæ & tuæ pietatis; ſed dehortatur me conſcientia miſerabilis & inveteratæ meæ iniquitatis. Arctor quoque graviter ab iis duobus, & quid eligam ferè ignoro. Elegi tamen magis opportuno conſpectui tuo importunè aſſiſtere, etiamſi debeas me occidere. Melius eſt enim mihi mori juxta te, quàm vivere longè à te; quia nulla mors homini pejor eſt, quàm cùm homo longè à te eſt.

Suppliciter ergo deprecor te chara majeſtas & magna charitas, qui pendes in cruce, ut importunitatem meam non importunè ſuſcipias; ſed ad neceſſitatem meam opportunè & miſericorditer reſpicias. Tu es enim ſpes mea, tu refugium meum, tu miſericordia mea. Miſerere igitur, miſerere mei, & doce me quomodo adorare te debeam, & quomodò te diligere valeam. Quamvis peccatis meis exigentibus neſciam quomodò te adorare ac diligere debeam; tamen hoc eſt meum deſiderium, ut te adorem & diligam. Obſecro te, verè piis exaudibilis Jeſu, per omnem dilectionem quam habes in homine, dum pendes in ligno, ut hoc bonum ſpecialiter facias cum ſervo tuo, ne ſtare in conſpectu tuo & ante crucem tuam me aliquando tædeat aut pigeat, ſed potiùs delectet & placeat. Delectet animam meam in conſpectu tuo fideliter aſſiſtere; & placeat oculis Divinitatis tuæ miſericorditer in me reſpicere. Delectet me lugere miſeriam meam, & placeat omnipotentiæ tuæ vertere in gaudium triſtitiam meam.

Delectet autem me recordari hoc quod pendens in cruce benedictæ virgini matri tuæ dixiſti *Mulier ecce filius tuus.* Et nunc, quæſo, benigniſſime Domine, dic mihi ſervo tuo: Homo, ecce Deus tuus, ecce redemptor tuus. Te quoque, obſecro, virgo inter omnes mulieres benedicta, ut dicas mihi: Homo, ecce filius meus, ecce Salvator tuus. Video quippe, venerabilis domina, filium tuum in præſepio jacentem, recognoſco filium tuum in templo docentem; ſed in nullo loco eum certius cognoſco, quàm in cruce pendentem. Ibi enim ipſemet de ſe teſtatur dicens: *Mulier ecce filius tuus.* Hic ergo, fœlix mater & omni laude digna, hîc intercede pro me miſero apud ipſum qui, dum ſe filium tuum nominat, quodammodo ſe debitorem obligat, ut preces tuas cum amore ſuſcipiat. Dic illi itaque: Fili, iſte peccator clamat ad me, & lacrymabiliter deprecatur ut intercedam pro eo apud te, quatenus remittas ei peccata ſua, quæ inſipienter commiſit in te. Verùm eſt, Domine mi, verum eſt certè. Ego reus confiteor coram te, Deus, & coram genitrice tua quia ab infantia mea uſque nunc veniens ante glorioſam crucem tuam, & ſanctæ majeſtatis tuæ conſpectum, non ut debui veni, ſupplicavi, nec adoravi. Sed tu, cui proprium eſt parcere & miſereri, ne reſpicias fragilitatem meam & immunditiam meam peſſimam; ſed dimitte quicquid negligenter deliqui: quia tu es ſpes mea ſola & vera, & non habeo in alio fiduciam meam, niſi in te ſolo Deo vivo & vero.

Dat etiam mihi grandem fiduciam, ſumme redemptor meus, illa pia & dulcis oratio, quam pro crucifigentibus te apud Patrem feciſti dicens: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Qui enim ſic exoraſti pro tuis crucifixoribus, nunquid non orabis pro tuis adoratoribus? Et qui in cruce recordatus es indulgentiæ, nunquid in cœlo oblitus es miſericordiæ? Miſerere, quæſo, Domine, miſerere mei ſervi tui; & vel tu ignoſce, vel apud Patrem intercede ut ignoſcat. Propter hoc namque maneo coram te, & adoro ſanctam crucem tuam per quam redemiſti mundum. Credo namque & confiteor quia per elevationem & extentionem corporis tui in ligno traxiſti omnes ad te qui rectè diligunt te. Trahe igitur me, dulciſſime, Domine, trahe me & deſiderium meum poſt te; ut ego ſentiam virtutem crucis tuæ in me. Luc. 23. v. 34.

Sentiam, Salvator meus, virtutem & odorem qui eſt de cruce tua; ſicut ſentiebat latro ille qui dicebat: *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Viderat forſitan latro iſte te antea cæcos illuminantem, vel mortuos ſuſcitantem; & non adoraverat te. Tunc verò quando videt te pendere in ligno, adorat te dicens: *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Hoc fecit in illum crux tua, quod non potuerunt facere miracula tua. Veriùs & perfectiùs cognovit iſte te in cruce pendentem, quàm in templo docentem, aut miracula facientem. O quanta eſt virtus crucis tuæ, quanta eſt gloria pendentis in ligno! Latro ille ubi vidit tuum lignum, mox cognovit tuum regnum; & ubi te pendere aſpexit, ibi quod regnares intellexit. O quantus odor de cruce exibat, qui omnem infidelitatem ab eo repellebat. O quàm dignè vocabat te Dominum ſuum, qui veraciter ſciebat ſe ſervum tuum; quia oculis ſuis intuebatur pretium, quo redimebas penitus mundum univerſum. Matth. 27. v. 42.

Sed quid, bone Jeſu, quid, dulciſſime Domine, reſpondiſti latroni te oranti in cruce? *Hodie mecum eris in paradiſo.* Et quid hoc eſt, ô rex deſiderabilis? Tu clavis affligeris, & paradiſum promittis. Tu pendes in ligno, & latroni dicis, *Hodie mecum eris in paradiſo.* Et ô deſiderium animarum, ubi eſt paradiſus, quia dicis latroni, *Hodie mecum eris in paradiſo!* An paradiſus tecum eſt, & ubi tu vis, paradiſus eſt? An tu indubitanter paradiſus es, quia tam confidenter promittis, *Hodie mecum eris in paradiſo?* Credo Domine, credo certè quòd ubi tu vis, & ubi tu es, ibi paradiſus eſt; & eſſe tecum, hoc eſt eſſe in paradiſo. Quoniam venerabilis ille confeſſor & glorioſus martyr tecum fuit per totum illud hodie, & poſtea omni tempore. O quàm bonum eſt eſſe tecum! O quàm beati ſunt illi, qui tecum ſunt! Illi verè ſunt in paradiſo, verè ſunt in regnis, qui tecum ſunt fide & dilectione. Ibid. v. 43.

Crux tua, Domine, paradiſum promittit & paradiſum tribuit. Et ideo ſuppliciter adoro crucem tuam, adoro te in cruce, & crucem in te. Denique adoro crucem propter pendentem in cruce. Adoro quem latro adorabat, & oro ſicut ille orabat: *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Recognoſco

Digitized by Google

in me, Domine, hanc orationem, ſicut recognoviſti eam in latrone. Suſcipe hanc orationem à ſervo tuo, ſicut ſuſcepiſti eam à famulo tuo. Memento mei de regno, ſicut fuiſti memor illius de ligno. Dic igitur, dic, quæſo, Domine, dic ſervo tuo, dic animæ meæ: *Hodie mecum eris in paradiſo*, ut ego confortatus deſiderabili tua promiſſione fideliter permaneam in tua fide & dilectione, redemptor meus, mediator Dei & hominum: Qui cum Patre & Spiritu ſancto vivis & regnas Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

ORATIO XLIII.

AD CRUCEM DOMINI.

Laus Sanctæ Crucis.

AVe Crux ſancta, virtus noſtra. Ave Crux adoranda, laus & gloria noſtra. Ave Crux, auxilium & refugium noſtrum. Ave Crux, conſolatio omnium mœrentium; ſalve Crux, victoria & ſpes noſtra; ſalve Crux, defenſio & vita noſtra. Salve Crux, redemptio & liberatio noſtra. Salve Crux ſignum ſalutis, atque inexpugnabilis murus contra omnem virtutem inimici. Sit mihi Crux ſemper ſpes Chriſtianitatis meæ. Sit mihi Crux reſurrectio mortis meæ. Sit mihi Crux triumphus adverſus dæmones. Sit mihi Crux mater conſolationis meæ. Sit mihi Crux requies tribulationis meæ. Sit mihi Crux baculus ſenectutis meæ. Sit mihi Crux medicina ægrotationis meæ. Sit mihi Crux protectio nuditatis meæ. Sit mihi Crux conſolatio vitæ meæ. Sit mihi Crux in omnibus anguſtiis meis ſolatium. Sit mihi Crux remedium in tribulationibus meis. Sit mihi Crux in infirmitatibus meis medicamentum, atque contra omnia adverſa tutamentum. Amen.

ORATIO XLIV.

AD CRUCEM DOMINI.

Elevatio ad Sanctam Crucem.

SAlva me ſancta Crux, quæ in corpore Chriſti dedicata es, & ex membrorum ejus compage tanquàm margaritis ornata; quæ pretium noſtrum portare digna fuiſti, & vitam æternam nobis attuliſti. Jeſu bone, præſta mihi ut per ſignum & reparationé ſanctæ Crucis, me ab omnibus inimicorum incurſionibus liberes, & tua bonitate conſerves, peccata dimittas, veniá indulgentiæ tribuas; qui vivis & regnas Deus, &c.

ORATIO XLV.

AD SANCTAM VIRGINEM MARIAM.

Cum recordatione meritorum ejuſdem, & malorum noſtrorum.

OBeatiſſima & ſanctiſſima ſemper Virgo Maria, ecce adſto mœrens ante faciem pietatis tuæ, & confundor nimis pro abominationibus peccatorum meorum, quibus deformis factus ſum & horribilis coram Deo & te, & Angelis ejus & Sanctis omnibus. Expaveſco vehementer judicium extremum damnationis; quàndo unicuique divinitùs reddetur, prout geſſit ſive bonum, ſive malum. Et quia propter hoc timor & tremor venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ malorum actuum meorum, & intueor me leproſum & immundum; idcirco me dignum ſcio ſeparari à ſocietate fidelium, quos à me diſcernit candor & puritas caſtitatis: propterea flens & ejulans deprecor, Domine, quatenus à me quatriduo mortuo, intolerabili fœtore jam pleno, faciem tuam non avertas; ſed potiùs adſpicias quàm gravi ulcere percuſſus ſum, & conſolideres qualiter me cœleſti medicamine cures, atque Filio tuo Domino noſtro Jeſu Chriſto, cujus tu mater es & qui de te natus eſt, me emundatũ reſtituas. Tu enim noſti, miſericordiſſima Regina, quòd ad hoc nata es, ut per te naſceretur idem Dominus noſter Jeſus Chriſtus, verus Deus, verus homo, in quem veraciſſimè credo, & de cujus pietate non deſpero; ut & ipſe qui erat Conditor hominum, fieret & Salvator; teque talem haberet matrem, quæ pro peccatoribus interveniens, perfectam obtineres ei ſalutem. Tu autem, Domina mater ejus, Virgo in partu, Virgo ante partum, & Virgo poſt partum. In te manet intacta caſtitas, pudor integer, & firma conſtantia. Quæ lætaris quòd Virgo concepiſti, & quòd cœli Dominum caſtis viſceribus portaſti, & quòd Virgo partum ediditi, & quòd es ab Angelo ſalutata, à Spiritu ſancto obumbrata. Et quod Angelica nunciavit puritas, ineffabilis perfecit Deitas; atque Deum illum gignere meruiſti, qui cuncta naſci ſuo nutu conceſſit.

Tu, Domina, mirabaris & corporis tui integritatem, & conceptus fœcunditatem, & gaudebas tuum paritura parentem, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum: duobus enim graviſa es muneribus. Miraris quòd Virgo pepetiſti; & lætaris quòd Redemptorem mundi ediditi, Jeſum Chriſtum Filium Dei. Quapropter, ineffabilis miſericordiæ Regina, credo quòd non es vacua à viſceribus pietatis, quæ genuiſti ipſum fontem totius bonitatis. Et quæ lactaſti magni conſilii Angelum, potes & mihi eſſe magni conſilii Angelus, ſi pro me depreceris Dei Filium, qui per te mundo in carne apparuit, ut quem latentem apud Patrem incognitum habebat mundus, apparentem per carnem agnoſceret, & agnitum crederet, & credendo in eum ſalvaretur per fidem. Qui ſuo inenarrabili munere præſtitit ut natura humana ad ſimilitudinem ſui conditæ Creatoris, diſſimilis per peccatum & mortem effecta nequaquam in æterna damnatione periret; ſed illam per te ſua immenſa pietate repararet; & ut tu nova & intemerata Virgo facinus antiquæ viraginis expiares.

O admirandam divinæ dispensationis operationem! Tu benedicta inter omnes mulieres virum non cognovisti; & mater es, & post Filium natum Virgo permansisti. Hanc fidem sanctam postquam suscepi, Domina, non semper recto tramite tenui, quoniam præceptis ejus non obedivi. Quibus si parere studuissem, me ad te clamantem facilè audires, quem placere filio tuo scires. At quia seduxi me hostis antiquus, & sagittis suis vulneravit me, & vestibus candidis exuit, atque nigris & lacrymosis ac semiustis igne peccatorum meorum induit, idcirco deformibus vestibus indutus apparebo tibi. Propterea, clementissima Regina & Domina, ne contemnas me; sed memor fragilitatis humanæ, annue ne desperans fugiam, sed expectem consolationem tuam, quam tunc evenire probabo, si ea quæ sunt in me incendia criminum & iniquitatum, & præcipuè illarum quibus infatigabiliter uror, paulatim in me deficere tua virtute, atque imbre intercessionum tuarum extingui in corde meo & corpore persensero.

O, mi Domina, quid dicam, vel quid faciam? In tenebris sum, & lumen cœli non video. Quò ibo, aut quò à facie filii tui judicantis fugiam? Non ad orientem, aut meridiem; vel ad occasum, aut ad aquilonem, vel in profundo abyssi habeo effugium; ubique filius tuus, ubique totus, ubique præsens, ubique discernens & omnia judicans, & super cœlestia habitans. Qui si me pro meis actibus justè judicaverit; expediisset mihi magis ut conceptus non essem, aut natus statim interiissem. Nec hoc mihi proficere potuisset, quia in peccatis tunc conceptus & natus, & sine baptismo mortuus absque dubio periissem. Ego namque de peccatoribus conceptus & natus peccator; baptizatus & salvatus, iterum peccator factus sum. Et non talis ut antea, sed sordidior & immanior; quoniam talis sum qualem pejorem non habet mundus. Ideo talem adjutorem requiro, qualem post Filium tuum potiorem & meliorem invenire non potest mundus. Habet orbis Apostolos, Patriarchas, Prophetas, Martyres, Confessores, Virgines; bonos & optimos adjutores, quos ego supplex orare concupisco. Tu verò, Domina, omnibus iis adjutoribus melior & excelsior es; quia istis & aliis Sanctis omnibus, etiam Angelicis spiritibus, necnon regibus & potestatibus mundi, divitibus; pauperibus, dominis, servis, majoribus & minoribus Domina es; & quod possunt omnes isti tecum, tu sola potes sine illis omnibus. Quare hoc potes? Quia mater es Salvatoris nostri, Sponsa Dei, Regina cœli & terræ, & omnium elementorum. Te ergo requiro, ad te confugio; & tu me per omnia adjuves, suppliciter peto. Te tacente nullus orabit, nullus juvabit. Te orante omnes orabunt, omnes juvabunt.

Millies centena millia hominum (Regina piissima) ad te clamant, & omnes salvantur: Et ego clamabo ad te, & non auxiliabor? forsitan non; quia illis omnibus sum pejor & pessimus. Quid inde? Propterèa non tacebo. Clamans igitur vociferor ad te. Egregia Virgo, & piissima Domina, parce mihi & exaudi me. Exaudi miserum, & solare mœrentem; recollige errantem, refove desperantem. Sana in me quæ conspicis vulnera, per tua sancta medicamina; tollensque à me sordida indumenta, viridia & splendida porrige vestimenta, quibus me renovatum repræsentes Filio tuo Domino nostro Jesu Christo. Esto mihi contra diabolum turris fortitudinis, murus inexpugnabilis, brachium defensionis. Illum contra me sævientem suscipe; & ne me viribus imbecillem astutia sua confodiat, tu invincibiliter repugna. Ille callidus est & fraudulentus, & non metuit pugnare contra fortes; sed majores vires infert tentationis contra validos, quàm contra infirmos. Tu tamen, cœlestis auxiliatrix, quæ nosti dolositates ejus, sic commune robur ejus, ut me nulla ipsius callida suggestio decipiat tentando; sed cùm nititur decipere, ipse confusus, ex tua virtute superatus discedat, & ego miserrimus tua defensione protectus, à tua filiique tui laude nunquam quiescam.

Fac, ô felix Domina, & omni laude dignissima, ut ego famulus tuus qui in tota longævitate dierum meorum miserabiliter per abrupta peccatorum corrui, nunc in extremis positus diebus, agam pœnitentiam pro peccatis meis quæcunque gessi in cogitatione, voluntate, operatione, & negligentia. Et quamvis diutissimè, hoc est, ab exordio vitæ meæ, usque in hanc horam, perseveraverim in ipsis quæ cœpi peccatis; tu tamen, cœlorum Regina, obtine apud clementissimum Filium tuum, ut ultrà non regnet iniquitas in me, sed virtus Divinitatis. Virtutum & orationum copia me justificet, mundet & muniat, & per semitas justitiæ deducendo ad bonum perseverantiæ perducat & provehat. In extremis quoque vitæ positum nulla me oblivio hebetet, linguæ officium nullius passionis vitium impediat. Expletoque dierum meorum numero, atque perfecto in me Ecclesiæ sancto ministerio, merear suscipi ab Angelo lucis, & liberari ab Angelo mortis, ac perferri ante tribunal piissimi Judicis, ubi per te Domina percipiam quietem pacis vitæ æternæ. Amen.

ORATIO XLVI.

AD SANCTAM VIRGINEM MARIAM.

BEatissima Dei genitrix & Virgo perpetua Maria, sacrarium omnium virtutum, gignendo Dominum virtutum & regem gloriæ Christum, per eundem Deum & Dominum nostrum Jesum Christum quem meruisti generare, tibi ad æternam gloriam, & nobis ad æternam salutem, precor per tuam clementiam suffragare mihi omni misericordia indigno apud divinam majestatem, exorabilemque te precibus tanti peccatoris præbere, dominâ, ne differas, ex qua & beatitudinis fœlicitas & redemptio nobis venit. Siquidem omnino, Deifera sanctissima Maria, indignus sum te adire precatum; sed fiduciam spei meæ attribuit recordatio multorum Christum teque negantium, qui tandem conversi pristinam meruerunt per tua suffragia suæ mentis integritatem, licet sim amplius peccator, quàm possit lingua mea confiteri: proh dolor, plura sunt peccata mea, quàm vix numero possint comprehendi! Et quamvis professionem Christianitatis minùs rectè observaverim post baptismum; tamen nunquam in negationis foveam corde vel ore incidi. Omnipotenti Deo gratias, qui me tenuit tuis sanctis orationibus. Ad hoc te Deus fecit, ut speramus, sui matrem; ut mater fieri deberes omnium in eum credentium, quo se patrem nos jussit vocitare.

Quid unquam potest dignius æstimari, quàm ut sis mater, quorum Christus dignatur esse pater & frater. Ipse namque, propter suam insolitam bonitatem, omnibus paternos præbebit profectus; si te, domina, senserit maternos non denegare affectus. Quo namque modo mihi non miserearis, mater misericordiæ? Ubi est nisi in Deo, & in te, spes mea? Ergo sine te nihil pietatis est, nihilque bonitatis, quia mater virtutis & virtutum es omnium. Quapropter adjuva me, domina, quæso; quia nihil sum & ad nihilum me venturum

Digitized by Google

scio, nisi digneris me adjuvare. Adjuva me ergo, nec uni deneges beneficium, quod omnibus confers etiam non rogata. Non habeo quò pergam solatium vitæ quærens, nisi ad quam omnes rei confugiunt. Ad te confugio, quia te filius tuus Dominus noster Jesus Christus providit nobis refugium post se. Suscipe me, oraque eum quatenus me talem efficiat qualem me jubet heri; nec diutius sinat decipi suggestionibus dæmonum, sed faciat sua pietate, tuaque intercessione me sic frui temporali vita, quo possim æternam consequi, ipso auxiliante, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO XLVII.

AD SANCTAM VIRGINEM MARIAM.

Sancta & gloriosa Dei genitrix, semperque virgo Maria, quæ mundo meruisti generare Salvatorem, exaudi me & miserere mei nunc & semper propter honorem sanctæ & excellentissimæ Virginitatis tuæ. Te deprecor humiliter, esto mihi salvatrix & adjutrix apud Deum omnipotentem, ut ipse me pius pastor & princeps pacis à peccatorum meorum maculis emundet, & ab inferni tenebris eripiat, & ad vitam perducat æternam. Et qui per te, castissima virgo, venit in hunc mundum, & humanum genus suo sanguine salvavit, & inferni claustra destruxit, & cœlestis regni januas aperuit; ille me per misericordiam suam salvare & conservare dignetur; & post finem hujus vitæ labentis, aliquam partem æternæ beatitudinis precibus tuis in sanctorum societate concedat.

ORATIO XLVIII.

AD EANDEM DEI MATREM.

Singularis meriti, sola sine exemplo, mater & Virgo Maria, quam Deus ita mente & corpore * inviolatam custodivit, ut digna existeres, ex qua sibi nostræ redemptionis pretium Dei filius corpus aptaret: obsecro te, misericordissima, per quam totus salvatus est mundus, intercede pro me miserrimo & cunctis iniquitatibus * fœdato, * ut vel jam donet Dominus infœlici animæ meæ amorem puritatis, affectum munditiæ, tenorem castitatis. Ego enim, ego infœlix, ego totius innocentiæ, totius sanctimoniæ gratiam perdidi; ego templum Dei sanctum multipliciter violavi. Sed quid ago, obscœnitates meas referens auribus illibatis? Horresco, domina, horresco; & arguente me conscientiâ, malè nudus coram te erubesco. Cui verò moribundus offeram vulnus meum? Ad quem ibo, & apud quem deplorabo dolorem meum, aut quando aliunde sperem beneficia sanitatis; si mihi clauditur illud unicum reclinatorium æternæ pietatis? Audi ergo, domina, audi propitia, audi & exaudi civem perditum de sorte hæreditatis * tuæ post longa exilia *, post longa suspiria] post sæva ludibria, post multa * supplicia, revertentem ad ubera consolationis tuæ.

Memini, & meminisse delectabile est, qualiter ad commendandum * miseris unicum patrocinium tuum, cuidam tuo servo agenti in extremis revelasti memorabile nomen tuum. Apparens enim ei, cùm esset in angustiis, & requirens * utrum te agnosceret, cum ille, *minimè, domina*, tremens responderet; tu ei pro benignitate tua quàm blandè, quàm familiariter tu, domina, dixisti: *Ego sum misericordiæ mater.* Apud quem ergo miseri, apud quem desolati rectiùs ingemiscimus deplorantes mala totius calamitatis & miseriæ nostræ, quàm apud te veram & indubitatam matrem misericordiæ? Mater sancta *, mater unica, mater immaculata, mater incorrupta, mater misericordiæ, mater pietatis & indulgentiæ, aperi sinum pietatis & suscipe mortuum in peccatis. Ecce, domina, filius prodigus, nudus & attritus pedibus, de loco horroris, de nebula immunditiæ & fœtoris suspirat, clamat, & appellat matrem non immemor quoties eum foveris, texeris, excusaveris apud Patrem. Et quidem ille piissimus atque benignissimus pater, tu tam dulcis & suavis mater. Agnosce, benedicta, filios tuos quos unicè dilectus unigenitus tuus * non erubuit nominare fratres suos. Et si pro illo innocente filio tuo crucifixo pertransivit gladius animam tuam; quomodo super mortuis in peccato pupillis tuis te continere; quomodo * unquam maternis fletibus & lachrymis, ô domina, poteris temperare? Abstrahimur, diripimur, captivamur; non est qui eruat, non est qui * rédimat, qui consurgat diliculo * & spondeat pro nobis. Surge, pia, surge, propitia, intra sacrarium exauditionis, & expande manus immaculatas ante altare illud aureum humanæ reconciliationis. Erit per te impetrabile quod per te ingerimus, erit * per te excusabile quod timemus. Nec diu poterit te sustinere pro nobis supplicantem, quem tu sæpissimè consolata es dulcis mater infantem vagientem. Quæ ergo potentior meritis ad placandam iram judicis, quàm tu quæ meruisti mater esse ejusdem redemptoris & judicis? * Ne dubites, domina mea; ipse enim est os meum & caro mea, salutare meum & gloria mea, ipse caput nostrum, ipse cognovit figmentum nostrum.

Decus virginum, domina gentium, regina Angelorum, fons hortorum, ablutio peccatorum, sancta & perpetua Virgo Maria, succurre misero, subveni perdito; ut qui jam, proh dolor, non audet Angelicam illam sperare stolam virginalem; tuis, gloriosa, meritis qualemcumque recipiat vestem nuptialem. Denique, & si non merebor, imò quia non merebor vicinius accedere atque interesse floligeris atque odoriferis gloriæ vestræ choris; eminùs saltem potius & longè constitutus videre merear & audire processus vestros, tympana vestra, concentus vestros, & quicquid illud gloriæ & exultationis erit, quando tripudiabitis sequentes agnum quocunque ierit.

Singularis Virgo, summa & perpetua Virgo, sola mater & Virgo, sancta Maria, in fine orationis meæ, in extremo hujus fatuæ supplicationis * indignus hoc unum rogo, * hoc unum precor & obsecro in nomine dilecti filii tui, dona mihi misero jugem & perennem memoriam suavissimi nominis tui. Sit cibus dulcissimus, cibus suavissimus animæ meæ. Adsit mihi in periculis, adsit in angustiis, adsit in principio lætitiæ meæ. Si enim hoc Dei dono & tuo mereor obtinere, nullatenus certè, nunquam funditus vereor

al. omit.

al. fœdissimo vel fœdo al. omni pondere peccatorum prægravato, ut

al. eripiat

al. omit.

al. nec

al. sua

al. omit.

al. flagitia

al. nobis miseris

al. meum

al. indigna ego, precor & supplico

interire. Aderit enim semper mihi gratia tua, aderit misseratio & protectio tua. Et si in infernum demersus fuero; eò me requires, & inde * me extrahes, & red- al. omit. des filio tuo, qui me redemit & lavit sanguine suo, * Jesu Christo Domino nostro, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus. al. Jesu Christo filio Domino nostro

ORATIO XLIX.

AD SANCTAM VIRGINEM MARIAM.

Cum recordatione peccatorum, ad excitandum torporem.

Sancta, & inter sanctos post Deum singulariter sancta, Maria, mater admirabilis virginitatis, virgo amabilis fœcunditatis, quæ filium altissimi genuisti, quæ perdito humano generi salvatorem peperisti, Domina præfulgens tanta sanctitate, supereminens tanta dignitate, quam utique certum est non * minori præditam esse potentiâ & pietate. Tibi, ô genitrix vitæ, ô mater salutis, ô templum pietatis & misericordiæ, tibi sese conatur præsentare miserabilis anima mea morbis vitiorum languida, vulneribus facinorum scissa, ulceribus flagitiorum putrida, tibi nititur quantùm moribunda valet supplicare, ut potentibus tuis meritis & piis tuis precibus digneris eam sanare. Sic enim, pia domina, * alienata est à se immanitate stuporis, ut vix sensum habeat enormis languoris. Sic tordibus & fœtore fœdatur, ut timeat ne ab ipsa misericors vultus tuus avertatur: sic tabescit desperando respectus tui conversionem, ut etiam * os obmutescat ad orationem. al. super omnes eminens al. mori, præclaram al. alienus al. jam

Peccata mea, nequitiæ meæ, si haberis animam meam vestro veneno peremptam; vel cur sic facitis eam vestra fœditate horrendam, ut misseratio non possit aspicere illam? Si obruitis ei spem exauditionis vestræ molæ, vel cur obstruitis illis vocem orationis vestri pudore? Si mentem ejus vestri fecistis amore dementem, vel cur sensum ejus vestro redditis torpore non * sentientem? Heu pudor sordentis * iniquitatis, in præsentia nitentis sanctitatis! Heu confusio immundæ conscientiæ, in conspectu fulgentis munditiæ! O tu benedicta super mulieres, quæ Angelos vincis puritate, sanctos superas pietate; anhelat moribundus spiritus ad tantæ benignitatis respectum; sed erubescit ad tanti nitoris conspectum. Rogare enim te, Domina, desidero, ut miserationis tuæ respectu cures plagas & ulcera peccatorum meorum: sed confundor coram te ob fœtorem & sordes eorum. Horreo, Domina, apparere tibi in immunditiis & horroribus meis, ne tu horreas me pro eis: & non possum, væ mihi, videri sine eis. al. servientem al. immanitatem, præsentia autem sanctitatis

O * perturbata, ô confusa * peccandi conditio! En quippe vos, peccata mea, quomodo discerpendo distrahitis, distrahendo corroditis, corrodendo torquetis præcordia mea? Eadem enim peccata mea, ô Domina, cognosci à te cupiunt, propter curationem: apparere tibi fugiunt, propter execrationem: non enim sanantur sine confessione, nec * produntur sine confusione. Si celantur, sunt insanabilia: si videntur, sunt detestabilia. Urunt me dolore, terrent me timore. Mole me obruunt, pondere me premunt, pudore me confundunt. al. o perturbatio al. præcordia al. perdimur

O tu, illa piè potens, & potenter pia Maria, de qua ortus est fons misericordiæ, ne contineas, precor, tam veram misericordiam, ubi tam veram agnoscis miseriam. Si enim ego confundor in obscœnitate iniquitatis meæ ad fulgorem tuæ sanctitatis, tu-ne, Domina, erubescis erga miserum, * affectum insitæ pietatis? Si ego confiteor nequitiam meam; tu-ne abnegabis benignitatem tuam? Si major est miseria mea, quàm mihi expediat; erit-ne minor misericordia tua, quàm te deceat? Quantò enim, ô Domina, magis delicta mea in conspectu Dei & tuo sordent; tantò magis ejus curatione, & tua subventione egent. Sana ergo, clementissima, infirmitatem; & delebis, quæ te offendit, fœditatem. Aufer, benignissima, languorem; & non senties, quem horres fœtorem: fac, piissima, ut non sit quod doleat; & non erit quod synceritati tuæ sordeat. Fac, Domina: exaudi me, Domina. Sana animam peccatoris servi tui, per virtutem benedicti fructûs ventris tui, qui sedet in dextera omnipotentis Patris sui, superlaudabilis & superglorioſus in sæcula. al. affectu vel effectum al. venia

ORATIO L.

AD SANCTAM VIRGINEM MARIAM.

Cùm mens timore premitur.

Virgo mundo venerabilis, mater humano generi amabilis, fœmina Angelis mirabilis, Maria sanctissima, cujus beata virginitate omnis sacratur integritas, cujus glorioso partu omnis salvatur fœcunditas. Domina * magna, cui gratias agit concio læta justorum, ad quam fugit * territa turba reorum. Ad te, præpotens & misericors domina, ego peccator & utique nimis peccator anxius confugio. Videns enim me, domina, ante districti judicis omnipotentem justitiam, & considerans iræ ejus intolerabilem vehementiam, perpendo peccatorum meorum enormitatem, & condignam tormentorum immanitatem. Tanto igitur, domina clementissima, horrore turbatus, tanto pavore perterritus, cujus enixiùs implorabo interventionem, quàm cujus uterus mundi fovit reconciliationem. Unde securiùs velocem in necessitate subventionem sperabo, quàm unde mundo processisse propitiationem scio? Aut cujus intercessio faciliùs reo veniam impetrabit, quàm quæ illum generalem & singularem justum ultorem & misericordem indultorem lactavit? Sicut namque, beatissima, impossibile est ut hæc merita tibi tam singularia nobis tam necessaria obliviscaris: sic, mitissima, incredibile est ut supplicantibus miseris non miserearis. Bene quippe novit mundus, nec nos mundi peccatores ullatenus * dissimulare patimur: satis, inquam, ô domina, satis novimus, qui filius hominis, vel cujus hominis filius * venit salvum facere quod perierat. Nunquid ergo tu, domina mea, mater spei meæ, nunquid obliviseeris tu, odio mei, quod mundo tam misericorditer est intimatum, tam feliciter divulgatum, tam amanter amplexatum? Ille bonus filius * hominis venit perditum salvare sponte; & mater Dei poterit perditum clamantem non curare? Bonus ille filius hominis venit vocare peccantem ad pœ- al. terra al. dissimulare al. venit

Digitized by

al. precantem

al. pœnitentiam

nitentiam ; & bona mater contemnet * precantem in * pœnitentia ? ille, inquam, bonus Deus, mitis homo, misericors filius Dei, pius filius hominis venit quærere errantem peccatorem ; & tu bona mater ejus, potens mater Dei, repelles miserum orantem ?

al. quo

Ecce enim, ô Virgo, homo de * qua natus est Deus homo ut salvaretur peccator homo, ecce coram bono filio tuo, & coram * bona matre ejus pœnitet & confitetur, gemit & orat peccator homo. Obsecro * ergo vos, bone Domine & bona domina, obsecro vos, pie fili & pia mater, obsecro vos per hanc ipsam veritatem, per hanc singularem spem peccatorum * ut sicut verè tu es filius ejus, & tu mater ejus ut salvetur peccator, sic sic absolvatur & curetur, sanetur & salvetur hic peccator. Probet in se, probet hic vester peccator quia verè estis, sentiat in se quia propter salutem peccatorum estis tu filius, & tu mater. * Vester certè amborum peccator. Quum enim peccavi in filium, irritavi matrem ; nec offendi matrem, sine injuria filii. Quid ergo facies peccator ? Quò igitur fugies peccator ? Quis enim * te reconciliabit filio, inimicâ matre ? Quis * tibi placabit matrem irato filio ? Sed etsi ambo pariter offensi estis ; nonne & ambo clementes estis ? * Fugiat ergo reus justi Dei ad piam matrem misericordis Dei. Refugiat reus offensæ matris ad pium filium benignæ matris. Ingerat se reus utriusque inter utrumque ; injiciat se inter pium filium & matrem piam. Pie Domine, parce servo matris tuæ. Pia domina, parce servo filii tui : Bone fili, placa matrem tuam servo tuo : Bona mater, reconcilia * servum tuum filio tuo. Qui me injicio inter duas tã immensas pietates, non incidam in duas tam potentes severitates. Bone fili, bona mater, non mihi fit frustra quòd confiteor de vobis hanc veritatem, nec erubescam quòd spero in vobis hanc pietatem. Amo enim veritatem, quam confiteor de vobis : & deprecor pietatem, quam spero in vobis.

al. coram te bona matre

al. amia.

al. & ut

al. videtur

al. me.

al. mihi

al. Fugiet

al. filium tuum servo

Dic, mundi judex, cui * parces ? Dic, mundi reconciliatrix, quem tu reconciliabis : si tu, Domine, damnas ; & tu, domina, averteris homunculum bona vestra cum amore, mala sua cum * mœrore confitentem ? Salvator singularis, dic quem salvabis ? salutis mater, dic pro quo orabis ? si te, Domine, præcipiente, & te * Domina consentiente, tormenta vexant peccatorem se execrantem, vos obsecrantem ; si infernus absorbet reum se accusantem, vos deprecantem ; si tartara devorant pauperem in se desperantem, in vobis sperantem.

al. preces fundam.

al. timore

al. & de te misericordia

Deus, qui factus es filius fœminæ propter misericordiam ; fœmina, quæ facta es mater Dei * propter misericordiam, aut miseremini miseri, tu parcendo, tu interveniendo ; aut ostendite ad quos tutiùs fugiam misericordiores, & monstrate in quibus certiùs confidam * potentiores. Si enim est, imò quia est tam magna mea iniquitas, & tam modica fides mea, tam tepida charitas mea, tam fatua oratio mea, tam imperfecta satisfactio mea, ut non merear delictorum veniam, nec salutis gratiam ; hoc est ipsum quod supplico : ut in quo merita * mea mihi videtis non sufficere, in eo misericordiæ vestræ dignentur non deficere. Precor, itaque, precor, exaudite me, sed propter vos non propter me, per pietatem qua exundatis, per potestatem qua abundatis, ut evadam meritos dolores damnatorum, & * intrare merear in gaudia beatorum, te Deum laudaturus, qui es benedictus & superlaudabilis in sæcula sæculorum. Amen.

al. per

al. potentioribus

al. amis.

al. interem

ORATIO LI.

AD SANCTAM VIRGINEM MARIAM.

Cùm meditatione & laude meritorum ejus.

al. major

Maria, tu illa magna Maria, tu illa * maxima beatarum Mariarum, tu illa maxima fœminarum. Te, domina magna & valde magna, te vult cor meum amare, te cupit os meum laudare, te desiderat venerari mens mea, te affectat exorare anima mea, quia tuitioni tuæ se commendat tota substantia mea. Enitimini viscera animæ meæ ; enitimini quantùm potestis, si quid * potestis, omnia interiora mea, ut ejus merita laudetis, * ut ejus beatitudinem ametis, ut ejus celsitudinem admiremini, * ut ejus benignitatem deprecemini, cujus patrocinio quotidie indigetis, indigendo desideratis, desiderando * imploratis, implorando * impetratis : & si non secundùm desiderium vestrum ; tamen suprà, vel certè * contra meritum vestrum. Regina Angelorũ, domina mundi, mater ejus qui mundat mundum, confiteor * quia cor meum nimis est immundum ; ut meritò erubescat in tam mundam intendere, nec dignè possit * tam mundã intendendo contingere. Te igitur, mater illuminationis cordis mei, te, nutrix salutis mentis meæ, te obsecrant, quantùm possunt, cuncta præcordia mea. Exaudi, domina mea, adesto propitia, adjuva potentissima, ut mundentur sordes mentis meæ, ut illuminentur tenebræ meæ, ut accendatur tepor meus, ut expergiscatur torpor meus, quatenus sicut beata tua sanctitas super omnia * post summũ omnium filium tuum, per omnipotentem filiũ tuum, ob gloriosũ filium tuum, à benedicto filio tuo est exaltata : sic super omnia post * Dominum & Deum meum & omnium filium tuum, te cor meum intelligat & veneretur, amet & deprecetur eo affectu, non quo desidero imperfectus, sed * quo debeo à filio tuo factus & salvatus, redemptus & resuscitatus.

al. amis.

al. vetum, & Dominum

al. quod debet

O genitrix vitæ * animæ meæ, altrix reparatoris carnis meæ, lactatrix salvatoris totius substantiæ meæ ! Sed quid * dicam ? Lingua mihi deficit, quia mens non sufficit. Domina, domina mea, omnia intima mea solicita sunt, ut tantorum beneficiorum * tibi gratias exolvant ; sed nec cogitare possunt dignas, & pudet proferre * indignas. Quid enim dignè dicam matri Creatoris & Salvatoris mei, per cujus sanctitatem peccata mea purgantur, per cujus integritatem mihi incorruptibilitas donatur, per cujus virginitatem anima mea adamatur à Domino suo * & desponsatur Deo suo] ? Quid, inquam, dignè referam genitrici Dei & Domini mei, per cujus fœcunditatem captivus sum redemptus, per cujus partum de morte æterna sum exemptus, per cujus prolem perditus sum restitutus, & de exilio miseriæ in patriam beatitudinis reductus ? Benedicta in mulieribus : hæc omnia mihi dedit benedictus fructus ventris tui in regeneratione baptismatis sui, alia in spe, alia in re ; quamquam hæc omnia ego iple mihi * peccando sic abstulerim, ut nec rem habeam, & spem vix teneam. Quid enim ? Si meâ culpâ evanuerunt ; nunquid ingratus ero illi per * quam mihi tanta bona gratis evenerunt ? Absit, ne addam hanc iniquitatem super iniquitatem. Imò gratias ago, quia habui ; doleo, quia non habeo ; oro ut habeam : certus enim sum quia sicut per filii gratiam ea potui accipere ; sic eadem per matris merita possum recipere. Ergo ô domina, porta vitæ, janua salutis,

al. amis.

al. dicamus

al. amis.

al. cum dignè

al. fic ceca dando

al. per cujus mihi gratiam canta

salutis, via reconciliationis, aditus recuperationis, obsecro te per salvatricem tuam fœcunditatem, fac ut & peccatorum meorum mihi venia & bene vivendi gratia concedatur, & usque in finem hic servus tuus sub tua protectione custodiatur. *Insidiis & oppressionibus dæmonum mundus tenebris obvolutus subjacebat; sed sole de te orto illuminatus eorum & laqueos devitat, & vires conculcat.]

al. omit.

al. pietatis,

* Tu aula universalis * propitiationis, causa generalis reconciliationis, vas & templum vitæ & salutis universorum, nimiùm contraho merita tua, cùm in me homunculo vili singulariter recenseo beneficia tua, quæ mundus amans gaudet, gaudens clamat esse sua. Tu itaque domina admirabilis singulari virginitate, amabilis salutari fœcunditate, venerabilis inæstimabili sanctitate, tu ostendisti mundo Dominum suum & Deum B suum, quem nesciebat: tu visibilem exhibuisti mundo creatorem suum, quem priùs non videbat: tu genuisti mundo restauratorem, quo perditus indigebat: tu peperisti mundo reconciliatorem, quem reus non habebat. Per fœcunditatem tuam, domina, mundus peccator, est justificatus; damnatus, salvatus; exul reductus: partus tuus, domina, mundum * captivum redemit, ægrum sanavit, mortuum resuscitavit.

Cœlum, sydera, terra, flumina, dies, nox, & quæcunque humanæ potestati vel utilitati sunt obnoxia, in amissum decus sese gratulantur, domina, per te quodammodo resuscitata, & novâ quadam ineffabili gratiâ donata. Quasi enim omnia mortua erant, cùm * amissa congenita dignitate favendi dominatui vel usibus Deum laudantium, ad quod facta erant; * obruebantur oppressione, & decolorabantur abusu idolis servientium, propter quos facta non erant. Quasi verò eandem resuscitata lætantur, quum jam Deum confitentium & dominatu reguntur, & usu decorantur. Nova autem & inæstimabili gratia quasi exultaverunt, cùm ipsum Deum, ipsum creatorem suum, non solùm invisibiliter supra se illa regentem senserunt, sed etiam visibiliter intra * se eisdem utendo sanctificantem viderunt. Hæc tanta bona per benedictum fructum benedicti ventris benedictæ Mariæ provenerunt.

al. omisso

al. dominatu

al. obtinebantur

al. omis.

Sed cur solùm loquor, domina, beneficiis tuis plenum esse mundum? Inferna penetrant, cœlos superant. Per plenitudinem enim gratiæ tuæ, & quæ in inferno erant, se lætantur liberata; & quæ supra mundum sunt, se gaudent restaurata. Per eundem quippe glorioſum filium gloriosæ virginitatis tuæ, omnes justi qui obierunt ante vitalem ejus mortem, exultant diruptione captivitatis suæ; & Angeli gratulantur restitutione seminutæ civitatis suæ. O fœmina mirabiliter singularis, & singulariter mirabilis, per quâ elementa renovantur, inferna remediantur, * dæmones conculcantur, homines salvantur, Angeli redintegrantur! O fœmina plena & superplena gratia, de cujus plenitudinis exundantia respersa sic revirescit omnis creatura! O virgo benedicta & superbenedicta, per cujus benedictionem benedicitur omnis natura, non solùm creata à creatore, sed & creator à creatura! O nimis exaltata, quam sequi conatur affectus animæ meæ, quò aufugis aciem mentis meæ? O pulchra ad intuendum, amabilis ad contemplandum, delectabilis ad amandum, quò evadis capacitatem cordis mei? Præstolare, domina, infirmam animam te sequentem: nec * abscondas te, domina, parum videnti, animæ te quærenti. * Miserare, domina, * animam post te anhelando languentem.

al. omis.

Mira res, in quàm sublimi contemplor Mariam locatam. *Nihil est æquale Mariæ: nihil, nisi Deus, majus Mariâ. Deus filium suum, quem solum de corde suo æqualem sibi genitum, tanquam seipsum diligebat, ipsum dedit Mariæ: & ex Maria fecit sibi filium, non alium, sed eundem; ut naturaliter esset unus idemque communis Filius Dei & Mariæ.] Omnis natura à Deo est creata, & * Deus ex Maria est natus. Deus

al. omnis Dei Natura ex Maria est nata

A omnia creavit; & Maria Deum genuit. Deus qui omnia fecit *, ipse se ex Maria fecit: & sic omnia quæ fecerat, refecit. Qui potuit omnia de nihilo facere, noluit ea violata sine Maria reficere. Deus igitur est pater rerum creatarum, & Maria mater rerum recreatarum. Deus est pater constitutionis omnium, & Maria est mater restitutionis omnium. Deus enim genuit illum, per quem omnia sunt facta; & Maria peperit illum, per quem omnia sunt salvata. Deus genuit illum, sine quo penitus nihil est; & Maria peperit illum, sine quo omnino nihil bene est. O verè * Dominus tecum, cui dedit Dominus, ut omnis natura tantùm tibi deberet secum.

al. vel creavit

Maria, obsecro te per gratiam, qua *sic Dominus esse tecum, & te voluit esse secum; fac propter ipsam secundùm eandem ipsam gratiam, misericordiam tuam mecum: fac ut amor tui semper sit mecum, & cura mei semper sit tecũ: Fac ut clamor necessitatis meæ, quandiu ipsa persistit, sit tecum; & respectus pietatis tuæ, quandiu ego subsisto, sit mecum: fac ut congratulatio beatitudinis tuæ semper sit mecum; & compassio miseriæ meæ, quantùm mihi expedit, sit tecum. Sicut enim, ô beatissima, omnis à te aversus & à te despectus necesse est ut intereat: ita omnis à te conversus; & à te respectus impossibile est ut pereat; sicut enim domina, Deus genuit illum in quo omnia vivunt, sic ô tu flos virginitatis, genuisti eum per quem * & mortui reviviscunt. Et sicut Deus per filium suum beatos Angelos à peccato servavit; ita ô tu, decus puritatis, per filium tuum miseros homines ex peccato salvabis. Quemadmodum enim Dei filius est beatitudo justorum; sic ô tu salus fœcunditatis, filius tuus est reconciliatio peccatorum. Non enim est reconciliatio, nisi quam tu casta concepisti: non est justificatio, nisi quam tu integra in utero fovisti: non est salus, nisi quam tu virgo peperisti. Ergo, ô domina, mater es justificationis & justificatorum; genitrix es reconciliationis & reconciliatorum; parens es salutis & salvatorum. O beata fiducia! ô tutum refugium! Mater Dei est mater nostra: mater ejus in quo solo speramus, & quem solum timemus, est mater nostra; mater, inquam, ejus qui solus salvat, solus damnat, est mater nostra.

al. le Deus

al mortui revivunt

al. salvavit

Sed, ô benedicta & exaltata non tibi soli, sed & nobis * quidem, quàm magnum, quàm * amabile est quod video per te evenire nobis, quod videns gaudeo, quod gaudens dicere non audeo. Si enim tu domina es mater ejus; nonne & alii filii tui sunt fratres ejus? Sed qui fratres, & cujus ejus, * loquar unde jucundatur cor meum; an silebo, ne * de elatione arguatur * os meum? Sed quod credo amando, cur non confitebor laudando? Dicam igitur non superbiendo, sed gratias agendo. Qui enim fecit ut ipse per maternam generationem * particeps esset naturæ nostræ, & nos per vitæ restitutionem essemus filii matris * ejus; ipse nos invitat, ut confiteamur nos * fratres ejus. Ergo judex noster est frater noster: salvator mundi est frater noster: denique Deus noster est factus per Mariam frater noster. Qua igitur certitudine debemus sperare, qua * consolatione possumus timere, quorum sive salus, sive damnatio, de * boni fratris, & de piæ matris pendent arbitrio? Quo etiam affectu hunc fratrem & hanc matrem amare debemus? Qua familiaritate nos illis committemus? Qua securitate ad illos confugiemus? Qua dulcedine * confugientes suscipiemur. Bonus igitur frater nobis dimittat quòd * deliquimus; ipse avertat quod delinquentes meruimus; ipse donet quod pœnitentes petimus. Bona mater oret & exoret pro nobis; ipsa postulet & impetret quod * expedit nobis. Ipsa roget filium pro filiis, unigenitum pro adoptatis, dominum pro servis. Bonus filius audiat matrem pro fratribus; * unigenitus pro his quos adoptavit, dominus pro his quos liberavit. * O Maria! quantùm tibi debemus, domina * mater per quam

al. quid est al. admirabile

al. omit.

al. omis.

al. non est

al. desolim

al. bonis

al. omit. al. filium.

Digitized by Google

talem fratrem habemus? Quid gratiarum, quid laudis tibi * retribuemus.

Magne Domine, tu noſter major frater; magna domina, tu noſtra melior mater; docete cor meum qua reverentia vos debeat cogitare. Bone tu, & bona tu; dulcis tu, & dulcis tu: dicite & date animæ meæ quo affectu vos memorando * de vobis delectetur, delectando jucundetur, jucundando impinguetur. Impinguate & * ſuccendite eam veſtra dilectione; veſtro continuo amore langueat cor meum: liqueſiant * omnia oſſa mea, deficiat caro mea. Utinam ſic viſcera animæ meæ dulci fervore veſtræ dilectionis exardeſcant, ut viſcera carnis meæ exareſcant. Utinam ſic intima ſpiritus mei dulcedine veſtri affectus impinguetur, ut medullæ corporis mei exſiccentur.

Domine fili dominæ meæ, domina mater domini mei, ſi ego non ſum dignus qui ſic debeam veſtro amore beatificari, * certè vos non eſtis indigni, qui ſic, imò * plus debeatis amari. Ergo, benigniſſimi, ne ſic denegetis mihi petenti, id quo me confiteor indignum; ut auferatur vobis id quo certè vos negare non poteſtis dignos. Date itaque, piiſſimi, date, obſecro, ſupplicanti animæ meæ, non propter meritum meum, ſed propter meritum veſtrum: date illi quanto digni eſtis, amorem veſtrum. Date, inquam, mihi * quo ſum indignus: ut reddatur vobis * quo eſtis digni. Si enim non vultis dare, ut habeam quod deſidero; ſaltem nolite negare, ut reddam vobis quod debeo.

Forſitan præſumendo loquar: ſed utique bonitas veſtra facit me audacem. Loquar ergo adhuc ad dominum meum & dominam meam; quum ſim pulvis & cinis. Domina & domina, nonne multò melius eſt quum vos * gratis donatis petenti, quod ipſe non meretur: quàm quum vobis ſubtrahitur, quod vobis juſtè debetur? Illud quippe prædicandæ miſericordiæ eſt: iſtud eſt nefandæ injuſtitiæ. Impendite igitur, piiſſimi, gratiam, ut recipiatis debitum: facite vos mihi miſericordiam veſtram, quæ mihi expedit & vos decet: ne faciam ego vobis injuſtiam meam, quæ nulli expedit, & nullum decet. Eſtote vos mihi miſericordes, quod obſecro vos: ne ſim ego vobis injuſtus, quod execror. Date benigne & benigna; * ne ſitis exoratu difficiles: date animæ meæ amorem veſtri, quem ipſa non injuſtè petit, & vos juſtè exigitis; * ne ipſa bonis veſtris ſit ingrata: quod ipſa juſtè * horret, & vos non injuſtè punitis.

Certè, Jeſu fili Dei, & tu, Maria mater; & vos vultis, & æquum eſt, ut quicquid vos diligitis diligatur à nobis. Ergo, bone fili, rogo te per dilectionem, qua * diligis matrem tuam, ut ſicut tu verè diligis, & diligi vis eam; ita mihi des ut verè diligam eam. Bona mater, rogo te per dilectionem, qua diligis filium tuum, * ut ſicut tu verè diligis &] diligi vis eum; ita mihi impetres, ut verè diligam eum. Ecce enim peto quod ut fiat verè eſt in veſtra * voluntate. Cur ergo propter peccata mea non fiet, cùm ſit & in veſtra poteſtate? Amator & miſerator hominum, tu potuiſti reos tuos & uſque ad mortem amare: & poteris te roganti amorem tui & matris tuæ negare? * Mater hujus amatoris noſtri, quæ illum in ventre portare, & in ſinu meruiſti lactare, an tu non poteris, aut non voles poſcenti ejus amorem & tuum impetrare?] Veneretur igitur vos, ſicut digni eſtis, mens mea; * amet vos, ſicut æquum eſt, cor meum; diligat vos, ſicut ſibi expedit, anima mea; ſerviat vobis, ſicut debet, caro mea: & in hoc * conſummetur vita mea: ut in æternum pſallat tota ſubſtantia mea. Benedictus dominus in æternum; fiat, fiat.

al. ſuccedite cum

al. anima mea

al. affecta

al. fortè

al. ejus

al. qui

al. gratiæ datis

al. nec

al. otet

al. amit.

al. veſtra voluntasque

al. amit.

al. conſumetur

ORATIO LII.

AD SANCTAM VIRGINEM MARIAM.

ET AD SANCTUM JOHANNEM EVANGELISTAM.

O Intemerata & in æternum benedicta, ſpecialis & incomparabilis Virgo, Dei genitrix Maria, gratiſſimum Dei templum, Spiritus ſancti ſacrarium, janua regni cœlorum, per quam poſt Deum totus vivit orbis terrarum, inclina aures tuæ pietatis, & illos tuos miſericordes oculos indignis ſupplicationibus meis, & eſto mihi peccatori pia in omnibus auxiliatrix.

Et, ô beatiſſime Johannes, Chriſti familiaris amice, qui ab eodem Domino noſtro Jeſu Chriſto electus es, & inter cæteros magis dilectus atque myſteriis cœleſtibus ſupra omnes imbutus, Apoſtolus ejus & Evangeliſta factus præclariſſimus, cuſtoſque matris ejus individuus; te invoco etiam cum matre ejuſdem Salvatoris, ut mihi opem tuam cum ipſa ferre digneris.

O duæ gemmæ cœleſtes, Maria & Johannes, ô duo luminaria divinitùs ante Deum lucentia, veſtris radiis effugate ſcelerum meorum nubila. Vos eſtis illi duo, in quibus Deus Pater per filium ſuum ſpecialiter ædificavit ſibi domum, & in quibus ipſe Filius Dei unigenitus, ob ſinceriſſimæ virginitatis meritum, dilectionis ſuæ confirmavit privilegium; in cruce pendens uni veſtrûm ita dicens: *Mulier ecce filius tuus.* Deinde ad alterum; *ecce mater tua.* In hujus ergo ſacratiſſimi amoris dulcedine, qua ita tunc ore dominico velut mater & filius invicem conjuncti eſtis; vobis duobus, ego N. peccator corpus & animam meam commendo, ut omnibus horis atque momentis intus & exteriùs firmi cuſtodes & pii apud Deum interceſſores mihi exiſtere dignemini. Credo enim firmiter, fateor indubitanter quòd velle veſtrum, velle Dei eſt; & nolle veſtrum, nolle Dei eſt. Unde & quidquid petitis, ſine mora obtinetis. Per hanc ergo tam potentiſſimam veſtræ dignitatis virtutem, poſcite mihi corporis & animæ ſalutem. Agite, quæſo, agite veſtris glorioſiſſimis precibus, ut cor meum inviſere & inhabitare dignetur ſpiritus almus, qui me à cunctis vitiorum ſordibus expurget, virtutibus ſacris exornet, in dilectione Dei & proximi perfectè ſtare & perſeverare faciat; & poſt hujus vitæ curſum ad gaudia ducat electorum ſuorum benigniſſimus Paraclitus, gratiarum largitor optimus, qui Patri & Filio coæternus & conſubſtantialis cum eis, & in eis vivit & regnat omnipotens Deus per infinita ſæculorum ſæcula. Amen.

ORATIO LIII.

AD SANCTAM VIRGINEM MARIAM.

O Sancta, ô benedicta, in neceſſitatibus noſtris adeſſe digneris noſtrum conſilium, & auxilium; quæ omnibus es promptior, potentior, efficacior, amabilior, gratioſior, & dulcior. Dulcis es in ore te laudantium, in corde te diligentium, in memoria te deprecantium. Magnifica es in omni ſexu, in omni ætate, in omni conditione, in tribubus, populis, & linguis. Tu es Luna in medio firmamenti: Candelabrum in medio mundi: Lignum vitæ in medio Paradiſi: Tu es myrrha electa: Piſcina in Eſebon: Virgula fumi ex aromatibus: Faſciculus myrrhæ & thuris inter ubera ſponſi: Terebinthus extendens ramos gratiæ & ſalutis; inter benedictas ſuperbenedicta es, ſuperelecta es, ſuper ſpecioſa, ſupergratioſa, ſuperglorioſa; Mater illius, qui gratiam & gloriam & honorem & æternitatem præſtat.

Surge, beatiſſima Virgo, miſericorditer ora pro nobis; ſurge, & amplectere miſericordiam Redemptoris; & da preces jugiter pro nobis, quos cernis tam graviter offenſos ante oculos conditoris. Per te, Domina glorioſa ad Jeſum filium tuum mereamur aſcendere, qui per te ad nos dignatus eſt deſcendere. Per te Beata Virgo, venire valeamus in ipſius gloriam, qui per te in noſtram venit miſeriam. Per te acceſſum habeamus ad filium tuum, qui per te redemit mundum. O benedicta inventrix gratiæ, genitrix vitæ mater ſalutis, per te ſuſcipiat nos, qui per te datus eſt nobis. Excuſet, piiſſima Domina Virgo Maria, apud piiſſimum filium tuum integritas tua culpam noſtræ corruptionis, & humilitas tua Deo grata noſtræ veniam impetret vanitatis. Copioſa charitas tua glorioſam fœcunditatem nobis conferat meritorum. Generaliter omnes te, glorioſa Virgo Maria, invocantes exaudi, omnibus adeſto; omnibus ſubveni; omnes in anguſtiis & neceſſitatibus te ſentiant adjutricem, quicumque te credunt eſſe Dei genitricem.

Specialiter verò illos tua quotidiana & aſſidua defendat oratio, quorum frequens tibi famulatur devotio; & quicumque ſunt memores tui in terris, memor ſis illorum ante piiſſimum filium tuum Dominum noſtrum in cœlis. Domina noſtra, mediatrix noſtra, tuo filio nos commenda, reconcilia nos filio tuo, tuo filio nos repræſenta. Fac, ô benedicta, per gratiam quam inveniſti, per prærogativam quam meruiſti, per miſericordiam quam peperiſti, ut qui te mediante fieri dignatus eſt particeps miſeriæ & infirmitatis noſtræ, te quoque intercedente particeps nos faciat ſuæ gloriæ atque beatitudinis æternæ.

ORATIO LIV.

AD EANDEM SANCTAM VIRGINEM MARIAM.

O Alma Virgo Maria, tantò omnibus Angelorum ſpiritibus omnibuſque electorum animabus, in cuncta filii tui Chriſti Domini noſtri hæreditate es glorioſior; quantò ab ipſo fieri meruiſti beatior. Obſecramus ergo te lacrymoſis ſuſpiriis, ut nunc ad gemitum noſtri mœroris aures inclines magnificæ pietatis. Nos ſiquidem peccatores proni innumerabilibus delictis infernale ſupplicium meruimus, ubi nullatenus pœnitentiæ datur locus; quoniam fidem aliquando Deo promiſimus, ſed malè vivendo hactenus mentiti ſumus. O ſancta Dei genitrix, omnium creaturarum digniſſima atque puriſſima, cæcorum cordium oculos terge, atque ſemitas juſtitiæ nobis oſtende. Orando à nobis vitia ſubtrahe, atque ſacrarum virtutum plantaria infere. Impetra æterni tripudii curſum, quem aſſiduè ſequitur ſupernum bravium.

Sic, quæſo, piiſſima Domina, pro nobis ora in cœlis, ut deleas quicquid deliquimus in terris. Non eſt enim aliquid tam parvum in nobis, quod oratio, ſi tibi placet, delere non poſſit. O ſanctiſſima Virgo Maria, nos qui credimus quòd Virgo & Mater Dei ſis, credendo ſentiamus quòd pro nobis deprecaris. Et qui confitemur te peperiſſe Deum & hominem, gaudeamus per te nobis advenire ſalutem. Et qui fatemur te omnibus hominibus meliorem gaudeamus per te percipere felicitatem. Et quotieſcunque proceſſerit ad nos divina miſeratio; tua ne inflemur, adſit tuitio. Et ſi venerit tribulatio, vel tentatio; ne labamur, præſens ſit tua ſancta oratio. Sic quæſo, Domina clemens, pro ſalute noſtra preces funde in cœlis, ut Paradiſi poſt obitum frui mereamur gaudiis.

O beata Dei genitrix Virgo Maria, templum Dei vivi, aula Regis æterni, ſacrarium Spiritus ſancti. Tu virga de radice Jeſſe, tu cedrus de Libano, tu roſa purpurea in Jericho, tu cypreſſus in monte Sion; quæ ſingulari privilegio ſicut neſcis in omnibus comparationem, ita nihilominus & Angelicam ſuperas dignitatem, cui novo & inaudito miraculo datum eſt, ut Verbum quod ante ſæcula Deus genuit, fieret filius tuus, Deus & homo. Tu eum in fine ſæculi genuiſti, ut verus atque perfectus eſſet Dei filius gemina quidem natura, ſed una perſona, Deus & homo, unus Emmanuel. O glorioſa puerpera, in qua ſola reperitur fœcunda virginitas, quæ ſic intemeratis viſceribus filium Dei protuliſti; ut illibatæ pudicitiæ creſceret integritas, non libido virginalis integritatis ſigillum violaret.

Tibi, dum conciperes, Spiritus ſanctus obumbravit; non (quod abſit,) ut ipſe in tuo ſanctiſſimo utero fieret pro ſemine ſobolis, ſed potiùs virtute ac potentia creatoris. De te ſummus Pontifex noſter ſui corporis hoſtiam ſumpſit, quam in ara Crucis pro totius mundi ſalute ſacrificium obtulit. Tu lux oriens Nazareth. Tu lætitia Iſraël. Tu decus mundi. Tu nobilitas populi Chriſtiani. O Regina & Domina mundi, ſcala cœli, thronus Dei, janua Paradiſi, audi preces pauperum, ne deſpicias gemitus miſerorum. Inferantur per te vota noſtra atque ſuſpiria in conſpectum Redemptoris; ut qui noſtris excludimur meritis, per te locum obtineant ad aures tuæ pietatis. Dele peccata, relaxa facinora, erige lapſos, ſolve compeditos. Per te ſuccidantur vepres & germina vitiorum, prodeant flores & ornamenta virtutum. Placa precibus judicem, quem ſingulari puerperio genuiſti ſalvatorem; ut qui per te particeps factus eſt humanitatis noſtræ, per te quoque nos conſortes efficiat Divinitatis ſuæ. Qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Digitized by Google

ORATIO LVIII.

AD SANCTAM VIRGINEM MARIAM.

In Purificatione ejus.

O Virgo ſereniſſima, per merita tuæ piiſſimæ Purificationis da mihi virtutem contra hoſtes tuos: Virgo ſanctiſſima, corpore caſtiſſima, moribus omniſi pulcherrima: Virgo virginum, nec corde unquam polluta, nec ore, ſed tota pulchra, tota ſine macula: Intemerata virgo corpore, intemerata virgo mente, nihil debens legibus, nullis tacta excellibus; ut humilitatis in te oſtenderes exemplum, impleſ purificationis officium pollutis matribus ſtatutum. Ad templum detuliſti tecum mundandum qui tibi integritatis decus homo genitus adauxit Intacta genitrix ad templum detuliſti tecum mundandum, qui delicta noſtra intelligens, quia illi omnia nuda ſunt & aperta, ab occultis noſtris quotidie per confeſſionem & pœnitentiam mundat, & ab alienis per ſpiritum continentiæ parcit ſervis ſuis. Ad templum detuliſti tecum mundandum, cujus ſanguis in Cruce paſſionis ſuæ ab originali nos lavans contagio quotidie etiam in ara Crucis per ſacroſancta myſteria & nos pœnitentes & confeſſos emundat à noſtris criminibus. Ad templum detuliſti tecum mundandum, qui pro nobis Pontifex factus ſecundùm ordinem Melchiſedech quotidie compatitur infirmitatibus noſtris, & eſt miſericors nobis; & Pontifex fidelis ad Deum propitiando peccata populi, quotidie nos Deo Patri reconciliat: & per id quod Deo Patri offert Deus de Deo quotidie, ſi converti fuerimus & peccata noſtra confeſſi; fidelis & juſtus & patiens Deus ignoſcet nobis, & abſolvet nos.

In nomine ejus, Virgo integerrima, confugio ad te. In ejus ergo nomine dulciſſimo & amore, ſuſcipe me, Domina mea clementiſſima, confugientem ad te; & adjuva me per merita tuæ caſtiſſimæ purificationis, ut ſentiam & gaudeam me à ſordibus conſcientiæ ita perenniter purificari, ut nunquam doleam de cætero me aliqua contagione aut perpetratione ſceleris coïnquinari. Sancta Dei genitrix, ſuſcipe, & intercede pro me peccatore apud tuum dulcem natum Jeſum Chriſtum benedictum fructum ventris tui, & miſerere mei.

ORATIO LIX.

AD SANCTAM VIRGINEM MARIAM.

In Aſſumptione ejus.

Virgo ſereniſſima Dei genitrix ſancta Maria, per merita tuæ glorioſæ Aſſumptionis, & per amorem tui dulciſſimi filii, à quo aſſumpta es in cœlum, da mihi virtutem contra hoſtes tuos, & in regnum æternum ingredi. Fœlix namque es ſacra virgo Maria, & omni laude digniſſima, quia ex te ortus eſt ſol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter. *Sicut Cedrus exaltata in Libano, & ſicut Cypreſſus in monte Sion, quaſi myrrha electa dans ſuavitatem odoris.* Exaltata ſuper choros Angelorum gaudens & glorioſa in perpetuum Regina cœlorum, ubi adjuvas omnes, qui te Dominam glorificant, & ſanctum nomen tuum humili prece frequentant.

Beata ergo & venerabilis virgo Maria, quæ benigna es omnibus ad te pio corde clamantibus, pia & exorabilis eſto mihi peccatori te humiliter invocanti; ſub tua protectione confugio, ubi infirmus accepi virtutem. Illam animi & corporis virtutem cum tuo præſidio fac me accipere; ut per te liber à peccatis & deſideriis peccatorum, ſine timore de manu inimicorum viſibilium & inviſibilium liberatus filium tuum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum poſſim omni tempore benedicere, & ſemper laudem ejus in ore meo habere. O Virgo glorioſa, quæ mortem ſubiiſti, ſed mortis nexibus deprimi non potuiſti, quia tu ſola Virgo genuiſti eum, qui erat mors mortis, & morſus inferni. Adjuva me per mortem tuam, & per gaudia tuæ Aſſumptionis in cœlum; ut reſiduum vitæ meæ poſſim cum ſyncera fide tuo adjutorio ducere, & finem vitæ meæ feliciter terminare in cinere & cilicio in terra proſtratus cum lacrymis, in confeſſione & pœnitentia peccatorum meorum: inſuper quod majus eſt, in confeſſione nominis Chriſti, & in perceptione Corporis & Sanguinis ejus; & in commendatione ſpiritus mei in manibus miſericordiæ ſuæ. Ora pro me, ſancta Dei genitrix, ut qui conſcius peccatorum multorum tribunal filii tui tremebundus perhorreſco, per tuam venerabilem interceſſionem gaudeam emundari ab omnibus criminibus meis, cordis compunctione irrigante, & rore piiſſimæ confeſſionis à te exhibito. Nullâ de cætero maculâ peccati anima mea inquinetur; ſed mundo corde & caſto corpore per merita tuæ ſaluberrimæ Nativitatis, Annunciationis, & ſanctiſſimi virginei Partus tui, & caſtiſſimæ Purificationis, & glorioſiſſimæ Aſſumptionis in excelſo cœlorum palatio poſſim præſentari, in quo glorioſa exultas & regnas Regina Angelorum & hominum, Mater Domini noſtri Jeſu Chriſti. Succurre meis criminibus, Mater miſericordiæ, tuis virgineis precibus veniam mihi obtinendo apud tuum dulcem natum Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Qui cum Patre, & Spiritu ſancto vivit & regnat benedictus, &c.

Digitized by Google

O Jesu, rex altissime,
O fons misericordiæ,
Horam mortis terribilem,
Pro spe bona fac facilem.
Secura conscientia
Non ibi multùm trepidat,
Nam spe facta robustior
Multùm transit constantior.
Non aliud sit gaudium,
Vel meum desiderium,
Quàm ut exutus corpore
Tibi possim assistere.
O vos cœlorum incolæ,
Cives supernæ patriæ,
Qui Deo fruimini,
Nobis & compatimini.
Michaël in cœlestibus
Qui præfulges agminibus,
Pro speciali gloria,
Nobis confer solatia.
Angeli quos gravissima
Carnis non premit sarcina,
Orate pro hominibus.
Sub ea laborantibus.

A Johannes vatum maxime,
Precantum verba excipe,
Et Prophetarum numerum
Ad hoc ascito socium.
Petre piscator hominum,
Et Paule Doctor gentium,
Cum cæteris Apostolis,
Ope juvate celeri.
Stephane cum Laurentio,
Magno prælati merito,
Cum multa turba Martyrum,
Magnum ferte præsidium.
Vos Confessores inclytos,
Vita æterna præditos,
Nequaquam obliviscimus,
Sed obnixè deposcimus.
B Ut qui per temporalia
Transitis & fragilia,
Adhuc pro decertantibus
Tanto instetis promptius.
Agnes, Tecla, Cæcilia,
Nec non & Scholastica,
Et omnes sanctæ Virgines,
Pro nobis state supplices.

ORATIO LXI.

AD ANGELUM CUSTODEM.

OBsecro te, Angelice spiritus, cui ego ad providendum commissus sum à Deo, ut custodias me indesinenter & protegas, visites & defendas ab omni incursu diaboli vigilantem & dormientem, nocte ac die, horis continuis ac momentis confove me; ubicunque ideo comitare mecum. Repelle à me omnem tentationem Satanæ: & quod mea non exigunt merita, tuis precibus obtine apud misericordissimum judicem, & Dominum nostrum, qui te mihi tutorem assignavit, & me tibi commendavit, ut nihil in me loci habeat contrariæ virtutis admixtio. Cumqueme per abrupta vitiorum deviare perspexeris, per semitas justitiæ ad redemptorem meum reducere satagas me; & in quacunque angustia me perspexeris, auxilium Dei omnipotentis tuo obtentu super me esse sentiam. Precor ergo, si fieri potest, ut notum mihi facias finem meum; & cùm de hoc corpore eductus fuero, non dimittas malignos spiritus terrere me, aut illudere, neque in foveam desperationis inducere. Et non me derelinquas, donec perducas ad visionem conditoris mei, ubi perenniter cum omnibus sanctis tuo interventu merear lætari; præstante Domino nostro Jesu Christo.

ORATIO LXII.

AD SANCTUM JOHANNEM BAPTISTAM.

Cum recordatione peccatorum.

SAncte Johannes, tu ille Johannes, qui * Deum baptizasti, tu priùs ab Archangelo laudatus, quàm genitus à patre; priùs plenus Deo, quàm ex matre; priùs noscens Deum, quàm * notus in mundo; tu ante monstrans * matri gravidam matrem Dei, quàm gravida mater tua te diei; tu es de quo dixit Deus: *Inter natos mulierum non surrexit major.* Ad te, Domine, tam magnum, tam sanctum, tam beatum, ad te venit sceleroſus vermis, ærumnoſus homuncio, jam emortuo sensu vix se dolens, sed mortuâ animâ sibi nimis dolendus peccator. Ad te, tam magne amice Dei, valde timens venit dubius de salute sua, quia certus de magna culpa sua, sed sperans de majori gratia tua. Major enim est gratia tua, Domine, quàm culpa mea; quia plus potes apud Deum, quàm delere scelera mea. Ad te ergo, Domine, quem gratiâ fecit tam amicum Dei, ad te fugit anxius, quem iniquitas fecit tam reum Dei: ad te, quem tam beatum fecit gratia, ego quem tam miserum fecit nequitia. Verè, Domine, fateor, iniquitas mea me fecit talem; sed te talem, non tu; sed gratia Dei tecum. Memento ergo, Domine, ut sicut gratia Dei te sic sublimavit; sic misericordia tua erigat quem culpa sua sic humiliavit.

al. natum
al. amic.

Heu me, qualem me feci? qualis eram? Deus. Qualem me fecisti, & qualem me iterum feci? In peccatis eram conceptus & natus; sed abluisti me, sed sanctificasti me, & ego pejoribus sordidavi me. in necessariis * eram tunc natus; nunc sum in spontaneis volutatus. In illis nesciens conceptus; istis volens plenus & opertus. Ex illis misericorditer à te eductus; in hæc misere à me inductus. Ab illis piè redemptus; in istis impiè peremptus. Sanaveras, pie Deus, animam à parentibus vulneratam; ego impius interfeci sanatam. Exueras, misericors Domine, vetustis pannis originalis peccati, & indueras me veste innocentiæ, promittens alteram incorruptibilitatis; & ego illâ rejectâ, quam dedisti, operui me sordibus nequitiæ, * illâ despectâ quam promisisti, plus elegi dolores æternæ miseriæ. Filium iræ * tuæ feci filium gratiæ tuæ; & ego illâ contemptâ feci me filium odii tui. Reformasti in me amabilem imaginem

al. eam

Digitized by Google

tuam; & ego ſuperimpreſſi obidilem imaginem. Heu, heu cujus? Cujus, miſer & demens homuncio, cujus imaginem * ſuperimpreſſi ſuper imaginem Dei? O cur vel non puduit facere, quod ſic expaveſco dicere? O cur non odi ejus imitationem, cujus ſic horreo nomen? Ille ſponte cecidit, ego volens ſordui. Sed ille, nullâ præcedente delicti vindictâ, ſuperbiens peccavit; ego viſâ ejus pœnâ, contemnens ad peccatum properavi. Ille ſemel in innocentia conſtitutus, ego reſtitutus. Ille contra eum, qui ſe fecit & refecit. * Ille dereliquit Deum promittentem; ego fugi Deum proſequentem. Ille * perſtat in malitia, Deo reprobante; ego in illam cucurri, Deo revocante. Ille obduratus, ad punientem; ego obduratus, ad blandientem. Etſi ambo contra Deum; ille contra nec requirentem ſe; ego contra pro me morientem.

al. & redimis

al. præſtat

O infœlix & nimis infœlix homuncio; ſi tamen non omnis receſſit humanitas, ubi tanta malitiæ inceſſit immanitas! Ecce cujus imaginis horrebam horrorem, in multis aſpicio me horribiliorem. Fuge, fuge tu, horribilis neſcio quæ * ſubſtantia, fuge teipſam exterrita à teipſa. Sed væ, fugere te non potes. Ne ergo aſpicias te, quia non toleras te. Nam ſi tolerare potes ſine doloris horrore; hoc ipſum ne toleres, quia tolerare potes. Quantò enim hoc potes, tantò primo peccatori ſimilior, & Deo es intolerabilior. Non enim eſt fortitudo, ſed * mentis hebetudo. Non eſt ſanitas, ſed obdurata iniquitas. Non eſt ex conſolatione, ſed ex damnatione. Ne ergo ſine inani rugitu cordis tui toleres horrorem interioris vultus tui. Quia ergo fugere te non potes; vel te non aſpicias, quia te non toleras. Sed ecce pejus ſi non aſpicio me; nam egomet fallo me.

al. ſuperbia

al. mortis

O nimis gravis anguſtia! Si me inſpicio, non tolero meipſum; ſi non inſpicio, neſcio meipſum. Si me conſidero, terret me facies mea; ſi non conſidero, fallit me damnatio mea. Si me video, horror eſt intolerabilis; ſi non video, mors eſt inevitabilis. Malum hinc, pejus inde; malum undique. * Sed nimis malum hinc, nimis pejus inde, & nimis malum undique. * Nimis enim miſer, quem torquet conſcientia ſua, quam fugere non poteſt. Nimis miſerior, quem expectat damnatio ſua, quam vitare non poteſt. Nimis infœlix, qui ipſe ſibi eſt horribilis. Nimis infœlicior, cui mors erit æterna ſenſibilis. Nimis ærumnoſus, quem terrent continui de ſua fœditate horrores. Nimis ærumnoſior, quem torquebunt æterni pro ſua iniquitate dolores. Malum hoc, & malum hoc; ſed nimis hoc, & nimis hoc.

al. nimis

al. majus

Peccare quàm mala, & quàm amara res es; peccata, quàm faciles aditus, quàm difficiles exitus habetis? Peccatores quò vos inducitis? Intra quos vecles vos includitis? Intelligite, intelligite quàm malum, & quàm amarum eſt reliquiſſe Dominum. Qui peccaſtis, reddite; volentes peccare, nolite. * Nolite, inquam, nolite.] Verè malum & amarum eſt, expertus ſum; in hoc ipſo ſum. Aut enim continui dolores torquebunt pœnitentem vitam meam; aut æterni cruciatus vexabunt puniendam animam meam. Utique eſt malum & amarum utrumque. Et certè juſtè angitur reus Dei, inter malum & pejus; nimis malus, inter * nimis malum, & nimis * pejus. Juſtè fit, rectè fit, juſtè judex meus; ſed utique tu es ipſe Deus & Dominus & creator meus. Tolle ergo, creator, tolle tantum malum de creatura tua; ſi gratias agit quia eſt factura tua. Erue, Domine, erue de tantis malis ſervum tuum, * ſi gaudet fateri te Dominum ſuum. Parce, Deus, parce peccatori tuo, ſi non deſperat de bonitate tua. Nam etſi judicem * ſic me nequiùs illo primo peccatore deliquiſſe, non odi te ut ille, nec deteſtor bonitatem tuam. Renova ergo per merita magni Baptiſtæ tui, renova in me gratiam baptiſmi tui. Prævenit me gratia tua, ſubſequatur me miſericordia tua. Da per pœnitentiæ lamentum, quod dediſti per baptiſmi ſacramentum. Dona * petenti, quod donaſti neſcienti. Reforma faciem, quam fœdavi; reſtaura innocentiam, quam violavi. Qui abſtuliſti peccata, quæ attuli naſcendo; tolle peccata, quæ contraxi vivendo. Tolle, qui tollis peccata mundi; quia iſta ſunt peccata mundi, quæ porto de converſatione mundi. Tolle, qui tollis peccata mundi, per merita illius qui hoc teſtimonio te oſtendit mundo, tolle peccata quæ contraxi, in mundo. Tolle de me, quod non eſt ex te, quia odi quod eſt à me, & adhuc ſpero de te.

al. minus

al. malum

al. qui

al. amit.

al. pœnitendi

Et tu, ſanctæ Johannes, qui oſtendiſti mundo tollentem peccata ſua; per gratiam tibi datam, fac mihi hanc miſericordiam, ut tollat peccata mea. Tu Deus tollis peccata mundi; tu, * amice ejus, dicis *hic tollit peccata mundi*: Ecce ante vos onuſtus peccatis mundi. Tu tollis, & tu dicis: ecce me, cui tu tollas, quod tu dicis. Ecce medicus, & teſtis ejus; & ecce æger, ſervus medici, & opus ejus, rogans medicum & teſtem ejus. Vere medice, oro te, ſana me. Verax teſtis ejus, precor te, ora pro me. Probate mihi in me, tu actum tuum, tu dictum tuum. Experiar quod audio, * ſentiam quod credo. Jeſu, bone Domine, ſi tu operaris quod ille teſtatur, fiat in me opus tuum. Johannes monſtrator Dei, ſi tu teſtaris quod ille operatur, fiat in me verbum tuum. Sana me, Domine, tu cujus eſt ſanare. Impetra mihi hoc, Domine, tu qui potes impetrare. Tu enim es magnus Dominus, & tu coram Domino magnus. Tu ſummè potens per teipſum, & tu valdè potens apud ipſum. Tu ſummè bonus Deus, & tu valdè bonus amicus ejus; qui eſt in æternum miſericors & benedictus Deus. Amen.

al. amico

al. ſciam

ORATIO LXIII.

AD SANCTUM PETRUM APOSTOLUM.

Cum lamentabili deploratione peccatorum.

SAncte & benigniſſime Petre, fidelis paſtor ovium Dei, princeps Apoſtolorum, princeps tantorum principum, qui ligas & ſolvis quod vis, qui ſanas & reſuſcitas * quem vis, qui das regnum cœlorum cui vis. Magne Petre, magne tot & tantis donis ditate, tot & tantis * dignitatibus ſublimate; ecce ego pauperrimus & infimus homuncio, multis & gravibus ærumnarum circundatus anguſtiis, * miſerabiliter indigeo auxilio tuæ * magnæ potentiæ. Sed nec os meum habet verba, quibus neceſſitatem meam, ſicut ipſa eſt, exprimat, nec cor meum habet devotionem, quæ de tam infimo ad tuam * tantam ſublimitatem attingat. Iterum atque iterum conor mentem meam torpentem concitare, & diſſolutam per inania reſtringere. Sed omnibus viribus collectis, nec torporis ſui tenebras, quas contraxit de ſordibus peccatorum ſuorum, poteſt * dirumpere, nec in eadem intentione diutius valet conſiſtere. Heu me miſerrimè miſerum. Ita quippe eſt, non eſt ſimulatio, ita eſt.

al. donis

al. mirabiliter

al. benigne

al. ſanctam

al. erumpere.

Quis ergo ſubveniet miſero, qui nec valet exhibere * tribulati vocem, nec dolentis mentem. O magne Petre, ſi clamor tribulationis meæ non aſcendit uſque ad

al. tribulati

Digitized by Google

ad te; respectus tuæ pietatis descendat usque ad me: dirumpat duritiam meam, scindat tenebras meas, circumspiciat ærumnas meas. Respice, benigne Pastor, commissi tibi gregis ovem, & miserare miserabiliter laborantem; & non quantùm sua mala exigunt, sed quantùm permittunt, orantem. Ecce enim ante fidelem pastorem jacet & *gemit morbida ovis coram Domino pastoris & ovis. Fugitiva redit, erroris & inobedientiæ veniam petit. * Pio medico & pastori morsus luporum & scissuras vulnerum, quæ errando incurrit, & ulcera quæ longâ incuriâ nutrivit, revelat; & misereri sibi dum adhuc spititum trahit, plus miseriâ suam coram misericorde pastore expandendo, quàm * obsecrando exorat.

Pastor bone Petre, ne sis exoratu difficilis, ne avertas misericordes oculos; respice, precor ne abjicias pœnitentem, ne differas exaudire supplicantem. Quia enim fastidivit salutifera pascua, languet defectu virium; quia indulsit pestiferis, torquetur * attactu morborum. Adulta ulcera, & illisa vulnera putrescendo pejorata citò eam trahunt ad mortem. Lupi jam gustato ejus sanguine, expectantes abjiciendam in insidiis latent. Inimicus ejus, tanquam leo rugiens, circuit quærens eam ut devoret. Pastor fidelis, converte oculos tuos ad eam, & recognosce tibi commissam. Si enim erravit, tamen Dominum & pastorem non negavit. Inspice in faciem ejus, & adverte signum Domini tui & ejus. Si sub tanto squallore non agnoscis faciem lotam & candidatam in fonte Christi; agnosce vocem confessionis * sub nomine Christi, qui ter interrogans utrum eum amares, tibi ter confitenti dixit: *Pasce oves meas.* Certè amator est ovis, qui ante commendationem sic discutit amorem pastoris. En confiteris te amatorem ejus, & * hæc confitetur se ovem ejus. Cur ergo spernis ovem * Christi pastor ejus? Petre Pastor Christi, recollige ovem Christi. Dominus tuus imposuit in humeros suos gaudens quæsitam & inventam; ne repellas * eam redeuntem & supplicantem. Dominus * emit eam sanguine suo nondum natam; pastor ejus ne vilipendas * jam renatam, & tam diligenter tibi commendatam. Heu quamdiu non sentiet se receptam, curatam & refocillatam.

O sancte Petre, si te non moveat nomen pastoris & ovis; moveat te nomen Apostoli, * principis Apostolorum, & nomen Christianæ animæ. Nempe hæc est ovis à me tibi oblata, anima mea, baptismo Christi regenerata. Hæc vulnera, quæ dixi, hæc ulcera, hæ scissuræ non sunt ovinæ carnis; sed sunt spiritûs rationalis. Hæc fames, hi defectus virium, hæ torsiones non sunt pecorini ventris, sed sunt humanæ mentis. Hi lupi & hi leones non sunt quadrupedes, sed dæmones. Hæc tanta mala, paupertas est virtutum, & coacervata peccata. Quia igitur nondum sentio me exauditum; urgentibus angustiis, à principio repetam * narrationem meam, * & multiplicabo orationem meam. Exponam coram janitore regni cœlorum, & principe Apostolorum, fidelem animam miseram sub regno peccatorum, ad regnum cœlorum * inhiantem, & ob hoc Petrum janitorem regni cœlorum & principem Apostolorum invocantem.

Ecce ergo, misericors Petre, coram te exhibeo animam meam nervis virtutum dissolutam, catenis vitiorum ligatam, pondere peccatorum aggravatam; delictorum sordibus fœdatam, discissam vulneribus dæmonum, putridam & fœtidam ulceribus criminum. His & aliis gravibus malis, quæ melius me vides, obrutam, oppressam, circumdatam, obvolutam, bonorum omnium * relevamine, ut cernis, destitutam. Ecce miseram animam, & misericordem Apostolum Petrum, coram misericorde Deo, qui Apostolo Petro misericordiam fecit * & facere præcepit, & faciendi potestatem dedit. Ecce miseria, & ecce misericordia. Misericordia Dei, & Petri Apostoli ejus; miseria animæ Deum confitentis, & Deum & Petrum invocantis. Ergo miseria premet diutius animam ad Deum & Petrum respicientem, & * videbit hoc misericordia Dei & Petri?

O Deus, & tu major Apostolorum ejus, quæ est hæc miseriæ meæ immanitas, si non potest adversus eam misericordiæ vestræ immensitas? Aut si potest, sed non vult; quæ est hæc enormitas culparum mearum, quæ excedit multitudinem miserationum vestrarum? An quia cuncta, quæ peccavi, non confiteor? En cuncta quæ scitis me peccasse, vera esse confiteor. An quia nec sufficienter pœnitendo, nec malis bona rependendo, satisfacio? Utique sic est, fateor; sed hæc est ipsa miseria, qua torqueor. Ergo quo plus coarctat miseria, plus lenta erit misericordia? O inauditum verbum, à misericorde in supplicantem. Sed intelligo, juste Deus, intelligo quid respondeas animæ meæ. Meritò patitur quod sponte subiit, & dignè non exauditur, quæ non obedivit. Heu desperationis amaritudo! Agnosco certè, agnosco hanc sententiam esse justitiæ, non misericordiæ. Quis vocavit justitiam in causam meam? Cum misericordia sermo mihi erat non cum ea. Panem misericordiæ mendicat à te, Deus, in tribulatione * ærumnosa anima mea. Cur lapide justitiæ perfringis olla * ejus? Misericordia tua, misericors Deus, * per merita & intercessionem Beati Petri Apostoli tui, acceleret & * eruat eam dimittendo peccata ejus. Sancte Petre, princeps Apostolorum, per misericordiam tibi factam & potestatem tibi datam, solve vincula ejus, sana vulnera ejus. Libera eam de miseria * regni peccatorum, & introduc eam in beatitudinem regni cœlorum; ut tecum gaudens, gratias agens, laudet Deum in sæcula sæculorum. Amen.

*gemit — al. gemit

*obsecrando — al. exorando

*attactu, vel à tactu — al. tactu vel attractu, vel à tactu.

*hic — al. hic

*emit — al. emit.

*amatec — al. amatec

*eamus — al. eamus

*eam — al. eam

*princeps — al. principis

*relevamine — al. relevamine

*videbit hoc — al. videbit hoc misericordia

*inhiantem — al. inhiantem

*quam — al. quam

*emit — al. emit.

*eruat — al. eruat

*emit — al. emit.

ORATIO LXIV.

AD SANCTUM ANDRÆAM APOSTOLUM.

Sancte & pie Andræa, * frater principis Apostolorum, piissime Apostolorum, mitissime sanctorum, Tu Johannis discipulus & sedulus auditor. Tu agni peccata mundi tollentis promptus insecutor, & mansionis ipsius diligens investigator. Tu Simonis germani tui, & concivis vestri Philippi avidus ad Jesum deductor. Tu, inquâ, crucis prædicator & amator; & magistri boni per eam pius imitator.] Ad * pietatis tuæ januam sedet & clamat mendicans anima mea. Adhibe aurê miserationis, aperi januam * pietatis, & admitte clamorê pauperis ad te confugientis: tu, cujus pietas tanta extitit, ut ab universis pius Andræas * cognomineris. Non est interventor qui pro me tibi suggerat: * nô est qui indigentiæ meæ necessitatem coram te proferat: ipsa itaque pietas tua pro me suggerat apud te,] & te exorabilem reddat circa me. Si à te misera & miserabilis anima mea aversa fuerit, * si à te misericordiæ panem non acceperit;] ad quem ibit? Quem exorabit? Ab aliis exclusa confugit ad te, quem audierat * prædicabilem immensa pietate. Fame consumpta prorsus deficiet; quia de longè veniens non habet quod manducet; nec aliquis est, qui illius misereatur;

*Alii hic omit. — Alii hic omitt.

*ad sanctæ — al. ad sanctæ

*tuæ misericordiæ — al. tuæ misericordiæ

*si à te misericordiæ — al. si misericordiæ

Digitized by Google

& aliquid boni ſibi eroget. Quin etiam incidit in latrones, qui amore Dei & cunctis virtutibus eam ſpoliarunt, mortiferis etiam telis vitiorum convulneraverunt, relinquentes eam * non dico ſemivivam, ſed penè omnino extinctam. Veniat tandem tibi in mentem miſeratio illa, quam ſuper tales exhibuit fons ille totius pietatis, à quo hauſiſti tantam pietatem. *Miſereor*, Matt. 15. v. 32. inquit, *ſuper turbam eſurientem quia jam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent.* Audiſti, affuiſti, interfuiſti, quando miſerans eos, de quinque panibus ſatiavit ad plenum pluſquam quinque millia hominum. Continebis itaque viſcera pietatis tuæ ſuper animam fame jam deficientem, * panem miſericordiæ al. obit. à te exquirentem, & tandiu jam te ſuſtinentem?] An mihi ſoli impius eris? An quia nimium deliquisti mihi miſericordia omnino denegetur, promerui? Certè miſericordia & pietas non eſt neceſſaria, ubi non eſt miſeria aut indigentia. Et quantò major perurget indigentia, tantò prædicabilior eſt miſericordia. Quis ergo imitabitur magiſtrum pietatis in exequendo præcepto pietatis; ſi tu non imitaris, qui præ cæteris pius prædicaris? Inquietaris * importunitate mea? Sed quid al. in al. volo, va miſero al. & dux innocentiæ agam? Si enim non clamavero, mors mihi eſt; quia deficiam, & peribo. Si autem clamare * non omiſero, * moleſtus tibi eſſe timeo. Doctor bone * edoce cor meum quid orare, & quomodo cum aliqua efficacia debeat te exorare. al. ut quod pero valeam impetrare

Doctor bone, ab eo qui non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat, * edoctus reſpice al. edocte miſerationis reſpectu in animam peccatricem, quæ converti ac reverti concupiſcit ad ſuum creatorem. In limo vitiorum demerſa nititur & conatur exurgere; ſed non * habens vires, quibus ſe valeat erigere, deficit jam miſerabili laſſitudine. Jam diu laborando clamat, & ſuſtinet te. Defecerunt oculi illius dum ſperat in Deum ſuum. Ubi itaque eſt pietas, * ubi bonitas, ubi miſeratio al. emit. tua? Ne deſperatione prorſus intereat, porrige manum petenti, erige, tene, ſuſtine; donec ad eum quem ſitit, ad quem deſiderat, videlicet, ad ſui creatoris miſericordiam perveniat. Paſtor Eccleſiæ, admitte aberrantem ovem, quæ reverti cupit, explorat * & implo- al. plorat rat, ut mereatur admitti. Excludes introïre volentem, quam redire nolentem revocares, & humeris impoſitam eportares? Si excluſeris, ſentiet ſummus Paſtor detrimentum gregis ſui. Leo enim circuiens quærit quem devoret, à quo tu ipſe fortè devorari metuebas, quando pia & exorabili prece * de cruce clamabas. *Non* al. emit. *me permittas, Domine, * famulum tuum diutius à te ſeparari errantem, ſicut ovem non habentem paſtorem.* Audivit & exaudivit tunc clamorem tuum ſummus paſtor, & protinus aſſumptam ſecum collocavit in cœlo. Audi itaque nunc clamorem perditæ ovis, quæ revertitur de longè, & deprecatur admitti. Exhibe ei eandem miſerationis opem, quam tibi exhibuit paſtor pius, cùm eandem ſubires neceſſitatem. * Suſcipe eam ad o- al. emit. vile redire volentem gregi ſuo, à quo aberraverat, ſociari toto corde anhelantem.] De illo quippe ſauciato, quem Samaritanus curavit, cùm Dominus commemoraſſet; quid tandem ſubintulit? *Vade, & tu fac ſimiliter?* * Ecce coram te jacet ſauciata & malè la- Luc. 10. vs 37. al. ipſa miſericordia præcepit & invitat, ut miſericors fiat niata anima mea. Infunde oleum miſerationis, adhibe ſuffragia tuæ interventionis, ſi aliquo modo queat evadere periculum æternæ mortis. Audiet te libenter ſupplicantem pro nobis, qui proprio filio non peper- al. tradidit cit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. * Tu quo- illum, cui eſt honor & que, anima mea, pecus morbidum, ovis perdita per gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. temetipſam, recurre ad paſtorem. Et quia per te non mereris admitti, roga Andræam pium, ut te admittat ad ſinum ſuæ protectionis; ut ejus interceſſione pius Salvator, qui venit quærere quod erraverat, & ſalvum facere quod perierat, ſanet morbidam, ſalvet perditam, & ad ovile reducat erroneam, & gregi ſociet, qui eſt benedictus in æternum; Amen.

ORATIO LXV.

AD SANCTUM JOHANNEM EVANGELISTAM,

Pro timore damnationis.

SAncte & benedicte Johannes, Altiſſime Evangeliſtarum Dei, dilectiſſime Apoſtolorum Dei. Tu ſic præcipuè dilecte Deo inter tam præcipuè dilectos ejus, ut ſupereminens dilectio tibi ſit proprium ſignum inter eos: tu ille Johannes, cui familiare fuit recumbere ſupra illud glorioſum pectus altiſſimi: Tu, quem Deus ſubſtituit matri ſuæ filium pro ſe, cùm corporaliter eam moriendo deſereret. Ad te, ô beate tam amice & tam amate Dei, ad te * exorandum accedit homuncio iſte, reus Dei; ut per tam dilectum interceſſorem vitet imminentem ſibi al. ærumnoſam iram Dei. Cogit namque, Domine, * criminoſum ſua neceſſitas quærere interventorem, & occurrit ei illa tua famoſa familiaritas apud illum quem timet ultorem. Certus igitur, domine, per eandem familiaritatem de poteſtate tua, * quoniam apud eum quod vo- al. quia les efficies; & ſperans de pietate tua, quia miſerum in anguſtiis ad te clamantem non deſpicies; ad te me converto, quamvis tepido, toto tamen affectu mentis meæ: & potentem illam tuam interventionem præſumo precari peccatrici animæ meæ, ut per te retrahatur à tormentis, ad quæ illam pertrahunt multimodæ al. quia iniquitates meæ. Sed heu me miſerum! * quàm contrariè promittunt mihi mea delicta. Ecce enim dum conor confortari per tuam apud Deum familiaritatem; plus cogor per eandem deterreri, propter meam contra Deum pravitatem. Etenim, ô dilecte Dei, cum peccavi in dilectorem tuum, certus ſum meruiſſe me odium quoque tuum.

O reatus immoderatus! reatus contra Deum, qui non ſolùm ipſum offendit, ſed & illos qui intercedere poſſunt apud eum. Verum enim eſt quia criminoſus Dei, dignè odioſus eſt amicis Dei; nec ſolùm amicis ejus, ſed certè & ſibimet, & omni creaturæ ejus. Peccata, peccata, quomodo plus horretis plus conſiderata! Vos namque, vos unde abducitis, quò perducitis miſerum homunculum, quem ſeducitis? Unde cadit, quò præcipitatur infœlix anima, quæ vos ſequitur? Quid perdit, inquam, quid acquirit ærumnoſa illa, quæ ab amore Dei, quem potuit tenere per innocentiam, detruditur in horrorem Dei & omnium creaturarum ejus per veſtram malitiam? Si ergo peccata ſic univerſalem execrationem contrahunt illi, quem à Deo abſtrahunt; ubi ſe abſcondet, cui ſe oſtendet homuncio, circumferens ſarcinam peccatorum ſuorum, quam ipſe deponere non poteſt; horrens & fœtens vulneribus & ulceribus delictorum ſuorum, quæ ipſe ſanare non poteſt? Talis accedit, dilecte Dei Johannes, talis accedit coram te anima mea, imo hæc * eſt, hæc miſera anima mea, quæ ſe al. miſeria mea amicam hujus ſæculi faciens, & peccatorum numeroſitate ſe obruens, inimicam Dei ſe conſtituit.

Digitized by Google

Heu nomen execrandum omni rei, nomen inimici Dei! Heu quàm iniquè à me attractum, quàm justè mihi imputatum! Angustiæ! Convincit me inimicum Dei rei veritas, & prohibet confiteri horroris immanitas. Angustiæ! Deum & omnia provocavi ad ulciscendum, & nihil mihi reservavi mollendum ad intercedendum. Mœstores, dolores, gemitus, rugitus, ubi adestis, si hic deestis? Ubi terremus, si hic repetis? Dirumpite torquendo compagem meam, consumite urendo interiora mea, tumultuamini in præcordiis meis, si quà fortè misericordia respiciat * miseriam meam. O vos misericordes amici Dei, miseremini tam indigenti, per illam misericordiam quam fecit vobis Deus. Succurrite, ne me obvolvat ira Dei cum inimicis ejus. Nolo, detestor, execror esse vel dici inimicus ejus; licet confitear me peccatorem ejus. Succurrite, * vel alienis.

al. animam

al. vestrum

Tu ille, discipule, quem diligebat Jesus, si agnoscis signum tuum; rogo te per hanc dilectionem ipsam, agnosce in tanta necessitate auxilium tuum. Johannes, Johannes, si tu es discipulus ille quem diligebat Jesus, precor te per hoc ipsum, sim ego * per te peccator ille cui indulgeat Jesus. Si tibi gloriosum pectus illud fuit familiare reclinatorium, rogo sit idem mihi per te salutare propitiatorium. Fateor, Domine mi, dilecte Dei quia tu justè quoque iratus es, in Deum dilectorem tuum peccanti: sed certè solet Dominus per amicum placari servo supplicanti. Ergo, ô beate Johannes, qui tanta dilectione præditus es apud Deum, te obsecrat reus servus ejus, ut reconcilies eum. Non est, dilecte Dei, non est contra Dei dilectionem, si subvenis reo ejus, non defendendo, sed per intercessionem. Non obtendo iniquitatis meæ defensionem, nec * opto defendentem ei * prodo confessionem, & quæro intervenientem. Amice Dei, ne * deputes illum

al. emit.

al. obtendo
al. profero

A Dei vel tuum esse inimicum, qui quantùm potest amando credit & confitetur Deum tuum esse amicum. Si credo, si confiteor, si volo amare tibi concessum tantum amorem Dei, rogo te per hanc tibi datam gratiam, averte à me * mihi debitum odium Dei. Fac, Domine, propter ipsum amatorem tuum, fac quia sum opus ejus & servus & redemptus ejus, fac ergo propter eum apud eum, ne perdat quod fecit, ne perimat quod redemit. Fac, sicut verò diligis opus ejus & confessionem benedicti nominis ejus.

al. à me tu debitum

Jesu, cui iniquè peccavi; Domine, quem nequiter contempsi; omnipotens, cujus iram superbè irritavi, dilector Johannis Beati Apostoli tui, ad ipsum te fugit territus reus tuus, peccator tuus, * offensor tuus, B quantumcumque scelerosus, quantumcumque flagitiosus, obtendit nomen dilecti tui inter se & imminentem sententiam justi judicii tui. Per illam beatam dilectionem, parce quærenti ejus tuitionem, Domine, * per cujus nomen misereris peccatoris tui, si damnas orantem per nomen dilecti tui? Domine, sub quo * tegmine protegitur, si sub nomine dilecti tui percutitur? Ubi est refugium, si sub dilecto tuo est periculum? Non sentiat, Domine, non sentiat odium tuum, qui fugit ad dilectum tuum. Domine, Domine, non plus valeat mea nequitia ad damnationem, quàm ejus gratia ad miserationem. Bone, * bone, non plus possit odium mei ad perdendum opus, quod fecisti; quàm ejus dilectio ad parcendum servo, quem redemisti.

al. oſor

al. pro cujus nomine

Benignissime, qui nihil odisti eorum quæ fecisti, ecce * quem fecisti & refecisti. Cur ergo damnabis, Domine, fl accusantem, te invocantem, si non odisti * aliquid eorum quæ fecisti? Fac ergo, bone Domine, propter illum, quem inter discipulos tuos familiariùs dilexisti, ne sis mihi damnator, quia tu solus es salvator. Benedictus tu in sæcula. Amen.

al. quæ

al. emis.

ORATIO LXVI.

AD EUNDEM APOSTOLUM.

Pro gemina Dei dilectione & proximi impetranda.

Sancte Johannes, tu ille Johannes unus de magnis Apostolis Dei, de magnis principibus regni Dei, unus, inquam, ditissimorum dilectione qua diligit & diligitur Deus, & ditissimus eorum dilectione quos * diligit Deus. Ecce, ô opulente tam beatis divitiis & dives tam beatâ opulentia, ecce strumnosa sed Christiana anima, pauper & inops harum divitiarum quibus sic opulenter abundas, esuriens accedit ad ostium clementiæ tuæ, suppliciter mendicans eleemosynam opulentiæ tuæ, quatenus ex eo quòd tibi & multis sine diminutione sufficere potest, saltem illi tantum impertiaris unde * ipsa vel vivere possit. Porrige igitur, dives amice Dei, porrige animæ pauperis servi dilectoris tui Dei, de illa opulenta cella mentis tuæ hanc tibi parvam, mihi magnam; tibi facilem, E mihi vitalem eleemosynam; ut Dominus meus, cui placuit ad multos ditandos te ditare, dignetur eam propter te vel ad vitam tuendam refocillare. Pauper certè est, Domine mi, dilecte Domini nostri, pauper est anima mea, quod cogor & erubescor confiteri, utriusque dilectionis Dei; quia valde infrà quàm debet, diligit Deum; & multò minùs quàm eget, diligitur à Deo. Equidem in uno fateor me valde injustum, in altero justum Deum; in utroque sentio me nimis miserum, justo judicio Dei. Non sum oblitus hoc dicens, ô tu juste & misericors Deus: nec sum ingratus multimodis beneficiis tuæ erga me dilectionis ab initio creationis meæ; sed donec satietur utraque tua

al. de ipſa

D dilectione, semper se pauperem & egenam clamat esuriens anima mea.

Quippe hoc ipsum est de maximis, de * gratissimis mihi tuis beneficiis, quia per suavem gustum tui hanc in me excitasti aviditatem, ut renuat consolari anima mea nisi per ejus satietatem. Ad quam impetrandam quoniam non sufficit supplicatio minùs dilecti peccatoris tui; ad eam * impetrandam, invoco merita multùm dilecti dilectoris tui. Ergo tu bone dulcis, & dulcis bone, à quo est omne bonum, fac illum mihi & te illi, imò & te & illum mihi exorabilem; ut per illum assequar hujus satietatis desideratum bonum. Scio, * Domine, scio & fateor quia ego non sum dignus quem tu diligas; sed certè tu non es indignus quem ego diligam. Da ergo mihi, Domine, per ejus merita, unde tu es dignus, & ero dignus, unde sum indignus. Sed oret pro me potius, quia ipse potest efficaciùs ille dilectus tuus, Domine Jesu. Oret ille pium pectus tuum, dulce rechnatorium tuum pro me; & exaudi tu desiderium meum per illum propter te.

al. gratiſſimis

al. implorandam

Sancte Johannes, dilecte Jesu Christi Domini mei, rogat te servus amici tui; ut propter nomen Domini sui dilectoris tui, impetres illi mutuam dilectionem Dei. Impetra * ergo mihi quatenus sic diligar ab illo, ut & ego dignè diligam illum. Certè namque, dilecte Dei, si ipse diligit nos propter te, misericordiam nobis impendis; & si nos diligamus illum per te, gratiam illi

al. rogo

Digitized by Google

rependis. Certè, Domine, si illum convertis ad nos amandum, facis nos tibi tanti boni debitores; & si nos accendis ad illum amandum, facis te illi debiti redditorem. Certè, beate, quantumcumque faciat ut plures amet, nihil tibi minuis; & quantò * facis ut plures illum ament, tantò plus illi retribuis. Fac ergo, Domine, hanc tuppliei tuo misericordiam, unde & me tibi tanti boni debitorem, & te Deo unius animæ facias redditorem. Fac precor, Domine, fac ne renuas, unde nulli damnum * eveniet; sed servo tuo salus, tibi gratia, & Deo gloria proveniet. Dilectissime discipule pietatis, cur negabis abundans egenti, potens poscenti quod nulli est noxium & tot bonis obnoxium? Si enim obsistunt optanti peccata sua; cur non potius assistunt oranti merita tua? An peccata mea potentia sunt ad * nocendum, & merita tua impotentia sunt ad subveniendum? Absit, Domine, ne cogar sentire quod horreo dicere. Cur denique petenti negetur propter peccata sua; qui ea confitendo, nihil per sua merita quærit sed per tua? Cur, inquam, cùm potiora sint merita, quæ ab eo obtenduntur; quàm delicta, quæ illi objiciuntur? Certus enim sum, Domine, quia si vis plus valet gratia tua apud Deum dilectorem tuum, quàm ut dimissis peccatis meis me amando faciat amatorem suum.

Ergo, ô beate Johannes, fac ut qui te diligit, me quoque diligat per illam charitatis latitudinem quam docuisti & habes; & qua nulli invides, sed commune vis esse bonum quo gaudes. Fac per vicem dilectionis quam illi debes, ut meam quoque dilectionem cum tuâ illi solvas, cui * pro sola sua non solam tuam, sed multas debes. Quippe, beate Johannes, ipsa tua beatitudine es expertus quia sicut nullus Deo priùs quàm debeat potest tribuere; sic nec plusquam debet, valet retribuere. Si ergo quotquot Deum amatorem tuum per te diligunt, illi non possunt compensari; precor, Domine, ne abjicias illum qui in illis posscit connumerari. Accende * amore ejus tepentem, & redde ferventem. Adjuva nitentem, exaudi orantem.

Jesu Domine, quem opto exauditorem; Johannes, quem postulo intercessorem, sic me cogit desiderium * meum, ut cogere vos desideret cor meum; verùm non invitos, sed spontaneos; non nolentes, sed volentes. Patimini igitur & parcite; & si quid excogitat * cor meum, torquete ad amorem. Sustinete, inquam, me, quia amor amoris Dei cogit me. Domine, & Domine, credo, scio quia invicem vos diligitis. Sed unde hoc ipse experiar; si quod peto propter invicem, non conceditis? Jesu, * unde tu mihi, aut ego cuiquam probo quia amas illum, si nec amari à te, nec vel amare te, das optanti mihi propter illum? Johannes, unde ego sentiam quia diligit te; si non mihi impetres ut * diligat & me: aut quia tu illum; si non me adjuvas, ut & ego: * Excusa excessum meum, amor Dei tuus compellit me sic loqui. Ergo, ô tu Deus, & tu dilecte ejus, nolite vos diligere solis vobis beatis, sed & nobis miseris. Congaudemus vobis, compatimini nobis. Nolite vos soli confruendo claudere tantum bonum * intra vos: sed & fluat aliquid super nos, quod diffusum intra nos impinguet & lætificet animas nostras.

Dilecte dilector Dei, Johannes, qui de te securus in illa mutuæ vestræ dilectionis beata plenitudine gloriaris, esto pauperi à te mutuam Dei dilectionem mendicanti tantò largior, quantò te sentis in majori ejus abundantia, & me vides in majori indigentia. Nosti quippe tu, Domine, nosti tu illum qui in epistola sua decrevit ne quis habens substantiam mundi, & videns fratrem * necessitatem habere, claudat viscera sua ab eo. Quid ergo, Domine, si quis habens substantiam æternæ vitæ, * viderit animam proximi necessitatem habere; claudet viscera sua ab eo? Misericors præceptor, si voluisti viscera substantiam mundi habentis non claudi necessitatem patienti, nonne multò magis meliorem substantiam habentis majorem necessitatem patienti? Ecce audio te de laxandis visceribus * præcipere, & video te substantiam diligendi * Deum & diligendi * à Deo habere: & tu vides animam meam necessitatem habere. Ecce jubens & habens, & coram illo indigens, invicem sese aspiciunt. Si igitur, Domine, * visio tua plus est pia, quàm oratio mea devota; * visio tua sit oratio mea. Non enim scripsisti, si quis videns fratrem orare clauserit viscera sua; sed, *si videns fratrem necessitatem habere.*

Age ergo, Domine, vide necessitatem meam, imò ecce vides eam. Anima, anima mea, collige totum affectum tuum, & ingere te in aspectum ejus; inclama, ingemina intimo affectu in conspectu ejus: *Vides me.* Alterna ibidem, & importunè repete: *Vides me; & Vide me*, Johannes certè vides, vides me, Ergo vide me. Domine, vides me noscendo, vide me miserando. * Vides & scis, vide ut sciam. Vides & scis necessitatem meam, vide ut sciam pietatem tuam. * Vide, vide me, quia vides me. Olim scio; jam nunc sentiam quia vides me. Scio, sentiam. O quid audit intellectus meus objici mihi! Concedo, Domine, quia fratri jussisti laxanda viscera. Sed utrùm ego sim frater aut proximus, nec audeo asserere quod opto, nec volo concedere quod mihi non expedit. Jesu magister ejus, aspice nos. Domine, ante rivum anxiatur liti anima mea; sed non est quod bibat, nisi fluat de fonte. Fons misericordiæ, fluat à te in illum, ut bibam de te in illo. Bone, * responde pro me. Ad fontem recurro; ultrà nequeo. Ne pereat ad fontem vivum anima siccitate; ne obturetur haustus arenti. Audiat satiatus tuus sententiam tuam, & hauriat de illo sitiens tuus clementiam tuam. Dic illi: Johannes, *quis tibi videtur proximus illi fuisse qui incidit in latrones:* Responde, beate Johannes, quod genus humanũ respondet de Samaritano suo, gratias illi agens: Responde, *qui fecit misericordiam in illum.* Age, bone Jesu; Incepisti adjuvare * orationem meam, jam in manus tuas commendo eam; tu sicut perfectè bonus es, perfice eam. Dic, precor, Johanni dilecto tuo, & propone me illi servum tuum. *Vade & tu fac similiter.*

Spera & gaude, gaude & dilige, anima mea. Ipse quem tu dubitando desiderabas exauditorem, ipse tibi parat intercessorem. Mendicando obsecrabas per alium, * quia per te ad ipsum non confidebas; & ecce accurrit ille, & peroravit ubi tu * deficiebas. O bonitas, ô pietas, ô amator. Ecce quantùm tibi ostendit quia te diligit; & quantùm te accendit, ut illum diligas. Insta ergo, & spera, non de te, sed de illo; quia exaudiet desiderium tuum, qui sic consummat orationem tuam. Cor meum, & caro mea, exultate in illum, & diligite illum, & omnia quæ intra me sunt, benedicite illum. Amen.

al. faciet

al. percipere
al. Domini
al. proximi à

al. omis.

al. per solam tuam

al. videre, videdes

al. concedo,

al. amorem

al. amor ut extorqueat dilectorem.

al. orationem

al. omis.
al. excusatum

al. confidebas

al. inter

Digitized by Google

ORATIO LXVII.

AD SANCTUM STEPHANUM.

Cum retractatione charitatis, & obdormitionis ejusdem.

SAncte Stephane, beate Stephane, benigne Stephane, fortis miles Dei, primus in beato agmine Martyrum Dei, potens princeps, unus de magnis principibus coeli; didici, Domine, & credidi, & gaudens amplector quòd adhuc in terris positus tanta sanctitatis luce splenduisti, ut venerabilis vultus tuus Angelica dignitate fulgeret; quòd tantâ cordis munditiâ nituisti, ut beati oculi tui Deum in gloria sua viderent; quòd * tanta charitatis pietate artisti, ut pium os tuum piè pro impiis te perimentibus oraret. * Sic fuit, bone Stephane, sic fuit. Sic gaudeo fuisse; & sic gaudeo, lætor, & exulto me cognovisse. Quippe metuens justi judicis districtam sententiam, metuens, inquam, ego peccator & reus meritam pœnam, opus habeo adjutore, & dulce & tutum habeo te mittere intercessorem, ut parces mihi omnipotentem amicum tuum, Dominum & creatorem meum & tuum. Scio enim, Domine, & certus sum ex magnis meritis tuis quia potes; confido ex copiosa charitate quia voles; spero ex immensa misericordia judicis quia non negabit. Anxius itaque & tremens refugit ad te malè conscius sibi peccator.

Vide ergo, pie Stephane, angustiam meam, & dilata super * eam charitatem tuam. Ecce enim adstat reus ante tremendum judicem. Accusatur multis & magnis offensis. Convincitur teste propria conscientia, & testibus oculis ipsius Judicis. Bona non egit, quæ malè actis compenset. Nullum familiarem judicis aliquo præterito obsequio meruit intercessorem, omnes offendendo meruit accusatores. Judex terribiliter districtus, intolerabiliter severus, immoderatè offensus, vehementer iratus. Sententia ejus semel prolata immutabilis, carcer irremeabilis apertus. In carcere tormenta immania dispolita, tortores parati, ut datâ sententia damnatum ad tormenta rapiant. Tormenta sine fine, sine intervallo, sine temperamento; tortores horribiles, qui nusquam lassescunt, qui nunquam miserentur. Timor reum turbat, conscientia confundit, cogitationes increpant, fugere non licet. Sic stat suspensus ad gravissimam sententiam. Ecce miserum in angusto periculo, in periculosa angustia. Ecce hominem indigentem festino auxilio. Ubi nunc est? Nunc subveniat, qui sub pressura lapidum misertus est se lapidantium. * Nunc oret pro eo, qui apud eundem judicem extitit pro suis homicidis orator. Stephane, Stephane, & verè Stephane, quia verè coronate. Stephane, inquam, Stephane, en locus pietatis, en tempus * misericordiæ, en utique occasio exhibendæ charitatis. In hoc namque periculo consisto incessanter, * nisi quia non semper hoc cogito; & tunc miserior & miserabilior, * cùm obliviscì possum. Semper enim videt me Deus, & peccata mea; semper minatur districta justitia ejus peccatrici animæ meæ. Semper infernus apertus, & tormenta ejus parata, semper invisibiles insidiatores parati, ut illuc rapiant miseram animam.

Sic sum positus, cùm vigilo: sic sum cùm dormio, sic sum cùm rideo, sic sum cùm jocor, sic sum cùm superbio, cùm detraho, sic cùm irascor, cùm me vindico, sic sic sum cùm delicias corporis miserabiliter amplector. Denique sic sum semper & ubique. Accelera ergo, pie, precor, accelera antequam damner, antequam me rapiant tortores, hostes humani generis, priusquam me absorbeat carcer infernalis, priusquam me consumant tormenta gehennæ.

Sed ô vos, * ô vos peccata mea, magna estis nimis, multa estis nimis, ut meritò negetur animæ meæ venia vestra. Scio: * etiam certè, ita est, confiteor, ita est: Sed quantò gravior mea infœlicitas, quantò angustior mea necessitas; tantò mirabilior erit pietas indultoris, tantò major apparebit apud indultorem gratia intercessoris. Scio satis, Domine, dilecte Dei Stephane, quia cùm Deum offendi, te quoque & omnes Sanctos ejus offendi. Verùm tanta est * necessitas mea, ut cogat me poscere subsidium etiam ab iis à quibus merui supplicium. Et tantùm repleti estis tu & alii Sancti illo copioso, illo inæstimabili fonte pietatis; ut delectet vos etiam eos piè liberare, quos justè * potestis damnare. Magna sunt, magne Stephane, magna sunt merita tua, ut sufficere possint tibi & mihi; & si prosunt mihi, nihil tibi minuetur. Ecce coram Deo, & coram te, Beate Stephane, sunt cuncta peccata mea, quæ territant, quæ sollicitant, quæ gravant animam meam. Dic ergo, ô pie, piissimo * & dilectissimo dilectori tuo, dic Domine, ne statuas illi * hæc peccata. Dic, inquam, pro egeno tibi supplicante, quod dixisti pro populo te trucidante. Dicat tantùm pia charitas tua; & certus sum quia remittet benignissimus Deus cuncta mala mea. Ipse enim est misericors & creator meus, ego miser & opus ejus, tu dilectus amicus ejus qui est benedictus in sæcula. Amen.

Retractatio Charitatis S. Stephani.

Cùm enim insani inimici tui te opprimerent amicum suum *, sicut Scriptura verax testatur, tu * positis genibus clamasti voce magna: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* O cor opulentum pinguedine charitatis; de quo, cùm affligeretur, tam copiosa misericordia superefluebat! O mens vehementer ardens amore, copiosè uncta charitate; de qua, cùm tribularetur, tam suaviter ardentes & tam ardenter suaves scintillæ micabant! O favus pinguis melle dilectionis; de quo, cùm premeretur, tam opulentæ, tam jucundæ guttæ distiliabant. *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Vir beate, quantam spem donas peccatoribus amicis tuis, cùm audiunt te sic fuisse sollicitum pro impiis inimicis tuis? Vas charitatis superabundans plenitudine, qua ubertate potabis desiderantes amplecti te intra cor suum, cùm sic * perfundis ejicientes te extra civitatem suam?

Cùm sic propinas furore anhelis irruentibus in te: quomodo refocillabis timore anhelos fugientes ad te? *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Quomodo respondebit invocatus, qui sic objurgabat provocatus? Quàm benignè fovebit * humiles exaltatus, qui sic superbis succurrebat humiliatus? Qua celeritate liberabit afflictos potenter liberatus, qui sic affligentibus subveniebat afflictus? Illi festinabant auferre animam tuam; tu satagebas animabus eorum reddere vitam suam. Illi rigido collo, magno furore fremebant, ut te perimerent; tu positis genibus voce magna orabas, ne illi perirent. Utique voce magna, quia charitate magna; & positis genibus, quia vera simplicitate. Superbia humilitatem sub coe * tribulabat, & odor charitatis inde fragrabat. Charitas ab odio cùm petra percutiebatur, & tinnitus pietatis reddebatur. Impietas pietatem lapide premebat, & oleum misericordiæ ebulliebat.

O ſi unquam merebor de charitate Stephani oleum precibus elicere, quod illi potuerunt lapidibus exprimere. * Languet namque anima mea languore graviſſimo, qui non ſanatur niſi miſericordiæ oleo. Utinam vel ſemel ſuggerat Deo pro me, & pro cuncto peccato meo: Domine, ne ſtatuas illi hoc peccatum. Doce me, beata anima Beati Stephani, quo ſapore jocundabaris, qua * ſatietate æſtuabas, cùm eructavit cor tuum verbum tam bonum. * Quam dulce faucibus animæ meæ eloquium tuum, ſuper mel & favum ori * meo. Mandendo, magis ac magis dulceſcit; ſugendo plus & plus ſuaviſſimus ſapor ejus affluit. Plus videndo, plus fulgeſcit; omni modo tractatum, ſemper ad delectationem creſcit. Formam gerit fidei, ſoliditatem habet patientiæ. Simplicitatis puritate nitet, benignitatis colore lucet. Charitatem ſapit, pietatem olet, tactu reddit manſuetudinem, ſono repræſentat miſericordiam. Dic ergo, Beate Stephane, quid intus fovebas, unde mixturam tot ſuavitatum foras erumpebas? Nimirum iis omnibus plenus eras, omnibus iis ornatus eras, omnibus iis accenſus eras. Per has omnes virtutes quibus abundabas, te precor, ô * charitative Stephane, ora ut charitatis adipe & pinguedine repleatur arida anima mea. Adjuva, ut pane charitatis ſatietur eſuriens anima mea. Fac ut igne charitatis flagret frigido anima mea, præſtante eo qui creavit eam.

al. languida eris

al. ſuccitate

al. quia

al. ejus

al. charo

Retractatio Dormitionis S. Stephani.

Et cùm hoc dixiſſet, obdormivit in Domino. O obdormivit! O ſomnus cum requie, requies cum ſecuritate, ſecuritas cum æternitate! Requieſcis, ô fœlix, in gaudio, gaudes in requie. Gloriaris, ô ſecure, in ſatiete, ſatiaris in gloria. Lætitia tua non mutabitur, lumen tuum non deficiet. Quicquid non vis, procul abeſt; quicquid vis, ad votum adeſt. Sitivit anima * tua ad Deum fontem vivum. Veniſti ad eum, & bibis de torrente voluptatis ejus quantùm vis, quomodo vis, quamdiu vis. Semper ſatiatus ſemper bibis, quia ſemper delectat te bibere, nec unquam faſtidis. Nec bibis, ut fiat tibi ſatietas quaſi nondum habenti; ſed ſemper bibis, ut ſemper * duret ſatietas jam poſſidenti. Semper enim deſideras quod ſemper habes, & quod ſemper ſecurus es te ſemper habere. Inceſſanter quippe & delectabiliter deſideras ipſum * delectabile deſiderium; & ſemper bibis cum delectabili ardore ipſum deſiderium, cum * copioſa ſatietate. O ſufficiens beatitudo, & beata ſufficientia! Quàm fœlix obdormire, obdormire in Domino! Quantâ pace obdormiunt qui obdormiunt in Domino! Non enim gravabunt eos amplius pondera carnis, non eos affligent dolores corruptionis. Non impugnabunt ſtimuli tentationum, non terrebit conſcientia peccatorum. Nulla eos ſollicitabit indigentia. Abſterſit Deus omnem lacrymam ab oculis * eorum.

al. eſurias

al. abundet

al. deſiderabile

al. cum ejus

al. ſanctus

O dives & beata pax, quàm longè ſum à te! Ecce enim qui conor vel tenuiter guſtare ſalivam alienæ fœlicitatis, cogor affluenter glutire acerbos hauſtus meæ infœlicitatis, qui me commovent tacere ea bona quæ nec poſſum cogitare, & flere gravia mala quæ ſufferendo poſſum palpare. Heu me miſerum, ubi * nõ ſum, & ubi ſum, * qui neſcio ubi futurus ſum. Diſcordat quippe miſerabiliter anima mea cum copulata ſibi carne mea, quam ſequi non vult, nec poteſt ſine timore: relinquere non audet, nec valet ſine dolore; trahere eam poſt ſe vult, & nequit vel cum labore. Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Precor, ô beate Stephane, precor, compatere tu mihi miſero indigenti, qui congaudeo tibi beato, licèt non indigenti. Liberet me de corpore mortis hujus tuis meritis gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, ut quandoque in pace in idipſum dormiam & requieſcam in Domino, qui vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

al. ubi non ſum. & ubi ſum

ORATIO LXVIII.

AD SANCTUM LAURENTIUM.

BEatiſſime Martyr, ac ferventiſſime Salvatoris dilector, veræ fœlicitatis laureâ redimite Laurenti, tu illud pretioſum vas domus Dei, tu ille fidelis diſpenſator theſauri cœleſtis, & benigniſſime pauperum Chriſti proviſor, te invoco in auxilium mihi deſideranti deprecari faciem Dei, ſed pro peccatorum magnitudine ad eum faciem levare non audenti. Age ergo, teſtis fortiſſime potentiæ Chriſti, oſtende in me benevolentiam tuam, & attende neceſſitatem meam, & defer illi orationem meam. Evacua pia interceſſione peccata mea, extirpa miſericordi ſubventione vitia mea; ut ab ipſis eruta, charitatem illam, qua in Chriſti deſiderium totus fœliciter exarſiſti, quoquomodo in ſe accendere valeat anima mea. Ob hoc, pretioſiſſime Domine, ad te potiſſimùm accedo, quia charitatis hujus in te mirabilem flammam conſidero. Quis enim cogitare, quæ mens æſtimare, quis intellectus capere ſufficiat quo ardore, quo æſtùs ſancti affectu, ejus amorem in corde tuo fixum tenebas; imò cor tuum amori ejus infixeras, quando ſic interiùs * illius dulcedine replebaris, ut flammas exteriùs te prementes parvipenderes? Ingredere, anima mea, interiora ſpiritualis intuitus, & penetra ſi potes ſecretum beati pectoris, tam igniti dilectoris domini tui, & conſidera quàm nectareo divinæ vinculo charitatis fœlix mens ejus fuit colligata; cùm carnem exteriùs crudele torreret incendium, & affectus interior exultando laudes dirigeret in cœlum. Attende, inquam, & admirare, mirare & gaude, gaude & ama, ama & lauda; quantumcunque enim te ad conſiderandum intenderis, longè tuum ſuperat intellectum dulcedo illa qua ipſe jucundabatur per affectum, & beatificabatur per effectum. Ad hoc tamen inde cogitando proficis, ut ea ſatiari * eſurias, & quandiu ſatietas abeſt, ejus eſuriem patiaris. Quia nimirum quò plus eſurie afficieris, eò abundantiùs percepta ſatietate gaudebis. Non ergo ceſſes clamare, non erubeſcas mendicare ad januam hujus divitis theſaurarii, cujus imploras auxilium; ſuppliciter orans ut ſicut thelauros Eccleſiæ tanquam fidelis & prudens diſpenſator pauperibus diſtribuit; ſic de theſauro charitatis tantùm tibi ſaltem diſtillet, quo in dies deſiderio ejus magis famelicus fias, & illius ſatietatem ſemper deſideres.

al. deſideres

Ad te igitur, potentiſſime & pretioſiſſime Salvatoris mundi teſtis Laurenti, ad tuæ pietatis januam clamat hic famelicus, hic eſuriens pauper; non ut ejus famē evacues, ſed ut qualicunque charitatis guſtu refocillatam magis accendas, quantulamcumque ſtillam dulcedinis ejus ſitienti animæ meæ infundendo, ſitim illius in me augeas; ut onerosa mihi ſit omnis dulcedo, quæ illius ex fonte non manat; ſi tamen dulcedo rectè dicenda eſt, quæ de illa ſaporem non habet. Non itaque, benigniſſime domine, licet nimis tepidam famem cordis mei, quam hac eſurie patitur, ſatietas aliqua mundanæ voluptatis evacuet: nõ ejus ſitim delectatio quælibet carnalis extinguat; ſed in mente tui humilis dile-

al. illa

Digitized by Google

ctoris in dies excrescat. Sic anima mea hujus avida fa-
mis, ad omnia terrena fastidiosa, ut ab iis deficiens,
in illam proficiens, per spiritualem esuriem ad beatam
perveniat satietatem, qua ipse insignibus dives meri-
tis satiari & beatificari meruisti. Adeant alii paupe-
res januas divitum, ut terrenis epulis satiati corporeæ
famis expellant incommoda; ego ad tuæ pietatis januas
pulso, ut satietatem terrenæ delectationis evadere, &
famem supernæ dulcedinis indeficientem merear obti-
nere. Hanc esurire, hanc sitire, ad hanc gemere,
huic suspirare inardesco.

Consule mihi, Martyr glorioſissime. Ecce indiscre-
ta fortasse verbositas dicit: *satis oratum est*, & affectus
desiderii clamat: *adhuc ardentiùs orationi insiste*. Ita-
ne, dulcissime domine & ferventissime Christi ama-
tor, sese habet non ficta orandi devotio; ut orationi
quò plus intendit, plus accendatur? Siccine in spiritu
& veritate* orantes incomparabilis attrahit odor cha- A *al. exorantes*
ritatis; ut dum oratio ad terminum ducitur, diutiùs ora-
re delectet? Ita planè. Beata mens illa, quam tale ve-
raciter inflammat incendium. Sed ut jam mea qualis-
cumque claudatur oratio deprecor te, beatissime Mar-
tyr & præcipua columna Ecclesiæ Dei Laurenti, qui
fœliciter à benignissimo Jesu audire meruisti *veni, de-
siderator bone; suscipiente te Angelis mei, quoniam as-
sumsi non negasti me, probatus confessus es me*: te, in-
quam, deprecor, subleva tuis sublimibus & potentis-
simis meritis orationem meam, quatenus quod summè
deliderot (videlicet ut à me extirpetur omnis iniquitas,
& vera usque in finem in me proficiat charitas;) te in-
terveniente, & bono Domino Jesu favente, merear
obtinere, præstante eodem Domino & Redemptore
nostro, cui est cum Patre & Spiritu sancto vita & re-
gnum in æterna sæcula. Amen.

ORATIO LXIX.

AD SANCTUM MARTINUM.* *al. vel ad S. Nicolaum.*

Pro homine in abyssо peccatorum existente.

PEccator homuncule, tu multùm indigens, tu qui B
nimis Deum contristasti, excita mentem tuam, in-
tende in necessitatem tuam, & invoca misericordiam
super miseriam tuam. Anima mea, evigila; misera
mea, expergiscere; scelerata mea, clama ad Deum
iratum tuum, si fortè mitiget super[illegible] vultum suum.
Sed altissimus est, & infimus sum. Quomodo attinget
vox mea ad illum? Levabo super me animam meam,
ut intendat in* eum qui est super eam si fortè vocatus *al. eam*
audiat eam. Sed utique justissimus est, & nimis ini- *al. audio*
quus sum. Quomodo* audiet clamorem meum? In-
trabo intra meipsum, excludam omnia, præter illum
& meipsum; & effundam animam meam & quæ in-
tra me sunt ante ipsum. Excitabo ut dolens & dolen-
dus affectum meum; expandam ærumnas meas ante
eum, si fortè illa sua magna pietas moveat eum.
Sed nimis immensa, nimis infinita sunt delicta mea;
non sufficit sine* intercessore, nec susceptibilis est *al. intercessione, al. sine coadjutore*
oratio mea.* C

Rogabo aliquem de illis magnis familiaribus Dei, si
fortè illum audiat pro me Deus. Vocabo Martinum il-
lum magnum Confessorem, cujus nomen glorificatum
est per orbem. Martine. O si & ipse me audies, Tu ille
magne Martine. Sed si Deus* me despicit, quis me *al. mens me*
respicit. Si Deus faciem suam à me avertit, quis suam
ad me convertit? Aut si Deus odit me, quem audit pro
me? Misericors & miserator Deus, an sic detestaris ad
te revertentem, ut pati non* possis misereri ejus ullum *al. possit*
tibi adhærentem? aut tantùm execraris unum dolen-
tem tuum, ut propter eum non audias ullum amicum
tuum? Tu, inquam, qui benignus & misericors præ-
stabilis super malitiam vocaris, an ita exardescis in
peccatorem pœnitentem, ut quod es obliviscaris? D
Propter temetipsum aut audi me, aut concede aliquem
audire me, quem audias pro me. Domine, si contines
à peccatore auditum tuum, quia justus es; vel ne pro-
hibeas alienum auditum à misero supplicante, quia
pius es. Benigne, plus es clemens quàm possum cogi-
tare; non minùs hoc sentiam quàm præsumo sperare.
Tantùm confidit, Domine, de tua pietate creatus &
recreatus à te servus tuus; ut te petere præsumat in-
tercessorem reus tuus. Nullus enim me* respiciet, nisi *al. respuet*
te jubente; nullus mihi proderit, nisi te annuente. Et
tamen spero ut quod mihi propter peccata mea negas,
propter alicujus familiaris tui merita concedas. Bone,
ne te ultorem exhibeas, à quo peto interventorem; *al. sed*
* si non das pro pane lapidem, pro pisce serpentem,
pro ovo scorpionem. Da ergo, Domine, mihi inter-
cessorem Martinum illum magnum Confessorem, cu-
jus per totum mundum beatum glorificasti nomen.

Sancte Martine, per illum te precor, qui* totum *al. qui pus*
mundum venerari facit nomen tuum, ne deneges indi-
genti & supplicanti auxilium tuum. Cur es, Domine,
per orbem ab omnibus vocatus, nisi ut omnium ro-
gantium sis advocatus? Ad quid sonat in ore omnium,
Dominus meus Sanctus Martinus, *Dominus meus
Sanctus Martinus*, nisi ut dicere* possint, *adjutor
meus Sanctus Martinus*, *adjutor meus Sanctus Marti-
nus?* Ut quid est ubique nomen tuum diffusum, nisi
ut mundo per hoc fit aliquod magnum bonum infu-
sum? Fama tua vocat me ad te, miracula tua mittunt
me ad intercessionem tuam, opera tua trahunt me ad
intercessionem tuam, opera tua trahunt me ad auxi-
lium tuum. Sed quare narrem miracula tua; cùm ma-
jor sit potentia tua? Ut quid retractem opera tua; cùm
supereminеat apud Deum gratia tua? Cur recitem sub-
ventiones, quas multis impendisti; cùm meliora sint
spiritualia quæ potes, quàm corporalia quæ in cœlo
habitans facis, & in terra peregrinans fecisti? Non enim
ista solùm potes, & illa non potes. Non, inquam, in
his solis es potens quæ ad nihilum deveniunt; & in illis
impotens, quæ ad æternitatem* proveniunt. Nempe *al. perve-
non ad hæc tantummodò facienda sic* profecisti. Non *niunt al. perfecisti*
ad ista solummodo tribuenda tantùm ascendisti. Spiri-
tualia impartire, quibus gloriaris; æternis lætifica,
quibus lætaris; cœlestia infunde, in quibus* conver- *al. perseve-
saris. Illorum per te sentiamus indigentes exundantiam, *rantia*
quorum perpetuam* plenus suscipis inundantiam. *al. plenus*

O bonorum tuorum inundantia, & malorum meo-
rum abundantia. Quanta est eorum distantia? quàm
vehementer illa te facit fœlicem; quàm nimis ista me
infœlicem? Illa ex plenitudine Dei descendit; ista ex
indigentia mea ascendit. Illa fluit ex Dei copia, ista
surgit ex mea inopia. O si illius inundantiæ exundantia
inundabit, ut diluat malorum meorum* abun- *al. abundantiam*
dantiam! O si plenitudo illius satietatis replebit va-
cuitatem meæ egestatis! Non dubito, Domine, te
hoc mihi impetrare, si tantùm velis pro me judicem
meum dilectum dilectorem tuum exorare. * Ne, expe-
ctes, Domine, ad exaudiendum meam importunitatem;
quia tu scis ad orandum di[illegible] meam imbecillitatem. Ve-
lox enim sum ad deficiendum; sed esto tu velocior [illegible]

ſubveniendum. Certè ſi cor meum contritum fuerit, ſi viſcera mea commota fuerint, ſi liquefacta fuerit anima mea, ſi rivi diu fluxerint ab oculis meis; tunc ſperabo quia Martinus ades precibus meis. Concute ergo, Domine Sancte Martine, concute ſpiritum meum, excita cor meum, commove mentem meam ad affectum ſecundùm neceſſitatem ſuam, ut ſentiam miſerationis tuæ effectum ſecundùm potentiam tuam.

Sed heu! quanto tempore languet mens mea, quanto ſtupore induratum eſt cor meum, quanto torpore obruitur anima mea? Sancte Martine, quid eſt quod ſic me impedit? Quid eſt quod cervicem meam ſic premit? Unde ſic tenebratur intuitus meus? Unde ſic clauditur circuitus meus? Vult, Domine, vult ad Deum & ad te anima mea erigere faciem ſuam; & plumbeo pondere curvata gravatur. Cupit in vos dirigere intuitum ſuum; & caliginoſis tenebris obſcuratur. Conatur ſe expedire; & ferreis catenis aſtringitur. Tentat exire; & æneo carcere clauditur. Quid ſunt iſta Deus, quid ſunt iſta, quæ ſic animam meam obtenebrant & gravant, claudunt & ligant? Forſan quæ ſunt peccata mea; imò verè hæc ſunt peccata mea. Certè hæc ſunt. Affectus carnalis infatuavit in me ſaporem ſpiritualium: intentio infimorum incurvavit animam meam ab intuitu ſupernorum: amor terreſtrium extinxit in me delectationem cœleſtium: * uſu vitiorum evanuit in me ſenſus verorum bonorum. Ab illis bonis ſum elongatus, in his malis occupatus: ſecluſus ab illis, incluſus in iſtis: ab illis devolutus, in iſtis obvolutus. Hinc eſt ille carcer & vincula. Hinc ſunt illæ tenebræ & pondera.

al. uſu vitiorum evacuavit

Peccata mea, cui ſervatis in his vinculis & hoc carcere, ſub his tenebris & hoc pondere? Cui niſi diſtricto judici, & tortoribus veſtris, & tormentis æternis? Cui, niſi carceri inferni, & vinculis ſempiternis? Cui, niſi caligini perpetuæ noctis, & ponderi indeſinentis mortis? Certè his malis me ſervatis, ad hæc mala me trahitis. Certè in his ero obvolvutus, ſi priùs à vobis non fuero ſolutus. Verè horum * inliberabilis ſervus ero, ſi liber à vobis priùs non fuero. Utique propè eſt dies illa, * prope, inquam, eſt & incognita. Subitò venit, & forſitan hodie * erit.

al. Illiberatis
al. cuique
al. venit

Delicta mea, an eratis tam noxia futura, cùm animam meam veſtra dulcedine potabatis, cùm cor meum veſtra voluptate ungebatis? Cur * hæc me celabatis? Cur me * tradebatis? Imò non vos me tradidiſtis: ſed ego me tradidi, qui vobis * credidi. Non vos me decepiſtis; ſed ego me decepi, qui vos intra me ſuſcepi. O inaudita inſania: ſciebam in vobis non eſſe fidem, & tamen * habui vobis fidem. Imò non habui fidem, nec credidi vobis; ſed quodam horribili modo videns, cæcus commiſi me vobis. Videns eram, quia vos cognoſcebam, & quæ mala vos ſequuntur, ſciebam: cæcus eram, quia non à nocis cavebam. Heu peccatum,* nomen horrendum, res deteſtabilis, nulli malo comparabilis! Cæcus non videt foveam, in quam cadit; inſanus putat ſe debere facere quod facit: qui autem ſponte peccat, videns & ſciens præcipitio ſe tradit. Mors & tormenta quælibet, tormenta tantùm ſunt; nec in ſe fœda ſunt, quia ordinata ſunt. Peccatum in ſe habet ſuam fœditatem, & ſecum trahit æternam infœlicitatem. Melius ergo erat * eligere tormentum æternum, quod per ſe fœditatem æternam non attrahit; quàm peccatum, quod cum fœditate ſua dolores æternos jungit. Et certè, ô miſer homo, ipſa ſola plus tibi * vitanda erat peccati fœditas, quàm quælibet tormentorum immanitas. Quippe in peccando fœdiſſima perverſitate præpoſuiſti te Deo Creatori tuo, quo nihil injuſtius: in tolerantia tormentorum ordine pulcherrimo ſubjiceret ſe factura * ſuo factori, quo nihil eſt juſtius.

al. habui vobis
al. nocuis
al. eligi
al. ejus

O homo, quò evanuit humanitas tua? Didiceras quoniam, *qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*; & ut tanti mali ſervus eſſes, peccatum feciſti. Sciebas quia ſpiritus es vadens & non rediens; & in peccati abyſſum irremeabilem & ſine fundo te jeciſti. Verè abyſſus ſunt peccata mea, quia incomprehenſibilia ſunt pondere, & profunditate; & inæſtimabilia ſunt numero, & immenſitate. Quæ abyſſus irremeabilis eſt, quia nullus inde redit, niſi per gratiam retrahatur; & hinc fundo, quia * qui ſponte peccat, meritò in infinitum cadit, ſi non per miſericordiam retineatur. O abyſſus * abyſſum invocat peccata mea! tormenta quoque, quibus me ſervatis, abyſſus ſunt; quia infinita, & omnino incomprehenſibilia ſunt. Væ; carcer & vincula, tenebræ & pondera peccatorum * terrebant me; ſed * mali nulli malo comparabilis ſervus factus ſum: & ſic in abyſſum merſus ſum, & cum hac dolenda ſervitute, & abyſſo, in alteram abyſſum ſepeliendus ſum. Væ ſuper væ, timor ſuper timorem, dolor ſuper dolorem. Ecce tertia abyſſus, & ipſa nimis terribilis: Judicia Dei abyſſus multa; forſan in voce harum cataractarum abyſſus mea abyſſum invocat. Cataractæ occultæ ſunt, judicia Dei occulta ſunt: abyſſus igitur abyſſum in voce cataractarum Dei invocat, quia peccatorum abyſſus tormentorum abyſſum meretur, quod judicia Dei pronuntiant. Si peccata mea non eſſent abyſſus; timenda tamen multum erat judiciorum Dei abyſſus multa; quoniam ſupra humanum ſenſum ſunt occulta.

al. quæ abyſſum
al. trahebant
al. malitia

Nunc * ergo judicia Dei abyſſus, peccata mea abyſſus, debita mihi tormenta abyſſus, abyſſus judiciorum os ſuper me, abyſſus inferni ſubtus me, abyſſus peccatorum in qua ſum, & ipſa intra me. Illam quæ * ſupra imminet timeo, ne in me irruat, & me cum abyſſo mea in illam, quæ ſubtus patet, obruat, ubi tormenta nunquam peccata delebunt; ſed peccata ſemper tormenta tenebunt.

al. verè
al. ſemper

Miſer, cui peccavi? quò deveni? quò abii à Deo? ubi perditus ſum ab eo? Quis me in abyſſo inter abyſſos quæret? Aut perditum Dei quis inveniet? aut quis extra abyſſum peccatorum audit clamantem de profundo eorum? Sed, ô tu Domine, qui intueris abyſſos, quò ivi à ſpiritu tuo, & quò fugi à facie tua? Certè non ubi adhuc ſum, abes; quia *& ſi deſcendero in infernum, ades.* Et ſi ego nequiter fugi te, & in abyſſo mea damnabiliter abſcondi me; ubi quoque vides me. Quis enim, niſi tu, ad pœnitendum movet animam meam? Aut tu quomodo moves eam, ſi in abyſſo ſua non vides eam? Bone Domine, tu pulſaſti & excitaſti eam in abyſſo delictorum ſuorum, velut in lecto dormientem. Tu concuſſiſti torpentem, tu ſolicitaſti negligentem, tu feciſti pœnitentem unde jocundabatur, & dolentem unde delectabatur. Tu, ut * peteret interceſſorem, conſuluiſti; tu illi eum exhibuiſti. Bone Deus, omnia hæc feciſti in abyſſo; & non audis clamantem de abyſſo? Hæc * præveniendo fugitivo tuo feciſti; & non ſubſequeris ad te reverti volentem, ut perficias quod incepiſti?

al. peteret
al. prævenire do fugitivo ſervo

Bone Domine, gratias tibi. Verè quæſiviſti in abyſſo perditum tuum: & inveniſti, quem ita de peccatis ſuis exterruiſti. Per merita Sancti Martini dilecti tui, reduc de abyſſo peccatorum, quem quæſitum inveniſti perditum tuum: ne perdas ampliùs inventum tuum, ne in abyſſo inferni, ubi nullum invenis, perdas quæſitum & inventum ſervum tuum. Audio, Domine, quia jubes me redire, ſed miſerabiliter ligatus, & nimio pondere gravatus non poſſum exire.

Sed, ô Sancte Martine, cur ergo per merita tua ôro Deum: cùm tu meliùs hoc poſſis, qui es ante eum? Precor te, * Domine, per nomen ejus, ne avertaris quem ipſe jam reſpexit, quamvis reum ſervum ejus: adeſto mihi, rogo, apud Deum, non ut defendas me, ſed ut ores pro me. Peccata enim mea coram eo non defendo, ſed oſtendo; non excuſo, ſed accuſo. Ego ſum reus, ego ipſe ſum ſub illo & pro illo accuſator meus.

Joh. 8. v. 34.

Non

Non accuſet me, qui fecit me: ſolus ſufficiam ad peccandum, ſolus ſufficiam ad accuſandum: denique ſi Judex eſt ad judicandum reum ſuum; eſt & Dominus ad tuendum ſervum ſuum; eſt & creator ad ſervandum opus ſuum. Eſt Deus ad ſalvandum credentem & baptizatum ſuum. Aut quomodo judicabit peccatorem, ut contemnentem, qui ſe de peccatis miſerum cognoſcit & fatetur pœnitentem? aut quomodo damnabit ut adverſarium peccatorem, qui ſe peccaſſe dolet, & fugit ad tam amicum ejus interceſſorem? Deus, in te pono ſpem meam. Sancte Martine, tibi committo orationem meam. Super amboe jacto cutam meam: imò *vobis jacto animam meam: hoc eſt, quod à me magis exigitis, tu jubendo, tu conſulendo. Suſcipite eam *vobis jactatam, habete eam vobis proſtratam. *Reducite eam de abyſſo peccatorum! quam quæſitam inveniſtis perditam, ne perdatis inventam.] Cuſtodite eam, cùm dormio; ſervate eam, cùm aliud facio; videte eam, cùm aliud cogito: tu per conceſſionem, tu per interceſſionem, tu propter merita tui tam dilecti Confeſſoris, tu propter nomen tui & mei Creatoris, qui eſt benedictus in ſæcula. Amen.

al. orat.

ORATIO LXX.

AD SANCTUM BENEDICTUM.

SAncte & beate Benedicte, *quem tam opulenta benedictione virtutum ſuperna gratia ditavit; ut non ſolùm te ad deſideratam gloriam, ad beatam requiem, ad cœleſtem ſedem ſublimaret; ſed & alios innumerabiles ad eandem *beatitudinem tua admirabilis vita attraheret, dulcis admonitio incitaret, ſuavis doctrina inſtrueret, miracula provocarent: ad te, inquam, Benedicte Dei, quem benedictione tam larga benedixit Deus, ad te confugiens anguſtioſa anima mea tibi ſe proſternit quàm humili mente poteſt; tibi fundit preces quanto *affectu poteſt. *Tuum auxilium implorat quanto deſiderio poteſt.] *Nimis enim eſt immanis & intolerabilis ejus neceſſitas: vitam namque ſanctæ converſationis, quam promiſi, nomine & habitu Monachi profiteor; ſed ab hac vita longè exulando, mentiri Deo & Angelis & hominibus ipſa mea *conſcientia convincor. Adeſto, pie pater, adeſto ſupplicanti. Rogo ne abhorreas tam mendoſum & tam mendacem; ſed attende confitentem, & pluſquam merear, miſerare dolentem.

al. gloriam

al. deſiderio
al. amor
al. humilis

al. meæ vitæ

Utique, ô præclare Dux inter magnos Duces exercituum Chriſti, tuo me addixi ducatui, quamvis imbecillem militem. Tuo me ſubdidi magiſterio, licèt ignavum diſcipulum. Secundùm tuam regulam devovi me vivere, quamquam carnalem Monachum. Perverſum namque cor meum ad ploranda *perpetrata peccata lapideum eſt & aridum; ad reſiſtendum verò inſtantibus eſt molle & luteum. Depravata mens mea, ad inutilia & noxia *perpetranda velox eſt & infatigabilis; ad vel cogitanda ſalubria, faſtidioſa & immobilis. Obcæcata & diſtorta anima mea ad præcipitandum & volutandum ſe in vitiis facilis eſt & prompta; ad ſaltem reminiſcendum virtutes, difficilis & pigra. Longum eſt nimis*, chariſſime Pater, commemorare ſingula. Nimis, inquam, longum eſt enumerare gaſtrimargiam, ſomnolentiam, levitatem, impatientiam, cenodoxiam, detractionem, inobedientiam, & *cætera vitia, quibus facta eſt infœlix anima mea quotidianum *ludibrium, quæ modò ſibi viciſſim *trahunt & diſtrahunt ad illudendum hunc ærumnoſum, & quaſi pannoſum homunculum; modo eidem cum turba inſultant conculcando, & conculcant inſultando. Ecce, beate Benedicte, *quàm ſtrenuè pugnat hic miles Chriſti ſub tuo ducatu: ecce quàm efficaciter proficit hic tuus diſcipulus in tua ſchola: ecce bonum Monachum, qui ſic mortificatis vitiis, & voluptatibus carnis, ſic fervet & vivit ſolis virtutibus: imo *cui ſic turba dominatur vitiorum, premit moles peccatorum. Proh pudor!

al. præcepta

al. perpetranda

al. reverendiſſime

al. cætera

al. dæmonis ludibrium, qui
al. trahunt

al. imo cuò falſum Monachum cui ſic extinctis virtutibus, ſic turba damnata vitiorum, premit moles peccatorum proh dolor
al. falſi

O impudens Monache, qua fronte audes dici miles Chriſti, diſcipulus Sancti Benedicti, *falſe profeſſor, qua impudentia potes pati videri in te tonſuram & veſtem profeſſionis, cujus non habes vitam? Heu dolor! O anguſtiæ, quæ mihi ſunt undique! Si enim ſummum regem meum, & bonum magiſtrum meum, & *profeſſionem factam nego; mors mihi eſt: ſi autem eorum militem, & diſcipulum, & Monachum me profiteor; cùm vita me arguat mendacii, judicium mihi eſt. Anxiare in me ſpiritus meus, turbare in me cor meum. Erumpe & clama anima mea: Jeſu, bone Domine, vide humilitatem meam, & laborem meum; & dimitte univerſa delicta mea. Adjutor meus eſto, Domine, ne derelinquas me, neque deſpicias me, *ſed doce & *adjuva me facere voluntatem tuam ut vita me teſtetur quod cor & os libenter confitentur.

al. promiſſionem

al. &

Intende voci orationis meæ, Rex meus, & Deus meus, per merita & interceſſionem pii Benedicti, *dilecti tui, ducis mei & magiſtri mei. O tu mi bone dux, ô ſuavis Magiſter, ô dulcis Pater Benedicte, oro & obſecro per miſericordiam, quam erga alios habuiſti, & per illam quam erga te Deus habuit, compatere miſeriæ meæ, qui congratulor fœlicitati tuæ. Succurre te patronum *clamanti; exonera mole peccatorum obrutum, ſolve delictorum funibus ligatum, expedi criminibus irretitum, erige jacentem, ſuſtine nutantem, inſtrue ſpiritualibus armis, *id eſt virtutibus inermen, doce & protege pugnantem, expugna impugnantes; *erige mihi victoriam, & perduc me ad coronam. Age, advocate Monachorum, per charitatem, qua ſollicitus fuiſti quomodo vivere *deberemus; eſto ſollicitus, ut ſufficienter velimus & efficaciter poſſimus *vivere quemadmodum debemus; ut & tu de noſtro diſcipulatu, & nos de tuo magiſterio gloriemur coram Deo qui vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

al. (arrodat)

al. id eſt

al. in
al. viveremus

al. eum

ORATIO LXXI.

AD SANCTUM DUNSTANUM.

Cum recordatione miraculorum ejus.

SAncte Dunſtane, dulcis ad invocandum, & benignus ad exaudiendum, pius ad ſubveniendum: Tu ad te fugientibus nunquam incertum refugium, tu ad te clamantibus nunquam imparatum auxilium: Sancte, benigne, ac pie Dunſtane, reſpice miſeriam animæ meæ: ſi enim reſpexeris, ſi calamitatem meam & miſeriam attenderis; profectò miſericordiæ tuæ viſcera non continebis. Timore, tremore, horrore cruciatur anima

mea; timet, tremit, & exhorret immania, quæ metetur, supplicia; & non est quò effugiat constituta ante judicem. Sola afflictit; nullus, qui pro ea agat, existit. Vita discutitur, damnabilis invenitur. Bona etenim acta requiruntur; vix, aut nulla reperiuntur. Deferuntur admissa; negari non possunt tam multa & tam grandia, quæ omnem veniæ spem excludunt. Longanimen sui patientiam Judex exigendo prætendit; nihil nisi pertinacem sui impœnitentiam ista obtendit. Circumsistunt accusantes, iterant & reiterant, replicant & explicant delatas accusationes. Undique accusatur, à nullo excusatur. Astant & expectant crudeles ac horrendi tortores, ut prolatâ damnationis sententiâ mox eam ad cruciandum abripiant. Tantâ miseriarum mole obruta miserabilis anima quærit, & circumspicit; & ecce, qui consurgat, & pro ea respondeat, nullum aspicit.

Tu ergo, pie, misericors, & clemens Dunstane, surge, surge, exhibe solitam opem miserationis, adhibe viscera pietatis, impende suffragium interventionis: ad te clamandum invitabant & exhortabantur opera pietatis, quæ de te prædicantur; sed repellunt, ac obtundunt opera impietatis, quæ à me commissa à te horrore intolerabili abominantur atque execrantur. Ecce miseria, ecce angustia; ubi reus condemnatur, & omnis Dei misericordiæ ac pietatis sinus obseratur; sic arguitur, confunditur, obtunditur, accusatrice conscientiâ; ut nec Judicem deprecari audeat, nec qui deprecetur pro ea: sed ô tu, misericors & pie, ubi pietas, ubi miseratio, ubi misericordia, nisi ubi miseria? Cui pius, cui misericors fies, nisi misero? Agnosco, agnosco, agnoscens obmutesco. Intentans enormitatem criminis meorum; attamen quantò major miseria, tantò fit prædicabilior misericordia; nec miseria mea tanta erit, ut deficiens fiat potentia tuæ virtutis. An eò usque amplificatur miseria mea, ut angustetur misericordia tua? An invalitudo mea præponderabit? potentissima merita tua? imò meritorum tuorum præponderans gratia sustollat, leviget ac evacuet impietatum mearum pondera. Libentissimè tibi Judex ipse donabit quicquid tua tam dilecta & chara eum familiaritas postulabit: non negabit tibi unius salutem miseri, salus ipsa cui tam familiaris existis; facilè reddet tibi unius mortui vitam, vita ipsa apud quam tantam habes gratiam.

Ne deficiat, quæso, in me uno tuæ benignitatis munificentia, cujus in multis & tam innumeris redundant beneficia. Obtineam per te indulgentiam, ut tam dilecti & diligentis Dei, ac Domini tui in omnes prædicent ac magnificent misericordiam. O quàm prædicandis monstrabat Deus indiciis quantùm ei tu gratus esses ac familiaris! O inæstimabilis cordis tui puritas, cum qua tam crebrò sermocinabantur Angeli Dei! ô inæstimabilis apud Deum familiaritas, cui sic familiaris erat Angelorum dignitas! O decus ac præmium virginitatis, cui sic adgaudet natura angelicæ dignitatis! In cœlum deducebaris, intereras beatis agminibus illorum, oblectabaris modulationibus angelicis, cantans cum illis canticum, quod solus cantat chorus virginalis. Rursus tibi in terris hymnum celebranti vicissim aderat & consonabat melodia cœlestis; concinebant agmina virginitatis, summa dignitas supernæ Civitatis. Potens ac præpotens gratia, cui sic obsequens erat dignitatis angelicæ potentia! Excellens ac præcellens meriti eminentia, quam tibi acceptam, sic pretiosam divina monstrabat superexcellentia! Nunquam ergo tam dilecti, tam familiaris suis precem avertet, ut reo uni veniam non donet. Denique ipse testatur quoniam non vult ut peccator moriatur: libenter itaque animæ peccatrici salutem dabit, cujus testatur se nolle mortem.

Rursus occurrunt spes, & confidentia ereptionis meæ apud ipsum Judicem, insignia familiaritatis tuæ. Quos enim prænuntios, quos apparitores ad te præmisit, cùm directam tuam beatam animam jam carne abituram, illum adituram, ac secum permansuram adjudicavit? ne ullo metu terreretur, stupore turbaretur, incertitudine sollicitaretur, dies prædicitur, æternæ beatitudinis mansio promittitur, ducatus curiæ cœlestis adducitur; à quo hilari securitate, ac secura hilaritate perducatur.

Quanta, & ô quanta, quali, & ô quali suscipitur exultatione, qui cum tali ac tanta deducitur apparitione? quantum jocundatur, & glorificatur susceptus, cujus sic honorificatur adventus? Quanta denique veneratione, quanta glorificationis exhibitione fit ipsa annunciatio migrationis tuæ? Per visum tibi sedenti in cathedra tua pontificali astans & circunstans Angelorum frequentia supernorum civium curia, quærit à te quoad tibi placeat commorari in carne ista; refert nuntium indicat votum totius supernæ concionis optantis, orantis, ac deprecantis, ut jam cum eis ante summum Pontificem perpetuum *Sanctus* decantes in cœlis. Respondisti te nunc non posse abire; quia Dominicæ ascensionis aderat festum, in quo allocuturus & communicaturus eras commissum tibi populum. Fit concessio justæ & charitativæ excusationis; indicitur dies, in qua nulla occurreret causa dilationis. O insignis & admirabilis gratia familiaritatis; cujus solius voluntati, totius supernæ dignitatis votum ac voluntas cedit! Concedit dilationem sui, ne hujus non habeat adimpletionem; quod non vult, illa fieri mavult, quàm ne non fiat quod ista vult. Quo ergo amore præsentia ejus amatur & amplectitur, cujus absentia sic desideratur & expectatur? Quod à Deo gratiæ donum accepit in cœlis, cui tantum gloriæ munus in terris concessit? Splendidus in stola virginitatis, quam veneranter suscipitur ad nuptias Agni. Inter primos discumbit; quia cum decore integritatis induitur virtute humilitatis: præditusque gratiâ charitatis ac totius virtutis sequitur Agnum quocumque vadit. Quomodo ergo tam amatus, tam familiaris apud ipsum auctorem salutis, misericordiæ ac pietatis, non obtinebis salutem unius peccatoris? si voluntas adest, constat quia possibilitas non deest; nec voluntatem fas est abesse, quia te voluntati ejus fas non est contrarium esse, qui omnes homines vult salvos facere. Obtine itaque quod vis, & quod potes obtine: liberetur & vivat tuâ intercessione anima mea; pro qua, ut viveret, mori voluit vita beata, Deus ipse misericordia mea, qui est benedictus in sæcula. Amen.

ORATIO LXXII.

AD SANCTUM PAULUM APOSTOLUM.

*Cum terrore judicii extremi & peccatorum.

Extremedimensa est posita, quia omnia finiret.

Sancte Paule, tu magne Paule, tu ille qui unus ex magnis Apostolis Dei, omnes alios tempore sequens labore & efficaciâ præcessisti in agricultura Dei. Tu qui adhuc mortalitate gravis raptus es usque ad tertium cœlum, & raptus in paradisum audisti quæ non licet homini loqui. Tu inter Christianos non solùm

tanquam nutrix fovens filios ſuos; ſed & ſollicitudine mirabilis * affectus iterum parturiens filios tuos. Tu, inquam, omnibus omnia factus, ut omnes lucrifaceres. Ad te, Domine, ad te his & aliis multis dictis & factis mundo cognitum apud Deum eſſe magnæ poteſtatis, & erga homines immenſæ pietatis, ad te venit unus certè nimis peccator, unus nimis accuſatus apud * potentem & diſtrictum Judicem Deum, non uno, non paucis, ſed innumeris criminibus; non ſolùm parvis, ſed & immenſis, non dubiis, ſed certis: non brevis accuſatione; ſed tam longa, quàm longa eſt vita ejus: non uno accuſatore; ſed tot, quot * ſciunt delicta ejus. Nam ipſe Judex eſt diſtrictus accuſator meus, & ego ſum manifeſtus peccator ejus. Omnes etiam ſpiritus boni & mali coram Deo accuſant me cum eo: Boni, quia Deo debent æquitatem; Mali, quia meam ſervant iniquitatem: Boni, quia teſtantur veritatem quam conſiderant; Mali, quia quærunt pœnam meam quam * deſiderant. Ipſi quoque judicant in hoc meam nequitiam, quia ſciunt me debere damnari ſecundùm juſtitiam.

Heu! quot judices, quot accuſatores ſuper unum miſerum, quàm graves ſuper imbecillem, quàm diſtricti ſuper manifeſtum? Heu! quem habebit excuſantem, qui Deum habet accuſantem? Quis vel unus erit interceſſor ejus, ſi omnes ſunt accuſatores & judices ejus? Sed & ego ipſe, conſcientiâ cogente, ſum accuſator & judex meus. Fateor enim me nimiùm deliquiſſe, & ideo * gravem damnationem meruiſſe.

O ipſa * etiam irrationalia & inſenſibilia, ſi non ſum inſenſibilis, me confundunt. Intelligo enim coram omni creatura me debere erubeſcere, quia in illum peccavi qui tam potens eſt ut poſſet, & tam bonus ut vellet eam facere. Confundor & à meipſo, quia & ego factus ſum ab ipſo. Væ, unde tot & tanta mala * irruunt, quæ ſic miſerum iſtum obruunt? Peccata mea mala, de vobis in me fluunt hæc omnia mala. Vos attrahitis accuſatores, vos removetis excuſatores: Vos * damnatorem adducitis; vos interceſſorem excluditis: vos provocatis ultorem; vos avertitis indultorem. Vos intellectum veſtrum inducitis in timorem & confuſionem, vos ab illo * abſcinditis ſpem & conſolationem. Vos in æternum interitum impellitis, vos auxilium omne repellitis. Et ut miſeriùs ſit, quicquid mihi miſerè facitis, hoc inſuper ad cumulandam miſeriam additis, ut cùm verè res ita ſit, ſic mihi ſit quaſi non ita ſit. Sic enim eſſe veritas oſtendit, & tamen affectus non ſentit. Sic ratio docet, & cor non dolet. Sic video quia eſt; & heu! nequeo liquefieri totus in lacrymas, quia ſic eſt. Si hoc poſſem, forſitan ſperarem, ſperando orarem, orando impetrarem. Cùm verò ſenſus & dolor in me ſecundùm ærumnas meas non ſit, qualiter ſperabo? Quomodo ſine ſpe orabo? Quid ſine oratione impetrabo?

Infœlix homuncio, ad quid devenit oratio tua? * quo evanuit ſpes & fiducia tua?] Cœperam orare cum fiducia temeritatis; & occurrit deſperatio ex intellectu veritatis, & deficit oratio ex deſperatione alicujus erga me pietatis. Si enim quicquid eſt, juſtè contra me eſt; cujus pietas mecum eſt? Si omnia quæ ſunt, rectè mihi ſunt adverſa; cujus miſeratio ad me erit converſa? Si creator & creatura meritò me deſpicit; cujus aſpectus me reſpicit? Miſer peccator ſi ſic eſt, nihil tibi remanet niſi à ſpe torpere, & ab oratione tacere, & ſic ſemper in miſeria tua jacere. Utique qui te ſponte feciſti miſerum, juſtè neceſſe eſt ſemper te eſſe miſerum. Utique miſera delicta, ſic redditis veſtra promiſſa. Dum attrahitis, dulcia promittitis: cùm pertrahitis, poſcſſum veſtrum amaritudine perfunditis. Dum ſuadetis, ungitis: poſtquam perſuadetis, uſque ad mortem animæ pungitis. Dum vocatis in foveam veſtram; quaſi facilem reditum per pœnitentiæ dolorem monſtratis: cùm verò præcipitatis; præcipitatum obruitis, obrutum obcœcatis, obcœcatum obduratis, obdurato omnem exitum * obturatis. Et ſic miſerum veſtrum deceptum, captivatum, ligatum facitis deſperare, tacere, & inſenſibilem, velut perditum Dei & oblitum * Dei jacere; donec illum vendatis mercatoribus inferni, qui merces ſuas comportant in lacum mortis. Hoc totum de me feciſtis, hæc omnia expertus ſum; * niſi quia nondum mercatoribus illis traditus ſum:] Quod tamen & ego expecto miſerè timendo; & illi præſtolantur malignè gaudendo.

Heu! quàm malum eſt ſic deſperare, ſic tacere, ſic jacere. Et heu! quàm * vanum eſt ſine ſpe clamare, ſine ſpe conari. Deus, cujus bonitas non exhauritur, cujus miſericordia non exinanitur, cujus ſcientia non deficit, cujus poteſtas quod vult efficit, unde potero reſpirare qui ſic ob peccata mea cogor deſperare? Nam etſi iraſcaris peccantibus; ſoles tamen, benigne Domine, dare conſilium * petentibus: doce me, Domine, unde debeam ſperare, ut poſſim orare. Orare namque te volo; ſed nec ſcio, propter ignorantiam meam; nec poſſum, propter duritiam meam; & prohibeor deſperatione, propter iniquitatem meam. Quæro aliquid quod me excuſet; & nihil eſt quod me non accuſet. Quæro qui oret pro me; & invenio quicquid eſt, eſſe contra me. Quæro qui miſeri miſereatur; & omne quod eſt, miſero adverſatur.

Jeſu, bone Domine, cur de cœlo veniſti? Quid in mundo feciſti? Ad quid te morti dediſti, niſi ut peccatores ſalvares? Sancte Paule, quid aliud mundum perambulando docuiſti? Ad hanc fidem ipſe & Apoſtoli ejus, & tu maximè nos peccatores invitatis, hoc ſolum tutum refugium nobis monſtratis. Quomodo ergo non ſperabo, ſi hoc credo, & in hac fide peto? Aut quomodo me fruſtrabitur ſpes iſta; ſi de qua naſcitur, non me fallit fides iſta? Jeſu Deus, & tu Apoſtole ejus, huic fidei peccator me veſtro monitu * credo, in hanc me jacto, imo jam olim jactavi. Hac * inductui acceſſi vos oraturus. In hac peto, in hac quæro, in hac pulſo, ut peccatori miſeramini; tu parcendo, tu intercedendo; tu ſalvando, tu orando. Hac fide coram vobis me obvolvo, ut poſſim latere inquiſitores & exactores peccatorum meorum, & tui, Deus, diſtricti judicii percuſſionem. Hanc petit veſtro conſilio peccator abſconſionem, * obſecro ne prodatur judicio veſtro ad damnationem.

Sed heu! ecce occurrit & aliud grave malum. Sperabam me per fidem ſpem obtinere, & ecce video nec fidem me tenere. Putabam me in hac fide eſſe obvolutum, & cognoſco ab illa me exutum. Confidebam me in illa latitare, & ſentio me ab illa exulare: fides enim ſine operibus mortua eſt; fides verò mortua, fides non eſt. Qui ergo mortuam fidem habet, fidem non habet. Væ! fœcunditas malorum operum prohibebat me ſpem habere, & ſterilitas bonorum operum probat me fide carere. Væ male agenti! væ bona negligenti! ſicut enim neceſſe eſt in malis operibus Deo diſplicere; ita impoſſibile eſt ſine fide, quæ * bonis operibus nulla eſt, Deo placere.

Imo ſi juſtus ex fide vivit; qui fidem non habet, mortuus eſt. Sed ſi ſterilis bonorum * mortuus eſt; fertilis malorum quantò magis mortuus eſt? Nam ſi arbor, quæ non facit fructum bonum, excidit ut arida; quæ facit fructum malum, utique eradicatur ut noxia. Mors hæc non carnis eſt, ſed animæ. Quàm * magis, & quàm pejùs moritur, qui hac morte moritur, quàm qui carnis morte moritur. Omnis enim humana caro mortua aliquando reſurgit; ſed non omnis anima mortua reſurgit. Et magis perimit mors illa, quæ aufert vitam forſitan nunquam revertſuram; quàm quæ tollit vitam ex neceſſitate quandoque redituram. Et pejùs moritur qui perdit vitam juſtitiæ, per quod perdit vitam beatam; quàm qui amittit iſtam miſeram vi-

al. ſunt

al. expectant

al. magnam

al. omnia

al. damnatorem

al. omit.

al. operum

al. majus

al. credo

al. induxi

al. obſecrem

al. omit.

tam. Denique valde magis & miſeriùs interit qui dimittit vitam, quæ ſervata & amiſſam corporis vitam meliorem reſtituit, & ſine qua expedit nec natum eſſe; quàm qui deſerit illam, ſine qua nihil prohibet animam beatam eſſe. Hæc miſera vita vivo, & ab hac beata vita mortuus ſum. In eo vivo quod de me vilius eſt; in eo mortuus ſum quod melius eſt. Plus ergo mortuus ſum, quàm vivus; & deteriùs mortuus ſum, quàm carne* moriturus ſum. Non enim mors illa mala mihi erit, niſi quia iſta jam præcedit.

al. mortuus ſum

Sancte Paule, veni ad te ut peccator reconciliandus; & ecce inventus ſum coram te* mortuus reſuſcitandus. Veni ut reus opus habens interceſſore; & inventus ſum malè mortuus, indigens reſuſcitatore. Ut miſer veni, & miſerrimum me inveni. Acceſſit velut vivus accuſatus; & ecce coram te ſum mortuus damnatus. Nam etſi nondum ſum traditus morti torquenti; jam tamen dimiſſus ſum morti illam attrahenti. Nam licet nondum ſim detruſus in carcerem tormentorum; tamen jam ſum concluſus in fovea peccatorum. Quamvis * enim non ſum adhuc in inferno ſepultus; jam ſum tamen ut ſepeliendus, delictis obvolutus. Hoc erat certè, quòd orare nec poteram nec ſciebam. Hoc erat * verè, quia me omni rei execrabilem intelligebam; & velut inſenſibilis non dolebam. Intelligebam per naturæ rationalitatem; non ſentiebam per mortis inſenſibilitatem. Verè mortuus eram, & mortuus veni; & ideo me mortuum inveni.

al. te ut

al. verò

O Deus, quis orabit pro mortuo iſto? Sancte Paule, tibi attuli eum: ne * avertaris eum; ora pro eo. *Domine Helias & Heliſeus, ut mortuos ſuſcitarent, mortuis ſe junxerunt, & membra membris, viva mortuis coaptaverunt. Domine, vivi mortuos attactos vivificaverunt, & mortui vivis nihil niſi gloriam intulerunt. Domine, tu quoque dicis teipſum omnia omnibus factum, ut omnes lucrifacias. Amice Dei, exempla aliorum me faciunt præſumere, dicta tua me hortantur confidere. Dicam ergo, domine, dicam, Domine, domine, deſcende ad mortuum iſtum; expande te ſuper mortuum iſtum; fac te non mortuum, ſed tanquam mortuum iſtum. Caleſiat confotus tuæ compaſſionis attactu mortuus iſte; * revivat tuæ poteſtatis * effectu mortuus iſte, ut vivus glorificet Deum; & te, mortuus iſte. Domine, non es impotens hunc mortuum ſuſcitare, quia tèſte Deo ſufficit tibi gratia Dei. Nam ſi in terra degenti tibi ſuffecit; utique in cœlo manenti non *defecit. Cur, domine, diutiùs jacebit oblatus tibi mortuus ſine vita, cùm Deus teſtetur tuam potentiam, & tu teſteris ipſe tuam pietatem? Domine Deus, tu dicis Paulo, *ſufficit tibi gratia mea.* Sancte Paule, tu dicis nobis, *omnibus omnia ſum factus.* Et ecce verborum * veſtrorum effectum expectat mortuus, hac ſpe vobis allatus. Vos dicitis, & mortuus audiens ſperat. Vos promittis, & mortuus orans expectat. Vos dicitis, & à vobis eſt prolatum, obſecro, ſentiam * affectu, quod mundus gaudet per vos eſſe propalatum. Si à vobis dictum non negatis; cur poſcenti effectum denegatis? aut cui ſecuriùs mortuus reſuſcitandus portatur: ſi à vobis oblatus, à vobis mortuus reportatur? Quò illum mittitis, ſi ſic eum dimittitis? Quò ibit, ſi à vobis abibit? O Deus, quis reſuſcitat, ſi Deus non reſuſcitat? A quo ſperatur, ſi à Deo deſperatur? A quoamiſſa vita * recipitur, niſi à quo priùs accipitur?

al. Deum

al. revivíſcat

al. affectu

al. effectum

al. redditur

Sancte Paule, quis indigenti & dolenti pius erit; ſi ille, qui cum infirmantibus infirmari ſe promittit, durus erit? Quis orare pro miſero dignatur; ſi ille, qui ſe omnibus omnia factum publicat, dedignatur? Aut quis vel * auditur, ſi ille, cui gratia Dei ſufficit, non *exauditur? An illi pietas vel poteſtas deficit, cui gratia Dei ſufficit? O vos ambo, quid vos movet, ſi hæc non movent? Unde aſſumam niſi de vobis, quod ad excitandam miſericordiam veſtram obtendam vobis? Mortua anima quid obtendet de ſe, niſi quia peccatrix & miſera eſt? Pœnitens tamen & dolens orat. O ſi ille qui de cœlo venit vocare peccatores * in pœnitentiam, & ille qui poſt eum ad hoc ipſum plus omnibus laboravit, ſi ideo contemnent pœnitentem animam quia peccatrix eſt? Si ille, qui de ſinu patris exivit portare dolores noſtros, & ille, qui ſe cum * infirmantibus dicit infirmari; ſi idcirco deſpiciunt dolentem, quia *miſera eſt? Si ille, qui ut mortuas animas ſuſcitaret, mortuum ſe fecit, & ille qui ſe omnibus omnia factum perhibet, ſi ob hoc * rejiciunt orantem, quia * mortua eſt? Non ita Deus, non ita ſit: Abſit, non ita ſit, Si ita eſt, periit compaſſio. Si ſic eſt, mortua eſt miſeratio.

al. ad

al. infernis

al. miſer

al. rejiciens

al. mortuus

Anima projecta & rejecta; cùm peccaſti projecta, cum ſupplicas rejecta, quò te convertes? Converte te ad importunitatem. Importunum dolentem quærunt, pertinacem miſerum volunt, * inceſſantem lugentem amant. Quære * ergo adhuc in eis quod * infatigabilis objicias ei. O ſancte Paule, ubi eſt illa nominata nutrix fidelium, fovens filios ſuos? Quæ eſt illa affectuoſa mater, quæ ſe ubique prædicat filios ſuos iterum parturire? Dulcis * nutrix, dulcis mater, quos filios parturis aut nutris, niſi quos in fide Chriſti * docens gignis & erudis? Aut quis Chriſtianus poſt te doctrinâ tuâ non eſt in fide natus & confirmatus? Nam etſi benedicta fides iſta ab aliis quoque Apoſtolis nobis ſit nata & nutrita; utique magis à te, * quia plus omnibus in hoc laboraſti & effeciſti. Cùm ergo illi ſint nobis matres; tu magis noſtra mater. Ergo, ſancte Paule, filius tuus eſt mortuus iſte. Mater, mortuus iſte certè filius tuus eſt. Dulcis mater, recognoſce filium tuum ex voce confeſſionis; recognoſcat ille matrem ſuam ex affectu compaſſionis. Recognoſce filium ex confeſſione chriſtianitatis; recognoſcat ille matrem ex dulcedine pietatis. Offer, mater, tu quæ iterum parturis filios tuos, offer, mortuum filium tuum iterum reſuſcitandum illi, qui morte ſua reſuſcitavit ſervos tuos. Offer, mater, illi qui morte ſua indebita revocavit reos ſuos à morte debita; offer illi filium tuum, ut revocet ei vitam perditam. Per baptiſmum enim eductus à morte, per ſterilitatem & gravitatem reductus eſt in mortem. Mater famoſi affectus, ſentiat filius tuus viſcera maternæ pietatis. Exhibe eum illi qui te reſuſcitavit, & viventem ſervavit. Ora eum pro filio tuo, * quia ſervus ejus eſt: ora eum pro ſervo ſuo,] quia filius tuus eſt.

al. inceſſantem

al. amat.

al. infatigabilis

al. gignis docendo & erudiendo

al. amat.

Sed & tu, Jeſu, bone Domine, nonne & tu mater? Annon es mater, qui tanquam gallina congregat ſub alas pullos ſuos? Verè, Domine, & tu mater. Nam quòd alii parturierunt & pepererunt, à te acceperunt. Tu priùs * propter illos, & quos pepererunt, parturiendo mortuus es, & moriendo peperiſti. Nam niſi parturiiſſes, * mortuus non eſſes; & niſi mortuus eſſes, non peperiſſes. Deſiderio enim gignendi filios ad vitam, mortem guſtaſti, & morieus genuiſti. Tu pente, illi juſſi & adjuti à te. Tu ut * auctor, illi ut miniſtri. Ergo tu, Domine Deus, magis mater. Ambo ergo matres. Nam etſi patres, tamen & matres. Vos * enim effeciſtis, tu per te, tu per illum, ut nati ad mortem renaſceremur ad vitam. Patres * igitur eſtis per effectum, matres per affectum; patres per auctoritatem, matres per benignitatem; patres per tuitionem, matres per miſerationem. Ergo & tu *, mater, & tu * mater: etſi quantitate affectûs impares; in qualitate tamen non diſſimiles. Quamvis * magnitudine benignitatis non coæquantes; voluntate tamen concordantes: licet plenitudine miſerationis non convenientes; intentione tamen non diſconvenientes. Cur taceam quæ dicitis? Ad quid celem quod proditis? Cur abſcondo quod facitis: Matres vos divulgatis, filium me fateor. Gratias ago: filium me * genuiſtis cùm Chriſtianum me *feciſtis, tu per teipſum, & tu per eundem ipſum:

al. tu priùs filios, & quod

al. mortem non ſuſtinuiſſes

al. actor

al. cum

al. verè

al. patres

al. magnitudinem

al. quid

Digitized by Goos

tu per doctrinam à te factam, & tu per doctrinam tibi inspiratam : tu per gratiam à te mihi concessam, & tu per gratiam ab illo acceptam. Paule mater, & te ipse genuit. Pone ergo filium tuum mortuum ante * pedes Christi matris tuæ, quia filius ejus est. Imo jacta illum in sinum pietatis ejus, quia plus ipse mater est. Ora ut resuscitet mortuum filium, non tam tuum, quàm suum. Ora pro filio tuo quia mater es, ut vivificet filium suum, quia mater est. Fac, mater animæ meæ, quod faceret mater carnis meæ. Utique si speraret, oraret quantùm posset, nec cessaret donec impetraret si posset. Certè si vis, non potes desperare; & si oras, potes impetrare. Insta ergo ut anima mortua, quam tu vivam peperisti, vitæ restituatur; nec cesses donec tibi viva reddatur.

al. conspectum

Tu quoque, anima * mortua per teipsam, curre sub alas Jesu matris tuæ, & conquerere sub pennis ejus dolores tuos. Postula ut plagas tuas confoveat, & ut confotis * vita redeat. Christe mater, qui congregas sub * alas pullos tuos, mortuus hic pullus tuus subjicit se sub * alas tuas. Nam lenitate tua exteriti * confoventur, odore tuo desperantes reformantur. Calor tuus mortuos vivificat, attactus tuus peccatores justificat. Agnosce, mater, filium tuum mortuum, vel per signum crucis tuæ, vel per vocem confessionis tuæ. Refove pullum tuum, resuscita mortuum tuum, justifica peccatorem tuum. Exteritùs tuus à te consoletur, à se desperans à te confortetur, & in integram & inseparabilem gratiam tuam per te reformetur. A te namque fluit consolatio miserorum, qui sis benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

al. vitam reddat al. alis al. confoventur

ORATIO LXXIII.

AD SANCTAM MARIAM MAGDALENAM,

* *Cum retractatione amoris ad Christum.*

SAncta Maria Magdalena, quæ cum fonte lachrymarum ad fontem misericordiæ Christum venisti, de quo ardenter sitiens abundanter es refocillata, per quem peccatrix es justificata, à quo amarissimè dolens dulcissimè es consolata. Tu, Domina mea charissima, per temetipsam es experta qualiter peccatrix anima creatori suo reconcilietur, quod consilium miseræ animæ expediat, quæ medicina languenti salutem restituat. Satis enim scimus, chara amica Dei, cui dimissa sunt peccata multa, quoniam * dilexit multùm. Non ego scelératissimus; domina beatissima, non ego sceleratissimus peccata tua improperando retracto; sed immensitatem clementiæ, per quam deleta sunt, pertracto; & per eam respiro * ne desperem, & ad eandem suspiro ne peream; ego, inquam, miserabiliter in profundum vitiorum præcipitatus, ego nimio pondere criminum gravatus, ego in obscuro carcere peccatorum à memetipso detrusus, & in * torporis tenebris obvolutus.

al. dilexisti

al. corporis

Ergo, electa dilectrix, & dilecta electrix Dei, ego miser rogo te beatam, tenebrosus illuminatam, peccator justificatam, immundus mundatam. Memento, benignissima, quid fuisti, & quantùm misericordia indiguisti, & postula mihi indulgentiam, sicut eam tibi fieri voluisti. Impetra mihi compunctionem pietatis, lacrymas humilitatis, patriæ cœlestis desiderium, terreni exilii fastidium, pœnitentiæ * amaritudinem, æterni cruciatus timorem. Profit mihi, Charissima, familiaris conversatio, quam habuisti & habes circa fontem misericordiæ : hauri mihi ab illo unde lavem peccata mea; propina mihi de illo unde satietur sitis mea; infunde mihi de illo unde irrigetur ariditas mea : non enim erit tibi difficile quicquid volueris obtinere à dilectissimo & suavissimo domino, & amico tuo.

Quis enim explicet, ô beata sponsa Dei, quàm benigna familiaritate, & familiari benignitate, ipse calumniantibus te, respondendo pro te, se opponebat; quàm piè, superbo Pharisæo de te indignante, ipse te defendebat; quomodo ipse te excusabat, sorore tua de te conquerente; qualiter ipse opus tuum laudabat, Juda in te fremente? Quid denique, quid dicam, vel potiùs quomodo dicam, cùm ejus amore flagrans eum ad monumentum quærendo flebas, & flendo quærebas? Quàm * affabiliter, quàm amicabiliter te, quam consolari venerat, magis accendebat; cùm ipse se celabat videnti, & ostendebat non videnti; dùm præsens ipse quê quærebas, quem quæreres & cur fleres quærebat.

ineffabil.

Sed ô tu, piissime Domine, tu cur quæris quid plorat? nonne viderat te cor suum, & dulcem vitam animæ suæ, crudeliter mactari? ô stupenda pietas! heu horrenda impietas! cùm in * quodam ligno extensus & ferreis clavis confixus penderes, velut latro ad ludibrium impiorum : & dicis, *Mulier cur ploras?* Joh. 20. v. 13. & * quia nequivit juvare, ne te occiderent; vel corpus tuum volebat unguentis diu servare, ne putresceret : ut quia vivo loqui non posset, saltem mortuum flere posset; & vitalem doctrinam, quam à vivo audierat, juxta mortuum exosa vitam semifractis verbis recitaret. Nunc insuper ipsum corpus, quod utcunque gaudebat sibi dimissum, credit amissum : * & dicis; *Mulier quid ploras?* O incitatio luctus! oculis suis viderat, (si tamen aspicere potuit,) quæ crudeles in te crudeliter fecerant; & residuum manuum eorum, ut putabat, perdiderat. Omnis spes de eo jam fugit quia nec reliquias tuas ad tui memoriam tenere potuit : & quærit aliquis, *quem quæris, quid ploras?* Saltem tu ô singulare gaudium ejus, cur concitas dolorem ejus? ipse enim sciebas, & sic fieri volebas, quia causam tanti ploratus narrare posset, nisi crebrò verba interrumpendo, & ingeminatos gemitus erumpendo Non enim amorem ignorabas, quem ipse inspirabas. * Noveras utique tu hortulanus ille, quid plantaveras in horto tuo animæ suæ. Puto quia quod plantaveras, rigabas. Rigabas, dicam, an probabas? Sed, ut veriùs dicam, & rigabas & probabas? Sed, ô bone Domine; ô benigne Magister, ecce fidelis ancilla & discipula tua nuperrimè redempta sanguine tuo, ecce æstuat & anxiatur desiderio tui, circumspicit interrogat, & nusquam apparet, quem desiderat : displicet ei quicquid videt, quia te solum quem aspicit non videt. Quid ergo? * sufferet hoc diu Dominus * meus dilectus ejus? An perdidisti compassionem, quia inveniisti incorruptionem? An pietatem amisisti, quia immortalitatem acquisisti? Absit, Domine, non enim * despicis nos mortales, quia factus es immortalis, pro quibus factus es mortalis, ut faceres immortales : quippe pia dilectio nec illam gementem, nec se latentem potest tolerare diutiùs. Erumpit amantis dulcedo, ut non erumpat flentis amaritudo. Nominat Dominus consuetum ancillæ nomen, & cognoscit ancilla consuetam Domini vocem. Puto, vel certè affirmo quia sentit solitam suavitatem, qua vocari consueverat, *Maria.* O vox delectabilis! ô quantùm blandimenti! quantùm sapuit amoris! * nec breviùs nec celeriùs hoc exprimi potuit. Scio quæ sis, & quid velis. Ecce me, ne plores. Ecce me, quem quæris. Illicò mutatæ sunt lacrymæ : non enim credo mox esse restrictas; sed quas

al. crucis

al. quæ

al. quod

al. despicis

al. meus

contritum cor se torquendo priùs exprimebat, eas post- A dero amare; spiritum contribulatum, cor contritum
modum cor gaudens exultando effundebat. O quàm & humiliatum tibi sacrificare. Da mihi, Domine,
Joan. 20. dissimilia sunt, *Raboni*, & *Si tu sustulisti eum, dicito* in hoc exilio panem doloris & lacrymarum, quem
mihi! O quàm dissona sunt, *Tulerunt Dominum* esurio super copiam deliciarum. Exaudi me propter
meum, & nescio ubi posuerunt eum; & illud, *quia* amorem & chara merita hujus tuæ dilectæ Mariæ,
vidi Dominum, & hæc dixit mihi! & beatissimæ Matris tuæ maximæ Mariæ. Noli,

Sed quid ego miser sine affectu præsumo exprime- pissime Redemptor Jesu, noli despicere precem in-
re affectum Dei, & beatæ amicæ Dei? Quomodo digni peccatoris tui, sed adjuva conatum infirmi
namque eructabit cor bonum odorem, unde intus * amatoris tui: excute cordis mei teporem, & per al. peccatoris
non habet saporem? verùm tu mihi conscia es, veri- fervorem tui amoris, da mihi pertingere ad æternam
tas: tu mihi testis es, Domine mi dulcissime Jesu, quia tuæ gloriæ contemplationem; qui cum Patre, &
al. tui hoc amore tui * amoris hoc facio. Amorem tuum in me * Spiritu Sancto vivis & regnas Deus per omnia sæ-
accendere cupio, quia te solum, & quod jubes, desi- cula sæculorum. Amen.

ORATIO LXXIV.

PRÆLATI AD QUEMCUMQUE SANCTUM ECCLESIÆ SUÆ PATRONUM.

al. vel Martyribus vel Confessoribus

SAncte N. pie N. beate N. unus de glorioſis Apo- B per quem imploramus quotidie majestatem tuam; il-
stolis * Dei, unus de beatis amicis Dei; iste pec- lum, Domine, fatemur advocatum nostrum, per il-
cator, iste indigens, iste tuus, licèt indignus, li- lum sentiamus te Salvatorem nostrum: ne prævaleant,
cèt ineptus, licèt nimis inconveniens Vicarius, ite- Domine, demerita nostra meritis ipsius; sed delean-
rum & iterum redit ad te dubius, nescius, sollicitus tur peccata nostra precibus ejus. Et tu, ô Beate, ô San-
de populo tuo, de congregatione tua, & de periculo cte N. tu es advocatus meus, tu esto ad Dominum in-
suo. Ego, scilicet, inutilis persona, nullis bonis or- tercessor meus. Oro te, exora eum; peto à te, impetra
nata, sed profundâ ignorantiâ tenebrata, innumeris ab eo. Defer illi meam orationem, & refer mihi ejus
vitiis doformata, immensis peccatis onerata; ego, in- exauditionem. Per te illi angustia mea intimetur, &
al. pius Dominus quam, quem Deus & tu * post Deum, nescio an jussistis, per te mihi consolatio ejus redonetur: ostende illi
al. Episcopum vel Abbatem an permisistis * rectorem vocari in Ecclesia sub te advo- meum periculum, & exhibe mihi ejus auxilium. Ec-
cato, sub te tutore, sub tuo nomine constituta anxius clesiam enim Dei sub te regere suscepi, qui animam
de me & de mihi commissis, te rogo consultorem, te meam nondum regere incepi. De meipso ergo timi-
precor adjutorem, te expecto per omnia pro me ope- dus, de aliis cogor esse sollicitus. Gravatus pondere
ratorem. Magister enim vocor, sed esse nescio: Pastor peccatorum, alios jubeor relevare; incurvatus pondere criminum, alios exigor erigere. Ergo Sancte, beate,
nominor, sed esse nequeo: Episcopus dicor*, sed non
al. vel Abbas sum. Vident enim me sedere ubi sedet Episcopus, * sed ac pie N. recognosce * me qualemcumque Vicarium
ego video me non facere quod Episcopus * facit: aspi- tuum, ut semper me præveniat consilium tuum, &
ciunt me procedere sicut Episcopum *, sed ego aspicio subsequatur auxilium tuum ad regendum metipsum, &
Ubi legitur nomen Episcopi in aliis MSS. legitur vel additur nomen Abbatis. me non vivere sicut Episcopum *: exhibent mihi hono- gregem mihi commissum. Prius enim sunt commissi
resEpiscopi,* sed ego non ostendo eis mores Episcopi.* tibi, quàm mihi: & cùm mihi sunt commissi, non sunt
Nondum duxi vitam boni laici, & de me expectant à te dimissi, sed ego magis commissus. Quod ergo * mi- al. omit.
al. vel Monachi quomodo vivant Clerici.* Quid feci, homuncio, ver- C hi injunctum est de illis, tu fac de me & de illis: fac pro
al. Martyr, vel Confessor mis, & putredo? Quid feci? quid præsumpsi? quid me quod] mihi injunctum est facere pro te: * fac Do- al. fac pro me & pro te, fac ergo Domine, pro me quod mihi al. per te al. nisi per eo
consensi? Imò tu, Deus, & tu N. Apostole * ejus, mine, quod mihi injunctum est facere * pro te: fac,
quid fecistis: vos enim hoc fecistis, sive jubendo, sive Domine, fac pro me: quia tu vides me nec scire, nec
permittendo. Vos ergo, qui quoquo modo fecistis, posse, * pro te: imò fac non me, sed pro te; quia priùs
al. filio facite, tu orando, tu donando, ut nec mihi, nec * ulli, & magis pertinet ad te, quàm ad me: & si quid ad me,
obsit; sed mihi & multis prosit, quod fecistis: vos hoc est post te, & sub te. Tu ergo, Domine, tu plus
qui fecistis nescium doctorem, cœcum ductorem, debes, plus scis, plus potes, quàm ego: tu potiùs fac,
errantem rectorem; docete, quem doctorem statuistis, quàm ego. Non me gravet, Domine, suscepta cura
ducite quem ductorem posuistis, regite quem recto- eorum quia satis me gravat sarcina peccatorum meo-
al. consiliarius rem * concessistis. Docete, obsecro, quid doceam, rum. Non me gravent illi, quia ego ipse nimis sum gra-
al. in me ducite quò ducam, regite ut regam: * imo docete il- vis mihi: nimis certè ipse me gravo, non est opus ut
los, & me in illis; ducite illos, & me cum illis; alii me gravent. Sed nec eos gravet onus meum, nec
regite eos, & me inter eos. impediat eos peccatum meum, nec noceat illis malum

Jesu, bone Domine, non sunt illi mei, sed sunt tui; meum, non obsint illis mala mea, quibus prodesse de-
quia nec ego sum meus, sed tuus. Tuus sum, Domi- bent bona mea, non me impediant, Domine, * de qui-
ne, & tui sunt; quia tu me, & eos sapientiâ tuâ fecisti, bus proficere debui; nec illis obsim, quibus prodesse
al. sanguine tuo & * anima tua emisti. Tui ergo sumus, bone Domine, D debui: nimis enim sufficiunt mihi delicta mea, non
tui sumus; quos tam sapienter fecisti, & tam carè emi- trahant me aliena secum. Nimis mihi est, si me
sti. Si ergo mihi commendas eos, Domine, non ideo damnant peccata mea; non involvant alios mecum.
deseras me, vel eos: commendas eos mihi, commendo Sed tu, ô Sancte N. Apostole * Dei, tu qui potes, al. Martyr, vel Confessor
me & eos tibi. Tuus est, Domine, grex, & tuus subleva me, & eos; porta me, & illos; * excusa me, al. omit.
Pastor; tui gregis & Pastoris esto Pastor. Domine, per & illos;] adjuva utrosque; rege, & protege utros-
merita Beati N. amici tui, exaudi orationem peccato- que: ut & ego gaudens de illorum salute mecum,
ris tui. Fac, Domine, ipsum sollicitum esse pro no- & illi de mea secum, semper laudemus nostrum bo-
bis, quem advocatum dedisti nobis; ipsum pro nobis num Dominum Jesum Christum, tecum, qui sit be-
orare sentiamus, per quem auxilium tuum nobis quo- nedictus Deus, & tu benedictus Apostolus * ejus al. Martyr, vel Confessor
tidie flagitamus. Impetremus per ipsum gratiam tuam, in æternum. Fiat, fiat. Amen.

SANCTI ANSELMI
CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI
HYMNI ET PSALTERIUM
DE SANCTA VIRGINE MARIA.

Hymnus ad Nocturnum.

LUx quæ luces in tenebris,
Ex alvo nata * Virginis,
al. Virgine
Noſtram nocte nos exue,
Diemque tuum indue.
MARIA Dei thalamus,
Poſce te venerantibus,
Virtutibus ut ſplendeant,
Quos reatus obtenebrant.
Gloria tibi Domine,
Nato de ſancta Virgine,
Regnanti victo funere,
Cum Patre & ſancto Spiritu.
Amen.

Hic verſus in fine ſingulorum dicendus eſt.

Ad Laudes.

al. præfulge
* Præfulgens ſol juſtitiæ,
Ortus de ſacra Virgine,
Splendore tuo noxias
Noſtras illuſtra tenebras.
Orientis caſtiſſima
Mater fac nobis, Domina,
Vita prorſus ut decidat
Vetus, nova proficiat.
Gloria tibi Domine, &c.

Ad Primam.

O Chriſte proles Virginis,
Patris compar altiſſimi,
lege mortis
Per tuæ * matris merita,
Dele noſtra peccamina.
O mundo venerabilis,
Virgo mater mirabilis,
Maria plena gratia,
Ora pro nobis Domina.
Gloria tibi Domine, &c.

Ad Tertiam.

Quem credimus ex Virgine
Natum, benigne Domine;
Sit nobis hæc confeſſio,
Peccatorum remiſſio.
Quæ genuiſti Filium
A ſummo Patre genitum,
Per hæc tua nos merita,
A lapſu mortis libera.
Gloria tibi Domine, &c.

Ad Sextam.

Nate ſumme rex utero
Mariæ de virgineo,
Emunda nos à vitiis,
Et orna ſanctis meritis.
Dei mater, ô Domina,
Sublimis tanta gratia;
Tua, fac, exaltatio
Sit noſtra relevatio.
Gloria tibi, &c.

Ad Nonam.

Fili Mariæ virginis,
Da nobis * ejus meritis
A peccatis reſurgere,
Et ad vitam pertingere.
Cujus es factus filius,
Deus, pro peccatoribus,
Hoc qui fide pronuntiant,
Fac ut ſalutem ſentiant.
Gloria tibi, &c.

Ad Veſperas.

Sol caſto naſcens utero,
Veſperaſcente ſæculo,
Illuſtra nos perpetuè,
Nec declines in veſpere.
Æterni Solis genitrix,
Tuis hoc * ſanctis meritis
Age quo perpes maneat
Nobis, nec unquam decidat.
Gloria tibi, &c.

Ad Completorium.

De caſta nobis oriens
Matre dies indefinens,
Jugi nos fove lumine,
Culpæque noctem remove.
Mater diei perpetis,
Obſiſte noſtris tenebris,
Ne lucem nobis diſſipent,
Et nos delictis implicent.
Gloria tibi, &c.

SALUTATIO DEPRECATORIA, ante Pſalterium Beatæ Virginis dicenda.

Salve Regina mater miſericordiæ, vita, dulcedo, & ſpes noſtra ſalve. Ad te clamamus exules filii Evæ: ad te ſuſpiramus gementes, & flentes in hac lacrymarum valle. Eia ergo advocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos converte, & Jeſum benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende: O clemens! ô pia! ô dulcis gloriosa Domina noſtra, pro nobis intercede.

Pſalterium Dominæ noſtræ.

AVe Mater advocati,
Qui beatus conſilio,
Aulâ ventris incorrupti
Proceſſit ut ex thalamo.
Beatus vir qui non abiit, &c.
Ave mater cujus partus
Poſtulavit Deum Patrem,
Et accepit, quas redemit,
Gentes in hæreditatem.
al. & tuis
Poſtula, &c.
Ave mater, cujus partus
Obdormiens patiendo,
In ſepulchro ſoporatus,
Mortem vicit reſurgendo.
Gloria tibi, &c.
Ego dormivi, &c.
Ave mater, cujus partus
Nobis dedit in ſanguine,
Ut ſignetur baptizatus
Divinitatis lumine.
Gloria tibi, &c.
Signatum eſt, &c.
Ave mater, cujus nos filius
al. magnis
Scuto bonæ voluntatis
Induit propitius,
Lux immenſæ majeſtatis.
Scuto bona, &c.
Ave Thronus Deitatis,
In quo Deus majeſtatis
Dignatur homo fieri.
***
Unde noſtras animas
Eripuit in gratia;
Et quas effecit liberas,
Salvas fecit in gloria.
Convertere, &c.
Ave mater cujus partus
Suâ facit juſtitiâ
Ut in nobis Patris ejus
Sint * juſta adjutoria.
Juſtum adjutorium meum à Domino.
Ave noſtra advocatrix,
Atque vitæ reparatrix:
Cujus partus ſuper ipſos
Dominus eſt cœli thronos.
Quoniam elevata eſt, &c.
Ave Sion, in qua Deus
Habitavit homo factus:
In quo ſperant enixiùs
Qui noverunt nomen ejus.
Et ſperent in te, &c.
Ave Virgo ſingularis,
Placens aula virginalis,
Cujus in templo Dominus
Et in cœlo ſedes ejus.

Digitized

Dominus in templo, &c.
Ave, cujus in filio
Salutem Pater posuit,
In quo sicut in unico
Fidem nostram constituit
Ponam in salutari, &c.
Ave, de cujus filia
Salutari Dei Patris,
Exultamus in Domino,
Qui bona tribuit nobis.
Exultavit cor meum, &c.
Ave nostra advocatrix,
Captivorum liberatrix,
De qua Sion Emmanuel
Salutare sit Israël.
Quis dabit, &c.
Ave, cujus mons filius
Dei Patris est unicus,
In quo sancti requiescunt,
Qui veritatem diligunt.
Domine quis habitabit, &c.
Ave regina virginum,
Mater Virgo post filium,
Cujus partus hæreditas
In lætis est præclara.
Funes ceciderunt, &c.
Ave mater, quem prædicat
In te nostra mortalitas,
Quia tuus mirificat
Partus misericordias.
Mirificat misericordias, &c.
Ave, quam laudant spiritus,
Cui virtus omnis concinit,
De cujus cœlo Dominus
Nube carnis intonuit.
Et intonuit, &c.
Ave, cujus virgineo
Deus processit thalamo,
Dotali nobis gratia
Se præbens in sponsalia.
in Sole, &c.
Ave Sion, de qua Deus
Nos tuetur incarnatus,
Memor nostri libaminis
In pace sui corporis.
Memor sit, &c.
Ave mater, cujus partum
Cœlestis Pater unicum
In sæculum dat gentibus,
In benedictionibus.
Quoniam dabit, &c.
Ave mater, cujus partum
Panem vitæ nobis factum,
Pingues tetræ ex quo vivant
Et manducant & adorant.
Manducaverunt, &c.
Ave nostra advocatrix,
Cujus partus mensa Patris
Est nobis consolatio,
Ne frangat tribulatio.
Parasti in conspectu, &c.
Ave Regina gratiæ,
Cujus partus Rex gloriæ
Rex est virtutum Dominus,
Lux de luce Christus Deus.
Quis est iste, &c.
Ave, cujus virgineo
Processit ex sacrario,
Una salus omni mundo,
Dulcis Deus, rectus homo.
Dulcis & rectus, &c.
Ave nostra advocatrix,
Et lapsorum reparatrix,
De qua Deus factus homo,
Solus stetit in directo.
Puer meus, &c.
Ave mater cujus sponsus
Et creator & filius,
Deus illuminatio,
Salus est & protectio.
Idem.
Ave mater redemptoris,
Caro cujus efloruit,
Quando passus gustum mortis
De sepulchro resurrexit.
Et refloruit, &c.
Ave mater castitatis,
De qua Deus majestatis
Scripturarum voces plait,
Et virtutes intonuit.
Vox Dei super aquas, &c.
Ave mater, cujus partus
Resurgendo nobis factus
Matutina lætitia,
Nostra spes est, & gloria.
Ad Vesperum, &c.
Ave cœlestis Domina,
Cujus partus justitia
Est nostra liberatio,
Et in Deum protectio.
Esto mihi in Deum, &c.
Ave mater singularis,
Cujus hæc est fœcunditas,
Qua beatis viris,
Omnis remittitur iniquitas.
Idem ipse.
Ave stella virginalis,
Cujus partus singularis
De Cythara nos docuit,
In cruce quando obiit.
Ipsi tunc bene psallimus
Decem chordis psalterii;
Adipsum cum referimus
Decalogum mysterii.
Confitemini Deo in cythara, &c.
Ave mater, cujus partus
Cibus vitæ nobis factus,
Gustare dedit mentibus
Quàm suavis est Dominus.
Benedicam Dominum, &c.
Ave mater, cujus partus
Salus nobis est effectus;
Effusa datur framea,
Quæ scidit nostra vulnera.
Effunde frameam, &c.
Ave mater, cujus partus
Torrens summæ voluptatis
Verbum Patris homo factus,
Fons vitæ est splendor lucis.
Inebriasti me, &c.
Ave cœlestis janua,
Qua processit Emmanuel,
Cujus lumen justitia,
Judicium meridies.
Et eduxit quasi, &c.
Ave mater, quæ gaudium
Peperisti fidelium,
Ante quem desiderium,
Manet se diligentium.
Per ipsam notter genitus
Patri non est absconditus,
Dum se facit advocatum,
Pium præbens exauditum.
Domine ante te, &c.
Ave mater, de qua nostra
Processit expectatio.
In qua nostra substantia
Patris consedit solio.
Et nunc quæ est, &c.
Ave mater, cujus partus
Se pro nobis holocaustum
Fecit Deus caro factus,
Solus nostrum remedium.
Holocaustum imperpetuum, &c.
Ave mater, cujus partus
Nostras sanavit animas,
Solus potens advocatus,
Agens causas, solvens culpas.
Ego dixi Domine, &c.
Ave mater castitatis,
Cujus laudes sonus fiunt epulantis,
Scripturarum cibi dulces,
In voce confessionis.
In voce exultationis, &c.
Ave mater pietatis,
Cujus partus est altare Dei Patris.
Lætificans introitus
Juventutis nostræ mentis.
Et introibo, &c.
Ave, quæ Patris brachium
Peperisti Jesum Christum,
Cujus illuminatio,
Vultus Dei fit visio.
Sed dextera tua, &c.
Ave, cujus visceribus
Deus Pater ingenitus
Eructavit verbum bonum,
Scilicet unigenitum.
Idem.
Ave, cujus altissimus
Sacravit tabernaculum,
Paternæ lucis radius
Factus nobis remedium.
Fluminis, &c.
Ave mater, cujus partus
Nostra salus est effectus,
Unde clamat nobis Psalmus,
Plaudite gentes manibus.
Idem.
Ave cœlestis mansio.
De cujus templi medio
Suscepimus incarnatam.
Dei misericordiam.
Suscepimus, &c.
Ave cœli introitus,
Divina habitatio,
Cujus est nobis filius
Et frater, & redemptio.
Frater non redemit, &c.
Ave Sion glorioſa,
De qua nobis manifesta
Fit carne Verbi facies,
Decoris Dei specie.
A Solis ortu, &c.
Ave cœlestis janua,
Qua Dei Patris unica
Processit nobis reddita
Salutaris lætitia.
Redde mihi, &c.

PARS II. PSALTERII
B. Mariæ Virginis.

AVe mater, cujus partus,
Ut oliva fructifera,
Patibulum crucis passus,
Totus fluxit in gratia.
Ego autem, &c.
Ave mater cujus partus

Sine

Sine culpa fuit unus,
Qui nec traxit origine
Culpam natus ex Virgine.
Ave mater, cujus partos
Cœleſtis Patris unicus
Nobis voluntarium
Eſt factus ſacrificium.
Voluntarie, &c.
Ave, ex qua Chriſtus ortus
Veſpere Paſcha docuit,
Ad Pilatum manè ductus
Veritatem nuntiavit.
Meridie crucifixus,
A Patre eſt exauditus;
Et moriens mortem vicit,
Qui de morte reſurrexit.
Veſpere & mane, &c.
Ave Regina virginum,
Lætitia fidelium,
Quæ peperiſti gaudium
In lumine viventium.
Quoniam eripuiſti, &c.
Ave, cujus eſt filius
Super cœlos exaltatus,
Et ipſius gloria
In omnia terreſtria.
Exaltare ſuper cœlos,
Ave, de qua natus
Utique eſt juſtis fructus,
Judicans eos in terra,
Ut exaltet ad æterna.
Et dicet homo, &c.
Ave, cujus in arcanis
Incarnatum Verbum Patris,
Et cucurrit ſine culpa,
Et direxit in gloria.
Neque iniquitas, &c.
Ave, de qua Patris Verbum
Cauſa noſtri caro factum,
In Idumæam gentium
Extendit calceamentum.
In Idumæam, &c.
Ave mater, cujus ſolus
Deus & homo filius
A finibus terræ clamat,
Dum nos ſibi membra ſonat.
A finibus terræ, &c.
Ave mater, cujus partum
Semel eſt Deus locutus,
Dum Verbum Patris unicum
Tuus eſt verè filius.
Semel locutus eſt, &c.
Ave ſtella cœleſtium,
Pariens lucem gentium
Partum cujus adoramus,
Dum de luce vigilamus.
Idem.
Ave juſtorum gaudium,
In cujus ſperant filium,
Et laudantur recti corde,
Ut lætentur in requie.
Lætabitur juſtus,
Ave Sion illa pacis,
In qua decet hymnus Deum,
Aulam tuæ caſtitatis
Qui ſibi fecit thalamum.
Idem.
Ave, de cujus filio
Jubilamus Deo Patri,
Pſalmos damus & laudamus,
Et in Pſalmis jubilamus.
Idem.
Ave terra, quæ dediſti
Fructum Deo confitendi,
Cujus eſt benedictio
Vera ſui cognitio.
Ut cognoſcamus, &c.
Ave templum Hieruſalem,
Habens cœleſtem ſpeciem,
A cujus ſanctuario
Proceſſit Patis viſio.
Confirma hoc Deus, &c.
Ave, per quam ſalva
Fit confitens Sion noſtra
Et quibus datur gratia,
Inhabitabunt in ea.
Quoniam Deus ſalvam, &c.
Ave, per cujus filium
Deus in adjutorium
Pater feſtinans gentium,
Intendit ad adjuvandum.
Idem.
Ave ſecretum Virginis,
Quo proceſſit lux luminis,
Et adjecit ſuper omnem
Jeſus Chriſtus laudem.
Pater enim poteſtatis
Cunctas creans innotuit;
Pater verò dulcedinis
In Chriſto nobis claruit.
Ego autem ſemper ſperabo, &c.
Ave vellus puritatis,
In quo Deus majeſtatis
Inundans tanquam pluvia
Diſtillavit in gratia.
Deſcendet ſicut, &c.
Ave, cujus eſt filius
Rectis corde bonus Deus,
Qui in eum convertitur,
Plenos dies conſequitur.
Ideo convertetur, &c.
Ave terra virginea,
In cujus Deus medio
Salutis eſt myſteria
Operatus in Filio.
Deus autem Rex noſter, &c.
Ave potens virtutibus,
Cujus in cruce Filius
Exultans juſti cornua
Peccati fregit vincula.
Et omnia cornua, &c.
Ave, cujus eſt Filius
Notus in Judæa Deus,
In Iſraël nomen ejus
Magnum rectè credentibus.
Idem.
Ave mater, ex qua notam
Fecit Pater manum ſuam,
Et populos in brachio
Redemit unigenito.
Notam feciſti, &c.
Ave mater, de qua nobis
Angelorum natus panis
Nos revocat & reficit,
Et in ſeipſo perficit.
Panem Angelorum, &c.
Ave Regina gaudii,
Cujus cœleſtis filii
Chriſtianus eſt populus,
Et oves paſcuæ ejus.
Nos autem populus, &c.
Ave, de qua Deus ſummus
In ſinu Patris unicus.
Qui ſedet ſuper Cherubim
Apparet coram Effraim.
Qui ſedet, &c.
Ave, ex qua Chriſtus
Non eſt nobis recens Deus,
Qui Deo Patri Filius
Eſt æterno coæternus.
Audi populus, &c.
Ave cujus eſt filius
Deus Deorum Dominus,
Solus Deus dijudicans,
Et in ſe beatificans. *Idem.*
Ave ſtella paradiſi,
Mater illius filii
Qui ſolus eſt altiſſimus,
Et nomen ei Dominus.
Et cognoſcant, &c.
Ave ſtella virginalis,
Cujus partus lator legis
Eſt in ſinu Dei Patris,
Dator benedictionis.
Etenim benedictionem, &c.
Ave terra benedicta,
Sanctificans myſteria,
Cujus ſacra fœcunditas
Dei Patris eſt veritas.
Veritas, &c.
Ave mater, cujus partum
Omnes gentes verum Deum
Adorant & glorificant,
Confitentur, magnificant.
Incline, &c.
Ave cœleſtis civitas,
Cujus Deus fœcunditas.
Ave Sion, in qua natus
Eſt fundator ipſe tuus.
Numquid Sion, &c.
Ave mater veri Dei,
Qui pro nobis eſt mortuus,
Portas confregit inferi,
In mortuis liber ſolus.
Æſtimatus ſum, &c.
Ave cœleſte lilium,
Per florem cujus unicum
Fidelibus eſt æternum
Teſtamentum diſpoſitum.
Diſpoſui, &c.
Ave, cujus eſt filius
Refugium nobis factus,
Per carnis contubernium,
Quod eſt vitæ remedium.
Idem.
Ave ſplendor ſingularis,
Cujus virtus virginalis
Fecit nobis altiſſimum
Deum Patrem refugium.
Dixit Domino, &c.
Ave bonum virginale,
Quod Domino confitemur,
Cùm Virgine peperiſſe
Deum verum profitemur.
Idem.
Ave decor virginalis,
Quem Verbum Patris induit;
Cùm de fonte caſtitatis
Noſtra carne ſe præcinxit.
Idem.
Ave mater, cujus partus
Ultionum Rex Dominus,
Libertatem plenè egit,
Cùm de morte reſurrexit. *Idem.*
Ave mater puerpera,
Cujus regali filio

Jubilamus in gratias
Deo salutari nostro.
Idem.
Ave, de cujus filio
Cantamus novum canticum,
Cujus carnis commercio
Salus est facta gentium.
Idem.
Ave mater gloriosa,
Lux solaris, clara stella,
De qua justus lux est orta,
Rectis corde lætitia.
Lux orta est, &c.
Ave mater, qua processit
Qui fecit mirabilia,
Cujus sibi non salvavit
Sua virtute dextera.
Salvavit, &c.
Ave Regis sacrarium,
Cujus honor judicium,
Pedum cujus est scabellum
Sumptæ carnis indumentum.
Exaltare &c.
Ave cujus fœcunditas
Est divina suavitas,
Cujus misericordia
Est in æterna sæcula.
Laudate nomen ejus, &c.
Ave ma[illegible] gratiarum,
Quæ peperisti Dominum:
Ipsi misericordiam
Cantamus & judicium.
Idem.

PARS III.

AVe, per quam Sion nostra
Videbitur in gloria;
Cujus partus sunt opera
Omnis simul creatura.
Quoniam ædificavit Dominus, &c.
Ave, cujus sacratus
Ille processit filius,
Cujus est admirabilis
Omni loco dominatus.
Benedicite Domino omnia opera ejus in om. &c.
Ave, de cujus intimis
Decorem Deus induit,
Et nostræ veste fidei
Ut lumine se vestivit.
Confessionem, &c.
Ave stella Paradisi,
Cujus lumen adoramus,
In laudes tui filii
Alleluya dum cantamus.
Titulus Psalmi, Alleluya.
Ave stella cœlestium,
Alleluya fidelium,
Per quam Dei inter gentes
Nuntiantur omnes laudes.
Item Alleluya in titulo.
Ave mater, cui redempti
De manibus inimici,
Induti stola gemina
Duplex dicunt Alleluya.
Duplex Alleluya in tit.
Ave mater, ex qua Deus
Deducitur incarnatus
In munitam civitatem,
Ecclesiæ firmans fidem.
Quia deducet, &c.
Ave de cujus filio
Laudes Pater non tacuit,
Ipsumque de sepulchro
A mortuis suscitavit.
Idem.
Ave David tu filia,
Ex qua nostra substantia
Sedet in Patris dextra,
Jesus Christus in gloria.
Idem.
Ave Regina Virginum,
Quæ peperisti filium,
Qui factus est redemptio
A Patre missa populo.
Redemptionem, &c.
Ave mater veræ lucis,
Ex qua natus in tenebris
Lumen rectis corde Deus
Misericors est, & justus.
Exortum est, &c.
Ave mater cujus partus
Super gentes est excelsus,
Respiciens humilia
Et in cœlo & in terra.
Quis sicut Dominus, &c.
Ave mater, cujus partum
Non laudabunt in infernum;
Sed nos ipsi, qui vivimus,
Domino benedicimus.
Non mortui, &c.
Ave mater, cujus partus
Deo Patri sit acceptus
In vivorum regione,
Qua vivunt ejus morte.
Placebo, &c.
Ave mater, cujus partus
Salutari nos calice
Comparavit crucifixus,
Aqua simul & sanguine.
Calicem, &c.
Ave, per quam confirmata
Dei misericordia
Veritatem prophetiæ
Aperuit & gratiæ.
Quoniam confirmata, &c.
Ave mater, ex qua Deus
Illuxit Dei Filius,
Conceptus sancto Spiritu,
Et resurgens ex obitu.
Benedictus qui venit, &c.
Ave mater per quam via
Immaculata patuit,
Qui à Deo flore
Virginitas efloruit.
Idem.
Ave mater hujus partus,
Ad quem fide proclamamus,
Ut sit pius exauditor,
Ne valeat tribulator.
Idem.
Ave mater, qua processit
Jesus Christus Emmanuel,
Qui non dormit, sed custodit
Verus protector Israël.
Ecce non dormit, &c.
Ave mater hujus Regis,
Cujus sedes judicantis
Sedebunt in judicio,
Ad confitendum Domino.
Quia illic, &c.
Ave mater, cujus partus
Deus in cœlis habitat,
In sanctorum dum mentibus
Dulcedine sua regnat.
Idem.
Ave, cujus in filium
Proclamat fides Martyrum;
Nisi Deus adjuvisset,
Persecutor deglutisset.
Cùm exurgerent, &c.
Ave, cujus in filio
Qui confidunt ex animo,
Ut mons Sion fiunt Deo,
In quo pacis est visio.
Idem.
Ave, cujus in filio
Facti sumus consolati,
Et replentur ex gaudio
Captivitate exuti.
Idem.
Ave cœlestis Domina,
Cujus fructus merces sumus,
Ejus morte pretiosa
Quia vitam recepimus.
Cùm dederit, &c.
Ave mater singularis,
Cujus partus Emmanuel,
Commercio suæ carnis
Effectus est pax Israël.
Ut videas, &c.
Ave mater summi Regis,
Cujus est benedictio
Vitæ semper æternalis
Sempiterna possessio.
Et non dixerunt, &c.
Ave, cujus in filio
Hæc est misericordia,
Ut fiat suo populo
Redemptio copiosa.
Quia apud Dominum, &c.
Ave, cujus in filium
Verus jam sperat Israël,
Qui non elatus moribus
De se * sensit humiliter.
Speret Israël, &c.
Ave mater, Virgo pura,
Cujus partus homo Deus
Sedet in Patris dextera,
Deus David & filius.
Idem.
Ave, cujus in filii
Habitamus sic ovili,
Sicut illa germanitas,
Quam regit una charitas,
Idem.
Ave, cujus in filii
Inhabitamus atriis,
In ipsius quando fide
Dilatamur charitate.
Qui fluvius, &c.
Ave mater, in qua Deus
Est ex Sion benedictus,
Qui habitat Hierusalem,
Pacis habens visionem.
Benedictus Deus ex Sion, &c.
Ave, cujus in filio
Confitemur Patri Deo;
Quoniam fit in sæcula
Ejus misericordia.
Idem.
Ave, terra benedicta,
In qua cantatur canticum,
Quod in terra aliena
Cantari non est licitum.

* al. de se non

Quomodo cantabimus, &c.
Ave, cujus filium
Dei Patris verum templum,
Prout decet, adoramus,
Dum credentes confitemur.
In conſpectu, &c.
Ave, cujus partus
In tumulo ſoporatus
Sicut diem noctem fecit,
Cùm de nocte reſurrexit.
Quia tenebræ, &c.
Ave, cujus eſt filii
Pater virtus ſalutaris,
Agentis in die belli
Vim noſtræ redemptionis.
Domine, Domine virtus ſalutis meæ.
Ave mater, cujus partus
Viam fecit ſingularis,
Donec peregit tranſitus,
Quibus vitam dedit nobis.
Cadent in retiaculo, &c.
Ave mater, cujus partum
Expectabant omnes juſti;
Donec Pater genus noſtrum
Retribuit ejus morti.
Educ de cuſtodia, &c.
Ave mater hujus partus,
Cujus nos ducit ſpiritus
In terram rectitudinis,
Terram reſurrectionis.
Spiritus tuus bonus, &c.
Ave mater, cujus partus,
Dum virtutes fulguravit,
Infideles principatus
Sua morte diſſipavit.
Fulgura, &c.
Ave mater, cujus partus
Laudabilis eſt Dominus,
Et magnitudinis ejus
Non eſt finis nec terminus.
Magnus Dominus, &c.
Ave mater, cujus partus
Verè ſolvit compeditos;
Quia ſola fides ejus
Illuminat mente cæcos.
Dominus ſolvit, &c.
Ave mater, cujus partus
Ædificat Hieruſalem;
Dum clementer nos ad ejus
Coadunat viſionem.
Ædificans, &c.
Ave mater, cujus partum
Laudat illa Hieruſalem,
Et ſuſpirat in æternum
Cujus fines dedit pacem.
Qui poſuit fines, &c.
Ave mater, cujus partum
Ex debita juſtitia
Laudant cives Angelorum,
Laudat omnis creatura.
Laudate eum omnes Angeli, &c.
Ave, de cujus filio
Sion exultant filiæ;
Dum de ejus conſortio
Sanctorum gaudent animæ.
Exultabunt Sancti, &c.
Ave mater, cujus partum
In tympanis meritorum
Sancti laudant ex gratia,
Mortificantes vitia.
Laudate Dominum in tympano, &c.

CONCLUSIO SALUTATIONUM.

Ave gemma ſingularis,
Habens ſcripta myſteria
In æterni Pontificis
Rationali poſita.
Ave lamina aurea,
In te ipſa circumſcripta,
Nomen propitiabile,
Quod eſt indicibile.
Ave ſola virginitas,
Cujus Deus fœcunditas,
Noſtrum ſuperhumerale
Divina fit ex virtute.

Poſtea dicenda eſt Antiphona

AVE REGINA COELORUM, &c.

Poſt quam eſt hæc altera.

GAude Dei genitrix Virgo immaculata;
Gaude, quæ gaudium ab Angelo ſuſcepiſti,
Gaude, quæ genuiſti æterni luminis charitatem,
Gaude, mater pietatis & miſericordiæ;
Gaude, ſancta Dei genitrix virgo;
Tu ſola mater innupta;
Te laudat omnis factura
Genitricem lucis;
Sis pro nobis; quæſumus, pia interventrix.

Oratio: Deus qui de beata, &c.

HYMNUS I. IN LAUDEM S. DEIPARÆ.

OMoria, nomen bonum,
Nomen memorabile:
O nomen quod melius eſt,
Quàm multæ divitiæ!
Balſamum aromatizans,
Thus miræ fragrantiæ,
Flos æternus, raſa ſenis,
Lignum ſemper viride.
Stella Solis claritatem
Suo vincens jubare;
Semper mater, quia nunquam
Eris ſine ſobole.
Speciosa, & ſuavis
Canticum lætitiæ,
Prædicanda, & laudanda
Privatim & publicè.
Non hîc tantùm, ſed in tota
Mundi latitudine,
Et in cœlis, Angelorum
Dulci modulamine.
Quam amare nolle nullus
Poteit ſine crimine;
Cui placare, fide ſtare,
Et Deo eſt vivere.
Dum nos tibi commendamus,
Vota noſtra ſuſcipe:
Dum te proni ſalutamus
Quamvis hoc rariſſimè.
Ave tibi coram tua
Dicentem imagine,
Incorrupta & fœcunda,
Noli me deſpicere.
Cœlum cœli, domus Dei,
Vas miſericordiæ,
Pronum verò tibi conſtat,
Et omnino facile.
Ad quoſcumque vetis uſus
Angelos tranſmittere;
Quod exempla multa probant,
Quæ longum eſt ponere.
Ideoque ſanctum nobis
Gabriélem dirige,
Qui te matrem Dei ſui
Salutavit congruè.
Atque ſancto gravidandam
Præconali flamine,
Abſque generatione
Naturalis copulæ.
Ipſum ergo ad te nobis
Cauſidicum tribue,
Uti tibi preces noſtras
Dignetur ſuggerere.
Cæleſtique corda noſtra
Curet medicamine,
Quoniam ſunt vanitati
Subdita ſuperflue.
Sed tu mater glorioſa
Miſeris compatere,
Tendens autem, ſi quis petit
Sua vincula ſolvere.
Nec dedignans miſerorum
Ærumnas attendere:
Sed parata invocanti
Cuilibet ſuccurrere.
O patrona peccatorum,
Huc ad nos convertere:
Illuſtrato terras noſtras,
Vultus tui ſydere.
Et ex illa ſede tua
Domum iſtam reſpice,
Et commenda Salvatori
Locum hunc aſſiduè.
Ac benignè noſtri memor
Nos à malis eripe:
Beneficiiſque tuis
Inceſſanter refove.
Qui nos tibi commendamus
Satis neceſſariè,
Implorantes opem tuam.
Super nos deſcendere:
Pro peccatis quippe noſtris
Tribulamur undique,
Et prævaluerunt in nos
Hoſtium inſidiæ.
Qui nos dente genuino
Non ceſſant corrodere:
Heu miſeri! cur ſum natus
Tanta mala cernere.
Mater pia, ſtella maris,
In hoc conſolare me,
Et amico Dei magno
Nicolao condole.
Et ancillæ Dei piæ
Cunegundi condole,
Cujus penè jam defecit
Honor Reipublicæ,
Eſto ejus interventu
Cuſtos hujus vineæ,
Et circundans eam muro
Rapientes ab igne,
Palmites, quos produxi,
Benedic & protege:
Ipſa quippe te dilexit
Affectuoſiſſimè,
Semper ardens eſſe tuæ
Commoda Eccleſiæ.
Ergo & tu ſervos ejus
Conſequenter dilige.
Conſolare deſtitutos,
Lapſis manum porrige,

Digitized by Google

Et educ de luto fecis,
Et lacu miseriæ
Nec nos mortis sempiternæ
Comprehendant tenebræ:
Sed illustret mentes nostras
Lux cœlestis gratiæ,
Dono cujus sordes tantas
Possumus evadere:
Quibus membra suus mundus
Polluit nefariè.
Tu es enim mater Christi,
Suavis memoriæ,
Ob quam nobis sunt apertæ
Paradisi januæ.
Quæ tam potens es in omni
Bonitatis opere,
Ut omnino sit beatum,
Qualis sis agnoscere.
Benedictum nomen ejus,
Sanctum & terribile,
Qui per orbem tuum nomen
Fecit esse celebre,
Per quam posset reis suis
Pe cata remittere.
Semper quæso, pia Virgo
Mei reminiscere,
Semperque veritatis
Dona mihi obtine,
Ut me suo tueatur
Sacro moderamine.
Sitque meæ prece tua
Consolator animæ,
Et infundat peccatrici
Oleum in lampade,
Quo parata possit sponso
Cœlesti occurrere.
Ave Virgo singularis,
Sumens hoc benigniter,
Ave templum gratiarum
Omnium capabile:
Ave cujus peccatores
Pascunt eleemosynæ.
Gaude fœlix, & ex ipsis
Unam mihi tribue,
Ut sublata per hanc omni
Hostium formidine,
Sine fine possim Deo
Gratias rependere.
Benedicant te per æyum
Virtutes angelicæ.
Et ad laudem creatoris
Te in omni tempore,
Omnes sancti benedicant
Et tu me, & ego te.

HYMNUS SECUNDUS
in diversis Beatæ Dei Genitricis cantandus solemnis.

AVe sponsa insponsata,
Per quam orbis prorsus lapsi
Facta est ereptio,
Ave per quam primæ matris
Est Evæ redemptio,
Sancta Maria ora pro nobis.

Ave sponsa, &c.

Altitudo cogitandi
Tu inaccessibilis,
Invisibile profundum
Angelorum oculis.
Χαῖρε μεγεθυμία
Θεοῦσα πάρθενε,
Sancta Dei genitrix ora pro nobis.

Ave sponsa, &c.

Omnia portantem portans,
Solium imperii;
Tu stella demonstrans solem,
Sol diei mystici;
Occidentis astrum mundi,
Luminis conspicui,
Sancta Virgo virginum ora pro nobis.

Ave sponsa, &c.

Incarnationis divæ
Uterus tu factus es.
Per quam renovatur omnis
Creaturæ species,
Cum qua adoratur factor
Et origo omnium.
Angelorum Domina ora pro nobis.

Ave sponsa, &c.

Tu extans initiatrix
Arcani consilii,
Mirandorum veræ Christi
Operum primitiæ,
Dogmatum illius extans
Tu fons & initium,
Cœlorum Regina ora pro nobis.

Ave sponsa, &c.

Scala tu cœlestis, per quam
Descendit ipse Deus,
Sponsa traducens terrena
Super cœlestia.
Tu mater innupta omni
Honore superior,
Virgo perpetua ora pro nobis.

Ave sponsa, &c.

Dæmonum fortè lamentum,
Mœror & tristitia;
Angelorum, sed bonorum
Laus, decus, & gloria.
Electorum tu cunctorum
Satians lætitia.
Templum Domini ora pro nobis.

Ave sponsa, &c.

Generans perennem lucem
Et inaccessibilem;
Sophorum super ascendens
Omnium scientiam;
Animarum tu sanctarum
Splendor & prudentia.
Sacrarium Spiritus sancti ora pro nobis.

Ave sponsa, &c.

Civicam vitæ coronam
Fructu ventris germinans:
Possidens divinitatem,
Et in ea pullulans;
Nutricrans humanitatem,
Et eam agricolans,
Tu sola sine exemplo ora pro nobis.

Virginitas illa, cui sunt sua salva sigilla,
Et fœcunda tamen, det nobis dulce juvamen.

FINIS.

Digitized by Google

TERTIA PARS OPERUM

S. ANSELMI

CANTUARIENSIS

ARCHIEPISCOPI,

CONTINENS EJUS EPISTOLAS.

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTI ANSELMI
CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI
EPISTOLARUM
LIBRI QUATUOR.

PROLOGUS.

SANCTUS ANSELMUS egiſſe ſe Monachum per annos triginta tres cùm Baldrico Priori Beccenſi ipſe jam Cantuarienſis Archiepiſcopus ſcriberet, ipſemet teſtatur in Epiſtola 7. Libri 3. Tribus videlicet annis abſque prælatione; quindecim in Prioratu, toridem in Abbatia, è qua ad Cantuarienſes inſulas abductus eſt. Eo itaque ordine ipſius epiſtolas quatuor his libris ſeorſim diſpoſitas habes. Primo libro continentur, quas ſcripſit nondum Abbas; ſecundo, quas dedit Abbas; tertio & quarto quas miſit Archiepiſcopus. Quartum hunc, quem adjecimus librum, implent Epiſtolæ quæ hactenus ineditæ fuerunt, & quas ex diverſis Mss. deprompſimus.

SANCTI ANSELMI
EPISTOLARUM
LIBER PRIMUS
Eas continens quas ſcripſit nondum Abbas.

EPISTOLA PRIMA.

Suo Domino & ſuo Patri, multùm cum amore Catholicis Reverendo, & cum reverentia amando Archiepiſcopo Lanfranco, frater Anſelmus ſuus totus.

De ipſius in Archiepiſcopum electione gratulatur. Et ei Scyphum amicè donatum amicè remittit.

GLORIA in excelſis Deo, qui fidei & ſapientiæ veſtræ lucernam in eminenti conſtituit candelabro, ut luceat omnibus, qui in domo ejus ſunt. Oramus itaque omnipotentem Deum, ut illa ſic ardeat, ut non conſumatur; ſic luceat aliis, ut ſibi nunquam extinguatur; ut poſt ſuæ lucis diuturnam
al. Anglia * Anglis impartitionem, transferatur ad divinæ lucis æternam cum * Angelis participationem. Sicut enim bona noſtra, ſi qua ſunt, eſſe veſtra optamus; ita veſtra, quæcunque ſunt, eſſe non noſtra nequaquam putamus. Quamvis namque tot rerum inopinatæ mutationes ſæpe vos mihi conentur ſubtrahere, nullatenus tamen poterunt ut non dicam cohærentes animas noſtras ab invicem diſtrahere, certè adhærentem animam meam à vobis abſtrahere. Quapropter, ut taceam quod vos ſcitis, & ego non dubito, quia quem interiorem ſi non geritis, minimè poteſtis fugere: utique enim, qui vos quocunque eatis proſequitur, & ubicunque maneat amplectitur, non penitus valetis deſerere. Scyphum charum, quem chariori chariſſimi dediſtis, ſicut Dominus Hernoſtus mihi retulit, velle vos hilari benignitate & amicâ confidentiâ dixiſtis. Donum igitur veſtrum nequaquam vobis reddo, ne quo modo minùs vobis reddar obnoxius; ſed libentiſſimè vobis dono, quod id mundo carius poſſideo. Legant dilectiſſimi fratres noſtri, qui vobiſcum ſunt, poſt litteras veſtræ Sublimitati directas, hanc breviſſimam & ſufficientem ſibi miſſam noſtram epiſtolam: deſiderium veſtri mihi ſemper creſcit; & amor, cujus olim mihi conſcii fuiſtis, nunquam decreſcit.

Digitized by Google

EPISTOLA II.

Dominis, amicis, Fratribus chariſſimis, * Odoni & Lanzoni, Frater Anſelmus Beccenſis, vita peccator, habitu monachus; pro æternis temporalia deſpicere, pro temporalibus æterna percipere.

Sanctitis vita normam à Lanzone rogatus præſcribit.

QUoniam verus amor, ſicut laudibiliter impenditur, ſic irreprehenſibiliter amando exigitur; puto me impudentem non eſſe, ſi meum erga vos aliquatenus vobis oſtendo amorem; ut veſtrum mihi poſſim aut acquirere, aut acquiſitum reddere perfectiorem. Sed quoniam propter nimis disjunctam converſationem nullis aut obſequiis, aut ſaltem colloquiis ipſum de bonis cor meum poteſtis percipere; vel epiſtolaris ſalutatio ſit vobis ſignum, dilectionis veſtræ memoriam in me vigere. Cùm enim primùm veſtra reverenda Fraternitas parvitati meæ ſe notam fecit per ſuam præſentiam; ſic eam ſibi anima mea charitatis amplexu altè impreſſit aſtringendo, ut ejus imaginem in ſe perſpicuam exprimeret diligendo, per quam vos ſemper præſentes tenet etiam abſiſtendo: unde licet rarus ſit aſpectus, non tamen rarus, ſed continuus eſt affectus. Hactenus duobus ſpontanea charitatis eſt digeſta ſalutatio; deinceps uni perſolvetur debita exhortatio; uni quidem veſtrùm, quia ab uno eſt poſtulata, * addicitur: ſed duplici emolumento laboris gaudebo, ſi ab utroque velut ſibi dicta accipitur. Equidem memini, Domine mi, & amice & Lanzo, ſanctum tuum bene vivendi fervorem, multis meum precibus poſtulaſſe teporem; quatenus ſuis eum commonitoriis litteris ad ſpiritualem accenderet amorem. Quod quoniam inconveniens exiſtimabam, ut frigidus calidum calefacere tentaret, utique volui recuſare, ſed rursùs conſiderans quia frigido flatu fervens ignis augetur, non omnino, quod petebas, potui *recuſare. Quapropter cùm hoc, quod à me poſcis, ubique in ſacris paginis multò meliùs poſſis invenire; & manſuetæ gravitati tuæ velim, ob ſui reverentiam, quantùm in me eſt, libenter obedire: ſic inter utrumque incedam, ut primùm ſtudendi in ſacra Scriptura tibi curam injungam; deinde in mea perſona non ex mea, ſed ex ejuſdem Scripturæ ſententia pauca ſubjungam.

Sacra Scriptura ſtudium. Hac eadem in Epiſt. 45.

Moneo itaque & precor, chariſſime, quatenus, ſicut ſcriptum eſt; *Omni cuſtodia ſerva cor tuum*, nihil ſit, quod mentem tuam à ſui revocet cuſtodia. Sollicitè diſcutiat, quid quotidie acquirat proficiendo; ne quid, quod abſit, perdat deficiendo. Sicut enim in virtutibus * difficiliùs eſt aliquid non habitum conando aſſequi, quàm deſidiâ carere: ita graviùs eſt recuperare quod per negligentiam amittitur, quàm adipiſci quod nondum quis habuiſſe cognoſcitur. Semper igitur, dilectiſſime, præterita quaſi pro nihilo ſic deputes, ut & illa ad quæ profeciſti, * tenere non contemnas; & his aliquid addere, licet per infirmitatem nequeas, tamen per importunitatem ſemper contendas. Quoniam namque inter multos vocatos pauci ſunt electi, certi ſumus omnes Veritate dicente: ſed quàm pauci ſint, incerti ſumus cuncti, Veritate tacente. Quapropter quicunque nondum vivit ut pauci, aut vitam ſuam corrigendo inter paucos ſe colligat, aut cum certitudine reprobationem timeat. Qui verò ſe de paucis eſſe jam judicat, non ſtatim de ſecuritate electionis confidat. * Quippe quoniam nemo noſtrùm ſcit in quantam paucitatem redigantur electi; nullus utique novit ſi jam ſit inter paucos electos, licet jam paucorum ſit ſimilis inter multos vocatos. Nullus igitur retrò reſpiciendo penſet quàm multos in via cœleſtis patriæ præcedat: ſed indeclinabiliter in anteriora * intentus ſollicitè conſideret ſi jam pariter cum iis, de quorum electione nemo fidelis dubitat, incedat. Vide igitur, dilectiſſime, ne qualibet occaſione timor Dei, quem concepiſti, tepeſcat; ſed ſemper quaſi indeficienti ſtudio ventilatus * in dies ferveſcat, donec tibi in ſecuritatem mutatus æternam luceſcat.

Sollicita de profectu diſcuſſio.

Prov. 4. v. 23. Corde cuſtodio.

Valde namque cavendum eſt, Frater amantiſſime, illud quod multi, & non tam numero multi, quàm ſenſu ſtulti, faciunt; qui quantò diutiùs vivunt, tantò majorem ſibi ſpem vivendi nutriunt; & timorem feſtinantis mortis abjicientes, à propoſito ſanctæ vitæ deficiunt. Verum namque eſt quia quantò diutiùs vixit aliquis, tantò breviùs victurus eſt: & quantò ſit longiùs à die nativitatis ſuæ, tantò ſit proprior diei mortis ſuæ, * & retributioni totius vitæ ſuæ. Sicut igitur vides per ſingulos dies in præteritum vitam tuam creſcere, ita certus eſto ſpatium bene vivendi quotidie tibi decreſcere. Eſto itaque, amice mi, ſollicitus, ut ſpatium vitæ, quod tibi reſtat, quia neſcis quàm breve * eſt, ſic expendas, ut de die in diem ſanctum * mentis propoſitum ad meliora extendas, quatenus ſi quid te gravat bene vivere; quantò magis laborem tuum ad finem feſtinare, & te ad requiem & coronam appropinquare * conſideras; tantò fortiùs inſtando, & lætiùs perſeverando, viriliter confortatus proficias. Ab inceptis ergo nulla laſſitudine deficias; ſed potiùs quæ tibi expediunt, & quæ nondum es aggreſſus, in ſpe ſuperni auxilii pro amore felicis præmii incipias, ut ad Sanctorum * beatum conſortium, Chriſto ducente, pervenias.

Eadem in Epiſt. 17.

al. retributionis

al. ſit

al. deſideras

al. omnium

Excedit jam modum noſtra epiſtola: ſed ut illis pariter definat, quibus communiter incepit, attendite, duo amici mei; audite, ambo dilecti mei; tenete, rogo, finem fatuæ meæ allocutionis in memoriam mutuæ noſtræ dilectionis: fatuam dico locutionem, quod meum eſt; ſed non ſententiam, quod Dei eſt. Audite ergo, & ne propter id, quod * meum eſt, id quod] Dei eſt contemnatis. Si quando mundus in aliquo ſui generis favore vobis ridet, nolite illi arridere: utique non ad hoc ridet, ut in fine rideatis; ſed ut ſub Principe ſuo irridente, cum ipſo lugente lugeatis. Potius ergo, quoties vobis riſerit, riſum ejus horrete: horrendo ridentem irridere, ut poſt irriſorem ejus irrideatis, & ipſo lugente rideatis. Amici mei, nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo ſunt: veraciter enim ſcriptum eſt, quia *mundus tranſit, & concupiſcentia ejus*: & quia *amicus hujus ſæculi, inimicus Dei conſtituitur*. Non habet * fœnum in cornu: aurum habet in cornu, ſed poſteriora videte; * fœnum habet in cauda; caudâ ferit ille, cavete. Cavete, * inquam, & valete.

al. omnia.

1. Joan. 2. v. 15.

Ibid. v. 17.

Jacob. 4. v. 4.

al. venenum

al. inquit

EPISTOLA III.

Domino dilectiſſimo, reverendo monacho Roberto, Frater Anſelmus Beccenſis, inter ſanctè converſantes tantùm minimus, ſic in temporalibus velle æternitatem, ut in æternis nolit temporalitatem.

Ejus preces, & Anaſtaſii commonachi amicitiam requirit.

CUm conſidero, ſtrenue miles Dei, & mihi chariſſime *, cum conſidero] tuæ provectus ſtrenuitatis & meæ ſterilitatem inertiæ; vix ſuggerere Sanctitati tuæ præſumo mutuæ noſtræ mentionem amicitiæ. Quia enim in cunctis tepidæ vitæ meæ actionibus nihil eſt, quòd beneficiis tuæ dilectionis poſſit compenſari, erubeſco

al. amic.

Digitized by Google

erubesco vel à te debitum amici exigere, vel saltem amicum tuum nominari. Sed rursus, cùm in reditum patriæ supernæ alios facilè currere, me verò peccatis & * tepore gravitum in eadem via vix movere intueor; magnâ necessitate cogente, ad præcurrentes me ex intimo corde clamare compellor; non ut velocitas eorum prætolata lentum, reddatur tardior; sed tu tarditas mea a currentibus rapta, fiat velocior. Quapropter cùm orationes meæ tales sint, ut vel nihil, vel parùm prosint mihi, quas tuas esse proposui offerre non præsumo tibi: sed precor, ut fervore tuarum accendantur; quatenus efficaciter mihi * prosint & tibi. Sic enim coram Deo volet cor meum, & sic ad Deum oratio mea: * ut quicquid prodesse debet mihi, non minùs prosit tibi, quam mihi. Age ergo, vir venerabiliter amabilis, & amabiliter venerabilior; certus esto, dum vivo, de hac nostra voluntate, & sollicitus esto, de proficienda in me, quæ tua erit, charitate. Si enim oraveris pro proximo, scio verum esse quod tibi retribuetur; & si impetraveris, scito tuum esse quicquid mihi tribuetur. Quod ut efficacius efficias, precor, obsecro, ut illi sancto viro Anastasio, cujus desiderabili societate frueris, me commendando, quantùm absentem * potes, notum facias, ut & illum amicum tuum mecum communices, & me servum tuum cum illo participes. Quatenus ex hac die dum vivimus per te & tecum, & ego illum veneror amicum alterum Robertum; & ille possideat servum eundem Anselmum. Quia enim non tam dignus, non audeo petere, quod tamen velle præsumo: ut ego velut alter Robertus utar eodem Anastasio, & ipse me fruatur quasi altero Roberto: cujus bonus odor jam per multos hujus patriæ suaviter diffusus, quantò delectabiliùs animæ meæ * fragrat; tantò ipsa ad ejus amicitiam & notitiam ardentiùs flagrat. Quas jam, ex quo vitam ejus audivi, habeo & amplector, quantùm possum; & oro oret & ipse mecum, ut tantò nobis crescant, quantùm in Deo crescere possunt. Ambo, charissimi, valete. Obsecro, in Babylonia sentite id ipsum, ut in Hierusalem participetis in idipsum. Non hoc dico quasi timens vobis aliquando discordiam venire, sed vere cupiens a vobis nunquam concordiam abire.

EPISTOLA IV.

Domno Reverendo, Fratri charissimo, amico certissimo, Domno Gondulfo, Frater Anselmus salutem.

Etsi infrequentiùs scribat, non tamen oblivisci ejus, ad quem esset frequentiùs scribendum.

CUm tibi propono scribere, anima dilectissima animæ meæ, cùm tibi propono scribere: incertus sum unde potissimum exordiar allocutionem meam. Quicquid enim de te sentio, dulce & jucundum est cordi meo: quicquid tibi opto, id est quod optimum excogitat mens mea. Talem enim te vidi, ut quomodo tu scis te diligerem: talem te audio, ut quomodo scit Deus, te desiderem: unde fit ut quocunque tu vadas, amor meus te prosequatur; & ubicunque ego remaneam, desiderium meum te complectatur. Et cùm rogitas me tuis nunciis, hortaris me tuis litteris, pulsas me tuis donis, ut memor sim tui: *Adhæreat lingua mea faucibus meis si non memor sim tui*: si non proposui Gondulfum in præcipuis amicitiæ meæ. Non hîc dico Gondulfum laïcum meum Patrem, sed Gondulfum monachum, nostrum Fratrem. Qualiter namque obliviscar tui? Is enim qui cordi meo velut sigillum cereæ imprimitur, quomodo memoriæ meæ subtrahetur? Præterea cur, sicut audio, tanto mœrore queteris quòd nunquam litteras meas videas, & tanto amore quæris ut eas sæpe accipias, cùm meam conscientiam tecum semper habeas? Te quippe silente, ego novi quia diligis me; & me tacente, tu scis quia amo te. Tu mihi conscius es quia ego non dubito de te; & ego tibi testis sum quia tu certus es de me. Quoniam igitur nobis nostratum conscii sumus conscientiatum de invicem, hoc tantùm restat ut ea quæ erga nos sunt mandemus ad invicem, ut pariter vel gaudeamus, vel solliciti simus pro invicem. Quæ autem erga me sint, & pro quibus te velim mecum gaudere, vel esse sollicitum, melius discces per hujus schedulæ latorem, quàm per epistolæ scriptorem. Saluta Dominum Lanfrancum juvenem nepotem reverendi Domini, & Patris nostri Lanfranci Archiepiscopi, & offer eis fidelis nostri servitii voluntatem. Quoniam enim tam propinquus & dilectus est ejus quem sic amando veneror, & venerando amo, ut amem quod amat; & quia mores ejus amabiles audio: si dignatur & ei fidelitatem nostram offero, & ejus amicitiam expostulo. Saluta Dominum Osbernum qui vobiscum est, sicut dilectum Fratrem nostrũ pro Osberno defuncto dilectissimo meo, ut rogem te, & omnes amicos meos, quàm scio sermone minori, & quàm possum affectu majori, ubicunque Osbernus est, anima ejus anima mea est. Accipiam igitur in illo vivus quicquid ab amicitia poteram sperare defunctus, ut sint otiosi me defuncto. Vale, vale mi charissime, & ut secundùm importunitatem tuam retribuam tibi; precor & precor, & precor, memento mei, & ne obliviscaris animæ Osberni dilecti mei. Quòd si te nimis videor onerare, mei obliviscere, & illius memorare. Domno Henrico misi alteram epistolam; sed commutatis vestris nominibus per omnia, & quia sit sua, & sua sit tua.

Ps. 136.

EPISTOLA V.

Domino & Fratri charissimo Henrico, Frater Anselmus salutem.

Se Henricum impensiùs amare propter bonos mores & religiosam conversationem: & quòd amici absentia per obedientiam sustinenda est.

QUantò, dilectissime, conversationem tuam erga cunctos ad morum honestatem cum religione sanctitatis in dies crescere mihi fama testatur: tantò utique cor amici tui desiderio videndi quod amando audit, & * fruendi quod audiendo amat, inflammatur. Quoniam autem nos ad invicem non dissimiliter amari non ambigo: nosmet quoque ab invicem similiter desiderari non dubito. Quorum enim mentes in unam * ignis dilectionis conflat; his non immeritò molestum est, si eorum corpora locus conversationis disjungat. Sed quoniam sive vivimus, sive morimur, non nostri, sed Domini sumus; plus est attendendum nobis, quod facit de nobis Dominus, cujus sumus; quàm quod nos volumus, qui nostri non sumus. Sic ergo servemus desiderium fraternæ charitatis, ut serviamus imperio supernæ voluntatis; & sic exhibeamus obedientiam subjectionis, quam exigit omnipotens dispositio, ut retineamus affectum dilectionis, quam largitur divina distributio. Non enim melius Dei ordinationem * nostræ utilitati valebimus contemperare, quàm si in * nostra dispositione ejus voluntati voluerimus obtemperare. * Denique quoniam utrique plures præsentes, quos ab iis dilecti pariter

* al. vestræ

* al. vestra

diligimus, habemus; ipsis cum rationabili delectatione fruentes, eisdem non cum delectabili ratione fruendos aptemus: & ut quandoque cum præsentibus & absentibus amicis simul præsentes ipso Deo confrui possimus, instanter oremus. Cùm enim supernà ducente clementiâ ad patriam, ad quam anhelamus, veluti non eodem tramite perveniemus eò lætiores quò quasi ex diversis exiliis revocati conveniemus. Non sic hortor Serenitatem tuam, charissime, timendo quod ita non facias; sed cupiendo quatenus ad id quod bene facis, indeficienter proficias. Commendo tibi Domnum Herluinum dilectum & dilectorem nostrum, sicut ex ejus conversatione cognosces, qui melius tibi quæ sint erga me, & pro quibus tuam rogem Dilectionem, poterit dicere, quàm ego epistolari brevitate. Litteras, quas Domno Gondulfo misi, mutato nomine tuas, & tuas illius puta. Quicquid enim dilectio nostra aut sese intimando, aut aliquid rogando scribit aut tibi, aut illi, hoc ipsum dicit & tibi & illi: sed quoniam pro dilectissima mihi anima Osberni defuncti Fratris nostri, nec Deum orare, nec homines rogare possum quod mihi sufficiat; iterum inculco tibi quia quicquid Domno Gondulfo pro ea scribo, tibi dico. Salutat te & Domnum Gondulfum Domnus Abbas, & tota Fratrum nostrorum congregatio; gratias magnas agentes pro vestris donis, sed multò majores pro moribus vestris & studiis bonis. Vale, & animam Osberni alteram meam, non ut ejus, sed ut meam habe.

EPISTOLA VI.

Domino merito sanctitatis reverendo, & Fratri debito charitatis diligendo Hugoni: Frater Anselmus in hac vita sanctè vivere cum prosperitate, in futura fœliciter cum æternitate.

Instruit Hugonem ut Prælati sui licet indisciplinati onus sustineat, nec ab eo discedat.

Litteris vestræ Beatitudinis breviter respondeo, quia in præsenti opportunitatem multa dictandi non habeo. Si cum eo cum quo vobis res est, onus concorditer ferre non potestis; salubriùs ambobus est, ut vos humiliter ab eo postulatâ & concessâ licentiâ ab ipsius oneris sollicitudine quiescatis; quàm sub ipso pondere discordantes invicem, vos graviter lædatis. Quod si ipse vobis non concesserit, melius est vobis onus etiam inutiliter sustinere per obedientiam, quàm projicere impatienter per inobedientiam. Et si experti estis quia consilio vestro non corrigitur, sed læditur; melius etiam ut obmutescendo & silendo à bonis cum Propheta, secundùm Apostolum, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habeatis, quàm bona inutiliter loquendo occasionem maligno præbeatis. Nam quoniam non vobis, sed illi principatus curæ commissus est; non à vobis exigitur, si neglecto vestro consilio, pastoris culpâ grex bene non regitur. Nec vobis tamen cònsulendum est, quamdiu ipse vos non cogit à bono in malum divertere, ut subjectionem stabilitatemque, quam professi estis, audeatis, nisi eo concedente, migrando contemnere; si sub eo unumquodque consilium facultatemque bene vivendi vobis videtis suppetere. Quòd si in aliquo vestris studiis est impedimento ejus prælatio, ut tamen viam salutis non obstruat; satiùs est ut occulto Dei judicio, * vestrisq; peccatis]vos indignos majori gratiâ judicâtes, in minoribus bonis humiliter sine peccato vivatis, quàm ad majora per peccatum mortis tendatis. Non enim quis sponte mortem debet incurrere, nisi cùm aliter pejorem mortem non potest evadere. Omnipotens Deus, & Dominus noster Jesus-Christus admirabilis consiliarius, & magni consilii Angelus sic doceat vos facere voluntatem suam, ut donet vobis videre gloriam suam, Domine sancte, & Frater charissime.

Ps. 18. v. 10. Ad Rom. 12. v. 18.

al. mss.

EPISTOLA VII.

Gondulfo Anselmus.

Gratias agit Gondulfo propter beneficia ab eodem in Beccenses collata.

Ideo tam amicus tam amico salutationem meam tam breviter prænotare volui, quia sic dilecto affectum meum opulentiùs intimare non potui. Quisquis enim bene novit Gondulfum & Anselmum, cùm legit, *Gondulfo Anselmus*, non ignorat quid subaudiatur, vel quantus subintelligatur affectus. Quod ut quomodo velis intelligas tibi, quod est alteri mihi, existimo relinquendum, & ad executionem epistolæ stylum convertendum. Instat Domnus Robertus, & cogit Domnum Abbatem & me, & totam congregationem nostram, ut multorum beneficiorum tuæ charitatis gratias tibi referamus: sed nos inviti hoc facimus, quia totius vitæ tuæ gratias in ore mentis assiduè tibi & libentissimè susurramus. In injuriam quippe tuam fieri videtur, si inter tot tua bona unum hoc tacitis majoribus cum gratiarum redditione velut singulare prædicetur, vel si tuæ charitatis propositum fomento laudum & inclinationum adhuc indigere judicetur. Denique sic te per supernam vivere gratiam amando optamus, optando oramus, orando speramus; ut cùm aliquid in operibus tuæ charitatis gratiis investigatur dignum, nihil in actibus tuæ voluntatis laudibus inveniatur indignũ. Quatenus vita tua non tantùm amantium te linguas laxet, quædam laudanda exhibendo, quantùm admirantium ꝛe voces lassет, se simul totam probabilem ingerendo. Et dum ora laudantium inquirunt partes in quatum prædicatione aperiantur, incurrant totum, à cujus plenitudine obstruantur: Sicque mentem tuam familiaris virtutum consuetudo, & consuetus amor quasi inebriando afficiat; ut non solùm quicquid in actionem deprompseris, internum affectum sapiat, sed vel posse quenquam eandem charitatem non sentire in se animus in te stupeat. Cui enim tale vivendi constat esse propositum, quò ampliùs in proposito succedit profectus, eò libentiùs non tantùm admirantium favorem sectatur, quantùm sectantium errorem miratur. Ut igitur tandem nostram, & ut credo, tuam sententiam super tuorum actuum acceptione propalemus; quicquid erga nos vel quemlibet alium laudabiliter agis, gratissimum habemus; sed laudes ejus in illum diem, cùm laudabuntur omnes recti corde; & cùm laus erit unicuique à Deo, servandas censemus. Reverendum & diligendum Dominum, & Patrem nostrum Archiepiscopum Lanfrancum, & nepotem ejus, & dilectos Fratres nostros, qui cum eo sunt, ex nostra parte, sicut tibi videtur, saluta. Præterea quoniam * omnes adhærentes mihi adhærent tibi cui adhæreo, quos tibi per Domnum Herluinum mandavi nostræ penitus astringi velle familiaritati; eos interiori cubiculo memoriæ tuæ ibi, ubi ego assiduus assideo, quod & ipsi mecum precantur, colloca mecum in circuitu meo; sed animam Osberni mei, rogo, chare mi, illam non nisi in sinu meo. Vale, vale, amice ideo dulcissime, quia verissime: vale, & mei certè

Digitized by

servi tui, certè amici tui, certè dilecti tui si obliviſci non potes, reminiſcere. Cùm tibi loquor, Dominum Henricum alloquor. Ambo igitur valete.

EPISTOLA VIII.

Domino & Fratri dilecto Herluino, Frater Anſelmus ſalutem.

Exhortatio ad ſæculi odium vehementer accendens.

INcœpiſti, mi chariſſime, guſtare quoniam dulcis est Dominus. Cave ergo ne ſic implearis ſapore ſæculi, qui tibi opulenter affluit, ut evacueris ſapore Dei, qui citò & furtim incautis deſſunt. Penſa, mi frater, ſæpiſſimè & ſcitò certiſſimè quia quos allicit dulcedo ſæculi, eos occupat æterna amaritudo; & quos attrahit ſuavitas Dei, eos ſatiat perpetua beatitudo. Certè verum eſt, non eſt falſum, verum, inquam, eſt, quod dicit Spiritus Dei per os amici Dei; quia *amicus ſæculi hujus, conſtituitur inimicus Dei*; utique ſic eſt: omnino eſt immutabile. Non ſunt verba tantùm audienda, ſed eſt res terrificè metuenda. Si igitur non amas conſtitui inimicus Dei, horre execrando eſſe amicus hujus ſæculi. Amicus autem ſæculi hujus eſt, quicunque ſæcularis delectationis amicus eſt. Rogo ergo te, amice, ne ames ſæcularis oblectamenta. Cùm abſunt, noli ad ea cor extendere, cùm adſunt, noli illis cor apponere: ſed cùm abſunt, & cùm adſunt, ſemper te velis ab illis abſcondere. Si mundus, vel aliquid eorum quæ ſunt mundi, ridet tibi; noli arridere illi. Certè, Frater, non ridet tibi, ut in fine riſus tu rideas: ſed ſimulat riſum, ut te irrideat. Eſto igitur, dilectiſſime, ſemper cautus, ut anticipes eum, & retorqueas fraudem ejus in eum: & cùm ille tibi fallaciter ridet, tu veraciter irride eum. Et certè nunquam veraciùs irridebis illum, quàm ſi cùm ipſe riſerit contra te, tu fleveris contra illum. Ad has quidem lachrymas tantò ſtudioſiùs te debes exercere, quantò meliùs eſt contra falſum riſum ad modicum ex voluntate flere, quàm ſub vera irriſione * in æternum & neceſſitate lugere. Legat hanc epiſtolam Domnus Gondulfus; non ut faciat quod legit, ſed ut legat quod facit. Quod ſi fervor ejus devotionis hanc epiſtolam vult eſſe ſuam; pro tuo nomine ponat ſuum, & ſit ſua. Ambo valete.

Psal. 4. v. 4.

EPISTOLA IX.

Domino & Patri venerabili Abbati Gerberto, Frater Anſelmus ſuus.

Gratulatur Abbati quod ſuo rogatu viduæ afflictæ ſuccurrerit.

SIcut nobis credendum eſt quia ubi abundavit peccatum, ſuperabundavit gratia; ita nobis faciendum eſt, ut ubi abundat miſeria, ſuperabundet miſericordia. Si enim ibi dilatatur gratia, ubi major eſt offenſio; quomodo contrahetur miſericordia, ubi major debetur compaſſio? *Quoniam enim quæ ſeminaverit homo hæc & metet: beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Hac itaque conſideratione de veſtra benignitate confidens ad Sanctitatis veſtræ me veſtigia mente proſterno intercedens pro ea de vidua paupercula, cujus animam in tribulatione viduitatis & paupertatis miſericorditer propter Deum refrigeraſtis; cùm ei illud tantillum ſervitii, quod à paupercula veſtræ Magnitudini ſolvebatur, me interveniente, relaxaſtis. Precor igitur quanti valeo ſuppli-

Gal. 6. v. 7. Matt. 5. v. 7.

cationibus, ut manum conſolationis, quam ei porrexiſtis cùm tantùm viduitate & paupertate premeretur, nunc ne retrahatis; cùm multiplicatis ærumnis; etiam dolore defuncti filii, anima ejus miſerabiliter torquetur. Et quidem ſcio quia præſumptionis exiſtimari queat, quòd homuncio (cui nihil debetur, & qui nihil retribuere poteſt) quicquam ſuâ intercellione concedi quærat. Si adeò mutuæ dilectionis ineſtimabilitas me, & prædictum fratrem filium ejuſdem viduæ, vita ejus hoc exigente, deus videlicet conglutinavit, ut eo defuncto, matri ejus me verum filium pro eo ſubſtituere; quatenus a matre mea jam me non pudeat, vel importunè id agere. Verùm ſic ut hæc importunitatis meæ impudentia a quolibet judicetur: dum veſtræ benignitatis clementia a veris & amplioribus prædicetur; & a Chriſto, qui in illis recipiat, & pro illis retribuet, approbetur.

EPISTOLA X.

Meritis & moribus Reverendo Domino, charitate & propoſito dulciſſimo Fratri, Domno Rodulfo, Frater Anſelmus.

Se nuſquam dixiſſe quod non amplius ei ſuos libros præſtarent: imo ad omnia ei præſtanda ſuos eſſe paratum.

LItteras veſtras, litteras, inquam, veræ dilectionis & veri dilectoris mei olim accepi, quæ ex his quæ interiùs à facie ferebant, piâ compaſſione me compunxerunt; ſed ex his quæ exteriùs a tergo gerebant, intolerabili mœrore me vulneraverunt. Cujus livoris dolorem niſi priùs per ſatisfactionem deterſero, & noſter animus ad ea, quæ amica dilectio erat compaſſio, mœrore languidus & pudore mutus deficiet, & noſtra mens ſinceritatis dicta, velut ſimulationis lidet, quaſi jure deſpiciet. Omnino enim pati non poteſt mens vobis, & cæteris dominis noſtris dilectiſſimis, veſtræ imò, quo libentiùs deo ſi dignamini, noſtræ Congregationis Fratribus * devotiſſimis, omnino, inquam pati non poteſt, ut vel ſuſpicemini ex ore meo exiiſſe, quòd non ampliùs vobis libros noſtros præſtabimus: hoc namque ſi unquam dicere potui; & vos credite, & ego confitebor, me nunquam vobis amicum fuiſſe veracem, ſed ſimulatorem fallacem. Quomodo enim, quantùm ad me attinet, aliquid illis poſſum negare, pro quibus animam non dubitem dare? Quod tamen ſi qua mea non crudelitas ventris, ſed crudelitas mentis evomuiſſet; tam ſublimi illud humilitate, tam admirabili patientia, tam ſummiſſa ſatisfactione, & ſatisfacienti ſummiſſione retuliſtis, ut me nihil unquam ſimile dixiſſe profundiùs puderet, vel altiùs pœniteret. Litteras quoque, quæ vobis pro remittendis libris miſſæ ſunt, nec ita fieri juſſi; nec ante recitationem eorum, qui libros attulerunt, ita factas eſſe ſcivi. Domino igitur Abbate concedente, me volente, nullo Fratrum reſiſtente, noſtro pariter & veſtro compenſato commodo, liberet vobis quoſcunque libros, vel potiùs quæcunque habemus, mittemus quando exigetis; quos verò de noſtris vos habetis, dimittemus quandiu indigeris. Delectabiliùs ſcripſiſſem chariſſimo meo in ſpirituali certamine anhelanti, & animæ compaſſionem piis gemitibus provocanti, licet non indigenti, ſed tamen cuilibet qualem poſſim conſortationem; quam, ne quis de me inimicum amicus crederet, mei excuſationem. Sed quoniam & illud erit recuperabile, & hoc pati amico erat intolerabile, * nec epiſtolaris anguſtia poterat in utroque affectus capere latitu-

dinem, distuli quod delectabat, ut excluderem quod lædebat. Adeò enim, frater dilectissime, de tuæ puritate charitatis omni modo sum certus, ut si de mea erga si quicquam crediderit imminutum, id te sine tristitia vel cogitare non posse nullo modo sim certus. Quomodo igitur possum non transferre illum dolorem in animum meum; vel potiùs quomodo non dicam illum dolentem animum esse meum, qui sic dolet propter amorem meum? Rogo igitur, charissime, ut si quid deinceps audieris de me, quo[illegible]ga te extrà regulam videatur charitatis, non credat hoc indiscussum animus tuus alter meus, ne lædatur animus meus alter tuus. Saluta ex nostra parte omn[illegible]minos meos fratres tuos: inter quos enim nullum[illegible]enire possim non dilectum, ex illis nullum eligere possum ut dilectum. Qui tamen diuturniori experientiâ plus tecum de meâ confidant fidelitate, nec tuam, nec illorum later sinceritatem. Vale tu, & valeant illi.

EPISTOLA XI.

Rodulfo, Fratri verè dilecto: Frater Anselmus.

Rodulfum erigit, quem præpositure negotia à frequentioris lectionis, & orationis opere revocabant, & qui se illis imparem judicabat.

UT nec taceam animi affectu admonitus, quod dicere non audeo vestris litteris prohibitus; quem timui Dominum meum vocare in salutatione, audebo saltem ostendere me servum ejus in epistolæ prosecutione. In qua enim charitate diligo Dominum Rodulfum ut fratrem meæ non carnis, sed animæ; in ipsa eidem servire paratus sum, ut servus. Quapropter si hoc me jubetis tacere, quod utique, ut ex conscientia loquar, mihi estis ex morum qualitate; vel hoc mihi liceat confiteri, quod vobis sum ex prima voluntate. Taceat igitur Frater Anselmus Domino suo Rodulfo, & loquar Fratri Rodulfo servus suus Anselmus. Litteras, Frater charissime, tuæ charitatis accepi, & in illis desiderium meum legi. Quod enim te charitas tanto desiderio succendit, ut ubicunque maneam, tu sis mecum; idem est quod cor meum flagrat, ut ubicunque sim ego, vivam tecum. Et ut tu petis à me consilium, ut ita possit esse; sic ego à Deo precor auxilium, ut aliter non possit esse. Qui si nos audire dignabitur; talis sit, eo juvante, nostra cohabitatio, ut tota in vita nostra sit illi gratiarum actio. Quoniam autem nec ego, nec tu nostri sumus: *sive enim vivimus, sive morimur, Domini sumus*; si aliter, quàm velimus, dispoſuerit nos, qui novit melius nobis, quid placeat sibi, vel expediat nobis; patienter toleremus quicquid illi de nobis senserimus placere, si noluimus ipsi nos displicere. Quàm enim brevis est vita nostra, tam propè est, ut de ipsius & nostrâ mutuâ præsentiâ jam non ampliùs divellendâ congratulentur; si, ipso dante, in omnibus illi acquiescendo hanc ipsam brevitatem transcurrere vitæ curemus. Interim tamen quæcunque nos locorum, vel propinquitas contineat, vel longinquitas distineat; charitas semper unum de duobus nobis animum conficiat. Ad illud verò quod me tam solicitè rogas impetrare ab Archiepiscopo Lanfranco, cùm de Anglia venerit si mecum esse non poteris; respondeo quia sicut de te quod Deo gratius & tibi intelligo utilius desidero, ita conabor ut fiat, si potero. Interim hilariter, quod agis, age; quod operatis, operare: *hilarem enim datorem diligit Deus*. Quod verò per hoc quod agis, conquereris a legendi vel orandi te præpediri instantiâ; sit tibi hoc non modica consolatio, quia *charitas operit multitudinem peccatorum*. In

Ad Rom. 14.

2. Cor. 9.

1. Pet. 4.

A quo enim tu retraheris, alius attrahitur; in quo tu curvaris, alius erigitur: in quo tu gravaris, alius portatur. Et memento quia servus, qui vacuus domum redit, velociùs currit; sed onerato domus tota lætior occurrit: Nec quia * tardius venit, à quoquam corripitur; sed quia utiliter est fatigatus, quiescere præcipitur. Si verò dicis quia injuncto tibi officio strenuitas, vel industria tua non sufficit: respondeo secundùm tuam de te existimationem, non secundùm meam, quia nec oculus lippus & solus in capite videndi officium explere sufficit; & tamen ab eo quod potest, quia solus id in suo corpore potest, non deficit. Quoniam verò jam modum excedit epistola; & alia quæ scripsisti, plus egent colloquio, quàm scriptura, qua abundant sacri libri: ea interim Deo fideliter committentes, & assiduis orationibus prosequentes, colloquium pari voto expectemus, & epistolam communi consensu terminemus.

* al. cædus

EPISTOLA XII.

Domino Reverendo, Patri diligendo, venerabili Archiepiscopo, Lanfranco: Frater Anselmus suus.

Gratias agit de muneribus

C

GRatias magnas dicit vobis epistola nostra; pro magnis muneribus quæ suscepimus de vestra largitate; sed valde majores in cordis arca vobis servamus, pro majoribus quæ prompta scimus in vestra bona voluntate. Cùm enim ex sola spontanea vestræ benignitatis exundantia, tanta servo vestro affluant; satis claret quantâ opulentiâ se benignus ex intimo vester affectus effunderet, si qua dilecti vestri, quod non impudenter nec inexpertus dico, necessitas exigeret. Nec hoc dico, quasi munera præfata vestræ paternitatis affectum erga me nunc primùm me doceant intelligere; sed quoniam ignoranter quantùm de ea confidere debeam, hinc possim ex parte colligere. Nequaquam enim ad plenum benevolentiam vestram D ostenditis per pallium & aurum, de eo quem arctè diligitis super pallium & aurum. Quod quamquam vos non ingrato facere bene sciatis, tamen non piget me scribere, quia hoc opto, optando oro, orando propono, ut nunquam id immerito faciatis. De Girardo, quia propter multa debita à nostra conversatione retrahitur: & de quo id quod in vestra promptum erat misericordiâ, mandastis; Domnus Robertus vobis dicet quid mihi videatur, & quid pro possibilitate vestra fecerim ut eleemosyna vestra perficiatur. Qui si ad vos venerit, & inter vos & ipsum usque ad summum æris effectum non convenerit; hoc postulo ego servus vester misericordem vestram benignitatem, ut propter iter, quod faciat vestra fiducia & nostro consilio, ejus necdebita crescrant, nec habita decrescant, nec ex labore dolor & mœror accrescant.

EPISTOLA XIII.

Girardo monetario de Attrebato, fratri Ainerti: Frater Anselmus salutem.

Sæculi relinquendi cupidum monet adire Lanfrancum; à quo accipiet, quo ea alienum dissolvat.

VEnerabilis Archiepiscopus Anglorum Lanfrancus (qui fuit Prior in nostro monasterio, & Abbas de Cadomo, quem tu ipse ut puto vidisti)

Digitized by Google

nuper audivit voluntatem tuam, & impedimentum tuum. Itaque Sanctitas ejus commota miseratione tui, mandavit nobis quia si certus esset te venturum ad nostram conversationem, daret tibi propter Deum * centum solidos de Anglica moneta, adjutorium ad solvenda debita tua. Addidit quoque quia, si necesse esset, adhuc aliquantulum adderet. Quapropter damus tibi consilium, ut quàm citiùs * poteris, pergas ad eum: & si quamlibet securitatem quæsierit a te, aut fidem tuam, aut sacramentum; per eandem securitatem, vel quomodocumque jusserit expone ei quantùm debeas; & quantùm te de tuo habere confidas, & constitue ei terminum quem bene possis servare; intra quem ad nostrum monasterium venias eâ intentione ut monachus fias ibi, si tantùm misertus fuerit tui, ut pecuniam quam debes, reddere possis. Ne dubites facere quod consulimus: quia misericordissimus est idem reverendus Archiepiscopus, & præcipuè erga salutem animarum: & est valde deditus eleemosynis, & sufficienter abundat auro & argento. Et si tantum deberet, ut tibi nolit tantum dare tibi ad te exolvendum sufficiat; certi sumus quia primùm propter Deum, deinde propter nostrum amorem, qui * confidentes de ejus magna misericordia damus tibi hoc consilium, tantum tibi dabit, ut in eundo ad eum non te pœniteat vel laborasse, vel aliquid expendisse. Porta etiam illi has litteras, ut sint tibi in testimonium quia nos te mittimus ad illum. Si autem te poteris à debitis exolvere, fac ut Dominus Engelardus hoc sciat; & ut, cum venerit ad nos, det tibi aliquod signum, quo possimus agnoscere eum tibi esse testem quia sis exolutus. Ne moreris facere quod monemus. Mandavimus enim eidem Archiepiscopo hoc ipsum, quod tibi scribimus. Valete.

EPISTOLA XIV.

Dilecto dilectori, dilectus dilector Domino Gondulfo Frater Anselmus: quod Gondulfo Anselmus.

Testatur singularem in Gondulfum amorem, ut jam in epist. 4. & 7. suprà.

INstat & instat mihi conscius alterius suæ conscientiæ, * id est meæ, ut ad se trans mare volitent, & volitent sæpius litteræ meæ, quasi volens discere statum amicitiæ meæ. Sed quid te docebit epistola mea quod ignores, ô tu altera anima? Intra * in cubiculum cordis tui, & considera affectum veri amoris tui; & cognosces amorem veri amici tui. Quanquam enim pares non simus morum æqualitate; tamen non audeo dicere impares: sed certè dissimiles non sumus mutui amoris qualitate. Namque fateor, quamvis erubescens, fateor, inquam, quia tepida mea charitas a tua fervida charitate superatur; sed non * dissimilis, quia eâdem regulâ formatur. Sicut enim tu satagis ut non minori fervore diligas me, quàm teipsum; ita * ego studeo ut non majori tempore amem te, quam meipsum. Si plus exigis, certè nec minùs volo, nec plus possum. Denique impetret mihi orando amor tuus ut me amem, quantùm expedit; & amabit me amator tuus, ut ipse dicas * nunc sufficit. Memento, non dico mei, quia id te facere ipse pro te affero; sed eorum quos tibi olim commendare curavi. Saluta eos quos ex nostra parte soles salutare. Scito quia Domno Abbati, & nobis Fratribus tuis, grata valde sunt dona tua; sed multò gratius est nobis quod * audimus de vitâ tua. Optamus igitur, & oramus, ut omnipotens Deus bona, quæ in te operatur, augendo servet, & servando augeat; ut sit unde tibi retribuat regnum æternum idem benedictus Dominus in æternum, fiat, fiat. * Amen.

al. non dissimiles

al. ergo

al. adjuves

EPISTOLA XV.

Domino & Fratri dilectissimo, Henrico; Frater Anselmus salutem.

Quòd ei non expediat in Italiam contendere ad sororem jugo servitutis liberandam.

QUoniam, teste conscientiâ meâ, minus te quàm me diligere nolo; valde mihi repugno, si aliter tibi quam mihi consulere volo. Consilium autem nullum utilius vel universalius invenio quàm illud, quo nobis per sapientiam consulitur, ut ne pœnitentia nostros actus subsequatur, omnia faciamus cum consilio. Quod quoniam sicut est sapientissimè datum, ita est verissimè ratum: in quantum illud quisque negligit, in tantum de actibus suis non lætari, sed pœnitere eligit. Quisquis igitur tibi consulit ut hoc utaris consilio, non negligentiùs consilium ejus est audiendum, quàm illum ipsum cui ab omnibus & in omnibus est obediendum. Ideo tecum hæc, dilectissime, loquitur amicus tuus de consilio, quia de quodam negotio audio te disponere contra amicorum tuorum consilium. Vis enim, ut mihi dictum est, ire de Anglia in Italiam sororem tuam defendere, quam audis quemdam divitem indebitæ servituti calumniosè subjicere. Quod, charissime, obsecro per, si qua in te est, mutuam nostram amicitiam; per, si quam mihi vis esse de te, lætitiam, ne facias. Quid enim, dilectissime, monachorum interest & eorum, qui se profitentur velle fugere mundum, qui quibus vel quo nomine serviant in mundo? Denique nonne *Omnis homo ad laborem nascitur, & avis ad volandum*? Nonne omnis vel penè omnis homo, aut sub nomine præstandi, aut sub nomine famulandi * servit? Nonne servus vocatus in Domino, liberus est Domini, & liber vocatus in Domino servus est Christi? Si ergo sic omnes laborant & serviunt, & sic est servus libertus Domini, & liber servus Christi: Quid refert, exceptâ superbiâ, quantum vel ad mundum, vel ad Deum, quis vocetur servus vel liber? Apostolus dicit: *Si servus vocatus es, non sit tibi cura*: & nos quod pro nobis curare vel prohibemur, vel non indigemus, pro aliis tanto opere curabimus? Et si enim bonum sit velle liberare hominem violentæ conditioni addictum: hoc utique, quod intendis, non tam bonum est; ut dignum sit pro quo tenens aratrum Christi tam longè retrò respiciat, pro quo monachus propositum suum tantâ intercapedine interrumpat; pro quo se tot corporis & animæ laboriosis periculis, & periculosis laboribus tantâ & tam singulari voluntate committat; pro quo, ut secundùm charitatem conscius conscium amicum increpem, tam solitariâ, tam rigidâ sententiâ omnium amicorum, minorum, parium *, majorum, & prælatorum consilio resistat. Cùm igitur hæc tot * & tanta certa incommoda, vel potiùs mala sint; si illud unum tam inopportunum, tam incertum, tam noxium bonum conferatur: quis intelligens illud bonum, ac non potiùs non bonum, vel magis malum dixerit? Crede igitur, charissime, plus consiliis amicorum, si te solum sapientiorem omnibus illis non æstimas; quàm tuæ deliberationi. Quia enim * mens tua magnum affectum suum cum aliquantulo bono illo ponderat, idcirco ea quæ sola compensanda sunt, seipsam fallens æquâ librâ non trutinat. Quod si in propria voluntate perstiteris, quod, Deo protegente, non erit; sicut eris contra omnium amicorum tuorum sensum, ita * nullius eorum isti re tibi noxia habebis assensum. Salutat te Dominus Abbas ut filium charissimum; qui cuncta hîc à me scripta, sua * dilecta

1. Cor. 7. 20.

al. servus

al. nullam

vult esse. Acquiesce igitur ejus & nostris monitionibus, ut obediendo benigno Patri, & concordando amico Fratri, lætifices, si diligis, Patrem & Fratrem. Saluta ex nostra parte dilectos Fratres nostros Domnum Herluinum, & Domnum Osbertum. Vale, & si quid apud te possum, cùm citiùs poteris, manda mihi qualiter in voluntatem carnaliter alium diligentis, tuam dico, te reclines; vel in sententiam te spiritualiter diligentium declines.

EPISTOLA XVI.

Domino & amico charissimo Anesgoto, Frater Anselmus salutem.

Causatur impedimenta ob quæ commendati juvenis studiorum curam nequeat suscipere.

IN principio nostræ responsionis præfigo quia nostra testatur conscientia quod loquitur epistola. Gratias itaque ago, quoniam aliud ad præsens non possum, charitati vestræ, quæ sic se ad obsequendum utilitatibus nostris promptam reddit, quemadmodum scriptio vestra patefecit. Cui certè simili voluntati respondeo; sed utique doleo quia id in prima petitione vestra opere probare non valeo. Non enim ejusmodi studii (in quo posset proficere dilectus ille vester, de quo scripsistis) est mihi nunc licentia, nec intentio, vel opportunitas, sicut fuit olim, vel putat vestra Sanctitas. Precor ergo, ne aliquatenus vestra erga me Dilectio turbetur; cùm mihi semper animus sit amicitiæ vestræ obsequendi, quanquam facultas non pariter comitetur. Potest enim esse vera amicitia, ubi semper viget bona voluntas, etiamsi nunquam instet flagitandi necessitas, nec præstò sit præstandi facultas. Denique ad id quod mihi dicitur in epistola vestra,

Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter:

Quanquam id Persius dixerit, non ut * ostentationem reprimeret, sed ut exprimeret: respondeo:

Scire meum nihil est, si quale sit hoc sciat alter.

Quod verò quæritis: cur famâ Lanfranci atque Guitmundi plus mea per orbem volet: utique quia non quilibet flos pari rosæ fragrat odore, etiamsi non dispari fallat rubore. Valete.

EPISTOLA XVII.

Domnis & Fratribus suis, sponte diligentibus, & merito dilectis Guillelmo, & Rogerio, Frater Anselmus salutem.

Suarum Orationum communionem pollicetur.

DOminus & Amicus noster * Ermerus, postquam Româ rediit vestram mihi postulationem, ut vestri memor in orationibus meis essem, tantâ supplicatione retulit; ut & pudor me cogeret dare, quod tam obnixè petebatur; & conscientia prohiberet, quoniam non erat in me quod sperabatur. Cùm igitur & libenter & verecundè pleniùs concessissem quod priùs quoque faciebam; vestræ erga Deum devotionis & erga me dilectionis per alios mihi sinceritate jam cognitâ, non minori aliquanto tempore post idem amicus noster & vester popposcit instantia, quatenus hoc vobis nostra testaretur epistola. Supernâ igitur annuente clementiâ, me pro vobis oraturum promitto, & si quid boni divinus in me respectus operatur, ejus vos mecum pariter participes in vera charitate promitto; sed utrum vobis profuturum sit, illi à quo omne bonum est, committo. * Munus autem charitatis vobis peragentes, quod ex nobis est, humiliter petimus ut idipsum nobis persolvatis quod ex vobis est. His itaque concessis, quæ si vobis profutura sint, conscius mihi meorum meritorum ignoro: ea vos, ut charissimos amicos & Fratres, admoneo, quæ sicut noxia, si negligantur; ita salubria, si observentur, non dubito. Ad hoc solùm, dilectissimi, discite, ut veritatis, quæ Christus est, possitis esse capaces; & sic * vivite, ut Christi, qui veritas est, probetis vos esse velle sequaces. Domnum Lambertum magistrum vestrum (quem cunctis amabilem, & ingenii sinceritate, & morum probitate, plurimorum dicici relatione) qui me salutare, & ut pro eo orem, rogare dignatus est, per clericum ab illis partibus venientem, vestræque dilectionis mihi nuncium deferentem, sic volo: ut ex nostra parte salutetis, * & illum amoris mihi vinculo colligetis.

EPISTOLA XVIII.

Suis Reverendis Dominis, dulcissimis nutritoribus, dilectissimis Avunculis, Lamberto, & Folceraldo, Frater Anselmus, sic transire per bona temporalia contemnendo, ut maneant in æternis perfruendo.

Rogat se certiorem fieri de avunculorum incolumitate.

UTinam in legendo epistolam meam sentiant avunculi mei quem affectum in dictando eam testantur oculi mei; velociter enim fuit in ipso initio animus meus lachrymas exprimere, quàm stylus meus litteras imprimere. Sicut enim nec temporum diuturnitas, nec locorum longinquitas corpori meo valuit adimere quod nascendo de genere vestro incepit, & quod crescendo de nutrimento vestro accepit; sic nulla solicitudo nulla occupatio animæ * meæ potest minuere amorem vestri, quem & naturâ & beneficio concepit. Quapropter quorum amore cor meum ardet indesinenter, eorum fœlicitatem semper sitit ardenter. Precor igitur quatenus per hujus nostræ latorem epistolæ, vestræ statum incolumitatis filium vestrum docere velitis; per quem, si placet, quæ sunt erga me dicere valetis. Quanquam enim sit Dominus iste, qui noster dignatur esse nuncius, valde dives, & de Normannorum nobilissimis; tantâ tamen ipse cum matre & fratribus suis & sorore me sibi dilectionis familiaritate junxerunt, ut non aliter me quàm filium mater, & fratrem proles nominent; nisi quia pari concordiâ primogeniti mihi dignitatem concesserunt.

EPISTOLA XIX.

Suo Domino, suo Patri cum reverentia amando, cum amore reverendo, Archiepiscopo Matri Catholicæ amplectendo Lanfranco, Frater Anselmus suus, quod suus.

Gratulatur Lanfranco quòd Beccum potius quàm alio miserit nepotem, & Girardi moram excusat.

GRatias paternæ vestræ Dilectioni, quâ nos semper præsentes habetis, * semper utique debemus: sed cùm eas semper loqui non possimus, modò certè tacere non debemus. * Tantâ enim ejusdem dilectionis exuberatis plenitudine, ut eam nuperrimè & integerrimam; quod nos quoque * sciebamus, argumento necessario probaretis; & inviolabilem, quod

Digitized by Google

similiter sperabamus, pignore charissimo assereretis. Nam dilectissimum vobis nepotem vestrum Dominum Lanfrancum ad nos misistis, & eum magis in nostro monasterio quam in quolibet alio, monachum fieri voluistis. Sicut ergo quòd quis dilectissimum sibi non dilectis velit credere, non est credibile; ita ut non diligat ubi quem valde diligit conversatur, non solet esse possibile. In quo vestro actu non solùm * monstrastis vestræ dilectionis erga nos constantiam permanere; sed etiam, quod non * aliter gratum habemus, dilectionis erga vos certitudinẽ vos habere. Gratias igitur agimus primùm illi, à quo est omne bonum; deinde paternæ vestræ sublimitati, quia sic nos diligitis: gratias, quia de nobis sic confiditis: gratias, quia tale pignus nobis committitis. Hæc dicta sint non solùm pro me, sed pro tota nostra Congregatione. Pro me autem, intelligenti breviter dicam: quia onus inæquale Prioratus (quo me non leviter olim gravastis) utique augendo non modicè nuper levigastis. Cumque * imbecillus animus * gemeret sub pondere, effecistis ut jam, non dico, nolit; sed penè nolit, quod premit, deponere. Girardum vestrum de Flandria per vestræ pietatis largitatem, Deo de mundo nostrâ suggestione redemisti: unde me, si vester non essem, confiterer servum vobis emptum: die à vobis constitutâ sciat Sanctitas vestra sine gravi jactura esse non potuisse absolutum à creditoribus suis: venit tamen primâ Dominicâ Quadragesimæ vestram in se magnificè misericordiam prædicans, & qualiter nostræ, non tam petitioni, quàm levi voluntatis significationi in ejus causa dignatio vestra favit, & semper se velle favere intimavit. Qui dixit se velle, & quantùm attinet ad hoc quod habet posse, sic reddere quod debet, ut aliquid quod secum afferret haberet; sed pro quibusdam impedimentis non potuisse secundùm conductum, ut oportet. Rediit igitur promittens se in Pascha Beccum, Deo annuente, venturum, & mansurum si non quomodo volet, vel sic quomodo poterit. Si quid igitur peccavit quia promissionem vobis factam ad plenum non est executus; quoniam non id admisisse malitia videtur, peto securus, ut soleo, de vestra benignitate, quatenus Filio vestro vice patris, liceat eum hoc reatu absolvere, cùm nobiscum incipiet vivere. In qua re hanc certam præsumam concessionem, si nullam legero prohibitionem.

EPISTOLA XX.

Domino Gondulfo; Frater Anselmus quod Gondulfo Anselmus.

De tribus orationibus ad Deiparam.

NOn est opus ut multa de incolumitate pristinæ amicitiæ loquatur os meum illi, quem in mutua dilectione scio esse alterum cor meum. Ut igitur breviter quod nosti dicam, sicut amor tui ex quo incepit, nunquam * in me mutatus est minuendo; ita solicitus sum ut semper * alteretur augendo. Quidam Frater non semel, sed sæpe me rogavit ut de sancta Maria magnam quandam orationem componerem: quod cùm ipse præsens rogaret exteriùs, tu absens persuadebas interiùs. Quoniam enim id tuum futurum, si fieret, prospiciebam: idcircò quod volebat, libentiùs suscipiebam. Feci igitur orationem unam, unde fueram postulatus; sed in ea me non satisfeciſſe postulanti cognoscens, alteram facere sum * incitatus. In qua quoniam similiter nondum satisfeci; tertiam, quæ tandem * sufficeret, perfeci. Accipe igitur eas, quæ factæ sunt tua intentione; & ne reprehendas magnitudinem, quæ facta est alienâ petitione. Et utinam ita sint longæ, ut antequam ad finem cujuslibet earum legendo, vel potiùs meditando perveniatur, ad quod factæ sunt, cumpunctio, scilicet, contritionis vel dilectionis in eis per supernum respectum inveniatur. Denique idcirco volui eas ipsas orationes per sententias paragraphis distinguere, ut anticipando longitudinis fastidium, ubi volueris, possis eas legendo * incidere.

EPISTOLA XXI.

Domno & Fratri charissimo Rodulpho Frater Anselmus beatam æternitatem & æternam beatitudinem.

Rodulphum obtestatur describere notis musicis Antiphonarium.

REverendus Domnus Prior Helgotus dilectus & dilector noster & vester, suis vos precibus ad notandum Antiphonarium adhortari desiderat, sed * nonnullius in re ipsa pondus laboris imminere considerat. Cùm igitur suas preces venerabili humilitate nolit, quanquam possit, tanti pendere; ut pondus impendens possint suspendere, obnixè flagitat quatenus nostras cum suis contra præfatum laborem curemus appendere. Sed quoniam nec ipse nec nos operis optati sic onus amicis postulationibus levigare tentamus, ut indiscretis vos supplicationibus onerare nitamur: contemplantes & vobis proponentes proximorum utilitatem, & charitatis & obedientiæ vestræ mercedem, hoc vestram rogamus Fraternitatem, hoc vestræ consulimus Dilectioni; ut tempus, quod aliis quibuslibet scripturis sponte vos non piget insumere, vel hoc ad opus quòd exigimini, non gravemini addicere. Quod si dicitis esse nihil vel minimum; idipsum nihil vel minimum, sicut vos certi estis quod minimè sufficiat, ita nos non dubii sumus quod aliquantulum proficiat. Ut autem vestræ largitatis amplitudo aliquid, plusquam præsumit nostra petitio, superadjiciat: sic bonam vestram cum gratiarum actione annuimus voluntatem, ut penitus abnuamus gravem incommoditatem. Vir ille qui à vobis nuper moriens monachicum sumpsit habitum, si etiam benedictionem assumpsit, mandate nobis nomen & diem obitus ejus, ut in nostro Calendario scribatur.

EPISTOLA XXII.

Domno Patri, Fratri, amico Anselmo: Lanfrancus * peccator perpetuam à Deo salutem.

Preces Anselmi & aliorum efflagitat: & suum ei nepotem commendat.

QUid mihi expediat, Beatitudo vestra optimè novit. In Anglorum enim terram veniens, sive Romam proficiscens, omnia Sanctitati vestræ * referavi, quæ * referanda esse tunc temporis pro mearum * rerum necessitate judicavi. Sic ergo orate, sic ab amicis ac familiaribus vestris oratum iri deposcite, quatenus omnipotens Deus aut ad meliorem fructum me perducat, aut de ergastulo hujus carnis animam meam in sui sancti nominis confessione educat: tot enim tantisque tribulationibus terra ista (in qua sumus) quotidie quatitur, tot adulteriis aliisque spurcitiis inquinatur; ut nullus ferè hominum ordo sit; qui vel animæ suæ consulat, vel proficiendi in Deum salutarem doctrinam saltem audire concupiscat. Litteras, quas per Domnum Rotbertum transmisistis, lætus suscepi, latior legi: cum quanto autem gaudio

adhuc eas legendo retolo & recolendo relego, litteris explicare non possum. Pro eo videlicet, quòd (sicut in eis scriptum est) dulcissimum mihi fratris mei filium, quem sicut animam meam diligo, cum ingenti lætitia susce pistis: quod majorem erga vos mei amoris fiduciam ex hac occasione concepistis; & præcipuè ac super omnia, quòd onus Prioratus, quod importabile antea videbatur, ex ejus adventu levigatum vobis * perhibuistis. De quo brevem veracemque sententiam vobis dico. Si inter paganos etiam ipse viveret, plus cæteris paganis ego ipsos diligerem, & prodesset eis si quid in hoc sæculo possiderem. Quibus de rebus quantas possum Deo, & Domno Abbati, vobisque omnibus gratias refero; quia quales volo, tales vos erga me, & omnes qui diliguntur à me, semper esse comperio. Sed quia accedens ad servitutem Dei, & maximè id ætatis homo multis variisque tentationibus per tentatorum spirituum suggestiones intrinsecùs lantatur, multis diversisque carnis titillationibus intùs & exteriùs cruciatur; oportet valde ut vestri eum colloquii participem sæpissime faciatis: omnesque, quorum doctrina salubris ei esse potest, colloqui eum eo quotiens expedit, jubeatis. Discedenti ipsi à me rogando præcepi, & præcipiendo rogavi, ne hoc anno aliquam vel in refectorio, vel in Capitulo aut in Monasterio lectionem legeret, quoad usque Psalmorum scientiam, suique Ordinis aliquem usum haberet. Hanc voluntatem meam omnino despexit, & ut legeret suarum precum nimietate à vobis extorsit. Pro qua re amantissimas litteras transmittere sibi disposui: sed visis aliis litteris vestris, conceptum adversùs ejus temeritatem mentis rancorem omisi.*

Ad id quod de Gerardo scripserat Anselmus, nihil respondet.

EPISTOLA XXIII.

Dilectissimis Fratribus Lanfranco & Guidoni, Frater Lanfrancus perpetuam à Deo benedictionem.

Lanfranci Archiepiscopi ad nepotem ejusque sodalem, tum Becci agentes tyrocinium monachi.

Hæc non Anselmo, nec ad Anselmum ullo sed in Mss. inter Anselmi epistolas reperitur.

QUia divinitùs, ut credo, vos dilexistis in sæculo; rogo ut rogetis Deum quatenus, ipso cooperante, vos diligatis in eo, quod assumpsistis, sancto proposito. Alter alteri sit in tribulatione solatium, alter ab alterius vita & doctrina sumat sanctæ conversationis exemplum. Humilitatem omnibus ostendite, linguas vestras ab omni fraterna derogatione salubri censurâ compescite. Si quis cujuslibet Fratris vitam * Theonino dente rodere delectatur, si correctus à vobis emendare neglexerit, * à vestro colloquio arceatur. Quicquid alii de vobis dicant laudantes fortasse & magnificantes quòd parentes, possessiones, carnalia oblectamenta pro Deo contempsistis; vos semper introrsùs ad conscientias vestras redite, peccatores vos esse cognoscite, & peccatis vestris continuis orationibus Deum propitium fore deposcite. Adversùm te, charissime nepos, magnum mentis rancorem concepi: quia videlicet transgressus es præceptum quod de hoc ordine primùm tibi injunxi. Sed, interveniente venerando Priore Domno Anselmo, cui sicut Deo obedire desidero, sincero tibi corde illam noxam indulgeo. Et moneo ne tale aliquid ampliùs facias; quia quò immensiùs amicum diligo, eò ampliùs majorem contra eum iram pro parva etiam culpa cõcipio. Omnipotens Dominus suâ vos gratiâ protegat, benedicat, atque ab omnibus peccatis clementer * absolvat.

al. Theodino

al. defendat

EPISTOLA XXIV.

Domino reverendo, Patri verè diligendo & dilecto, Catholicæ Matri amplectendo, Archiepiscopo Lanfranco, Frater Anselmus suus, quod dignius potest, totus suus.

Ad Lanfrancum de nepote Becci suscepto ad tyrocinium, de quo epist. 19. & 22. suprà. Et ei commendat Mauritium capite laborantem.

QUotiens vobis est gratum aliquid mihi esse gratum; utique mihi & hoc est gratum, & illud fit gratius, quod prius erat gratum. Significastis vos inde lætos esse quia ego, ut de aliis taceam, dilectissimum nostrum, nepotem vestrum valde gaudens suscepi. Tantò igitur & hac vestra lætitia sum lætificatus; & gaudium, quod habueram de prædicto charo nostro, quamvis semper vigeat, augendo est renovatum: quantò, id quòd non verecundor fateri, me scilicet ex magna parte illum sic suscipiendo intẽ disse, ad votum proveniisse cognovi de meo meritis Domino, fide, fratre, solicitudine filio Mauricio, quem vos pro vobis separatis ab illo, à quo plus amabatur quàm ab alio, & quem plus amabat quàm alium: vos ipsi judicate quod illi debeatis. Quamlibet namque vile sit quod sic amat, & à quo sic amatur: nimirum hoc illi debetis quòd non minùs amet, & à quo non minùs ametur. Quoniam igitur & ego novi justitiæ vestræ rectitudinem, & vos nostis mutuam nostram dilectionem; omnem ejus supersedemus commendationem. De ægritudine capitis ejus, vestram pietatem, quantùm apud vos possum rogo, præcipuè, quatenus propter Deum & æternæ salutis retributionem, vobis instantibus, à dilecto amico nostro Domno Alberto Medico, quantùm potest, perquiratur & curetur.

EPISTOLA XXV.

Domno, & Fratri dilectissimo Henrico, Frater Anselmus diuturnam præsentis vitæ incolumitatem, & futuræ æternam felicitatem.

Ipsi Mauritium Monachum ex capite laborantem commendat.

CRedo quòd conscii mihi estis qualiter dilexerim Domnum & fratrem & filium nostrum Mauritium, quem vobis mittimus. Quoniam igitur dilectos nostros à dilecto & dilectore nostro diligi non dubitamus: securè vobis illum, ut dilectum dilecto, commendamus. Inveniat me in vobis, quem quasi relinquo pro vobis. Ideirco namque hunc & non alium paternæ dilectioni vestræ misimus, quia hunc eam petere specialiter audivimus. Estote igitur nostro Mauricio Frater Anselmus, & ego ero vestro Holvardo Domnus Henricus. De infirmitate capitis ejus, vos rogo præcipuè quatenus vestrâ instantiâ Dominus Albertus dilectus amicus noster eam inquirat; & quantùm, Deo dante poterit, ei subveniat.

EPISTOLA

A

EPISTOLA XXVI.

Domno Gondulfo: Frater Anſelmus.

Pro tranſmiſſis muneribus amico non eſſe habendas gratias: ſollicitus eſt adhuc de Mauritio Monacho.

SI neſcirem me totum eſſe tuum, & te totum eſſe meum, referrem gratias pro muneribus tuis. Quoniam autem tua mea, & mea tua ſunt; cùm das mihi tua, ego cur tibi inclinem, cùm non accipiam aliena, ſed quæ mea ſunt? Si te cognoſcis non meritis, quibus me præcellis, ſed mutuâ dilectione, alterum Anſelmum; ſentiat hoc dilectus Frater, & filius meus Domnus Mauritius. Precor ut in omnibus gerens ejus ſolicitudinem propter Dei & proximi charitatem, noſtram erga eum exhibeas vicem. De infirmitate capitis ejus te precor quantùm poſſum, ut te precante & adjuvante quantùm potes, à Domino & amico noſtro Alberto medico curetur quantùm poteſt.

EPISTOLA XXVII.

Domno, & Fratri chariſſimo Herluino, Frater Anſelmus ſalutem.

Se in Dies orationem Deo fundere nomine Herluini; licèt ſuas monitiones vix legeret. Et rogat eum ut erga Mauritium ſe fratrem exhibeat.

QUamvis noſtram vix aliquando legas admonitionem; notum tibi ſit tamen, chariſſime, quia quotidie tui curam habens, Deo pro te, qualemcumque poſſum, fundo orationem. Memento, amice mi, eorum quæ præſens ſæpe admonendo tibi dixi, & quæ poſtea abſens ſcripſi.

Eadem in epiſtola 26. ſuprà.

[* Cave, Frater amantiſſime, illud quod multi ſtulti faciunt, qui quantò diutiùs vivunt, tantò majorem ſpem vivendi ſibi nutriunt; & timorem feſtinantis mortis abjicientes, à propoſito ſanctæ vitæ deficiunt. Verum namque eſt quia quantò diutiùs vixit aliquis, tantò breviùs victurus eſt; & quantò ſit longiùs à die nativitatis ſuæ, tantò ſit * propiùs diei mortis ſuæ, & * retributionis totius vitæ ſuæ. Sicut igitur vides per ſingulos dies in præteritum vitam tuam creſcere, ita certus eſſe debes ſpatium benè vivendi quotidie tibi decreſcere. Eſto itaque, dilectiſſime, ſollicitus ut ſpatium quod reſtat, quia neſcis quàm breve ſit, ſic expendas, ut de die in diem ſanctum propoſitum ad meliora extendas. Quatenus quanto magis laborem tuum ad finem feſtinare, & te ad requiem & coronam appropinquare conſideras; tantò fortiùs inſtando, & lætiùs perſeverando viriliter confortatus proficias. Ab inceptis ergo nullâ laſſitudine deficias, ſed potius quæ tibi expediunt, & quæ nondum es aggreſſus in ſpe ſuperni auxilii pro amore beati præmii incipias; ut ad Sanctorum beatum conſortium, Chriſto ducente, pervenias.]

al. propter
al. retributionis

Domnum Mauritium, quem eſſe meum dilectum & dilectorem non ignoras, ſic tibi commendo; ut & ipſe gaudeat ſe inter barbaros fratrem inveniſſe, & tu probes te etiam longè abſentem in amicitia noſtra permanſiſſe.

B

EPISTOLA XXVIII.

Domino Fratri, amico chariſſimo Alberto, Frater Anſelmus; ſic tranſire per bona temporalia contemnendo, ut maneat in æternis perfruendo.

Converſionem à ſæculo ſuggerit: Mauritium ei commendat, ut arte ſua Medica ipſum curet.

AFfectum meæ dilectionis, quem tam ſublimi humilitate per epiſtolam ſuam veſtra petivit dignatio, non nuper litteræ veſtræ reverenter ſupplicando mihi perſuaſerunt; ſed cum olim veſtri mores amabiliter ſe commendando menti meæ impreſſerũt. Ex quo namque mihi veſtrâ contigit plenâ potiri cognitione, non utique fuit cor meum ſine veſtri deſiderio & dilectione; de qua re dubitare non debuiſtis, ſi itineris illius, quo de Becco uſque Rothomagum ſimul quondam perreximus, meminiſtis. Ibi enim tanta colloquendo familiaritate cohæſimus, ut & mutuus noſter amor jam pridem, ex quo nos invicem primùm noveramus, mente conceptus plenius monſtraretur; & quiddam, quod adhuc opto, optando oro, orando expecto, à vobis mihi promitteretur. Hoc eſt, quia ſi quando cœleſtis fœlicitatis deſiderium C in mente veſtrâ gratia cœleſtis in tantũ accenderet, ut terrenæ falſitatis concupiſcentiam penitus cõbureret; nulli converſationi, niſi aut Cadomenſis aut Beccenſis monaſterii, ſe veſtra dilectio committeret. Sed quoniam jam de Cadomo ablata eſt cauſa quæ vos illuc maximè advocabat; jam nunc ſolum Beccum certiùs vos expectat, quod priùs pro Cadomo dubitabat. Quamobrem cum maximè propter vos, ut pro terrenis cœleſtia, pro peritutis æterna, pro falſis vera, pro miſera mortalitate beatam incorruptibilitatẽ certiùs expectetis, & copioſiùs capiatis, veſtram deſiderem converſationem: eò tamen ardentiùs illam expecto, quò per illam, ſi evenerit, veſtram mecum ſpero converſationem. Domnum Mauritium, noſtrum meritis Dominum, converſatione Fratrem, cura filium chariſſimum, quem ad reverendi Domini & Patris noſtri Archiepiſcopi juſſionem in Angliam mittimus, quantùm apud vos noſtra poteſt amicitia, & ejus exigit infirmitas, & veſtra ſufficit, operante Deo, medicina, veſtris manibus curandum propter Deum committimus. Quatenus & illi * temporalis ſalus per veſtram operationem tribuatur, & vobis æterna per divinam miſerationem retribuatur; & Frater Anſelmus, quem jam poſſidetis amicũ, in ſervum à vobis ematur.

EPISTOLA XXIX.

Dilecto dilectus, amico amicus, Fratri Frater Lanzoni Anſelmus, temporalis vitæ ſanctitatem, & æternæ fœlicitatem.

E

Lanzonem monet ut à diaboli tentationibus caveat.

CUm meum & tuum, chariſſime, deſiderium, quo nos invicem deſideramus, conſidero; unum eſt, quod me de noſtra conſolatur ſeparatione, quia in futura vita æternam noſtram conjunctionem per divinam ſpero clementiam. Nam certus ſum de mea, nec dubito de tua conſcientia, quoniam quælibet nos regionum diverſitas * diſtineat, de duabus tamen animabus noſtris charitas unam conficiat. Unde fit, ut animæ noſtræ * & dilectione præſentes ſeſe amplectantur, & converſatione abſẽtes ſeſe deſiderẽt. Sed

Vide epiſt. 2. ſuprà.

consummatâ hujus vitæ peregrinatione, * Deo adjuvante, ad quem tendimus, & in quo speramus, in patria ad quam suspiramus, quasi diversis itineribus * conveniemus. Ubi tantò vehementiùs, Deo annuente, de invicem congaudebimus, quantò nunc de nobis divinam dispositionem patientiùs toleraverimus. Interim tamen quoniam facere quod charitatem renovat & accendit, non est Dei dispositione reniti, sed obedire; debemus nos vel mutuis salutationibus, cùm licet, revisere. Quod cùm hactenus in hac epistola me fecisse possit sufficere, aliquid tamen nostræ admonitionis, quam tibi semper dulcem fecit, non mea fatuitas, sed tui charitas, instante Domino & communi nostro amico * Ursone, cogor subjicere. Nam etiamsi nihil tibi dicere possim quod ignores, plus tamen hærebit memoriæ, quo à dilecto dilectore dictum * susceipies. Ingressus es, Charissime, professusque Christi militiam, in qua non solùm apertè obsistentis hostis violentia est propellenda, sed etiam quasi consulentis astutia cavenda. Sæpe namque dum tyronem Christi vulnere malæ voluntatis apertè malevolus non valet perimere, sitientem eum * poculo venenosæ rationis malevolè callidus tĕtat extinguere. Nam cùm monachum nequit obtuere vitæ quam professus est odio; nititur eum conversationis, in qua est, subruere fastidio. Et licet illi monachicum propositum tenendum quasi concedat; tamen quia hoc sub talibus aut inter tales, aut in eo loco incepit, illum stultum nimis imprudentemque multimodis versutiis arguere non cessat; ut dum illi persuadet incœpto Dei beneficio ingratum exitere, justo judicio nec ad meliora proficiat, nec quod accepit teneat, aut in eo inutiliter persistat. Quippe dum incessanter laboriosis cogitationibus de mutando * loco, aut si mutari non valet, saltem de improbando initio meditatur; nunquam ad finem perfectionis tendere conatur. Nam quoniam illi fundamentum quod posuit, displicet; nullatenus illi structuram bonæ vitæ superædificare libet. Unde fit, ut quemadmodum arbuscula, si sæpe transplantetur aut nuper plantata in eodem loco crebra convulsione inquietetur, nequaquam radicare valens, ariditatem cito attrahit, nec ad aliquam fructus fertilitatem pervenit: sic infœlix monachus, si sæpiùs de loco ad locum proprio appetitu mutatur; aut in uno permanens frequĕter ejus odio cōcutitur; nusquam amoris stabilitus radicibus, ad omne utile exercitium langueſcit, & nullâ bonorum operum ubertate diteſcit. Cumque se nequaquam ad bonum, sed in malum proficere, si fortè hoc recogitat, perpendit; omnem suæ miseriæ causam * non in suis, sed aliorum moribus injustus intendit, atque inde se magis ad odiū eorum inter quos conversatur, infœliciter * accendit.

al. offendit

Quapropter, quicunque Cœnobitarum forte propositum aggreditur, expedit ei ut in quocunque monasterio professus fuerit, nisi tale fuerit ut ibi malū invitus facere cogatur, tota mentis intentione amoris radicibus ibi radicare studeat; atque aliorum mores aut loci consuetudines, si contra divina præcepta non sunt, etiamsi * inutiles videantur, dijudicare refugiat. Gaudeat se jam tandem invenisse, ubi se non invitum sed voluntarium totâ vitâ mansurum, omni transmigrandi sollicitudine propulsâ deliberet: * ut quietus ad sola piæ probatæque vitæ exercitia exquirenda sedulò vacet. Quòd si sibi videtur majora quædam ac utiliora spirituali fervore appetere quàm illi præsentis monasterii institutionibus liceat, æstimet aut se falli, sive præferendo paria paribus, vel * majora majoribus, sive præsumendo se posse quod non possit; aut certè credat se non meruisse, quod desiderat. Quòd si fallitur, agat gratias divinæ misericordiæ, * quia ab errore suo defenditur; nè sine emolumento, aut etiam cum jactura, locū, vel vitæ ordinem mutando, inconstantiæ levitatisque frustra crimen

al. inutiliter

al. minora

al. qua

A subeat, aut majora suis viribus experiendo fatigatus, deteriùs in priora, aut etiam in pejora prioribus deficiat. Si autem verè meliora illis, quæ in promptu sunt, nondum meritus optat, patienter toleret divinum judicium, quod ulli aliquid injustè non denegat; ne per impatientiam judicem justum exasperans, mereatur quod non habet non accipere, & quod accepit amittere; aut * quod non amat, inutiliter tenere. * Seu verò misericordiam seu judicium erga se in illis, quæ non habet & optat, persentiat; lætus ex his quæ accepit, largitati supernæ gratias dignas persolvat. Et quia ad qualemcunque portum de procellosis mundi turbinibus potuit pertingere, caveat in portus tranquillitatem ventum levitatis & impatientiæ turbinem inducere: quatenus mens constan-

al. Dei

B tia & mansuetudine tutantibus quieta, divini timoris * sollicitudine & amoris delectatione sit vacua. Nam timor per sollicitudinem custodit, amor verò per delectationem * perficit. Scio quia hæc majorem aut scribendi aut colloquendi exigunt amplitudinem; ut pleniùs intelligatur, quibus, scilicet, dolis antiquus serpens ignarum monachum in hoc genere tentationis illaqueet; & econtra, quibus rationibus prudens monachus ejus callidas persuasiones dissolvat & annihilet. Sed quoniam jam brevitatem, quam exigit epistola, excessi; & totum quod hîc dixi, aut dicendum fuit, ad custodiendam mentis quietem pertinet; hujus brevis exhortatio epistolam nostram terminet. Nec putes, charissime, hæc me dicere idcircò, quòd suspicer te aliquâ mentis inquietu-

al. sollicitudinis

al. proficis

C dine laborare: Sed quoniam prædictus Dominus * Ursus cogit me aliquam admonitionem tibi scribere; nescio quid potiùs moneam, quàm cavere hoc, quod sub specie rectæ voluntatis teto Novitiis quibusdam solere subrepere. Quapropter amice mi, & Frater dilectissime, consulit, monet, precatur te tuus dilectus dilector totis cordis viscеribus, ut totis viribus quieti mentis studeas, sine qua nulli licet callidi hostis insidias circumspicere, vel semitas virtutū * angustissimas prospicere. Ad hanc verò monachus, qui in monasterio conversatur, pertingere nullatenus valet sine constantia & mansuetudine, quæ mansuetudo indissolubilis comes est patientiæ; & nisi monasterii sui instituta, quæ divinis non prohibentur mandatis, etiamsi

al. Ursus

D rationem eorum non * perviderit, ut religiosa studuerit observare. Vale, & omnipotens Dominus perficiat gressus tuos in semitis suis, ut non moveantur vestigia tua; ut in justitia appareas conspectui Dei, & satieris cùm apparuerit gloria ejus. Ora, ut & ego tecum; quia & ego oro, ut tu mecum. *

al. prævideat

EPISTOLA XXX.

Domino & Fratri charissimo Arnulfo, Frater Anselmus salutem.

Consulit non eligere locum ubi doceat, sed ubi magis docetur.

E QUod vestra petit fraterna Dilectio, ut simul præsentes invicem colloquamur, ego quoque ex quo habitum sanctæ conversationis sumpsistis desideravi & desidero: sed quia meus nec sum, nec esse volo; nondum communis effectum desiderii consequi potui, nec scio si potero. Breviter igitur pro temporis brevitate, litteris ad ea quæ mandastis respondeo. De Fratre adolescente quod petitis, nec Domnus Abbas nec nostra congregatio concederet, nisi priùs ejus vitam diuturnæ conversationis experimento cognosceret, Quod autem aliquò ire * proponitis, ubi secundùm propositum vestrum vivere possitis, laudo & hortor; hoc tamen præmoneo, ut & per licentiam

al. proponatur

gitized by Go

Abbatis vestri hoc faciatis; & ut (quocumque iter vestrum Deus direxerit) regulariter sub Abbatis obedientia, & non in propriæ voluntatis arbitrio, si monachi præmium consequi vultis, vivatis; nec locum ubi vos aliis prodesse, aliosque instruere, sed ubi vos per alios proficere & ab aliis ad spiritalem militiam instrui possitis, eligatis. Sic enim ordinatè proficietis, si priùs doceri quam docere appetieritis. Præterea, quòd studio scholarum vitam vestram, ex quo sæculo renunciastis, impeditis, nullatenus vobis expedire cognoscetis, si & vestri finem propositi, & quo exercitio illuc perveniatur, consulitis. Valeat mihi vestra dilecta dilectio, & licet in hac peregrinatione separati ad patriam velut diverso itinere tendamus; oremus tamen pro invicem, ut in patria de Deo simul æternaliter gaudeamus.

EPISTOLA XXXI.

Domino, & Patri suo desideratissimo, Matri Catholicæ cum amore reverendo cum reverentia amando Archiepiscopo Lanfranco: Frater Anselmus suus, in præsentis vitæ sanctitate diuturnùm fulgere, in futuræ vitæ felicitate æternùm gaudere.

De Lanfranci nepotis sancto profectu; & de capitis dolore, quo laborabat.

Si tam facilè dictare & scribere, quàm loqui possem, nunquam illi, cui tam sæpe loquitur cor meum, epistolarum copia mearum deesset, nisi cùm inopia mihi latorum adesset. Sed quoniam tam multa sunt, quæ me dictare impediunt, ut hoc ipsum, scilicet, quam multa sint, meditando nunc enarrare impediant, precor ne mihi paterna vestra succēseratSublimitas, quòd raro ad te servuli tui epistolæ perveniant. Quamvis namque rubigine stylus manu cessante rubescat: abstat tamen ut torpore animus linguâ tacente tepescat. Verùm his nunc omissis de dulcissimo dilectore meo nepote vestro, cujus conversationis vos scio semper præsentem habere velle notitiam, hoc vobis mando quod mea testatur conscientia. Sic utique cavet à quibus est cavendum, ut nulli nostrùm jure videatur reprehensibilis; sic studet humili benignitati, & benignæ humilitati; sic quieti & silentio atque orationi, ut merito sit omnibus amabilis. Unde certè quotidie & ipse me de se lætum facit lætiorem; & ego illum, ut de communi próximorum dilectione taceam, vestro & suo merito dilectum habeam dilectorem. Sed est quiddam, quod quamvis verè credam quia clementer ei facit divina providentia; non tamen illud videre possum absque charitativæ compassionis molestia. Dolore namque capitis jam per plures menses sic eum paternè divina quotidie affligit castigatio, ut & aliquando à conventu communi ejus læta dissocietur conversatio, & omnino à lectione aut aliquâ studiosâ meditatione ejus prohibeatur intentio. Quod ideirco vobis mando, ut & ego apud vos non sim reus hujus rei silentio; & vos aliquo, si potestis, eidem charissimo meo per Dominum Albertum subveniatis auxilio. Et ut per aliqua signa morbi genus medicus idem cognoscat; ferè semper quasi verberantur ei tempora, frons semper ponderosa, sed maximè inclinato. Lux omnis & fomus quanto major; tanto molestior. Sæpe, maximè autem post cibum, vultu toto valde rubescit; & simul non solo vultu, sed toto capite ignescit. Dominum verò Guidonem, quem magisterio puerorum addiximus, suavis commendat obedientia, & in strenuitate humilitas, ut pariter gloriari possumus, & vos per quem, & nos qui eum talem habemus. Dominus Osbernus vester, utique & pietatis affectu hilaritate condito in dies venerabiliter pinguescit, & scientiæ profectu per studii instantiam & ingenii serenitatem, tenacemque memoriam quotidie laudabiliter crescit. Non solùm igitur ideò quia nos vestra pariter copulat paterna, quâ nos fraternè jactamus, dilectio; sed & ejus exigentibus meritis, tanta dilectionis mutuæ jucundamur conglutinamurque delectatione; ut jam separari non possimus absque utriusque animæ scissura quadam & cordis læsione. Sed quando hoc, vestra eum jussione revocante, continget; meâ scissurâ in suo hiatu permanente, ipse suam consolabitur per resolidationem alterius majoris, quam nunc patitur. Verùm quiddam est, unde me sibi compatiendo dolere compellit. Crescente namque infirmitate quadam, quam vobis notam esse dicit, sic sæpissime gravatur, ut aliquando usque ad vitæ periculū perducatur. Imprimis enim subitum frigus totum caput illi, deinde cor & totum corpus vehementer afficit; & mox cor immoderatâ pulsatione laborans, simul cum omnibus corporis sensibus & viribus, sicut exhaustis sanguine fieri solet, deficit. Ex quo defectu, postquam quasi revivisset, statim velut febricitans totius corporis ardore ignescit. Sequitur quoque dolor capitis, & quasi vomere debeat, gravis perturbatio. Sæpe etiam, maximè cùm cantat, sic capitis perturbatione vexatur, ut locus in quo est in vertiginem illi rotari videatur. Quem quoniam nec scio nec possum melius, quàm à vobis amatur, amare; supersedeo pro eo Paternitatem vestram rogare. Audivi quod sanctus Dunstanus regulam vitæ monachicæ instituerit. Si igitur sic se res habet, vellem libenter famosam vitam & instituta tanti Patris videre.

EPISTOLA XXXII.

Domino Fratri, amico Henrico, Frater Anselmus, in hac vita perseverantem sanctitatem, in futura æternam fœlicitatem.

Habet gratias pro Mauritio Monacho diligenter curato.

Hoc pro certo laudabiliter solvitis, quod charitativè debetis, cum communi Fratri nostro Mauritio vos, sicut ipse mihi scripsit, benignos ac beneficos in omnibus exhibetis. Sed tamen me non modicè gratiarum eò vobis debitorem efficitis, quo illi beneficia vestræ charitatis ob amorem mei propensiùs impenditis. Verùm quoniam nequaquam nunc recenter discimus ego & vos quid invicem de vobis possimus pro nobis confidere, ingenius æstimavi easdem gratias in arca mentis clausas servare, quam non ignoranti in chartula describere. Cujus enim semper promptam bonam voluntatem esse non dubito, non solùm, cùm per exhibitam sibi opportunitatem operatur, sed semper gratiis dignum existimo. Quoniam tamen meritis vestris ad præsens opere apriùs respondere non valeo; monachis vestris, qui mecum sunt, quantùm possum, quod tribuitis, retribuo. Quia desideratam mihi aliisque Fratribus vestris vestram præsentiam nuper promisistis, si Reverendus D. Archiepiscopus mare non esset hoc tempore trāsiturus; speramus, quia terminus à vobis mandatus præteriit, quòd idem Venerabilis Pater ad nos sit ante Pascha venturus. Quod utinam cum ejus prospera hilaritate & hilari prosperitate fiat. Si verò ipsum, sicut existimamus, non viderimus; scitote quia vos à debito promissionis vestræ, nisi vos videndo non ab-

solvimus. Quippe quod scripsistis vos de adventu nostro sperare futurum; ita tenemus, ac si polliceremini eventurum. Valete.

EPISTOLA XXXIII.

Suo suus, amico amicus, Fratri Frater, Gondulfo Anselmus: pro amore fœlicitatis perseverantiam in sanctitate, pro præmio sanctitatis æternitatem * in fœlicitate.

al. & fœlicitatem

Non esse scribendum amico, cujus memoria perpetuo sit in corde.

ET is Gondulphus & Anselmus testis est quia ego & tu nequaquam indigemus, ut mutuos nostros affectus per epistolas nobis invicem indicemus. Quoniam enim anima tua & anima mea sese ab invicem nequaquam esse patiuntur absentes, sed sunt indesinenter se mutuo amplectentes; nihil nobis invicem deest de nobis, nisi quia corpore non sumus nobis præsentes. Cur autem tibi dilectionem meam describam in charta, cùm ejus veram imaginem assiduè serves in cordis tui arca? Quid etiam aliud est tua dilectio erga me, quam imago meæ dilectionis erga te? Invitat igitur me nota mihi tua voluntas, ut propter corporalem nostram absentiam aliquid tibi scribam: sed quia nobis noti sumus per animarum præsentiam, nescio quid tibi dicam, nisi, Dominus tibi faciat quod ipse scit tibi placere, & tibi expedire. Vale.

EPISTOLA XXXIV.

Fratri & Filio charissimo suo Mauritio, Frater Anselmus, dilectionis suæ integritatem, integritatis, Deo protegente, perpetuitatem.

Gratulatur Mauritio de bona valetudine restituta: postulat Regulam S. Dunstani & librum Bedæ, de Temporibus.

NON quia vel me dignum cui à quoquam paterna debeatur reverentia putem; vel quia dilectionem meam alicujus momenti existimem, hujusmodi salutatione epistolam tuæ dilectioni destinatam prætitulavi: sed quoniam ex quo te novi, semper erga te & fratris dilectionem & patris diligentiam, & si non potui, tamen adhibere curavi. Quam meam quoniam notam & gratam esse tibi scio voluntatem; ideireo gratum fore tibi non dubito, si me dilectionemque meam apud te confido in aliquam extollere dignitatem. Quoniam igitur præcessit quasi superbæ salutationis exe[illegible]io, subsequatur jam fraternæ allocutionis executio. Sicut enim non dubito quòd & tuâ erga me ferveas, & meâ erga te gaudeas dilectione; ita certus sum quia quotidie desiderando expectas, expectando desideras separationem; quàm à dilecto dilectore tuo pareris consolari alicujus mei nuncii auditu vel lectione. Susceptis dilectionis tuæ litteris, major animum amici tui dilatavit lætitia, quam te, fateor, à nobis discedente contraxit mœstitia. Te namque discedente leviùs dolui, quia quod evenisse mandas, hoc eventurum desiderando expectabam: nunc autem veriùs gaudeo, quia hoc evenisse mandas, quod eventurum expectando desiderabam. Quod quia nimis tardè videbatur ad meam pervenire notitiam: litteras prp hoc ipso discutiendo Dilectioni tuæ dirigere, antequam tuas accepissem, proposueram. In primis igitur pro his, quæ mihi scripsisti erga te bona esse, gratias ago Deo, à quo est omne bonum; deinde omnibus illis, qui tibi exhibent, nostræ dilectionis occasione, charitatis bonum. Te verò charissimum mihi moneo, quatenus gratiam & beneficia eorum, cum quibus degis, quæ ante tuæ conversationis agnitionem potuisti obtinere, deinceps per ejusdem conversationis ostensionem merearis retinere. De reditu tuo quòd te deliderare significas, sub silentio adhuc decrevi supprimere: donec tempore opportuniori reverendo Domino & Patri nostro Archiepiscopo Lanfranco, cujus voluntati nos obedire oportet, desiderium nostrum rationabiliter valeamus suggerere. De regula Sancti Dunstani scripsi Domino Archiepiscopo. Tu tamen insta Domno Henrico & Domno Gondulfo ex nostra parte, ut eandem regulam, & Bedam *de Temporibus* propter ea, quæ in nostro scis esse corrigenda, qualescumque, quantò tamen meliores possunt, in illis partibus quærentes mihi citò eosdem libros remissuro debeant accommodare. Omnipotens Dominus te sibi semper & ubique custodiat, Frater, & quoniam hoc * magis audire, fili charissime, vale. Nostras litteras raro expectando, propter sterilia impedimenta mea, tuis, rogo, me sæpe lætifica. Iterum dico, quod semper volo, vale.

EPISTOLA XXXV.

Fratri, & Filio suo charissimo Mauritio, Frater Anselmus, divinam in prosperis custodiam, in adversis * munitionem.

Quòd non scribat ob penuriam Tabellariorum, qui epistolas deferant: petit Aphorismos cum glossis.

SI hoc esset, quod questa est tua dilecta mihi Dilectio in secunda tua mihi destinatâ epistolâ, quòd, scilicet, te negligendo nullis te nostris litteris, postquam mare transisti, visitaverim; quolibet asserente me nimis inconvenienter egisse, non defenderem & omnibus tacentibus ipse me non modicè reprehenderem. Absit enim ut quem à puero & à prima cognitione tanto studio, pro modulo meæ possibilitatis, te tesse, dilexi; nunc te negligam, cùm ad morum probitatem & amorem Dei, quantùm largiri dignata est superna clementia, profeceris, & in dies nitaris proficere: quod semper de te desideravit cor meum, & fategit studium meum. Utique antequam tuas mihi priores litteras transmitteres, meas tibi transmittendas per primum, qui se opportunum exhiberet nuncium, paravetam. Sed cùm eundem epistolæ tuæ latorem, congruũ existimarem meæ relatorem; contigit eum, præter spem & votum suum & meum, tam diu demorari, ut mea epistola tuæ priori respondens jam scripta à tuâ visione tamdiu differretur, donec secunda tua mihi deferretur. Licet enim multi Normanni ad Anglos transeant, paucissimi tamen sunt, qui, me sciente, hoc faciant; in quibus paucissimis vix est aliquis, quem nostram legationem sine dilatione & non negligenter facturum confidam. Sed ut res ipsa me apud meum excuset criminatorem, duas meas epistolas duabus tuis respondentes mitto per tuarum latores. Et quoniam cum importuno mihi res est, quod singillatim suisque temporibus facere non potui; saltem simul ad persuadendum incredulo, & satisfaciendum suspicioso facere disposui. Illud, propter quod jamdudum me reverendæ Domini & Patris nostri Archiepiscopi instare Sanctitati postulasti, quantò studiosiùs secundùm tuam voluntatem potui; in quadam meâ illi missâ epistolâ facere tentavi. Si igitur, cum ejus semper nobis amplectenda gratia, te ad nos, secundùm quod tibi expedit, & ego & tu desideramus, redire

contigerit: quod ſcriptum erit de aphoriſmo, tecum affer. Interim tamen, quantùm ſine tuo incommodo potes, de textu primùm effice; deinde, ſi tibi licuerit, de gloſſis; hoc ante omnia ſervans, ut quicquid ex eo deduxeris, diligentiſſimè ſit correctum. Si quid verò, te redeunte, reſiduum inde fuerit; ſi opportunè Domnus Gondulfus per aliquem hoc perficere poterit, ejus curæ deſignatum dimitte. Multò tamen melius erit, ſi exemplum ipſum, ut mihi accommodetur, idem Domnus Gondulfus poterit impetrare. Saluta Domnum Herluinum, monens ut & ſibi & mihi memor ſit mei. Vale.

EPISTOLA XXXVI.

Domino, fratri, amico in Chriſto amato, & ad Chriſtum deſiderato Alberto: Frater Anſelmus, pro cœleſtibus terrena deſpicere, pro terrenis cœleſtia percipere.

Refert gratias de Mauritii Beccenſis cura: Et conſulit fugam ſæculi.

NOn ſolùm præmium, ſed vel gratias fateor me, ſecundùm meritum veſtrum & deſiderium meum, pietati veſtræ non poſſe rependere pro miſericordia, quam dilecto Fratri meo Mauritio in infirmitate ſua dignatur impendere: quoniam tamen alterum utcumque valeo, ad alterum tamen nullatenus ſufficio; injuſtus mihi videor, ſi in eo, quod poſſum, deficio. Gratias igitur tantas, quanta mea poſſibilitas eſt, refero: ſed præmium vobis multò opulentiùs à Chriſto reddendum reſervo, cui ipſi infirmo curam exhibetis, ipſo teſte, in ſuo ſervo Mauritio. Precor etiam quatenus, ſicut vos mercedem non tædebit perfectam percipere; ita non pigeat, quantùm in vobis eſt, ſanitatem inceptam perficere. Sed his præmiſſis, quæ debeo pro gratiarum actione; quæ ſequuntur erunt de quadam, quam vobis adhuc debeo, reſponſione. Olim namque, cùm litteris veſtræ Dilectionis reſcripſi; non totum, quod mente conceperam, deſcripſi. Quatenus veſtra prudentia minus * faſtidioſè perciperet, quod ſcriptum ſibi minus verboſè perſpiceret. Ad eandem igitur reſponſionem pertinet, quod inferiùs epiſtola præſens hæc continet. Cùm verè dilectam mihi honeſtatem veſtram, tanto ſtudio dilectionem vilis homuncul, meam dico, affectare intueor: utique illam tantâ ſuâ ſupplicatione majus aliquid mereri, quàm meus ſit amor, confiteor. Sed quoniam aliud quid vobis dare poſſim majus amore non habeo; ipſum quàm majorem pro meo modulo poſſum, exhibeo. Majorem verò dilectionem puto, quod à me nemo valet exigere; quàm ut velim eum tanquam meipſum diligere. Quapropter ſi vobis conſulo, quòd me mihi, cùm ſic eſſem ſicut vos nunc eſtis, ſingulariter conſuluiſſe, conſulendo tenuiſſe, tenendo amare, amando habitu profiteri, & tota vita mihi cognoſcitis: vos ipſi judicate, ſi illud reſpuere debeatis, cùm hoc ego vobis fideliter exhibeam, quod vos à me ſuppliciter expoſcitis. Denique ipſa venerabilis Domini & Patris noſtri Archiepiſcopi auctoritas, cujus judicium ſua nec ipſa prudentia falli, nec juſtitia fallere permittet; ipſa, inquam, decernat, utrum vos deceat, aut mihi non ſit injurioſum, ut noſtram vobis dilectionem expetendo aſſeratis placere; & eandem ipſam, ejus uſum, in quo illa verior eſt, contemnendo probetis vobis diſplicere. Sed quamquam non vos lateat ad quid velim devenire: conſilium tamen meum, imò non meum ſed Dei, non me piget clariùs aperire. Si igitur jam experti eſtis, *quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt: ſi jam cognoſcitis quia mundus tranſibit & concupiſcentia ejus*: ſi legiſtis quia *amicus ſæculi hujus, inimicus Dei conſtituitur*: ſi creditis, quia *quicunque reliquerit domum ſuam, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit*: hortor vos, *nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo ſunt*: ſed relinquite ea, & ſequimini paupertatem Chriſti, ut pro eis centuplum accipiatis, & vitam æternam poſſideatis. Amen, fiat.

Jacob. 4. v. 4. Matth. 9. v. 29. Marc. 10. v. 29. Luc. 18. v. 29. 1. Joan. 2. v. 15.

EPISTOLA XXXVII.

Dominæ eximiæ, & merito Sanctitatis cum amore reverendæ, cum reverentia amandæ Frodelinæ, Frater Anſelmus Beccenſis, vita peccator, habitu monachus, ſervus ſervorum & ancillarum Dei; vitæ præſentis perſeveranter creſcentem Sanctitatem, & vitæ futuræ æternam fœlicitatem.

Paciſcitur mutuam cum ea meritorum communionem.

POſtquam odorem veſtræ bonæ famæ, quæ longè lateque ſuaviter redolens circumvolat, perſenſi; ſemper deſideravi ad veſtram notitiam aliqua commoda occaſione pervenire, ut per notitiam mererer aliquatenus ad amicitiam pertingere; ut qui bonis meis meritis me video valde indigere, veſtris me poſſem aliquantulùm per charitatis communionem miſtere. Sed gratias ago Deo, quia dum hanc voluntatem gererem, & voluntatis effectum cupidus expectarem, intimatum eſt mihi per communem in Chriſto Fratrem & amicum noſtrum Domnum Hugonem incluſum Cadomenſem, quia Sanctitas veſtra non diſſimili affectu ſimilem de ſe apud me præſtolaretur eventum. Quapropter quoniam comperio, & comperiens gaudeo Chriſtum deſideria veſtra, quæ novit ex ſua naſci dilectione, nobis ignorantibus exaudiiſſe, atque nos etiam neſcientes paribus vobis ſimilique dilectione junxiſſe; jam non timens notam præſumptionis, mitto vobis litteras meas per confidentiam mutuæ dilectionis. Et quidem, Domina chariſſima, & ideò Domina & chariſſima, quia vitæ meritis valdè præſtantior, ego ſcio in me nihil vel minimum aliquid eſſe, quod dignum ſit ad augmentum veſtræ Sanctitatis expectari. Quoniam tamen veſtris majoribus bonis deſidero participare, neſcio qua fronte poſſim vobis participationem meorum bonorum, qualiacunque ſint, cùm eam deſideretis, negare. Si quid igitur boni Jeſus-Chriſtus Dominus noſter in me operatus aut operaturus eſt; oro ego, & concedat ipſe ſecundùm veram Dei & proximi charitatem, ut vobis non aliter quàm mihi imputetur. Peto etiam, licèt mea merita nequaquam veſtris poſſint æquari, ut veſtra beatitudo me * ſecundùm eandem charitatem ſuorum meritorum communioni aliquatenus dignetur admittere. Quamvis autem mens veſtra divino ſpiritu ferventer afflata non indigeat * admonitione; deberem tamen ego, pro debito meæ profeſſionis, aliquam exhortationem ſcribere veſtræ Sanctitati, niſi epiſtolæ timerem prolixitatem. Quod debitum doneт Deus ut aliquando, vel colloquendo, vel ſcribendo perſolvam. Omnipotens Dominus ſic vos in temporali vita ab omnibus malis cuſtodiat, ut vos poſt hanc vitam in æternis bonis conſtituat, Domina multùm in Chriſto amanda & * venerãda. Ipſe ſic invicem me veſtri, & vos mei memores in ſuo amore faciat, ut & illi placeat, & nobis ad vitam proſit æternam. Amen.

* al. admonenda

EPISTOLA XXXVIII.

Domno Reverendo, affectu toto diligendo & dilecto Guillelmo, Frater Anſelmus ſuus; pro amore fœlicitatis perſeverantiam in proficienti ſanctitate, pro præmio ſanctitatis æternitatem in ſufficienti fœlicitate.

De litteris Guillelmi ſibi additis gaudet, eumque à ſæculi vanitate avertit.

Litteræ dulcis mihi veſtræ dignationis, quas ſuſcepi, cor meum dilecti veſtri nominis titulo lætificaverunt, ſublimis humilitatis odore refecerunt, profundæ charitatis ſapore ſatiaverunt, piæ conqueſtionis affectu compunxerunt. Quarum petitioni cùm nunquam velim deficere, utique fateor reſponſioni me nequaquam poſſe ſufficere. Cùm enim in toto me & in omnibus quæ in me ſunt, conſcius ipſe mihi ſim nihil eſſe dignum tantâ poſtulatione; & veſtra beneficia, &, quod valde majus & mihi charius eſt, veſtra erga me dilectio plus mereantur de me quàm meipſũ; certè nulla ſufficit affectui meo verborum devotio, quæ vobis, quia plus non poſſum, offeram memetipſum. Quatenus veſtra Sanctitas nec jugem memoriam ſui, in me velut in ſuo dubitet non eſſe; & ſi quid divinitùs ſit in me, certa ſit, velut quod ſui eſt, ſuum eſſe. Quoniam igitur non ſolùm orationis, ſed & monitionis & omnimodæ ſollicitudinis debitorẽ me ſcio illius ſaluti, cujus me ipſum eſſe profiteor; rogat, mònet dilectus fidelis veſter, ne areſcat per amorem ſæculi ſemen bonæ voluntatis, quod in vobis per divinum reſpectum cœpit germinare: ne teneantur laqueis ſæculi pedes veſtri, qui jam non ſolùm per opera miſericordiæ, ſed & per celſioris tramitis intentionem in via æterna cœperunt ambulare. Sed ſollicitè avertendo oculos mentis veſtræ, ne videant vanitatem; ſemper eos per indeficientem intentionem converſos habeatis ad veritatem.

EPISTOLA XXXIX.

Suo dilectiſſimo amico, & Fratri; & quoniam hôc charius auditur, chariſſimo filio Mauritio, Frater Anſelmus, ſalutem.

Se accepiſſe munera tranſmiſſa.

PRetioſum munus pretioſæ mihi tuæ dilectionis eâ charitate, quâ miſſum eſt, ſuſcepi; & in eum uſum, ob ampliorem tui memoriam, quem poſtulas penes me manſurum conſtitui: non tantùm, ut recipiam aliud, ſicut promittis, quantùm quia ſic tibi placere & ego ſcio, & tu ſignificas tuis dictis. Pro quo gratias tibi ſcribendo referrem, niſi tu ſcites quia plus aliquid paratus fui tibi ſemper tribuere, antequã eſſet quod poſſem retribuere. Semper enim fui & ſum memetipſum, & quod poſſum, tibi & pro te paratus impendere. Feſtinat lator, cogor, quæ conantur erumpere, animi verba reprimere: hoc tamen ſub infero, quod tibi fui, hoc perſiſto. Vale.

EPISTOLA XL.

Domno & Patri reverendo, amico dulciſſimo Helgoto, Frater Anſelmus, vitæ præſentis diuturnam proſperitatem, & futuræ æternam fœlicitatem.

Commendat ei Rogerii Abbatis fratrem.

DOmnus Abbas * Rogerius certus de vobis & de me, quia ſic nos in cor unum & animam unam ignis charitatis conflavit, ut quod alter alterum ſcire * noluerit, hoc ipſe nolle non poſſit: petiit à me quatenus ejus Frater Gunfridus, qui Cadomi moratur, veſtræ Sanctitati commendaretur per me. Non ut aliquandò, aut ejus injuſtitiæ in aliqua cauſa à vobis faveatur; aut aliquid de ejus ſervitio, quod Domno Abbati & monaſterio veſtro debet, per vos relaxetur: ſed ut charitatem, quam vos omni proximo ſcitis debere, familiariùs illi, cùm id ratio videbitur exigere, propter amorem veſtrum dignemini exhibere. Si igitur judicat prudentia veſtra quia quod tantus amicus me poſtulat non indecenter, nullatenus poſſum negare decenter: nihil aliud reſtat, niſi ut, quod omnibus eſt honeſtum amicis, concedatis libenter. Salutate Ducem & Venerabilem Patrem & Dominum noſtrum * Domnum Abbatem, & omnes dilectos dominos & Fratres noſtros, qui vobiſcum ſunt. Pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra & intelligentias veſtras.

* al. omit.

EPISTOLA XLI.

Domino ſuo, & Patri Archiepiſcopo reverentiâ, cultu, & amoris affectu digniſſimo Lanfranco, ſuus ſubjectione & amore ſervus & filius, Frater Anſelmus, quod ſuus.

Lanfranci modeſtiam de munerum tenuitate prædicat: & de Monachorum abſtinentia ſuam ſententiam profert.

SIcut paterna veſtra Dilectio neſcit non eſſe mihi, & cùm non largitur, munifica, & cùm ſecura eſt, ſollicita: ita ſcitote, imò ſcitis fidelitatem noſtram, & cùm tacet, nunquam eſſe ingratam. Cùm enim * mihi non mittitis ex uſu dilecto dilectori veſtro pretioſa munera, blandè ſatisfaciendo pretioſiorem mandatis excuſationem; & cùm certi ſitis me nihil contra Chriſtianam fidem ſentire, ſatagitis tamen, ne quam de me pravitatis vel falſam aliquis poſſit habere opinionem. Quippe talis, qualis illa fuit, quam mihi feciſtis, munerum excuſatio, cùm à tanto tantillo ſit, munus eſt multò pretioſius purpurâ & auro. Quod utique munus non miſiſtis ideo quòd eo me indigere putaretis, cùm nequaquam ignoretis illud mihi in cordis arca ſemper reconditum; ſed quia benignitas veſtra nuncium à ſe ad me vacuum tranſire pati non potuit. Neque enim cùm veſtra ſuſcipio dona, opus habeo eorum commendatione, quæ nullatenus dubito vetà mei dilectione fieri: neque cùm non affluunt, indigeo excuſatione; quia certus ſum ea * ceſſare aliquâ juſtâ ratione, quam ſi vobiſcum intelligerem, eligerem vobiſcum. Quod autem præcipitis, ut circa quaſdam non meas, nec alicujus Chriſtiani aſſertiones, ſimpliciter quam me ſcitis tenere, veritatis ſententiam proferam, gratiſſimè accipio, & libentiſſime obedio. Didici in ſchola Chriſtiana quod teneo, tenendo aſſero, aſſerẽdo

* al. omit.

amo: quia ſi quis eorum qui habent ſubſtantiam mundi, dederit indigenti vel calicem aquæ frigidæ, propter verũ amorem Dei & proximi, eleemoſynam facit, & non perdet mercedem ſuam. De monachorum verò abſtinentia hoc ſentio; quia quantò majore amore Dei aut proximi monachus ab appoſitis ſibi alimentis abſtinuerit, tantò majorem & facit eleemoſynam, & acquirit mercedem.

EPISTOLA XLII.

Domno, amico, Fratri chariſſimo Henrico, Frater Anſelmus; vitæ præſentis proſperam diuturnitatem, & futuræ * fœlicem æternitatem.

Dolet quòd vix ſcribendi vixque legendi & orandi otium habeat.

QUamquam vera dilectio ſemel accenſa ſemper flagret, ſine ventilationis inſtantiâ; non tamen parùm jucunditatis ab amicis ex ea percipitur, ſive a præſentibus, ex mutuæ converſationis; ſive ab abſentibus, ex alicujus commonitionis frequentia. Quoniam igitur, ſupernâ ſic diſponente providentiâ, mutuis aſpectibus invicem non poſſumus jucundari; vel alternis miſſis ſalutationibus, & ſi non quantùm volumus, ſaltem quantùm poſſumus, ab invicem debemus lætificari. Quapropter ſi mihi tam ſæpe liceret, quàm ſæpe vellem, utique ſæpiſſime ſchedulam & noſtram vobis dirigerem, & mihi veſtrum exigerem. Mihi quippe, meis id peccatis agentibus, ſic non ſolùm dictandi, ſed & legendi & meditandi ſive orandi opportunitatem video remotam, ut credam à me Dei miſericordiam amotam. Unde, licet non quantùm ad eandem revocandam miſericordiam divinam ſufficiat, inconſolabiliter tamen, doleo: quia cùm tantum ſit miſero mihi quietis impedimentum, nullum me conſolatur inquietudinis emolumentum. Qua in re cùm non juſtè mihi videar viles & ſteriles, quas tamen negligere non audeam, occupationes accuſare: nequaquam tamen rem interiùs diſcutiens, meam valeo ignaviam excuſare. Adeo namque vilis mens mea quaſi quadam naturali arctatur anguſtiâ, bonæque voluntatis languet imbecillitate, ut uni quamlibet parvæ curæ, cæteris excluſis, tota non ſufficiat, & cujuſlibet oneris tentationiſque gravedine victa ſuccumbat. Quapropter, mi chariſſime Frater & Domine, quoniam ex charitate & mea merita, ſi qua eſſent, veſtra eſſe vellem; & quæ veſtra ſunt, mea eſſe confido: de mea deſperans ignavia veſtram precor & exhortor ſtrenuitatem: ut qui me ex meo minùs proficienti defectu ſentio reprobari, per * veſtrum indeficientem profectum mereas revocari. Valeat, & valeat nunc & in æternùm dilecta mihi veſtra Fraternitas.

EPISTOLA XLIII.

Domnis, & Fratribus, & amicis chariſſimis, Herluino, Gondulfo, Mauritio, Frater Anſelmus; aſcendendo de virtute in virtutem, pervenire ad Chriſtum ſummam Dei virtutem.

Beccenſes monachos, in Cantuarienſi Eccleſia tum degentes, adhortatur ut meliora ſemper proficiant.

QUoniam & unum eſt, quod vos pari intenditis propoſito; nec eſt diverſum, quod ego de vobis communiter deſidero; idcirco vos ſimul unius epiſtolæ allocutione conjungo. Si bene meminit Dilectio veſtra, quales vos ſemper optem videre præſentes, ſufficienter novit quales vos aſſiduè deſiderem audire abſentes. Quoniam namque, ut veſtra mihi teſtis eſt conſcientia, omnibus vobis fratris dilectionem, & inſuper uni veſtrûm patris diligentiam ex corde non dicam impendi, ſed volui impendere; nullum interjacentis terræ matiſque ſpatiũ affectum veſtri à me valuit abrumpere. Licet igitur Reverendi Domini * & Patris noſtri Archiepiſcopi præſens vobis conſilium & admonitio, ſingulorumque veſtrûm conamina, quid ſuus habitus profiteatur, meditatio, mutuæ quoque in ſancto fervore collocutionis frequẽs accenſio ſufficiant, quibus veſtra ſtudia bene inceptа quotidie ad meliora proficiunt: exigit tamen indeficiens dilectio, ut exhortationes noſtræ, qualeſcunque ſint, vobis quamvis abſentibus & non indigentibus non deficiant.

Moneo itaque & precor, chariſſimi, quatenus nihil ſit, quod mentem veſtram a ſui revocet cuſtodia; ſollicitè diſcutiat quid quotidie acquirat proficiendo, ne quid, quod abſit, perdat deficiendo. Sicut enim in virtutibus difficilius eſt aliquid non habitum conando aſſequi, quàm deſidia carere: ita graviùs eſt recuperare quod per negligentiam amittitur, quàm adipiſci quod nondum quis habuiſſe cognoſcitur. Semper igitur, dilectiſſimi, præterita quaſi pro nihilo ſic deputetis; ut & illa, ad quæ profeciſtis, * tenere non contemnatis; & his aliquid addere licèt per infirmitatem nequeatis, tamen per importunitatem ſemper contendatis. Quoniam namque inter multos vocatos pauci ſunt electi; certi ſumus omnes, veritate dicente: ſed quàm pauci ſint, incerti ſumus cuncti, veritate tacente. Quapropter quicunque nondum vivit ut pauci, aut vitam ſuam corrigat, aut inter paucos ſe colligat; aut cum certitudine reprobationem timeat: qui verò jam ſibi videtur de paucis, non ſtatim de ſecuritate electionis confidat. Quippe quoniam nemo noſtrûm ſcit in quantam paucitatem redigantur electi: nullus * utique novit ſi jam ſit inter paucos electos, licet jam paucorum ſit ſimilis inter multos vocatos. Nullus igitur retrò reſpiciendo penſet quàm multos in via cœleſtis patriæ præcedat: ſed indeclinabiliter in anteriora intentus ſollicitè conſideret, ſi jam pariter cum his, de quorum electione nemo dubitat, incedat: Videte igitur, chariſſimi, ne qualibet occaſione timor Dei, quem concepiſtis, tepeſcat; ſed ſemper quaſi indeficienti ſtudio ventilatus, in dies ferveſcat; donec vobis in ſecuritatem æternam mutatus luceſcat.

Valete, amici mei amantiſſimi, & rogo vos per fraternam charitatem quam mihi debetis, orate ſolito inſtantiùs: ne ego, qui vos hortor ad profectum, perficiam quem jam olim verè incepi, & jam nunc ferè effici, miſerabilem defectum.

EPISTOLA XLIV.

Olim ſocio & Fratri coæquâ familiaritate diligendo, nunc Domino & Patri cum dilectione reverendo, * Roveciſtrenſi Epiſcopo Hernoſto: Frater Anſelmus, in hac vita integram incolumitatem, in futura perfectam fœlicitatem.

Acerrimis oppreſſum doloribus ad patientiam excitat.

CUm audio quòd frequentibus & gravibus moleſtiis ferè uſque ad mortem caro veſtra atteritur, contriſtat me humanâ mœſtitiâ mens affectus:

[a] hæc eadem in epiſt. 2.

[b] al. temerè

[c] al. hoque

sed cùm considero quia per hæc anima vestra ad æternitatem nutritur, consolatur me spirituali lætitiâ vester profectus. Notum quippe est Sanctitati vestræ, quia in tribulatione carnis, & per ultionem rubigo peccatorum exuritur, & per patientiam justi vita * perficitur. Scriptum namque est quia *flagellat Deus omnem filium quem recipit.* Et quia *tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit.* Et quia *patientia opus perfectum habet.* Unde proculdubio cognoscitur quia tanto affectu est in tribulatione gaudendum, quanto conatu est per spem, & operis perfectionem * in filiorum hæreditatem nitendum. Cùm enim semper gratum sit Deo, si nunquam ab ejus ordinatione dissentimus; tunc utique valde illi placemus, si & in nostra adversitate ejus voluntati hilariter consentimus. Et quamquam sit justissimus; nequaquam tamen, cùm sit misericordissimus, coget nos peccata in futuro sæculo vindictâ repetitâ luere, quos hîc viderit ultioni cum animi hilaritate occurrere. Tantò itaque districtum judicem expectare poterimus leniorem, quantò hunc * illum patienter sustinebimus severiorem. His igitur & aliis hujusmodi meditationibus, mi Reverende Domine, sicut scit paterna vestra Sanctitas ex carnis defectu, * animæ considerando profectum; ex carnis ægritudine, animæ salutem; ex ultione, indulgentiam trahat; ex ipsa tribulatione consolationem, & ex mœrore lætitiam. Omnipotens & clementissimus Deus sic vos in hoc sæculo per omnia suæ faciat concordare voluntati, ut ipse in futuro per omnia vestræ concordet fœlicitati. Dulcissime mi Pater, & Reverende Domine, precor ut paterna vestra Sanctitas non obliviscatur * fidelis servi sui, corpore absentis, sed mente adhærentis. Valeant semper in Domino corpus & anima vestra.

Hebr. 12. Rom. 5. Jacob. 1.

EPISTOLA XLV.

Reverendis Dominis, dilectissimis avunculis, dulcissimis nutritoribus suis, Lamberto & Folceraldo: Frater Anselmus, bona temporalia pro æternis despicere, æterna pro temporalibus percipere.

Ne lethargico mundi somno corripiantur.

Vide epist. 28. supra.

QUamvis nos locorum temporumque spatia separent, arbitrio superno disponente; nulla tamen causa vestræ dilectionis affectum valet aut valebit mihi minuere, divinâ gratiâ protegente. Et quoniam certum est cordibus vestris similem affectum erga me non dissimiliter inhærere; utique dubium mihi non est quòd sicut ego ea, quæ circa vos sunt; ita vos ea, quæ circa me sunt, nota semper desideretis habere. Sed ea per hujus schedulæ latorem plenius poteritis discere & notificare, quàm brevitas epistolaris sufficiat intimare. Quale autem desiderium cor meum gerat de vobis, ille à quo, & ad quem, & cui soli notum est idem desiderium, sic intimet & persuadeat vobis, quomodo ipse scit expedire vobis. Ut tamen aliquid de cordis abundantia eloquar; nihil magis de vobis timeo, quàm ne in amore sæculi, & sæculari vita perseveretis, dormientes usque in finem; & nihil aut parum quid inveniatis cùm viris divitiarum in manibus vestris, cùm evigilaveritis post finem.

EPISTOLA XLVI.

Secundùm carnem consanguineo, in Christo fratri charissimo Folcerado, Frater Anselmus; sic ire de virtute in virtutem, ut videat Deum Deorum in Sion.

Se miro ejus visendi teneri desiderio, sed detineri ex eo quòd in Francia milites iter liberum nulli facerent.

COgitavi ipse ego ad te venire, & ad pedes reverendi Abbatis tui prostratus quantâ possem humilitate postulare, ne * animas (me & te dico) tanto conglutinatas vinculo carnis & spiritus, violentâ conversationis separatione non tantùm disjungeret, quàm scinderet. Sed tam crudelis tamque effrenata malitiosorum hominum in Francia debacchatur * sævitia; ut nec me, nec aliquem monachum, aut quempiam equitem audeam tanto committere periculo. Re enim verâ Domnus Rodulfus cùm, te reducto, rediret, in Archiepiscopatu Rhemensi cum famulis, equis ablatis omnibus, captus est; quamquam se sub Archiepiscopi Rhemensis tuitione ire clamaret. Qui aliquandiu detenti, vix tandem uno equo retento, relaxati sunt. Denique etiamsi possem absque omni te audire periculo. Rex tamen & Domnus Abbas noster, in quorum potestate sum, nolunt mihi eundi dare licentiam: nec tamen ab illis, ut te possim habere, ullum recupero auxilium, aut consilium; nec usui esse honoris existimant, quod tanto studio, de tam longinquo, tamque humilibus & amicabilibus litteris frustra bis popposcerunt, tertiò forsitan frustrà reposcere. Hæc idcircò tibi scripsi, charissime, ut tu haberes per quem mihi desideranti scire quæ circa te sunt, mandare posses, & simul scires, quia jam nullum ab homine expecto auxilium, quo tuam tantopere desideratam conversationē assequi possim: quatenus solius Dei nostro desiderio favorem, secundùm suum beneplacitum, orantes expectemus, & interim ejus de nobis dispositionem obedienter patienterque toleremus. Sic enim citiùs & benigniùs desiderium nostrum perficiet; si non quod nos volumus; sed quod ipse vult, nos desiderare perspicier. Quamquam enim tu valde sufficienterque te consoleris ex sancta paternaque benignitate Abbatis tui, quam à te inventam sæpe mihi præsens gaudēdo prædicare solebas; ego tamen, quod * de te desidero, desiderare non desistam. Orationes, quas tibi, cùm mecum esses, scribi feceram; nescio per quem tibi mittere possim. Lator enim præsentium eas ferre tibi non est ausus, timens ne sibi auferrentur. Cùm enim eum prima vice ad te misi, dicit se captum & expoliatum; vestesque suas, si quid fortè in eis quod tolli posset inveniretur, discussas. Rogo, manda mihi per epistolam; quæ circa te sunt. Dominus, *qui custodit Israël, custodiat te ab omni malo, custodiat animam tuam Dominus.*

Ps. 120.

EPISTOLA XLVII.

Charissimo suo consobrino Petro, Frater Anselmus, ea bona, quæ necessariò amittuntur, sponte dimittere, ut ea quæ æternè tenentur, possit recipere.

De honestis gratulatur studiis, & ad puriorem vitam hortatur.

DIcere non possum, dilectissime, quanto gaudio exultavit cor meum, cùm audivi à dilecto Fratre

tre & consobrino nostro Domno Folceraldo, te non solùm ad hanc, quam habes ætatem, pervenisse, sed etiam bonis honestisque studiis profecisse, & in dies proficere. Sed & huic meo gaudio multum est additum, cùm *mihi dixit quia me desiderabas videre. Memor enim & servator magnæ amicitiæ, quæ olim fuit inter me & avum & patrem & matrem tuam; & immensæ dilectionis, quam habui erga te, cùm adhuc puerulus esses; *ea semper de te desidero, quibus meliora non possum: & cùm bona de te audio, sic gaudeo, ut plus non possim. Accensus igitur desiderio tui in Deo, oro Deũ ut det nobis simul in hac vita, quamdiu victuri sumus, conversari, & in futura conglotiari. Unde hortor, precor, obsecro, mi dilectissime, crede verum esse quod veritas dixit, & ama quod relinquẽtibus sæculum propter se promisit. Incipe parare tam magnum quæstum, accelera ad tantum lucrum; ut quæ mundi sunt relinquens, centuplum accipias, & vitam æternam possideas. Quòd si tibi Deus inspiraverit, rogo, charissime, ne dubites propter itineris laborem venire ad amicum & consanguineum tuum te desiderantem. Quoniam si simul vixerimus, quanto mutuum nostrum gaudium de nobis invicem præsens nobis erit; tanto quicquid grave videbitur, levius erit.

EPISTOLA XLVIII.

Domino & Patri suo Reverendo Archiepiscopo Lanfranco, Frater Anselmus, suus quod suus.

Expostulat de honorifica compellatione.

Hanc ab Anselmo jam Abbate scriptam fuisse ipse mox ostendit, & deprimam Lanfranci epistolarum fuisse.

SIcut Zacharias Propheta ad commendandam suæ prophetiæ auctoritatem fere per singulos versus repetit; *hæc dicit Dominus.* Sic mihi ad inculcandum, quis, cui, & quo animo loquatur; libet ut tam sæpe epistolæ nostræ, quas vestræ dirigo paternæ Celsitudini, in fronte pictum præferant: *Domino & Patri; & suus, quod sum.* Sic enim hanc, non dicam, scio simulare, sed sculpsi in mente mea impressam; ut quicquid proponam in incipienda nostra salutatione, hoc in consummata appateat expressum. Cùm igitur hoc titulo vobis tam sæpe scribam, quærendo queror, & querendo quæro cur mihi nunquam rescribatis; sed nescio cui vestro Domino & Patri, primâ litterarum notato. At si servo & Filio vestro scribitis; cur, quod destruere non potestis per oppositam negationem, subvertere tentatis per relativam oppositionem? Precor itaque ut quotiens litteras dignationis vestræ suscepero, aut videam cui scribitis: aut, * vel non videam cui non scribitis.

EPISTOLA XLIX.

Domino Reverendo & amico, Domno Priori Henrico, Frater Anselmus salutem.

Critias agit pro auro, in quo tamen plus laudatur dantis animus, quàm munus. Et veniam petit pro Osberno.

GRatias vobis magnas scribo pro auro quod misistis: sed multò majores corde teneo pro bona erga me voluntate, quam retinuistis. Quam quotidie multò meliùs & clariùs experior in dilecto meo communi Fratre nostro Mauritio, quàm in millibus auri & argenti. Ab his enim qui ab eo veniunt audio vos eum tanto honore & amore tractare; ut appareat vos non modicè me dilectorem ejus amare. Litteras quas charissimo filio vestro Fratri nostro * Salvino misistis, legi: in quibus tam benignè, & vestram erga eum expressitis dilectionem, & mei plus quam merear, indidistis mentionem; ut ibi animadverterem magnam quandam sapienter latentem, & latenter sapientem deprecationem; quatenus ego, quem sic describitis, benignum erga alios, illi, quem sic diligitis, impendam meam curam & dilectionem. Et ita fiat, quandoquidem ita vultis. Cùm enim eum amem propter Deum & propter seipsum: & quia confitetur se amicum esse Domni Gondulfi; adhuc crescat amor, quia est dilectus Domni Prioris Henrici. In eisdem litteris, cujusdam culpæ veniam spontaneâ benignitate eidem dilecto vestro & meo concessam inveni. Et quia servulus vester, Frater noster Osbernus, cum eo pariter se non per superbiam, sed per imprudentiam peccasse cognoscit, nec sibi sentit indultum esse; mœstum pro culpa & sollicitum de venia percepi. Precor igitur ut quod in me laudatis, mecum in vobis exhibeatis: quatenus mecum super afflictionem ejus pia gestantes viscera, sicut * Salvino indulsistis propter vestram solam bonitatem, ita Osberno dimittatis si quid in vos peccavit, propter vestram benignitatem, & nostram charitatem.

EPISTOLA L.

Fratri frater, dilecto dilectus, Gondulfo Anselmus, in hac vita diuturnam, & in dies proficientem Sanctitatem; in futura vitam æternam, & semper sufficientem fœlicitatem.

Familiaris est epistola.

OMnes quotquot veniunt à Domno Gondulfo, referunt quod litteras meas desiderat Dominus Gondulfus. In quibus bene novi quia nihil aliud expectas; nisi ut mutuum nostræ dilectionis affectum legas. Quod quidem certus sum quia non facis ut amor tuus, ne obdormiat, litteris excitetur; aut ut amor meus, quomodo vigilet, intimetur. Quippe sicut de tuo affectu erga me certus es, ita de meo erga te non dubitas. Idcirco igitur tantopere scripta mea postulas, ut quod in intima mente formatum pariter gerimus, in charta scriptum videas, videndo legas, legendo congaudeas. Sed quid, si nec oculus vidit, nec auris audivit, sed solùm in cor hominis ascendit, quem affectum præparent diligentia corda diligẽtibus se? Testis enim mihi est experta conscientia * tua, quia nec * visu, nec auditu sapor hujus affectus à quoquam percipitur; nisi quantùm mente ab unocunque concipitur. Cùm igitur scias quia * sapor dilectionis oculis, nec auribus agnoscitur; sed solo cordis ore delectabiliter gustatur: quibus verbis, aut quibus litteris mens & tuus amor describetur? Et tamen * tu instas mihi importunè, ut faciam quod fieri non potest. Sufficiant nobis conscientiæ nostræ, quibus nobis invicem conscii sumus quantùm nos diligamus. Omnipotens Deus sic te diligat, & diligendo protegat, ut nihil fiat à te, aut in te, aut de te, nisi quod illi placeat, & tibi expediat.

EPISTOLA LI.

Domno amico, fratri; filio chariſſimo Mauritio, Frater Anſelmus, ſic proficere de virtute in virtutem, ut adhæreat virtuti virtutum.

De acceptis Mauritii litteris, & proximo illius in Normanniam reditu. Poſcit ut ſecum deferat Aphoriſmos cum gloſſis.

PErlectis Dilectionis tuæ nuper dilectori tuo miſſis litteris, & affectûs tui expreſſione ſum jucundatus, & reditûs tui promiſſione ſum lætificatus. Sicut enim cum diligenti mihi pariter diligendo reſpondes, congaudeo: ſic dilecti dilectoris mei præſentiâ ſemper frui deſidero. De quo reditu tuo nec reverendus mihi Archiepiſcopus quicquam mandavit, ſicut olim te opinati in epiſtola quadam tua monſtraſti: nec Domno Abbati, ſi redieris, diſplicebit; quod in eadem ſcriptura te timere ſignificaſti; & mihi valde placebit, quod ut puto nunquam dubitaſti. Gloſſas Aphoriſmi ſi omnes potes ſcribere gaudeo: ſin autem, eas quæ ſunt Græcorum aut inuſitatorum nominum, * ne deſeras admoneo. Quod tamen temporis in libello de pulſibus inſumere deliberas, malo ut ad perficiendum quicquid eſt in Aphoriſmo impendas. Non enim ejuſdem libelli ſcientia utilis eſt, niſi frequentiſſimo & diligentiſſimo uſu ſe illâ occupantibus. Si quid tamen poſt Aphoriſmum, & de hoc potes, libenter accipio. De utroque hoc præcipuè moneo, ut quicquid feceris ſtudioſiſſimâ exquiſitione correctum, dignum ſit dici perfectum. Malo enim in ignota inuſitataque ſcriptura partem integram veritate, quàm totum corruptum falſitate. Ante omnia gratias tibi, quantas poſſum, ago: quia ubicunque ſic vivis, ut quamquam non ego, ſed Spiritus ſanctus te bene vivere docuerit; tamen honor mihi etiam ſit inter ignotos & alienigenas talem nutriſſe diſcipulum. Tanto utique eris Deo & amicis Dei charior, quantò fueris in periculoſa converſatione inventus probatior. Vale, & cave ne promittendo reditum, & non redeundo, amicum tuum deludas. Saluta dilectum fratrem * noſtrum Domnum Herluinum.

al. mihi.

EPISTOLA LII.

Domno & Patri reverendo, amico chariſſimo Fulconi, Frater Anſelmus, ſic in præſenti vita per divinam gratiam diſponi, ut in futura ſanctis mereatur apponi.

Ut oblatam dignitatem ſuſcipiat, quam ſine inobedientia non poteſt recuſare.

COgit me dulcis mihi Sanctitas veſtra ſuis precibus promittere, & quod ſemper ſervitus mea non promittendo prompta eſt, prout poteſt, efficere. Tantâ namque vilitate deprimi ſcio in conſpectu Dei meas orationes, ut alicui eas polliceri me pudeat: & ſic me veſtrum devovi, ut pro vobis poſſibilitas mea quotidie orare ſtudeat. Quapropter & in hoc, de quo mihi litteris ſuis Dilectio veſtra nuper mandavit negotio; & in omnibus quæ ad vos pertinent, orationes noſtras qualeſcunque ſint, vobis non deeſſe ſciatis. Conſilio autem noſtro licèt veſtra prudentia non egeat; tamen quia juberis, breviter illud ſchedula præſens exhibeat. Scimus quidem quoniam tutiùs eſt homini infirmitatem ſuam ſemper timendo, quantùm in ſe eſt, tam magnum onus refugere, quam de viribus confidendo humeros facilè ſummittere. Sed quoniam ſcriptum eſt: *Nemo noſtrùm ſibi vivit, & nemo ſibi moritur: ſed ſive vivimus, ſive morimur, Domini ſumus:* ſic nos oportet inter timorem propriæ infirmitatis, & obedientiam Dominicæ voluntatis, viâ diſcretionis incedere; ut neutrum videamur abjicere. In primis ergo vos divinæ pietati puro mentis affectu, ut viam veſtram in beneplacito ſuo diſponat, commendate: deinde ſimplici mente & humili conatu, quibuſcunque modis poteſtis, excepto ſolo peccato, onus ſubire recuſate. Quòd ſi niſi per peccatum declinare non poteſtis; obedienter ſubite, & ſollicitè portate. Omnipotens Deus nihil à vobis, aut de vobis fieri permittat, niſi quod illi placeat, & vobis expediat. *Rom. 14. v. 8.*

EPISTOLA LIII.

Domno, & Patri venerabili Abbati Gualtero; Frater Anſelmus Beccenſis, vita peccator, habitu monachus: per præſentis vitæ ſanctitatem, futuræ mereri fœlicitatem.

Ut propter calumniam non abjiciat gregis commiſſi curam.

CUm ſcriptum ſit: *Omnia fac cum conſilio, & poſt factum non pœnitebis:* Et alibi, *quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere:* Valde nobis cavendum eſt ne noſtram, contra omnium conſilium, nimiùm ſequamur voluntatem, etiamſi recta nobis videatur. Neque enim quicquid ſingulis rectum videtur, rectum eſt; quoniam ſcriptum eſt: *Via ſtulti recta in oculis ejus.* Et: *Sunt viæ quæ videntur homini bus rectæ, quarum finis uſque ad profundum inferni deſcendit.* Quapropter ne more ſtultorum, errorem rectitudinem judicantes, teneamus vias quarum finis uſque ad profundum inferni deſcendit; nequaquam unuſquiſque, ſuo inexaminato judicio, vitæ ſuæ debet ordinem committere: ſed diligenter ne plurimorum & maximè ſapientum judicio, aut obedientiæ, aut miſericordiæ, aut denique charitati repugnet, perpendere. Unde magis eſt mirandum cur veſtra Sanctitas veſtraque prudentia ferè contra omnium conſilium, contra obedientiam ſibi divina diſpoſitione per Archiepiſcopum ſuum, & regularem electionem injunctam, contra miſericordiam & charitatem, oves ſibi commiſſas paſtorali cura deſtitutas, lupis infeſtantibus lacerandas deſerendo exponit: quamdiu vel unam conſiderat ſuâ curâ ad ſalutem poſſe proficere. Acquieſcat igitur veſtra Charitas, * acquieſcat, & tot orationibus aſtricta ad monaſterium ſuum redeat, curamque abjectam miſericorditer reſumat: ut deſolatos conſolando & adjuvando, divinæ conſolationis & auxilii recompenſationem mereatur. Nam calumnia, quæ vos maximè terrere ſolet, ab Abbate S. Arnulfi ſic eſt per communem ejus & Fratrum monaſterii veſtri conſenſum extincta, ut jam nullo modo vos impediat. *Rom. 14. v. 8.* *Eccl. 32. v. 24* *1. Reg. 15. v. 23.* *Prov. 12. v. 15* *Prov. 14. v. 12* *al. mihi.*

EPISTOLA LIV.

Domino, & patri ſuo chariſſimo, Domno Priori Henrico, Frater Anſelmus: vitæ præſentis integram proſperitatem, & futuræ æternam fœlicitatem.

Ut malevolorum invidiam & calumnias patienter ſuſtineat.

SI per veſtrum nuncium diſciſſem quâ infamiâ diffamaretur Charitas veſtra, quo dolore, quâ

miſeria afficeretur; & exinde meum conſilium, & auxilium quæſiſſetis, ſicut dicitis; & nullum reddidiſſem reſponſum: fateor quia merito admiraremini, & diceretis me feciſſe quod non debuerim. Sed credat mihi Sanctitas veſtra, quia nunquam hujuſmodi nuncium veſtrum memini me audiſſe. Audivi tamen à quibuſdam, non qui ſe nuncios veſtros fateretur, quia non bene eratis apud Dominum Archiepiſcopum. Sed cùm quærerem propter quid, circumeundo ſignificantes quædam inconvenientia nihil certum exprimebat. Dum igitur expectaré certiorem rerum notitiam; audivi inter vos integram veniſſe reconciliationem. De deſiderio autem, cujus vos velle licentiam habere à Domno Abbate & à me ſignificatis; ſic olim audivi, neſcio jam à quo, ut intelligerem meum ad hoc deſiderari auxilium, non tamen expeti reſponſum. Sed quoniam certiſſimus eram Domnum Abbaté id nunquam eſſe conceſſurum; meliùs rem penitus ſilentio tegendam, quàm fruſtra verbo detegendam putavi & puto. Quod autem ſcribitis quòd miſerante Deo, claruit veritas, confuſa & obſcurata eſt falſitas & ejus inventores: ſcitote me veriùs gaudere de ſoliditate veritatis, quam credo, quàm doluiſſe de figmento falſitatis, quam nunquam credidi. De invidis verò, quos adhuc oblatrantes inſidianteſque patimini, hoc dico quod ſcitis: quia ſemper invidet vitium virtuti. Si igitur invidiæ perſecutione carere vultis; aut locum, ubi lateatis vitioſos, invenite; aut virtutibus renunciate. Sed neutrum horum facietis; quia alterum eſt impoſſibile, alterum execrabile. Quid igitur reſtat, niſi ut armati armis juſtitiæ, à dextris & à ſiniſtris tranſeatis, cum Apoſtolo, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam: & quicquid ipſi moliantur, nunquam ad eos, ſed ad meſſes veſtros, forti & quietâ mêtе intẽ datis. Si enim veſtri oculi ſemper ad Dominum, ipſe evellet de laqueo pedes veſtros: ipſi verò incident in foveam, quam fecerunt; & captio, quam abſconderunt, apprehendet eos: cùm, ſicut jam cœpit, eminebit libera veritas, & ad gloriam; & obruetur confuſa falſitas, in ignominiam. In quo tamen ſollicitè vos, ſicut decet perfectum ſervum Dei, obſervare oportet: ne inimicorum confuſione gaudentes, eam exprobretis, exprobrando prædicetis, prædicando divulgetis, divulgando augeatis: ne in conſpectu Dei, ultione inimicorum delectati judicemini. De veſtra igitur liberatione, in ſecreto mentis, in conſpectu Dei, gratias illi agendo gaudete: illorum verò peccatum, ſive eventum, pro illis orando, miti mente diſſimulate. Quòd autem vos ſuper frequenti commotione illius, quem ferè ſuper omnes diligitis homines, affligi monſtratis; nullum aliud video conſilium, niſi illud, quòd eſt optimum: ſolâ virtutis patientiæ, quam jamdiu viriliter tenuiſtis, conſummatione opus habetis. Nullo enim modo efficaciùs, aut quantùm ad vos honeſtiùs utiliuſve fugietis ad mentis quietem, aut illum placabitis; aut hoſtem occultum, qui vos hac ipſa tribulatione impugnat, ſuperabitis: ut coronam victoriæ percipiatis. *Non enim coronabitur, niſi qui legitimè certaverit:* nec legitimè certat, qui non uſque in finem aut ſuum, aut impugnationis perſeveraverit. Scriptum eſt namque quia *patientia opus perfectum habet:* Et *in patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Si verò mente amplectimini patientiam, & tribulationem declinare ſatagitis; ſcitote, imò ſcitis patientiam non eſſe niſi in tribulatione. *Gaudete igitur in tribulationibus, ſcientes quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio ſpem, ſpes autem non confundit.* Dicitis vos nullo modo poſſe eſſe vobiſcum ſine integra Archipræſulis gratia. Hîc autem reſpondeo veſtræ prudentiæ, nuſquam vos bene eſſe poſſe; ſi eam, quod ex vobis eſt, non habueritis; ſi verò eam habere non contempſeris, ſed non poteritis, ut neceſſe ſit vos alibi eſſe, quàm cum illo: nuſquam vos meliùs, * quia * nuſquam rectiùs, eſſe poſſe, quàm nobiſcum: nullâ enim ratione Domnus Abbas, & Fratres veſtri aliter concederent. Nam non tam parvi æſtimatur, aut tam parum amatur Sanctitatis veſtræ ſtrenuitas, ut qui eam juſtè poteſt tenere, ſpontè aut facilè velit eâ carere. Omnipotens Deus ſic vitam veſtram protegat & diſponat, ut omnibus impugnationibus & adverſitatibus prævaleatis, unde coronam ſempiternam percipiatis. Orate pro me.

2. Tim. 2. v. 5.

Jac. 1. v. 4. Luc. 21. v. 19.

Jac. 1. v. 3. & Rom. 5. v. 4.

EPISTOLA LV.

Dilecto ſuo fratri, & filio Mauritio, Frater Anſelmus.

Gratulatur quòd audiat Arnulfum Grammaticum.

AUdivi quòd legas à Domino Arnulfo. Quod ſi verum eſt, placet mihi qui ſemper profectum tuum, ſicut ipſe ex parte expertus es, deſideravi: nec unquam utique pluſquam modo. Audivi quoque quòd ipſe multum valeat in Declinatione: & tu ſcis quia moleſtum mihi ſemper fuerit pueris declinare, unde valde minùs quàm tibi expediret. Scio te apud me in declinandi ſcientia profeciſſe. Hortor itaque, & precor, & ut filio chariſſimo præcipio: quatenus quicquid ab eo legeris, & quicquid aliud poteris, diligentiſſimè declinare ſtudeas. Nec pudeat te ſic in hoc ſtudere etiam * quibus te putas non indigere, quaſi nunc id recentiſſimè incipias: quo & ea quæ ſcis, ejus auditu confirmata, ſecuriùs teneas; & eo docente, ſi in aliquo falleris, id corrigas; & quod ignoras, addiſcas. Si autem nihil tibi legit, & tua hoc eſt negligentia, diſplicet mihi: & volo quatenus ut fiat quantùm potes, ſatagas, & præcipuè de Virgilio & aliis auctoribus, quos à me non legiſti; exceptis his, in quibus aliqua turpitudo ſonat. Quòd ſi aliquâ te obſtante non potes ab eo legere; vel hoc ſtude, ut librorum, quos legiſti, quoſcunque potes, & quibus horis potes, totos à principio uſque ad finem diligentiſſime, ſicut ſuprà monui, declines. Oſtende etiam eidem chariſſimo amico noſtro hanc epiſtolam, in qua, * ut breviter & multùm ejus pro te deprecor dilectionem, pero ut tibi oſtendat quantum de vera ejus confidere poſſum amicitia: & indico quia quod tibi faciet, non alteri quàm cordi meo, faciet. Diu enim eſt ex quo ego & ipſe de mutua certi ſumus amicitia; ſi ipſe, quod ego nunquam obliviſcar, reminiſci dignatur. Saluta illum quàm reverentiùs potes ex noſtra parte; & Domnum Priorem, & Domnum meum Gondulfum, alioſque Domnos & Fratres noſtros, qui tecum ſunt. Vale, fili mi dulciſſime, & ne contemnas conſilium paterno te diligentis affectu. Vale.

EPISTOLA LVI.

Domno, & Patri reverendo, Abbati Guillelmo, Frater Anſelmus: in hac vita diuturnam proſperitatem, in futura æternam fœlicitatem.

De Comite excommunicato, qui ſacris ſe immiſcebat. De Preſbyteris incontinentibus: & de lapſis ſacros Ordines habentibus.

EX quo veſtra probitas mihi ſuam dignata eſt præbere notitiam, tantam ejus concepi dilectionem, ut ſemper ejus mihi dulcis ſit memoria. Quod expertus ſum non immeritò fuiſſe, quoniam & vitam veſtram

amore & reverentiâ dignam agnovi existere; & Paternitatem vestram non sine affectu dilectionis erga parvitatem meam esse. Sæpe namque Fratres à vobis venientes, me non solùm Sanctitatis vestræ relatione ædificaverunt, sed & dignationis vestræ salutatione honoraverunt. Quare licèt quicquid est in me toto minimè possit tantis meritis respondere: meum tamen est, quantùm amoris & reverentiæ possum, exhibere. Sed hæc Deo in nobis servanda & augenda committens, ad ea de quibus meam parvitatem vestra consulere dignata est prudentia, non præsumendo, sed obediendo respondebo; fortè non quod sufficiat, sed quod mihi videtur. Comes quidem vester, qui excommunicatus vobis Divina celebrantibus se miscet, mihi videtur humiliter admonendus: ne contemnendo sententiam eorum, in quibus Deus affirmat se auditi, cùm audiuntur; & sperni, cùm spernuntur; se ligare, cùm ligant; & solvere, cùm solvunt, aggravet super se Dei judicium, à quo fugere nusquam homo potest. Quare melius illi esset, ut per salubrem humilitatem abstineat ab his, à quibus eum Apostolica segregat sententia; quàm per præsumptionis contemptum se ingerat in illa, quæ nunquam nisi per humilitatem quæsita prosunt, & semper inordinatè præsumpta obsunt. Nec debere enim nullo suo commodo, & gravissimo suo malo cogere vos; ut cùm eum offendere nolitis, Deum & sedis Apostolicæ auctoritatem graviter irritetis: ad quos * placandos illum adjuto em habere non possitis. Facilius quoque atque benignè Apostolicum ejus rationes suscepturum, si suam illum sententiam cognoverit reveritum. Quòd si comes idem hanc admonitionem respuerit; * tenus quia plus est Deus timendus, quàm homo. Quapropter aut secundùm jam prolatam Apostolicam sententiam, erga illum agendum; aut ipsum Apostolicum, sive aliquem ejus vices gerentem, de hoc ipso denuo consulendum existimo. De Presbyteris verò, qui se apertè * reprobâ libidinis conversatione Deo reprobabiles exhibent; omnino tenendum est quod Apostolica providentia ecclesiastico justoque judicio & rigore constituit. Nempe nullatenus convenit ut ibi reverenter astetur, ubi pertinaciter apertâ & impudenti libidine fœtentes, Dei & Sanctorum prohibitionem contemnendo, sacris altaribus deserviunt: imò non deserviunt sed quantùm ad ipsos commaculant. Non quòd quis ea quæ tractant, contemnenda, sed tractantes execrandos existimet: ut qui Dei & Angelorum præsentiam non reverentur, vel hominum detestatione repulsi, sacra contaminare

al. non ordinant

* desistant, Nec ullatenus oportet ut illi sint consortes de altari participantium, qui per immunditiam se faciunt exortes altari deservientium. De lapsis autem

al. voluntate

sacros Ordines habentibus, & spontaneâ * humilitate secretè, quibus debent, confitentibus; nequaquam est asserendum quòd eisdem Ordinibus amplius uti nullatenus possint: si per sacrificium spiritus contribulati,

al. cordique

* cordisque contriti & humiliati Deum placantes, ad

al. se converterint

virtutum profectum studiosè * contenderint. Nam nec apud Deum reprobatur officium alicujus propter culpam, quam ipse ignoscit: nec apud homines decoloratur sacri Ordinis dignitas propter personam, cujus ipsi peccatum non cognoscunt: quibus duabus causis carnalis lapsus prohibet ad * sacros Ordines accessum, & reditum. Sed quoniam fermè semper occultum est, *quorum remissæ sint iniquitates, & quorum tecta sint peccata*; quorum verò minimè: tutius semper est conscium sibi criminis, ab his quæ placitum Deo personam exposcunt, per laudabilem * humilitatem abstinere, quàm per culpabilem securitatem præsumere. Illud namque semper potest, Deo non improbante; hoc verò non debet, nisi Deo approbante. Qui autem huic sententiæ, quæ ad sacri Ordinis officium reditum post lapsum concedit; nequaquam * alia ratione nisi auctoritate fulciatur, * scilicet Scripturarũ, vult consen-

al. sacrum Ordinem

A sum attribuere: legat epistolam beati Calixti Papæ * directam universis Episcopis * per * Galliam * constitutis: & beati Gregorii * Papæ ad Secundinum inclusum: ubi ipsi hanc sententiam sic firmis & penè eisdem rationibus & auctoritatibus confirmant; ut nullatenus aliorum probatione indigeat. Sed * quoniam idem B. Gregorius * idipsum * in aliis suis quibusdam epistolis studiosè * prohibet, * ne sibi ipse contrarius sit: de apertis quidem prohibuisse; de occultis verò, post dignam pœnitentiam concessisse intelligitur. Nam crimen quod à Deo non imputatur, nec ab hominibus esse putatur, non reprobat nec decolorat, ut jam dixi; cùm tamen in tali re cuique tutius sit coram Deo * sibi plus timere quàm confidere. Prohiberi autem invitũ debere, qui occultũ crimen humili con-

B fessione sponte & occultè detegit, minimè existimo: ne multis obstruatur via salubris confessionis, qui potius * eligerent penitus in mortem occultari, quàm hac occasione in certitudinem vel suspicionẽ alicujus criminis adduci. Nec * illi, cui confitetur, statuitur ad peccatum, si confitentem absque ejus consensu cessare à sui Ordinis officio non cogit: sed potiùs magni criminis reus esse videtur, si cogit, quia sic & * confitentem pœnitere confessionis, & plures nondũ confitentes horrere confessionem compellit. Nam satis patet quàm minus malũ sit cuilibet peccatori ad altare cum amore confessionis peractæ & spe misericordiæ humili mente accedere; quam se cum odio confessionis & desperatione veniæ indurato corde, desiderio, aut

C etiam actu ingerere. Ille itaque cui confessio fit, nequaquam particeps æstimandus est minoris culpæ, in qua alium permittit, non consentiendo, sed majorem prudenter præcavendo: majoris verò criminis auctor esse videtur, ad quos multos impellit; etiamsi non volendo, tamen inordinatè plus quod minus, quàm quod majus erat, timendo. Sed manifestum est quia illi, qui humili contritione superbam verundiam conculcando semetipsos judicantes, indicenti cessationem sponte consentiunt: multò tutiùs ministrant permissi, seu etiam jussi; quàm illi qui verecundiâ humanâ inter Deum & se juste judicare refugiunt: licet is cui confitentur, valde periculosiùs prohibeat istos invitos, ut suprà dictum est, quam illos spontaneos. Et cùm

D utrisque necessarium sit vel ad tempus abstinere; puto quia illi, qui non libenter cessant, ad quod non bene properant, sunt tantùm relaxandi: hi verò qui sponte abstinent, ad quod non præsumant, etiam revocandi. Nam in illis, si revocentur, obedientiæ tegmine præsumptio palliatur: in istis verò humilitas obedientiæ robore adjuvatur. Quæ revocatio non indifferenter, sed magnâ Prælati confessionem suspicientis discretione facienda est. Sæpe namque contingit ut quis non per immensũ criminis horrorem, & per vim humilitatis humanam verecundiam superet: sed per stultitiæ tenebras & impudentiæ duritiam, fœditatem sceleris & pudorem non sentiat, & per negligentiam officium suum non appetat. Qui autem hujusmodi

E est, nunquam ad sacrum officium suum aut vocandus aut revocandus est. Sed cùm pro ipso pœnitente supplicat humilitas, suggerit contritio, intercedit vitæ mutatio: tunc nimirum si Prælatus non tam de meritis aliquibus, quàm de magna misericordia & de multitudine miserationum Dei illum confortans ad sui usũ invitet officii; putò quia non tam temerè, quàm prudẽter egisse videatur. Est enim sæpe in hujusmodi prævenienda pusillanimitas, excludenda contemptûs suspicio, ostendenda benevolentia, exhibenda compassio. Hoc enim modo qui tales sũt quantò benigniùs, tantò efficaciùs ad perfectionem provocantur, & tanto strictiùs in bono proposito ligantur. Potui plura de scriptis Patrum his intexere; sed quia epistolaris brevitas, quæ jam se nimis extendi reclamat, non consentit; simpliciter quid de interrogantis sententiam, Paterni-

tized by Google

tati veſtræ juſſus expoſui. Omnipotens Dominus vos, & in iis & in omnibus, quæ vobis agenda ſunt, ſic in rectitudine veritatis dirigat, ut pro eis ſeipſum vobis retribuat. Si præſens eſſem coram vobis, & coram ſancta Congregatione veſtra (de qua multa bona a multis concorditer audio) ſupplici mente corpus totam proſternerem: & ut me bonorum, quæ Deus operatur in veſtro monaſterio, in perpetuum participem in fraterna charitate concederetis, peterem. Sed quoniam ego hoc non poſſum, præſumo non de meis meritis, ſed de veſtra Sanctitate rogare ut vos hoc pro me non humiliato corpore, ſed benigna mente ab eiſdem filiis veſtris mihi pietatis, & cum illis concedatis. Valete.

EPISTOLA LVII.

Domino, & Patri ſuo reverentiæ honore, & amoris affectu Matri Catholicæ colendo Archiepiſcopo Lanfranco, Frater Anſelmus: ſuus, quod ſuus.

De Lanfranco nepote bona reſcribit, hæc non de Oſberno. Et mittit B. Pauli epiſtolas.

Licèt rariùs quàm debeat, humilitatis meæ litteras Paterna Sanctitas veſtra ſuſcipiat: fidelitatem tamen vobis debitam cor meum non alibi, quàm in ſeipſo ſcriptam integram ſervat. De chariſſimo meo nepote veſtro copioſiùs nuncius veſter, qui ea quæ circa ipſum ſunt, vidit & ab eodem audivit, poteſt interrogantibus dicere, quàm epiſtola mea poſſit deſcribere. Quod autem ad me attinet, ſic me ſibi non invitum cùm propter vos, tum propter ſeipſum, ut taceam fraternæ charitatis aſtrinxit; ut in nullo ejus commodo, quod poſſim, me velim * illi ſubtrahere. Domnus Oſbernus, quem ad ſe reduci auctoritas veſtra jubet, fateor, adeò menti meæ glutino dilectionis adhæſerat; ut ejus ſeparationem cor meum non niſi cum quadam ſui ſciſſura tolleret. Teſtis enim eſt illi non tam ſtylus meus, quam conſcientia quia ſic nobiſcum eſt converſatus, ut ab omnibus bonæ propoſitum voluntatis ſincerè diligentibus, plus mereatur affectum charitatis, quam aſperitatem * alicujus ſeveritatis. Quamvis itaque admonitione non egeat ſancta veſtra benignitas, quæ ſemper bonis adeſſe ſolet; compellit me tamen meritis præfati Fratris comparata dilectio toto precari conatu, quatenus non ſolùm quia ipſe meruit; ſed & quia fidelis ſervus veſter deſiderat, deſiderando poſtulat, illum benignè ſuſcipiendo, benignè, nili aliter vitam ejus ipſi mereri videritis, tractetis. Præterea, quoniam non audeo dicere ut illum ad nos aliquando remittatis; hoc, ut puto, licenter dico quia nunquam ab eo vivens diſſociari vellem. Epiſtolas beati Pauli veſtro mandato libenter parentes vobis mittimus: ſed quoniam quod in eodem codice de veſtro opere eſt, alibi non habemus; ſatis ſcire poteſtis quid vos aliquando factum ire deſideremus.

EPISTOLA LVIII.

Domno, & amico chariſſimo, reverendo Priori Henrico, Frater Anſelmus, in terra ſeminare ſanctitatem, in cœlo merere fœlicitatem.

Ei commendat Oſbernum.

Dilectus meus Domnus Oſbernus veſter, qui ad vos * redit, ſic priſtinæ vitæ perverſitatem ſponte accuſat & execratur; atque, inquantum ex ea quam nobiſcum habuit converſatione palam & ſecretè experiri potui, ſic vitæ laudabilis amore accenditur, ut non immeritò interior homò ejus in melius aut jam mutatus, aut proculdubio facilè mutandus exiſtimetur. Et veſtræ quidem notum eſt prudentiæ quia nunquam tantâ benignitatis opus eſt exhibitione, quanta in nova & rudi de reprobis ad probos mores converſione: ne bona incepta, quæ nutriri & ad profectum duci poſſunt per fomenta benignitatis, impediantur aut certè fragantur per auſteritatem ſeveritatis. Precor igitur dilectam veſtram Sanctitatem, quatenus, ſicut veſtri decet diſcretionem regiminis, & præfato Fratri expedit, omnem præteritæ perverſitatis ejus * diſſimulantes membriam, lacte perſpicuæ dilectionis propoſiti nutriatis melioris infantiam, niſi fortè, quod non puto, in priſtinam non ex infirmitate oſtenderit, ſed ex voluntate redierit malitiam. Nullatenus enim illi opportuniùs probatis latuiſſe dilectionem ſub ſeveritate quam ſenſit in errore, quàm ſi tunc patuerit in erroris correctione. Denique, ut mihi videtur, ad rectæ vitæ tramitem nullus debet impelli, niſi qui non poteſt attrahi. Precor etiam, ſeu, potius exigo ex debito, quod ſibi invicem debent amici, ut ſicut omnes dilectæ mihi Fraternitati veſtræ dilectos volo diligere: ſic Domnus Oſbernus in adipiſcendo meam dilectionem multùm ſibi gaudet veſtram creviſſe. Valete.

EPISTOLA LIX.

Suo Domino, ſuo Fratri, ſuo amico chariſſimo Domno Gondulfo, Frater Anſelmus: quod ſuo, ſuus.

De muneribus ab ipſo miſſis gratias agit ſua & Hugonis atque Baſilia nomine.

Cum tu non potes precibus monere pigritiam meam, ut tibi ſalutatorias litteras mittam; convertis te ad aliud conſilium, & pulſas me tuis donis, ut vel gratias remittam; & quem blanditiæ nequeunt ad ſcribendum attrahere, ſaltem, pudor queat ad gratias agendum impellere. Agam igitur tuæ dilectioni, quæ dulcis eſt cordi meo, gratias, non quantùm mihi chara ſunt dona tua; ſed quantùm mihi charior eſt charitas tua, quâ fiunt & condiuntur, & quam mihi ſapiunt munera tua. Tantò namque charior eſt mihi charitas tua, quàm quicquid mihi donare potes: quantò ea quæ donas, potes à te longè tranſmittere, & charitatem non potes à te dimittere. Illa enim poſſunt ſine mare tranſire; ſed iſta non poteſt de corde exire tuo: hanc certè ſive dones, ſive non dones mihi, aliquid ſemper ſcio in te fervere; huic ſive loquar, ſive taceam, ſemper ſcito cor meum ſimili affectu reſpondere. Dominus Hugo, & Domina Baſilia uxor ejus magnas tibi gratias agunt pro gratiis tuis quas mandas, pro donis tuis quæ mittis, pro orationibus tuis quas pro eis facis, & quas eis promittis. Ego ipſe præſentavi eis munera tua, & legi litteras tuas, & retuli verba tua: quæ omnia gratiſſimè & lætiſſimè ſuſceperunt.

EPISTOLA LX.

Domno, & dilectissimo Fratri & filio, Mauritio, Frater Anselmus: sapientiâ & gratiâ proficere apud Deum & homines.

Exigit ab eo epistolas; & cum collaudat quòd ab omnibus ubique ametur.

Diu est quòd nostris nos invicem litteris non visitavimus, quoniam de soliditate mutuæ nostræ dilectionis non dubitavimus; & quia nunciorum sermonibus, cùm opportunum fuit, nos salutavimus. Sed ne quâ occasione amor ipse ab aliquo putetur tepere; expedire puto ut aliquando schedulis, quasi scintillis ab invicem emicâtibus, videatur fervere. Hoc enim ipso quia * desiderantem te desiderans habere mecum non possum; nequaquam minus, sed magis te diligo: quia cùm te sic diligi a majoribus* & melioribus me, ut te dimittere nolint, video, plus te diligendum intelligo. Unde fit ut penè dubium mihi sit utrum quia sic te facis amabilem, plus gaudeam; an quia tam amabili frui non possum, plus doleam. Verùm quoniam scio quia non tantùm propter me, quantùm propter te à me debes amari: solutâ quæstione certum est quia plus debeo de bonorum præsentia, quæ tecum est, congratulari; quàm de corporis tui absentia, quæ mecum est, contristari. Denique semper, ut Deo & bonis hominibus amabilis esses, desideravi; & pro mea possibilitate, ut mihi conscius es, studui, quamdiu mecum fuisti: nec tamen desiderium idcircò tepuit, quia studium operari non potuit plus quàm mecum, cùm non fuisti: verùm non ubicunque amaris, esse potes; sed ubicunque sis, amari & bonus esse potes. Ut igitur ibi & talis sis, ubi & qualem te esse vult Deus, & tibi expedit, salvo tamen mutuo nostro, quod exigit mutuus amor, desiderio; exoremur Deus: & quoniam jam, ubicunque sis, bonis amabilem te fecit; benedictus Deus. Salutа dilectos Fratres & amicos nostros Domnum Herluinum & Domnum * Guidonem, Domnum Elmerum & Domnum Hulwardum consobrinum Domni Osberni.

al. desiderantem.

al. Gondulphum

EPISTOLA LXI.

Durandus sola dignatione Dei Abbas Casæ Dei, Domino Anselmo æternam salutem.

Laus Meditationum Anselmi, à quo exigit B. Pauli epistolas.

Bajocenses duo litteris imbuti, juvenes præclaræ habitudinis in omni modo se habendi; minor eorum vocabulo est Rogerius, alter est Willelmus: duo illi, & præter eos, plures, sed maximè illi distillarunt auribus nostris oleum & suavitatem tui & nominis, & religionis. Deinde *Terret me vita mea; namque* * *diligenter discussa*, cùm eo quod sequitur, scriptum hoc, & præter hoc, alia pulsimè de contrito spiritu tuo, & de pietate contriti tui cordis edita & scripta, pias præstant nobis lachrymas tuas legere, nostras edere; ita ut utrumque miremur & in corde tuo redundare tantæ rorem benedictionis, & sine susurro descendere inde rivum in cordibus nostris. Nam ita est verè: pietas scriptæ tuæ orationis excitat in nobis pietatem sopitæ compunctionis, adeo ut quasi mente prosiliendo congaudeamus, ea diligendo in te, vel potius in eis te; super ea, & per ea Deum & te. Intercede igitur, quia intercedere potes, pro nobis intercedentibus pro te ut possumus; & mitte alia, si qua habeas a te scripta, quæ non habeamus, notus & rogatus in dilectione, quæ continua est nobis ubique. Rogamus etiam in corpore ipso Cõgregationis unitatem societatis, & te pro nobis in eo fungi legatione mittimus: quia redundans tu charitate fideliter poteris hoc rogare, & rogata ipse dare. Parati etiam nostræ dilectionis dare pignus, pignus exigimus à vobis: vos * eligite quod possumus, a nobis; nos * eligimus epistolas Pauli a vobis. Neque prætendimus in eo dolos quasi primi parati accipere, & non primi parati dare, quod remotissimum est a sacramento dilectionis, quæ Deus est. Verùm ardentes charitate non prævidemus quomodo, utique postulemus, omnibus sanctæ hujus professionis paratis nos & nostra commodè petita non negare. Hi igitur duo Fratres tui desiderio accensi te * opitulantem habeant in omnibus, quia de te pendet voluntas omnium in omnibus.

Meditatio 1. supra p. 207.

al. exigite

al. exigimus

al. opitulantè

EPISTOLA LXII.

Domino, & Patri merito sanctitatis, cum amore reverendo, cum reverentia amando, Durando Abbati Cœnobii, quod dicitur Casa Dei, Frater Anselmus Beccensis, vita peccator, habitu Monachus: sic in hac vita perseverare in proficienti sanctitate, ut in futura gaudeat in sufficienti fœlicitate.

Respondet præcedenti.

Vestræ Paternitatis epistolâ perceptâ, magnum se cordi meo gaudium infudit: sed vitâ meâ respectâ, non solùm idem se gaudium ferè totum de corde meo refudit; sed mœror dignus mœror mentem meam graviter perfudit. Nam ex eo quod vestram Sanctitatem me ignotum hunciculum adeò dilexisse cognovi, ut me suis litteris de tam longinquo visitare & salutare dignaretur: non immeritò sibi visa est mea debere * exultare humilitas. Sed cùm considero me nequaquam à vobis diligi, nisi quia existimatis me aliquid esse, cùm nihil sim: intelligo quia non diligitis vilem & contemptibilem coram Deo & hominibus personam (quod ego sum) sed strenuum & alicujus virtutis virum, quod ego utique non sum. Quapropter timens non solùm ne mihi nihil aut parum profit vester amor, quia non sum quod diligitis: sed ne mihi nimiùm obsit meus tepor, quem in me non cognoscitis; precor, obsecro, ut me putetis aut ametis, quasi jam alicujus spiritualis provectus sim: sed ad hoc me diligite, diligendo orate ut sim. Sic enim vestra erit & vera de me æstimatio, & vera erga me dilectio, & secura mihi de vestro amore exultatio. Rogo itaque, quantâ possum humilitate, reverendam Paternitatem vestram, agite sanctis vestris precibus, quatenus & quod ego adhuc noxiè sũ, à me auferatur, & quod nundum utiliter sum, mihi tribuatur; & vobis, quod misericorditer indigenti proximo * impenditis, retribuatur. Nostras verò pro vobis orationes, quia perviles sunt, reverendæ vestræ Beatitudini promittere non audeo; sed eas, quia poscere dignamini, negare non debeo. Quare si aliquid vel sunt; vel vestris suffragantibus meritis futuræ sunt; in vera charitate vestræ sint, & sanctorum, qui monasterii vobis divinitùs commissi vel sunt, vel futuri sunt. Et quamvis aut nimium quid, aut nihil sit quod vobis ex me concedo; aliquid tamen magnum à vobis deposcere

al. exaltatè

præsumo. Prosternit itaque se mens mea coram reverenda vestra Paternitate, & coram omnibus vestræ sanctæ Congregationis Fratribus, humili supplicatione rogans, quatenus me servum vestrum, vestri monasterii Fratrem, velut unum ex vobis in perpetuum concedatis; & nomen meum ultimum, ubi vestra scripta sunt nomina, subscribi faciatis. Ea verò, quæ vestris mandatis respondentur & quæ mandantur, reverendi Domini & Fratres nostri filii vestri qui ad nos venerunt, melius loquendo, quàm nos scribendo narrabunt. Omnipotens Deus sic vos det conversari in Casa-Dei in hoc sæculo; ut inter beatos qui habitant in domo Dei in sæcula sæculorum laudetis Deum, Domine Pater, & Domini in Christo Fratres: Amen.

EPISTOLA LXIII.

Domino servus, Patri filius, reverendo Archiepiscopo Lanfranco, Frater Anselmus.

Ut examinet editum à se Monologium.

Vide epist. 74. infra.

OPusculum illud quod paternæ vestræ censuræ misi, libentiùs ipsemet, si opportunum fuisset, coram ipsa examinandum legissem. Quod quia nunc esse non potest, vellem multùm precari quatenus dulcis mihi paterna vestra prudentia illud non dedignaretur vel quolibet alio legente audire, & quod ex eo fieri deberet præcipere, nisi timerem indiscretè molestus esse Dignitati vestræ, quam multis magnisque rerum majorem consultationibus indesinenter occupatam non dubito. Quapropter quoniam nihil sic mihi volo placere, ut vobis displiceat: sicut solius est vestræ experientiæ judicare, quantùm vobis hoc quod me multum velle significo, liceat; ita sit vestri arbitrii eligere utrum vobis id libeat. Hoc tamen etiam cum importunitate a vestra Auctoritate non desinam exigere, quatenus de eodem opusculo, sive audito, sive inaudito quid fieri debeat, vestra decernat Auctoritas. Titulum autem nullum illi præposui: quippe quod nequaquam tanti existimavi, ut illud suo nomine dignarer. Si igitur vestro sederit arbitrio ut quod scripsi scripserim; a quo habebit firmitatem, ab eo habeat & nomen: & per vos detur servo vestro, dilecto Fratri & conservo meo Domno Mauritio, qui unus est ex illis quorum maximè factum est instantiâ. Si autem aliter vestro placuerit examini, exemplar quod vobis mitto, nec mihi nec præfato Fratri reddatur, sed aliquo elemento aut obrutum, aut demersum, aut consumptum, aut dispersum de medio fiat. Quicquid autem inde vestro placuerit judicio, ut mihi aliquo modo notum fieri jubeatis, efflagito: quatenus exemplar, quod retinui, non aliam sortiatur sententiam, quam illud quod misi. De dilectissimo meo, nepote vestro, & corde & ore & epistolâ, quantum possum, deprecor ut cùm primùm illum sanitatem recepisse cognoveritis, nequaquam ejus me amabili cõversatione diutiùs carere faciatis. Verum quippe dico vobis, talem se exhibuit mihi, & cunctis nostris bonos amantibus mores præsentem: ut illum, si absque * ulla sua incommoditate, quam nullo modo volumus, reduci possit, desiderate cogamur absentem.

* al. illâ

EPISTOLA LXIV.

Domino, & Fratri charissimo, Domno Priori Henrico, Frater Anselmus: per diuturnam bonam vitam mereri æternam beatam vitam

Obedientiam & patientiam consulit.

DOmnus Abbas, & Fratrum vestrorum Congregatio læti susceperunt, laudaverunt, amaverunt munera vestræ charitatis: sed multò utique magis ipsam charitatem, quæ nunquam non vult, quantùm potest, & semper vult plusquam potest. Gratanter quoque susceptit Domnus Abbas, & gratanter legit & audivit mea parvitas, quod prudentia vestra consilium ejus & patris, & meum ut fratris petivit; & secundùm illud per omnia se facturum promisit. Sic nempe decet sapientem, sapienti, scilicet, uti consilio. Sapiens quippe consilium est, sicut scitis, quod consulit omnia facere cum consilio. Cum igitur totum rei, de qua* consulitis, consistat consilium in obedientia & patientia: & scriptum sit quia obedientiam mavult Deus quàm sacrificium: & quia *patientia opus perfectum habet*: nullius justiùs petitis & suscipitis consilium, quàm illius cui debetis obedientiam; & nullum servatis perfectiùs, quàm cùm fortiter tenetis patientiam. Hoc igitur consulit Domnus Abbas, hoc rogat, & ut non solùm consulenti & roganti vestra strenuitas acquiescat; quod est laudandum: sed & præcipienti obediat; quod est coronandum: hoc præcipit, hoc ergo frater & amator vester consulo & flagito ut totius vitæ status his duabus nitatur columnis, scilicet obedientiâ & patientiâ. Et quidem de patientia, bene novit dilectio vestra quòd non solùm cùm meritus punitur, violenter est exigenda, sed etiam cùm immeritus affligitur, libenter est exhibenda. Ibi enim execranda est impatientia, ne nocens infœliciùs damnetur: hîc servanda est patientia, ut innocens fœliciùs coronetur. De obedientia verò hoc mandat Domnus Abbas, quod* nec dubitare vos arbitror: quoniam quicquid reverendo Domino ac Patri nostro Archiepiscopo Lanfranco obeditis, sic illud accipit, velut si sibi obediretur: imò tantò gratiùs quàm si sibi obediretis, quantò ipse per se-met illi obedire desiderat: & quantò in eo quod non solùm ipsi, sed & aliis propter ipsum obeditis: majorem ipsam vestram obedientiam considerat. Quanquam si * consideremus nos & illum, cui vos obedire invitamus; multa proculdubio in nobis & in illo sint, cur nos illi sponte studioseque obedire debeamus. Valete.

* al. consuleret mus

EPISTOLA LXV.

Domno & Fratri, Filio charissimo Mauritio, Frater Anselmus, servi reverentiam, Fratris affectum, Patris diligentiam.

De Mauritii ex Anglia reditu Beccum, & de Monologii correctione.

SEmper te, dilectissime Fili, desidero, semperque te me desiderare non dubito. Sed quoniam noster nostrûm suus est, nec sumus invicem alter alterius nisi per charitatis affectum; consulo & hortor quatenus quandiu hi, quos nobis præposuit divina dispositio, nos jusserint esse separatos; nullam contra voluntatem

eorum exquiramus cohabitandi accelerationem: & si benignè nostro desiderio consenserint, nullam inferamus dilationem. Quapropter quod audivimus per Domnum Robertum, quia Dominus noster Archiepiscopus promisit se nobis remissurum in proximo tuam Dilectionem: si benignè tuæ favet voluntati, nec Domno Abbati displicet; & mihi valde placet. Si autem non benignè favet supplicanti, sed eum aliquo rancore permittit extorquenti; nec Domno Abbati nec mihi placet ut sic redeas. * Scripturam, quam te instante & quibusdam aliis Fratribus feci, & quam tu tibi debere transmitti precaris, Domino & Patri nostro Archiepiscopo examinandam per Domnũ Robertum mitto; & * per epistolam illum rogo, ut si illum destrui debere non jusserit, tibi reddat exemplar quod suscipit. Roga igitur eum, si in proximo rediturus es, ut priusquam redeas, præcipiat de eadem scriptura quod præcepturus est, quatenus aut confirmatam eam tecum deferas, aut destructam esse mihi referas. Quòd si illâ susceptâ redire tardaveris, mitte mihi exemplar illud quàm citiùs per fidum nuncium poteris: quatenus si quid in eo idem Dominus noster Archiepiscopus correxerit, secundùm illud corrigatur etiam illud quod mecum retinui; & ego unum ex his duobus tibi citò remittam. Si verò sic sententiam confirmationis idem opusculum susceperit, ut nullius correctionis indigere judicetur; tene missum exemplar quamdiu volueris: tantùm, sive ita sit, sive aliter, quicquid inde Dominus noster Archiepiscopus judicaverit, aut quo nomine illud titulari jusserit, manda mihi per epistolam, cùm primùm poteris. Saluta dilectum Fratrem nostrum Domnum Herluinum, & hortare eum de vice mea, quatenus à bono incepto, quod in eo vidi, nullius transitoriæ delectationis amore deficiat: sed sicut de die in diem ultimæ diei appropiat, sic quotidie ad contemptum temporalium, & amorem æternorum proficiat. Saluta Domnum Arnulfum Belvacensem: Domnum Hulvardum Anglum consobrinum Domni Osberni, & Domnum Vitalem, Domnum Rogerum, Fratrem Samuelem, Cadomenses. Vale, & profice in Domino semper charissime.

Monologium — *Epist. ejusdem.*

EPISTOLA LXVI.

Amico suo dilectissimo, & dilectori fidelissimo Lanfranco, Frater Anselmus: corporis & animæ perfectam salutem.

Guidonis Beccensis neophyti reditum in Northmaniam concupiscit.

QUotiens vestræ dulcis mihi reminiscor dilectionis, utique tædet me tam longæ vestræ dilationis. Quamvis enim hactenus spes vestræ recuperandæ salutis maximè consolata sit cordis mei angorem de vestra absentia: jam tamen nequeo non contristari, quia tam longè & vobis ipsa sanitatis perfectio, & mihi vestra * differtur amabilis præsentia. Etenim, non * sicut vulgò dici solet, quia quod longè est ab oculis longè est à corde: non inquam, sic quantò benigna vestra mansuetudo longiùs vel loco & tempore à me abest, tantò amor ejus in me tepescit: sed quantò minùs illa frui pro voto possum, tantò magis desiderium ejus in veri dilectoris vestri mente ferveſcit. Quapropter quamvis cum illo sitis, de quo nec audeo dicere quod vos tantum diligam, quantùm ille; nec debeo exigere ut me tantùm diligatis, quantùm illum: tamen rogare præsumo quatenus, quando primùm cum ejus benigna concessione, & sine vestro incommodo poteritis, vestro reditu me vestrum amicum lætificetis. Saluto vobiscum Dominum & Fratrem meum charissimum Dominum Guidonem: quem certè, ut simpliciter conscientiam cordis mei apetiam, mecum esse per amorem desidero indesinenter, & per obedientiam mecum non esse tolero nisi impatienter. Quem, ut dilectus dilectum, moneo & precor ut studiosè inter ipsas suas occupationes vitam suam discutiat: & in bonis, quæ de illo ab omnibus inde venientibus audio, quotidie proficiat: & si qua in eo adhuc veteris hominis supersunt vestigia, ab his assiduè deficiat. Ambo valete.

* differtur

EPISTOLA LXVII.

Suo in Christo dilecto, desiderato, sperato, expectato Rogerio, Frater Anselmus suus dilectus: quod Deo gratius & sibi est salubrius prudenter eligere, perseveranter tenere, fœliciter consummare.

Præsolatur venturum Rogerium.

QUod solius Dei commisimus consilio, non audeo proprio decernere arbitrio. Licet mihi tamen meum promere desiderium: utique vexat me dilatio tua, utique torquet me expectatio tui longitudine sua. Etenim nec vult nec potest cor meum obliviscì, quam certò non dico promisisti, sed prædixisti mihi me posse expectare te rediturum & mansurum. Et certè quod dixisti, serio dixisti. Ergo intendunt oculi mei in eloquium tuum dicentes: Quando consolaberis me? Utinam non fallar, quoniam speravi in te; utinam non erubescam, quoniam expectavi te; utinam non mirentur, nec dicant illi, quos præmisisti primitias fructus tui, & pignus adventus tui: Cur eos impegeris illuc, quò eos vel præcedere vel subsequi contempseris: præsertim cùm ipsi libentissimè sint ad nos ingressi, & à nobis susceptì spe tuæ subsecutionis. Dirigat Dominus in conspectu suo viam tuam; & directo corde tuo, *tribuat tibi Dominus secundùm cor tuum, & omne consilium tuum confirmet.*

EPISTOLA LXVIII.

Suo Domino & Patri, amore & reverentiâ filiorum, Ecclesiæ Catholicæ digno Archiepiscopo Lanfranco: Frater Anselmus suus subjectione servus, affectu filius, doctrina discipulus, quod melius potest.

*De nonnullis à Lanfranco animadversis in Anselmi * opusculo; quæ ipse sancti Augustini auctoritate propugnat.* — *Monologium*

GRatias immensas agit cor meum vestræ Celsitudini, quæ inter tot & tantas suæ dignitatis occupationes nec gravatur nec dedignatur ociositatis meæ verbositatem paternâ benignitate attendere, & benignâ sapientiâ corrigere. Quod enim rogatis ne pro his erga vos dilectio mea tepescat, quia teste Deo & Sanctis ejus hoc dilectione facitis; & ego utique hujus rei conscientiæ vestræ testis sum. Absit ergo ut mihi sit molestum suscipere consilium, quod de transmarinis partibus & ego magno desiderio * peto, & vos sincerâ dilectione mittitis. Gratanter itaque paternam admonitionem vestram suscipio, & humiliter responsionem nostram suggero. De illis quidem, quæ in illo * opusculo dicta sunt, quæ salubri sapientique consilio monetis

* differtur — * sicut — * peto — * opusculo

monetis in ſtatera mentis ſolertiùs appendenda ; & cum eruditis in ſacris codicibus conferenda;& ubi ratio deficit, divinis auctoritatibus accingenda, hoc & poſt paternam amabilemque veſtram admonitionem, & ante feci, quantùm potui. Nam hæc mea fuit intentio per totam illam qualemcunque diſputationem, ut omnino nihil ibi * aſſererem ; niſi quod aut canonicis, aut beati Auguſtini dictis incunctanter poſſe defendi viderem : & nunc quotieſcunque ea quæ dixi, retracto, nihil aliud me aſſeruiſſe percipere poſſum. Etenim ea quæ ex eodem opuſculo veſtris litteris inſeruiſtis, & quædam alia quæ non inſeruiſtis, nulla mihi ratiocinatio mea, quantumlibet videretur neceſſaria, perſuaſiſſet ut primus dicere præſumerem. Ea enim ipſa ſic beatus Auguſtinus in libro *de Trinitate* ſuis magnis diſputationibus probat, ut eadem quaſi meâ *breviori ratiocinatione inveniens, ejus conſiſus auctoritate dicerem. Quod dico, non aliquid eorum, quæ dixi, apud vos defendendo ; ſed ea me non a me præſumpſiſſe, ſed ab alio aſſumpſiſſe oſtendendo. Quomodocunque enim ſeſe habeant, ſcriptura ipſa vel ſervandi vel delendi de veſtra auctoritate juſſionem expectat. Quædam tamen, quæ ibi dixi, melius aliter potuiſſe dico, & a me ſic eſſe dicta non bene ut facilius poſſint intelligi malè quam bene, & ſic diffido de mea inſipientia ut non negem ; & ſic confido de veſtra ſapientia ut ea poſſe corrigi ſperem. Quapropter quod de eodem opuſculo vobiſcum conferendo dicitis, utinam ſecundùm benignam voluntatem Dei fieret, ut & de illo & de quibuſcunque vellem, liceret.

* al. breviora

EPISTOLA LXIX.

Olim dilectiſſimo Fratri, nunc dulciſſimo Patri, olim & nunc reverendo Domino venerabili Epiſcopo Gondulfo, Frater Anſelmus ſemper ſuus ; ſic explere Epiſcopale officium, ut æternum conſequatur beneficium.

De Pontificio honore gratulatur.

ANtequam mihi liceret dulciſſimæ Sanctitati veſtræ litteras exultationis pro veſtra exaltatione mittere, audivi quòd non ad regimen, ſed ad laborem ; non ad jucunditatem, ſed ad tribulationem vobis proveniebat Pontificalis electio. Ex una igitur parte volo veſtræ Paternitati congaudere, ſicut illi cujus præteritam vitam * divina gratia ſibi placere oſtendit, in hoc quòd vos inter Principes Eccleſiæ ſuæ connumerare dignatur. Ex altera verò parte cogor veſtræ Fraternitati condolere, veluti illi qui eo ipſo quò magis exaltatus eſt, majori tribulatione gravatur. Sed item cùm conſidero quoniam, teſte divinâ Scripturâ, de tribulatione naſcitur patientia, quæ opus perfectum habet ; & probatio, quæ operatur ſpem, quæ non confundit : utique non intelligo non tantùm eſſe condolendum veſtræ Sanctitati in tribulatione, propter laborem quem ex illa ſuſcipitis, quantùm congratulandum propter perfectionem & ſpem, ad quas per illam proficitis. Gloria igitur in excelſis Deo, cui vita veſtra ſic placuit, ut eam ad exemplum exaltaret : & Gloria in excelſis Deo, qui ſic vos dilexit, ut vos in igne tribulationis collocaret ; quatenus opera veſtra uſquè ad perfectionem, & ſpem veſtram uſque ad debitum robur excoqueret. Nam ſi diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, cur diligentes eum non in omnibus exultantes gratias agant pro bono ? Sic tamen hoc agere debent, ut quoniam neſcit homo utrum amore dignus ſit an odio, ſerviant Domino in timore, & exultent ei in tremore. Hoc tamen omnis ſervus Dei obſervare debet, ne tribulationem putet quod tribulatio non eſt. Ne cùm id quod nec ſentire debet, tribulationem deputat, ibi judicandus ſit eo ipſo quod dolet quod dolere non debet, ex infirmitatis teneritudine ſuccubuiſſe ; ubi ſe putat per patientiæ fortitudinem ſuperaviſſe. Sic enim æſtimando ſe eſſe aliquid, cùm nihil ſit, ipſe ſe ſeducit. Hortor itaque Sanctitatem veſtram, ut nullo modo tribulationem putetis, quod nec corpus nec animam lædit. Nec ſi adverſitas earum rerum quas ſervus Dei contemnere debet, vos contriſtat, probetis vos plus quàm oportet tranſitoria diligendo, minùs quam decet æterna diligere. Apertè enim unuſquiſque homo oſtendit ſe ea diligere, quorum læſionem pati non poteſt ſine triſtitia. Nemo enim moleſtiam pati exiſtimat, niſi cùm in his quæ diligit adverſitatem tolerat. Dilectum Fratrem noſtrum Richardum eâ qua poſſumus charitativâ ſolicitudine veſtræ Paternitati commendo ; quatenus non illi obſit, quòd à noſtra converſatione ſejungitur ; ſed magis illi proſit, quòd veſtræ familiaritati conjungitur.

* al. divinam gratiam.

EPISTOLA LXX.

Domino, Fratri chariſſimo, Domno Mauritio, Frater Anſelmus, Deo placere & hominibus.

Commonet ut abſentiam ſui patienter toleret, quamdiu Deus de illis ſic diſpoſuerit.

LIcet quò te magis diligo, eò te magis mecum velim habere ; plus tamen inde diligo, unde te non poſſum habere. Quoniam enim te non tam mihi, quàm Deo & tibi diligo ; plus te diligo, quia talem te exhibes, ut qui te habent difficilè velint dilectum remittere ; quam ſi facilè vellent neglectum dimittere. Precor itaque te ut fratrem, & moneo ut filium chariſſimum eâ curâ & diligentiâ, quam me ſemper erga te habuiſſe bene mihi es conſcius ; quatenus magis ac magis ad mores bonos proficias, & ſeparationem noſtram, quamdiu jubebit noſter Dominus & Pater venerabilis Archiepiſcopus Lanfrancus, mecum patienter, ut divinam diſpoſitionem, toleres : nec in aliquo id, unde te magis diligo, per impatientiam minuas. Quamvis namque te valde diligam & deſiderem, ut mihi mecum converſando cohæreas ; plus tamen opto ut bonis moribus indiſſolubiter inhæreas. Tota igitur cura tua ſit, ut ubicunque ſis ſic vivas, ut bonum hominem & ſervum Dei decet : & certus eſto quia Deus tibi providebit quod tibi expediet.

EPISTOLA LXXI.

Domino, & Patri, Abbati reverendo & diligendo Paulo, Frater Anſelmus : ſic ſancte vivere in temporali proſperitate, ut beatè vivat in æterna fœlicitate.

Lætatur de ejus promotione ad Abbatiam B. Albani : & qualiter in ea ſe gerere debeat, præſcribit.

GLoria in excelſis Deo, cujus conſpectui ſic in occulto vita veſtra placuit ; ut eam ad exemplum

in aperto ſublimaret, & eam de terra ad cœlum per ſemitam virtutum tendentibus per viam conſtitueret: quatenus non ſolius ſuæ Sanctitatis retributione in regno cœleſti lætetur; ſed pro multis quos Deo lucrabitur, gaudium illi fœlicitatis æternæ multiplicetur. Quamvis enim barbaris veſtra prælata ſit Sanctitas, quos verbis docere propter linguarum diverſitatem non poteſtis; non tamen omnino vos apud diſtrictum judicem excuſare valetis, ſi alios lucrari Deo negligitis. Quod enim illis ſermone non poteſtis dicere, vita poteſtis oſtendere. Tantò namque efficaciùs bonum exemplo, quàm verbo perſuadetur, quantò boni mores in tacente diliguntur, & facundia in torpente contemnitur. Plus itaque ſtudere diligi ab omnibus manſuetudine & miſericordiâ; quam timeri nimis auſterâ & nulli parcente juſtitiâ. Gaudeant cujuſlibet ordinis homines vobis commiſſi ſeſe commendatos eſſe patri & paſtori: non horreant ſeſe traditos eſſe tyranno & exactori. Lætentur affines conſultorem & adjutorem ſibi à Deo veniſſe: non conquerantur alienarum rerum invaſorem, aut perſecutorem à ſiniſtrâ parte irruiſſe. Sunt enim multi Prælati noſtri Ordinis, qui quaſi ſoliciti ne deſtruatur res Dei in manibus eorum, agunt ut diſſipetur lex Dei in cordibus eorum. Nam tantùm conantur eſſe prudentes, ne decipiantur ab aliis; ut fiant aſtuti ad decipiendum alios. Adeò ſunt cauti, ne fiant prodigi, & quæ habent irrationabiliter perdant; ut avari fiant, & quæ ſervant, inutiliter putreſcant. Sic ſtudioſè ſervis & pauperibus Dei & ſancto loco ſemper ſatagunt aliquid acquirere; ut doloſè ſemper alicui tentent aliquid auferre. Sic animantur zelo corrigendi ſtultos; ut accendantur crudelitate, aut cupidine colligendi nummos. Hæc igitur veſtra prudentia ſolliciè caveat. Ita exteriora vobis commiſſa diſponite, ut interiora veſtra mandata Dei diſponant, & ſemper mens veſtra
Pſal. 16. v. 1. dicat Deo: *De vultu tuo judicium meum prodeat.* Sic vos defendite per prudentiam à nocentibus, ut per ſimpliciratem nulli velitis nocere, ſicut ſcriptum eſt:
Matt. 10. v. 16. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columba.* Sic cuſtodite res monaſterii veſtri, ut non obliviſcamini quod ſcriptum eſt: *Si quis habens ſubſtantiam*
1 Joh. 3. v. 17. *mundi viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo: quomodo charitas Dei manet in*
Luc. 6. v. 38. *eo?* Et alibi: *Date & dabitur vobis.* Sic eaſdem res au-
Exod. 20. gere curate, ut à mente non excidat: *Non concupiſces rem proximi tui.* Taliter peccantes arguite, ut nec cru-
Gal. 6. v. 1. delitas adſit, nec avaritia; quia ſcriptum eſt: *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpiritales eſtis, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis: conſide-*
1. Cor. 6. v. 10. *rans te ipſum ne & tu tenteris:* Et rurſus: *Neque avari regnum Dei poſſidebunt.* Non idcirco hæc, dilectiſſime mihi, veſtræ Paternitati ſcribo, quòd putem vos aliter agere; ſed quoniam & vos juſſiſtis, & ego volui ut litteræ noſtræ vos ſequerentur: quod ut fieret, neceſſe fuit aliquid dicere.

EPISTOLA LXXII.

Domno, & Fratri in Chriſto chariſſimo Humfrido, Frater Anſelmus Beccenſis, vita peccator, habitu Monachus: terrena pro cœleſtibus deſpicere, cœleſtia pro terrenis percipere

Orat ut ejus inſtitutioni vacet qui ſuas ad eum epiſtolas defert.

PRimùm gratias ago, & debitam dilectionem retribuo pro veſtra gratuita benevolentia, quam in vobis erga me hujus lator ſchedulæ ſe cognoviſſe affirmat. De qua non parùm ipſe cõfuſus multùm me rogat, ut illum apud veſtram Dilectionem adjuvem: quatenus veſtræ doctrinæ beneficia quæ illi miſericorditer impenditis, noſtris precibus invitati intentiùs impendatis. Quod ſi vobis eſſet aut noxium aut inutile, non dicam pro alio, ſed utique pro meipſo; aut nullatenus, aut vix rogare præſumerem. Nunc autem, quoniam nec noxium nec inutile eſt; ſed incõparabiliter utilior vobis erit divina retributio, quam huic veſtra largitio: nec audacter, nec impudenter, ut æſtimo, ſed amicabiliter precor & obſecro quatenus reminiſcamini quod ſcriptum eſt: *Gratis accepiſtis, gratis date.* *Matt. 10.* Nam etſi ab homine forſitan, ut vos doceret, emiſtis; auribus quidem inſtrepere ille potuit; ſed cor ad intelligendum aperire non potuit, niſi Deus, cui nullus prior dedit ut retribueretur ei. Si enim amicos, qui nos recipiant in æterna tabernacula, facere jubemur de Mammona iniquitatis: quantò magis de intelligẽtia veritatis. Quòd ſi pro me nihil facere vultis, quia nihil mihi debetis: vel facite ut me debitorem veſtrum faciatis. Hæc locutus ſum pro alio; ſed pauca pro veſtra dilecta Fraternitate, pro qua plura vellem, ſubjungam. Mementote, chariſſimi, & ſine intermiſſione mente pertractate quod ſcriptum eſt: *Nolite diligere* *1. Joan. 2. v. 15. & 17.* *mundum, nec ea quæ in mundo ſunt: quoniam mundus tranſibit & concupiſcentia ejus.* Et quia *amici ſæculi* *Jac. 4. v. 4.* *hujus, inimici Dei conſtituuntur.* Rogo, obſecro, nolite credere mundo, etiam cùm favet; quoniam non favet ut foveat, ſed ut ſuffocet. Mundus enim in tenebris eſt, & gloria ejus non eſt gloria, ſed ignis vorans. Nolite ergo, chariſſimi, nolite currere in eam, ſicut papilio volat in nocturnum ignem: quoniam quem demulcet claritate hunc poſtea torquet uſtione. O quantò conſultiùs, quantò fœliciùs relinqueretis mundum, & ſequeremini Chriſtum! ut cùm in majeſtate ſua venerit Chriſtus, judicaretis mundum cum *Matt. 25.* Chriſto; & centuplum recipientes, vitam æternam *Matt. 19.* poſſideretis: quod utinam fiat. Amen.

EPISTOLA LXXIII.

Suæ reverendæ & chariſſimæ Dominæ, generis ſimul & vitæ nobilitate clariſſimæ Comitiſſæ Idæ, Frater Anſelmus; de virtute in virtutem proficere, de terrena dignitate ad cœleſte regnum aſcendere.

Commendat eam à charitate in Beccenſes & quoſlibet.

UT taceam alia veſtra bona opera, per quæ nomen veſtræ nobilitatis longè lateque circumquaque ſuavi ſanctitatis fragat odore: certè hominibus cujuſlibet ordinis ad veſtrum monaſterium, vel de noſtro monaſterio euntibus, tot & tanta impenditis beneficia: ut ſic jam illis ſimus aſſueti, & ſic nobis ſint familiaria; quatenus vobis poſſit eſſe oneroſum ſi gratias vobis, verbis, vel litteris mandemus per ſingula, nec in nobis ſit quod retribuere poſſimus ſecundùm veſtra merita. Quapropter ad Deum vos mittimus, & illum inter nos & vos ponimus, ut ſicut propter illum facitis quod facitis; ita ipſe vobis retribuat pro nobis, quibus facitis. Inſtante tamen illo Fratre, quem à ſuis perditum nobis miſiſtis, & in magna deſolatione benigniſſimam exhibuiſtis conſolationem: hanc reverendæ Sanctitati veſtræ ſcripſi epiſtolam, in qua cognoſceretis quia non aliter mihi gratum eſt quod illi feciſtis, quàm ſi mihi ipſi eſſet factum: & quia verum eſt quicquid ipſe & de ſuo caſu dixit; & quia præceptum veſtrum in omnibus quæ nobis per illum mandaſtis, ſervavit: & veſtet homo ſecundùm veſtram juſſionem illi fideliter ſerviendo benignè

Digitized by Goc

illum ad illos perduxit. Rettribuat vobis Deus pro his & aliis vestris bonis operibus beatitudinem sempiternã. Bonum autem facientes nolite deficere, tempore enim suo metetis non deficientes.

EPISTOLA LXXIV.

Domino, & Patri reverendo Abbati, Rainaldo, Frater Anselmus salutem.

De non evulgando passim Monologio.

Monologium. OPusculum illud, quod à me tanto studio de tam longè petitis, nequaquam vobis mitterem, si vestræ voluntati non obedire potuissem. Timeo enim ne, cùm venerit in manus aliquorum, qui magis sint intenti reprehendere quod audiunt, quam intelligere; si fortè ibi legerint aliquid, quod antea non audiverint, nec animadverterunt, statim * clament me inaudita & veritati repugnantia scripsisse. Quibus cum longè positus respondere non potero, non solùm ipsi veritatem negando, veritati se favere opinabuntur; sed & alios temerè, antequam audiant quid sit quod ipsi reprehendant, credentibus, me falsitatis assertorem persuadebunt. Jam enim talium passus sum nimis acceleratam reprehensionem, ex eo quod secutus beatum Augustinum dixi de personis & de substantia Dei. Qui tamen nunc cognoscunt se non considerate reprehendisse; & hac occasione quod prius non animadvertebant, gaudent se cognoscere. Nesciebant enim sic non dici propriè de Deo tres personas, quomodò tres substantias; quadam tamen ratione, ob indigentiam nominis propriè significantis illam pluralitatem, quæ in summa Trinitate intelligitur; Latinos dicere tres personas credendas in una substantia: Græcos verò non minùs fideliter tres substantias in una persona confiteri. Quapropter vestram vehementer efflagito Sanctitatem, ut idem opusculum non verbosis & litigiosis hominibus, sed rationabilibus & quietis ostendat. Quòd si contigerit ut aliquis sic aliquid ibi reprehendat, ut ejus ratio digna vobis cui responderi debeat, videatur: rogo ut mihi quid, quave ratione reprehendat, charitativè aut ejus aut vestris litteris mandetis: quatenus charitatis pace, & amore veritatis utrinque servato, aut me illius reprehensio, aut illum mea corrigat responsio.

In Monolog. cap. 78.

EPISTOLA LXXV.

Domno, Fratri, amico, dilecto dilectori Gilberto, Frater Anselmus; quod scribere non valet.

Se amici absentiam aegerrimè ferre.

DUlcia mihi sunt, amice dulcissime, munera dulcedinis tuæ: sed nequaquam consolari possunt desolatum de te cor meũ a desiderio Dilectionis tuæ. Certè si mittas omnem aromatum odorem, omnem metallorum nitorem, omnem lapidum pretiositatem, omnem texturæ varietatem, renuet; immò non poterit consolari a scissura sua, nisi receptâ alterâ parte suâ scissa anima mea. Testis est angor cordis mei hoc ipsum cogitantis: testes lachrymæ obtenebrantes oculos, & rigantes faciem & digitos idipsum scribentes. Et quidem tu sciebas, sicut ego ipse, erga te dilectionem meam; sed utique ego ipse nesciebam eam. Qui nos scidit ab invicem, ille me docuit quantùm te diligerem: verè non habet homo scientiam boni vel mali, qui non experitur utrumque. Nesciebam enim non expertus absentiam tuam, quam dulce mihi erat esse tecum, quam amarum sine te esse. Sed tu habes ex ipsa nostra disjunctione præterea alterum, quem non minùs aut certè plus amas: mihi verò tu, tu, tuquam; es ablatus, & nullius prorsus oblatus. Tu igitur in consolatione tua gaudere. Istum mihi vultus tenuisti in mente: forsitan gaudentes de te obloquantur a me illa tibi dicente. Sed ipsi gaudent, quod desiderabant tenentes, cur prohibent vel dolore quod semper amat perdentem? Hæ te excusent me, si me videant in se. Alioquin vel tu intellige quàm compatienter quàm consolanter ipsi hæc faciant: & unde misereat dolor meus, quem nemo vult consolari qui potest, nemo potest qui vult. Sed ille qui omnia quæ vult potest, sic consoletur me, ut nullum contristet; sic nullum contristet, ut amorem tui integrum ubique conservet. Amen.

EPISTOLA LXXVI.

Domino sponte diligenti, meritò dilecto, non ut ignoto, sed ut familiari amico Gualtero, Frater Anselmus; quod suus.

Gratias refert: & de proposita quæstionis solutione se excusat.

SI cor meum esset lapide durius & glacie frigidius, utique deberet calescere igne vestræ dilectionis, & mollescere oleo vestræ dulcis allocutionis. Tanto namque flagrant charitatis ardore, tanto fragrant benignitatis odore, tantâ suavitate sunt jucundæ, sic sunt salubris admonitionis fœcundæ litteræ, quibus meæ parvitati vestra dignata est se notificare dulcis dilectio, & dilecta prudentia; ut nolit quiescere mens mea, donec videant oculi mei vultum ejus, & audiant aures meæ vocem ejus, & frustur anima mea præsentiâ ejus qui me tanto ignotus ignotum amore gratis anticipavit, qui me tam utiliter absentem litteris exhortari ad profectum studuit, qui me tam prudenter bona, si quæ sunt in me, custodire præmonuit. Et utinam sic vera esset existimatio, quam fama hominum temerè loquentium quod nesciunt de me vos docuit; quomodò necessaria mihi est vestra admonitio, quæ ex abundantia bonæ voluntatis & ex prudenti intuitu humanæ fragilitatis processit. Per omnia benedictus Deus, qui vos tanta charitate ditavit, tam charitativâ sollicitudine incitavit. Videat ipse desiderium meum, ut aliquando merear in Deo placitâ conversatione sic vestrâ societate lætari, ut nullâ possimus viventes mutatione dilaciari. De quæstionis solutione quam à me scribi poscitis, scitote quia nec otium nec facultatem habeo, ut ad hoc credam me sufficere. Habetis vobiscum Dominum & Patrem nostrum Reverendum Abbatem Gerbertum, qui vobis de ea, quam scripsistis, quæstione, & de aliis pro quibus vos velle meam adire parvitatem significastis, melius potest præsens colloquendo, quàm ego vel loquendo, vel scribendo satisfacere. Precor tamen, ne despiciendo meam fatuitatem, contemnatis visere nostram charitatem. Plus enim debet amari charitas, quàm scientia. *Scientia enim inflat, charitas verò ædificat.* Denique quoniam utilis omnis scientia pendet ex charitate: *Ex ea quippe universa lex pendet, & Prophetæ.* Et quoniam *ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine* veritatis, ibi ipsa se esse in medio eorum dicit: consilio in promissione veritatis, si convenerimus in quo nomine cum affectu charitatis, quia oderit nobis scientia veritatis. Quòd si scirem vobis esse voluntatem veniendi ad nos, mandarem certum

1. Cor 8. v. 1.
Matt. 22. v. 40.
Matth. 18. v. 20.

Digitized by Goog

tempus, quando hoc congruè fieret; ne fortè aliquando, cùm domi non essem, venientes, vobis vanum laborem & mihi tristitiam faceretis.

EPISTOLA LXXVII.

Reverendæ dominæ suæ Comitissæ Adalæ, Frater Anselmus Beccensis, vita peccator, habitu Monachus; per præsentis vitæ diuturnam prosperitatem, transire ad futuræ æternam fœlicitatem.

Ut ipsa militi veterano militia vacationem impetret à filio suo.

QUamvis me nihil apud vestram Celsitudinem meruisse, aut nostris precibus annuere debeat, cognoscam; nisi quia ex quo parvitati meæ innotescere dignata est, semper eam coram Deo volui participem existere nostrarum orationum, qualescumque A sint; si tamen hoc dignum est vel memorari: tamen instat mihi Dominus Engelhardus de Castro, quod vulgò dicitur Lenis, amicus noster: ut illum * adjuvem apud vestram pietatem, ut ipse eam adjutricem habeat apud filium vestrum. Jam enim grandævus & fractæ ætatis homo vult dimittere militiam, imò malitiam, quam hactenus, dum potuit, efficaciter exercuit; & hoc tantillum vitæ quod superest, sic transigere, ut si bona non potest efficere, saltem à malis possit desinere; nè peccans usque ad finem puniatur sine fine. Quapropter sperat, desiderat, obsecrat, ut per me vestrum adjutorium * habeat, & B per adjutorium vestrum] quietem prædiorum suorum à filio vestro obtineat. Sed vestra Prudentia bene novit omnes homines esse debere adjutores bonorum studiorum; & cooperantes bonorum operum esse consortes præmiorum. Quapropter licèt nihil meruerim à vobis, non tamen impudenter ego servus vester rogo Sanctitatem vestram, ut præfatum virum, propter Deum, ad adipiscendum quod vult adjuvetis; quia & vobis proderit, & hoc facere etiam non rogata debetis.

* al. vult.

* al. vultis

SANCTI ANSELMI
CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI
EPISTOLARUM
LIBER SECUNDUS,

Eas continens quas ſcripſit Abbas Beccenſis.

A

EPISTOLA I.

Domino, & Patri Reverendo Archiepiſcopo Lanfranco, Frater Anſelmus ſervus conſervorum ſuorum Fratrum Beccenſium, cum eiſdem Dominis ſuis: diuturnam hujus vitæ proſperitatem, & æternam futuræ fœlicitatem.

De ejus in Beccenſes eleëmoſyna gratias agit; & Beccenſis Cœnobii penuriam exponit.

GRATIAS ſemper agimus multimodis beneficiis paternæ veſtræ Celſitudinis. Nam licèt non ſemper hoc dicamus, ſemper tamen hoc in corde ſervamus. Et certè ſicut ſcriptum eſt: *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione*, benedictio veſtræ largitatis, viginti ſcilicet libræ, quas Domnus Abbas Herbertus nobis nuper attulit, in tanta oportunitate, id eſt, in tanta conſtitutis egeſtate venit quaſi imber nobis temporaneus & ſerotinus: ut cùm citiſſimè tota per ſaporem conſumpta fuerit, non tamen ulla veſtigia ſaturitatis reliquerit; quàm cum ſomnio Pharaonis fertiles ſpicæ, & pingues vaccæ à ſterilibus & quaſi inedia conſumptis devoratæ ſunt. Suſtinuit nos tamen, & vix uſque modò, ne penitus deficeremus. Nempe nimis exhauſerunt nos caræ emptiones leguminum & avenæ ferè per totum tempus poſt obitum Domni Herluini Abbatis, & terratum quas ſimiliter poſt ejuſdem obitum emimus; ut taceam ſignum magnum, quod ex uno fracto & altero diſcordante improvidi incepimus, ſed multò plura quàm præcogitaveramus, addendo & inſumendo, vix perfecimus; & plura alia, in quibus multa præter prædicta expendimus. Et quidem multum * prope tetigit nos annus, de quo ſumus utcunque egreſſi: ſed valde propiùs minatur nobis in penuria multarum rerum annus, in quem ſumus ingreſſi. Sed Deus qui de cœlo proſpexit ſuper filios hominum, reſpiciat ſuper nos de cordibus abundantium. Præterea, cùm ſemper egeamus veſtro conſilio & auxilio; nunc multum veſtra & Cleri indigemus ſubventione, in his videlicet Eccleſiæ noſtræ negotiis, quæ per vivam præſentium latoris vocẽ vobis neceſſe habuimus intimare. Quibus cognitis, ſi quid ſcitis quod ad ea nobis prodeſſe valeat, quãtociùs * nobis precamur Sanctitas veſtra remandare ſtudeat. De his enim omnibus placitare cogimur coram Rege, Dominicâ die poſt feſtum Sancti Apoſtoli Andreæ.

Pſ. 9. 10.

al. emit.

EPISTOLA II.

Suo reverendo Domino, & Patri benigniſſimo Archiepiſcopo Lanfranco, Frater Anſelmus cum conſervis & Dominis ſuis Fratribus Beccenſis Cœnobii, quod ſui.

Referuntur gratiæ ob liberalitatem, & ſpeciatim pro auro quod ad conficiendum calicem miſerat.

GRatias magnas mandamus in charta, magnæ & frequenti veſtræ largitati; & immenſas ſervamus in corde immenſæ & continuæ bonæ voluntati. Cùm enim, Deo largiente, tanta ſit veſtra abundantia, ut totiens ſupplendo noſtram inopiam nequaquam decreſcere poſſit; utique tanta eſt bona voluntas, ut abundantia citiùs exhauriri, quàm bona voluntas minui poſſit. Et Deus, qui dedit vobis & velle & operari pro * bona voluntate, conſervet utrumque, quem veſtræ Sanctitati tot bona nobis tribuenti optamus retributorem, immò fœneranti damus pro nobis debitorem & ſponſorem. Securè igitur & hilariter cum millenâ uſurâ recepturi impendite, ſicut bene incepiſtis: quia falliere nec vos nec nos volumus, nec fidejuſſor noſter poteſt. Servos & Filios veſtros, Fratres noſtros ad veſtra mittimus veſtigia: & ſicut veſtrâ eunt juſſione, ita vel maneant, vel redeant, vel quidlibet agant, quicquid nos ordinaverimus, veſtra diſpoſitione. Filius veſter Abbas, ut aiunt, Beccenſis *, mutuavit à ſervo veſtro Fratre Anſelmo aurum quod pro calice miſiſtis. Nam & iſte qui calicem faceret, non habebat: & ille interim auro opus habebat. Sed ſecundùm pactum aurum redderur formatum in calicem, & eâ formâ quæ vobis magis placet in calice. Interim autem utetur ſervus veſter eo calice, quem Becci Prior habuiſtis, & ſuccedenti Priori dediſtis: ſed ſcitote quia aurum * ille nullatenus crederet, niſi veſtra fidejuſſione: vos enim fidejuſſiſtis, quia juſſiſtis. Satis autem patet cui ſit * fidendum, ne ſub Patris & Domini fidejuſſione filius ſervum fallat.

al. pro ſua

al. mutavit

al. illi

al. videndum

gitized by Google

EPISTOLA III.

Domino & amico, Patri & Fratri, reverendo & dilecto Episcopo Gondulfo; Frater Anselmus, quod olim quod ex quo magis nos dileximus.

Illi quantumvis Episcopo familiarem amicitiam protestatur: & Beccenses monachos quos in Angliam mittit, ei commendat.

QUamquam dignitas Episcopalis, & reverentia Sanctitatis sic vestram mihi personam superexaltet, ut me valde infrà deferat: semper tamen, quod non tumore sed amore dico, pristina familiaritas & familiaris amicitia ad æqualitatem me sublevat: ut quantumcunque dignitate & meritis strenuus Episcopus & ignavus monachus separentur; semper tamen Gondulfus & Anselmus familiari dilectione copulentur. Quapropter nunquam minùs præsumam de vobis propter vestrum Episcopatum, nunquam minùs confidam propter vestram Sanctitatem; quia semper unum cor sumus, propter parem dilectionis familiaritatem. Imò tantò magis, ubi ratio exiget; quantò magis vobis supperit & in terrenis facultas ex dignitate, & in spiritualibus opportunitas ex Sanctitate. Cùm enim in hoc par sit voluntas in utroque, ut quisquis velit alterum prodesse quantum potest; necesse est ut plus ille prosit, qui plus potest. Oportet ergo ut plus vestram mihi magnam devotionem apud Deũ prodesse curetis, quam meam (quæ utique aut verè nulla * aut ferè nulla est) prodesse vobis expectetis. Nec hoc dico, ut pro vero amico meo non orem, sicut possum; sed ut ostendam quia nimis parum est quod possum: quatenus ille qui plus potest, adjuvet illum qui minùs potest; ut ad illius & suum opus plus possit. Nec ideirco vestra pro me debet oratio frigere, quia mea pro vobis non valet æqualiter fervere. Quisquis enim diligit aliquem, aut per dilectionem prodest alicui: scitote quia plus sibi prodest, quàm * alii. Multò namque majus est quod tenet ipsam charitatem, quàm sit id quod præstat * alii per charitatem. Isti enim id solùm quod charitas ad tempus potest, tribuitur; illi verò & hìc ipsa charitas tribuitur, & in futuro quantùm ipsa est retribuitur. Commendo vestræ Paternæ charitati & charitativæ Paternitati Fratres nostros & vestros, quos in Angliam mittimus; quatenus, ubi opus erit, vestro sustineantur auxilio, vestro regantur consilio: vestrâ diligentiâ vita eorum exquiratur, & vestrâ censurâ approbetur vel corrigatur.

EPISTOLA IV.

Domno, & Patri reverendo Abbati Balduino, Frater Anselmus: in hoc sæculo sanctè, & in futuro beatè vivere.

Commendatissimos Beccenses monachos in Angliam navigantes ejus curæ ac regimini committit.

QUamvis de vestra Sanctitate me nihil promeruisse nisi solâ bonâ voluntate cognoscam; tamen vestra nota multis benignitas facit me de se præsumere; ut cùm opus est, non dubitem quod vos non dedeceat, expetere. Nam & ego paratam nostram fateor voluntatem ad obediendum, si vestra Paternitas à mea parvitate aliquid exigeret faciendum. Quippe & charitas, quam semper nobis invicem debemus, sicut paratos nos facit ad obsequendum, ita fidentes reddit ad poscendum. Quapropter confidens de præcepto charitatis & experimento vestræ benignitatis, & conscientiâ nostræ voluntatis, commendo vestræ Paternæ charitati & charitativæ Paternitati Fratres nostros, quos in Angliam mittimus; quatenus, ubi opus erit, vestro sustineantur auxilio, vestro regantur consilio, vestrâ diligentiâ vita eorum exquiratur, & vestrâ censurâ approbetur vel corrigatur.

EPISTOLA V.

Domno & Fratri charissimo, Henrico, Frater Anselmus; salutem.

Ipsi eosdem Beccenses commendat.

LIcet Charitatem vestram Fraternitas nostra ratiùs alloquatur in epistola, nequaquam tamen dilectio repescit in conscientia. Postquam enim de vera ratione dilectio inter rationabiles nascitur, nequaquam ipsa, quamdiu radix vivit, extirpatur. Quapropter nec ego nec vos de mutua dilectione debemus dubitare, quoniam uti mutuâ præsentiâ non valemus; sed semper in ejus certitudine perseverare, quamdiu causam originis ejus immutabilem tenemus. Commendo vestræ Fraternæ Charitati & charitativæ Fraternitati, Fratres nostros & vestros, quos in Angliam mittimus: quatenus, ubi opus erit, vestro sustineantur auxilio, vestro regantur consilio; vestrâ diligentiâ vita eorum exquiratur, & vestrâ censurâ approbetur vel corrigatur.

EPISTOLA VI.

Suo charissimo Domino Ricardo, & suæ charissimæ Dominæ Rohaidi; Frater Anselmus, & Frater Ricardus parvulus monachus, cum tota Congregatione Beccensi; salutem & fideles orationes.

De beneficiis gratias agit: & Beccenses, quos ejus instantia in Angliam mittit, ejus providentia dimittit.

MAgnas gratias reddimus in primis Deo, à quo est omnis bona voluntas, & pro cujus amore omnia bona nobis fiunt; deinde vobis, pro omnibus bonis quæ nobis facitis & promittitis. In hoc enim monstratis bene quia amor vester, quem semper habuistis ad nostrum monasterium, nunquam decrescit; sed plus & plus crescit. Quantò enim plura bona nobis facitis & promittitis, tantò certiorem amorem ostenditis. Omnipotens Deus, & sancta mater ejus Maria, quos quotidie rogamus pro vobis, & pro quorum amore nobis facitis, omnia illi vobis retribuant in regno cœlorum. Fratres nostros vobis mittimus, sicut jussistis. Commendamus ergo vobis illos, ut sicut vadunt in Angliam vestra jussione & vestra spe; ita omnino sit in vestra cura & vestra providentia, quid illi faciant, aut quomodo aut unde vivant.

EPISTOLA VII.

Frater Anſelmus, dictus Abbas Beccenſis, Fratribus & filiis chariſſimis, Ricardo & aliis de Beccenſi Congregatione in Anglia converſantibus, ſalutem & paternam cum dilectione benedictionem.

Ut Beccenſes in Angliam delati religiosè vivant: Et Henricum Camerarium ab ebrietate prohibeatur.

SI ſanè, ſi proſperè, ſi denique concorditer & ſecundùm Deum vivitis, congratulatur Charitati veſtræ fraterno & paterno affectu anima mea. Teſtis enim eſt mihi conſcientia mea quia nihil me tantùm lætificat, quantùm eorum, qui meæ parvitati, neſcio quo divino judicio commiſſi ſunt, proſperitas & rectitudo: nihil me tantùm mœſtificat, quantùm eorundem adverſitas & tortitudo. Quapropter precor vos ut Fratres, moneo ut Filios chariſſimos, ut ſemper memoriam monachicæ religionis perpetuâ habeatis: ut quod habitus veſtræ Religionis profitetur, vita & moribus exhibeatis, Quippe nec locus, nec tempus aliquod excuſat aliquem quin bene poſſit vivere, cùm & bonam voluntatem nemo unquam alicubi à cordibus hominum, ipſis nolentibus, poſſit excludere; & morũ compoſitio in qualibet rerum perturbatione ſecundùm rerum congruentiam ordinata queat conſiſtere. Opera namque Deus nequaquam exigit ultra poſſibilitatem, ubi bonæ voluntatis & bonorum morum conſpicit integritatem. Sic igitur deſidero ut in omnibus voſmetipſos abſque omni excuſatione exhibeatis; ut vos non mundi, nec eorum quæ in mundo ſunt; ſed Dei & eorum quæ Dei ſunt, amatores oſtendatis. Quatenus de bona veſtra converſatione aliis Deum laudantibus, vos in præſenti & futura vita in Deo poſſitis gaudere, & ego verè poſſim Fratribus & filiis meis congaudere. De Domno Henrico, qui Camerarius fuit, audio quia in multis inordinatè ſe agit, & maximè in bibendo: ita ut in Gildis cum ebrioſis bibat, & cum eis * inebrietur. Quod ſi verum eſt, dicere non poſſum quantùm cor meum de tanta Fratris perditione doleat. Non enim diu ſola erit iſta miſeria; ſed niſi ſe citò, Deo reſpiciente, correxerit, per eam ad alia trahetur mortis præcipitia. Quantùm igitur Abbas debet prohibere monacho, tantùm ego, qualiſcunque peccator ſim, ex Dei & Sanctorum ejus & noſtra auctoritate prohibeo, ne poſtquam hanc noſtram prohibitionem cognoverit, ampliùs in Gilda, aut in conventu eorum qui ad inebriandum ſolùm conveniunt, * bibere audeat. Hoc quoque præcipio, ut de præterita inordinatione ſi eam negare non poteſt, Domini noſtri Lanfranci Archiepiſcopi, aut Domini Epiſcopi Gondulfi, aut veſtro judicio pœnitere non negligat: & deinceps curam ſe cuſtodiendi ab ebrietate & à malitioſis verbis cum Dei auxilio habeat. At ſi ſe corrigere noluerit omnino; malo, contemptâ omni utilitate quam per eum in Anglia debemus habere, ut ad nos ſub diſciplina regendus redeat; quàm ut longè à diſciplina perdendus remaneat. Domnum verò Henricum de Gornaco benignè rogo ut de eo quod in litteris ſuis tam ſtudioſè poſtulat, patienter & quieto animo toleret, donec Domnus Ricardus, (qui ad nos in proximo, ſicut à Rege audivi, venturus eſt,) veniat: & quod tunc de illo, & de vobis omnibus qui propter eundem Domnum Ricardum miſſi ſunt, noſtro & Fratrum noſtrorum conſilio diſpoſitum fuerit, benignâ patientiâ & patienti benignitate ſuſtineat.

al. inebriet

al. vivere

EPISTOLA VIII.

Frater Anſelmus, dictus Abbas Becci, dilecto Fratri, & filio ſuo Mauritio; ſalutem, & Dei benedictionem.

De monacho diutiùs morante in Curia. Et de malo; an aliquid ſit.

ERga Fratrem illum, de quo mihi, quod res exigebat, ſcripſiſti quia pro libitu ſuæ voluntatis, neglecta clauſtri converſatione, moratur in Curia Regis: volo ut ita deinceps & tu cæteri Fratres noſtri qui tecum ſunt, vos habeatis. Si venerit ad vos, permitto ut eum ſuſcipiatis, fraternæ ei charitatis officium impendatis. Oſtendite ſibi tamen ex veſtra parte, vos * vereri ne id diſpliceat mihi. Arguite illum, debita tamen modeſtiâ, de ſua tanta temeritate & inobedientia. Nam neque noſtra juſſione aut permiſſione jam remoratur, imò juſſioni noſtræ apertè contraire non veretur. Nec illi mando ut redeat; nec concedo ut remaneat. Quaſdam enim cauſas intueor, quibus hanc ejus præſumptionem tolerare adhuc diſſimulando compellor. Verùm niſi celeriùs ſe correxerit, poſtpoſitis omnibus his, quibus eum adhuc expecto, cauſis, Regularem in eum me exercere ſeveritatem neceſſe erit. Mallem tamen illius ſpontaneam correctionem, quàm ullam ei inferre auſterioris diſciplinæ correptionem. Præterea ſcriptum illud, quod de ea quæſtione, quomodo, ſcilicet, cùm malum nihil eſſe dicatur, nomen ejus aliquid ſignificet, rogatu quorundam Fratrum de talibus me frequenter, ut noſti, interrogantium nuper feci; per præſentium latorem tibi modo, ut poſtulaſti, huic annexum epiſtolæ direxi. Si malum nihil eſt, quomodo nomen ejus aliquid ſignificat? Rurſus, ſi audito nomine mali intelligimus aliquid quod hortemus & vitandum cenſemus: quomodo aut malum nihil eſt, aut mali nomen nihil ſignificat? Sed & ipſum nihil, quid eſt? Verùm cùm nequaquam differant nihil eſſe, & non eſſe aliquid: quomodo dici poteſt quid ſit quod non eſt aliquid? Ipſum tamen * nomen quod dicimus, nihil, ſi nihil ſignificat, id eſt, ſi non ſignificat aliquid, nomen non eſt: ſed nomen eſt. Quamquam igitur nullus dicat nihil eſſe aliquid, ſed ſemper nihil eſſe nihil cogamur fateri: nemo tamen poteſt nomen nihil ſignificativum eſſe diffiteri. Verùm econtrà: ſi hoc ipſum nomen non ſignificat nihil, ſed aliquid; id quod ſignificatur, videtur non poſſe eſſe nihil, ſed magis aliquid. Si ergo quod ſignificatur, non eſt nihil, ſed aliquid; qualiter verum erit ut ſignificetur per hoc nomen, ſcilicet, *nihil?* Quippe quod verè nihil dicitur, verè nihil eſt; & idcircò non eſt aliquid. Quare ſi quod ſignificatur hoc nomine, non eſt nihil, ſed aliquid; quemadmodum conſequentia videtur oſtendere: falsò & incongruè vocatur hoc nomine. At econtrà, ſi ſecundum judicium omnium, id quod nominatur nihil, verè nihil eſt & nequaquam eſt aliquid: uſquamne videtur aliquid conſequentius, quàm ut hoc ipſum nomen nihil ſignificet, id eſt non * ſignificet aliquid. Quid igitur eſt, quia hoc nomen, videlicet *nihil*, non ſignificat nihil, ſed aliquid; & non ſignificat aliquid, ſed nihil? An forſitan non repugnant, ſignificare nihil & aliquid? Sed ſi non repugnant, aut invenienda res eſt aliqua, quæ ſit aliquid & nihil; quod non poteſt intelligi: aut iſta vox diverſa conſideratione ſignificat nihil & aliquid. Conſtat namque quoniam hæc vox, ſcilicet, *nihil*, quantùm ad ſignificationem; nullatenus differt ab eo, quod dico, *non aliquid*. Nihil quoque hoc apertiùs, * quam * quod hæc vox,

al. videri

al. idem non ſignificaret

al. quoniam quidem

scilicet *non aliquid*, omnem rem penitus, & omne quod est aliquid, intellectu removendum; nec omnino ullam rem, aut penitus quod aliquid sit ponendum, suâ prolatione significat. Sed quoniam remotio alicujus rei significari nullatenus potest, nisi cum significatione ejus ipsius cujus significatur remotio, necesse est ut hæc * vox quæ est *non aliquid*, destruendo id quod est aliquid, significet aliquid. Quoniam verò auferendo omne quod est aliquid, ullam significat essentiam, quam audientis intellectus quasi existentem retineat: idcircò *non aliquid* vox, nullam rem, aut quod sit aliquid, significat. Igitur hæc vox *non aliquid* his diversis rationibus aliquatenus significat rem & aliquid, & nullatenus significat rem aut aliquid: significat enim, negando; & non significat, constituendo. Hac ratione *nihil* nomen, quod perimit omne quod est aliquid; & destruendo non significat nihil, sed aliquid; & constituendo non significat aliquid, sed nihil. Quapropter non est necesse nihil esse aliquid, ideò quia nomen ejus significat aliquid quolibet modo; sed potiùs necesse esse nihil esse nihil, quia nomen ejus significat aliquid hoc modo. Hoc itaque modo non repugnat malum nihil esse, & mali nihil esse significativum; si sic aliquid perimendo significat, ut nullius rei sit constitutivum. Sed cùm hac ratione malum & nihil verè significent aliquid; & tamen quod sic significatur non est malum, vel nihil est tamen & alia * ratione; quâ significant aliquid, & quod significatur est aliquid, sed non verè aliquid, sed quasi aliquid. Multa quippe dicuntur secundùm formam, quæ non sunt secundùm rem; ut *timere*, secundùm formam vocis, dicitur activum, cùm sit passivum secundùm rem. Ita quoque cæcitas dicitur aliquid secundùm formam loquendi; cùm non sit aliquid secundùm rem. Sicut enim de aliquo dicimus quia habet visum, & visus est in eo: ita dicimus quia habet cæcitatem, & cæcitas est in eo, cùm hæc non sit aliquid, sed potiùs non aliquid: & hanc habere, non sit habere aliquid; imò eo carere, quod est aliquid. Cæcitas namque non est aliud quàm non visus, aut absentia visus, ubi visus debet esse. Non visus verò vel absentia visus non magis est aliquid, ubi debet esse visus, quam ubi non debet esse. Quare cæcitas non magis est aliquid in oculo, quia ibi debet esse visus; quam non visus, vel absentia visus in lapide, ubi non debet esse. Multa quoque alia similiter dicuntur aliquid secundùm formam loquendi, quæ non sunt aliquid: quoniam * sic scilicet loquimur de illis, sicut de rebus existentibus. Hoc igitur modo malum & nihil significant aliquid, & quod significatur est aliquid non secundùm rem, sed secundùm formam loquendi. Nihil enim non aliud significat, quàm non aliquid, aut absentiam eorum quæ sunt aliquid: & malum non est aliud quàm non bonum, aut absentia boni, ubi debet aut expedit esse bonum. Quod autem non est aliud, quàm absentia ejus quod est aliquid; utique non est aliquid. Malum igitur verè est nihil, & nihil non est aliquid; tamen quodammodò sunt aliquid: quia sic loquimur de his, quasi sint aliquid, cùm dicimus *nihil*, vel *malum fecit*: aut *nihil*, vel *malum est quod fecit*: sicut dicimus, *aliquid* vel *bonum fecit*, aut *aliquid* vel *bonum est quod fecit*.

al. vult

al. omis.

EPISTOLA IX.

Domnis & Fratribus dilectissimis in Beccensi Cœnobio Deo servientibus, Frater Anselmus, servus & conservus eorum: semper sanctè vivere, & sanctæ vitæ præmium percipere.

De prospero sui in Angliam adventu; quem & Dominæ Evæ vult nunciari.

SCiens & certè sciens dulcissimum mihi vestrâ Dilectionem nuncium meæ sincolumitatis & prosperitatis toto affectu desiderare, non potui eam dilatione aliquâ fatigare. Ipsa itaque die, qua Dominus Girardus horâ, quæ dicitur prima, à me mare ingressus discessit, divina protectio me vestris orationibus in Anglicam terram prosperâ navigatione & sine molestia, quam multi navigantes pati solent, * horâ nona perduxit: & ad Dominum & Patrem nostrum Archiepiscopum Lanfrancum vesperè pervenire, & cum gaudio suscipi apud villam ipsius, nomine Limingis, concessit. In crastina verò has litteras scripsi, quibus & præfatum desiderium vestrum adimplerem, & sanctum propositum vestrum semper fervere & ad meliora proficere commemorem. Precor igitur ut frater, hortor ut pater, ut * sic studeatis in pace & Religione monachica conversari; quatenus & vos ex vestri studii retributione valeatis beatificari, & ego de vestra beatitudine quandoque congratulari. Omnipotens Dominus sua * vos protectione ab omni adversitate defendat, & suam vobis misericordiam, per continuam corporis & animæ prosperitatem, ostendat. Mandate Matri & Dominæ nostræ Evæ, quod de filio suo primogenito vobiscum audire pari desiderio expectat, & ut oret quo sicut suis orationibus vobiscum impetravit me à vobis timentibus cum prosperitate abire, ita impetret ut possim ad vos gaudenter cum gaudio redire.

al. sic

al. non

EPISTOLA X.

Frater Anselmus, dictus Abbas Beccensis, suo olim amico desideratissimo, nunc Domno & Fratri, & Filio charissimo, novo Christi militi * Rodulfo: per contemptum terrenarum & falsarum divitiarum adipisci cœlestes & * veras divitias.

al. omis.

Lætatur de Rodulfo ad Religiosam vitam converso.

GLoria in excelsis Deo, qui in terra dat hominibus bonam voluntatem: cujus excelsa dextera secundùm desiderium meum mutavit voluntatẽ dilecti & desiderati mei à vanitate sæculi, quæ nulli in fine prodest, & omnibus se amantibus obest; ad veritatem, quæ nulli unquam obest, & omnibus se quærentibus prodest. Breviter tibi loquor, dulcissime cordi meo, litteris, quem super omnes homines, teste conscientiâ, videre, & cui multùm loqui ore ad os, plusquam alicui in terra viventi, desidero. Novi enim malignam diaboli invidiam, quia de manibus suis, imò de ore suo te frendens tabescit evadere. Unde certus sum quia te multis modis, scilicet, aut gravitate servitutis Dei, quam elegisti; aut delectatione serviendi illi per amorem sæculi, quem reliquisti, tentabit decipere. Quare quoniam spero per Dei gratiam contra omnes ejus

Digitized by Google

ejus astutias, quoniam in falsitate & imbecillitate sunt, si certa spes in Deo non ablit, me tibi posse consulere: & pro certo scio nullũ consilium ad præsens desiderio tuo magis quàm meum * sufficere, non habebit anima mea requiem in me, donec videatur oculi mei desideratum meum, & alloquatur os meum dilectissimũ filium meum, & instruat cor meum contra diaboli jacula novum commilitonem meum. Precor igitur omnipotentem Deum qui te ab amore sæcularis vanitatis segregavit, & sanctissimam Matrem ejus quæ te ad se fugientem sub sua tutela suscepit, ut te ab omni perturbatione incepti propositi custodiant. Teque rogo per illum cujus gratiâ inspirante hoc incepisti, ne te terreant ullæ insidiæ vel suggestiones inimici. Ad hoc enim idem inimicus te molestare nititur, ut de te victo gaudeat: sed Deus ad hoc illi permittit, ut * habeas unde tibi victoriæ coronam ipse tribuat: *Nemo* 2. Tim. 2. v. 5. *enim coronabitur*, dicente Apostolo, *nisi qui legitimè certaverit*. Expecta igitur donec veniam: quia * Deo dante, consolationem omnium quæ tibi nunc molesta sunt suscipies. Dominus custodiat te ab omni malo: Amen.

EPISTOLA XI.

Domno, & Patri cum dilectione reverendo, & cum reverentia diligendo, Lugdunensi Archiepiscopo Hugoni, Frater Anselmus dictus Abbas Beccensis: quod dilecto patri fidelis filius.

De quibusdam Anselmi opusculis ab Archiepiscopo requisitis. Et quòd nomen Abbatis in titulo operum suorum præfixerit ut æquivocationem excluderet.

SI vellem scribere quàm magnum & quàm gratũ sit mihi decus & dulcedo vestræ familiaritatis, quàm ex vestra promissione me confido habere: quãtùmque eam, etsi non merui accipere, desiderem vel fideli voluntate, si aliter nequeo mereri, non amittere; forsitan aut subtrahendum erit aliquid, ut videbor veritati superaddere. Sed quod in epistola non audeo sufficienter commendare, in scrinio cordis curabo, Deo dante, fideliter servare. Per præsentium latores Fratres, Sanctitati vestræ, ut cognovi; dilectores Celsitudini vestræ de scriptis nostris mitto quod jussistis. In qua re non tam alicujus me utilitati, quàm vestræ scio servire voluntati. Quapropter si in illa legendo vos frustra tempus insumpsisse pœnituerit; quia quod putatis * non invenietis; non mittenti, sed exigenti imputare debetis. De quæstionibus verò de quibus me velle scribere dixi, & Reverentia vestra me * monuit, si dixero quantùm dictare impediar; ab illo, qui meam non novit conversationem, credi non * poterit. Si quandò tamen inde mihi per Dei gratiam quod volo efficere licebit; vestræ, si potero, Prudentiæ notũ erit. Fratres prædicti lachrymabiliter de interiori monasterii sui conquerentes destructione, pro me obsecrarunt affectu ut nostris precibus paterni vestri cõsilii in tribulatione sua relevẽtur cõsolatione: sed sicut nostro consilio non eget vestra sapientia, ita nec precibus benevolentia. Si tamen placet, ut dicam, quid illis ad præsens expedire, donec visitatione supernæ gratiæ in eorum Ecclesia per Regularis Abbatis præsentiam monachica restauretur Religio, sentiam: æstimo quia melius est ut veltrâ licẽtiâ interim eligãt, ubi secundùm propositum suum vivant utiliter, quam ut ibi cogantur manere, ubi indigentia bonorũ corporis & animæ tristes vivant inutiliter; aut eadem indigentiâ intolerabiliter gravati discedant inobedienter. Quod in titulo opusculorum nostrorum nomini nostro addidi nomen Abbatis, non ideo feci ut personam monstrarem honorationem, sed ut nominis excluderem æquivocationem.

EPISTOLA XII.

Servus servorum Dei in Beccensi monasterio commanentium, Frater Anselmus Fratri dilecto, filio desiderato Helinando, benè incepta fœliciter perficere.

Hortatur ut perseveret, & diaboli variis tentationibus quas describit, constanter resistat.

BEnedictus Deus, à quo omne * datum optimum, & omne donum perfectum descendit: qui avertit oculos tuos ne videant vanitatem, & erexit animam tuam ad sequendam veritatem. Restat igitur, mi desiderate ut sedula sollicitudine pertractes, quia *nemo mittens manum ad aratrum & respiciens retro, aptus est regno cœlorum.* Antiquus enim hostis tanto enixiùs non cessabit multimodis te calliditatibus invadere, quantò te videt studiosius velle laqueos ejus evadere. Sæpe namque reducet ante mentis oculos quàm delectabilia sint ea, in quibus solitus es conversari: ut continuò subinferat quam difficile sit assuetà voluptate carere, quàm sit impossibile in quodam austero rigore & rigida austeritate totâ ætate perseverare: quatenus ex memoria assuetæ delectationis plus horreat animus sobrietatem vitæ sublimioris. Aliquando sub specie discretionis finget se salubriùs tibi, quàm proposueris, consulere, ut scilicet pravitatem deserens in clericali proposito religiosè vivẽdo * velis persistere, ut & per vitæ correctionẽ animam tuam possis salvare; nec per indiscretionẽ subeas onus, quod non possis portare. Quòd si te ab intentione perfectioris vitæ nullatenus averti posse cognoverit, quasi terũ ire, approbando propositum, se simulabit; sed juxta iter laqueo ponere multimodos non cessabit. Aliquando quidem hinc oblatâ opportunitate peccandi; illinc stimulante tentatione suasionem callidus addet hujusmodi. Tam bonum est quod decrevisti facere, ut quamlibet immensitatem scelerum possit destruere. Interim ergo satisfacere voluntati tuæ cur hæsitas; cùm citò sive multa, sive pauca peccata tua sint, pariter dolende non dubitas? Aliquando verò taliter conabitur decipere: bonum quidem est quod vis facere, sed non opportunè fit, nisi cùm tepescente lasciviâ juvenili quæ pondus illius Regularis censuræ non tolerat, ipsa mãturitas ætatis religiosæ gravitati se cõremperat. Quòd si * viderit te ita imbecillem, ut impediri possit tua intẽtio, si manifestetur, omnino conabitur ut his à quibus retineri aut vi, aut amore, aut aliqua persuasione possis, qualibet occasione publicetur. Promittet etiã quia si bonum quod intendis aliquantulùm differre volueris, multò fructuosiùs atque utiliùs facere hoc poteris, & plurimorum salute quos tecum attrahes, & commodo pecuniæ monasterio profuturæ quam undique colliges. Quid etiam; Quòd te levitate & inconsideratâ acceleratione tentabit arguere, quia te non solùm promittendo, sed & pignus promittendo, indissolubili voto voluisti constringere: cùm nihilominus & fortasse meliùs idipsum liberâ posses voluntate perficere? Ad hæc omnia, Charissime, quid respondendum sit, vellem aliquantò diffusiùs scribere, nisi lex epistolæ cogeret me brevitatem non excedere. Breve igitur & verum amici tui suscipe contra ista consilium. Qui putat voluptate sæculari careré, & in exercitio perseverare virtutum * nimis austerũ & impossibile; nunquam gustavit quantùm sit non servire sed imperare vitiis per amorem & spem cœlestis regni, hu- Anim. 2. dandum & delectabile. Qui putat meliùs sibi esse

al. sibi

in habitu clericali religiosè * vivere, quàm subire monachicæ vitæ pondus importabile: consideret per totum mundum, quantâ hilaritate utrique sexui, omni ætati, & omni generi hominum sit pondus illud cantabile. Sciat etiam quia valde difficilius est inter sæculares per liberam voluntatem, quam intra claustrum monachorum sub disciplina custodire vitæ sanctitatem. Non dico nunc quod propositum vitæ inter omnes vitas altiorem gradū contingat humilitatis, quem altior sequitur exaltatio: nisi quia nullus, ut melius vivat, monachi propositum deserit; & omne genus hominum ad monachicam vitam, ut magis Deo propinquet, concurrit. Qui * peccatis addit peccata quia peccatorum omnium expectat remissionem; amando peccatum, probat se non amare, & ideò non mereri peccatorum

al. remissionem

* absolutionem. Qui differt in futuram, & forsitan non futuram ætatem, vitam suam corrigere, certum bonū dimittit pro dubio; & contemnendo quod perdit, probat se non amare quod expectat, & meretur non accipere. Qui certus non est se tantæ esse constantiæ, ut nullo modo flecti possit à bono proposito; omnino celet bonam voluntatem, ut non nisi cùm in opus exit, appareat in publico. Qui bonum, quod vult facere, ut melius fiat, differt: bonum est, si melius certum est. Quod si melius bonum dubium est; & perdere minus bonum, nimis est damnosum & irrecuperabile: consilium est, ut acceleret facere bonum minus; ne nimis expectando majus, non faciat majus nec minus. Qui judicat levitatem, voto * velle se ligare ad faciendum quod bonum est, ut jam non sit liber ad non faciendum:

Tf. 75.

judicet doctorem levitatis illum, qui dicit: *Vovete & reddite.* Nullatenus enim reprehendendus est, qui quod bonum est, vovit; sed qui non reddit quod vovit. Certum quippe est quia qui bene vovet, ipso voto Deo placet: Qui ergo aliquid boni vovit, non pœniteat quia fecit unde Deo placeat: sed festinet reddere quod vovit, ut plus placeat. Hæc, fili charissime, consilia, has consolationes in præsenti maximè tibi necessaria judicavi; hæc paternâ sollicitudine ego quem patrem & consiliarium non meâ dignitate, sed tuâ voluntate elegisti, dictavi: hæc interim reminisci non desinas, donec quod Deo inspirante vovisti, ipso adjuvante perficias. Vale, desiderate cordi meo, & festina satisfacere de te desiderio meo, quod utinam facere placeat Omnipotenti Deo. Amen.

EPISTOLA XIII.

Domino, & Patri reverendo Archiepiscopo Lanfranco, Frater Anselmus servus servorum Dei, Becci commanentium, cum eisdem Dominis suis; quod Domino fideles servi, quod reverendo Patri reverentes filii.

Ad eum mittit Gisleberтum, quem ut brevi remittat, precatur.

DE Domno Gisleberto, ut eum vobis mitteremus, vestræ satisfecimus jussioni: quòd autem tardiùs quàm jussistis, verum est quod non est factum negligentiâ; sed ob multa, quæ nunc enarrare longum est, impedimenta. Sed scitote quia si quis fecerit ut ipse in Anglorum terra remaneat, nimis grave & majus, quam breviter dici possit, damnum in præsenti & in futuro, interiùs & exteriùs Ecclesiæ nostræ, & tristitiam faciet. Quapropter precamur & obsecramus, quantùm, salvâ justitiâ, & vestræ Sanctitatis reverentia, nobis licet, per pietatem & per charitatem quam erga nos vestram semper habere Paternitatem cognovimus, ut si absque Dei voluntatis obviatione fieri A posse videritis, potiùs Fratribus & amicis desiderantibus ad certam suam salutem & aliorum utilitatem per vestram instantiam reddatur, quam quibuslibet alienis ad periculum sui damni, & illorum utilitatem dubiam ingeratur. Breviter, quòd multùm volumus & expedire credimus, obsecramus; quia sapientiæ vestræ pauca verba sufficere non ignoramus. Quòd si divinam dispositionem nostræ sic resistere petitioni vestra cognoverit prudentia, ut * aliter fieri necesse sit: quod mihi si præsens esse, vestra prudētia de teipsa concedere aut facere * consuleret, vestræ commisto potestati.

al. considerat

EPISTOLA XIV.

Frater Anselmus Abbas Becci, Fratribus Beccensibus apud Confluentium commanentibus, salutem.

Ut monachus, qui invito Abbate Parisiis propter studia in Monasterio S. Maglorii morabatur, ad suum Monasterium redeat.

MIttite nostras litteras Benedicto monacho de S. Petro supra Divam, qui propter scholas moratur apud Parisium, & cōversatur in monasterio S. Maglorii. Mando enim illi & consulo ut ad monasterium suum redeat, à quo * contra voluntatem Abbatis sui abest. Promisit enim idem Abbas ejus mihi, se illi misericordiam * & mansuetudinem pro nostro amore, si redierit, exhibiturum. Quod si facere voluerit, omnino illum, sicut monachum de nostro monasterio charitativâ sollicitudine benignè juvate; quatenus aut equo usque ad nostrum monasterium, aut navi usque Fraisnolam venire possit. Quod Domnus Rodulfus mandavit vobis de equo suo, & de monacho S. Germani facite: sed hoc a me mandatum esse dicere nolite, sed à Domno Rodulfo. Valete, & scitote quia miserante Deo, de ægritudine quam nuper habui bene convalesco, & hoc amico nostro * Domno Ursioni notum facite. Epistolas nostras, quas Domnus Mauritius nobis mittere debuit, adhuc expectamus. Iterum valete.

al. exiit

al. amicis

al. mihi

EPISTOLA XV.

Domino, & Patri reverendo Abbati Fulconi, Frater Anselmus; orationum & servitii fidelitatem.

Exorat ut mitiùs agatur cum apostata monacho, pœnitente.

FIlius vester, qui à Paternitate vestra inordinatè abierat, pœnitens ad omnem satisfactionem, secundùm vestrum judicium, paratus humiliter rediit. Qui non tam postulat, ut illi pœnam quam meruit remittatis, quàm ut vel ultimum illum intra gregem, quem suâ culpâ dimiserat, vestrâ misericordiâ constituatis. Precor igitur ego Sanctitatem vestram, ut non tam consideret districtio vestra * quod ille fecit peccando, quàm penset pietas vestra] quod facit humiliter pœnitendo. Precor etiam atque etiam Fratres ac Dominos nostros, alios filios vestros, ut Paternitatis vestræ misericordiam pro eo exorantes gaudium se monstrent habere quia *Frater* eorum *mortuus fuerat, & revixit; perierat, & inventus est.* Qua verò mensurâ erga eundem fratrem judiciū, sive misericordiam vestrā ostendere debeatis, sicut scriptum est, *misericordiam & judicium cantabo * tibi Domine*: vestræ potestatis est, & vestræ prudentiæ: tantùm ut superexaltet misericordia judicium.

al. mitis

Luc.

Ps. 100.

EPISTOLA XVI.

Suo dilectissimo, olim divinâ dispositione filiò, nunc Dei gratiâ Coabbati Gisleberto, Frater Anselmus; in hac vita diu sanctè vivere cum prosperitate, in futura fœliciter cum æternitate.

Gratulatur ad Abbatiæ Westmonasterienſis regimen assumpto.

ET si tardè, propter ægritudinem impedientem, dilecto dilectori meo pro nova sibi divinitùs data gratia scribo: non tamen tepidè, quantùm ad voluntatis benevolentiam pertinet, dico: *Gloria in altissimis Deo, & in terra gaudium* * *hominibus bonæ voluntatis*, qui judicium suum de te manifestavit, quod hactenus apud se occultum, licet semper de te, pro humana æstimatione, bona crederemus, servavit. In eo namque vitæ proposito, in quo te custodiendo semper ejus gratia * sapientia erudivit, & in sanctitate nutrivit, patrem & doctorem pastoremque animarum te constituit. Multò enim meliùs de te sperandum est, & de similibus tuis, quorum vita est in sancta conversatione nutrita; quàm de me, & de similibus meis, quorum vita olim est sæculari conversatione detrita. De vobis enim sperandum est, cùm ad aliorum curam promovemini, quòd dum & alios ad vestri similitudinem instruitis, justitia vestra perficiatur: de vobis verò timendum est, cùm tanto pondere gravamur, * ne injustitia nostra occulto Dei judicio augeatur. Quantò igitur melius est de tua Sanctitate in suscepto officio sperandum; tantò magis est & securiùs de tibi concessa gratia gaudendum. Omnipotens Deus, qui te custodem aliorum constituit, ipse te suâ gratiâ sic adjuvet & custodiat; ut pro tua & illorum justitia æternam tibi beatitudinem retribuat.

EPISTOLA XVII.

Domino, & Patri venerabili Archiepiscopo Lugdunensi, Hugoni, Frater Anselmus; in præsenti sæculo sanctè vivere, in futuro beatè.

Mutandos esse titulos duorum opusculorum, quorum unum Monologion, alterum Proslogion vult inscribi.

POndus vestræ auctoritatis facit me dare pondus meis nugis. Cùm enim Celsitudo vestra tanti pendat opuscula nostra, ut ea petere & legere dignetur; nonnihil mihi, quòd tanto viro placeat, esse videtur. Quapropter nullatenus apud vestram Prudentiam me ridendum existimo, si qualiter aptiùs titulari debeant eadem opuscula, considero. Precor igitur ut si libellos, quos Sanctitati vestræ * jussus misi, recuperare poteritis, illud quod in ipsis titulis positum est, scilicet de ratione fidei, velut superabundans recidentes; illum quem monoloquium nominavi, monogion vocetis; & alterum non alloquium, sed proslogion tituletis: & secundùm titulorum correctionem, finem præfatiunculæ minoris libelli, quæ de eisdem titulis loquitur, emendetis. Cur autem hanc mutationem fieri rogitem, exponere, si tantum fiat, nec adeò est necessariũ, nec hac epistolari brevitate, quam proposui, congruum. Quod si secundùm nostram petitionem feceritis, hoc vestræ Paternitati volo retribuere: ut si Deus mihi ea quæ desidero, dederit scribere, aspectui vestro nolim ea, ut puto non minùs prioribus placitura, subtrahere. * Fidelitatem vestram, quam semel cordi meo commendavi, protegente Deo, servat & servabit; nec dissimiliter de gratia vestræ Sanctitatis sperat & sperabit.

EPISTOLA XVIII.

Charissimis, & desideratissimis Dominis suis, servis Dei Becci commanentibus, servus eorum Frater Anselmus: de virtute in virtutem proficere, ut Deum Deorum in Sion mereantur conspicere.

De prospera sua in Angliam navigatione.

MOx ut de mari exivi in Anglicam terrã, die Dominicâ mediæ quadragesimæ, horâ tertiâ dictavi has litteras, ut vestram Dilectionem de nostri itineris prosperitate lætificarem. Dei enim gratiâ favente vestris orationibus, omnia prosperè & honorificè ultra spem meam mihi & iis qui mecum sunt in terra & in mari, postquam à vobis discessi evenerunt. Precor itaque ut sicut feciſtis hactenus, ita & deinceps peregrinationem nostram orando adjuvetis: sed multò magis precor ut reditum nostrum bene vivendo lætificetis.

EPISTOLA XIX.

Suo in Deo desiderato, dilecto & utinam desideranti dilectori Guillelmo, Frater Anselmus dictus Abbas Becci: periculosam & ærumnosam contemnere vanitatem, & securam atque beatam quærere veritatem.

Sæculi militi suadet dare nomen militiæ Christi.

TAnta mi dilecte atque desiderate, dilectione tui animam meam omnipotens Dominus suâ gratiâ non meis meritis occupavit: ut inter desiderium salutis tuæ, & timorem periculi tui angustata diurnis ac nocturnis sollicitudinibus eam pro te stimulatibus quiescere non possit; & benedictus Deus in donis suis, qui utinam sic abstuliſſet à te odium animæ tuæ; quomodo dedit mihi amorem salutis tuæ. Sustine me, dulcis amice, & tolera dilectorem tuum; si importunus tibi videor, & duriùs quam velis tecum loquor. Amor enim animæ tuæ cogit animam meam, nec patitur eam pati ut tu oderis eam, cujus amorem semper habet secũ. Suscipe ergo, charissime, cum amore quod oro ut Deus tibi det, dicta amatoris tui. Tu es, dilectissimo, tu es quod dicit amor cum dolore, & dolor cum amore, qui, quod Deus auferat à te, odisti dilectã animæ meæ animam tuam: quoniam *qui diligit iniquitatem, odit* Psal. *animam suam.* Iniquitas certè & iniquitates sunt, quò tanto affectu properas mi dilecte. Iniquitas & iniquitates sunt, quò te trahit impetus torrentis mundanæ ruinæ, mi desiderate. Iniquitas enim est cruenta bellorum confusio. * Iniquitas est mundanæ vanitatis ambitio. Iniquitas est insatiabilis falsorum bonorum & falsarum divitiarum aviditas. Ad hæc, heu me, video illum, quem tantùm diligendo retinere desidero, trahi ab hoste callido decipiente cor ejus. Amice hominum & liberator Deus, ne pertrahat servum tuũ inimicus. Dicis mihi, Frater desiderate: non ista diligo, sed in eis involutum Fratrem meũ; & idcirco festino in eis cõvolvi cum eo, ut adjuvem & custodiam eum. Væ, ærumnosus dolor de ærumnoso errore filiorũ Adæ! Quare, ô homo, non potiùs dicis; non ista diligo, sed Christum Deum meum: & idcirco ista fugiens festino ad eum, ut adjuver & custodiar ab eo. An tu, audito fragore ruẽtis mundi super Fratrem tuum, contemnens vocantem

Christum curris sub ipsam ruinam, ut homunculus homunculum, vermiculus vermiculum sub tam confuso pondere, & ponderosa confusione adjuvet & custodiat. Responde, Frater, quis adjuvabit & custodiet te illum adjuvantem & custodientem? Deus, quem minùs studes sequi quàm ipsum fratrem tuum. Christum vocantem te contemnis sequi in pace, & in patria, & inter propinquos & amicos, ut hæres quidem Dei, cohæres autem ejus possideas regnum cœlorum; & per tot & tantas itinerum difficiles asperitates, per marium turbines & procellosas tempestates, in bellicosam cõfusionem curris ad fratrem tuum, ut videas eum, ut multùm dicam, tenentem regnum Græcorum: & * tu putas quia Deus plus adjuvet & custodiat illum per te, quàm sine te; aut teipsum propter illum, quam propter seipsum; imò * multò minus hoc faceret: scit enim si * videt ullum ab ullo amari plusquam se. Sed forsitan dicis: Si incipio sequi Christum, timeo ne imbecillitate mea deficiam. Iterum & iterum dolendum & lugendum de errore filiorum hominum. Ad ea quæ * semper deficiunt, imò ad ipsum defectum currendo toto affectu non timent defectum; & ad Deum nunquam deficientem & suum auxilium promittentem non audent proficere timendo defectum. Gaudent deficere, ut deficiant; & timent proficere, ne deficiant. Crede, rogo, consilio Dei, & committe te totum auxilio Dei, & non senties defectum in servitio Dei. Jacta, amate, & desiderate, & dulcis amice,
Ps. 54. * *Jacta cogitatum tuum in Domino*, & certus esto, promittente Spiritu sancto, quia *ipse te enutriet*. Ne differas tantum bonum tuum, & comple de te desiderium meum: ut habeam te, ineundo post Christum, socium meum; & conemur simul, quatenus tu me tuum, & ego te possim videre in hæreditate Christi, ipso dante, consortem meum. Ne pudeat te rumpere vincula propositæ vanitatis; quia non dedecus, sed honor est transire in libertatem veritatis. Pudeat te Deum minùs Thesaurario Belvacensi diligere, qui tuæ aut minoris * ætatis adolescens delicatus & pulcherrimus, valde dives & nobilissimus, & immoderatus amator sæculi, olim cùm similiter, ut modò sum, in Anglia essem, nescio qua causa veniens Beccum, statim recessurus subitâ sancti Spiritûs gratiâ mutatus, se monachum ibi permansurum, tonsurâ statim & habitu nostro sumpto, spopondit; se nunc lætiorem, quàm unquam in vita sua fuisset, affirmans. Ne erubescas profiteri te pauperem Christi, quia tuum erit regnum cœlorum. Ne timeas facere te militem tanti regis; quia rex erit ipse in omni periculo tecum. Ne tardes amplius in hac vita meliorem, quàm constituisti, viam incipere; ne fortè in alia vita moreris coronam beatam percipere. Moneo, consulo, precor, obsecro, præcipio ut dilectissimo, ut dimittas illam Hierusalem, quæ nunc non est visio pacis, sed tribulationis, thesauros Constantinopolitanos & Babylonios cruentatis manibus diripiendos: & incipe viam ad cœlestem Hierusalem, quæ est visio pacis, ubi invenies thesauros, non nisi istos contemnentibus suscipiendos. Invitos finio longam epistolam, quia ex abũdantia cordis multùm tibi loqui cupit os meum. Omnipotens Deus, qui de illo quem suprà dixi, quam simili sed impari desiderio, quia minori spe quàm te desiderabam gaudere, facit plusquam sperabat cor meum, non frustretur majorem de te spẽ & majus desiderium meum. Quod si Deus cordi tuo ante reditum meum inspirare dignaretur: ita est Deus Becci cum fratribus nostris me absente, sicut me præsente. Dominus dirigat cor tuum secundùm voluntatem suam, & satisfaciat voluntati meæ de te secundùm misericordiam suam. Amen.

EPISTOLA XX.

Domino, & Patri reverendo Abbati Henrico, Frater Anselmus; hujus vitæ diuturnam prosperitatem, & futuræ æternam fœlicitatem.

De Folceraldo Beccum transmittendo: ut ibi sub Anselmi regimine degat, petit epistolam sigillo Abbatis illius munitam.

LAtor præsentium retulit mihi vestram paratam esse Sanctitatem de Domno Folceraldo, filio suo, nostram facere voluntatem. Cui nuncio, * quoniam nec litteras vestras, nec sigillum vestrum certum litterarum testimonium video, non omninò sum credulus: nec cùm reminiscor quia amicus amico tres panes petente, & si non surgat, eo quod amicus sit, propter importunitatem tamen surgit, & dat illi quotquot * habet necessarios, non sum penitus incredulus. Si enim somnolenti amici pigritia vincitur, mediæ noctis * tempore, importunitate; quantò magis tot amicorum importunitas impetrabit a vestra charitate. Si ergo Deus posuit in corde vestro, ut præfatum filium vestrum, Ecclesiæ nostræ sub Abbatum ejus regimine penitus concedatis, non enim peto, * nec expedit ut redi-
Luc. 11: al. omit. al. omit.
tus veniat, propter longæ viæ periculosam difficultatem: precor per eandem importunitatem, quatenus epistola vestro sigillo signata indubitabilem mihi vestram ostendat voluntatem. Postquam vero certi erimus, nostræ sollicitudinis erit qualiter illũ habeamus.

EPISTOLA XXI.

Suo Charissimo in Christo Fratri, in carne consanguineo, Folceraldo, Frater Anselmus, salutem. al. omit.

Quòd ei non expedit venire Beccum ut redeat: nec debeat suscipi sine litteris Abbatis sui sigillo signatis.

SI Domnus Abbas Henricus te nostræ Ecclesiæ perpetim concedere paratus est; aliter enim non consulo te venire, quia non expedit; nec facile est monachum ire & redire tam longo itinere: debuisti instare ut hoc mihi suis litteris & sigillo intimaret, sicut mandavi, ne pauperem hominem frustra cogeres tanto itinere laborare. Non enim decet ut pro solo verbo talis homuncŭli tantam rem incipiam. Moneo igitur quatenus aut litteras cum sigillo Domni præfati Abbatis, sicut dixi, mittas; aut omnino quod fieri nullatenus potest, dimittas; & dispositionem vitæ tuæ totam divinæ misericordiæ committas.

EPISTOLA XXII.

Domino, & amico charissimo Hugoni incluso, Frater Anselmus dictus Abbas Becci; à malis excludi, in bonis includi.

Suggerit ei monita quibus erudiat seculares qui ipsum adeunt.

DUo viri laïci nuper ad me venerunt dicentes, se à vestra Dilectione missos, quatenus ex nostra exactione aliquid assumerent, unde se ad patriæ cœle-

Digitized by Goo

al. accederent

stis amorem* accēderent. Per quos erit, ut referebant, postulastis ut aliquid a me breviter scriptū acciperetis, unde sæcularium mentes hominum vos adeuntium ad hujus sæculi contemptum & æterni regni desiderium incitaretis. Quod vos tantò meliùs per vos efficere potestis, quantò liberiùs hauritis vitæ dulcedinem cœlestis. Nam quod ego quasi à longè intueor, vos gustu sentitis; & quod ego mente jejuna ore rumino, vos cordis affectu glutitis: quod enim ego de sanctæ vitæ rectitudine utcunque intelligo, vos operibus tractatis; & quod ego utcunque loqui possum, vos faciendo gustatis. Quantò ergo satur suaviùs quam jejunus eructat, tantò dulciùs vestra commonitio quod persuadere nititur, inculcat. Sed quoniam vestræ aliquid negare nequeo volūtati, quamvis hoc quod a me petitis, in latitudine sacræ Scripturæ multò meliùs inveniatis: tamen dicam aliquid secundùm petitionem vestram, ne me velut ejus contemptorem arguatis. Sic itaque aliquem illic tantùm, & qui altiora capere non possit, ad beatitudinis æternæ desiderium existimo posse invitari. Frater charissime, Regnum cœlorum clamat Deus se habere venale. Quod quidem regnum cœlorum tale est, ut ejus beatitudinem & gloriam nec oculus hominis mortalis possit videre, nec auris audire, nec cor cogitare: ut tamen aliquo modo illud possis cogitare. Quisquis ibi regna meruerit, quicquid ipse volet, hoc erit in cælo & in terra: quic-

al. volet

quid verò * nolet, non erit in cœlo nec in terra. Tanta enim erit dilectio inter Deum & eos qui ibi erunt, & inter seipsos invicem; ut omnes se invicem diligant, sicut seipsos: sed omnes plus ament Deum, quam seipsos. Et propter hoc nullus ibi volet, nisi quod Deus; & quod unus volet, hoc volent omnes; & quod unus vel omnes, hoc ipsum volet Deus. Quapropter quicquid unusquisque volet, hoc erit & de seipso & de omnibus aliis, & de tota creatura, & de ipso Deo. Et sic singuli erunt perfecti reges, quia quod singuli volent, hoc erit; & omnes simul cum Deo unus rex, & quasi unus homo, quia omnes unum volent, & quod volent erit. Hanc mercem clamat Deus de cœlo se habere venalem. Si quis quærit, quo pretio? respondetur illi: non indiget terreno pretio, qui vult dare regnum in cœlo; nec aliquis potest Deo dare quod non habeat, cujus est totum quicquid est. Nec tamen dat Deus tantam rem sine omni pretio, quia non dat illam non amanti. Nemo enim dat quod charum habet, illi cui charum non est. Quoniam ergo Deus tua re non eget, nec dare debet tantam rem contemnenti amare illam: non quærit nisi amorem, sine quo non dare debet. Da ergo amorem, & accipe regnum: ama, & habe. Denique quoniam * regnare in

al. amit.

cœlo non est aliud quàm sic conglutinari cum Deo, & cum omnibus sanctis Angelis & hominibus per dilectionem in unam voluntatem, ut omnes utantur simul unâ potestate. Ama Deum plusquam teipsum; & jam incipis tenere quod sibi perfectè vis habere. Concorda cum Deo & cum hominibus, si tantùm à Deo ipsi non discordēt: & jam incipis cum Deo & cum omnibus Sanctis regnare. Nam secundùm quod tu cōcordabis modò cum Deo & cum hominibus, in illorū voluntate concordabit Deus tuus & omnes Sancti tecum in tua voluntate. Si ergo vis esse rex in cœlo, ama Deum & homines sicut debes, & mereberis esse quod optas. Hunc verò amorem non poteris habere perfectum, nisi evacuaveris cor tuum ab omni alio amore. Quippe sic est de corde hominis & de hoc amore, quomodo de vase & oleo. Nam sicut vas quantò magis aquam aut alium similem liquotem, tantò minùs capit oleum. Ita cor, in quantùm occupatur alio amore, in tantùm excludit istum. Est & aliud, quia sicut fœtor est contrarius odori, & tenebræ luci; sic omnis alius amor, huic amori. Sicut igitur contraria nunquam simul integrè conveniunt; sic nec iste amor cum ullo alio amore in uno corde. Hinc est quod qui cor suum implent dilectione Dei & proximi, nihil aliud volunt nisi quod vult Deus, aut quod vult alius homo, tantùm si non sit * contra Deum. Hinc est quod instant

al. circa

orationibus, & cælestibus colloquiis, & cogitationibus: quia dulce est illum desiderare Deū & loqui & audire & cogitare de illo quem * multùm amant. Hinc est quòd gaudent cum gaudentibus, flent cum flentibus, miserentur miseris, donant indigentibus, quia alios homines tanquam seipsos amant. Hinc est quod contemnunt divitias, potestates, voluptates, & honorari aut laudari. Qui enim hæc amat, sæpe facit aliquid * contra Deum & contra proximum. Sic

al. circa

enim ex his duobus præceptis universa lex pendet & Prophetæ. Qui ergo vult habere illum amorem perfectè, quo regnum cælorum emitur, amet contemptum, paupertatem, laborem, subjectionem, sicut sancti viri faciunt. Sic * enim qui se humiliat, exaltabitur. Breviter vobis hæc, charissime, sicut postulastis, dixi: sed in horum expositione prudentia vestra multò plura proferre poterit, quam dixi. Si tamen de plenitudine beatitudinis æternæ aliquid à me latiùs dictum Sanctitas vestra legere voluerit, in fine libelli mei, qui Proslogium appellatur, ubi de pleno gaudio tractavi, reperire hoc poterit. Valete, & orate pro me.

al. omit.

EPISTOLA XXIII.

Domno, & Patri Abbati reverendo Petro, frater Anselmus dictus Abbas Becci: per præsentis vitæ sanctitatem adipisci futuræ felicitatem.

Quòd Clericum priusquàm stabilitatem liberè promiserit, non potest invitum ab Abbate detineri. Quodque in eo monasterio manere debet in quo prius petitionem & votum Monachi fecit.

FRatrem me vestræ Sanctitatis, sicut mandastis, & fraternitatem hanc me velle servare sicut postis, confiteor. Quod quia Domino Ursioni Clerico, qui apud vos petitionem & votum monachi fecit, & nunc apud nos manet, vultis apparere; nihil utique vobis minùs de illo faciemus, quam a vestra charitate nobis fieri postularemus. Scitote namque quoniam apud nos priusquam apud vos petitionem & votum monachi fecit. Si ergo per hoc vos putatis justè illum posse revocare, quibus postremùs hanc petitionem & hoc votum, importunitate precantium victus fecit; multò justiùs possumus * nos illum retinere, quibus

al. non

hoc priùs * de longè veniens spontanea voluntate, non

al. & longè

ullâ vestrâ persuasione coactus, fecit ille: quo multò magis est debitor servare veritatem in prima & libera promissione, quàm in ejusdem primæ promissionis violatione. Nam si præfatæ petitionis & voti testes habetis, & ejusdem confessionem: * nos plus habemus,

al. non

quia voluntatem ipsius tenemus cum testibus & confessione, & priores suscepimus ejus promissionem. Denique vestram non latet Prudentiam quia quanto tempore novitius in incolumitate sui sponte petens monachicam conversionem, in monasterio conversatur ante professionem, secundùm regulam nostram differtur propter stabilitatis probationem. Nec interim eum * ullus cogere potest ad remanendum, sed libera ei conceditur potestas ad discedendum. Non dico quod non * peccet, si acceptam bonam voluntatem de-

al. nullus

al. placet

serat; & quod sæpius ore bene promisit, diabolicâ persuasione deceptus exhorreat: sed dico quia quamvis cōram Deo mendacii arguatur; non est tamen Ab-

batis, ut quod ille promiſit, ab eo violenter exigat. Quam rationem & nobis & vobis pariter ſervandam eſſe cognoſcitis. Quapropter ſi prædictum Clericum vultis ad vos reducere, mittite pro eo: &, ſi voluerit, liberam habet poteſtatem à nobis recedendi: ſi autem noluerit, non a veſtra diſcretione calumniam pati debet nobiſcum remanendi; nec in nobis ulla debet eſſe voluntas illum expellendi. Hoc enim modo me erga vos fraterno affectu uti, quod poſcitis, exiſtimo; ſi quod à vobis mihi ordinatè fieri peterem, veſtræ Fraternitati facere non tenuo. Ad calumniam veſtram, quam dicitis, rationem excuſationis noſtræ expoſuimus: ſed quoniam inter nos & vos res hæc agitur, conſilium vobis dare non audemus. Quo tamen nos utamur in re * ſimili conſilio; dicere non prohibemur. Noſtrum utique ſemper eſt conſilium ut nullum ante illam ſui deditionem, quam per cucullæ ſpontaneam acceptionem facit; ſi ad aliud monaſterium ire voluerit, invitum teneamus novitium: ſed inquantùm poſſumus, illum abſolventes, noſtrum ſimul * illi conſilium, ſi poſcit, impendimus & auxilium. Quod ſi bonam deſerens voluntatem Monachus eſſe noluerit; à voto, cujus ſe debitorem fecit, non abſolvimus, ſed nullam illi vim per nos inferentes, illum Dei exactioni, cui ſe debitorem fecit, dimittimus. Si autem prædictus clericus nobiſcum manſerit; & res ejus, quas priùs ſicut ſeipſum nobis dedit, quàm apud vos petitionem & votum monachi faceret, retinere volueritis, nullam à nobiſmet calumniam ſubſtinebitis. Valete.

EPISTOLA XXIV.

Dominæ ſuæ dilectiſſimæ, generis & morum nobilitate clariſſimæ Comitiſſæ Idæ; Frater Anſelmus ſervus ſervorum Dei Becci commanentium, cum eiſdem Dominis ſuis: in flagranti deſiderio Dei uſque in finem manere, de deſiderato conſpectu Dei ſine fine gaudere.

Illi magnas gratias agit de beneficiis in ſe ac reliquos ſui gratiâ collatis.

GRatias agere reverendæ veſtræ Celſitudini tota mente vellemus; ſed utique dignas ſecundùm magnitudinem benevolentiæ & beneficiorum, quæ nobis & multis pro nobis impenditis, non valemus. Illum igitur propter quem nobis, & quibuſcunque poteſtis, tanta bona facitis, oramus ut ipſe vobis ſecundùm multitudinem divitiarum ſuarum retribuat, ſicut optamus. Ex abundantia tamen charitatis hortamur ut benefaciendo non deficiatis, quatenus tempore ſuo indeficienter metatis. Domnus Ricardus lator hujus epiſtolæ promiſit nobis ſe ad nos, ſi Deus illi conceſſerit, rediturum, & nobiſcum deinceps permanſurum. Precamur igitur Reverentiam veſtram, ut illum, ſecundùm quod veſtra ſcit prudentia, confortetis; & in omnibus in quibus veſtro opus habebit auxilio, propter Dei & noſtrum amorem adjuvetis. Dominum noſtrum Comitem virum veſtrum, & filios veſtros, vos ipſa ex noſtra parte, quia fideliorem nuncium de nobis ad illos non habemus, ſicut pro veſtris fidelibus ſalutate.

EPISTOLA XXV.

Suo dilecto, ſuo dilectori, ſuo deſiderato Guillelmo, Frater Anſelmus dictus Abbas Becci: non diligere mundum, nec ea quæ in mundo ſunt; ſed à Deo amari, & Deum amare.

Ut ſi diligat Anſelmum, veniat Beccum; & ſæculum fugiat.

QUod priùs dicam in epiſtola mea dilecto dilectori meo, niſi quod maximè poſtulat de dilectione mea. Anima namque dilecta animæ meæ mittendo litteras dilectione flagrantes, & dilectionem fragrantes, petit à me ſigna dilectionis, litteras conſolationis. Quid autem dulciùs, quid jucundiùs, quæ major conſolatio dilectioni, quam dilectio? Quid igitur ſcribam quod magis conſoletur te * dilectorem meum, quàm quia ſic te diligit anima mea; ut niſi te teneat, non conſoletur de te cor meum, nec ſatietur deſiderium meum. Cùm enim tantâ dilectione, tantâ poſtulatione rogas ut te diligam; utique facis ut te non ſolùm voluntate diligam, ſed & neceſſitate deſiderem: & certè nihil conſolatur deſiderantem, niſi quod ſatiat deſiderium, & nihil magis torquet quàm dilatio. Optat dilectio tua conſolari epiſtolâ dilectionis meæ: deſiderat dilectio mea delectari præſentiâ dilectionis tuæ. Si ergo non vis torquere animam meam, * ſatia quod tam ſtudiosè, tam vehementer accendiſti, deſiderium meum. Quomodo enim mihi dicis quia me diligis; & ut te diligam, anima dilecta mea, finis torquere præcordia mea? Denique ſi eâdem fervent dilectione intima tua, quâ & mea; neceſſe eſt ut eodem deſiderio liqueſiat anima tua, quo & mea. Sed quomodo vel poſſibile eſt ut tu velis me diligere te, & tu non ſimiliter diligas me? Ne ergo ſis crudelis in animam tuam & meam, veni & conſolare tuam & meam. Sed cum exieris de civitate tua, eſto Loth; ne reſpicias retrò: Oculos habe ante, ut diſcas viam ad veniendum; ne habeas eos retrò, ut obliviſcaris viam ad redeundum: quatenus cum Apoſtolo obliviſcatis ea quæ retrò ſunt, & extendas te ad ea quæ antè ſunt. Apertè dico, ſic veni, ut ſimul converſemur, ſi vis ut invicem nos conſolemur. Poſſem, mi chariſſime, commonere dilectionem tuam ex multis ſacræ Scripturæ dictis, ut mundum & concupiſcentiam ejus contemneres; ſi ea quæ tibi dicturus eſſem, ipſe neſcires. Memento, chariſſime, quia per vanitatem tranſimus ad veritatem. Noli amare vanitatem, ſi vis obtinere veritatem. Scito quia in Anglicam terram ante mediam hanc Quadrageſimam proficiſcor; circa Pentecoſten, Deo annuente, monaſterium noſtrum reverſurus. Si tamen Deus inſpiraret tibi quod deſidero, & quod tibi expediret: ſcis quia *ſemper * nocuit differre paratis*, nec deeſſent qui te cum gaudio ſuſciperent, ſicut ſuſceperunt olim, me abſente, ſimiliter Domnum Rodulfum filium Lanſcelini. Omnipotens Dominus præveniat omnes voluntates & actiones tuas ſuo conſilio, & ſubſequatur ſuo auxilio, amice mi dulciſſime cordi meo.

Philip. 3.

Digitized by Google

EPISTOLA XXVI.

Dominis, & Fratribus chariſſimis, ſervis Dei Becci commanentibus, Frater Anſelmus ſervus eorum: ſemper ad meliora cum humilitate proficere, & nunquam deficere.

Eos hortatur ut abſente Cœnobiarcha vivant integerrimè: & eis ſuæ in Anglia moræ cauſas reddit.

BEne feciſtis, quia de rebus Domni Hugonis defuncti, & de his quæ erga vos ſunt, mihi mandaſtis, & * quia gratia Dei vos & veſtra protegi intimaſtis; me ſemper hoc * deſiderantem valde lætificaſtis. Quoniam autem vos ſcio non diſſimiliter deſiderare noſſe quæ circa me ſunt: ſcitote quoniam ex quo à vobis, veſtris me proſequentibus orationibus, egreſſus ſum, omnia mihi proſperè per Dei miſericordiam evenerunt, & his qui mecum ſunt. Ubicunque vel eundo, vel morando ſum; non aliter quàm in noſtra re propria, Deo donante, ſum. Quoniam verò Rex cartam noſtram de rebus quas habemus in Anglia, non niſi præſentibus datoribus, qui non omnes in Curia Paſchali affuerunt, voluit confirmare: juſſit me uſque Pentecoſten ad curiam ſuam, ubi omnes ſimul jam convenerunt, expectare: qua confirmatione perfecta, Deo veſtris favente precibus, ad deſiderantes & deſideratos meos deſidero remeare. Notum eſt, dilecti * mei, dulcedini veſtræ quia religio veſtra munda & immaculata apud Deum & Patrem eſt deſiderium meum, & bona vita veſtra eſt in hoc ſæculo gaudium meum. Si quid ergo de veſtra charitate pro hac voluntate merui, ut taceam, bene vivendi; primum, quod majus eſt, precor, obſecro, ut bene vivendo lætificetis abſentes & præſentes cor meum, & de bono veſtro impleatis deſiderium & gaudium meum. Et pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra & intelligentias veſtras: ut magis ac magis (quod gratiâ Dei eſtis) ſoliciti ſitis ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis. Domnum Hugonem de Gornaco dilectiſſimum noſtrum, & Domnum Odonem antiquum amicum, & novum commilitonem noſtrum; & chariſſimas Dominas & matres noſtras Dominam Evam, & Dominam Baſiliam ex noſtra parte, quantò dulciùs poteſtis, ſalutate: & eos, ſicut vos & illos decet, & noſtram ſcitis voluntatem, ſerviendo & honorando confortate. Si pluſquam dixi moram fecero, tolerate: quia ſpero in Deo, non erit ſine aliqua utilitate.

al. invic.
al. deſiderante

EPISTOLA XXVII.

Domino, & Fratri dulciſſimo Roberto: Anſelmus, ſalutem & vitam conſequi ſempiternam.

Ut qui relicto monaſterio ſuo abſque cauſa & ipſo abſente diſceſſerat, eò revertatur.

DIctum eſt mihi quia poſtquam ivi in Angliâ, noluiſtis in monaſterio veſtro converſari. Quod ſi factum eſt bono animo & propter rationabilem cauſam, utcunque poteſt tolerari: ſi verò aliquo rancore factum eſt, ſcitote me multùm mirari. Nam etiamſi habetis aliquam cauſam, quæ vobis recta videtur, ut à monaſterio veſtro vos alienaretis; vel propter amorem noſtrum deceret vos expectare, donec mihi rem ipſam, quæ vos offenderet, intimaretis; & deinde noſtro conſilio cor veſtrum, ſicut ſervum Dei deceret, pacaretis. Precor igitur ut ſi me & conſilium meum diligitis, ſicut ego vos ſemper dilexi & diligo, ad monaſterium veſtrum veniatis, & ibi cum aliis pacifica & benigna converſatione Deo ſerviatis. Si autem mihi acquieſcere nolueritis; ſcitote quia animæ veſtræ non expedit, & me contriſtatis. Quod ſi vobis grave eſt placita tenere, quæ vobis commendavi; magis volo ut illa dimittatis, quam quod animam aut famam veſtram lædat, faciatis. Non dico modò verba inconvenientia, quæ de vobis pro hac occaſione dicuntur in Anglia. Valeat mihi dulcis Charitas veſtra; & ne faciat quod me contriſter, quia jucunda eſt mihi benignitas veſtra.

EPISTOLA XXVIII.

Suis dilectiſſimis & deſideratiſſimis conſanguineis Haymoni & Raynaldo, Frater Anſelmus ſervus ſervorum Dei Becci commanentium: totâ virtute vanitatem contemnere, & toto affectu ad veritatem contendere.

Ut Becci cucullam induant, qui è longinquo illuc venerant Anſelmi viſendi ergò, eos vehementer hortatur.

CUm audivi, animæ dilectiſſimæ animæ meæ, quas ſicut ſe diligit, & de quibus, quod de ſe, deſiderat anima mea; cùm audivi vos de tam longè quæſiviſſe faciem meam, exprimere nequeo quantum gaudium perfudit cor meum, quantùm dilatata eſt ſpes mea de vobis: quantùm prius ardens, vehementiùs exarſit deſiderium meum de vobis. Concupiſcunt jam, dilectiſſimi mei, concupiſcunt oculi mei vultus veſtros, extendunt ſe brachia mea in amplexus veſtros. Anhelat ad oſcula veſtra os meum, deſiderat converſationem veſtram quidquid reſtat de vita mea, ut in pleno gaudio futuræ vitæ vobiſcum gaudeat anima mea. Hoc optant, hoc orant de vobis ardentia pro vobis intima mea, chariſſimi, hoc jam fidentiùs ſperant, & ad hoc ardentiùs anhelant, quia vos in Normanniam adduxit voluntas Altiſſimi. Spero enim orando, & oro ſperando in eo qui ſuâ gratiâ tantùm fecit, quia ſecundùm votum meum perficiet quod incepit. Sed quoniam donec videam quod opto, ſtimulat me deſiderium meum, interim ex cordis abundantia loquitur os meum. Guſtate, amantiſſimi, quàm ſuavis eſt Dominus; quod nequaquam ſcire poteſtis quamdiu dulcis eſt vobis mundus. Scitis, dilectiſſimi mei, quia mundus tranſibit * & concupiſcentia ejus: Deus autem permanebit,] & omnis gloria ejus. Qui ergo diligit mundum, ſectatur vanitatem, & conſequetur miſeram indigentiam: qui autem, contempto mundo, eligit Deum, ſequitur veritatem & inveniet beatam ſufficientiam. Sed quid cunctor apertè dicere deſiderium cordis mei? Dicam ego: perſuadeat Deus. Deſiderati mei, nihil tam bene poteſtis, quàm monaſticæ vitæ propoſitum arripere: nuſquam melius hoc poteſtis, quàm cum illo qui vobis in hoc deſiderat & poteſt, Deo dante, ſervire & conſulere. Utique non fallo, quia amicus ſum; certè nec fallor, quia expertus ſum. Simus ergo monachi ſimul, ſerviamus Deo ſimul; ut de invicẽ nunc & in futuro gaudeamus ſimul una caro, unus ſanguis, una anima, unus ſpiritus ſimus. Denique acceſſiſtis, accedendo * ſuccendiſtis, ſuccendendo conflaſtis, conflando conſolidaſtis animam meam cum animabus veſtris. Scindi poteſt, ſecerni jam non poteſt. Trahere illam ad ſæculũ vobiſ-

al. mihi

Digitized by Google

cum non poteſtis. Aut ergo cum illa manebitis, aut illam ſcindetis. Sed ſi illi cohæretis, non ſolùm conſanguinei, ſed & conſpirituales eſtis. Si verò illam ſcinditis; non conſanguinei, ſed verè ſanguinei & carnales eſtis. Si ad hoc veniſtis, vos ipſi judicate qui & quales dicendi eſtis. Sed abſit, chariſſimi, ſed avertat Deus, dilectiſſimi, ne tam inſanabiliter animam * vos diligentem & erga vos innocentem lædatis, ne tam intolerabiliter ſpem de vobis bonam confundatis. O quomodo inter præcordia mea fervet amor meus! Quomodo laborat totus erũpere ſimul affectus meus! Quomodo quærit ſe verbis exprimere; ſed nulla verba ſufficiunt! Quanta vult expromere; ſed tempus & carta non capiunt! Dic tu, o bone Jeſu, cordibus eorum, ſine quo nulla vox valet auribus eorum. Dic illis ut relinquant omnia, & ſequantur te. Promitte illis quia cùm veneris judicare, ſedebunt tecum & judicabunt tecum. Nec ſepares à me, quibus me tanto carnis & ſpiritus affectu junxiſti: ſed aggrega eos illis, quibus tibi ſervientibus me ſervire juſſiſti. Domine, tu teſtis es interiùs; & lachrymæ quæ, me hoc ſcribente, fluunt, teſtes ſunt exteriùs, ſi mecum quod opto fecerint quomodo gaudens erit cor meum: ſi alibi hoc fecerint, quàm melius illis ſcio, quid talibus expediat, qualiter timida & ſuſpenſa erit mens mea? Si ſæculum tenuerint, quàm dolens & triſtis erit anima mea. Nimis loquor, ſed immenſo amore cogor. Amati & deſiderati, Valete, & manete. Manete, inquam, & permanete. Quod utinam priùs audiam inceptum, quàm veniam; & cùm venero, inveniam.

EPISTOLA XXIX.

Domino, Fratri, amico Henrico, Frater Anſelmus, Abbas Becci bonæ voluntatis perfectionem & effectum.

Ut quantocius mundum relinquat.

BEnedictus Deus in donis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis, qui veſtræ dilectioni tantùm de noſtro deſiderio, propter quod iviſtis, conceſſit efficere: quem oramus ut quod deeſt adhuc de voto noſtro & de veſtra mercede, dignetur perficere. De qua re conſilium noſtrum per Fratres noſtros mando. De gratia & dilectione Ducis, de qua mihi ſcripſiſtis, multum gaudeo; & pro ea Deo & illi & vobis gratias ago. Quod etiam illi per litteras facere cogito; cùm nuncii veſtri, ſicut audivi conſtitutum eſſe, ad illum redibunt. Et quoniam neſcio ſi hoc neceſſe erit fieri antequam redeam; cùm primùm poteritis, mandate mihi prænomen ejus, & nomina uxoris & filiorum ejus: ſolùm enim nomen ejus teneo, quia Vitalis vocatur. Sed quoniam dulcis mihi veſtra Dilectio ſic me ſibi ſuâ probitate conglutinavit, ut idem de vobis, quod de me, deſideret cor meum; unde jam ſpem magnam ex veſtris ſermonibus concepi; non poteſt mens mea quieſcere, donec ipſum meum deſiderium de vobis ſatietur. Quamvis igitur nullus ſermo mihi ſufficiat, donec Deus quod opto perficiat; pauca tamen, quia non neſcienti loquor, pro hoc ipſo amicâ familiaritate commemoro. Penſa igitur, dulcis amice, quantaliber mundi gloriâ potitus fueris, quis ſit finis, & in fine quis fructus, quod præmium: & econtra, quæ ſit expectatio mundi gloriam calcantium. Si dicis, non ſoli monachi ad ſalutem perveniunt; verum eſt. Sed qui certiùs, qui altiùs, illi qui ſolum Deum conantur amare; an illi, qui amorem Dei & amorem ſæculi ſimul volunt copulare? Sed forſitan dicet aliquis quia & in ordine monachorum eſt periculum. O homo qui hoc dicit, quare non conſiderat quid dicit! O rationalis natura: an eſt hoc rationabile conſilium, ut quia ubique eſt periculum, ibi eligas manere, ubi majus eſt periculum? Denique ſi ille qui ſolum Deum nititur amare, ſervat propoſitum uſque in finem, certa eſt ſalus. Si verò ille qui mundum vult amare, non deſerit ſuum propoſitum ante finem; aut nulla, aut dubia, aut minor eſt ſalus. Et certè ſatis probat quia nullatenus, aut parum aliquod bonum diligit, qui illud ubi certiùs & meliùs cognoſcit, non elegit. Sed dicunt multi: graviùs iraſcitur Deus peccanti monacho quàm alii, quia de propoſito altiori cadit. Hoc verum eſt, quamdiu eſt in peccato. Sed certè benigniùs & familiariùs ſuſcipit Deus Monachum pœnitentem, ſi ad ſuum propoſitum rediit, quam non monachum qui ad idem propoſitum non venit. Plus namque placet Deo etiam poſt grave peccatum, cujus propoſitum eſt & ante poſt, quo majus habere non poteſt: quam ille qui nec ante nec poſt ſimile peccatum, vult proponere, quo meliùs non poteſt. Si ergo & innocentibus & pœnitentibus meliùs eſt ad vitam monachicham venire, & redire, quam abſiſtere: quid moraris? Si priùs de hac vita tolleris: damnum eſt irrecuperabile. Multa, Chariſſime, de monachicæ vitæ altitudine & certitudine, de quiete & jucunditate dicere poſſem, ſi epiſtola modum non excederet: feſtina ergo ad tantum bonum, quia nullo bono efficaciùs venies ad ſummum bonum. Plures vidi hoc promittentes & differentes, quos ita mors tulit ut nec hoc perficerent quo ſe impediebant, nec hoc inciperent quod promittebant. Quod valde timeo de te; ſed avertat Deus à te, Chariſſime. Vale, & noli tardare.

EPISTOLA XXX.

Domno & Patri reverendo Epiſcopo Vuintonienſi * Walchelmo, frater Anſelmus; orationum & ſervitii fidelitatem. al. Walchelino

Quòd Monachum ad tempus datum non poſſit retinere invito Abbate qui eum repetit. Et intercedit pro Giſleberto.

SEcundùm quod veſtram ſcivi voluntatem, locutus ſum cum Domno Abbate de monte ſanctæ Trinitatis. Conceſſionem a Domno Abbate Rainero anteceſſore ſuo vobis factam eſſe de Domno Sthephano monaſterii ſui monacho penitus negat. Hanc autem negationem mihi ſic * ſe putat aſſerere, quia dicit ſe veſtris precibus eundem Fratrẽ eo tenore conceſſiſſe; ut quandocunque ab ipſo, aut poſt ipſum à Priore ſui monaſterii revocaretur, abſque excuſatione rediret; veſtramque Reverentiam eundem non invitum ſuſcepiſſe. Perſuaſi tamen quantum potui, ut nihil contra voluntatem veſtram acceleraret. Quid tandem * jam velit, vobis aut jam ſcripſit, aut ſcripturus * eſt, omni interim de dilatione reditûs Fratris offenſione remotâ. Interea, ſi quid plus potero, ſecundùm quod ſcio vos inde velle, apud illum efficere tentabo. Domnus Robertus Frater, & ſub veſtra Sanctitate conſervus noſter, quem & dilectorem veſtrum volo dicere, quia ſcio, ſed non audeo; quia forſitan non omnis qui audit, credit: neſcio quid ſupra me confidens per me nimis inſtat, quatenus apud me pietatem veſtram pro Fratre meo Giſleberto intercedam. Sed valde grave mihi ſemper eſt aliquid à quoquam petere contra ejus voluntatem, maximè ab illo cujus nunquam volo offendere benignitatem. Itaque anguſtiæ mihi ſunt undique. Si enim precibus pietatis non moveor, nimis ero durus: ſi autem aliquid precibus ab invito extorqueo, etiam quod ſponte tribuendum ſit, timeo videri impor-

Digitized by Google

importunus. Quoniam igitur nec tacere audeo, nec rogare; saltem ad discendum liceat servo vestro benignam vestram Prudentiam humiliter interrogare: *Labia enim sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum est.* Doceri ergo à vestra Sapientia cupio, si apud Deum pater non portat iniquitatem filii, nec filius iniquitatem patris; utrum apud propinquum frater portet iniquitatem fratris. Videmus enim hoc fieri non solùm apud multos extraneos, sed & apud quosdam propinquos, quorum auctoritas facilè reprehendenda non est. Denique quomodo verum est quia *sicut anima patris, ita & anima filii, Dei est:* ita verisimile videtur quia sicut caro fratris, ita & caro fratris consanguinei est: & si cujuslibet culpa in propinquum transit, propinquior est filius patri, quàm frater fratri. Si ergo vestræ pietati solubilis videtur hæc quæstio; præfatum Gislebertum, quia propè est, doceat suam solutionem, & super ipsum erit dubitanti mihi suscepta mandare responsionem. Valete.

Malach. 2. v. 7.

Rom. 18. v. 4.

EPISTOLA XXXI.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei, Anselmo venerabili Abbati Beccensi; salutem & Apostolicam benedictionem.

Ejus precibus se & Ecclesiam commendat; & ei præcipit ut justitiam faciat cuidam Conversò suo.

QUoniam fructum tuorum bonus odor ad nos usque redoluit: quàm dignas grates Deo referimus, & te in Christi dilectione ex corde amplectimur, credentes pro certo tuorum studiorum exemplis Ecclesiam Dei in melius promoveri, & tuis similiumque tibi precibus etiam ab instantibus periculis Christi subveniente misericordia posse eripi. Nosti, Frater: si justi apud Deum prævaluit oratio, quid justorum? Prævalebit equidem, imò impetrabit sine dubio quod petierit. Ipsius etiam veritatis auctoritate cogimur hoc confiteri: *Pulsate*, inquit, *& aperietur vobis: petite, & accipietis.* Pulsate simpliciter, petite simpliciter, hæc etiam quæ sibi placuerunt. Simplex est ostium, simplex dator vult peti simplicia, & quæ sibi conveniant: hoc modo aperietur, hoc modo accipietis, hoc modo justorum exaudietur oratio. Unde volumus tuam tuorumque Fraternitatem assiduè Deum orare, ut Ecclesiam suam, & nos (qui ei, licèt indigni, præsidemus) ab instantibus hæreticorum oppressionibus eripiat, & illos errore dimisso ad viam veritatis reducat. Querimoniam apud nos fecit quidam peregrinus de quodam converso tuo: *Justus Dominus justitiam dilexit, æquitatem vidit vultus ejus.* Imitare Dominum tuum, imitare Magistrum, à quo habes doctrinam vitæ. Præcipimus etiam & nos, ut ei justitiam facias coram Huberto dilecto filio nostro, & (ut intelleximus) amico tuo.

Jacob. 1. v. 16.

Matt. 7. v. 7.

Psal. 10.

EPISTOLA XXXII.

Urbanus Episcopus servus servorum Dei; Anselmo venerabili & dilectissimo Abbati; salutem, & Apostolicam benedictionem.

Ut Episcopo rerum Ecclesiasticarum imperitiori adsit. Ut non differat Sedem Apostolicam visitare, & ad eam mittere quæ Hubertus Subdiaconus ejus legatus collegerat ex censu B. Petri.

RElegionis ac scientiæ tuæ prærogativam scientes, Belvacensi Episcopo, quæ in ejus ordinatione injusta videbantur, indulsimus: & in tuæ studio industriæ confidentes curam ei Episcopatûs invito renitentique injunximus. Nunc ergo tibi eum commendamus attentiùs: quatenus ei in omnibus ut filio tuo adjutor, monitor, corrector atque consultor assistas; & cùm ipse adesse nequiveris, quemlibet ei fratrum tuorum, (qui super ipsum spirituali zelo sollicitus sit) præsentem esse mandabis: ut quod in ejus initiis minùs canonicum cernitur, bonis in posterum profectibus valeat operari. Si quid autem tibi vel per eundem Belvacensem Episcopum, vel per filium nostrum Rogerum de servitio S. Romanæ Ecclesiæ mandabimus, ut talam virum decet, impiger & paratissimus exequeris. Sanè monachum tuum Johannem nostræ Ecclesiæ filium apud nos retinere volumus: super quo in vos querela Romanæ pendet Ecclesiæ, quòd ipsius clericum monachare, & altioribus gradibus provehere præsumpsisti. Verumtamen Belvacensis Episcopi precibus inclinati, eum ad te sub hoc tenore remittimus; ut ante exactum à præsenti quadragesima annum aut illum ad nos remittas, aut ipse veniens tecum ducas, & si quem alium de vestra congregatione nobis utilem noveris. Porro quantò ipse citiùs poteris, Sedem Apostolicam visitare ne differas, ut dilectionis mutuæ præsentiâ, devotione debitâ perfruamur. Huberti verò nostri Subdiaconi, qui apud vos defunctus dicitur, si quæ res apud te dimissæ sunt, ad nos citiùs destinabis. Cùm enim à Domino Prædecessore nostro sanctæ memoriæ Gregorio legationem in Anglorum regno acceperit, multa ex censu beati Petri dicitur collegisse; quæ si apud vos sunt, citiùs ad nos volumus destinari, necessitati sanctæ Ecclesiæ profutura. Data Capuæ Kal. Augusti.

EPISTOLA XXXIII.

Domino Reverendo, Ecclesiæ Catholicæ Summo Pontifici Urbano, Frater Anselmus servus servorum Dei Becci commanentium: cum debita subjectione fidele servitium.

Expetit diram quam Belvacensis Episcopus & à Clericis & à Laicis patitur persecutionem. Et postulat Sedis Apostolicæ privilegium pro suo Monasterio contrà Episcopalem dominationem.

GRatias ore & corde Celsitudini vestræ, quantas possum, ago; quia parvitatem meam dignata est suæ benignitatis epistolâ honorare, & Apostolicâ benedictione lætificare. Pro vestra & Romanæ Ecclesiæ tribulatione, quæ nostra & omnium verè fidelium est, non cessamus orare Deum assiduè; ut mitiget vo-

bis à diebus malis, donec fodiatur peccatori fovea. Et certi sumus, etiamnum nobis moram videatur facere: quoniam *non relinquet virgam peccatorum super sortem justorum*: quia *hæreditatem suam non derelinquet*: &, *portæ inferni non prævalebunt adversus eam*. De dilectissimo nostro Episcopo Belvacensi, quem eâ diligentiâ qua scivi & potui, exquisito ejus introitu, ut onus Episcopale susciperet coëgi; sic multimodè coactus Regis Francorum & Cleri Belvacensis, & multorum aliorum religiosa (in quantum cognoscere poteram) instantiâ, cùm assensu Remensis Archiepiscopi, nullo resistente: ut nisi hoc facerem, Deum timerem offendere. Novit Sanctitas vestra qua voluntate post susceptum Episcopatum olim eam petiit, quid fecit, quomodo rediit. Cur autem nunc quoque vestræ se Majestati repræsentet, plenius per ejus vocem quàm per litteras nostras innotescet. Scio namque quoniam ipse mendacium, & maximè in hac re coram vobis execratur, & sperat ob puritatem conscientiæ quia veritas in hac causa sibi non adversatur. Verùm rei ipsius serie pertractata, nec vestra prudentia nostro consilio indigebit, nec justitia precibus opus habebit. Solùm igitur hoc nunc intimo, quod si ad vestram jam venit (sicuti est aut venturum est) notitiam per alium nescio; scilicet, quia non minimam idem Episcopus persecutionem patitur, propter justitiam, quam per jussionis vestræ servare nititur obedientiam. Nam in tantum ejus odium Canonici & Presbyteri ejus Episcopatûs, paucissimis exceptis, & quidam laïci exardescunt; & extraneos, quoscunque possunt, & quibuscunque modis valent, accendunt: ut non solùm ipsum, sed & illos immoderatè detestentur, & detestabiles monstrare conentur, qui ei aliquod solatium impendunt: * ut cùm Propheta ipse dicere possit: *Tota die verba mea execrabantur, adversum me omnes cogitationes eorum in malum: Inhabitabunt & abscondent; ipsi calcaneum meum observabunt*. Canonici quidem, & Presbyteri hoc illi faciunt; quia eos à pravis consuetudinibus, & maximè à malierum reprobâ conversatione vult prohibere; & filios eorum, sive quos sibi secundùm placitum hæredes eligunt, à præbendarum hæreditariâ successione, atque à sacrorum Ordinum promotione conatur arcere. Laici verò idcirco, quia invasionibus rerû Ecclesiæ inordinatè factis non vult favere. Quapropter ut eum vestris litteris vehementer roboratum remittatis, valde necessarium existimo, & ut Dominum supplex servus postulo. Sicque illum auctoritas vestra Remensi Archiepiscopo, & aliis vicinis Episcopis, & Clero civibusque Belvaci, & ejusdem Episcopatûs nobilibus commendans contra malevola machinamenta muniat: ut in executione mandatorum vestrorum non tam eos adversarios, quam adjutores inveniat. Præsumo aliquam gratiam de vestræ largitate pietatis Ecclesiæ Beccensi postulare: sed hæc prælumptio non tantùm de mea ascendit temeritate, quantùm de vestra reverenda mihi & charissima descendit benignitate, quæ se meæ parvitati litteris per præfatum Episcopum Belvacensem missis, & verbis mihi per illum & quosdam alios relatis, dignata est monstrare. Est enim nova res, nostrum monasterium nec adhuc ullâ antiquitate, aut ullius Apostolica auctoritate, aut privilegio confirmatum: sed vestris temporibus, & vestræ clementiæ jussioni divinitùs servatum. Ut ergo aliquo vestræ auctoritatis dono, prout vestræ visû fuerit religiosæ discretioni, se gaudeat honorari & confirmari: nulla nostra merita obtendimus; sed divinæ voluntati & vestræ pietati committimus. Non enim ignotum esse puto vestræ Excellentiæ quia plures Episcopi non tantùm gaudent monasteria paternâ pietate nutrire & Episcopali curâ erudire, quam austerâ quadam dominatione & propriâ voluntate gravare. Quod tamen sub paterna Sanctitate reverendi Archiepiscopi nostri Guillelmi fidelis dilectoris nostri non timemus, Servi vestri, conservi & Domini mei Fratres nostræ Congregationis, qui pro vestra Paternitate quotidie mecum non cessant orate, deliderant se mecum orationi & benedictioni vestræ commendare.

Ps. 124. Ps. 91. Matth. 16. v. 18.

Vide

EPISTOLA XXXIV.

Suo reverendo Domino Christianorum universali Pontifici Urbano, Frater Anselmus, quod suus.

Timet ne Episcopus tam gravibus ærumnis obruatur; eumque optat Episcopatu absolvi.

DE Belvacensi Episcopo, quod sentio breviter, sed magno affectu dico, & ut notum sit vestræ pietati desidero. Nihil proficit in Episcopatu, sed & ipse a sui custodia impeditur, nec rebus Ecclesiæ prodest, nec in futuro ego, aut aliquis eorum qui rem noverunt, & secundùm Deum eam considerare volunt, aliquid melius sed deterius expectamus. Non quia in ejus innocenti vita aliqua culpa malæ voluntatis sit, sed quia non est talis qui tantum onus possit sustinere, tantam malitiam irruentem, tantas insidias circumstantes cavere. Unde valde timeo ne abundantiori tristitia absorbeatur, in qua cum nimio dolore cor ejus versatur, & in qua nullo alio vinculo quam solâ vestrâ jussione ligatur. Quapropter ego & alii secundùm Deum amici ejus corde cum ipso prosternimur ad vestigia vestræ misericordiæ, ut ei viscera sua aperiat, & de tanto malo & periculo, in quibus sine utilitate esse se sentit, clementer eripiat. Ne prohibeat agnum mitem de medio circumventium & irruentium luporum & leonum fugere; nec puerum innocentem de Chaldæorum fornace exire. Quod qualiter meæ parvitati fieri posse coruentiùs videatur, per eundem ipsum Excellentia vestra poterit audire, si dignatur. Eo enim modo, nisi aliter prudentiæ vestræ videbitur, nequaquam gloriabitur se malitia per falsitatem prævaluisse; sed innocentia gratulabitur per libertatem mentis evasisse. Mirari potest forsitan vestra sapientia, cur sic mihimet contrarius videat existere; ut quem Episcopum fieri coëgi, Episcopatum velim deserere. Sed fateor illi, cui conscientiam meam celare non debeo, quia mala quæ patitur, prius sensi & prædixi, cùm ad Episcopatum peteretur: sed illi in me sententiam meam obruerunt, qui illum petendo cum magnâ importunitate concorditer in me irruerunt. Timebam enim in corde meo asserere Deum magis esse in meo solo sensu & voluntate, quàm in multorum, se simpliter eum propter Deum petere clamantium, unanimitate. Ingerebat se etiam hoc merito meæ; quia sæpe Deus magis operatur per vitam * illiteratorum quærentium quæ Dei sunt, quàm per astutiam * literatorum quærentium quæ sua sunt. Ecce in conspectu vestro est, cur eum Episcopum fieri concessi, & cur nunc mutare desiderem quod coactus concessi: & judicio vestro subjacet, se puniendum, aut corrigendum, aut suscipiendum sit quod facio & quod feci. Paternam vestram Sanctitatem omnipotens Deus diu nobis in integra prosperitate conservet, Amen. Soli vestro conspectui hanc epistolam notam esse, si vobis placet, quicquid de illa vobis videatur, desidero & flagito.

* al. omitt.

* al. omitt.

Digitized by Google

EPISTOLA XXXV.

Domino, & Fratri dilecto Joanni, Frater Anſelmus, ſemper ad meliora proficere.

De falſa & impia aſſertione cujuſdam qui tres perſonas in Deo dicebat eſſe tres res.

Epiſt. 41. infra.

AD litteras, quas mihi Dilectio veſtra miſit, de illo qui dicit in Deo tres perſonas eſſe tres res; aut Patrem & Spiritum ſanctum cum Filio eſſe incarnatum; ideo tamdiu moratus ſum reſpondere, quia volebam pleniùs de hac re loqui. Sed quia, multis me occupationibus impedientibus, poſtquam epiſtolam veſtram ſuſcepi, non mihi licuit; interim inde breviter reſpondeo: in futuro verò, ſi Deus dare oportunitatem dignabitur, voluntatem habeo copioſiùs inde tractare. Quod ergo dicit tres perſonas tres res; aut vult intelligi ſecundùm tres relationes, id eſt, ſecundùm quod Deus dicitur Pater, & Filius, & à Patre & à Filio procedens Spiritus; aut ſecundùm id quod Deus dicitur. Sed ſi ipſas tres relationes dicit tres res eſſe, ſuperfluè hoc dicit. Nullus enim negat hoc modo tres perſonas eſſe tres res. Sic tamen, ut diligenter intelligatur, quomodo ipſæ relationes dicantur res, & cujuſmodi res; & ſi aliquid faciunt eædem relationes circa ſubſtantiam, quemadmodum multa accidentia, an non. Quamvis videatur non intelligere hoc modo tres res, quas dicit: ex eo quia ſubjungit trium perſonarum unam eſſe voluntatem, aut poteſtatem. Nam tres ipſæ perſonæ non habent voluntatem, aut poteſtatem ſecundùm relationes, ſed ſecundùm hoc quod unaquæque perſona Deus * eſt. Quod ſi dicit tres perſonas eſſe tres res, ſecundùm quod unaquæque perſona eſt Deus: aut tres deos vult conſtituere: aut non intelligit quod dicit. Ad oſtendendum quid ſentiam de ſententia præfata, iſta interim Dilectioni veſtræ ſufficiant. Quod autem petitis mecum conſervari, antequam Romam proficiſcamini: ſcitote quia quantùm ad dilectionem honeſtatis veſtræ pertinet, libenter vellem. Sed in quantum intelligo, & vobis parum eſſet utile propter multas occupationes meas, & impedimentum eſſet vobis. Omnino namque perſenſi quia, niſi cum Episcopo manſeritis uſque dum proficiſcamini, aut nihil aut parum vos ipſe juvabit ad hoc quod facere debetis: nec ego aliquid, quod valeat ad iter agendum, vobis facere poſſum.

EPISTOLA XXXVI.

Amico, Fratri, Domino, Patri, dilecto dilectori reverendo Abbati Giſleberto Frater Anſelmus: perſeverantem in longa vita cum proſperitate ſanctitatem; & indeficientem in æternitate fœlicitatem.

Laudat vitæ ab Abbate inſtitutæ rationem. Fratrem, quem in clauſtrum reduxerat, ei dimittit.

SI velim ſcribere mutuæ noſtræ dilectionis affectum, timeo ne aut videar ab ignorantibus veritatem excedere, aut neceſſe ſit aliquid veritati ſubtrahere. Qui affectus quantus & quàm verus ſit, cùm multùm cognoſcerem, quando ſeſe oculo ad oculum, oſculo ad oſculum, amplexu ad amplexum oſtenderet: nunc multò magis experior, cùm abeſſe illum irrecuperabiliter, in quo tanta jucunditate delectabar, intueor. Sicut enim abundans neſcit quid ſit indigenti; ut qui deliciis affluit, ignorat quid ſit eſurienti: ita qui amico fruitur, non ſentit languorem animæ carentis. Quoniam ergo nec ſcribi ſufficienter poteſt quid nobis invicem ſit, nec ignoranti loquor; his interim omiſſis oro vobiſcum, ut aliquando nos invicem videntes oculo ad oculum, oſculo ad oſculum, amplexu ad amplexum non oblitum amorem recolamus. De his autem, quæ de vitæ ſuæ converſatione Charitas veſtra mihi dignata eſt exponere, gratias ago Deo quia nihil ibi videre poſſum, quod non ſit laudabile. De Fratre illo, quem in clauſtrum reduxiſtis, quod vultis, donec vobis aut nobis aliter videatur, concedo: ſed occulta ejus veſtra diſcutiens prudentia, prout judicaverit, illi conſulat. De damno veſtro, quod mandaſtis, miror & condoleo. Quòd dignatur veſtra Charitas excuſare ſe, quia non poteſt modo facere quod vellet: gratias ago veſtræ Dignationi & bonæ voluntati. De Domno Lanfranco nihil melius ſcivi, aut potui, quam quod in Anglia feci & dixi. Valete.

EPISTOLA XXXVII.

Reverendæ & chariſſimæ Dominæ ſuæ Comitiſſæ Idæ, Frater Anſelmus: per bona temporalia ad æterna pertingere.

Quòd debet niti ad profectum, qui cupit defectum vitare.

SIcut verus amor, quem ſecundùm Deum ergà Reverentiam veſtram habeo, à ſua integritate non poteſt deficere: ita nunquam debet à ſalubri exhortatione deficere. Quamvis igitur ſemper ſperem prudentiam veſtram undique ſibi proſpicere, ne callidus hoſtis aliquâ fraude violare valeat bonæ vitæ propoſitum; nequaquam tamen, ſi vel tantùm ſuggero ut inſtantiùs faciatis quod bene facitis, judicandum eſt eſſe ſuperfluum. Nullus enim gaudium bonæ vitæ quem jam conſcendit, cuſtodire ſufficit, qui ſemper ad altiorem proficere non appetit. Sæpe igitur neceſſe eſt ut nitatur ad profectum, qui ſemper vult vitare defectum. Sic itaque ſe Reverentia veſtra, imò Deus cor & os & actus veſtros ſemper & ubique cuſtodiat, ut vita veſtra nunquam, & nuſquam in * magnam, vel parvam culpam decidat. De monaſterio veſtro, quod à me petebatis, Regi Anglorum retuli: ſed certè non laudavit ut facerem. Argentum Domni Ricardi * per præſentium latorem mittere nobis. Valete.

* al. magna vel parva culpa

EPISTOLA XXXVIII.

Domino & Patri, Abbati reverendo Roberto, Frater Anſelmus dictus Abbas Becci: hujus vitæ proſperitatem, & futuræ felicitatem.

Peccare ſtatuens, & divinitus impeditus, ſi poſtea lætetur ſe non peccaſſe, reus non eſt ac ſi crimen ipſum commiſiſſet à Deo deſertus.

REſpondens veſtræ Reverentiæ de re, unde per filium ſuum Willelmum meam parvitatem dignatur conſulere, vellem exempla & auctoritates proponere: ſed ejus feſtinatione, & meâ occupatione, ſicut

ipſe teſtis eſt, impediente, vix mihi licet rei ipſius veritatem ſimpliciter exponere. Nullius Catholici ignorat prudentia quia ſicut ille qui bonum opus facere volens prohibetur, & poſtea gaudet ſe facere non potuiſſe quod benè voluit; non eſt laudandus non feciſſe bonum quod propoſuerat. Ita ille qui pravum opus agere diſponens non permittitur, & poſtea lætatur ſe non eſſe concupiſcentiæ ſuæ traditum, nequàquam judicandus eſt crimen egiſſe quod voluerat. Nam etſi quamdiu eſt aliquis in criminis voluntate, ſi in nulla vitam terminat, de crimine judicandus ſit: magna tamen diſtantia eſt inter illum, quem ira ſuperni Judicis uſque in reprobam actionem deſerit; & illum, quem gratia à præcipitio ſervans operis in bonam voluntatem reſtituit. Multum igitur eſt criminandus ille qui pariter illis crimen conatur impingere, quorum pravas voluntates divina ſapientia tam diversè voluit diſponere. Ille namque nomine facinoris notandus eſt, qui aut in actum labitur, aut in malitioſa intentione deſeritur: non ille, qui nec in opus malitiæ præcipitatur, & à perverſa intentione eruitur. Hic enim in hoc ſervatus eſt, unde gaudendo gratias poſſit agere: ille in hoc deſertus eſt, unde dolendo veniam neceſſe ſit petere. De hoc certum eſt quia pro hujuſmodi gaudio præmium accipiet: illi multum eſt, ſi pro dolore peccati pœnam effugiet. Plura vellem ſcribere, ſed quia, ſicut dixi, mihi non licet: iſta vel ad * teſtimonium eorum, quæ prædictus filius veſter de noſtra viva voce vobis referet, licet interciſa, ſine reprehentione ſuſcipite. Valete.

EPISTOLA XXXIX.

Dilecto & deſiderato in Chriſto Lamberto, Frater Anſelmus Abbas Beccenſis: toto corde ſæculi hujus vanitatem contemnere, & ad æternam veritatem contendere.

Hunc nobilem virum ad vitam monaſticam hortatur.

TAnta mihi chariſſimus Frater & filius meus Dominus Rodulfus Belvacenſis, olim ſocius tuus, nunc verus amicus & deſiderator tuus, retulit de nobilitate & de morum tuorum, quæ generis nobilitatem exornat, honeſtate; ut non parvo affectu cogatur cor meum te deſiderando diligere, & diligendo deſiderare. Quapropter quoniam animam tuam anima mea nec minus vult, nec plus poteſt diligere quàm ſeipſam: non aliud poteſt deſiderare de illa, quam de ſeipſa. Hoc igitur eſt de te deſiderium meum, ut mundum relinquendo Chriſtum ſequaris; & per temporalem humilitatem & paupertatem, exaltationem & divitias æternas conſequaris. Non te detineat, mi dilecte, nec moretur ulla occaſio carnalis; quia utique non eſt conſilium, non expedit bonum æternum perdere, aut minuere, aut vel differre pro temporali. Quòd ſi ſuperna gratia tibi, quod utinam videant oculi mei, inſpirare dignabitur ſecundùm deſiderium meum, & ad hoc eligere dignaberis conſortium & cõſilium meum; jam dilatata in amplexus tuos obviam cantat tibi anima mea. Paratum cor meum, dilecte mi, paratum cor meum. Vale, dulciſſime, vale: & quàm dubia & brevis ſit vita hominis; & quàm infinita ſunt quæ ſequuntur bona vel mala, inceſſanter memorare.

EPISTOLA XL.

Dominæ in Deo dilectæ Ermengardæ, Frater Anſelmus Abbas Becci: ſalutem & fideles orationes.

Ipſa, conſentiente viro, voverat continentiam: ſed cùm vir Monachum vellet fieri, ipſa non vult: unde eam precatur Anſelmus ut annuat.

QUamvis vos non cognoſcam viſu, tamen quia ejus Ordinis ſum, qui omnibus hominibus debet bene velle, & ſalubriter conſulere, nulli mirum videri debet ſi veſtram Reverentiam, ſecundùm quod audio expedire, commoneo. Audivi, chariſſima Domina, qualiter ſit inter virum veſtrum & vos, quoniam nobilitas veſtra non hoc patitur occultari, ſed longè lateque facit publicari. In qua re primùm gratias ago Deo, à quo eſt omne bonum, qui eidem viro veſtro dedit tanta conſtantia temporalem gloriam contemnere, & vobis conceſſit tot tribulationes pro tuenda caſtitate tam viriliter ſufferre: ita tamen ut ille in ipſo mundi contemptu non plus diligat ſeipſum quàm vos, nec vobis aliquid in hoc mundo ſit charius illo. Certè ambo in hoc Deo & bonis hominibus amabiles, ambo eſtis laudabiles, utique in tanta & tam vera mutua veſtra dilectione non tam corpora veſtra diligere credendi eſtis, quàm animas. Corpora namque veſtra nullâ curâ, nullo mutuo amore poteſtis à morte temporali eripere: animabus verò veſtris, ſi ipſum veſtrum amorem regere ſcitis, vitam æternam poteſtis acquirere. Quid ergo eſt, fœmina Reverenda, fœmina probatæ caſtitatis, quid eſt quod te cogit impedire virum tuum, ne perfectè quærat ſalutem animæ ſuæ, quàm non minùs diligis quàm tuam? Nullatenus enim vel cõgitandum eſt ut hoc facias propter vilem carnis delectationem, quàm tantùm, poſtquam ipſe à te diſceſſit, contempſiſti: ut ne virum alterum ſuſciperes, cùm hunc habere non poſſes, multas paſſa ſis tribulationes, multas reſpueris perſuaſiones. Quod ſi derines animam ejus à ſalutis ſuæ profectu, propter gloriam & commoda temporalia quæ amas, & quæ te per illum ſperas poſſe retinere: quomodo diligis animam illam, cujus certo & æterno commodo dubia, vilia, & tranſitoria tua præponis commoda? Aut quâ ratione potes ab eo exigere, ut ipſe æterna bona animæ ſuæ poſtponat temporalibus bonis corporis tui; ſi tu bona corporis tui præponis bonis animæ illius? Vide ergo, chariſſima Domina, vide fortis & prudens mulier, vide ſi hoc facis, quàm non benè regas amorem tuum, quàm non rectè diligas diligentem te virum tuum. Quid ſi illum cogis ut deſiderat conſilium animæ ſuæ pro voluntate tua; & tunc morte tuâ, vel illius, occurrente; aut alio caſu, ſicut ſolet, irruẽte, ille non proſit tibi, & tu noceas illi; utique ſi noces animæ illius, noces animæ tuæ. O quantò meliùs, Reverenda Domina, quantò laudabiliùs oſtenditis vos diligere virum veſtrum, ſi non ſolùm permittitis, ſed etiam conſuliris & juvatis, ut quod incepit, Deo inſpirante, hoc conetur perficere, ipſo adjuvante: ſi bonum illius amando, veſtrum facitis; ſi certiſſimè creditis, quia quantò fortiùs propter amorem Dei & proximi, humanum auxilium dimittitis, tantò familiariùs & ſecuriùs vos divinæ protectioni committitis. Confidat ergo in Deo prudens veſtra fortitudo, & fortis prudentia: & ſicut, ſi mortuus eſſet vir ille, abſentiam ejus ſufferretis nolendo, ſine ullo ejus & veſtro proficuo: ita dum vivit, ſponte illam tolerate pro magno ejus & veſtro præmio. Concedite ut liberè faciat quod deſiderat, quatenus

Digitized by Google

cum illo participetis mercedem. Si enim Deus curam gerit de viduis, quæ non propter illum sunt viduæ: multò chariùs illam fovebit, quam pro suo amore viduebit sponte viduam. Quod si contigerit, (quod forsitan non erit) ut terrenum perdatis honorem; nolite dolere, quia in cœlo recipietis meliorem. Et certè quod à melioribus & sapientioribus multum contemnitur, non est multùm dolendum, si perditur. Plus aliquid vellem consulere, sed non audeo; orare tamen non timeo. Omnipotens & misericors Deus ita det tibi mundi contemptum, sicut dedit viro tuo; ut in cœlesti regno par sis viro tuo; soror & Domina in Deo dilecta.

EPISTOLA XLI.

Domino & amico charissimo, Reverendo Episcopo Belvacensi Fulconi, Frater Anselmus dictus Abbas Becci, salutem.

De Roscelino, qui Lanfrancum & Anselmum unum sentire dicebat in Deo esse tres res, & vere dici posse tres Deos.

AUdio, (quod tamen absque dubietate credere non possum) quia Roscelinus Clericus dicit in Deo tres personas esse tres res ab invicem separatas, sicut sunt tres Angeli, ita tamen ut una sit voluntas & potestas: aut Patrem & Spiritum sanctum esse incarnatum, & tres Deos verè posse dici; si usus admitteret. In qua sententia asserit venerabilis memoriæ Archiepiscopum Lanfrancum fuisse, & me esse. Quapropter dictum est Concilium à venerabili Remensi Archiepiscopo Rainaldo colligendum esse in proximo. Quoniam ergo puto Reverentiam vestrã ibi præsentem futuram, volo ut instructa sit quid pro me respondere debeat, si ratio exegerit. Archiepiscopum quidem Lanfrancum, vita ejus multis religiosis & sapientibus viris nota, quia de eo nunquam aliquid tale sonuit, ab hoc crimine satis excusat; & absentia & mors ejus omnem de eo novam accusationem recusat. De me autem hanc veram omnes homines habere volo sententiam. Sic teneo ea, quæ confitemur in symbolo, cùm dicimus: *Credo in Deum Patrem Omnipotentem creatorem cæli & terræ*. Et: *Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem factorem cæli & terræ*. Et: *Quicunque vult salvus esse, ante omnia opus est ut teneat Catholicam fidem*, & ea quæ sequuntur. Hæc tria Christianæ * confessionis principia, quæ hîc * præposui, sic inquam, hæc & corde credo & ore confiteor; ut certus sim quia quicunque horum aliquid negare voluerit, & nominatim quicunque blasphemiam, quàm suprà posui me audisse à Roscelino dici, pro veritate asserverit, sive homo, sive Angelus, anathema est: & confirmando dicam, quamdiu in hac perstiterit pertinacia, anathema sit. Omnino enim Christianus non est. Quòd si baptizatus, & inter Christianos est nutritus, nullo modo audiendus est: nec ulla ratio aut sui erroris est ab illo exigenda, aut nostræ veritatis illi est exhibenda; si mox, ut ejus perfidia absque dubietate innotuerit, aut anathematizet venenum, quod proferendo evomuit; aut anathematizetur ab omnibus Catholicis, nisi resipuerit. Insipientissimum enim & * infrunitum est, propter unumquemque non intelligentem quod suprà firmam Petram solidissimè fundatum est, * in nutantium quæstionum revocare dubietatem. Fides enim nostra contra impios ratione defendẽda est; non contra eos qui se Christiani nominis honore gaudere fatentur. Ab his enim justè exigendum est ut cautionem in baptismate factam inconcusse teneant: illis verò rationabiliter ostendendum est quàm irrationabiliter nos contemnant. Nam Christianus per fidem debet ad intellectum proficere, non per intellectum ad fidem accedere: aut si intelligere non valet, à fide recedere. Sed cùm ad intellectum valet pertingere, delectatur: cùm verò nequit, quod capere non potest, veneratur. Has autem nostras litteras ad prædictum Concilium à vestra Sanctitate portari; aut si fortè non iveritis, per aliquem de vestris litterarum mitti deposco. Quæ, si ratio nominis mei exegerit, in totius Conventûs audientia legantur: sin autem, non erit opus ut legantur. Valete.

EPISTOLA XLII.

Frater Anselmus, quamvis indignus, tamen Abbas Monasterii Beccensis, Fratri Lanfranco Monacho ejusdem Cœnobii; declinare à malo, & facere bonum.

Quòd contra voluntatem consiliumque sui Prælati in Abbatem assumi consentire nusquam debuerit: cumque non intraverit per obedientiam nullatenus sit ab ipso benedicendus.

EGo Frater Anselmus in Deum dilector tuus, fidelis consiliarius tuus, divinâ dispositione & tuâ electione Abbas tuus, tibi, Frater Lanfrance, in nomine Domini nostri Jesu Christi moneo, consulo & præcipio; ut plusquam bis aut ter intentè perlegas hanc fidelem epistolam meam, & inter cor tuum assistens coram districto judice, in cujus conspectu semper es, pertractes verba & consilium meum. Quod si aliquo modo factum fuerit, ut alius illam, te non habente, aut legere nolente, legat; adjuro eum per omnipotentem Deum, ut non subtrahat animæ tuæ salubre consilium; sed hanc præmissam meam jussionem tibi, aut audienti, aut legenti aperiat, & ipsam epistolam totam tibi legendam exhibeat: quod si facere noluerit, peccatum tuum ab illo requirat Deus, ita ut nulla sit excusatio in die revelationis justi judicii Dei. Antequam donum Abbatiæ acciperes, dicebam tibi & aliis secretè & publicè, corde & ore, me nolle ut acciperes; non approbare, non consulere, nunquam me esse præcepturum: & si sine jussione mea acciperes, nunquam te benedictionem Abbatis ab ullo Episcopo, meo assensu, esse accepturum. Et tamen, nescio quo superno judicio celabatur mihi, quid sensurus eram, cum idem donum acciperes. Sed postquam factum est subitò se ingessit cordi meo grave pondus rei, & aperuit se terribile judicium Dei: *Audivi & conturbatum est venter meum: consideravi & expavi.* Contritum est cor meum in medio mei, contremuerunt omnia ossa mea. Sensi rem detestabilem esse coram Deo, & coram omnibus illuminatis ab eo. Unde quod tristis dico, tu primùm, & per te totus noster Ordo, & maximè dolens & rubescens ego pater tuus, & mater tua Ecclesia nostra, *facti sumus opprobrium vicinis nostris; subsannatio & irrisio his, qui in circuitu nostro sunt:* & omnibus audientibus factus es exemplum dedecorãdi & destruendi Ecclesiam Dei, cujus rei te fecisti principium & principem nostris temporibus in hac patria. Sustine me sic graviter loquentem, Fili, quia non me impellit furor ex odio, sed cogit me dolor ex amore. Desiderat enim tristis frater subvenire pereunti fratri suo: festinat tremẽs pastor eruere de faucibus leonis ovem tremendi Domini sui. Prosequitur dolens Pater, ut revocet in infernum properantem dolendum Filium suum. Redi ergo, redi ad cor; tuum discute factum, & concute mentem tuam, reprobasti consilium æternum, & tenuisti consilium reprobum. Nam *Dominus reprobat* Psal.

al. infinitum

al. omit.

Consilia Principum, consilium autem Domini manet in aternum. Non enim te fecit Abbatem Christus veritas, sed tua cupiditas, & eorum, qui non percipiunt quæ Dei sunt, temeritas. *Memento quia qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro: fur non venit nisi ut furetur, & mactet, & perdat:* Fili mi, non intrasti per ostium, quia non intrasti per Christum. Non intrasti per Christum, quia non per veritatem. Non per veritatem, quia non per rectitudinem. Non enim intrat monachus in Abbatiam per rectitudinem, qui non intrat per regularem electionem, & per obedientiam. Non te excuses. Dices mihi: *non intravi per obedientiam, quia non prohibuisti.* Sufficit ad removendam rectitudinem, quia non per obedientiam introisti. Verum est quia non dixi, prohibeo, aut præcipio ne facias. Videbam enim intelligenti sufficere quia incessanter dicebam; Non vult, non approbat cor meum, non consulit, non præcipit, nec præcipiet os meum. Si acceperis sine mea jussione Abbatiam, nunquam habebis ab Archiepiscopo benedictionẽ. Non enim debet monachus expectare oris imperium, si novit voluntatem Abbatis sui, aut consilium. Si ergo non intrasti per ostium, grave mihi est dicere; sed tu considera & intellige, quem te nominet veritas, ad quid te venisse testetur.

Joan. 10.

EPISTOLA XLIII.

Domnis & fratribus charissimis, Domno Gualtero, Priori Monasterii S. Wandregisilii, & aliis Monachis ejusdem Monasterii, qui cum eo sunt, Frater Anselmus: post præsentem tribulationem, temporalem & æternam, consolationem.

Afflictos in tribulatione consolatur: Et quòd nusquam consenserit ut Lanfrancus eorum Abbas fieret.

DOmnus Normannus petiit à me ex vestra parte, ut Dilectioni vestræ aliquam scriberem consolationem, & nostram ostenderem de Lanfranco voluntatem. De consolatione quidem hoc mihi scribere pro temporis brevitate sufficit, quod S. Scriptura dicit: *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis: scientes quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet.* Et alibi: *Oportet nos per multas tribulationes intrare in regnum Dei.* Et: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari suprà quàm ferre potestis: sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut sustinere possitis.* Cùm ergo ex tribulatione tot nobis bona veraciter promittantur; nec frangi, nec desperare, nec à bono proposito ullo modo deficere pro ulla tribulatione debemus: sed tantò magis in proposito bonæ voluntatis secundùm * similitudinem grani sinapis fervere; quantò magis tribulationem * adversitate atteri- al. omit.
mur. Confidite ergo quia, annuente Deo, post tribulationem lætitia consequetur. Si quis autem ex vobis in hac tribulatione defecerit, dicite: *De nobis exiit, sed non erat ex nobis*; quia non erat nobiscum radicatus. De voluntate autem nostra hoc mens nostra dicit & lingua quia si olim * voluissem & præcipissem ut Lanfrancus esset Abbas vester, quod certè non feci: tam crudelem se super vos ostendit, ut jam nec velle possem. Valete.

Jacob. 1. v 2. 1. Pet. 1. v 6. Act. 14. v 21. 2. Cor. 10. v 13. 2. Joan. 2.

EPISTOLA XLIV.

Domno & Patri Abbati reverendo Gisleberto, ejusque Sanctitati commissis Domnis & Fratribus in Cadomensi Cœnobio commanentibus, Frater Anselmus: quod servus fidelis & frater.

Quòd ipse molestissima febre correptus fuerit dum Cadamo Beccum rediret: quæ tamen diffugit, cùm de petendo ab eis orationum succursu meditaretur.

POstquam à vestra desiderata præsentia nuper vi, quam scitis, abstractus recessi: Beccum ante festivitatem S. Benedicti ob multa impedimenta videre non potui. Intra quod spatium cùm multis curis & doloribus corporeis affectus essem in Francia; insuper febris subitò irruit in me, ferociter comminans me non amplius vos, alios que Dominos nostros Beccenses visurum: multumque exterritans bis ausa est tangere servum vestrum. Sed cùm videret me intentissimè * meditantem ut ad vos & quoscunque possem, mitterem pro auxilio & succursu orationum, exterrita fugit exterritum. Sed illud tantillum quod habebam saporis, edendi & dormiendi, & virium corporis, avida nocendi accelerando rapuit, & secum tulit. Tanta igitur ejus hæc mancipia, fastidium scilicet & insomnium, & horum sociam imbecillitatem, quæ ejus semper sequi solent terra vestigia, à me nondum expellere possum. Hæc idcircò mandò vestræ Charitati quia ftarum meæ parvitatis semper vobis notum esse volo, & * vos idipsum velle non ignoro. al. omit.
Scitote quia donec vos videam, semper me debitorem ad vos veniendi cognosco. Juvate ergo me vestris orationibus, ut secundùm votum meum possim solvere debitum meum. Valete nunc, & semper.

EPISTOLA XLV.

Domnis & amicis, & Fratribus charissimis, Domno Priori Henrico, & aliis ih Cantuariensi Cœnobio, Christi Ecclesiæ servis Dei commanentibus, Frater Anselmus: in sanctæ vitæ proposito semper ad meliora proficere, & nunquam deficere.

Exorat pro monacho refuga, cui est in votù redire ad ovile, & pecuniam mutuam solvere.

MOyses charissimus Frater noster, qui claustrum sanctæ conversationis vestræ suâ juvenili levitate & aliena deceptus fraude deseruit; ut potè filius Evæ matris nostræ, quæ in paradyso decepta paradysi amœnitate caruit; superno protegente respectu, nec dissipavit substantiam suam cum meretricibus, nec inedia coactus pavit porcos extraneos, nec desideravit saturari siliquiis quas porci manducant: sed nondum exhausta mentis facietate, quam de spirituali mensa vestra acceperat, ad nostrum monasterium, quasi ad notum portum, post multos mundani maris discursus, tandem applicuit. Qui, quamvis ob reatus sui conscientiam severitatem justitiæ sibi timeat; Apostolo dicente: *Nemo unquam carnem suam odio habuit:* tamen intra gregem, in quo lactatus & nutritus est, omni modo recolligi cupit. Et quoniam non se dignum vocari filium, aut fratrem jam judicat; saltem fieri se sicut unum de mercena-

Ephes. 5. v. 29.

riis vestris tantùm inter vos esse mereantur, desiderat: famulo quoque suo, quem ipse ad consensum & obsequium sui dilecti attraxit, tantò magis quàm carni suæ timet; quantò si ille aliquâ vindictâ puniatur justo judicio, ab anima sua exigendum videt. De pecunia etiam aliena sub pacto redditionis accepta, quam incautè per alienam fallaciam expendit, ita sollicitus est, ut nisi per largitatis vestræ auxilium, & per licentiam ut undecunque poterit se adjuvari postulet, ab eo debito contigerit eum exonerari, nunquam speret cor suum ex hac verecundia posse consolari. Sed quoniam ad tot & tantas res preces suas cõfiderat nec posse, nec debere sufficere; me servum vestrum, quoniam nec fideliorem vobis, nec quem magis confidat a vobis aliquid posse impetrare ad præsens habet, pro se rogat intercedere. Verùm cùm nulla major sit intercessio, quam pellis pro pelle, animæ pro anima positio, dicente Domino: *Majorem dilectionem nemo habet, quàm ut animam ponat quis pro amicis suis,* Dominum Moysen à planta pedis usque ad verticem in circuitu pelle servi vestri Fratris Anselmi indutum, & os ejus os meum esse vestra sciat Dilectio. Si quis ergo vestrûm est in quem aliquando sponte peccavi, primus in illo pro prædicta cúlpa pellem meam percutiat, & os meum a cibo prohibeat. Post hanc verò culpam pellem meam Fratri Moysi studiosissimè commendo, sicut suam diligit, ad custodiendum; vobis autem, non * adeo ad parcendum. Nam si ejus culpa pellis mea læsa aut gravius excussa fuerit, ab illo exigam: si quis autem ei pepercerit, illi gratias agam. De famulo verò ejus, scitote quia aliam pellem non habeo, quoniam salus ejus salus mea; anima ejus, anima mea est. Quoniam autem quid de argento postulat, est ad faciendum facile; non erit, ut puto, apud misericordiam vestram ad impetrandum difficile. De his omnibus antequam incipiat redire, voluntatem vestram per litteras vestras desideramus audire. Non quia ipse recusat, si jubetis, etiam ad tormenta properare: sed quoniam cum bona spe, lætus ad eos quos desiderat, optat remeare. Valete.

EPISTOLA XLVI.

Domino & Patri, amico verissimo, reverendo Episcopo Gondulfo, Frater Anselmus; in hujus vitæ perseverare sanctitate, in futuræ permanere fœlicitate.

Exorat pro eodem refuga.

Si vestræ benevolentiæ & vestrorum beneficiorum retributionem in gratiarum actione esse sciremus, utique multas pelles ovium gratiarum actionibus impleremus. Sed quoniam non in voce irrevocabili, nec in scriptura putribili, sed in æternæ plenitudine fœlicitatis mercedem vestram novimus consistere: ideoque supersedemus per singula vestra beneficia gratias remittere. Mutuam verò vestram dilectionem, sicut in vobis manere immutabilem non ignoramus; ita in nobis eã servare inviolabilẽ curamus. De Fratre Moyse Cantuariensi juvene, qui nunc est in monasterio nostro & vult in Angliam ad suum monasterium redire; vestram precamur Sanctitatem ut & vos ei veniam dilecti sui propter nostrum amorem, sicut de vobis confidimus, tribuatis: & ut à Domno Henrico Priore, & à tota Congregatione benignè suscipiatur, efficiatis. Epistolam, quam de hac re prædicto Priori & Congregationi misimus, placeat vestræ Sanctitati legere; & secundùm quod in illa postulamus, antequam à nobis F. Moyses proficiscatur, communem voluntatem vestræ benignitatis per litteras vestro sigillo signatas mereamur accipere. Valete.

EPISTOLA XLVII.

Domino servus, amico amicus, dilecto dilectus, Domno Abbati Gisleberto, Frater Anselmus: sempiternùm gaudere.

De febre qua correptus fuit & de qua supra in epist. 44. scribit.

Si sanè, si benè, si prosperè cuncta sunt erga Dominum Abbatem Gislebertum dilectum dilectorem meum; verè inde gaudet cor meum, quia certè sic est desiderium meum. Si dilectionem & beneficia, quæ nobis & nostris rèbus impenditis, * alienus alienis impenderet,] utique gratiarum magnam actionem in scriptis & voce exhiberemus, ne deficeret. Sed quoniam hoc ille facit, de quo nunquam possumus desperare, sufficere credimus majores gratias cum semper prompta voluntate, præsertim cùm hoc ipsum non ignoretis, indesinenter in cordis arca servare. Scio quia vestra Dilecto quomodo se habeat status noster, desiderat cognoscere: qui, Deo protegente, secundùm modum nostrum, & secundùm temporis hujus varietatem in cunctis bene esset, & prosperè: nisi quia cùm nuper in Francia * essem aliis quibusdam affectum laboribus levis quædam febris subitò irruens plus me terruit quàm læsit. Sed cùm videret mentem meam intentissimè conversam ut ad amicos nostros pro auxilio mitterem orationum, exterrita bis tactum fugit exterrimum. Unde aliquandiu post passus sum, cum edendi fastidio, dormiendi difficultatem, & membrorum majorem imbecillitatem.] Dominos & Fratres nostros dilectissimos filios vestros quantâ possum devotione saluto; de quorum erga me dulci dilectione re mihi cognita, quoties recogito, exulto. De Ricardo serviente vestro, qui vos in Angliam secundùm jussionem vestram secutus est; vellem vestram, si vobis non displiceret, benignitatem rogare, quoniam quem Deus suo judicio ab impacto crimine excusavit, si ipse ab incepto fideli servitio non deficit jam nihil est quod bonæ vestræ voluntati quam de eo incepistis, debeat obviare. Justus enim est, & plus decet honestatis vestræ auctoritatem, ut vestra constantia cujuslibet perversitatis impetus circa illum repellat, quàm ut aliena non laudabilis pertinacia laudabilem intentionem benevolentiæ vestræ reflectat. Valeat semper dulcis mihi vestra Dilectio.

EPISTOLA XLVIII.

Domno & Fratri dulcissimo Gualtero, Frater Anselmus Abbas Becci, salutem.

Laïcum recenter conversum in spiritu lenitatis instruendum esse.

Domnus Robertus de Briodus gratias magnas agit vobis pro benignitate, quam illi, supra quam sperare unquam potuit, exhibetis & cum gratiarum actione testis vobis est quia & ab ipso & ab aliis propter eum multa molesta passi estis. Unde ego cum amore gratias ago, & cum gratiarum actione laudo, & laudando precor discretionem vestram, ut memor quia calamus quassatus non est conterendus, *Matth. 12. v. 20.*

Ecc. 42. v. 3. Luc. 5. v. 31. & quia sani non egent medico, sed qui malè habent, A in hoc quod incepit perseveret. Sperandum enim est quoniam qui per vestram tolerantiam jam aliquatenus, misericordia Dei efficiente, profecit: si in eo quod incepistis, perseveraveritis; per eandem Dei misericordiam ad majora proficiet. Nam hoc ipsum magnum signum est profectus ejus, quia illi per quem se profecisse cognoscit, multum commendari per me amicum vestrum desiderat; non ut vitiis suis consentiatis, sed ut infirmitati ejus, ut ab illis paulatim sicut æger levetur, condescendatis. Nondum enim audet promittere se mores suos, in quibus aliter quàm expediat nutritus est, in proximo penitùs deserturum; sed cum voluntate & desiderio promittit quoriens ceciderit, se Deo adjuvante, per vestrum auxilium & consilium, & per vestras orationes surrecturum, & quandoque in bonis moribus constanter staturum. Salutate Dominos & Fratres nostros vestræ congregationis monachos ex nostra parte: quos rogo, ut fidelis & amicus, quatenus solliciti sint servare unitatem spiritus in vinculo pacis, si templum volunt esse Spiritus sancti; qui sicut scindi non potest, ita in discordia habitare non potest. Valete.

Ephes. 4. 1. Cor. 6.

EPISTOLA XLIX.

Domino & Patri reverendo, Morinorum Episcopo Girardo, Frater Anselmus dictus Abbas Becci: quod suus.

Ut Becc enſis quidam monachus ab Ecclesia S. Ulmari regimine excusetur, ne lupi agnum deverent & leones ovem.

MUlta propter necessitatem rei dicere expediret; at propter multa mihi non licet. Brevi igitur alloquio & magno affectu vestram deprecor paternam pietatem, ut & vos faciatis, & Domino nostro Rhemensi Archiepiscopo ex vestra & nostra parte persuadeatis, quod ad prudentiæ vestræ pertinet discretionem; quatenus hic Frater noster diutiùs frustrà non D vexetur, * nec ad Ecclesiam S. Vulmari, ejus occasione, convenienti consilio & ordinatione privetur. Impossibile enim est eum amplius in eadem Ecclesia ob multa quæ longum est narrare, in pace consistere; aut * ad aliquam utilitatem vel cũ nimio labore, proficere. Quapropter iterũ iterumque precor, ne tantùm auctoritatis vestræ censuram attendaris, ut animam proximi insanabiliter vestro rigore frustra frangatis. Nolite, obsecro, amplius agnum fugientem ad lupos reducere: nolite ovi catulos leonum domandos committere: nolite innocentem & reclamantem in fornacem Chaldæorum ad nullius boni effectum impellere. Permittite ut alius in loco ejus constituatur, cujus mens paratior sit interiora & exteriora bella circa pravos mores tolerare: & qui tentet, quod ipse sese non posse E probavit, si quo modo, Deo auxiliante, possit utiliter cohabitantibus concordare. Quòd si vestra sententia aliquid immutabiliter senserit, quod non optamus; priùs in prædicta Ecclesia pacem & bonam voluntatem ædificare, & sic pacatum & benevolum in domum pacis inter benevolos revocare. Valete.

leg. nec Becciis

EPISTOLA L.

Amicis amicus, dilectis dilectus, Domno Johanni, & Domno Bosoni, Frater Anselmus: hujus vitæ & futuræ inviolabilem lætitiam.

De quaternionibus suis ab eo deperditis dolentem eum consolatur. Et ei se Musicam missurum policetur.

QUamvis delectabiles & dulces sint sapientia & dilectio; tamen in hujus vitæ lubrico generant dolorem & amaritudinem aliquando: quæ quantò veriores & majores sunt, tantò hoc faciunt rariùs, & tantò graviùs. Rariùs enim sapientiores fallùntur; sed cùm hoc contingit, magis lædumtur. Et qui veriùs diligunt, rariùs quos diligunt, offendunt. Verùm quando hoc accidit, graviùs offenduntur. Quapropter cùm vos modicum quid incautè fecisse (si tamen incautum judicandum est, quod de quaternionibus nostris fecistis) vos tam graviter ferre mandastis; utique non hoc ex consuetudine, nec ex negligentia descendisse, sed ex ea necessitate, quia non est homo qui non peccet, monstrastis. Unde vos probatis pro certo C in cautela prudentiores, & in dilectione ferventiores. Quod quantò veriùs intueor, tantò rectiùs læsionem cordis vestri cor meum lædere debere confiteor. Cùm ergo mihi vulnus cordi vestro infixum ob dilectionem mei, quem timuistis vos offendisse, scripsistis; non dissimile vulnus cordi meo infixistis. Quantum enim vos dolore studio mei amoris cognovi, tantumque doluistis, rectè & ego dolui. Sanate ergo vulnus vestrum ne doleat, sicut vultis sanare meum, ne condoleat. Salvum enim est, quod perditum esse timuistis; & habemus, quod in tuto reliquistis. Salutate reverendum & dilectissimum nobis Domnum Abbatem Rodulfum, & dilectos Fratres nostros sibi commissos. Musicam, quam peritis à Cadomensi Priore, cui eam præstitimus, repetemus: & eam, * quam citiùs poterimus, vobis mittemus.

EPISTOLA LI.

Desideratis desideratoribus suis, Domno Priori Baldrico, & aliis, qui cum eo sunt, Fratribus, Frater Anselmus, suus illorum: semper bene esse intùs & extra.

*De diuturniore sui mora in Anglia. De sua ad S. * Nicolaum oratione; & de sua Epistola contra Roscelinum.*

* al. sanctitatem

NOndum vobis possum aliquid mandare de utilitate nostri itineris in Angliam, quantùm pertinet ad nostram Ecclesiam. Differt enim adhuc Rex respondere nostræ petitioni; quamvis ipse & alii Principes Angliæ mihi nimis ultra mensuram meam, amorem & honorem exhibeãt. De incolumitate mea lator præsentium monachus Domini Abbatis Gisleberti, melius quam epistola nostra docere vos poterit, quem volo ut valde benignè * excipiatis. Reditum nostrum ante Quadragesimam non spero futurum. Mandate mihi litteris de his quæ circa vos sunt, ea quæ scire me debere scitis. Mittite mihi orationem ad S. Nicolaum, quam feci; & epistolam quam contra dicta Roscelini facere inchoavi: & si quas de aliis * nostris epistolis habet

Digitized by Google

habet Domnus Mauritius, quas non misit. Salutate Matres nostras, Dominam Evam, & Dominam Basiliam. Valete.

EPISTOLA LII.

Domino & amico, Abbati Ernulfo, Frater Anselmus: salutem præsentis vitæ & futuræ.

Professionem à Monacho factam & servatam, non esse iterum ab eo exigendam; cùm Abbas benedicitur.

DOmnus Nicolaus Frater vester dixit mihi ex vestra parte, ut vobis consilium nostrum mandarem de eo; quia Episcopus Bajocensis invitat vos ad benedictionem, quæ vestræ debetur electioni. Sed ego, quicquid inde sentio, jam vestræ dixi præsens Dilectioni. Scimus enim quia semper profiteri ore & opere exhibere debemus majoribus nostris Regularem obedientiam. Quam scripto repetem, quamdiu eam non abnegasse cognoscimur, superfluum certè est *; ad quod si quis nos vult cogere, cùm ad Abbatiæ prælationem promovemur, sine ulla ratione fieri videtur. Cùm enim professi sumus * cõversionem morum nostrorũ, al. omis. * ac obedientiam secundùm Regulam S. Benedicti,] utique promisimus obedientiam, non solùm Abbatibus, nec solùm quamdiu essemus sub Abbate; sed omnibus majoribus nostris, & quamdiu viveremus. Eadem enim regula docet ut monachus omni obedientia se subdat majori, & ut ad exemplum Domini, obedientiam servemus usque ad mortem. Qui ergo monachicam semel scripsit & legit professionem, si nunquam eam abnegavit, frustra aliquis ab eo aliam exigit. Vale.

EPISTOLA LIII.

Domino & Patri Reverendo Archiepiscopo Lanfranco, Frater Anselmus, & tota Beccensis Cœnobii Congregatio: quod sui.

Ei morbo laboranti condolet.

DE ægritudine paternæ vestræ Sanctitatis graviter dolentes, pro salute vestra Deum orare non cessamus: quoniam ægritudinem vestram, tribulationem nostram; & salutem vestram, incolumitatem nostram esse putamus: nec solùm nobis, sed & Matri Ecclesiæ, quantùm nomen vestrum extendi potest, vitam vestram necessariam esse intelligimus. Jussio vestra de conductu Longobardorum amodò, Deo annuente, servabitur. Domnum Balduinum, quem in Angliam mittimus pro necessitatibus nostris, quas ipse vobis narrare poterit, secundùm quod eas cognoscetis & paternæ benignitati placebit, ut adjuvetis, sicut mos vester est, supplicamus. Omnipotens Deus diu nobis & Ecclesiæ suæ vitam vestram in salute, & prosperitate, etiam in grata sibi sanctitate conservet. Amen.

Digitized by

SANCTI ANSELMI
CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI
EPISTOLARUM
LIBER TERTIUS.

Eas continens quas ſcripſit Cantuarienſis Archiepiſcopus.

EPISTOLA I.

Suis dilectiſſimis, & deſideratiſſimis Domnis fratribus & filiis, ſervis Dei Becci commanentibus, Frater Anſelmus, poſt Deum corde ſuus illorum: ſancti Spiritus ſemper regi conſilio, & conſolatione gaudere.

Se quantumvis reluctantem electum eſſe Cantuariæ Archiepiſcopum. Cui electioni ut conſentiant ipſe ſuadet.

QUÆCUNQUE ſcripta vel dicta communiter, vel ſinguli de affectu cordis veſtri mittitis dilectiſſimo & deſideratiſſimo veſtro: & quæ nec lingua poteſt exprimere, nec calamus; omnia expreſsè & apertè ſcripta ſunt in corde meo. Inſuper & multa alia ex affectu & intellectu meo, quæ utinam ſimiliter ſcripta & expreſſa eſſent in corde veſtro. Ibi, ſcilicet, in intimis meis, ibi ea lego & relego, volvo & revolvo ſæpe coram Deo. Quod quo affectu faciam, videt ipſe intùs & foris; teſtantur lacrymæ meæ, & voces, & rugitus à gemitu cordis mei, quales nunquam de me illo dolore memini exiiſſe ante diem illam, in qua ſors illa * gravis Archiepiſcopatus Cantuariæ viſa eſt ſuper me cecidiſſe. Quas voces, gemitus, ut puto, non ſimulaverunt confectiones: ſed gladii doloris animam meam * penetrantes extorſerunt, & adhuc extorquent confixiones. Quod ignorare nequiverunt illi qui ea die vultum meum inſpexerunt, quando me Epiſcopi & Abbates, aliique Primates ad Eccleſiam trahentes reclamantem & contradicentem rapuerunt: ita ut dubium videri poſſet, utrum ſanum inſani, an inſanum traherent ſani; niſi quia illi canebant, & ego magis mortuo quàm viventi colore ſimilis ſtupore & dolore pallebam: & illi, qui poſtea ipsâ die me inuſitatè lugentem, dolore rationem ſuperante, cùm intentè mihi licuit cogitare & veſtram dilectionem, & onus quod meæ imbecillitati imponebatur, de longè audientes accurrerunt, & videntes me aut animam aut ſenſum amiſſurum timuerunt; & hoc timore aqua benedicta me aſpergentes, eam mihi potandam porrexerunt. Forſitan mihi erubeſcēdum eſt, quia vulnera doloris ſic animam meam totam intentam in ſciſſuram ſui ab animabus veſtris, & in grave periculum ſuum ſuperaverunt, & adhuc ſic ſuperant, ut gemitus profundos fluentibus lachrymis ſæpe tole-

al. graviùs

al. penetrantia

A ret. Sed certè non erubeſco confiteri quia timor Dei & charitas hominum, maximè veſtra, ſic eam vulneraverunt & vulnerant. Quæ omnia teſtimonium perhibent conſcientiæ meæ, quo deſiderio, quâve procuratione expectavi celſitudinem & onus Archiepiſcopatûs, & quo gaudio ſuſcipio. Quòd ſi aliqui de me aliter ſuſpicantur, quam mea de ſe conſcientia coram Deo judicet: conſolatur me quia pro minimo mihi debet eſſe, ut ab illis dijudicer, aut ab humano die. Et quia hanc vitam tranſituri ſumus per infamiam, & bonam famam; ut ſeductores, & veraces; ſicut qui ignoti, & cognoti; tantùm cōſcientia mea non me * accuſet ante Deum. Huic autem de me electioni, immò
B violentiæ, hactenus quantùm potui, ſervatâ veritate reluctatus ſum: ſed jam velim, nolim, cogor fateri quia quotidie judicia Dei magis ac magis conatui meo reliſtunt; ut jam nullo modo videam me ea poſſe fugere, nec ſine gravi malo corporali & ſpirituali ex utraque parte; nec ſine ira Dei intentionem concepram me poſſe, aut ullum alium, aliquatenus impedire. Unde jam non tam hominum, quam Dei, contra quem non eſt prudentia aut fortitudo, victus violentiâ, hoc ſolo intelligo me uti debere conſilio, ut poſtquam oravi quantùm potui & conatus ſum, ut ſi poſſibile eſſet, calix iſte tranſiret à me, ne biberem illum; &
C orationem meam videns repelli, conatumque frangi: jam dicam Deo, verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis. Cùm enim ex utraque parte Deum timeā; nec aliquid, niſi Deum, & homines propter Deum utrinque diligam: nihil mihi puto tutius in re tam periculoſa, quàm ut meum ſenſum & voluntatem poſtponens, me ſentiri & voluntari Dei penitus committam.

Et quamvis in hac re mihi nimis ſit grave dare, & vobis accipere conſilium, quod contra meum & veſtrum affectum ſit: tamen quia ego & vos magis ſumus Dei, quam ego veſter, aut vos mei: *ſive enim vivimus, ſive morimur, Domini ſumus*: non audeo in cauſa Dei, & in tanta neceſſitate mihi commiſſis ad cōſulendum, quicquid homines ſuſpicentur, meum coram Deo ſubſtrahere cōſilium. Conſulo igitur dilectiſſimis dilectoribus meis, ut nulla res faciat vos pertinaciter ordinationi Dei obviare, *quia quaſi peccatum hariolandi eſt, nolle acquieſcere: & durum nimis eſt, contra Dei ſtimulum calcitrare.* Ad hoc enim res iſta indubitabiliter judicio Dei perducitur, ut neceſſe ſit me, ſi quid boni * Deus dignatur per me operari, ſervire & prodeſſe vobis, & multis aliis; aut omnino nec mihi, nec vobis, nec aliis; non deficiente voluntate, ſed poteſtate.

Rom. 14. v. 8.

1. Reg. 15. v. 23. Pſalm. 9. v. 5.

Quòd ſi ob veſtram pertinaciam contigerit; facietis ſenectutem meam in inconſolabili triſtitia deduci &

deficere, propter magna & multimoda mala quæ inde sequentur, & mihi & vobis justè videbuntur imputari, etiam ab iis qui modò ea non prævident. Si enim sciretis, ipsa sola dilatio quanta mala jam fecit corporibus & animabus; & quam execrabilis illa sit, & illi pariter per quos fit, melioribus & prudentioribus, ipsi quoque populo Angliæ: puto quia & vos (si inhumani non estis) eandem dilationem * execraremini. Mirum forsitan vobis videtur quod dico; & multi, qui me intùs non vident, & præcipites sunt alienas conscientias, quas ignorant, judicare; de me perversum aliquid judicabunt: quia tic vobis de hac Psal. 16. re loquor. Sed coram Deo loquor, cui revelo viam meam, & spero in eo, ut ipse faciat: quia non me accusat coram eo conscientia mea, quòd me concupiscentia terrenarum divitiarum, aut celsitudinis, ad hæc dicta trahat.

Si quis deinceps aliter de me senserit, puto quia adversùs veritatem erit: & Deus mihi testis adversus illum erit. Valete: & Dominus, qui dirigit mansuetos Psal. 24. in judicio, & docet non rigidos, sed mites, vias suas; dirigat sensus vestros & voluntates in hujus negotii judicio.

EPISTOLA II.

Domino sanctissimo, charissimo electo Anglorum Archiepiscopo Anselmo, suus quod semper erat, & semper esse desiderat servus, & filius, Frater Osbernus: ita rectis consiliis agi, ut Deum recta consilia dantem valeat promereri.

Ei consulit humiliter subire onus Cantuariensis Archiepiscopi.

CUm te, charissime Domine, in omni veritatis cognitione scientissimum esse sciam; mirum valde quòd in hac sola re sic omnimoda veri cognoscendi scientia aufugerit, ut quod Deo placitum sit in eo, quod communis de te sanctæ Ecclesiæ sententia tulit, ignorare possis. Aut si animus tuus in hanc potissimùm sententiam vergit, ut quod generalis electio, vel omnium, vel certè quam multò maximè plurium, & eorum sapientissimorum Deo placere clamat, solus tu displicere contendas. Verendum pretiosissime Domine, ne præ omnibus hominibus melior sanctiorque videri velle videaris; dum, quod illi rectissimè intelligunt, rectiùs quasi à te intellectum defendere conetis.

Ut enim in offenso dulcissimo mihi amore tuo loquar, aut cunctis, quod non credimus, meliorem te fateberis: quippe cui soli revelatum est quod universæ Anglorum Ecclesiæ fas non erat revelari; aut facias necesse est quod universalis * Anglorum Ecclesia suadet, hoc est, ut Pontificalis infulæ principatum inter Beatos Apostolos suscipere non renuas.

Sed fortè expectas Deum majoribus, quod cœpit, induciis probaturum: non ausim dicere, propterea quòd te sapientissimum scio; sed timeo ne talia quæ- Matth. 4. v. 7. renti ex obliquo respondeatur: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Quid namque insignius ad te eligendum ostenderet Deus; quam ut tu promovereris, Regem triumphis nobilem, severitate cunctis formidabilem, lecto decubuisse, ad mortem usque ægrotavisse, te autem provecto, statim eundem respiravisse, convaluisse, atque ex fero & immani mitissimum pariter ac mansuetissimum reddidum fuisse? Quid, inquam, aut efficacius dulcius, aut ad innocentiam præstantius; quàm te ante lectum ægrotatis violenter pertractum; dextram aliorum dextris impudenter de sinu extra- A tam; * sinistram, ne sororem juvaret, fortiter retentam] virgam, cæteris digitulis pertinaciter occlusis, polliciti atque indici crudeliter impactam post hæc toto corpore è terra te elevatum, Episcopalibus brachiis ad Ecclesiam deportatum, ibique, adhuc te reclamante, & importunis nimis obsistente, *Te Deum laudamus* esse cantatum?

Quid, inquam, vel ad divinas laudes magnificentius, vel ad humana spectacula gaudentius, quam quod in tua electione, exclusis omnibus transactæ tempestatis afflictionibus, omnia ad proprii juris possessionem veluti jubileo termino cucurrerunt: dum victi ad expeditionem, carcerati ad lucem, captivi ad libertatem, oppressi dirissimis exactorum furoribus, redierint ad erectionem.

Omnia hæc te loquuntur, tibi famulantur, tuis me- B ritis ascribuntur. Quod si omnes hæ divinæ blanditiæ ad consentiendum te non excitaverint; profectò noveris districtâ animadversione æquissimum judicem tecum acturum, taliterque in die * extremi judicii adversum te propositurum. O homo meis uberibus nutrite, meis virtutibus ditate, meis doctrinis illuminate, meis honoribus sublimate, quam tibi molestiam ingessi, ut me præceptorem fugeris, monitorem contempseris, imponentis mei jugum erecta cervice abjeceris? Nonnè satiùs erat nihil mihi de tuo contulisse; quàm, quæ mea fuere, crudeliter abstulisse? Annon constabat per tuam negligentiam ablatum, quod per tuam mihi diligentiam non est allatum? Cur non * cogitabas infinita hominum millia te occidisse, dum paucorum volebas saluti cõsulere? Ecce etenim sponsa mea, C sancta Cantuariensis Ecclesia, Apostoli mei Petri benedictione à principio sanctificata, piissimo piissimi Gregorii studio nobiliter fundata. SS.* Bonifacii, Honorati, Vitaliani,] Agathonis, & cæterorum orthodoxorum Patrum singulari semper privilegio donata; ad quam, salvâ Romanæ & Apostolicæ Sedis auctoritate, omnium circa regionum Ecclesiæ in suis oppressionibus confugere, atque ab ea * tuendæ libertatis præsidia expetere simul ac suscipere solebant. Ecce illa talis omnium peripsema effecta, omnium pertranseuntium pedibus conculcata; non solùm nulla perditæ libertatis * jura cæteris restituere, sed nec sua multo tempore valuit illibata custodire. Homines autem, quos ei ad custodiam castitatis deputavi, à quibus servandæ integritatis illius fidem accepi, non modò ipsi nihil defen- D sionis adversùs alios incæsti cupidos paravere; imò ipsi flagitiosissimum corruptionis negotium meditati sunt. Cumque illa, non immemor quàm fuerit magno acquisita, quàm legibus * convincta, quàm denique muneribus dotata, reluctando succlamasset, illi abreptis ornamentorum suorum vestibus, nudam, venalem & confusione plenam eandem reliquerunt. Exclamat itaque multiplex filiorum caterva, quos in lavacro secũdæ nativitatis ipsa mihi genuerat, & intra gremium sanctæ dilectionis teneriùs nutrierat, maternæ cupiens verecundiæ mederi, ejusque nuditatem oppanso velamine tueri. Ecce qui matrem afflixerant, gravioribus in filios molestiis desæviunt; dum hunc ab uberibus raptum miserandâ cede discerpunt, illum ferrugiendo stridore premunt, alter cæca latibula inhabitat; alius longa exilia deplorat. Quodque ad scelus præcipuum fuerat, dum se adulteri homines scelerata calliditate innocentes prodere vellent, in tantum apud terrenas potestates odium matrem cum prole adduxerũt, ut quicunque eos interficeret, obsequium se præstare Deo arbitraretur. Ultimum vero & quasi palmare totius mali flagitium extitit, cujus radix si in lucem solis hujus perlata fuisset, non solùm hanc exhorreret Christianus, verùm etiam omnis execraretur paganus, Judæus, atque hæreticus. Ego autem ultra non ferens tantam sponsæ meæ calamitatẽ, ex tota hominem plenitudine te, Anselme, elegi, atque ad zelandum pro

me amicum ſponſi exhibui, doctrinam contuli, virtutem largitus tum. Præmonſtravi oraculis, comprobavi miraculis; verùm tu mihi prætuliſti Normanniæ Comitem, Deo vermem, viventi mortalem, latitudini Anglorum anguſtæ ſolitudinis nidum. Exceſſit ne animo Petrum Apoſtolum Anthiochiæ inthroniſatum, nec tamen ullorum ſinguìtibus, ne Romanos experiretur furores, præpeditum? Cur te fugit Pauli caput Miletinorum atque Epheſiorum fletibus irroratum; nec tamen à ſulcando æquore, quod eum ad exteras tranſmitteret nationes, prohibitum? Rogo, hominum ſapientiſſime, ſi talibus te ſentẽtiis judex impeteret, nonne rationum pondere preſſus; * parce judex, clamares? Jam verò, ſi illam, cui tu noviter attitulatus es, Eccleſiam non tanti apud Deum meriti eſſe dixeris; grande ejus meritum heet agnoſcas. Laurentium namque Archiepiſcopum multo verbere a præfato Apoſtolo novimus flagellatum, propterea quod paganorum metu conterritus fugam inierit, & eandem Eccleſiam adhuc in fidei perceptione rudem, derelinquere tentaverit. Idem beatiſſimo Confeſſori Chriſti Dunſtano idem Apoſtolus cum Coapoſtolis Paulo & Andræa ſplendens apparuit, eique tradens gladium verbo Dei inſcriptum, futurum illum, ut poſtea evenit, ejuſdem Eccleſiæ Pontificem præfiguravit. Quòd ſancta Chriſti & Apoſtolorum dignatio ſuper eandem Eccleſiam ab initio fuiſſe perhibetur, magno tibi providendum eſt opere, qui ſanctiſſimam ſcientiam habes, ne hujus dignationis participium refugias; cùm neque ſis privata gratia exhibitus, neque mercenarius neque Simonis diſcipulus: ſed quem & divina vocavit electio, & Apoſtolica informavit inſtitutio. Præterea, quamvis monitore non egeas, pro affectu tamen monere te audebo, ut nihil inconſultè agas, nec alieno multùm à nobis conſilio; ſive id in conſecratione tua ſit, ſive in rebus Eccleſiæ dandis aut mutandis: Ideo quòd novimus Sanctiſſimum prædeceſſorem tuum multa primo adventûs ſui tẽpore ordinaſſe, quæ omni tempore poſtmodum ſibi duplicuere. Sunt enim plures qui circa deſtructionem Eccleſiæ ſemper laboraverunt, qui nunc putant quàm maximè ſe regnaturos, dicentes te cum Deo ſemper acturum, res Eccleſiæ non curaturum, quaſi res Eccleſiæ curare non ſit cum Deo agere. Sed, Deo auxiliante, cùm te cognoverint, quemadmodum ego; puto illos ſecus dicturos ac ſenſuros. Jam nunc repeto omnibus medullis quod promiſi ſalutando, orans Deum ita te rectis conſiliis agi, ut Deum recta conſilia ſantem valeas promereri, Domine ſanctiſſime, ſapientiſſime, & ſuper omnes animo dulciſſime.

EPISTOLA III.

Gondulfus gratia Dei Roffenſis Epiſcopus, Dominis & amicis ſuis chariſſimis, ſervis Dei Becci conſiſtentibus; ſalutem & fideles orationes.

Ut non triſtentur de erepto ſibi Abbate Anſelmo.

CHariſſimi, veſtræ Dilectioni cognitum eſt quantùm temporis ſit ex quo Anglica Eccleſia proprio eſt orbata & deſtituta paſtore, atque omni paterna deſolata conſolatione. Sed Deus ploratus orphanorum, gemitus & ſuſpiria hactenus longiſſima viduarum, preces quoque fidelium ſuorum miſeratus exaudiens, tandem ſuâ gratiâ eam conſolando viſitare dignatus eſt. Ipſius namque inenarrabili potentiâ operante, dedit Dominus noſter Rex Anglorum conſilio & rogatu Principum ſuorum, Cleri quoque & populi A petitione & electione, Domino Abbati Anſelmo Cantuarienſis Eccleſiæ gubernationem. Quod quidem piiſſimâ Dei operatione & ordinatione factum eſſe non dubium eſt. Quapropter humiliter mandamus, & vehementer precamur, ut Fratres chariſſimos, quatenus omnem triſtitiam vel cordis indignationem, ſi qua eſt, deponentes, divinæ voluntati, operationi, & bonorum virorum electioni nequaquam reſiſtatis: ſed Deo gratias agentes, quod factum eſt, cum gaudio & bona voluntate concedatis. Eſt etiam aliud quod vos latere non deber. Impediri quidem res iſta fortaſſis ad tempus poteſt, omnino autem remanere nullo modo poteſt. Verum enim dico vobis, notitia & conſilium hujus rei multum proceſſit, & ſine dubio uſque ad Sedem Apoſtolicam jam pervenit. Utimini B igitur ſapienti conſilio, & per charitatem facite ſine dilatione, quod quandoque facturi eſtis ſine dubitatione. Valete.

EPISTOLA IV.

Dominis, & Fratribus, & filiis dilectiſſimis Monachis Beccenſibus, dilectiſſimus & Abbas eorum, Frater Anſelmus: continuâ Dei protectione, & conſolatione gaudere.

Ut ipſi Anſelmo & Regi ſcribant ſe ultrò conſentire electioni illius in Archiepiſcopum Cantuarienſem.

C QUod humiliter per Dominum Balduinum & Dominum Teſonem petiviſtis, & ſi præſens eſſem, ſupplici devotione per vos petiviſſetis: paterno & * pio affectu omnibus petentibus, ut filiis dilectiſſimis, concedo quod ex me eſt: & oro Deum ut ipſe miſericorditer concedat quod ex ipſo eſt. Cùm de ſorte Archiepiſcopatûs, quæ ſuper me divinâ cecidit diſpoſitione, loquor vobiſcum; valde alienum & à me & à vobis videtur, ſi conſideretur mutuus * noſter affectus, me vobis inde conſulere, & vos al. veſter mecum conſilium accipere. Si quis conſideret quia plus Deo quam nobiſmetipſis debemus; non ei mirum D videbitur, ſi ego in cauſa Dei commiſſi mihi ad conſulendum, quos nullo modo, eiſdem ipſis teſtibus, à recto volo deviare, conſulo * contra meum & illorum affectum, ſecundum voluntatem Dei. Benefeciſtis, quia conceſſionem veſtram mihi per Dom. Teſonem mandaſtis; quandoquidem res nec per me vos mutari poteſt: ſed meliùs facietis, ſi per epiſtolas unam regi, alteram mihi mandabitis quia quod Deus dignabitur de me diſponere, & idem Rex & omnes qui Domini ſunt Eccleſiæ noſtræ ordinaverint ſecundùm timorem Dei, & Archiepiſcopus noſter religiosâ & Eccleſiaſticâ ratione juſſerit, & mihi videbitur, humili devotione propter timorem Dei conceditis, & me Deo & Eccleſiæ ejus committitis. Hoc retento, ut inquantùm poſſibile vobis erit, noſtro ſemper fruamini, E quamdiu vivam, conſilio. Hoc conſulo, hoc hortor, quia ſic oportet fieri, ut & vos plus voluntati Dei quã veſtræ ſubditos eſſe oſtendatis; & Regis gratiam, quæ vobis neceſſaria eſt, ſine omni proficuo, imò cum damno maximo non perdatis, & mentem meam multis moleſtiis onuſtam, onuſtiorem diſtenſione veſtrâ non faciatis. Comitiſſæ Lermendenſi, quæ ad vos venit, ut audivi, largâ & benignâ voluntate honorificè omnibus modis, quibus poteſtis, ſecundùm voluntatem ejus ſervite. Grandis enim veſter honor eſt, & multùm hoc noſtræ profuturum eſt Eccleſiæ ſicut ſpèro; illam ex noſtra parte dulciter ſalutate. Valete.

Digitized by

EPISTOLA V.

Domino Sanctiſſimo, Patri dulciſſimo, jam nunc, quod non ſine deſperatione dico; Anglorum Archiepiſcopo Anſelmo, ſervus & filius ſuus Oſbernus: ſalutes luctu & lachrymis plenas.

Ut acceleret ſuam inaugurationem.

QUouſque, dulciſſime Domine, deſideria noſtra ſuſpendis? quouſque animas noſtras tollis? Si tu es qui venturus es, veniendo ad nos, oſtende: nec velis diutius bonum differre, quod ab æterno conſilio profectum humano generi Chriſtus dignatus eſt impertiri. Alioquin, mi dulciſſime, commoviſti terram & conturbaſti eam; potiuſque eſſet mortis non diſpendia ſuſtinuiſſe, quàm ſuper tuo nomine aliquid unquam accepiſſe. Quid enim putas, qui luctus, quæ lachrymæ adversùm te hodie fundùntur, *quæ ante hoc *al. omit.* tempus in conſpectu Dei profundebantur?] Quæ major poteſt eſſe miſeria, quàm homines, quibus quaſi noxiis humoribus corpus Eccleſiæ gravabatur, nuperrimè vidiſſe excluſos; & nunc eoſdem non modo excluſos, verùm etiam videre corpori Eccleſiæ incorporatos? Puta, mi dulciſſime omnium, adversùm te iſtas eſſe querelas. Hiccine eſt ille, de quo tantùm gaudebamus, de quo tam magna audiebamus? Ecce, quomodo nos decepit, quomodo animas noſtras interfecit. Expectavimus pacem, & non eſt bonum; tempus medelæ, & ecce clamor. Hiccine eſt ille, quem Oſbernus hos tredecim annos ad populum tantoperè laudavit, quem in omni ſermone magiſtrum & ſanctiſſimum & ſapientiſſimum præ dicavit? Ecce quomodo fecit noviſſima noſtra pejora prioribus. Credas, nunquam hæc deſinent dici, niſi deſieris elongari. Veni ergo, tantummodo invocetur nomen *al. veſtimentum* tuum ſuper nos, aufer opprobrium noſtrum; *feſtinandum tibi eſt, princeps eſto noſter. Erit hoc Deo ad laudem, tibi ad mercedem, nobis ad vitam. Recuperemus in te, quod in mortuo ſanctiſſimo Patre Lanfranco nos cum toto mundo perdidimus: quem mortuum ſemper dolebimus, quoad uſque illum in te viderimus. Deus omnipotens, quicunque Anſelmum ab incepto præpedierit, anathema in medio hominum ſit. Credas me in maxima lachrymarum alluvione iſta ſcripſiſſe; & uſque ad mortem ſolicitum de te eſſe. Mater & omnes filii te ſalutant.

EPISTOLA VI.

Dulciſſimo Domino, & Patri ſuo, divinitùs ſibi olim dato Abbati Anſelmo, humiles Beccenſis Eccleſiæ ſervi, & filii ſui: continuâ Dei in omnibus viis ſuis protectione dirigi ſemper, & muniri.

Beccenſes Anſelmum concedunt Eccleſiæ Cantuarienſi.

AUditâ conceſſione Domini noſtri Normanniæ Principis, & Archiepiſcopi noſtri Rotomagenſis, quam de vobis ad petitionem Regis Anglorum & omnium ferè ejuſdem gentis Principum fecerunt; ut ad culmen, ſcilicet, promoveamini Archiepiſcopatûs: pro ea etiam quæ ad nos de vobis pertinebat, & *al. expectabatur* à nobis *expetebatur, conceſſione, omnes in unum congregati ſumus, unuſquiſque noſtrûm de ſua ſententia ab eo qui præſidebat nominatim eſt requiſitus. Multa hinc & diverſa nobis ſenſa & dicta ſunt, quæ modò replicanda & exponenda *vobis minimè *al. non.* ſunt: finem tantùm ipſius rei propter quàm convenimus, breviter vobis intimabimus. Pars quædam noſtrûm, quamvis pro dulci & unico pietatis erga vos affectu valde dolens atque triſtis, propter Dei tamen metum, cujus id nutu atque conſilio agi creditur, libenter ad honorem & commodum Eccleſiæ Dei, ſecundùm quod vos etiam conſulitis, quod de vobis petitur, concedit: pars verò noſtrûm altera, ſuo potiùs quàm veſtro utens atque fidens conſilio ardentiori, atque ut ſibi videtur rectiori amoris veſtri zelo, minimè id concedit, nec ad concedendum ulli majorum ſe ſive minorum perſuaſionibus aliquo modo acquieſcit. Quæ autē pars alteram, aut numero aut ratione præponderet, Domnus Lanfrancus, qui interfuit, & omnia *hîc apud nos geſta ſive dicta & vidit & *al. hîc* audivit, pleniſſimè per ſeipſum & ſufficienter vobis dicet. Nos enim iſta ſuccinctè & celeriter multùm dictamus, quia *urget nos feſtinans lator præſentium, ut ſic agamus. Omnipotens Deus vitam veſtram in beneplacito ſuo rectè diſponat, & ad communem fidelium ſuorum utilitatem & gaudium, diu eam in præſenti cuſtodiat. Amen.

EPISTOLA VII.

Suis dilectiſſimis Domino Priori Baldrico, & aliis ſervis Dei in Beccenſi cœnobio commanentibus; ſervus & conſervus eorum Frater Anſelmus divino ſemper regi conſilio, & protegi auxilio.

Ægerrimè fert ſe à Beccenſibus eſſe diſtractum, nec juxta quorumdam malevolorum calumnias fictâ humilitate recuſaſſe Archiepiſcopatum.

QUamvis divina diſpoſitio me à vobis corporaliter non ſine gravi pioque cordis mei dolore ſeparet, oro tamen Deum, ut dilectio, qua ipſo *dante *al. donante* anima mea vos in utero ſuo complectitur, indiſſolubiliter perſeveret: per quam, Deo propitiante, ſemper veſter ero ſervus; quia ſemper, quantùm Deus mihi dabit, ero veſtris *utilitatibus intentus. Nam et- *al. voluntatibus* ſi tanta ſit ipſa dilectio, ut ſæpe cùm intentè cogito amicos veſtros de tam inſeparata & contra voluntatem noſtram ſeparatione, ſtatim ſuâ quadam tempeſtate, velut mare ventis, intumeſcat & conturbetur cor meum, & pluant oculi mei: dulciùs tamen mihi eſt hoc ab illa me tolerare, quàm illam à me ſeparare. Novit enim Deus, ante cujus conſpectum ſecundùm conſcientiam meam loquor, quia plus vos dilexi Deo & vobis, & meipſum vobis, quàm vos mihi ſive prælationem, aut dominationem, aut poſſeſſionem terrenam, quas habebam pro vobis. Quamobrem plus me gravat veſtra triſtitia de qualicunque, ſi apud vos eſt, mei indigentia; quàm me cōſoletur aliqua terrena celſitudo vel opulentia. Ecce nunc in hac ipſa locutione, qua vobis abſens loquor dictando, teſtes mihi ſunt lachrymæ, quas continere nequeunt oculi mei: & vim mihi facientes ſingultus gutturis mei inundantes à gemitu cordis mei, obturantes & interrumpēdo tardātes ſcriptori verba oris mei. Quamvis ſint quidam, ut audio, qui autem ſint, Deus ſcit, qui aut fingunt malitiâ aut ſuſpicantur errore, aut coguntur dicere indiſcreto dolore, quòd magis trahar ad Archiepiſcoporum vitioſâ cupiditate, quam *cogar religioſâ neceſſitate. Quibus neſcio quomodo poſſim perſuadere quæ ſit in hac re cōſcientia mea, ſi illis non ſatisfacit vita

conſervatio mea. Sic enim vixi jam per triginta tres annos in habitu monachico, tribus ſcilicet ſine prælatione, quindecim in Prioratu, totidem in Abbatia annis, ut omnes boni me diligerent qui me noverunt, non meâ induſtriâ, ſed gratiâ Dei faciente : & magis illi, qui me interiùs & familiariùs noverunt ; nec * aliquis in me videret aliquod opus, unde me prælatione delectari cognoſceret. Quid ergo faciam ? Quomodo propulſabo & extinguam hanc falſam & odibilem ſuſpicionem, ne animabus eorum noceat, qui me propter Deum diligebant, charitatem illis minuendo, aut eorum, quibus qualecunque conſilium aut exemplum pœnitentiæ prodeſſe poterat, me pejorem quàm ſim illis perſuadendo ; aut etiam horum & aliorum, qui me non noverunt & hoc audient, malum * illis exemplum proponendo ? Deus, tu, qui omnia ſcis, non me juſtifico ſecundùm examen diſtricti judicii tui : quia ille magnus Apoſtolus tuus, qui dicere potuit : *nihil mihi conſcius ſum*, cùm hoc dixiſſet, ſubdidit : *ſed non in hoc juſtificatus ſum, qui autem judicat me Dominus eſt.* Et vir ille ſimplex & rectus, timens Deum & recedens à malo, cui, te ipſo teſte, non erat ſimilis in terra, dixit, *verebar omnia opera mea :* ſed ſecundùm quod anima mea comprehendit conſcientiam ſuam, coram te dico eam ; ut omnes qui hanc meam epiſtolam legent aut audient, ſub tuo teſtimonio ſciant & credant eam. Tu Domine vides, & tu eſto teſtis meus, quia neſcio, ſicut mea mihi conſcientia dicit, quid me rapiat aut alliget ad conſenſum Archiepiſcopatus, ad quem ſubitò raptus trahor, amor alicujus rei quam ſervus tuus contemptor mundi debeat contemnere : & quia, ſi mihi liceret ſervatâ obedientiâ & charitate, quas propter te, quantùm dediſti, volo cuſtodire, potiùs eligerem ſub Prælato, ſicut Monachus, ſervire & obedire, & ab illo conſilium animæ meæ & neceſſaria corporis mei accipere ; quàm aliis hominibus dominari aut præeſſe ſive ad animarum gubernationem, ſive ad corporalem ſuſtentationem, aut terrenas divitias poſſidere. Tu vides, & tu eſto teſtis meus, quia ſicut mea mihi conſcientia dicit, neſcio quomodo me ſine peccato poſſim evolvere ab hac me eligentium intentione ; & quia timor tuus, & charitas, & obedientia, quas tibi & Eccleſiæ tuæ debeo, me cogunt, me ligant, ut non audeam religioſis precibus eorum, & magno, ſicut mihi oſtendunt, deſiderio pertinaciter contradicere. Domine, ſi fallit me conſcientia mea, oſtende mihi meipſum & corrige me, & *dirige in conſpectu tuo viam meam* Et ſive mihi placeat, ut quod inceptum eſt ab * hominibus de hac mea electione fiat ; ſive potiùs ut non fiat, *Deduc me in via tua : & ingrediar in veritate tua.* Domine tu vides, ſicut dixi, conſcientiam meam, tu eſto mihi teſtis ad eos qui aliter de me ſuſcipiantur ; & oſtende illis eam, ne lædant ſuas aut aliorum animas, malè eam judicantes. Ecce, dilectiſſimi Fratres mei, audiſtis verè conſcientiam meam de Archiepiſcopatûs deſiderio, ſive contemptu. Si enim Deo ſciens mentior, neſcio cui verum dicam. Si quis deinceps contra hoc, quod de hac re ſub teſtimonii Dei invocatione dixi, me voluerit apertè vel callidè malè alicui cõmendare ; puto quia Deus erit mecum adversùs eum, & pro me reſpondebit ei ; ego verò conſolabor me ſub teſtimonio Dei. Certus autem ſum quia quicquid hæc falſa ſuſpicio alicui animæ vel nocebit ; peccatum hoc ſuper ſe ſuſcipient, ſi plures ſunt auctores ejus : & ſive unus, ſive plus ſint ; maxime ſuper eum erit, qui maximè auctor ejus eſt. Ad ea verò quibus quidam veſtrûm putant me potuiſſe rationabiliter electioni prædictæ reſiſtere, breviter reſpondeo. Dicunt enim : Quando coactus eſt ut noſter Abbas fieret, tradidit ſe nobis in ſervum in nomine Domini. Bene, quia hoc feci in nomine Domini. Quid hîc intelligunt ; An putant me juraſſe vobis ſervitutem per nomen Domini ? utique non hoc feci. An quòd Dominus dicit : *Si quid petieritis in nomine meo* ſic intelligendum eſt, ac ſi diceret : Si juraverit Patri, petendo aliquid per nomen meum : aut quando dicimus : *Adjutorium noſtrum in nomine Domini*, aut quotiens * facimus aliquid, ſive dicimus in nomine Domini, totiens juramus per nomen Domini ? Nequaquam : quomodo autem illa intelligatur, nihil nunc ad me : quòd verò * ego tunc dixi in nomine Domini, intellexi & intelligo, in Domino, hoc eſt, in Deo. Quæ in Deo fiunt, ſecundùm Deum, id eſt, rectè fiunt. Cùm ergo tradidi me vobis in ſervum in nomine Domini, tradidi me vobis in ſervum, quantùm potui, ſecundùm Deum. Judicate nunc, ſi hoc modo abnegavi ; aut ſi potui ſecundùm Deum abnegare diſpoſitionem Dei de me, cui vellem, nollem, rectè ſubjacebam ; aut obedientiam, cui me penitus tradideram. Cùm enim profeſſus ſum monachum, abnegavi meipſum mihi, ut deinceps meus non eſſem, id eſt, non viverem ſecundùm propriam voluntatem, ſed ſecundùm obedientiam : vera autem obedientia aut eſt Deo, aut Eccleſiæ Dei, & poſt Deum maximè Prælatis. Hanc ergo non abjuravi, nec abnegavi ; ſed potiùs ſervavi, cùm dixi ; in nomine Domini. Diſcite itaque quid vobis tunc dedi. Hoc utique, ut me veſtro non poſſem ſubtrahere propriâ voluntate ſervitio ; nec quærere ut ſubtraherer, niſi eâ cogẽte diſpoſitione & obediẽtiâ, quarum priùs ſecundùm Deum ſervus eram. Quod autem feci, ſi aliter feciſſem quàm dixi ; certè vos monachi non eſſetis, ſi quod contra Deum vobis promiſiſſem, exigeretis. Nunquam antequam concederetis me ad Archiepiſcopatum promoveri, hanc meam vobis factam deditionem alicui expoſui, ſed objiciebam eam quaſi firmiſſimum obſtaculum, ne promoverer ; donec intellexi me volentes promovere in tanta ſuæ voluntatis perſiſtere conſtantia, ut & ad hoc nihil obeſſe intelligerent ; & ab incepto ſe nullatenus aut velle, aut debere * deſiſtere aſſererent. Dicunt etiam quidam quia & vobis ſecundùm Deum datus eram ; & quibus rectè Prælatus eram, non rectè me poſſe auferri ab illis, nec me * debere concedere. Beatus * Martinus ſecundùm Deum Abbas erat ; & tamen monachis eſt ablatus, & clericis, & monachis & laïcis viris, & mulieribus eſt Prælatus. Petrus Apoſtolus, puto quia ſecũdùm Deum Anthiochiæ Cathedram Epiſcopalem tenebat ; nec tamen dicit aliquis quia peccavit, cùm deſerendo eam, ſtudio majoris fructûs Romam migravit. An ideo dicendum eſt quia non diligebant priores diſcipulos ſuos, aut quia poſtea minùs eos dilexerunt ; aut quia Deus contempſit & deſeruit eos, quia iſti eos corporaliter deſeruerunt ? utique non eſt dicendum, Fratres. Non me comparo magnitudini eorum ; ſed tamen non ideo ſum damnandus, ſi de me facit Deus aliquid ad ſimilitudinem eorum. Forſitan dicit aliquis : Non es homo, cui tanta res conveniat. Hoc ipſum de me corde & ore judico. Sed dicunt mihi, qualiſcunque ſis, te volumus, te non dimittimus. Reminiſcuntur quidam quia dicere ſolebam quòd nollem vivere, niſi vobis ; & quia nunquam aliam prælationem haberem quàm Beccenſem. Sed hoc ſecundùm affectum meæ voluntatis dicebam, & ſecundùm hoc, quòd in defenſione & reſponſione mea, ſi ad aliam prælationem vocarer, confidebam. Sed quid ſi Deus ordinat ut etiam aliis vivam & ſerviam ? An debeo ſuperbè reſiſtere ? Et ego & vos plus ſumus Dei ; quàm ego veſter, & vos mei. Princeps Apoſtolorum dixit Domino : *Non lavabis mihi pedes in æternum.* Talis erat voluntas ejus. Sed quid Dominus ? *Si non lavero tibi pedes, non habebis partem mecum.* Et Petrus quid ? *Domine, non tantùm pedes, ſed & manus & caput.* Tamen non ideo illum Deus damnavit, quia ſententiam ſuam pro divina mutavit, imo ad pedes ejus ſe humiliavit. * Præſumo-

al. illud

Pſ. 1. al. unic.

Pſ. 85.

2. Cor. 4. v. 4.

Joh. 8.

Ibid. 9.

al. Martinus

Joan. 13. v. 8.

Joan. 13. v. 9.

bam de fortitudine & ingenio meo ad me defendendum; ſed fortiór & ingeniosior me Deus fuit, & ideò præſumptio mea nihil fuit. Inſipiēter me locutum eſſe forſitan dicet aliquis, quaſi me juſtificando & dignum Archiepiſcopatu probando; ſed falſi calumniatores mei me coëgerunt, ne vos aut aliquem alium veneno ſuæ falſitatis inficiant. Nec nitor me dignum Archiepiſcopatu probare, ſed falſum crimen * expurgare. Sed de his, unde hactenus locutus ſum, nunc iſta ſufficiant. De conſolatione verò veſtrâ pauca ſubjicio. Precor itaque vos, Fratres mei dilectiſſimi, ut non contriſtemini ultra modum propter abſentiam meam. Certè triſtitia veſtra mea eſt triſtitia; & conſolatio veſtra mea conſolatio eſt. Non ſit in homine ſpes veſtra, ſed in Deo; quia ſi quid vobis profui, non a me fuit ſed ab eo. Multi propter me, & ferè omnes Beccum veniſtis, ſed nullus propter me Monachus factus eſt; nec propter ſpem retributionis meæ vos Deo voviſtis; ab illo cui totum dediſtis quod habuiſtis, ab illo expectate totum quo indigetis. Jactate cogitatum veſtrum in Domino, & ipſe vos enutriet. Convertite totam curam ad illi ſerviendum; & ipſe ſuſcipiet totam curam veſtram ad vos nutriendum. De me vos precor, ne minùs me diligatis, ſi Deus de me facit voluntatem ſuam; & ne propter hoc perdam, ſi aliquando volui facere voluntatem veſtram, quia non audeo, nec debeo, nec poſſum Deo reſiſtere, nec adhuc video quomodo me poſſim Eccleſiæ Anglorum ſubtrahere, niſi Deo reſiſtendo. Appareat quia non me vobis ſolùmmodo dilexiſtis; ſed & Deo, & mihi. Orate pro me, ut quidquid fiat de me, bono fine per gratiam Dei conſummetur. Abbatem veſtrum ex hac hora nolite me expectare; ſed dilectorem veſtrum & ſolicitum pro vobis, quamdiu vivam, Deo ſervante voluntatem quam mihi de vobis dedit, ſcitote. Nunquam tamen dimittam poteſtatem ligandi & ſolvendi, & vobis conſulendi, quam habui in vobis; quamdiu Abbas, qui poſt me erit, & vos, qui ſub illo eritis, hoc mihi concedetis: flendo & vix dico. Domino noſtro Jeſu Chriſto, & piæ genitrici ejus Mariæ, & beato Petro, cui ipſe commendavit oves ſuas, & beato Benedicto (ſecundùm cujus Regulam * obedientiam profeſſi eſtis) & aliis Sanctis Dei vos cōmendo, dilectiſſimi Fratres mei,* & eorum meritis & interceſſionibus ipſe qui vos redemit,] ſit veſter Abbas, ſit veſter cuſtos, ipſe faciat vos poſt hanc vitā beatè vivere in regno ſuo. Ibi ſuâ pietate tribuat mihi vos videre, & vobiſcum ſine fine gaudere, qui eſt Deus benedictus in ſæcula. Amen. Mirantur multi ex vobis, quos tam dulci & familiari dilectione amplectebar, ut unicuique videri poſſet me nullum alium pariter dilexiſſe; cur non illis ſingulis aliquam noſtræ dilectionis cōmemorationem ſcribo. Sed ſciant quia non hoc facit oblivio mea, ſed multitudo eorum. Et forſitan faciam, cùm magis opportunum erit; & ſi non omnibus, ſaltem aliquibus. Hoc tantùm ad præſens illis dico, ut reminiſcantur quia non ob aliud eos ſic dilexi, niſi ut ipſi Deum & animas ſuas diligerent. Ipſi ſunt mihi teſtes, hoc de illis ſemper & de omnibus vobis deſidero, hoc precor, hoc moneo, hoc conſulo: hoc faciant, & ſic ſemper dilectionem meam inviolabilem erga ſe ſervabunt. Abbatem vobis ſuſtinuere feſtinate, expedit enim vobis. Valete. Hanc epiſtolam noſtram, quibuſcunque poteſtis, pro excuſatione falſæ de me ſuſpicionis oſtendite; & maximè reverendis Dominis & Patribus meis, qui me propter Deum ſuâ gratiâ dilexerunt, Epiſcopis & Abbatibus, de quibus me magis gravat ſi de me aliquid ſuſpicando perverſum, falluntur. Nolo enim dilectionem eorum ullatenus perdere; ſed ſemper eos venerando & diligendo, illam mereri & cuſtodire.

al. omit. al. omit.

EPISTOLA VIII.

Dulciſſimis & dilectiſſimis ſuis, Domno Priori Baldrico, & aliis monachis Beccenſibus, Frater Anſelmus, qui hactenus eis ſub Abbatis nomine ſervivit, à Deo ſemper cuſtodiri & protegi.

Ut Guillelmum qui apud Pexeium Prior fuit in Abbatem eligant; & ut hanc curam ſuſcipiat, ei præcipit: Baldrico autem ne Prioratum dimittat, ipſe inhibet.

DEo, de me quod vult, ut de creatura ſua, velim, nolim, diſponente; & reverendo Domino noſtro Principe Normannorum Roberto concedente; & Archiepiſcopo noſtro Guillelmo præcipiente, & vobis à Deo coactis, faventibus, à veſtra cura ſum abſolutus, & majori involutus. Si Deus vobis dederit eam gratiam prædicti Domini noſtri Principis, ut de Eccleſia noſtra vobis velit dare Abbatem, & noſtrum inde dignetur audire conſilium: illi & vobis dico quia de nullo mihi meliùs videtur quàm de Domno Guillelmo, qui Prior fuit apud Pexeium. Et ſi juſſio glorioſi Domini noſtri Principis in hoc fuerit, quod utinam ita fiat; ego quoque tibi, Frater Guillelme, in nomine Domini per ſanctam obedientiam præcipio, ut hanc curam in ſpe auxilii Dei, tuam poſtponens requiem, pro Fratrum tuorum utilitate humiliter ſuſcipias. Iſtas litteras congruo tempore, & Domino noſtro, & Congregationi, & quibus oportebit, volo præſentari. Tibi quoque, Baldrice Prior, per ſanctam obedientiam præcipio; ut quicunque ſi, Abbas, Prioratum non deſeras, niſi ejus & meo conſenſu, dum vivo. Valete.

EPISTOLA IX.

Domino Patri, reverendo, Abbati Rogero, Frater Anſelmus; in hac vita proſperè vivere in ſanctitate, in futura fœliciter in æternitate.

Commendatio Beccenſium.

SIc nobis invicem conſcii ſumus ego & vos mutuæ dilectionis in Deo, ut nec putem me indigere prioribus, ut ipſa ſemper in nobis, quamdiu vivetis, vivat: nec vos indigere perſuaſionibus, quia, Deo annuente, quamdiu vivam, in me non deficiet. De Eccleſia Becci, (quia nihil in hoc mundo puriùs dilexi, nec diligo) ſi veſtra Sanctitas ſupplicationibus indigeret; utique corde & litteris, quia verbis præſēs nequeo, quantùm poſſem ſupplicarem, quatenus illi veſtra conſolatio, & veſtrum conſilium & auxilium non deeſſet, & ut filios ejus velut primogenitus & major Frater eorum paterna ſollicitudine, & materna dulcedine foveretis. Sed quoniam veſtra prudentia, & veſtræ charitatis ſinceritas hoc vobis perſuadere ſine mea exhortatione ſufficiunt; & ego propter cordis abundantiam omnino tacere non valeam, hanc brevē commonitionem ſufficere ex noſtra parte exiſtimo. Mementote Dominici verbi ad Principem Apoſtolorum, velut ad Fratrum ſuorum primogenitum; *Et tu aliquando converſus, confirma Fratres tuos.* Salutate Dominos & Fratres noſtros filios veſtros; & eis precibus noſtris & veſtra commonitione perſuadete quatenus

Luc. xxii.

Digitized by Google

ſic non deficiat; ſicut non deficit ille, propter quem * illam inceperant. De conſcientia mea ad Archiepiſcopatum incunctanter credite & ſecurè aliis aſſerite quia nulla cupiditas (coram Deo loquor) quæ in corde ſervi Dei contemptoris mundi eſſe non debeat, me trahat aut alliget: ſed timor, & charitas, & obedientia Dei & Eccleſiæ ejus. Literas iſtas, aut exemplum earum Becci videri facite. Valete.

EPISTOLA X.

Suo dilectiſſimo Patri, Reverendo Domno Eboracenſi Epiſcopo Giſleberto, frater Anſelmus: quod fidelis ſervus & filius.

Se non honoris aut alicujus rei terrenæ cupiditate ſuſcepiſſe onus Archiepiſcopi.

IN principio meæ epiſtolæ apud reverendam mihi Paternitatem veſtram me excuſare deſidero, quia quòd tardè illi ſcribo, poſtquam ſors gravis mihi Archiepiſcopatûs ſuper me cecidit, non hoc fecit negligentia, vel oblivio; ſed magna valde perturbati cordis mei dubitatio. Sic enim intra me luctabantur timor Dei & timor oneris, quod ſubire cogebar; & dilectio eorum à quibus ſine magna triſtitia ſeparari non poteram; ut cùm ordinationi Dei reſiſtere pertinaciter non auderem, & grave pondus, & ſciſſuram animæ meæ ab illorum animabus, quos ſicut me diligebam, & quibus ſolis vivere volebam, nimis horrerem; quoniam in * neutra parte Deum volebam offendere, omnino dubium mihi eſſet quid magis deberem eligere, aut ad quid potiùs auxilium amicorum expetere. In qua re hoc unum & tutiſſimum, ut mihi viſum eſt, elegi conſilium, ut ſicut ſcriptum eſt: *Jacta cogitatum tuum in Domino*, omnino me committerem divino moderamini, & conſilio. Ita tamen ut facerem quicquid poſſem ſine peccato, ut quod volebant de me facere qui me eligebant, non fieret: & nihil facerem quod ſine peccato dimittere poſſē, ut fieret. Quod quo affectu, quà ſimplicitate facere volui, vel in quam partem cor meum magis pependit, coram Deo ipſe novit, ad cujus regulam intentionem meam in hac re pro meo intellectu & poſſibilitate volui dirigere. Veniam ad hoc quod mox non parum contriſtat, ſi verum eſt. Novit enim Prudentia veſtra, mi Pater chariſſime, quoniam quanto ſinceriùs aliquis diligit & à dilecto diligitur, tantò moleſtiùs illi eſt ſi dilectionis ejus dilectio aliquo modo minuitur. Quòd autem veſtra Celſitudo parvitatem meam dilexerit ſincerè, dubitare non poſſum; quia hoc certiſſimis argumentis beneficiorum, quæ mihi & Eccleſiæ Beccenſi, cui hactenus ſub nomine Abbatis præfui, in dictis & factis & in multa benignitate & dulci pietate impendiſtis, probare poſſum. Quod quoniam nullis obſequiis aut beneficiis me priùs metuiſſe, aut poſtea rettribuiſſe conſidero; valde me reprehenſibilem ego ipſe judico, ſi paternam veſtram Sanctitatē fideliter non diligo. Quantò ergo vos diligo ſinceriùs; tantò ſi veſtra dilectio erga me aliquatenus obnubilatur mihi eſt amariùs. Hoc ideirco dico, reverende * mi Pater & Domine, quoniam audivi quòd paterna veſtra Sanctitas ſuſpicetur me aliquatenus cupiditate Archiepiſcopatûs, ad quem dolens, triſtis & timens, multis lachrymis teſtantibus, trahor illaqueari: unde valde timeo mentis veſtræ benignitatem erga humilitatem meam, quamvis nequaquam hoc merear, decolorari. Deum enim invoco teſtem in cujus conſpectu mentiri non debeo, & quem mendacii teſtem invocare nefas eſſe ſcio, quia ſecundùm, quòd meam coram illo comprehendo conſcientiam, mallem, ſi hoc ſervatâ charitate & obedientiâ quas Deo debeo, & Eccleſiæ Dei propter Deum) poſſem monachicâ paupertate ſerviendo & obediendo Abbati regulariter ſubeſſe, quàm uni; vel multis, vel omnibus hominibus dominando in terrena celſitudine & opulentia terrenarum rerum præeſſe. Certè, mi reverende Pater, coram Deo ſimiliter loquor, non mentem meam trahit aut alligat ad Archiepiſcopatum terrenæ alicujus rei, quàm ſervus Dei contemptor mundi contemnere debeat, cupiditas; ſed timoris Dei cogit, quam adhuc non video quomodo rumpere poſſim ſine peccato, neceſſitas. Quòd autem Domino noſtro Comiti Normannorum Roberto, & Patri noſtro reverendo Archiepiſcopo Guillelmo, & Fratribus noſtris Beccenſibus mandavi, me nullo modo poſſe ampliùs ſine peccato reſiſtere, & quia voluntati Dei nullatenus poſſem obſiſtere; & idcirco cōſilio virorum ſpiritualium & plus timentium Deum quàm homines, ageret idem Archiepiſcopus, & mihi præciperet ſicut monacho, qui non niſi per obedientiam * vivere vult, qui mihi potiùs faciendum eſſet. Et quod ſcripſi prædictis Fratribus rem ad hoc perduci inevitabiliter, ut aut illis & aliis prodeſſem, ſi ordinationi Dei acquieſcerent; aut nec illis, nec aliis prodeſſem, ſed in triſtitia viverem deinceps; ſi pertinaciter agerent: & idcirco illis conſului, ſicut mihi commiſſis ad conſulendum, ut nihil niſi conſilio Spiritualium de conceſſione mei, quæ ab illis exigebatur, facerent. Quidam non intelligentes quid me cogeret, putaverunt cum hæc legerent, me cupiditate Archiepiſcopatûs eſſe devictum. Sed certè non ita fuit, nec eſt: ſed videbam ex ipſa ſola dilatione quia non determinabatur quid futurum eſſet de me, jam præſentia multa & gravia mala corporibus & animabus multorum nocentia naſci, & multò plura & graviora naſcitura, ſi diutiùs differrentur, quæ nunc non eſt opus dicere. Inter quæ mala erat * deſtructio Beccenſis Eccleſiæ; & ut intelligebam, irreparabilis, ſicut erat inevitabilis. Quam ſi viderem, in tanta triſtitia deinceps viverem, ut nec mihi nec ulli utilis eſſē. Sciebam etiam quia propter conceſſionem vel contradictionem eorumdem Fratrum noſtrorum, nec majus nec minus quod inceptum erat, fieret: & idcirco volebam ut illi ſine culpa & ſine omni occaſione imminentis periculi eſſent, quidquid fieret. Quòd verò ſignificavi voluntate fieri, quod fiebat, cui non poſſem obſiſtere: non ita intellexi, quaſi certus eſſem quia Deo placeret; ſed quia ſive miſericordi, ſive iratâ, voluntate tamen Dei (cui reſiſti non poteſt) fieret. Solemus enim dicere, etiam cùm certi ſumus quia iratus aliquid facit Deus, nullum poſſe voluntati ejus reſiſtere. Denique quicquid aliquis intelligat in litteris meis de Archiepiſcopatu; ego certus ſum quia in ſimplicitate cordis mei, in quantùm eam coram Deo ſervare potui, locutus ſum. Precor igitur dilectam mihi Paternitatem veſtram, ut potiùs ſentiam in dolore & timore meo miſerationis veſtræ conſolationem: quàm *ad augmentum meæ triſtitiæ veſtram indignationem. Quod non ſolùm à veſtra pietate, ſed & ab omnibus, qui me propter Deum hactenus dilexerunt, deſidero impetrare, ne aliquid *pravum de me injuſtè ſuſpicantes eandem dilectionem malint abjicere quàm ſervare. Sed quidquid illi faciant; oso Deum, & ſpero in Deo quia ego ſemper eos diligam. Veſtram autem rogo Paternitatem, ſicut de ejus conſilio dilectione, ut quotiens opus fuerit, apud alios fiducialiter me defendatis à prædictæ cupiditatis ſuſpicione. Eccleſiam Beccēſem, quam pluſquam vitam corporis mei dilexi, & diligo; & quam triſtis, triſtem de mei amiſſione, quantum ad corporalem præſentiam, non dubito, veſtræ pietatis conſilio & auxilio, veluti animam meam toto cordis affectu, lachrymis fluentibus, commendo. Quatenus illam non ſolùm per vos, ſed & per quoſcunque poteſtis, illos ad ejuſdem Eccleſiæ miſeratio-

nem

al. mentis

Pſ. 54.

al. vivere

al. diligebat

al. amici

al. parvum

al. prosatione nem piâ vestrâ * miseratione convertendo, sustenteris. Omnipotens Deus diu vestram Paternitatem in hac vita sub suæ gratiæ continuâ protectione custodiat, & ad vitam æternam perducat. Sigillum hæc epistola non habet, quia Abbas jam non sum, & Archiepiscopus nondum sum: nec me delectat pingi quod non sum.

EPISTOLA XI.

Dulcissimo & dilectissimo suo dilectori, Episcopo Belvacensi Fulconi, Frater Anselmus: æternâ Dei protectione & consolatione gaudere.

Ejusdem est argumenti ac præcedens.

SCcio, mi dulcis amice, quantùm Dilectio vestra de illius (quem super omnes homines diligit) insperatâ corporali amissione contristaretur; nisi se sapienter divinæ dispositionis consideratione consolaretur. Sicut enim in cordibus diligentium sese invicem spes & opportunitas confruendi se nutrit quandam delectabilem dulcedinem: ita ejusdem rei desperatio ingerit molestam amaritudinem. De qua re vestra prudentia meam potest cognoscere conscientiam. Sic enim cognosco veritatem dilectionis erga me sinceritatem, ut certus sim vos non ignorare meæ dilectionis erga vos & erga illos, quibus illam ostendebam, & maximè erga Monachos * Beccenses, veritatem. Nam nullus hic cognoscit animi veri conscientiam, sicut ille qui veram gerit amicitiam. Considerate ergo quæ possit esse in corde meo integra lætitia, quem tot amicorum me desiderantium & a me desideratorum constristat irreparabiliter perdita in hac vita præsentia. Unusquisque eorũ de mei solius amissione corporali dolet, & anima mea de omnibus: quia ab eorum præsentiâ invita tam inopinatè scinditur, dolet. Nam etsi major multitudo similem exhibentium dilectionem in Anglia me videatur lætificare; nullatenus tamen tam longo tempore radicatam & nutritam priorem dilectionem de corde meo valet eradicare. Vera enim charitas non diligit minùs priores amicos interiùs, etiamsi exteriùs pariter nequeat operari, cùm ad plures extenditur; sicut nec a prioribus, si veri amici sunt, minùs non timet diligi, cùm a pluribus diligitur. Et quidem si qua mihi consolatio est multitudinis amicorum præsentium, ad angorem quem gero de priorum absentia: illud utique efficere nequit, ut non contrister de illorum, qui quantò me magis diligunt, tantò magis constristantur de absentia dilecti & dilectoris sui tristitia. Delectat me, cùm dulci amico meo scribo de charitatis sinceritate, & de ejus efficacia diu tractare: sed quoniam epistolaris brevitas hoc non patitur, cùm & aliud velim dicere, necesse est me jam materiam mutare. Quidam, ut audivi, suspicantur me Archiepiscopatûs concupiscentiâ, ad quem dolens & timens trahor, detineri. Quod sive suo errore, sive alieni persuasione faciant, pareat illis Deus, qui videt quia falluntur & peccant. Non me excuso apud vestram Fraternitatem mihi dilectissimam, quæ ex quo me cognovit familiarissimâ & longâ conversatione, meam indubitanter didicit & credidit de sæcularis honoris ambitione conscientiam. Quam tantò veriùs cognovistis, quantò securiùs vos & totam vitam vestram sensui meo judicioque meo commisistis. Sed apud eos me excuso, quicunque hanc lecturi sunt epistolam, ut sciât quid mihi dicat conscientia mea coram Deo; & aliis ignorantibus, cùm opus erit, respondeant pro me; si non propter me, vel propter Deum. Multùm enim nocet infirmis in Ecclesia Dei opinio alicujus vitii, sive vera, sive falsa sit, de aliquo homine; & maximè de eo qui hic est in Ecclesia Catholica constitutus, ut & verbo & exemplo vitæ aliis debeat & possit prodesse. Sciant ergo omnes, sicut mea conscientia mihi dicit coram Deo, quem invocare testem * mendacii nefas al. Monachis esse scio: quia non me rapit aut alligat ad Archiepiscopatum Anglorum cupiditas alicujus rei, quam servus Dei contemptor mundi contemnere debeat; sed timor Dei me cogit pati, ut quamvis dolens & timens ab Ecclesia Dei trahar: & quia si mihi * liceret servatâ obedientiâ & charitate, quas Deo debeo & Ecclesiæ ejus Matri meæ propter eum; potiùs & libentiùs eligerem sub Abbate & sub regulari disciplina in monachica paupertate & humilitate esse, & obedire, & servire; quam regnare in hoc mundo sæculariter, aut dominari, aut Archiepiscopatum sive Episcopatum possidere, vel Abbatiam, aut hominibus * quibuslibet præesse ad animarum gubernationem, al. quibusvis sive ad corporum sustentationem, in magna terrarum & rerum terrenarum possessione & opulentia. Quod ego ipse non imputo mihi tantùm ad virtutem; quantùm ad hoc quia talem me scio tam parum utilem, parum fortem, parum strenuum, parum prudentem, parum julium: ut potiùs mihi congruat & expediat * eligere subesse Prælato, quam aliis præesse; obedire, quàm præcipere; servire, quam dominari; ministrare, quam ministrari. Cogor hæc de me confiteri; sed malo hæc in simplicitate mea, ut puto, sine omni duplicitate de me dicere, quàm pati ut alii homines peccent in me, aut ut malum exemplum sumant per ignorantiam suam & errorem suum de me. Qui mihi hæc de me * confitenti credit, certus sit quia hoc credendo non fallitur, si mea me conscientia coram Deo non fallit: & qui non credit, verum est quia ipse falsò & temerariè de me judicando se fallit. Omnipotens Dominus faciat vos in hac vita & in futura indeficienti sua protectione & consolatione gaudere. Amen.

al. hic emendes

al. amet.

EPISTOLA XII.

Domino & Patri reverendo, Episcopo Parisiensi Goffrido, Frater Anselmus Dei disponentis omnia dispositione electus Archiepiscopus Cantuariæ: præsentis vitæ Deo placitam sanctitatem, & futuræ æternam fœlicitatem.

Ut Cantorem Ecclesiæ Parisiensis qui in Monasterio sancti Martini de Campis habitum Monachi susceperunt, inde vi ab eo factus abstractus, liberum dimitteret; nec religaret in mundo qui Christum elegerat.

QUamvis divina dispositio valde longè à Reverentia vestra meam separet parvitatem, nulla tamen longinquitas debet minuere meam, quam vestra multis modis, meruit benignitas fidelitatem. Quapropter si quid de vestra Celsitudine audio, unde mihi sit congaudendum; semper volo congaudere; & si quid cognosco quod vestram dignitatem * mutare al. imminuere deceat, familiari fiduciâ eam charitativè & humiliter debeo commonere. Didici quòd Dominus Waleramnus charissimus amicus noster Cantor Ecclesiæ vestræ, Deo inspirante, habitum sanctæ conversationis studiosè & intentissimè petens in Monasterium sancti Martini de Campis, eo gaudio quo debuit, sit susceptus; & inde violenter a vobis, & quemadmodum non necesse fuerat, abstractus. De qua re, quamvis vestra prudentia meo consilio non egeat; cogunt ta-

Digitized by Google

men fidelitas & dilectio, (quas vobis & illi debeo,) mentem meam, ut veſtræ Reverentiæ aliquid ſuggerat. Non loquor ſapientiori me, quaſi docendo; ſed velut ea quæ melius me * ſcit breviter commemorando. Mi Pater, ſi omnia facienda ſunt cum conſilio; cujus magis conſilio, quam ejus qui admirabilis conſiliarius Deus fortis dicitur? Ipſe quippe conſulit ad perfectionem nitentibus * ut omnia relinquant, & ſe ſequantur. Ipſe omnia relinquentibus & * ſequentibus ſe promittit quia ſedebunt cum illo in judicio judicantes duodecim tribus Iſrael. Ipſe eſt qui invitat laborantes & oneratos amore & curis ſæcularibus, ut ad ſe veniant & requieſcant. Hoc conſilium magis in monachico, quam alio vitæ propoſito * impleri ſancti Patres intellexerunt. Beatus namque Gregorius in 1. b. 14. Regiſtri, ſcitis quid mandet Deſiderio Epiſcopo de quodam, qui divina inſpiratione compunctus gratiam monachicæ * converſationis appetierat? quo modo ſcilicet hortetur eundem Epiſcopum ut propoſitum ejus nullo modo impediat; ſed magis eum, quantùm valet, paſtorali admonitione ſuccendat, ne fervor conceptus in eo tepeſcat, nec ullatenus debere eum, qui monaſterii portum petiit, rurſus Eccleſiaſticarum curarum perturbationibus implicari. In Toletano Concilio IV. legiſtis Clericos monachorum propoſitum apperentes, quia meliorem vitam ſequi cupiunt, liberos eſſe debere ab Epiſcopis ad monaſteriorum ingreſſus. Pauca dixi de multis. Si ergo dicere contra Dominum, & contra tot ſanctos * Patres dicta Domini veraciter intelligentes, eſt peccatum: facere contra manibus, non dicam quomodo * ſcio, ſed quo modo vos ſcitis, qui eſt? Si qui ſeparat pretioſum à vili, id eſt, animam a ſæculo, tanquam os Dei (ſicut ſcriptum eſt) erit: ille cujus os & manus retrahunt animam adhærentem * conſilio Domini, ad ſæculum, quid erit? Abſit, mi Domine: nolit Deus ut ſuper Epiſcopum cadat quod Deus dicit: *qui non colligit mecum, diſpergit: & qui non eſt mecum, contra me eſt.* Horrendum enim eſt etiam auditu, ut * quos Chriſtus elegit de mundo, Epiſcopus religet in mundo: * Ut quos Chriſtus trahit ad portum de procellis & tempeſtatibus mundi; hos Epiſcopus retrahat a * portu in * naufragio turbines mundi. Et quos Chriſtus abſcondit in ovili à multitudine inſidiantium luporum; hos Epiſcopus rapiat * de ovili, & exponat multitudini luporum. Mi Reverende Pater, ne ſit moleſtum prudentiæ veſtræ, quia ſic loquor. Non enim hoc dico, quia velim oſtendere quod hujuſmodi ſitis; ſed quia deſidero ut hujuſmodi non ſitis. Conſideret & retractet prudentia veſtra quod fecit de prædicto ſuo Canonico: & ſi quid fecit quod mutandum intelligat; non eam pudeat facere quod magis deceat. Non enim adeo mirandum, ſi ſubito motu de tam ſtrenui Clerici amiſſione aliquid non præmeditatè feciſtis: ſed hoc valde eſt laudandum, ſi mutatis quod mutandum intelligitis. Saluto Dominos & amicos noſtros Canonicos veſtros, quos etiamſi ſingulos non cognovi; omnes tamen * diligo, & omnibus ſervire volui. Quos omnes vobiſcum ſupplex precor, ut conſecrationem meam, quæ in Dominica (qua cantatur *Populus Sion*) ordinata eſt, Deo annuente, fieri; ſuis orationibus, non meis meritis, ſed ſua charitate præveniant. Omnipotens Dominus ſic vos uſque in finem * hujus vitæ dirigat & cuſtodiat, ut poſt hanc vitam æternam beatitudinem vobis retribuat. Sigillum hæc epiſtola non habet, quia & Abbas jam non ſum, & Archiepiſcopus nondum ſum: nec me delectat pingi quod non ſum.

al. & ſequentibus

al. amic.

al. poſt Deum

Luc. 11. v. 23.

al. naufragos

al. amic.

al. diligens & ſervire

al. vitæ

EPISTOLA XIII.

Domino, & amico chariſſimo Waleranno, olim Cantori Pariſientis Eccleſiæ, Frater Anſelmus Archiepiſcopus Cantuariæ, ſemper ad meliora proficere, & nunquam deficere.

Ut arreptum vitæ monaſticæ propoſitum ſtrenuè perſequatur.

AUdivi, amice chariſſime, quia propoſitum ſanctæ converſationis eligens Monaſterium ſancti Martini ſub clariſſimo amico meo Domno Priore Urſone ingreſſus fueras; & valde de tanto bono amici mei lætatus ſum. Sed poſtea didici quia Dominus noſter Epiſcopus tuus te inde vi retraxerit; & triſtis factus ſum. Et quoniam honeſtatem tuam, de cujus dilectione certus ſum ſine figmento dilexi & diligo: reprehendit * mea conſcientia, ſi te viſitare meis litteris, & propoſſibilitate mea, in tanto periculo tibi conſulere charitativè non ſtudeo. Timeo enim ne diaboli calliditas animam tuam dilectam mihi decipiat: ne tibi, quoniam vi abſtraheris & nolens à ſancto propoſito, poſſe in Clericatu licitè & ſine culpa ut olim, permanere perſuadeat. Certus eſto, chariſſime, quia nullo modo hoc poteſt anima tua ſine ſui reprobatione ſuſcipere: quamvis hoc Epiſcopi ſui auctoritate velit defendere. Chriſtus enim dicit: *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & retrò reſpiciens aptus eſt regno cœlorum.* Mens tua ab aratro Chriſti retrò reſpicit; ſi a propoſito, ad quod te vocavit Chriſtus, & quod inceperiſti, aliqua occaſione tepeſcendo deficit. Sicut enim Epiſcopi ſervant ſibi auctoritatem, quamdiu concordant Chriſto: ita ipſi ſibi eam adimunt, cùm diſcordant à Chriſto. Omnis Epiſcopus qui habet vocem Chriſti, Chriſtus eſt: & oves illum ſequuntur, quia ſciunt vocem ejus. Lege in Evangelio poſt hæc verba: *Alienum non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo: quia non noverunt vocem alienorum.* Si perſecutio corporis fugienda eſt de civitate in civitatem; quantò magis perſecutio animæ? An non eſt animæ fugienda perſecutio, animam prohibere ſequi Chriſti conſilium? Amice chariſſime, ſi multa non legiſſes & rationabilis ingenii non eſſes: multa tibi dicerem, ut quàm bonum ſit quod inceperiſti, & quàm malum ſi ab incepto deficis, oſtenderem. Breviter dico, nihil ſalubrius potuiſti incipere, nihil periculoſiùs potes relinquere. Nihil igitur ſeparet animam tuam à propoſito monachico, quod inceperiſti. Lege in Concilio Toletano Quarto de Clericis petentibus vitam monachicam; & in 14. libro Regiſtri epiſtolam ad Deſiderium Epiſcopum, de Clerico facto monacho. Omnipotens Dominus dirigat & corroboret, & conſoletur cor tuum. Amen.

Luc. 9. v. 62.

Jo. 10. v. 5.

d by Google

EPISTOLA XIV.

Domino, & amico charissimo Fudoni, Frater Anselmus: salutem & fideles orationes.

Ut Ecclesiæ Beccensi præficiatur Dominus Guillelmus jam se respondisse significat. Et Ecclesiam Beccensem ejus charitati commendat.

Diu est quòd litteris vestris de eligendo Abbate in Beccensi Ecclesia respondi; sed sicut audio, lator mearum litterarum in mari captus, ad vos venire prohibitus est. Quod tardè sciens iterum mando Domino nostro Comiti, & vobis de ea re prædicta nostrum, secundùm jussionem ejus, consilium. De nullo Fratrum ejusdem Ecclesiæ volo aut consulo tantùm ut Abbas fiat in illa, quantùm de Domno Willelmo, qui Prior fuit apud Pexeium, * quamvis plures alii sint inter eos, Dei gratiâ, hac prælatione non indigni. Vobis autem gratias ago, quantas possum, ut verissimo amico, pro eleemosyna vestra, & propriâ curâ quam habetis de Ecclesia Becci, quam vobis commendo sicut animam meam; quia plus eam diligo, quam præsentem vitam meam. Nulli enim confidentiùs commendo rem tam charam cordi meo, quàm verè dilecto dilectori meo. Precor, obsecro, ut non solùm per vos eam vestro consilio & auxilio adjuvetis; sed & alios ad ejus miserationem & sustentationem & dilectionem, quantùm potestis, convertendo, eam sustentetis. Et si contigerit ut aliquando aliter aliquo modo sese habeat, quod Deus avertat, quàm oportet, confidenter eam, ut verus amicus, corripite & arguite, & donec corrigatur, charitativè insistite. Dilectionem meam & fidelitatem, quas erga vos habui, ex quo vos cognovi, & quæ tantò magis in corde meo creverunt, quantò magis vestram erga me dilectionem veriorem probavi; scitote, Deo annuente, quamdiu vivam, perseveraturas. Omnipotens Dominus vos sub sua continua protectione sic in hac vita custodiat; ut ad vitam æternam perducat. Amen.

EPISTOLA XV.

Dilectissimis suis Domno Priori Baldrico, & aliis Monachis Becci, Frater Anselmus; semper velle, & facere quæ Deo placent, & quæ sibi expediunt.

De suavissimis litteris Roberti Normannorum Ducis ad se missis. Et quod ejus consecratio futura esset pridie nonas Decembris.

Gratia Dei faciente, Dominus noster Princeps Normannorum misit mihi litteras plenas magna benignitate & excusatione sui, si quid aut credidit aut dixit de me aliter quam decuit, amore meo, & dolore de amissione mea, cogente ob meam ad Archiepiscopatum electionem. In quibus litteris de Abbate vobis constituendo petivit benignè meum consilium; quod non solùm in hac re, sed & in aliis rebus se libenter acceptarum promisit. Consilium autem * meum de hac re illi mando, & vobis remando, quod mandavi per Dominum Girardum Fratrem nostrum. Rex Anglorum vobis mandat salutem, & auxilium suum, & custodiam rerum vestrarum quæ sunt in sua potestate, quamdiu meo consilio agetis & vivetis: Si autem illud spreveritis, in illo proficuũ non habebitis. A Cùm ex vestra parte aliqua mihi mittitur epistola, secretè & mihi soli legenda; non * nimis sit gracilis scriptura. Postquam enim illud, quod de me inceptum esse mecum doletis, contigit; multæ diurnæ & nocturnæ lachrymæ visui meo nimis nocuerunt. Non enim celsitudo aut opulentia Archiepiscopatûs eas tantùm valuerunt sua * consolatione reprimere; quantùm timor & tædium ejus eas potuerunt sua perturbatione exprimere. Amici mei compatimini mihi, quia ego compatior vobis. Orate pro me, quia ego, si possum, oro pro vobis. Consecratio mea ordinata est fieri prima die Dominica post festivitatem sanctæ Andreæ, pridie videlicet Nonas Decembris. Prævenite eam vestris orationibus: & mandate hoc monachis & sanctimonialibus per Normanniam inclusis, & claustralibus, & B amicis nostris in Francia. Valete.

EPISTOLA XVI.

Anselmus servus servorum Dei, vocatus Archiepiscopus, dilectissimis in Christo filiis Willelmo Abbati, & cæteris Beccensis Ecclesiæ Monachis, salutem.

Ipsi Abbati à Beccensibus in suum locum subrogato gratulatur, præcipiens ut Monachis sit Pater, & ut Monachi ipsi obediant ut filii.

Gloria in excelsis Deo; & in Ecclesia Beccensi C pax Fratribus bonæ voluntatis. Grates immensæ clementiæ Dei, quæ sicut vobis pastorali solatio destitutis visitationis suæ gratiam voluit impartire, ita eandem longâ rerum expectatione noluit protelare. Iterum ago grates clementiæ illius, quòd licet non omnino sicut vellem, aliquo tamen modo amici mei desiderio dignata est occurrere; dum, me superstite, alium in præfata Ecclesia Abbatem, secundùm juge desiderium meum, constituerit. Sed cùm illud indesinenter ejus intentionis speculatione desiderarem; ut & vobis ante mortem meam consultis, finem vitæ cum gaudio expectare, & ab omni mundanarum spe- D cie rerum segregatus quietam inter vos vitam possem agere; noluit in hac parte superna providentia desiderium meum adimplere; sed ad magnum, ut valde pertimesco, animæ meæ detrimentum majoribus, quam ante, rerum tumultibus voluit implicare. Proinde quantùm in uno, quòd à Deo exaudítus sum, gaudeo; tantùm in alio, quòd exaudire me noluit, doleo. Paternam tamen nunc, sicut semper, solicitudinem pro vobis gerens, moneo vos sicut filios meos charissimos, & sicut eos quos in visceribus Christi tenerrimo semper affectu dilexi, & diligere volo; ut secundùm B. Apostoli vocem idipsum invicem sentiatis, propositum animi ad meliora quotidie dirigatis; & ei quem divina pietas vobis præelle voluit, humilem in omnibus obedientiam exhibeatis, memores illius præcepti, quo nos idem Apostolus admonet, di- E cens: *Obedite præpositis vestris, & subjicite vos eis.* Heb 13.v.17. Tibi autem, charissime Frater Willelme, & omni sanctæ religionis observantia animo meo probate, quem Dei gratia tam sancto Monachorũ gregi rectorem post me fieri constituit, hanc facio suggestionem; ut ita de animabus Fratrum sub tuo regimine consistentium solicitus existas, quatenus callidi hostis insidiæ nullâ eis arte, protegente Deo, nocere valeant; sed solicitudinis tuæ custodia vallata boni pastoris tutamina se invenisse gaudeant. Sicque te in omnibus quæ agis, moderatum exhibere festines; ut neque justitiam gratia, neque gratiam justitiâ quâlibet unquam privatâ subreptione excludat. Sed ita alterò semper alterum conjungas, ut in utroque monasterii ordo

inviolata rectitudine ſervati valeat. Nunquam ab animo tuo excidat, quod Dominus negligenti paſtori per Salomonem dicit: *Fili mi, ſi ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam: illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis ſermonibus tuis.* Plura me loqui delectaret, ſi aut epiſtolaris brevitas permitteret, aut tua Sanctitas meliùs facere, quàm ego dicere, neſciret. Omnes tamen vos hac poſtremâ ſupplicatione convenio, ut expertum ſemper dulcedinis veſtræ amorem erga me tepeſcere non ſinatis, quoniam ego, etſi corporali præſentia vobiſcum eſſe nequeo, cordis tamen amore vobiſcum manere nunquam deſiſto. Memores etiam eſtote, qua ratione ſemper Eccleſiæ Beccenſi amicos acquirere conſuevi: & hoc exemplo amicos vobis undecunque acquirere feſtinate, hoſpitalitatis bonum ſectando, benignitatem omnibus impendendo; & ubi facultas operis defuerit, affabilis ſermonis gratiam porrigendo. Nec unquam ſatis vos habere amicos credatis, ſed ſive divites, ſive pauperes, omnes vobis in amore fraternitatis conglutinate: quatenus hoc & ad veſtræ Eccleſiæ utilitatem proficere, & ad eorum quos diligitis ſalutem valeat pertingere. De benedictione tua, Frater Willelme, Comiti, & Archiepiſcopo mandavi; atque ut omnia decenter fierent, rogavi. Litteris tuis, quas per Domnum Giſlebertum, & Domnum Joffridum miſiſti, ideo non reſpondi; quia & iſtæ litteræ antea ſcriptæ fuerunt, & portitor earum multùm feſtinavit.

Prov. 6. v. 1.

EPISTOLA XVII.

Anſelmus vocatus Archiepiſcopus, dulciſſimis, & dilectionis filiis ſuis juvenibus, & adoleſcentibus Beccenſibus, qui ei ſuas in Angliam miſerunt epiſtolas: Dei, & ſuam, quantùm valet, ſi quid valet, benedictionem.

Horum litteris reſpondens eos conſolatur de ſua abſentia: eoſque abſolvit à peccatis, ut petierant.

LEgi in litteris veſtris dilectiſſimum & dulciſſimum affectum veſtrum erga dilectum dilectorem veſtrum: quas ſæpe legi & ſæpe interiora cordis mei, veſtræ dilectionis conſideratione, piè commoverunt, & faciem meam lachrymis * fluentibus perfuderunt. Ad quod cùm unius veſtrûm ſolâ ſufficeret dilectio; tantò pleniùs tamen & vehementiùs hoc fecerunt, quantò in veſtris dictis ſimilem animum & affectum aliorum cogitabam, qui litteras non miſerunt. Sic enim Dilectio veſtra conglutinata eſt animæ meæ, ut eam intentè cogitare nequeat ſine quadam magna ſui vulneratione, de dilectorum filiorum ſuorum violenta ablatione & ſeparatione. Quod autem * ſignificaſtis vos mecum deſiderare ſemper eſſe, certè & ego deſidero. Sed quoniam aliter diſponit Deus quàm deſideremus; nec video opportunum eſſe animabus veſtris, quas ſicut meam, teſte veſtrâ conſcientiâ, diligo, ut mecum poſſitis converſari: precor, moneo, conſulo, quatenus mecum ſupernam diſpoſitionem patienter toleretis, & veſtram triſtitiam tolerando mitigantes, meam quoque mitigetis; veſtra namque triſtitia, mea eſt; & veſtra conſolatio, mea eſt. Quod non ſolùm vobis dico, * filii dulciſſimi, ſed & omnibus qui eandē moleſtiam vobiſcum ferūt pro abſentia dilectoris ſui dilectiſſimi. Scio quia ſi ſperaretis vos adhuc in hac vita aliquāto tempore mecum converſaturos, magnæ conſolationis vobis eſſet. Quantò ergo majorem conſolationem habere debemus, ſi in futura vita nos in æternum ſimul victuros & congratulaturos ſperamus? Conſolamini igitur, filii mei, conſolamini, & vos ſubjicite voluntati Dei, qui melius ſcit quid vobis expediat, quàm vos ipſi: Quatenus aliquid major vobis retribuat Deus pro hac patientia, quàm vobis provenire poſſet ex mea præſentia. Certi eſtote quia nulla locorum diſtantia, nulla temporum diuturnitas dulcedinem amoris veſtri, ſicut ſpero in Deo, a corde meo poterit ſeparare. Et illis qui meam in litteris ſuis ſe ſignificaverunt velle abſolutionem, & illis qui quamvis eam per litteras non petierunt, tamen eam volunt, mando meam coram Deo abſolutionem & benedictionem; & oro ut Deus omnipotens illos ab omnibus peccatis abſolvat, & in vitam æternam benedicat. Amen.

al. fratres

EPISTOLA XVIII.

Anſelmus ſervus ſervorum Dei, vocatus Archiepiſcopus, Reverendæ & diligendæ vitæ merito Comitiſſæ Idæ: ſic in hac vita Deo ſervire, ut in futura mereatur cum Deo regnare.

Hortatur Comitiſſam ad ſanctimoniæ perſeverantiam.

SCio, & certus ſum (Domina mihi in Deo chariſſima, Soror dilectiſſima, Filia dulciſſima) quia ſancta tua dilectio, qua me ſemper in corde tuo præſentem, quaſi Patrem ſpiritualem, reverenter & delectabiliter amplecteris, inceſſanter deſiderat ea quæ de me & erga me ſunt cognoſcere; & ex mea parte aliquid audire aut legere, quatenus mihi ſecundùm veræ charitatis regulam congaudeat aut compatiatur. Cui * tuæ dilectioni cor meum utique ſimul reſpondet affectu. Quoniam ergo & per epiſtolam congruum non * eſt narrare nunc quæ de me facta ſunt hoc anno, ſive qualiter cor meum illa ſuſtineat: & Domnus Rainerius dilectus amicus noſter, Clericus veſter multa per ſe vidit, & plura, me narrante, didicit; illum precatus ſum ut ea quæ de me interiùs & exteriùs cognovit, ſicut qui ad hoc ipſum ſe à veſtra Reverentia miſſum fatetur, viva voce vivis vocibus notificet. Et quoniam jam olim certiſſimè expertus ſum, Filia in Deo mihi dilectiſſima, monita mea cor tuum delectabiliter ſuſcipere, atque animam tuam curæ meæ penitus te commiſiſſe memini; aliquid neceſſe eſt, quod ad exhortationem tuam pertineat, ſubjungere. Amica chariſſima in Deo, Dominus dicit: *Multi ſunt vocati; pauci verò electi.* Numquam ergo ſecura ſis te inter electos computari debere; donec ita vivas, ut pauci ſint quibus vita tua debeat comparari: & cùm te in numero paucorum eſſe cognoveris, adhuc time: quia adhuc dubium erit ſi inter paucos electos fueris; donec te de illis paucis videas, de quorum electione nulla manet dubietas. Qui enim dixit, *pauci ſunt electi*, non utique dixit, quàm pauci: ut quantumcunque nobis videamur profeciſſe, ſemper judicemus nos nondum niſi ad initium proficiendi perveniſſe. Hortor igitur & conſulo Filiæ meæ, quæ ſe meo commiſit conſilio, ut bene vivendi ſtudium, quod olim incepit, nullatenus langueſcat; ſed, quaſi quotidie incipiat, per ſingulos dies ferveſcat. Omnipotens Deus ab omnibus peccatis te clementer abſolvat, & benedicat in æternum; & quantùm mihi divina gratia concedit, meam ſemper habeas abſolutionem & benedictionem. Amen.

Matt. 20. v. 16.

EPISTOLA XIX.

Anſelmus ſervus ſervorum Chriſti, vocatus Archiepiſcopus, dilecto, & Reverendo Epiſcopo * Wigornienſi Wlſtano: ſic in arrepto Sanctitatis propoſito perſeverare, ut mereatur in æterna beatitudine ſine fine regnare.

al. Garnienſi

Petit conſilium contra Londonienſem Epiſcopum, qui intra ſuam diœceſim dedicare volebat Eccleſias villarum Archiepiſcopi Cantuarienſis.

SAnctitas & ſapientia veſtra, quæ in diuturna ætate per Dei gratiam in vobis multùm creverunt; & certitudo dilectionis veſtræ, quam erga me indubitanter cognovi, hortantur me ut in negotiis noſtris (cùm res exigit) ad veſtræ Reverentiæ recurram conſilium. Quapropter de quadam calumnia, quam quidam Coepiſcopus noſter, Londinentis, ſcilicet, contra antiquam conſuetudinem quam Eccleſia noſtra liberè & quietè poſſedit in præteritis & antiquis temporibus uſque ad præſens tempus, ingerit mihi, veſtrum quæro conſilium. Quippe, teſtante omni genere hominum qui ſunt in Cantuarienſi diœceſi, & in aliis Epiſcopatibus, qui ſunt circa eandem diœceſim; ſemper Archiepiſcopus Cantuariæ hanc habuit poteſtatem & conſuetudinem, ut intra cujuſcunque Epiſcopi diœceſim haberet Eccleſia Cantuariæ villam aut Eccleſiam quæ ejusdem Archiepiſcopi proprii juris eſſent quidquid de eadem villa vel Eccleſia pertineret ad Epiſcopale officium, ſive dedicatio, ſive aliquid aliud. Adhuc vivunt innumerabiles homines qui viderunt anteceſſorem meum, venerabilis memoriæ Lanfrancum Archiepiſcopum dedicare Eccleſias villarum ſuarum intra diœceſes aliorum Epiſcoporum, ipſis ſcientibus ſine calumnia. Quod etiam ſanctus Dunſtanus, & alii præceſſores mei feciſſe probantur: ipſis Eccleſiis, quas dedicaverunt adhuc ſtantibus. Hanc dignitatem & poteſtatem tamdiu inconcuſsè ab Eccleſia Cantuarienſi poſſeſſam conatur hoc noſtro tempore prædictus Epiſcopus, ſuffraganeus ſcilicet, Archiepiſcopo & Primati ſuo, filius * matri ſuæ auferre, & annihilare. Quamobrem in hac re veſtrum peto conſilium & auxilium; quatenus ut fidelis filius, Matri veſtræ contra filium, non dicam infidelem, ſed volentem eam exhæredare, ſubveniatis: & ſi quid ſcitis quod ad * defenſionem noſtram valeat, litteris veſtris nobis ſtudioſè intimetis. Valete.

al. matris

EPISTOLA XX.

Anſelmus Dei diſpoſitione vocatus Archiepiſcopus Cantuarienſis, Reverendo Epiſcopo Exonienſi, Oſberno: ſalutem.

Ut Exonienſes Clerici non ſint Monachis graves, eoſque ſinat Epiſcopum Divinæ campanarum ſono diſtinguere.

EPiſcopalem decet dignitatem quoſcunque poteſt, ad ſervitium Dei invitare; & volentes Deo ſervire, quibus valet, conſulendo & adjuvando confortare. Hac igitur fiducia Reverentiam veſtram obſecro, ut monachos de monaſterio, quod vulgò dicitur de Batailla, in veſtra civitate morantes, propter Deum, & propter noſtrum, ſi quid ad hoc valere poteſt, amoreni paterna & Epiſcopali pietate adjuvetis, & ab omnibus adverſariis, pro poſſibilitate veſtra (ſicut vos decet) defendatis: quatenus ſi quid boni Deus per illos operari dignabitur, cum illis a Deo retributionem recipiatis. Audivi enim quòd quidam de Clericis veſtris fecerunt illis quædam, quæ fieri non oportuit. Unde precor ut prædictis monachicis eam jubeatis fieri ſatisfactionem; ut deinceps juſtè conqueri non poſſint de Clericorum veſtrorum indiſcretione. Eoſdem quoque Clericos fraternâ charitate & paternâ fiduciâ precando moneo, quatenus ſic ſe habeant erga eoſdem Fratres, ut ipsâ charitatis exhibitione & benignâ familiaritate probent ſibi placere profectum illorum & ſtudium ad ſerviendum Deo. Quòd autem prohibetis eos pulſare ſigna ſua ſecundùm Ordinem ſuum, nuſquam rectè ſolet fieri, niſi ubi monachi in * matre Eccleſia civitatis deſerviunt. Ubi enim Canonici in majori Eccleſia ad ſerviendum Deo ſunt conſtituti, unuſquiſque ordo Canonicorum, ſcilicet, & Monachorum ſecundùm opportunitatem ſervitii ſibi injuncti tardant vel feſtinant ſigna pulſare, abſque omni recta prohibitione. Quapropter ratione ipſa commoniti, eos ſigna ſua ſecūdùm ordinem ſuum pulſare deinceps prohibere ne velitis. Hoc quoque petunt ipſi Fratres, & ego cum illis & pro illis, ut ſi quando in aliquo conventu populi auxilium poſtulare volunt ad Eccleſiæ ſuæ conſtructionem, nullatenus prohibeantur. Valete.

al. majori

EPISTOLA XXI.

Dominis, & Fratribus charisſimis, Domno Abbati Willelmo, & ſervis Dei Becci commanentibus, Frater Anſelmus, vocatus Archiepiſcopus: deduci in via Dei, & ingredi in veritate ejus.

Qui valeat, ex ore nunciorum accipiendùm eſſe.

SCio, dilectiſſimi mei, quia ſemper quæ erga me ſunt, deſideratis cognoſcere: nec puto eſſe in hac vita, qui mihi fideliùs compatiantur aut congaudeant. Sed quoniam per Domnum W.llelmum * Fratrem noſtrum, & per Anſfridum] ſervientem noſtrum pleniùs poteſtis diſcere quid mihi ſit, quàm per brevem epiſtolam; & puto quia jam magna ex parte audiſtis per Domnum Farmannum, & alios qui nuper à me ad vos venerunt: exiſtimo non opus eſſe in præſenti epiſtolam longiùs de hac re perducere. Ut autem pro me dilecto dilectore veſtro, in majori quam unquam habui neceſſitate, ut puto, oretis; ſpero quia precibus non indigetis. Ad quod mihi ſufficere videtur, ut ſciatis quia nimis indigeo. Dulciſſimos Filios, ante tempus ablactatos (meos adoleſcentes dico) * qui propter ætatis teneritudinem & naturalem mobilitatem, ſæpe ſui memoriâ affectuosè movent cor meum; illos ſpecialiter moneo, precor, & obſecro ut in tota vita ſua mei, & dilectionis * quam erga ſe in me experti ſunt, memores, nullâ unquam perverſitate * conſtriſtent cor meum; & ſciant pro certo quia ſi ſecundùm deſiderium meum, & ſecundùm admonitiones quas à me perceperunt, vixerint, in qualibet tribulatione multùm conſolabuntur animam meam; & ſi aliter fecerint, nimis peccabunt, contriſtando eam. Spero enim, adjuvante Deo, quia non me latebit vita eorum; quoniam ſemper ſollicitus ero inquirere converſationem illorum. Omnipotens Deus ſic vos deducat, ut ad conſpectum gloriæ ſuæ perducat.

al. Willelmum & per Anſfridum

al. qui

al. quem

al. contriſtetur

EPISTOLA XXII.

Anſelmus Archiepiſcopus vocatus, dilectiſſimo Fratri, & Filio Boſoni: Dei & ſuam benedictionem.

Non eſſe pigritia vertendum quòd ad ipſum litteras non dederit.

MIrari poteſt homo forſitan, cujus conſcientiam ſic novi, ut nullum hominem ſupra me diligat; & quem tantùm diligo, ut neſciam quem plus diligam; cur tanto tempore abſens cum dolentem de mea abſentia, aliquà per litteras viſitatione non ſum conſolatus. Sed certus eſto quia non negligentiâ nec oblivione tui factum eſt. Sicut enim certus ſum quia tu ſemper velles eſſe mecum; ita ne dubites quia ego ſemper vellem eſſe tecum. Si autem Deus pacem & opportunitatem mihi dare dignabitur, ut tuæ Dilectionis nihil liceat frui præſentia: ſcito quia hoc ut fiat, curabo libentiſſimè; & ſi non ſemper, vel tantum quantùm permittet ratio. Quidquid verò fiat, ſerva dilectionem meam, chariſſime, quia ego tuam ſervare deſidero. Saluta dulciſſimum Filium* meum Fratrem tuum Rainaldum. Conforta quoſcunque potes de Fratribus tuis ſæpe, & maximè adoleſcentes & novitios. Omnipotens Deus te ſemper ab omni malo cuſtodiat.

al. amic.

EPISTOLA XXIII.

Dominis, & Fratribus chariſſimis, Reverendo Abbati Sagienſi, Rodulfo, & aliis ſervis Dei, ſub illo commanentibus, Frater Anſelmus vocatus Archiepiſcopus: ad altiora virtutum, & monachici propoſiti ſemper proficere, & nunquam deficere.

Monachus, qui ab Epiſcopo interdicto ordinatus fuerat, perpetuo interdicto ſubjicitur. Et quòd is qui mulieri quæſivit herbas quibus virum ſuum interficeret, ſi illius interfectus eſt, nunquam debeat ordinari.

DE Fratre illo, quem dicitis eſſe ordinatum à quodam Epiſcopo, qui à nobis eſt interdictus, hoc reſpondeo; quia ſi ordinatus eſt ab Epiſcopo de Walis, qui vocatur * Herewardus, nec illis Ordinibus, quos ab illo accepit, noſtrâ conceſſione aliquando utetur, nec ab ullo Epiſcopo reordinari debet. De altero verò Fratre, qui herbas quæſivit mulieri, quibus virum ſuum interficeret, quamvis prope vos habeatis de hac re in Normannia ſufficiens conſilium; tamen quia a me hoc petitis, noſtrum negare non debeo ſenſum. Si monachus noſter eſſet; & vir ille cujus morti quæſivit herbas, ipſis interfectus eſſet; nunquam ad Diaconatum per me, vel ad Sacerdotium aſcenderet. Multa Dilectioni veſtræ, ſi cordis affectum ſequerer, ſcriberem. Sed quoniam, (ut puto) illis loquor, qui ex conſcientia ſua meam cognoſcunt; breviter dico quoniam ſicut propter Deum nos invicem dileximus; ita deſidero & oro Deum, & vos rogo ut in eadem dilectione propter Deum perſeveremus. Quatenus, ſicut cauſa propter quam charitas ipſa incepta eſt, nunquam deficiet; ita charitas inviolata permaneat. De ſtatu vitæ noſtræ ſcio quia deſideratis ut amici cognoſcere. Neſcio quid in futuro Deus de me ſit facturus; ſed adhuc non ſenſi, ex quo ſuſcepi nomen Archiepiſcopi, unde cor meum audeat gratulari. Quapropter oro ſupplex & obtecto, ut mihi in neceſſitate mea orationibus veſtris ſubveniatis, donec, ad quid Deus me à vobis & aliis amicis noſtris qui in Normannia ſunt, non ſine gravi dolore adhuc perſeverante, ſeparaverit, cognoſcatis. Omnipotens Dominus ſuâ vos gratiâ & benedictione ſemper lætificet; & in animabus veſtris virtutes multiplicet.

EPISTOLA XXIV.

Domino, & amico chariſſimo, Reverendo Lugdunenſi Archiepiſcopo Hugoni, Frater Anſelmus, ſive jubente Deo, ſive permittente, vocatus Archiepiſcopus Cantuariæ: diu in hac vita lucere, & ſemper in futura gaudere.

Quid in multis adverſis ſuis facto ſit opus, conſulit Lugdunenſem Primatem. De ſchiſmate inter Urbanum, cui favebat; & Guibertum. Promiſit Regi multam pecuniam, quam Deo miſerante non ſolvit: unde Rex iraſcitur.

SI omnia facienda ſunt cum conſilio, illa maximè facienda ſunt cum diligenti conſilio, in quibus nihil, niſi quod obediat voluntati Dei, quærendum eſt. Precor igitur Sanctitatem* veſtram, ut propter Deum, & propter charitatem, quam ſcio in illo erga me, petat à Deo conſilium quod mihi det. Ut breviter loquar: audiſtis, ut puto, qualiter ſubito raptus ſim ad Archiepiſcopatum. Antequam præberem aſſenſum, palàm dixi me favere Domino Papæ Urbano, & Guiberto adverſari: & feci, & dixi per ſex menſes, quod potui ſine peccato, ut dimitterer. Tandem timore Dei, ob multas rationes, coactus ſubdidi me dolens præcepto Archiepiſcopi mei, & electioni totius Angliæ, & ſacratus ſum: forſitan illic trepidavi timore, ubi non erat timor: ſed neſcivi, Deus ſcit; & adhuc neſcio. Paulò poſt Rex noſter iturus in Normanniam, multâ pecuniâ indiguit. Antequam à me quicquam peteret, conſilio amicorum promiſi illi pecuniam non parvam: novit Deus, qua intentione. Sprevit quaſi modicam, ut plus daretur; ſed nolui. Gratias, Deo, quo miſerante ſimplicitatem cordis mei hoc factum eſt; ne ſi nihil aut parum promiſiſſem, juſtam videretur habere cauſam iraſcendi; aut ſi * accepiſſet, veteretur mihi in gravamen, & in ſuſpicionem nefandæ emptionis. Ex illa hora viſus eſt quærere * occaſiones adverſùm me. Loquutus ſum de pallio; noluit ut illud peterem, quamdiu ipſe nullum reciperet Apoſtolicum; aut ut ſaltem hujus dilationis excuſationem Domino * Papæ intimarem. * Suſtinui uſque nunc, conſilio Epiſcoporum, propter vitandam infructuoſam diſſenſionem, ſi fortè Deus aliquid interim operaretur, unde illi Domini Papæ receptio perſuaderetur. Petivi ut Concilium convocaretur, quod per multos annos in Anglia factum non fuerat, quatenus corrigerentur quædam in eodem regno, quæ nullatenus toleranda videbantur. Ipſum quoque monui ut quædam, quæ mihi aliter quàm oporteret facere videbatur, corrigeret: ex his apertè iratus me amorem ſuũ perdidiſſe manifeſtavit. Reſpondi me malle ut ipſe mihi iraſceretur, quam ut Deus illi; & ſic à præſentia ejus diceſſi. Poſterâ die rediens ad eum, dixi me libenter facturum illi rectitudinem, ſi qua culpa in me adverſùs illum inveniretur, quam tamen ego neſciebam: & rogavi ut amorem ſuum mihi redderet. Reſpondit ſe nec rectitudinem tunc recepturum, nec amorem redditurum; niſi dico-

al. accepiſſet

al. ſuſtinuit

Digitized by Google

rem, cur illum mihi reddere deberet. Visus est mihi velle pecuniam, quam dare nolui; ne culpam, quæ non erat, viderer fateri. Iratus intantùm, ut diceret quæ non debuisset; & quasdam terras non parvas, quas Archiepiscopus Lanfrancus tempore patris ejus, & tempore ipsius quietè usque in diem sui obitûs tenuit, militibus partim daret, partim dare disponat, sub occasione cujusdam voluntariæ justitiæ, secundùm quam de terris eisdem me vult placitare: cùm ego dicam quia non me debet *ad placitandum cogere de terris quas Archiepiscopus antecessor meus tamdiu quietè tenuit; & ipse mihi dedit, sicut ille tenuit. Hæc autem est illa, quam dixi, voluntaria justitia. Quoniam terras easdem, antequam Normanni Angliam invaderent, milites Angli ab Archiepiscopo Cantuariæ tenuisse dicuntur, & mortui sunt sine hæredibus; vult asserere se posse justè quos vult, eorum hæredes constituere. Intendat igitur prudentia vestra & consideret quid ex prædictis sentiam, quatenus sententiam meam litteris vestris *aut approbetis, aut ostensâ ratione infirmetis; & me in eo, quod magis tenendum est, confirmetis. Hæc enim est cogitatio mea: Rex mihi dedit Archiepiscopatum, sicut *cum Archiepiscopus Lanfrancus usque in finem suæ vitæ tenuit; & nunc aufert Ecclesiæ & mihi quod ille & idem Archiepiscopus quietè tamdiu tenuit, & ipse mihi dedit. Certus autem sum quia Archiepiscopatus iste nulli dabitur, post me, nisi quemadmodum ego illum in die obitûs mei tenebo; nec si alius Rex, me vivente, venerit, concedet mihi nisi quod tenentem invenier. Si ergo ita tenuero Archiepiscopatum imminutum usque ad obitum meum; hoc modo perdet Ecclesia per me. Si quis enim alius, ad quem Ecclesiæ custodia non pertineret, hanc faceret ei violentiam, aut factam patienter sustineret; palam esset quia in futuro nihil dici posset, cur res Ecclesiæ ad eam redire non deberent. Nunc autem cùm & ipse Rex advocatus ejus sit, & ego custos; quid dicetur in futuro, nisi, quia Rex fecit, & Archiepiscopus sustinendo confirmavit, ratum esse debet. Melùs igitur mihi est coram Deo, ut possessionem terrarum Ecclesiæ non sic teneam, & officium Episcopi, more Apostolorum, pauper faciam in testimonium illatæ violentiæ; quam ut illam imminutam tenendo, irrestaurabilem faciam ejus imminutionem. Est & aliud, quod similiter cogito. Si Metropolitanus sacratus Episcopus per totum primum annum nec Papam viventem, nec pallium requiro, *cùm possum; justè ab ipso honore removendus sum. Quòd si hoc facere nequeo sine amissione Archiepiscopatûs, melùs mihi est ut mihi violenter auferatur, imò melius est ut ego Archiepiscopatum rejiciam, quàm Apostolicum abnegem. Sic cogito, & sic facere volo, si mihi non scribitis cur hoc facere non debeam. Omnipotens Dominus sit Sanctitatem vestram in hac vita sua gratia custodiat, ut ei in futura æternam fœlicitatem tribuat. Amen.

al. omit.

al. omit.

EPISTOLA XXV.

Quod Pater Filio, Frater Fratri, dilectissimus dilectissimo, * A. * B. quod ille, illi.

al. Anselmus Bosoni

Quòd non scribat frequentiùs obtiram dissidiumque regum. Et de libro, Cur Deus homo, quem Edmerus transcribebat.

GRatias ago, sicut ego tibi, pro epistolari visitatione tua, pro consilio, pro consolatione, pro desiderio tuo. Et quoniam, quamvis super omnia mundana me desideres, plus tamen pendet cor tuum ad consolationem tribulationis meæ, quam novisti, quam ad fatietatem desiderii tui, quod majus inter ea quæ mundi sunt habes. Novit quidem dilectionis tuæ erga me, dulcedinem dilectionis meæ erga te; & novit affectus meus erga te, affectum tuum erga me. Alter alterius intima ex intimis suis cognoscit, quia vera sinceritas veram sinceritatem intelligit, & experimentum certum in neutro dubitationem oriri permittit. Vera itaque & ex Deo *nostra dilectio mutua habuit principium; & in hoc non precor, ut in quo hactenus perseveravit, perseveret; sed in spe Dei fiducialiter pronuncio quia perseverabit. Litteras non tibi sæpe secundùm desiderium meum & tuum mittere possum; quia etiamsi opportunitatem haberem, scandalum tamen aliqua occasione a Rege, qui omnia quæ mihi sunt & quæ me diligunt odit, & adversùs Ecclesiam nostram aut adversùs latorem, si quo modo cognosceretur, timerem. Librum quem edidi, cujus titulus est; *Cur Deus homo*, Domnus *Edmerus charissimus Filius meus, & *baculus senectutis meæ, monachus Becci, cui tantum debent amici mei quantùm me diligunt, libenter Ecclesiæ Beccensi, ut filius ejus, transcribit. Quoniam Domno Abbati Ecclesiæ nostræ propter causam prædictam scribere nolo, tibi commendo memoriam mei, ut in *cordibus eorum, quos sicut animam meam dilexi, ipsis testibus, & dum vivam, Deo dante, diligam, frequens tua commonitio veterascere & evanescere eam non permittat. Audivi quia Domnus Folcheradus consobrinus noster est vobiscum. Si est; precor vos omnes pro eo, sicuti pro carne mea. Nam ipse exul est propter Deum, & olim factus est monachus Becci. Saluta eum, & esto illi pro me. Omnipotens Deus animam & corpus tuum benedicat. Saluta quos scis, & vis.

al. Ermina

al. Bajulus

al. codicibus

EPISTOLA XXVI.

Suis dilectissimis, & desideratissimis Domno Abbati Willelmo, & aliis servis Dei in Beccensi cœnobio commanentibus, Frater Anselmus, professione & corde Beccensis, Dei dispositione vocatus Archiepiscopus Dorobernensis: præsentis vitæ continuam prosperitatem, & futuræ æternam fœlicitatem.

Ut pro eo indesinenter orent, & in sancto proposito constanter perseverent: maximè verò extra claustra non vagentur. Ut Eleemosynam minui non permittat.

QUoniam nec novum, nec inseparatum, nec extraneum est quòd fraterna *vestra charitas piâ compassione succensa, suis orationibus assiduè mihi in assiduis necessitatibus, divinum implorat auxilium; nec ignoratis quia cor meum vestra dilectio totum implet & possidet; non puto opus esse gratiarum actiones me vobis in epistola depingere, quas non ignoratis me semper in cordis scrinio servare: ubi enim tanta cordis *est & animarum unitas, plus ipsæ sibi invicem sunt notæ conscientiæ, quam lingua aut stylus possit exprimere. Et ut in hoc, quod assiduè facitis, perseveretis; majores preces non habeo, quam ut repetam quod scitis; ut videlicet animam meam ubicunque corpus sit, vestram semper esse, & ad vos, quantùm in ipsa est, desiderare, & absentiâ verâ tabescere nullatenus dubitetis. Nisi enim ejus tristitiam divinæ dispositionis consideratio temperaret, nullatenus immensitatem ejus sine gravissima læsione toleraret. Nihil igitur me modo magis Dilectioni vestræ delectat scribere, quàm

Digitized by Google

ut in ſancto propoſito, ad quod conveniſtis, ſtudeatis proficere; & ex nulla parte clam vel palàm antiqui hoſtis inſidias in vos permittatis irrumpere. Quod ut efficaciùs efficere valeatis, invicem vos charitativè cuſtodite, monete, corrigite; & hæc ab invicem velut magna beneficia vobis impendi benignè ſuſtinete. Prælati ſubditos ſtudioſos benignitate ſuſtineant: tepidos exhortatione accendant: ſi qui ſunt pervicaces, diſciplinâ coërceant. Subditi Prælatis non ficta obedientia, & maximè Abbati, ſubjacere; & vos non graves, ſed faciles ad portandum exhibete: valdè namque ſubditi coram Deo peccant, ſi Prælatos non metuunt ſuis moribus gravare, qui eos ſolo Dei timore & fraterna charitate ſuſcepêre portare. * Occationes equitandi Clauſtrales, niſi cogente obedientiâ, non ſolùm non exquirant; ſed nec occurrentes ſuſcipiant. Qui enim clauſtra monaſterii libenter exeunt, non ſolùm ſibi, ſed & aliis ſuo exemplo noxii ſunt; quoniam aut murmurationis aut vagationis illis auctores ſunt. Nec Domnus Abbas ullatenus hoc concedere debet, ſi rigorem Ordinis vult ſervare: hoſpites cum gaudio ſuſcipientes, illis ſecùndùm facultatem veſtram, cum omni hilaritate miniſtrate. Conſtitutionem noſtram & veſtram de eleemoſyna pauperum, nullo modo minui permittatis: ſed potius, ſi poteritis intelligere qualiter eam rationabiliter augere poſſitis, augete. Omnipotens Deus * voluntates & actiones veſtras dirigat in beneplacito ſuo, & faciat vos ab invicem videri in regno ſuo. Amen.

al. occaſiones

EPISTOLA XXVII.

Anſelmus vocatus Archiepiſcopus, dilectiſſimo Fratri, Domno Priori Baldrico, ſalutem & benedictionem Dei, & ſuam, ſi quid valet.

Laudat ob bonam famam: & ſerio prohibet ne ſubditi facta prælatorum dijudicent.

GRatias ago Deo, à quo eſt omne bonum, & dulciſſimæ Dilectioni veſtræ pro omnibus bonis, quæ de ea mihi referuntur ab omnibus qui à vobis ad me veniunt. Et quamvis veſtra bona voluntas bonumque propoſitum jam longo uſui probatum confirmatumque ſit, ut frequenti non egeat monitione: dulce tamen mihi eſt ut vos rogem toto corde, ut perſeveretis in Deo gratâ intentione; quatenus in futura vita gaudeatis de beata retributione. Et cùm de omnibus veſtris bonis ſtudiis & operibus gaudeam; in illo maximè cor meum exultat, quòd Domno Abbati benignâ obedientiâ concordatis, & laborioſum ejus onus & oneroſum laborem veſtrâ conſolatione levigatis, nec pati poteſtis ut aliquis ejus ordinationibus aut detrahat aut reſiſtat. Certum enim eſt, & experimento ſæpe cognitum, quia monaſterium in quo ſubditi facta Prælati dijudicant, benignâ Dei diſpoſitione non diſponitur; ſed per abrupta vitiorum diſſolvitur, & diſcordia ſcindente deſtruitur. Ubi verò Prælati facta & ordinationes, velut a Deo inſpiratæ, ab omnibus communiter ſuſcipiuntur; ibi Deus inhabitat, & quaſi propriam domum, cujus tota cura ſuper ipſum jactatur, diſponit & ordinat. Hoc ergo ſuper omnia precor & moneo ut ſervetis, & in hoc ſtudio inſtanter perſeveretis. Omnipotens Deus dirigat omnes actiones veſtras, Frater chariſſime, & ad vitam perducat æternam. Amen.

EPISTOLA XXVIII.

Dilectiſſimo Domino, Reverendo Flandriæ Principi Roberto, Anſelmus, ſervus ſervorum Chriſti Jeſu, vocatus Archiepiſcopus Cantuariæ: fideles orationes.

Hortatur ad juſtitiam magis magiſque ſectandam.

QUoniam chara mihi eſt Excellentiæ veſtræ benignitas, quam mihi, quotiens vobiſcum locutus ſum, dignati estis oſtendere: debeo vel litteris aliquando ſignificare ejus memoriam apud me nunquam veteraſcere, & me Deum orare quatenus ipſe vos ſua benignitate dignetur ab omni malo defendere. Et quoniam mihi injunctum eſt ut in hujus vitæ exilio, quos valeo, ad cœleſtem patriam non deſinam exhortari; hoc certè ſervitium illis non debeo ſubtrahere, quibus ſcio me dilectionis debito copulari. Suggerit igitur veſtræ Sublimitati non corripiendo, ſed de bonis ad meliora invitando, mea humilitas, ut aſſiduè cogitet illud quod ſacra jubet auctoritas: *Diligite juſtitiam, qui judicatis terram.* Quantò enim illorum quibus terra commiſſa eſt ad regendum, præeminet potentia; tantò magis ſi à juſtitia deviant, non regunt, nec adjuvant humanum genus; ſed perturbant & gravant ſuâ violentiâ. Talibus utique * terribilis illa comminatio intenditur: *Potentes potenter tormenta patientur; & fortioribus fortior inſtat cruciatus.* Semper igitur in actibus ſuis ſervet juſtitiam veſtra prudentia; & in offenſionibus quæ ſibi fiunt, indulcet eam ſua miſericordia. Nam & hoc juſtitia imperat; ut qui ſibi vult miſereri, miſericordiam aliis impendat. Breviter monui, quod cor meum aſſiduè deſiderat: ſed omnipotentem Deum precor, ut ſic ipſe vobis terrenum principatum gubernare tribuat, quatenus in futura vita regnū cœleſte vobis retribuat. Salutant vos, ut fideles ſervi Dominum, Fratres noſtræ Eccleſiæ, pro quorum neceſſitatibus in Flandriam * latores præſentium mittimus: qui mecum veſtram pietatem flagitant ut ſicut ipſi in his quæ Deo in ſe placent, ſi qua ſunt, vos Fratres eſſe deſiderant; ſic vos hoc dignari, cùm opus & opportunum erit, in veſtra tuitione percipiant. Saluramus pariter ego & illi uxorem veſtram, ut Dominam chariſſimam, quam ſic adjutricem noſtram vobiſcum eſſe, cùm res exiget, depoſcimus, ſicut eam vobiſcum in dilectione & orationibus complectimur. Valete.

Sap. 1. v. 1.

al. Fratribus

Sap. 6. 7.

al. præſentes

EPISTOLA XXIX.

Anſelmus gratiâ Dei Archiepiſcopus, Dominis, & filiis ſuis chariſſimis, Domno Priori Henrico, & Subpriori Antonio, Domno Ernulfo, & Domno Oſberno, & aliis ſervis Dei in * Chriſti Eccleſia commanentibus: ſemper delectari in Domino, & ejus perpetuâ benedictione rueri.

al. omit.

Ut Cantuarienſes Cœnobita ſic obediant Priori, & Subpriori, ac ſibi.

AUdio inter vos eſſe ſcandala & murmurationes, quia quidam ſunt inter vos qui ſe Domno Priori ſubjicere contemnunt, & ea quæ licentia ejus facienda ſunt, illo omnino neſciente & ſine ejus licentia paſſim faciunt: & cùm ab eo, vel ab aliquo reprehenduntur

Digitized by Google

henduntur in capitulo, ejus se judicio regulari humilitate subdere despiciunt : & insuper hoc se totum nostrâ auctoritate facere affirmant. Unde quasi diversæ sectæ, & partium dissidentium lites inter vos nascuntur & discordiæ. Qua de re vestram Dilectionem scire volo quia nunquam in nostra voluntate fuit, nec Deo protegente, erit; ut in Ecclesia mihi ad regendum commissa, tanta & tam reprobanda inordinatio oriatur; aut si aliquo casu oritur, nutriatur aut permittatur. Præcipio igitur ut omnes, sicut mihi, nostrâ servatâ prælatione, & in petendis licentiis & in exequendis mandatis, & in judicandis negligentiis, Domno Priori, & post illum, Subpriori subditi sitis humili benignitate, & benignâ mansuetudine. Et quoniam prædictæ murmurationis causam & pondus super Domnum Wilielmum quidam maximè imponunt : de illo nominatim dico quia nunquam volui, nec volo ut aliquo modo Priori inobedienter resistat ; nec de illo aliud statuo, quam quòd, vobis audientibus, in Capitulo de illo precatus sum, & consului, tum propter memoriam Domini & Patris nostri Archiepiscopi Lanfranci, tum propter infirmitatem ejus. Quod tamen non sine discretione & humili obedientiâ fieri
Ph. 4. v. 7. ullatenus concedo. *Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras.* Amen.

EPISTOLA XXX.

Anselmus vocatus Archiepiscopus Cantuariæ, Sororibus, & Filiabus charissimis, Reverendæ Abbatissæ Wintonienſi Mathildæ, & aliis ancillis Dei sub illa commanentibus ; electo sponso Christo semper placere.

Obsecrat precis suæ inchoatæ nomine perpetuari, & Moniales pietati assiduè vacare.

GRatias ago Sanctitati vestræ quia, sicut audio, pro me assiduè orare non cessat. Et precor supplex ut quod charitativè incepit, perseveranter faciat; donec appareat quid divina dispositio de me intendat : quatenus vestris orationibus exoratus Deus mihi in tribulationibus meis sit clementior, & vobis pro impensâ charitate sit benignior. Præterea & officium à me injunctum exigit, & dilectio quam in vobis erga me sentio, me invitat ; & charitas, qua vos diligo, mihi persuadet, ut secundùm vestrum studium ac propositum mea exhortetur cõmonitio semper ad meliora proficere, & nunquam ab his, ad quæ gratiâ Dei adjuvante attingitis, negligentiâ vestrâ gravante deficere. Quod utique efficacitet implere poteritis,
Eccli. 19. v. 1. si illud considerantes quod scriptum est : *qui modica*
Eccl. 7. v. 19. *despicit, paulatim decidit* ; Et : *qui timet Deum, nihil negligit*, etiam minima Ordinis vestri non neglexeritis. Tantò enim vigilantiùs a minimis excessibus debemus cavere, quantò eos frequentiùs cognoscimus se nobis ingerere, & quantò callidiùs deceptor noster nullam in eis esse culpam ; aut contemnendam, si qua est, nititur nobis persuadere. Quod non solùm in exterioribus operibus, sed etiam in intimis cogitationibus debetis servare, nec minùs Deo displicere indecentem cogitationem, quam hominibus reprobandam actionem debetis judicare. Denique sicut sponsæ carnalium vitiorum exteriorem fœditatem execrantes ; per pulchritudinem carnis & vestium aptitudinem student placere : ita sponsæ spirituales Regis regum Filii Dei, fœditatem interiorem detestantes, per mentis pulchritudinem & ornamenta virtutum, ut illi placeant semper debent studere. Pulchritudo A certè mentis & nutrimentum virtutum est, cordis munditia, cui visio Dei spiritualiter promittitur ; ad quam munditiam nullus, nisi per magnam cordis custodiam perducitur. Unde scriptum est : *Omni custodia* Prov. 4. v. 23. *serva cor tuum.* Ad quam custodiam, post gratiam Dei, quantùm ad humanum studium pertinet, hoc est singulare & efficacius cõsilium, ut semper cor vestrum & ubique, quandiu vigilatis, aut lectione, aut oratione, aut Psalmis, aut aliqua utili cogitatione, sive intentione sit occupatum. Vos (Domina Abbatissa) precor ut matrem, moneo ut sororem, hortor ut amicam, præcipio ut filiæ charissimæ, quatenus R. Episcopo Osmundo omni benignitate sanctam & Deo placitam obedientiam, sicut decet, exhibeatis, & ejus dilectionem & familiarem amicitiam atque consilium & auxilium in corporalibus, & in spiritualibus habere ; & illi quod ex vobis est exhibere in Christi charitate studeatis. Omnipotens Deus, sponsus vester, sit semper custos vester. Amen.

EPISTOLA XXXI.

Anselmus vocatus Archiepiscopus, Fratri charissimo, Domno Abbati Cœnobii sancti Wlmari Lanfrido, divino regi consilio, & adjuvari auxilio.

Ut gregem non deserat ob varias molestias.

DE petitione vestra, qua mihi infatigabiliter instatis, quatenus ab Episcopo vestro consilio & precibus meis tentem impetrare vobis licentiam Abbatiam, in qua vos divina constituit dispositio, deserendi ; sæpe multumque mecum cogitavi, & cum aliis in quibus consilium spirituale speravi, sum locutus ; & intellexi, quamvis propter compassionem, qua tristitiæ Fraternitatis vestræ compatior ; valde vobis congauderem, si Dei miseratione, consilio & permissione Archiepiscopi & Episcopi * vestri, desiderium vestrum assequeremini : periculosum tamen mihi esse tam insuetatam rem petere & consulere. Timeo enim me non parum peccare, si meâ instantiâ locus vobis commissus omni rectore destituitur ; atque & rerum & morum & Ordinis, majori, imò omnimodâ vastatione destruitur. Si enim ad aliud ibi vestra non prodesset præsentia : nisi quia non ibi regnare potest, nec liberè exerceri sine aliquâ reprehensione malitia : ita nec malè ibi est, sicuti esset, si esset sine rectore, aut in Ordinis aut in rerum destructione : non tamen possetis conqueri, quasi ibi inutiliter viveretis, ubi tantum malum & corporale & spirituale, ne locum prædictum destrueret, comprimeretis. Quantò magis nunc se vestra consolari potest prudentia, cùm sint aliqui sub illa, qui ejus consilio & gubernatione uti desiderant, & voluntariâ subjectione illi obediunt. Est & aliud unde in tribulatione vestra debetis gaudere, quia non est dubium vos illam bono zelo Dei habere ; & timore Dei, cujus consideratione illam fugere non audetis, sustinere. Certè ubi tot rationes sunt consolationis & spiritualis lætitiæ, non magnum pondus habere debet amaritudo tristitiæ. Quippe non solùm considerat Deus, quantùm studium alicujus in aliis proficiat ; sed etiam, aut forsitan magis, quantùm laborem in intentione proficiendi, & dolorem quia non proficit secundùm intentionem, sustineat. Nostrum enim est laborare, & seminare ; Dei verò est incrementum & effectum dare. Quod nostrum est, quamvis eo adjuvante sit, nobis retribuit ; quod autem suum est, sibi attribuit. Quòd si hæc mens vestra non vult aut non valet suscipere ;
* al. omit.

non prohibeo, si per Episcopum vestrum, & per eos ad quos res hæc pertinet, Deo disponente, ad desiderium vestrum ordinatè potestis pertingere. Valete.

EPISTOLA XXXII.

Anselmus vocatus Archiepiscopus Cantuariæ, Reverendo Episcopo Ambianorum Geruino, salutem.

Non posse monachum in Abbatem ordinari, qui clam inscio Prælato abscesserit.

FRater ille Normannus Ecclesiæ nostræ professus, quem Abbatem electum esse mihi mandastis, & cujus ordinationi me assensum præbere suadetis, me & fratribus Ecclesiæ * nostræ ignorantibus trans mare abiit; ut nec inter ejus, nec causam itineris ejus agnosceremus. Quapropter nec vos, ut litteris vestris intimatis, eum sine nostro assensu ordinare debetis, nec ego in hoc assensum præbeo, nec præbere debeo; in quantùm intelligere queo. Si ipse venerit ad me, & ad Ecclesiam suam; sicuti monachus qui taliter de Ecclesia sua discessit, venire debet: & postea aliquis de eo mihi de præfata re locutus fuerit, respondebo inde secundùm quod respondere intelligam. Valete.

* al. omis.

EPISTOLA XXXIII.

Anselmus gratiâ Dei Archiepiscopus, Fratri & Filio Ricardo monacho; salutem, & benedictionem.

Monachum professum non teneri voto peregrinationis à se facto in sæculo.

AUdivi, Frater mi, quia antequam monachus fieres, in ægritudine vovisti te iturum ad S. Ægidium; & idcircò modò timidus & nimis sollicitus es de voto illo solvendo; ita ut quiescere non possit cor tuum, nisi ad S. Ægidium iveris. De qua re non debes tantùm credere tibi quantùm Abbati tuo, cujus consilio & ordinationi animam tuam commisisti; & aliis, qui meliùs te sciunt quid * magis placeat Deo, & magis prosit animæ tuæ. Quapropter consulo tibi & præcipio, ut omnino dimittens intentionem præfati itineris & sollicitudinem voti illius, in proposito quod assumpsisti, quietus & immobilis permaneas; & quietè ad hoc quod proposuisti, id est, ad obedientiam & pœnitentiam pro peccatis tuis, & ad alios bonos mores proficere studeas. Certus enim esse debes quia cùm teipsum Deo totum vovisti & reddidisti per monachicam professionem; solvisti omnia vota minora quarumlibet actionum, quæ priùs sine jurejurando & fidei * alligatione promisisti. Esto ergo quietus & securus; & ego te eâ auctoritate, quam per gratiam Dei habeo super te, ab illo voto absolvo. Vale.

* al. multi

* allegatione

EPISTOLA XXXIV.

Anselmus gratiâ Dei Archiepiscopus, Fratri & Filio charissimo, monacho Cestrensi, Willelmo: salutem.

Profitetur se non esse tantùm virtute, quantùm carminibus eum monachum depinxerat.

QUamvis me talem nesciam, qualem me suis carminibus tua prædicat benevolentia; non tamen ingratus esse debeo quoniam hoc facit Dilectionis abundantia. Sæpe enim solet dilector dilecti vitia aut non sentire, aut levia judicare: bona verò, quæ non sunt, opinari; & quæ sunt, exaggerare. Quod quando sola facit charitas, nec error est suscipiendus propter affectum amoris; nec amor est contemnendus propter culpam erroris. Sed sic debet amor nutriri: ut error corrigatur. Sic error debet expelli, ut amor retineatur. Gratias tibi ago quia me talem diligis esse, qualem me prædicas; & hortor ne me talem opineris: sed potiùs ores ut talem Deus faciat qualem esse me diligis & existimas. Cùm enim scriptum sit; *Ne laudes hominem in vita sua*: & alibi; *Orate pro invicem ut salvemini*: non debet homo hominem in hac vita magno conatu laudare; sed magis ut laudabilis fiat pio affectu orare: laudem verò Deo committere, cui proprium est merita judicare. Non dico bonorum virorum virtutes ad exemplum bene vivendi aliis non esse monstrandas; sed eisdem ipsis non esse exaggerandas. Quoniam autem opus charitatis non debet esse sine retributione; pro carminibus prosam, pro laude reddo exhortationem. Certè, Fili mi, cùm in me amas & laudas bona quæ in me opinaris esse; ipso tuo opere testaris quia amabilis & laudabilis est omnis qui studet bonus esse. Cùm ergo omnes velimus non dico laudari, sed amabiles & laudabiles esse: nihil tantùm studere debemus, quam ut boni in conspectu ejus, qui non fallitur, judicemur esse. Bonus autem quisque fidelis ab eo judicatur, qui in suo ordine perfectionem attingere conatur. Nam etsi omnes ad perfectionis summam pariter pervenire non possumus; non tamen erimus extra numerum bonorum, sicut scriptum est. *Imperfectum meum viderunt oculi tui; & in libro tuo omnes scribentur*: si ad eam perfectionem incessanter & fortiter conari velimus. Conentur igitur laici in suo ordine, Clerici in suo, Monachi in suo viriliter semper proficere: ut illi qui superioris propositi sunt, eos qui inferioris sunt * superent humilitate, in * qua quantùm homo magis proficit, tantò magis sublimatur & aliis virtutibus excellit. Quapropter, Fili charissime, semper memor esto, cujus propositi gradum ascenderis, nec unquam tibi vitæ tuæ sanctitas sufficiat; nisi eâ * illos, qui inferiorum graduum sunt, transcenderis. Sicut enim illi qui inferioris propositi sunt, laudabiliter ad virtutes superioris ascendunt: ita illi qui majora sectari proposuerunt, vituperabiles sunt, si ad æqualitatem minora eligentium descendunt. Quoniam ergo monachum te habitu profiteris, hortor, precor, contulo ut semper in conspectu Dei intùs studeas esse quod foris in conspectu hominum vidèris. Non autem hîc loquor quasi hoc non facias; sed ut semper ad meliora paternâ exhortatione successus proficias. Vale.

Ps. 138.

* al. omis.

* al. omis.

* al. illo

Digitized by Google

EPISTOLA XXXV.

Domino & Reverendo Romanæ Eccleſiæ Legato & Cardinali Epiſcopo Waltero, Anſelmus vocatus Archiepiſcopus Cantuariæ; fideles orationes, & fidele ſervitium.

Se cum illo de Eccleſiæ neceſſitatibus non poſſe ſine ejus aſſenſu, & aliorum Epiſcoporum conſilio agere aut eis providere, eo maxime tempore quo hoſtes in Angliam irruerent.

QUod mandat mihi prudens veſtra ſollicitudo, ut aliquo * in loco conveniamus, de * cauſis Eccleſiarum Dei fraterno ac charitativo ad invicem conſilio acturi & quæ corrigenda ſunt, correcturi: utique ſecundùm intentionem veſtram * valde laudabile eſt; & ſecundùm quod expedit, valde utile eſſet; ſi congruo tempore fieri poſſet. Sed veſtra prudentia non ignorat quia nos duo nihil * efficeremus, niſi Regi ſuggeſtum eſſet; ut ejus aſſenſu & auxilio ad affectum * perduceretur, quod diſponeremus. Eſt & aliud, quia ego à Cantuarberia elongari nullatenus audeo; quoniam quotidie expectamus, ut hoſtes de ultra mare in Angliam per illos portus, qui Cantuarberiæ vicini ſunt, irruant. Propter quod Dominus meus Rex ore ſuo mihi præcepit, antequam ab illo apud Notingeham diſcederem; & poſtquam Cantuarberiam redii, mihi mandavit per litteras proprio ſigillo ſignatas, ut Cantuarberiam cuſtodiam, & ſemper paratus ſim, ut quacunque horâ nuncium eorum, qui littora maris ob hoc ipſum cuſtodiunt, audiero; undique convocari jubeam equites & pedites, qui accurrentes violentiæ hoſtium obſiſtant. Et idcircò de Cantuaria exire non audeo niſi in illam partem, ex qua hoſtium expectamus adventum. Precor igitur Sanctitatis veſtræ diſcretionem, quatenus æquo & pacato animo ſuſcipiat has noſtras rationabiles, & quæ infirmari nequeunt, quoniam veræ ſunt, excuſationes. Sciat pro certo veſtra Reverentia quia eŭdem animum quem habetis, ut corrigantur quæ corrigenda ſunt, habeo. Sed expecto reditum Domini mei Regis, & Epiſcoporum & Principum qui cum eo ſunt: quatenus illi quæ agenda ſunt, opportunè & rationabiliter ſuggeramus. Et ſic, Deo adjuvante, ejus aſſenſu & auxilio efficaciùs expleamus, quod deſideramus. Si tamen vobis placet ut per dilectiſſimum Fratrem noſtrum reverendum Abbatem * H. mihi conſilium veſtrum mandetis, de quibus rebus & quomodo cum Rege loqui debeam, hoc libenter ſuſcipio. Sed & ſi Regi monendo conſulere aliquid de hujuſmodi rebus, per eundem Abbatem & reverendum Epiſcopum Wintoniæ prudentiæ veſtræ placuerit, laudo & poſtulo. Vale.

al. emit.
al. cauſa
al. emis.
al. efficiemus
al. ejus
al. produceretur

EPISTOLA XXXVI.

Domino & Reverendo Epiſcopo Albanenſi & Cardinali Waltero, Cantuarienſis divinâ diſpoſitione Archiepiſcopus Anſelmus; orationum fidelitatem cum ſervitio.

Calumnias impoſitas excutit: & ſe nec ſchiſmati favere, nec rebus Eccleſiæ tunc poſſe conſulere ſignificat.

LItteris à veſtra Sanctitate mihi directis, ſi liceret; pleniùs quàm epiſtolaris brevitas patiatur, reſponderem. Pro temporis tamen opportunitate ad ſummam ſenſûs illarum breviter, quod ad me attinet, reſpondeo. Dicitis quia opportuerat nos loqui ſimul de vinea Domini, quæ in hoc regno deſtruitur, ne penitus confunderetur? quoad uſque ſanctus Petrus Apoſtolus, per Vicarium ſuum Urbanum ſummum * Pontificem, viſitaret eam. Hoc utique ego ipſe voluiſſem, ſi congruo tempore factum eſſet, id eſt, quando Dominus meus Rex, & Epiſcopi, & Principes hujus regni vobis præſentes aut propinqui erant. Poſtquam verò licentiam accepiſtis à Rege redeundi Romam, & Rex in expeditionem ſuam cum Archiepiſcopo Eboracenſi, & quibuſdam aliis Epiſcopis, & Principibus ſuis ivit; &. vos ab illis, & ego à vobis diſceſſimus, veluti non * nos in hac terrâ ampliùs invicem viſuri: & poſtquam Rex mihi præcepit, ut illam partem regni ſui, in qua maximè irruptionem hoſtium quotidie timemus, diligenter cuſtodirem, & quotidie paratus eſſem hoſtibus reſiſtere, ſi irruerent, ſicut in periculo vaſtandi vel perdendi terram; cum nullo modo auderem me elongare ab urbe in qua eram, niſi verſùs hoſtes qui timebantur; tunc monitus ut vobis occurrerem, quatenus colloqueremur de his quæ corrigenda ſunt in hoc regno, rationabilem & ſuſceptibilem reddidi cauſam, quia propter prædictum periculum & præceptum Regis venire non poteram, & nihil efficeremus nos duo, abſente Rege & aliis, quorum aſſenſu & conſilio & operatione ad effectum duci poſſet colloquium noſtrum. Ego enim ipſe video quæ corrigenda ſunt, & habeo voluntatem, quam nullus homo mihi poteſt augere, corrigendi, Deo adjuvante, per aſſenſum & auxilium Domini mei Regis & aliorum, ad quos pertinet, cùm locus & opportunitas erit. Quòd autem conquerimini vos moratos eſſe, velut infructuoſam arborem, & peregrinum non habentem adjutorium aut conſilium; de aliis vos ſcitis: de me autem, ego ſcio quia non prohibui vos fructificare, neque meum auxilium aut conſilium vobis pro ratione & poſſibilitate mea denegavi tempore fructificandi: quòd verò quæritis * à me cur & qua juſtitia Epiſcopi alii me abnegantes, à me diſceſſerunt, nec ſunt reverſi dignam agentes pœnitentiam: hoc potiùs ab illis quærendum erat, quàm à me. Ego enim neſcio me feciſſe cur hoc facere deberent. Reverſi tamen hactenus ſunt, ut illam obedientiam, quam Cantuarienſi Sedi promiſerant, ſe mihi ſervaturos faterentur. Dicitis quoſdam illorum vobis dixiſſe ideo * non offendiſſe in me, quia permiſi me à Catholica Eccleſia transferri ad ſchiſmaticos, & ab illis conſecrari, ſi fieri, ſicut additis, poteſt; & à ſchiſmatico Rege inveſtituram accepiſſe, & illi fidelitatem & hominium feciſſe, quos omnes ſciebam eſſe ſchiſmaticos, & diviſos ab Eccleſia Chriſti, & à capite meo Urbano Pontifice, quem ipſi, me audiente, abnegabant. Certè neſciebam nec ſcio eos ſchiſmaticos, aut ſic diviſos ab Eccleſia fuiſſe, ut dicunt. Et ſi aliquis eorum, qui hoc vobis dicunt, me præſente hoc diceret; oſtenderem rationabiliter non ita eſſe. Illi enim non abnegabant Canonicum Romanum Pontificem, quicunque eſſet; nec Urbanum negabant eſſe Pontificem; ſed dubitabant propter illam quæ * modo nata eſt diſſenſionem; & propter dubitationem, illum ſuſcipere quaſi certum differebant: nec ullum judicium eos ab Eccleſia ſegregaverat, & omnino obedientiam Romanæ Sedis tenere ſe fatebantur, & ſub profeſſione obedientiæ Romani Pontificis me conſecrarunt. Denique Dominus Papa ſciebat me eſſe conſecratum, & à quibus, & cui Regi feceram quod feci. Et tamen Pallium, quod Archiepiſcopus Cantuariæ ſolet habere, mihi per veſtram charitatem, non ut ſchiſmatico, ſed ut accepto; non ut reprobans, ſed ut approbans miſit; & ſic, quod de me factum erat confirmavit. Ipſe hujus confirmationis auctor, & Dominus Gualte-

al. idco vos
al. modo

rus Epiſcopus Albanenſis & Cardinalis hæc eadem ſciens, minister ejus & executor. Si vobis hæc calumnia attendenda videtur; cur eam ante Pallii concessionem mihi tacuistis; Si negligenda putatur; vos judicate quam diligenter sit a vobis inculcanda. Plura possem adhuc dicere ad infirmandum verbum malitiæ eorum, qui hoc quod dictus, vobis obtendunt ad exculandas excusationes in peccatis: sed sapientiam vestram scio non indigere apertæ rei multiplici ostensione. Videat igitur prudens simplicitas & simplex prudentia vestra, qualiter super hæc quæ dixi, suscipere & exagerare debeat confictas calumnias, & calumniosas confictiones adversùm me ab illis qui fecerunt contra me pro excusatione sua, ne videamini velle* infirmare quod auctoritate Domini Papæ, & vestra executione non ignoranter est confirmatum. Nempe non sic accepi (teste Angliæ regno) nomen Domini Urbani Papæ in vanum, ut hoc me ab illo vel à fidelibus ejus meruisse cognoscam. Dicitis vos causam meam, teste Deo, defendisse, quantum potuistis; & eâ occasione negotium propter quod venistis, impeditum usque nunc. Pro bona quidem voluntate defensionis, gratias ago; impedimentum autem hac occasione factum vobis utique * nescio. Et si rei medulla diligenter consideratur sicut potest; & prudentia vestra me defendit; quantùm potest, certus sum quia conscientia vestra in his quæ supra dicta sunt, acculare me non potest. Quod, sicut dicit, nec me cum nec cum aliis loqui, sicut voluit, potuit vestra Reverentia carens obedientia Romanæ Ecclesiæ; sciat ipsa, cur non potuit. Ego autem scio me diu & multùm desiderasse & expectasse loqui vobiscum, antequam possem; & cùm tandem potui, non tantùm potuisse quantùm volui. Rogatis me ut Fratres nostros Cantuariensis Ecclesiæ quietè ac pacificè possidere dimittam res suas. Ad quod respondeo quia nullus magis desiderat quietem ac pacem illorum quàm ego, nec magis sollicitus est pro utilitate ejusdem Ecclesiæ; & idcircò voluntas mea est, ut res ejus, Deo annuente, disponam ad utilitatem præsentem & futuram, prout melius sciam & potero. Valeat Fraternitas vestra; & dignetur Deum, ut me & omnes actiones meas dirigat, orate.

al. confirmare

al. omis.

EPISTOLA XXXVII.

Reverendo ac reverenter suscipiendo Catholicæ Ecclesiæ summo Pontifici Urbano, Anselmus non suis meritis, sed nutu divino, Cantuariæ vocatus Metropolitanus Episcopus: debitam subjectionem cum servitii devotione.

Cur hactenus Papam non adierit; quidque facto sit opus ab eodem moneri supplicat.

GRatias ago sanctæ munificentiæ vestræ quòd dignos Apostolicæ Sedis legatos ad nos direxistis; quòd pallii beneficium, solâ gratiæ vestræ largitate, mihi porrigi præcepistis. Nostri quippe, fateor, ordinis & officii intererat, & præsentiam vestram ex more visitare; & eam, ut fieri decet, condigna reverentia honorare. Et id quidem, ex quo gradum Episcopalem suscepi, summo desiderio facere concupivi; tum quia ratio id fieri postulabat, tum quia consilio & alloquio vestro frui desiderabam, ut me de rebus necessariis tam publicis quàm privatis interrogantem vestra prudentia doceret, & auctoritas roboraret. Quod me non exegisse, rogo ne ægrè sancta Eminentia vestra nec meæ negligentiæ aut arrogantiæ ascribat. Testis enim mihi est conscientia mea, quia postquam in cacumine sanctæ Ecclesiæ sublimatos vos esse cognovi, gavisus sum, & reverenter dilexi & diligo, & quotidianum provectum vestrum fieri opravi & opto, & factum audiens exulto. Sed quia bellis undique quatimur, hostiles impetus indesinenter, & insidias adversantium metuimus: Dominus noster Rex extra regnum me procedere hactenus non permisit, nec adhuc procedere posse ullatenus assentit. Præterea si nullæ aliæ causæ concurrerent, quæ me faciem vestram hoc tempore, quod valde molestè fero, videre prohiberent: sufficit quòd ætas, quòd ægritudo, quòd debilitas corporis mei impatientem me agunt & prolixi itineris, & immensæ viarum asperitatis. Sed inter hæc, quo labore, quaque anxietate gravatus iter arripere conaret, si Omnipotens Deus & in regno Anglorum bella sedaret, & in regnis & regnorum provinciis, per quas ad vos est eundum, illam pacem tribueret: ut quemadmodum oporteret & expediret, iter ipsum explere liceret. Sed * quamdiu id fieri non potest, * tandiu impossibilitas me retinet. Divina clementia juvante, ubicunque * fuero, vobis obedire ac servire, & Celsitudinem vestram honorare paratus ero. Et quia, sicut desidero, quotidianas miseriæ * meæ querelas non licet mihi coram posito effundere in conspectu vestro, sanctas Serenitatis vestræ aures paucis quæstibus & scriptis inquietare præsumo. Sancte Pater, doleo me esse quod sum, doleo me non esse quod fui. Doleo me esse Episcopum; quia peccatis meis facientibus, non ago Episcopi officium. In loco humili aliquid agere videbar; in sublimi positus prægrandi onere pressus nec mihi fructum facio, nec utilis alicui existo. Oneri quidem succumbo, quia virium, virtutum, industriæ, scientiæ, tanto officio competentium inopiam, plus quàm credibile videatur, patior. Curam importabilem cupio fugere, pondus relinquere: Deum è contrario, timeo offendere. Timor Dei illud me suscipere compulit, timor idem onus idem me retinere compellit. Si inter hæc voluntatem Dei agnoscerem, procul dubio voluntatem meam, & actus meos pro possibilitate ad illam conferrem. Nunc quia voluntas Dei me latet, & quid agam nescio; errabundus suspiro, & quem rei finem imponere debeam ignoro. Postulo itaque sanctam clementiam, & clementem Sanctitatem vestram, ut propter Deum, propter eam charitatem qua Ecclesiam Dei contenditis adjuvare, penuriam consilii nostri vestrarum manu sanctarum orationum pascatis; ne cogitationum talium fluctibus agitatus, aut omnino ruam, aut nihil apprehendam. Rogo etiam, & summissis mentis gemitibus * humiliter supplico celsam & piam Paternitatem vestram: ut in naufragio positus, si quando procellis irruentibus adjutorii vestri indigens ad sinum Matris Ecclesiæ confugero; propter eum, qui sanguinem suum dedit pro nobis, pium & promptum adjutorium & solamen inveniam in vobis. Pro Domino Belvacensi Fulcone supplex oro Clementiam vestram, prout vestra judicabit prudentia. In munusculo nostro, Magnitudo vestra; rogo, non solam penset quantitatem, sed & bonam, qua missum est, voluntatem. Omnipotens Deus diu nobis Paternitatem vestram in gratia sua & pace custodiat. Amen.

al. omitte

al. fuero

al. omitte

EPISTOLA XXXVIII.

Anſelmus Dei diſpoſitione vocatus Archiepiſcopus Cantuariæ, Domino, & Fratri in Deo dilecto, Abbati Lamberto; miſericordiam impendendo temporalem, miſericordiam mereri ſempiternam.

Ut profugum monachum recipiat pœnitentem.

FRater iſte comedens de ligno ſcientiæ boni & mali experimento didicit quanta ſit differentia inter delicias paradiſi clauſtralis, & exilium vitæ ſæcularis. Pœnitens igitur & dolens, ſicut lachrymæ teſtantur, confitetur ſe nimis peccaſſe, & promittens ſe deinceps mores ſuos correcturum, & ſecundùm veſtram diſpoſitionem obedienter victurum, orat quanto affectu poteſt, ut intra ovile, de quo ſponte miſerabiliter aufugit, admittatur. Et quia ſupplicationem ſuam pro magnitudine reatûs ſufficere non putat; noſtris precibus ſuas apud veſtram clementiam adjuvari precatur. Quamvis igitur ego de veſtra Sanctitate nihil promeruerim, tamen quia invicem compati & pro invicem orare jubemur, præſumo ſupplicare, quatenus ovi, quam Chriſtus quæſitam & inventam in humeris ſuis ad * ovile reportat, veſtra Paternitas oſtium ovilis contra mè claudat; ne Chriſtus idem perditam quærendo, & inventam reportando, fruſtra laboraſſe videatur; & ipſe apud amicos & vicinos, quos ad congaudendum convocare debuerat, non tam ovem, quàm ſeipſum, & quod valde attendendum eſt, * oneratum, & a ſuo ovili excluſum eſſe conqueratur. Itaque miſericordiam & judicium cantate Domino, & ſic ut miſericordia * ſuperexaltet judicium. Vale.

al. ovem

al. onustum

al. superexultet judicio

EPISTOLA XXXIX.

Dominis & Fratribus chariſſimis in Beccenſi Cœnobio commanentibus, Frater Anſelmus, voluntate Beccenſis monachus, neceſſitate vocatus Cantuarienſis Archiepiſcopus; præſentis vitæ continuam ſanctitatem, & futuræ æternam fœlicitatem.

Beccenſes in Ordinis obſervantia ſtabiles collaudat. Et ut Prælati facta non judicent præ cæteris hortatur.

QUamvis noſtram ratò epiſtolam videatis; ſcio tamen quia dilectionem veſtram in intimis * cordis mei fervere non dubitatis. De qua dilectione tantò eſſe certiores debetis, quantò eam de præterito cognoſcitis; & hoc propter quod & ad quod vos dilexi, facere contenditis. Audio enim quia, gratiâ Dei inſpirante & cooperante, in ſtudio benè vivendi fervetis, & in paupertatis preſſura rigorem veſtri Ordinis inflexibiliter tenetis. Sic enim decet ſervos Dei, ut quantò magis eos tribulationes præſentis vitæ anguſtant; tantò ardentiùs ad quietem æternæ vitæ tendant & ſe ad virtutum profectum extendant. Sed quamvis ſanctis moribus & religioſis operibus ſtudio ſpontaneo inſudetis; novi tamen ſinceritatem veſtræ dilectionis, quia gratanter accipiet, ſi vos monuero ut in hoc in quo eſtis, perſeveretis. Quod ut efficaciùs adimplere valeatis, neceſſe eſt ut ſanctâ unanimitate colligati, & corde & voluntate Prælato veſtro obediatis; facta & dicta ejus non dijudicetis: ſed ſine omni retractatione, quaſi divinitùs inſpirata venerando, mente benigna ſerveris. Ubi enim * ſubditi prælati judices fiunt, apertè Dei ordinationi, cujus diſpoſitione ſibi Prælatus eſt, detrahunt & contraeunt; quibus Deus & tuæ gubernationis ſubtrahit auxilium, & eos in proprii erroris præcipitari permittit conſilium: ubi vero Prælatus cum veneratione, tanquam Chriſtus, ſuſcipitur; ibi tota domus Chriſti regitur conſilio, & protegitur & ſuſtentatur auxilio. Quantò enim ſubditi ſe vicario ejus ſubjiciunt ſecuriùs; tantò ille Prælato & ſubditis cuncta procurat benigniùs. Omnipotens Deus ſuâ vos benedictione in æternum beatificet, Fratres & amici chariſſimi. Amen.

al. omnis.

EPISTOLA XL.

Domno, & Patri Reverendo, Paſchali Summo Pontifici, Anſelmus ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis: debitam ex corde ſubjectionem, & orationum, ſi quid valent, devotionem.

Excuſat ſe quòd nondum per litteras eum ſalutaverit, & calamitatibus ſuis expoſitis cauſas reddit cur ex Anglia abierit: & ut in Anglium non redeat niſi rebus omnibus Eccleſiæ reſtitutis ſupplex obteſtatur. Lugduni interim ab Archiepiſcopo ſuſtentari ſe declarat.

QUòd ad veſtram Celſitudinem tantùm moratus tum nuncium mittere, poſtquam de certa notitia veſtræ * ſublimationis Deo gratias agentes, gavisi ſumus: hæc fuit cauſa, quia quidam nuncius Regis Anglorum venit ad Venerabilem Archiepiſcopum Lugdunenſem pro cauſa noſtra, non tam afferens quod ſuſcipiendum eſſet; & audiens reſponſum Archiepiſcopi reverſus eſt ad Regem, promittens ſe in proximo * Lugdunum reditutum. Hunc expectavi, ut ſcirem quid vobis de Regis voluntate notificare poſſem: ſed non venit. Cauſam itaque noſtræ breviter intimo, quia quando Romæ moratus ſum, eam Domino Papæ Urbano, & multis aliis, ſicut ſcit (ut puto) Sanctitas veſtra, ſæpe narravi. Videbam in Anglia multa mala, quorum ad me pertinebat correctio, quæ nec corrigere, nec ſine peccato meo tolerare poteram. Exigebat enim à me Rex ut voluntatibus ſuis, quæ contra Legem & voluntatem Dei erant, ſub nomine rectitudinis aſſẽſum præberem. Nam ſine ſua juſſione Apoſtolicum nolebat recipi, aut appellari in Anglia, nec ut epiſtolã ei mitterẽ, aut ab eo miſſam reciperem, vel decretis ejus obedirẽ. Concilium non permiſit celebrari in regno ſuo ex quo Rex factus jam per tredecim annos. Terras Eccleſiæ hominibus ſuis dabat: in omnibus his & ſimilibus ſi conſilium petebam, omnes de regno ejus etiam ſuffraganei mei Epiſcopi negabant ſe conſilium daturos, niſi ſecundùm voluntatem Regis. Hæc & multa alia quæ contra voluntatem & legem Dei ſunt, videns petii licentiam ab eo Sedem adeundi Apoſtolicam, ut inde conſilium de anima mea & de officio mihi injuncto acciperem. Reſpondit Rex me in ſe peccaſſe pro ſola poſtulatione hujus licentiæ: & propoſuit mihi, ut aut de hac re, ſicut de culpa, ſatisfacerem; & ſecurum illum redderem, ne amplius peterem hanc licentiam, nec aliquando Apoſtolicum appellarem; aut de terra ejus citò exirem. Elegi potius exire, quam nefandæ rei conſentire. Romam veni, * ut ſcitis, & Domino Papæ rem totam expoſui. Rex mox ut de Anglia exivi, taxato ſimpliciter victu & veſtitu Monachorum noſtrorum, totum Archiepiſcopatum invaſit, & in proprios uſus convertit. Monitus & ro-

al. omnis

al. omnis. de notitia veſtra Dei

al. omnis.

Digitized by Google

rogatus à Domino Papa ut hoc corrigeret, contempſit, & adhuc in hoc perſeverat. Jam eſt tertius annus, ex quo ſic de Anglia exivi; pauca quæ mecum tuli, & multa quæ mutuatus ſum, quorum adhuc ſum debitor, expendi. Sic plus * debens quàm habens, apud venerabilem Patrem noſtrum Archiepiſcopũ Lugdunenſem * detentus, ejus benignâ largitate & largâ benignitate ſuſtentor. Non hoc dico, quaſi deſiderem redire in Angliam; ſed timeo ne mihi veſtra Sublimitas ſuccenſeat, ſi ei noſtrum eſſe non notifico. Precor igitur & obſecro, quanto poſſum affectu, ut nullo modo me in Angliam redire jubeatis; niſi ita ut legem & voluntatem Dei, & decreta Apoſtolica voluntati hominis liceat mihi præferre: & niſi Rex mihi terras Eccleſiæ reddiderit, & quicquid de Archiepiſcopatu, propter hoc, quia Sedem Apoſtolicam petii, accepit: vel certè, quod pro horum digna recompenſatione Eccleſiæ proſit. Aliter enim oſtenderem me hominem Deo debere præponere; & juſtè ſpoliatum eſſe quia Sedem Apoſtolicam volui requirere. * Quod ſatis patet quàm noxium exemplum ſit poſteris, & execrabile.] Quærunt quidam minùs intelligentes cur ego Regem non excommunico: ſed ſapientiores, & rectum habentes conſilium, conſulunt ne id faciam, quia non pertinet ad me utrumque, & querimoniam, ſcilicet, & vindictam facere. Denique ab amicis noſtris, qui ſub eodem Rege ſunt, mandatum mihi eſt quia mea excommunicatio ſi fieret, ab illo contemneretur, * & in deriſum converteretur.] Ad hæc omnia auctoritas veſtræ prudentiæ noſtro non eget conſilio. Oramus ut Deus Omnipotens faciat omnes actus veſtros ſibi placere, & Eccleſiam * ſuam de veſtri regiminis proſperitate diu gaudere. Amen.

al. debetis quàm habilis

al. omit.

al. omit.

al. omit.

al. omit.

EPISTOLA XLI.

Henricus, Dei gratiâ, Rex Anglorum, piiſſimo Patri ſuo ſpirituali Anſelmo Cantuarienſi Epiſcopo: ſalutem, & omnis amicitiæ exhibitionem.

Excuſat ſe inauguratum ab aliis Epiſcopis ob ingruentes hoſtes, ut in Angliam citiſſimè revertatur ſupplicat.

SCias, Pater chariſſime, quòd Frater meus Rex Guilhelmus mortuus eſt: & ego, nutu Dei, à Clero & à populo Angliæ electus, & quamvis invitus, propter abſentiam tui, Rex jam conſecratus requiro te, ſicut Patrem, cum omni populo Angliæ: quatenus mihi filio tuo, & eidem populo cujus tibi animarum cura commiſſa eſt, quam citiùs poteris, venias ad conſulendum. Meipſum quidem ac totius regni Angliæ populum, tuo eorumque conſilio, qui tecum mihi conſulere debent, committo: & precor ne tibi diſpliceat quòd Regiam benedictionem abſque te ſuſcepi; de quo, ſi fieri poſſet, libentiùs eam ſuſciperem, quàm de alio aliquo. Sed neceſſitas fuit talis; quia inimici inſurgere volebant contra me & populum quem habeo ad gubernandum: & ideò Barones mei, & idem populus, noluerunt ámpliùs eam protelari; hac itaque occaſione à tuis vicariis illam accepi. Miſiſſem quidem ad te à meo latere aliquos, per quos tibi etiam de mea pecunia deſtinaſſem; ſed * pro morte Fratris mei circa regnum Angliæ ita totus Orbis concuſſus eſt, ut nullatenus ad te ſalubriter pervenire potuiſſent. Laudo ergo & mando ne per Normanniam venias, ſed per Guiſand; & ego Doveram obviam habebo tibi Barones meos, & pecuniam ad te recipiendum; & invenies, Deo juvante, unde bene perſolvere poteris quicquid mutuò accepiſti. Feſtina igitur, Pater, venire; ne mater noſtra Cantuarienſis Eccleſia diu fluctuans & deſolata, causâ rui, ampliùs ſuſtineat animarum detrimenta. Teſte Giraldo Epiſcopo, & Guillelmo Wintonienſi electo Epiſcopo, & Guilhelmo de Warelimaſt, & Comite Henrico, & Roberto filio Haimonis, & Haimone Dapifero, & aliis tam Epiſcopis quàm Baronibus meis. Valè.

al. per mortem

EPISTOLA XLII.

Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Reverendiſſimo Fratri & * Coëpiſcopo Anſelmo, Cantuarienſium Archiepiſcopo: ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Ut Eccleſiæ Cantuarienſi reſtituta jam det operam Anglicanæ Eccleſiæ reſtaurationi: & Anglorum Regem cum Normanniæ Comite conciliet.

SIcut injuriis tuis & * exilio compaſſi ſumus, ſic reductioni tuæ & honori tuo, largiente Domino, congaudemus. Ergo tu, Frater in Chriſto Reverendiſſime, quia injurias & procellas Romanæ Eccleſiæ, ſicut in præſentia viſas pleniùs noſti, pro eis in portu poſitus efficaciùs laborare non * negligas primò, ut Eccleſiarum in regno Anglico ſtatum ſecundùm Romanæ Eccleſiæ ſanctiones corrigi ac diſponi facias: Dehinc, de Regis erga nos * devotione ac fidelitate debitâ, centuque B. Petri reſtituendo, efficaciùs ſtudeas. Scis enim quantis inopiæ circumvallemur anguſtiis. Nempe cùm pro Eccleſiis omnibus Romana laboret Eccleſia, quiſquis ei ſua aufert; non ipſi ſoli, ſed Eccleſiis omnibus ſacrilegii reus eſſe dignoſcitur. Significamus præterea Dilectioni tuæ, Normannorum Comitem queſtum apud nos eſſe adverſus Anglorum Regem * quia & fracto ſacramento, quod ei pro eodem regno acquirendo fecerat, regnum invaſerit. Et noſti quia eidem Comiti debemus auxilium pro laboribus quos in Aſianæ Eccleſiæ liberatione laboravit. Idcirco volumus ut ſi necdum inter eos pax compoſita eſt, te ſatagente, noſtris etiam nunciis intervenientibus, componatur. Pro his enim omnibus notum tibi & à te quondam educatum tunc Filium, nunc Fratrem & Coëpiſcopum Johannem mittimus, & Tiberium familiarem noſtrum. Quos petimus in omnibus quæ apud vos agenda ſunt, tuo conſilio inſtrui, tuo auxilio adjuvari: per quos ſacroſancta Romana Eccleſia tuæ religionis & ſapientiæ efficaciùs experiatur induſtriam.

al. exilium

al. desinas

al. dilectionem

EPISTOLA XLIII.

Anſelmus Archiepiſcopus, Domino & amico chariſſimo Burgundio, & uxori ejus Sorori ſuæ dilectiſſimæ Ricezæ; ſalutem, & benedictionem Dei.

Gratulatur nepotem ſuum Deo in ſervitutem eſſe dicatum: Quodque Deus juniores eorum liberos rapuerit, ut jam liberiùs ipſi Deo tota mente ſervirent.

SCiatis quia filius veſter Anſelmus chariſſimus nepos noſter, ſanus & lætus eſt mecum apud Lugdunum: & ego, Dei gratiâ, proſperè me habeo. De filio veſtro hoc vobis dico, quia gaudere poteſtis

Digitized by Google

multum, quod illum Deo obtuliſtis. Amat enim Deum; & quod amare debet: unde gratias agere debetis illis, & eos amare, qui eum in amore Dei & ſui Ordinis, & in bonis moribus nutrierunt. Et certè credo quia propter hoc meritum, quòd primogenitum veſtrum Deo devotâ mente dediſtis, noluit Deus perdere ullum de prole veſtra; nec permiſit eos, quos genuiſtis, uſque ad illam ætatem, in qua peccatis & malitiæ hujus mundi ſordidarentur, pervenire, ut vitam æternam perderent; ſed omnes eos bono fine de hac vita ad ſe tranſire fecit. Inſuper ſi ſapientes eſtis, & ſapienter conſideratis, intelligetis Deum feciſſe vobis magnam miſericordiam de vobis ipſis, quoniam abſtulit vobis occaſionem amandi hoc ſæculum, & deſiderandi ea quæ tranſeunt; cùm vobis abſtulit hæredes in hac vita, & fecit filios veſtros ſuos hæredes, & ſuos filios in æterna vita. Nunc agite gratias Deo, quia exonerari eſtis & expediti, ut liberè toto corde, tota intentione & totis viribus curratis ad Deum, & ſoliciti ſitis ſolummodo de ſalute animarum veſtrarum; &, ut illuc ſpontaneâ voluntate perveniatis, quò Deus filios veſtros, qui mortui ſunt, vobis nolentibus, miſericorditer traxit, & quò illum, quem Deo dediſtis, Deo adjuvante, perventurum expectamus, ubi patiter patet & mater, filii & filiæ in conſpectu Dei in gloria æterna gaudeatis; & unuſquiſque tantùm de ſingulis aliis, quantùm de ſe glorietur. *al. ego* *Ergo, dilectiſſimi & amiciſſimi, Frater chariſſime, & Soror chariſſima, precor, obſecro, moneo, conſulo ne contemnatis miſericordiam, quam Deus vobis non præmeditantibus fecit; & ne perdatis gloriam, quam Deus vobis, ſi culpa veſtra non fuerit, præparavit. Cognoſcite, cognoſcite quia quòd Deus vos ita omnibus filiis orbatos in hac vita ſolos fecit, non eſt ira Dei, ſed gratia Dei; ut qui jam ſoli remanſiſtis, nihil habentes quod ametis, ſine omni impedimento ad illum curratis, & ei vos & veſtra reddatis. Omnipotens Deus ſic vos ſuo amore accendat, ut omnem hujus vitæ delectationem faciat contemnere, & ad ſe toto affectu tendere & pervenire. Amen.

EPISTOLA XLIV.

Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili Fratri & Coëpiſcopo Anſelmo Cantuariorum; ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Ut conſtanter ſe gerat in tuenda Eccleſia Anglicana libertate.

NOn ignoras divinæ voluntatis conſilium, ut religio tua in Anglici regni regione præſideat. Cùm enim perverſi Regis odio declinans ſeceſſum elegiſſes, & procul ab Anglicis tumultibus tecum habitans Deo viveres: de perverſo Rege ſua omnipotens Dominus judicia terribiliter perpetravit: te autem totius populi poſtulatione vehementi, & novi Regis devotione mirabili, ad cathedram, * quam pro Deo dimiſeras, revocavit. Deo autem gratias, quia in te ſemper Epiſcopalis auctoritas perſeverat, & inter barbaros poſitus, non tyrannorum violentiâ, non potentum gratiâ, non incenſione ignis, non effuſione manus à veritatis annunciatione deſiſtis. Rogamus itaque ut quod agis, agas: quod loqueris * loquaris. *al. proloquaris* Non enim deficiet ſermonum noſtrorum operumque principium, qui in principio erat verbum. Nec nos in ipſo deficiemus, qui eſt Dei virtus, & Dei ſapientia. Eundem enim cum patribus noſtris ſpiritum habentes credimus, propter quod & loquimur. Et verbum quidem Dei non eſt alligatum; nos autem A humiliamur nimis. Cæterum in hac humiliatione, cum Deo mente excedimus, in ejus veritate hominum mendacia intuemur. Qua de re in Synodo nuper * apud Lateranenſe Conſiſtorium celebrata, Patrum noſtrorum decreta renovavimus, ſancientes & interdicentes, ne quis omnino Clericus * hominium faciat laïco, aut] de manu laïci Eccleſias vel Eccleſiaſtica dona ſuſpiciat. ‡ Hoc eſt enim Simoniacæ pravitatis radix, dum ad percipiendos honores Eccleſiæ, ſæcularibus perſonis inſipientes homines placere deſiderant. Idcirco ſanctorum Conciliorum * reverenda majeſtas, ſæcularium principum poteſtatem ab Eccleſiaſticis electionibus decrevit arcendam: ut ſicut per ſolum Chriſtum prima in Baptiſmo Eccleſiæ janua, ultima in morte vitæ * aperitur æternæ; ita per *al. veneranda* *al. eodem* *al. hæc* *al. eodem* B ſolum Chriſtum ovilis Chriſti oſtiarius ſtatuatur, per quem Chriſti ovibus, non pro mercedibus ovium, ſed pro Chriſto, ingreſſus & egreſſus ad vitam procuretur æternam. Hæc, Frater chariſſime, prolixiori poſſent & oratione & ratione tractari, ſed ſapientiæ tuæ pauca ſuggeſſiſſe ſatis eſt: quæ & orationibus * divinis * abundat, & * eccleſiaſticis eſt rationibus aſ- *al. omit.* ſueta. Hæc ita doceas, ſicut tuo ſcis Primatui expedire: quem profecto ita Fraternitati tuæ plenum * & *al. plenius* integrum confirmamus, ſicut à tuis conſtat prædeceſſoribus fuiſſe poſſeſſum: hoc perſonaliter adjicientes, ut quamdiu regno illi religionem tuam divina miſericordia conſervaverit, nullius unquam Legati, ſed noſtro tantùm debeas ſubeſſe judicio. Datum Late- *al. omit.* rani, xvii. Cal. Maii.

C

EPISTOLA XLV.

Paſchalis * Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Venerabili Fratri & Coëpiſcopo Anſelmo: ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Anſelmo cum de aliquot dubiis conſulenti reſpondet.

COnſulta illa, quæ per venerabiles nuncios tuos Baldemum & Alexandrum ad Sedem Apoſtolicam tranſmiſiſti, poterat utique Fraternitas * tua & *al. omit.* Fratrum, qui circa ipſam ſunt, collatione, & datæ divinitus ſapientiæ & intellectûs conſideratione diſcutere. Cæterum, ſicut in cæteris conſueviſti, in hoc quoque communi Catholicorum Matri reverentiam ſervare curaſti. Nos itaque Ss. Patrum qui nos in Sede Apoſtolica, diſponente Domino præceſſerunt, veſtigiis inhærentes, hæc conſultationi tuæ reſpondenda deliberavimus.

Anſelmus. Si de manu laïci liceat Epiſcopo vel Abbati accipere Eccleſias, quas in ſuo dominio habent; cùm eas non perſonæ, ſed Epiſcopatui vel Abbatiæ donent.

Paſchalis. De manu laïci Epiſcopus jam conſecratus ſuſcipere non debet Eccleſias, ſi in aliena parochia ſint; ſi verò in ſua ſunt, licenter accipiat: hoc enim non videtur dare, ſed reddere; cùm Eccleſiæ omnes per ſingulas parochias in Epiſcoporum eſſe debeant poteſtate: Abbates verò per Epiſcoporum manus accipiant. E

Anſelmus. De Sacerdotum filiis, vel concubinarum, qui quoſdam olim gradus acceperunt, & volunt omnino redire ad immunditias ſæculi, niſi ad majores promoveantur; & * ſi promoveantur,] promittunt religioſam vitam: quid agendum?

Paſchalis. De Sacerdotum filiis, vel concubinarum, quam vitam tenendam prædeceſſores noſtri Sedis Apoſtolicæ Pontifices inſtituerunt, noſſe te credimus. Nec nos ab illorum volumus aberrare veſtigiis. Quod

igitur tibi ſuper his in barbaris regionibus ſit diſponendum, ex ipſius præcepti poteris collatione diſtinguere.

Anſelmus. Si à Preſbyteris fœminas habentibus liceat pœnitentiam & Corpus Domini in periculo mortis accipere, cùm nullus continens adeſt: & ſi licet, & illi dare nolunt, quia Miſſæ eorum contemnuntur: quid faciendum?

Paſchalis. In periculo mortis poſitum meliùs æſtimamus de manu cujuſlibet Clerici Dominicũ Corpus accipere; quam de Corpore ſine Viatico dum religioſus Sacerdos expectatur, exire. Si qui verò Preſbyterorum, pro vitæ ſuæ contemptu præterito, in illo extremitatis articulo poſitis Viaticum denegaverint, tanquam animarum homicidæ diſtrictiùs puniantur.

Anſelmus. Si Rex habet terras Epiſcopatûs, vel Abbatiæ, quas nullo modo reddere vult, & pro eis vult dare aliquam Eccleſiam, quam in ſua manu tenet, non minus utilem: ſi liceat * eam accipere, ne judicetur emptio?

al. emit.

Paſchalis. Pro terris Eccleſiarum de manu Regis Eccleſias ſuſcipere minùs licet; ne * ſacrilegio dari videatur aſſenſus. Divina enim in nullius bonis ſunt; & quod Deo ſemel oblatum eſt, in alienos uſus non expedit uſurpari. Porrò ſub hujuſmodi commutationibus ſæculari poteſtati ſecuriùs indulgetur.

al. ſacrilegii

Anſelmus. Si nullus Clericus debet fieri homo laïci; & aliqua beneficia, aut poſſeſſiones non Eccleſiaſticos debet tenere de laïco; nec laïcus vult ei dare, niſi fiat ſuus homo: quid faciet?

Paſchalis. Liberam eſſe Eccleſiam Paulus dicit. Indignum eſt igitur ut Clericus, qui jam in Dei ſortem eſt aſſumptus, & jam laïcorum dignitatem exceſſit, pro terrenis huc is hominium faciat laïco; ne fortè, dum reperitur ſervi ſæcularis obnoxiùs, vacet aut gravetur Eccleſia. Scriptum eſt enim: *Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus.* 2. Tim. 2. v. 4.

Anſelmus. Sæpe neceſſe eſt aliquid de Apoſtolicis & Canonicis ſtatutis pro compenſationibus relaxare, & maximè in regno, in quo fere omnia ſic corrupta & perverſa ſunt, ut vix ibi aliquid omnino * ſecundùm * ſtatuta Eccleſiæ fieri poſſit: peto ut per licentiam veſtram poſſim quædam, prout mihi diſcretionem Deus dabit, temperare. Quod petii a Domino Papa Urbano; & ipſe poſuit in mea deliberatione.

al. omit.

al. Eccleſiaſtica ſerie

Paſchalis Diſpenſationis modus, ſicut B. Cyrillus in epiſt. Epheſinæ Synodi loquitur, nulli unquam ſapientum diſplicuit. Novimus enim SS. Patres noſtros, & ipſos Apoſtolos pro temporum articulis, & qualitatibus perſonarum, diſpenſationibus uſos. Quamobrem nos de religione & ſapientia tua diu longeque ſpectata, nihil penitus ambigentes tuæ deliberationi committimus; ut juxta datum tibi divinitùs intellectum, cùm Eccleſiæ, cujus præpoſitus es, tanta neceſſitas expetit, SS. Canonum, Decretorumque difficultatem opportunâ & rationabili valeas * providentiâ temperare.

al. omit.

Anſelmus. Ranulfus, de quo veſtrum olim petii conſilium, à Rege reſtitutus eſt in Epiſcopatum. Si ergo vobis placuerit, inquirite vitam ejus ab Epiſcopis noſtris, qui nunc ad vos venerunt; ac de eo, Archiepiſcopo ejus, & mihi Primati ejus conſulite.

Paſchalis. Ranulphi Epiſcopi cauſam, quandoquidem juxta præceptum noſtrum in Cathedram propriam reſtitutus eſt, indiſcuſſam præterire non patimur. Eius enim facinora graviſſima ad Sedem Apoſtolicam multorum ſunt relatione perlata. Volumus ergo ut apud præſentiam veſtram in Epiſcoporum conventu, quæ de eo ad nos ſcripta ſunt, pleniùs pertractetis. Diſcuſſione habitâ, nihil ſe ſeptima ſui Ordinis manu expurgare potuerit; mox cum litterarum veſtrarum teſtimonio tranſmittatur ad nos. Si autem de conſcientia ſua trepidans ad examen noſtrum pervenire noluerit; per experientiam veſtram ab Eccleſia quam occupat depellatur; & in ea, juxta Canonicas Sanctiones, Epiſcopus ſubrogetur.

EPISTOLA XLVI.

Domino, & venerabili Patri Anſelmo, gratiâ Dei Cantuarienſium Archiepiſcopo, Benedictus: in Domino ſalutem.

Conſolatoria eſt & amicis condita affectibus.

AMor ſcribere, & dolor cordis mei gemitum charitati veſtræ compellit aperire. Et quia ſapientibus loquor, & qui de parva materia norunt fercula conficere multa; ideo breviter ſuccincteque Sanctitati veſtræ dico quoniam Satanas videtur eſſe ſolutus. Rex namque ſuperbiæ prope eſt; & quod dici nefas eſt, Sacerdotum ei præparatur exercitus; quia cervice elatâ militant, qui præpoſiti ſunt ut præbeant exempla humilitatis: ſic ut Danielis vaticinium videatur eſſe completum. Ergo, qui in Judæa eſt, ad montes fugiat, *& qui in tecto eſt, non deſcendat tollere aliquid de domo*, &c. Proinde vos, qui in tecto Domini paſſer ſolitarius extitiſtis, & agrum Dei vomere linguæ viriliter conſcidiſtis, ad montes fugere nec oportet de plano aliquid tollere. Etſi Romæ non eſt nunc Gregorius eſt tamen Angliæ Auguſtinus: & qui dedit ei ſigna & prodigia facere, dabit vobis pro Chriſti fide ad fidem uſque viriliter certare: *Fidelis eſt enim Deus, qui non patietur vos tentari ultra id quod ferre poteſtis.* Benedictionem autem veſtram qua debui mente ſuſcepi, bene ſapientem, bene redolentem. Deo autem gratias agimus; quia ſaporoſa ſunt & odoroſa quæ agitis, quæ dicitis, quæ datis. De vita autem veſtra dicamus pariter, dicamus omnes: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Rogo vos, orate pro me, ut Simon me aliquâ parte corrumpere nequeat; & Deus ab hoc pelago ad portum ſalutis perducat. Matt. 24. v. 17. Luc 2. v. 14.

EPISTOLA XLVII.

Domino Reverendo, & Patri diligendo Paſchali Summo Pontifici, Anſelmus, ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis: debitam ſubjectionem, & orationum aſſiduitatem.

Auditis decretis Romani Concilii, cui Anſelmus interfuerat, Rex de ſuis Sum. Pontificem requirit: quid autem Papa judicaverit, ſibi ſignificari Anſelmus petit.

POſtquam revocatus ad Epiſcopatum redii in Angliam, oſtendi decreta Apoſtolica, quæ in Romano Conſilio præſens audivi; de qua re Dominus meus Rex veſtram requiſivit Sanctitatem per Legatum ſuum: & ego, per epiſtolam meam, veſtrum inquiſivi, ſecundùm quòd rem cognoſceretis, conſilium. Regi per litteras veſtras * reſpondiſtis; mihi veró minime; ſed quoniam illi] reſponſum, quod illi ſufficeret, non dediſtis; adhuc veſtram, pro eadem re, adeunt quidam Epiſcopi præſentiam; & ego noſtros mitto Legatos, reſponſi veſtri mihi relaturos ſententiam; ne fortè videat alicui meo ſolo ſenſu vel propriâ voluntate quidquam facere. Servatâ igitur apud me reverentia Sedis Apoſtolicæ, precor ut de petitione, quam vobis prædicti Epiſcopi exponent, quod

al. omit.

quod melius & utilius sapientia vestra secundùm Deum judicaverit, disponatis; & quidquid illud fuerit, per legatos nostros me certum faciatis. Sicut enim non pertinet ad me absolvere quod legatis; ita non est meum ligare quod absolvitis.

EPISTOLA XLVIII.

Domino & Patri reverendo Paschali Summo Pontifici, Anselmus, servus Ecclesiæ Cantuariensis; debitam subjectionem.

Consilium in adversis quæ jam per novem annos passus est expetitur. Precaturque ut Pallium electo Eboracensi Episcopo concedat.

QUanto studio meus mea pro sua possibilitate, Sedis Apostolicæ reverentiam & obedientiam amplectatur, testantur multæ & gravissimæ tribulationes cordis mei, soli Deo & mihi notæ, quas ab initio Episcopatûs mei cõtinuè jam per novem annos, & in exilio & Episcopatu passus sum, quia ejusdem Sedis subjectioni & obedientiæ inseparabiliter adhæsi. A qua intentione spero in Deo quia nihil est quod me possit retrahere. Quoniam de his quibus Excellentiam vestram requisivi per epistolam Missam olim per Guillelmum Regis nostri Legatum, nullum suscepi responsum; iterum ea necesse habeo repetere. De hoc quod inter Regem & me est, sufficere puto sapientiæ vestræ quod in aliis litteris significo, & quod per legatos nostros cognoscetis. De qua re non est humilitatis meæ vestræ sapientiæ dare, sed ab ea expectare consilium. Precor autem Omnipotentem Deum, quatenus ipse cor vestrum ad laudem & gloriam nominis sui, & utilitatem Ecclesiæ suæ dirigat, ut de vultu ejus judicium vestrum prodeat, & oculi ejus in omnibus actibus vestris videant æquitatem. De Archiepiscopo Eboracensi electo, sicut per Episcopos, qui cum eo sunt, poteritis agnoscere, supplex precor, quatenus Pallio propter quod vestram adit Excellentiam, nobis eum confirmatum & gratiâ vestrâ honoratum remittatis. Credo enim quòd non est in Anglia, qui tantùm possit in Ecclesiasticis rebus prodesse; & spero in Deo, quia sicut à Deo accepit facultatem, habet etiam voluntatem. Quæ tam alia quæ nostri Legati vestræ Paternitati ex nostra parte suggerent, precor ut audire, atque ad ea respondere dignemini. Oramus ut Deus omnipotens Sanctitatem vestram diu nobis conservet.

EPISTOLA XLIX.

Anselmus Archiepiscopus, Fratribus & Filiis suis charissimis Monachis in Cestrensi Cœnobio S. Werburgæ commanentibus; salutem, & benedictionem Dei, & suam.

De suorum Monachorum profectu gaudet, & ad accuratam etiam in minimis observantiam hortatur.

BEnedictus Deus in donis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, qui * vos facit & numero crescere, & augmento religionis proficere. Quamvis enim de omnium servorum Dei profectu gaudeam; in vobis tamen aliquid habeo speciale cur de vestro lætari profectu debeam; quoniam per me Deus congregationis vestræ est dignatus instituere principium, Abbatem, Domnum scilicet Ricardum, charissimum Filium nostrum. Gratias igitur ago Deo pro gratia sua quam ostendit in vobis: & oro, ut sicut eadem gratia vos prævenire dignatus est; ita indefinenter subsequatur, quatenus nunquam vos de hoc, ad quod vos provexit, permittat deficere, sed semper ad meliora donet proficere; quod pro certo ipse faciet, si non negligentes fueritis bona, ad quæ jam pervenistis, servare. Cùm enim Dei sit suâ gratiâ semper * nos prævenire nostrum est quod accepimus, ejus auxilio studiosè custodire. Nam quamvis nec habere nec servare possimus aliquid, nisi per illum; perdere tamen & deficere non est, nisi ex nostra negligentiâ, quæ sæpissimè incipit a minimis, in quibus nos callidus hostis solet decipere, cùm nobis persuadet ea non magni pendere. Inde namque sequitur illud damnum execrabile quod legitur, quia *qui modica despicit, paulatim decidet.* Certissimum namque est, quod in multis Ecclesiis experimento didicimus, quia in monasterio ubi minima districtè custodiuntur, ibi rigor Ordinis Monachorum inviolabiliter permanet; ibi pax inter Fratres; & in Capitulo proclamationes conquiescunt: ubi verò minimi excessus negliguntur, ibi totus ordo paulatim dissipatur & destruitur. Si ergo de virtute in virtutem * & de profectu ad profectum vultis ascendere; semper timete in singulis minimis Deum offendere. Non deberis considerare quam parva sit res, quam contra prohibitionem facitis; sed quantum malum sit inobedientia, quam pro parva re incurritis. Sola enim obedientia potuit hominem in paradiso retinere, unde per inobedientiam ejectus est; neque ad regnum cœlorum aliquis, nisi per obedientiam perducitur. * Pensate quia si homo per unam solam inobedientiam, in tantam miseriam quam patimur in hoc mundo, projectus est: quantùm debeamus eam horrere, & obedientiæ bono studere. In obedientia totus vigor bene vivendi constituitur, in ejus negligentia destruitur.] Abbati ergo vestro obedientiam non solùm in opere, sed etiam in voluntate * per omnia exhibete, & ad invicem pacem & concordiam per mutuam dilectionem habete: quam * dilectionem sic nutrire & servare poteritis, si unusquisque, non ut alius suam, sed ut ipse alterius voluntatem faciat, studuerit. Onositatem quoque sicut rem inimicam animarum, à vobis excludite; & unusquisque consideret, quia de singulis momentis vitæ nostræ reddituri sumus Deo rationem. Cuicumque ergo Deus dat aliquam gratiam ad quamlibet utilitatem, ea utatur, inquantum habuerit opportunitatem. Qui enim non utitur potestate benefaciendi quam habet, in die judicii quasi non habens judicabitur, & ab illo auferetur hoc ipsum quod habere videtur; quia & præmio quod mereri potuit, carebit; & deinceps nullam alicujus boni operis potestatem in posris habebit. Quasi autem alio dabitur, quod ab illo auferetur; quando illi, qui bene operatur secundùm * donum quod accepit, præmium augebitur; quia juxta illum, qui negligenter vixit, ejus exemplo a bono opere non defecit. Gratias ago vobis, quia pro me oratis, & oro ut ab hac charitate non desistatis.

EPISTOLA L.

Anſelmus Archiepiſcopus, Bernardo Monacho Cœnobii S. Werburgæ; ſalutem & orationem.

Pluris eſſe unicam vapulationem ex obedientia; quàm innumeras ex proprio ſenſu.

AUdivi à Domino Abbate tuo, quòd majoris meriti judicas, cùm Monachus ſe aut verberat, aut ab alio ſe verberari poſtulat, quàm cùm in capitulo ex præcepto Prælati, non ex ſua voluntate * vapulat. Quod non ita * eſt ſicut exiſtimas. Illud etiam judicium quod ſponte ſibi aliquis indicit, regale * eſt: illud verò quod per obedientiam in capitulo ſuſtinet, monachicum eſt. Alterum eſt ex ſua voluntate: alterum ex obedientiâ, nec ex ſua voluntate. Illud, quod regale dico, ſæpe ſibi Reges & ſuperbi divites fieri præcipiunt; illud verò, quod monachicum dico, non præcipientes, ſed obedientes ſuſcipiunt. Regale tantò * levius eſt, quantò voluntati ſuſtinentis concordat. Monachicum autem tantò gravius, quantò a voluntate patientis diſcordat. In regali judicio oſtenditur ſuſtinens eſſe ſuus: in monachico probatur non eſſe ſuus. Nam quamvis Rex, aut dives, cùm ſponte vapulat, ſe peccatorem humiliter oſtendat; nullâ tamen alterius * hominis juſſione huic humilitati ſe patiens ſubderet ſed jubenti omnibus viribus reſiſteret. Cùm autem Monachus ex ſententia Prælati in Capitulo humiliter flagellis ſe ſubjicit, tantò majoris meriti hunc eſſe veritas judicat, quantò magis & veriùs ſe, quam ille, humiliat. Ille namque ſe ſoli Deo humiliat, propter peccatorum conſcientiam: iſte verò etiam homini, propter obedientiam. Humilior autem, qui & Deo, & homini propter Deum, ſe humiliat, quam qui ſolt Deo, & non humanæ juſſioni, ſe humiliat. Ergo ſi qui ſe humiliat, exaltabitur, * qui ſe magis humiliat, magis exaltabitur.] Quod autem dixi, cùm Monachus vapulat, hoc à ſua voluntate diſcordare; non ita intelligas, quaſi nolit hoc obedienti voluntate patienter portare; ſed quoniam ex naturali appetitu, carnis dolorem nollet tolerare. Quod ſi dicis; non tam fugio publicâ * vapulationem propter dolores quos & ſecretè ſentio; quàm propter verecundiam: ſcito quia ille fortior eſt, qui hanc quoque ſuſtinere gaudet propter obedientiam. Certus ergo eſto, quia majoris meriti eſt una vapulatio Monachi tolerata per obedientiam, quam innumerabiles acceptæ per propriam ſententiam. Sed cùm talis eſt Monachus, ut & ſemper habeat cor paratum ſine murmuratione per obedientiam vapulare; tunc ſive ſecretè, ſive publicè vapulet, magni meriti eum debemus judicare.

al. omit.

al. omit.

al. lenius

al. omit.

al. omit.

al. appellationem

EPISTOLA LI.

Anſelmus Archiepiſcopus, Stephano * Archidiacono; ſalutem & benedictionem.

al. Diacono

Ut Abbatiſſam & ſanctimoniales Rumeſei à ſuperſtitioſo hominis defuncti, quem pro ſancto habebant, cultu prohibeat.

MAndo vobis ut eatis ad Rumeſei, & dicatis, & dicendo præcipiatis Domnæ Abbatiſſæ & Sanctimonialibus ex noſtra parte, & ex parte Epiſcopi A * Wintonienſis, & veſtra; ut ſi nolunt me prohibere illis Divinum Officium facere, tunc ex toto prohibeant ut nullus honor, qui alicui Sancto exhiberi debet, exhibeatur ab illis, aut permittant ab aliquo exhiberi, mortuo illi, quem * quidam volunt pro ſancto haberi. Filium autem ipſius mortui propellite à villa; nec ampliùs converſetur in illa.

al. omit.

al. quidem

EPISTOLA LII.

Anſelmus gratiâ Dei Archiepiſcopus Cantuariæ, Gerardo Archiepiſcopo Eboracenſi, ſalutem.

Decet induciat ſuo aſſenſu fuiſſe datas ſacrilego qui mulierem velatam in uxorem duxerat.

NOtum facio, Dilecte mi, Reverentiæ veſtræ, quia induciæ de cauſa illius, qui mulierem velatam in conjugium ſibi copulare præſumpſit, quas dedit Epiſcopus Lundoniæ veſtrâ inſtantiâ, me favente; in tantam infamiam converſæ ſunt mihi, & vobis & omnibus, quorum conſenſu daræ ſunt, apud Lundonienſes, & apud omnes qui hoc audiunt; ut * nullius hoc, niſi religioſo carens pudore, ſi fugere valet, tolerare queat. Deſperant etiam ullum bonum aliquando proventurum Eccleſiæ Dei per illos Epiſcopos, qui in tam execrabilis ſceleris protelationem conſentire potuerunt. Quapropter decet nos, imò neceſſe eſt omnibus nobis, qui in hoc * conſenſimus, ſi tam indecenti improperio ſubjacere nolumus, quatenus dies ejuſdem cauſæ definiendæ conſtituatur celeriùs, in quo præſentiam noſtram & veſtram, aut ſi hoc eſſe nequit, aliquam rationabilem ex noſtra, & ſimiliter ex veſtra parte perſonam adeſſe cupimus. Quem diem in octava die Nativitatis S. Dei genitricis Mariæ, quamvis nobis nimis longinqua, propter prædictam cauſam, ſit; tamen quia cognoſco vos velle intereſſe, ponimus. Quippe nec Epiſcopus ad quem cauſa pertinet, veller, ſi ego vellem; nec ego vellem, ſi ille vellet hoc differre diutiùs, ſi Deus nos ab omni impedimento defenderit. Nam tantùm, poſt colloquium noſtrum, didicimus de rei veritate; ut ſi acceleramus, quod differre propoſueramus, * nulla notandum hoc ſit in tali negotio levitate.

al. consensimus

al. nullus hoc

EPISTOLA LIII.

Venerabili Cantuariæ Archiepiſcopo, gloriâ & honore digniſſimo, Anſelmo, Hildebertus, humilis Cenomanorum Sacerdos, ſalutem, & orationes in Domino Jeſu Chriſto.

Grates perſolvit ob Tractatum de Proceſſione Spiritus ſancti, contra Græcos ſcriptum, & ad ſe miſſum.

ET dies lætus, & vultus ſolemnes cum tuo mihi Tractatu * pariter, Sanctiſſime Pater acceſſerunt. Suſceperam priùs benedictionem tuam * ſervus ego, ſervus tuus; & egit gratias * Domino Deo, & tibi, devotus * affectus, affectus meus. Humanum quidem fuit, ſubvenire proximo per * compaſſionis affectum: ſed divinum, fidem defendere Catholicam per inhabitantem in te Spiritum ſanctum. Utrumque autem operatus eſt unus * atque idem Spiritus, volens tibi

al. omit.

al. omit.

al. omit.

al. charitatis

virtutum exuberare gratiam, quem ſuæ Proceſſionis a Filio reſervabat defenſorem. In malevolam enim animam non poterat introire ſapientia, nec habitare in corpore ſubdito peccatis. Unde dignum fuit, ut advocatus veritatis exemplum* prætenderet religionis. Talis * propterea Paſtoralibus excubiis congruebat; cui nihil deeſſet ad plenitudinem juſtitiæ, nihil ad integritatem doctrinæ. Beatum ſanè pectus, quod * virtutum conventus reverendum ſibi penetrale conſecravit. Inde velut ex aditis divina prodeunt oracula, nihilque aliud ſacra * labia profitentur, quàm cœleſtis interpretem voluntatis. Eorum me ſæpiùs recordantem ſtupor opprimit: & dum ſingula diligenter intueor, omnia Spiritui fateor aſcribenda, cum Pſalmiſta dicens: *A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris* * Vale Sanctiſſime Pater, ſciens quia deſiderio deſiderat anima mea te videre, non ægrè latura ventos aut pelagus, dummodò liceat conſilium ſalutis accipere abs te, quod nuſquam eſſe credo, niſi ſit apud te.

al. linqueret

al. amita

al. reverendos

al. verba

al. miratur noſtri tempus hominem talia potuiſſe calamo ſcribere velociter ſcribentem omnia confingere aſcribenda.

al. vicem mihi, Pater ſanctè, rependeſti quarum me participem feceris orationū. Vale.

EPISTOLA LIV.

Anſelmus gratiâ Dei Archiepiſcopus Cantuariæ, Fratribus & Filiis chariſſimis, Domno Priori, & aliis ſervis Dei in Monaſterio ſancti Albani manentibus: ſalutem & benedictionem.

Hortatur Monachos ad continuam ſuæ Regulæ obſervantiam.

1. epiſt. ſeq. infra. GRatias ago Deo, à quo eſt omne bonum; & vobis, qui ſervatis ejus donum: quia de vobis audio omne bonum. Memores enim vos eſſe monſtratis quia oportet vos per multas tribulationes introire in regnum Dei, & quia tentatio probat & tentat juſtum, ſi diligat Deum; cùm nulla vos adverſitas à cuſtodia veſtri Ordinis prohibere poteſt. Sic enim expectare ſecurè poteſtis præmium, de quo dicitur: *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Quantò ergo vos ſtudioſiùs ad conſervandum Monachicum Ordinem inſiſtere cognoſco; tantò ſecuriùs vos paternâ monitione exhortor quatenus in bono propoſito, & in hoc ad quod vos Deus provexit, perſeveretis; & ſemper ad meliora, in ſpe divini auxilii, proficere & nunquam deficere tenteris. Quod efficaciter poteritis efficere, ſi nulla minima veſtri Ordinis volueritis contemnere: quoniam *qui modica ſpernit, paulatim decidit*: Deus videt quid vobis expediat: ſi moram fecerit vos conſolandi, expectate eum, quia non tardabit; ipſe enim eſt adjutor in opportunitatibus, in tribulatione. Omnipotens Deus corda veſtra in ſervitio ſuo corroborare dignetur, & conſolari. Oro vos, orate pro me.

Eccl. 19. v. 1.

EPISTOLA LV.

Domino & Patri Reverendo Anſelmo, primæ Sedis Archiepiſcopo, Hybernorum omniumque Septentrionalium Inſularum, quæ Orchades dicuntur, Primati: Mathildis Dei gratiâ Anglorum Regina, humillima ejus ancilla; præſentis vitæ curſu fœliciter peracto, ad finem qui Chriſtus eſt, pervenire.

Ut modicè quotidianum relaxet jejunium.

QUod quotidianum jejunium jam * verteritis in naturam ut nulli ferè dubium, ita nec mihi eſt ignotum. Quodque magis admiror: plurium probatum frequenti relatione didici & poſt longa jejunia, non natura poſtulante, ſed quolibet è famulitio ſuadente cibum ſumere ſolitum. Hæc etiam vos tantâ frugalitate ſumere non ignoro, ut magis naturæ, jus proprium demendo, vim feciſſe: quam legem ſolviſſe videamini. Unde cùm multis, tum mihi maxime metuendum eſt ne tanto Patri, cujus ſum beneficiis obligata; tam forti Dei athletæ & humanæ naturæ victori, cujus indeficienti vigore pax regni Sacerdotiique dignitas firmata eſt atque defenſa; tam fideli, tamque prudenti Dei diſpenſatori, cujus ſum benedictione in legitimũ matrimonium ſacrata, cujus ordinatione in terreni regni dignitatem ſublimata cujus precibus in cœleſti gloriâ, Deo annuente, coronanda; corpus tabeſcat; feneſtræ viſûs, auditûs, cæterorumque ſenſuum obturentur; vox ſpiritualium ædificatrix rauceſcat; & quæ canorum ac dulce Dei verbum decoro, quieto remiſſoque ſermone diſpenſare conſueverat, id tantò remiſſiùs in futurum exequatur: ut quoſque aliquantiſper à te remotiores audiêtia ipſius vocis privatos, fructu etiam vacuos derelinquat. Nolite igitur, bone Pater & ſancte, nolite tam intempeſtivè corporis viribus inediâ deſtitui, ne orator eſſe deſiſtatis. Quia, ut Tullius ait in lib. quem de ſenectute conſcripſit: *Oratoris munus non ingenii eſt ſolùm, ſed laterum etiam & virium.* Quò perditum ire feſtinat tanta animi tui celebritas, tanta memoria præteritorum futurorumque providentia, tot artes, tot ſcientiæ, tot inventa, tanta rerum humanarum notitia, divinitatiſque cum ſimplicitate prudentia. Conſiderate multitudinem talentorum quæ vobis dives Dominus veſter dedit, quid commiſerit, quid exigat. Deducite bonum in commune, quod deductum pulchriùs eluceſcat, atque cum multiplici fœnore reportetur ad Dominum. Ne fraudetis vobis ipſis invicem: ſicut neceſſarius eſt animæ ſpiritualis potus & cibus, ita & corporalis. Comedendum igitur eſt vobis, & bibendum; quoniam grandis vobis, Dei nutu, hujus vitæ reſtat via, grandis meſſis ſeminanda, ſarculanda ac metenda, in horreo quoque Domini, quo fur non appropiet, collocanda; videtis operarios in maxima meſſe pauciſſimos. In multorum labores introiſti, ut multorum lucra reportes. Memento verò vos vicem Johannis Apoſtoli & Evangeliſtæ chari Domini tenere; quem Dominus ipſe ſupervivere voluit, ut Virginis Matris virgo dilectus curam gereret. Suſcepiſtis gerendam curam Matris Eccleſiæ, de qua quotidie periclitabuntur (niſi magnâ curâ ſuccurratis) Fratres Chriſti & ſorores, quos pretio proprij ſanguinis redemptos ipſe tibi commendavit. Paſcite, ô Paſtor tanti Domini, gregem ejus, ne paſtus inops deficiat in via. Sit vobis in exemplo ſacer Sacerdos Martinus, vir ineffabilis, qui cùm cœleſtem re-

Digitized by Google

quiem paratam ſibi prævideret, laborem tamen pro A populi neceſſitate ſe non recuſare dicebat. Novi quidem vos multorum exemplis, multis Scripturarum teſtimoniis ad jejunium invitari & confirmari: aſſidua quippe lectio vobis frequenter ſuggerit qualiter poſt jejunium Heliam corvus, Heliſæum vidua, Danielem Angelus per Habacuc paverit: qualiter Moyſes tabulas, digito Dei ſcriptas, jejunio accipere meruerit, fractaſque per idem recuperaverit. Gentilium quoque vos exempla plurima ad parcimoniam invitant. Nemo eſt enim qui ignorat vos legiſſe Pythagoræ, Socratis, Anthiſthenis frugalitatem, cæterorumque Philoſophorum, quos ut enumerare longum eſt, ita nec præſenti opuſculo neceſſarium. Veniendum eſt ergo ad novæ legis gratiam. Chriſtus Jeſus, qui dedicavit jejunium, dedicavit & eſum, vadens ad convivium nuptiarum, ubi in vinum aquam convertit; ad Simonis epulas accedens, ubi à Maria ſeptem dæmonibus ejectis, ſpiritualibus eam ferculis primò pavit; Zachæi prandium non recuſans, quem de poteſtate militiæ ſæcularis retractum, ad cœleſtem militiam vocavit. Audi, Pater, audi Paulum Timotheum, propter dolorem ſtomachi, vinum bibere ſuadentem, dicentemque: *jam noli aquam bibere, ſed modico vino utere.* Ecce Apoſtolus ſecundum diſcipulum à propoſito dehortatur jejunio. Cui enim dicit: *Jam noli aquam bibere*; apertè denunciat eum nihil aliud quàm aquam antè bibiſſe. Imitemini Gregorium, laſſitudinem defectumque ſtomachi, cibi potuſque confortatione relevantem; doctrinæ & prædicationi viriliter indeficienterque inſiſtentem: facite igitur, quod ille fecit, ut perveniatis ad quem pervenit, hoc eſt, ad Jeſum Chriſtum fontem vitæ, montemque excelſum, cum quo de perenni gloria jam olim gaviſus eſt, gaudet, gaudebitque in ſæcula ſæculorum. Valeat in Domino Sanctitas veſtra; meque fidelem veſtram famulam vos toto cordis affectu diligentem, orationibus adjuvare nolite deſiſtere: & epiſtolam, non fictam, ſed fideli charitate & firma vobis a me miſſam ſuſcipere, legere, audire, atque exaudire dignemini.

EPISTOLA LVI.

Anſelmus * ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis, Dominæ, & Matri, & Filiæ chariſſimæ, reverendæ Comitiſſæ Idæ, ſalutem, & benedictionem Dei, & ſuam, quantùm poteſt.

De filio à ſe commonito, & de Prebenda Lamberti ſui Capellani.

CHariſſima, vos ſalutat mea epiſtola; ſed quotidie vos aſpicit mea memoria: & ſpero in Deo, quia nunquam illa de corde meo delebitur. Cum filio veſtro locutus ſum, & precatus ſum eum de vobis, ſicut intellexi oportere; & ipſe mihi reſpondit ſe E nihil libentiùs facere quàm voluntatem veſtram implere. Dominus Lambertus Capellanus veſter, qui moratur in Anglia pro veſtro ſervitio, rogat, & ego cum illo rogo, ne aliqua occaſione, donec ad vos redeat, perdat aliquid de Præbendæ ſuæ Beneficio. Precamur etiam ut hoc ipſum Confratres ejus Canonicos precando moneatis. Quos ſimul nos ambo in hac ſcedula ſalutamus; & ut petitionem veſtram admittant, etiam atque etiam rogamus. Omnipotens Deus vos ab omni adverſitate cuſtodiat, & deſiderium veſtrum ſemper dirigat, accendat, & perficiat. Amen.

EPISTOLA LVII.

Mathildæ glorioſæ Reginæ Anglorum, Reverendæ Dominæ, Filiæ charitimæ, Anſelmus Archiepiſcopus: debitum honorem, ſervitium, orationes, & benedictionem Dei, & ſuam, quantùm poteſt.

Habet gratias pro muneribus & amica commonitione.

B GRatias magnas ago veſtræ largitioni; ſed multò majores, de qua munera procedunt, ſanctæ dilectioni: quæ etiam mihi piâ ſollicitudine inſtat, ut in alimentis ſumendis corpori largiùs indulgeam, ne vox & vires ad curam injunctam mihi deficiant. Nam quoniam auditis me pro jejunio totius diei, etiamſi * quotidie fieret, famem non ſentire, timetis rauci- al. unic.
tatem & imbecillitatem mihi corporis evenire. Sed utinam tantùm mihi ſapientia & poteſtas quæ competit, ſuppeterent, quantùm vox & vires quas habeo ad opus mihi injunctum ſufficerent. Licet hic poſſim ſine famis moleſtia jejunare, ſatis tamen poſſum, & volo cùm debeo, quantùm expedit, corpus alimentis recreare. Memor eſt benigna veſtra dignatio C in epiſtola ſua, quòd per me ſit veſtra Celſitudo in conjugium legitimum deſponſata, & ad regni ſublimitatem, me ſacrante, coronata. Verùm cùm de me qui hujus rei miniſter tantùm fidelis, quantùm in me fuit, extitit; hoc tam benignè, tantâ gratiâ recolitis, ſatis æſtimari poteſt quantas Chriſto, qui hujus doni auctor & largitor eſt, grates in mente perſolvitis. Quas ſi rectè, ſi bene, ſi efficaciter ipſo actu vultis reddere, conſiderate Reginam illam, quam de mundo hoc ſponſam ſibi illi placuit eligere. Hæc eſt quam pulchram, & amicam, & columbam ſuam vocat in Scripturis, & de qua illi dicitur: *Aſtitit Regina à dextris tuis:* Hæc eſt, cui de eodem ſponſo ſuo Chriſto dicitur: *Audi, filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviſcere populum tuum, & domum patris tui; & concupiſcet Rex decorem tuum.* Quantò enim ſæcularium converſationis, & patris ſui, hujus ſcilicet mundi, habitationem contemnendo obliviſcitur; tantò pulchrior conſpectui ſponſi ſui, & amabilior cognoſcitur. Hanc quantùm dilexerit ipſe, probavit; cùm ſeipſum morti ſpontè tradere pro ejus amore non dubitavit. Hanc, inquam, conſiderate quomodo exul & peregrinus, & quaſi vidua ad virum ſuum cum veris filiis gemit & ſuſpirat; expectans donec ille de regione longinqua ad quam abiit accipere ſibi regnum, veniat; & eam ad regnum ſuum transferendo, omnibus qui eidem amicæ bona vel mala fecerint, prout quiſque geſſit, retribuat. Qui hanc honorant, cum illa honorabuntur: qui hanc conculcant, extra illam conculcabuntur: qui hanc exaltant cum Angelis exaltabuntur: qui hanc deprimunt, cum dæmonibus deprimentur. Hanc exaltate, honorate, defendite; ut cum illa & in illa Sponſa Deo placeatis; & in æterna beatitudine; cum illa regnando, vivatis. Amen. Fiat.

Pſal. 44.

Ibidem.

Digitized by Goog

EPISTOLA LVIII.

Anſelmus gratiâ Dei Archiepiſcopus, Dominæ & Matri, & Filiæ charissimæ, idæ Comitiſſæ: ſalutem, & benedictionem Dei, & ſuam, ſi quid valet.

Gratias agit pro liberalitate ſuis legatis exhibita; & ejus timorem in re ſalutis laudat; eamque à peccatis abſolvit, injuncta pœnitentiâ.

GRatias ago Celſitudini veſtræ pro benignitate & largitate, quam legatis noſtris nuper Româ redeuntibus exhibuiſtis, ſicut mihi & omnibus noſtris facere ſoletis. De hoc quod mihi per* Domnum Johannem mandaſtis, nullam poſſum veſtram culpam intelligere. Sed quoniam semper tutius eſt in hujuſmodi magis timere, quam confidere; laudo timorem veſtrum, quia *beatus homo, qui ſemper eſt pavidus.* Et beatus Job dicit: *Verebar omnia verba mea.* Solo igitur hoc amore, & mali quod contigit per malos homines, dolore quem habuiſtis, credo vos Deo, quantùm ad vos pertinet, ſatisfeciſſe. Quoniam tamen ſcio quid deſideretis, oro Deum ut vos ab hoc & ab omnibus peccatis veſtris abſolvat, & ad gloriæ ſuæ contemplationem perducat. Amen. Unum pſalterium pro omnibus peccatis veſtris dicite, ſecundùm opportunitatem veſtram.

a N.

Prov. 28. v. 14.

Job. 9. v. 28.

EPISTOLA LIX.

Anſelmus, * quamvis indignus, dictus Archiepiſcopus * Cantuariæ, Dominæ, & Filiæ charissimæ, Clementiæ reverendæ Comitiſſæ: per diuturnam hujus vitæ proſperitatem, æternam futuræ mereri fœlicitatem.

al. vocatus Archiepiſcopus

Comitem laudat quòd nullam daret inveſtituram: quod Comitiſſa conſilio & prudentiâ factum celebrat. Et ut eadem viro ſuo ſemper ipſa conſulat, Anſelmum hortatur.

RElarum mihi eſt quoſdam Abbates in Flandria ſic conſtitutos, ut Comes vir veſter nullam eis manu ſua daret inveſtituram. Quod ſicut non ſine ejus prudenti clementia; ita non* eſſe æſtimo factum abſque veſtra clementi prudentia. Tantò ergo de hoc veſtro bono opere gaudeo, quantò vos ambos veriùs in Deo diligo. Cùm enim ea quæ Religionis Chriſtianæ ſunt, concordi voluntate facitis; veros vos eſſe filios Eccleſiæ ſponſæ Dei, & fideles advocatos oſtenditis. Non enim debent Principes ſponſam Dei, Matrem ſuam (ſi Chriſtiani ſunt) æſtimare* ſibi datam in hæreditariam dominationem: ſed à Deo ſibi commendatam, ut ejus cohæredes mereantur eſſe ad reverentiam & defenſionem. Rex enim erat, & quid ad Principes pertineat intelligat, qui Principes volentes hæreditatem ſanctuarium Dei poſſidere, ſic maledicebat: *Deus meus pone illos ut rotam: & ſicut ſtipulam ante faciem venti:* & quæ proximè ſequuntur. Non hæc loquitur David, ſed Spiritus Dei Filii David, qui dixit: *Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.* Ad vos pertinet, reverenda Domina & Filia charissima, ut hæc & hujuſmodi viro veſtro frequenter opportunè, importunè ſuggeratis;* & ut non * dominum, ſed advocatum; non privignum, ſed filium ſe probet eſſe Eccleſiæ, conſulatis. Certè ſic erit

al. dare

Pſ. 82. v. 14.

Matth. 24. v. 35.

al. ut non ſolum Dominum

A poteſtas placens Deo, & omnes actus ejus dirigentur ab eo, & contra omnes ejus adverſarios erit cum eo. Monete eum ut nunquam adverſetur legi Dei; quia qui illi ſubditi ſunt, Scriptura, quæ non mentitur, aſſerit illos indubitanter inimicos eſſe Dei. Ne credat conſilium contra conſilium Dei: quia *Dominus repro-* Pſ. 32. v. 10.
bat conſilia Principum, conſilium autem Domini manet in æternum: Et, *ſapientia hujus ſæculi, ſtultitia eſt apud* 1 Cor. 3. v. 19.
Deum. Conſilium autem Domini eſt ſacra Scriptura, & eorum quibus dixit: *Qui vos audit me audit:* & ad Luc. 10. v. 16.
Chriſtianam religionem* inſtituta. Hæc moneat, hæc al. omit.
conſulat, rogo, viro ſuo Comitiſſa Clementia, ut & illum, & illam ad regnum cœlorum ſublevet divina clementia. Sic fiat. Amen.

B

EPISTOLA LX.

Anſelmus ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis, Gerardo reverendo Archiepiſcopo Eboracenſi: ſalutem.

Se non ſcripſiſſe litteras unde Anglia Epiſcopi ipſum criminabantur.

QUamvis me talem neſciat mea conſcientia, qualem me pingit veſtra prudentia, tamen non debeo eſſe ingratus, quia bona, quæ me dicitis, quam erga me habetis, vobis perſuadet benevolentia. Quòd C
me hortatur veſtra dilectio, ne patiar, neque velim veſtram & ſociorum veſtrorum contumeliam, libenter accipio; nec ſentio me aliquando eam aut quæſiviſſe, aut* voluiſſe. Nam litteras illas, de quarum publicatione hoc æſtimatis contigiſſe, nec ego tranſcripſi, nec tranſcribendas alicui oſtendi, nec aliquis per me. Denique cùm vobiſcum loquar, confido in Deo quia omnino me in hac re inculpabilem cognoſcetis. Vale.

al. noluiſſe

EPISTOLA LXI.

Anſelmus Archiepiſcopus Cantuariæ, Fratribus, & filiis charissimis, Monachis Cœnobii ſancti Eadmundi: ſalutem, & in tribulatione, miſericordiæ Dei conſolationem. D

Infractam Monachorum in adverſis conſtantiam prædicat.

LAudo vos, & gaudeo quia nullâ violentiâ vobis violentiam ingerentibus reſtitiſtis, ſed ſolius Dei tuitioni & diſpoſitioni vos commiſiſtis. Utique in hoc ipſi potiùs contra Deum quàm contra vos violenti fuerunt; & vos magis ad Deum clamaſtis, ut aſpiceret & judicaret quod illi contra eum vobis injuſte fecerunt. Non miremini, neque ultra modum turbetur cor veſtrum, ſi tribulationes in hac vita patimini, quia ſcriptum eſt: *Oportet nos per multas tribulationes introire in regnum Dei.* Et gaudere debemus cum Apoſtolo in tribulatione: *ſcientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit.* Et ſperare debetis in Deo, quia fidelis eſt, nec patietur tentari ſupra quam ferre poteſtis. Dei gratiâ, non patimini propter aliquod crimen, quantùm ad humanum pertinet judicium, ſed propter juſtitiam: illi verò ſuper vos ſe ingerunt propter ſuam concupiſcentiam. Cùm ſtabitis pariter ante tribunal Chriſti, ubi recipiet unuſquiſque prout geſſit in corpore, ſive bonum, ſive malum; li-

Act. 14. v. 21.

Rom. 5. v. 6.

Digitized by Google

quet quia vobiſcum eſt in hac re juſtitia, cùm illis eſt malitia. Si Deus hæc diſcernit in actione, utique diſcernet & in retributione. Cònſulo etiam vobis, ut pater filiis; quatenus hæc, quæ patimini, imputetis peccatis veſtris ſecundùm Dei judicium, ut unuſquiſque veſtrùm diſcutiat conſcientiam ſuam, & ſatisfaciat Deo per effectum pœnitentiæ, & confeſſionem. Solet enim Deus multitudinem propter culpam paucorum flagellare. Quapropter unuſquiſque, quod communiter patimini, ſibi imputet; & quantùm in ipſo eſt, clementiam Dei per ſatisfactionem ſuper ſe & ſuper alios invocet. Deus enim dicit: *Revertimini ad me, & ego revertar ad vos.* Omnipotens Deus ſuâ vos protectione & defenſione viſitet, & clementi conſolatione lætificet. Amen.

Malac. 3. v. 7.

EPISTOLA LXII.

Anſelmus Archiepiſcopus, Willelmo Archidiacono, dilecto ſuo: ſalutem & benedictionem.

De non evulgandis actis Concilii Londinenſis; niſi priùs, & iterum Epiſcopis illa communicarit. Capitulorum interim ſententias aliquas ſuggerit.

SEntentias capitulorum Concilii expoſitas nolo vobis aut alicui ad præſens mittere: quia quando in ipſo Concilio expoſitæ ſunt, non potuerunt ad plenum & perfectè recitari, propterea quia ſubito ſine præmeditatione ac competenti tractatione, ſicut oportuerat, ſunt * prolatæ. Unde quædam videntur addenda, & forſitan quædam mutanda: quod non niſi communi conſenſu Coëpiſcoporum noſtrorum volo facere. Volo ergo eas dictare, & priùs eiſdem Epiſcopis oſtendere, cùm primò convenerimus; quam per Eccleſias Angliæ dictatæ & expoſitæ mittantur. Nomina tamen rerum de quibus ibi loquuti ſumus, vobis mittimus, ut ſecundùm quod recordari poteritis, nos de illis decreviſſe * ſciatis. De illis qui ante excommunicationem vel poſt excommunicationem, neſcientes eam factam, Sodomico peccato peccaverunt; par * & ſimilis erit ſententia, ſi confitentes pœnitentiam petierint. Quam ſecundùm diſcretionem veſtrâ dabitis, cõſiderantes ætatem, peccati diuturnitatem, & utrum habeant uxores, an non: & ſecundùm quòd videatis eos pœnitere, & deinceps integram correctionẽ promittere. Conſiderandum etiam eſt quia hactenus ita fuit publicum hoc peccatum, ut vix aliquis pro eo erubeſceret; & ideò multi magnitudinem ejus neſcientes, in illud ſe præcipitabant. Illi verò qui poſt excommunicationem cognitam ſe peccato contaminaverunt, graviori ſunt mulctandi pœnitentia. Quam etiam in veſtra diſcretione, ſecundùm prædictas cauſas ponimus. De his qui tonderi nolunt, dictum eſt ut Eccleſiam non ingrederentur: non tamen præceptum eſt ut ſi ingrederentur, ceſſarent ſacerdotes; ſed tantùm annunciarent illis quia contra Deum, & ad damnationem ſuam ingrediuntur. De calceamẽtis laïcorum nihil decrevimus, ſed tantùm Clericorum. De Archidiaconibus & Canonicis, qui uxores ſuas derelictas extra domos ſuas in maneriis ſuis ponunt, exiſtimo interim (donec aliud ſtatuatur) tolerandum; ſi certam promiſſionem fecerint ſe nullam converſationem cum illis habituros, nec ſine legitimis teſtibus loquuturos. De Preſbyteris, qui timore non audent fœminas ſuas relinquere, quod ſtatutum eſt in Concilio, ſervabitur: quia quamdiu eas aliquâ occaſione tenebunt, nec Miſſas celebrabunt, nec legales erunt; ſed tantùm uſque ad initium Quadrageſimæ, ſi habuerint qui pro illis caſtè in Eccleſiis ſerviant, beneficiis Eccleſiæ non privabuntur. Illos autem qui preſbyteros propinquas ſuas dimittere prohibent; ſicut eos qui contra Deum & contra Chriſtianitatem agunt, arguite, & totum peccatum fornicationis Preſbyterorum illis imputandum oſtendite: & * noſtram & omnium Coëpiſcoporum noſtrorum excommunicationem illis promittite.

al. prolata

al. faciatis

al. noſtram omnium

EPISTOLA LXIII.

Anſelmus ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis, ſuis chariſſimis Burgundio, & uxori ejus Richeræ: ſalutem, & benedictionem Dei.

Ut futuræ vitæ ſint memores; & ad illius amorem ſeſe invicem accendant.

QUaliter me habeam, nuncius veſter meliùs poterit vobis verbis oſtendere, quàm ego ſcribere. Nihil autem tantùm me delectat mandare vobis, quantùm ut curam habeatis de vobis. Exoneravit vos Deus, abſtulit vobis omnem occaſionem amandi hoc ſæculum, & dedit vobis omnem opportunitatem amandi ſalutem veſtram. Ponite quotidie ante oculos veſtros finem veſtrum. Cogitate intentiſſimè cujus erunt & quid vobis * prodeunt, quæ poſt vos remanebunt. Cogitate quò ibitis, quid vobiſcum portabitis; quid ibi quod præmiſſum ſit a vobis, invenietis. Certè non portabitis vobiſcum nec invenietis ibi aliud, quam merita veſtra, ſive bona ſive mala. Videte quæ merita præmiſiſtis. Si plura bona quam mala, gaudere poteritis. * Si plura mala quam bona, quod non puto; multùm debetis timere, præſertim cùm multùm neceſſe ſit homini volenti ſalvari, habere * multò plura bona merita, quam mala. Hæc cogitate, hæc inter vos die ac nocte, in ſecreto & in publico, tractate; hæc ſint colloquia veſtra invicem: *Domine mi, Amica mea, quid facimus? quid tardamus? prope eſt ultima dies noſtra. Quomodo expendimus vitam noſtram? quomodo ſatisfacimus Deo pro peccatis noſtris? Præparemus nos, quaſi videamus in proximo diem vocationis noſtræ: & ita aptemus, ut ſecuri eamus ad judicium; quia recepturi ſumus ſine dubio, prout gerimus in hac vita, ſive bonum ſive malum. Deus nos junxit in hac vita, faciamus ut nos ſimul jungat in æterna vita; & videamus ibi prolem noſtram, quam ſibi Deus jam aſſumpſit.* Hæc ſunt veſtra ſtudia, hæc ſollicitudo, hæc ſuſpiria veſtra. Quod mando vobis per nuncium iſtum, ne veniatis ad me, niſi à me * mandati per ſigillum meum; vobis dico, Domine, & frater chariſſime, Burgundi, ſuſcipite bono animo, ſi me amatis. Omnipotens Deus regat corda veſtra, & dirigat ad gaudia æterna. Amen.

al. prodeſſe

al. omit.

al. mandatis

EPISTOLA LXIV.

Deſideratiſſimo Patri ſuo Anſelmo, venerabili Cantuarienſium Archiepiſcopo; Hugo Lugdunenſis Eccleſiæ ſervus, ſalutem.

De incolumi ſuo reditu ex Hieroſolymis.

SAnctitati veſtræ notum eſſe volumus, meritis & intercelſoribus veſtris id obtinentibus, nos Hieroſolymis incolumes rediiſſe. Quod vobis idcirco notificare dignum duximus, quòniam id vobis non ingratum
al. duximus fore * credimus. Audivimus autem à Rege Anglorum vos nimiùm inquietari; & multa contra Deum ejuſque Eccleſiam ab eo inconſulte agi; unde divinam nos
al. omit. oportet implorare clementiam, ut inimicos veſtros, * immo ſanctæ Dei Eccleſiæ perturbatores convertat, & veſtræ ſanctæ obedientiæ ſubjiciat. Quòd ſi, peccatis noſtris exigentibus, id ad præſens fieri non poterit; & perſecutione inſtante, vos cedere, aut etiam locum mutare neceſſe fuerit; Sanctitatem veſtram ſummiſſis precibus exoramus, ut ad puerum veſtrum declinare non dedigneminì, & ad domum veſtram, quæ veſtra fuit, & quæ modò veſtra eſt, & de die in diem ſemper melius veſtra erit. Quod non ſolùm nos, ſed & commiſſa nobis Eccleſia humiliter imploratquæ ſanctiſſimis orationibus veſtris nobiſcum devotiſſimè ſe commendat; & ad obſequium veſtrum promptiſſima, faciem veſtram videre deſiderat. Præſentium gerulum,
al. hæredum * Elvredum nomine, vobis commendamus. Qui ab Apulia uſque Lugdunum nobiſcum veniens, fideliter nobis ſervivit.

EPISTOLA LXV.

al. Gaiberto Suo reverendo, & chariſſimo Domino *Umberto, Comiti, & Marchioni, Anſelmus ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis: fidele ſervitium cum orationibus.

Gaudet de acceptis ejus litteris, ſimulque beneficia ab illo in ſe collata perſtringit. Et ut Eccleſiam tueatur, non verò illi dominetur, admonet.

LItteras à Dignatione veſtra mihi directas magno gaudio ſuſcepi, quoniam honore, & amore, & opulentiâ bonæ voluntatis plenas inveni. Quantus enim mihi eſt honor, cùm veſtra Celſitudo, cujus ſe homines gaudent eſſe Parentes mei, dignatur dicere,
al. ſibi & me ſibi * conſanguinitate copulari: quantus vero amor intelligitur, cùm de tam longè mihi ſtudet ſcribere ſe de bonis, quæ de me audit, valdè gratulari? Quantùm etiam voluntas ejus bona in his, quæ Dei ſunt, coram Deo ferveat, apertè monſtratur; cùm de bonis, quæ ſolâ famâ de longinquo regno audit, ad magnum gaudium & lætitiam excitatur. Utique licet ex quæ de me, vel de actibus meis bona referuntur, debeant, quantùm in me eſt, nulla aut ferè nulla judicari; veſtra tamen benevolentia non minori, quàm ſi vera eſſent apud juſtum judicem, gratiâ meretur remunerari. Tamam utique gratiam veſtram neſcio me alio
al. omit. quo ſervitio meruiſſe; niſi quia, ut verum fatear, * veſtram proſperitatem veſtroque ſucceſſus ſcio me ſemper, etiam antequam vos vidiſſem, non ficto corde dilexiſſe. Memor enim me naturaliter à progenitoribus, vobis, ut Domino, debitorem eſſe, nunquam paſſus ſum cordi meo veſtrum amorem deeſſe. Nec ſum oblitus, quia cùm Romam tenderem, benigna veſtra largitas Lugduni prompta fuit me cõducere, atque neceſſaria quæ habet impendere. Qui amor multùm crevit cognitâ per multos veſtrâ vitâ & probitate; quia ad ſervandam pacem ac juſtitiam, cum pietate urimini veſtri principatûs poteſtate. Quem etiam valde majorem habere me deinceps debere intelligo; quia hoc veſtra mereri dignatur erga me Dilectio. Quamvis non egeat veſtra bona intentio noſtrâ admonitione; ad me tamen pertinet ut epiſtola mea ad vos non ſit ſine aliqua exhortatione. Sicut enim ignem vento agitatum videmus exardeſcere, ita bona voluntas per exhortationem ad meliora ſe ſolet accendere. Videtis, mi chariſſime Domine, qualiter Mater noſtra Eccleſia Dei, quam Deus pulchram, amicam & dilectam ſponſam ſuam vocat, a malis Principibus conculcatur: quomodo ab his quibus ut advocatis ad tuitionem à Deo commendata eſt, ad eorum æternam damnationem tribulatur. Quâ præſumptione in proprios uſus ipſi uſurpaverunt res ejus, qua crudelitate in ſervitutẽ redigunt libertatem ejus, qua impietate contemnunt & diſſipant legem & religionem ejus. Qui cum dedignantur Apoſtolici decretis (quæ ad robur Chriſtianæ religionis facit) eſſe obedientes; Petro utique Apoſtolo, cujus vice fungitur, imò Chriſto qui Petro commendavit ſuam Eccleſiam, ſe probant eſſe inobedientes. Quærant igitur, qui vicarii Petri, & in eo, Petri & Chriſti, * decreta Chriſtiana contemnunt, alias re- al. omit.
gni cœlorum portas, quia certè per illas non introibunt, quorum claves Petrus Apoſtolus portat. Omnes namque qui nolunt ſubjecti eſſe legi Dei, abſque dubio deputantur inimici Dei. Ergo, mi Domine, ne puteris Eccleſiam, quæ in veſtro Principatu eſt, vobis eſſe datam in hæreditariam dominationem; ſed in hæreditariam reverentiam, & in tuitionem. Eam, ut Matrem veſtram amate, ut ſponſam & amicam Dei honorate. Qui enim illam conculcant, extra illam cum dæmonibus conculcabuntur; & qui illam glorificant, in illa & cum illa inter Angelos glorificabuntur. Reverendam Dominam meam, uxorem veſtram cum prole veſtra ſaluto, quibus vobiſcum noſtras Eccleſiæ noſtræ orationes in * vera charitate concedo. Omnipotens al. omit.
Deus ſic vos in hac vita dirigat & protegat, ut in futuro ad æternam beatitudinem provehat.

EPISTOLA LXVI.

Anſelmus gratiâ Dei Archiepiſcopus Cantuariæ: Fratri, & amico dilecto, Burgundio, & uxori ejus, Sorori ſuæ, Richeræ; ſalutem, & benedictionem Dei, & ſuam, quantùm poteſt.

Hieroſolymam profecturum, quid ſit acturus, monet. Ut generalem omnium ab infantia peccatorum confeſſionem præmittat: & ita res ſuas diſponat ut uxorem non ſine auxilio & conſilio relinquat.

MAndaſtis mihi, Domine, & amice chariſſime Burgundi, vos velle ire Hieroſolymam pro ſervitio Dei & ſalute animæ veſtræ, & hoc vos velle facere conceſſione meâ, & filii veſtri, mei nepotis, Anſelmi. Gaudeo de veſtra bona voluntate, & conſulo & precor, ut ſi hanc viam faciatis, nec vobiſcum peccata quæ feciſtis, portetis, nec domi peccatum relinquatis; & ut deinceps voluntatem bene vivendi, ſicut verus Chriſtianus veſtri ordinis, habeatis. Facite confeſſionem omnium peccatorum veſtrorum nominatim ab infantia veſtra, quantùm recordari poteſtis. Videte ne peccatum habeatis ſuper uxore veſtra, cujus boni-

al. cognoscetis
al. non sine

tatem vos meliùs * cognoscitis, quam ego: sed ita remaneat, ut sit * non sine auxilio & consilio, quidquid Deus de vobis faciat; nec expellatur a domo & honore vestro, contra voluntatem suam quamdiu ipsa vivet, ut possit Deo servire pro salute corporis & animæ vestræ, & pro anima sua & filiorum vestrorum. Disponite totam rem vestram, sicut faceretis si in præsenti vos moriturum, & Deo redditurum rationem de tota vita vestra sciretis. Nostram licentiam quæritis. Dei licentiam, & consilium, & auxilium, & protectionem, oro Deum ut in omnibus semper & ubique habeatis. Tibi dico, Soror mea charissima, converte totam intentionem tuam, & totam vitam tuam ad serviendum Deo: & quòd Deus abstulit tibi omnem delectationem hujus vitæ; crede quia ideo fecit, ut in illo solo delecteris: illum ama, illum desidera, illum cogita, illi servi omnibus horis, in omnibus locis. Omnipotens Deus vos semper ambos benedicat.

EPISTOLA LXVII.

Anselmus Archiepiscopus Cantuariæ, Sorori suæ charissimæ, Richeræ, salutem, & Dei in omnibus tribulationibus ejus consolationem.

Quòd nec in Angliam tuta conscientia redire possit; nec in ea pacificè vivere. Quodque filius ejus, nepos suus, sacratus sit.

al. omit.

SCio, Soror dilectissima, quia, excepto * viro vestro, non est homo in mundo cujus salutem & prosperitatem tantùm nosse & audire desideretis, quantùm meam, & filii vestri Anselmi, qui mecum est: ego enim sum unicus frater vester, & ille unicus filius vester. De his quæ erga nos sunt, Legati nostri pleniùs vos docere poterunt vivâ voce, quam ego per litteras. Sciatis tamen quia filius vester, nepos meus charissimus, postquam à vobis discessit, longam & gravem ægritudinem passus, tandem, Deo miserante, integram sanitatem recepit. De me verò dico, quia sanus corpore sum; sed in magnis tribulationibus versatur cor meum. Ita ut nec Angliam audeam propter timorem Dei fugere: nec in ea possim in ulla pace, aut tranquillitate, aut quiete vivere. Quotidie ita est cor meum suspensum, velut in proximo sim exiturus; sed quomodocunque sit de me, de vobis gaudeo, quia nuncii vestri mihi retulerunt vestram salutem & prosperitatem. Quoniam autem & prosperitas, & adversitas hujus vitæ breves sunt & transitoriæ; istas contemnamus, & æternam adversitatem fugere, & perpetuam prosperitatem mereri * bene vivendo contendamus. Cùm ergo, Soror charissima, in hac vita non habeatis in quo cor vestrum possit delectari, convertite illud totum ad Deum, ut in futura vita de illo possit lætari. Vale. Si vir vester redierit, & ad me venire voluerit; mando ut nullo modo veniat.

al. vult

EPISTOLA LXVIII.

Domino, & Patri reverendo, Archiepiscopo Rotomagensi, Guillelmo; Anselmus servus Ecclesiæ Cantuariensis, fidele servitium cum orationibus.

Ut revocet Abbatem S. Edmundi ab Abbate S. Ebrulfi intrusum; & illi Ecclesia res & homines, quibus injustè spoliata est, restituantur.

CLamavimus, & iterum clamavimus, & adhuc * clamamus ad Deum, & ad vos, & ad totam Ecclesiam Normanniæ, maximè ad Episcopos & Abbates, & omnes religiosas personas, de Abbate cœnobii sancti Ebrulfi qui quendam suum insipientissimum juvenem professione monachum in vita, ita, sicut jam vobis scripsimus, inordinatè & irreligiosè in Ecclesia sancti * Edmundi pro Abbate ingessit. Videte ne nobis necesse sit, ut familiariter reverendo meo Patri loquar, clamare ad Deum de vobis, ad quem pertinet hoc corrigere, si contemnitis. Dicit, ut mihi relatum est, idem Abbas, illum non esse suum Monachum: sed de sancto Severo. Sed secundùm quod ipse in Anglia confessus est, sicut ab audiente didici, professus est Ecclesiæ suæ; & ideo non * est verum quod negat eum suum esse Monachum. Denique ipse, quomodocunque sit de professione, ipse, inquam, Ecclesiam impedivit. Ipsum cogite, quantùm ad vos pertinet & quantùm potestis, ut eam expediat. Nimis carè vendidit nobis Lupulum suum, Ecclesiam rebus suis, & homines Ecclesiâ suâ violentiâ illis nolentibus sine quorum consensu fieri non debuit, spoliavit, & talem Monachum, qualem sæpe vobis ostendi, in eandem Ecclesiam immisit; & ad injuriam Dei, & contumeliam monachici ordinis, ibi dimisit. Obsecro facite ut reddat Ecclesiæ quos abstulit; & recipiat quos intulit. Valete.

al. omit.

EPISTOLA LXIX.

Reverendo Domino & Patri Paschali, summo Pontifici, Anselmus servus Ecclesiæ Cantuariensis debitam subjectionem, & fideles orationes.

Protestatur Gualonem Abbatem esse dignum Episcopum.

ECclesia * Belvacensis vestro consilio directa, & auctoritate roborata, Domnum Gualonem Abbatem Ecclesiæ sancti Quintini elegit, & electum desiderat sibi constitui Episcopum. Est enim, in quantùm humana potest judicare cognitio, sic aptus & utilis ad hoc in omnibus quæ in eligendo Episcopo consideranda sunt, ut melior & aptior in eadem Ecclesia inveniri nequeat. Sed quoniam desideranti nihil sufficit, donec quod desiderat assequatur; non est contenta eadem Ecclesia suis precibus, sed & aliorum, quos suum desiderium apud vestram Celsitudinem adjuvare posse existimat, auxilium studiosè postulat. Est enim experta in præteritis temporibus & in simili negotio multos esse, quorum consuetudo est malum dicere bonum, & bonum malum; & quærere plus quæ sua sunt, quàm quæ Jesu Christi; & qui acuunt linguas suas sicut serpentes: quos timet ne simulatâ colũbinâ simplicitate, suo veneno bonum inceptum infacere & annihilare contendant

al. Bituricensis

Digitized by Google

extendâr. Quamvis igitur longè nunc sim ab illa, tam propter * familiarem dilectionem quam invicem habemus, & propter notitiam, instant mihi quatenus quid de ejusdem viri testimonio sentiam, Sanctitati vestræ fideliter suggeram; & quantùm in me est, apud eam, ut quod desiderant nulla occasione annihiletur, precibus, quibus possum, efficiam. De persona itaque quam eligunt, secundùm conscientiam meam loquor, quia in prædicta Ecclesia ad Episcopatum nec meliorem, nec æqualem inveniri posse intelligo; nec aliquid de illo aut famâ, aut experimento, quod ejus obliter electioni, aliquando senti; sed multa quæ ejus electionem approbant, experimento & famâ cognovi. Quapropter licet de vestra auctoritate, quod ex vobis est, non dubitemus; tamen quibus possumus mente ad vestigia vestra prostrati precibus flagitare præsumimus quatenus eidem Ecclesiæ post multas, quas nostis tribulationes, quas passa est, misericordia vestra subveniat; & quod bene inceptum est, sine dilatione perficiat. Omnipotens Deus diu nobis vestram fraternitatem in prosperitate conservet. Amen.

* al. familiaritatem

EPISTOLA LXX.

Anselmus Archiepiscopus Matri reverendæ, & Filiæ charissimæ Athelizæ, Abbatissæ Wintoniensi: salutem & benedictionem.

* al. Aspelis

Non esse tristandum de Wintoniensi Episcopo propter justitiam expulso.

QUaliter & cur Dominus Willelmus electus Episcopus de Anglia exeat, non est opus hîc scribere; quia per multos alios hoc potestis cognoscere. Quantò autem gaudio & cum quanta gratiarum actione, quia hunc honorem illi fecit Deus, suscipere debetis, religio & prudentia vestra intelliget, si intentè consideratis. Major enim gloria, & laus est illi apud Deum & bonos homines, quia spoliatur & expellitur pro justitia; quam si omnibus divitiis & omni mundana possessione ditaretur, violatâ justitiâ. Gaudeant igitur & exultent amici ejus, quia nullâ violentiâ, nullo timore potuit superari, nec ullâ cupiditate à veritate separari. Hæc sit vestra de ejus expulsione consolatio; & ad hoc ut Deus illum corroboret & consoletur, vestra quotidiana sit oratio. Saluto & benedico filias vestras, & meas, quantùm possum. Valete.

* al. quasi omnibus

EPISTOLA LXXI.

Non est epistola, sed diploma

Oratorii villaque suburbana monachis Cantuariensibus ab Anselmo reddita, diploma.

EGo Anselmus sanctæ Dorobernensis Ecclesiæ Archiepiscopus reddo Monachis ejusdem Ecclesiæ medietatem Altaris Christi, quam in manu mea habebam post mortem prædecessoris mei Lanfranci Archiepiscopi, qui eis aliam medietatem cognitâ veritate quod ad illos pertineret, in vita sua reddiderat. Similiter manerium, quod Sistede vocatur, eisdem Monachis reddo, quoniam ad res eorum pertinere, & pertinuisse scitur. Testes Willelmus Ecclesiæ Christi Archidiaconus, Haimo Vicecomes, Haimo filius Vitalis, Robertus filius * Watsonis, Wimundus homo Vicecomitis, Radulfus nepos Episcopi Gundulfi, & alii plures.

* al. Wi

EPISTOLA LXXII.

Anselmus Archiepiscopus Cantuariæ, venerabili Fratri, Samueli, Dublinæ civitatis Episcopo, salutem.

Ipsum Reprehendit quòd res Ecclesiæ suæ pro libito det extraneis: & monet ut eas restituat.

AUdivi quòd libros, & vestimenta, & alia ornamenta Ecclesiæ, quæ Dominus Lanfrancus Archiepiscopus dedit avunculo tuo Domino Donato Episcopo ad opus Ecclesiæ, cui tua Fraternitas præsidet, tu pro voluntate tua exponis, & ea extraneis das. Quod si verum est, miror cur ita facias; cùm ipsa ornamenta non ei, sed Ecclesiæ data sint, sicut Fratres Cantuarienses Ecclesiæ filii attestantur: unde moneo, & monens rogo te, quatenus si aliquid de prædictis rebus extra Ecclesiam datum est, celeriter illud restitui facias. Item audivi quòd Monachos, qui in ipsa Ecclesia ad serviendum * Deo congregati erant, expellas & dispergas; nec redire volentes ullatenus recipere velis. Quod si ita est, non te decet: officii siquidem tui scitur esse magis dispersa congregare, quàm congregata dispergere. Quapropter mando tibi ut si aliqui abjecti sunt; & redire volunt, seseque in Dei servitio sub obedientia custodire, eos suscipias; & saluti eorum per paternum affectum studiosè intendas, nisi, quod absit, hujusmodi causa in illis obsistat, quæ hoc fieri omnino prohibeat. Præterea audivi quia facis portari crucem ante te in via. Quod si verum est, mando tibi ne ampliùs hoc facias; quia non pertinet nisi ad Archiepiscopum à Romano Pontifice Pallio confirmatum; neque decet te, ut ullâ præsumptione insolitæ rei te notabilem & reprehensibilem hominibus ostendas. Vale.

* al. omit.

EPISTOLA LXXIII.

Domino, & reverendo Paschali summo Pontifici, Anselmus servus Ecclesiæ Cantuariensis: debitam subjectionem, & fidele servitium.

Obnixè deprecatur ut fiat certiorde ratione investiturarum Ecclesiasticarum.

IN primis, quantas mea potest humilitas Celsitudini vestræ gratias agit, quia Legatos nostros tam benignè & honorificè suscepistis & tractastis; ut in hoc me de pietate vestra ultra meritum posse confidere cognoscam. Chartam quam mihi à vestra Majestate attulerunt, eâ qua debui reverentiâ suscepi; sed Rex Angliæ nec eam videre, nec illam quam illi misistis, voluit mihi ostendere. Nam Archiepiscopus Eboracensis & alii * duo Episcopi, cum quibus Legati nostri vestræ se exhibuere præsentiæ, redeuntes aliud vivâ voce retulerunt, quàm scriptura chartæ mihi præcipiebat. Asserunt enim publicè in eâ veritate quam servare debent Episcopi, vos secretè verbis per eos mandasse Regi quia si in aliis rectè ageret, investituras Ecclesiarum nec prohiberetis; nec excõmunicationi subjiceretis si eas faceret, sed hoc chartæ nolebatis committere, ne fortè alii Principes, quibus hoc ipsum interdicitur, occasionem conquerendi inde possent accipere. Mihi quoque ex vestra parte, in eadem Episcopali veritate dixerunt, ut illis de hac re crederem, & eorum consilio me committerem. Ad quod si nollem ad-

* al. omit.

quiescere, Rex etiam me contradicente ex vestra auctoritate incunctanter, quod non prohibeatis, secundum libitum suum efficeret; & si in hoc quod charta vestra mihi jubebat, persistere vellem, me absque dubio de regno suo expelleret. Tandem cùm nec litteris vestris vellem non credere, nec tandem Episcoporum assertionem vestram præferètium auctoritatem auderem contemnere, quoniam in utraque parte gladius mihi vibrabatur inobedientiæ, eorundem Episcoporum consilio inducias petii, donec à vestra Excellentia hujus rei certitudinem acciperem; me tamen nullatenus assensum præbente ut aliquid contra decretum Concilii Romani fiat, sed tantùm tolerante, nec aliquem interim inobedientiæ nota damnante, si fiat. Sic itaque Rex vestrâ ut putat, auctoritate Episcopatus dat atque Abbatias. Mente igitur ad vestra vestigia provolutus, quanto possum affectu, in magna angustia positus obsecro ut Apostolicam erga animam meam experiar in vobis esse pietatem, & ad hoc impetrandum totius Romanæ religionis supplex invoco charitatem. Non timeo exilium, non paupertatem, non torménta, non mortem: quia ad hæc omnia Deo confortante, paratum est cor meum pro Apostolicæ Sedis obedientia & Matris meæ Ecclesiæ Christi libertate. Certitudinem tantùm quæro, ut sciam absque omni ambiguitate quid auctoritate vestra tenere debeam. Audivi in Romano Consilio à venerabilis memoriæ Domino Urbano, excommunicari Reges, & omnes laïcos, investituras & re Ecclesiarum dantes, & ab illis accipientes: & qui propter hoc eorum homi-
al. accipiunt nes fiunt, & eos qui * accipientes consecrant. Aut ergo, si Sanctitati vestræ placet, hanc excommunicationem in Anglia absolvite, ut in ea possim manere sine animæ meæ periculo; aut eam vos servare velle quidquid mihi inde contingat, vestris litteris significate; aut si quid discretioni vestræ placet excipere, eâ lem certitudine nominatim quid illud sit intimate. De illis quoque, qui intra prædictas inducias investituras prohibitas accipiunt & qui eos consecrant, quid mihi faciendum sit, vestrâ instrui jussione desidero. In his quæ per latores præsentium extra hanc chartam Paternitati vestræ suggero, ut preces nostras dignetur non spernere, suppliciter expostulo.

EPISTOLA LXXIV.

Paschalis Episcopus, servus servorum Dei, Anselmo Cantuariensi, venerabili Fratri, & Coëpiscopo: salutem & Apostolicam benedictionem.

Ad præcedentem responsio.

SUavissimas Dilectionis tuæ suscepimus litteras, charitatis calamo scriptas. Neque enim aliud chartæ calamus indidit, quàm quod de fonte charitatis intinxit. In his Reverentiam devotionis tuæ complectimur; & perpendentes fidei tuæ robur, &
al. omit. * piæ sollicitudinis instantiam exultamus; quia, gratia Dei
al. omit. * tibi præstante auxilium, te nec minæ concutiunt, nec promissa sustollunt. Dolemus autem quia cùm Fratres nostros Episcopos Legatos Regis Anglorum benignè suscepissemus; quæ nec diximus eis, nec cogitavimus, redeuntes ad propria retulerunt. Audivimus enim eos dixisse quia si Rex in aliis bene ageret, nos investituras Ecclesiarum nec prohibere, nec factas excommunicare, & quòd ideo nolebamus chartæ committere, ne sub hac occasione & cæteri Principes in nos inclamarent. Unde Jesum, qui renes & corda scrutatur, in animam nostram testem inducimus, si ex quo hujus sanctæ Sedis curam cœpimus gerere, hoc immane scelus vel descendit in mentem: & hoc a nobis Deus avertat, ut est, & non surrependo nos inficiat; & aliud habeamus ore promptum, aliud cordi reconditum, cùm contra mendaces Propheta imprecetur, dicens: *Disperdat Dominus universa labia dolosa.* Si verò nostro silentio pateremur Ecclesiam felle amaritudinis & * im- al. impietatis radicis pietatis radice pollui, qua ratione possemus apud internum judicem excusari? cùm Dominus, sub specie Sacerdotum, dicat Prophetæ: *Speculatorem te dedi domus Israël.* Non bene custodit urbem qui in specula positus, dum non obsistit, eam hostibus diripiendam exponit. Si ergo virgam, pastoralitatis signum, si annulum, signaculum fidei tradit laïca manus: quid in Ecclesia Pontifices agunt? Ecclesiæ honor attenditur, solvitur disciplinæ vigor, & omnis religio Christiana conculcatur, si quod novimus Sacerdotibus solis deberi, laïca patimur temeritate præsumi. Non est laïcorum Ecclesiam tradere, nec filiorum matrem adulterio maculare. Jure igitur privandus est patrimonio, qui matrem polluit adulterio. Nec meretur Ecclesiasticæ benedictionis consortium, qui eam impiâ infectione insequitur. Laïcorum enim est Ecclesiam tueri, non tradere. Ozias quidem, cùm illicitum sibi Sacerdotium vindicaret, leprâ percussus est. Filii quoque Aaron quia alienum ignem imposuerunt, igni divino consumpti * sunt. Alienum est enim ab Ecclesia, & sa- al. omit. cris Canonibus est inhibitum, ne Principes & sæculares viri investituras non solùm non dare, sed * nec ele- al. ne ctioni Episcoporum se audeant violenter inferre. In VII. quippe Synod. ut nostis, scriptum est: *Sancta & universalis Synodus definivit neminem laïcorum Principum, vel potentum semet ingerere electioni vel promotioni Episcoporum.* Si ergo filii Aaron, quia ignem alienum intulerunt, corporaliter puniti sunt, illi, qui à laïcis, à quibus alienum est, Ecclesiam susceperunt, spirituali gladio feriuntur. Episcopos autem qui veritatem in mendacium cõmutarunt, ipsâ veritate, * quæ al. omit. Deus est,] in medium introductâ, a B. Petri gratia & à nostrâ societate excludimus, donec Romanæ Eccle- al. excudo-mus siæ satisfaciant, & reatûs sui pondus agnoscant. Quicunque verò intra prædictas inducias investituras seu consecrationem acceperunt, à consortio Fratrum, & ordinatos & ordinatores, alienos habemus; nec eis ad excusationem deceptio sufficit: quia & Propheta ab alio Propheta deceptus nec ideò mortem evasit. Rogamus interea Charitatem tuam, nos sanctis tuis precibus commendari; ut quantò propiùs ad Deum passibus virtutum acceleras, nobis orationum tuarum manus extendas. Omnipotens Deus, qui te hujus stadii invitavit ad cursum, fœlici consummatione perducat ad præmium. Amen.

EPISTOLA LXXV.

Anselmus servus Ecclesiæ Cantuariensis, dilecto amico suo, Domino Connio; salutem.

Tres superbiæ modos explicat, & subdividit.

EXigit Charitas vestra ut de tribus illis modis superbiæ, de quibus vobis locutus sum, duos qui à memoria vobis exciderunt, per Epistolam nostram commemorem. Tres quidem illos esse dixi; unum in æstimatione, id est, quando aliquis * altiùs existimat de al. omit. se quàm debeat; contra quem dicitur: *Noli altum sa- Rom. 11. v. 20 pere, sed time.* Et quem negat in se fuisse, qui dicit: *Do- Ps. 130. v. 1. mine non est exaltatum cor meum*, & quæ sequuntur. Alius est in voluntate, quando aliquis altiùs se vult tractari aliquo modo quàm debeat, contra quem dicitur:

Digitized by Google

Joh. 5. v. 44. Rom. 7. v. 16. *Quomodo poteſtis credere, qui gloriam quæritis ab invicem?* Et: *Diem hominis non deſideravi, tu ſcis.* Alius eſt in opere; contra quem dicit Dominus: *Cùm invitatus fueris ad nuptias, non diſcumbas in primo loco.* Iſte eſt, quando homo ſeipſum tractat altiùs quam debeat. Contra ſingulos iſtos modos plura inveniuntur dicta in ſacra Scriptura, ſi inquirantur. Contra omnes dicitur. 2 Par. 26. v. 21. Jac. 4. v. 6. *Qui ſe exaltat, humiliabitur.* Et: *ſuperbis Deus reſiſtit.* Et multa alia. De his tribus, quando ſingula quæque ſola eſt, illa eſt levior quæ in ſolo opere eſt, quia non fit niſi per ignorantiam; & tamen quia vitium eſt, corrigendum eſt. De aliis duabus, illa quæ eſt in ſola voluntate, damnabilior eſt; quia ſcienter peccat. Illa verò quæ eſt in æſtimatione, ſola inſanabilior eſt; quia non ſe oſtendit, & juſta ſibi videtur. Si ergo iſtæ tres ſuperbiæ ſingulæ conſiderentur, tres ſimplices poſſunt dici ſuperbiæ; ſi verò binæ & binæ intelligantur, tres duplices inveniuntur. Si verò tres * ſimul conjungantur, erit una triplex: & ſi erunt ſeptem, tres ſimplices, tres duplices, una triplex. Contra iſtas ſuperbias ſunt membra humilitatis, id eſt, ut humiliter quis ſentiat de ſe, & quantùm ad tractatum & converſationem aliorum, humiliter velit de ſe, & ipſe humiliter tractet ſe. Pro ſingulis modis ſuperbiæ dicitur homo ſuperbus; ſed pro ſingulis membris humilitatis, vel pro duobus, niſi omnia membra ſimul ſint, non dicitur homo humilis: ſicut uno membro languente, dicitur homo æger; ſanus autem non dicitur, niſi ſanus omnibus membris. Hæc breviter commemoravi Charitati veſtræ. Quæ ſi prudentia veſtra ſæpiùs retractaverit, pleniùs ea intelliget, quàm hîc dicta ſunt. Valete, & orate pro me, ut ſicut Deus dedit mihi ſuperbiam & humilitatem intelligere; ſic mihi det illam cavere, & iſtam acquirere. Salutate Dominum & amicum noſtrum reverendum Epiſcopum Attrebatenſem, ex parte noſtra.

* al. amit.

EPISTOLA LXXVI.

Anſelmus gratiâ Dei Archiepiſcopus Cantuariæ, dilectiſſimis Filiis & Fratribus Domno Ernulfo Priori, & aliis in Eccleſia Chriſti Cantuariæ Deo ſervientibus: ſalutem, & benedictionem Dei, & ſuam, quantùm poteſt.

Carnoti, ubi à Comitiſſa & ab Epiſcopo exceptus eſt, ſcribit de itineris ſui proſperitate: & Cantuarienſes ut religioſi inſtituti ſint tenaces, hortatur.

QUaliter me habeam & quid agam, Dilectioni veſtræ ſignifico. Gratiâ Dei, poſtquam iter noſtrum incepi, veſtris orationibus me proſequentibus, ab omni adverſitate ſum uſque in præſentem diem protectus. Romam tendens eâ intentione quâ de Anglia exivi, Carnotum uſque perveni, ubi a Comitiſſa ſorore noſtri Regis, & ab Epiſcopo, & à multis aliis cum gaudio & honore ſuſceptus ſum, ſed de itinere meo tali tempore incepto valde mirati ſunt. Dicebant enim propter nimietatem caloris, & quia iſto tempore nullus peregrinus vadit, me nec Romam perventurum, nec ampliùs rediturum; quia aut manus inimicorum Eccleſiæ Dei non poſſum effugere, aut propter imbecillitatem corporis mei, tali tempore neceſſe eſſet me mortem incurrere. Sic itaque vi conſilii ſui me ultra progredi ad præſens non permiſerunt; ſed ut opportunum tempus, & quando peregrini vadunt, expectarem, coëgerunt. Sciens enim Scripturam divinam dicere: *Omnia fac cum conſilio, & poſt factum non pœnitebis:* timui ne ſi tam rationabili & amico conſilio non acquieſcerem, pœnitentia ſequeretur. Hac ratione, quamvis prædicta Comitiſſa me in terra ſua retinere, & omnia neceſſaria libentiſſimè vellet impendere, reverſus ſum in Normanniam; & expecto ut congruo tempore hoc quod incepi, Deus annuerit, perficiam. Scitis, Filii chariſſimi, deſiderium meum de vobis; audiſtis ſæpe quid tribulationes meas conſoletur in vobis. Si corda veſtra ſoli Deo ſtudent vacare, ſi propoſito quod fortiter arripuiſtis; velut boni in Chriſti vinea operarii ſtrenuè inſudatis; ſi mundum vobis crucifixum & vos mundo vita veſtra teſtatur: ſi non vobis, ſed Deo, id eſt, non veſtræ, ſed Dei voluntati vivitis; ſi etiam in minimis Deum valde timetis; ſi diſtrictionem Ordinis veſtri amâtis; quam qui odit, certiſſimo ſigno ſe vitioſum eſſe & diſſolutionem diligere demonſtrat: ſi pacem inter vos & obedientiam Domino Priori ſervatis: hoc eſt deſiderium meum de vobis; hæc conſolatio & requies mea in vobis; hæc cogitate, hæc retractate & facite, ſi me lætificare: imò ſi Deum vobis vultis placare: hæc vobis Spiritus ſanctus perſuadeat, & pro his gloriæ ſuæ viſionem beatam exhibeat. Amen.

EPISTOLA LXXVII.

Anſelmus Archiepiſcopus, Dominus, Fratribus chariſſimis, Domino Priori Ernulfo, & aliis ſervis Dei in Chriſti Eccleſia Cantuariæ commanentibus: ſalutem, & benedictionem Dei, & ſuam, quantùm poteſt.

Ejuſdem argumenti cum præcedente.

GRatiâ Dei veſtris & aliorum amicorum noſtrorum orationibus favente, ex quo a conſpectu veſtro diſceſſi, omnia erga me & ſocios proſperè fuerunt uſque in præſentem diem. Precor autem, ut ſicut de vobis confido pro nobis orare non ceſſetis, quatenus ſic nos & actus noſtros divina clementia protegat & diſponat, ut de omnimoda Proſperitate noſtra, nobis ad vos redeuntibus charitas veſtra congaudere valeat. Quantum quidem ad nos pertinet, ſicut dixi, omnia nobis proſperè ſunt; ſed ſi vos in pace, & ſicut ſpero, in ſtudio bene vivendi & ſalvandi animas veſtras vivitis, ſecundùm deſiderium meum; tunc multò magis & veriùs augetur gaudium meum. Precor itaque quanto affectu poſſum, ut ſemper ad meliora ſolliciti ſitis proficere, & nullatenus ab his, ad quæ vos Dei gratia provexit, deficere. Ad invicem ſecundùm Deum dilectionis & concordiæ dulcedinem ſervate, Ordinis veſtri diſtrictionem ſine ſimulatione amate, corda veſtra ad ſocietatem * Angelorum, propter quam bene vivitis, ſine intermiſſione levate: in omni difficultate & adverſitate * temporali, ſi contigerit, ne bonum ſtudium * veſtrum aliquatenus perturbetur, conſolationem Dei orando ſperate. Ubicunque eſtis ſive in conſpectu hominum, ſive tantùm in conſpectu Dei, à quo nunquam abeſtis, in omnibus actionibus veſtris, magnis vel parvis, etiam in cogitationibus cum Pſalmiſta animas veſtras in manibus veſtris ſemper portate. Omnipotens Deus ſic vos protegat in omnibus, & dirigat, ut ad æternam beatitudinem per temporalem proſperitatem perducat. Amen. Nepotem meum Anſelmum charitati veſtræ, ſicut carnem meam, commendo; ut & diſcere valeat, & vitam ſuam cuſtodiat. Domino Roberto, qui cuſtodit domum noſtram, præcipio, ut totum vinum noſtrum quod Cantuariæ dimiſi, vobis tribuat: & ſecundùm voluntatem Domini Prioris in veſtrum uſum expendat.

* al. Angelorum

* al. amic.

* al. amit.

Eccl. 32. v. 24.

EPISTOLA LXXXII.

Anſelmus Archiepiſcopus, Dominis, & Fratribus & Filiis charissimis, Domno Priori Ernulfo, & aliis ſub illo Monachis Deo ſervientibus: ſalutem, & benedictionem Dei, & ſuam, quantùm poteſt.

Ut Cantuarienſes Monachi non turbentur; ſed quieti Deo ſerviant, quidquid Rex egerit.

DE ſalute & proſperitate noſtra, & ubi ſim per præſentem nuncium cognoſcetis. Ad præſens autem in Angliam redire nequeo, donec ſciam quid Rex reſpondeat litteris quas illi mitto per Epiſcopum Roſenſem. Quid autem in illis contineatur, poſtquam Regi erunt oſtenſæ, per eundem Epiſcopum cognoſ-
Rom.14.v.8. cetis. Quicquid autem Rex reſpondeat, vel quicquid de me ſit, mementote quia *ſive vivimus, ſive morimur, Domini ſumus.* Sic igitur vivite, ut & illi vivatis, & cùm moriemini, ad illum tranſeatis. Non vos
Act.14.v.21. perturbent tribulationes hujus vitæ: quia *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Jactate cogitatum veſtrum in Domino, & ipſe vos enutriet, non dabit in æternum fluctationem juſtis. Orate Deum, bene vivendo, non mentes veſtras turbando; ut in ſua ſemper vos conſolatione faciat lætari. Pueros & adoleſcentes, ut filios dulciſſimos, hortor & moneo, quanto poſſum affectu, ut monitionis & doctrinæ, qua eos de cordis & cogitationum cuſtodiâ ſolebam inſtruere, non obliviſcantur: ſed conſilium noſtrum ſæpe retractando, ſicut eam ſtudiosè magni-
Philip.4.v.7. ficare & commendare illis ſolebam, per gratiam Dei cuſtodire nitantur. Pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra & intelligentias veſtras. Gratias vobis ago pro charitate quam impendiſtis nepoti noſtro; & illi præcipio ut vobiſcum maneat, & doctrinis ac litteris ſtudeat, donec ego ſibi mandem ut veniat.

EPISTOLA LXXXIII.

Anſelmus Archiepiſcopus * ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis, * Euſtachio patri Gaufredi Monachi Beccenſis; ſalutem.

al. omit.
al Euſtachio

Is, uxore ex ejus conſenſu recluſa, alteram ſibi adjunxerat; de quo peccato illum corripit.

DOmnus Gaufridus filius veſter ſolicitus de ſalute animæ veſtræ, & timens damnationem veſtram, rogat me ut oſtendam vobis in quanto periculo
al. omit. maneatis. Dicit enim quia uxori veſtræ * matri ejus licentiam, ut ſæculum relinquens Sanctimonialis fieret, dediſtis; & caſtitatem corporis veſtri * Deo voviſtis, ſed poſtea aliam mulierem accepiſtis, unde filium genuiſtis. Quod ſi ita eſt, ſcitote abſque ulla dubitatione quia ſi in hoc peccato de hac vita exit
al. omit. anima * veſtra, omnino perdita erit; nec ulla ſpes ejus
al. omit. ſalutis, ſive ante * diem judicii, ſive poſt diem judicii erit. Videat igitur veſtra prudentia quàm grave malum ſit perdere * vitam æternam, & * ſocietatem Angelorum, & pati tormentum æternum in ſocietate diabolorum. Videre etiam quàm periculoſum ſit, &
al. gloriam
al. ſocietatem
al. omis. quanta inſipientia in tali * re differre correctionem, ſine qua certâ poteſtis expectare perditionem. Quamdiu enim in hoc peccato maneatis, ira Dei manet ſuper vos: & ſicut peccatum, quantò diutius manet, tanto magis creſcit; ita ira Dei in dies magis ſuper vos exardeſcit. Conſulo igitur & precor, ſicut Chriſtianus Chriſtianum, & ſicut amicus amicum, quatenus de tam gravi peccato, & tam magno periculo exire non differatis; ne fortè de hac vita ad mortem & tormentum æternum tranſeat anima veſtra, quâ horâ non putatis. Conſulo etiam ut filii veſtri Domini Gaufridi de hac re accipiatis conſilium, ſi unquam à Deo vultis habere ſalutis auxilium. Nam etſi non promiſiſtis caſtitatem veſtri corporis, quando uxori licentiam dediſtis ut Sanctimonialis fieret; nullo tamen ſine eo peccato & periculo, quod ſupra dixi, violarè eandem caſtitatem in vobis poſſetis, quamdiu uxor
B * eadem viveret.
al. mis.

EPISTOLA LXXXIV.

Anſelmus ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis, Dominæ, & reverendæ Matri Abbatiſſæ Cadomenſi, Mathildæ: ſemper divinæ gratiæ regi conſilio.

Hæc ſe debiliorem perſentiens conſulit Anſelmum, an onus deponere debeat. Reſpondet ipſe quòd ex conſenſu Comitis & Archiepiſcopi Rothomagenſis ac Sanctimonialium, laudabiliter poſſit: ſin autem, partiatur onera ſua; & ea ſapientioribus ſororibus commissas, quæ explere ipſa non ſufficit.

PEtit Sanctitas veſtra per Domnum Robertum fratrem Euſtachii, noſtrum conſilium de Abbatia veſtra, quam idcircò deſerere, ſi vobis liceret ut alii commendaretur, velletis; quoniam eam propter infirmitatem & ætatis imbecillitatem, ſicut oportet, regere non valetis. Quod quia fieri non poteſt, niſi per Comitem, & Archiepiſcopum Rothomagenſem, & Epiſcopum veſtrum, & conſenſum Sanctimonialium vobis commiſſarum; inde vobis nullum impendere poſſum auxilium: ſed quoniam hoc petitis, quale poſſum mando conſilium. Tentate ſi per eos ad quos pertinet, deſiderium veſtrum, ſicut vobis expedire videtur, poteſtis efficere; & ſi nequitis, ſororibus, quæ membra veſtra ſunt, illis ſcilicet in quibus majorem prudentiam & religionis fervorem cognoſcitis, earum rerum in quibus vires veſtræ deficiunt, præcipiendo, rogando, exhortando curam injungite. Nam * ſi etiam contingeret, ut tales perſonas, in quibus ſecundùm deſiderium * veſtrum poſſitis confidere, non haberetis, quod in Eccleſia veſtra eſſe non ſpero: veſtra tamen Reverentia, ſi illas eligeret, quas ad hoc meliores & aptiores cognoſceret, excuſabilis apud Deum, quoniam meliùs non poſſet, ſicut credo, exiſteret.

EPISTOLA LXXXV.

Anſelmus Archiepiſcopus, reverendo & diligendo Epiſcopo Roſenſi, Gondulfo: ſemper, & omnibus in Deo placita velle & operari.

Eum de Cantuarienſis Eccleſiæ negotiis ſollicitum laudat. Epiſcopum Eboracenſem non vult inauditum & abſentem damnare.

PRimùm gratias ago Deo, quia ſicut mandaſtis, omnia noſtra & veſtra ubique proſperè ſubſiſtunt:

deinde vobis, cùjus prudentia & cura reguntur. Dei gratia poſtquam de Anglia exivi, * omnia erga me, & ea quæ ad me pertinent ad votum meum diſponuntur. De debitis quæ ſolviſtis, ſi & debita de Romaſcot in his ſunt, gaudeo; & promiſſionem veſtram de redditibus noſtris cum actione gratiarum expecto. Bene feciſtis, quia verba quæ inter Regem & vos fuerunt de me & itinere meo, & de epiſtolis quas ſibi & mihi a Papa miſſas dixi, & de Legatis ad Imperatorem mihi mandaſtis. Sed ſcitote quia ego nec litteras, nec ullam legationem ab Apoſtolico habui, poſtquam à vobis diſceſſi: niſi quod per Tiberium mihi mandavit verbis & litteris, ut eum de Romaſcot adjuvarem. De litteris autem Papæ ad Regem nihil ſcio, niſi quod vos mihi mandaſtis. Si autem alicubi manſurus ſum & per Legatum meum ſim facturus quod incepi, nondum ſum certus. De Gerardo Archiepiſcopo Eboracenſi non debeo in tali re aliquid abſens de abſente & inaudito definire, præſertim cùm ipſe crimen illatum neget: & ideò non audeo dare conſilium, ne conſilium meum ab aliquo pro definitione accipiatur. Quapropter ſi vobis videtur, de hoc apud Regem, omnino ex mea parte, niſi ipſe à vobis requiſiverit, quod vobis mando, ſi melius non poteſtis, reſpondete. De lite quæ eſt inter noſtros & homines Roberti de Monte-forti, precor ut faciatis per Regem, ut aut pax integra, aut * treviæ inter eos, donec redeam, ponantur. De omnibus noſtris rebus intùs & foris, curam, ſicut hactenus feciſtis, habeatis, & ſicut ſcitis me in vobis confidere; precor. De rebus ac familia Roberti nutritii veſtri, qui mecum eſt, gratias ago, quoniam ea contra adverſarios eius ſicut illi mandatum eſt, defenditis; & inſtantiſſimè precor ut omnia quæ ad illum pertinent, quieta manere omnino facatis; & hoc ipſum Guillelmo de Meteſtante ex mea & veſtra parte præcipiatis. Dico enim vobis quia malo in meis propriis, quam in ejus rebus, aliquam pati injuriam. Deo annuente, ante Aſſumptionem Sanctæ Mariæ de Becco proficiſci volo; & in feſtivitate apud Carnotum eſſe: & deinde, ſicut Deus diſponet: veſtris orationibus proſequentibus, iter noſtrum peragere. Quòd nonnulli me reprehendunt de familiaritate quam habeo ad illos quos Rex non diligit; ſcitote quia nihil facio contra honorem ejus, aut unde juſtè reprehendi debeam. Propter rixas quæ fiunt de Eccleſia de Hergas, jubete Rodulfo Propoſito ut eam teneat in manu mea, donec redeam; & interim inveniat, qui in ea ſerviat. Omnipotens Dominus vos, & veſtra, ſub ſua gratia cuſtodiat; & vos * ſemper in viam ſalutis dirigat. Amen.

al. treuue

al. nunc & ſemper

& nullum mihi reſponſum per Legatos faceret, niſi ad eum, ſicut incepit ipſe, pervenirem. Didici enim per litteras quas mihi per Tiberium miſit, quia ſi poſſibile eſſet libenter * mecum loqueretur. Sperans itaque in Deo, ſecundùm quod in me ſentiebam & de itinere jam peracto expertus eram, quia laborem itineris poſſem ſubſiſtere; quod quia me non poſſe timebatis, me remanere volebatis; exiſtimavi bonum eſſe per meipſum hoc, pro quo Anglia exivi, ſicut propoſui, perficere; niſi fortè aliquid obviaverit cui rationabiliter nequeam reſiſtere. Omnipotens Deus ſic veſtrum regnum terrenum in gaudio veſtro diu regat, & corroboret ſuper Anglos, * ut poſt hanc vitam vos regnare faciat inter Angelos. Amen.

al. mihi

al. &

EPISTOLA LXXXVII.

Anſelmus * ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis, Reverendo Abbati, & amico ſuo * Geronto- ni; ſalutem.

al. Archiep.

al. Gerontino

Clericus in duabus Eccleſiis obſtrictus ſacramento Religionis, in qua debeat manere? Expedit propter plures cauſas eum Carnoti remanere quàm ad Gerontenum remeare.

QUidam Monachus, ſicut ab illo didici, alligatus Eccleſiæ veſtræ per quandam profeſſionem quâ in habitu Clericali vobis fecit, & ſimiliter Monaſterio Sancti Petri, quod Carnoti ſitum eſt, ubi habitum Monachi aſſumpſit per aliam profeſſionem, dicit ſe nullatenus poſſe habere ſolutionem a vobis neque ab Abbate Carnoten ſi ut vel in Carnotenſi Monaſterio, vel in veſtro animam ſuam ſalvet; quod facere nequit niſi aut a vobis, aut ab Abbate Carnoten ſi abſolutus fuerit. Conſideret igitur prudentia veſtra, quia non expedit, nec decet vos Abbates, ut animam ejus quiſque ſibi trahendo ſcindatis; ſed in vobis eſſe maternam pietatem, & plus vos diligere animam proximi quàm propriam voluntatem, oſtendatis. Ille enim ſe magis oſtendit eſſe matrem, qui dicet alteri; habeto tu ſolus infantem vivum, nec ambo cum occidamus, ut cum venerit verus Salomon, dicat: *Date huic infantem vivum, hæc eſt enim mater ejus.* Nam vera mater mavult filium ſuum in alieno ſinu vivere, quam in ſuo mortuus fovere. Notum autem ſit Sanctitati veſtræ quia ſicut cognoſcere potui, magis expedit propter plures cauſas eum Carnoti remanere, quàm ad vos remeare. Unde ſi auderem, religioni veſtræ conſulendo ſuggerem quatenus vos non falſam, ſed veram matrem eſſe probaretis. Valete.

EPISTOLA LXXXVI.

Suo chariſſimo Domino Henrico, Glorioſo Regi Anglorum, Anſelmus Archiepiſcopus Cantuariæ: fidele ſervitium cum orationibus.

Gratulatur Regi de ſe ſollicito.

GRatias magnas ago Celſitudini veſtræ pro amore magno quem erga me vos habere oſtendiſtis; & propria ſollicitudine quam de me, ſicut de fideli veſtro habetis: ſcilicet ne in itinere incepto propter imbecillitatem & infirmitatem corporis mei, nimio laboris gravamine deficiam. Sed jam uſque in vallem Moriannæ progreſſus eram, quando veſtram ſuſcepi epiſtolam: unde timui ne Domino Papæ diſpliceret, ſi tantâ parte itineris perfectâ remanerem;

EPISTOLA LXXXVIII.

Suo reverendo Domino, Henrico Regi Anglorum, Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus: fidele ſervitium cum orationibus.

Quid reſponderit Papa ad Conſultum de ſacerdotiorum collatione: quodque Anſelmus Papæ ſit pariturus.

QUamvis per Vuilhelmum de * Vvarelwaſt cognoſcatis quid Romæ fecerimus; tamen quod ad me pertinet, breviter oſtendam. Romam veni, cauſam pro qua veneram, Domino Papæ expoſui. Reſpondit ſe nequaquam velle diſſentire à ſtatutis anteceſſorum ſuorum; & inſuper præcipit mihi, ut nullum

Digitized by Google

rem communionem cum illis, qui de manu * vestra
al. tua
investituras acceperunt Ecclesiarum, post hujus prohibitionis notitiam; nisi pœnitentiam agerent, & sine spe recuperationis, quod acceperant desererent: neque cum Episcopis qui tales consecrarunt; nisi ad Apostolicæ sedis judicium se * præsentarent. Horum omnium testis potest esse prædictus Willelmus, si vult. Qui Willelmus, quando ab invicem discessimus, ex vestra Parte commemorans amorem & benignitatem quam semper erga me habuistis, summovit me sicut Archiepiscopum vestrum, ut talem me facerem quatenus sic intrarem in Angliam, ut sic esse possem vobiscum sicut fuit antecessor meus cum Patre vestro; & vos me eodem honore & libertate tractaretis, qua Pater vester antecessorem meum tractavit. In quibus verbis intellexi quia nisi me talem facerem, reditum meum in Angliam non velletis. De amore quidem & benignitate gratias ago. Ut autem ita sim vobiscum, sicut antecessor meus fuit cum Patre vestro, facere non possum; quia nec vobis homagium facere, nec accipientibus de manu vestra investituras Ecclesiarum propter prædictam prohibitionem me audiente facta audeo communicare. Unde precor ut mihi vestram, si placet, manderis voluntatem; utrum sic, quemadmodum dixi, possim in pace vestra & officii mei potestate redire in Angliam. Paratus enim sum & vobis & populo divina mihi dispositione commisso, officii mei servitium pro viribus & scientia mea, servatâ regulari obedientia, fideliter exhibere. Quod si
al. vobis
* vobis non placuerit, puto quia si quod animarum detrimentum inde contigerit, mea culpa non erit. Omnipotens Deus sic regnet in corde vestro, ut vosper omnia regnetis in gratia ejus. Amen.

EPISTOLA LXXXIX.

Anselmus * Archiepiscopus Cantuariæ, Dominis, Fratribus, & Filiis charissimis in Christi Ecclesia Cantuariæ conversantibus: * salutem, & benedictionem Dei, & suam, quantùm potest.
al. vocatus
al. omis.

De suo reditu in Angliam à Cantuariensibus monachis peroptato.

DE reditu nostro dulce desiderium vestrum, quia de dulcedine dilectionis * procedit, gratanter accipio, amo & approbo; etiamsi aliter Deus disponere voluerit, quam sicut ego vobiscum desidero. Sæpe enim Deus servorum suorum vitam ordinat contra
al. vestras
al. omis.
hoc, quod mens * humana, quamvis suo sensu intentione bonâ, desiderat. Sicut enim aurum in fornace probatur; ita mentes electorum suorum igne tribulationis examinat. Quod si vobis ejus paternâ correctione aut probatione contigerit; nolite deficere, sed ex ipsa tribulatione, sicut nlii, studere proficere. Non est enim inusitatum servis Dei in hac peregrinatione adversitatibus multimodis concuti, quoniam non sunt de hoc mundo: & quantò magis hic vexantur, tantò magis mundum cognoscunt, & ad requiem transire desiderant de hoc mundo. Quapropter moneo & precor vos, ut filios charissimos, quatenus, si res exegerit, quantò attentiùs vos hostis hominum à statu Religionis vestræ dissipare tentaverit, tantò vos ad servitium Dei colligere strictiùs studeatis. Sic namque contra hostem fortiùs pugnabitis, & Dei auxilium efficaciùs impetrabitis. De his non est necesse me vo-
al. quia gratè
bis multùm scribere, quia Dei gratiâ vos hæc scitis, & testimonia Scripturarum vobis sunt præsentia; & Domni Prioris, si illi credere voluerit is, vobis consule-
re & vos confortare poterit sapientia. Quod petitis ut Domno Priori cõmittam totam curam animarum vestrarum; secretè & publicè, donec ego ad vos redeam, hoc utique feci & facio, sicut mihi ipsi, ut ipse secundùm sapientiam, quam Deus sibi dedit, & secundùm zelum domus Dei quem in corde gerit, judicet & disponat, puniat & parcat; quatenus animæ in innocentia nutriantur, & vitia quantùm possibile est, Deo adjuvante, radicitùs de domo Dei exstirpentur & excludantur. Scio quia singuli nostram desideratis absolutionem; sed quoniam singulis hoc facere mihi nunc possibile non est, omnibus vobis Dei, & nostram, quantùm in me est, opto, oro, mando, absolutionem & benedictionem. Disciplinam Ordinis vestri semper amate: pacem inter vos, & obedientiam ad Priorem inviolabiliter servate. Dominus sit semper vobiscum. Amen.

EPISTOLA XC.

Anselmus Archiepiscopus, * reverendo & charissimo Fratri, Domno Priori, Ernulfo: salutem, & gratiam Dei.

Ejusdem argumentum.

QUòd vos & amici nostri doletis, quia rediens Româ in Angliam non veni, hoc facit dilectio: sed quòd pastoralẽ curam sine ulla ratione relinquere videor, non hoc æstimant sapientes Religiosi, quibus rem ostendo; neque ego intelligo. Non enim ego eam, quantùm in me est, relinquo; sed ibi ubi eam me exercere oporteret, converti sicut vos, si diligenter intenditis, cognoscere potestis, nequeo. Audistis enim quibus ex præcepto Apostoli communicare non possim sine animæ meæ periculo; quorum communionem Regi communicans, dum ipse eis communicat, vitare non valeo. Hic consideret aliquis quid facere * possim; cùm veniam ad Regem co-
al. possim
ronandum, & Missam celebrabo, & ipsi circa me erunt. Certè illos expellere nequeo, cum illis orare non audeo, Regi subtrahere solitum officium non debeo; quoniam Dominus Papa & illi concedit; & mihi, ut faciam si præsens sum, præcipit. Si mihi * dixit ut do-
al. præcepit
mi maneam, ad Curiam non eam, & sic me alia bona officii mei faciens à communione malorum abstineam; conqueretur Rex cum omnibus Episcopis & Principibus suis, quia cùm illum coronare nolo, aufero ei coronæ suæ honorem, quem ei Primas regni sui debet per consuetudinem. Unde justum illis videbitur & opere complebunt, ut dignitas Ecclesiæ nostræ ad aliam Ecclesiam transferatur. Quod cùm fiat, me vivente, in regno, neque per me aut per alium prohibere potero, confirmabitur Ecclesiæ nostræ intolerabilis imminutio. Quòd autem dicunt quòd non oportuerit eum pro uno verbo fugere, qui suum sanguinem pro ovibus suis & pro Ecclesia Dei debuerit effundere; dico quia non est parvipendendum illud verbum, in quo tam gravia mala continentur * quæ
al. quis
jam dixi, in quæ sine periculo animæ meæ & sine detrimento Ecclesiæ mihi commissæ nullatenus me possum ingerere. Denique non timeo sanguinis effusionem, aut quamlibet corporis mei destructionem, aut rerum amissionem. Quæ si personæ meæ evenirẽt, libenter paterer propter veritatis assertionem. At nihil horum super me cadet; sed Ecclesiam nostram & homines ad eam pertinentes, si in * Anglia cum Rege
al. Anglium
contenderem, gravis oppressio frustra contereret, & multitudo vexatorum ad culpam meam ærumnas suas, me execrando, converteret. Melius itaque mihi videtur ut me absente quælibet tribulatio, si vitari nequit, in Anglia debacchetur; quàm per meam præsen-

tiam & tolerantiam quælibet prava consuetudo in futurum confirmetur; aut multitudo hominum, me aspiciente, propter me tribulationem se pati lamentetur. Si objicitur quòd majus est damnum animarum quod
al. cognoscitat contingeret propter meam absentiam, quàm malum temporale quod contingeret per meam præsentiam; & ideo istud propter illud esset contemnendum: jam dixi quia si super me venerit inconcussam servarem patientiam. Verùm quoniam non debemus facere mala, ut veniant bona; non debeo attrahere super
al. super me quoslibet quoslibet innocentes quælibet mala, ut animabus aliorum eveniant bona. Dixi utique in præterito anno, cùm me minarentur expellere, quia nollem exire propter injunctam mihi curam & obedientiam: sed & hoc dicebam propter illos qui hoc minabantur, ne pro solis verbis illorum exciterem; non propter aliquam utiliter remanendi fiduciam. Mox enim ut discordia & contentio inter Regem & me appareret, pariter & mala corporalia ferverent, & bona spiritualia penitus frigerent. Quòd imponitur mihi quia quasi astutè infamaverim regem & regnum ejus, & Episcopum Lincolniensem, non per me manifestè, sed latenter per Monachos nostros: certè falsum est, quia nullus homo à me ad hoc monitus est. Sed nec ipsi Fratres nostri Edmerus & Alexander, qui maximè de hoc accusantur, ita sicut de eis dicitur, cognoscunt esse; & vos scitis quia delatores, parvis magna addentes, mendaces solent esse: denique antequam nos veniremus Romam, multa dicebantur de Anglia intra Romam & extra Romam. In his omnibus neque per me, neque per sapientiores me, meliori possum uti consilio, quam dispositionem Dei expectare, & rem ejus committere judicio. Hoc autem scitote quia voluntas mea est, ut adjuvante Deo nullius mortalis homo fiam, nec per sacramentum fidem alicui promittam. Consilium nostrum petitis quid agere debeatis inter eos & cum eis, quorum communionem mihi Dominus Papa interdixit. Quæ res ita dubia est, ut minùs difficile sit non communicare eis, quibus Rex communicat; præsertim cùm mihi soli Romæ a Papa ista interdicta sit communio: nec audeo præcipere ut illis communiceris, quibus ego non communico; sed si ita permanseritis, sicut vos dimisi, nequaquam vos reprehendo. Non enim potestis à toto regno discordare, nec participes estis eorum malitiæ, si quis à vobis petierit quod honestatem & religionem * vestram
al. suam. non deceat; præmeditati estote ne aut minæ, aut blandiæ, aut aliqua astutia persuadeant vobis aliquid, unde vos postea pœniteat. Consilium & curam Fratrum, quidquid contingat, propter Deum & charitatem proximi nolite deserere, nisi vos violentia de Ecclesia expulerit. Si ingruerint adversitates & tribulationes, tunc fortiores estote; & in tentatione Fratribus vestris nolite deficere. Si quis exegerit ab aliquo
al. vestra Monacho Ecclesiæ * nostræ, sacramentum, aut fidei alligationem, aut pactum aliquod quod contra ordinem sit, propter tenendam aliquam potestatem, quam dicimus Obedientiam; considerate, & in quantùm possibile est, & in quantum scitis,* avertite
al. avertere malitiam. Quicquid futurum sit, Dei tuitioni vos & omnes fratres nostros, cum omnibus quæ ad Ecclesiam nostram pertinent, commendo.

EPISTOLA XCI.

Anselmus Archiepiscopus, Fratri & Filio charissimo, Antonio Subpriori: salutem, & benedictionem.

Eum laudat & admonet.

GAudeo & gratias ago Deo & vobis, pro bono zelo quem habetis, & quia Ordinem vestrum libenter custoditis, & ut alii illum servent, strenuè studetis. Precor autem, sicut sæpe precatus sum, ut in hoc bono proposito perseveretis, quia Deo gratum est, & ab eo præmium bonum reportabitis. Est quiddam, unde olim quosdam audivi conqueri. Dicunt enim quia aliquando cùm fit ante vos proclamatio de quibusdam negligentiis, quæ sine mala intentione possunt intelligi, & solius levitatis culpæ imputari, Dilectio vestra in pravam suspicionem in audientia eas interpretatur; veluti sunt signa, aspectus, & similia, in quibus nulla malitiæ certitudo deprehendi potest. Moneo ergo vos, ut dilectum dilectorem meum, & consulo, ut Filio charissimo, ne hoc faciatis, nisi cùm res ita aperta fuerit, ut à malitia excusari non possit. Nocet enim multùm. Potestis enim culpam pro sola violatione Ordinis acriter punire; & omnem pravam suspicionem, quando probari nequit, avertere. Sic autem & vos diligent, & se sine verecundia corrigent. Vale.

EPISTOLA XCII.

Anselmus Dei dispositione Archiepiscopus, reverendo & charissimo Coëpiscopo, Gundulfo: salutem, & quod melius scit & potest.

Grates persolvit Episcopo de se bene merito.

GRatias ago vobis pro bene factis magni, sed multò majores pro vestra bona voluntate, quæ semper plus facere vult, quàm possit. Bonum desiderium vestrum de reditu nostro, & consilium de vera dilectione procedens amo & laudo: sed de * effectu ejus-
al. affectu dem volùtatis certum quid promittere non audeo; sed Dei ordinationi, cui subjacent omnia, me & quæcunque de me sunt, commendo. Ipsum oro, & omnes amicos meos rogo, ut orent quatenus ipse me in beneplacito suo disponat, nec unquam voluntatem meam ambire de sua voluntate permittat. Hoc autem scitote, quia spero in Deo & hæc est voluntas mea, ut nunquam pro reditu in Angliam aliquid contra honestatem Episcopalem sciens faciam. Malo autem hominibus non concordare, quàm illis concordando, a Deo discordare. Consilium quod petitis quid vobis faciendum sit, si Dominus meus Rex & ego non concordamus, in litteris Prioris breviter mandavi. Hoc tantùm ad præsens dico, nullæ minæ, nulla promissio, nulla astutia à religione vestra extorqueat aut homagium, aut jusjurandum, aut fidei alligationem. Si quid horum aliquis exegerit: hæc sit vestra responsio: *Christianus sum, Monachus sum, Episcopus sum: & ideò omnibus volo fidem servare, secundùm quod unicuique debeo.* Quidquid aliud vobis dicatur; his verbis nec addatis quicquam, nec minuatis, quod ab hac sententia discedat. Hoc ipsum de

Digitized by Goog

de medico; nec super hæc aliquid addere, vel de his minuere adjuvante Deo volo. Filios vestros & nostros, & Filias, sicut scitis, salutate; & ut nostri memores sint, orate.

EPISTOLA XCIII.

Domino verè summo, & Patri, Anselmo, Dei gratiâ Cantuariensi Archiepiscopo; Mathildis, Regina Anglorum, humilis ancilla ejus: summæ devotionis, & servitutis obsequium.

Regio digna pectore, & sanctis affectibus plena.

CONverte, Domine sancte, Pater misericors, planctum meum in gaudium mihi, & circunda me lætitia. Ecce, Domine, humilis ancilla tua misericordiæ tuæ genibus devoluta, supplices ad te manus tendens, consuetæ postulat benignitatis affectum. Veni, Domine, veni, & visita servam tuam, veni, inquam Pater, & gemitus * meos leni; lachrymas abstergo, dolores mitiga; luctus tolle; imple desiderium meum, vota secunda. At, inquies, lege prohibeor, & quarumdam necessitatum * vinculis tentus Seniorum decreta transgredi non præsumo. Quid igitur, Pater, est, quòd Doctor ille gentium vas electionis, cùm totus in legis evacuatione sudaret: nunquid non in templo, ne scandalum esset his qui ex circumcisione crediderant, hostias immolavit? Nunquid, qui circumcisionem damnabat, Timotheum ipse, ut omnibus omnia fieret, * non circumcidit? Quid ergo faciet misericordiæ filius, discipulus ejus, qui ut servos redimeret, ipse in mortem se obtulit. Vides, ecce vides Fratres tuos, conservos tuos, populum Domini tui jam naufragia sustinentem, jam * labantem in ultimis, nec succurris, nec porrigis dexteram, nec objectas te discrimini. Nonne optabat Apostolus anathema esse à Christo pro Fratribus suis? Flecte itaque, bone Domine, pie Pater, severitatem hanc; & ferreum, pace tuâ dicerim, pectus emolli: veni, visita plebem tuam; & inter eos, ancillam tuam, totis ad te visceribus anhelantem: invent viam, quâ nec tu pastor, qui præcedis, offendas, nec Regiæ Majestatis jura solvantur. Quòd si hæc simul constare non valeant; veniat saltem, veniat ad filiam Pater, ad ancillam Dominus, & doceat eam quid agere debeat. Ingrediatur ad eam antequam egrediatur de mundo. Si enim antequam moriar, mihi te non videre contigerit; improbè loquar, timeo ne mihi etiam in illa terra viventium & lætantium, omnis exultandi præcidatur occasio. Tu siquidem es gaudium meum, spes mea, refugium meum. Anima mea sicut terra sine aqua tibi; unde & expandi ad te manus meas, ut ariditatem ejus exultationis oleo perfundas, & dulcedinis ingenitæ rore * riges. Si autem nec te fletus mei, nec publica vota sollicitant, postpositâ regiâ dignitate, relictis insignibus, deponam fasces, diadema contemnam purpuram byssumque calcabo, & vadam ad te mœrore confecta. Amplectar vestigia tua, pedes exosculabor, nec amovebit me, si veniet Giezi, nisi cùm desiderii mei summa complebitur. Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat cor tuum & intelligentiam tuam, & faciat misericordiæ viscera abundare.

al. amic.

al. nexibus

al. amic.

al. labentem

al. signo

EPISTOLA XCIV.

Henricus Rex Anglorum, Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo: salutem & amicitiam.

Dolet Anselmum sibi pertinaciter reluctari. Mittisse se ad Apostolicum significat; & se interim consentire ut de beneficio Cantuariensis Ecclesiæ convenienter habeat.

MAndasti mihi, quòd ad me venire non poteras, nec mecum esse, sicut Lanfrancus antecessor tuus cum patre meo multis annis fuit; unde valde doleo quod facere non vis: quia si facere voluisses, libenter te susciperem, & omnes illos honores, & dignates, & amicitias, quas pater meus antecessori tuo fecit, tibi fecissem. Dominus verò Apostolicus mandavit mihi litteris suis preces & admonitiones super quibusdam rebus. Quapropter volo Legatos meos Romam mittere, & consilio Dei & Baronum meorum Domino Papæ inde respondere, & hoc requirere quod mihi requirendum est. Et accepto responso à Papa, mandabo tibi hoc quod mihi Deus annuerit. Interim autem consentiam quod tu de beneficio Cantuariensis Ecclesiæ convenienter habeas; quamvis hoc invitus facio: quoniam nullum mortalem hominem in regno meo libentiùs mecum, quam te habere voluissem, nisi in te remansisset; teste Roberto Episcopo Lincolniensi & Willelmo,

EPISTOLA XCV.

Henrico, Dei gratiâ Regi Anglorum, & Domino suo, Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis: fidele servitium, & orationes.

Est ad præcedentem rescriptum.

IN litteris vestræ Celsitudinis, quas nuper accepi, mandavit mihi vestra Dignatio amicitiam; & quia nullum mortalem hominem in regno vestro libentiùs habere quàm me velletis, si ego vellem ita vobiscum esse sicut Lanfrancus Archiepiscopus fuit cum patre vestro. De amicitia & de bona voluntate gratias ago. Ad hoc quod dicitis de patre vestro & Archiepiscopo Lanfranco, respondeo quia neque in baptismo, neque in aliqua Ordinatione mea promisi me servaturum legem vel consuetudinem patris vestri, aut Lanfranci Archiepiscopi; sed legem Dei, & omnium Ordinum quos suscepi. Quapropter si vultis me fie esse vobiscum, ut possim vivere secundùm legem Dei & Ordinem meum; & si me revestitis secundùm eándem lege Dei de omnibus rebus, quas de Archiepiscopatum eo accepistis, postquam à vobis * discessi, quas si præsens essem non deberetis me nolente accipere, & hoc mihi promittitis, paratus sum redire ad vos in Angliam, & servire Deo, & vobis, & omnibus mihi commissis, secundùm officium mihi à Deo injunctum, ipso adjuvante. Siquidem cum nullo alio Rege aut Principe mortali, volo tam libenter esse, aut ei servire. Si autem hoc nequaquam susciperitis, vos facietis, quod vobis placebit: Ego verò Deo annuente, non abnegabo legem ejus. Et non audeo, quoniam non debeo tacere vobis quia non solùm

al. omit.

requiret Deus à vobis quod debet illi Regia poteſtas, ſed quidquid pertinet ad Primatus Angliæ miniſterium. Quod onus * nimis eſt vobis importabile; nec vobis debet diſplicere quod dicam. Nulli homini magis expedit quam Regi, ſe ſubdere legi Dei; & nullus periculoſiùs ſe * ſubtrahit à lege ejus. Dicit enim ſacra Scriptura, non ego: *Potentes potenter tormenta patientur; & fortioribus fortior inſtat cruciatus*: quod Deus à vobis avertat. In reſponſo veſtro quod mihi jam bis feciſtis, nihil intelligo niſi quandam, ſi audeo dicere, quæ nec animæ veſtræ nec Eccleſiæ Dei expedit, dilationem. Si ergo ad hæc reſpondere veſtræ voluntatis certitudinem diutiùs differtis; ego quia cauſa non eſt mea, ſed Dei mihi ab ipſo commendata, timeo diu differre clamorem ad Deum facere. Quapropter precor, obſecro, ne me cogatis dolentem & invitum clamare. *Exurge Deus, judica cauſam tuam.* Omnipotens Deus citò convertat cor veſtrum ad voluntatem ſuam *, ut poſt hanc vitam introducat vos in gloriam ſuam.

al. minus

Exp. 6 v. 7.

Pſ. 73. v. 22. al. &

al. vestrâ

EPISTOLA XCVI.

Piè recolendo Patri, & dignè reverendo Domino ſuo, Anſelmo Archiepiſcopo, Mathildis Dei gratiâ Regina Anglorum, minima Sanctitatis ejus ancilla; perpetuam in Chriſto ſalutem.

Quantùm ſe Anſelmi litteræ exhilaraverint exponit.

INdefinenti veſtræ bonitati, quæ mei * non immemor, litteris præſentatis, abſentis veſtri præſentiam exhibere dignata eſt, gratias innumeras refero. Triſtitiæ quippe nebulis quibus obvolvebar * expulſis, verborum veſtrorum me rivulus, tanquam novæ lucis radius, perluſtravit. Chartulam quidem à vobis miſſam loco Patris amplector, ſinu foveo, cordi quoad poſſum, propiùs admoveo, verba de dulci bonitatis veſtræ fonte manantia ore relego, mente retracto, corde recogito, recogitata in ipſo cordis arcano repono. Ubi dignè laudatis omnibus, hoc ſolum miror, quod de nepote veſtro excellentia veſtræ diſcretionis inſeruit. Non enim mihi judico quicquam facere aliter veſtris, aliter meis; aliter ſcilicet meis, quam meis; veſtri quippe genere ſunt, mei adoptione & dilectione; veſtræ verò ſcripturæ conſolatio patientiam mihi corroborat, ſpem facit & ſervat, quæ relevat me cadentem, ſuſtinet labentem, lætificat dolentem, mitigat ſcaſcentem, pacatque flentem. Ea mihi namque frequenter ſecretoque conſulens ſpondet Filiæ reditum Patris, ancillæ Domini, ovi Paſtoris. Spondet autem itidem confidentia quam in orationibus bonorum hominum habeo; & benevolentia, quam ex corde Domini mei ſolerter * inveſtigans perpendo. Eſt enim illi erga vos animus compoſitior, quàm plerique homines æſtiment, qui, annuente, & me qua potero ſuggerente, vobis fiet commodior atque concordior. Quod vobis in præſenti de redditibus veſtris fieri permittit: idem & meliùs ampliùſque in futurum, cùm ex re & tempore poſtulaveritis, fieri permittet. Ubi quamvis ampliùs quàm æquum judicem ſibi teneat, oro tamen veſtræ pietatis affluentiam, ut excluſo amaritudinis humanæ rancore, qui vobis ineſſe non aſſolet: dilectionis veſtræ dulcedinem ab illo non avertatis: imò verò apud Deum pro ipſo & me, & communi ſobole, & regni noſtri ſtatu * pium vos interceſſorem exhibeatis. Valeat veſtra ſemper Sanctitas.

al. intelligit.

al. amit.

EPISTOLA XCVII.

Dominæ reverendæ, Filiæ chariſſimæ, Mathildi gratiâ Dei Reginæ Anglorum: Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis: fidele ſervitium, & orationes, & benedictionem Dei, & ſuam, ſi quid valet.

Proximè reſpondet litteris.

GRatias ago immenſas Celſitudini veſtræ, amando eam & orando pro ea, pro immenſitate ſanctæ dilectionis veſtæ erga parvitatem meam, quam intellexi in litteris veſtris. In quibus ſatis oſtenditis, quanto me affectu diligatis, cùm chartulam meam taliter * ſicut ſcripſiſtis, ſuſcipitis & tractatis: ubi etiam adeo me dignatio veſtra ſublimat, ut quod natura mihi negat, gratia veſtra tribuat; cùm eos qui mei ſunt genere, veſtros eſſe adoptione & dilectione pronunciat. Quod deſiderio reditûs mei nitimini cor Domini mei Regis erga me mitigare, facitis quod * vos decet, & quod illi expedire intelligo. Si enim erga me aliquam cordis amaritudinem habet, neſcio me unquam hoc aliquo modo, quantùm in me eſt, meruiſſe. Et ſi aliquando illi ſervivi, ipſe ſcit, & puto quia non tradet oblivioni. Si ergo me aliquatenus odit ſine cauſa, expedit illi, ut hunc à ſe rancorem expellat, ne peccet coram Deo. Promittis mihi, quod de redditibus noſtris, de quibus aliquantùm mihi permittit habere, meliùs & ampliùs in futurum permittet: unde benevolentiæ veſtræ non debeo eſſe ingratus, quia quantùm in vobis eſt, bona voluntate hoc facitis. Sed non deberet eſſe opus ut hæc mihi fieret promiſſio; quia contra voluntatem meam nulla debet mihi de illis fieri prohibitio, aut diminutio. Et qui illi conſulit, ut aliquid inde ſibi aſſumat; non leve peccatum, neque tale quod unquam tolerari debeat, illi conſulit. Qui enim Epiſcopum ſuis rebus ita ſpoliat, nullo modo reconciliari Deo poterit, niſi illi integrè omnia ſua reſtituat. Et ſcitote quia tantundem eſt mihi de qualibet parva parte, quantùm ſi de toto ſpoliatus fuero. Non enim hoc dico amore pecuniæ, ſed amore Dei juſtitiæ. Orat veſtra benignitas, ut dilectionem meam à Rege non avertam; ſed pro illo, & pro vobis, & prole veſtra, & regni veſtri ſtatu intercedam. Quod utique hactenus feci; de futuro autem, Dei me committo diſpoſitioni; apud quem filius non portat iniquitatem patris, nec uxor viri. Et ſpero in Deo, quia nullum cordis rancorem habeo adversùs aliquem, unde mecum non habeam Deum. Omnipotens Deus vos & prolem veſtram ſemper in ſua gratia cuſtodiat.

al. amit.

Digitized by Google

A

EPISTOLA XCVIII.

Anſelmus Archiepiſcopus Cantuariæ, Guillelmo dilecto dilectori ſuo, electo Epiſcopo Wintoniæ; ſalutem, & benedictionem Dei, & ſuam, quantùm valet; atque divino ſemper regi conſilio, & protegi auxilio.

Quod non poſſit nocere adverſario Comitis ob injurias ſibi ab eodem illatas.

NUntius veſter cauſam veſtram, pro qua ad nos miſſus eſt, Reverendo Domino & Patri noſtro, Hugoni Lugdunenſi Archiepiſcopo, & mihi ſimul, ſicut præcepiſtis, retulit; & ego eidem Patri noſtro litteras quas mihi miſiſtis, oſtendi. Ipſo itaque jubente, pro illo & pro me in iſtis litteris reſpondeo. Utique gaudemus & gratias agimus Deo pro veſtra in veritate conſtantia, & quia non quæritis conſilium, niſi quod Deo * placeat & honeſtatem veſtram & Ordinem, ad quem electi eſtis, deceat. Rem totam, ſicut idem nuntius vobis narravit, quantò diligentius potuimus, adhibitis aliis prudentibus & religioſis * viris, pertractavimus, & conſilium, quod petitis, Deum invocantes, ut nos dirigeret, concordi ſenſu conſideravimus. Cujus conſilii, inquantùm intelleximus, hæc eſt ſumma, videlicet: utrum de Caſtello, quod de Comite Roberto tenetis, poſſitis fratri ejus Regi Henrico contra eundem Comitem deſervire, propter injuſticias quas idem Comes vobis facit, ſicut mandaſtis. Quod nequaquam coram Deo & coram juſtis hominibus licitè fieri poſſe intelligimus. Nam etiamſi vos de hoc abſolvit, quod illi debeatis per hominium, aut * per fidem promiſſam, ſive per aliquam communem conventionem; non vos potuit abſolvere de hoc quod Deo, & proximo propter Deum debetis per Chriſtianam religionem. Quapropter intelligimus, quia non debetis præfatum Comitem, de hoc quod de illo habetis, exhæredare; & hæreditatem ejus inimico ſuo tradere. In hoc quoque vos multùm oportet intendere, quòd nondum veſtra dilectio ſuſcepit Epiſcopi conſecrationem, & ſi hoc faceretis quod à vobis Rex exigit, nullus poſſet extinguere execrabilem famam, quia hoc factum eſſet propter Epiſcopatûs, quem perdere timeretis, redemptionem. Quamobrem quoniam providemus bona non tantùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus; avertat Deus hoc à vobis, neque unquam permittat tam pravum exemplum ulla opinione exire de vobis. Quòd autem à Rege prædictum Caſtellum, ſicut homo ejus eratis, accepiſtis; nullo modo cognoſcimus vos ad hoc aſtringere, ut eum eodem Caſtello contra Comitem uti permittatis, ſi ei hominium non niſi ſalvo ordine feciſtis. Denique ſicut nullus homo aliquid contra Deum debet promittere; ita promiſſum nullatenus debet perficere; nec aliquis hoc rectè poteſt exigere. Quædam alia per iſtum nuncium viva vobis voce referenda mandamus. Salutat vos prædictus Dominus, & Pater noſter, ſicut amicus amicum. Vale.

al. placibile

al. omit.

al. omit.

B

C

D

E

EPISTOLA XCIX.

Summo Pontifici & univerſali Papæ, Paſchali, Mathildis Dei gratiâ Anglorum Regina; ita dignitatis Apoſtolicæ jura diſpenſare temporaliter, ut cum juſtitiæ manipulis in perpetuæ pacis gaudiis Apoſtolico ſenatui mereatur alcribi perenniter.

Gratias agit pro litteris hortatoriis ad conjugem datis.

SAnctitatis veſtræ ſublimitati, ô vir Apoſtolice, gratias & laudes quantas poſſum refero, ſuper his quæ paterna veſtra charitas * tanquam pro commonitorio, Domino meo Regi, mihique dignata eſt jam frequenter & vivis Legatorum mandare vocibus, & propriis deſtinare ſcriptis. Sanctiſſimæ Romanæ Sedis Apoſtolicæ frequentare limina, ſanctique Patris mei Papæ Apoſtolici complecti veſtigia, quâ licet & poſſum, toto quidem corde, totâ animâ, totâ mente paternis advoluta genibus, importunâ, opportunâque petitione orans, inſtare nec deſino, nec deſiſtam, donec exaudiri à vobis ſentiam aut ſummiſſam * humilitatem, aut potiùs perſeverantem meæ pulſationis importunitatem. Non autem ſuper hac mea temeritate, quia ſic loqui præſumo, veſtra ſuccenſeat Excellentia; non Cleri populive Romani Senatûs miretur prudentia. Erat enim, erat, inquam, * nobis, Anglorumque populo, tunc quidem fœlicibus, ſub Apoſtolicâ veſtra dignitate ſancti Spiritûs alumnus Anſelmus Archiepiſcopus noſter, * noſter prædictique populi conſolator prudentiſſimus, atque piiſſimus Pater. Qui quod de opulentiſſimis Domini ſui theſauris, quorum illum clavigerum noveramus, abundanter ſumebat, id nobis abundantiùs erogabat, præſertim cùm idem fidelis Domini miniſter prudenſque diſpenſator eroganda quæque & ſapientiæ ſalſurâ plurimâ taporaret, & eloquentiæ dulcore molliret, & mirabili quodam loquendi ſapore condiret. Fiebat verò ſic, ut nec deforet teneris agnellis Domini lactis copia plurima, nec paſcuorum ovibus, ubertas uberrima; nec paſtoribus alimentorum ſatietas opulentiſſima. Cùm hæc igitur ſecùs ceſſerint omnia, reliquum aliud nihil eſt, niſi gemitu plurimo clamitet, quæritans alimentum paſtor, paſcuum pecus, ubera fœtus. Ubi dum majoris abſentia paſtoris, præſertim Anſelmi, prædictis ſingulis fraudantur ſingula, ſeu verò potiùs omnibus omnia. In tanti luctûs lugubrio, in tanti doloris opprobrio, in tantæ deformitatis regni noſtri, & tanti damni ludibrio; nec reſtat attonitæ mihi, niſi, ſtupore ſublato, confugere ad beatum Petrum Apoſtolum, ejuſque Vicarium virum Apoſtolicum. Confugio itaque ad veſtram, Domine, benignitatem, ne nos, Anglorumque regni populus tanto defectu, tanto lapſu labamur. Quæ enim utilitas in ſanguine noſtro, dum in corruptionem deſcenderimus? Boni igitur conſulat, quantùm ad nos attinet, veſtra Paternitas, & infra terminum, de quo veſtram bonitatem Dominus meus Rex requirit, ita paterna viſcera ſuper nos aperire dignemini; ut & de reditu chariſſimi Patris noſtri Anſelmi Archiepiſcopi gaudeamus, & debitam ſubjectionem ſanctæ Sedi Apoſtolicæ illibatam ſervemus. Ego autem ſaluberrimis dilectiſſimiſque veſtris edocta monitis, quantùm muliebribus ſuppetet viribus, adhibitis etiam mihi proborum virorum auxiliis, toto poſſe nitar, ut quod veſtra monuit ſublimitas, mea, quoad poterit, expleat humilitas. Valeat fœliciter veſtra Paternitas.

al. humilitatis

Digitized by Google

EPISTOLA C.

Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis Fratri & Filio chariſſimo Orduvino: ſalutem, & benedictionem.

Gratulatur monacho ſuæ famæ ſtudioſo: quidque obtrectatoribus ſuis reſpondeat, ſuggerit.

GRatias ago Dilectioni tuæ quia ſolicitus es de mea fama, & quæris quid reſpondeas falſis calumniatoribus meis quærentibus occaſiones adversùm me. Dicunt, ut ſcripſiſti mihi, quia prohibeo Regem dare inveſtituras; & quod pejus eſt, permitto ut ſcilicet mali & perverſi Clerici invadant & vaſtent Eccleſias, nec aſcendo ex adverſo. Dicunt quoque quia ego do Eccleſias laïcis. Dic ei quia mentiuntur. Non enim ego prohibeo per me à Rege dari inveſtituras Eccleſiarum: ſed quia audivi Apoſtolicum in magno Concilio excommunicare laïcos dantes illas inveſtituras & accipientes, & qui accipientes ſacrabunt: nolo communicare excommunicatis, nec fieri excommunicatus. Clericos verò nec volens, ſed dolens tolero Eccleſias opprimere; & in tantùm ex adverſo aſcendo, ut pro hoc ſim in exilio, & rebus Epiſcopatûs expoliatus. Non enim quod objiciunt de Clericis fieret; ſi inveſtituræ, quibus ex adverſo aſcendo, non fierent. Eccleſias verò non do laïcis, cùm do eis mea maneria ad firmam; ſed commendo ut eas cuſtodiant, non ut Clericum in eis ponant, aut inferant, niſi per me, aut Archidiaconum noſtrum, aut per Priorem in maneriis Eccleſiæ noſtræ. Nequiſſimè itaque improperant mihi quia aliena curo, me negligo; quoniam non hoc dicunt amore veritatis, ſed obſtruunt os meum loquens pro veritate. Vale.

EPISTOLA CI.

Anſelmus Archiepiſcopus, Fratribus, & Filiis chariſſimis in Chriſti Eccleſia Cantuariæ Deo ſervientibus: ſalutem, & benedictionem Dei, & ſuam, quantùm poteſt.

Quo debeant eſſe animo Cantuarienſes Monachi in calamitatibus, quas ſe abſente tolerant.

SCio deſiderium veſtrum & tribulationem, quam in præſenti ſuſtinetis; & quia majorem in futuro timetis. De qua re nullum vobis melius poteſt dari conſilium, quàm ut penitus intendatis in Dei ſervitium. Sive enim vos probet Deus per tribulationem, ſive corripiat, ſive exerceat; ſemper ad hæc debet reſpondere veſtra ad bene vivendum inſtantia. Per hanc enim quàm fortes ſitis, & quàm verè illum diligatis, monſtratis: per hanc illum pacatis, per hanc exercitari ad majora proficitis, ut altiora dona mereamini, ſicut purgari. Ceſſent igitur in vobis vaniloquia, extirpetur omnis detractio, ſuffocetur murmuratio, extinguatur impatientia, evanetcat inutilium curioſitas, expellatur otioſitas, annihiletur muſſitatio, evacuetur indignatio, & pro qualibet offenſione mentis quietcat commotio, eliminetur negligentia, exterminetur invidentia. Execrabile ſit quidquid à veſtris diſcordat, amabile ſit quidquid monachicis inſtitutionibus concordat; ferveat obedientia, & omnium virtutum, quæ ſupradictis & aliis repugnant vitiis, ſtudium & diligentia. Scrutetur unuſquiſque diligenter vitam ſuam ſecretam & publicam; & ſi invenit unde feſtinet ad condignam ſatisfactionem, ne fortè pro ejus culpa flagellet Deus totam Congregationem. Sæpe enim hoc faciunt divina judicia, ut magna multitudo perturbetur unius culpâ. Unde ſi nimis longum non eſſet, exempla plura proferri poſſent. Finem faciam hujus noſtræ allocutionis, quia & plures ex vobis ſcripturas intelligitis, & habetis dilectiſſimum Fratrem noſtrum Dominum Priorem Ernulfum, qui hæc & alia ſcit, & poteſt dicere vobis. Omnipotens Deus dignetur vos ab omnibus malis emendare, & faciat bonis omnibus abundare, & poſt hanc vitam in ſuo regno exultare. Sit ſuper vos Dei benedictio, & tribuat vobis omnium veſtrorum peccatorum remiſſionem. Amen. Reditum noſtrum ad vos, quando futurus ſit ad præſens neſcio; ſed ſpero in Deo quia non erit in vanum oratio veſtra.

EPISTOLA CII.

Anſelmus Archiepiſcopus, Fratribus, & Filiis chariſſimis Vvlfrico, Philippo, Vvillelmo: ſalutem & benedictionem Dei, & ſuam.

Apoſtatas Monachos in clauſtrum reverſos monet ut non ex verecundia pœnitentiam abjiciant.

AUdivi quia perſuaſione ſerpentis antiqui, cujus aſtutia primos parentes noſtros de paradiſo ejecit, clauſtralem paradiſum & religioſam converſationem, quantùm ad vos, deſeruiſtis, & valde dolui: ſed conſolatus ſum & lætificatus, quia non clauſit Deus vobis oſtium paradiſi, ne ultrà in illud intrareris; ſed potiùs vos miſericorditer coëgit, ut ad requiem relictam rediretis. Si autem pro hac miſericordia, quam vobis invitis fecit, gratias illi agitis, & non tantùm coram omnibus ore, ſed etiam coram Deo * corde correctionem promittitis, agam vobiſcum gratias Deo; & omnem rancorem quem de culpa veſtra concepi, expellam de corde meo. Moneo igitur * vos, ut filios meos, quatenus illam pravam & diabolicam voluntatem, quam habuiſtis, pœnitendo coram Deo de corde veſtro penitùs expellatis: * neque occaſione alicujus verecundiæ, poſtquam vos Deus ad ſe revocavit, mentem veſtram indiſcretè confundatis; ſed ſperantes in hoc quia Deus pœnitentes benignè ſuſcipit, in bona voluntate & amore veſtri Ordinis quieſcatis. Solet enim contingere; ut quoniam diabolus, Deo miſerante, & ſervum ſuum defendente, non poteſt de eo quod incepit, perficere, ad aliam ſe convertat aſturiam; & quem, ſicut incepit, dejicere nequit, dejiciat per immoderatæ verecundiæ impatientiam. Coram Deo tantùm admiramini quomodo hoc velle potuiſtis, & erubeſcite; & coram hominibus ex bona conſcientia confortamini, & confidite. Per bonam converſationem oſtendite omnem pravam voluntatem alienam eſſe à vobis; & ſic facietis ut nulla memoria ſit aliis de hoc quod feciſtis, & nulla prava ſuſpicio de vobis. Omnipotens Deus vos & à præteritis culpis abſolvat, & in futuro ſine fine ab omni peccato cuſtodiat. Amen.

* al. omit.

* al. omit.

EPISTOLA CIII.

Anſelmus Archiepiſcopus, Warnero: ſalutem, & benedictionem Dei, & ſuam; & bono incepto optimam ſubſequi conſummationem.

Ut ſanctum propoſitum non deſpiciat quod timore mortis incepit, ſed ſancto amore in illo proficiat; eum cura ac conſiliis Ernulphi Prioris committit: conſulitque ut legat ſuam ad Lanzonem epiſtolam.

BEnedictus Deus in donis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis, qui te, Fili chariſſime, in periculo mortis animæ & corporis ſuâ gratiâ viſitavit, & ad utriuſque vitam miſericorditer revocavit. Cogita & conſidera quantum lignum ſuæ dilectionis Deus tibi fecit, cùm te non ſolùm fugientem, ſed & contemnentem ſe, & ſibi ad mortem tuam adverſantem, ad ſe redire & ſibi velle ſervire paternâ curâ coegit. Ne æſtimes unquam quod tibi minùs valeat quod incepiſti, ideo quia timore mortis coactus, & non ſponteneâ voluntate es attractus. Non enim penſat Deus tantùm quo initio vel qua occaſione homo bonum inchoat, quantùm qua voluntate, qua * devotione gratiam Dei impenſam ſibi ſervat. Nam Paulus Apoſtolus coactus converſus eſt ad fidem Chriſtianam: ſed quoniam toto corde fidem ſervavit, & in ea curſum conſummavit; repoſitam ſibi coronam juſtitiæ, gaudendo in dictis ſuis nobis indicavit. Habes tecum charissimum Fratrem meum Dominum Priorem Ernulfum præſentem, qui non minùs quam ego tibi & ſcientiâ & voluntate poteſt conſulere, & te meâ auctoritate abſolvere. Deo & illi te committo; illi poſt Deum tu ipſe te noſtro conſilio & noſtra juſſione committe. Gratiâ Dei litteratus es; ſcientiam quam Deus in amore ſæculi te permiſit acquirere ad amorem * Dei, à quo habes ſi quid habes, converte; ut pro gloria terrena, ad quam per litteras tuas anhelabas, gloriam æternam adipiſcaris, quam aut contemnebas, aut tepidè deſiderabas. Conſuetudines noſtri Ordinis quem es ingreſſus, quaſi à Deo conſtitutas ſtudiosè ſerva; quia nulla inutilis eſt, nulla ſupervacua. Conſulo tibi ut quæras epiſtolam quam ego feci Domino Lanzoni, quando novitius erat, ibi enim invenies qualiter te in principio converſionis debeas habere, & tentationibus novitium impugnantibus reſpondere. Abſolutionem & remiſſionem omnium peccatorum tuorum, quantùm potium, oro ut Deus tibi tribuat; & ſic te in propoſito incepto nutriat, ut te ad gloriam æternam perducat. Amen.

al. amic.

l. 1. ep. 19.

EPISTOLA CIV.

al. Reinaldo

al. amic.

Anſelmus Archiepiſcopus Cantuariæ, * Raynaldo, ſapienter veritatem vanitati præponenti; fortiter gloriam tranſitoriam pro honeſtate contemnenti, viriliter paupertatem ſuperanti; ſalute, & gratiâ Dei * ſemper protegi & confortari.

Solatur pium vexatum, qui Epiſcopatum in quem invitus intruſus fuerat, pro veritate rejecit.

PEtit dilectio tua ut aliquam tibi mandem conſolationem: quod ego libenter facio, quemadmodum te magis * decere, & tibi coram Deo prodeſſe intelligo. Conſcientia tua, virtus tua, perſeverantia tua ſit in conſpectu Dei conſolatio cordis tui. Fortiter egiſti, quando Epiſcopatum, in quem non ſecundùm Deum invitus intruſus es, pro veritate rejeciſti. Non intendat cor tuum, ut hoc Deus tibi præmium virtutis retribuat quod pro veritate contempſiſti. Pretioſior eſt valde virtus quam ſervaſti; quàm quod pro illa reſpuiſti. Valde igitur decoloras pulchritudinem tuam coram Deo: ſi quod vile & tranſitorium eſt, in præmium & conſolationem expectas ab eo. Non dico quod Epiſcopatum habere non debeas, aut illum non meruerit; ſed moneo ut in conſcientia tua de gratia, in qua te Deus ſtare fecit, gaudeas; & tribulationem & conſolationem tuam ſolius Dei diſpoſitioni committas. Memento quod Spiritus ſanctus dicit: *Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.* Cùm ſentis neceſſitates & paupertates circa te fervere, tunc certus eſto Deum gratiam ſuam tibi multipliciter augere. Hanc deſidero eſſe conſolationem tuam: in hoc deſidero ut confirmes ſpem tuam. *Tunc educet Dominus quaſi lumen, juſtitiam tuam; & judicium tuum, tanquam meridiem.* Quia neſcio quid Deus de me diſpoſiturus ſit, nihil ex me in conſolatioem audeo promittere; ſed voluntatem meam quam mihi Deus dedit & tu meruiſti, poſſum oſtendere. Certè ſi, Deo dante, aliquando opportunitatem habuero, & ſecundùm corpus & ſecundùm animam tibi prodeſſe deſidero. Omnipotens Deus continuâ ſuâ te protectione & conſolatione gaudere faciat, Frater mi chariſſime. Amen.

Pſ. 26. v. 14.

Pſ. 36. v. 6.

EPISTOLA CV.

Anſelmus Archiepiſcopus, dilecto dilectori ſuo, Guillelmo Wintonienſi Epiſcopo, ſalutem, & in omnibus gratiâ Dei cuſtodiri.

Hortatur eum ut, quâ cœperat animi firmitate, in Eccleſiaſticarum ſanctionum obſervatione perſeveret.

QUamvis per gratiam Dei de veſtra confidam conſtantia; tamen quia indeſinenter deſidero ut nunquam à rectitudine flectamini, ſed ſemper ad meliora proficiatis; ex abundantia cordis delectat me dilectionem veſtram exhortari. Omnes qui contra ſinceritatem honeſtatis & juſtitiæ ſuggerunt, veneno ſi ſerpentes ſunt, filii ſerpentis antiqui. Rogo igitur vos, ut dilectum amicum, & conſulo, ut filio chariſſimo, ut ſi quis hujuſmodi vobis aliquid contra conſilium Dei conſulere voluerit, nunquam tantùm inſibilet auribus veſtris promittendo, minando, blandiendo, rogando, ut mentem veſtram invenenet perſuadendo. Vos ſcitis quia Dominus reprobat conſilia Principum; conſilium autem Domini manet in æternum. Hoc ideo dico, quia non dubito antiquum hoſtem, quem fortiter in rectitudine perſeverando confudiſtis, multimodis aſtutiis inquirere quomodo ſtatum & famam veſtræ honeſtatis poſſit ſubvertere, & laudem quam, Deo adjuvante, adepti eſtis, in deriſum, quod Deus avertat, convertere. Nihil nominatim vobis unde caveatis, ſignifico; quia nihil quod aliquatenus honeſtatem decoloret, coram Deo parvipendendum exiſtimo. Omnipotens Deus ſic vitam veſtram ſemper & ubique in omnibus protegat & muniat; ut nullo modo aliquis hoſtis veſter de aliquo nævo pulchritudinis veſtræ rideat. Amen.

al. dicere

EPISTOLA CVI.

Anſelmus ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis, dilecto Fratri, & amico * Gunterio Canonico ſancti Quintini; ſalutem, & Dei ſemper regi conſilio.

al. G.

Eum licet quietis amantiſſimum, tamen, ſi electus eſt, debere Fratribus per obedientiam ſervire, & Abbatis onus ſubire.

SIcut audio, cùm Fratres veſtri Belluacenſes Canonici Eccleſiæ ſancti Quintini non temerè, ſed ob multas rationes Dominum * Odonem (qui modò veſter Abbas dicitur) voluerit ab hac prælatione removere, & veſtram Fraternitatem loco ejus ſubſtituere; ſed * timent ne veſtra religio propter amorem quietis, quam nunc habetis, non velit intentioni eorum facilè conſentire. Quoniam ergo ſciunt vos meam humilitatem diligere, & ſperant vos plus meo quam quorumlam conſilio credere; rogant me, quid inde ſentiam, veſtræ Charitati oſtendere. Utique, ſi in Corpore Chriſti invicem ſumus alter alterius membra, & maximè in una religioſarum perſonarum Eccleſia; qui non permittit, nec vult ut alia membra & totum corpus ſe utatur ut ſuo membro, non video quomodo poſſit ſe probare membrum illius corporis; & ſi Corpus illud eſt Corpus Chriſti, quomodo ſe oſtendat eſſe membrum Chriſti. Eſt & aliud, quia nemo, ſi rectè ſe tractat, ſibi ſoli vult vivere; ſed ſicut deſiderat & credit, ſi membrum Dei eſt, omnia commoda aliorum membrorum ſua erunt in futura vita: ita debet velle, ut ſi quid boni eſt in ſe, aliorum ſit in præſenti vita. Conſulo igitur, quantùm in me eſt, & precor, Frater, & amice chariſſime, ut ſi tota veſtra Congregatio, vel melior pars, conſilio reverendorum Epiſcoporum * Yvonis Carnotenſis & * Galonis Pariſienſis, qui Patres veſtri fuerunt & vos nutriverunt, vos inſtanter elegerit ad hoc quod ſupra dixi, ne omnino refugiatis, neque imperſuaſibilis exiſtatis. Utiliùs enim vobis eſſe exiſtimo, ſi quietem contemplationis per amorem ſervatis in mente, & obedientiam fraternæ charitatis in opere; quàm ſi ſolam contemplationem, aliorum contemnendo preces, & utilitatem, velitis eligere. Vale.

al. omit.
al. omit.

EPISTOLA CIIV.

Dominæ, & Filiæ in Deo dilectæ, Mathildi Reginæ Anglorum, Anſelmus Archiepiſcopus Cantuariæ: ſalutem & benedictionem Dei, & ſuam, quantùm poteſt, & fideles orationes cum ſervitio.

De benevolo Regina erga ſe animo.

IN litteris ſuis Celſitudo veſtra tantùm me lætificavit, quantùm de ſe bonam ſpem dedit. Solet enim eſſe certa ſpes correctionis, humilis ſuſceptio correctionis & monitionis. Gratias igitur ago Deo quidat bonam voluntatem vobis quam in reſponſione veſtra mihi ſignificaſtis; & gratias ago vobis quia eam dulci affectu ſervatis. Unde oro Deum ut quod ipſe vobis miſericorditer inſpirat, conſervet & augeat; quatenùs cùm anima veſtra de corpore exiens ante conſpectum ejus præſentabitur, fœlicitatis æternæ præmium ab eo ſuſcipiat. Si veſtra prudentia egeret doceri qualiter ut Deo placeretis, deberetis vivere, ſtuderem ſecundùm poſſe meum hoc oſtendere. Sed quoniam, Dei gratiâ, vos mentis intellectu inter bonum & malum non ignoro diſcernere: hoc rogo, hoc precor, hoc moneo, ut hoc ſit veſtri cordis indeficiens propoſitum; quatenus in omnibus actibus veſtris, magnis & parvis, hoc potiùs eligatis quod magis Deo placere probatis. Satis pio & dulci affectu in eiſdem litteris ſignificaſtis vos meum in Angliam reditum deſiderare: verùm neque video illum, in cujus poteſtate maximè eſt reditus meus quantùm ad hominem pertinet, in hoc voluntati Dei concordare; neque animæ meæ expedit ab ea diſcordare. Et timeo ne tardè intelligat ſe à recta via deviaſſe, conſilium Dei ſpernendo, & conſilia Principum, quæ Dominus reprobat, ſequendo. Certus tamen ſum quia aliquando intelliget. Omnipotens Deus veſtram Excellentiam, & meam parvitatem aliquando de mutua viſione ſecundùm ſuam voluntatem lætificet; & in vobis gratiæ ſuæ dona multiplicet.

EPISTOLA CVIII.

CAnſelmus Archiepiſcopus, chariſſimis Filiis Farmanno, Orduvino, & Benjamin: ſalutem & benedictionem Dei, & ſuam.

Cur eis non poſſit concedere ut ad ipſum veniant. Singulis autem eorum difficultatibus reſpondet.

SCio, Filii chariſſimi, quia dilectionis abundantia facit vos deſiderare meam præſentiam; ut & quod corde geritis, ſicut filii patri aperiatis, & conſilium ſingulis anguſtiis veſtris accipiatis. Sed quamvis bonum ſit habere bonum zelum & laudabilem; tamen ſi non eſt ſecundùm ſcientiam, non eſt Deo acceptabile. Vultis habere à me licentiam, ut ad me veniatis; ſed pro certo verum eſt quia difficiliùs, imò impoſſibiliùs * hoc eſt, quàm vos cognoſcatis; via nimis longa, gens extranea, iter periculoſum; Monachi de eâdem terra capiuntur, malè tractantur, equi, & ſi quid habent, auferuntur. Pecunia magna neceſſaria; labor gravis, exordinationes multæ; utilitas non adeò magna, ut alii me non judicent reprehenſibilem, ſi ad hunc aſſenſum exhibeo me facilem. Si mala quæ fiunt in Anglia & in Eccleſia, quæ videtis & auditis, mihi vultis notificare, ſatis ſcio, nequeo corrigere; Deo dicite, & ut ipſe corrigat, expectando orate. Si conſilium de animabus veſtris vultis quærere; habetis vobiſcum venerabilem Fratrem & Filium noſtrum Dominum Priorem Ernulfum virum ſpiritualem, in quo & bona voluntas, gratiâ Dei, abundat, & ſapientiâ: quem vobis pro me, quaſi alterum me, dimiſi. Ad illum quaſi ad me recurrere, illi velut mihi vos credite; illum, ſicut me, ſuſcipite, Hoc etiam * concedo de Domino Epiſcopo Gondulfo, ſi quis voluerit. Tibi dico, Fili Farmanne, qui ideo petis licentiam alibi converſandi, quia in tot perturbationibus animam tuam ſalvare nequis, ut dicis, non decet ut quandiu vos non poſſum regere nec colligere, incipiam vos diſpergere. Non ergo eſt conſilium ut aut tu hoc petas, aut ego faciam. Denique ſi uni aut duobus concedo, aut exire de Eccleſia, ut alibi converſetur; aut exire de regno, ut ad me veniat, tot ſunt qui ſimilem habent cauſam, ut non ſine magno ſcandalo, aut ſine magna diſſolutione fieri poſſit. Habeat igitur, qui hoc vult, eam diſcretionem & patientiam quam habent alii, ut pariter in patientia veſtra poſſi-

al. omit.

Digitized by Google

deatis animas vestras. Tibi quoque, Fili Benjamin, qui
al. omit. * sine me adjuras terribiliter, & obtendis perditionem animæ tuæ; ostendo ut illi, cujus animæ debeo & volo consulere, quia tam indiscretam rem non debuisti facere, neque animæ meæ & animæ tuæ tam grave periculum opponere. Cùm enim animam impellis, quantùm in te est, in tantum periculum; certus esto quia non est hoc animæ tuæ salubre consilium. Quod petis, nullâ ratione fieri potest. Indiscretâ & inordinatâ temeritate forsitan fieri posset. Non enim est rationabile sequi quocunque nos impetus animi, etiam bonâ intentione, impellit sine discretione. Nequeo intelligere animam tuam in periculo esse perditionis, si mecum loqui non potes. Nam si essem ubi nullatenus accedere posses in hoc mundo, aut in altera vita; non tamen de salute animæ tuæ tibi desperandum esset. Precor igitur & consulo Fili charissime ut sustineas sine scandalo animæ tuæ Dei dispositionem; & secundùm quod vides eum nos & quæ ad nos pertinent, ordinare, stude te ipsum, sicut discretus & qui spem habet in Deo, salvare. De hoc quod tu, Frater,*
al. omit. & Fili Orduvine, obtendis mihi quia non redeo in Angliam; scito quia non fugio mortem, non abscissiones membrorum, non quælibet tormenta; sed peccatum & ignominiam Ecclesiæ Dei, & maximè Cantuariensis. Si enim ita rediero, ut apertum non sit quia Rex me spoliare, & res Ecclesiæ mihi commissas invadere, sicut fecit, non debuit; confirmabo pravam, imò servilem & & pessimam consuetudinem mihi & posteris meis, meo exemplo, quod Deus avertat à me. Nisi ergo peccatum suum cognoscere, & Deo satisfacere de hoc quod
al. omit. in me peccavit * & peccat, voluerit; ut nec ipse, nec successor ejus mihi, aut successoribus meis, meo exemplo, dicere possit se hoc facere per consuetudinem; nullatenus intelligo, neque aliquis rationabilis intellectus, quomodo ei concordare, aut ad eum redire possim ad honorem Dei, & Ecclesiæ nostræ, & salutem animæ meæ. Si fit mihi, quod fieri debet; faciam quod debeo ad honorem Dei. Pax Domini quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras.

EPISTOLA CIX.

Henrico, suo charissimo Domino, gratiâ Dei Regi Anglorum, Anselmus Archiepiscopus Cantuariæ: fideles orationes, cum fideli servitio.

Corripit Regem quòd pecuniam iniquè exigeret à Presbyteris Angliæ violatoribus Concilii Londinensis ab Anselmo habiti: cùm hanc culpam vindicare non pertineat nisi ad Episcopos.

AD me pertinet, si audio quòd faciatis aliquid quod animæ vestræ non expediat, ut hoc vobis non taceam; ne, quod Deus avertat, Deus irascatur & vobis, si facitis quod illi non placeat, & mihi pro taciturnitate mea. Audio quòd vestra Excellentia vindictam exerçet super Presbyteros Angliæ, & forisfacturam exigit ab eis, quia non servaverunt præceptum Concilii, quod ego cum vestro favore tenui apud Londoniam cum aliis Episcopis & religiosis personis. Quod hactenus inauditum & insinuatum est in Ecclesia Dei, de ullo Rege; & de aliquo Principe. Non enim pertinet secundùm legem Dei hujusmodi culpam vindicare, nisi ad singulos Episcopos per suas parochias; aut si & ipsi Episcopi in hoc negligentes fuerint, ad Archiepiscopum & Primatem. Precor igitur vos, sicut charissimum Dominum, cujus animam diligo plusquam præsentem vitam corporis mei, & consulo sicut verè fidelis corpori & animæ vestræ, ne vos, contra Ecclesiasticam consuetudinem, tam grave peccatum committatis; etsi jam incepistis, ut omnino desistatis. Dico enim vobis quòd valdè timere debetis quia pecunia taliter accepta, ut taceam quantùm noceat animæ, non tantùm cùm expenderitur adjuvabit terrena negotia; quantum postea perturbabit. Denique vos scitis quia me in Normannia in pacem vestram suscepistis, & de Archiepiscopatu meo me resarcivistis; & quia cura & vindicta talis offensæ maximè pertinet ad Archiepiscopatum, quoniam plus sum Episcopus pro spirituali cura, quàm pro terrena possessione. Omnipotens Deus hic & in hoc, & in aliis actibus vestris dirigat cor vestrum secundùm voluntatem suam, ut post hanc vitam perducat vos ad gloriam suam.

EPISTOLA CX.

Anselmus Archiepiscopus, Fratribus, & Filiis charissimis, Domno Priori Ernulfo, & aliis sub illo Deo Famulantibus in Christi Ecclesia Cantuariæ: salutem, & benedictionem Dei, & suam, quantùm potest.

Excusat se quòd tardiùs eos certiores fecerit de conventu inter se, & Regem: in quo Rex revestivit eum de Archiepiscopatu, rebus Ecclesiæ Cantuariensis omnibus restitutis. Nec tamen Anselmus in Angliam intrare vult, donec legatus Regis Româ redierit. Interim reddita usus potestate privat omni beneficio Ecclesiastico omnes Sacerdotes qui fœminas tenebant. Et Comiti de Mellento, qui Ecclesiæ suum favorem præstiterat; Ecclesiæ introitum permittit.

QUòd tam diu distuli scribere vobis, de hoc quod convenit inter Regem & me in vigilia festivitatis sanctæ Mariæ Magdelenæ, non fuit * negligentia, sed opportunitatis, quam * monstrare opus non est, absentia. Scitote quia Rex me revestivit de Archiepiscopatu nostro, & promittit se redditurum quod de nostris redditibus hactenus accepit. Quod ipse cum magna lætitia & bona voluntate se ostendit facere; & omnes qui cum eo sunt, se clamant inde gaudere. Sperat enim Rex inter Dominum Papam & se tantam concordiam ante diem Nativitatis Domini futuram, ut ego utrique possim in Anglia concordare sine offensione. Qua de re ipse Legatum suum Romam mittere disponit, ut ante nominatum terminum rei certitudinem accipere possit. Sed quoniam res nondum est in ea pacis & concordiæ inter eos certitudine solidata, ut sine dubietate, si modo in Angliam intravero, confidam me in pace ibi remansurum; elegi potiùs ad tempus extra Angliam manere, donec Legatus præfatus redeat Româ: ita ut interim & res Archiepiscopatûs in mea sint potestate, & homines nostri sint in quiete; quàm ad præsens me in ambiguitatem ingerere, ne forte iterum per discordiam implacabilem necesse sit me de Anglia exire. Equidem existimo hanc mei reditûs dilationem nullatenus nocituram ad perfectam concordiam, quam speramus futuram. De Presbyteris, & quibus Rex præcepit, ut & Ecclesias & fœminas habeant, sicut tempore patris sui & Lanfranci Archiepiscopi habuerunt, & quia Rex me resarsivit de toto Archiepiscopatu, & quia tempore patris ejus & ejusdem Archiepisc in Concilio prohibitum est tam execrabile conjugium; fiducialiter eâ, quam ex Archiepiscopatu habeo, auctoritate præcipio non solùm in Archiepiscopatu, sed etiam per totam Angliam, ut omnes Sacerdotes, qui

Digitized by Google

fœminas tenuerint. Ecclesiis & omni Ecclesiastico beneficio priventur. Dominus Papa nuper mandavit Comiti de Mellento salutem & benedictionem suam, hac videlicet conditione, si libertati Ecclesiæ voluerit favere, cui hactenus visus est resistere. Sin autem ab introitu Ecclesiæ tantùm illum arcebat, sicut fecerat priùs de illo & de aliis complicibus ejus consiliariis Regis, in litteris quarum exemplar misi vobis. Sed quoniam idem Comes promisit mihi se conaturum ut Rex Papæ præceptis obediat; permisi ei introitum Ecclesiæ, à quo detinebatur. De aliis verò nec aliquis nominatur in præfatis litteris, nec ego ullum certè possum nominare; & omnes, sicut audio, ad concordiam inter Papam & Regem nituntur. De his qui investituras acceperunt, & de consecrantibus eos, nulla est mutata sententia. Gratias agimus Deo quia vos, Domine Prior, sicut mandastis, de ægritudine vestra convalescitis, & oramus Deum ut vos in integram sanitatem restituat. Omnipotens Deus vos semper suâ gratiâ protegat, semper ad meliora crescere faciat, Fratres & Filii charissimi.

EPISTOLA CXI.

Suo charissimo Domino, Henrico gloriosо Regi Anglorum, Anselmus Archiepiscopus Cantuariæ: fidele servitium, cum orationibus.

Non displicere sibi longiorem Regii legati moram ultra datum tempus Romæ factam, sed suam à grege diuturniorem absentiam: maximè cùm Rex nullum præfixerit terminum.

QUia vestra Magnitudo me in suis litteris tam honorificè, tanto bonæ voluntatis affectu salutat, gratias magnas ago, sicut debeo. Quod autem tam suppliciter me rogatis, ut non mihi displiceat quòd legatus vester Romam mittendus tantùm moratur; utique vestram precem, quantùm in me est, contemnere non debeo, sed causa magis est Dei quam mea; unde corde fideli & benigno animo vobis dico, quod tacere non debeo. Mihi quidem * aliquid displicere, nisi cùm propter Deum displicet, non est magnum; sed displicere Deo aliquid nullatenus est contemnendum: utique non parum displicet Deo Episcopo spoliari rebus suis; quod jam Deo vobis inspirante correxistis. Sed Episcopum segregari à suo officio, & Ecclesiam à suo Episcopo sine causa quam Deus approbet, nimis grave judicat. Expedit itaque animæ vestræ, quatenus * satagatis ut ego, qualiscunque sim Episcopus Ecclesiæ, * quam Deus vestræ regiæ potestati custodiendum commendavit, & regno vestro in pace vestra celeriùs restituar, & mihi opportunitas utendi secundùm possibilitatem meam officio, pro quo ibi positus sum, diutiùs non impediatur. Valde quoque mihi timendum est ne Deo displiceat, & me Dominus Papa justè reprehendat; quia postquam vos & ego simul convenimus apud castrum, quod vocatur Aquila, in tam longo tempore non illi misi legatum nostrum, per quem quid de tanta re inter nos factum, & quid peragendum sit cognosceret, & ego ejus consilium & jussionem acciperem. Quapropter periculosum est mihi diu expectare vestrum legatum, quem ante proximam Nativitatem Domini, sicut in verbis vestris intellexi, Roma, scilicet, rediturum speravi; præsertim cum, nescio quo consilio quave ratione nullum terminum modo constituatis. Quoniam igitur plus debet mihi esse de hoc, quod ego Ecclesiæ mihi commissæ præsens esse noA queo, quàm de ulla terrena possessione, precor ut mihi aliquem proximum terminum nominetis per litteras vestras, quando possim legatum vestrum Romam iturum expectare; quia ego non audeo differre, ut multùm dicam, ultra proximam Nativitatem Domini, quin meum legatum mittam. Vale.

al. fatagitis
al. quem

EPISTOLA CXII.

Anselmus Archiepiscopus, reverendo Gundulfo Episcopo, & Ernulfo Priori, & Archidiacono Cantuariensi Willelmo, & omnibus in sua parochia religionem sui Ordinis amore Dei servantibus: salutem. *al. servientibus*

Confirmat anathema in Presbyteros fœminas habentes justè à suo Archidiacono pronunciatum.

NUper relata est mihi Deo execrabilis & omnibus Christianis odibilis superba quorumdam (qui se Sacerdotes nominant) præsumptio. Scripsit namque mihi Archidiaconus noster Willelmus quia nonnulli Presbyteri, qui sub ejus sunt custodia, iterum repetentes prohibitas fœminas in immunditiam, à qua salubri consilio & jussione abstracti fuerunt, se revolverunt. Quòd cùm idem Archidiaconus vellet corrigere, omnino ejus monitionem & susceptibilem jussionem nefandâ superbâ contempserunt. Qui convocatis secum plurimis religiosis & obedientibus Sacerdotibus, superbos & inobedientes gladio dignæ excommunicationis percussit. Quam excommunicationem bestiali insaniâ contemnentes ministerium sanctum polluere (quantùm in ipsis est) non formidant. Quapropter Ego Anselmus, quamvis peccator, Archiepiscopus, eâ auctoritate quam mihi dedit per Archiepiscopatum Deus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, confirmo eandem excommunicationem, quam fecit ille Archidiaconus, usque ad satisfactionem ejus judicio suscipiendam.

EPISTOLA CXIII.

Anselmus Archiepiscopus, Guarnerio, Fratri & Filio charissimo: salutem, & benedictionem Dei, & suam.

Eum laudat ob sanctum paterni reditûs desiderium, simulque monet esse Ordinis observantissimum.

PRo dilectione quam in litteris tuis erga me intellexi, & pro desiderio reditûs mei gratias ago tibi, sicut Fratri & Filio dilecto. Reditum quidem, Deo annuente, non differam, quando ipso disponente intelligam me illum posse rationabiliter facere. Te autem, & illum, cujus animæ curam Deus mihi commendavit, studiosè moneo, ut non sis negligens * Ordinem, quem accepisti, discere & custodire; sed sis intentus toto corde ad ea quæ pertinent ad perfectionem Monachi proficere. Verum enim est quia si Monachus novitius in suo proposito fuerit tepidus; aut vix, aut nunquam in Religione monachali erit fervidus. Qualem igitur te desideras inveniri in diebus obitus tui, talem te quotidie stude exhibere; & semper quasi cras moriturus, hodie te præpara ad reddendam rationem vitæ tuæ; & sic de virtute in virtutem proficies. Dominus te dirigat & custodiat.

al. negligens
quem accepisti

EPISTOLA

EPISTOLA CXIV.

Henrico, chariſſimo Domino * ſuo, gratiâ Dei Regi Anglorum, Anſelmus Archiepiſcopus Cantuariæ: fidele ſervitium, cum orationibus. al. omit.

Ad Regem mittit Giſlebertum Beccenſem, cui tutò poſſit credere ſibi renuncianda. Paſchalem pronunciat Canonicè electum, & alterum eſſe Sedis Apoſtolicæ invaſorem.

PRæcepit mihi Celſitudo veſtra in litteris ſuis, quatenus ſibi aliquē de familiaribus noſtris mitterem, cui familiariter credere poſſet ea, quæ mihi mandare vellet. Mitto igitur Fratrem, nomine Giſlebertum, Monachum Beccenſem, familiarem meum, cui ſicut mihi credere poteſtis quod mihi mandare placuerit. Qui etiam nonncabit vobis quomodo Dominus * Balduvinus, & Wiltelmus jam iter Romæ ingreſſi fuerant, quando veſtram ſuſcepi epiſtolam; & quod audivimus de Apoſtolico Paſchali, & de illo qui Sedem ejus per rapinam dicitur invaſiſſe. Hoc tantùm dico, quia Apoſtolicus Paſchalis ſecundùm Deum Eccleſiaſticè eſt electus, & per totam Eccleſiam Catholicam jam ſuſceptus, & confirmatus. Ille verò invaſor, de quo fama eſt, nullam habet electionem aut ſuſceptionem, niſi à filiis diaboli inimicis Eccleſiæ Dei. Quapropter expectamus ut ſuper eum cadat, * ſi nondum cecidit, quod dixit Dominus: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cæleſtis, eradicabitur.* Nec moveri debet aliquis Chriſtianus, ſi perſecutionem patitur Eccleſia Chriſti, quod idem ipſe paſſus eſt, & eandem Eccleſiam paſſuram prædixit: *In mundo*, inquiens, *preſſuram habebitis*: quam confortat ſubjungens: *ſed confidite, ego vici mundum.* Omnipotens Deus ſic vos faciat in hac vita regnare ſuper Anglos, ut in futura regnetis inter Angelos.

al. Baldeinus

al. non

Matt. 15 v. 13

Joh. 16. v. 33.

EPISTOLA CXV.

Domino, & Patri chariſſimo, reverendo Abbati G. Frater Anſelmus, ſemper quæ Deo placita ſunt velle, & facere.

Electo in Epiſcopum conſulit ut ſervata obedientia animus ejus tantum onus fugiat. Iis verò qui hunc elegerunt, conſulit ut ipſum quia dignior eſt, cogant ad onus ſuſcipiendum.

DIgnatur veſtra prudentia meæ parvitatis ſcire conſilium de re, de qua agitur; unde primò oro omnipotētis Dei benignam clementiam, ut ipſe totam rem in beneplacito ſuo diſponat. Noſtrum autem conſilium, quod utinam de vultu Dei prodeat, hoc eſt quod melius poſſum intelligere. Illi quidem conſulo, ut quantùm poteſt, ſervatâ tamen obedientiâ & piâ manſuetudine, animus ejus tantum onus fugiat. Vobis autem & aliis, ad quos hoc pertinet, conſulo quia non video de quo meliùs poſſit eſſe, ut illum rogando, præcipiendo cogatis; quatenus & ejus conſcientia ſecurior ſit in conſpectu Dei; cùm non niſi ſolo timore Dei & obedientia ſanctâ ſe provectum conſpiciet; & Deus quaſi ex debito ad bonum finem perducat, quod propter ſe ſolum inceptum intelliget; & * vobis à ſuperno-rum judice retribuatur, quia piâ ſollicitudine Eccleſia Dei per membra ejus ſuſtentare ſatagitis. Vale.

al. à vobis

EPISTOLA CXVI.

Domino, & Fratri in Chriſto dilecto, Odoni; Frater Anſelmus ſalutem.

Ipſum ad purioris vitæ genus ſectandum, jam accenſum magis accendit. Vota eundi Romam vel Hieroſolymam complentur in profeſſione monaſtica.

SI veſtra dilectio adhuc amore mūdi gravata, ſpinoſis ſollicitudinibus divitiarum ejus laboraret, oporteret ad mentem ei reducere verba Domini dicentis: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis; & ego vos requieſcere faciam.* Quoniam verò jam proſpiciens quia mundus tranſibit & concupiſcentia ejus; jam non diligit mundum, neque ea quæ in mundo ſunt; ſed quæ ſurſum ſunt quærit, non quæ ſuper terram: nihil convenientiùs illi dicendum video, quàm quod ſcriptum eſt: *Fili ne differas converti de die in diem.* Et: *Quodcunque poteſt facere manus tua, inſtanter operare.* Ad quam rem fraternum noſtrum eſſe paratum obſequium, certum ſit vobis ſignum hæc noſtra brevis epiſtola. Qui voverunt ſe ituros Romam vel Hieruſalem in ſæculo, ſi ad Ordinem noſtrū venerint, & devotè & obedienter ſe habuerint; omnia vota ſua quæcunque voverant, compleverunt. Quippe qui ſe in partem Dei per vota tradiderant, poſtquam ſe Deo totos tradiderint, totum in partem poſtmodum non habent redigere; niſi qui quod Deo obtulerunt, ſibi velint in propriatatem ſurripere, & ita non ſolùm indevoti, imò rei fiant * tam ſuæ abrenunciationis, quàm profeſſionis, & ſuæ ipſorum damnationis.

EPISTOLA CXVII.

Anſelmus Archiepiſcopus Domno Priori Ernulfo, & Archidiacono Wilhelmo: ſalutem, & * benedictionem Dei. al. gratiam

Ut Robertum, relicto Judaiſmo, amplectentem Chriſtianiſmum perbenignè excipiant & juvent.

INtimo cordis affectu mando vobis & precor religionem veſtram, ut eâ hilari pietate, & piâ hilaritate, qua omnes Chriſtiani debent occurrere & ſubvenire de judaïſmo ad Chriſtianitatem * fugienti, curam habeatis hujus Roberti; ne ulla indigentia vel occaſione, quam averrere poſſimus, cogatur pœnitere, qui propter Chriſtum parentes ſuos, & legem eorum reliquerit. Valde enim ignominioſum eſt Chriſtianis, & maximè religioſis perſonis, ut hoc negligentiâ & duritiâ ſuâ fieri patiantur in præſentia ſua. Ordinate itaque vos, Domne Prior, de eleemoſyna, non per ſervientes (qui plus quærunt quæ ſua ſunt, quam quæ Dei ſunt.) ſed per Monachum eleemoſynarium: & vos, Domine Wilhelme, ex his quæ mihi ex Archidiaconatu ſervare debetis; quatenus ille cum familiola ſua, nullam duram patiatur indigentiam; ſed gaudeat ſe de perfidia tranſiiſſe ad veram fidem; & probet ex ipſa noſtra pietate, quia fides noſtra propinquior eſt Deo, quàm Judaïca. Malo enim, ſi neceſſe eſſet, totum in hoc expendi, quicquid de Archidiaconatūs redditibus me contingit, & multò etiam majora; quàm ut ille, qui ad nos quaſi ad ſervos Dei & veros Chriſtianos de manibus diaboli fugit, miſerè vivat inter nos. Iterum precor, & obſecro, ut oſtendatis in eos vos habere Chriſtianam pietatem & Chriſtianitatis amorem; valde enim lædit cor meum indigentia illius, ſive in victu;

al. fugienti

by Google

sive in vestitu. Facite igitur ut cor meum ab hac læ- A
al. illam sione quiescat, si * illam non amatis. Valete.

EPISTOLA CXVIII.

Anselmus Archiepiscopus, dilectis Filiis & Fratribus Domno Alfero Priori, & aliis servis Dei in Cœnobio S. Eadmundi, sub illo conversantibus: salutem, & benedi-
al. omit. ctionem Dei, & suam, * quantùm valet.

Invitum in adversis animum laudat. Et ut Priori sua peccata confiteantur, & omni custodiâ fervens cor suum, adhortatur.

GRatias ago Deo, & vobis pro constantia & pa-
al. vestris tientia vestra, quam habetis in tribulationibus *; hortans & obsecrans, ut filios charissimos, ne deficatis; sed longanimiter, ut cœpistis, Dei consolationem expectetis. Nulla vos adversitas à servitio Dei retardet; nihil ab exequenda voluntate ejus removeat. Mementote quòd omnes qui volunt piè vivere in Christo, necesse est ut tribulationes patiantur. Quantò igitur magis tribulationes insurgunt, tantò magis unusquisque vestrûm se per sanctæ conversationis opus exerceat, & in sui Ordinis custodia arctius stringat. Quæ si feceritis; sciatis quòd Dei consolationem, priùs forsitan quàm putetis, obtinebitis. Nullus vestrûm amet aut velit celare peccata sua; sed casuro & simplici corde Domno Priori, aut cui ipse concesserit, confiteatur; & secundùm judicium ejus emendet, & de cætero ut sese custodiat modis omnibus enitatur. * Eos autem qui hoc modo & hac voluntate sua peccata confessi sunt vel confitebuntur, quantùm possum, eâ auctoritate quam mihi Deus concessit, vice Beati Pe-
ab omit. tri Apostolorum Principis absolvo: & ut * eis Omnipotens Deus indulgeat, suppliciter oro. Valete, & orate pro me.

EPISTOLA CXIX.

Domino suo, & Patri reverendo pariter & colendo, Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo, Mathildis Regina, devota Sanctitatis ejus ancilla: cum Christo suo salutem.

Quanti faciat Anselmi litteras. Quòdque Edulpho Abbatiam Malmesberiæ concesseris, salvis omnibus Archiepiscopi juribus.

QUoties epistolari beneficio vestræ mihi Sanctitatis municipium impertitis, totiens innovatæ lætitiæ luce nebulosam animæ meæ caliginẽ serenatis. Est etenim vestri quædam & absentis qualiscunque revisio, & chartulæ contrectatus, & litteræ perjucunda sæpiusque recitata relectio. Quid namque vestris, Domine, scriptis aut stylo ornatius aut sensu refertius? Non his desunt Frontonica gravitas Ciceronis, * Fa-
al. Demosthenis aut Quintiliani. bii, aut Quintiliani acumina. In his sanè doctrina quidem redundat Pauli, diligentia Hieronymi, * elucubratio Gregorii, explanatio Augustini: & quod his majus est, hinc dulcor Evangelici stillat eloquii. Hac igitur mihi gratiâ diffusâ à labiis vestris cor meũ & caro mea exultaverunt in affectum vestræ dilectionis, in effectumque paternæ vestræ monitionis. Frequentissimo quippe recursu exhortationis vestræ, benignissimæque obsecrationis memoria, cordis mei januam reverberat, obsecutionisque obedientiæ * adjudicat. Vestræ igitur al. judicat Sanctitatis favore freta Domno Edulfo Wintonienſi Monacho, olimque Sacristæ, vobis, credo, noto Abbatiam Malmesberiæ, in his quæ mei juris erant, commisi: vestræ quidem donationi & dispositioni, quæcunque illius sunt; ex integro reservatis; ut scilicet, tam virgæ, quàm curæ pastoralis commissio vestræ discretionis contradatur arbitrio. Ei autem vestræ bonæ volũtatis gratiæ, quæ erga me non tepescit, dignum munus recompenset numen gratiæ cœlestis. De cætero vestram Christus Dignitatem salvificet; quique vos in terra beatificat, de vestro me reditu citò lætificet. Amẽ.

EPISTOLA CXX.

Dominæ, Filiæ charissimæ, glorioſæ Reginæ Mathildi, Anselmus Archiepiscopus Cantuariæ: fidele servitium, cum orationibus.

Edulphum confirmare in Abbatem noluit, quia scyphum ad eum cum litteras per legatos miserat.

NOverit Excellentia vestra, dilectissima Domina,
* quia de Abbatia Malmesberiensi, & de Fratre al. omit. illo de quo mihi mandastis, libenter confirmarem voluntatem vestram, si possem. Vos enim, quantùm ad vos spectat, bene & secundùm Deum fecistis, quod inde fecistis: sed fecit ipse in hoc quiddam valde insipienter, quod facere non debuit. Nam per eosdem legatos, qui mihi litteras vestras & aliorum de suo negotio attulerunt, misit mihi scyphum unum. Quem quidem scyphum nullatenus retinere volui; sed inde dolui, quia non video quomodo in hoc possit à culpa excusari. Omnipotens Deus dirigat omnes actus vestros in beneplacito suo, & defendat vos ab omni malo. Amen.

EPISTOLA CXXI.

Patri dilectissimo, Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo, Gerardus Eboracensis Archiepiscopus, & Robertus Cestrensis, & Herebertus Norwicensis, & Raduifus Ciceſtrensis, & Samson Wigornicnsis, & Villelmus Wintonienſis electus: salutem.

Anselmum in Angliam invitant, pollicentes opem suam.

SUstinuimus pacem, & ipsa longiùs recessit: quæsivimus bona, & invaluit turbatio. Viæ Syon lugent, quia eas conculcant incircumcisi. Templum mœret, quia intra sancta sanctorum, & ad ipsam aram irruperunt laïci. Exurge, ut olim senex ille Mathatias, * ha-
al. habes be in filiis tuis virtutem; vide strenuitatem Jonathæ, prudentiam Simonis. Hi tecum prœliabuntur prœlium Domini: & si ante nos appositus fueris ad patres tuos, de manu tua suscipiemus hæreditatem laboris tui. Sed jam non est tibi pigritandum; ut quid enim peregrinaris, & oves tuæ sine pastore pereunt? Jam apud Deum nulla tibi remanet excusatio. Te enim non solùm subsequi; sed & perire, si jusseris, parati sumus. Veni ergo ad nos; * veni citò vel nos, aut ex nobis aliquos ad
al. omit. te venire jube; ne cùm sejuncti à te sumus, in sinistram te partem inclinent eorum consilia, qui sua quærunt. Nos enim jam in hac causa non quæ nostra sunt, sed quæ Dei sunt, quærimus.

Digitized by Google

EPISTOLA CXXII.

Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis, amicis ſuis, & Coëpiſcopis, quorum litteras per latorem præſentium ſuſcepit; ſalutem.

De Eccleſia Anglicana & Epiſcoporum miſeria dolet; laxaturque de ope ab eiſdem ſibi promiſſa.

CONdoleo, & mente compatior tribulationibus quas vos & Eccleſiæ Angliæ ſuſtinetis: ſed ad præſens ſecundùm meam & veſtram voluntatem ſubvenire nequeo; quia nondum quid & quantùm poſſum ſum certus, donec per legatos noſtros quos in proximo Româ reditturos expecto, quid apud Dominum Papam effecerint, cognoſcam. Bonum tamen & gratum mihi quia tandem cognoſcitis ad quid vos perduxit, ut mitiùs dicam, veſtra patientia: & quia promittitis mihi auxilium veſtrum non in mea, ſed in Dei cauſa; & invitatis me ne pigriter venirem ad vos. Quamvis enim hoc modò facere non poſſim, quia Rex non vult me eſſe in Anglia adhuc, niſi diſcordem à juſſione Papæ, & eius concordem voluntati; & ego nondum certus ſum quid poſſim, ſicut dixi: tamen gaudeo pro veſtra bona & Epiſcopali voluntate & conſtantia, quam promittitis; & exhortatione, quam mihi facitis. Ut autem aliquos ex vobis ad me venire faciam, ſicut poſcitis, ne dum ſejuncti ſumus ab invicem, pervertant conſilium meum qui ſua quærunt, ad præſens non opinor oportere. Spero enim in Deo quia nullus cor meum a veritate, in quantùm cognoſco, poterit avertere: & quia in proximo Deus mihi, quid facere queam, oſtendet; & ego, quam citiùs potero vobis notificabo. Quid autem interim vobis faciendum ſit, prudentia veſtra ſatis intelligit: ſed tamen dico quia ego, in quantùm ſperando in Deo conſcientiam meam ſentio, pro redimenda vita mea non præberem aſſenſum, neque miniſtrum aut executorem mali me facerem: quod audio noviter ſuper Eccleſias Angliæ promulgari. Valete.

EPISTOLA CXXIII.

Suo Domino & Patri Hugoni, reverendo Archiepiſcopo Lugdunenſi, Matri Eccleſiæ ſyncerè diligendo, Anſelmus ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis: quod altius & quod melius valet intelligere.

Rogat firmari ſe prudentibus Archiepiſcopi reſponſis.

QUid fecerim poſtquam à Paternitatis veſtræ amabili præſentia diceſſi, quidve ſit inter Regem Angliæ & me, non eſt opus longa epiſtolæ narratione ſignificare; quia * latores præſentiũ plenius & melius poſſunt viva voce referre. Quoniam autem in omnibus actionibus meis veſtro vellem, ſi fieri poſſet, ſuper omnes homines quos novi, uti conſilio; maximè in hoc negotio, pro quo eoſdem legatos Romam mitto ſupplex, ut ipſi inſtruantur & muniantur veſtrâ prudentiâ rogo. Audeo etiam rogare ut ſi Sanctitati veſtræ videtur convenire, aliquid Domino Papæ ſuggerat, prout ipſi negotio intelliget expedire. Scitis enim quia ubi rei alicujus diſpoſitio de diverſorum pendet conſilio, ſicut non omnes eundem habent ſenſum, ita non eundem

al. omit.

A præbent aſſenſum. Quoniam ergo mentem veſtram certus ſum ſolidatam in veritate; vellem ſententiam veſtram eſſe præſentem, ubicunque tractatur de Eccleſiæ Dei libertate & vera utilitate. Tota difficultas cauſæ inter Regem & me jam in hoc maximè videtur conſiſtere, quia Rex, quamvis de inveſtituris Eccleſiarum Apoſtolicis decretis ſe vinci ut ſpero permittat, hominia tamen Prælatorũ * nondum vult, ait, dimitte- *al. non*
re. Qua de re ſua legatione Sedem requirit Apoſtolicam, quatenus in hoc ſuæ voluntatis impetret ab ea licentiam. Quam ſi adeptus fuerit, dubito quid me facere oporteat; ſi aliquis Religioſus electus homo Regis pro Epiſcopatu vel Abbatia fieri reſpuat. Durum enim mihi videtur, ut hoc illi præcipiam per obedientiam; & ſi non fecero, videbor irreligioſis hoc face-
B re volentibus, laxare accedendi indignè ad dignitates audaciam. De illis quoque qui jam inveſtituras prohibitas acceperunt; & de his qui eos conſecraverunt, puto quia Rex poſtulabit ut in hoc permaneant quod illicitè præſumpſerunt. Quapropter de his, & de quibus per noſtros legatos veſtram requiro ſapientiam, veſtram mihi poſco inſinuari ſententiam. Omnipotens Deus diu veſtram Sanctitatem cum omni proſperitate ſervet incolumem. Amen.

EPISTOLA CXXIV.

Optabili, & totis viſceribus amabili Patri
C ſuo & Domino, Anſelmo venerabili Anglorum Epiſcopo, Hugo Lugdunenſis Eccleſiæ ſervus: divinæ protectionis continuam conſolationem.

Reſpondet ad præcedentem.

MEminit Sanctitas veſtra, reverende Pater, nos ſemper deſideraſſe, & ſi ſecundùm Deum fieri poſſet, vobis conſuluiſſe ut commiſſum vobis Anglicæ Eccleſiæ curam reciperetis; & tam gravis oneris jugo, pro communi commiſſi vobis gregis ſalute, obedientiæ collum ſubdere non recuſaretis. Nunc igitur ex
D Dn. Balduvini relatione comperio quòd illud propter quod aſſequendum tantopere hactenus laboraſtis, & non ſolùm veſtra, ſed & vos ipſum expoſuiſtis, per Dei gratiam jam tandem ex magna parte aſſecuti eſtis. Ut ad illud quod reſtat ſperandum animari poſſitis, conſulendo precamur, & precando Sanctitati veſtræ conſulimus ut Apoſtolico præcepto obedire non diſſimuletis, ne ſententiam veſtram pluris faciendo quàm Apoſtolicam auctoritatem, non ſolùm ſæculo & regno; verum etiam Eccleſiæ & ſacerdotio reſiſtere judicemini. Licèt enim in Anglicæ Eccleſiæ agro aliud ſemen ſupra petram, aliud ſecùs viam, aliud verò cadat inter ſpinas: ſed & bona terra invenitur in eo quæ ſuſcepto prædicationis veſtræ ſemine fructum afferet in patientia. Sed me miſerum! quoniam ipſe auctor
E & incenſor ſio deſolationis meæ, qui unicum ſolamen & gaudium meum, & animæ meæ poſt Deum vitam removere contendo à conſpectu oculorum iſtorum, quos jam * inaniter geſtare videor, dum id quo gratiùs *al. humaniter*
frui ſolebant, videlicet dulciſſimi Patris mei præſentiam, non ſolùm eis * videre, ſed etiam ulteriùs ſe *al. mihi*
viſuros ſperare non relinquitur. Sed abſit ut pro temporali commodo meo, generali tot tantorumque ſaluti inviderem; imò non quæ mea ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti quæram. Habe me igitur, Beatiſſime Pater, in ſinu memoriæ tuæ: quandoquidem mihi non conceditur inſpicere vultum præſentiæ tuæ. Optamus ſemper bene valere, & ſalutis noſtræ curam gerere.

EPISTOLA CXXV.

Anſelmus Archiepiſcopus, reverendæ Abbatiſſæ Eulaliæ, & Filiabus ejus: ſalutem.

Gratiſſimas habet Antiſtæ filiarumque preces. Et ut obedientes & in minimis fideles ſint, adhortatur.

GRatias ago religioſæ dilectioni veſtræ, quia pro me oraſtis quamdiu extra Angliam fui in exilio, deſiderantes reditum meum: nunc autem deſiderantiùs rogo ut oretis quatenus fructuoſus ſit reditus meus. Hoc volo ut ſciatis, quia dilectio mea erga vos, ex quo vos cognovi, & vivit & perſeverat; & quamdiu vivam, Deo dante, perſeverabit. Quapropter ipſâ eâdem dilectione manente, quamvis non egeatis, aliquid tamen vobis ſcribam, unde me vos diligere & curam veſtri habere cognoſcatis. Vos, Sorores dilectæ, & Filiæ meæ, hortor & moneo, quatenus Matri veſtræ ſubjectæ & obedientes ſitis, non ea tùm ad humanum oculum; ſed etiam ad oculum Dei, cui nihil eſt ſecretum. Tunc autem eſt vera obedientia, quando voluntas ſubjecti obedit voluntati Prælati ut ubicunque ſit ſubjectus, hoc velit quod intelligit velle Prælatum, quod non ſit contra voluntatem Dei. Congregatio veſtra templum Dei debet eſſe; & templum Dei ſanctum eſt. Si ergo ſanctè vivitis, ut ſcio, templum Dei eſtis. Sanctè autem vivitis, ſi Ordinem & propoſitum veſtrum diligenter cuſtoditis: diligenter verò hoc facitis, ſi minima non contemnitis. Veſtrum enim propoſitum ſemper debet nitrà ad perfectum, & toto corde horrere defectum. Scriptum eſt enim: *Qui modica deſpicit, paulatim decidet.* Qui autem decidit, * non proficit. Proinde ſi vultis proficere, & horretis deficere, nolite modica deſpicere: ut quæ ſicut verum eſt, *qui modica deſpicit, paulatim decidet*; ita verum eſt, quia qui modica non deſpicit, paulatim proficit. Nolite putare aliquod peccatum eſſe parvum; quamvis aliud alio ſit majus. Nihil enim quod ſit per inobedientiam, quæ ſola ejecit hominem de paradiſo, parvum dici debet. Quod enim peccatum parvum erit, ſi, teſtante veritate, qui iraſcitur fratri ſuo reus erit judicio; & qui dixerit, racha, reus erit conſilio; & qui dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. Rogo igitur, Filiæ chariſſimæ, ut nihil negligatis; ſed opera veſtra & corda veſtra * ſicut in conſpectu Dei cuſtodire ſemper ſtudeatis. Pacem inter vos habere, quia in pace factus eſt locus Dei, & pax multa diligentibus legem Dei, & non eſt * illis ſcandalum. Corde & ore vobis benedictionem & abſolutionem Dei oro; & meam, ſi quid valet, quantùm poſſum, do & mando. Valete.

Eccli. 19. v. 1. al. cum.

al. omit.

al. illi

EPISTOLA CXXVI.

Suo chariſſimo Domino, Henrico Dei gratiâ Anglorum Regi, & Duci Normannorum: Anſelmus Archiepiſcopus; fidele ſervitium cum orationibus.

Quòd tranſitio Epiſcopi non debeat fieri ſine conſenſu Archiepiſcopi & Epiſcoporum provinciæ, & cum magna conſideratione & auctoritate Apoſtolica.

MAndavit mihi Dignatio veſtra per electum Epiſcopum Wintonienſem, ut ſibi ſcriberem utrum Dominus Herveus Epiſcopus Bancorenſis poſſit conſtitui Epiſcopus in Eccleſia * Luxovienſi. Hoc utique facilè fieri non intelligo. Sicut enim nullus Epiſcopus ſacrari debet alicui Eccleſiæ, ſine aſſenſu & conſilio Archiepiſcopi, & aliorum Epiſcoporum totius Provinciæ: ita qui ſacratus eſt Epiſcopus, non poteſt conſtitui in alia Provincia Epiſcopus canonicè, ſine conſilio & aſſenſu Archiepiſcopi, & Epiſcoporum ejuſdem Provinciæ cum auctoritate Apoſtolica, nec ſine abſolutione Archiepiſcopi & Epiſcoporum Provinciæ in qua ſacratus eſt. Quæ abſolutio fieri nequit ſine magna & communi conſideratione, & conſilio eorum, ſine quibus conſecrari, ut dixi, non potuit: & quamvis Epiſcopatus ejus ita videatur deſtructus, ut in eo manere non poſſit. Omnipotens Deus dirigat vos in hac & in aliis actionibus veſtris. Amen.

al. Luxoviensi

EPISTOLA CXXVII.

Anſelmus Archiepiſcopus, Filiæ ſuæ chariſſimæ Sanctimonialí Mabiliæ, ſalutem, & benedictionem Dei, & ſuam.

Ut Deo ſacrata ſæcularium abſtineat converſatione.

DIligo te; & eo modo quo diligo animam meam, diligo etiam tuam. Meam autem ideo diligo, ut in hac vita mereatur frui Deo & in futura vita fruatur: hoc amo, & deſidero de te. Quapropter hortor & moneo te, ſicut Filiam chariſſimam, ut non delectaris ſæcularibus, quia nemo poteſt diligere * ſimul & ſæculatia & æterna bona. Nolo te amare ſæcularium converſationem, ſed clauſtralem. Nihil tibi, & huic mundo: ſi vis eſſe monacha & ſponſa Dei, dic cum Beato Paulo Apoſtolo: *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*: Reputa omnia hujus mundi tranſitoria, tanquam ſtercora, cum eodem Apoſtolo. Filia mea, in quo indiges vulitare aliquos propinquos tuos? Cùm ipſi nullo modo egeant conſilio & auxilio tuo, nec tu aliquod conſilium aut auxilium accipies ab illis ad propoſitum & profeſſionem tuam, quod non invenias in clauſtro tuo: diviſum eſt propoſitum vitæ tuæ à converſatione illorum. Nec illi fient propter te Monachi, nec tu redibis propter eos ad ſæcularem vitam. Quid ergo dilectio mea in Deo tibi & illis: ſi nec tu prodes illis ad vitam quam ſequuntur; nec illi tibi ad hoc quod maximè debes diligere? Si ipſi voluerint te videre, aut egent aliquo modo conſilio tuo aut auxilio, veniant ad te, quia illis licet vagari & diſcurrere per diverſa: tu noli ire ad eos, quia tibi non licet exire de clauſtro, niſi eâ neceſſitate, quam Deus teſtetur. Noli, filia mea, noli amare ſæculum: quia *amicus hujus ſæculi, inimicus Dei conſtituitur*. Noli amare familiaritatem ſæcularium; quia quantò magis illis eris propria voluntate familiaris, tantò minùs eris Deo & familiaribus ejus Angelis familiaris. Non ſis ſollicita notificari * in ſæculo; quia tantò magis dicet tibi Deus; non novi te. Soli Deo deſidera placere: ſolum Deum, & ea quæ te ad hoc juvent, concupiſce cognoſcere. Illi te quotidie commenda. Illi te, quantùm in me eſt, commendo. Ipſe regat & dirigat & cuſtodiat te ſemper. Amen.

Jac. 4. v. 4.

al. omit.

Digitized by Google

EPISTOLA CXXVIII.

Dominæ & Filiæ charissimæ, Mathildæ gratiâ Dei gloriosæ Reginæ Anglorum, Anselmus Archiepiscopus: cum fideli servitio, fideles orationes, & gratiâ Dei in hac vita & in futura, semper gaudere.

De homine sibi ignoto testimonium perhibere recusat, licet à Regina rogatus.

LAtor præsentium detulit mihi sigillum vestrum cum litteris ex vestra parte, quæ mihi significabant vos velle ut ejus infamia meatum litterarum testimonio propelleretur, propter quandam purgationem quam fecerat; & ut meâ intercessione à Domino meo Rege recuperaret quod ejus iussione perdiderat. Voluntatem quidem vestram nec debeo nec volo contemnere; sed certus sum de benignitate Celsitudinis vestræ, quia vos non vultis me aliter quicquam, quàm oporteret, facere. Scit utique prudentia vestra quia non pertinet ad me testimonium perhibere de his quæ nec vidi nec audivi; sed ad eos qui viderunt: nec meum est pro eo, cujus vitam & mores ignoro, intercedere, ut ea quæ iussione regiâ perdiderat, recuperet. Precor itaque ut benignæ Celsitudini vestræ non displiceat quia dubito facere quod intelligo ad me * non pertinere. Omnipotens Deus sua vos benedictione assiduè protegat & dirigat. Amen.

* al. omis.

EPISTOLA CXXIX.

Anselmus servus Ecclesiæ Cantuariensis, vere dilecto dilectori suo, veneraudo Abbati Cœnobii Sancti Audoëni, Helgoto: quicquid melius amico desiderari potest.

Quo pacto res sibi in Angliam reverso habeant expenit amico id sciendi cupidissimo.

VEtus amicus semper sollicitus est de vero amico, sicut de se altero, ut sciat quæ erga illum sunt; quatenus aut congaudeat, aut compatiatur, secundùm quod sunt. Et cùm nullus amet dolorem, miro tamen modo si est unde condolendum sit, magis tamen desiderat hoc scire, ut condoleat; quàm ignorare, ut nihil doleat. Desiderat dilecta & dulcis mihi vestra dilectio scire statum meum, & quicquid mihi sit, ut quemadmodum cor meum sese in me habet, ita & cor vestrum pro me sese habeat. Gratiâ Dei disponente, & vestris & aliorum servorum Dei amicorum nostrorum orationibus suffragantibus, in Angliam nuper reversus sum: cum magno gaudio & honore, quantùm in hominibus fuit, susceptus sum à majoribus & minoribus, à Prælatis & subditis. Quod audistis quia Dominus meus Rex mihi commendavit regnum suum, & omnia sua, ut voluntas mea in omnibus quæ sua sunt, fieret; verum est. In quo benignitatem voluntatis suæ, & magnam dilectionem suam erga me monstravit. Sed quoniam scriptum est:
1. Cor. 6. v. 12 *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt:* Et alibi:
1. Cor. 10. v. 23 *Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant:* non puto esse mihi consilium; ut aliquid magnum adhuc per me tentare incipiam: sed cùm Deus suâ gratiâ Regem nobis cum ea bona voluntate quàm intelligo, reduxerit; spero quia Deus suâ gratiâ per illum in nobis operabitur multa ad honorem suum, unde Agaudeamus. Secundùm quòd varietates hujus sæculi permittunt; omnia mihi & in corpore & in aliis rebus, Deo dante, prospera sunt, præter corporis imbecillitatem quam quotidie mihi crescere sentio. Omnes illæ benedictiones, quas mihi oratis in litteris vestris, veniant etiam super caput vestrum. Saluto Fratres nostros, dilectissimos filios vestros; & ut memores mei sint, oro.

EPISTOLA CXX.

Anselmus servus Ecclesiæ Cantuariensis, dilecto Fratri P. Monacho Cœnobii Sancti Martini Sagii: salutem, & gratiâ Dei semper dirigi & consolari.

Monachi Hierosolymam ire cogitantis desiderium improbat, juxta Apostolici sententiam, quam ab eo ipse audierat.

* AUdio, amice mi charissime, quia desideras ire Hierosolymam. Unde in primis dicò tibi quia non est hoc desiderium tuum ex bona parte, neque ad salutem animæ tuæ. Est enim contra professionem tuam, quâ promisisti stabilitatem coram Deo in Monasterio, in quo habitum Monachi accepisti; & est contra Apostolici obedientiam, qui præcepit magnâ auctoritate suâ, ne Monachi hanc viam arripere præsumerent; nisi aliqua persona religiosa, quæ utilis esset ad regendam Ecclesiam Dei & docendum populum; & hoc non nisi consilio & obedientiâ Prælati. Ego præsens affui quando istam sententiam Apostolicus promulgavit. Est etiam contra obedientiam Abbatis tui, cujus voluntas hoc odit & execratur, sicut periculum animæ tuæ.

* al. audivi

EPISTOLA CXXXI.

Paschalis Episcopus servus servorum Dei, venerabili Fratri Gerardo Eboracensi Episcopo: salutem, & Apostolicam benedictionem.

Ut fidelitatem pro antiqua consuetudine Anselmo faciat.

QUamquam pravè adversùm nos, imò contra Matrem sanctam Romanam Ecclesiam te non ignoremus egisse; præsentibus tamen litteris tibi mandamus, ut professionem tuam Venerabili Fratri nostro Anselmo Cantuariensi Episcopo facere non negligas. Audivimus enim Thomam, quondam prædecessorem tuum, ex hac eadem re contentionem moviisse; & cùm in præsentia Domini Alexandri II. Papæ ventilata esset, ex præcepto ejus definitione habitâ post varias quæstiones, Lanfranco prædecessori suo, & successoribus suis eandem professionem feciisse. Unde & nos, quod tunc temporis definitum est, volumus, auctore Deo, firmum illibatumque servari. Data Beneventi pridie Idus Decembris.

EPISTOLA CXXXII.

Alexandro gratiâ Dei Scotorum Regi, Anſelmus ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis: ſalutem, & fideles orationes, & benedictionem Dei, & ſuam, quantùm valet.

Gratulatur Regi in paternum ſolium evecto.

al. ago

GRatias * agimus Deo, & gaudemus ego & tota Congregatio Eccleſiæ Chriſti Cantuarienſis, quia Deus vos in regnum paternum hæreditario jure poſt fratrem veſtrum ſublimavit; & quia vos moribus dignis regno decoravit. Pro Fratre veſtro, qui ſanctè vivendo meruit ut de hac vita bono fine miſericordia Dei tranſiret, ſicut pro dilecto dilectore noſtro, ſecundùm petitionem veſtram, oramus & orabimus ut Deus animæ illius gloriæ ſuæ cum electis ſuis gaudiùm æternum tribuat, & æternam beatitudinem concedat. Scio quia Celſitudo veſtra meum amat & deſiderat conſilium. In primis igitur oro Deum, ut ipſe vos ſancti ſui Spiritûs gratiâ ſic dirigat, & in omnibus actibus veſtris conſilium attribuat, ut ad regnum cœleſte poſt hanc vitam

al. emit.

* vos perducat. Noſtrum autem conſilium eſt, ut timorem Dei & bonos ac religioſos mores, quos in adoleſcentia & ab infantia cœpiſti habere, ipſo adjuvante, à quo accepiſtis, ſtudeatis tenere. Tunc enim bene Reges regnant, cùm ſecundùm voluntatem Dei vivunt, & ſerviunt ei in timore: & cùm ſuper ſeipſos regnant, nec ſe vitiis ſubjiciunt; ſed illorum importunitatem cõſtanti fortitudine ſuperant. Non enim repugnant in Rege virtutum conſtantia, & fortitudo regia. Quidam enim Reges, ſicut David, & ſanctè vixerunt, & populum ſibi commiſſum cum rigore juſtitiæ & pietatis manſuetudine ſecundùm quod res exigit, rexerunt. Sic vos exhibete, ut mali vos timeant, & boni vos diligant; & ut vita veſtra ſemper Deo placeat, ſemper mens veſtra vindictam malorum, & præmium bonorum poſt hanc vitam memoriâ retineat. Omnipotens Deus vos & omnes actiones veſtras nulli alii, quàm ſuæ piæ diſpoſitioni committat. De Fratribus noſtris quos in Scotiam ſecundùm voluntatem Fratris veſtri, qui de labore hujus vitæ, ſicut credimus, ad requiem tranſivit miſimus; benignitatem veſtram rogare neceſſe non putavimus, quia bonam voluntatem veſtram non ignoramus.

EPISTOLA CXXXIII.

Anſelmus Archiepiſcopus, amico, & Filio chariſſimo Roberto, & Sororibus & Filiabus ſuis dilectiſſimis Seit, Edit, & Hydit, * Luverim, Virgit, Godit: ſalutem, & benedictionem Dei & ſuam, ſi quid valet.

al. Luttim

Petitam mittit exhortationem, quæ eas ad bene vivendum accendat. Ut bonam in omnibus voluntatem habeant: ut importunas cogitationes & motus involuntarios contemnendo vincere ſtudeant; ne illis perturbentur.

GAudeo, & gratias ago Deo de ſancto propoſito & ſanctâ converſatione quam invicem habetis in dilectione Dei & vitæ ſanctitate, ſicut didici per Fratrem & Filium noſtrum Guilhelmum. Poſcit veſtra A chara mihi dilectio, Filiæ chariſſimæ, ut aliquam vobis ſcribam admonitionem, quæ vos doceat & accendat ad bene vivendum; quamvis vobiſcum habeatis dilectum filium noſtrum Robertum, cui Deus inſpiravit ut veſtri curam ſecundùm Deum habeat; & vos quotidie, qualiter vivere debeatis, verbo & exemplo edoceat. Quoniam tamen ſanctæ petitioni veſtræ, ſi quid poſſum, favere debeo; pauca vobis veſtro competentia deſiderio ſcribere tentabo. Filiæ chariſſimæ, omnis actio laudabilis, ſive reprehenſibilis, ex voluntate habet laudem vel reprehenſionem. Ex voluntate namque eſt radix & principium actionum, quæ ſunt in noſtra poteſtate: & ſi non poſſumus quod volumus, judicatur tamen coram Deo unuſquiſque de propria voluntate. Nolite igitur conſiderare tantùm quid facitis, ſed quid velitis: non tantùm quæ ſunt opera veſtra, quantùm quæ ſit voluntas veſtra. Omnis enim actio quæ ſit recta, id eſt, juſta voluntate, non recta eſt; & quæ ſit non rectâ voluntate, non recta eſt: juſtâ voluntate dicitur homo juſtus; & injuſtâ voluntate dicitur injuſtus. Si ergo bene vultis vivere, voluntatem veſtram indefinenter cuſtodite in magnis & in minimis. In his quæ poteſtati veſtræ ſubjacent, & in his quæ non poteſtis, ne aliquatenus à rectitudine declinet. Si autem vultis cognoſcere quæ veſtra voluntas ſit recta: illa pro certo eſt recta, quæ ſubjacet voluntati Dei. Cùm ergo aliquid magnum facere vel diſponentis vel cogitatis, ita dicite in cordibus veſtris: vult Deus ut hoc velim, an non? Si vobis reſpondet conſcientia veſtra, verè vult Deus ut hoc velim, & placet illi talis voluntas: tunc ſive poſſitis ſive non poſſitis quod vultis, voluntatem tamen amate. Si autem conſcientia veſtra vobis teſtatur quòd Deus non vult vos illam habere voluntatem; tunc toto conatu avertite ab illa cor veſtrum; & ſi bene illam à vobis vultis expellere, inquantùm poteſtis, ejus cogitationem & memoriam à corde excludite. Quomodo autem pravâ voluntatem aut cogitationem a vobis excludatis: hoc parvum conſilium, quod vobis do, intelligite & tenete. Nolite litigare cum perverſis cogitationibus, vel perverſâ voluntate; ſed cùm vobis infeſtæ ſunt, aliqua utili cogitatione & voluntate mentem veſtram, donec evaneſcant, fortiter occupate. Nunquam enim expellitur de corde cogitatio vel voluntas, niſi aliâ cogitatione, & alia voluntate quæ illis non concordat. Sic igitur vos habete ad inutiles cogitationes & voluntates, ut toto nitu intendendo ad utiles, mens veſtra dedignetur eas ſaltem recordari vel aſpicere. Cùm autem vultis orare, aut aliquam bonam meditationem intendere; ſi vobis tunc importunæ ſunt cogitationes quas non debetis ſuſcipere, nunquam propter illarum importunitatem bonum quod incepiſtis, velitis dimittere; ne inſtigator illarum diabolus gaudeat quia vos à bono incepto facit deficere; ſed eo, quem dixi, modo illas contemnendo ſuperate. Neque doleatis, neque contriſtemini de illarum infeſtatione, quandiu illas, ſicut dixi contemnendo, nullum eis aſſenſum præbetis; ne occaſione triſtitiæ iterum redeant ad memoriam, & ſuam importunitatem reſuſcitent. Hanc enim mens hominis habet conſuetudinem, ut hoc unde delectatur aut contriſtatur, ſæpiùs ad memoriam redeat, quàm hoc quod negligendum ſentit aut cogitat. Similiter ſe debet habere perſona in ſancto propoſito ſtudioſa, in quolibet motu indecente, in corpore, vel anima, ſicuti eſt ſtimulus carnis, aut iræ, aut invidiæ, aut inanis gloriæ. Tunc enim facillimè extinguuntur, cùm & illos velle ſentire, aut de illis cogitare, aut aliquid illorum ſuaſione facere dedignamur. Neque timetis quòd hujuſmodi motus vel cogitationes vobis ad peccatum imputentur, ſi nullatenus voluntas veſtra illis ſe aſſociat: quoniam nihil damnationis eſt in his qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundùm carnem ambulabunt. Secundùm

Digitized by Google

carnem enim ambulare, est carni voluntate concordare. Carnem autem vocat Apostolus, omnem vitiosum motum in anima, vel corpore, cùm dicit: *Caro concupiscit adversùs spiritum, spiritus autem adversùs carnem.* Facilè quidem hujusmodi suggestiones exstinguimus; si principium earum, secundùm prædictum consilium, conterimus: difficile verò, postquam caput earum intra mentem admittimus. Tibi, amice, & Fili charissime Roberte, gratias, quantùm possum, ago, pro cura & dilectione quas erga easdem ancillas Dei, propter Deum, habes; & precor toto affectu, ut in hac sancta & pia voluntate perseveres. Certus enim potes esse quia magna te pro hoc sancto studio, apud Deum retributio expectat. Omnipotens Deus sit semper custos totius vitæ vestræ. Amen. Absolutionem & remissionem omnium peccatorum vestrorum tribuat vobis Omnipotens & misericors Dominus; & semper ad meliora cum humilitate faciat vos proficere, & nunquam deficere. Amen.

EPISTOLA CXXXIV.

Ad Valerannum.

Habetur parte 1. pag. 135.

EPISTOLA CXXXV.

Valeranni ad Anselmum, pag. 137.

&

EPISTOLA CXXXVI.

Responsio Anselmi ad Valerannum.

Habentur eadem parte 1. pag. 139.

EPISTOLA CXXXVII.

Anselmus servus Ecclesiæ Cantuariensis, Fratri & amico * charissimo Turoldo, Dei gratiâ Monacho Beccensi: salutem, & boni propositi perseverantiam usque in finem.

Quòd mundo vale dixerit, vehementer gaudet.

BEnedictus Deus in donis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, qui cor vestrum convertit à vanitate ad veritatem. Vanitatem enim sequuntur omnes, qui altitudines & honores atque divitias hujus sæculi concupiscunt; * quia nullatenus possunt satiare mentem,] sicut promittunt; sed quantò plus abundant, tantò magis animam esurientem faciunt, nec ad ullum bonum finem perducunt. Veritatem autem tenent, qui terrena & transitoria toto corde contemnunt, & ad veram humilitatem toto conatu ascendunt. Namque nequaquam videntur spiritualibus oculis, qui se humiliant, descendere; sed ad montem altissimum, de quo ad regnum cœlorum ascenditur, conscendere. In viam paradisi vos direxit divina clementia; imo in quendam paradisum hujus vitæ vos introduxit, cùm vos in claustralem conversationem monachici propositi introduxit. Caveat igitur vestra prudentia ne cor vestrum retrò respiciat. Retrò autem Monachus respicit, cùm ea sæpe recolit quæ deseruit. Quod cùm sæpe facit, refrigescit in eo amor cœlestis; & revivisceit amor mundi, & fastidium A tædiumque propositi sui. Sient igitur corpus vestrum est segregatum à sæcularium conversatione, sic vestrum cor sit separatum à mundana cogitatione, & sit semper occupatum aliqua utili & spirituali meditatione. Spiritus sanctus semper habitet in corde vestro, & semper faciat vos gaudere, & gratias agere Deo de bono incœpto. Amen.

EPISTOLA CXXXVIII.

Anselmus Archiepiscopus, Basiliæ amicæ, Filiæ in Domino charissimæ: salutem, B & benedictionem Dei, ac suam, si quid valet.

Mulieri huic piissima epistolam scribit admodùm piam. Quòd bono semper aut in cœlum ascendas, aut in infernum descendat. Et quòd hoc maximè attendere debeat.

DIdici per legatos vestros, quia vehementer desideratis litteras nostras; in quo recognosco vestram bonam voluntatem, & Christianam intentionem. Nihil enim video cur illas desideretis, nisi ex illis aliquod consilium animæ vestræ salubre inde C accipiatis. Quamvis ergo tota sacra Scriptura vos doceat qualiter vivere debeatis, si eam vobis exponi facitis: non tamen debeo esse avarus, neque inexorabilis religiosæ petitioni vestræ. Dicam igitur vobis, Filia charissima, aliquid quod si frequenter totâ intentione mente pertractaveritis, multùm cor vestrum ad timorem Dei & ad amorem bene vivendi accendere poteritis. Semper sit ante oculos mentis vestræ, quia vita præsens finem habet; & nescit homo quando ultima dies, ad quam indesinenter die ac nocte propinquat, adveniat. Vita præsens, via est. Nam quamdiu vivit homo, non facit nisi ire. Semper enim aut ascendit, aut descendit. Aut ascendit in cœlum, aut descendit in infernum. Cùm facit aliquod bonum D opus, facit unum passum ascendendo: cùm verò aliquo modo peccat, facit unum passum descendendo. Iste ascensus, vel descensus tunc cognoscitur ab unaquaque anima, quando exit de corpore. Qui solicitè studet, dum hîc vivit, bonis moribus & bonis operibus ascendere, in cœlo collocabitur cum sanctis Angelis: & qui malis moribus descendit, in inferno sepelietur cum perditis Angelis. Hoc utique notandum est, quia valde velociùs & facilìùs descenditur, quàm ascenditur. Quapropter in singulis voluntatibus & actibus suis, debet Christianus & Christiana diligenter considerare si ascendat, aut si descendat, & toto corde ea, in quibus videt se ascendere, E amplectatur; atque illa, in quibus cognoscit descensum * fieri in infernum, fugiat & execretur. Moneo itaque & consulo vobis, in Deo amica & Filia, * dilectissima, ut in quantùm adjuvante Deo, potestis, ab omni peccato magno vel parvo vos retrahatis, & in sanctis actibus vos exerceatis. Oro omnipotentem Deum ut ipse vos semper & ubique protegat, dirigat & custodiat. Amen.

al. omit.

al. fieri

al. dulcissima

Digitized by Google

EPISTOLA CXXXIX.

Anſelmus ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis, chariſſimo amico ſuo, reverendo Abbati Cœnobii ſancti Bertini, Lamberto, ſalutem, & dilectionem cum orationibus.

Suadet oblatum regimen aſſumere.

QUia Eccleſiæ Remenſis deſiderat & petit Reverentiam * veſtram (ſicut ſcripſiſti mihi) ad regimen Archiepiſcopatus: poſtulat veſtra prudentia à mea parvitate conſilium, quid ſibi faciendum ſit in tam magna re, tam oneroſâ, tamque periculoſâ. In primis oro Deum, ut ipſe nihil permittat de vobis fieri, niſi quod illi placet & vobis expedit. Conſilium autem meum quod petiſtis, in quantùm intelligere poſſum, hoc mihi videtur ſalubrius; ut voluntas veſtra, quantùm in vobis eſt, * nullum præbeat aſſenſum, nihil dicatis, nihil faciatis, quod ad hoc poſſit valere; ut ad onus ad quod vocamini, aliqua occaſione pertrahamini. Nulla vos cogat neceſſitas, præter ſolam & puram obedientiam. Obedientiam verò nullam ſuſcipiatis, niſi à Domno Abbate Cluniacenſi, cui vos ſubdidiſtis. Quòd autem dicitis vos malle inobedientiæ culpam incurrere, quàm tam oneroſum opus, & operoſum onus ſuſcipere, non eſt meum conſilium. Periculoſior namque eſt inobedientia, quam non ſequitur pœnitentia: quàm ſit obedientia quæ in ſpe miſericordiæ Dei aggreditur etiam ea quæ videntur impoſſibilia. Virtus enim & meritum obedientiæ, cùm ſola impellit hominem in pericula, aut defendit hominem à peccato, aut ſi fortè peccat * valde veniale eſt, ſi comitatur ſemper pœnitentia. Qui autem vivit in inobedientia, nullum bonum ejus facit ſine macula.

al. mit.

al. mit.

EPISTOLA CXL.

Paſchalis Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili Fratri Anſelmo Cantuarienſi Archiepiſcopo, ſalutem & benedictionem.

Plurimum gaudet quòd Henricum Eccleſiaſticis obſecundaris præceptis. Anſelmum abſolvit ab excommunicatione quam ſe incurriſſe timebat propter inveſtituras Regis: & dat ei poteſtatem alios qui inveſtiti à Rege fuerint, & ipſum Regem abſolvendi, excepto Elienſi Abbate.

QUòd Anglici Regis cor ad Apoſtolicæ Sedis obedientiam omnipotentis Dei dignatio inclinavit, eidem miſerationum Domino gratias agimus, in cujus manu Regum corda verſantur: hoc nimirum tuæ charitatis gratiâ, tuarumque orationum inſtantiâ factum credimus; ut in hac parte populum illum, cui tua ſolicitudo præfidet, miſeratio ſuperna reſpiceret. Quòd autem & Regi, & his qui obnoxii videntur adeo condeſcēdimus, eo affectu & compaſſione factum noveris, ut eos qui jacebant, erigere valeamus. Qui enim ſtans jacenti ad ſublevandum manum porrigit, nunquam jacentem eriget niſi & ipſe curvetur. Cæterum quamvis caſui propinquare inclinatio videatur; ſtatum tamen rectitudinis non amittit. Te autem, Frater in Chriſto venerabilis & chariſſime, ab illa prohibitione, ſive, ut tu credis, excommunicatione abſolvimus, quam ab anteceſſore noſtro ſanctæ memoriæ Urbano Papa adversùs inveſtituras aut hominia factam intelligis. Tu verò eos qui inveſtituras acceperunt, aut inveſtitos benedixerunt, aut hominia fecerunt, cum ea ſatisfactione quam tibi per communes legatos, Willelmum & Baldewinum, viros fideles & veridicos, ſignificamus, Domino cooperante, ſuſcipito: & eos vice noſtræ auctoritatis abſolvito, quos vel ipſe benedicas, vel à quibus volueris, benedici præcipias: niſi aliud fortè in eis repereris, propter quod a ſacris ſint honoribus repellēdi. Cæterùm Elienſi Abbati tuæ * communionis conſortium ſuberahes, quamdiu Abbatiam retinere præſumpſerit, quam contempto noſtri oris, quod præſens audierat, interdicto, per repetitam inveſtituram præſumpſit invadere. Si qui verò deinceps præter inveſtituras Eccleſiarū aſſumpſerint, etiamſi Regi hominia fecerint, nequaquam ob hoc à benedictionis munere arceantur, donec per omnipotentis Dei gratiam ad hoc omittendum, cor Regium tuæ prædicationis imbribus molliatur. Præterea ſuper Epiſcopis, qui falſum, ut noſti, à nobis rumorem attulerunt, cor noſtrum vehementiùs aggravatur; quia non ſolùm non læſerunt, ſed multorum ſimplicium animas deceperunt, & Regem adversùs charitatem Sedis Apoſtolicæ impulerunt. Unde & multum eorum flagitium, Domino cooperante, non patimur. Verumtamen quia Filii noſtri Regis inſtantia pro eis nos pulſat attentiùs, etiam ipſis communionis tuæ participium non negabis; donec veniendi ad nos præceptum accipiant. Sanè Regem & ejus conjugem, ac proceres illos, qui pro hoc negotio circa Regem ex præcepto noſtro * laboraverunt, & laborare nitentur, quorum nomina ex ſupradicti Willelmi ſuggeſtione cognoſces, juxta ſponſionem noſtram à pœnitentiis ſuis & peccatis abſolves. Igitur quandoquidem omnipotens Deus vos in Angliæ regno ad ſuam & Eccleſiæ ſuæ honorem, in hac præſtitit correctione proficere, eâ deinceps manſuetudine, diſpenſatione, * ſapientia, proviſione circa Regem ac Principes tua Fraternitas ſatagat, ut quæ minùs adhuc correcta ſunt, auxiliante Domino Deo noſtro, per tuæ ſolicitudinis ſtudium corrigantur. Qua in re ita Dilectioni tuæ noſtrum ſentias adeſſe præſidium, ut quæ ſolveris, abſolvamus; quæ ligaveris, alligemus. Rothomagenſis Epiſcopi cauſam, & interdictum meum juſtitia dictante, prolatum, tuæ deliberationi commiſimus. Quod enim indulſeris, indulgemus. Fraternitatem tuam ſuperna dignatio per tempora longa conſervet incolumem. Datum 10. Calend. April.

al. laborabunt.

al. ſapientia

al. mihi

EPISTOLA CXLI.

Anſelmus ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis, dilecto amico ſuo, Arnulfo, Reverendo Abbati Troarnenſi; ſalutem, & gratiæ Dei continuam protectionem, & conſolationem.

Ex morbo laborami collaberat, & petitum de abjiciendo præpoſitura conſilium præbet; ut eam dimittat ſi conſentiant Archiepiſcopus & Fratres.

LItteræ quas Domno Abbati Rodulfo miſiſtis de ægritudine & de anguſtiis veſtris, graviter cor noſtrum charitativâ compaſſione percuſſerunt; in quibus etiam conſilium petit Sanctitas veſtra à mea parvitate, de diſpoſitione Eccleſiæ ſuæ; quoniam propter nimietatem ægritudinis deſperat ſe ita, ſicut hactenus fecit, & quemadmodum oportet, illam poſſe guber-

Digitized by Google

gubernare & disponere. De ægritudine quidem, magnam debet colligere mens vestra consolationem, quia *Flagellat Deus omnem filium, quem recipit.* Et exempla sanctorum virorum, qui multas & gravissimas passi sunt ægritudines, sicut fuit Job, & sicut legitur de quodam sanctovito, qui paralysi toto corpore dissolutus, a Fratribus, quoniam ipsi illum tractare non poterant, feminis traditus est, multùm vos confortare debent. Nusquam enim legimus quòd ægritudines Sanctorum illis fuerunt ad detrimentum; sed semper legimus eos ad meliora per * tribulationes profecisse. Nam etsi bona opera aliquando impediantur in langoribus; gratia tamen Dei non minuitur sed augetur, si bona voluntas in tribulationem decrescit: nec exigit Deus a servis suis plusquam facere possint. De consilio verò, quod peritis de dispositione Ecclesiæ vestræ, Deum oramus ut ipse vobis consulat; & vos & Ecclesiam vestram cum filiis protegat, atque regat. Quod tamen mihi videtur, in quantùm possum intelligere, tacere non debeo. Curam Ecclesiæ, quam per obedientiam & charitatem eorum ad quos hoc pertinuit, sine propria voluntate suscepistis, solâ vestrâ voluntate non debetis rejicere, sed obedientiam usque ad mortem servare. Sed si assensu & consilio Archiepiscopi, quia Episcopum non habetis, & Fratrum, & eorum qui rei cognoscunt necessitatem, talis electa fuerit persona, quæ onus vestrum quod hactenus portastis, dignè possit suscipere: tunc utique, hoc quod per obedientiam suscepistis, licitè si ad salutem vos redire desperatis, potestis dimittere. Filios vestros hortor & consulo, quatenus quantò magis ipsi ad præsens vestro nequeunt uti auxilio, & consilio; tantò magis solicitè ipsi sint, ne Religio, quæ in vestra sanitate in illis vigebat, deficiat: sed invicem se charitativè hortantes, propositum suum inviolabiliter custodiant.

EPISTOLA CXLII.

Muriardarcho, glorioso, gratiâ Dei, Regi Hyberoiæ, Anselmus servus Ecclesiæ Cantuariensis: salutem cum orationibus, & Dei misericordia * semper regi & protegi. al. emit.

Hunc Regem deprædicat ob pacati regni felicitatem. Et eum admonet ut quæ corrigenda sunt corrigat, maximè cognatorum conjugia & irregularium Episcoporum ordinationes.

GRatias ago Deo de bonis multis quæ de vestra Celsitudine audio. Inter quæ est hoc, quia gentem regni vestri in tanta pace facitis vivere, ut omnes boni qui hoc audiunt, Deo gratias agant, & vitæ vestræ diuturnitatem desiderent. Ubi enim pax est, licet omnibus bonam voluntatem habentibus, quod optant, sine perturbatione malorum hominum efficete. Unde vestra Celsitudo, per quam Deus * ista facit, ab eo certissimè magnam retributionem * debet expectare. Super hoc utique pacis fundamentum facile est alia quæ Ecclesiastica religio exigit, ædificare. Precor itaque bonæ voluntatis vestræ constantiam, quatenus consideret si qua sunt in regno vestro corrigenda, propter vitæ æternæ præmium: & ut magis ac magis in vobis gratia Dei augeatur, solicite, Deo adjuvante, studeatis emendare. Nihil enim est contemnendum, quod corrigi possit. Quia Deus exigit ab omnibus, non solùm quod malè agunt, sed etiam quod non corrigunt mala, quæ corrigere possunt. Et quantò potentiores sunt, ut corrigant; tantò districtius exigit ab illis Deus, aut secundùm potestatem misericorditer impertiam bene velint & faciant. Quod maximè videtur ad Reges pertinere, quoniam ipsi cognoscuntur majorem potestatem, & cui minùs contradicitur, inter homines obtinere. Si autem non omnia simul potestis; non debetis propter hoc, quin a melioribus ad meliora studeatis proficere: quia bona proposita & bonos conatus Deus solet benignè perficere, & beatâ plenitudine retribuere. Auditur apud nos quia conjugia in regno vestro sine omni ratione dissolvuntur, & commutantur: quia cognati sive sub nomine conjugii, sive alio modo, palam sine reprehensione, contra canonicam prohibitionem commisceri non vereantur. Episcopi quoque, qui debent esse forma & exemplum aliis canonicæ religionis, inordinatè, sicut audivimus, aut a solis Episcopis, aut in locis ubi ordinari non debent, consecrantur. Hæc & alia quæ Magnitudinis vestræ prudentia in Hybernia corrigenda cognoverit, precor, obsecro, & consulo, sicut illi quem valde diligo, & cujus profectum per omnia desidero, quatenus consilio bonorum virorum, & sapientium regni vestri corrigere studeatis: & Deum oro, de regno terreno ad regnum cœleste transeatis. Amen.

EPISTOLA CXLIII.

Anselmus servus Ecclesiæ Cantuariensis, Gisleberto * Lunnicensi Episcopo; salutem. al. Lundensi

Gratiam habet Præsuli gaudenti quòd suis auspiciis res Ecclesiæ bene verteret.

GRatias ago Reverentiæ vestræ, quia * lætam se significat in litteris suis, quòd Deus in Ecclesia sua ad profectum Religionis per me dignatur aliquid operari. Quoniam autem olim nos apud Rothomagum invicem cognovimus, dilectione sociati sumus; & nunc cognosco vos ad Episcopatûs dignitatem gratiâ Dei profecisse: confidenter audeo vos obsecrare, & secundùm quod intelligo opus esse, vobis consulere. Sublimavit Deus in Hybernia vestram prudentiam ad tantam dignitatem; & posuit vos, ut studeretis ad religionis vigorem & animarum utilitatem. Satagite ergo solicitè, sicut scriptum est * de eo qui præest in solicitudine, in illa gente, quantum in vobis est, corrigere & extirpare, & bonos mores plantare & seminare. Ad hoc etiam, quantùm in vobis est, Regem vestrum, & alios Episcopos, & quoscunque potestis, suadendo, & gaudia quæ parata sunt bonis, ac mala quæ expectant malos, ostendendo attrahite *; ut de vestris & de aliorum bonis operibus præmium mereamini à Deo accipere. Grates refero pro munere vestro, quod mihi benignè misistis. Orate pro me. al. emit.

EPISTOLA CXLIV.

Anselmus Dei gratiâ, Archiepiscopus Cantuariæ, Adriano, qui fuit Monachus Christi Ecclesiæ Cantuariensis, & suadente diabolo, reliquit habitum suum: si vult redire ad Monasterium * suum, & ad monachicum propositum, salutem, & veram dilectionem. al. emit.

Præceptis, consiliis & minis errantes duas ovet ad gregem revocat.

FRatrem & Filium non debeo nominare, donec sciam te pœnitentiam peccati & erroris tui agere;

agere : & hoc cognoscam per reversionem tuam. Quod si, Deo * per gratiam suam inspirante, secundùm desiderium meum videro : certus esto quia in me paternam pietatem, & fraternam charitatem sine figmento, Deo annuente, invenies. Consulo igitur, & consulendo precor ut hominem, cujus animæ salutem affectu cordis desidero ; & præcipio eâ auctoritate, quæ mibi à Deo & ab Ecclesia Dei tradita est, super omnes viventes professos obedientiam & stabilitatem in præfato monasterio ; & adjuro per eandem professionem & stabilitatem, quam te in eodem loco servaturum coram Deo promisisti : & per utrumque adventum Domini nostri Jesu Christi, sicut vis ut primus sit tibi ad salutem, & secundus non sit tibi ad damnationem ; quatenus resipiscas, & redeas ad Ecclesiam in qua Monachus fuisti quantùm ad habitum, & esse debes secundùm veritatem, & ad me, & ad fratres, qui te propter animæ tuæ salutem desideramus ; si non vis in excommunicatione & anathemate mori. Nullus enim homo in præsenti vita vivens potest te absolvere ab his vinculis excommunicationis & anathematis, nisi quod verâ dilectione precor & consulo, feceris. Istas meas litteras præcipio tibi, si qua adhuc vena obedientiæ vivit in te, ut ostendas, si opportunitatem habes, Aicardo, qui tecum ab Ecclesia Christi discessit : & quidquid tibi scribo, illi simili charitate & auctoritate mando. Quamvis non mereamini * adhuc ut pro vobis orem ; tamen oro Deum omnipotentem ut ipse vos convertat ad se, & ad salutem animarum vestrarum ; & lætificet me de vestro desiderato reditu. Amen.

al. unde.

EPISTOLA CXLV.

Domino desiderabili, & totis viscerum meditis concipiendo, Matri Ecclesiæ Catholicæ Anselmo, Frater Walterus unus suorum extrema pars devotorum : desideratæ pinguedinis, intimæ suavitatis haustum sufficientem.

Exultat de felici Anselmi in Angliam reditu, simulque ab eo quidpiam expetit pia consolationis.

Hæret lingua, sensus hæret, nutat manus, dum revolvit dulcedinem vestræ salutationis, qua se vestra Celsitudo ad tantillum homuncionem dignata est inclinare. Ecce ad vocem vestram confortata sunt ossa mea, exhilarata præcordia mea : quia sanè nunc cognovi me vestram gloriam non inaniter amasse, quando vos meam humilitatem non dedignati estis recognovisse. Et revera quantò in me nihil promptum, nihil robustum confidero ; tantò erga meam imbecillitatem vestram diligentiam pluris duco. Omnipotenti itaque Deo laudis hostiam mecum referat omnes amici vestri, qui sæculum nostrum præsentiæ vestræ lumine destitutum fœliciore beatitudinis vestræ reditu exhilaravit. Depulit enim, qualiter voluit, quicquid requiei placidæ voluntatis vestræ obnitebatur ; unoque momento, quod nobis longissimum videbatur, citissimum nobis effectu pleniore perfecit. Introitus enim vester pacificus factus est & nobis, & vobis : quia dum protractæ querelæ terminum posuistis, Ecclesiis canonicè collatis, vos quoque requievistis. Itaque requiei vestræ, & communi bono congratulantur omnes amici vestri, & vos, quia corpore conjuncti non possunt, desideriorum gressibus invisere non desistunt. De nostris potissimum Monachis dico, quos vobis majoris dotis familiaritatis, & subventione transactæ necessitatis proclivius devinxistis. Sed quoniam mei cautâ corpi, ad me mihi redeundum est. Optatissimum mihi esset, si fieri posset, ante finem meum vestro conspectu perfrui, & coram vobis de meis calamitatibus conqueri. Pertransiit enim tempus meum, & nescio si quem diuturnitate vitæ collegerim fructum. Sed quoniam voluntati meæ debilitas senilis obstitit ; ecce hîc, ubi sum, vobis suspirando miserias & languores animæ, quos contraxi, repræsento ; id potissimum exorando, ut sicut omnibus omnia facti estis, eo me modo rescripto mansuetudinis vestræ informare dignemini, quo præsentem, si ita contigisset, consolaremini. Erit enim hoc magnum tutamentum meæ necessitatis, & monimentum gratum vestræ suavitatis. Ad hoc sanè mea hæc tendit oratio, ut quoniam vobis ex toto juxta votum frui non possum, saltem mihi aliquam vestri portiunculam concedatis ; non qua fruar pro vobis, sed cujus * respectu in vestra consolatione respirem. Non quia ægritudini meæ sufficientia desint alimenta scripturarum ; sed quia semper satiùs est ægroto, si ei quod desiderat, tribuatur. Et sæpe tactus unius demulcet, cui multorum medicamina non inhærent. Omnipotens Deus mentem vestram & linguam, parvulorum suorum consolationi diutiùs reservet, & placidæ * vestræ voluntati conatus adversariorum potentiæ suæ dexterâ substernat. Amen.

al. omn.

al. omn.

EPISTOLA CXLVI.

Anselmus Archiepiscopus, Fratri, & dilectori suo, Waltero ; salutem & benedictionem Dei, & suam, quantùm valet.

Est rescriptum ad antè positas litteras.

Litteras religiosæ dulcedinis tuæ suscepi, velut favum pinguem, & exundantem, & stillantem densas & suaves guttas inexplicabilis erga me dilectionis. In quibus sancto referta fervore anima tua diligenda & dilecta animæ meæ, tanto se significat flagrare desiderio nostri colloquii ; & quia hoc fieri posse desperat, saltem per litteras nostræ salutationis & ædificantis admonitionis ; ut anima mea miretur unde tua erga me concepit tantum affectum amoris : nisi quia *spiritus, ubi vult spirat : & vocem ejus audis ; & nescis unde veniat, aut quò vadat.* Quippe mea merita hoc impetrare apud homines nequeunt, ut sic diligar ab homine : sed Spiritus sanctus, per quem charitas in cordibus servorum Dei diffunditur, ipse animam tuam tali ac tanto fœcundavit affectu. Cujus vocem in litteris tuis audio, sed unde hoc inspiret nescio : quia cur hoc faciat, in me non invenio. Quem rogo ut nunquam à te vadat, sed semper in te maneat ; & totum spiritum tuum indesinenter amore Dei & proximi fervere faciat. Gratias ago Deo, qui mihi, ut ita à te diligar, dedit ; sed tibi multò majus donum tribuit, cùm cor tuum sic amore proximi implevit. Valde namque est gratiùs Deo diligere proximum, quàm diligi à proximo. Semper ergo plus debemus studere amare, quàm amari : & plus gaudere, & majorem quæstum æstimare, cùm amamus ; quam cùm amamur. Atque magis dolendum nobis est, & majus damnum credendum, cùm perdimus * amorem quo amamus ; quam cùm amittimus illum à * quo amamur : Amanti enim præmium debetur, non amato. Deum pro cujus amore me diligis, oro ut ipse te diligat, ipse te ad bene vivendum, quod à me petis, instruat : ipse te ab omnibus peccatis absolvat, & ipse te ad vitam æternam perducat. Amen.

Joan. 3. v. 8.

EPISTOLA CXLVII.

Muriardacho, glorioso Regi Hyberniæ, Anselmus Archiepiscopus, servus Ecclesiæ Cantuariensis: fidele cum orationibus obsequium, & per regnum terrenum mereri cœleste.

Etiam atque etiam rogat mederi, aut curare medendum pestilentibus sui regni moribus. Ne amplius viri uxores suas aliorum uxoribus commutent; & Episcopus non nisi in uno certo loco constituatur, nec nisi a pluribus Episcopis ordinetur.

V. ep. 140 supra

QUoniam multa de vestra Excellentia prædicantur, quæ regiam decent dignitatem, valde gaudemus: & Deo, a quo est omne bonum, devotas exinde gratias agimus. Confidimus autem quia qui vobis contulit gratiam suam, in faciendis bonis quæ *facitis; conferet quoque affectum perficiendi ea, quæ super illa quæ facitis, cum velle cognoscitis. Quapropter, gloriose Fili, & in Deo charissime, precor ut ea quæ in regno vestro secundùm Christianam religionem emendanda cognoveritis, omni instantiâ & solicitudine emendetis. Ad hoc enim Deus in Regali sublimitate vos constituit ut virgâ æquitatis subditos populos gubernetis, & quidquid in eis justitiæ adversatur, eâdem virgâ percutiatis & amoveatis. Et quidem quiddam dicitur fieri in ipso populo, quem regendum suscepistis, quod magnoperè corrigendum est; quia Christianæ Religioni omnimodis contrarium est. Dicitur enim quòd viri ita liberè & publicè uxores suas uxoribus aliorum commutant, sicut quilibet equum equo, aut quamlibet aliam rem re alia ab illo commutat; aut pro libitu & sine ratione relinquunt. Quod quàm malum sit, omnis qui Christianam legem novit, intelligit. Si igitur Excellentia vestra divinarum Scripturarum sententias, quæ huic infami negotio obviant, per se legere non valet, præcipite Episcopis, & religiosis Clericis qui in vestro regno sunt, ut eas vobis edicant: quatenus, eis cognitis, quo studio vobis invigilandum sit ut hoc malum corrigatur, cognoscatis. Item dicitur Episcopos in terra vestra passim eligi, & sine certo Episcopatus loco constitui: atque ab uno Episcopo Episcopum sicut quemlibet Presbyterum ordinari. Quod nimirum sacris Canonibus omnino contrarium est: & eos, qui taliter instituti sunt aut ordinati, cum suis ordinatoribus ab Episcopatûs officio deponi præcipiunt. Episcopus namque, nisi certam parochiam & populum cui superintendat, habeat, constitui secundùm Deum non potest: quia nec in sæculatibus nomen vel officium pastoris habere valet, qui gregem quem pascat, non habet. Honor quoque Episcopalis non parùm vilescit, dum is ad pontificatum assumitur, qui ordinatus, quò divertat, vel cui per Episcopale ministerium certò præsideat, nescit. Minùs quoque quàm à tribus Episcopis ordinari non debet; cùm propter multas alias & rationabiles causas, quas epistolaris brevitas non admittit; tum ut fides, vita, & solicitudo ejus qui invigilare debet, idoneis & legalibus testibus comprobetur. Precor itaque, hortor, & moneo quatenùs Excellentia vestra operam det, ut ista in regno suo corrigantur: quatenus merces, quàm à Deo pro aliis bonis *expetitis, pro istis vobis augeatur. Cæterum, si quid in vobis, aut in his quos regere suscepistis, quod ullatenus voluntati Dei adversari queat, perpenderitis, solicitè emendare satagite: ut cùm de terreno regno *transieritis, ad cœleste re-*

al. expedit

A gnum veniatis. Amen. De Fratre nostro Cornelio, quem sibi Celsitudo vestra mitti rogavit, dico quia ita occupatus est circa servitium patris sui, ut nec ab eo queat sine periculo vitæ illius separari; nec eum qui jam senio confectus est, secum ullatenus ducere.

EPISTOLA CXLVIII.

Anselmus Archiepiscopus Fratri charissimo, Odoni monacho & *Cellerario: salutem, & benedictionem Dei, & suam.

al. cellario

B *Ut non deserat munus sibi commissum, ob ingravescentem ætatem.*

DIcitur quòd quia sentis ætate & ægritudine finem tuum propinquare, ideò vis obedientiam tuam, in qua hactenus Deo & conventui Ecclesiæ in qua vivis deserviisti, deserere. Notum tamen volo esse dilectioni tuæ quia hoc consilium non est *ex bona parte. De malis enim operibus debemus agere pœnitentiam, & ea relinquere ante mortem; ne in illis inveniat nos ultima dies. In bonis verò operibus debemus perseverare usque in finem, ut in illis assumatur anima nostra de hac vita. De benefacientibus namque perseveranter dictum est: *qui perseveraverit* *Mat. 10. v. 22*
C *usque in finem* *hic salvus erit*: non de illis, qui ante finem a bono opere deficiunt. Expedit igitur animæ tuæ (Frater & Fili charissime) ut in obedientia, quam secundùm posse tuum ad placitum Dei, in quantum cognoscere possumus, & ad placitum Abbatis tui & Fratrum tuorum tenuisti, perseveres, quamdiu vita in te fuerit, & Abbas tuus tibi jusserit, bono, & læto animo, sine omni rancore & murmuratione, ut etiam loquendo & disponendo aliquid de eadem obedientia emittas spiritum. Sic enim eveniet tibi illa promissio, quæ perseverantibus usque in finem promittitur. Nec te terreat, quia propter imbecillitatem corporis non *vales modò ita efficaciter facere & curare quæ facienda sunt in eadem obedientia, sicut olim faciebas in sanitate & juventute. Namque non exigit Deus à te
D ultra posse tuum. Nec te perturbent quælibet adversitates, undecunque veniant; quibus te vult inimicus animæ tuæ vexare & fatigare, ut ante finem deficias, & præmium perseverantiæ perdas. Hortor igitur, & precor quatenùs hoc in corde tuo proponas & stabilias ut bonum opus, quod hactenus fideliter Deo adjuvante tenuisti, nequaquam, donec vivas, deseras; nisi hoc Abbas tuus, & Fratres tui, non tuâ importunitate, sed suâ spontanea voluntate tibi præcipiant. Et certus esto quia quantò majori difficultate, cùm propter imbecillitatem tuam, tùm propter quaslibet adversitates, obedientiam tibi injunctam *facies, tantò majus præmium à Deo recipies. Oro
E Deum omnipotentem ut ipse cor tuum dirigat, & quantùm in me est, benedictionem & absolutionem Dei tibi mando, Frater charissime.

EPISTOLA CXLIX.

Anſelmus Archiepiſcopus Cantuariæ, Thomæ, electo Archiepiſcopo Eboracenſis Eccleſiæ: ſalutem.

Eccleſia ultra tres menſes ſine Paſtore non debet eſſe, unde ipſi præſcribit ut VIII. Idus Septembris Cantuariæ ſe ſiſtat ab eo conſecrandum. Et ne ipſe electum Epiſcopum S. Andreæ de Scotia nondum conſecratum conſecrare præſumat.

CAnonica auctoritas præcipit, ut Eccleſia Epiſcopatûs ultra tres menſes non maneat ſine Paſtore. Quoniam autem Regi placuit, conſilio Baronum ſuorum, & noſtrâ conceſſione, ut veſtra perſona eligeretur ad Archiepiſcopatum Eboracæ; non debet per vos terminus ſalubriter conſtitutus diutiùs differri. Unde miror quia poſt electionem veſtram non requiſiſtis ut conſecraremini ad quod electi eſtis. Mando itaque vobis ut 8 Idus Septembr. ſitis apud Matrem noſtram Eccleſiam Cantuarienſem, ad faciendum quod facere debetis, & ad ſuſcipiendam conſecrationem veſtram. Quod ſi non feceritis; ad me pertinet ut ergo curam habeam, & faciam quæ pertinent ad Epiſcopale officium in Eboracenſi Archiepiſcopatu. Præterea audivi quia vos, priuſquàm conſecremini, facere vultis, ut electus Epiſcopus ſancti Andreæ de Scotia, apud Eboracam conſecretur. Quod nec facere debetis, nec ego concedo: ſed omnino interdico ne fiat, aut de illo, aut de aliqua perſona, quæ in regimen animarum debet provehi ab Archiepiſcopo Eboracenſi: quia non pertinet ad vos dare vel concedere alicui curam animarum, quam nondum accepiſtis. Vale.

EPISTOLA CL.

Anſelmus Archiepiſcopus, Goffrido, ſalutem, & benedictionem Dei, & ſuam.

Virum probum à vitæ integritate laudat, & à quo ſibi caveat, monet: maximè ne aliorum facta diſcernens vos contemnat.

JUhel nepos veſter mihi narravit vitam veſtram, & rogavit me ex veſtra parte, ut vobis conſulerem qualiter vivere deberetis. Sed cùm audiſſem vitam veſtram: non potui cogitare quid vobis poſſem addere in Pſalmis, in orationibus, in abſtinentiis, in affectione corporis, ultra hoc, quod vos per gratiâ Dei incepiſtis, & facitis. Hoc itaque quod facitis, quamdiu cum ſalute corporis veſtri facere poteſtis, tenete. Si autem ſenſeritis quòd in ægritudinem vobis vertatur: tunc conſulo, ut ſicut expedire cognoſcetis, vos temperetis. Melius eſt enim ut cum ſalute corporis læto animo aliquid faciatis, quàm per ægritudinem ab his quæ cum lætitia benefacitis, pro nihilo ducatis: neque alios, qui hoc non faciunt, ullo modo contemnatis; aut eos eſſe minoris meriti apud Deum, quam vos, exiſtimetis. Bonum enim eſt exercitium corporis: ſed multò magis amat Deus cor plenum pietate, dilectione, humilitate, & deſiderio perveniendi ubi poſſit & delectetur ipſum Deum videre. Omnipotens Deus vos doceat, & corroboret, & conſoletur. Abſolutionem Dei, & noſtram, ſi quid valet, ab omnibus peccatis veſtris vobis mitto. Rogo, orate pro me.

EPISTOLA CLI.

Anſelmus Archiepiſcopus, Johanni Priori & toti Congregationi Batenſi ſervorum Dei; benedictionem Dei, & ſuam, ſi quid valet.

Eos Dei domum & templum futuros, ſi mutuam ſervent concordiam; & in minimis obſervantiam teneant.

DOminus Johannes, lator præſentium, petiit à me ut Fraternitati veſtræ aliquam monitionem ſcriberem, quæ eſſet ſignum paternæ dilectionis. Poſſum quidem breviter comprehendere quæcumque vitanda ſunt, & quæ appetenda, dicendo: *declina à malo & fac bonum:* ſed convenientiùs exiſtimo, ut de aliqua virtute nominatim religionem veſtram admoneam. Hortor ergo, ut pacem ſervare inter vos toto corde ſtudeatis; quia dicitur de Deo: *Factus eſt in pace locus ejus.* Ita ergo domus & templum Dei verè eritis, ſi pacem inter vos conſtanter habueritis. Quam hoc modo aſſequi & ſervare poteritis; ſi unuſquiſque non intendat, ut alius faciat ſuam voluntatem; ſed ipſe ſemper, ſervatâ rectitudine & voluntate Dei, alterius faveat voluntati. Inter ſæculares homines eſt contentio de propria ſingulorum voluntate; ut unuſquiſque dicat, non ſicut tu vis, ſed ſicut ego volo: contentio * verò monachorum eſt: non ſecundùm voluntatem meam fiat, ſed ſecundùm tuam. Nec debet unuſquiſque expectare, ut cum facit alterius voluntatem, ille ſibi ſimiliter faciendo retribuat; ſed in hoc debet ſtudere, ut quidquid alius faciat, ipſe nunquam à bono propoſito ſuo deficiat. Eſt & aliud, quod valde pacem & dilectionem inter Fratres conciliat: ſi nullus aliquando Fratri ſuo aliquid dicit de alio, unde amicus ejus aliquo modo offendatur; ſed ſemper, ſi poteſt, Frater de Fratre loquatur, unde cor ejus ad dilectionem accendatur. Hæc Fratres, & Filii mei chariſſimi, ſervate. De Ordine quoque veſtro ita ſoliciti eſſe debetis, ut non in modico illum alicubi, vel aliquando, in ſecreto, vel in conſpectu aliorum, violetis. Scriptum eſt enim: *Qui modica deſpicit, paulatim decidet.* Si ergo coram Deo vultis proficere, nunquam minima mandata velitis deſpicere. Sicut autem qui modica deſpicit, paulatim decidit: ſic qui modica non deſpicit, non dico paulatim, ſed efficaciter proficit: Fratres, facite ut poſſitis dicere cum Propheta: *Anima mea in manibus meis ſemper.* In omnibus enim operibus veſtris debetis conſiderare, quaſi anima ſit in manibus veſtris ſemper: quia quicquid unuſquiſque faciet, hoc anima ejus recipiet. Omnipotens Deus vos ab omni malo cuſtodiat; & abſolutos ab omnibus peccatis, in bonis operibus vos perſeverare faciat. Amen. Precor ut oretis pro me.

* al. vero

Eccli. 19. v. 1.

Pſal. 73. v. 8.

Pſal. 118. v. 109.

Digitized by Google

A

EPISTOLA CLII.

Domino, & Patri diligendo & reverendo, Paschali, summo Pontifici, Anselmus * servus Ecclesiæ Cantuariensis; debitam obedientiam, cum fidelibus orationibus. al. omit.

Ut non mittat Pallium Archiepiscopo Eboracensi, nondum consecrato: Nec Londoniensi Episcopo, qui illud nunquam habuit: ne Ecclesiæ Cantuariensis Primatus à sua dignitate excidat: quod pati nequaquam potest. Inquirit & utrum Regi Teutonicorum permittat dare investituras, sicut Rex Angliæ audierat.

QUoniam fortitudo & directio Ecclesiarum Dei, maximè post Deum pendet ex auctoritate Paternitatis vestræ: quando ratio exigit, ad ejus libenter recurrimus auxilium & consilium. Archiepiscopus Eboracensis, Gerardus nomine, migravit de hac vita: & alius, Thomas nomine, loco ejus electus est. De quo rumor est quia quæratur ei Pallium, antequam sit consecratus, & mihi faciat professionem secundùm antiquam consuetudinem antecessorum meorum, & suorum. Hæc est igitur summa precum mearum in hac re, ut antequam consecretur, & mihi debitam obedientiam (sicut dixi) profiteatur, & hoc factum esse litteris nostris cognoscatis, à vestra Excellentia Pallium non suscipiat. Quod non idcirco dico quòd illi Pallium invideam: sed quoniam quidam autumant, & etiam procurant; ut si hoc à vobis concessum fuerit, confidant se professionem debitam mihi posse denegare. Si enim hoc contingat, scitote quia Ecclesia Angliæ scinderetur, & secundùm sententiam Domini, dicentis: *Omne regnum in se ipsum divisum, desolabitur*, desolaretur, & rigor Apostolicæ disciplinæ in ea non parum debilitaretur. Ego quoque nullatenus remanerem in Anglia. Non enim deberem aut possem pati ut, me in ea vivente, Primatus Ecclesiæ nostræ destrueretur. Hoc ipsum, & eodem affectu suggero Reverentiæ vestræ; quia de Londoniensi Episcopo Pallium petitur, quod nunquam habuit: ut, scilicet, ad hoc nullatenus assensum præbeat. Quidam namque concinnant D sub hac specie boni, Primatûs Cantuariæ dignitatem (quemadmodum non oportet) humiliare. Misi Sanctitati vestræ, hoc anno post Pentecostem, litteras per Bernardum servientem Domini Petri, Cametarii vestri: quòd Rex Angliæ conqueritur, quod sustinetis Regem Teutonicum dare investituras Ecclesiarum, sine excommunicatione: & ideò minatur se sine dubio resumpturum suas investituras, quoniam ille suas tenet in pace. Videat igitur prudentia vestra sine dilatione, quid inde agere debeatis; ne, quod tam bene ædificastis, irrecuperabiliter destruatur. Rex enim noster diligenter inquirit, quid de illo rege faciatis. Oramus Deum ut nos lætificet de diuturna vestra prosperitate. E

EPISTOLA CLIII.

Paschalis Episcopus servus servorum Dei, dilecto Fratri Anselmo: Cantuariensi Archiepiscopo; salutem, & Apostolicam benedictionem.

Precedenti respondet se nullatenus dignitati ejus Ecclesiæ derogaturum: nec usquam tolerasse à Rege Theutonico dari investituras.

LItteras Dilectionis tuæ recepimus, per quas affabilitatis tuæ dulcedinem recognovimus. Bene autem & sapienter egisti, quòd nos de causa & honore Cantuariensis Ecclesiæ præmonitos & cautos reddidisti. Nos siquidem in te ipsius beati Augustini Anglorum Apostoli personam veneranter intuemur, & ideò honori tuo, vel Ecclesiæ tuæ detrahere omnino refugimus. Unde quæ rogasti libenter suscepimus & ad servandum tuum & Ecclesiæ tuæ honorem, custodiam & sollicitudinem * adhibemus. Porrò, quòd in eis lit. al. mini teris significasti, scandalizari quosdam, quòd Regem Teutonicum dare investituras Ecclesiarum toleramus: nec toleravisse nos aliquando, nec toleraturos scias. Expectamus quidem, ut ferocia gentis illius edomaretur. Rex verò si in paternæ nequitiæ tramite perseveraverit, beati Petri gladium, quem jam educere cœpimus, proculdubio experietur. Datum Beneventi. 4. Idus C Octobris.

EPISTOLA CLIV.

Anselmus Beccensis, modò minister Ecclesiæ Cantuariensis, dilecto dilectori suo, reverendo Abbati Willelmo Beccensi; salutem.

Vota nuncupata ante monasticam professionem, in Prælati manum dispositione.

DE voto Monachi, de quo nostrum vultis audire consilium, qui antequam ad nostrum Ordinem veniret, vovit se nunquam ampliùs vinum bibiturum: hoc mihi videtur esse faciendum, quod fit à majoribus nostri Ordinis, & maximè apud Cluniacum: videlicet, ut hujusmodi vota, quæ fiunt sine promissione fidei, & sacramento, in voto monachici Ordinis, in quo homo quicquid ad se pertinet, & seipsum totum Deo offert, judicentur esse completa: & sit in dispositione Prælati, vel ea servare rationabiliter, vel mutare. Vos autem huic Monacho, de quo loquimur, potestis, si placet, ad tempus concedere ut quod incepit, faciat. Quod si quando intellexeritis non expedire: præcipite illi ut faciat fidenter, quod faciunt communiter Fratres.

EPISTOLA CLV.

Anselmus servus Ecclesiæ Cantuariensis, Thomæ Archiepiscopo Eboracensi.

Universis Archiepiscopi munia interdicit ante promissam sibi fidelitatem pro more veteri.

TIbi, Thoma, in conspectu Omnipotentis Dei v. epist. 141 ego Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis eo- supra.

ed by Google

tius Britanniæ Primas, loquor loquens ex parte ipsius
al. parochiæ Dei; Sacerdotale officium, quod meo jussu in * paræcia mea per suffraganeum meum suscepisti, tibi interdico: atque præcipio, ne te de aliquâ cura pastorali ullo modo præsumas intromittere; donec à rebellione, quam contra Ecclesiam Cantuariensem incepisti, discedas; & ei subjectionem, quam antecessores tui, Thomas videlicet, & Gerardus, Archiepiscopi ex antiqua antecessorum consuetudine professi sunt, profitearis. Quòd si in his quæ cœpisti magis perseverare, quam ab iis desistere delegeris: omnibus Episcopis * totius Britanniæ * sub perpetuo anathemate interdico ne tibi ullus eorum manus ad promotionem Pontificatus imponat: vel si ab externis promotus fueris, ne pro Episcopo * vel in aliqua Christiana communione te suscipiant. Tibi quoque, Thoma, sub eodem anathemate ex parte Dei interdico, ut nunquam benedictionem Episcopatûs Eboracensis suscipias, nisi priùs professionem, quam antecessores tui, Thomas & Girardus, Ecclesiæ Cantuariensi fecerunt, facias. Si autem Episcopatum Eboracensem ex toto dimiseris; concedo ut officio Sacerdotali, quod jam * suscepisti, uteris.
al. incepisti

EPISTOLA CLVI.

Dominis, & Fratribus charissimis & * desideratissimis Domno Abbati Willelmo, & sanctæ Congregationi Beccensi, sub illo Deo servienti, Frater Anselmus dictus Archiepiscopus: supernâ semper gratiâ & benedictione ad bona semper dirigi, & à malis defendi.
al. omis.

Se nihil habere illis antiquius; eorumque oblitorum non esse, nisi cum desieris esse.

SI cor meum Dilectioni vestræ de vobis plenè exponere volo, magna charta non sufficiet, & si breviter dicere propono, nequaquam affectum meum satiat. Sed in hac dubietate consolatur me vestra conscientia, qua mihi conscii estis quantùm semper vos & quàm veraciter dilexerim, & quot & quantùm de vobis desideraverim; & aliquid, quamdiu vobiscum fum conversatus, vos proficere studuerim: & si non omnes hoc experimento, quia Deus numerum auxit postquam à vobis discessi, cognoscetis; ab illis qui sciunt & experti sunt, discite. Hoc itaque nullatenus Charitati vestræ sit dubium quia sicut dilexi radicem, sic & ramos, * quantumcunque multiplicentur; & omnes filios Matris meæ, & primogenitos & post me genitos, velut * fratres uterinos in corde meo amplector
al. fratres uterinos
& amo. Omnes igitur precor & obsecro, ut mei memoria & dilectio in cordibus eorum qui eam habuerunt, non tepescat; & in mentibus eorum qui me non noverunt, accendatur & perseveret. Quamvis enim corpore sim vobis absens; nidum tamen meum, Ecclesiam dico Becci, cum omnibus pullis suis mecum porto semper in corde meo; & eam in orationibus, & in omni bono desiderio meo, si quid hæc sunt, repræsento Deo. De me ergo precetur vos Charitatis vestræ sinceritas, & inspiret superna pietas ut orationum vestrarum pro me non deficiat assiduitas. Quamvis animæ vestræ flagrent bono desiderio, quia tamen bene volentes non fastidiunt audire quod amant: precor, obsecro, moneo, consulo quatenus ad meliora semper vos * extendatis, & nunquam ab his ad quæ Deus vos provexit, deficiatis. Mutua dilectio secundùm Deum in vobis semper ferveat, pax & concordia, servatâ veritate, in vestris mentibus assiduè maneat; humilis obedientia in omnibus actibus vestris
al. extendas

A Deo placeat: studium Religionis & excludendi à vobis vitium, exardescat. Hæc invicem monete: hæc indesinenter tenete. Hoc oro, hoc opto, hoc desidero de vobis; hoc ipse, à quo est omne bonum, cum sua plena & perpetua benedictione det vobis. Amen.

EPISTOLA CLVII.

Anselmus Dei ordinatione Archiepiscopus Cantuariensis, ad quandam Dominam: mundum, non Christum, contemnere; & Christum, plusquam mundum diligere.
al. Exhortatio ad Virginem lapsam.

LIbentissimè, si possem, tecum loquerer, Soror * verè mihi in Deo dilecta, quia charitas qua omnem hominem volo salvum fieri, & officium mihi injunctum exigunt à me ut * te fraterno & æterno affectu diligam, & per eandem dilectionem sollicitudinem de salute animæ tuæ geram. Sed quoniam in nobis * non evenit opportunitas colloquendi, incumbit mihi necessitas scribendi quem animum de te habeam, & quid de te desiderem.

Obsecro igitur te ut non contemnas dilectionem, qua te propter Deum & honorem Dei & ad salutem tuam diligo; neque rejicias consilium meum. Si enim mihi acquiescere volueris; certa esto quia valde tibi in fine placebit, & erit super te gaudium magnum Angelis Dei. Si verò nolueris; scito quia nimis tibi displicebit, & inexcusabilis eris in districto judicio Dei. Audivi, soror mea, quia diu portasti habitum sanctæ conversationis: quê quomodo reliqueris, quidve passa sis, vel quid feceris, non latet; sed multùm apertum est.

Considera igitur jam nunc, charissima, quantùm distent viriles amplexus, & carnalis delectatio ab amplexibus Christi, & à delectatione castitatis & cordis munditiâ: amplexus quidem Christi dico non corporales, sed quales per amorem & desiderium ejus inter bonam conscientiam facit anima familiaris ejus. Considera, inquam, quæ sit differentia inter has duas delectationes: non loquor nunc de legitimo conjugio. Considera, inquam, quanta sit in spirituali delectatione munditia, quanta sit in carnali immunditia: quid spiritalis promittat, & quid carnalis minetur: quanta sit in spiritali spes, & quàm delectabilis expectatio Christi; quanta etiam in hac vita securitas & consolatio: quantus sit in carnali timor judicii Dei, quanta etiam in præsenti vita est confusio. Cogita quale sit Christum sponsum, cœlestis regni dotem promittentem, contemnere; & hominem mortalem, non nisi corruptionem & contemptibilia dantem & pollicentem, filio Dei Regi Regum præponere. Certè ille Rex Regum concupivit speciem tuam, ut sponsæ legitimæ.

Qualiter autem ille, quem scis, carnis tuæ pulchritudinem appetiverit, soror mea quomodo dicam? fœmina nobilis: quomodo dicam? Sponsa Dei, virgo fueras electa; & Deo habitu & conversatione assignata. Quid dicam modò te esse, filia mea? Deus scit. Non ita loquor, ut gaudeam de confusione tua; sed ut gaudeat Deus, * & congaudeant Angeli de conversione & salubri pœnitentia tua. Quid ergo dicam? Si non dico, forsitan non animadvertis: si dico, forsitan irascaris. De electa, & signata, & sponsa Dei, quid facta es? Erubescat esse nobilitas tua, quod erubescis audire: & ego propter nobilitatem tuam & dilectionem erubesco dicere. Ecce, filia charissima, si hæc proponis in conspectu tuo, quantus dolor * debet esse in corde tuo de tanto & tam gravi casu tuo? Si enim vehementer doles; condolendo tibi valde gaudeo: si verò non doles; non est unde gaudeam, sed multò ma-
al. ut gaudeas
al. decet

Digitized by Google

gis doleo. Nam si doles, adhuc salutem * tuam spe- A
to: si autem non doles; quid mihi damnationem tuam, expectare queo?

Impossibile nàque est te ullo modo posse salvari, nisi ad habitum & propositum abjectũ redieris. Quamvis enim ab Episcopo sacrata non fueris, nec coram ipso professionem legeris: hoc solùm tamen est manifesta, & quæ negari non potest, professio; quia publicè & secretè habitum sancti propositi portasti: per quod omnibus te videntibus Deo dicatam te esse, non minùs quam professionem legendo, affirmasti. Nam antequam fieret ista nunc usitata monachici propositi professio & sacratio; multa millia utriusque sexûs hominum solo habitu se ipsius esse propositi professia, celsitudinem & coronam consequuta sunt. Et qui tunc habitum sine ipsa professione & sacratione assumptum ejiciebant, apostatæ judicabantur. Inexcusabilis ergo es, si deseris sanctum propositum, quod diu habitu & conversatione professa es; quamvis professionem nunc usitatam non legeris, & ab Episcopo consecrata non fueris. Certè, filia charissima, adhuc te expectat Dominus, creator & redemptor tuus: rex ille qui concupivit speciem tuam, ut esset legitimus sponsus tuus, adhuc te expectat & revocat, ut sis legitima sponsa ejus, & si non virgo, saltem casta. Scimus enim plures sanctas mulieres, quæ post amissam virginitatem plus placuerunt Deo, & magis illi familiares fuerunt per pœnitentiam in castitate; quàm plures aliæ, quamvis sanctæ, in virginitate.

Redi ergo, mulier Christiana, redi ad cor tuum, & cõsidera quem potius debeas diligere, cui potius adhærere? illi qui te ad tantam honestatem elegit, eligendo vocavit, vocando habitu sponsali sibi assignavit: & adhuc, quamvis contemptus & rejectus, expectat & revocat? an illi, per quem (ut mitiùs dicam) in hoc in quo te vides dejectam, de tanta celsitudine cecidisti? præsertim cùm ipse te jam, sicut puto, contemnat; aut sine dubio contempturus & deserturus sit. Et utinam sic vos invicem contemnatis, ut vos Deus non contemnat: sic vos invicem deseratis, ut vos Deus non deserat: sic vos invicem rejiciatis, ut vos Deus à facie sua non projiciat: sic ab invicem avertamini, ut ad Deum convertamini. Certè meliùs & valde honorabilius est & illi, & tibi; ut ab illo sis contempta, quàm retenta: quia quandiu eris ejus retenta; proculdubio, ut de illo nunc taceam, tu D eris Dei contempta: & si contempta ab illo, propter Deum illum contempseris; utique non contempta, sed susceptа & dilecta Dei eris, velut ejus sanguine proprio redempta.

Intende, filia, cujus salutem desidero: intende benignitatem ejus qui contemptus à te contemnentem revocat; ut te in regalem suum thalamum, non terrenum, sed cœlestem introducat. Intende, & concute cor tuum: dole vehementer casum tuum. Rejice & conculca sæcularem habitum, quem assumpsisti; & * resume habitum sponsæ Christi, quem projecisti. Nullatenus enim te cognoscet Christus aut suscipiet, nisi in illo habitu, quo te sibi signavit, & quo te ejus sponsam esse publicè & secretò es testata. In hoc ha- *al. omit.* E
bitu redi tu ad benignitatem ejus. * Ingere te opportunè in conspectu ejus.] Accusa tu ipsa conscientiam tuam: lava lachrymis culpam tuam. Ora eum infatigabiliter, adhære illi inseparabiliter: misericors est, non te rejiciet; sed potius gaudens de reditu suo, te benignè suscipiet. Si hoc feceris; gaudium erit de te in cœlo & in terra, omnibus sanctis Angelis & hominibus cognoscentibus. Si verò hoc facere contempseris; omnes tibi adversi erunt, & ego & Ecclesia Dei faciemus, quod de tali re faciendum intelligimus. Omnipotens Deus visitet cor tuum, & infundat in te amorem suum, filia charissima.

EPISTOLA CLVIII.

De nuptiis consanguineorum.

Habetur parte I. *operum pag.* 141.

EPISTOLA CLIX.

Domino, & amico charissimo, reverendo Abbati Willelmo, Anselmus servus Ecclesiæ Cantuariensis; salutem.

BQUando respondi ad quod quæsivistis de Altari & de Ecclesia, ita erat cor meum quadam solicitudine gravatum, ut non possem intendere iis quæ dicebam, & nuntius vester ita festinabat; ut in aliud tempus hoc differre non possem. De quo quidem neque in Decretis neque in Canonibus memini me aliquid legisse: sed à quodam Episcopo audivi quòd in decretis Eugenii Papæ legitur Altare motum iterum consecrandum. De his cum Domino Papa Urbano locutus sum, assistentibus quibusdam Episcopis. Sed Papa dicebat mensam Altaris motam, nec reconciliandam, nec iterum consecrandam, nec amplius in altare reputandam. Alii verò dicebant tantùm reconciliandam; nullam tamen auctoritatem ostendentes. In hoc autem omnes concordant, quòd violato prin- C
cipali, tota Ecclesia cum Altari iterum consecranda est: nec Ecclesia consecranda est sine consecratione Altaris, aut principalis, aut alicujus alterius in eadem Ecclesia. In his autem omnes concordant cùm quibus locutus sum, exceptà Altaris mensâ. Item si aliqua pars Ecclesiæ destructa reficitur, aut nova fit Altari immoto: aqua tantùm ab Episcopo benedictà aspergendam dicunt. Ratio autem quam à me quæsivistis, hæc mihi videtur super his: Altare non fit propter Ecclesiam, sed Ecclesia propter Altare; & ideo violato principali Altari, jam non videtur esse Ecclesia: quia non est illud, propter quod Ecclesia constituitur & consecratur. Quapropter cùm illud fit novum, rectè videtur cum eo consecrari, per quod recipit ut sit Ecclesia. De moto Altari iterum consecrando hæc quoque mihi ratio videtur. Altarè vicem fidei Christianæ tenet, ut sicut non nisi in Altari sacrificium nostrum offerimus; ita non nisi rectâ fide sacrificia bonorum operum offeramus, si & Deo placere volumus. Sicut igitur fides mota à suo fundamento (quod est Christus) & à sua stabilitate, jam non est fides: ita Altare motum à suo fundamento jam non est Altare; sive quod de eadem materia totum, sive de alia fiat Altare novum & aliud quod fuerat, Altare videtur ideò consecrandum. Propter hanc rationem cavendum existimo, ne Altare gestatorium consecretur sine fundamento, quod multi custodiunt, & ferè ubique custoditur: quamvis in Northmannia, cùm ibi eram, non servaretis, sed nudi lapides nusquam affixi consecrarentur. Quod ego non damno, nec tamen facere volo. Ex his, quæ dixi, sequitur quia si tota Ecclesia nova fiat, Altari sine violatione manente; quoniam sine consecratione Altaris alicujus consecrari non debet; aut Altare aliquod est ibi renovandum, ut simul cum Ecclesia consecretur; aut aquâ ab Episcopo ad hoc benedicta intùs & exteriùs simpliciter aspergatur. Quæ facienda de his dixerim, ex ore & usu aliorum didici: rationem verò eandem alios habere non nego, sed ego à nullo accepi. Quapropter quod per me, vel per alios sentio, Sanctitati vestræ postulatus simpliciter insinuo; donec vobis certiùs, aut meliùs patefiat. Valete.

EPISTOLA CLX.

Hildebertus Episcopus, Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo.

al. sciertiam al. timui al. Eam

FAmiliare est sapienti tolerare nescientem, hinc est quod * inscientiam meam aperire non *timeo, quia erat cum sapiente colloquium.* Eam ni fallor & scientia vestra erudiet, & Charitas supportabit. Felicem mè, inquam, si meruissem vel præsens instrui, vel tanquam familiaris epistolam suscipere destinatam. Hoc autem mihi locus invidet, nec aliter salutationis indulsit obsequia nisi prius orbis dimidium consultarem, oportet enim maris & aëris explorare * clementiam * si quem judicamus in Anglia salutandum. Cæterum incommoda separationis Charitatis copula supplentur, quæ neminem patitur esse * vobis absentem, neminem non familiarem. Ea nihil est diffusius; par enim latitudo est & Charitatis & mundi. Charitas amplectitur quidquid Oceanus. Charitas in sacrario dilectionis & amicum colligit in Deum, & inimicum propter Deum. Eadem diligere non desinit, cùm diligi * desinatur. Omnes habet præsentes, omnes affines; quibus non potest obsequio, subvenit affectu. Absit igitur ut publicum Charitatis beneficium maris mihi fluctibus auferatur, cùm scriptum sit: *Aquæ multæ non* * *potuerunt extinguere Charitatem.* Facile est enim ut diversi cultores littoris Charitas uniat, quæ unam Rempublicam terram fecit & cœlum. Hujus itaque fiduciâ, injecta est mihi præsumptio inquirendi atque postulandi * id quod impêsum non minuet erogantem. Si votorum summa quæritur, sequens illam pagina declarabit. * Apulorum relationibus didici vos in Concilio Barrensi sermonem habuisse de Spiritu sancto, quem calumniosa Græcorum versutia à Filio minimè procedere fabulatur. Quod igitur adversus hanc illorum dementiam in præfato * promulgasti Concilio, succincto tractatu deprecor annotari, & * quæ ipsi Latinorum Patrum testimonia non suscipiunt. His auctoritatibus opus flagitatum munire non tædebit, quas græca calliditas & suas fateatur & nostras. Magna quidem, Beate Pater, postulo; sed quæ pariter & suscipienti proficiant & danti. Nobilis enim possessio est scientiæ, quæ distributa suscipit incrementum; & avarum dedignata possessorem, nisi publicetur, elabitur. Conservet nobis Dominus Sanctitatem vestram, & videant vos oculi mei antequam moriar.

al. dementiam al. si quidem al. nobis al. definitur al. potuerunt al. Appulorum al. promulgastis al. quia

EPISTOLA CLXI.

Hildebertus Episcopus, Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo.

ET dies lætus & vultus solemnes cum tuo tractatu mihi pariter accesserunt. Susceperam priùs benedictionem tuam * servus ego, servus tuus, * & egi gratias Deo & tibi devotus * affectus meus. Humanum quidem fuit subvenire proximo per compassionis affectum; sed divinum fidem defendere Catholicam per inhabitantem in te Spiritum sanctum: utrumque autem operatus est unus atque idem Spiritus, volens tibi virtutũ exuberare gratiam, quem suæ processionis à Filio defensorem reservabat; *in malevolam* enim *animam non poterat introire sapientia, nec habitare in corpore subdito peccatis.* Unde dignum fuit ut advocatus veritatis exemplum prætenderet Religionis. Talis propterea pastoralibus excubiis congruebat, A cui nihil deesset ad plenitudinem justitiæ, nihil ad integritatem doctrinæ. Beatum sane pectus quod virtutum conventus reverendum sibi penetrale consecravit. Inde velut ex adytis divina prodeunt oracula, nihilque aliud sacra * labia proferentur quam cœlestis interpretem voluntatis. Eorum me sæpius recordante stupor opprimit; & dum singula diligenter intueor, omnia Spiritui sancto confiteor adscribẽda cum Psalmista dicens: *à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.* Vicem mihi, Pater sancte, rependes, si tuarum participem me feceris Orationum. Vale.*

al. verba

Psal. 117.

EPISTOLA CLXII.*

Hildebertus Episcopus, Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo.

FLabellum tibi misi, congruum scilicet propulsandis muscis instrumẽtum. Est etiam quod in muguscule nostro te interpretari oporteat. Attende ergo quibus muscis immolantes Domino sacerdotes graviùs infestentur, quibus frequenter impediantur salutaria Altaris officia. Mille sunt occursantium phantasmata cogitationum: mille diaboli suggestiones: mille mortalium tẽtationes animorum, quæ dum se sacrificantium mentibus * inopino ingerunt illapsu, dum eas ad alia atque * alia cogitanda abstrahunt, dum hæreticam molisitur inducere pravitatem, quid aliud faciũt quam velut quædam muscæ sacrificantes Altaris ministros infestant & impediunt? Talium portenta muscarum Patriarcha noster Abraham propulsanda præsignavit cum a sacrificiis Aves * abegerit incursantes: scriptum est enim: * *descenderunt volucres super cadavera, & abigebat eas Abraham.* Dum igitur destinato tibi flabello descendentes super sacrificia muscas abegeris, à sacrificantis mente supervenientium incursus tentationum, Catholicæ fidei ventilabro exturbari oportebit. Ita fiet ut quod susceptum est ad usum, mysticum tibi præbeat intellectum. Et quoniam præfatæ volucres super sacrificia tantum descendisse leguntur, non etiam cœptum interrupisse officium; sacerdotes Christi tentationes, quas perferunt, ita docentur abigere, ut à Sacramentis Altaris talis eos lapsus non cogat abstinere. Hic enim defectus infirmitas est, quæ virtutem perficiat, non quæ virtutis opera in irritum deducat.

al. inopinato

EPISTOLA CLXIII.

Anselmus servus Ecclesiæ Cantuariensis, Gelduino Reverendo Abbati Aquicinensis Cœnobii: salutem.

UNde Reverentia vestra me consuluit, paucis respondebo. Quæritis utrum vobis liceat decimas ad Ecclesiam vestram pertinentes de manu laicorum eas tenentium emere. Licet utique vobis secundùm concessionem Apostolici ab * aliis redimere quæcunque Ecclesiastica Episcopali donatione in jus Ecclesiæ vestræ devenerunt. Nec quantum in vobis est concedere debetis ut aliquis laicus decimas vel Ecclesias aut altaria in feudum de vobis teneat. De hoc * quoti quæritis utrum spernendum an suscipiendum sit, si * quivis hominum aliquid Ecclesiasticum vobis scientibus, sed neque verbo neque munere rem ordiẽtibus ad opus Ecclesiæ vestræ redimere voluerit; mihi videtur quòd per consilium & donationem Episcopi licitè * hoc suscipere potestis. De depositis propter simoniacum crimen

Erat in Mss. Bib. urbica Aquicinctense, & in Mss. Bib. S. Martini Tornacensis.

al. illis

al. de hoc quoque quæritis

al. quis

al. super hoc

men. Unde me consuluistis: videtur mihi quòd nullus Abbas sua auctoritate eos possit restituere, etiamsi ad Monachium Ordinem conversi fuerint. Quod autem quæritis si quovis alio crimine præter homicidium Clerici conversi a sacerdotio debent* arceri, facile nûc determinare quibus criminibus arceri debeant non præsumo, ne misericordia quæ multis rationibus in eadem culpa aliis impenditur, aliis negatur, mea sententia cui * debeat impendi obstrui videatur, aut cui non debet impendatur. Quod certius judicatur quando * de nominato crimine publico vel occulto & de nota persona agitur. Porro quod de Ecclesiasticis rebus vobis responderi epistolari brevitate poscitis, nec tempus nec oportunitatem habeo satisfaciendi vestræ petitioni, nec puto breviter hoc posse fieri. Excommunicatos non consulo ut Monachos faciatis, nisi præmissa absolutione sui Episcopi. Vale.

al. denuncia-
to
al. omit.

EPISTOLA CLXIV.

Reverendissimo . . . Anselmo Archiepiscopo, Wolstanus Wirgonensis Episcopus, *&c.*

Novit Prudentia vestra, *&c.*

Hæc & sequentes Epistolæ habentur infrà in Historia Novorum Eadmeri.

EPISTOLA CLXV.

Anselmo Dei gratiâ Anglorum Archiepiscopo, Clerus & populus oppidi Wataferdiæ cum Rege Murchertacho, & Episcopo Dofnaldo; *&c.*

Pater sancte, *&c.*

EPISTOLA CLXVI.

Domino . . . Summo Pontifici Urbano, Frater Anselmus servus Ecclesiæ Cantuariæ, *&c.*

Novimus, Domine, *&c.*

EPISTOLA CLXVII.

Paschalis Episcopus servus servorum Dei, Venerabili Fratri Anselmo Cantuar. Archiep. *&c.*

Adversus illam, *&c.*

EPISTOLA CLXVIII.

Paschalis Episcopus servus . . . Anselmo Cantuariensi, *&c.*

Suavissimas dilectionis, *&c.*

EPISTOLA CLXIX.

Paschalis Episcopus servus . . . Anselmo Cantuariensi, *&c.*

Fraternitati tuæ, *&c.*

EPISTOLA CLXX.

Domino.... Anselmo Cantuar.... illius devotissimus famulus, *&c.*

Confiderata, *&c.*

EPISTOLA CLXXI.

Paschalis Episcopus servus, *&c.* Cantuariensi Archiep. Anselmo, *&c.*

De illata tibi, *&c.*

EPISTOLA CLXXII.

Vir quidam non contemnendæ auctoritatis sancto Anselmo hæc scribit.

Charissime Pater & Domine, *&c.*

EPISTOLA CLXXIII.

Reverendissimo Anselmo Cant. *&c.* Henricus Dei gratiâ Rex Anglorum, *&c.*

Venerabilis Pater non tibi, *&c.*

EPISTOLA CLXXIV.

Suo charissimo Domino Henrico glorioso Regi Anglorum, Anselmus, *&c.*

Quòd vestra magnitudo, *&c.*

EPISTOLA CLXXV.

Anselmus, *&c.* Domino & amico Roberto Comiti de Mellento, *&c.*

Vos scitis, *&c.*

EPISTOLA CLXXVI.

Henricus Rex, &c. Anselmo Archiep. *&c.*

In die sancti, *&c.*

EPISTOLA CLXXVII.

Suo charissimo Domino Henrico, *&c.* Anselmus, *&c.*

Gratias ago, *&c.*

EPISTOLA CLXXVIII.

Henricus Rex Angl. Anselmo Archiep. *&c.*

De hoc quod, *&c.*

EPISTOLA CLXXIX.

Henricus Rex Angl. Anselmo Cantuar. *&c.*

Paternitati & Sanctitati vestræ, *&c.*

EPISTOLA CLXXX.

Paschalis Episcopus servus, *&c.* Fratri Anselmo Cantuar. *&c.*

De Presbyterorum, *&c.*

d by Google

EPISTOLA CLXXXI.

Paſchali Domino ſummo Pontifici, Anſelmus, &c.

Non debeo, &c.

EPISTOLA CLXXXII.

Domino Paſchali ſummo Pontifici, Anſelmus, &c.

Quoniam robur, &c.

EPISTOLA CLXXXIII.

Anſelmus Archiep. Ranulpho Epiſcopo Dunelmenſi: ſalutem.

Mandaſtis mihi, &c.

EPISTOLA CLXXXIV.

Dilectiſſimo.... Anſelmo.... Archiepiſcopo, A Thomas Eboracæ Metropoli electus, &c.

Gratias ago vobis, &c.

EPISTOLA CLXXXV.

Henricus... Rex... Anſelmo Cantuar. &c.

Mando vobis ut, &c.

EPISTOLA CLXXXVI.

Anſelmus Arch... Thomæ, electo &c.

Mandaſtis mihi in, &c.

B EPISTOLA CLXXXVII.

Anſelmus Archiep... Thomæ electo, &c.

Mandavi vobis, &c.

EPISTOLA CLXXXVIII.

Thomas electus, &c. Anſelmo, &c.

Extat duntaxat fragmentum hujus epiſtolæ, quod incipit: Cauſam qua differtur ſacratio mea, &c.

Digitized by Google

Ex Mſ. Bibliothecæ Collegii Novi, in Oxonia.

SANTI ANSELMI
CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI
EPISTOLARUM
LIBER QUARTUS,

Eas continens quæ hactenus ſunt ineditæ.

EPISTOLA PRIMA.

Dilectiſſimis Fratribus Lanfranco & Guidoni, Frater Lanfrancus: perpetuam à Deo benedictionem.

QUIA divinitus, ut credo, vos dilexiſtis in ſæculo, rogo ut rogetis Deum, quatenus ipſo cooperante vos diligatis in eo quod aſſumpſiſtis recto proposito. Alter alteri ſit in tribulatione ſolatium; alter ab alterius vita & doctrina ſumat ſanctæ conversationis exemplum. Humilitatem omnibus oſtendite, linguas veſtras ab omni fraterna derogatione ſalubri cenſura compeſcite. Si quis cujuſlibet fratris vitam theonino dente rodere delectatur; ſi correctus à nobis emendare neglexerit, à veſtro colloquio arceatur. Quidquid alii de vobis dicant laudantes fortaſſe & magnificantes, quia parentes, poſſeſſiones, carnalia oblectamenta pro Deo contempſiſtis; vos ſemper introrſus ad conſcientias veſtras redite: peccatores vos eſſe cognoſcite, & peccatis veſtris continuis orationibus Deum propitium fore depoſcite. Adverſum te, chariſſime nepos, magnum mentis rancorem concepi, quia videlicet tranſgreſſus es præceptum quod de hoc ordine primum tibi injunxi. Sed interveniente venerando Priori Domno Anſelmo, cui ſicut Deo obedire deſidero, ſincero tibi corde illam noxam indulgeo. Et moneo ne tale aliquid amplius facias; quia quo impenſiùs amicum diligo, eo ampliùs majorem contra eum iram pro parva etiam culpa concipio. Omnipotens Dominus ſua vos gratia protegat, benedicat, atque ab omnibus peccatis clementer abſolvat.

EPISTOLA II.

Domino Reverendo, & Patri diligendo, Paſchali ſummo Pontifici, Anſelmus, ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis: debitam ſubjectionem, & orationum fidelitatem.

QUoniam de Sedis Apoſtolicæ auctoritate pendent filiorum Eccleſiæ directiones & conſilia: idcirco ad veſtræ Paternitatis recurro præceptum & conſilium. Cur autem tantùm diſtuli veſtræ celſitudini aliquid ſcribere, poſtquam redii in Angliam; per latorem præſentium, ſi placet, poterit agnoſcere. Mortuo Rege Guillelmo, cujus violentiâ per triennium exulavi ab Anglia, cum magno deſiderio ſum à Domino meo Rege Henrico & à Principibus ejus & ab Eccleſia Anglorum revocatus, & cum magno gaudio ſuſceptus. Qui poſtquam intellexerunt inſtitutionem, quam audivi fieri in Romano Concilio à venerabilis memoriæ prædeceſſore veſtro Papa Urbano, ne ſcilicet aliquis ſuſciperet inveſtituram Eccleſiæ de manu laïci, & ne Epiſcopus vel Abbas homo ejus fieret: ſenſi & audivi quia nullo modo eam Rex & Principes ejus vellent ſuſcipere. Qua de re mihi neceſſarium veſtræ Celſitudinis conſilium expecto. Quando Romæ fui, oſtendi præfato Domino Papæ de legatione Romana ſuper regnum Angliæ quam ipſius regni homines aſſeverant ab antiquis temporibus uſque ad noſtrum tempus Eccleſiam Cantuarienſem tenuiſſe, quàm neceſſariè ita eſſe oporteat, nec aliter niſi contra utilitatem Eccleſiæ Romanæ & Angliæ fieri poſſit. Rei autem hujus rationes præſenti nuntio ex quadam parte ut vobis referat injunximus. Legationem verò, quam uſque ad noſtrum tempus, ſecundùm prædictum teſtimonium Eccleſia tenuerat, mihi Domnus Papa non abſtulit. Audivi tamen quòd dum eram pro fidelitate Sedis Apoſtolicæ in exilio, legationem ipſam Archiepiſcopo Viennenſi veſtra commendavit auctoritas. Quod quanta difficultate, immo impoſſibilitate plenum ſit, intelligunt hi qui longum & periculoſum intervallum maris & regnorum, Franciæ ſcilicet & Burgundiæ, inter Angliam & Viennam noverunt: ut ſcilicet Archiepiſcopus Viennenſis Angliam, aut Angli Viennam pro ſuis cauſis freqoentent. Quapropter ſupplex oro ſervus & Filius Paternitatis veſtræ, ne meo tempore Eccleſia quæ mihi compatiendo multa adverſa pro fidelitate Romanæ Eccleſiæ in paupertate me exulante ſuſtinuit, privetur ea dignitate quam ante me in anteceſſoribus meis ſe poſſediſſe à veſtra Sede pronuntiat. Quando de Anglia exivi, erat ibi quidem profeſſione ſacerdos, non ſolùm Publicanus ſed etiam Publicanorum Princeps infamiſſimus nomine Ranulphus, propter crudelitatem ſimilem flammæ comburenti pronomine Flambardus; cujus flamma qualis ſit, non in Anglia ſolùm, ſed in exteris regnis longè latéque innotuit. Hunc Rex nuper defunctus contra voluntatem omnium Religioſorum, contra omnem juſtitiam ad Epiſcopatum ſine omni ejus correctione ſublimare me exulante præſumpſit. Qualis autem ante Epiſcopatum vel poſt Epiſcopatum in ſimonia & in aliis criminibus extiterit, cartæ præſentis lator intimare poterit. Talis tamen Pontifex, ſicut ipſe inordinatè eſt, ubi non

Digitized by Google

debuit, conſecratus, ita extra diœceſim ſuam Eccleſias & perſonas ſua ſacratione contaminare non dubitavit: Hunc quando redii in Angliam, inveni captum à Rege pro pecunia quam de miniſteriis ſuis velut Publicanus debebat male retenta, ut plena teſtatur Regis Curia, populo gaudente velut de leone circum quaque vaſtante compreſſo. De quo quando captus eſt, in audientia regiæ curiæ Archiepiſcopus ejus qui poſtea defunctus eſt, confeſſus eſt ſe illum non tenere pro fratre vel Epiſcopo, & mentitum ſibi eſſe omnia quæ conſecrandus promiſerat. Qui audiens reditum meum, auxilio meo ſibi ſubveniri ut Epiſcopo poſtulavit. Miſi itaque ad eum quatuor Epiſcopos cum præſentium portitore dicens quia ſi vellet ſe ſic ad Epiſcopatum acceſſiſſe oſtendere, ut tanquam Epiſcopus tractari deberet; facerem ut libertatem hoc faciendi haberet: timebant tamen, fateor, maledictionibus populique lapidibus obrui, qui crudelitatem ejus cohibitam in libertatem inducerem. At Epiſcopi in hoc quia per eos quæſivi, eum ſibi defeciſſe retuletunt. Qui poſtea clam de captione fugit in Normanniam, ac inimicis Regis Domini ſui ſociatus, dominum piratarum, quos in mari miſit, ſicut pro certo dicitur, ſe conſtituit. De hoc quoniam Eccleſia ſibi commiſſa inter barbaros multis periculis expoſita diu paſtore carere nequit, & de Eccleſiis & perſonis quos conſecravit, conſilii veſtri juſſionem poſtulamus. Mortuo Archiepiſcopo Eboracenſi poſtquam reverſus ſum, electus eſt in ejus locum Epiſcopus Refordenſis, vir admodum litteratus, & in eccleſiaſticis diſciplinis eruditus. In hac electione nos Epiſcopi clero & populo ejuſdem Eccleſiæ aſſenſum præbuimus. Quem valde deſiderantem ſe veſtro præſentare cõſpectui, ut Pallii largitatione à veſtra benignitate pro conſuetudine honoraretur, Rex pro quibuſdam cauſis conſilio Principum ſuorum retinuit; atque ut illi pallium mittatis, Celſitudinem veſtram poſtulando impetrare deſiderat. Cujus petitioni largitatem veſtram favere, ſi preces noſtras placet admittere, ſuppliciter flagitamus.

EPISTOLA III.

Reſpondet Anſelmus Epiſt. quæ eſt 19. lib. 3.

Reverendiſſimo ac Beatiſſimo vitæ ſanctitate, & ſummæ Sedis dignitate Prælato, Anſelmo Archiepiſcopo, Vulſtanus ſervorum Dei minimus Wigornenſis Eccleſiæ Epiſcopus merito indignus: orationis obſequia, fideliaque ex charitate ſervitia.

DE iis, unde nobis Dignitas veſtra ſcribere & noſtræ parvitatis eſt dignata conſiliũ quærere, quantùm recordari poſſumus, dicere non omittimus. Hanc denique unde conſuluit cauſam ventilari nunquam audivimus; quia nullus aliquando exiſtit, qui hanc Cantuarienſi Archiepiſcopo poteſtatem adimere vellet, & ne dedicationem propriarum dumtaxat Eccleſiarum publicè faceret, defenderet. Extant quippe & in noſtra diœceſi altaria, & quædam etiam Eccleſiæ in iis ſcilicet villis, quas Stigandus veſtræ Excellentiæ prædeceſſor, haud tamen jure Eccleſiaſticæ hæreditatis, ſed ex dono poſſederat ſæcularis poteſtatis, noſtris & anteceſſoris noſtri temporibus, nobis incõſultis, nec antea nec poſtea quicquam inde calumniantibus, utpote hanc ſpecialem poteſtatem ejuſdẽ Metropolitani Epiſcopi eſſe ſcientibus. Judicium tamen hinc agitatum, aut hoc ex jure ſibi vendicatum aliquando minimè audivimus, ſed quod in noſtra diœceſi eum feciſſe liberè agnovimus, in aliorũ etiam facere poſſe credimus. Ecce quantum inde reminiſci aut ſcire potuimus, prudentiæ veſtræ intimavimus. Jam quid faciendum ſit, ipſa conſideret. Valeat Paternitas veſtra, & ora pro nobis.

EPISTOLA IV.

Domino Reverendo, & Patri diligendo, Paſchali ſummo Pontifici, Anſelmus ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis: debitam ſubjectionem, & orationum aſſiduitatem.

POſtquam revocatus ad Epiſcopatum redii in Angliam, oſtendi decreta Apoſtolica, quæ in Romano Concilio præſens audiviſne ſcilicet aliquis de manu Regis aut alicujus laici Eccleſiarum inveſtituras acciperet, ut per hoc ejus homo fierèt; nec aliquis hæc trãſgredientem conſecrare præſumeret. Quod audientes Rex & Principes ejus, ipſi etiam Epiſcopi & alii minoris ordinis, tam graviter acceperunt, ut aſſererent ſe nullo modo huic rei aſſenſum præbituros: & me de regno, potius quàm hoc ſervarent, expulſuros, & à Romana Eccleſia ſe diſceſſuros. Unde, Reverende Pater, veſtrum petii per Epiſtolam noſtram conſilium quam miſi Celſitudini veſtræ per Guillelmum Regis legatum: Sed quoniam reſponſi veſtri litteras non accepi, adhuc per legatos noſtros quos mitto cum chariſſimis Fratribus & Coepiſcopis noſtris qui pro eadem re veſtram Sanctitatem adeunt, jam petitum iterum ſupplex per cartam ſublimitatis veſtræ certum peto conſilium. Oramus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ut vos conſervet ad laudem & gloriam nominis ſui & utilitatem Eccleſiæ ſuæ.

EPISTOLA V.

Glorioſo Domino ſuo Henrico, gratia Dei Regi Anglorum. Anſelmus Archiepiſcopus: fidele ſervitium & fideles orationes.

PRecor vos, mi chariſſime Domine, ut Dominum & Regem & tutorem Eccleſiæ Dei vobis commiſſæ, ut audiatis intente planctum iſtius Monachi de Micelei; & ſecundùm quòd intelligetis vos decere & Eccleſiæ expedire, ſentiat regiam & paternam veſtram ſubventionem & conſolationem. Ego verò fideliſſimus animæ veſtræ & corporis veſtri, & veri honoris veſtri, conſulo vobis & obſecro ne proponendo Eccleſiis Dei perſonas quales non debetis, & aliter quàm debetis, & conſilio ſecundùm quorum conſilium non debetis, attrahatis, quod abſit, iram Dei ſuper vos. Certum enim eſt quia jam in aliquibus pravi & infideles quantùm ad animam veſtram conſiliarii, aliter quàm oporteret, vobis conſuluerunt. Omnipotens Deus ſic vobis det regere quæ vobis commiſit, ut ipſe vos regat & ab omni malo tueatur.

EPISTOLA VI.

Domino Reverendo, & Patri diligendo, Paſchali ſummo Pontifici, Anſelmus ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis: debitam ſubjectionem, & orationum aſſiduitatem.

QUanto ſtudio mens mea Sedis Apoſtolicæ reverentiam & obedientiam pro ſua poſſibilitate amplectatur, teſtantur multæ & graviſſimæ tribulationes cordis mei ſoli Deo & mihi notæ, quas ab initio Epiſ-

Digitized by Google

copatus mei per quatuor annos in Anglia, & per biennium in exilio paſſus ſum, quia ejuſdem Sedis ſubjectionem abnegare nolui. A qua intentione ſpero in Deo quia nihil eſt quod me retrahere poſſit. Quapropter in quantum mihi poſſibile eſt, omnes actus meos ejuſdem auctoritatis diſpoſitioni dirigendos & ubi opus eſt corrigendos volo committere. Qualiter ergo ſim ad præſens in Anglia, breviter ſcribo; quia latoribus præſentium plenùs hoc viva voce ſignificandum dimitto: poſtquam revocatus à rege Angliæ qui nunc eſt, ad Epiſcopatum redii, offendi decreta Apoſtolica quæ in Romano Concilio præſens audivi, ne ſcilicet laïcus inveſtituras Eccleſiarum daret, neque aliquis de manu ejus acciperet, aut pro hoc homo ejus fieret, nec aliquis hæc præſumentem conſecraret; qui verò hæc tranſgrederetur, excommunicationi ſancti Concilii ſubjaceret. Quod audientes Rex & Principes ejus, ipſi etiam Epiſcopi quanta mala hinc proceſſura, quid potius ſe facturos, quam hæc decreta ſuſcepturos acclamaverunt, gravor dicere; dicant legati præſentes qui audierunt. Tandem in me converſi uno ſenſu pariter omnes affirmaverunt: me poſſe extinguere omne malum, quod ex his decretis proceſſerit, aſſeverant; ſi precibus Epiſcoporum meas vellem aſſociare, quatenus Celſitudini veſtræ placeret prædictam ſententiam mitigare. Quod ſi facere recuſarem, omne malum quod inde eveniret, mihi imputandum ſine ulla mea excuſatione judicarent. Ne igitur aliquid videar contemnere, aut meo ſolo ſenſu vel propria voluntate quicquam facere, nec illos audeo non audire, nec de veſtræ Sanctitatis diſpoſitione aliquatenus volo exire. Servata igitur apud me reverentia & obedientia Sedis Apoſtolicæ, precor ut quantum Dignitas veſtra ſecundùm Deum permittit, petitioni prædictæ quam vobis legati exponent, juxta ſapientiam veſtram condeſcendatis; & quid me jubeatis in hac re facere, quidquid futurum ſit, per legatos præſentes certum me faciatis. Oramus omnipotentem Deum ut Paternitatem diu incolumem in integra proſperitate ad Eccleſiæ ſuæ robur & conſolationem conſervet.

EPISTOLA VII.

Anſelmus Archiepiſcopus, Dilecto dilectori ſuo Guillelmo electo Epiſcopo Wintoniæ: ſalutem.

MAndate mihi ſi in proximis quatuor temporibus venturi eſtis ad me pro ſacerdotio, & ſi in ſequenti die poſt acceptionem ſacerdotii vultis conſecrationem epiſcopalem accipere. Oportet enim me hoc præſcire, quia ſi tunc conſecrationem Epiſcopi ſuſcepturi eſtis, veniam tunc Cantuariam, & invitabo Epiſcopos qui mecum ſint, ad tale opus ut decet faciendum. Si autem ſacerdotium tantùm prædicto tempore vultis accipere, non veniam tunc Cantuariam, quia ubicunque fuero illud facere potero. Ubi autem tunc ero, priùs charitati veſtræ notificabo.

EPISTOLA VIII.

Anſelmus ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis, Amico ſuo Joanni, Priori Canonicorum de monte S. Eligii, & Congregationi ſub illo Deo ſervienti: ſalutem.

CLericus iſte Natione Anglus, nomine Normannus de quadam Eccleſia in qua noviter ſunt congregati Clerici qui regulariter veſtro more vivere volunt, venit ad vos, deſiderans vobiſcum aliquanto tempore, quanto vobis placuerit, converſari; quatenus veſtro Ordine & veſtris conſuetudinibus inſtrui poſſit in ſervitio Dei ad ſuam & aliorum utilitatem. Qui quoniam noſter familiaris eſt, ne aliquis ſuſpicetur eum alia cauſa peregrinari, rogat literarum noſtrarum teſtimonio notificari; & noſtra notitia & proce apud vos ad hoc quod deſiderat adjuvari. Quamvis ergo de veſtra religione nihil niſi ſola dilectione meruimus, tamen quia de veſtra converſatione & benevolentia confido, quoniam Religioſorum eſt ad Religionem volentes proficere libenter, cùm oportunitas ſe exhibet, inſtruere: precor ut ei quantùm vobis oportunum erit, concedatis, ſicut poſtulat, in veſtra converſatione remanere.

EPISTOLA IX.

Balduino gratiâ Dei Regi Jeruſalem, chariſſimo Domino, Anſelmus ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis: per regnum terrenum, ad cæleſte ſublimari.

BEnedictus Deus in donis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis, qui vos ad Regis dignitatem ſuæ gratia in illa terra exaltavit, in qua ipſe Dominus noſter Jeſus Chriſtus per ſe ipſum principium Chriſtianitatis ſeminans, Eccleſiam ſuam, ut inde per totum orbem propagaretur, novam plantavit, quam propter peccata hominum judicio Dei ab infidelibus diu ibidē oppreſſam ſua miſericordia noſtris temporibus mirabiliter reſuſcitavit. Ego itaque memor magnæ dilectionis & beneficiorū quæ in patre & matre veſtra & filiis eorum erga me ſum expertus; exprimere ſcribendo nequeo quantùm de gratia Dei quam in fratre veſtro & vobis, eligendo vos ad illam dignitatem oſtendit, gaudeo, & quanto affectu ut vos qui fratri ſucceſſiſtis, non tam vobis quàm Deo regnare ſtudeatis, deſidero. Unde, mi chariſſime Domine, etiamſi mea exhortatione non egeatis; tamen ex cordis abundantia, ut fidelisſimus amicus precor vos, moneo, obſecro, & Deum oro, quatenus ſub lege Dei vivendo voluntatem veſtram voluntari Dei per omnia ſubdatis. Tunc enim verè regnatis ad veſtram utilitatem: ſi regnatis ſecundùm Dei voluntatem. Ne putetis vobis, ſicut multi mali Reges faciunt, Eccleſiam Dei quaſi Domino ad ſerviendum eſſe datam: ſed ſicut advocato & defenſori eſſe commendatam. Nihil magis diligit Deus in hoc mundo quàm libertatem Eccleſiæ ſuæ. Qui ei volunt non tam prodeſſe quàm dominari, procul dubio Deo probantur adverſari. Liberam vult eſſe Deus ſponſam ſuam non ancillam. Qui eam ſicut filii matrem tractant & honorant, verè ſe filios ejus & filios Dei eſſe probant. Qui verò illi quaſi ſubditæ dominantur, non filios ſed alienos ſe faciunt: Et ideo juſtè ab hæreditate & dote illi promiſſa exhæredantur. Qualem illam conſtitueris in Regno veſtro, in hac nova reſuſcitatione; talem illam diu

ſuſcipient & ſervabunt in futura generatione. Quod autem ego vobis perſuadere deſidero, oro Deum omnipotentem ut ipſe perſuadeat, & ſic vos in via mandatorum ſuorum deducat, & ad gloriam regni cœleſtis perducat. Amen. Remerium latorem præſentium, qui ſe de veſtra nutritura eſſe cognoſcit, Celſitudini veſtræ commendo. Et quia mecum diu converſatus de domo noſtra, ubi ſe ſua ſtrenuitate & bonis moribus valde amabilem fecit, ad vos vadit; precor ut Dominum dilectum, quatenus apud vos melius illi ſit, propter amorem noſtrum. Valete.

EPISTOLA X.

Anſelmus Archiepiſcopus, Filiæ chariſſimæ, Domnæ Abbatiſſæ Anheliti & Sanctimonialibus, ſub ea Chriſto famulantibus: ſalutem & benedictionem.

SI vos multùm non amarem; multùm vos increparem: quia poſtquam vos ipſæ ad me nuntium veſtrum miſiſtis, & de illo mortuo quem quidam volunt pro ſancto haberi quid vobis faciendum eſſet noſtrum conſilium requiſiſtis, in conſilio noſtro non ſteriſtis; ſed inſuper præcepto noſtro inobedientes extitiſtis. Quapropter mandans præcipio vobis, ut ſi à divino officio ſuſpendi non vultis, omnem amodo honorem cuivis ſancto debitum illi mortuo aufferatis, & ei nec oblationem faciatis, nec factam ad opus veſtrum ſuſcipiatis. Filium autem ejus qui ad tumbam ipſius decumbit & ibi moratur, à villa depellite, nec ei ampliùs aliquam inibi facultatem manendi relinquite. Valete.

EPISTOLA XI.

Anſelmus ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis, Hildeberto Domino, & Reverendo Coepiſcopo Cœnomanenſi: ſalutem temporalem & æternam.

Reſponſio eſt ad Epiſtolam 161 lib. 3. & ad Epiſtolam 162.

LItteræ veſtræ Sanctitatis valde me vobis debitorem reddunt, non quia me ſupra me extollunt; ſed quoniam immenſam dilectionis erga me ſinceritatem oſtendunt. Si enim propter Deum ut illi placeamus inimicos, multò magis ne illi diſpliceamus diligere debemus amicos. Quapropter ſi aut nullam aut minorem dilectionem vobis tribuo, injuſtum in mea conſcientia me judico. Sicut igitur hanc volo vitare injuſtitiam; ſic veſtram amplecti deſidero amicitiam. Fateor etiam quia ſi mihi eſſet poſſibile, vos ad duplum quàm me diligatis deberem diligere, quia vos me præveniſtis amore, quod probaſtis munere. Nam quoniam immeritum dilexiſtis, non minùs debeo rependere, & ſicut datis exemplum tantundem gratis debeo impendere. Quoniam ſi ſignificaſtis vobis placere hoc quod de opuſculis noſtris vidiſtis; præſumimus vobis mittere quædam, quæ ut puto, nondum vidiſtis.

EPISTOLA XII.

Dominæ & Filiæ chariſſimæ, Mathildi Reginæ Anglorum, Anſelmus Archiepiſcopus Cantuariæ: fideles orationes, & fidele ſervitium, & benedictionem Dei & ſuam.

GRatias ago Deo & Celſitudini veſtræ pro bona voluntate, quam erga me habetis & erga Eccleſiam Dei; & oro Deum omnipotentem, ut in ſua dilectione veſtram augeat devotionem; & ſic vos in hoc faciat perſeverare, ut æternam ab eo recipiatis retributionem. Oro etiam ut ſic faciat veſtram bonam intentionem proficere; quatenus per vos cor Domini noſtri Regis avertat à conſiliis Principum quæ reprobat, & conſilio ſuo quod in æternum manet, adhærere faciat. Conſolationem & exhortationem veſtram gratanter ſicut à Domina & ſecundùm Deum amica accipio; quia de Dei dilectione illam procedere intelligo. Si quid placet veſtræ dilectioni mihi mandare, latori præſentium ſicut mihi ipſi viva voce ſecurè poteſtis intimare. Omnipotens Deus omnes actus veſtros dirigat, & vos ab omni malo cuſtodiat.

EPISTOLA XIII.

Domino, & in Deo dilecto, Roberto Comiti Flandriæ, Anſelmus ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis: fideles orationes cum ſervitio.

AUdivi quia quoſdam de veſtris Abbatibus conceſſiſtis regulari electione ordinari, ut inveſtituram de manu veſtra non acciperent. Unde gratias ago Deo cujus gratia cor veſtrum ad hoc, quod ſibi placet, direxerit; & gaudeo pro vobis quia Eccleſiaſticis inſtitutis ad Chriſtianæ religionis profectum valentibus ſine contradictione favetis. Cùm enim hoc facitis, non homini ſed Deo obeditis, & vos verum & fidelem filium Eccleſiæ Dei & verum Chriſtianum oſtenditis: & vos eſſe de ovibus beato Petro Apoſtolo commendatis, cui Deus claves dedit regni cœlorum, monſtratis. Certum quippe eſt quoniam qui non obedit Romani Pontificis ordinationibus, quæ fiunt propter Religionis Chriſtianæ cuſtodiam, inobediens eſt Apoſtolo Petro cujus Vicarius eſt, nec eſt de grege illo qui ei à Deo commiſſus eſt. Quærat igitur ille alias regni cœlorum portas: quia per illas non intrabit quas claves Petrus Apoſtolus portat. Gaudens itaque gratias ago vobis, & oro ut Deus retribuat vobis, quia bonum exemplum aliis Principibus datis, & omnes ſervos Dei hoc modo ut orent pro vobis, invitatis; & Deum ad amorem & auxilium veſtrum in veſtris negotiis invocatis. Precor, obſecro, moneo, conſulo, ut fidelis animæ veſtræ, mi Domine & ut in Deo verè Dilecte, ut nunquam æſtimetis veſtræ Celſitudinis minui dignitatem, ſi ſponſæ Dei & matris veſtræ Eccleſiæ amatis & defenditis libertatem; nec putetis vos humiliari ſi eam exaltatis, nec credatis vos debilitari ſi eam roboratis. Videte, circumſpicite, exempla ſunt in promptu; conſiderate Principes qui illam impugnant & conculcant, ad quid proficiunt, ad quid deveniunt? Satis patet, non eget dictu. Certè qui illam glorificant, cum illa & in illa glorificabuntur. Inter quos Deus vos & conjugem veſtram & prolem veſtram in præſenti & in futura vita annumeret. Amen.

Digitized by Google

A

EPISTOLA XIV.

Anſelmus gratiâ Dei Archiepiſcopus Cantuarienſis, Rogero Abbati, & Roberto filio Comitis Hugonis & aliis Monachis de Monaſterio ſancti Ebrulfi

NImis palàm eſt, nec diſſimulari ullatenus poteſt quomodo ingreſſi eſtis Cœnobium ſancti Edmundi, & qua violentia extorquere conamini electionem Fratribus ejuſdem Eccleſiæ & aſſenſum veſtræ inordinatæ voluntatis. Quod quàm irreligiosè, quàm contra Monachicum propoſitum, & contra Regulam ſancti Benedicti, quam profeſſi eſtis, & contra ſacram Scripturam quæ dicit: *Nemo ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur à Deo:* & contra ipſum Deum faciatis, videt ipſe Deus qui diſcernit inter Paſtorem & lupum rapacem. Et quidem Dominum meum Regem prohibere nequeo quin vos conſtituat ſuper terrena: ſed ſuper animas propter quas Abbas & dicitur & conſtituitur, nemo poteſt quemquam conſtituere, niſi quibus Deus dedit poteſtatem ligandi atque ſolvendi. In meo Primatu & Archiepiſcopatu eſt illa Eccleſia, & propriè pertinent ejus conſecrationes ad Archiepiſcopum Cantuariæ, quem me eſſe non ignoratis. Nihil igitur eorum quæ ad me pertinent alicui veſtrûm unquam conceſſi aut concedo; immo oro Deum & conabor, quantùm adjuvante Deo potero, ut Deus convertat cor Domini mei Regis ad hoc quod Deo magis placet, & animæ ejus expedit; & faciet eum corrigere ſecundùm voluntatem ſuam, ſi quid contra eam facit. Chriſtiani eſtis ſub Chriſtiana lege, & ſub Monaſtica profeſſione vos vivere profitemini. Si contra hoc facitis, nec Chriſtianos nec Monachos vos eſſe apertè ipſo opere fatemini. Certiſſimum autem eſt quia ſi in hoc perſeveratis, contra prædictam profeſſionem facitis. Moneo igitur vos, ut Chriſtianos & Monachos, quatenus vos plus Deus timere quàm hominem oſtendatis, & ab incepta perverſitate conſtanter deſiſtatis. Quòd ſi magis adverſari Deo vultis quàm hominibus, annuntio vobis quia Deus adverſabitur animabus veſtris. Deus cui dicitur: *Tibi derelictus eſt pauper orphano tu eris adjutor*; ipſe videat & intueatur, ſi quas tribulationes Fratribus ejuſdem Eccleſiæ deinceps feceritis.

EPISTOLA XV.

Anſelmus Eccleſiæ Cantuarienſis ſervus, Reverendo Archiepiſcopo Gerardo Eboracenſi: ſalutem.

SCiat charitas veſtra quia litteras illas quas queritur legi & tranſcribi, nec ego alicui oſtendi nec dedi vel miſi, nec aliquis per me; nec ſcio quomodo factum ſit quòd aliquis eas ut tranſcriberentur, habuit; & cùm hoc legi in litteris veſtris factum eſſe, mihi diſplicuit. Et quamvis veſtra prudentia nihil ſuſpiceretur de me quod dedeceat; meum tamen eſt confiteri & aſſerere, quia non amo contumeliam veſtram, aut alicujus Coepiſcoporum meorum, nec quoquo modo res ſe habeat de litteris illis, mendacii vos arguendos exiſtimo. Cùm autem loquar vobis, cùm ſi quid reſcribo non ſufficit, viva voce ſpero me ſatisfacturum eſſe, quia nec ego in hac re culpabilis ſum, nec à legatis noſtris aliqua immiſſa eſt falſitas. Capitula Concilii ſolummodo mitto, quia ſententiarum eorum expoſitiones nulli volo tranſcribere, donec veſtro & aliorum Epiſcoporum qui in Concilio affuerunt, approbentur judicio.

B

C

D

E

EPISTOLA XVI.

Anſelmus ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis, Reverendo Archiepiſcopo Gerardo Eboraçenſi: ſalutem.

LÆtor de veſtro bono & religioſo ſtudio circa Clericorum veſtrorũ integritatem. Ad ea verò de quibus veſtra prudentia noſtrum petit conſilium, reſpondeo quia de iis quæ in Concilio noſtro & Coepiſcoporum noſtrorum cõmuni conſenſu ſtatuta ſunt, nihil relaxandum conſulo. De iis autem de quibus in eodem Concilio non tractavimus, non enim ſimul omnia neceſſaria potuimus, ut de ablatione Præbendarum ante idem Concilium venditarum, & de ſimilibus, quoniam non ſolum ad meam & veſtram perſonam, & Eccleſias noſtras pertinent, ſed etiam ad multas Eccleſias & perſonas, & in iis multi diſſentiunt, conveniens mihi videtur ut in proxima Nativitate Domini noſtro & Coepiſcoporum noſtrorum communi conſilio Deo dictante ſententiam certam ſtatuamus.

EPISTOLA XVII.

Dulciſſimo ac Venerabili, merito amando venerandoque Patri Domino Anſelmo, ſanctæ Cantuarienſis Eccleſiæ ſummo Pontifici, Frater Hugo Abbas Cluniacenſis, cum ſuo puſillo grege; quod præparavit Deus diligentibus ſe in veritate.

QUoniam, vir Sanctiſſime, difficile eſt optata nos ad invicem ſatiari præſentia, vel mutua & frequenti collatione corda noſtra delectari: bonum arbitramur, ſi ſaltẽ litterali viſitatione animos noſtros pro tempore paſcamus. Quis enim tam glorioſum tamque ſpiritualem habens in Chriſto amicum, qualem vos divina nobis conceſſit gratia, non omnimodis optet ſaluberrima illius recordatione recreari & relevari ſiſta renuntiatione. Prius quidem quam faciem veſtram videremus, ille ſuaviſſimus odor bonæ famæ aures noſtras reverberans jam dulcedine ſua noſtrum interiorem hominem impinguabat. At poſtquam veſtram hilarem præſentiam cernere Deo volente meruimus, non eſt facile dictu qualiter totus vobis adhæſimus, veſtroque cordi quaſi partem noſtri univimus. Verùm non hæc noſtra ſunt, ſed illius qui ſpirat ubi vult. Ipſi gratias agimus, ipſum exoramus ut quos ita junxit in hac vita, non permittat ſeparari in cœleſti gloria. Perpendimus ſatis vos multas & graves poſtquam à nobis diſceſſiſtis pertuliſſe anxietates. Et ſi voluntas eſſet ſummi Diſpoſitoris, ſcimus vos deſideraſſe multò magis cum Maria ſedere ad pedes Domini ejuſque vultum contemplari, quàm laborare miniſtrando cum Martha. Verumtamen quia poteſtas hominis non eſt in manu ipſius, date manum voluntati illius, cui eſt cura de vobis, quique luce clariùs novit quid ſit vobis ſalubrius. In eo totam ſpem veſtram reponite, ab ipſo virtutem & perſeverantiam quærite quantùm fieri poteſt, patiẽs ad omnia. Adſit vobis ille qui nulli unquam defuit in ipſo ſperanti. Sed cur nos imperiti aquam in mare deferimus, dum Sanctitatem veſtram quaſi docere præſumimus? Non docemus, ſed præcordialem amicũ noſtrum conſolari volumus; hoc tantùm ſecutè addẽtes, quia domus Cluniacenſis ancilla veſtra in vita & morte veſtræ non deerit ſervituri. Filium autem noſtrum Domnum Gofridum Sacriſtã ad partes illas, ſicut ab ipſo melius audietis, deſtinantes veſtræ commẽdare Paternitati neceſſe non arbitrantur: quoniam cum

Digitized by Google

magnis sæpius referre solet quantæ caritatis consilium auxiliūque ei in præterito anno contuliſtis. Nec solū ipse sed & omnes fratres nostri per vestram transeuntes præsentiam, plurimam vestræ Sanctitatis prædicant caritatem. Super quibus, quantas prævalemus gratias persolventes humiliter petimus, ut per hunc ad nos remeantem vestrum esse, vestrumque velle, nobis insinuare dignemini, ut gaudere possimus cum gaudente & cum dolente, quod omnipotens Deus avertat à vobis, ut filii condoleamus. Gratia Dei & pax vobiscum, Pater glorioſe. Memento nostri in sanctis orationibus vestris.

EPISTOLA XVIII.

Domino Reverendo & Patri diligendo Hugoni Venerabili Primati Lugdunensi, Anselmus servus Ecclesiæ Cantuariensis; quod servus, quod filius, quod totus suus.

ad. vi. Nicolai ad epſt. 64. lib. 1.

GAudendo gratias agimus Deo, & gratias agendo gaudemus quia pietas divina vestrum desiderium visitandi locum in quo salus nostra procurata est, adimplevit, & nos de reditu vestro & de salute vobis restituta lætificavit. Gratias quoque refero vestræ Paternitati, non solùm pro multimodis beneficiis mihi impensis, verùm etiam pro indeficienti bona voluntate, quæ me paterna sollicitudine & litteris suis visitare & ad eadem beneficia repetenda, si opus sit, non cessat visitare. Quibus bonis, quoniam nihil ego cogitare queo quod possim recompensare; Deum omnipotentem pro cujus amore hoc facitis, quanto affectu possum oro, ut ipse vobis dignetur remunerare. Nostrū esse quale sit in Anglia, caritas vestra desiderabat per scriptum cognoscere, sed legatus vester pleniùs vobis viva voce, quàm ego scribendo, poterit ostendere. Hoc tantùm dico quia quando spero meas adversitates mitescere, tunc magis sentio eas exardescere. Tota enim me vis Angliæ cùm solus ibi sim, molitur subvertere; quia me ab obedientia Sedis Apostolicæ non valet avertere: ad quod etiam ipsi Episcopi cum Rege sic æstuant, ut etiam consecrationes quæ nomini ad me pertinent, si sit qui velit accipere, ipsi præsumere non metuant. Omnipotens Dominus vestram nobis Paternitatem in gratia sua diu conservet incolumem. Amen.

EPISTOLA XIX.

Diaco Reverendo S. Jacobi Episcopo, Anselmus servus Ecclesiæ Cantuariensis: gratiæ superna: auxilium & consolationem.

CUm semper nos Christiani invicem congaudere debeamus & condolere, tunc utique maximè cùm prosperitatem & exaltationē Christianitatis & adversitatem ad ejusdē humiliationē cognoscimus pertinere: vestri itaque timoris atque doloris ex litteris vestris causam cognoscentes, unde timetis, inde timemus; & quod doletis, pariter dolemus. Quia milites nostros contra Saracenos ad vestrum auxilium commoneri desideratis, libenter pro opportunitate nostra eos commonebimus, & ad subventionem Christianorum commovebimus. Sed novetit Sanctitas vestra quia regnum Anglorum bellorum contra se undique furgentium nuntio fere quotidiano commovetur, unde satis vereor ne contingat nos pro vobis minus prodesse, quia nobis hostes timemus obesse. Nam dum quisque curat tueri propria, minus potest curare communia. Conabimur tamen Deo annuente hoc efficere orationum devotione, quod non valemus militum collectione. Speramus autem in misericordia Dei quia non relinquet virgam peccatorum super sortem justorum: neque tradet bestiis animas confitentes sibi. Omnipotens Deus adjutor in opportunitatibus, in tribulatione, subveniat vobis secundùm necessitatem vestræ tribulationis. Amen.

EPISTOLA XX.

Domino & Patri Guillelmo, Reverendo Archiepiscopo Rothomagensi, Anselmus servus Ecclesiæ Cantuariensis: salutem.

CLamo & queror ad vos, & ad vos & ad omnes Episcopos & Abbates & totam Ecclesiam Normanniæ pro me & pro congregatione Ecclesiæ sancti Edmundi quæ est in Anglia, de Abbate Monasterii sancti Ebrulfi quod est in Normannia, & vestram peto justitiam. Injuria, quam nobis nimis inordinatè fecit in Anglia, præter opinionem quam de illo habebamus, hæc est. Juvenem quendam filium Comitis Hugonis de Ceſtre, nimis carentem prudentia & utilitate & virtutibus ad Abbatis pertinentibus personam, per potestatem regiam ingessit in Ecclesiam sancti Edmundi cum armis, Monachis, quantum in ipsis erat, recusantibus & contradicentibus, & omnino sine nostra concessione, ad quem pertinent omnes ejusdem Ecclesiæ consecrationes. Qui ibi nititur extorquere ab ipsis Monachis obedientiam & electionem, & ut animas suas commendent illi custodiendas, qui quàm non idoneus ad hoc sit, apertè cognoscitur; quia ipse nusquam sine laterna & custodia, atque antequam ad hoc assumeretur, sibi ipsi credebatur. Precor igitur ut eundem Abbatem auctoritate vestra Monachum suum revocare cogatis, & Ecclesiam quam iniquè opprimit, velut à lupo rapace & oves dispergente liberetis; ne nos aliquid super Monachum vestrum nostræ auctoritatis censum, vestra cessante, facere cogamur,. Valete.

EPISTOLA XXI.

Anselmus Archiepiscopus, fratribus & filiis carissimis, Priori Eltero, & aliis Monachis Cœnobii sancti Edmundi: salutem & benedictionem Dei.

MIsereor & compatior caritati vestræ in longa & nimia tribulatione laboranti. Et tantò magis affectuosiùs hoc facio, quantò vos non pro terrenæ rei cupiditate, sed pro justitia tribulari considero. Justitia enim est, quia non contra Ordinem vestrum, non contra Regulam S. Benedicti, non contra auctoritatem aliorum sanctorum Patrum, nec sine consilio eorum à quibus Religionis regimen & consilium expectare debetis, Abbatem vultis accipere. Quapropter si propter hoc perturbationes & molestias patimini, videbit Deus qui omnia mala aut corrigit, aut punit, & bona nutrit & confortat, & dabit vobis consolationem suam congruo tempore qui adjutor est in opportunitatibus in tribulatione, si tamen flagella patris sustinere humiliter volueritis, & in spe misericordiæ ejus non defeceritis. Ad illum clamate non solùm orando, sed & vitam vestram in mandatis ejus & in Ordinis vestri custodia toto corde, toto conatu, in omni loco & in omni tempore servando. Gravis est aliquando & ingrata in tribulatione patientibus verborum sine alio auxilio consolatio; sed non debet hoc esse servis Dei, qui spem certam habent in Deo, quia quantò major est tribulatio, tantò major sequitur patientiæ retributio. Omnipotens Deus sua vos lætificet consolatione, & in prosperis & in adversis sua vos semper protegat benedictione.

EPISTOLA

tized by Google

A

EPISTOLA XXII.

Domino & Patri Reverendo Guillelmo Archiepiſcopo Rothomagenſi, Anſelmus ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis ; cum aſſiduis orationibus fidele ſervitium.

PRo injuria & oppreſſionibus, pro gravaminibus, pro deſtructione Eccleſiæ S. Edmundi clamavi ad Paternitatem veſtram, & nondum exaudiſtis clamorẽ noſtrum; conqueſtus ſum, & nondum ſenſi compaſſionem veſtram. Promiſiſtis vos facturos quod rogaveram de Monachis Monaſterii S. Ebrulfi qui prædictam Eccleſiam gravant, ſpoliant, deſtruunt ; ſed nimis moratur effectus promiſſionis veſtræ : adhuc clamo intimo doloris corde cogente pro me ad cujus propriam curam pertinet illa Eccleſia, & pro fratribus qui in ea converſantur : propter Deum, ſi zelum Dei habetis, ſi Epiſcopalem pietatem habetis, rogo, obſecro, ad veſtigia veſtra mente me proſterno, ſuccurrite, miſereminì orphanis & viduæ Eccleſiæ, quibus pro parte invehitur privignus, pro paſtore lupus, pro ductore cæcus, pro doctore neſcius, pro Abbate fur & latro : quia non intrat per oſtium. Revocate Monachos veſtros, liberate nos ab oppreſſionibus eorum. Facite ut Abbas monaſterii S. Ebrulfi revocet Monachos ſuos, C quos cõtra legem Dei & Ordinem ſuum in Eccleſiam prædictam ingeſſit, & res ejuſdem Eccleſiæ quas inde abſtulit ſacrilegà rapinà, juſtè reſtituat. Valete & ſuccurrite, precor, feſtinate.

EPISTOLA XXIII.

Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus, Roberto Comiti, & fratri ejus Ernulfo Comiti, & Radulfo de mortuo mări, & Philippo de Brajoſa, & Bernardo de Novo mercato, & aliis qui terras habent in Epiſcopatu degentibus Vaifridi Epiſ- D copi, amicis & filiis in Deo carißimis : ſalutem, & benedictionem Dei.

QUamvis vos ipſi ſolliciti eſſe debeatis de ſalute veſtra, ad me tamen pertinet ut vos ad hoc quod vos decet coram Deo & animabus veſtris expedit, excitem amica exhortatione, & invitem paterna admonitione. Precor itaque vos ut amicos, & conſulendo moneo ut filios dilectos, quatenus dilecto Wil-rido Epiſcopo de ſancto David, propter honorem veſtrum & propter Religionem Chriſtianam, omnem reverentiam & obedientiam quæ Epiſcopo in ſuo Epiſcopatu debetur cum amore exhibeatis, & quæcumque Epiſcopali diſpoſitione fieri debent, ejus conſilio faciatis. Sic enim vos ipſos ante Deum exaltabitis, ſi vos religioſa humilitate Epiſcopo veſtro, ſicut Deus ordinavit, ſubjecerit is. Et ſi in aliquo veſtro conſilio opus habuerit, promptos vos ut Chriſtianos bonos inveniat, quatenus Deus vobis in omnibus neceſſitatibus veſtris ſubveniendo retribuat. Hoc quoque maximè moneo & conſulo, quia vobis valde neceſſarium eſt ſi Deum non vultis offendere, ut ſi terras aut decimas, aut Eccleſias, aut aliquid quod ad Eccleſiam ejus Eccleſiaſtica rectitudine pertinet, tenetis ; ut reddere propter timorem Dei ſtudiosè curetis. Nam certum eſt quoniam qui Deum exhæredat, vel Eccleſias ejus in hac vita, ſi ſine pœnitentia & emendatione moritur, à regno Dei exhæredatur in futura vita. Omnipotens Deus ſic vos det hæc & alia bona in hoc ſæculo operari, ut vos faciat de beata retributione in æternum gloriari.

EPISTOLA XXIV.

Suo Domino, & totius Normanniæ Principi Roberto, Anſelmus ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis : fidele ſervitium cum orationibus.

QUaliter Domnus Guillelmus electus Epiſcopus Wintonienſis de Anglia exierit, non eſt opus ſcribendo oſtendere, quoniam per ipſũ & per alios qui rem ipſam cognoſcunt poteritis diſcere. Sed quoniam B ad me maxime pertinet illi compatiendo, & per me & per alios quantùm poſſum, ſicut debeo ſubvenire ; precor Celſitudinem veſtram ſi quid apud eam valeo quod deceat impetrare, quatenus in vobis ſicut homo veſter & ſicut illi cognoſcitis expedire, auxilium & conſilium cum amore inveniat.

EPISTOLA XXV.

Domino & Patri Guillelmo, Reverendo Archiepiſcopo Rothomagenſi, Anſelmus ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis : fideles orationes cum ſervitio. C

CUm ſemper gaudere & Deo gratias agere debeamus, quoties ſervos Dei gloriam mũdi pro Chriſti amore contemnere videmus, nec ulla violentia aut blandimentis a rectitudine poſſe ſeparari, tunc utique hoc maximè facere debemus, cùm in filiis & familiaribus noſtris hoc cognoſcimus operari. Quanta autem virtute, quanta conſtantia Domnus Guillelmus filius veſter, & gratia veſtra noſter, quem Canonicum & Decanum Eccleſiæ veſtræ electum canonicè Epiſcopum Wintonienſis Eccleſiæ nobis caritative conceſſiſtis, conſecrationem ab iis à quibus eam ſicut offerebatur recipere nõ debeat reſpuerit; & quomodo propter hoc rebus ſuis ſpoliatus & de Anglia expulſus ſit, nullius ſcripto melius quàm ejus viva voce, & eorum qui cum illo qãndo hæc facta ſunt, adfuerunt, Paternitas veſtra cognoſcere poterit. Quæ res quantùm in ipſo eſt tam fortiter facta eſt, tamque patenti honeſtate ſe manifeſtat, ut nullius relatione ad laudem ejus augeri valeat. Quapropter quamvis noſtra prece prudentia veſtra nõ egeat, tamen ex cordis abundantia obtecro ut eum benignè ſicut filium veſtrum & meum pro juſtitia exulãtem ſuſcipiat, atque cum amore & honore ei auxilium ſuum & conſilium, ubi res exiget, exhibeat. Alia quoque quod ab illo de hac re Reverẽtia veſtra audiet, ſecurè pro veritate teſtetur, & eos ad ejus amorem & honorem ſicut meruit exhortetur. Valete.

EPISTOLA XXVI.

Anſelmus Archiepiſcopus, Amico ſuo Rogerio : ſalutem & benedictionem.

VUlgo ſolet dici quia amicus, velut medicus, in neceſſitate probatur. Hoc idem dico quia ſi vera fuit amicitia quã Domno Guillelmo electo Epiſcopo in proſperitate oſtendiſtis, nunc apparebit, & * amor erit conſtantior, in majori neceſſitate. Ad quod ſi preces noſtræ & monitio noſtra bonæ voluntati veſtræ poſſunt aliquid addere: obſecro ut propter honeſtatem veſtram & propter amorem veſtrum in iis quæ hactenus bene & fideliter, illum adjuvando feciſtis, non deficiatis: ſed quantò magis illum indigere cernitis, tantò ſtudioſiùs ſtrenuitatis veſtræ auxilium illi exhibeatis.

* al. major erit & conſtantior.

Digitized by Google

Quod si feceritis, & me amicum vestrum amiciorem vobis redderis, & amicitiam vestram omnibus veram esse ostenderis. Valete. Omnipotens Deus tribuat tibi omnium peccatorum tuorum absolutionem & remissionem; & orationum mearum, si quid valent, in vera charitate participationem.

EPISTOLA XXVII.

Anselmus Archiepiscopus Cantuariæ, amico & Coepiscopo Malcho Watertordiensi: salutem & benedictionem.

AUdivi quòd Domnus Samuël Episcopus Dublinensis Monachos Ecclesiæ Dublinæ aut nulla aut parva occasione ejicit, nec pro nulla satisfactione, vult recipere; & quia contra consuetudinem crucem facit gestari ante se in itinere, & quia res Ecclesiæ illius ab Archiepiscopo Lanfranco datas velut proprias distribuit. De iis omnibus illi nostras mitto litteras, & Populo ejusdem civitatis mando, ut prædictarum rerum distributionem prohibeat. Et quoniam non invenio per quem litteras nostras illi aptiùs mittam, precor Fraternitatem vestram, quatenus eas illi per præsentiam vestram exhibeatis; & eum caritativè viva voce ut monitioni nostræ quam illi scribimus assensum præbeat rogando & consulendo moneatis. Valete.

EPISTOLA XXVIII.

Domino & Patri Reverendo Archiepiscopo Rothomagensi Guillelmo, Anselmus servus Ecclesiæ Cantuariensis: quod Patri filius.

QUamvis Dominus Guido lator præsentium olim nobis ut Domino & Patri familiari notitia, ut ait, adhæserit; tamen quia novit quanta inter vos & me mutua sit Dilectio, nostris litteris vestræ commendari petit sanctitati. Sciat igitur vestra Paternitas quia cum nostra amicitia & licentia redit de Anglia in Normanniam ad suam Ecclesiam. Quod precor ut apud quoscunque opus fuerit vestra testetur auctoritas. Precor etiam ut ubi vestro consilio & auxilio eguerit, secundùm quod vestram decet Reverentiam, ad salutem animæ suæ promptum inveniat. Valete.

EPISTOLA XXIX.

Anselmus Archiepiscopus, Reverendo Episcopo Gondulfo: salutem.

NOtum sit Dilectioni vestræ, quod gratia Dei vestris suffragantibus orationibus sanus sum & usque ad Carrotum Romam tendens sine perturbatione vivi. Quo cum pervenissem, & a D. Comitissa, & Episcopo honorificè susceptus fuissem, mirati sunt quod tali in tempore tam periculosum iter peragendū arripuissem. Affirmaverunt siquidem quod nec Romam videre si ceptum iter tenerem, nec ulterius, præ nimia loci infirmitate caloris angustia redire valerem. Tale quocunque esse hoc in tẽpore me iter agere, ac si mihi licenter mortem vellem ascíscere. Consilio itaque eorum & omnium amicorum meorum in tempus congruum iter agendum distuli, & in Normannia A expectaturus Beccum redii. Debita igitur mea quæ in Anglia debeo, precor & multùm precor ut solvatis, & reliquum quod habere potestis de meis redditibus per Ansfredum præsentem nuntium quàm citiùs potestis mihi mittatis. Solutionem Romescoti usque ad Festum Sancti Michaëlis differre potestis. Eleemosyna verò ne aliquam penuriam patiatur, prudentia vestra invigilet. Godefrido de Mellinges dicite ut Guillelmo filio suo det 20. solidos denariorum. Guillelmo filio Hionis 20. marcas argenti, & Albrito 2. ad Festivitatem S. Michaëlis dabitis. Orate pro me ut Deus me & actus meos dirigat, & in beneplacito suo ad salutem meam & omnium mihi commissorum disponat. Salutate filios & fratres nostros nostræ & vestræ congregationis.

EPISTOLA XXX.

Reverendæ Dominæ suæ Mathildi gloriosæ Reginæ, Anselmus Archiepiscopus: fideles orationes cum fideli servitio, & benedictionem Dei, & suam, quantùm potest.

GRatias ago magnas susceptæ vestræ largitioni, sed multo majores sanctæ quam erga me sum experti dilectionis. Quas quoniam corporis officio nequeo peragere, cordis affectu cupio indesinenter persolvere, siquidem quantumcumque sit vestra corporalis absentia: removeri tamen nequit à mente mea fidelis dilectionis vestræ prudentia. Quapropter desideranter oro, & orando desidero, ut Deus quod ego per me non valeo, ipse vobis pro me retribuat, & quantum scit expedire, suam erga vos dilectionem & vestram erga se perficiat. Quanto affectu possum & quantùm de Celsitudine vestra audio præsumere, precor, obsecro, supplico, fideliter consolo, ut Ecclesiarum Angliæ paci & quieti Pietas vestra studeat: & maximè filiis earum imbecillioribus minusque potentibus, in tribulationibus suis & desolationibus, quasi orphanis Christi subveniat, & ad similitudinem Evangelicæ gallinæ illos sub alis doceat protectionis suæ consoletur & foveat. Unctio sancti Spiritus vos in omnibus doceat, & quæ sibi magis placent & vobis expediunt, persuadeat, & post temporale regnum ad æternum perducat.

EPISTOLA XXXI.

Anselmus Archiepiscopus, Anselmo, carne nepoti, dilectione filio suo carissimo: salutem & benedictionem Dei, & suam.

QUoniam singulariter te inter omnes consanguineos meos diligo, ut proficias corā Deo & coram omnibus desidero. Quapropter moneo te & præcipio tibi sicut filio dilectissimo, quatenus ad hoc pro quo te in Anglia dimisi sollicitè perficere studeas, & nullum tempus in otiositate transeas. In declinatione & virtute grammaticæ cognoscenda maximè intendè, in dictamine & plus in prosa quam in versibus te exerce. Super omnia mores & actus tuos coram hominibus, & cor tuum coram Deo custodi, quatenus, cùm Deo annuente te videro, de tuo profectu gaudeam, & tu de mea lætitia gaudeas. Vale. Deo corpus & animam tuam commenda.

Digitized by Google

EPISTOLA XXXII.

Anſelmus Archiepiſcopus Dominis Fratribus & filiis ſuis chariſſimis, Domno Priori Ernulpho, & aliis ſub illo in Chriſti Eccleſia Cantuarienſi Deo ſervientibus: divinæ gratiæ & benedictionis conſilio ſemper regi & conſolari.

PRiores litteras à veſtra Fraternitate directas lætus ſuſcepi, quia per omnia vos veſtra, Dei protectione, in proſperitate manere per litteras Epiſcopi Roffē-ſis & per earum latorem accepi. Quam lætitiã etſi non multùm litteræ ſequẽtes conturbaverunt, aliquatenus tamen obnubilaverunt. De Regis namque petitione, quam mandaſtis, non parum miratus ſum. ſed quòd nihil ſine noſtro conſilio, ſicut vobis decet facere, voluiſtis, & præcepti noſtri memores fuiſtis, gaviſus ſum. Potens eſt enim Deus regiam voluntatem ab omni indignatione, quam hac occaſione adverſum nos naſci timetis, avertere, cùm vos rectè & ordinatè facere conſpiciet, aut ſi hoc illi facere non placuerit, & aliquid inde vobis contra voluntatem veſtram, quod avertat Deus, contigerit; certi eſſe debetis quia melius eſt pati aliquid propter juſtitiam ſub Dei conſolatione, quam aliquid facere inordinatè in ejus offenſione. De hoc igitur Dei diſpoſitionem, cui me & vos & omnia noſtra commendo, expectabo: & ſicut conſuluiſtis Regi per Reverendum & amicum noſtrum Epiſcopũ Roffenſem ut totum Epiſcopatum noſtrum in pace & quiete permanere permittat ſicut mihi promiſit, mandabo. Quòd ſi Deus & vorum meum & veſtrum ſua gratia diſpoſuerit, Dei pietatem laudate; & ſi aliter evenerit, quidquid illud ſit, per qualemcunque nuntiũ, ubicumque ſim, mandate Contra hæc & contra omnia adverſa vos armis juſtitiæ a dextris & a ſiniſtris armate; Deum timete, ſemper eum præſentem publicè & ſecretè, & vos illi præſentes cogitate. Ordinem veſtrum emendãdo cogitationes & actus veſtros in omni innocentia cuſtodite: & ſic Deus vobis omnia cooperabitur in bonum, & erit vobiſcum ſive in pace ſive in tribulationibus, omnibus diebus vitæ veſtræ. De reditu meo in Angliam antequam quod incepi perficiam de quo mihi mandaſtis, Dominus noſter Rex nihil mihi mandavit; ſed tantùm proſperitatem & hilaritatem ſuam, ſicut fideli ſuo & congaudenti, per litteras intimavit. Omnipotens Deus & in proſperis & in adverſis ſuper vos & in vos ſuam effundat benedictionem, & nunquam patiatur à vobis ſuam deeſſe conſolationem. Gratias ago Domno Priori & omnibus vobis pro dilectione & beneficiis quæ nepoti meo propter amorem meum impenditis. Quamvis enim hoc non dubitem, ipſe tamen ſuis litteris hoc mihi magno affectu intimavit.

EPISTOLA XXXIII.

Anſelmus Archiepiſcopus amico ſuo Reverendo, Gondulpho Epiſcopo Roffenſi: ſalutem.

DE ſalute & proſperitate noſtra per latores præſentium cognoſcere poteſtis, propter quod exivi de Anglia, quantùm poſſum, adjuvante Deo, per me ipſum, quia aliter non video me poſſe, conor perficere. Gratias ago veſtræ bonæ voluntati & ſollicitudini quia mihi nuper in neceſſitate ſuccuriſtis. Nam de ccc. & xxx. marcis argenti quas tuli de Anglia, non habebam niſi xxiv. quando hoc quod nuper miſiſtis, ſuſcepi: multùm namque plus me neceſſe eſt expendere quam putabam. De noſtris rebus quia non magis in me quam in vobis confido & veſtram novi bonam voluntatem, ut eas ſicut oportet cuſtodiatis & tractetis, ſcio quia prece noſtra non indigetis. Gratias itaque agens de iis quæ feciſtis & facitis, rogo ut ſicut nuper mihi ſubveniſtis, ita in futurum quam citiùs poteſtis ſubveniatis, mittendo ſi quid de præterito anno de noſtris redditibus habetis, & quidquid de futuro, precando, monendo, & neceſſitatem meam oſtendẽdo, a præpoſitis noſtris colligere * poteſtis. De pauperibus quod apud Cantuariam paſcere debeo, rogo multùm ne ullam patiantur inopiam. Quod mihi mandaſtis de terra noſtra de Roginges libenter accipio, nec aliam quam me rogaſtis habere voluntatem, habeo. Audivi quòd Hugo filius Mabiliæ, terram quam ſine ulla donatione eum hactenus tenere permiſi, vult vendere. Prohibete itaque ne ipſe aut aliquis alius aliquid de terra noſtra vendat, aut aliquo modo impediat; ſed omnia ſicut ea dimiſi permaneant donec redeam. Salutate filios noſtros & filias, & ut orent pro me oro. Radulfo filio Herengodi qui mecum fuit, date centum ſolidos.

EPISTOLA XXXIV.

Anſelmus Archiepiſcopus, Reverendo Epiſcopo Roſenſi Gondulfo: ſalutem:

[]Bi & qualiter ſim per præſentium latorem audietis, cur autem ad præſens in Angliam non redeam ex litteris quas Regi mitto, cognoſcere poteritis. Mando autem vobis ut eum fideliter ex noſtra parte ſalutetis; & ſigillum noſtrum, quod vobis nuntii noſtri dant, quod ei mitto, illi detis, & ſi illi placuerit per litteras mihi reſpõdere, illas mihi per præſentem legatum mittite. Quòd ſi noluerit, quidquid reſpõderit veſtris litteris mihi mandate. Sigillum autẽ noſtrum non priùs Regi oſtendetis, quam Guillelmus de Vvarelvvaſt veniet in Angliam, & eidem Guillelmo exemplum litterarum quas Regi mitto, ſecretè oſtẽdatis. Videte etiam ut nullus præter ipſum niſi Prior noſter ſolus ſciat ipſas litteras, antequam Regi dentur. Poſtquam verò Rex illas cognoverit Epiſcopis & aliis eas notificate, Reginam ex noſtra parte dulciſſimè ſalutate: * exemplar litterarum, quas Regi mitto vobis tranſmitto. * Epiſt 22. lib 3.

EPISTOLA XXXV.

Anſelmus Archiepiſcopus Reverendo Epiſcopo Gondulfo: ſalutem.

LItteras Domini noſtri Regis ſuſcepi, in quibus ſicut ſcitis, promiſit mihi quia poſt Curiam mihi reſponderet. Mando ergo Caritati veſtræ ut ad eum ex noſtra parte eatis, & dicatis ita. Domine, Archiepiſcopus Cantuarienſis mã dat vobis fidele ſervitium ſicut Domino & Regi ſuo, & mandavit mihi ut reducerem vobis ad memoriam quatenus ſicut illi mandaſtis, reſpondeatis. Quòd ſi ipſe reſponſum ſuum mihi mandare voluerit per ſigillum ſuum, bene. Si autem per litteras ſuas noluerit reſpõdere, vos per litteras veſtras mihi mandate quidquid reſponderit. Quòd ſi adhuc in alium terminum voluerit differre reſponſum, accipiam dilationem, & alium terminum reſpondendi; ſi me interim ſaiſitum ſicut eram quando exivi de Anglia permiſerit, ut vos mihi de rebus noſtris mittere poſſitis, ſicut mando & mandabo. Si autẽ me diſſaiſierit ut noſtræ res non ſint in mea poteſtate; dicite ei quia ego nullas inducias accipio, ſed ita me habebo ſicut

Digitized by Google

Episcopus dissaisitus, sine judicio quo Episcopus dissaisiri debeat. Si verò & respondere voluerit, & tamen me saisitum non dimiserit, responsum ne* reticeatis: sed tamen hoc ipsum quod dixi quia me habebo sicut Episcopus dissaisitus sine judicio, ne taceatis. Reginam, ut Dominam & Filiam Charissimam dulciter salutate.

EPISTOLA XXXVI.

Balduino gratiâ Dei Regi Jerosolymitano, Domino charissimo, Anselmus licet indignus Archiepiscopus Cantuariensis: sic regnare super Jerusalem terrenam in hac vita, ut regnet in Jerusalem cœlesti in futura vita.

QUamvis Dei dono scientiam habeatis quæ vobis ad bene vivendum adjuvāte Deo possit sufficere, & licet sciam in vobis bonam esse voluntatem; tamen cogit me abundantia dilectionis quam erga vos habeo, ut de tam longè aliquid scribam vestræ Celsitudini. Sicut enim ignis ardens vento magis accenditur; ita bona voluntas amica monitione, ut plus ferveat excitatur. Scitis, mi charissime Domine, quoniam civitatē Jerusalem & ante advēntum Domini & in ipso ejus adventu elegit Deus quasi propriam sibi & familiarem de toto mundo. Ex ipsa enim fuerunt primi Reges quos Dominus dilexit; ex ipsa fuerunt Prophetæ; in ipsa fuit propria domus Dei, & sanctuaria ejus; ibi facta est nostra redemptio, ibi conversatus est Rex regum; inde per totum mūdum diffusa est salus humani generis. Consideret igitur vestra Celsitudo quàm eminens gratia Dei sit, quod vos in hac civitate regem esse* voluerit; & quanto affectu, quanto studio se debeat subdere voluntati Dei & ejus servitio rex quem ille ibi cōstituit. Precor ergo, obtecro, moneo, ut Dominum, ut dilectum, quatenus & vestram personam, & omnes vobis subditos sic regerē secundùm legem & voluntatem Dei studeatis, ut lucidum exemplum omnibus regibus terræ in vita vestra præbeatis. Dominus noster Jesus Christus sic regnet in corde vestro & in operibus vestris, ut vos cum Rege David antecessore vestro in cœlo sine fine regnetis. Amen. Scitote quia quotidie* pro vobis oro, quamvis viles sint orationes meæ.

EPISTOLA XXXVII.

Anselmus servus Ecclesiæ Cantuariensis, Dominæ, & Matri in Deo, Comitissæ Mathildi: præsentis vitæ continua & diuturna lætari prosperitate, & futuræ perenni gaudere felicitate.

CElsitudini vestræ gratias agere volo, sed condignas meritis ejus scribere non valeo. Quippe quod non semel tantùm, sed pluribus vicibus me Deus per vos liberavit de potestate inimicorū meorū expectantium ut in manus illorum caderem, valde magnū beneficium cognosco. Sed cùm intueor quàm benigno, quàm pio, quàm materno affectu factum sit, multò magis illud quam proferre possim, intelligo. Non enim oblivisci possū quàm sollicita prece & obsecratione mihi per Fratrem & filium nostrum Alexandrum mandastis ut nullo modo corpus meum ulli exponerem periculo: & quanto studio hominibus vestris mandastis ut me non minori, imo si fieri posset, majori cura quam vestram personam susciperent, & non per breviorem, sed per tutiorem viam, usque ad securitatem deducerent. Quod illi quidem fideliter effecerunt, secundùm quod vestram voluntatem cognoverunt. Cordis quidem mei affectus ad agendum gratias non deficit: sed os & stylus ad proferendum quod cor sentit, non sufficit. Quod ergo ego non possum, Deum oro ut ipse vobis retribuat, & vos ab omnibus inimicis corporis & animæ deffendens, ab beatam & æternam securitatem perducat. Sancti desiderii vestri in corde meo semper servo memoriam, quo ad contēptum mundi cor vestrum anhelat: sed illud sancta & necessaria, quam erga matrem Ecclesiam habetis, piè dilectio retractat. In quo intelligitur Reverētia vestra ex utraque parte Deo placere, & ideò debetis æquo animo certum Dei consilium expectando onus quod portatis in angaria cum bona spe patienter sustinere. Hoc tamen præsumo consulere, ut si certum mortis periculum interim, quod Deus avertat, senseritis imminere, priùs vos Deo omnino reddatis, quàm de hac vita exeatis, & ad hoc velum semper paratum secretè penes vos habeatis. Quidquid dicam hoc oro, hoc desidero, ut Deus nulli vos nisi suæ committat dispositioni & consilio. Mandavit mihi vestra Celsitudo per prædictum filium nostrum Alexandrum; quia orationes, sive meditationes, quas ego dictavi, & putabam vos habere, non habebatis, & ideo mitto eas vobis. Omnipotens Deus sua vos semper benedictione regat & protegat.

EPISTOLA XXXVIII.

Paschalis Episcopus servus servorum Dei, Gerardo Eboracensi Episcopo.

SEdis Apostolicæ benignitas delinquentes filios novit diutius tolerare, ut eorū excessus debita possint correptione curari. Hoc de te Romana jam dudū fecit Ecclesia, sed tuos adhuc excessus corrigere contempsisti. Ipse etiam nosti quia ea spe tuæ promotioni condescendimus, ut ad refecanda regni Anglorum contagia Fratri nostro Anselmo Cātuariensi Archiepiscopo adjutor & cooperator adesses. Nostræ verò mansuetudinis oblitus, nec eundem Fratrem adjuvare jurasti, nec pro officii tui debito, iniquitati regiæ obviasti, imò favorem dicetis adhibere. Nos tamen adhuc te Sedis Apostolicæ mansuetudine sustinemus, eo nimirum tenore ut excussus tuos corrigas, vitam emendes præteritam, & nobis sicut dignum est satisfacias. Noveris autem Regis consiliarios, Comitem videlicet de Mellento, & eos qui ad investituræ flagitium Regem impellunt, in Concilio quod præterita Quadragesima celebravimus, sancti Spiritus judicio ab Ecclesiarum liminibus esse repulsos, & in eos qui investituras acceperunt eandem sententiam esse firmatam. Quod per te omnibus annuntiari præcipimus. Regis verò sententia ea ex causa dilata est, quia suos ad nos nuntios in præteriti Paschæ tempore debuit destinare.

EPISTOLA XXXIX.

Patri Dilecto Anselmo filius Girardus: servitium & obedientiam.

MEntem veritatis amicā cavere oportet ne in eorum sententiam facilè cedat quos ad mēdāndum impellit vel odium, vel amor, vel quædā vana & æners in mentiendo voluntas. Ii sunt quorū segnities quum ad nihil honestum exsurgat, invidiæ ignem in ipsis incendit adversus eos qui honestè vivunt. Scio quia ejusmodi homines animi vestri dulcedinem amaram mihi facere nituntur. Accedit ad hoc quod noster labor aliquando pigrior fuit, quàm deceret in causa Dei & ve-

Digitized by Google

ſtra. Sed abſit hoc à me, abſit hoc ab ea, qua vobis adhæreo dilectione, ut à modo verbi Dei in quo laboratis uſque ad exilium me adjutorem non habeatis. Si enim eam mihi dilectionis ſuavitatem reddere noveritis, quam ſæpe in vobis multis & magnis rebus expertus ſum, fidum me & ſervum & in Chriſto conſervum atque in verbo ejus collaborátem habebitis. Negligentiorem tamen quàm oportuerit in hac cauſa me fecerat, quòd negligentiùs quam decuiſſet vos in tribulatione mea mihi compaſſum audivi. Amor tamen ille magnus quem erga vos habeo, ubique cum familiaribus meis & veſtris, & ſæpe in auditu Regis & optimatum regni ſe oſtendit. Quæ ſit erga me veſtra voluntas, tacitis itidem nominibus noſtris mihi ſcribere non pigritemini.

EPISTOLA XL.

Anſelmus Archiepiſcopus Domino Priori Ernulfo: ſalutem & benedictionem Dei.

BEnefeciſtis quia in litteris veſtris quod ſentiebatis mihi ſcripſiſtis. Nos quoque idipſum ſentimus & apertè videmus: deſideriũ noſtrum & Fratrum noſtrorum ad præſens non video quomodo de me poſſit impleri. Litteras tamen noſtras mitto Regi, quorum exemplar vobis mitto. Quod volo ut ſit occultum, donec cognoſcatis quid Rex mihi reſpondeat, aut qualiter eaſdem litteras recipiat. Poſtquam verò hoc cognoſcetis, bonum exiſtimo ut publicè exemplar quod mitto oſtendatur. De me & de cauſa noſtra nihil aliud nunc vobis poſſum mandare quod neſciatis. Ad Fratres noſtros eſtote vos epiſtola noſtra ad ſalutandum, ad exhortandum, ad confortandum, ſecundùm prudentiam quam vobis Deus dedit, quibus quantam poſſum à Deo impetrare, mando benedictionem & abſolutionem. Pro querela, quam mihi Fratres ſcripſerunt, de penuria quam patiuntur pro negligentia ſicut æſtimant Domini Rogeri, ſcripſi illi & præcipi ut omnia quæ ad illum pertinent agat veſtro cõſilio & veſtra prudentia. Adoleſcentiores & pueros precor ut ſingulos ſecretè & ex noſtra parte dulciter ſalutes; & ut noſtræ memores ſint monitionis, cordibus eorum ſicut ſcitis, intimetis. Antequam Romam irem, poſtquam à vobis diſceſſi, dum adhuc Becci morarer, quæſiviſtis à me quid mihi videretur, ſi quis clericus qui & litteratus & ſtrenuus exiſtimaretur, ad Eccleſiam noſtram ut Monachus fieret, vellet venire. Ad quod tunc litteris quæ neſcio ſi ad vos pervenerunt, reſpondi quia ſi videretis perſonam quam ſuſcipiendam diſcretio veſtra judicaret, mihi quoque ut reciperetur bonum eſſet & placeret. Privilegium quod Dominus Papa mihi dedit, vobis mitto ad tranſcribendum, & diligenter cuſtodiendum. Dixit mihi Everardus vos velle habere Concilium quod Londoniæ celebravimus. Quod ita mitto vobis ut illud nec in publicum offeratis, nec tranſcribi faciatis; donec ego & vos cum Epiſcoporum conſilio illud retractemus.

EPISTOLA XLI.

Anſelmus Archiepiſcopus Reverendo Priori Domno Ernulfo: ſalutem & benedictionem Dei, & ſuam, ſi quid valet.

LItteras veſtræ Reverendæ Dilectionis plenas prudenti cõſilio & charitativa ſollicitudine pro mea cauſa & ſinceræ dilectionis affectu & tribulationum A cor veſtrum & Eccleſiam noſtram prementium conqueſtione ſuſcepi. Conſilium quidem ex parte ſequi non potui, quia Domnus Everardus non ita venit ad me, ut in feſto ſancti Michaëlis oportunè redire poſſet in Angliam. In aliis verò Deo adjuvante tentabo quod conſulitis, ſi potero efficere. Pro ſollicitudine verò quam dixi & dilectione gratias ago Deo & vobis. De tribulationibus autem non egetis noſtrà conſolatione, niſi in his quæ noſtro conſilio aut poteſtate poſſunt mitigari. Vos enim ſcitis quia per multas tribulationes & per aquam & ignem tranſire nos oportet ad refrigerium. Multa & alia ſunt quæ prudentiam veſtram non latent, quæ nos hortantur in tribulatione gaudere. Quod Deo conſolante vos facere & uſque in finem facturos non dubito. De iis ad quæ noſtrum reſponB ſum petitis; primùm dico quia placitum quod conſtituerunt Archiepiſcopus Eboracenſis & Epiſcopus Londonienſis, nec ſtatui nec fieri debet ſine Archiepiſcopo Cantuariæ. Nam etſi Eccleſia Cantuarienſis viventem Epiſcopum non haberet, expectari deberet. Si quid autem inde per placitum factum eſt; ſtare non debet, & ego irritum facio. De damno quod aut à Præpoſitis aut à Cellerario paſſi eſtis, quia præteritum eſt, conſilium neſcio; ſed tamen ſi quid aliqua ratione recuperare poteſtis, gaudeo. In futurum verò conſilium veſtrum de ſociis Præpoſitorum adprobo. De Godefrido vobis conſulo, & Domno Epiſcopo Roſenſi mando ut ita per juſtitiam tractetur, ne aut apud Regem, aut apud alios ſe injuſtè tractari vos blaſphemando conqueratur: quatenus aut de hoc quod debet, vobis ſicut juſtum eſt ſatisfaciat; aut villam pro qua debitor eſt, vobis reddat. De Domno Joſeph, præfato Epiſcopo mando, ut ſi opus eſt, vos adjuvet, quatenus eum de debitis & terris quas tenet, ſecundùm veſtram diſpoſitionem tractare poſſitis, & hoc veſtræ cõmitto ordinationi. De puèris & juvenculis ſuſcipiendis, propter multas rationabiles cauſas conſilio veſtro faveo, donec Deo diſponente redeam, & hæc & alia communi agemus conſilio. Hoc tamen volo & rogo, ut ubicunque ſim, ſi aliqui hujus ætatis ſuſcipiendi ſunt, illi primùm ſuſcipiantur quibus conceſſum eſt. De hoc autem unde quidam me & vos reprehendunt, de perſonis ſcilicet Eccleſiæ noſtræ, vos ſcitis qua neceſſitate fit. Vix enim aliqui ad nos veniunt, niſi quos ſponD te accipimus.

De laico quem ſuſcepiſtis miſericorditer, Deus diſpoſuit, quia & vos caritatem illi & amicis ejus exhibuiſtis, & ipſe bono fine quievit, quem Deus abſolvat ab omnibus peccatis ſuis. De Clerico Belvacenſi quem Deus vobis clementer attraxit, gaudeo; & ut ſæpè colloquio veſtro ædificetur de contemptu gloriæ mundi & de dubietate humanæ vitæ, & de periculo animarum de hoc mũdo tranſeuntium in amore ſæculi, quamvis hoc vos facere putem, conſulo. De Clerico Londonienſi quem ſuſcepiſtis, approbo quod feciſtis. De Roberto miniſtro pauperum, quod mihi conſuleretis facite. Si enim in ſanitate ſua venerit, credo quia ad ſalutem animæ ſuæ in aliquo ſervitio Eccleſiæ E utilis erit; & ſi in morte, ſalvus erit. De Roberto de Leminges, hæc eſt mea ſententia: Si hoc tempore factus fuerit Monachus, concedo uxori ejus dum vivit, terras quas de me habet; & ſi quis eas ab alio acceperit, non ab Archiepiſcopo Cantuarienſi, vel me vel mihi canonicè ſuccedente; ei quam facere poſſum excommunicationi, & iræ Dei quam illi imprecari poſſum ſubjaceat. Quandocunque autem ad converſionem veniat, vel ſine converſione finem vitæ faciat, quod dixi de terris, ratum permaneat. De Fratribus qui inordinatè de monaſterio exierunt, & ordinatè Deo reducti ſunt, per omnia quod feciſtis laudo; & de iis qui remanſerunt, ſi in bona voluntate ſunt, Deo gratias ago. Illum verò qui tot modis incorrigibilis cognitus eſt, ſua nequitia ſathanæ traditum exiſtimo, nec am-

plius in ſocietate veſtra ſuſcipiendum puto. De infamia qua ſuper vos populus inſipienter clamat, veſtra ſapientia conſolari vos debet. Non enim eſt blaſphemia, ſed laus Monaſterii, quando aliquid inde fugiunt; quia non meliorem vitam quærunt, verùm bonam converſationem quæ ab illis exigitur nequaquam tolerare queunt. De patre ſuo rogat me Dominus Cornelius cui ſicut ſcitis ſpem ſuſcipienti ego & vos dedimus. Qui ut ſuſcipiatur, ſi vobis videtur, bonum exiſtimo: quia & de longè ſolo amore ſanctæ converſationis venit, & jam ad ſenium gravitatem devenit. De Preſbyteris qui ad mulieres dimiſſas redierunt, cōſilium quæſivi à R. P. noſtro Archiepiſcopo Lugdunenſi: qui nullatenus conſulere voluit ut ad Eccleſias amplius admitterentur; ſed ut potius infantes a quibuſlibet Clericis vel laïcis baptizarentur. Nec pro alia aliqua neceſſitate, quæ in abſentia ſacerdotum ſolet cōcingere, laudat recipiendos eſſe. Verumtamen hoc quod dico & neceſſitatem quam videtis, conſiderate, & quid mihi præſenti conſuleretis, admiſſō Epiſcopi conſilio, facite. Feſtivitatum celebrationem de quibus mihi mandaſtis, veſtræ committo diſpoſitioni, & quid inde ordinaveritis ego confirmo, & ratum ſit. De Octavis quoque Nativitatis ſanctæ Dei genitricis Mariæ, quas plures de Fratribus noſtris rogant in Eccleſia noſtra fieri, quia in pluribus Eccleſiis fiunt, ſimiliter quod melius vobis videtur, facite. Domno Roberto Monacho dilecto filio noſtro qui res noſtras ſolet cuſtodire, dicite ex noſtra parte, ut ſi poteſtatem habet, faciat Robertum Clericum qui mecum eſt tenere domum ſuam quam habent Cantuariæ, ita quietam, ſicut eam tenuit Rogerus Puntel. Rogatis me ut in tribulationibus veſtris compatiar vobis & orem pro vobis, quod utique facio, & ſcio vos hoc ipſum facere nobis. Omnipotens Deus ſuam ſemper det vobis conſolationem. Reſponſum Regis in die ſtatuto non eſt Epiſcopo datum, mandavi ei ut illud quatenus poterit requirat, & illud per Vulgatum de Limminges cum aliquo ſocio aut per duos alios pedites mihi mittat, quia hoc tam cito per Domnum Everardum fieri nequit.

EPISTOLA XLII.

Anſelmus Archiepiſcopus, Theodorico filio chariſſimo: ſalutem & benedictionem Dei.

GRatias habeo tibi pro viſitatione litterarum tuarum plena ſuavi dulcedine exundantis dilectionis: quam utique etiam te tacente in corde tuo ſemper fervere non dubito. De dilectione verò mea erga te, quia tu eam noſti, multa loqui non egeo. In ſententia quarti capituli *de conceptu virginali*, pone integrè verba Apoſtoli ſicut hîc reperies. Dicit enim idem Apoſtolus nihil damnationis eſſe iis qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundùm carnem ambulabunt. Vale fili.

c. 4. lib. de Concep. Virg.

EPISTOLA XLIII.

Mathildi, Dominæ Reverendæ, filiæ Chariſſimæ, Reginæ Anglorum, Anſelmus Archiepiſcopus: ſalutem & benedictionem Dei, & ſuam, ſi quid valet, ſervitia, orationes in dilectione.

MAgnitudinis veſtræ magnæ benevolentiæ gratias agit cor meum quod quantum poteſt fructificat, & quod non poteſt deſiderare non ceſſat. Quod qui inſpirat, ipſe retribuat. Quippe quàm pium, quàm dulcem affectum, Deo inſpirante erga me geratis, in amaritudine & triſtitia & ſollicitudine quas ex mea abſentia contrahitis, apertiſſimè, ſicut ſcribitis, ſignificatis. Quæ mea abſentia in quantum ego & illi qui rem diligenter conſiderant, intelligimus, non meâ culpâ tandiu extenditur. Queritur pio affectu veſtra Excellentia quòd mea intemperies tranquillitatem animi Domini mei Regis & Procerum ejus turbaverit: & hoc deſiderii veſtri bonum inceptum, ne ad finem ſuum perduceretur impediverit: verùm in litteris noſtris, in quibus illa intemperies eſſe dicitur, nihil indiſcretum, nihil abſurdum, quamvis hoc mihi regiis litteris objectum ſit, eſſe cognoſcitur, ſi recto intellectu & mente tranquilla quod ibi dictum eſt, & prohibitio quam audivi & omnes ſciunt, inſpicitur. Nihil enim adverſus Patrem Regis & Archiepiſcopum Lanfrancum, viros magnæ & religioſæ famæ, protuli; cùm me in baptiſmo & in ordinationibus meis legem & conſuetudines illorum non promiſiſſe demonſtravi, & legem Dei me non abnegaturum eſſe, ſignificavi. Nam quod à me nunc requiritur, idcirco quia illi fecerunt, ego propter hoc quod auribus meis Romæ audivi, facere nequeo abſque graviſſima offenſione. Quam ſi contemnerem, utique contra legem Dei facerem. Ut ergo oſtenderem quàm rationabiliter recuſem facere hoc quod à me requiritur ſecundùm illorum conſuetudinem, oſtendi quomodo potius debitor ſim Apoſtolicam & Eccleſiaſticam cunctis notam ſervare conſtitutionem, in qua lex Dei ſine dubio intelligitur, cùm ad Chriſtianæ religionis firmamentum promulgatur: quanto autem periculo contemnatur, ſuperſedeo nunc dicere; quia quotidie Chriſtiani qui habent aures audiendi ex divinis dictis poſſunt cognoſcere. Pravam autem illam interpretationem dictorum meorum, ſecundùm quam abſurdè locutus eſſe dicor, non regio ſenſui, nec veſtro imputo, Rex enim benigne ſicut audivi primitus Cartam noſtram ſuſcepit; ſed poſtea neſcio quis malevolâ & non ſincerâ mente per pravam interpretationem illum adverſum me concitavit. Quis autem ille ſit, neſcio; ſed quia Dominum ſuum aut non diligit, aut diligere neſcit, non dubito. Omnipotens Deus ſic vos & prolem veſtram in hujus vitæ foveat proſperitate, ut ad futuram vos provehat felicitatem. Amen.

Digitized by Google

A

EPISTOLA XLIV.

Anſelmus Archiepiſcopus, antiquo & ſemper novo & vero amico, & in Deo dilecto, Reverendo Epiſcopo, Gondulfo: ſalutem.

QUamvis veſtra conſtantia in bonis quæ incœpistis non egeat gratiarum actionibus, frequenter ſuttentari tamen, ne alii æſtiment me veſtram benevolentiam & veſtram ſollicitudinem, quas in magnis laboribus pro meo commodo vos habere certum eſt non conſiderare, & ſicut debeo magni pendere: gratias ago reverentiæ veſtræ corde & ore & ſcripto: in omnibus enim quæ ad me & res noſtras pertinent, intelligo vos prudenter & fortiter quantùm in vobis eſt, & ſincera admodum dilectione loqui ſicut oportet, & facere. Certus etiam ſũ quia Deo adjuvãte quãdiu vivetis, veſtra bona volũtas erga me ſicut ex quo incepit, non defecit, ita non deficiet. Queritur Charitas veſtra quia propter contemptibilia verba unius Clerici, non redii in Angliam: ſed non ita eſt. Legite litteras quas aliâ vice Domino Priori Ernulfo de hac re miſi, quas putabam vos vidiſſe. Ibi ut puto legeris rationabiles cauſas, quare nec debui, nec debeo ſecundùm quod res nunc eſt, redire in Angliam. Quas tamen cauſas nolite publicare. Reſponſum quod Rex diſtulit mihi dare in feſto ſancti Michaëlis, certus ſum quia Dominus Everardus, vel aliquis noſter nũtius eâ die non poteſt accipere: quia non ita venit ad me ut ad illam diem poſſit accurrere. Si ergo vos ea die idem reſponſum non accipitis, precor ut aliud quantò citiùs & inſtantiùs poteſtis, requiratis, & ut Regis litteris ſcriptum qualecunque ſit, mihi mittatur, etſi nullum reſponſum dare, aut diutius differre voluerit, hoc ipſum ſine dilatione veſtris litteris mandate. Et quia hoc opportunè per Dominum Everardum tam cito nequit fieri, per Vulgarum ſervientem noſtrum de Limminges, cum aliquo ſocio, aut aliquos alios pedites hoc facite: nequaquã enim ulterius volo dare aut accipere inducias, quin conſilio Dei & Eccleſiæ ejus, quod in tali re oportet facere incipiam. Confido enim in Deo cujus eſt cauſa de qua agitur, quia ad honorem ejus quandoque terminabitur, nec Eccleſia ejus ſemper ſicut nũc tribulabitur. Neſcio qui malevoli interpretati ſunt ex malitiâ cordis ſui litteras quas miſi Regi: quaſi ego me jactem ſemper ſervaſſe legem Dei, & Patrem ejus & Archiepiſcopum Lanfrancum criminer vixiſſe extra legem Dei. Sed certè illi qui hoc dicunt, aut nimis pravum, aut nimis parvum habent intellectum. Quæ iam enim fecerunt ſuo tempore, Pater Regis & Archiepiſcopus Lanfrancus viri magnæ & religioſæ famæ, quæ ego nequeo facere ſecundùm Deum hoc tempore, neque ſine animæ meæ damnatione. Beneficiſtis & gratum mihi eſt quia in veſtris litteris totam rem apertè ſicut acta erat ſignificaſtis. Roberthi qui mecum eſt, rem & familiam, non mihi ſufficit ſæpe vobis commendaſſe: ſed adhuc propter magnitudinem bonæ voluntatis quam erga illum habeo, commendo, & precor ut illas in pace quantum poteſtis cuſtodiatis. Saluto veſtros & noſtros filios & filias, & nominatim Dominum Ernulfum Capellanũ veſtrum. Omnipotens Deus vos ſemper & ubique cuſtodiat. Amen.

EPISTOLA XLV.

Anſelmus Archiepiſcopus, Fratri & filio chariſſimo Adruino: ſalutem & benedictionem Dei.

DOminus ſollicitus ſit tui quia ſollicitus es de famâ meâ, unde tibi gratias ago. Olim reſpondi tibi ad quoſdam qui contra me garriunt, quidam qui malunt mentiri de me mala dicendo quam verũ dicere, bona ſi qua ſunt in me dicendo. Sed adhuc petis caritativâ ſollicitudine, ut reſpondeam illis qui dicunt B ſe frequenter vidiſſe in Eccleſiis ad curam meam propriè pertinentibus expulſis Preſbyteris, Laïcos Altari aſſtantes, eleemoſynam colligentes, ſepulturas & quædam alia ad jus ſacerdotum pertinentia audacter uſurpantes; quæ cùm inquireres, teſte Archidiacono noſtro, deteriora, ut dicis, quàm audiviſſes, inveniſti. Clericos quoque Eccleſiarum audiviſti dicentes ſe ſæpius privatim & publicè in Synodo de illis injuriis ad me clamorem feciſſe, nullum auxilium accepiſſe. Unde dico tibi quia hæc nunquam me jubente, aut volente, aut conſentiente facta ſunt. Et ſi inde aliquando clamorem audivi, quod neſcio, nunquam ſine correptione quam credidi ſufficere, dimiſi. Denique in Eccleſiis noſtris nullatenus hoc fieri exiſtimo; in aliorum verò Eccleſiis ſi fuit aliquando, aut eſt, penitus C ignoro, & quantùm de me pertinet, nec volui unquam nec volo. Quapropter mihi pro minimo eſt ut ab illis dijudicer qui hæc adinveniunt nullo amore veritatis, ſed inſtinctu malignitatis. Ad hoc autem quod dicis te audiſſe quia non magnopere curo ad vos redire, reſpondeo, quia poſtquam de Anglia exivi, nunquam intellexi quomodo rationabiliter redire poſſem. Et certè curam à Deo mihi injunctam contemnere, & dilectionis fratrum & filiorum mihi commiſſorum oblivifci nec volo nec debeo. Vale.

EPISTOLA XLVI.

D Domino & Patri Paſchali, ſummo Pontifici, Anſelmus, ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis: debitam ſubjectionem cum orationibus.

MEminit, ut puto, Majeſtas veſtra, qualiter eam pro dilecto fratre noſtro Biturienſi Archiepiſcopo ſum precatus, & quàm benignè reſpondit. Nunc quoque cum vobis ſe præſentat, eo quo poſſum affectu precari præſumo, ut pietatem Apoſtolicam ſe invenire gaudeat. Poſtquam à veſtra diſceſſi præſentiâ Guillelmus Legatus Regis Angliæ, qui me conſecutus E eſt, antequam venirem Lugdunum, dixit mihi ex parte ejus quatenus taliter facerem ut poſſem eſſe in Anglia ſicut fuit Anteceſſor meus Lanfrancus cum Patre ejus. In quo intellexi quia nolebat reditum meum in Angliam, niſi ejus homo fierem & jurarem ei fidelitatem, & ſacrarem eos quibus ipſe daret inveſtituras Eccleſiarum. Mandavi itaque Regi quia hæc facere non poſſem, & quod vos mihi præcepiſtis ne communicarem cum illis qui ab eo inveſtituras acceperant: ſed ſi mihi liceret, ſervato ordine meo & veſtrâ obedientiâ, in Anglia eſſe paratus eſſem Deo & illi & populo mihi commiſſo, ſecundùm meum ſervire officium, rogavique ut ſuper hoc voluntatis ſuæ reſponſum mihi redderet: quod nondum fecit. De redditibus tamen Epiſcopatus noſtri poſt-

quam Guillelmus in Angliam rediit, nihil habere potui. Epiſtolas quas mihi præcepiſtis regi & Reginæ ex veſtra parte mittere, quia Romæ dictum eſt Guillelmo eas meâ diſpoſitione eſſe compoſitas, & quia idem Guillelmus poſt illas alias editas, ut audivi, à veſtra Sanctitate ſuſcepit, per me dirigi congruum non æſtimavi. Certus enim ſum quia ſi per me dirigerentur, omnino non viderentur, aut contemptui & deriſui haberentur: nam, ut audio, Rex dixit me ſolum ſibi eſſe adverſarium. De his omnibus veſtræ auctoritatis expecto conſilium, paratus Deo dante pro veritate pati quod Chriſtianum non dedeceat. Diu Paternitatem veſtram nobis Deus incolumen conſervet. Amen.

EPISTOLA XLVII.

Paſchali Domino & Patri ſummo Pontifici, cum amore Reverendo, & cum Reverentiâ amando, Anſelmus Eccleſiæ Cantuarienſis vocatus Epiſcopus: debitam ſubjectionem cum orationibus.

QUoniam cauſa inter regem Anglorum & me, pro qua veſtram olim adii præſentiam, ex maxima parte nota eſt veſtræ Celſitudini, & quæ adhuc notificanda ſunt per fidelem ſervum veſtrum car ſimũ fratrem noſtrum Baldewinum latorem præſentiũ poſſunt intimari, non eſt mihi neceſſe inſcribenda illa immorari. Eundem autem fratrem, rerum mearum conſilium & libertatis Eccleſiæ Dei amatorem ad veſtra veſtigia tanquam meipſum mitto & ei vicem meam in audiendo & dicendo committo. Hoc tantùm ſcribo quia propter veſtram & anteceſſorum veſtrorum obedientiam & libertatem Eccleſiæ quas abnegare nolo, exul ſum ab Epiſcopatu, atque rebus omnibus ſpoliatus. In qua re nec noſtrâ prece nec conſilio veſtra eget prudentia. Omnipotens Deus diu veſtram Sanctitatem nobis in proſperitate conſervet incolumen. Amen.

EPISTOLA XLVIII.

Dominis Reverendis & amicis cariſſimis, Johanni Epiſcopo Tuſculanenſi, & Johanni Cardinali, Anſelmus vocatus Epiſcopus Cantuarienſis: quod fidelis amicus amicis, in quibus confidit.

DOminum Baldewinum fratrem & filium noſtrum cariſſimum, verè dilectorem veſtrum mitto ad veſtigia Domini Papæ, pro cauſâ quæ inter regẽ Anglorum & me, imo inter illum & libertatẽ Eccleſiæ Dei pro qua ſum exul ab Epiſcopatu & rebus ejus omnibus ſpoliatus. Precor igitur Sanctitatem veſtram ut ei omnibus apud Dominum Papam pro eâ cauſâ ſicut amatores veritatis & præfatæ libertatis aſſiſtatis, & me ne unquam Religionis Eccleſiaſticæ & Apoſtolicæ auctoritatis conſtantia aliquatenus per me aut propter me debilitetur, deffendatis. Malo enim mori, & quamdiu vivam omni penuria in exilio gravari quam ut videam honeſtatem Eccleſiæ Dei, cauſâ mei aut meo exemplo, ullo modo violari. Valete.

EPISTOLA XLIX.

Paſcali ſummo Pontifici, cum Reverentiâ diligendo, & cum dilectione reverendo, Anſelmus ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis: cum debita ſubjectione fideles orationes.

DE ea quæ inter Carnotenſem Eccleſiam & Comitiſſam Carnotenſem, unde veſtræ Celſitudini Romæ locutus ſum, veſtra prudentia non eget noſtro conſilio: ſed rei neceſſitas noſtra & omnium pacem & utilitatem ejuſdem Eccleſiæ amantium, precem ac veſtram pietatem expoſtulat, quantùm intelligo, quatenus quod a clericis in grave ſcandalum factum eſſe cognoſcitur, Apoſtolicæ ſapientiæ diſcretione ad pacem revocetur. Quam intolerabile namque malum inde niſi correctum fuerit, eventurum ſit, ex his cognoſcere poteritis, quæ à latoribus præſentium rem ipſam cognoſcentibus audietis. Quod autem eadem Comitiſſa ſuper principes Galliæ veſtros legatos honoret, ſic notum eſſe veſtræ Sanctitati exiſtimo, ut noſtra intimatione non egeat. Quapropter ſi humilitatis meæ preces ad aures tantæ Celſitudinis valent aſſurgere, rogo quantùm poſſum ut tam noxiæ diſcordiæ concedem finem placeat vobis ſicut res exigit, & vos decet, imponere. Pariter enim veſtrũ eſſe cognoſcitur & quæ in Eccleſia Dei utiliter ſtatuunt cõfirmare, & quæ pacem & caritatem diſſipant, quantùm poſſibile eſt, emendare. Omnipotens Deus Paternitatem veſtram diu nobis incolumen in ſua gratia conſervet. Amen.

EPISTOLA L.

Philippus Dei gratiâ Francorum rex, Anſelmo, Cantuarienſium Venerabili Archiepiſcopo: ſalutem.

QUoniam, Paſtor Reverende, audivi vos injuſtè prægravari, latere nolo vos me vehementer contriſtari. Et ſi noſtro quolibet auxilio veſtra potuiſſet inhiberi oppreſſio, in hoc operam dare non differremus. Cæterùm quia in loco corporeæ ſanitati contrario exulatis, rogamus vos quatenus Galliam noſtram veſtro adventu viſitare dignemini, ibique affectum mentis meæ experiemini, & veſtræ conſuletis ſanitati. Valete.

EPISTOLA LI.

Anſelmo Archiepiſcopo Cantuariæ venerabili, Lodoicus Francorum Rex deſignat ſalutem.

VEſtræ, Pater ſanctiſſime, compatior afflictioni, à qua ſi quo modo per officium potuiſſetis exonerari, ad reformandam priſtinam tranquillitatem, cura propenſiore eniterer. Verumtamen pectori noſtro dolor altiùs infigitur, quoniam ſapientia quæ in vobis eſt, tam remotè à partibus noſtris peregrinatur. Accedit & hoc ad cumulum veſtræ exterminationis quòd loca ægritudini potius quàm ſanitati facientia ad inhabitandum prælegiſtis, vitamque veſtram toti mundo conſervandam retinere parvipenditis. Rogamus itaque vos ut ad partes noſtras venire dignemini; & ſi inibi

bi vobis inhabitare jucundum videbitur, mitiùs exi- A
lium patiemini. Valete.

EPISTOLA LII.

Anſelmus Archiepiſcopus, Nepoti ſuo charissimo : ſalutem & benedictionem.

NOn egeo apud te commendare dilectionem meam & curam pro te, quia ipſa natura perſuadet tibi pro me. Te hortor, te moneo, tibi præcipio ut bonis moribus & ſcientiæ ſtudeas, & ut ad meliora poſt gratiam Dei, quantùm in te eſt proficias, & ibi ubi es donec Deo diſponente aliter de te ordinem permaneas. Magiſtrum tuum Domnum Gualterum, de quo Domnum Priorem in litteris quas illi mitto rogavi, & Domnum Theodorum ſocium tuum ex noſtra parte benignè ſaluta. Dominus cuſtodiat te ab omni malo, cuſtodiat animam tuam Dominus. Salutat te multùm Domnus Edmerus, qui verè in quantum intellig , ſincero amore diligit te. Vale.

EPISTOLA LIII.

Anſelmus ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis dilecto Fratri & amico G. Canonico ſancti Quintini : ſalutem, & Dei ſemper regi conſilio.

SIcut audio confratres veſtri Belvacenſes Canonici Eccleſiæ ſancti Quintini, non temerè ſed ob multas rationes, Domnum O. qui modo veſter Abbas dicitur, volunt ab hac prælatione removere, & veſtram Fraternitatẽ loco ejus ſubſtituere: ſed timent ne veſtra religio propter amoẽ quietìs quam nunc habetis, non velit intentioni eorum facilè conſentire. Quoniam ergo ſciunt vos humanitatem meam diligere ; & ſperant vos plus meo quàm quorumdam conſilio credere; rogant me quid inde ſentiam, veſtræ charitati oſtendere. Utique ſi in Corpore Chriſti invicem ſumus alter alterius membra, & maximè in una religioſarum perſonarum Eccleſia : qui non permittat nec vult ut alia membra & totum corpus ſe utantur ut ſuo membro, non video quomodo poſſit ſe probare membrum illius corporis, & ſi Corpus illud eſt Corpus Chriſti. Quomodo ſe oſtendat eſſe membrum Chriſti. Eſt & aliud, quia nemo, ſi rectè ſe tractat, ſibi ſoli vult vivere: ſed ſicut deſiderat & credit quia ſi membrum Dei eſt, omnia commoda aliorum membrorum ſua erit in futura vita : ita debet velle ut ſi quid boni eſt in ſe, aliorum ſit in præſenti vitâ. Conſulo igitur quantum in me eſt, & precor, Frater & amice chariſſime, ut ſi tota veſtra Congregatio vel melior pars, conſilio reverendorum Epiſcoporum Carnotenſis & Pariſienſis qui Patres veſtri fuerunt & vos nutrierunt, vos inſtanter elegerit ad hoc quod ſupra dixi, ne omnino refugiatis neque imperſuabilis exiſtatis. Utilius enim vobis eſſe exiſtimo ſi quietem contemplationis per amorem ſervatis in mente, & obedientiam fraternæ charitatis in opere ; quam ſi ſolam contemplationem aliorum contemnendo preces & utilitatem velitis eligere. Valete.

EPISTOLA LIV.

Mathildi glorioſæ Reginæ Anglorum, Anſelmus Archiepiſcopus Cantuariæ : benedictionem Dei, & fidele ſervitium cum orationibus.

BReviter ſed ex corde loquar, ſicut illi perſonæ quam de regno terreno ad regnum celeſte provehi deſidero. Cùm audio aliquid de vobis quod Deo non placet & vobis non expedit; ſi vos moneo negligo, B nec Deum timeo, nec vos diligo ſicut debeo. Poſtquam exivi de Anglia, didici quia Eccleſias quæ in manu veſtra ſunt aliter tractatis quàm illis expediat & animæ veſtræ. Quod dicere nunc nolo qualiter facitis ſecùndum quod mihi relatum eſt, quia nulli melius quàm vobis notum eſt. Precor igitur ut Dominam, cõſulo ut Reginæ, moneo ut filiam, quod etiam olim feci, ut Eccleſiæ Dei quæ ſunt in veſtra poteſtate vos cognoſcant ut matrem ut nutricem, ut benignam Dominam & Reginam. Et non ſolum de illis hoc dico, ſed de omnibus Eccleſiis Angliæ ad quas veſtrum extendi poteſt auxilium. Qui enim dicit quia unuſquiſque recipiet prout geſſit in corpore ſive bonum ſive malum, nullam excipit perſonam. Iterum rogo & conſulo & C moneo, Domina & filia chariſſima, ut hæc non negligenter mente pertracteris, & ſi quid vobis conſcientiâ veſtrâ in his corrigendum teſtabitur, corrigere feſtinetis, quatènus de futuro Deum quantùm vobis per ejus gratiam poſſibile eſt non offendatis, & de præterito ſi cognoſcitis vos deliquiſſe, placabilem eum vobis reddatis. Non enim alicui ſufficit pro certo a malo deſiſtere, niſi curet ſi poteſt pro commiſſis ſatisfacere. Omnipotens Deus ſic vos ſemper dirigat, ut vobis vitam æternam retribuat.

EPISTOLA LV.

D Anſelmus Archiepiſcopus, Domno Priori, & Fratribus in Eccleſia Chriſti Cantuariæ ſub eo converſantibus : ſalutem, & benedictionem à Deo & peccatorum abſolutionem.

QUærit veſtra Fraternitas à me conſilium dè ſua tribulatione, & nominatim de pecuniæ, quæ à Rege vobis fit, exactione. Vos ſcitis quomodo ipſe me ſpoliavit rebus Archiepiſcopatus. Nullatenus igitur per me aliquid habebit de tota pecunia totius Archiepiſcopatus, niſi prius me canonicè reveſtierit, & ea quæ abſtulit mihi reddiderit; neque vos ſponte illi ſinè mea juſſione pecuniam dare debetis. Si autem ipſe E aut timore ne vobis pejus faciat, aut ulla neceſſitate vos eam dare coegerit, pariter & de iis quæ abſtulit, & de iis quæ auferet mihi vel vobis, quia veſtra mea ſunt, ad Deum clamabo & judicium ejus invocabo. Non vos nimis terreant neque perturbent præſentes tribulationes, quia fidelis Deus qui non patietur vos tentari ſupra quàm ferre poteſtis. Confortamini in Domino & in potentia virtutis ejus. Finem dabit Deus his malis, qui non derelinquit ſperantes in ſe. Domnus Baldevuinus Româ rediens hoc retulit à Domino Papa, quia in Concilio quod in proxima Quadrageſima celebraturus eſt de noſtro negotio faciet quod ab ejuſdem Concilii accipiet conſilio ; & hoc ipſum Il[illegible]gi mandavit. Precor vos ut faciatis mihi ſcribi librum *Cur*

Deus homo, & *de conceptu Virginali*, in uno volumine, quia volo eos mittere Domino Papæ: & precor ut talis eos ſcribat, qui apertè & diſtinctè ſcribat. Valete. Et quàm cituùs opportunè poteritis, hæc facite, & mihi mittite.

EPISTOLA LVI.

Sanctiſſimo & Venerabili in Chriſto Patri ac Domino Paſchali, primæ Sedis antiſtiti, Mathildis Marciſa, Dei gratia, ſi quid eſt: tam debitum quàm fidele totius ſubjectionis obſequium.

INter alia ex quibus Paternitatem veſtram rogare præſumimus, de Patris ac Domini noſtri Anſelmi Cantuarienſis venerabilis Archiepiſcopi expulſione Clementiam veſtram ſingulariter poſtulamus, quatenus juxta debitum veſtræ Sedis judicium, tam ſancti ac reverendi Patris tribulationes & miſerias quas pro fide Catholica & ſancta Romana Eccleſia tolerat, tanquam pius Pater & Dominus fideliter attendatis, ejuſque lacrymabilem querimoniam condoleatis, atque ſanctis negotiis manum conſilii & auxilii clementiùs porrigatis. Indecens enim eſt tam præcipuum ſanctæ Eccleſiæ Romanæ membrum tanto tempore exulatum jacere inter alia quaſi putridum, & non agere ſibi commiſſum incunctanter officium. Dolemus igitur corpori Eccleſiæ ex maxima parte illius miniſterium eſſe ſubſtractum, cujus gubernaculum ſcimus eſſe ſibi per omnia & pro omnibus neceſſarium. Unde flexis genibus de eo veſtram Clementiam poſtulamus, cujus ſingularem poſt Dominum fiduciam vos eſſe proculdubio credimus, quam noſtris etiam meritis circa eum augeri non minui deſideramus.

EPISTOLA LVII.

Anſelmus Archiepiſcopus, Haimoni Vicecomiti, amico ſuo: ſalutem & benedictionem.

OLim mandavi vobis & precatus ſum ſicut amicum fidelem meum & Eccleſiæ noſtræ, quatenus Mercatum quod de terra noſtra mutaviſtis, ita reſtitueretis ſicut erat quando de Anglia exivi; & teloneum quod accepiſtis in Fordvvich de noſtris rebus mihi redderetis: quia nuſquam in tota Anglia res noſtræ Dominicæ debent ſubjacere hujuſmodi exactionibus, & maximè inter propriam Parochiam Archiepiſcopatus noſtri: & adhuc ſicut audio neutrum feciſtis. Inſuper poſtquam res noſtræ quietæ debuerunt eſſe uſque ad reditum meum ex præcepto Regis; homines veſtri fregerunt domum noſtram in Sandvvic, & piſces noſtros violenter abſtulerunt, & in civitate Cantuaria aliam domum noſtram in terra noſtra fregerunt, & quod intus erat abſtraxerunt. Rogo igitur vos, ſicut amicum in quo debeo confidere, ut & noſtra quæ ſicut dixi ablata ſunt, mihi reſtituatis; & ne me facere clamorem ad alium cogatis. Non ſolùm enim mihi & Eccleſiæ noſtræ ex veſtra parte injuriæ non debent evenire; ſed etiam aliunde venientes ſicut ſcitis, cùm poteſtis, deberis repellere. Valete.

EPISTOLA LVIII.

Anſelmus Archiepiſcopus Reverendo Fratri, & ſupra dilectione amando, Domno Priori Ernulfo: ſalutem & benedictionem Dei, & ſuam quantùm poteſt.

MIſeriis & tribulationibus non ſolùm veſtris ſed & totius Angliæ, quas fama volante multis modis cognoſco, meum eſt ſecundùm præſentem divinam diſpoſitionem ſolùm compati, & ſolius Dei eſt ſubvenire. De his quæ erga me ſunt, non aliud ad præſens vobis poſſum ſcribere quàm per Odonem Londonienſem vobis mandavi, & quod latori præſentium viva voce referendum dimiſi. Malum quod Guillelmus facit de Einesford, certus ſum quia ſi ipſe non faceret, ab alio fieret, & forſitan gravius. Exemplaria Epiſtolarum quas miſi (de his quatuor mihi notitiam litteris feciſtis) vobis mitto. Fratres noſtros quos per me Deus veſtræ mandavit curæ, ſicut ſcitis oportere & ad me pertinere, pio & benigno affectu ſalutate, & ſecundùm ſapientiam à Deo vobis datam conſolamini & confortate. Et quia non ipſi ſunt primi ſervi Dei, nec ſoli nec ultimi quos mundi tribulatio premit; ut exemplo aliorum patientiam amplectantur frequenter intimate. Adoleſcentibus & infantibus ſingulis, familiariter affectum dilectionis meæ, quam illis ſolebam oſtendere, & quam adhuc ſervo, commendate; ut memores ſint monitionis meæ, obſecrando dulciter rogate. Latori præſentium, quia ſæpe & multum pro legationibus noſtris laboravit, benefacietis ſi paupertatem ejus aliquantulùm ſaltem de veteribus veſtibus mitigaveritis, aut alio aliquo modo. Valete.

EPISTOLA LIX.

Anſelmus Archiepiſcopus Guillelmo Calvello: ſalutem & benedidictionem.

ADhuc te ſaluto ſicut amicum & filium, donec cognoſcam an ſit pura & ſincera amicitia tua, an non. Hactenus enim ſic te habuiſti erga Eccleſiam noſtram & me; ut gratiam Dei inde meteri videreris, & noſtram amicitiam haberes. Sed nunc audio quia mercatum noſtrum de terra noſtra tranſtuliſti, & mihi & Eccleſiæ Chriſti matri tuæ abſtuliſti. Omnia ejuſdem Eccleſiæ ſunt; & quæ Eccleſiæ ſunt, mea ſunt. Moneo igitur te & precor ſicut amicus amicum, & ſicut Epiſcopus Chriſtianum Filium, quatenus reſtituas terræ noſtræ Mercatum ſuum, ſicut erat quando de Anglia exivi, ſi non vis iram Dei incurrere; & amicitiam meam & totius Eccleſiæ, quam hactenus habuiſti perdere; & graviſſimæ excommunicationi, cum his quorum hoc agis conſilio & auxilio, ſubjacere. Vale. Et conſulo ut quod tibi amabiliter mando, amicabiliter facias & ſine excommunicatione.

Digitized by Google

EPISTOLA LX.

Anſelmus Archiepiſcopus, Guillelmo Archidiacono: ſalutem & benedictionem.

BOna quæ facitis amo & laudo: ſi quid verò vos agere audio quod vos non deceat, hoc vobis tacere non debeo. Puto quia meminiſtis quàm gravem & quàm diſtrictam cauſam olim inter me & vos conſtituit familiaritas & cõverſatio Petri & Salomonis, quã vobiſcum habuerunt, poſtquam mihi & Eccleſiæ noſtræ, quantùm in ipſis fuit, conati ſunt facere contumeliam & ignominiam, cui parem nunquam ab homine ullo ſuſtinuimus. Nunc utique audio quia in domo veſtra familiariter vobiſcum converſantur & veſtris beneficiis aluntur, qui veluti de efficacia ſuæ voluntatis exultantes & eidem Eccleſiæ inſultantes, ejus aſpectibus ſe quotidie de domo veſtra ingerunt ad commemorationem illatæ injuriæ. Quod quale & qualiter penſandum ſit, prudentia veſtra non ſolùm per ſe cognoſcere; ſed etiam ex ſupradicta cauſa, quæ inter me & vos fuit, & adhuc ſcripta apud vos ſervatur, poteſt conjectare. Quid autem inde vobis faciendum ſit, fidelem ſapientiam veſtram conſulite. Valete.

EPISTOLA LXI.

Anſelmus Archiepiſcopus, vero amico, Reverendo Epiſcopo Gundulfo: ſalutem.

DE iis quæ erga me ſunt non aliud ad præſens poſſum ſcribere, quam quod per Odonem Londonienſem Reverentiæ veſtræ mandavi, & quod latori præſentium viva voce referendum intimavi. Audio quòd Guillelmus filius Rodulfi exigit a Priore Domno Ernulfo nummos, quos Preſbyteri ſolent dare eo tempore quo Chriſma accipiunt, quia jam expenſi ſunt in opus Monaſterii; & eos qui adhuc dandi ſunt, niſi cognoverit me eos in hoc opus concedere. Sciat igitur Sãctitas veſtra & de hoc dicite Guillelmo quia quantum in me eſt & hos concedo, & ſi plus poſſem concederem. Relatum mihi eſt quia Guillelmus Calvellus Mercatum de terra noſtra, ubi ſolet eſſe, tranſtulit, & mihi & Eccleſiæ noſtræ abſtulit. Unde illum monui ut quod malè egit ſine dilatione corrigat, per Epiſtolam, quam petite ab eo ut vobis oſtendat. De qua re mando ut Vicecomitem ex noſtra parte cum uxore ſua filia noſtra ſalutando conveniatis: atque ne hanc nobis injuriam fieri, ſicut in illo confidere debemus permittat, rogando moneatis. Quamvis enim ad præſens violenta mihi fiat injuſtitia; non tamen judicio Dei mea, quam ipſe aliquando requiret, perit juſtitia. Monete quoque eum ut audiat litteras quas de hac re mili Calvello. Valete.

EPISTOLA LXII.

Paſchalis Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio, Roberto Comiti de Mellento: ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

NOs te in familiaritatem aſcivimus & in Dei rebus & beati Petri ſervitio ſocium habere credimus. Id ipſum jam nobis ſecundis litteris promiſiſti. Ceterùm de te longè aliter referunt qui noverunt. Aiunt enim quòd pene ſolus aut præ cæteris ſolus Anglorum Regem in cauſa inveſtiturarum Romanæ Eccleſiæ repugnare perſuadeas. Quod ſi verum eſt, gravamur maximè ſuper te, cui ætas ipſa converſionem ad Deum ſuggerit. Sicut ergo obedienti tibi peccatorum veniam & Domini gratiam obtulimus; ita non obtemperanti & tantæ nequitiæ conſentienti iram Domini comminamur. Nos quoque ipſos non diutius id paſſuros denuntiamus, quin flagitium hoc in te potiſſimum ulciſcatur.

EPISTOLA LXIII.

Henricus Rex Anglorum, Anſelmo Cantuarienſi Archiepiſcopo, & dilectiſſimo Patri: ſalutem.

NOtum vobis facio me Guillelmum de Vvarelvvaſt à feſtivitate ſancti Michaëlis ad vos miſiſſe; & illinc Romam pro negotio noſtro, quod erga Romanam Sedem ad invicem ego & vos locuti ſumus, niſi procella maris & æſtus & ventus contrarius eum detinuiſſet. Teſte Vvaldrico Cantellario apud Vvicecombam.

EPISTOLA LXIV.

Henricus Rex Anglorum, Anſelmo Archiepiſcopo Cantuarienſi: ſalutem & amicitiam.

MAndo vobis ſicut chariſſimo Patri meo, ut Baldevuino Monacho præcipias quatenus ipſe cum Guillelmo de Vvarelvvaſt Romam in negotium eat, ut per utrumque firma dilectio & pax inter nos fiat. Teſte Vvaldrico Cancellario & Roberto Comite de Mellento, & Eudone Dapifero apud Pontefactum.

EPISTOLA LXV.

Anſelmus Archiepiſcopus, Reverendo Archiepiſcopo Gerardo Eboracenſi: ſalutem.

CHaritati veſtræ pro tribulationibus quas paſſa eſt, poſtquam de Anglia exivi, quamvis opere nequeam ad præſens exhibere conſolationem, mente tamen debitam gero compaſſionem. Quòd autem & verbis per multos, & veſtris litteris veſtram voluntatem zelo Dei accendi contra mala quæ in Eccleſia Dei fervent & pullulant, intelligo; ſicut in adverſitate condoleo, ita in virtute cõgaudeo. Precor itaque & moneo ut bono propoſito non deſit conſtantia, neque uſque ad perfectionem pertingens perſeverantia. Ad quid enim ſumus Epiſcopi ſuper Dei populum conſtituti, ſi quaſi canes non valentes latrare, permanemus muti? Spero in Deo quia Dominus noſter Rex, ſicut ipſe mihi Deo inſpirante promittit, ad omne bonum nobis bonus adjutor accedet; neque ſi Deus concordiam inceptam inter illum & me dignabitur perficere, aliquatenus à conſilio noſtro in iis quæ ad noſtrum Ordinem pertinent, recedet. Quapropter de noſtro negotio in præſentiarum nihil aliud faciam, donec Apoſtolicam in proximo cognoſcam ſententiam. Valete.

EPISTOLA LXVI.

Anſelmus Archiepiſcopus, Domino Priori Ernulfo, & Fratribus dilectiſſimis filiis Eccleſiæ Chriſti Cantuarienſis: ſalutem & benedictionem.

PRo cauſa quæ eſt inter Dominum Regem & me, jam ipſe Rex ſuos & ego meos legatos Romam miſimus. Mando itaque vobis & precor vos ut inſtanter Deum oretis, quatenus ipſe talem concordiam inter Dominum Papam & Regem ponat, ut ego ſalvâ reverentiâ voluntatis ejus poſſim utrique concordare. Si vobiſcum eſt, gaudeo; & ut ſit multùm deſidero. Quàm citiùs igitur opportunè poteſtis, mando ut mihi eſſe veſtrum quale ſit litteris veſtris inſinuetis. Omnipotens Deus vos cuſtodiat, & in ſancto propoſito perſeverabiles faciat, atque ab omnibus peccatis propitiatus abſolvat. Amen.

EPISTOLA LXVII.

Henricus Dei gratiâ Rex Anglorum, Anſelmo Cantuarienſi Archiepiſcopo, dilecto Patri ſuo: ſalutem & dilectionem.

PLurium relatione didicimus, & maximè per Robertum Clericum Cancellarii mei, rumores de Apoſtolico, quorum ſi ita res habet ut fama ventilat, doleo. Et quoniam proceſſu dierum exurgit crebrior, timeo ne ſit verior. Dicunt enim Romæ, quod abſit, duos eſſe Apoſtolicos, & ad invicem bellicoſam ſeditionem inter ſe obtinere. Unde te tuamque Sanctitatem conſulo ut mihi tibique provideas, cui major pars hujus adhæret negotii quid agendum ſit de legatis noſtris in hujus procella temporis. Quòd ſi tibi videatur utile eos retinere uſque in tempus congruum; tunc retine Guillelmum, & mitte mihi citiſſime Baldevuinum de Tornaco, Monachum tuum, per quem tibi familiariùs aſſignem de ſecretis noſtris, & per eundem mihi enuntia quid in hac re mihi tenendum ſit & agendum: ſi verò tibi placet eos ire, & tuum ſit conſilium, eant: & ſi ipſi ierint, mihi mitte citiſſimè unum de familiaribus tuis, per quem noſtra conſilia & negotia alterius alteri ad invicem familiariter aſſignemus. Teſte Roberto Epiſcopo Lincolniæ, & Roberto Comite de Mellento.

EPISTOLA LXVIII.

Domino, & omnium amicorum ſuorum excellentiſſimo Anſelmo, unus ex ſervis ſuis, & utinam minimus ſervorum Dei, Guillelmus: optatæ ſalutis gaudium.

NOn eſt noſtrum de meritis ſanctorum virorum extollere, nec laudes eorum atterere; ſed Deus qui gloriatur in ſanctis ſuis, & cui omne cor patet, novit quanta ſit devotio humilitatis noſtræ in Deum, quantâve animi affectione diligo bonum veſtrum: Nec immeritò. Non eſt enim mihi incognitum ſi quid foret in me vel minimum, quam nimio zelo amplecterentini bonum meum. Sed quoniam de meritorum meorum qualitate diffido, immundi etenim hominis immunda eſt oratio, genibus ac pedibus veſtris quaſi advolutus quàm obnoxiùs poſſum vos deprecor, ſi unquam de me gaudere volueritis, orate attentiùs pro Fratre meo Gaufrido. Scio enim per Dei miſericordiam illum adepturum remiſſionem peccatorum quandoque; ſi ex toto corde pro eo ad Dominum clamaveritis. Nec id dico ſine cauſa: ſed interim ſufficiat vobis quod præmiſſum eſt, donec conveniamus in unum. Plura etenim de hoc & de aliis quæ vellem dicere vobis, ſupersedeo; quia omnia tempora ſua habent: ſed quoniam videtis in naufragio Fratris me miſerabiliter naufragantem, orationum veſtrarum tabula ſuſtinere periclitantem: ut qui diu culpis noſtris exigentibus naufragium ſuſtinuimus, quandoque veſtris precibus portum ſalutis ingredi tenere mereamur.

EPISTOLA LXIX.

Reverendo & Domino dilectiſſimo, Epiſcopo Odoni, Frater Anſelmus: ſic tranſire per bona temporalia, ut habitet in æternis.

LItteras quas Paterna veſtra Celſitudo pro ſuo fideli Oſberno defuncto mihi & Fratribus noſtris miſit, humili obedientia, & obedienti humilitate ſuſcepimus. Nihil enim petitioni veſtræ decrevimus denegare; ſed in quibuſcunque dilectiſſimo Domino & dilectiſſimo Patri obediendum eſt, juſſioni veſtræ ſtatuimus obtemperare. Cùm enim vos hoc meruiſſe dilectionis & beneficiorum pretio cognoſcamus, nimis nos arguendos oſtendimus, ſi nos obedienter ſubjicere voluntati veſtræ recuſamus. In quibus litteris illud quidem gratiſſimum accepi, quod ibi certitudinem de mutua dilectione veſtræ magnitudinis & meæ parvitatis legi. Nam quamvis conſcientiâ propriâ & experimento jam doctus hinc non poſſum dubitare: dulcis tamen honor, & honorabilis dulcedo mihi eſt, cùm tantus tantillo hoc dignatur mandare.

Hanc ſcripſit Abbati.

EPISTOLA LXX.

Anſelmus Archiepiſcopus, Theodorico filio chariſſimo: ſalutem & benedictionem Dei.

DUlcia ſunt mihi verba Epiſtolæ tuæ, quia dulcis eſt mihi affectus dilectæ mihi animæ tuæ, ad quod demonſtrandum non opus eſt immorari, quia certus ſum quòd cor meum erga te novit conſcientia tua. Litteras quas quæris Regis ad Papam non tibi mitto, quia non intelligo utile eſſe ſi ferventur. Si quid aliud juvâte Deo ſcripſero, ſuo tempore mõſtrabitur. Quod autem in libris quos ſcripſiſti, corrigis; fac ut ſi qui ex illis tranſcripti ſunt, in illis quoque corrigatur. Deſideras tu præſentiam meam; oſtendat tibi Deus præſentiam ſuam, & interim habitet in te per gratiam ſuam. Amen.

EPISTOLA LXXI.

Anſelmus Archiepiſcopus, Reverendo Epiſcopo Gundulfo: ſalutem.

PRecatus ſum Dominum Priorem, & Archidiaconum noſtrum quanto affectu poſſum, ut hujus Roberti curam habeant, ne ullam duram patiatur indigentiam in victu vel veſtitu; quo de perfidia ad veræ

fidei misericordiam & pietatem conversus est. Rogo itaque ut litteras quas illis misi legatis, & si illi aliquando quod illis mando, facere neglexerint, quod non credo, vos ex nostris rebus, pia hilaritate huic quod illi deerit suppleatis.

EPISTOLA LXXII.

Anselmus Archiepiscopus, dilecto filio suo, Guidoni: salutem, & benedictionem Dei.

AUdio quòd in pace & tranquillitate conversaris in Claustro & sollicitus es circa servitium Dei & salutem animæ tuæ, & inde gaudeo valde. Moneo itaque te, carissime, licet opus non sit, quatenus mundum & ea quæ mundi sunt ab animo tuo procul abjicias, nec te ad amorem ejus ullatenus flectas. Deum ama eique sollicitè servi: quia per gratiam ejus nunquam tantam opportunitatem habuisti, sicut modo habes ei serviendi. Petis absolutionem meam, quam ego mitto tibi.

EPISTOLA LXXIII.

Domino, & patri cum Reverentia diligendo, & cum dilectione reverendo, Paschali summo pontifici, Anselmus servus Ecclesiæ Cantuariensis: debitam subjectionem, cum fideli servitio & orationibus.

DE causa inter Regem Angliæ & me quid nuper factum sit, breviter Celsitudini vestræ scribo, quia legato ejus & nostro hoc plenius exponendum relinquo. Postquam auctoritas vestra Comiti de Mellento & aliis impedientibus apud Regem jussionem vestram, introitum Ecclesiæ prohibuit, appropinquavi Normanniæ, & factum est per Comitissam Carnotensem sororem Regis fidelissimam filiam Ecclesiæ Dei & vestris præceptis obedientem, ut ad colloquendum Rex & ego cum quadam spe boni eventûs conveniremus. Ubi me de Archiepiscopatu, unde me spoliaverat revestivit. Et de his in quibus dissentiebamus, scilicet, de investituris Ecclesiarum & hominiis Prælatorum de quibus simul & similem in Romano Concilio audivi prohibitionem; se Apostolicam sedem per legatum suum ante proximam Nativitatem Domini requisiturum constituit. Non autem intellexi me debere aut legationem ejus prohibere, aut revisituram meam respuere. Quid verò ipse de prædictis rebus concedat, vel quid postulet, per eundem legatum Sanctitas vestra cognoscet. Et quoniam totius causæ finis de vestro pendet arbitrio; misi simul legatum nostrum, ut cognoscam quomodo vobis & Regi conveniat, & quid mihi jussio vestra præcipiat. Comiti de Mellento per auctoritatem cartæ vestræ quam illi direxistis, in qua legi quia si vobis obediret, gratiam vestram obtineret, concessi introitum Ecclesiæ: quoniam promisit se conaturum ut Rex jussionibus vestris ad ubertatem Ecclesiæ obtemperet. De aliis autem de quibus auctoritatem vestram per legatos sequito, ejus responsionem si placet, per eosdem flagito. Pro Reverendo Patre meo Archiepiscopo Rothomagensi ad vestra supplex mêtе me posterno vestigia, quatenus secundùm quòd per ejus legatos cognoscetis, supplicationem & humilitatem, Ecclesiæ suæ necessitatem, Apostolicæ misericordiæ illi impendatis benignitatem. Omnipotens Deus in omni prosperitate vestram diu Ecclesiæ suæ conservet incolumitatem. Amen.

EPISTOLA LXXIV.

Dilectissimo Domino suo & Patri, Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo, Mathildis Anglorum Regina: salutem continuam cum dilectione, & servitium fidele.

NOn ignoret, charissime Pater, vestræ Sanctitatis consolatrix dilectio animam meam vestrâ tam longâ, tam tædiosâ absentiâ graviter fore turbatam. Vestri etenim reditus optati terminus, quantò celerior & propinquior à plurimis mihi promittitur: tantò magis a me vestrâ frui optante præsentia & locutione desideratur. Nullo itaque, Reverendissime Domine, perfecto gaudio anima mea lætificabitur, nullâ verâ dilectione exhilarabitur, quousque vestram, quam totis mentis meæ viribus desidero, præsentiam revidere gaudenter valeam. Vestræ siquidem benignitatis melliflua exoro dulcedinem, ut interim me absentem vestræ amœnitate correptionis & litterarum vestrarum dulcedine consolari & lætificare dignemini. Omnipotens & pius Dominus vos ubique conservet, & de reditu vestro me ad præsens lætificet. Amen.

EPISTOLA LXXV.

Henricus Dei gratiâ Rex Anglorum, Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo, carissimo Patri suo: salutem & amicitiam.

SCiat vestra benigna Paternitas quia debeo & nisi ùm intra me cõtristor præ dolore corporis vestri & infirmitate. Et scitote quia nisi vos operiebat, jam fuissem in Normannia. Gauderem enim si priùs vos reperissem, quàm à regione mea recessissem; nunc autem precor vos sicut patrem filius, ut paulisper plus indulgeatis naturæ corporeæ vestræ, & nè ita infligatis corpus vestrum. Volo agrem & præcipio ut ubique per omnes possessiones meas Normanniæ imperetis, sicut per vestras Dominicas, & gaudebit cor meum, si hoc ipsum feceritis. Nunc verò operi me in Normannia. Ego enim noviter transibo. Teste Vvalderico apud Vvindeles horas.

EPISTOLA LXXVI.

Domino suo, & Patri Carissimo, Anselmo Archiepiscopo, Mathildis Anglorum Regina: salutis bonæ valetudinem.

EXultationis opinatæ jucunditas vestræ mihi nuper spondens Sanctitatis adventum, quantò mihi gaudii solatiique plus collatura fuit; tanto majus præpediente valetudine, desolati mœroris incommodum contulit. Præcognitum igitur mihi vestræ Paternitatis affectum miserabili lacrymatione exoratum venio, ut si cura mei apud vos penitus non eviluit, anxietatem solicitudinis meæ de vestra valetudine quolibet internuntio quantocius securam reddatis. Aut enim indilatè de vestra eadem quidem & mea salute gaudebo; aut quod Dei avertat miseratio, communis casus allisionem indifferenter subibo. Convalere vos faciat piissima Dei omnipotentia. Amen.

Digitized by Google

EPISTOLA LXXVII.

Henricus Rex Anglorum, dilecto Patri suo, Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo: salutem, & filii dilectionem.

NOscat, Reverende Pater, discretio Sanctitatis vestræ, quia frater meus Comes Robertus ad me venit in Angliam & benignè recessit. Me autem scitote indie Ascensionis Domini, esse ad mare paratũ transire. Et cùm transiero, per vos & consilium vestrum, ea qbæ agenda erunt, agam. Interim autem si Guillelmus de Vvarelvast ceterique legati nostri Romà redierint, in arbitrio voluntatis vestræ sit, utrum ad me transeant in Angliam, antequam transeam; an vobiscum remaneant, donec ipsi vobiscum mecum loquátur. Teste Vv. Cancell. apud Northamptonem.

EPISTOLA LXXVIII.

Anselmus Archiepiscopus, dilectis filiis & Fratribus, Elfero Priori, & aliis in Cœnobio sancti Edmundi Deo famulantibus: salutem & benedictionem Dei & suam.

QUod hactenus me substraxi à communione Domini Roberti, feci propter præceptum & obedientiam Domini Papæ Nunc autem jubente eodem Domino Papa, ea ratione qua ipse mihi præcepit, eum in pacem & communionem suscepi, & vobis mando atque præcipio ut ipsi deinceps in omnibus obedientes sitis, & ei confessionem & alia quæ debent monachi Abbati, faciatis; nec ab eis desistatis, nisi ego in futuro inde aliud præcipiam. Rogo autem vos, & modis quibus possum hortor & moneo quatenus solliciti sitis circa observantiam Ordinis vestri, ut nihil de vobis audiatur, nisi quod decet audiri de bonis monachis & veris servis Dei, Amen.

EPISTOLA LXXIX.

Reverendissimo Patri, & dulcissimo amico Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo, suisque omnibus, Frater Hugo peccator, Cluniacensis Abbas: salutem, & sine fine gaudium.

QUoniam noveramus quanta inter vos & Dominum Hugonem Lugdunensem Archiepiscopum Deo volente extiterat familiaritas, dignum duximus vobis significare ejusdem obitum, nobis & omnibus bonis viris gravem & irrecuperabiliter dolendum, quatenus & per vos & per vestros, veram quam vivens exhibuit dilectionem, nunc ei defuncto repensare satagatis. Obiit enim in pace nonis Octobris apud Seusiam, dum iret ad Apostolicæ vocationis Concilium, sepultusque est ibidem satis honestè, in Abbatia sancti Justi. Vestram autem Reverentiam plenius noscere desideramus, vestræque prosperitatis nuntio abundantiùs lætificari, cùm sese tempus locusque opportunus extulerit. Christus Jesus, Pontifex summus, in omnibus operetur vobiscum.

EPISTOLA LXXX.

Amantissimo atque glorioso Patri, Domino Anselmo, venerabili Cantuariensium Archiepiscopo, Frater Hugo * peccator, Cluniacensis Abbas: salutem mentis & corporis in Christo, & sine fine gaudium.

POstquam à nobis discessistis, vir Deo dilecte, nequivimus percipere quid acciderit Sanctitati vestræ: hoc tamen de Dei misericordiâ speramus, quia ubicumque vestra religio fuerit, divinum auxilium præsto habuerit. Quis enim unquam tam inhumanus fuerit, qui postquam expertus fuerit dulcedinem vestri colloquii, vos non recipiat & veneretur quasi Angelum Dei? Unde nos, licet satis indigni, divinam imploramus clementiam, ut qui vobis tantam gratiá contulit in terris, ipse vobis concedere dignetur æternam gloriam in cœlis. Et nunc, Pater, direximus ad terras illas filios nostros, vestros verò servos & fideles amicos, pro Monasterii nostri communi negotio. Quos vestræ Sanctitati commendantes volumus ut quod in regionibus illis acturi sunt, vestro exequantur consilio, vestroque muniantur auxilio. De causa filii nostri Domini Theardi, præcipuè petimus ut quia Dominus Papa de ministerio ejus omnem in vestro arbitrio posuit dispositionem, vosque ei dum adhuc esset in Clericali habitu sicut ab ipso didicimus, concessistis totius ministerii sui facultatem: nunc nobis cùm Deo miserante ad principalem reductus estis dignitatem, per litteras scribere quid quid ei mandaturi sumus non dedignemini. Gaudeat per longum Sanctitas vestra memor nostri.

EPISTOLA LXXXI.

Anselmus Archiepiscopus, Domino & amico carissimo, Hugoni Comiti: salutem, & benedictionem Dei & suam.

LAtor præsentium Monachus Cluniacensis, quæritur quod vos cepistis & in captione tenetis quemdam Monachum Cluniacensem, & alium noviter monachum factum, atque defunctum, ab hominibus vestris sublatum, & ubi eis placuit esse sepultum. Hæc si ita se habent, multùm doleo inde propter vos, quia valde aliter facta sunt quam vos decet: unde mando, precor, & consulo vobis sicut amico, quatenus Monachum quem tenetis, reddere non moremini; & quia eum cœpistis, offeratis vos ad rectitudinem inde faciendum. Honor enim vester est ut hoc faciatis. Postea verò si aliquid habetis super monachum istum, clamorem inde facite, & fiet vobis inde quod fieri justè debet. De mortuo quoque consulo ut similiter vos ad rectum offeratis, & sicubi justiùs esse debet. Familiariter autem dico vobis, sicut homini cujus honorem & utilitatem multùm amo, quia si non feceritis quod dico, inde blasphemabimini: & ego etiam si non fecero quod Ecclesiastica disciplina præcipit inde fieri, à multis blasphemabor. Saluto uxorem vestram filiam carissimam meam.

Digitized by Google

EPISTOLA LXXXII.

Henrico gratia Dei glorioso Regi Anglorum & Duci Normanorum, Anselmus Archiepiscopus: fidele servitium cum fidelibus orationibus: & semper ad majora & meliora crescere, & numquam decrescere.

GAudeo & gratias ago quanto effectu possum, Deo, à quo bona cuncta procedunt, pro vestra prosperitate & pro vestris successibus. Gaudeo etiam & gratias ago ex intimo corde, quia cum prosperitate terrena sic cor vestrum suâ gratiâ illuminat, ut nihil in beneficijs ejus & profectu vestro, vobis aut humanis viribus, sed totum ejus misericordiæ imputetis; & quia pacem & libertatem Ecclesiæ, quantùm in vobis est, promittitis, in quo multùm precor & consulo, sicut fidelis vester, ut perseveretis; quia in hoc erit robur Sublimitatis vestræ. Oro autem ore & corde, quantùm valet mens mea, & per me & per alios Deum omnipotentem, quatenus in misericordia gratiæ suæ quam vobis cæpit impendere, indesinenter persistat, ut de terrena exaltatione post hanc vitam, ad cæleste regnum & gloriam æternam vos perducat. Amen.

EPISTOLA LXXXIII.

Paschalis servus servorum Dei venerabili Fratri Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo: salutem & Apostolicam Benedictionem.

OMnipotenti Deo gratias agimus quia tuis plurimis laboribus in Anglica Ecclesia fugatis tenebris antiquum lumen refulsit. Vigilandum tamen est ne in Dominico agro super bonum semen inimicus zizaniam projiciat, atque prava radix pravum virgultum producat. Audivimus denique quod quidam Comes Robertus, qui ab Anglico Rege in captione tenetur, sub prohibitione consanguinitatis uxorem duxerit, quam ejus propinqui præfato Comiti remiserunt. Unde mandamus Dilectioni tuæ, ut eundem Comitem convenias, & si hæc vera esse repereris, adhibitis idoneis testibus ita sapienter disponas, ut utrique à peccatis liberati, liberè Deo famulari valeant. Oret pro nobis Dilectio vestra.

EPISTOLA LXXXIV.

Henrico carissimo suo Domino, Dei gratia Regi Anglorum, Anselmus Archiepiscopus: fidele servitium cum orationibus.

GRatias ago Deo pro bona voluntate, quam vobis dedit, & vobis qui eam servare studetis. Quæsivit consilium Celsitudo vestra quid sibi faciendum sit de hoc, quia pacta est filiam suam dare Guillelmo de Vuarenne, cum ipse & filia vestra ex unâ parte sint cognati in quartâ generatione, & ex alterâ in sextâ. Scitote absque dubio quia nullum pactum servari debet cõtra legem Christianitatis. Illi autem si ita propinqui sunt, nullo modo legitimè copulari possunt, neque sine damnatione animarum suarum, neque sine magno peccato eorum, qui hoc ut fiat, procurabunt. Precor igitur & consulo vobis ex parte Dei sicut carissimo A Domino, ut nullatenus vos huic peccato misceatis, neque filiam vestram eidem Guillelmo contra legem & voluntatem Dei tradatis. Omnipotens Deus dirigat vos & omnes actus vestros in beneplacito suo.

EPISTOLA LXXXV.

Muriardachus Rex Hiberniæ, Anselmo Anglorum Archipræsuli: salutem, & fidele servitium.

QUam magnas vobis grates, Domine, referre debeo, quia sicut mihi relatum est, memoriam mei peccatoris in continuis vestris peragis orationibus: sed & genero meo Ernulfo auxilio & intervention quantum fuerat dignatari vestræ fas, sucurristi. Scias tu quoque me vobis in iis quæ mandaveris famulaturum. Vale.

EPISTOLA LXXXVI.

Anselmo Dei gratia Anglorum Archipræsuli, Gislebertus Dei quoque misericordia Lunicensis Episcopus: fidele servitium & orationes.

AUdiens, Pater, certaminis vestri laborem, & laboris victoriam, subditas esse videlicet indomitas Normanorum mentes regularibus sanctorum Patrum decretis, ut regulariter fiat Abbatum & præsulum electio & consecratio; immensas divinæ clementiæ refero gratias, & quas possum Deo preces effundo, ut perseverentiam vobis & tanti laboris præmium largiatur. Munusculum paupertatis meæ & devotionis transmitto viginti quinque margaritulas inter optimas & viliores; & rogo ne sitis immemor mei in orationibus vestris in quibus post divinam largitatem confido. Amen.

EPISTOLA LXXXVII.

Jotseranno Domino, atque cum dilectione Reverendo, & cum Reverentia diligendo Archiepiscopo Lugdunensi; Anselmus Ecclesiæ Cantuariensis servus: salutem cum orationibus & servitio.

QUod vera Charitas vestra congratulatur nobis, quia Deus qui non derelinquit sperantes in se, pro tiebus quibus nos humiliavit sua nos consolatione lætificavit; gratias agimus, & quia vos congaudere sentimus, magis gaudemus. Quoniam autem multis & immensis tribulationibus, ab iis à quibus auxilium & consolationem in necessitatibus sperabatis vestra pulsatur Reverentia, compatimur & condolemus. Sed hoc consolatur nos, quia confidimus in Deo quòd nullo fluminum, nullo ventorum impulsu, vestra conentietur constantia, & quia Deus qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, superbiam malignantium franget, & auctoritatis vestræ pedibus substernet; & cum virtus vestra probata fuerit, accipiet coronam vitæ repromissam. Qualiter autem nostrum esse sit, quod vestra benignitas nosse desiderat, melius per legatos vestros, quam per Epistolam poteritis cognoscere.

EPISTOLA LXXXVIII.

Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis, amico ſuo Thomæ electo Archiepiſcopo Eboracenſi: ſalutem.

MAndaſtis mihi in litteris veſtris quod termino a me vobis conſtituto, Deo auxiliante, Cantuariæ eritis ſi oportunè poteritis, ſuſcepturus & facturus quod debebitis: rogaſtis quoque ut ſi id efficere non valeris, concederem quatenus id mihi decem diebus ante renunciare poſſetis. Sed Guillelmus Clericus nuntius veſter precatus eſt me ex veſtrâ parte, quatenus ego ipſum terminum adventus veſtri aliquantulum extenderem, ut ad nos oportuniùs poſſetis venire. Quod & ego causâ veſtri amoris & oportunitatis libenter facio. Ne itaque opus ſit vos mihi quidquam antè de veſtro adventu renuntiare, ſummoneo vos ut die Dominico, qui erit quinto Calend. octob. Cantuariæ ſitis ad faciendum quod facere debetis & ad ſuſcipiendam conſecrationem veſtram. Præterea quod dicitis in litteris veſtris, vos pecuniam quærere ut Româ mittatis pro Pallio Eccleſiæ veſtræ, non concedo. Et puto quia id fruſtra faceretis; quoniam nullus debet habere Pallium, antequam ſit conſecratus. Litteras quas requiritis in teſtimonium perſonæ & electionis veſtræ, cùm mihi locuti fueritis, & oſtenderitis cui eas dirigere debeo, libenter faciam pro vobis, ſicut pro amico facere debeo.

EPISTOLA LXXXIX.

Domino & Patri Reverendo Archiepiſcopo Rotomagenſi Guillelmo, Anſelmus Servus Eccleſiæ Cantuarienſis: ſalutem, & fideles orationes cum ſervitio.

MAndaſtis mihi in litteris veſtris quia Guillelmus Camerarius & uxor ejus dicunt me ſibi dixiſſe quod ipſi poſſent eleemoſynis redimere peccatum ſuũ, illud ſcilicet quia ipſe Guillelmus in uxorẽ habet eam quæ fuit cognati ſui. Quod ſciat Sanctitas veſtra me nunquam eis dixiſſe, ſed potiùs dico quia neuter illorum, ſi in hoc peccato mortuus fuerit, videbit gloriam Dei. Valete.

EPISTOLA XC.

Anſelmus Archiepiſcopus Cantuariæ, Reverendo * Lundonis Eccleſiæ Archiepiſcopo: at ſerò ſalutem & veram amicitiam in Chriſto.

In Dacia

QUod me rogaſtis de Domno Alberico Cardinali Romanæ Eccleſiæ libenter feci, tum propter honorem Romanæ Eccleſiæ, tum propter veſtrum, pro quo libenter facere volo, ſi quid quod placeat Sanctitati veſtræ intellexero. Gratias agimus Deo qui in Regno Danorum veſtram religioſam prudentiam, & prudẽtem religionem ad Archiepiſcopatũ ſublimavit. Confidimus enim quia gratia Dei cooperante, ea quæ corrigenda ſunt, corrigetis; & quæ ædificanda ædificabitis; & quæ nutrienda, nutrietis. Audivimus namque à præfato Cardinali multa bona de vobis: unde iſtam habemus fiduciam, & oramus ut Deus qui hoc incepit in vobis, ad bonum effectum veſtram ſemper A perducat voluntatem. Rogo Sanctitatem veſtram quatenus Regnum illud veſtro ſancto ſtudio emunderis ab apoſtatis, ut nullus alienigena ibi recipiat aliquem Eccleſiaſticum Ordinem: quia illi qui ab Epiſcopis ſuis repelluntur, illuc pergunt & exitiabiliter ad diverſos Ordines ſacrantur. Valete, & orate pro me.

EPISTOLA XCI.

Dominæ & Matri in Deo chariſſimæ Adæ, venerabili Comitiſſæ, Anſelmus ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis: quod melius, B quod dulciùs, quod affectuoſiùs poteſt ſecundum Deum.

CUm veſtræ volo ſcribere Celſitudini, utique nequeo invenire verba quibus affectum, quem ſervat ſemper cor meum coram Deo de vobis, poſſim exprimere; niſi fortè per hoc illum melius exprimo, quia me fateor exprimere non poſſe. Quippe cùm mente peracto affectuoſum dilectionem quam in vobis propter Deũ erga me multis modis ſum expertus; nihil in me poſſum cogitare quod ad ejus retributionem, aut gratiarum actionem, ſecundùm voluntatem meam poſſit ſufficere. Quoniam ergo melius nec ſcio nec valeo, ad Deum me converto, & oro ut ipſe dilectioni veſtræ ſuam pro me dilectionem quæ ſuperat C omnis merita hominum retribuat. Hoc quotidie facio, hoc quamdiu vivam Deo annuente facere non deſiſtam. Noſtis deſiderium meum de vobis, quod utinam audiam antequam moriar per gratiam Dei completum eſſe. Verum dico vobis, quia lætior exiret anima de corpore. Noſtrum eſſe quod ſcire deſideratis, lator præſentium ſatis vobis poterit edicere. Spiritus ſanctus ſit ſemper cuſtos & director cordis veſtri & vitæ veſtræ. Amen.

EPISTOLA XCII.

Anſelmus gratiâ Dei Archiepiſcopus Cantuarienſis, Haconi Comiti Orcadenſium: ſalutem, & benedictionem Dei.

D

AUdio quia propter indigentiam doctorum, minùs quam expedit, populus qui ſub veſtra poteſtate eſt, cognoſcat & colat Chriſtianam Religionem. Sed gaudeo quia referente Epiſcopo quem nunc per gratiam Dei habetis, didici quia prudentia veſtra libenter ſuſcipit verbũ Dei, & conſilium quod pertinet ad ſalutem. Hac igitur fiducia mitto ſtrenuitati veſtræ litteras monitionis meæ; quatenus ſe ſtudioſè committat prædicationi & doctrinæ ejuſdem Epiſcopi; & E quantùm in vobis eſt ſtudeatis ut populus veſter hoc ipſum faciat. Nihil enim facere poteſtis unde magis remiſſionem peccatorum, & vitæ æternæ gloriam adipiſci valeatis, quam ſi populum veſtrum ad cultum Chriſtianæ religionis monendo, & quibuſcunque modis poteſtis vobis eum attrahitis. Quod efficaciter, Deo dante, implere poteritis, ſi quemadmodum ſuprà dixi vobis, vos devotè & ſancta humilitate & purâ voluntate Epiſcopo veſtro ſubditis. Si vos conſilio noſtro & exhortationi Deo inſpirante acquieſcere volueritis, oro Deum omnipotentem ut ipſa vos & totum populum veſtrum ſuâ gratiâ dirigat & protegat, & ſuam benedictionem & abſolutionem & orationes humilitatis meæ ex corde vobis mando. Omnipotens Deus ſic vos faciat vivere in hoc ſæculo, ut in futuro jungamini beato Angelorum conſortio. Amen.

EPISTOLA

Digitized by Google

EPISTOLA XCIII.

Henricus gratiâ Dei Rex Anglorum, Anſelmo Cantuarienſi Archiepiſcopo, charissimo Patri ſuo: ſalutem & dilectionem.

AGnoſce, Pater mi, quia ego gratiâ Dei ſanus ſum & incolumis, & omnia mea ſalubria incedunt & proſperè. Quod autem de te ac ſalute tuâ per Anſridum Clericum tuum & per alios accepi, nec non de iis quæ circa te geruntur felicitate ſalutis & proſperitatis agitari, ſcito me congratulari non minimum. Nec verò conſcientiam benevolentiæ tuæ lateat, quomodo contigerit nobis de colloquio noſtro inter me & Lodouvicum Franciæ Regem: ſcias quoniam ego cum pleraque copia militum meorum & ipſe cum fortitudine ſua undique collecta tenuimus colloquium. Ego autem ſtudens rationi & æquitati cum moderatâ humilitate, obſervata tamen Regia auſteritate, tantùm æquo & juſto adquievi, donec ipſe faſtu præſumptuoſo nimia ac ſuperba mihi ſuperquæſivit. Et ita diſponente Spiritus ſancti gratia collocutionem meam finivi, ut Comitibus mihi exiſtentibus ratione & juſtitia receſſerim. Ita etiam ut ipſi quos ipſe Lodouvicus in conventione noſtra mihi hôſtagios ex parte ſua poſuit, parti cauſæ meæ aſſentiant, & cauſam meam tueantur, & cauſam Lodouvici infirmant & reprobant. Propterea ſcias quoniam negotium quod inter me & Imperatorem Romanorum tractabatur, gratiâ Dei ad honorem Dei & noſtrum, & ſanctæ Eccleſiæ & Chriſtiani populi, ad finem perduximus. De cætero de iis quæ in Anglia ſunt, & quæ ibi tractantur; volo ut voluntati tuæ pareant, & conſilio tuo diſponantur: Quod etiam ego Juſticiariis noſtris feci cognitum. Filium meum & filiam tibi committo, ut paterna dilectione eos foveas, &, de iis filiaſtino amore curam agas. Teſte Ranulfo Cancellario apud Rothomagum.

EPISTOLA XCIV.

Domino ſuo chariſſimo Henrico, gratiâ Dei glorioſo Regi Anglorum, Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis: fidele ſervitium cum orationibus, & benedictionem Dei & ſuam, quantùm valet.

GRatias agó omnipotenti Deo ex intimo cordis affectu pro cunctis proſperitatibus & ſucceſſibus quos Deus per ſuam gratiam erga vos benignè dignatur operari: & oro eum ut ſemper Celſitudinem veſtram ad majora & meliora faciat proficere, & per continuam terreni Regni proſperitatem perducat ad cœleſtis Regni felicitatem. Gratias etiam ago dignationi veſtræ, quæ mihi, ſicut fideli & verè dilectori ſuo, amicabiliter quæ circa ſe ſunt, litteris ſuis ſignificavit, & cor meum de lætitia ſua & proſperitate lætificavit. Quod autem meæ curæ atque dilectioni filium veſtrum & filiam tam diligenter commendatis, & quod voluntati meæ Regnum veſtrum & negotia Regni veſtri committitis: quamvis in me non ſit ſapientia ad hoc ſufficiens; tamen quia benevolentiam veſtram immenſam, & gratiam erga me intelligo, quantum in me eſt gratanter ſuſcipio, & quæ mihi committitis, Dei per quem cuncta bene diſponuntur, commendo diſpoſitioni & auxilio. De electo Eboracenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, quemadmodum ſe res habet, per Domnum Baldeuvinum fidelem & dilectorem veſtrum Sublimitati veſtræ viva voce ſignificabo. Ad quam rem veſtrum auxilium & fortitudinem toto corde ſupplico, ut dignitatem Eccleſiæ Cantuarienſis ab Anteceſſoribus veſtris ſervatam, quam Deus tuitioni veſtræ commiſit, & cujus honor veſter eſt, minorari non permittatis. De me certè dico vobis, quia potiùs paratus ſum mori, ut ejus dignitas integra ſervetur, quàm ut meâ negligentiâ aliquatenus violetur. Omnipotens Deus vos & veſtra ſemper dirigat & protegat. Amen.

EPISTOLA XCV.

Paſchali ſummo Pontifici, cum dilectione Reverendo, & cum Reverentia diligendo, Anſelmus ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis; debitam ſubjectionem cum orationum aſſiduitate.

QUamvis non ex meritis meis, tamen quidam quia vident me in cauſis meis benignitatem veſtram ſemper habere præſentem, putant me apud Celſitudinem veſtram in iis quæ illam decent ſicut fidelem in ſervum aliquid poſſe. Quapropter aliorum precibus coactus Majeſtati veſtræ ſupplicare præſumo, ut Clatoris præſentium cauſam audire dignetur; & de eâ quod ſapientiæ ſuæ placebit, præcipere. Omnipotens Deus in diuturna proſperitate Sanctitatem veſtram nobis conſervet. Amen.

EPISTOLA XCVI.

Anſelmus Archiepiſcopus Cantuariæ, Samſoni Epiſcopo Vvigornenſi: ſalutem.

VOs ſcitis quid Eccleſia Eboracenſis debeat Eccleſiæ Cantuarienſi, & quomodo illi ſubjecta debeat eſſe. Poſtquam ergo Thomas electus eſt Archiepiſcopus Eboracenſis, debuit requirere conſecrationem ſuam, & profiteri obedientiam quam debet Archiepiſcopus Eboracæ Archiepiſcopo & Eccleſiæ Cantuariæ. Contempſit facere quod facere debuit. Ego tamen ex abundantia charitatis invitavi eum bis per Clericos noſtros, & tertiò per duos Epiſcopos; ut veniret ad matrem ſuam Cantuarienſem Eccleſiam, & ad me cui miniſterium ejus commiſſum eſt; & faceret & ſuſciperet quod deberet. Qui quod debuit facere neglexit, & reſpondit ſe miſiſſe nuntios ſuos Romam, & in Normanniam: qui cùm redirent, faceret quod conſilio ſuorum acciperet. Quod reſponſum in hoc negotio intelligimus non eſſe ſuſceptibile. Mando ergo vobis ſicut amico & profeſſo Eccleſiæ noſtræ, ut contra hanc injuriam, quæ non eſt tantùm ſuper me, ſed ſuper omnes Epiſcopos & Eccleſias Archiepiſcopatûs & Primatûs noſtri, ſuper Regnum etiam Angliæ, ſitis mihi in auxilium ad comprimendam tam intolerabilem præſumptionem. Certa ſit veſtra Reverentia quia nihil quod facere poſſim, aut apud Deum aut apud homines dimittam, ut hæc ejus inordinata præſumptio annihiletur. Meminiſſe deberet quia ordines majores quos habet in Archiepiſcopatu meo, & Sacerdotium meâ juſſione ſuſcepit, & meo favore ejus electio facta fuit. Quapropter ſi rectè conſideraret, non ſe deberet tam inordinatè contra me, imò ſuper me erigere: de hac re veſtrum exigo conſilium. Et quoniam duos Epiſcopos Roſenſem & Tedfordienſem conſilio aliorum Epiſcoporum ad quos pertinet hæc injuria; mittam in pro-

Digitized by Google

ximo ad Dominum noſtrum Regem, ex mea parte & eorum, ejus poſtulate auxilium, ad faciendum quod de hac re canonicè debeo & volo facere; mandate eiſdem Epiſcopis, ut ex veſtra parte ſicut aliorum Epiſcoporum legationem ſuam exequantur. Valete.

EPISTOLA XCVII.

Domino ſuo & Patri chariſſimo Anſelmo, venerabili Cantuarienſi Archiepiſcopo, Samſon Vvigornienſis Eccleſiæ ſacerdos: ſalutem, & ſervitium, & orationes fideles.

MAndaſtis mihi, Domine, & ſicut profeſſum Eccleſiæ veſtræ & veſtrum ſummonuiſtis, quatenus de negotio quod eſt inter vos & Thomam Eboracenſis Eccleſiæ electum, in auxilio vobis & Eccleſiæ veſtræ, ſcilicet Cantuarienſi, exiſterem. Unde precor Excellentiam veſtram, ne de me dubitetis, quod profeſſionem quam feci & adhuc facio, & per omnia retinere volo, in aliquo vel propter aliquem fraudare velim. Exiſtimo enim quod nullum in cauſa veſtra habebitis fideliorem, & pro poſſe meo plus devotum adjutorem. De conſilio autem quod à me quæſiſtis, ſi ſcirem veraciter quid vobis & nobis magis expediret, dicere non differrem. Hoc tantùm dico, quia mihi videtur indignum eſſe pro hac cauſa vos nimis iraſci. Cùm enim tot Epiſcopos, tot Abbates, tot optimates viros habemus teſtes, facilè mihi videtur tam parvæ vel nullius auctoritatis Clericos poſſe refutari. Illorum enim eſt talis controverſia, quorum, mihi videtur, non eſt grave præſumptivam annihilare audaciam. De ipſo verò Electo, ut credidi & credo, & ſibi credi oportet veraciter affirmo quia erga vos non habeat animum niſi bonum, & in quantum vixeritis, vobis & Eccleſiæ veſtræ per omnia devotiſſimè ſubjectum. Illud autem placet mihi quia feciſtis quod facere debuiſtis, ex bona voluntate ſuadendo, & ex auctoritate debitâ præcipiendo, quia ſi in dilatione conſecrationis eſt peccatum, alterius quàm veſtrum.

EPISTOLA XCVIII.

Anſelmus ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis, Domino & Amico, & in Deo dilectiſſimo Eliæ Comiti: ſalutem, & gratiâ Dei ſemper dirigi & protegi.

GAudeo & gratias ago Deo omnipotenti à quo eſt omne bonum, qui cor veſtrum bonâ voluntate & ſancta intentione ita implevit ut ſtudioſiſſimè quæratis conſilium, quâ via & qua vita ſecuriùs & efficaciùs poſſitis pervenire ad Regnum cœlorum & ad beatam ſocietatem Angelorum. Quod quoniam à me quæritis, mando illud vobis per dilectum Fratrem Hardum amicum & familiarem veſtrum, ſicut meliùs poſſum intelligere, quemadmodum per ejus vivam vocem poteritis apertè cognoſcere. Abſolutionem noſtram, quam per eundem fratrem ſicut ipſe mihi retulit, à me petitis, & corde, & ore, & ſcripturâ Dilectioni veſtræ mitto, & quotidie pro vobis oro. Omnipotens Deus ſanctum deſiderium veſtrum magis ac magis accendat, & ad beatum effectum perducat. Amen.

EPISTOLA XCIX.

Anſelmus Archiepiſcopus Cantuariæ, Domino & amico ſuo chariſſimo, Roberto Comiti de Mellento ſalutem & benedictionem Dei, & ſuam quantum poteſt.

DE cauſa quæ eſt inter me & Thomam Electum Eboracenſem, mando vobis & precor ſicut verum amicum & filium Matris Eccleſiæ Cantuarienſis, & conſulo ſicut fideli Chriſtiano, & fideliter amanti honoreth & dignitatem Regis & totius Regni Angliæ, quatenus diligentiſſimè & ſtudioſiſſimè conſideretis pondus tanti mali quod ipſe Thomas facere cónatur: & omnibus viribus ſicut injuriam & ignominiam, & Regis & totius Regni Angliæ, & Matris veſtræ Eccleſiæ, & Archiepiſcoporum Cantuariæ, intentionem ejus reptimatis. De me utique in ſpe auxilii Dei affirmo, quia nunquam per me erit, & ſi ſcirem me cras moriturum antequam iſta ejus calumnia extincta eſſet, ponerem ſuper eum ſententiam, quantò graviorem me poſſe intelligerem. De hoc autem certa ſit veſtra Dilectio, quia nullus hanc ejus præſumptionem nullo modo manu tenere poteſt, ſine ſuo magno peccato & ſine ira Dei. Spiritus ſanctus dirigat cor veſtrum in veritate. Amen.

EPISTOLA C.

Anſelmus Archiepiſcopus Cantuariæ, Radulfo Epiſcopo Ciceſtrenſi: ſalutem.

AUdivi quod Archidiaconus veſter accepit homines meos quaſi pro fori-facturâ fractæ feſtivitatis, & de iis plegios accepit, nec antè eos voluit dimittere, quam plegios haberet, quod nec ſibi nec alicui perſonæ licet ſuper homines meos. Unde mando vobis ut iidem plegii vocentur quieti. & de Archidiacono mihi juſtitiam facite, qui talia præſumpſit ſuper homines meos. Quod autem mihi mandaſtis ut caſtigarem homines noſtros, ne alii accipiant malum exemplum ab eis, grates refero, & quod inde facere debuero Deo annuente faciam. Valete.

EPISTOLA CI.

Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis, dilecto amico ſuo Reverendo Epiſcopo R. ſalutem.

MAndo & præcipio vobis per ſanctam obedientiam quam Eccleſiæ Cantuarienſi & mihi debetis, ut ſcilicet quod in ſubjectis litteris quas Thomæ Electo Eccleſiæ Eboracenſi deſtinari ſcriptum eſt, vos erga ipſum Thomam amodò teneatis.

A

EPISTOLA CII.

Ex Rivulli Abbatis de Prædiis suis in Genes. Commentar. S. Anselmo Monacho.

Anselmo Cantuariensis Ecclesiæ Archiepiscopo, Quidam Dominicæ Crucis servus & minister Pratellini Cœnobii: cursu infatigabili stadium paternæ peregrinationis tanquam militi summi Regis feliciter consummare.

Ex Ms. Monasterii de Pratellis.

QUamvis, Pater venerande & inter membra Christi tanquam amator & cultor veritatis plurimum diligende, crebras simultates & impugnationes hominum facinorosorum, item aculeos malignorum spirituum intrinsecus plerumque sustineam; tamen onus obedientiæ quam imponis mihi levissimum & actu quidem & sincera devotione qua te diligo prorsus æstimo. Quippe nihil difficile reperitur quod cuilibet igne amoris exæstuanti facile non videatur. Igitur in librum Geneseos jam enucleatis a me mysteriis, quatuor qui restant tua jussione aggressurus & dextera Domini mei Jesu Christi calamum meum regente explanaturus, admodum tuis orationibus indigeo, ut is qui claudit & nemo aperit, aperit & nemo claudit mihi librum signatum aperiat, cujus historiam quam beatus Augustinus juxta litteram usque ad exitum primi parentis de paradiso multifariam prosecutus est, intactam dimitto. Etenim arrogantiæ deputari posset intolerabili, si manum meam superponere præsumerem ejusdem manui. At ubi ventum fuerit ad locum ubi senaria distributione formæ visibilium rerum consummantur, tentabo prout divina Sapientia mihi affuerit, litteram hujus libri secundùm triplicem intellectum aliquando tractare. Cæterùm Dominus inopiam meæ scientiæ novit, cui non hæc loquitur testimonium meæ conscientiæ vel intentionis, quia nec præsumo viribus meis, nec ad plausum mortalium, nec ad fructum transitoriæ remunerationis operam impendo, ad explanandum perplexa mysteria Mosaicæ legis. In cujus siquidem amabili contubernio & contubernali amore ferme jam sunt transacti viginti & octo anni, totum me retrusi. In cujus nimirum mandatis prosequendis dum desudo, valde requiesco. Cumque ab illius amplexibus importunitate negotiorum mundanorum prævalente frequenter avellor, non modicum laborem incurro. Ne hoc quidem mirum, quia apud illam panis vitæ & intellectus atque potus inveniuntur. Panis, per quem amissæ vires mentis imbecillæ in vigorem pristinum reparantur. Potus, per quem sitis mundanarum concupiscentiarum extinguitur, & postmodum suavissimo fervore ad rimanda illius secreta vehementer is qui inde potat accenditur. Jam demum gratia Dei præcedente ad verba libri veniamus, & virtute obedientiæ suppeditante quid gerant mysterii prout Dominus nobis dederit diligenter vestigare satagamus.

B

C

D

E

EPISTOLA CIII.

Ex Ms. Vetusto fol. 20. in Ms. segnato Monasterii.

Reverendo & amando Domino suo, & Patri & Doctori, Cantuariæ Archiepiscopo, Anglorum Primati, Matri Ecclesiæ Catholicæ, fidei utilitatisque merito multùm amplectendo Lanfranco, Frater Anselmus Beccensis, vitâ peccator, habitu Monachus.

Ei opus suum, quod Monologium inscribitur, corrigendum vel approbandum mittit.

QUoniam agenda sunt omnia consilio, sed non omni consilio, sicut scriptum est: omnia fac cum consilio. Et, consiliarius tuus sit unus de mille: unum quem scitis, non de mille, sed de omnibus mortalibus elegi, quem præ omnibus haberem consultorem in dubiis, Doctorem in * ignorantiis, in excessibus correctorem, in rectè actis approbatorem. Quo quamvis secundùm votum uti non possim; decrevi tamen uti, quantùm possum. Quamvis enim valde multi sint præter prudentiam vestram, de quorum multùm proficere imperitus possim * peritia, & quorum subjacere censuræ me mea cogat imperitia; nullum tamen eorum novi, cujus me doctrinæ judiciove tam confidenter tamque libenter, quam vestro subjiciam; & qui mihi tam paterno affectu se, si res indiget, exhibeat, aut, si res exigit, congaudeat. Quare quoniam quicquid de paterno vestro mihi pectore impenditur, & sapientiâ est exquisitum, & auctoritate roboratum, & dilectione conditum: cùm aliquid inde haurio, id me suâ & dulcedine delectat, & securitate satiat. Sed quoniam hæc ipsa scienti loquor, his omissis, cur eorum meminerim expediam. Quidam Fratres, servi vestri, & conservi mei me sæpè multùmque rogantes, tandem coegerunt ut adquiescerem illis quædam scribere, sicut in ejusdem scripturæ præfatiuncula considerare poteritis. De quo Opusculo hoc * præter spem evenit, ut non solum illi, quibus instantibus editum est, sed & plures alii illud velint non solùm legere, sed etiam transcribere. Dubitans igitur utrum illud volentibus denegare debeam, aut concedere; ne me aut invidum putantes oderint, aut stultum agnoscentes deridcant, ad singularem meum recurro consiliarium, & scripturam ipsam examinandam vestro mitto judicio: ut ejus auctoritate aut inepta à conspectu prohibeatur, aut correcta volentibus præbeatur.

Ita mss. edit. vet. & Spicileg.

al. ignorantiis

al. præsentiæ

EPISTOLA CIV.

Anselmus Dei gratiâ Archiepiscopus, Domino Priori Bernardo, & aliis Fratribus in Cœnobio sancti Albani conversantibus: salutem & benedictionem.

FRatres à vestra dilectione ad me directi retulerunt mihi quamdam dubitationem inter vos ortam esse cum aliqua dissentione, inde quia in Catholicorum Patrum scriptis aliquando invenitis Deum & hominem in Christo convenire in unam substantiam, aliquando duas substantias; divinam scilicet & humanam, unam esse personam in Christo: videtur enim repugnare quod & una substantia sit humana & divina natura, sicuti esse, una persona & duæ substantiæ sint in eadem persona, sed si bene intelligatur quo-

Digitized by

modo dicant unam esse substantiam plures naturas in Christo, aut plures substantias unam personam, nihil ibi repugnãs cognoscetur esse. Deum enim unum credimus & confitemur esse Patrem & Filium & Spiritum sanctum. Cùm ergo dicimus Deum, non nisi unum dicimus & intelligimus. Cùm verò dicimus Patrem & Filium & Spiritum sanctum, plures dicimus & credimus: sed de Deo habemus auctoritatem, quia debemus dicere Deum unũ singulariter & non plures, quemadmodum scriptum est. *Audi Israël Dominus Deus tuus, Dominus unus est.* De illis verò tribus, Patre scilicet, Filio & Spiritu sancto non invenimus in Propheta, aut Apostolo, aut Evangelista, ut uno nomine nominent eos pluraliter, quo significent illam pluralitatem quam in illis intelligimus: nusquam enim dicunt tres personas eos esse, aut tres substantias, aut tres omnipotentes, aut aliquid hujusmodi. Hac necessitate Patres Catholici quando loquebantur de illis tribus, elegerunt omnia quibus illos tres nominare possent pluraliter. Græci quidem nomen substantiæ, Latini verò nomen personæ: sed ut omninò quod nos ibi intelligimus per personam, hoc ipsi & non aliud intelligant per substantiam: sicut ergo nos dicimus in Deo unam substantiam esse tres personas, ita illi dicunt unam personam esse tres substantias, nihil à nobis diversè intelligentes aut credentes. Quoniam enim non habeant nomina quibus propriè illos tres significarent, ut jam dixi, ut Græci dicerent esse tres substantias, nos verò tres personas; dederunt in Deo duobus nominibus illam significationem, quam in illis pluribus intelligebant, nec suo nomine proferre poterant. Sicut igitur nos dicimus quia alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti, & in eo quidem quod alius est Filius Dei à Patre, non est alius à Filio Virginis, sed idem ipse; idem est, alia persona est à Patre, & non alia à Filio Virginis, sed eadem persona. Ita Græci dicunt quia Verbum, id est, Filius Dei, alia substantia est à Patre, & non alia ab homine assumpto. Quando ergo invenimus in Catholicorum Patrum scriptis plures naturas esse, unam substantiam in Christo, & quando invenimus plures substantias esse, unam personam; non eumdem sensum in nomine substantiæ accipimus: sed cum dicimus unam substantiam, id ipsum intelligimus quod per nomen personæ. Cum verò dicimus plures esse substantias in eo, personam unam; hoc significamus per nomẽ substãtiæ quod per nomen naturæ. Hac igitur consideratione, qua una est fides Græcorum & Latinorum, aliquando nominant personam, quamvis hoc rarò Latini faciant. Quòd autem Græci dicant in Domino unam personam, tres substantias, testatur Beatus Augustinus in libro de Trinitate. Hæc vobis, Fratres, petentibus, secundùm quod intellexi quæstionem inter vos versari sufficienter puto me respondisse, quamvis dici possint plura de Trinitate & pluralitate, quomodo Verbum unum sit cum Patre & non unus, & cum homine assumpto unus & non unum. Valete.

EPISTOLA CV.

Anselmus Dei dispositione vocatus Archiepiscopus, Dominæ & Matri Reverendæ Abbatissæ F. & sanctæ Congregationi illi commissæ: in sanctitate semper proficere, & ad * beatitudinem pertingere. al. semper

QUamvis vestrum sanctum studium mea monitione non egeat, cogit me * tum dilectio quam erga vos habeo & officium meum, ut vobis * ad exhortando scribam. Considerate incessanter, Filiæ & Sorores meæ dilectissimæ, * quod in cœlum proposuistis & jam incepistis ascendere, ut ibi regnetis, & regnando gaudeatis cum Domino & amico vestro Jesu Christo, qui ibi vos expectat & expectando assiduè invitat. Quippe quamdiu homo vivit, aut ascendit in cœlum bene vivendo, aut descendit in infernum malè vivẽdo. Si ergo ad illud proposuistis & vultis pertingere, necesse est vos sanctis * actionibus illuc quasi quibusdam passibus proficere. Diligenter ergo vitæ vestræ cursum discutite, * ut non solùm in operibus, sed etiam in verbis, nec solùm in his, sed & in omnibus cogitationibus, ne fortè cùm in omnibus his semper debeatis sursum * tendere, aliud ibi inveniatur quod est magis descẽdere. Quod si bene vultis custodire, expedit ut semper * videre cogiteris * quod verissimè scriptum est: Qui modica spernit paulatim decidit, qui paulatim decidit non proficit sed deficit, & qui deficit non ascendit sed descendit. Hoc ergo curate sollicitè, ut nihil tam parvum sit quod de Ordine vestro ubi vos Deus posuit negligere velitis; & sic sanctis passibus in cœlum, quod utinam Deo adjuvante fiat, ascendetis. Quod * ut per me oretis, & tantò attẽtiùs, quantò scitis me de dilectione vestra confidere, quoniam nunquam cognovi me magis quàm nunc orationibus indigere. al. actionibus · al. omit. · al. ascendere · al. omit. · al. illud · al. oro ut pro me

EPISTOLA CVI.

De Sacramento Altaris.

Ex Mss. Monasterii Christi-Ecclesiæ.

Domino * G. Abbati, olim charissimo filio, nunc Deo propitio venerabili Patri, Frater * A. Gisleberto · Anselmus

DE Corpore & Sanguine Domini jussisti, venerande, ut quidquid parvitas mea sentit, sive quod credit vestræ Sanctitati patefaciat, hæc breviter pro modulo meo salva fidei puritate accipiat. Credo sacro sanctum Corpus Dominicum, quod in altari quotidie ex Sacerdotis officio consecratur, omni execrata dubitatione verum ejus Carnem esse quæ passa est in cruce, & verum Sanguinem qui manavit è latere, ut veritas ipsa testatur: *Caro mea*, inquiens, *verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: & qui manducat Carnem meam, & bibit meum Sanguinem in me manet & ego in eo*; & ad discipulos cum panem porriget: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur.* His ergo & hujusmodi verbis dominicis fidem præbens sicut nullum corpus aliud pro nostra salute traditum præter suum scio, ita ut præfatus sum, nullam ejus aliam carnem, quàm quæ nata est de Maria Virgine, & resurrexit de sepulchro, manducari in remissionem peccatorum credo; neque alium sanguinem bibi, quàm qui profluxit de ejus latere, non dubito. Qui verò autumant eum post consecrationem panem esse materialiter, & corpus Domini figuraliter tantùm & non veraciter, carnales carnaliter sapientes non parum contra fidem desipiunt, eò quòd magis suis corporalibus oculis quàm veritatis attestationibus credunt. Quòd autem panis & caro sacramẽtum vel figura peracta cõsecratione dicitur, non solùm non reprobo, verùm etiam fidei ratione colligens Catholicè complector & approbo. Panem namque orthodoxè dici nemo qui probe sapit, dubitat; cùm eadem veritas dicit: *Ego sum panis, qui de cœlo descendi: & panis, quem ego dedero, caro mea est pro mundi vita.* Sacramentum verò, quia sub eorum specie visibili quæ vidẽtur, secretius virtute divina Caro cõsecratur; quatenus hoc sit interius in * virtute quod creditur fidei virtute. Figuram autem, dum aliud intelligitur quàm quod visu corporali & gustu sentiunt. Quippe cùm Agnus Dei Christus, qui in patris dextera gloriatur qui- al. veritate

Digitized by

que jam non moritur & mors illi ultra non dominabitur, ob tuæ Paſſionis memoriã in myſterio tantæ oblationis immolatur. Ergo poſt tanti myſterii conſecrationem ſic veram Dominici Corporis Euchariſtiam me credo ſumere, ut tamen nullo modo negẽ in figura vel ſacramento eſſe: alioquin ſi abſque ſacramento Dei agnum dentibus vorari crederem; in magnum, ut ait Pater Auguſtinus, facinus incurrerem. Atqui eo uberiùs veritate fruor quo plenius figuram vel ſacramentum ineſſe illuſtrante ſancto Spiritu intueor. Hæc itaque, beatiſſime Pater, quæ dico quam pluribus ſanctorum Patrum dictis devotiſſime fulcirem, ni fateor, hujus Epiſtolæ prolixitatem formidarem. Tria ſolummodo eximiorum Doctorum teſtimonia, inferam, quatenus vobis ſatisfaciam me vel optimè credere vel ſolerti vigilantia vel ſagaci perquiſitione hæc indagaſſe captoque intelligentiæ lance penſaſſe. Beatus namque Cyprianus ad populum in eo opere ubi de hoc ſapido gaudio loquitur: *Hoc accipite*, inquit, *in pane quod pependit in ligno, & hoc accipite in calice quod manavit ex latere.* Hæc eadem verba & ſenſa egregius locutor Auguſtinus in ſermonibus ad Neophitos locutus eſt. Sanctus verò Ambroſius in eo libro quem de ſacramentis edidit, ait: Quia ipſa eſt caro Chriſti in ſacramento & ſanguis, quæ in cruce pependit & fluxit de latere & quæ ex Virgine Maria ſumpta eſt. & non alia, inquit, ſed ipſa. Ecce Pater G. habes veraciſſima veraciſſimorum teſtimonia. Si autem te ſcire delectat quomodo alii Patres noſtri hæc eadem ſentientes concordent: quære quòd beatus Hilarius in octavo libro de Trinitate commendat, quæ os aureum Papa Gregorius in dialogorum libro quarto confirmat. Quæ ſanctiſſimus Cyrillus cl. Patribus qui in Epheſo ſunt congregati prædicat, quæ Magnus Leo Papa in ſermone ſeptimi menſis diſputat. Quæ divinæ legis interpres Hieronymus in expoſitione Exodi pronũtiat: quæ venerabilis Beda in ſermone ſuo ventilat: quæ Paſchaſius vir Catholicus in libro de eodem Sacramento clarificat. Quæ Auguſtinus in libro de Verbis Domini, quæ in expoſitione Johannis Evangeliſtæ ſermone 26. quæ in natali innocentum, quæ in Epiſtola ad Bonifacium Epiſcopum, quæ in libro quinto de doctrina Chriſtiana, & quæ in trigeſimi tertii Pſalmi titulo prædictus Pater Auguſtinus examinãdo diſputat, ventilendoque examinat; ſi diligẽter quæſieris, invenies procul dubio ut dixi omnes concordare, & nullatenus diſcordare. Revera qui ab ubertate domus domini inebriantur, nihil mirum ſi eadem ſãctè & purè & mellito gutture eructare gloriantur. Cæteris ſuper his quæ te, Pater, jubente pro mea quantulacumque facultacula pectore pleno fiduciæ dixi humiliter, obſecro ne mireris ſi garrula Ariſtotelicorum vel Criſippeorum argumenta trutinare, vel ex flumine Tullianæ eloquentiæ rivulum ducere nec perpendis, ſed memento quia ſimpliciter fructus carpimus in divino hortulo, quorum radices glorioſè fixæ ſunt in cœlo. Vale.

EPISTOLA CVII.

Ex Mſ. S. in S. Remigii Remen.

Sanctus Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus: de Corpore & Sanguine Domini.

NOta qui tota humana natura in anima & corpore erat corrupta: oportuit ut Deus qui veniebat utrumque liberare, utrique uniretur; ut anima hominis per animam Chriſti, & Corpus per Corpus Chriſti competenter redimeretur. Ideo etiam in Altari ad utrumque repræſentandum panem & vinum apponimus, ut per panem Corpus factum, & dignè a nobis acceptum noſtrum corpus Corpori Chriſti in immortalitate & in impoſſibilitate conformandum credamus quandoque; & ſimiliter virum in ſanguinem converſum & à nobis acceptum, animas noſtras animæ Chriſti credamus conformes fieri, & præſenti quodammodo dum à peccatis prout poſſumus, abſtinemus, & maximè in diſſolutione animæ & corporis cum in beatitudine in qua ipſa Chriſti anima eſt, animæ noſtræ conſtituentur. Et cùm anima Chriſti per aliquid corporeum repræſentanda eſſet, nihil inventum eſt in omnibus corporalibus rebus per quod vicinius repræſentaretur, quam per Sanguinem qui ſedes eſt animæ. Non tamen intelligendum eſt quod in Sanguinis acceptione ſolam animam non etiam Corpus, vel in acceptione Corporis ſolum Corpus, non etiam animam ſuſcipiamus: ſed in acceptione Sanguinis totum Chriſtum Deum & hominem, & in acceptione Corporis ſimiliter totum accipiamus. Et quamvis ſeparatim Corpus, ſeparatim Sanguinem: non tamen bis, ſed ſemel Chriſtum accipimus immortalem & impaſſibilem. Sed iſte mos ſeparatim accipiendi inde in Eccleſia inolevit, quod Chriſtus in Cœna cum Diſcipulis ſeparatim dedit, ut per hoc intelligerent ſe animæ & Corpori Chriſti debere conformari. Aqua cum viro in Sacramento ideo apponitur, ut aqua quæ cum Sanguine de latere Chriſti fluxit repræſentaretur, quæ aqua ſignificat Baptiſmum in quo populus per effuſionem Sanguinis innovatur. Quare autem Corpus Chriſti cum ſit inviolabile & incorruptibile, qua ratione hoc eſſe poteſt ut dentibus atteratur & etiam à ſoricibus corrodatur. Sed ſecundùm diffinitiones ſanctorum Patrum eſt intelligendum panem ſuper altare poſitum per illa ſolemnia verba in Corpus Chriſti mutari, nec remanere ſubſtantiam panis & vini, ſpeciem tamen intelligendum eſt remanere; formam ſcilicet, colorem & ſaporem: ſecundùm ſpeciem remanentem quædam ibi fiunt quæ nullomodo ſecundùm hoc quod eſt poſſunt fieri, ſcilicet quod atteritur, quod uno loco concluditur, & à ſoricibus roditur & in ventrem trajicitur. Ideo autem quod non eſt apparet, & quod eſt celatur; quia ſi quod eſt videretur, animus humanus abhorreret. Secundum verò ſpeciem poteſt accipi æqualiter à fideli & ab infideli. Fideles tamen alio ſingulari modo accipiunt, ſcilicet cum ſint conformes Chriſto per innocentiam, & per aſſumptionem Corporis & Sanguinis Deo conformes efficiuntur, & in præſenti virtutes eorum augmentantur, & liberum arbitrium confortatur, & in futuro maximè dum immortalitate & impaſſibilitate, ſicut & ipſe, induentur. Ad quam conformitatem recipiendam illa acceptio Dominici corporis multotiens celebratur. Quo modo accipiendi infideles omnes omnino carent. Non tamen negandum quod ipſi mali veram ſubſtantiam Corporis Chriſti accipiunt: quod quidam abhorrent propter eorum immunditiam, & Corporis Chriſti dignitatem. Sed illa res tam digna eſt per ſe, ut nec propter dignum locum dignior ſit vel mundior, nec ab immundo vaſe aliquid trahat immunditiæ, ut Auguſtinus teſtatur in libro quarto de Baptiſmo, de Corpore Domini indignè ſumpto: ſicut Judas cui buccellam panis tradidit Dominus, non malum accipiendo, ſed malè accipiendo, locum in ſe diabolo præbuit: ſic indignè quiſque ſumens Dominicum Sacramentum, non efficit ut quia ipſe ſumens malus eſt, malum ſit Sacramentum, aut quia non ſalutem accipit, nihil accipiat. Corpus enim & Sanguis Domini nihilominus erat in illis quibus dicebat Apoſtolus: *Qui manducat indignè, judicium ſibi manducat & bibit.* Non eſt quærendum quid fiat de Corpore: Deus enim conficit ſicut ſcit. nec dubitare debet aliquis quomodo panis in verum Corpus Chriſti convertatur, ita ut panis ſubſtantia

non remaneat, cùm multa alia non minùs miracula videamus quia hominem ſubſtantialiter in lapidem, ut uxorem Loth, vel etiam in parvo artificio hominis fœnum in vitrum. Iterum ſi homo ſuæ mutationis artificio poteſt ita aliquid diſſimulare, ut aliud videatur ab illo quod ſit, multò magis Deus poteſt hoc efficere, ut cùm Corpus ſuum ſit panis, videatur hæc immolatio Corporis, ut Auguſtinus teſtatur, quotidie vertitur, licet Chriſtus ſemel paſſus ſit, quia quotidie peccamus, ſine quibus peccatis mortalis infirmitas vivere non poteſt; & ideo quia quotidie labuntur, Chriſtus quotidie myſticè pro nobis immolatur. Intra Catholicam Eccleſiam in myſterio Corporis Chriſti nihil a malo minùs accipitur, nec à bono Sacerdote majus, quia non in merito conſecrantis, ſed in verbo efficitur Creatoris & in virtute Spiritus ſancti; ſi enim eſſet in merito Sacerdotis, nequaquam ad Chriſtum pertineret. Nunc autem ſicut ipſe eſt qui baptizat, ita ipſe eſt qui per Spiritum ſanctum hunc panem in ſuam Carnem & vinum faciat transfundi in Sanguinem.

EPISTOLA CVIII.

Reverendo Patri, & Domino, Anſelmo ſanctæ Cantuarienſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, ſervus & Filius ſuus, Frater Giſlebertus, Weſt-Monaſterii Cœnobii curator & ſervus: proſperam in hac vita diuturnitatem, & beatam in futura æternitatem.

¶ Paternitati tuæ, *&c.*

Hæc habetur infrà in Appendice, & eſt loco Prologi ad Giſleberti Dialogum contra Judæos.

Digitized by Google

APPENDIX OPERUM

S. ANSELMI CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI,

EA CONTINENS QUÆ NON CONSTAT ESSE ILLIUS,

ET QUÆ CONSTAT ILLIUS NON ESSE.

Digitized by Google

ELUCIDARIUM, SIVE DIALOGUS, SUMMAM TOTIUS CHRISTIANÆ THEOLOGIÆ COMPLECTENS.

PRÆFATIO.

SÆPIUS * rogato à condiſcipulis quaſdam quæſtiunculas enodare, importunitati illorum non fuit facultas negando obviare præſertim * me tuenti illo elogio multari, ſi creditum talentum mallem in terra * ſilendo occultari. * Job enim dicit]: *Divitias, quas devoravit, extrahet Deus de ventre ejus*, quas abſcondit a verbi Dei famem patiente. Et ut labor meus non ſolùm præſenti proficiat ætati ; diſputata curavi ſtilo tranſmittere poſteritati : rogans ut quicunque ſtuduerit his legendo incumbere, pro me ſatagat Deo preces effundere. Titulus itaque operi, ſi placet, * *Elucidarium* præfigatur : quia in eo obſcuritas diverſarum rerum elucidatur. Nomen autem meum ideo volui ſilentio contegi, ne invidia tabeſcens * juberet utile opus contemnendo negligi : Quod tamen lectòr poſtulet ut in cœlo conſcribatur, * ne aliquando de libro viventium deleatur. Fundamentum igitur Opuſculi ſupra petram, id eſt, Chriſtum jaciatur : & tota machina quatuor * firmis columnis fulciatur. Primam columnam erigat Prophetica auctoritas : Secundam ſtabiliat Apoſtolica dignitas : Tertiam roboret Expoſitorum ſagacitas : Quartum figat Magiſtrorum ſolers ſubtilitas. *

al. rogatum

al. metuens

al. omet.

Job. 20. v. 15.

al. Elucidarium

al. fuit juberet

al. nec

al. firmiter

al. id eſt ſublimitas.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Quid ſit Deus : & quomodo unus ac trinus, ſolis comparatione oſtenditur.

DISCIPULUS.

GLORIOSÈ Magiſter, rogo ut ad * inquiſita mihi ne pigriteris reſpondere, ad honorem Dei, & utilitatem * Eccleſiæ.

al. Inquiſitam

al. ſanctæ

MAGIST. Equidem faciam, quantùm mihi vires ipſe dabit : nec me labor iſte gravabit.

D. Dicitur quòd nemo ſciat quid ſit Deus : & valde videtur abſurdum adorare quod neſciamus. Ab ipſo * ergo exordium ſumamus : & in primis dic mihi quid ſit Deus.

al. amic.

M. Quantùm homini licet ſcire, * Deus eſt ſubſtantia ſpiritualis, tam ineſtimabilis pulchritudinis, tam ineffabilis ſuavitatis, ut Angeli, qui ſeptuplo ſolem ſua vincunt pulchritudine, jugiter deſiderent in eum inſatiabiliter proſpicere.

al. quid ſit Deus. Deus

D. Quomodo intelligitur Trinitas unus Deus ?

M. Aſpice ſolem, in quo ſunt tria ; ſcilicet, ignea ſubſtantia, ſplendor, & calor : quæ in tantùm ſunt inſeparabilia, ut ſi velis inde ſplendorem ſegregare, prives mundum ſole ; & ſi iterum calorem tentes ſejungere, careas ſole. In ignea igitur ſubſtantia intellige Patrem, in ſplendore Filium, in calore * accipe Spiritum ſanctum.

al. omit.

CAPUT II.

De nominibus Patris, Filii, & Spiritus ſancti.

DISCIPULUS.

QUare vocatur Pater ?

M. Quia ipſe eſt fons & origo, à quo omnis

Digitized by Google

procedunt: cujus ſapientia Filius appellatur.

al. dicitur Filius? D. Quare * Filius?

M. Quia ut ſplendor à ſole, * ità à Patre generatur. Amborum autem amor Spiritus ſanctus nuncupatur.

D. Quare Spiritus ſanctus?

M. Quia de utroque æternaliter procedens, quaſi ab eis ſpiratur. Illa itaque vis Divinitatis, quæ omnia creando patrat, Pater vocatur: illa autem, quæ omnia continet ne in nihilum diſſolvantur, Filius appellatur:

al. qui verò omnia * illa verò, quæ omnia inſpirando vivificat & ornat, Spiritus ſanctus nuncupatur. Ex Patre omnia, per Filium omnia, in Spiritu ſancto omnia. Pater memoria, Filius intelligentia, Spiritus ſanctus voluntas intelligitur.

al. in Patre poſcatur D. Cùm omnipotentia & ſumma clementia * de Patre prædicetur; quare non mater vocatur?

M. Quia generatio principaliter de Patre procedit.

D. Cùm verò veritas, vel ſapientia, de Filio dicatur; cur non filia appellatur?

al. Ideo quod M. * Quia Filius ſimilior eſt Patri, quàm filia.

D. Cur Spiritus ſanctus amborum Filius non dicitur; ut unus eſſet Pater, alter mater?

M. Quia ſimul & æqualiter àb utroque procedit, & ipſe eſt vinculum totius Divinitatis.

CAPUT III.

De Dei habitatione ac loco.

DISCIPULUS.

UBi habitat Deus?

M. Quamvis ubique potentialiter, tamen in intellectuali cœlo ſubſtantialiter.

D. Quid eſt hoc?

M. Tres cœli dicuntur: unum corporale, quod à nobis videtur: aliud ſpirituale, * in quo ſpirituales ſubſtantiæ, ſcilicet * Angeli inhabitare creduntur: tertium intellectuale, in quo Trinitas ſancta à beatis facie ad faciem contemplatur.

al. quod al. ſancti vel Angeli

D. Quomodo dicitur Deus in omni loco totus eſſe, * & ſimul & ſemper, & in nullo loco eſſe?]

al. omit.

M. In omni loco totus eſſe ideò dicitur, quia in nullo loco * impotentior eſt, * quàm in alio: ut enim in cœlo, ſic * potens eſt in inferno. Simul eſſe dicitur, quia eodem momento, quo in Oriente, eodem cuncta diſponit in Occidente. Semper autem in omni loco eſſe prædicatur, quia in omni tempore cuncta moderatur. In nullo loco eſſe dicitur; quia locus eſt corporeus: Deus autem incorporeus, & ideò illocalis. Idcircò nullo loco continetur, cùm ipſe contineat omnia: *in quo vivimus, move[illegible] & ſumus.* * In hoc enim differt Deus ab aliis creaturis ſpiritualibus, quæ proprietate ſubſtantiæ finiuntur, & loco tenentur: ut, Angelus, qui aſſiſtebat Apoſtolo in Aſia oranti, non eodem tempore ſimul adeſſe poterat alibi. Locale enim eſt, quod cùm alicubi totum eſt, non poteſt ſimul eſſe alibi. Illocale verò eſt, quod ſimul eſt ubique totum; & hoc ſolius Dei proprium.

al. potentior al. pluſquam al. potentior

Act. 17 v. 28. al. omit.

CAPUT IV.

De Dei ſcientia; & locutione.

DISCIPULUS.

SCit Deus omnia?

M. In tantùm, ut omnia præterita, præſentia, & futura quaſi coram poſita proſpiciat. Et antequam mundum crearet, omnium prorſus & Angelorum & hominum nomina, mores, voluntates, dicta, facta, & cogitationes, ac ſi præſentialiter * adeſſent, præſcivit: undè Græcè θεὸς id eſt, omnia videns, dicitur.

al. omit.

D. Qualiter Deus loquitur Angelis, & hominibus?

M. Angelis, * interna * inſpiratione; hominibus verò, per Angelos.

al. divina al. aſpiratione

D. Cùm Deus ſine initio fuerit; nunquid credendum eſt quòd ante creatum mundum * quaſi ſolitariam vitam duxerit?

M. Scriptum eſt; *Quod factum eſt, in ipſo vita erat.* In quo * patet omnem creaturam ſemper fuiſſe viſibilem in Dei prædeſtinatione, quæ poſtea viſibilis ipſi * creaturæ apparuit in creatione: ut artifex, qui vult conſtruere domum, priùs tractat quomodo velit quæque diſponere, & machina, quæ poſt ſurgit in ædificio, priùs ſtabat in ingenio. Unde Deus dicitur non eſſe antiquior ſuâ creaturâ, tempore, ſed dignitate.

Joh. 1. v. 3.

al. ipſi Creatori & aliis creaturis.

CAPUT V.

Cur & quomodo conditus mundus; & quatenus omnia Deum ſentiant.

DISCIPULUS.

QUæ cauſa fuit ut crearetur mundus?

M. Bonitas Dei: ut eſſent quibus gratiam ſuam impertiret.

D. Qualiter eſt factus?

M. *Ipſe dixit, & facta ſunt* omnia.

Pſ. 148 v. 5.

D. Dixit ſono verborum?

M. Dei dicere, eſt Verbo, id eſt, in Filio omnia creare: ut dicitur: *Omnia in ſapientia feciſti.*

Pſ. 103. v. 24.

D. Fuit mora in creando?

M. In ictu oculi, id eſt, quàm citò poſſis oculum aperire, * vel potiùs quàm citò acies aperti oculi poſſit lumen ſentire.]

al. omit.

D. Creavit per partes?

M. Omnia ſimul & ſemel fecit: ut dicitur; *Qui manet in æternum, creavit omnia ſimul.* Diſtinxit autem omnia per partes ſex diebus; tribus elementa, & tribus ea quæ ſunt infra elementa. Primâ itaque die fecit diem æternitatis, ſcilicet, ſpiritualem lucem, & omnem creaturam ſpiritualem. Secundâ die * cœlum, quod ſpiritualem creaturam ſecernit à corporali. Tertia die creavit mare & terram. Aliis tribus diebus, * fecit quæ infra ſunt:] prima die fecit diem temporalitatis, ſcilicet, Solem, & Lunam, & ſtellas in ſupremo elemento, quod eſt ignis. Secunda die in medio elemento, quod eſt aqua, piſces & volucres. Et piſces quidem in * craſſiori parte aquæ reliquit: volucres autem in tenuiorem partem aquæ *, quæ eſt aer, ſuſtulit. Tertia die beſtias & hominem de ultimo elemento, id eſt, de terra condidit.

Eccl. 18. v. 1.

al. die ſpirituale ſecernit à corporali

al omit.

al. craſſiorem partem al. omit.

D. Sentiunt elementa Deum?

M. Deus nihil unquam fecit, quod inſenſibile ſit. Quæ enim ſunt inanimata, nobis quidem ſunt inſenſibilia & mortua; Deo autem omnia vivunt, & omnia Creatorem ſuum ſentiunt. Cœlum quippe eum ſentit; quia ob ejus juſſum * inceſſabili ſemper revolutione circuit, unde dicitur: *Qui fecit cœlos in intellectu.* Sol & Luna * & ſtellæ eum ſentiunt: quia loca ſui * curſus * invariabiliter ſervando repetunt. Terra eum ſentit: quia ſemper certo tempore fructus & * gramina producit. Flumina eum ſentiunt: quia ad loca unde fluunt, ſemper redeunt. Mare & venti eum ſentiunt; quia ei * imperanti mox quieſcendo obediunt. Mortui eum ſentiunt; quia ad ejus imperium * illico reſurgunt. Infernus eum ſentit: quia quos devorat, eo jubente reddit. Omnia bruta animalia Deum intelligunt: quia legem * ab eo ſibi inſitam jugiter cuſtodiunt. *

al. inſtabili

Pſ. 113. v. 5.

al. incommutabiliter

al. germina

al. hæc tamen omnia per miniſteria Angelorum fiunt

Digitized by Google

CAPUT VI.

De Angelorum electione, atque nominibus.

DISCIPULUS.

QUid est quod dicitur: factum est *Vesperè & manè?*

M. Vesperè est finis jam consummati imò ordinati operis: manè autem, incipientis vel potiùs ordinandi operis.

D. Aperriùs omnia edissere.

M. Primò igitur Deus, ut præpotens rex, constituit sibi præclarum palatium, quod dicitur regnum cœlorum, deinde * hunc mundum, in quo exitialem * lacum, id est, infernum constituit. Ad quod palatium prædestinavit quendam certum numerum electorum milium, quem nec * liceret excedi, & quem nec ſe esset compleri. Porrò hunc numerum voluit constare ex Angelis & hominibus. Ipsum autem numerum determinavit in decem; novem quidem ordinibus Angelorum, & * decem hominum.

al. Deinde exercerem, id est, hunc ad. locum ad. liceat

al. decimo

D. Quare novem Angelorum?

M. Propter Trinitatem: in novenario enim numero ternarius tertiò fit repetitus.

D. Quare uno hominum?

M. Propter unitatem: ut unitas in Trinitate ab Angelis & hominibus laudaretur, coleretur, adoraretur.

al. nolult eorum ex Angelis constare

D. Cur numerum electorum * voluit ex Angelis & hominibus constare?

M. Duas principales creaturas fecit Deus: unam spiritualem, alteram corporalem. Voluit igitur ab utraque laudari: de spirituali ab Angelis, de corporali ab hominibus.

D. Quando facti sunt Angeli?

M. Cùm dictum est, *Fiat lux.*

D. Dixit hæc verba Deus?

M. Non: sed per hæc verba illorum sublimis natura nobis insinuatur, dum lux vocantur.

Ps. 103. v. 4. al. flammam

D. Quæ est natura Angelica?

M. Spiritualis ignis, ut dicitur: *Qui facit Angelos suos de flamma ignis.*

D. Habent nomina Angeli?

M. Tanta scientia est in Angelis, ut non indigeant nominibus.

D. *Michaël*, *Gabriel*, *Raphaël*, non sunt nomina?

M. Magis sunt agnomina: quia ab accidenti sunt eis ab hominibus imposita,* cùm ea non habeant in cœlis propriaunde & primus Angelus ab accidenti *Satbael*, id est, Deo contrarius, nomen accepit.

al. eis non sint

CAPUT VII.

De casu diaboli & satellitum ejus.

DISCIPULUS.

IN quo fuit Deo contrarius?

al. Angelos

M. Cùm videret se omnes * Angelorum Ordines gloria & decore præcellere, spretis omnibus voluit Deo æqualis, imò major, existere.

D. Quomodo major, vel æqualis?

M. Meliorem statum, quam ei Deus dedisset, voluit Deo invito arripere, & aliis per tyrannidem imperare.

D. Quid tunc?

M. De palatio est propulsus, & in carcerem retrusus; & sicut priùs pulcherrimus, ita post factus est nigerrimus: qui priùs splendidissimus, postea tenebrosissimus: qui priùs omni honore laudabilis, post omni horrore execrabilis.

D. Præscivit casum suum?

A M. Minimè.

D. Quamdiu mansit in cœlo?

M. Non plenam horam *; in veritate enim non stetit: quia mox ut creatus est, cecidit.

al. horam in veritate stetit Hic malunt aliqui verius legi.

D. Quare diutius ibi non fuit?

M. Ne aliquid de interna dulcedine gustaret, qui tam * maturè sibi tantam majestatem usurparet.

al. immaturè

D. Quid alii peccaverunt?

M. * Ei consenserunt.

al. quia ei

D. Qualiter?

M. Placuit eis ejus extollentia; * & erant cogitantes si Deo prævaluisset, ipsi aliis præferrentur in potentia.

al. omitt.

D. Quid evenit eis?

M. Cum eo projecti sunt principes eorum in exitialem * lacum, id est, in infernum: alii in hunc tenebrosum aërem, in quo tamen, ut & in inferno, * ardentes luunt supplicium.

B al. locum al. ardent.

D. Quare non omnes in infernum?

M. Ut electi per eos probentur, & magis coronentur: reprobi autem per eos seducantur, & in extremo examine cum eis æterno incendio tradantur.

CAPUT VIII.

Cur qui ceciderunt non adjiciant ut resurgant; & cur non redempti, aut facti impeccabiles.

DISCIPULUS.

C QUare non sunt reversi?

M. Non potuerunt.

D. Quare?

M. Quia sicut nullo instigante ceciderunt, ita nullo adjuvante surgere debuerunt: quod erat eis impossibile. Et aliud eis oberat, quia * sua sponte malum elegerunt, justè ablata est eis voluntas totius boni: & * ideo non volunt: & quia nolunt, nunquam redire * poterunt.

al. sicut sua al. jam al. possunt

D. Cur non redemit eos Christus, sicut homines?

M. Angeli sunt omnes pariter creati; non ab uno Angelo, sicut homines ab uno homine, nati. Ideo si

D Christus ab uno Angelo naturam Angelicam * sumeret, illum solum redimeret, & alii extra redemptionem remanerent: nec illum solùm redimeret, cùm mori non * posset. Deus enim pro satisfactione non nisi mortem voluit; Angeli autem immortales sunt: ideò * irreparabiles permanserunt.

al. susceperit al. potuisset al. Irrecuperabiles facti sunt

D. Quare non creavit eos Deus tales, ne peccare possent?

M. Propter justitiam; ut aliquod meritum illorum esset, quod justè remunerari debuisset. Si enim ita creati fuissent, ut peccare non possent: quasi ligati essent, & inde meritum non haberent; * quia coacti hoc facerent. Dedit * enim Deus eis liberum arbitrium, ut sua sponte & vellent & possent eligere bonum, & * si hoc voluntariè eligerent, * justè in remunerationem acciperent, ne unquam peccare possent.

al. quod quasi coacti facerent al. ergo al justam remunerationem

E D. Cùm Deus præsciret eos tales futuros; quare creavit eos?

M. Propter ornamentum sui operis. Ut enim pictor nigrum colorem substernit, ut albus vel rubeus pretiosior sit; sic collatione malorum justi clariores fiunt.

D. Cur non creavit alios Angelos pro eis?

M. Alii Angeli non debuerunt pro eis restitui * sive creari, nisi tales essent, quales illi fuissent; si permansissent non visa ulla pœna peccantium; quod erat impossibile: nam ut illi peccaverunt, mox in pœnas proruerunt.

al. omitt.

CAPUT IX.

De dæmonum scientia & potestate; & bonorum Angelorum confirmatione, forma, & datibus.

DISCIPULUS.

SCiunt dæmones omnia?

M. Ex Angelica natura ineſt eis plurima ſcientia; non tamen ſciunt omnia. Et quantò illorum natura
al. omit. eſt ſubtilior hominum * natura; tantò in omnibus artibus peritiores ſunt, quàm ullus hominum. Futura neſciunt, niſi quantum ex tranſactis colligunt, vel quantum Deus eos facit ſcire. Portò cogitationes & voluntates nemo ſcit niſi Deus, & cui * ipſe voluerit revelare.

al. omit. * D. Sæpe mala cogitatio pro perfecto opere nuncupatur: Num hæc ab illis ignoratur?

M. Imagines phantaſmatum à ſe immiſſas ab animabus concipi, & in cogitationibus formari conſpiciunt: quia animas, quæ lux ſunt, mox quædam tenebræ obtegunt. Species autem virtutum à Deo immiſſas & in mente conceptas non vident: quia ut noſter aſpectus jubar ſolis, ita ipſi fulgorem juſtitiæ ferre non prævalent. Juſtos autem nequaquam tentarent, ſi ſe ab eis ſuperati ſcirent.]

D. Poſſunt omnia quæ volunt?

M. Bonum quidem nec volunt, nec omnino poterunt. Ad malum verò valde efficaces ſunt; non tamen tantùm quantùm volunt, ſed quantùm à bonis Angelis permittuntur.

CAPUT X.

De bonorum Angelorum confirmatione, forma, ſcientia & poteſtate.

DISCIPULUS.

QUid dicis de bonis Angelis?

M. Poſt lapſum illorum ita confirmati ſunt, ut nunquam cadere nec peccare poſſint.

D. Quid eſt, non poſſint?

M. Nunquam velint.

al. omit. D. Cur non etiam illi * ſimiliter ſunt confirmati?

M. Non tam diu expectaverunt.

al. malorum al. juſtorum * D. Num caſus * illorum fuit cauſa confirmationis * iſtorum?

M. Nequaquam: ſed meritum ipſorum. Cùm enim viderent illos malum ſuperbiendo eligere; indignati ſunt, & ſummo bono fortiter inhæſerunt: unde continuò in remuneratione confirmationem acceperunt; & qui priùs de ſua beatitudine incerti erant, tunc facti ſunt certi.

D. Qualem formam habent Angeli?

M. Quodammodo Dei. Ut enim imago ceræ imprimitur ſignaculo, ſic expreſſa eſt in eis Dei ſimilitudo.

D. Quæ ſimilitudo?

M. In eo quòd ſunt lux, quòd ſunt incorporei, & omni pulchritudine decorati.

D. Sciunt omnia, vel poſſunt omnia?

M. Nihil eſt in rerum natura quod eos lateat, cùm in Deo omnia conſpiciant. Sanè omnia quæ facere volunt, ſine difficultate poterunt.

CAPUT XI.

De hominis formatione; & quomodo ſit parvus mundus & ad imaginem Dei.

DISCIPULUS.

NOnne caſus malorum minuit numerum bonorũ?

al. etiam vel equidem M. * Non: ſed ut compleretur electorum numerus, homo decimus eſt creatus.

A D. Unde?

M. De ſpirituali & corporali ſubſtantia.

D. Unde * corporalis? al. corporali

M. De quatuor elementis: unde & microcoſmus, id eſt, minor mundus dicitur: habet namque ex terra carnem, ex aqua ſanguinem, ex aëre flatum, ex igne calorem. Caput ejus eſt rotundum, in cœleſtis ſphæræ modum: in quo duo oculi ut duo luminaria in cœlo micant: quod etiam ſeptem foramina, ut ſeptem * cœli harmoniæ ornant. Pectus, in quo flatus & tuſ- al. cœlum
ſis verſantur, * ſimulat aërem, in quo venti & toni- al. ſimulant aerẽ
trua concitantur. Venter omnes liquores, ut mare omnia flumina recipit. Pedes totum corporis pondus, ut terra cuncta, ſuſtinent. Ex cœleſti igne viſum, ex ſuperiore aëre auditum, ex inferiore olfactum, ex aqua guſtum, ex terra habet tactum. * Participium al. Partem
B duritiæ lapidum habet in oſſibus, virorem arborum in unguibus, decorem graminum in crinibus, * ſenſum al. ſenſus
cum animalibus: hæc eſt ſubſtantia corporalis.

D. Unde ſpiritualis? al. ſpiritualis ſubſtantia.

M. Ex ſpirituali igne, ut creditur, in quo imago & ſimilitudo Dei exprimitur.

D. Quæ imago vel ſimilitudo?

M. Imago in forma accipitur, ſimilitudo in qualitate * exprimitur, vel quantitate conſideratur. Divini- al. omit.
tas conſiſtit in Trinitate; hujus imaginem tenet anima, quæ habet memoriam per quam præterita meminit habet intellectum quo præſentia & inviſibilia intelligit, habet voluntatem quâ mala reſ- al. malum
puit & bona eligit. In Deo conſiſtunt omnes virtutes:
C hujus ſimilitudinem habet * anima, quæ capax eſt al. vel tenet
omnium virtutum. Et ſicut Deus comprehendi non poteſt ab omni creatura, cùm ipſe comprehendat omnia; ita anima à nulla viſibili creatura poteſt comprehendi, cùm ipſa omnia * viſibilia comprehendat: non al. Inviſibilia
enim poteſt cœlum ei obſiſtere, quin cœleſtia tractet; non abyſſus, quin infernalia cogitet: hæc eſt ſubſtantia ſpiritualis.

D. Formavit eum Deus manibus?

M. Juſſu tantùm. Per hæc verba innuitur nobis ejus fragilis natura.

D. Quare de tam vili materia creavit eum?

M. Ad dedecus diaboli, * & excuſationem Dei: al. omit
ut ſi fortè tentatus caderet, diabolus per hoc Deo non inſultaret; ſi autem non ſuperaretur, diabolus] plus
D confunderetur; cùm hîc * fragilis & limus & luteus * in- al. fragilitas
traret gloriam, de qua ipſe glorioſus ecciderat. al. intret

D. Unde nomen accepit?

M. Cùm eſſet minor mundus, accepit nomen ex quatuor climatibus mundi, quæ Græcè dicuntur anatole, dyſis, arctos, meſembria *: quia genus ſuum al. Adam
quatuor partes mundi impleturum erat. In hoc * etiam al. enim
ſimilitudinem Dei * habuit: ut ſicut Deus præeſt om- al. habet
nibus in cœlo; ſic omnibus homo præeſſet in terra.

CAPUT XII.

De animalibus ad hominis bonum conditis.

DISCIPULUS.

E CUr creavit Deus animalia, cùm his non indigeret homo?

M. Præſcivit eum Deus peccaturum, & his omnibus indigiturum.

D. Cur creavit Deus muſcas & culices, * & alia al. & pulices
* quæ ſunt homini nociva? al. talia

M. Tantam diligentiam exhibuit Deus in muſcis & al. pulicibus
formicis, & * culicibus formandis, * quantam in al. vel cteandis
* aliis. al. Angelis creandis

D. Ad quid talia? al. Miſericordia ſua atque omnia

M. * Omnia ad laudem gloriæ ſuæ. Muſcæ quidem al. & pulices
& * culices, & his ſimilia propter ſuperbiam hominis al. condita
ſunt * condita: ut cùm eum pungunt, quid ſit cogi-

Digitized by Google

al. miseris al. quamvis et omnia à Deo fabricata sunt

tet qui nec vermiculis * minimis resistere valet. * Unde & Pharaonem non ursi, non leones vastaverunt, sed culices, muscæ, & cinyphes. Formicæ autem, sive aranèæ, vel talia quæ instante operibus, ideò sunt creata, ut de eis sluggi & pii laboris exempla sumamus. Omnis itaque Dei creatio consideràti magna est delectatio, dum in quibusdam sit * decor, ut in floribus; in aliquibus medicina, ut in herbis; in quibusdam pastus, ut in frugibus; in quibusdam significatio, ut in vermibus & avibus. Omnia igitur sunt bona, & propter hominem creata.

al. pulchritudo & decor

CAPUT XIII.

De Paradiso in quo homo à Deo locatus est, & formata mulier: & cur uterque peccabilis.

DISCIPULUS.

UBi Adam est creatus?

M. In Hebron, ubi etiam pòst mortuus est & sepultus: & positus est in Paradiso *.

al. ipsoreato

D. Quid est Paradisus, vel ubi?

M. Locus amœnissimus in Oriente, in quo arbores diversi generis contra varios defectus erant consitæ: verbi gratiâ, ut si homo congruo tempore de uno comederet, nunquam amplius esuriret, congruo tempore de alio, nunquam amplius sitiret; si de alio verò, nunquam lassaretur. Ad ultimum, si de ligno vitæ uteretur, non amplius senesceret, non infirmaretur, nunquam moreretur.

D. Ubi fuit creata mulier?

M. In Paradiso, de latere viri dormientis.

D. Quare de viro?

M. Ut sicut in carne una, ita per dilectionem esset cum eo in mente una.

al D. Qualis erat die sumptus? M. Extasis spiritus namque in eos item patriarchas cum caput, ubi Christum & Ecclesiam de se nascituros vidit; unde evigilans mox ut illos prophetavit al. ut si al. & è conversò

D. * Cur non sunt omnes electi simul creati, ut Angeli?

M. Voluit in hoc etiam Deus habere Adam sui similitudinem; ut sicut ab ipso omnia, ita omnes homines nascerentur ab illo: unde & Eva ab illo.

D. Quamobrem non creavit eos Deus tales, ut non possent peccare?

M. Propter majus meritum. Si enim tentati non consensissent; mox ita firmati essent, ut nec ipsi nec posteri eorum unquam peccare possent. Voluit ergo Deus ut bonum eligerent liberè, & istud acciperent in remuneratione *.

CAPUT XIV.

De generatione in statu innocentiæ; & pluscula de eo statu, & de tentatione ac casu primorum parentum.

DISCIPULUS.

QUaliter gignerent, si in Paradiso permansissent?

M. Quemadmodum manus manui, ita sine concupiscentia jungerentur: & sicut oculus se levat ad videndum *; ita sine delectatione illud sensibile membrum suum perageret officium.

al. quæ competunt

D. Quali modo pareret mulier?

M. Sine sorde, & absque dolore.

al. ita ut

D. Esset infans ita debilis, & non loquens, * ut nunc?

M. Mox ut nasceretur ambularet, & absolutè loqueretur: & contra singulos defectus de lignis ibi positis uteretur, & præfixo à Deo tempore de ligno vitæ ederet, & sic in uno statu postmodum permaneret.

D. Quamdiu debuerunt esse in Paradiso?

M. Usquequò implererur numerus Angelorum qui ceciderunt; & ille numerus electorum, qui erat A implendus si Angeli non cecidissent.

D. Quomodo posset Paradisus eos omnes capere?

M. Sicut nunc generatio * per mortem præterit, & generatio per vitam advenit; ita tunc parentes * in meliorem statum assumerentur: filii verò eorum præfinito tempore (quod creditur circa triginta annos) post esum ligni vitæ suis posteris cederent, & ad extremum omnes pariter in cœlis Angelis coæquarentur.

al. omnes ea- loco al. post generationem al. ea

D. Erant nudi?

M. Nudi erant: & non plus de illis membris, quàm de oculis erubescebant.

D. Quid est quod dicitur: Post peccatum viderunt se esse nudos: quasi ante hoc non viderint?

M. Post peccatum mox per concupiscentiam in invicem exarserunt; & in illo membro exorta est confusio, unde humana * procedit * propago.

B

al. omit. pro- cedit al. propaga- tio al. filio

D. Cur in illo membro plus quam in * aliis?

M. Ut scirent quòd tota posteritas illorum eodem crimine obnoxia teneretur.

D. Viderunt Deum in Paradiso?

M. Viderunt per assumptam formam, ut Abraham & alii Prophetæ.

D. Quare seduxit eos diabolus?

M. Propter invidiam: invidit enim illis, ne ad honorem illũ pervenirẽt, de quo ipse superbus cecidisset.

* D. Per quid invenit aditum tentandi? al. omit.

M. Per superbiam: voluit enim homo in propria potestate manere, quoniam dixit: in abundantia mea non movebor in æternum.]

D. Cur permisit Deus hominem tentari, cùm sciret eum superari?

M. Quia præscivit quanta bona de ejus peccato esset C facturus.

* D. Quomodo seduxit eos? al. omit.

M. Per serpentem.]

D. Locutusne est serpens?

M. Diabolus locutus est per serpentem, ut hodie loquitur per obsessum hominem, & quemadmodum Angelis locutus est per asinam: cùm nec serpens, nec asina scirent quid per eos verba * sonarent. al illa

D. Quare magis per serpẽ, ẽ, quàm per aliud animal?

M. Quia serpens tortuosus est & lubricus: & diabolus, quos seduxit, tortuosos & lubricos facit: tortuosos fraudulentiâ, lubricos luxuriâ.

D. Fuit scientia boni & mali in illo pomo;

M. Non in pomo, sed in * transgressione. Ante peccatum * enim homo scivit bonum & malum: bonum, per experientiam, malum, per scientiam: post peccatum autem scivit malum per experientiam, bonum * tantùm per scientiam. al transgressionem al autem solum al. vero

D

D. Nascerentur mali in Paradiso?

M. Tantummodo electi.

D. Quare nunc mali nascuntur?

M. Propter electos, ut exerceantur per illos *. al. & probentur ut aurum in fornace.]

CAPUT XV.

De eorum expulsione à Paradiso: & de gravitate peccati ob quod expulsi sunt.

DISCIPULUS.

E QUamdiu fuerunt in Paradiso?

M. * Septem horas. al. sex

D. Cur non diutius?

M. Quia mox ut mulier creata est, confestim etiam est prævaricata: tertiâ * horâ vir creatus imposuit nomina animalibus: horâ sextâ mulier formata continuò de vetito pomo præsumpsit, viroque mortem porrexit, qui ob ejus amorem comedit: & mox horâ nonâ Deus de paradiso eos ejecit. al. verò

D. Quid fuit Cherubim, vel flammeus gladius?

M. Gladius fuit igneus murus, * quo post peccatũ circũdatus est paradisus: Cherubim verò Angelica custodia, ut & ignis corpora * arceret; Angelicus autẽ spiritus à al. omit. al. arceret al. ne ignis corpora tabescerent

Digitized by Google

D. Quò ivit tunc Adam?

M. In Ebron est reversus, ubi & creatus est: ibique filios procreavit. * Occisum autem Abel à Caïn centum annos luxit, & Evæ amplius copulari noluit. Sed quia Christus à maledicto semine Caïn noluit nasci; per Angelum admonitus Evæ iterum est sociatus, & pro Abel est Seth genitus, de cujus stirpe est Christus natus. Volo te etiam scire quod a tempore Adæ usque ad Noë non pluit, & Iris non fuit, & homines carnes non edebant, & vinum non bibebant: eratque totum tempus quasi vernalis temperies, copiaque omnium rerum: quæ omnia post immutata sunt propter peccata hominum.

al. occiso autem Abel à Caïn centum annos vixit

D. Quid peccavit homo quòd expulsus est de paradiso?

M. Sicut Deus esse concupivit: & ideò contra ejus præceptum de interdicta arbore comedit.

D. Quid magni * fuit comedisse pomum?

al. vel mali al. grave aut grande periculum

M. Tam grave piaculum fuit, ut toto mundo redimi non posset.

D. Hoc proba.

M. Justum ne tibi videtur, ut homo obediat divinæ voluntati?

Hic consule varias lectiones.

* D. Nihil justius, quàm ut omnis creatura rationalis nihil præponat voluntati Creatoris.

M. Ergo voluntas Dei major est quàm totus mundus?

D. Utique?

M. Si igitur tu stares coram Deo, & aliquis diceret tibi; Respice retro, aut totus mundus interibit: diceret autem Deus, Nolo ut retro respicias, sed * me respicias: deberes tu Deum contemnere, qui est Creator omnium rerum, & gaudium Angelorum, ut liberares transitorium mundum?

al. in me

D. Minimè.

M. Hoc * Adam fecit: coram Deo stetit, & diabolo * inclamante, retro respexit, & majus peccatum quàm mundus esset commisit.

al inclinante vel infligente

D. Quomodo majus?

M. Quia sex criminalia flagitia in hoc uno crimine commisit, quibus * sex ætates suæ posteritatis * morti involvit.

al omit. al. omit.

D. Quæ fuerunt illa?

M. Primum superbia fuit, cùm Deo æqualis esse voluit: & ideo factus est omnium infimus, qui fuit omnibus prælatus, de hac dicitur: *Immundus est coram Deo omnis qui exaltat cor suum.* Secundum inobedientia extitit, cùm mandatum Dei præterivit: & ideò facta sunt ei omnia inobedientia, quæ priùs erant subjecta, de hac dicitur: *Quasi scelus est ariolandi, nolle obedire.* Tertium avaritia erat, cùm plus quàm concessum fuerat concupivit: & ideò omnia concessa justè amisit, de hac dicitur per Apostolum: *Avaritia est idolorum servitus.* Quartum erat sacrilegium, cùm vetitum in sacro loco per furtum subripuit: & ideò de sacrario excludi meruit, de hoc dicitur: *Qui prophanat sancta, à sanctis exterminabitur.* Quintum fuit spiritualis fornicatio: Anima enim illius erat Deo conjuncta; sed cùm, spreto Deo, diabolum admisit, quasi cum extraneo adulterium commisit: & ideò veri sponsi amicitiam * amisit, de hac dicitur: *Perdes omnes qui fornicantur abs te.* Sextum: homicidium perpetravit, * quo se & omne genus humanum in mortem præcipitavit, de hoc dicit Moyses: *Qui occiderit, morte morietur,* * morte scilicet æterna: unde & in interiori homine mox est mortuus, & jacuit in sepulchro corporis sepultus.

Exod. 16. v. 15.

1. Reg. 15. v. 23.

Eph. 5. v. 5. al. quasi

al. & consortium Psal. 72. v. 27 al. quòd

Levit. 24. v. 17. al. omit.

D. Nonne ille miser à nequissimo spiritu & mendacissimo erat seductus?

M. Etiam: sed non ideò minùs fuit noxius. Si enim quis servo suo opus injungeret, & monstraret ei foveam ne intus caderet, de qua surgere non posset: ille verò contempto domino sponte in foveam caderet, & injunctum opus inactum remaneret, non esset reus?

D. Imò duplici culpa esset obstrictus: una, qua Dominum contempsit: alia, qua se ad injunctum opus * impotem fecit.

al. Impotentem

M. Ita fecit Adam: Deum contempsit, opus obedientiæ deseruit, foveam mortis incidit.

CAPUT XVI.

De satisfactione Deo exhibenda pro ea injuria.

DISCIPULUS.

QUali modo oportuit eum reverti?

M. Honorem, quem Deo abstulit, reddere debuit; & pro peccato quod fecit, satisfacere. Valde enim justum est ut qui alii sua abstulit, & ablata restituat & pro injuria illata satisfaciat.

D. Quid abstulit Adam Deo?

M. Totum quod proposuit in sua * Curia de * ejus generatione facere.

al curia de suo genere

D. Qualiter debuit ablatum honorem reddere?

D. Diabolum ita vincere, ut ipse victus est ab eo; & seipsum omnesque prædestinatos ad vitam tales restituere, quales futuri erant si permansissent.

D. Qualiter autem debuit satisfacere?

M. Quia peccatum majus mundo commisit; aliquid majus mundo Deo solvere debuit.

D. Horum neutrum ulla ratione potuit facere.

vide varias lectiones.

M. Ideò in morte permansit.

D. Et cur penitus non periit?

M. Statutum Dei immutari non potuit: proposuit enim ex genere Adæ electorum numerum complere.

D. Quid ergo?

M. Quia debitum honorem Deo non solvit; Deus ab eo invito accepit, cùm eum pœnis subegit.

D. Quomodo honor Dei est pœna hominis?

M. Quia quem dulcem patrem, ut filius, in gloria habere contempsit; hunc suum Dominum in tormentis, ut rebellis servus, sensit.

D. Cùm solvere vellet, & non posset; cur Deus, cùm misericors sit, non ei dimisit, aut talem in gloriam sumpsit?

M. Si Deus ideò ei suum honorem dimitteret, quia habere non posset; impotens * esset: Si autem peccatorem hominem impunitum in gloriam assumeret, unde Angelum pro una cogitatione extrusisset; injustus esset. * Porro si peccatum impunitũ remaneret, aliquid in regno Dei inordinatum esset:] Sed in regno ejus nihil inordinatum relinquitur: peccator ergo puniri debuit. Quis enim gemmam de cœno sublatam in thesauros suos recondat non purgatam?

al. videretur

al. omit.

D. Ad quem finem ergo debuit devenire?

M. Quoniam transfuga servus * cum furto domini sui ad sævissimum profugerat tyrannum; filius Regis missus est de palatio in carcerem post exulem servum, qui tyrannum contereret, & fugitivum servum cum rebus domini sui in gratiam Regis reduceret.

al. & Fugitivus

D. Quare homo redire potuit post lapsum?

M. Quia sicut non per se, sed per alium impulsus cecidit: ita dignum erat, cùm per se non posset, & vellet, ut per alium adjutus resurgeret.

CAPUT XVII.

Necessitas Incarnationis Verbi ad eam satisfactionem exhibendam.

DISCIPULUS.

CUr non misit Angelum, ut eum redimeret?

M. Si * Angelus hominem redimisset; tunc * illius servus esset: homo autem sic restitui debuit, ut æqualis Angelis esset: Et aliud oberat: Angelus in sua natura invalidus erat hominem redimere; si autem ho-

al. per Angelos al. illius

Digitized by Google

mo fieret, minùs posset.

D. Quare non creavit Deus alium hominem de terra, * ut mitteret eum pro perdito?

al. & misit.

M. Si novum hominem Deus creasset & misisset; tunc ad genus Adæ redemptio non pertineret: de suo enim genere debuit esse, qui pro homine satisfaceret.

D. Cur non misit Deus Patriarcham, vel Prophetam?

al. omit.

M. Patriarchæ & Prophetæ in peccatis concepti * & nati erant; & ideò genus humanum redimere non poterant. *

al. pro quibus & ipsi redimendi erant. al. solvere al. non potuit nec debuit, al. non debuit nec potuit al. facta al. quâ Deus al. vicit.

D. Evolve * cætera.

M. Quia igitur Angelus redimere * non debuit, & homo per se satisfacere * non potuit: Dei Filius, per quem facta sunt omnia, ut & redemptio per illum fieret; assumpsit plenum hominem: & in duabus naturis * factus est una persona. Et in illa natura, * quæ Deus erat, vicit diabolum, ut ipse * vicerat hominem; & omnibus prædestinatis cœlum aperuit, & Angelis coæquavit: quod solus Deus facere potuit. In ea autem natura, qua homo fuit, pro injuria majus * mundo tolvit, cùm mortem indebitam subiit: quod solus homo debuit facere.

al. malèdicto mundo

CAPUT XVIII.

Cur Verbum sit incarnatum, & ex Virgine, & in temporis plenitudine.

DISCIPULUS.

BEnedictus sermo oris tui, qui de cœlis mihi deduxit filium Dei. Sed dic mihi cur Filius sit incarnatus, & non Pater, nec Spiritus sanctus?

M. Si Pater, aut Spiritus sanctus incarnaretur; duo Filii in Trinitate computarentur: unus Filius Virginis, qui esset incarnatus; alter Filius Dei. Et alia causa erat, Filius est similitudo Dei: Angelus autem & homo assumpserant sibi similitudinem Dei. Debuit ergo ille incarnari, cui * specialiter injuria facta fuerat: ut istũ misericorditer salvaret, illum justè damnaret. Aliud etiam: Quia omnia per Filium, ideò & redemptio per eum.

al. Spiritualiter

D. Cur voluit nasci de Virgine?

M. Quatuor modis facit Deus homines. Uno modo absque patre & matre; * sed de terra, ut Adam: Secundo modo de solo viro, ut Evam. Tertio modo de viro & fœmina, ut quotidie nascuntur * omnes. Quarto modo de sola * fœmina, quod privilegium Christo soli reservatum est: ut sicut mors per fœminam virginem intravit in mundum; ita per fœminam * virginem vita intraret, quæ mortem excluderet.

al. scilicet

al. omnes homines per mundum al. Virgine. al. omit.

D. * Cur non venit mox illo tempore ante diluvium, vel post diluvium?

al. Cur de Maria, & non ab alia? M. Quia hæc prima in mundo virginitatem vovit Deo. D. Cur non al. omit.

M. Si ante diluvium venisset; dicerent homines illius temporis non fuisse necesse eum venisse, cùm ipsi à parentibus suis omnia bona didicissent, qui nuper * de paradiso essent, & à Deo & ab Angelis ejus omnia edocti essent. Si autem mox post diluvium venisset; dicerent Deum Noë & Abrahæ locutum fuisse, & omnia agenda vel vitanda ab eis didicisse.

D. Quare non venit tempore legis?

M. Si tunc venisset; dicerent Judæi se copiosè à lege instructos, Gentiles verò à Philosophis se abundè edoctos.

D. Cur non distulit usque * circa finem mundi?

al. ad

M. Tunc pauci eum imitarentur, & electorum numerus non impleretur. Necesse ergo fuit eum venire, quando venit plenitudo temporis.

D. Quod fuit illud tempus?

al. præscivit

M. Quod * præfixit Deus ante tempora sæcularia, scil. cùm Judæi se magis lege gravari quàm relevari ingemiscebant: & Gentiles relicto naturali usu contra naturam turpiter vivebant; & cùm neque Sacerdos, neque Levita subveniret: necesse erat ut verus Samaritanus adveniret, qui semivivum jumento sui corporis imponeret, & ad stabulum supernæ curiæ perduceret.

CAPUT XIX.

De nativitate Christi circumstantiis, & patratis in ea mirabilibus.

DISCIPULUS.

QUomodo potuit nasci sine peccato de massa peccatrice?

M. Ab initio Deus quosdam qui se familiariùs colerent de aliis segregavit, de quibus Virgo quasi de linea * producta pullulavit; quæ velut olim virga arida sine humore florem, ita sine concupiscentia mundo edidit Salvatorem.

al. deducta

D. Qualiter genuit eum?

M. Sine sorde, & sine dolore. Clausâ enim januâ thalamum uteri introivit, humanam naturam sibi conjunxit; clausa portâ, ut * verus sponsus de thalamo processit.

al. ut speciosus

D. Cur novem menses fuit clausus in utero?

M. Ut homines, qui erant clausi in miseriis hujus mundi, sive inferni, reduceret ad consortium novem ordinum Angelorum.

D. Qua hora natus est?

M. Media nocte, ut dicitur: *Dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet: Sermo tuus à regalibus sedibus venit.* Sapien. 18. v. 14.

D. Cur nocte?

M. Primo, quia occultus venit: deinde ut eos qui in nocte erant erroris, ad lucem perduceret veritatis.

D. Scivit aliquid Christus infans?

M. Omnia planè, ut puta Deus, *in quo fuerunt omnes th sauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Coloss. 2. 3.

D. Potuit ambulare, vel loqui, mox ut natus est?

M. Secundùm potentiam utrumque potuit: sed humanam naturam * per omnia absque peccato imitari voluit.

al. omninò

D. Contigit aliquid miri, eo nascente?

M. Septem * specialia miracula.

al. spiritualia

D. Quæ fuerunt illa?

M. Stella nimis præfulgida apparuit. Circulus aureus, vel purpureus, circa Solem claruit Fons olei de * terrâ erupit. Pax maxima fuit. Universus orbis ad censum est descriptus. * Numerus ad triginta millia hominum, qui Dominum recusarunt, est una die occisus: & animal brutum locutum est.

al. petra

al. multi, qui Dominum recusarunt, sunt una die occisi, & animalia bruta loquebantur

D. Vellem horum mystica audire.

M. Stellæ significant sanctos: Stella igitur præclara illuxit, quia Sanctus Sanctorum venit. Circulus aureus vel purpureus circa Solem fulsit; quia Sol justitiæ auro suæ Divinitatis Ecclesiam illustrare, & * purpura suæ passionis coronare venit. Oleum significat misericordiam. Fons olei de * terra fluxit, quia fons misericordiæ de Virgine manavit. Pax ingens extitit, quia pax vera in terris apparuit. Mundus ad censum est descriptus, quia ad supernum regnum chrismate est signatum humanum genus. Qui * Dominum recusarunt, occisi sunt, quia qui dixerunt: *Nolumus hunc regnare super nos*, disperierunt. * Pecus loquebatur, quia ad laudem Dei populus gentium convertebatur.

al. ad purpura sui sanguinis effusione al petra

al. Dominiũ Luc. 19.

al. populus

D. Omnia quæ desiderat cor meum audire, audio. * al. sed quando te, ubinam hæc reperiri! M. In mari magno, in quo sunt animalia quorũ non est numerus.

CAPUT XX.

De Magis: de fuga Christi in Ægyptum, & reliqua ejus vita usque ad Baptismum.

DISCIPULUS.

QUare attraxit tres Magos cum muneribus?

M. Quia tres partes mundi, scilicet Asiam, Africam, & Europam, fide & * operatione ad se trahere voluit. al. opere

D. Cur magis fuit in Ægyptum, quàm in aliam terram?

M. Ut ostenderet se verum Moysem: ut sicut Moyses populum Dei de Pharaone & Ægypto liberans, in terram duxit promissionis; ita ipse populum fidelium de diabolo & inferno liberans, ad regnum duxit beatitudinis: unde & post septem annos revertitur * ad terram Israël; quia per septem dona Spiritus sancti reduxit nos de mundo ad cœlestem Hierusalem. al. in

D. Quare in triginta annis nec docuit, nec * signa fecit? al. signum

M. Exempli gratiâ venit in mundum; ideò voluit prius facere, & * tunc docere: ut dicitur: *Quia cœpit* JESUS *facere & docere.* Per hoc igitur exemplum præbebat ne quis ante legitimam ætatem docere præsumat; vel priùs velit docere, quàm discat. al. postea Aller. in v. 1.

D. Cùm in eo fuerit plenitudo Divinitatis corporaliter, & nihil posset ei gratiæ accedere; cur est baptizatus?

M. Ut nobis aquas * baptismi * sanctificaret. al ad baptismū

D. Quare baptizatur in aqua?

M. Aqua contraria est igni. Quid est peccatum, nisi ignis: * Sicut in animo * ira, ita in carne concupiscentia, unde & igne supplicii punitur: * ut hic ignis extinguatur, in aqua baptizatur. Est & aliud. Aqua sordes diluit, sitim extinguit *, imaginem reddit: ita gratia Spiritus sancti in baptismate sordes peccatorum abluit, sitim animæ verbo Dei restinguit, imaginem Dei per culpam amissam restituit. al. consecutus al ficut enim ignis extinguitur aquâ, ita peccatum baptismo aquæ al. omit. ita al. Qui ignis his extinguitur cum Christus in aqua al. omit.

CAPUT XXI.

De Christi pulchritudine, passibilitate, & morte.

DISCIPULUS.

CUm scriptum sit de eo, *Speciosus formâ præ filiis hominum*: erat corpore pulcher? Psal. 44. v. 3.

M. Secundùm naturam talis fuit, qualis in monte discipulis suis apparuit. Sed quia homines ejus claritatem ferre non poterant, sub larva * apparuit; quia forma despicabilis fuit: unde dicitur, *Vidimus eum non habentem speciem, neque decorem.* al. non ita potentialiter Isa. 53. v. 2. & 3.

D. Erat passibilis & mortalis?

M. Passio, vel mors, peccati est pœna: sed ipse absque peccato venit, & sine peccato vixit: igitur secundùm naturam impassibilis & immortalis fuit: sed secundùm potentiam utrumque esse voluit, & passibilis, & mortalis.

D. Quare mortuus est? Philip. 2. v. 8.

M. Propter obedientiam, ut dicitur: *Factus est obediens patri usque ad mortem.*

D. Exigit ab eo mortem Pater?

M. Minimè. Cur occiderunt eum Judæi?

D. Hoc volo à te audire.

M. Quia justitiam vivendo, & veritatem docendo, indeclinabiliter tenuit; hanc obedientiam humanitas Divinitati debuit, hanc Deus ab omni rationali exigit creatura.

D. Quis unquam pater unicum & bonum filium occidi permittat, si prohibere queat?

M. Cùm Deus vidit Filium suum tam egregiũ opus A velle, scil. * sævum tyrannum expugnare, & captivum ab eo liberare; ad tam laudabile opus ei consensit, & eum mori permisit. al. omit.

D. Quomodo apud Deum justum fuit, quò optimum pro impiò dedit?

M. Quia pessimus * simplicem hominem seduxerat; justum erat ut optimus pro eo obses fieret, qui pessimum revinceret, & innocentem pristinæ libertati restitueret. Sed & tali modo charitatem suam Deus ostendit mundo, ut dicitur: *Ut servum redimeres, Filium tradidisti.* al. omit.

D. Si Pater tradidit Filium; ut dicitur: *Proprio Filio suo non pepercit, * sed pro nobis omnibus tradidit illum*: & si Filius seipsum tradidit, ut dicitur: *Qui tradidit semetipsum pro nobis*: quid peccavit Judas, qui etiam tradidit illum? Rom. 8. v. 32. Eph. 5. v. 2.

B M. Pater tradidit Filium, & Filius seipsum propter charitatem: Judas verò propter avaritiam.

D. Quare voluit mori in ligno?

M. Ut eum, qui per lignum vicit, revinceret: & illum, qui in ligno cecidit, redimeret.

D. Cur in cruce?

M. Ut quadrifidum mundum salvaret.

* D. Quamobrem permisit sibi quinque vulnera infligi? al. omit.

M. Ut redimeret humani generis quinque sensus à diabolo captivos.]

D. Valuit mors ejus ad exhaurienda omnium peccata?

M. Transcendit etiam infinitè.

D. Proba.

M. Si coram te Christus staret, & eum Dominum C majestatis scires, & aliquis diceret: interfice hunc, aut totus mundus interibit: interficeres eum, ut salvares mundum?

D. Nequaquam.

M. Quare?

M. Quia vita ejus longè dignior videtur, quàm infiniti mundi: & tale piaculum videret committere, quod innumeris mundis non posset expiari.

M. Sicut ergo vita Christi dignior est infinitis mundis; sic mors ejus * longè precioſior fuit innumerabilibus mundis; & ideo suffecit ad redemptionem omnium.

D. Quid dedit ei Pater pro hoc merito?

M. Quid daret ei; cùm sua essent omnia? uti dicitur: *Fili, omnia mea tua sunt.* Luc. 15. v. 31.

D. Non potuit ipse mercedem suæ mortis dare cui vellet? D

M. Potuit: ideò * eam dedit homini, pro quo hæc omnia sustinuit; pro passione, impassibilitatem; pro morte, immortalitatem; pro peregrinatione, patriam æternam.

CAPUT XXII.

Quid de humanitate partibus factum, dissoluta compositio.

DISCIPULUS.

QUot horas fuit mortuus? E

M. Quadraginta.

D. Quare?

M. Ut quatuor partes mundi, quæ in Decalogo erant mortuæ, vivificaret.

D. Qui crucifixerunt eum?

M. Quia pro Judæis & Gentibus mori voluit: Judæi mortem ejus consiliati sunt, Pagani verò crucifixerunt eum.

D. Cur jacuit in sepulchro duas noctes & unum diem?

M. Duæ noctes significant duas * nostras mortes; unam corporis: alteram animæ: dies significat suam mortem

al. unis quorum

mortem, quæ fuit lux noſtrarum mortium, * quarum unam abſtulit, alteram ad exercitium electis reliquit, quam denuò veniens exterminabit.

D. Quò ivit anima ejus poſt mortem?

M. In cœleſtem paradiſum, ut dixit ad latronem:

Luc 23. v. 43. *Hodie mecum eris in paradiſo.*

D. Quando ad infernum deſcendit?

M. Media nocte reſurrectionis; qua hora Angelus Ægyptum devaſtavit: eâ horâ, id eſt, media nocte; Chriſtus infernum deſpoliavit: * & cum triumpho inde rediens, raptos inde in paradiſum collocavit,* corpus ſuum in ſepulchro viſitavit, quod de mortuis excitavit. Quidam ſentiunt quò ab hora mortis uſque ad horam reſurrectionis in inferno cum electis fuerit: & inde cum eis * abiens reſurrexit. *

al. & noſtrum ut item illo in navit: ut dicitur & mox ut dies illuminabitur al. ſpiritus pus al. abſens al. nunc eſt eas tantùm fuit in inferno, ad devaſtavit, quantùm ad judicium venturus adhuc cujuſque examinabit, ut momento, in ictu oculi, id eſt, quàm cito potes oculum movere.

CAPUT XXIII.

De circunſtantiis reſurrectionis Dominicæ.

DISCIPULUS.

QUare non ſtatim poſt mortem reſurrexit?

M. Dicerent non eum mortuum fuiſſe, ſed in tormentis obſtupuiſſe. Si autem poſt multum temporis reſurrexiſſet; eſſet dubium an ipſe eſſet.

D. Cur ergo tam citò reſurrexit?

M. Ut citiùs ſuos conſolaretur, qui de ſua morte triſtabantur.

D. Quare in die prima hebdomadæ?

al. gradum ſuæ reſurrectionis ait. vel qua primus homo mortui in lethum inobediendo ſubſtraverat

M. Ut mundum ea die renovaret *, qua eum creaverat. *

D. Cur in tertia die ſuæ paſſionis?

M. Ut eos, qui tribus temporibus ante legem, ſub lege, & ſub gratia, in peccatis mortui erant, ſublevaret, & ut nos, qui factis, dictis, cogitationibus labimur, per fidem ſanctæ Trinitatis reſurgamus.

D. Ubi manſit illis quadraginta diebus?

M. In paradiſo terreno, ut creditur, cum Elia & Enoch, & cum iis qui cum eo ſurrexerant.

D. Qualem formam poſt reſurrectionem habuit?

M. Septies ſplendidiorem quàm Sol.

D. Quali formâ viderunt eum ſui?

M. Tali, ut antè conſueverant eum videre.

CAPUT XXIV.

De apparitionibus Chriſti poſt reſurrectionem.

DISCIPULUS.

APparuit eis veſtitus?

al. alterum

M. Veſtes ex aëre aſſumpſerat: quæ eo aſcendente, in * aëre evanuerunt.

D. Quoties apparuit?

M. Duodecies. Primo die octies; primò Joſeph ab Arimathia in carcere, in quo poſitus erat eo quòd eum ſepelierat, ut ſcripta Nicodemi declarant. Secundò Matri ſuæ, ut Sedulius manifeſtat. Tertiò Mariæ

Marc. 16 v. 9. Magdalenæ, ut Marcus aſſerit. Quartò duabus mu-

Mat. 28. v. 9 lieribus à ſepulchro revertentibus, ut Matthæus pan-

1. Corint. 15. v. 7. dit. Quintò Jacobo, ut Paulus teſtatur, qui ſe in ſexta feria devoverat non manducaturum donec videret

Luc 24. v. 4. Chriſtum vivum. Sextò Petro, ut Lucas narrat, qui propter negationem ab aliis ſegregatus in fletibus permanebat. Septimò, duobus diſcipulis in via Emaüs, ut idem Lucas refert. Octavò omnibus januis clauſis, ut

Joan. 20. v. 19. 26. & 27. Joannes deſcribit. Nonò in * octavo die, quando eum Thomas palpavit. Decimò ad mare Tiberiadis. Undecimò in monte Galilææ. Duodecimò recumbentibus undecim diſcipulis apparuit.

al. bona

Marc. 16. v. 9. D. Cur dicit Evangeliſta: *Apparuit primò Mariæ Magdalenæ?*

M. Evangelia cum ſumma auctoritate ſunt edita: ſed ſcribere Evangeliſtæ nolebant, niſi ea quæ omnibus nota erant, unde dicitur: * Multa & alia fecit Jeſus, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc, id eſt, in Evangelio. In aliis autem quædam, non tamen omnia inveniuntur: * quæ enim fidem excederent, ſcribere noluerunt. Unde reſuſcitationem Lazari, Johanne ſolo narrante, cæteri Evangeliſtæ tacuerunt.

al. multa quidem & alia itaque fecit

D. Num apparuit Dominus ipſa die in Galilæa?

M. In monte Sion locus vulgo Galilæa vocatur; quia ibi hoſpitari ſolebant qui de Galilæa Hieroſolymam venerant, in hoc & Dominus hoſpitium habuit, cum in grandi cænaculo cænavit; in hoc januis clauſis apparuit; in hoc & ſpiritum Sanctum miſit.

CAPUT XXV.

De aſcenſione & ſeſſione Chriſti ad dextram Patris: & quomodo ibi oret pro nobis.

DISCIPULUS.

AScendit ſolus?

M. Qui cum eo ſurrexerunt, cum eo etiam aſcenderunt.

D. Quâ formâ aſcendit?

M. Uſque ad nubes eâ formâ, qua ante paſſionem: ſuſceptus autem à nubibus, eâ qua in monte apparuit.

D. Quare non ſtatim aſcendit * poſtquam reſurrexit?

al. cùm ſurrexerat

M. Propter tres cauſas. Primò, ut ſui experimento diſcerent eum veraciter ſurrexiſſe, quem viderent manducare & bibere. Secundò, poſt quadraginta dies voluit aſcendere, ut demonſtraret eos, qui decalogum legis per quatuor Evangelia impleverint, poſt ſe cœlum aſcendere. Tertio, quod Eccleſia, quæ corpus Chriſti eſt, poſt paſſionem quam ſub Antichriſto erit paſſura, deinde poſt quadraginta dies creditur cœlum aſcenſura.

al. poſtò

D. Quid eſt Chriſtum in dextera Patris ſedere?

M. Humanitatem in gloria Divinitatis quieſcere.

D. Qualiter pro nobis interpellat Patrem?

M. Repræſentando * jugiter ſuam paſſionem.

al. pro nobis jugiter

CAPUT XXVI.

De miſſione Spiritus ſancti; & de Chriſti gaudio.

DISCIPULUS.

CUr non mox miſit Spiritum ſanctum, ſed poſt decem dies?

M. Ob tres cauſas. Primò, ut Apoſtoli jejuniis & orationibus ſe aptos ejus adventui præpararent. Secundò, quòd hi Spiritum ſanctum * percipient, qui decem præcepta explent. Tertiò, quòd in quinquageſimo die a reſurrectione: ut ſicut populus Dei poſt liberationem ab Ægypto quinquageſimo die accepit legem timoris; ita populus fidelium poſt liberationem ſuam à mundo, quinquageſimo die acciperet legem amoris. In jubilæo etiam anno, id eſt, quinquageſimo, recepit populus libertatem amiſſam & hæreditatem: ita in hac die recepit populus Chriſtianus amiſſam libertatem & paradiſi hæreditatem.

al. acceperunt

D. Habet Chriſtus nunc plenum gaudium?

M. Quodammodò habet, & quodammodò non habet: Quantùm ad ſuam perſonam, pleniſſimum; quantùm ad corpus ſuum, quod eſt Eccleſia, * minimè. Adhuc enim non ſunt ſubjecta omnia ſub pedibus ejus. A Judæis enim adhuc blaſphematur, a Gentibus ſubſannatur, ab hæriticis dilaceratur, à malis Chriſtianis impugnatur. * In membris etiam ſuis quotidie patitur. * Cùm hæc omnia ad ſe collegerit, tunc gaudium plenum habebit.

al. adhuc minimè al. a facerdotibus ſanctis dedium, & ob hoc publicè anathematizatus, vilipenditur Mſſ. hæc om.

CAPUT XXVII.

De mystico Christi corpore, hoc est Ecclesia.

DISCIPULUS.

QUomodo est Ecclesia corpus ejus, & electi membra ejus?

M. Ut corpus capiti inhæret, & ab eo regitur; ita Ecclesia per Sacramentum Corporis Christi ei conjungitur; imò unum cum eo corpus efficitur: à quo omnes justi in suo ordine, ut membra a capite, gubernantur. Cujus capitis oculi sunt Prophetæ, qui futura prævideruntː sunt & Apostoli, qui alios à via erroris ad lumen justitiæ deduxerunt. Aures, sunt obedientes. Nares, discreti. Phlegma, quod per nares ejicitur, sunt hæretici, qui judicio discretorum de capite Christi emunguntur. Os, sunt doctores. Dentes, sunt sacræ Scripturæ expositores. Manus, Ecclesiæ defensores. Pedes, sunt agricolæ Ecclesiam pascentes. Porrò
al. egeritur fimus, qui de ventre porcis * egeritur, sunt immundi & luxuriosi altaris ministri, & alii intra Ecclesiam facinorosi, qui ventrem matris Ecclesiæ onerant, quos per mortis egestionem dæmones, ut porci, devorant.
al. omn. * Quod totum corpus compage veritatis & charitatis in unum conglutinatur.

CAPUT XXVIII.

De Corpore Christi in Eucharistia.

DISCIPULUS.

QUare de pane Corpus ejus, & Sanguis ejus de vino conficitur?

M. Corpus ideo de pane, quia ipse dixit: *Ego sum*
Joan. 6. v. 35. & cæt. *panis vivus.* Sanguis autem ideo de vino, quia ipse
Joan. 15. v. 1. dixit: *Ego sum vitis vera.* Et sicut pane corpus nutritur; ita Christi cibo anima reficitur. Et sicut panis ex multis granis conficitur, ita Christi Corpus ex mul-
al. compagi- tis electis * colligitur. Et sicut panis igne coquitur, ita Christus in camino passionis affatur: Qui panis
al. omit. etiam dicitur caro, quia ut Agnus * pro nobis] immolatur. Vinum etiam ex multis acinis eliquatur, & in torculari exprimitur: ita corpus Christi ex multis justis compaginatur, * quod in prælo crucis torquetur: Quod
al. omis. vinum in Sanguinem * Christi vertitur, ut anima nostra, quæ in sanguine est, per hoc vivificetur.

D. Cùm species panis & vini videatur, quomodo Caro & Sanguis prædicatur?

M. Cùm verè sit illud quod Maria genuit, quod in
al. panis ideo cruce pependit, quod cœlos penetravit species * panis & vini remansit; ne tu, si purum (ut verè est) sanguinem de latere ejus stillantem cerneres, hunc labris attingere abhorreres: & ut majus meritum haberes, cùm
al. visa sed intellectu non visum sed intellectum crederes.

D. Quæ est salus in hoc?

M. Summa. Sicut enim esca in carnem comedentis vertitur; ita quisque fidelis per comestionem hujus cibi in corpus Christi convertitur. Igitur per fidem
al mundi * mundo, vitiis & concupiscentiis Christo * concrucifigimur: & in baptismate Christo consepelimur: * &
al. Christo crucifigimur al. igitur & cæt. ideo ter immergimur, per cibum Corporis ejus ei incorporamur: & ideò necesse est ut illuc, quò Christus
al. pertrans- feramur. est, * transferamur.

D. Habent plus sanctitatis, qui plus accipiunt?

M. Ut de manna dicitur, *Qui plus collegit, non plus*
Exod. 16. v. 18 *habuit: nec qui minus collegit: minus habuit*; ita omnes æqualiter sumunt: & unusquisque totum * Agnum
al Dei agnum al. & virtus. comedit; & * tamen integer in cœlo permanet.

CAPUT XXIX.

De dignè aut indignè communicantibus, aut sacrificantibus.

DISCIPULUS.

QUam mercedem habebunt qui hoc dignè tractant?

M. Duplici præmio remunerabuntur: unâ coronâ, quia hoc cum veneratione tractant; alterâ, quia se ad hoc dignis moribus coaptant, coronabuntur.

D. Quid de his sentis, qui hoc indignè & contra
* canonum statuta agunt?
al. Apostolica instituta tractant, al. publicè al. vel Ecclesias vendunt, aut Ordines emunt, vel sub specie sanctitatis alios decipiunt & al. in errorem ducunt alii, omit. B M. Qui contra jus fasque * in adulterio, fornicatione, & cæteris flagitiis vitam ducunt, * vel Ecclesias, vel Ecclesiasticos Ordines vendunt aut emunt, & pravo exemplo populum Dei * occidunt, & omnia hæc temerè defendunt, hi tales sunt Domini traditores simul & crucifixores.

D. * Proba.

M. Qua causa debent sacerdotes Missam celebrare?

D. Dei solius causâ & suæ salutis, atque totius Ecclesiæ.

M. Sed ipsi lucri causâ celebrant, ut videlicet ab hominibus honorentur, & tèporalibus rebus ditentur. Qui igitur mysterium passionis Christi pro favore humano & pro temporali lucro vendunt, quid aliud agunt * quam Dominum tradunt? Cùm verò sordidis
al. nisi quod manibus, & pollutâ conscientia, * illum tractare præsumunt, in cujus conspectu nec cœli mundi sunt, quid
al. & fornicaria celebratione al. nisi al. omit. aliud faciunt, * quàm Dominum crucifigunt?

C D. Potest populus ex eis * culpam trahere?

M. Cùm filii Heli polluerunt Domini sacrificium, totus penè populus cum eis subiit interitum, * quia faciebant contra legis Domini præceptum. Quanto magis hi qui Christiani vocantur, & ministri Christi
Mss. hæc om. Consule ejusdem sententiæ. esse videntur, & fornicationi ac luxuriæ subjacent, uxores ducunt, filios ac filias procreant, quod illicitum est, cùm manifestò ratũ teneat universa Ecclesia quod dictum est à Domino primo pastori, scilicet B. Petro, deinde successoribus ejus, videlicet Apostolicis viris, Archiepiscopis: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis:* ac in omnibus synodis sint excommunicati, & excommunicentur, polluuntur: dum admonentur, parvipendũt: dum excommu-
D nicantur, non est timor Dei in eis, sed deridentˌ & dicunt, *Hoc anathema super nos, & super filios nostros.*] Unde patet quòd quotquot cæci cæcos istos duces in foveam sequuntur, imò communicando eis
* cõmunicãtur, cũ iisdẽ etiam in * pœnis participãtur.
al. cõmittitur al pœnas
D. Quid si * inscii eis communicaverint?
al. justi M. *Qui tangit picem, inquinabitur ab ea.* Et ideò qui eis communicant, quamvis * inscii, tamen ab eis
al. ipsis al. contaminabantur, qui si respuerint, non erit timor nocebit. * contaminantur.

D. Quid si respuerint?

M. Non eis error eorum nocebit.

CAPUT XXX.

Malos sacerdotes verè Christi Corpus conficere, quamvis eorum oratio, & benedictio fiat in peccatum.

E DISCIPULUS.

COnficiunt Corpus Domini tales?

M. Quamvis damnatissimi * sint, tamen per
al. & injusti verba, quæ recitant, fit Corpus Domini: non enim * ipsi, sed Christus consecrat, & per amicos & inimi-
al. homo Mss. hæc amitto cos salutem filiis operatur: * illi ad perniciem sumunt, alii ad salutem accipiunt.] Unde & à pessimis non pejoratur, & ab optimis non melioratur: * Sicut solis
al. sic radius à cœno cloacæ non sordidatur, nec a sanctuario splendificatur.

D. Cùm ergo bonum ſit quod per eos conficitur, & accipientibus non ab eis, ſed à Chriſti detur: cur bonum accipienti in perniciem vertitur?

M. Bonum accipienti * non ſolùm non prodeſt, imò obeſt; ſi contra interdictum * hoc ab eo accipit, à quo non debet.

al. non ſolùm pro ſed ad. publicum

D. Proba.

M. In paradiſo nullum pomum erat malum, cùm * Deus fecerit omnia valde bona: ſed homo bonum in malum ſibi vertit, cùm hoc a ſerpente imò à diabolo percipere non ſprevit.

al Deus enim fecit

D. Si quis poſitus eſt * in mortis periculo, * num muniendus eſt ab his viatico?

al. eſt ab his in al. non

M. Si quis zelo juſtitiæ ab eis Communionem recipere renuerit, & ſe per * os Sacerdotum in unitate Eccleſiæ quotidie communicare non dubitaverit, hunc credo hac fide ſalvari ſi obierit: ſi quis verò eorum opera mala execrans, & bonum Chriſti venerans ſimpliciter * ab eis communicat, & hunc credo hac] fide ſalvari, quia & Joſeph Corpus Jeſu à Pilato infideli * petiit & accepit.

al. per os facer totius &c ecclesiæ. in vel per omnes ſacerdotes in al. omit.

al. omit.

* D. Poſſunt Deum * placare pro populo?

M. Imò magis offendunt. Suo enim ingreſſu loca ſacrata contaminant: veſtes ſacras & vaſa Deo dicata ſuo * tactu commaculant. * Hos abhorret Angelorum conventus, hos fugit ipſe Dominus, ut dicitur. *Provocaverunt eum filii ſui, imò non filii ſui in ſordibus: * idcò abſcondam faciem meam ab eis, dicit Dominus.* Filios, propter ſacerdotium, dixit: non filios, propter ſordes, ſubjunxit. Horum ſacrificium non ſuſcipit Dominus, ſed * abominatur, ut dicitur: *Sacrificium veſtrum odit anima mea, dicit Dominus: quia panem polluctum obtuliſtis mihi.* * Et iterum: *Ne offeratis ſacrificium fruſtra: Sacrificium veſtrum abominatio eſt mihi*] Corpus Domini cùm pollui nequeat, quantum in ipſis eſt *; polluunt, cum * illud indiſcretè velut alium * panem ſumunt. Oratio eorũ non ſuſcipitur, ſed fiet in peccatum, quia non exaudiet eos Dominus. Benedictio eorum in maledictionem convertitur, ut dicitur: *Convertam benedictionem veſtram in maledictionem, ait Dominus.* * Et alibi: *Noluerunt benedictionem, & elongabitur ab eis: elegerunt maledictionem, & veniet eis.*]

Conſule ver. ad illiteram. Deut. 32.

al. odio

Malach. 2. ver. 7.

al. omit.

al. omit.

al. cibum

al. omit.

al. omit.

D. Sumunt hi Corpus Domini?

M. Soli filii Dei accipiunt Corpus Chriſti, * qui Chriſto ſunt incorporandi, & Deum viſuri: hi autem, qui in Chriſto non manent, quamvis videantur ad os porrigere, Corpus * Chriſti non ſumunt, ſed judicium ſibi manducant & bibunt. * Corpus autem Chriſti per manus Angelorum in cœlum defertur, Carbo verò à dæmone in os projicitur, ut Cyprianus teſtatur.] Et quia hoc ſumunt negligenter * ut alium panem, & aliud vinum; vertitur eis in fel draconum, & * in venenum aſpidum inſanabile.

al. ad filiorem

al. Corpus tamen Chriſti ſumunt ſed ad judicium ſibi

al. omit.

al. omit.

D. Nonne Judas idem accepit quod Petrus?

M. Nequaquam: quia Petrus Dominum dilexit: ideò * accepto Sacramento cum Domino communicavit. Judas verò quia Dominum odivit, ſpeciem quidem panis accepit, ſed virtus Sacramenti in Chriſto remanſit: ideò poſt buccellam mox diabolus in eum introivit; * quamvis Judæ non corpus, ſed buccellam tantùm intinctam, * ſed non conſecratam dedit. * Petrus Domino adhærebat, & ejus verbis obediebat. Judas cum Domino corpore ambulabat, cum traditoribus ſpiritu & mente erat. Hi ergo dum cenſum debitæ ſervitutis Domino ſunt reddituri nocturnis laudibus, amplexibus delectantur illecebroſæ copulationis. Similiter dum pro ſe & pro commiſſis Deum placare debent officiis divinis, liberos alludunt & fovent in gremiis. Uſibus diligenter inſiſtunt ventrium, perquirunt mulieres, ut eorum liberi accuratiùs ſedeant vel ſtent in plateis. Ipſi Dominum ad iracundiam provocant his & hujuſmodi; ut dicitur: *Ipſi*

vide variat lectionis.

al. quoniam

al. ſcilicet Aſſ. hoc om.

Deut 32. ver. 21.

me provocaverunt in eo qui non erat Deus, & ego provocabo eos, &c.]

CAPUT XXXI.

Quomodo malis Sacerdotibus parendum, an ſolvere queant: & an vitandi.

DISCIPULUS.

ESt eis obediendum?

M. Ubi bonum præcipiunt; non eis, ſed Domino obediendum eſt: *dicunt enim, & non faciunt:* Ubi malum imperant, contemnendi ſunt; quia *obedire oportet Deo magis quàm hominibus.*

D. Poſſunt ſolvere vel ligare?

M. Si ab Eccleſia * publico judicio ſeparati non ſunt, quamvis ipſi * fortiter alligati ſint, utrumque poſſunt: quia non ipſi, ſed Chriſtus per eorum officium ligat & ſolvit: Si autem judicio Eccleſiæ fuerint excluſi, ipernendi ſunt ut * Ethnici. Quamdiu Judas cum Apoſtolis fuit, ut amicus apparuit; ut alii Apoſtoli, prædicavit, baptizavit, ſigna fecit: poſtquam ab eis receſſit, ut publicus hoſtis * claruit. Ita iſti quamdiu ſunt in communione Eccleſiæ, omnia Sacramenta per eos facta erunt rata: ſi excluſi fuerint, quæcunque egerint, erunt irrita. * Quia igitur ſunt lupi, à Chriſti ovibus ſunt fugiendi, ut dicitur: *Exite de medio illorum, populo meus, ne participes ſitis pœnis & tormentis illorum.*

al. publicè al. ipſi vinculo excommunicationis fortiter

al. hæretici

al. apparuit, Quod fecit & monuit, aliquo bos profuit, ſibi obfuit Ita al. nihil prodeſt eis intereſſe. Quia Eſa. 52. v. 11. al. non

D. * Numquid poteſt homo ſua propter eos relinquere?

M. Iſta ſeparatio non poteſt corporaliter fieri, * nec debet: quia ſi boni à malis ſeparantur, jam nemo ad bonum per eos convertitur. In quibuſdam tamen ſunt devitandi, præcipuè in convivio, & in ſervitio Dei, ut dicitur: *Cùm hujuſmodi nec cibum ſumere.* Fugiendi ſunt mente & voluntate, * ne conſentiatur operibus eorum.

al. omit.

1 Cor. 5. v. 11.

al. & opere, ne

D. * Qualiter fit conſenſus ad actus illorum?

M. Si illorum * malefacta laudantur, & ad perpetranda flagitia, conſilio * vel pecunia auxiliantur. Ideò non ſolùm qui faciunt, ſed & qui conſentiunt facientibus, digni ſunt morte. Itaque quamvis mali quamdiu ab Eccleſia publicè non ſunt ſegregati, non ſunt devitandi, niſi ſibi invicem omnes & Prælati & ſubditi ita in malo conſentiant, ut nullus eorum pravitatem arguat: tunc omnibus modis ſunt fugiendi, quia tunc cauſa fiunt ruinæ populi.

al. maledicta al opera, vel

CAPUT XXXII.

De culpa Prælatorum malis Sacerdotibus conniventium, deque non ordinandis Sacerdotum filiis.

DISCIPULUS.

QUid de paſtoribus eis conſentientibus?

Aſſ. totum hic Caput omit.

M. Legitur de Heli, quod quia filiis pravè agentibus conſenſerit, & eos tepidè ſuper tranſgreſſione corripuerit, mortem corporis incurrerit: ubi manifeſtè oſtenditur quia mortem, quam ille perpeſſus eſt in corpore, iſti patiuntur in anima. Ipſi peccata delinquentium fovent, quatenus ab eis temporalia ſtipendia percipiant, & ab æterna beatitudine ſecluſi pœnas æternas cum eis luant. Aliqui cùm paſtoris jura ſuſcipiunt, ad lacerandum ſubditos inardeſcunt: pecunias ab eis extorquent & diripiunt, & ſacri Ordinis per omnia infideles exiſtunt, ut dicitur: *Paſtores tui infideles, ſocii furum: ſequuntur munera, manum eorum plena rapina.*

Eſa 1. v. 16.

D. Sunt Ordinandi Sacerdotum filii?

M. Minimè. Canonum Decreta, & Sanctorum Patrum Conſtituta prohibent eos ad Sacros Ordines ac-

cedere, nec in Eccleſia aliquam Prælationem habere, quia ex fornicatione & tranſgreſſione ſunt procreati. Ex Patribus enim venenatis virus veneni trāſit in filios.

D. Proba.

M. Legitur in Geneſi quòd Deus Adæ præcepit ne comederet de ligno ſcientiæ boni & mali: at ille non de ligno, ſed de interdicti ligni fructu comedit, & veneno tranſgreſſionis omnem poſteritatem infecit. Hic igitur patet quia fructus venenati ligni à veneno inobedientiæ immunis non fuerit, quamvis fructum ligni comedere non vetuerit.

D. Quod eſt lignum *ſcientiæ boni & mali?*

M. Scientiæ divinarum Scripturarum, & ſecreta myſteriorum Dei: quod præcipuè ipſis commendatum
Luc. 8. v. 10. eſt, ut dicitur: *Vobis datum eſt noſſe myſterium Dei.*

D. Quod lignum mali?

M. Notitia ſæcularis, & abjectio mandatorum Dei, ut dicitur: *Malè facere ſciunt; benè autem nunquam.* Iſti quamvis ſint inferiores, volunt videri ſuperiores. Ambiunt honores; appetunt magis præeſſe, quàm ſubeſſe. Iſti ad ſacros Ordines nullatenus ſunt promovendi. Inter cæteros ſemper habeantur verecundi, & rejiciant pœnitendo venenum, quo à Patribus ſunt illecti, & reſipiſcant tali pudore cæteri Sacerdotes. Hi niſi reſipuerint pœnitendo ſecundùm modum culpæ, arbor cum radice exterminabitur ſine fine, ut di-
Pſ. 51. v. 7. citur: *Propterea Deus deſtruet te in finem*, id eſt, *uſque in finem: & evellet radicem tuam de terra viventium.*

CAPUT XXXIII.

Exitus vita malorum Sacerdotum: & an monendi, ac tolerandi.

DISCIPULUS.

DIc, quæſo, horum reproborum Sacerdotum & infidelium quis erit finis, vel cruciatus eorum?

M. Ut legitur: *Corrupti ſunt, & abominabiles facti* Pſal. 52. v. 1. Pſal. 48. v. 15
ſunt in operibus ſuis: ideò ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens. Ut oves, ſic & paſtores *in inferno poſiti* erunt: *mors depaſcet eos, quoniam Deus ſprevit eos.*]

D. Debent malis verba Dei dici?

M. Si ſciuntur *, non ſunt eis dicenda: quia proditor eſt qui eis, cùm ſint * hoſtes, referat Dei ſecreta; unde præcipitur: *Nolite ſanctum dare canibus, nec mittatis porcis margaritas, ne conculcent & * irrideant.* Ubi autem neſciuntur: propter electos, qui inter eos latent, convertendi ſunt, & ſermones Dei proferendi eis: ſicut Dominus non ceſſavit Petro & aliis ſalvandis verba ſalutis miniſtrare, quamvis ſciret Judam & Phariſæos inde ſcandalizando cruciari.

al. palam ille mali, non al. perverſi
Matt. 7. v. 6.
al. mordeant

D. Debent tolerari mali, cùm Chriſtus Judam tolerarit?

M. Mali in Eccleſia ſunt tolerandi, ſed non imitandi; quoaduſque ille cum ventilabro veniat, qui grana de paleis excutiat, & zizaniis igni traditis triticum in horrea ſua recondat.

D. Segreget te ab omni malo, & collocet te Deus, magiſter bone, in cœleſti gremio. Amen.

ELUCIDARII LIBER II.

CAPUT PRIMUM.

Quid ſit malum, & an à Deo.

DISCIPULUS.

ANIMA mea exultat in Domino, quòd deterſo ignorantiæ nubilo, tanto per te illuſtratus ſum ſcientiæ radio. Quæſo itaque, decus Eccleſiæ, ut liceat mihi adhuc aliqua inquirere.

M. Quære quæ vis, & audies quæ cupis.

D. Dicitur malum nihil eſſe: & ſi nihil eſt, valde mirum videtur, cur Deus homines vel Angelos damnet; cùm nihil faciant. * Si autem aliquid eſt, videtur a Deo eſſe, cùm omnia ſint ex ipſo: & ſequitur quòd Deus ſit auctor mali, & injuſtè * eos qui hoc faciunt, damnari.

al. vel feciſſe videantur.
al. eo modo

M. A Deo nempe ſunt omnia, & omnia fecit valde bona: & ideò malum probatur nihil per ſubſtantiam eſſe. Omnia autem quæ Deus fecit, ſubſiſtunt. Omnis verò ſubſtantia bona eſt: ſed malum non habet ſubſtantiam: ergo malum nihil eſt. Quod autem malum dicitur, nihil aliud eſt quàm ubi non eſt bonum: ſicut cæcitas, ubi non eſt viſus; & tenebræ, ubi non eſt lux: cùm cæcitas, & tenebræ non ſint ſubſtantiæ.
aff. harm. * Nota hæc tria. Creatura repoſita eſt in prædicamento ſubſtantiæ. Subſtantia eſt res omnium rerum, prædicamentorū in eſſe ſuo conſiderata. Natura dicitur omnis res in eſſe ſuo, præter ea quæ diſcordant à prima conſtitutione ſecundùm ſuas habitationes. Voluntas autē ſeu natura, quæ diſcordat à Creatore non remanet natura ſed perverſitas naturæ, & hæc talis dicitur peccatum. Factura ſpecies eſt in honore, id eſt, homo in animali, qui relicto naturali bono perverſa utitur voluntate. Hæc omnia ſecundùm divinos tria ſunt,
al. omit. Creatura, Natura, & Factura. * Creatura, ut elemen-
C ta: Natura, ut ex eis naſcentia: Factura, quæ homo, vel Angelus facit, vel patitur. * Qui malum faciunt patiuntur pœnas peccati. Hæc Deus non fecit, * ſed fieri permiſit: ut dicitur, *Deus mortem non fecit*] Peccatum autem nihil aliud eſt, quam quod præceptum eſt non facere; aut aliter quam præceptum eſt * agere: ſicut nec malum eſt aliquid, niſi bono, id eſt, gaudio carere. Quod ſaltem vocabulum habet à Deo, tali modo habet; cùm * ſit per illam ſubſtantiam, quam fecit Deus. Juſtè verò damnat eos Deus, id eſt non dat eis gaudium, qui non faciunt * vel aliter faciunt quàm ſit præceptum.

al. faciunt peccata
al. omit.
Sap. 1. v. 13
al. omit.
al. habent, ideo
al. cum ſit
al. omit.

D. Quis eſt auctor peccati?

M. Ipſe homo, * incentor verò diabolus.

al. inventor

CAPUT II.

Peccati gravitas, & quòd tandem cedat in Dei gloriam.

DISCIPULUS.

ESt grave peccare?

M. Minimum peccatum ſcienter commiſſum, gravius eſt toto mundo. Quidquid autem mali, vel peccati agitur, totum in laudem Dei vertitur: & ideò in omni creatura Dei nihil mali eſſe vel fieri comprobatur.

D. Quid dicis? homicidium vel adulterium non eſt peccatum?

al. bonum prædicamur

M. Homicidium ſæpe * dicitur bonum, ut occiſio

Digitized by Google

Goliæ à David, & Holofernis à Judith; quod tunc malum dicitur, cùm proprio impulsu perpetratur.

al. dicitur

Conjugiũ bonum * creditur: sed ideò malum est adulterium, quia aliter fit quàm sit concessum. Quæ tamen in laudem Dei vertuntur, cùm ab eo justè puniuntur.

al. injusti justè
al. suos bene

Sicut Imperator est laudabilis, qui milites suos * remunerat: ita est etiam laudabilis, imò laudabilior, qui prædones & latrones damnat. Ita utique sicut Deus in salvatione justorum glorificatur, sic in perditione impiorum per omnia laudatur.

Sap. 11. v. 25.

D. Cùm scriptum sit. *Nihil eorum odisti, quæ fecisti:* quomodo dicitur Deus amare bonos, malos odio habere?

M. Cuncta diligit Deus quæ creavit: sed non cuncta in uno loco locavit. Sicut pictor omnes colores diligit, sed quosdam præ aliis eligit, & unumquemque apto loco ponit; ita Deus unumquemque sibi convenienti loco disponit: ideo dicitur eos diligere, quos in cœlesti palatio recipit; illos odisse, quos in infernali carcere mergit.

CAPUT III.

De libero arbitrio, & retrocessione à bono.

DISCIPULUS.

al. id est, in potestate hominis esse, & velle & posse bonum vel malum. Hoc
al. ea
al. vel sæculum

QUid est liberum arbitrium?

M. Libertas eligendi bonum vel malum.* Hoc in Paradiso homo habuit liberum; nunc verò habet captivum: quia bonum non vult, nisi gratiâ Dei præveniatur; nec potest, nisi * eum subsequatur.

D. Quid dicis de his, qui sæculum * relinquunt, religionis habitum sumunt, & transacto aliquo tempore rejiciunt, & pejores quàm priùs fuerint fiunt? quidam verò aliqua bona incipiunt, postea deserunt, & ad iniquitatem redeunt.

al dicitur Job. 36. v. 13.

M. De his * dicit Job, *Simulatores & callidi provocant iram Dei.* Sæpe servus errantem filium ad patrem pertrahit, & ipse ad opus suum recedit: ita & isti electos ad Deum pertrahunt, & ipsi ad mala studia redeunt: Sic etiam timor * charitatem ad regnum

al omit.

ducit, & ipse non introibit. Sicut enim diabolus servit Deo, ita membra ejus serviunt electis etiam tali modo.

CAPUT IV.

Quomodo diabolus Deo serviat, & mali bonis.

DISCIPULUS.

QUomodo diabolus servit Deo?

M. Quia gloriosus princeps despexit esse in palatio; fecit eum Deus laboriosum fabrum in hoc mundo, ut * coactus totis viribus serviat, qui vacare Deo fruendo nolebat, * ut dicitur: *Faciam tibi eum servum sempiternum.* Cujus fabri caminus, est afflictio & tribulatio; folles, * sunt tentationes & suggestiones; * mallei & forcipes, sunt terrores & persecutores; * limæ vel serræ, sunt linguæ maledicentium & detrahentium. Tali camino & his instrumentis purgat ipse aurea vasa cœlestis regis: * hoc sunt electi, in quibus renovat imaginem Dei, reprobos autem qui contra regem agunt, ipse * torret & ut hostes punit. Tali modo servit diabolus Deo,

al. coactus
al. unde dicitur Job 40. v. 23.
al. folles & mallei
al. Principes
al. limæ ferreæ
al. hæc.
al. ipse torror ut hostis peribit vel torror ut hostes punit vel torror ut hostes perimit.

D. Qualiter serviunt membra diaboli electis?

M. Cùm eos trahunt ad regnum simulatione, vel impellunt adversitate. Simulatione quidem eos trahunt; cum bona exterius simulant, quæ interius non amant. Tunc filii Dei adhuc in errore positi, per eorum exempla, bona arripiunt, quæ toto corde diligunt: & cùm illi bona deserunt, quæ non amaverunt; isti firmiùs in cepto bono * persistunt: ut olim cùm mali Angeli ceciderunt, boni firmiùs steterunt. Adversitate autem eos impellunt, cùm eis temporalia, quæ plus justo diligunt, auferunt, & eis ne carnalia desideria implere prævaleant, obsistunt. Unde diabolus & mali utiles, imò necessarii comprobantur, cùm per eos electi examinati ad cœlestia deportantur.

al. inhærebunt

* D. Quid dicis de præsbyteris qui Ecclesias lucri gratiâ dimittunt, & alias accipiunt?

al. omit.

M. Lupi sunt, Apostatæ & latrones, seorum & eorum ad quos veniunt deceptores, imò traditores.]

CAPUT V.

Quare vita impiorum prosperatur, & in annos plurimos: non sic autem vita piorum, nisi quandoque.

DISCIPULUS.

CUr mali hîc divitiis affluunt, potentiâ florent, sanitate vigent: econtra boni inopiâ tabescunt, à malis injustè opprimuntur, debilitate marcescunt?

M. Propter electos his redundant mali, ut hæc * boni despiciant quibus florere etiam pessimos vident. Divitiis autem mali abundant, primò ut mala quæ concupiscunt, justo Dei judicio explere per pecuniam valeant: Secundò ut si qua bona fecerint, per hæc remuneretur. Omnia enim quæ faciunt, pro terrenis agunt; unde & mercedem suam recipiunt. Potentiâ splendent, primò propter seipsos, ut mala quæ amant, potenter expleant. Secundò propter reprobos, ut eos in malis defendant. Tertiò propter electos, ut eos castigent, & à malis actibus emendent. Sospitate autem pollent, nec cum hominibus flagella sentiunt, ut post eos gravior dolor excruciet. Boni autem ideò inediâ, oppressione & languore afficiuntur, ne in malis delectentur: aut si aliqua contra Deum egerunt * peccata, deleantur; si non, pro patientia coronentur.

al. omit.

D. Cur econtra quidam boni hîc divitiis abundant, potentiâ sublimantur, valetudine roborantur: mali autem penuriâ, infirmitate & oppressione laborant?

M. Quibusdam electis divitiæ * ideò conceduntur, ut bona quæ amant, rebus implere valeant: & per hæc etiam admonentur, si hæc temporalia, suavia, quantò magis æterna videntur. Potentiâ sublimatur primò propter seipsos; ut bona quæ mente conceperunt, potenter exercere possint. Secundò propter electos, ut eis in * bona tutela sint. Tertiò propter reprobos, ut eos * reprimant, ne tantùm quantùm volunt noceant. Sanitate solidantur, ne justi de eorum ægritudine contristentur, sed de eorum salute lætentur. Econtra mali quidam hîc egestate, afflictione, corporis dolore suspirant; ut per hæc discant quàm amara sint ad quæ pravis moribus festinant.

al. à Deo
al in bonis
al. opprimant

* D. Quare quidam mali diu vivunt, quidam verò boni citiùs moriuntur: & econtra aliqui boni diuturnam vitam ducunt, mali verò celeriùs obeunt?

Vide variasse lectiones

M. Mali ideò diu vivere permittuntur, ut electi per eos exerceantur, & à vitiis corrigantur; ipsi verò post majoribus supplicîis torqueantur: Boni autem citiùs tolluntur, ne diutius hîc adversis atterantur, sed mansuris gaudiis * inferantur. Econtra, vita longæva justis datur, ut meritum illorum augeatur, cùm plures per illorum exempla * corriguntur. Mali sanè celeriter ad tormenta rapiuntur, ut electis adhuc errantibus timor incutiatur, & sic ab errore retrahantur.

al. inferatur
al. convertantur

CAPUT IX.

De dæmonum scientia & potestate; & bonorum Angelorum confirmatione, forma, & datibus.

DISCIPULUS.

SCiunt dæmones omnia?

M. Ex Angelica natura inest eis plurima scientia; non tamen sciunt omnia. Et quantò illorum natura est subtilior hominum * natura; tantò in omnibus artibus peritiores sunt, quàm ullus hominum. Futura nesciunt, nisi quantum ex transactis colligunt, vel quantum Deus eos sinit scire. Porrò cogitationes & voluntates nemo scit nisi Deus, & cui * ipse voluerit revelare.

al. omit.

al. omit.

* D. Sæpe mala cogitatio pro perfecto opere nuncupatur: Num hæc ab illis ignoratur?

M. Imagines phantasmatum à se immissas ab animabus concipi, & in cogitationibus formari conspiciunt: quia animas, quæ lux sunt, mox quædam tenebræ obtegunt. Species autem virtutum à Deo immissas & in mente conceptas non vident: quia ut noster aspectus jubar solis, ita ipsi fulgorem justitiæ ferre non prævalent. Justos autem nequaquam tentarent, si se ab eis superati scirent.]

D. Possunt omnia quæ volunt?

M. Bonum quidem nec volunt, nec omnino poterunt. Ad malum verò valde efficaces sunt; non tamen tantùm quantùm volunt, sed quantùm à bonis Angelis permittuntur.

CAPUT X.

De bonorum Angelorum confirmatione, forma, scientia & potestate.

DISCIPULUS.

QUid dicis de bonis Angelis?

M. Post lapsum illorum ita confirmati sunt, ut nunquam cadere nec peccare possint.

D. Quid est, non possint?

M. Nunquam velint.

al. omit.

D. Cur non etiam illi * similiter sunt confirmati?

M. Non tam diu expectaverunt.

al. malorum

al. justorum

D. Num casus * illorum fuit causa confirmationis * istorum?

M. Nequaquam: sed meritum ipsorum. Cùm enim viderent illos malum superbiendo eligere; indignati sunt, & summo bono fortiter inhæserunt: unde continuò in remuneratione confirmationem acceperunt; & qui priùs de sua beatitudine incerti erant, tunc facti sunt certi.

D. Qualem formam habent Angeli?

M. Quodammodo Dei. Ut enim imago ceræ imprimitur signaculo, sic expressa est in eis Dei similitudo.

D. Quæ similitudo?

M. In eo quòd sunt lux, quòd sunt incorporei, & omni pulchritudine decorati.

D. Sciunt omnia, vel possunt omnia?

M. Nihil est in rerum natura quod eos lateat, cùm in Deo omnia conspiciant. Sanè omnia quæ facere volunt, sine difficultate poterunt.

CAPUT XI.

De hominis formatione; & quomodo sit parvus mundus & ad imaginem Dei.

DISCIPULUS.

NOnne casus malorum minuit numerum bonorũ?

al. etiam vel equidem

M. * Non: sed ut compleretur electorum numerus, homo decimus est creatus.

A D. Unde?

M. De spirituali & corporali substantia.

D. Unde * corporalis?

al. corporali

M. De quatuor elementis: unde & microcosmus, id est, minor mundus dicitur: habet namque ex terra carnem, ex aqua sanguinem, ex aëre flatum, ex igne calorem. Caput ejus est rotundum, in cœlestis sphæræ modum: in quo duo oculi ut duo luminaria in cœlo micant: quod etiam septem foramina, ut septem * cœli harmoniæ ornant. Pectus, in quo flatus & tussis versantur, * simulat aërem, in quo venti & tonitrua concitantur. Venter omnes liquores, ut mare omnia flumina recipit. Pedes totum corporis pondus, ut terra cuncta, sustinent. Ex cœlesti igne visum, ex superiore aëre auditum, ex inferiore olfactum, ex aqua gustum, ex terra habet tactum. * Participium B duritiæ lapidum habet in ossibus, virorem arborum in unguibus, decorem graminum in crinibus, * sensum cum animalibus: hæc est substantia corporalis.

al. cœlum

al. simulatur aëri

al. Partem

al. sensus

D. Unde spiritualis?

al. spiritualis substantia.

M. Ex spirituali igne, ut creditur, in quo imago & similitudo Dei exprimitur.

D. Quæ imago vel similitudo?

M. Imago in forma accipitur, similitudo in qualitate * exprimitur, vel quantitate consideratur. Divinitas consistit in Trinitate; hujus imaginem tenet anima, quæ habet memoriam per quam præterita meminit habet intellectum quo præsentia & invisibilia intelligit, habet voluntatem quâ mala respuit & bona eligit. In Deo consistunt omnes virtutes: C hujus similitudinem habet * anima, quæ capax est omnium virtutum. Et sicut Deus comprehendi non potest ab omni creatura, cùm ipse comprehendat omnia; ita anima à nulla visibili creatura potest comprehendi, cùm ipsa omnia * visibilia comprehendat: non enim potest cœlum ei obsistere, quin cœlestia tractet; non abyssus, quin infernalia cogitet: hæc est substantia spiritualis.

al. omit.

al. vel tenet

al. invisibilia

D. Formavit eum Deus manibus?

M. Jussu tantùm. Per hæc verba innuitur nobis ejus fragilis natura.

D. Quare de tam vili materia creavit eum?

M. Ad dedecus diaboli, * & excusationem Dei: al. omit ut si fortè tentatus caderet, diabolus per hoc Deo non insultaret; si autem non superaretur, diabolus] plus D confunderetur; cùm hîc * fragilis & limus & luteus * intraret gloriam, de qua ipse glorioſus cecidisset.

al. fragilis

al. intret

D. Unde nomen accepit?

M. Cùm esset minor mundus, accepit nomen ex quatuor climatibus mundi, quæ Græcè dicuntur anatole, dysis, arctos, mesembria *: quia genus suum quatuor partes mundi impleturum erat. In hoc * etiam similitudinem Dei * habuit: ut sicut Deus præest omnibus in cœlo; sic omnibus homo præesset in terra.

al. Adam

al. enim

al. habet

CAPUT XII.

De animalibus ad hominis bonum conditis.

DISCIPULUS.

E

CUr creavit Deus animalia, cùm his non indigeret homo?

M. Præscivit eum Deus peccaturum, & his omnibus indigiturum.

D. Cur creavit Deus muscas & culices, * & alia * quæ sunt homini nociva?

al. & pulices

al. talia

M. Tantam diligentiam exhibuit Deus in muscis & formicis, & * culicibus formandis, * quantam in * aliis.

al. pulicibus

al. vel creandis

al. Angelis creandis

D. Ad quid talia?

al. Misericordia sua, atque omnia

M. * Omnia ad laudem gloriæ suæ. Muscæ quidem & * culices, & his similia propter superbiam hominis sunt * condita: ut cùm eum pungunt, quid sit cogi-

al. & pulices

al. condita

Digitized by Google

al. micetis al. quamvis et omnia a Deo subjecta sunt

tet qui nec vermiculis *minimis resistere valet. * Unde & Pharaonem non ursi, non leones vallaverunt, sed culices, muscæ, & cinyphes. Formicæ autem, sive aranææ, vel talia quæ instant operibus, ideò sunt creata, ut de eis studii & pii laboris exempla sumamus. Omnis itaque Dei creatio cor siderati magna est delectatio, dum in quibusdam sit * decor, ut in floribus; in aliquibus medicina, ut in herbis; in quibusdam pastus, ut in frugibus; in quibusdam significatio, ut in vermibus & avibus. Omnia igitur sunt bona, & propter hominem creata.

al. pulchritudo vel decor

CAPUT XIII.

De Paradiso in quo homo à Deo locatus est, & formata mulier: & cur utrque peccabilis.

DISCIPULUS.

UBi Adam est creatus?

M. In Hebron, ubi etiam pòst mortuus est & sepultus: & positus est in Paradiso *.

al. ipso creato

D. Quid est Paradisus, vel ubi?

M. Locus amœnissimus in Oriente, in quo arbores diversi generis contra varios defectus erant conditæ: verbi gratiâ, ut si homo congruo tempore de uno comederet, nunquam ampliùs esuriret, congruo tempore de alio, nunquam amplius sitiret; si de alio verò, nunquam lassaretur. Ad ultimum, si de ligno vitæ uteretur, non ampliùs senescceret, non infirmaretur, nunquam moreretur.

D. Ubi fuit creata mulier?

M. In Paradiso, de latere viri dormientis.

D. Quare de viro?

M. Ut sicut in carne una, ita per dilectionem esset cum eo in mente una.

al D. Qualis erat ille sumnus? M. Extasis spiritus Domini: in cui item patris illum eam sapuit, ubi Christum & Ecclesiam de se nascituros vidit: unde evigilans mox de illa prophetavit al. ut si al. & è contrario

D. * Cur non sunt omnes electi *simul creati, ut Angeli?

M. Voluit in hoc etiam Deus habere Adam sui similitudinem; ut sicut ab ipso omnia, ita omnes homines nascerentur ab illo: unde & Eva ab illo.

D. Quamobrem non creavit eos Deus tales, ut non possent peccare?

M. Propter majus meritum. Si enim tentati non consensissent; mox ita firmati essent, ut nec ipsi nec posteri eorum unquam peccare possent. Voluit ergo Deus ut bonum eligerent liberè, & istud acciperent in remuneratione *.

CAPUT XIV.

De generatione in statu innocentiæ; & pluscula de eo statu, & de tentatione ac casu primorum parentum.

DISCIPULUS.

QUaliter gignerent, si in Paradiso permansissent?

M. Quemadmodum manus manui, ita sine concupiscentia jungerentur: & sicut oculus se levat ad videndum *; ita sine delectatione illud sensibile membrum suum perageret officium.

al. quæ commerunt

D. Quali modo pareret mulier?

M. Sine sorde, & absque dolore.

D. Esset infans ita debilis, & non loquens, * ut nunc?

al. ita ut

M. Mox ut nasceretur ambularet, & absolutè loqueretur: & contra singulos defectus de lignis ibi positis uteretur, & præfixo à Deo tempore de ligno vitæ ederet, & sic in uno statu postmodum permaneret.

D. Quamdiu debuerunt esse in Paradiso?

M. Usquequò impleretur numerus Angelorum qui ceciderunt; & ille numerus electorum, qui erat A implendus si Angeli non cecidissent.

D. Quomodo posset Paradisus eos omnes capere?

M. Sicut nunc generatio * per mortem præterit, & generatio per vitam advenit; ita tunc parentes * in meliorem statum assumerentur: filii verò eorum præfinito tempore (quod creditur circa triginta annos) post esum ligni vitæ suis posteris cederent, & ad extremum omnes pariter in cœlis Angelis coæquarentur.

al. omnes egressi al. post generationem al. ges

D. Erant nudi?

M. Nudi erant: & non plus de illis membris, quàm de oculis erubescebant.

D. Quid est quod dicitur: Post peccatum viderunt se esse nudos: quasi ante hoc non viderint?

M. Post peccatum mox per concupiscentiam in invicem exarserunt; & in illo membro exorta est confusio, unde humana * procedit * propago. B

al. omit. procedit al. propagatio al. filio

D. Cur in illo membro plus quam in * aliis?

M. Ut scirent quòd tota posteritas illorum eodem crimine obnoxia teneretur.

D. Viderunt Deum in Paradiso?

M. Viderunt per assumptam formam, ut Abraham & alii Prophetæ.

D. Quare seduxit eos diabolus?

M. Propter invidiam: invidit enim illis, ne ad honorem illũ pervenirẽt, de quo ipse superbus cecidisset.

* D. Per quid invenit aditum tentandi? al. omit.

M. Per superbiam: voluit enim homo in propria potestate manere, quoniam dixit: in abundantia mea non movebor in æternum.]

D. Cur permisit Deus hominem tentari, cùm sciret eum superari?

M. Quia præscivit quanta bona de ejus peccato esset C facturus.

* D. Quomodo seduxit eos? al. omit.

M. Per serpentem.]

D. Locutusne est serpens?

M. Diabolus locutus est per serpentem, ut hodie loquitur per obsessum hominem, & quemadmodum Angelus locutus est per asinam: cùm nec serpens, nec asina scirent quid per eos verba * sonarent. al. Illa

D. Quare magis per serpẽtẽ, quàm per aliud animal?

M. Quia serpens tortuosus est & lubricus: & diabolus, quos seduxit, tortuosos & lubricos facit: tortuosos fraudulentiâ, lubricos luxuriâ.

D. Fuit scientia boni & mali in illo pomo;

M. Non in pomo, sed in * transgressione. Ante peccatum * enim homo scivit bonum & malum: bonum, D per experientiam, malum, per scientiam: post peccatum autem scivit malum per experientiam, bonum * tantùm per scientiam.

al. transgressionem al. autem suum al. vero

D. Nascerentur mali in Paradiso?

M. Tantummodo electi.

D. Quare nunc mali nascuntur?

M. Propter electos, ut exerceantur per illos *. al. & probentur ut aurum in fornace.]

CAPUT XV.

De eorum expulsione à Paradiso: & de gravitate peccati ob quod expulsi sunt.

DISCIPULUS.

E QUamdiu fuerunt in Paradiso?

M. * Septem horas. al. sex

D. Cur non diutius?

M. Quia mox ut mulier creata est, confestim etiam est prævaricata: tertiâ * horâ vir creatus imposuit nomina animalibus: horâ sextâ mulier formata continuò de vetito pomo præsumpsit, viroque mortem porrexit, qui ob ejus amorem comedit: & mox horâ nonâ Deus de paradiso eos ejecit. al. verò

D. Quid fuit Cherubim, vel flammeus gladius?

M. Gladius fuit igneus murus, * quo post peccatũ circũdatus est paradisus: Cherubim verò Angelica custodia, ut & igneis corpora * arceret; Angelicus autẽ spiritus a al. omit. al. arceret al. ne igneis ambirent

Digitized by Google

D. Quò ivit tunc Adam?

M. In Ebron est reversus, ubi & creatus est: ibique filios procreavit. * Occisum autem Abel à Caïn centum annos luxit, & Evæ amplùs copulari noluit. Sed quia Christus à maledicto semine Caïn noluit nasci; per Angelum admonitus Evæ iterum est sociatus, & pro Abel est Seth genitus, de cujus stirpe est Christus natus. Volo te etiam scire quod a tempore Adæ usque ad Noë non pluit, & Iris non fuit, & homines carnes non edebant, & vinum non bibebant: eratque totum tempus quasi vernalis temperies, copiaque omnium rerum: quæ omnia post immutata sunt propter peccata hominum.

al. occiso autem Abel à Caïn centum annos vixit

D. Quid peccavit homo quòd expulsus est de paradiso?

M. Sicut Deus esse concupivit: & ideò contra ejus præceptum de interdicta arbore comedit.

D. Quid magni * fuit comedisse pomum?

al. vel multi al. grave aut grande periculum

M. Tam grave piaculum fuit, ut toto mundo redimi non posset.

D. Hoc proba.

M. Justum-ne tibi videtur, ut homo obediat divinæ voluntati?

Hic consule varias lectiones.

* D. Nihil justius, quàm ut omnis creatura rationalis nihil præponat voluntati Creatoris.

M. Ergo voluntas Dei major est quàm totus mundus?

D. Utique?

M. Si igitur tu stares coram Deo, & aliquis diceret tibi; Respice retro, aut totus mundus interibit: diceret autem Deus, Nolo ut retro respicias, sed * me respicias: deberes tu Deum contemnere, qui est Creator omnium rerum, & gaudium Angelorum, ut liberares transitorium mundum?

al. in me

D. Minimè.

M. Hoc * Adam fecit: coram Deo stetit, & diabolo * inclamante, retro respexit, & majus peccatum quàm mundus esset commisit.

al inclinante vel instigante

D. Quomodo majus?

M. Quia sex criminalia flagitia in hoc uno crimine commisit, quibus * sex ætates suæ posteritatis * morti involvit.

al omit. al. omnes.

D. Quæ fuerunt illa?

M. Primum superbia fuit, cùm Deo æqualis esse voluit: & ideo factus est omnium infimus, qui fuit omnibus prælatus, de hac dicitur: *Immundus est coram Deo omnis qui exaltat cor suum.* Secundum inobedientia extitit, cùm mandatum Dei præterivit: & ideò facta sunt ei omnia inobedientia, quæ priùs erant subjecta, de hac dicitur: *Quasi scelus est ariolandi, nolle obedire.* Tertium avaritia erat, cùm plus quàm concessum fuerat concupivit: & ideò omnia concessa justè amisit, de hac dicitur per Apostolum: *Avaritia est idolorum servitus.* Quartum erat sacrilegium, cùm vetitum in sacro loco per furtum subripuit: & ideò de sacrario excludi meruit, de hoc dicitur: *Qui prophanat sancta, à sanctis exterminabitur.* Quintum fuit spiritualis fornicatio: Anima enim illius erat Deo conjuncta; sed cùm, spreto Deo, diabolum admisit, quasi cum extraneo adulterium commisit: & ideò veri sponsi amicitiam * amisit, de hac dicitur: *Perdes omnes qui fornicantur abs te.* Sextum: homicidium perpetravit, * quo se & omne genus humanum in mortem præcipitavit, de hoc dicit Moyses: *Qui occiderit, morte morietur,* * morte scilicet æterna: unde & in interiori homine mox est mortuus, & jacuit in sepulchro corporis sepultus.

Zac. 16. v 15.

1. Reg. 15. v. 23.

Eph. 5. v. 5. al. quasi

al. & consortium Psal. 72. v. 27 al. quòd

Levit. 24. v. 17. al. omit.

D. Nonne ille miser à nequissimo spiritu & mendacissimo erat seductus?

M. Etiam: sed non ideò minùs fuit noxius. Si enim quis servo suo opus injungeret, & monstraret ei foveam ne intus caderet, de qua surgere non posset: ille verò contempto domino sponte in foveam caderet, & injunctum opus inactum remaneret, non esset reus?

D. Imò duplici culpa esset obstrictus: una, qua Dominum contempsit: alia, qua se ad injunctum opus * impotem fecit.

al. impotentem

M. Ita fecit Adam: Deum contempsit, opus obedientiæ deseruit, foveam mortis incidit.

CAPUT XVI.

De satisfactione Deo exhibenda pro ea injuria.

DISCIPULUS.

QUali modo oportuit eum reverti?

M. Honorem, quem Deo abstulit, reddere debuit; & pro peccato quod fecit, satisfacere. Valde enim justum est ut qui alii sua abstulit, & ablata restituat & pro injuria illata satisfaciat.

D. Quid abstulit Adam Deo?

M. Totum quod proposuit in sua * Curia de * ejus generatione facere.

al. cura de suo genere

D. Qualiter debuit ablatum honorem reddere?

D. Diabolum ita vincere, ut ipse victus est ab eo; & seipsum omnesque prædestinatos ad vitam tales restituere, quales futuri erant si permansissent.

D. Qualiter autem debuit satisfacere?

M. Quia peccatum majus mundo commisit; aliquid majus mundo Deo solvere debuit.

D. Horum neutrum ulla ratione potuit facere.

vide varias lect.

M. Ideò in morte permansit.

D. Et cur penitus non periit?

M. Statutum Dei immutari non potuit: proposuit enim ex genere Adæ electorum numerum complere.

D. Quid ergo?

M. Quia debitum honorem Deo non solvit; Deus ab eo invito accepit, cùm eum pœnis subegit.

D. Quomodo honor Dei est pœna hominis?

M. Quia quem dulcem patrem, ut filius, in gloria habere contempsit; hunc suum Dominum in tormentis, ut rebellis servus, sensit.

D. Cùm solvere vellet, & non posset; cur Deus, cùm misericors sit, non ei dimisit, aut talem in gloriam sumpsit?

M. Si Deus ideò ei suum honorem dimitteret, quia habere non posset; impotens * esset: Si autem peccatorem hominem impunitum in gloriam assumeret, unde Angelum pro una cogitatione extrusisset; injustus esset. * Porro si peccatum impunitũ remaneret, aliquid in regno Dei inordinatum esset:] Sed in regno ejus nihil inordinatum relinquitur: peccator ergo puniri debuit. Quis enim gemmam de cœno sublatam in thesauros suos recondat non purgatam?

al. videretur

al. omit.

D. Ad quem finem ergo debuit devenire?

M. Quoniam transfuga servus * cum furto domini sui ad sævissimum profugerat tyrannum; filius Regis missus est de palatio in carcerem post exulem servum, qui tyrannum contereret, & fugitivum servum cum rebus domini sui in gratiam Regis reduceret.

al. & fugitivus

D. Quare homo redire potuit post lapsum?

M. Quia sicut non per se, sed per alium impulsus cecidit: ita dignum erat, cùm per se non posset, & vellet, ut per alium adjutus resurgeret.

CAPUT XVII.

Necessitas Incarnationis Verbi ad eam satisfactionem exhibendam.

DISCIPULUS.

CUr non misit Angelum, ut eum redimeret?

M. Si * Angelus hominem redimisset; tunc * illius servus esset: homo autem sic restitui debuit, ut æqualis Angelis esset: Et aliud oberat: Angelus in sua natura invalidus erat hominem redimere; si autem ho-

al. per Angelos al. illis

zed by Google

mo fieret, minùs posset.

D. Quare non creavit Deus alium hominem de terra, * ut mitteret eum pro perdito?

al. & mitt.

M. Si novum hominem Deus creasset & misisset; tunc ad genus Adæ redemptio non pertineret: de suo enim genere debuit esse, qui pro homine satisfaceret.

D. Cur non misit Deus Patriarcham, vel Prophetam?

M. Patriarchæ & Prophetæ in peccatis concepti * & nati erant; & ideò genus humanum redimere non poterant. *

al. omit.

D. Evolve * cætera.

M. Quia igitur Angelus redimere * non debuit, & homo per se satisfacere * non potuit: Dei Filius, per quem facta sunt omnia, ut & redemptio per illum fieret; assumpsit plenum hominem: & in duabus naturis * factus est una persona. Et in illa natura, * quæ Deus erat, vicit diabolum, ut ipse * vicerat hominem; & omnibus prædestinatis cœlum aperuit, & Angelis coæquavit: quod solus Deus facere potuit. In ea autem natura, qua homo fuit, pro injuria majus * mundo tollvit, cùm mortem indebitam tubiit: quod solus homo debuit facere.

al. pro quibus & ipsi sediderunt erant. al. solvere al. non potuit nec debuit, al. non debuit nec potuit al. facta al. quâ Deus al. vicit.

al. malum mundo

CAPUT XVIII.

Cur Verbum sit incarnatum, & ex Virgine, & in temporis plenitudine.

DISCIPULUS.

BEnedictus sermo oris tui, qui de cœlis mihi deduxit filium Dei. Sed dic mihi cur Filius sit incarnatus, & non Pater, nec Spiritus sanctus?

M. Si Pater, aut Spiritus sanctus incarnaretur; duo Filii in Trinitate computarentur: unus Filius Virginis, qui esset incarnatus; alter Filius Dei. Et alia causa erat. Fulsus est similitudo Dei: Angelus autem & homo assumpserant sibi similitudinem Dei. Debuit ergo ille incarnari, cui * specialiter injuria facta fuerat: ut istũ misericorditer salvaret, illum justè damnaret. Aliud etiam: Quia omnia per Filium, ideò & redemptio per eum.

al. Spiritualiter

D. Cur voluit nasci de Virgine?

M. Quatuor modis facit Deus homines. Uno modo absque patre & matre; * sed de terra, ut Adam: Secundo modo de solo viro, ut Evam. Tertio modo de viro & fœmina, ut quotidie nascuntur * omnes. Quarto modo de sola * fœmina, quod privilegium Christo soli reservatum est: ut sicut mors per fœminam virginem intravit in mundum; ita per fœminam * virginem vita intraret, quæ mortem excluderet.

al. scilicet

al omnes homines per mundum al. Virgine. al. omit.

D. * Cur non venit mox illo tempore ante diluvium, vel post diluvium?

al. Cur de Maria, & non ab alia? M. Quia hæc prima in mundo virginitatem vovit Deo. D. Cur non al. omit.

M. Si ante diluvium venisset; dicerent homines illius temporis non fuisse necesse eum venisse, cùm ipsi à parentibus suis omnia bona didicissent, qui nuper * de paradiso ejiissent, & à Deo & ab Angelis ejus omnia edocti essent. Si autem mox post diluvium venisset; dicerent Deum Noë & Abrahæ locutum fuisse, & omnia agenda vel vitanda ab eis didicisse.

D. Quare non venit tempore legis?

M. Si nunc venisset; dicerent Judæi se copiosè à lege instructos, Gentiles verò à Philosophis se abundè edoctos.

D. Cur non distulit usque * circa finem mundi?

al. ad

M. Tunc pauci eum imitarentur, & electorum numerus non impleretur. Necesse ergo fuit eum venire, quando venit plenitudo temporis.

D. Quod fuit illud tempus?

M. Quod * præfixit Deus ante tempora sæcularia, scil. cùm Judæi se magis lege gravari quàm relevari ingemiscebant: & Gentiles relicto naturali usu contra naturam turpiter vivebant; & cùm neque Sacerdos, neque Levita subveniret: necesse erat ut verus Samaritanus adveniret, qui semivivum jumento sui corporis imponeret, & ad stabulum supernæ curiæ perduceret.

al. præfixit

CAPUT XIX.

De nativitate Christi circumstantiis, & patratis in ea mirabilibus.

DISCIPULUS.

QUomodo potuit nasci sine peccato de massa peccatrice?

M. Ab initio Deus quosdam qui se familiariùs colerent de aliis segregavit, de quibus Virga quasi de linea * producta pullulavit; quæ velut olim virga arida sine humore florem, ita sine concupiscentia mundo edidit Salvatorem.

al. deducta

D. Qualiter genuit eum?

M. Sine sorde, & sine dolore. Clausâ enim januâ thalamum uteri introivit, humanam naturam sibi conjunxit; clausa portâ, ut * verus sponsus de thalamo processit.

al. ut speciosus

D. Cur novem menses fuit clausus in utero?

M. Ut homines, qui erant clausi in miseriis hujus mundi, sive inferni, reduceret ad consortium novem ordinum Angelorum.

D. Qua hora natus est?

M. Media nocte, ut dicitur: *Dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet: Sermo tuus à regalibus sedibus venit.* Sapien. 18. v. 14.

D. Cur nocte?

M. Primo, quia occultus venit: deinde ut eos qui in nocte erant erroris, ad lucem perduceret veritatis.

D. Scivit aliquid Christus infans?

M. Omnia planè, ut puta Deus, *in quo fuerunt omnes th sauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Coloss. 2. 3.

D. Potuit ambulare, vel loqui, mox ut natus est?

M. Secundùm potentiam utrumque potuit: sed humanam naturam * per omnia absque peccato imitari voluit.

al. omninò

D. Contigit aliquid miri, eo nascente?

M. Septem * specialia miracula.

al. spiritualia

D. Quæ fuerunt illa?

M. Stella nimis præfulgida apparuit. Circulus aureus, vel purpureus, circa Solem claruit Fons olei de * terrâ erupit. Pax maxima fuit. Universus orbis ad censum est descriptus. * Numerus ad triginta millia hominum, qui Dominum recusarunt, est una die occisus: & animal brutum locutum est.

al. petra

al multi, qui Dominum recusarunt, sunt una die occisi, & animalia bruta loquebantur

D. Vellem horum mystica audire.

M. Stellæ significant sanctos: Stella igitur præclara illuxit, quia Sanctus Sanctorum venit. Circulus aureus vel purpureus circa Solem fulsit; quia Sol justitiæ auro suæ Divinitatis Ecclesiam illustrare, & * purpura suæ passionis coronare venit. Oleum significat misericordiam. Fons olei de * terra fluxit, quia fons misericordiæ de Virgine manavit. Pax ingens extitit, quia pax vera in terris apparuit. Mundus ad censum est descriptus, quia ad supernum regnum chrismate est signatum humanum genus. Qui * Dominum recusarunt, occisi sunt, quia qui dixerunt: *Nolumus hunc regnare super nos*, disperierunt. * Pecus loquebatur, quia ad laudem Dei populus gentium convertebatur.

al. purpurea sui sanguinis effusione al petra

al. Dominiũ Luc. 19.

al pecus

D. Omnia quæ desiderat cor meum audire, audio. *

al. sed quæso te, ubinam hæc reperiti M. In meâ magno, in quo sunt animalia quorũ non est numerus.

CAPUT XX.

De Magis: de fuga Christi in Ægyptum, & reliqua ejus vita usque ad Baptismum.

DISCIPULUS.

QUare attraxit tres Magos cum muneribus?

M. Quia tres partes mundi, scilicet Asiam, Africam, & Europam, fide & * operatione ad se trahere voluit. al. opere

D. Cur magis fuit in Ægyptum, quàm in aliam terram?

M. Ut ostenderet se verum Moysem: ut sicut Moyses populum Dei de Pharaone & Ægypto liberans, in terram duxit promissionis; ita ipse populum fidelium de diabolo & inferno liberans, ad regnum duxit beatitudinis: unde & post septem annos revertitur * ad terram Israël; quia per septem dona Spiritus sancti reduxit nos de mundo ad cœlestem Hierusalem. al. in

D. Quare in triginta annis nec docuit, nec * signa fecit? al. signum

M. Exempli gratiâ venit in mundum; ideò voluit prius facere, & * tunc docere: ut dicitur: *Quia cœpit* JESUS *facere & docere.* Per hoc igitur exemplum præbebat ne quis ante legitimam ætatem docere præsumat; vel prius velit docere, quàm discat. al posita Act. 1. v. 1.

D. Cùm in eo fuerit plenitudo Divinitatis corporaliter, & nihil posset ei gratiæ accedere; cur est baptizatus?

M. Ut nobis aquas * baptismi * sanctificaret. al ad baptismà

D. Quare baptizatur in aqua?

M. Aqua contraria est igni. Quid est peccatum, nisi ignis: * Sicut in animo * ira; ita in carne concupiscentia, unde & igne supplicii punitur: * ut hic ignis extinguatur, in aqua baptizatur. Est & aliud. Aqua sordes diluit, sitim extinguit *, imaginem reddit: ita gratia Spiritus sancti in baptismate sordes peccatorum abluit, sitim animæ verbo Dei restinguit, imaginem Dei per culpam amissam restituit. al. conseratur al sicut enim ignis extinguitur aquâ, ita peccatum baptismo aquæ al. omit. ita al. Qui ignis his extinguitur cum Christus in aqua al. omit.

CAPUT XXI.

De Christi pulchritudine, passibilitate, & morte.

DISCIPULUS.

CUm scriptum sit de eo, *Speciosus formâ præ filiis hominum:* erat corpore pulcher? Psal. 44. v. 3.

M. Secundùm naturam talis fuit, qualis in monte discipulis suis apparuit. Sed quia homines ejus claritatem ferre non poterant, sub larva * apparuit; quia forma despicabilis fuit: unde dicitur, *Vidimus eum non habentem speciem, neque decorem.* al. non ità potentialiter Isa. 53. v. 2. & 3.

D. Erat passibilis & mortalis?

M. Passio, vel mors, peccati est pœna: sed ipse absque peccato venit, & sine peccato vixit: igitur secundùm naturam impassibilis & immortalis fuit: sed secundùm potentiam utrumque esse voluit, & passibilis, & mortalis.

D. Quare mortuus est? Philip. 2. v. 8.

M. Propter obedientiam, ut dicitur: *Factus est obediens patri usque ad mortem.*

D. Exigit ab eo mortem Pater?

M. Minimè. Cur occiderunt eum Judæi?

D. Hoc volo à te audire.

M. Quia justitiam vivendo, & veritatem docendo, indeclinabiliter tenuit; hanc obedientiam humanitas Divinitati debuit, hanc Deus ab omni rationali exigit creatura.

D. Quis unquàm pater unicum & bonum filium occidi permittat, si prohibere queat?

M. Cùm Deus vidit Filium suum tam egregiũ opus velle, scil. * sævum tyrannum expugnare, & captivum ab eo liberare; ad tam laudabile opus ei consensit, & eum mori permisit. al. omit.

D. Quomodo apud Deum justum fuit, quò optimum pro impiò dedit?

M. Quia pessimus * simplicem hominem seduxerat; justum erat ut optimus pro eo obses fieret, qui pessimum revinceret, & innocentem pristinæ libertati restitueret. Sed & tali modo charitatem suam Deus ostendit mundo, ut dicitur: *Ut servum redimeres, Filium tradidisti.* al. omit.

D. Si Pater tradidit Filium; ut dicitur: *Proprio Filio suo non pepercit, * sed pro nobis omnibus tradidit illum*: & si Filius seipsum tradidit, ut dicitur: *Qui tradidit semetipsum pro nobis*: quid peccavit Judas, qui etiam tradidit illum? Rom. 8. v. 32. Eph. 5. v. 2.

M. Pater tradidit Filium, & Filius seipsum propter charitatem: Judas verò propter avaritiam.

D. Quare voluit mori in ligno?

M. Ut eum, qui per lignum vicit, revinceret: & illum, qui in ligno cecidit, redimeret.

D. Cur in cruce?

M. Ut quadrifidum mundum salvaret.

* D. Quamobrem permisit sibi quinque vulnera infligi? al. omit.

M. Ut redimeret humani generis quinque sensus à diabolo captivos.

D. Valuit mors ejus ad exhaurienda omnium peccata?

M. Transcendit etiam infinitè.

D. Proba.

M. Si coram te Christus staret, & eum Dominum majestatis scires, & aliquis diceret: interfice hunc, aut totus mundus interibit: interficeres eum, ut salvares mundum?

D. Nequaquam.

M. Quare?

M. Quia vita ejus longè dignior videtur, quàm infiniti mundi: & tale piaculum videret committere, quod innumeris mundis non posset expiari.

M. Sicut ergo vita Christi dignior est infinitis mundis; sic mors ejus * longè precioſior fuit innumerabilibus mundis; & ideo suffecit ad redemptionem omnium.

D. Quid dedit ei Pater pro hoc merito?

M. Quid daret ei; cùm sua essent omnia? uti dicitur: *Fili, omnia mea tua sunt.* Luc. 15. v. 31.

D. Non potuit ipse mercedem suæ mortis dare cui vellet?

M. Potuit: ideò * eam dedit homini, pro quo hæc omnia sustinuit; pro passione, impassibilitatem; pro morte, immortalitatem; pro peregrinatione, patriam æternam.

CAPUT XXII.

Quid de humanitatis partibus factum, dissoluta compositio.

DISCIPULUS.

QUot horas fuit mortuus?

M. Quadraginta.

D. Quare?

M. Ut quatuor partes mundi, quæ in Decalogo erant mortuæ, vivificaret.

D. Qui crucifixerunt eum?

M. Quia pro Judæis & Gentibus mori voluit: Judæi mortem ejus consiliati sunt, Pagani verò crucifixerunt eum.

D. Cur jacuit in sepulchro duas noctes & unum diem?

M. Duæ noctes significant duas * nostras mortes; unam corporis: alteram animæ: dies significat suam mortem

al. omit. quantum

mortem, quæ fuit lux noſtrarum mortium, * quarum unam abſtulit, alteram ad exercitium electis reliquit, quam denuò veniens exterminabit.

D. Quò ivit anima ejus poſt mortem?

M. In cœleſtem paradiſum, ut dixit ad latronem:

Luc 23. v. 43. *Hodie mecum eris in paradiſo.*

D. Quando ad infernum deſcendit?

M. Media nocte reſurrectionis; qua hora Angelus Ægyptum devaſtavit: eâ horâ, id eſt, media nocte, Chriſtus infernum deſpoliavit: * & cum triumpho inde rediens, raptos inde in paradiſum collocavit,* corpus ſuum in ſepulchro viſitavit, quod de mortuis excitavit. Quidam ſentiunt quòd ab hora mortis uſque ad horam reſurrectionis in inferno cum electis fuerit: & inde cum eis * abiens reſurrexit. *

al. & noctem ut rem illuminavit: ut dicitur & nox ut dies illuminabitur al. & ſic corpus ejus abiens al. non eſt ita tantùm fuit in inferno, ac devaſtavit, quantùm ad judicium veniens actus cujuſque examinabit, in momento, in ictu oculi, id eſt, quàm citò potes oculum movere.

CAPUT XXIII.

De circumſtantiis reſurrectionis Dominicæ.

DISCIPULUS.

QUare non ſtatim poſt mortem reſurrexit?

M. Dicerent non eum mortuum fuiſſe, ſed in tormentis obſtupuiſſe. Si autem poſt multum temporis reſurrexiſſet; eſſet dubium an ipſe eſſet.

D. Cur ergo tam citò reſurrexit?

M. Ut citiùs ſuos conſolaretur, qui de ſua morte triſtabantur.

D. Quare in die prima hebdomadæ?

al. gaudio fuerat reſurrectionis al. vel quia primus homo mortis in terrâ inobediendo ſubſtraverat

M. Ut mundum ea die renovaret *, qua eum creaverat. *

D. Cur in tertia die ſuæ paſſionis?

M. Ut eos, qui tribus temporibus ante legem, ſub lege, & ſub gratia, in peccatis mortui erant, ſublevaret, & ut nos, qui factis, dictis, cogitationibus labimur, per fidem ſanctæ Trinitatis reſurgamus.

D. Ubi manſit illis quadraginta diebus?

M. In paradiſo terreno, ut creditur, cum Elia & Enoch, & cum iis qui cum eo ſurrexerant.

D. Qualem formam poſt reſurrectionem habuit?

M. Septies ſplendidiorem quàm Sol.

D. Quali formâ viderunt eum ſui?

M. Tali, ut antè conſueverant eum videre.

CAPUT XXIV.

De apparitionibus Chriſti poſt reſurrectionem.

DISCIPULUS.

APparuit eis veſtitus?

al. aëtem

M. Veſtes ex aëre aſſumpſerat: quæ eo aſcendente, in * aëre evanuerunt.

D. Quoties apparuit?

M. Duodecies. Primo die octies; primò Joſeph ab Arimathia in carcere, in quo poſitus erat eo quòd eum ſepelierat, ut ſcripta Nicodemi declarant. Secundò Matri ſuæ, ut Sedulius manifeſtat. Tertiò Mariæ Magdalenæ, ut Marcus aſſerit. Quartò duabus mulieribus à ſepulchro revertentibus, ut Matthæus pandit. Quintò Jacobo, ut Paulus teſtatur, qui ſe in ſexta feria devoverat non manducaturum donec videret Chriſtum vivum. Sextò Petro, ut Lucas narrat, qui propter negationem ab aliis ſegregatus in fletibus permanebat. Septimò, duobus diſcipulis in via Emaüs, ut idem Lucas refert. Octavò omnibus januis clauſis, ut Joannes deſcribit. Nonò in * octavo die, quando eum Thomas palpavit. Decimò ad mare Tiberiadis. Undecimò in monte Galilææ. Duodecimò recumbentibus undecim diſcipulis apparuit.

Matt. 16. v. 9. Marc. 16. v. 9. 1. Corint. 15. v. 7. Luc 24. v. 4. Joan. 20. v. 19. & 27. al. octavo

Marc. 16. v. 9.

D. Cur dicit Evangeliſta: *Apparuit primò Mariæ Magdalenæ?*

M. Evangelia cum ſumma auctoritate ſunt edita: ſed ſcribere Evangeliſtæ nolebant, niſi ea quæ omnibus nota erant, unde dicitur: * Multa & alia fecit Jeſus, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc, id eſt, in Evangelio. In aliis autem quædam, non tamen omnia inveniuntur: * quæ enim fidem excederent, ſcribere noluerunt. Unde reſuſcitationem Lazari, Johanne ſolo narrante, cæteri Evangeliſtæ tacuerunt.

al. multa quidem & alia ſigna fecit

D. Num apparuit Dominus ipſa die in Galilæa?

M. In monte Sion locus vulgo Galilæa vocatur; quia ibi hoſpitari ſolebant qui de Galilæa Hieroſolymam venerant, in hoc & Dominus hoſpitium habuit, cum in grandi cœnaculo cœnavit; in hoc januis clauſis apparuit; in hoc & ſpiritum Sanctum miſit.

CAPUT XXV.

De aſcenſione & ſeſſione Chriſti ad dextram Patris: & quomodo ibi orat pro nobis.

DISCIPULUS.

AScendit ſolus?

M. Qui cum eo ſurrexerunt, cum eo etiam aſcenderunt.

D. Quâ formâ aſcendit?

M. Uſque ad nubes eâ formâ, qua ante paſſionem: ſuſceptus autem à nubibus, eâ qua in monte apparuit.

D. Quare non ſtatim aſcendit * poſtquam reſurrexit?

al. cùm ſurrexerat

M. Propter tres cauſas. Primò, ut ſui experimento diſcerent eum veraciter ſurrexiſſe, quem viderent manducare & bibere. Secundò, poſt quadraginta dies voluit aſcendere, ut demonſtraret eos, qui decalogum legis per quatuor Evangelia impleverint, poſt ſe cœlum aſcendere. Tertio, quod Eccleſia, quæ corpus Chriſti eſt, poſt paſſionem quam ſub Antichriſto erit paſſura, deinde poſt quadraginta dies creditur cœlum aſcenſura.

al. poſtea

D. Quid eſt Chriſtum in dextera Patris ſedere?

M. Humanitatem in gloria Divinitatis quieſcere.

D. Qualiter pro nobis interpellat Patrem?

M. Repræſentando * jugiter ſuam paſſionem.

al. pro nobis jugiter

CAPUT XXVI.

De miſſione Spiritus ſancti; & de Chriſti gaudio.

DISCIPULUS.

CUr non mox miſit Spiritum ſanctum, ſed poſt decem dies?

M. Ob tres cauſas. Primò, ut Apoſtoli jejuniis & orationibus ſe aptos ejus adventui præpararent. Secundò, quòd hi Spiritum ſanctum * percipient, qui decem præcepta explent. Tertiò, quòd in quinquageſimo die a reſurrectione: ut ſicut populus Dei poſt liberationem ab Ægypto quinquageſimo die accepit legem timoris; ita populus fidelium poſt liberationem ſuam à mundo, quinquageſimo die acciperet legem amoris. In jubilæo etiam anno, id eſt, quinquageſimo, recepit populus libertatem amiſſam & hæreditatem: ita in hac die recepit populus Chriſtianus amiſſam libertatem & paradiſi hæreditatem.

al. acceperunt

D. Habet Chriſtus nunc plenum gaudium?

M. Quodammodò habet, & quodammodò non habet: Quantùm ad ſuam perſonam, pleniſſimum; quantùm ad corpus ſuum, quod eſt Eccleſia, * minimè. Adhuc enim non ſunt ſubjecta omnia ſub pedibus ejus. A Judæis enim adhuc blaſphematur, a Gentibus ſubſannatur, ab hæreticis dilaceratur, a malis Chriſtianis impugnatur. * In membris etiam ſuis quotidie patitur. * Cùm hæc omnia ad ſe collegerit, tunc gaudium plenum habebit.

al. adhuc minimè al. a facerdotibus hæreticis dicitur, & ab his publicè anathematizatur, vilipenditur deſ. hæc vox

Digitized by Google

CAPUT XXVII.

De mystico Christi corpore, hoc est Ecclesia.

DISCIPULUS.

QUomodo est Ecclesia corpus ejus, & electi membra ejus?

M. Ut corpus capiti inhæret, & ab eo regitur; ita Ecclesia per Sacramentum Corporis Christi ei conjungitur; imò unum cum eo corpus efficitur: à quo omnes justi in suo ordine, ut membra a capite, gubernantur. Cujus capitis oculi sunt Prophetæ, qui futura prævideruntsunt & Apostoli, qui alios à via erroris ad lumen justitiæ deduxerunt. Aures, sunt obedientes. Nares, discreti. Phlegma, quod per nares ejicitur, sunt hæretici, qui judicio discretorum de capite Christi emunguntur. Os, sunt doctores. Dentes, sunt sacræ Scripturæ expositores. Manus, Ecclesiæ defensores. Pedes, sunt agricolæ Ecclesiam pascentes. Porrò fimus, qui de ventre porcis * egeritur, sunt immundi & luxuriosi altaris ministri, & alii intra Ecclesiam facinorosi, qui ventrem matris Ecclesiæ onerant, quos per mortis egestionem dæmones, ut porci, devorant. * Quod totum corpus compage veritatis & charitatis in unum conglutinatur.

al. egeditur

al. omit.

CAPUT XXVIII.

De Corpore Christi in Eucharistia.

DISCIPULUS.

QUare de pane Corpus ejus, & Sanguis ejus de vino conficitur?

M. Corpus ideo de pane, quia ipse dixit: *Ego sum panis vivus.* Sanguis autem ideo de vino, quia ipse dixit: *Ego sum vitis vera.* Et sicut pane corpus nutritur; ita Christi cibo anima reficitur. Et sicut panis ex multis granis conficitur, ita Christi Corpus ex multis electis * colligitur. Et sicut panis igne coquitur, ita Christus in camino passionis assatur: Qui panis etiam dicitur caro, quia ut Agnus * pro nobis] immolatur. Vinum etiam ex multis acinis eliquatur, & in torculari exprimitur: ita corpus Christi ex multis justis compaginatur, * quod in prælo crucis torquetur: Quod vinum in Sanguinem * Christi vertitur, ut anima nostra, quæ in sanguine est, per hoc vivificetur.

Joan. 6. v. 35. & 55. Joan. 15. v. 1.

al. compaginatur

al. omit.

al. omit.

D. Cùm species panis & vini videatur, quomodo Caro & Sanguis prædicatur?

M. Cùm verè sit illud quod Maria genuit, quod in cruce pependit, quod cœlos penetravit species * panis & vini remansit; ne tu, si purum (ut verè est) sanguinem de latere ejus stillantem cerneres, hunc labris attingere abhorreres: & ut majus meritum haberes, cùm non visum sed intellectum crederes.

al. panis ideo

al. visu sed intellectu

D. Quæ est salus in hoc?

M. Summa. Sicut enim esca in carnem comedentis vertitur; ita quisque fidelis per comestionem hujus cibi in corpus Christi convertitur. Igitur per fidem * mundo, vitiis & concupiscentiis Christo * concrucifigimur: & in baptismate Christo consepelimur: * & ideo ter immergimur, per cibum Corporis ejus ei incorporamur: & ideò necesse est ut illuc, quò Christus est, * transferamur.

al mundi al Christo crucifigimur al. igitur & ter

al. pertranseferamur.

D. Habent plus sanctitatis, qui plus accipiunt?

M. Ut de manna dicitur, *Qui plus collegit, non plus habuit: nec qui minus collegit, minus habuit*; ita omnes æqualiter sumunt: & unusquisque totum * Agnum comedit; & * tamen integer in cœlo permanet.

Exod. 16. v. 18

al Dei agnū al. & vivum.

CAPUT XXIX.

De dignè aut indignè communicantibus, aut sacrificantibus.

DISCIPULUS.

QUam mercedem habebunt qui hoc dignè tractant?

M. Duplici præmio remunerabuntur: uná coronâ, quia hoc cum veneratione tractant; alterâ, quia se ad hoc dignis moribus coaptant, coronabuntur.

D. Quid de his sentis, qui hoc indignè & contra * canonum statuta agunt?

al Apostolica instituta tractant, al. publicè

M. Qui contra jus fasque * in adulterio, fornicatione, & cæteris flagitiis vitam ducunt, * vel Ecclesias, vel Ecclesiasticos Ordines vendunt aut emunt, & pravo exemplo populum Dei * occidunt, & omnia hæc temerè defendunt, hi tales sunt Domini traditores simul & crucifixores.

al. vel Ecclesias vendunt, aut Ordines emunt, vel sub specie sanctæ actionis decipiunt &

D. * Proba.

M. Qua causa debent sacerdotes Missam celebrare?

al. in errorem ducunt aut omit.

D. Dei solius causâ & suæ salutis, atque totius Ecclesiæ.

M. Sed ipsi lucri causâ celebrant, ut videlicet ab hominibus honorentur, & tèporalibus rebus ditentur. Qui igitur mysterium passionis Christi pro favore humano & pro temporali lucro vendunt, quid aliud agunt * quam Dominum tradunt? Cùm verò sordidis manibus, & pollutâ conscientia, * illum tractare præsumunt, in cujus conspectu nec cœli mundi sunt, quid aliud faciunt, * quàm Dominum crucifigunt?

al. nisi quod

al. & sorticaria detractatione

al nisi al. omit.

D. Potest populus ex eis * culpam trahere?

M. Cùm filii Heli polluerunt Domini sacrificium, totus penè populus cum eis subiit interitum, * quia faciebant contra legis Domini præceptum. Quanto magis hi qui Christiani vocantur, & ministri Christi esse videntur, & fornicationi ac luxuriæ subjacent, uxores ducunt, filios ac filias procreant, quod illicitum est, cùm manifestò ratū teneat universa Ecclesia quod dictum est a Domino primo pastori, scilicet B. Petro, deinde successoribus ejus, videlicet Apostolicis viris, Archiepiscopis: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis:* ac in omnibus synodis sint excommunicati, & excommunicentur, polluuntur: dum admonentur, parvipendūt: dum excommunicantur, non est timor Dei in eis, sed deridentsed & dicunt, *Hoc anathema super nos, & super filios nostros.*] Unde patet quòd quotquot cæci cæcos istos duces in foveam sequuntur, imò communicando eis * cōmunicātur, cū iisdē etiam in * pœnis participātur.

Mss. hæc om. Consule sapientes.

al. committitur

al pœnas

al. justi

D. Quid si * inscii eis communicaverint?

al justi al. contaminabuntur, qui si resipuerint, non erit error nocebit.

M. *Qui tangit picem, inquinabitur ab ea.* Et ideò qui eis communicant, quamvis * inscii, tamen ab eis * contaminantur.

D. Quid si resipuerint?

M. Non eis error eorum nocebit.

CAPUT XXX.

Malos sacerdotes verè Christi Corpus conficere, quamvis eorum oratio, & benedictio fiat in peccatum.

DISCIPULUS.

COnficiunt Corpus Domini tales?

M. Quamvis damnatissimi * sint, tamen per verba, quæ recitant, fit Corpus Domini: non enim * ipsi, sed Christus consecrat, & per amicos & inimicos salutem filiis operatur: * illi ad perniciem sumunt, alii ad salutem accipiunt.] Unde & à pessimis non pejoratur, & ab optimis non melioratur: * Sicut solis radius à cœno cloacæ non sordidatur, nec a sanctuario splendificatur.

al. & injusti

al homo

Mss. hæc omitt

al. ita

D. Cùm ergo bonum sit quod per eos conficitur, & accipientibus non ab eis, sed à Christi detur: cur bonum accipienti in perniciem vertitur?

al. non solùm pro felt al. publicum

M. Bonum accipienti * non solùm non prodest, imò obest; si contra interdictum * hoc ab eo accipit, à quo non debet.

D. Proba.

al Deus enim fecit

M. In paradiso nullum pomum erat malum, cùm * Deus fecerit omnia valde bona: sed homo bonum in malum sibi vertit, cùm hoc a serpente imò à diabolo percipere non sprevit:

al. est ab his in al. non

D. Si quis positus est * in mortis periculo, * num muniendus est ab his viatico?

al. per os sacerdotis Ecclesiæ al. in vel per omnes sacerdotes in

M. Si quis zelo justitiæ ab eis Communionem recipere renuerit, & se per * os Sacerdotum in unitate Ecclesiæ quotidie communicare non dubitaverit, hunc credo hac fide salvari si obierit: si quis verò eorum opera mala execrans, & bonum Christi venerans simpliciter * ab eis communicat, & hunc credo hac] fide salvari, quia & Joseph Corpus Jesu à Pilato infideli

al omit.

* petiit & accepit.

* D. Possunt Deum * placare pro populo?

M. Imò magis offendunt. Suo enim ingressu loca sacrata contaminant: vestes sacras & vasa Deo dicata suo * tactu commaculant. * Hos abhorret Angelorum conventus, hos fugit ipse Dominus, ut dicitur. *Provocaverunt eum filii sui, imò non filii sui in sordibus: * idèo abscondam faciem meam ab eis, dicit Dominus.* Filios, propter sacerdotium, dixit: non filios, propter sordes, subjunxit. Horum sacrificium non suscipit Dominus, sed * abominatur, ut dicitur: *Sacrificium vestrum odit anima mea, dicit Dominus: quia panem pollutum obtulistis mihi.* * Et iterum: *Ne offeratis sacrificium frustra: Sacrificium vestrum abominatio est mihi*] Corpus Domini cùm pollui nequeat, quantum in ipsis est *, polluunt, cum * illud indiscretè velut alium * panem sumunt. Oratio eorũ non suscipitur, sed fiet in peccatum, quia non exaudiet eos Dominus. Benedictio eorum in maledictionem convertitur, ut dicitur: *Convertam benedictionem vestram in maledictionem, ait Dominus.* * Et alibi: *Noluerunt benedictionem, & elongabitur ab eis: elegerunt maledictionem, & veniet eis.*]

Consule varias lectiones Deut. 32.

al. alio

Malach. 1. v. 7.

al. omit.

al omit.

al. cibum

al. omit.

al. omit.

D. Sumunt hi Corpus Domini?

al. ad salutem

M. Soli filii Dei accipiunt Corpus Christi, * qui Christo sunt incorporandi, & Deum visuri: hi autem, qui in Christo non manent, quamvis videantur ad os porrigere, Corpus * Christi non sumunt, sed judicium sibi manducant & bibunt. * Corpus autem Christi per manus Angelorum in cœlum defertur, Carbo verò à dæmone in os projicitur, ut Cyprianus testatur.] Et quia hoc sumunt negligenter * ut alium panem, & aliud vinum; vertitur eis in fel draconum, & * in venenum aspidum insanabile.

al. Corpus eamen Christi sumunt sed ad judicium sibi

al. omit.

al. omit.

D. Nonne Judas idem accepit quod Petrus?

M. Nequaquam: quia Petrus Dominum dilexit: ideò * accepto Sacramento cum Domino communicavit. Judas verò quia Dominum odivit, speciem quidem panis accepit, sed virtus Sacramenti in Christo remansit: ideò post buccellam mox diabolus in eum introivit; * quamvis Judæ non corpus, sed buccellam tantùm intinctam, * sed non consecratam dedit. * Petrus Domino adhærebat, & ejus verbis obediebat. Judas cum Domino corpore ambulabat, cum traditoribus spiritu & mente erat. Hi ergo dum censum debitæ servitutis Domino sunt reddituri nocturnis laudibus, amplexibus delectantur illecebrosæ copulationis. Similiter dum pro se & pro commissis Deum placare debent officiis divinis, liberos alludunt & fovent in gremiis. Usibus diligenter insistunt ventrinis, perquirunt mulieres, ut eorum liberi accuratiùs sedeant vel stent in plateis. Ipsi Dominum ad iracundiam provocant his & hujusmodi; ut dicitur: *Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus, & ego provocabo eos, &c.*]

vide varias lectiones.

al. quoniam

al. scilicet Alii hoc om.

Deut 32. v. 21.

CAPUT XXXI.

Quomodo malis Sacerdotibus parendum, an solvere queant: & an vitandi.

DISCIPULUS.

ESt eis obediendum?

M. Ubi bonum præcipiunt; non eis, sed Domino obediendum est: *dicunt enim, & non faciunt:* Ubi malum imperant, contemnendi sunt; quia *obedire oportet Deo magis quàm hominibus.*

D. Possunt solvere vel ligare?

al. publicè al. ipso vinculo excommunicationis fortiter

M. Si ab Ecclesia * publico judicio separati non sunt, quamvis ipsi * fortiter alligati sint, utrumque possunt: quia non ipsi, sed Christus per eorum officium ligat & solvit: Si autem judicio Ecclesiæ fuerint excluſi, pernendi sunt ut * Ethnici. Quamdiu Judas cum Apostolis fuit, ut amicus apparuit; ut alii Apostoli, prædicavit, baptizavit, signa fecit: postquam ab eis recessit, ut publicus hostis * claruit. Ita isti quamdiu sunt in communione Ecclesiæ, omnia Sacramenta per eos facta erunt rata: si excluſi fuerint, quæcunque egerint, erunt irrita. * Quia igitur sunt lupi, à Christi ovibus sunt fugiendi, ut dicitur: *Exite de medio illorum, populo meus, ne participes fitis pœnis & tormentis illorum.*

al. hæretici

al. apparuit, Quod fecit & monuit, aliqui bos profuit, sibi obfuit Ita al. nihil prodest eis interesse. Quia Esa. 52. v. 11. al. non

D. * Numquid potest homo sua propter eos relinquere?

M. Ista separatio non potest corporaliter fieri, * nec debet: quia si boni à malis separantur, jàm nemo ad bonum per eos convertitur. In quibusdam tamen sunt devitandi, præcipuè in convivio, & in servitio Dei, ut dicitur: *Cum hujusmodi nec cibum sumere.* Fugiendi sunt mente & voluntate, * ne consentiatur operibus eorum.

al. omit.

1 Cor. 5. v. 11.

al. & opere, no

D. * Qualiter fit consensus ad actus illorum?

al. maledictis al. operi, vel

M. Si illorum * malefacta laudantur, & ad perpetranda flagitia, consilio * vel pecunia auxiliantur. Ideò non solùm qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus, digni sunt morte. Itaque quamvis mali quamdiu ab Ecclesia publicè non sunt segregati, non sunt devitandi, nisi sibi invicem omnes & Prælati & subditi ita in malo consentiant, ut nullus eorum pravitatem arguat: tunc omnibus modis sunt fugiendi, quia tunc causa fiunt ruinæ populi.

CAPUT XXXII.

De culpa Prælatorum malis Sacerdotibus conniventium, deque non ordinandis Sacerdotum filiis.

DISCIPULUS.

QUid de pastoribus eis consentientibus?

Aliorum hic Caput omit.

M. Legitur de Heli, quod quia filiis pravè agentibus consenserit, & eos tepidè super transgressione corripuerit, mortem corporis incurrerit: ubi manifestè ostenditur quia mortem, quam ille perpessus est in corpore, isti patiuntur in anima. Ipsi peccata delinquentium fovent, quatenus ab eis temporalia stipendia percipiant, & ab æterna beatitudine secluſi pœnas æternas cum eis luant. Aliqui cùm pastoris jura suscipiunt, ad lacerandum subditos inardescunt: pecunias ab eis extorquent & diripiunt, & sacri Ordinis per omnia infideles existunt, ut dicitur: *Pastores tui infideles, socii furum: sequuntur munera, manus eorum plena rapina.* Esa 1. v. 23.

D. Sunt Ordinandi Sacerdotum filii?

M. Minimè. Canonum Decreta, & Sanctorum Patrum Constituta prohibent eos ad Sacros Ordines ac-

Goliæ à David, & Holofernis à Judith; quod tunc malum dicitur, cùm proprio impulsu perpetratur.

al. dicitur

Conjugii bonum * creditur: sed ideò malum est adulterium, quia aliter fit quàm fit concessum. Quæ tamen in laudem Dei vertuntur, cùm ab eo justè puniuntur.

al. injusti juste

Sicut Imperator est laudabilis, qui milites suos * remunerat: ita est etiam laudabilis, imò laudabilior, qui prælones & latrones damnat. Ita utique sicut Deus in salvatione justorum glorificatur, sic in perditione impiorum per omnia laudatur.

al. suos bene

Sap. 11. v. 25.

D. Cùm scriptum sit. *Nihil eorum odisti, quæ fecisti:* quomodo dicitur Deus amare bonos, malos odio habere?

M. Cuncta diligit Deus quæ creavit: sed non cuncta in uno loco locavit. Sicut pictor omnes colores diligit, sed quosdam præ aliis eligit, & unumquemque apto loco ponit; ita Deus unumquemque sibi convenienti loco disponit: ideo dicitur eos diligere, quos in cœlesti palatio recipit; illos odisse, quos in infernali carcere mergit.

CAPUT III.

De libero arbitrio, & retrocessione à bono.

DISCIPULUS.

al. id est, in potestate hominis esse, & velle & posse bonum vel malum. Hoc

Quid est liberum arbitrium?

M. Libertas eligendi bonum vel malum.* Hoc in Paradiso homo habuit liberum; nunc verò habet captivum: quia bonum non vult, nisi gratiâ Dei præveniatur; nec potest, nisi * eum subsequatur.

al. ea

al. vel sæculum

D. Quid dicis de his, qui sæculum * relinquunt, religionis habitum sumunt, & transacto aliquo tempore rejiciunt, & pejores quàm priùs fuerint fiunt? quidam verò aliqua bona incipiunt, postea deserunt, & ad iniquitatem redeunt.

al dicitur

Job. 36. v. 13.

M. De his * dicit Job, *Simulatores & callidi provocant iram Dei.* Sæpe servus errantem filium ad patrem pertrahit, & ipse ad opus suum recedit: ita & isti electos ad Deum pertrahunt, & ipsi ad mala studia redeunt: Sic etiam timor * charitatem ad regnum ducit, & ipse non introibit. Sicut enim diabolus servit Deo, ita membra ejus serviunt electis etiam tali modo.

al omit.

CAPUT IV.

Quomodo diabolus Deo serviat, & mali bonis.

DISCIPULUS.

Quomodo diabolus servit Deo?

M. Quia gloriosus princeps despexit esse in palatio; fecit eum Deus laboriosum fabrum in hoc mundo, ut * coactus totis viribus serviat, qui vacare Deo fruendo nolebat, * ut dicitur: *Faciam tibi eum servum sempiternum.* Cujus fabri caminus, est afflictio & tribulatio; folles, * sunt tentationes & suggestiones; * mallei & forcipes, sunt terrores & persecutores; * limæ vel ferræ, sunt linguæ maledicentium & detrahentium. Tali camino & his instrumentis purgat ipse aurea vasa cœlestis regis: * hoc sunt electi, in quibus renovat imaginem Dei, reprobos autem qui contra regem agunt, ipse * torret & ut hostes punit. Tali modo servit diabolus Deo,

al. coact's

al. unde dicitur

Job. 40. v. 23.

al. folles & malles

al. Principes

al limæ ferreæ

al. hæc.

al. ipse torror ut hostis petibit vel torror ut hostes punit vel torror ut hostes perimit.

D. Qualiter serviunt membra diaboli electis?

M. Cùm eos trahunt ad regnum simulatione, vel impellunt adversitate. Simulatione quidem eos trahunt; cum bona exterius simulant, quæ interius non amant. Tunc filii Dei adhuc in errore positi, per eorum exempla, bona arripiunt, quæ toto corde diligunt: & cùm illi bona deserunt, quæ non amaverunt; isti firmiùs in cepto bono * persistunt: ut olim cùm mali Angeli ceciderunt, boni firmiùs steterunt. Adversitate autem eos impellunt, cùm eis temporalia, quæ plus justo diligunt, auferunt, & eis ne carnalia desideria implere prævaleant, obsistunt. Unde diabolus & mali utiles, imò necessarii comprobantur, cùm per eos electi examinati ad cœlestia deportantur.

al. inhærebunt

* D. Quid dicis de præsbyteris qui Ecclesias lucri gratiâ dimittunt, & alias accipiunt?

al. omit.

M. Lupi sunt, Apostatæ & latrones, suorum & eorum ad quos veniunt deceptores, imò traditores.]

CAPUT V.

Quare vita impiorum prosperatur, & in annos plurimos: non sic autem vita piorum, nisi quandoque.

DISCIPULUS.

Cur mali hîc divitiis affluunt, potentiâ florent, sanitate vigent: econtra boni inopiâ tabescunt, à malis injustè opprimuntur, debilitate marcescunt?

M. Propter electos his redundant mali, ut hæc * boni despiciant quibus florere etiam pessimos vident. Divitiis autem mali abundant, primò ut mala quæ concupiscunt, justo Dei judicio explere per pecuniam valeant: Secundò ut si qua bona fecerint, per hæc remuneretur. Omnia enim quæ faciunt, pro terrenis agunt; unde & mercedem suam recipiunt. Potentiâ splendent, primò propter seipsos, ut mala quæ amant, potenter expleant. Secundò propter reprobos, ut eos in malis defendant. Tertiò propter electos, ut eos castigent, & à malis actibus emendent. Sospitate autem polent, nec cum hominibus flagella sentiunt, ut post eos gravior dolor excruciet. Boni autem ideò inediâ, oppressione & languore afficiuntur, ne in malis delectentur: aut si aliqua contra Deum egerunt * peccata, deleantur; si non, pro patientia coronentur.

al. omit.

D. Cur econtra quidam boni hîc divitiis abundant, potentiâ sublimantur, valetudine roborantur: mali autem penuriâ, infirmitate & oppressione laborant?

M. Quibusdam electis divitiæ * ideò conceduntur, ut bona quæ amant, rebus implere valeant: & per hæc etiam admonentur, si hæc temporalia, suavia, quantò magis æterna videntur. Potentiâ sublimatur primò propter seipsos; ut bona quæ mente conceperunt, potenter exercere possint. Secundò propter electos, ut eis in * bona tutela sint. Tertiò propter reprobos, ut eos * reprimant, ne tantùm quantùm volunt noceant. Sanitate solidantur, ne justi de eorum ægritudine contristentur, sed de eorum salute lætentur. Econtra mali quidam hîc egestate, afflictione, corporis dolore suspirant; ut per hæc discant quàm amara sint ad quæ pravis moribus festinant.

al. à Deo

al in bonis

al. opprimant

* D. Quare quidam mali diu vivunt, quidam verò boni citiùs moriuntur: & econtra aliqui boni diuturnam vitam ducunt, mali verò celeriùs obeunt?

Vide varias solutiones

M. Mali ideò diu vivere permittuntur, ut electi per eos exerceantur, & à vitiis corrigantur; ipsi verò post majoribus suppliciis torqueantur: Boni autem citiùs tolluntur, ne diutius hîc adversis atterantur, sed mansuris gaudiis * inferantur. Econtra, vita longæva justis datur, ut meritum illorum augeatur, cùm plures per illorum exempla * corriguntur. Mali sanè celeriter ad tormenta rapiuntur, ut electis adhuc errantibus timor incutiatur, & sic ab errore retrahantur.

al. inferantur

al. convertantur

Digitized by Google

CAPUT VI.

De bono tribulationis : & quòd malis nihil boni contingat ; bonis autem nihil mali.

DISCIPULUS.

S Unt * felices, qui adversis non tanguntur ? *al. infelices*

M. Imò infeliciſſimi ſunt, quibus permittitur hîc per omnia ſuaviter vivere, & omnia deſideria ſua pro libitu ſuo implere, * ſi adverſitate non tanguntur : quia tali modo ut arida ligna ad ignem nutriuntur. Econtra ſunt illi feliciſſimi, qui hîc à ſuis deſideriis arcentur, & multis aſperitatibus exercentur : quia tali modo ad regnum ut filii flagellis eruditiuntur, ut dicitur: *Deus flagellat omnem filium quem recipit.* Volo te ſcire quòd reprobi quamvis coronâ regni potiantur, omnino impotentes ſunt, & numquam ſine ſupplicio erunt. Electi verò quamvis captivi, quamvis in carcere poſiti, ſemper potentes ſunt, & numquam præmio carebunt. *al. ſed*

D. Pro Dei amore fac me hoc * clarius videre ? *al. facilius audire vel ſcire ?*

M. Reprobi impotentes ſunt, quia præventi irâ Dei * bonum nolunt, & ideò nullo modo poſſunt : * malum autem & volunt, & poſſunt. Malum verò probarum eſt nihil eſſe : ideo eos conſtat nihil poſſe. Sine ſupplicio non ſunt, quia * ſævâ cõſcientiâ cruciantur, continuo timore anxiantur ne capiãtur, ne occidãtur, neres ſuæ tollãtur, unde dicitur: *Non eſt pax impiis, dicit Dominus.* Econtra electi nimiùm potentes ſunt, quia præventi gratiâ Dei & bonum volunt & poſſunt; malum verò reſpuunt. Præmio non carent, quia ſine timore manent, & * ſpe futuræ libertatis certi gaudent : unde dicitur, *Juſtus abſque terrore erit.* Aliter etiam tibi volo inſinuare quòd malis nihil boni contingat, & bonis nihil mali eveniat. *al. bona* *al. mala* *al. ſed* *al. unde.*

D. In Dei nomine quid loqueris ? Nonne mali hîc conviviis deliciantur, decore ac commixtione mulierum, ac liberorum complexione jocundantur, pretioſa veſte gloriantur, pecunia ac magnificis ædificiis exaltantur : econtra boni hîc carceribus includuntur, verberibus tunduntur, fame & ſiti & aliis cruciatibus affliguntur ?

M. Cùm fortuna malis * proſpera arriſerit, & eos copia de ſuo cornu his bonis quæ enumeraſti, repleverit, tunc aſſimulantur piſci qui mordens hamum gratulatur, ſed hoc tripudio de aqua tractus enecatur: Aut illi cui poculum mellis præbetur, & poſt ſine fine amarum mare epotare cogetur : nam pro epulis replentur, ut ille dives, abſinthio amaritudinis ; pro mulierum amore, ſulphureo fœtore ; pro veſtium nitore, induentur confuſione ; pro pecunia & ædificiis, hereditabunt vermes in infernalibus antris ; unde dicitur. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in punctο ad infernа deſcendunt.* Porrò boni, quos aſſeris hujuſmodi incommodis affici, ſimiles ſunt illis qui piper vel * aliam herbam amaram prælibant guſtu, ut vinum poſt ſumptum ſuaviùs ſapiat. Ita * juſti pro carcere, recipientur in æterna tabernacula ; pro verberibus, obtinebunt gaudium & lætitiam ; pro fame & ſiti, *non eſurient neque ſitient amplius* ; pro cruciatibus, *fugiet ab eis dolor & gemitus.* Ex qua re probatur juſtos eſſe ſemper locupletes & beatos ; impios ſemper eſſe inopes & miſeros. *al. per proſperа* *al. aliquam* *al. ipſi*

CAPUT VII.

Unde dignitates : & quòd eas vendere vel emere nefas eſt : & quale debeat eſſe prælatorum regimen.

DISCIPULUS.

UNde ſunt dignitates ?

M. A Deo ſunt utique omnes dignitates, vel poteſtates malorum, ſeu bonorum, ut dicitur : *Non eſt poteſtas niſi à Deo* Cur autem aliquando mali, aliquando verò boni poteſtates ſortiantur, jam ſuperiùs dictum eſt.

D. Quam ſententiam profers de his, qui eas vendunt, vel emunt ?

M. Qui eas emunt, cum Simone * interitum ſubibunt : qui verò vendunt, cum Giezi lepram animæ incurrunt. *al. mago*

D. Habent Prælati majus meritum apud Deum ?

M. Ordo officii, aut dignitas poteſtatis nihil confert homini apud Deum, ſi deſit meritum. Porrò qui in Eccleſiaſticis * præſunt, ut Epiſcopi & Preſbyteri, * ſi verbo & exemplo * bene præſunt ; tot præmia præ aliis habebunt, quot animæ per eos ſalvæ * fiunt, ut dicitur : *Super omnia bona ſua conſtituet eos.* Subditis verbum ſalutis ſubtrahunt, & eos in foveam * perditionis per pra exempla ducunt ; tot pœnas præ aliis hæreditabunt, quot animæ * eorum exemplo perierunt, vel quot ſalvare prædicando neglexerunt ; ut dicitur : *Cui plus committitur, plus ab eo exigitur.* Et iterum, *Potentes potenter tormenta patientur.* Qui autem in ſæcularibus Prælati ſunt, ut reges & judices, ſi juſtè judicant, & clementer ſubditos tractant ; majorem gloriam præ aliis à juſto judice Deo conſequentur : quia *qui bene miniſtrant, bonum ſibi gradum acquirunt.* Si autem injuſtè & crudeliter populum opprimunt : atrocia ſupplicia præ aliis habebunt : *quia durißimum fiet judicium his qui præſunt ; & judicium ſine miſericordia ei, qui non fecit miſericordiam.* *al. rebus* *al. & Abbatis* *al. bono* *al. fiunt* *al. mortis* *al. per eorum exempla*

CAPUT VIII.

Cur electi patiuntur cum reprobis : deque Dei potentia & providentia.

DISCIPULUS.

CUm electi non ſint de mundo ; cur cum reprobis patiuntur adverſa mundi ?

M. Quia communicant cum malis, ideo cum ipſis *adverſa tolerant : quia verò ſæpe mundialibus * utuntur, ideò mundi infortuniis affliguntur. *al. aſpera* *al. letantur*

D. Cùm Deus omnipotens ſit, ut dicitur ; *Omnia quæcumque voluit, fecit :* & iterum : *Subeſt tibi poſſe omne quòd volueris :* Cur dicitur de eo quòd quædam non poſſit : ut eſt mentiri, & præteritum non facere quin ſit præteritum ? *Pſ. 134. v. 6. Sap. 12. v. 18.*

M. Cùm hoc de Deo dicitur, non impotentia, ſed ſumma omnipotentia prædicatur, quòd videlicet omnis creatura nequeat eum ad hoc flectere, ut velit * ſtatutum ſuum immutare. *al. ſtatum*

D. Quid eſt providentia Dei ?

M. Ea cognitio, qua omnia futura præſcivit, imò aſpexit ut præſentia.

D. Si Deus cuncta futura præſcivit, & ea ita ventura per Prophetas prædixit, & non poſſit in ſua providentia falli, & cœlum & terra priùs tranſeant, quàm verba Dei poſſint immutari : videtur quòd ex neceſſitate cuncta evenerint quæ unquam contigerunt vel adhuc ventura ſunt ?

M. Duæ neceſſitates ſunt : una naturalis, ut Solem in Oriente oriri, vel diem noctem ſequi. Altera voluntaria, ut aliquem ambulare, vel * ſedere. Quæ Deus vult, ut fiant, ut cœlum & terram, inevitabile eſt non evenire, ſed per omnia neceſſe eſt ita cõtingere. *al. ſcribere*

Quæ autem fieri tantùm permittit, ut homines per liberum arbitrium bonum vel malum facere, non est necesse evenire. Omnia igitur quæ futuri homines erant facturi, Deus futura præscivit, & per Prophetas ventura prædixit: non tamen suâ præscientiâ aliquam necessitatem eis intulit ut fierent, sed potiùs ipsi * vim necessitati intulerunt, cùm suam voluntatem explerent.

al. necessitatem

D. Accidit aliquid casu?

M. Nihil omnino: sed omnia Dei ordinatione.

D. Quomodo ergo aliquæ Dei Ecclesiæ, vel ædificia etiam bonorum, fortuito igne invadente, quasi casu cremantur?

Tob. 5. v. 6

M. Casus nihil est. Scriptum est autem: *Nihil fit in terra sine causa.* Unde patet quòd nulla Ecclesia, vel aliqua casa uspiam in mundo comburitur, nec destruitur, nisi priùs a Deo adjudicetur. Contingit autem hoc tribus * ex causis. Primò, si * Ecclesiæ ædes per injustè acquisita constructæ sunt. Secundò, si inhabitantes eas per immunditias coinquinant. Tertio, si eas homines plus quàm * æternas diligant. Sed nec minimum pecus homini moritur vel infirmatur, nisi Dei * nutu judicetur.

al. modis
al. eadem
al. æterna
al. nutus

D. Cùm mors & ægritudo sint pœnæ peccati; cur hæc patiuntur pecora, cùm per discretionem * peccare nesciant?

al. & peccare

M. Per ea homo punitur, cùm eorum dolore vel morte in animo torquetur.

D. Hoc potest esse de domesticis; quid dicis de agrestibus *?

al. animalibus

M. Quòd ea ægritudine vexantur, evenit eis ex corrupto aere, vel ab aliis rebus, quæ ob peccatum hominis in contraria mutantur.

CAPUT IX.

De prædestinatione; & de permissione peccati in electis.

DISCIPULUS.

Quid est prædestinatio * Dei?

al. Christi
al. ordinatio

M. Ea * dispositio, qua ante creatum sæculum quosdam ad suum regnum præordinavit, de quibus nullus perire possit, & omnes salvari necesse sit: * & quosdam ad pœnam, quos peccati reos præscivit; de quibus nullus salvus erit.]

al. omit.

D. Si nullus potest salvari, nisi prædestinati *; ad quid alii creati sunt; vel in quo sunt rei, quòd pereant?

al. vel prædestinati

M. Quicquid prædestinati faciant, perire nequeunt: quia omnia cooperantur illis in bonum, etiam ipsa peccata. Nam post graviora * peccata humiliores erùt, & de sua salvatione uberiores laudes Deo referunt. Reprobi autem propter electos sunt creati, ut per eos in virtutibus exerceantur, & à vitiis corrigantur, & eorum collatione gloriosiores appareant; & cùm eos in tormentis viderint, de sua evasione ampliùs gaudeant. Qui etiam propter seipsos justè pereunt, cùm malum sponte sua eligunt; * diligunt & vellent sine fine vivere, ut possent sine fine peccare.

al. facinora

al. omit.

D. Quare permittit Deus electos peccare?

M. Ut * patefaciat in eis divitias misericordiæ suæ.

al. patefiat

D. Salvantur prædestinati, si non laborant?

M. Prædestinatio taliter instituta est, ut precibus vel laboribus obtineatur, ut dicitur: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Parvulis autem per mortis acerbitatem; provectis autem ætate datur prædestinatio per * laborem & exercitationem. Quia verò scriptum est: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt:* unusquisque obtinebit mansionem secundùm proprium laborem: ita prout quis plus laboraverit, digniorem; qui verò minùs, inferiorem possidebit. Nullus tamen plus laborare poterit, quàm cum divina gratia juverit: Nec aliam mansionem quis habiturus erit, quam eam ad quam ante mundi exordium prædestinatus fuit: quia *non volentis, neque currentis, sed Dei est miserentis.* Ita nullus reproborum quicquam plus facere prævalet, quam divina censura permittit; nec aliam pœnam habebit, quam eum divinum judicium, ante mundi initium secundùm suum meritum, habiturum præscivit; ut Deus, antequam bonum, vel malum facerent, dixit: *Esau odio habui, Jacob autem dilexi.*

Act. 14. v. 21.

al. laborem exercitationem

Jo. 14. v. 2.

Rom. 9. v. 16.

Ibid. v. 11. Mal. 1. v. 2. & 3. al. omit.

* D. Quomodo possunt dignosci?

M. Qui in bonis actibus usque in finem perseveraverint, vel qui mala faciens ea deseruit, & ad pœnitentiam profuit, & in hæc usque in finem perduraverit, hic de prædestinatis erit. Qui autem in malis perdurat; vel bona agens hæc relinquit, & mala perpetrat, & his usque in finem insistit, de reprobis exsilit.] Sicut illi * dicuntur rei, qui multa de Deo audierunt, & obsequi noluerunt: ita videntur innoxii, qui nunquam aliquid de Deo audierunt, & ideo non fecerunt. Homines sunt ita creati, ut naturaliter per dilectionem proximi serviant Creatori, per illud: *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris.* Nullus vult pati furtum, adulterium, homicidium; non faciat ulli. Cùm hoc homines in proximo spernunt; Deo, qui est * dilectio, contradicunt: * quamvis nullus sit in orbe angulus, ubi non sit notus Deus; cùm mercatûs gratiâ vel alterius rei, in illas & illas terras, ubi Deus colitur, mixtim homines eant, & quæ ibi de Deo audierunt, domi referant, & ideo sunt inexcusabiles.

al. videantur

Tob. 4. v. 16.

al. vera
al. omit.

CAPUT X.

De ignoratione Dei.

DISCIPULUS.

Possunt excusari qui Deum ignorant, & bona; & ideo faciunt mala?

M. *Qui ignorat ignorabitur.* Qui enim Deum in fide & opere, ut Gentes, ignorat; hunc Deus ut hostem suum damnat. Qui autem Deum per fidem noverunt, sed voluntatem ejus simpliciter, ut Rustici, ignorant; si damnantur, non graviter * damnantur, ut dicitur: *Servus nesciens voluntatem Domini sui, & non faciens, vapulabit * paucis.* * Qui autem per ingenium scire possunt, sed per malitiam scire dissimulant, ut Clerici & Monachi, duriùs punientur, ut dicitur: *Qui scit, & non facit, plagis vapulabit multis.* Qui verò bona audire nolunt, & quæ debent facere * discere contemnunt, duplici animadversioni subjacebunt. Primò pro contumacia, quòd scienter peccant: secundò pro contemptu, quia bonum discere recusant, ut dicitur: *Revelabunt cœli iniquitatem illorum, & terra adversùs eos consurget in die furoris Domini, qui dixerunt Domino Deo: * recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.*

1. Cor. 14. v. 38.

al. puniuntur

Luc. 12. v. 48.

al. plagis paucis

al. Qui verò scire possunt bona per ingenium, sed audire nolunt, ù pet malitiam

al. omit.

CAPUT XI.

Quid sit originale peccatum.

Qui sit ordo mortis.

DISCIPULUS.

Quid est originale peccatum?

Ex Mat. Cler. & Timoth.

M. Injustitia.

D. Planiùs edicito.

M. Deus justum primum hominem fecit. * Quam justitiam ipsum servare & posteris relinquere justum fuit: omnis namque homo cum tali justitia nasci debuit, quali Adam conditus fuit. Sed quia hanc Adam spon-

al. quia

ed by Google

se deseruit; omnis homo in injustitia originem vivendi sumit, quæ injustitia originale peccatum vocatur; pro qua omnis homo damnatur, nisi ei in baptismate dimittatur.

D. Cùm omne peccatum, solà voluntate perpetretur: non video quomodo justè infanti recens animato vel nato peccatum imputetur; præsertim cùm nullam voluntatem peccandi habeat, nullamque justitiam facere vel intelligere prævaleat?

M. Infans recens animatus, vel natus, tribus de causis reus existit. Primò, quia naturalem justitiam non habet, quam Deus primo homini contulit. Secundò, quia debitor satisfaciendi pro temeritate desertionis existit. Tertiò, quia miserias incurrendo se inutilem suo Domino fecit. Omnis autem homo Angelis adæquandus justus nasci debuit, sicut Deus constituit. Sed quia hanc Adam deseruit, Deus eam ab omni posteritate sua exigit.

D. Cùm scriptum sit: *Filius non portabit iniquitatem Patris.* Et item, *unusquisque onus suum portabit:* quomodo justè ab infante exigitur quod à parente delinquitur?

M. Nullus peccatum exigitur ab alio; nullusque pro alterius, sed pro sua ipsius injustitia punitur. Deus justitiam ab omni homine exigit, quam primo dedit: omnis autem homo in natura est Adam, in persona filius Adam. Et quia omnis homo absque hac justitia nascitur; non pro hoc quòd eam Adam deseruit; sed quia eam ipse non habet, punitur. Igitur quia naturalis justitia in infante non invenitur, à justitia Dei justè repellitur, ac justissimè cum injustis pœnæ à Deo subjicitur, qui etiam in tertiam & quartam generationem peccata justè ulciscitur.

D. Nihil magis cupio audire.

CAPUT XII.

Quomodo Deus in quartam Generationem peccata punit.

MAGISTER.

Ex Mss. Cot. & Thuan.

DEus in prima generatione peccata retribuit, dum peccátes pro naturali lege spretâ diluvio delevit. In secunda generatione punivit, dum delinquentes pro idololatria mari Rubro obruit. In tertia generatione peccantes multavit, dum eos pro transgressa lege scripta * bello exterminavit. In quarta generatione peccata * vindicabit, dum pro despecto Evangelio * contemptores extremus ignis devorabit. Quamvis sæpe pro peccatis parentum filii in sua * injustitia justè deserantur, ut & hîc & ibi puniantur. Quatuor quoque genera sunt peccandi, cogitatio, locutio, operatio, in malis perseveratio. In tertia ergo & quarta generatione, Deus peccatum retribuit; dum pro factis in malis perdurantes punit.

al. bellis
al. vindicavit
al. contemptorem
al. justitia

D. Cùm caro tantùm ab Adam assumatur, anima autem à Deo tribuatur; mirum est quomodo justè ab anima exigitur quod per carnem contrahitur.

M. Non puto te ita desipere, ut arbitreris carnem absque anima hominem esse: anima quippe ad hoc datur, ut caro vivificetur. Itaque ante acceptam animam nihil à carne exigitur; nec ab anima ante conjuctionem carnis quicquam exquiritur, præsertim cùm in semine humanæ conceptionis nulla culpa, sicut nec in sanguine vel in sputo esse comprobetur; & anima innocens à Deo creetur. Porrò animæ & corporis homo dicitur: & ob hoc debitum Adæ justè exigitur: & quia in iniquitatibus concipitur, in injustitia nascitur, reus justo judici statuitur.

D. Quomodo in iniquitate concipitur?

M. In concupiscentia: omnis namque homo debuit sine concupiscentia generare: sicut manus manui jungitur sine delectatione. Sed quia primus homo à justitia naturali recessit, & interdictum concupivit: mox concupiscentia eum servum sibi subegit, & ipsum omnesque posteros suos in eâ concupiscentia generare coegit. Igitur omnis qui in concupiscentia concipitur, injustus nasci convincitur; & ideò si absque baptismate, quod est mors Christi, moritur; in cœlum Angelis coæquandus non assumitur. Nullus quippe Angelis æquabitur, nisi cui nulla injustitia * sicut nec ipsis dominabitur. Nemo autem mundus à sorde, nec infans unius noctis in orbe.

al. Sicut ipsis

CAPUT XIII.

Quid est concupiscentia.

DISCIPULUS.

Ex Mss. Cot. & Thuan.

ADhuc scrupulus animum meum tenet, cui fortiter inhæret.

M. Quisnam?

D. Cùm caro insensibilis sit, ac per se nihil facere possit; nullâ ratione video qualiter adversùs spiritum concupiscere dicatur, & eum ad consensum * sui attrahere astruatur.

al. suum

M. Hoc clavis David citiùs clausum referabit, quoniam hominem carnem ab Adam, animam autem à Deo habere constat: sed concupiscentiam nec ab Adam, nec à Deo habere nullus ignorat. Cùm verò anima carni juncta fuerit, concupiscentiam ab eo trahit. Duas autem vires animæ inesse nullus dubitat, unam qua corpus vivificat; alteram qua invisibilia considerat. Et illa qua corpus vivificatur; animalitas, vel carnalitas, vel sensualitas nominatur. Illa autem quæ invisibilia contemplatur, spiritus, vel mens, vel intellectus nuncupatur. Inferior ergo pars animæ quæ animalitas nominatur, à corpore quod corrumpitur, aggravatur, & sensibus carnis immersa ab eis obruitur, & spiritualia oblivisciturr, tantùm in terrenis delectatur: Et idcircò caro appellatur, & contra spiritum concupiscere affirmatur. Superior autem vis animæ, quæ Spiritus, vel interior homo, nominatur, spiritualia & cœlestia scrutatur, caduca respuens invisibilium contemplatione delectatur, & ideò carni adversari perhibetur. Dicitur autem concupiscere, * sicut dicitur auris audire.

al. fieri auris audire

D. Quomodo potest spiritus ab anima superari?

M. Sicut Adam ab Eva: anima namque uxor spiritus scribitur: caro utriusque ancilla dicitur. Spiritus itaque imperet uxori suæ per rationem: anima obediat marito suo per dilectionem: caro ancilla famuletur per operationem. Quòd si uxor ab ancilla illecta maritum ad consensum mali inclinaverit, & ipse cum ea per ancillam peccatum perpetravit: sicut serpens persuadens, mulier concupiscens, vir consentiens pœnis subduntur; sic justè caro illiciens, anima concupiscens, spiritus consentiens simul à gaudio excluduntur.

D. Quid igitur faciant?

M. Sara, scilicet, anima Abrahæ, id est, spiritui adhærens carnalia respuat, spiritualia concupiscat; Agar ancillam, id est, carnem suam vigiliis & jejuniis ad bona opera constringat: & sic eis Isaac, id est, verum gaudium nascetur, quo non discordes, sed perenni pace concordes congratulentur.

D. Habet incrementum anima?

M. Non quantitate, sed ratione.

D. Qualiter nascuntur quidam fatui, cùm animæ rationales sint.

M. Dum crassior humor in viscо matris utero concipitur; quodammodo anima in hoc corpusculo hebetatur: sicut etiam adulti aliquâ infirmitate sensu privantur.

CAPUT

CAPUT XIV.

De animarum origine, & quales ſint in infantibus.

DISCIPULUS.

al aut creantur quotidie novæ in novis corporibus

al. non ſunt igitur animæ creatæ in viſibili materia

Joan 5 v. 17. Pſ. 32. v. 15.

SUnt animæ ab initio creatæ? *

M. Deus omnia ſimul & ſemel per màteriam fecit, ut dicitur: *Qui fecit quæ futura ſunt*, poſtmodum autem univerſa per ſpeciem diſtinxit. Ab initio * igitur animæ ſunt creatæ in inviſibili materia: Formantur autem quotidie per ſpeciem, & mittuntur in corporum effigiem, ut dicitur: *Pater meus uſque modò operatur*, & alibi: *qui finxit ſingillatim corda eorum*, id eſt, animas.

D. Cùm Deus ſummè bonus, & ſummè Sanctus non niſi bonas & ſanctas animas creet, & ipſæ animæ propter obedientiam ejus corpora intrent; omni admiratione & omni ſtupore eſt admirandum, cur eant in infernum, ſi illud corpuſculum mox fuerit mortuum?

M. Deus, à quo omnis bonitas & omnis ſanctitas eſt, non niſi bonas & ſanctas creat animas, & ipſæ

al. ſcilicet animæ mirabiliter al corpus immundum

al. ſcilicet animæ

* naturaliter deſiderant corpus intrare, ut nos naturaliter cupimus vivere: verumtamen cùm intraverint illud * immundum & pollutum vaſculum, tantâ aviditate illud amplectuntur, ut plus illud diligant quàm Deum. Juſtum igitur eſt, ut cùm ipſæ * ſordidum vas, imò carcerem quo includuntur, amori Dei præponant, eas Deus a conſortio ſuo excludat.

D. Sciunt animæ aliquid in corporibus infantium?

M. Legitur de B. Johanne Baptiſta, quòd anima ejus adhuc in matre ſenſerit Chriſtum adeſſe: unde

al. opinantur quidam animas. al. omit.

* patet animas quidem parvulorũ ſcientiâ non carere; ſed præ debilitate corpuſculi non poſſe exercere: * Dicitur tamen quòd nulla anima per ſe ipſam plusquam corpus ſciat, niſi à vivificante ſpiritu accipiat.]

CAPUT XV.

Quomodo peccatum tranſfunditur etiam à parentibus baptizatis.

DISCIPULUS.

CUr vócas corpus immundum de homine Chriſtiano natum?

M. Quia de immundo ſemine concipitur, ut dicitur: *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine?* & alibi: *in iniquitatibus conceptus ſum.*

Job. 14. Pſal. 50.

D. Cùm homo totus in baptiſmate emundetur, & conjugium bonum prædicetur; quomodo ſemen ejus immundum dicitur?

M. Homo in baptiſmate interiùs & exteriùs ſanctificatur: ſed rurſum ſemen ejus per carnis concupiſcentiam coinquinatur.

D. Cùm illa cõmixtio nequeat fieri abſque delectatione carnali, & ille infans non poſſit repugnare parentibus, ut puta adhuc informatus; quomodo ipſe eſt immundus, aut culpæ, aut pœnæ obnoxius?

al. pollutionis parentes deferens tranſfunditur al. generationem al. omit.

M. Crimen hujus pollutionis * propter fidem conjugii parentes deferit: ob injuſtitiam autem primæ prævaricationis tranſfunditur, quaſi hæreditario jure, in * generatione prolis: & ideò tenentur obnoxii culpæ Adæ, * in quo omnes peccaverunt,] & in quo omnes mortui ſunt.

D. Si omnes in Adam mortui ſunt, quomodo naſcuntur vivi?

M. Sicut ſi quis ad aliquam feneſtram ſe demõſtret, & ſtatim revertatur: ſic homo naſcens quaſi ſe demõſtrat in mundo, & mox in mortem revertitur.

D. Si peccata relaxantur in baptiſmo, cur baptizantur qui de eis naſcuntur.

al. ſic eſt ut de aliqua paſta corrupta veneno, omnes

M. * Si aliqua paſta veneno fuerit corrupta, omnes panes ex ea confecti ſunt mortiferi: ſic in Adam fuit maſſa corrupta, & ideò ex eo nati ſunt omnes peccato corrupti; & idcirco mortè dĩgni, niſi fuerint in morte Redemptoris per baptiſmum vivificati. Sicut ergo parentes pro ſeipſis in baptiſmate ſunt emundati, ita filios oportet pro ſeipſis * per mortem Chriſti in baptiſmo renovari, ut dicitur: Omnes, * qui in Adam moriuntur, in Chriſto vivificabuntur.

al pro morte

* D. Si prægnans mulier baptizatur; prodeſt infanti illa baptizatio, ſi in ea moritur?

al. omit.

M. Nihil. Nondum enim ſicut Adam fuit natus: & ideò in Chriſto non judicatur renatus.]

D. Cur * non permittit Deus quoſdam naſci ut baptizentur; aut natos priùs ſubtrahit morte, quàm regenerentur?

al. Cur permittit

M. Judicia Dei abyſſus multa: * ideò occulta, quamvis cauſa eluceat, cùm notum ſit quòd propter electos fiat: ut videlicet cùm iſtos tam immeritos & penè ſine peccato viderint * in pœna, & ſe poſt multa facinora tam indebitos in gloria uberiùs jubilantes Deo grates referant, cujus gratiâ tam meritas pœnas evaſerunt.

al. omit. al. penæ, &

D. Quam pœnam habent parvuli ſine baptiſmo mortui?

M. Tenebras tantùm.

D. Nocet aliquid infantibus, quòd de illiciro conjugio, ſcilicet de adulterio, * vel cognatis, * vel Canonicis, vel Monachis, vel Sanctimonialibus naſcẽtur?

al. omit. al omit.

M. Nihil omnino, ſi fuerint baptiſma conſecuti; ſicut nec tritico nocet, ſi furatum per furem fuerit ſeminatum.

D. Nocent peccata parentum filiis, vel filiorum parentibus?

M. Scriptum eſt: *Pater non portabit iniquitatem filii: nec filius portabit iniquitatem patris.* Si filii parẽtibus in * malis non conſenſerint, aut parentes filios ſuos ab his prohibere non potuerint; nihil nocebunt peccata alterutrorum alterutris: ſicut nec Joſue * nocuit quòd pravũ patrem habuit, & rurſum non obfuit quòd nequã filiũ genuit. Si autem parentes filiis, vel filii parentibus conſenſum præbuerint in peccatis, mali ſunt, * cum ipſis: & jam non pro illorũ, ſed pro ſuis malis damnabuntur.

Ez. 18 v. 20.

al. malum

al. profuit

al. cum ipſi etiam non illorum ſed vel cum ipſis & jam pro illorum ſicut pro

CAPUT XVI.

De connubio cum conſanguinea, & commatre, ac filiola: & de polygamia.

DISCIPULUS.

ESt grave peccatum, ducere cognatam?

M. Secundùm naturam, nullum: ſed ſecundùm ſtatutum * Eccleſiæ, magnum.

al. omit.

D. Quomodo hoc probas?

M. Nullum fuit peccatum comedere pomum: ſed contra præceptum Dei comedere, fuit maximum.

D. Quare olim ſancti Patres duxerunt ſuas conſanguineas?

M. Charitas apud illos nòn extendit ſe latiùs quàm ad amicos, ut dicitur: *Diliges amicum, & odio habebis inimicum.* Debuerunt ergo cognatorum filias accipere, quibus poſſent amorem impendere. Apud nos autem extendit ſe charitas etiam ad inimicos, ut dicitur: *Diligite inimicos veſtros.* Quia igitur ipſe ſanguis nos cogit * cognatos diligere; ſtatuit Eccleſia per Spiritum ſanctum, alienorum filias ducere, ut uxor inter nos & extraneos ſit dilectionis vinculum, quo charitas ſe dilatet per omne genus humanum.

Matt. 5. Luc. 6.

al. cognatos

D. Quomodo probas non eſſe peccatum cognatam ducere?

M. Licet duobus fratribus duas ſorores ducere?

D. Licet.

M. Soror uxoris meæ ſit mea cognata per ejus ſanguinem. Rurſus meus frater cognatus efficitur uxoris meæ per meum ſanguinem. Si igitur ſecundùm naturã

Digitized by Google

est peccatum; cur ducit meus frater meam & suam co- A
g.. am? Igitur secundùm naturam peccatum nullum
al. grave pe- est, sed secundùm interdictum grave* est piaculum.
riculum

D. Non possum intelligere quomodo sit illicitum commatres vel filiolas ducere.

M. Hoc etiam, sicut superiùs dixi, secundùm naturam non est peccatum, sed secundùm Sacramentum. Sicuti enim uxor tua est filii tui mater in generatione; sic illa, quæ eum suscipit de fonte, fit ejus mater in spirituali regeneratione, & ita fit tua commater soror uxoris tuæ, & filiola fit soror filiæ tuæ. Similiter si tu alterius filiam levaveris; compater, id est, frater sui patris eris: & non licet illi duas sorores, aut mulieri duos fratres accipere. Igitur per Sa-
al. omit. cramentum tale conjugium est penitus illicitum.*

D. Propter quod Sacramentum?

M. Per carnale connubium significatur Christi & B
Ecclesiæ Sacramentum. Sicut enim vir mulieri commixtus, unum cum ea efficitur: ita Ecclesia per commixtionem Corporis Christi, unum cum ipso; & ipse per assumptionem humanæ naturæ, unum cum ea
al. effici dicitur, ut sacribitur * efficitur, ut dicitur; *Erunt duo in carne una: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Sicut ergo humana natura à Christo erat aliena, quam sibi conjun-
al. ita debent fœminæ quas viri ducunt xit; ita* debet fœmina esse ex aliena parentela, quam vir in matrimonium ducit.

Quid de commatribus, & filiolabus?

M. Commatres & filiolæ ideò nobis in copula interdicuntur, quia nobis* spiritualiter in Sacramento
al. specialiter al. noscuntur conjunctæ* noscuntur: & indignum judicatur ut de spirituali ad carnale descendatur.

D. Licet plus quàm unam uxorem ducere?

M. Sicut Christus non nisi uni Catholicæ Ecclesiæ C
copulatur, sic lege divina vir jure non nisi uni mulieri associatur: unde primi patres nuptias repetisse non leguntur. Quòd autem inter Christianos unâ mortuâ alia ducitur, non est divinum jussum, sed Apostolicum permissum ob incontinentiæ medicamentum, ne in fornicationis prolabantur abyssum. Portò, quod tertiò repetitur, fornicationi adscribitur.]

CAPUT XVII.

De Ecclesiæ Ministris, ac Monachis.

DISCIPULUS.

ANima mea gratulare, quia omnia quæ desideraSti, contig.t
al. ut * te audire. Eia nunc nobilis Doctor, pocula Spiritus sancti tibi abundè infusa conservis largiter eructa: & qui jam de Prælatis dixisti, de reliquis Ecclesiæ ministris quid sentias, insinua. D

M. Primò igitur Sacerdotes, si bene vixerint, exemplo sunt lux mundi: si rectè docuerint, verbo sunt sal terræ. Reliqui verò Ecclesiæ ministri sunt fenestræ in domo Domini, per quos lumen scientiæ splendet his qui sunt in tenebris ignorantiæ: quòd si bene vixerint & non docuerint, sunt carbones ignis, qui ardent & non lucent. Si bene docuerint & malè vixerint, sunt ardens candela, quæ aliis lucet, & sibimet cerâ liquescente deficit: vel campana, de qua aliis dulcis sonus redditur, & ipsa assiduo pulsu atteritur. E
Si autem nec bene vivunt nec docent, sunt fumus qui ignem obfuscat, & aciem oculorum reverberat, de
Apoc. 8. his dicitur: *Stella non luxerunt:* Ideò de cœlo ceciderunt.

D. Quid dicis de mundi contemptoribus, scilicet
al. religiosis Monachis, vel aliis habitu * Religiosis?

M. Si propositum suum religiosè vivendo impleverint, cum Domino judices erunt: Sin autem; miserabiliores omnibus hominibus sunt: quia non habent nec
Ps. 14. v. 16. sæculum, nec Deum; de his dicitur: *Descendant in infernum viventes*; quia scientes.

CAPUT XVIII.

De variis Laicorum statibus.

DISCIPULUS.

QUid sentis de militibus?

M. * Pauci boni; de præda enim vivunt, de
al. parum rapina se vestiunt, inde possessiones emunt, & exinde beneficia redimunt, de his dicitur: *Defecerunt in* Psal. 77. v. *vanitate dies eorum, ideò ira Dei ascendit super eos.* 33. v. 34.

D. Quam spem habent mercatores?

M. Parvam: nam fraudibus, perjuriis, lucris omne
al. quicquid penè * quod habent acquirunt.

D. Nonne sacra loca frequenter visitant, libenter Deo sacrificant, eleemosynas multas dant?

M. Hæc omnia ideò faciunt, ut Deus eis res suas B
augeat, & habitas custodiat, * & per hæc recipiunt
al. unde percipiant mercedem suam; de his dicitur: *Qui confidunt in* Psal. 48. *multitudine divitiarum suarum:* sicut oves in inferno deponentur, & mors depascet eos.

D. Quid * sentis de variis artificibus?
al. Quid vatii studiosi

M. Penè omnes pereunt; nam quicquid faciunt, cum maxima fraude agunt: de his dicitur. *Non sunt* Job 34. v. 22. *tenebræ, & non est umbra mortis, ut abscondantur ibi, qui operantur iniquitatem.*

D. Habent spem joculatores?

M. Nullam: tota namque intentione sunt ministri Satanæ, de his dicitur; *Deum non cognoverunt:* ideò *Deus sprevit eos, & Dominus subsannabit eos:* quia derisores deridentur.

D. Quid dicis de * publicè pœnitentibus?
al. publicis

M. Noli dicere pœnitentibus, sed Deum irridenti- C
bus: Deum etenim irridet, & seipsos decipiunt; qui lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis: cùm homines occiderint, cantant: cùm adulteraverint, exultant: cùm * pejerant, aut sacrilegium
al. perjurant perpetrant, cachinnant. In * pœnitentia constituti di-
al. pœnitentiæ simulatione versa fercula quærunt, variis poculis inebriari gestiùt & omnibus deliciis plus quàm alii diffluunt: de his dicitur: *Dabit Dominus in carnes eorum vermes &* Judith. 16. v. *ignem inextinguibilem.* 21.

D. Quid de fatuis dicis?

M. Inter pueros reputantur: melius enim facere nesciunt; & ideò salvantur.

D. Quid de agricolis dicis?

M. Ex magna parte salvantur, quia simpliciter vi-
al. labore & vunt, & populum Dei suo* sudore pascunt, ut dicitur: D
Labores manuum suarum qui manducant, beati sunt. Ps. 127. v. 2.

D. Quid de parvulis?

M. Quotquot non loquentes, ut sunt triennes, duntaxat baptisma consecuti, salvantur, * ut dicitur; *Ta-* Luc. 18. v. 16. *lium est enim regnum cælorum.* Qui verò quinquennes
al. omit. sunt, & suprà; quidam pereunt, quidam salvantur.

CAPUT XIX.

De salvandorum paucitate, & quomodo Christus pro omnibus mortuus.

DISCIPULUS.

UT videtur, pauci sunt qui salvantur. E

M. Arcta est via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui ambulant per eam. Tamen ut columba grana pura eligit; ita Christus suos electos de his omnibus
al. gentibus * generibus latentes colligit: qui etiam quosdam de genere latronum assumit. Novit enim qui sunt ejus, pro quibus etiam sanguinem fudit.

D. Cùm scriptum sit: *Christus pro impiis mortuus est, & gratia Dei pro omnibus gustavit mortem:* profuit ne mors ejus impiis?

M. Christus pro solis electis mortuus est, qui tunc erunt impii*: quia in infidelitate positi, *Pro omnibus*
al. id est, in

autem dicit, ſcilicet, de omnibus gentibus, & de om-
Matt. 15. v. 24. nibus linguis, & non ſolùm illius temporis, ſed pro omnibus futuris, & pro his qui erant in inferni clauſtris, ut dicitur: *Non ſum miſſus niſi ad oves, quæ perierunt domus Iſraël.* Domus Iſrael eſt regnum * cœlorum, & eſt regnum Deum videntium. Oves quæ
al. omit. perierunt * ſunt electi, quos venit Chriſtus ſua morte
al domus Israël ſunt Jo. 10. v 15. redimere, ut dicitur: *Animam meam pono pro ovibus*
al. omit *meis:* * pro ſuis dixit, non pro illis, de quibus dixit:
Joan 17. v. 9. *Non vos eſtis de ovibus meis.*] inde * habes: *pro eis*
al. Johannes al. on ita dementia *rogo, non pro mundo,* & iterum: *Dilexiſti eos ante conſtitutionem mundi:* his dicitur: *Hic eſt ſanguis qui*
al omit. *pro vobis & pro multis effundetur.* Non dicit *, *pro omnibus.* Nihil enim contulit reprobis * niſi juſtam damnationem] mors Chriſti, & tali modo etiam pro B ipſis mortuus eſt. Omnes enim iniqui ab initio mundi
al. ut dicitur Matt. 23. v. 35. conſenſerunt in necem Chriſti, * unde dicitur: *Venient hæc omnia ſuper generationem iſtam*, ſcilicet malorum.

D. Cùm Chriſtus ſit ipſa miſericordia, & miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus, qui non venit vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam: cur non eſt miſertus eorum?

M. Chriſtus eſt ſuper eos miſericors, qui ſe cognoſcunt miſeros: impii autem putant ſe juſtos, ideò non
Pſ. 58. v. 6 vocat eos Dominus, ut dicitur: *Non miſereris omnibus, qui operantur iniquitatem.* Et cùm ipſe ſit ipſa juſtitia; ſi ſuper membra diaboli flecteretur miſericordia, eſſet injuſtus. Ergo juſtis eſt miſericordia; im-
Pſ. 144. v 9. Matt. 5. v. 45. pijs verò juſtitia. Porro *miſerationes ejus ſuper omnia* C *opera ejus*, quia *Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos*, & pluit ſuper eos, & paſcit eos.

CAPUT XIX.

De bonorum à malis internotione, & multiplici remiſſione peccatorum.

DISCIPULUS.

POſſunt aliquibus ſignis internoſci boni & mali?

al. boni M. Poſſunt. Juſti namque ſibi * bene conſci, & de futura ſpe certi, ſunt vultu hilares; oculi eorum D quadam gratia micantes, in inceſſu modeſti, de abun-
al. pii dantia cordis * dulces in verbis. Mali autem de prava conſcientia & cordis amaritudine ſunt vultu nebuloſo, & verbis & factis inſtabiles; riſu immoderati, triſtitiâ mordaces, in ingreſſu intemperati, ſcilicet, modò tardi, modò feſtini; venenum quod in corde gerunt, nunc amaris, nunc impuris dictis fundunt.

D. Si in morte Chriſti peccata ſunt remiſſa, cur baptizamur?

M. Peccata per mortem Chriſti relaxantur, ſi in fide mortis Chriſti baptizamur.

D. Quot modis relaxantur peccata?

M. Septem.

D. Quibus?

M. Primò per Baptiſmum: ſecundò per Martyrium: tertiò per Confeſſionem & Pœnitentiam, ut
Pſ. 31. v. 5. dicitur: *Confitebor injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti iniquitatem meam:* quartò per lachrymas, ut
Mat. 5. v. 5. dicitur: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur:*
Eccl. 3. v. 33. quintò per eleemoſynam, ut dicitur: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum:* ſextò per indulgentiam in nos peccantibus, ut dicitur:
Mat 6. v. 14. *Si dimiſeritis hominibus, & Pater meus dimittet vo-*
1. Pet. 4. v. 8. *bis:* Septimò per charitatis opera, ut dicitur: *Charitas operit multitudinem peccatorum.*

D. Quid valet confeſſio?

M. Quantum Baptiſmus. Sicut enim in Baptiſmo originalia, ita in Confeſſione remittuntur peccata actualia.

D. Eſt etiam judicium?

M. Duo ſunt judicia Dei: unum hîc per confeſſionem; aliud in ultimo die per examinationem in quo ipſe Deus judex erit, diabolus accuſator, homo reus. In iſto verò Sacerdos, Chriſti vicarius, judex; homo & accuſator & reus: pœnitentia eſt ſententia. Qui hîc judicatur, non ibi accuſatur, ut dicitur: *Non judicat* *Nahum. 1.*
Deus bis in idipſum; & alibi: *Si nos judicaremus non* *1. Cor. 11. v. 31.*
utique judicaremur.

D. Valet eleemoſyna vel pœnitentia, ſi non deſerantur peccata?

M. Si omnia medicamenta non valent ad ſanandum vulnus, quamdiu ferrum fuerit infixum, niſi ferrum extrahatur: ita omnia benefacta non proderunt, niſi peccatum relinquatur, ut dicitur: *Qui facit peccatum,* B *ſervus eſt peccati:* & nemo poteſt alienum ſervum facere liberum.

D. Proderunt benefacta malis?

M. Pro omnibus bonis quæ fecerunt, recipient homines retributionem ſive in hac vita, ſive in futura. In hac vita, ut dicitur * de divite: *Recepiſti bona in* *al. divite Luc. 16. v. 25.*
vita tua. In futura verò, ut dicitur: *Centuplum accipietis.* Ita econtra de omnibus malis quæ fecerit homo *Mat. 19. v 29*
punietur * aut in hoc ſæculo, aut in futuro, ut dicitur. *al. & al. tibi nil remanebit inultum Papinius*
*Ante Dei vultum * nihil unquam tranſit inultum.*
Igitur aut ipſe homo punit pœnitendo, aut Deus vindicat puniendo.

CAPUT XX.

C *Ad quid ſacrificia legalia: & de origine idololatriæ.*

DISCIPULUS.

CUr conceſſit Deus Judæis legalia ſacrificia, cùm non auferrent peccata?

M. Ne * idolis immolarent, quem ritum in Ægy- *al. Ne idola adorarent*
pto poſiti didicerant. Ideò etiam tanto tempore circumduxit eos per eremum, ut hunc morem obliviſcerentur: & propter aliud; Sicut Judaicus populus erat in figura, imò umbra Chriſtiani populi; ita in eodem debuit præcedere umbra veri ſacrificii, ut in Paſchali agno, vel rufa vitula, vel hirco. Poſtquam autem D Chriſtus veritas venit dare benedictionem; qui legem dederat, umbraticis * hoſtiis finem impoſuit; & *al. hiſtoriis*
ſingulare ſacrificium, quod aufert peccata, ſeipſum offerens inſtituit.

D. Cùm homines non colerent niſi unum Deum ab initio, unde cœpit idolorum * culturæ ſuperſtitio? *al. ſculpturæ*

M. Apud Babel turris Gigantum exorta legitur: cujus altitudo * ſexaginta quatuor ſtadiorum fuiſſe *al. quadragiata*
* fertur: in qua primus Rex hujus mundi, * Nem- *al. legitur al cui nomen Nemeroth qui & Ninus*
roth, & poſtea Ninus, regnavit; qui Belo patri ſuo imaginem faciens, cunctos ſibi ſubjugatos eam adorare imperavit, quem poſt alii imitati charis ſuis, aut præpotentibus Regibus, mortuis idola fecerunt, quæ * vulgus colere compulerunt: ut Cretenſes ſuo Regi Jo-
vi, & Athenienſes Cecropi, Latini Jano, Romani E Romulo, unde dicitur:

Primus in orbe Deos fecit timor. *Papinius.*

Dæmones verò formulas intrabant, & populum per reſponſa ſeducentes ludificabant.

D. Ubi fuit Babel?

M. In loco in quo nunc eſt magna Babylonia, quam de latere & bitumine conſtruxit Semiramis Regina: ut lateres igni, bitumen aquæ reſiſteret. Cujus longitudinem & latitudinem per ſexaginta milliaria extẽdiſſe dicitur, * muri verò latitudinem quinquaginta cubito- *al. quadragiata*
rum, altitudinem ducentorum cubitorum extruxiſſe *al. omit.*
fertur.] In hac civitate idololatria cœpiſſe perhibetur. *Conſule ad-*
In hac etiam Antichriſtus naſciturus fertur, ut dicitur: *rium Lellium.*
De Babylone coluber exibit, qui totum mundum devorabit.

Digitized by Google

CAPUT XXI.

Utrum Altaria auro vel gemmis præparanda sint: & quibus modis propitiatur Deus.

DISCIPULUS.

Ex Mt. Domini soly. SUnt altaria auro vel gemmis præparanda?

M. In honorem divinum non altaria auro & gemmis dedicanda sunt; quæ sive * habenti ideò largiaris, quia superiorem te asseris, sive * habenti parem: qui utrum feceris, contumelia est: nam qui cœlestia pretiis invitat, offendit.

al. habendi

D. Quibus maximè propitiatur nobis Deus?

M. Verbo: Quod solum sibi cum homine est, sua nimis similitudine delectatur. Nam verbum Deus est, hoc mundum creavit, hoc regit atque omnia alit. Hoc nos veneramur, hoc diligimus, ex hoc spiritum trahimus. Siquidem Deus spiritus est: * neque terrenis divitiis nec largitate munifica, sed religiosis operibus & gratiarum actione * placandus.

al. atque

al. placare

CAPUT XXII.

Peregrinationes sacræ an probandæ.

DISCIPULUS.

PRodest Hierosolymam petere, aut alia loca sacra invisere?

M. Melius est pecuniam, cum qua ituri sunt, in pauperes extendere. Si qui autem amore Christi accensi, vel suorum peccatorum facta confessione, & pecuniâ de propria hæreditate vel proprio sudore acquisitâ ierint, & se in itinere apud cōgregationes Sanctorum orationibus commendaverint, de rebus suis ipsis vel aliis pauperibus impertierint, laudandi sunt; quia & Helena & Eudoxia laudantur, quæ hæc fecerunt. Si qui verò propter curiolitatem vel laudē humanam ad sacra loca discurrunt; * hoc in mercede accipiunt, quòd amœna loca, aut decora ædificia viderint, vel laudem quam amaverunt audierint. Si qui autem pecuniâ per lucrum, aut per fraudem, aut per rapinam, aut per oppressionem coacervatâ perrexerint, ita Deo vel Sanctis erunt accepti, sicut is qui filium coram patre suo immolat, & sic cruentis manibus ad illum veniat.

al. hic meretur

CAPUT XXIII.

De frequenti cibi indigentia; & vitæ termino.

DISCIPULUS.

CUr Deus non concessit homini ut sumpto cibo saltem per septimanam posset carere illo?

M. Fames est una de pœnis peccati. Homo sic creatus erat, ut, si vellet, sine labore viveret beatus. Postquam autem cecidit, non nisi per laborem redire potuit. Qui si famem, vel frigus, vel cætera * incommoda non sustineret, laborare nollet: & sic semper extortis à regno maneret. Indidit ergo ei famem Deus, ut hac necessitate coactus laboret, & * etiam hac occasione redire queat. Et hoc tantùm de electis accipe: nam reprobis omnia ad pœnam * sunt.

al. cætera cuncta

al. & ad æterna hæc

al. data sunt

D. Est homini terminus vitæ præstiturus; & si potest hunc excedere vivendo, vel prævenire moriendo?

M. Unicuique statutum est à Deo quamdiu vivere debeat in hoc sæculo: ultra quem terminum homo non potest vivere, vel unum momentum, ut dicitur: *Constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt.* Potest autem multis modis antevenire, sive in arma vel in bestias ruendo, seu veneno vel laqueo vitam

Job. 14. v. 5.

A extorquendo, aut flammis vel undis insiliendo, sicut mercenarius pravis moribus potest efficere, ut non solùm mercede privetur, verùm etiam ante conditum tempus expellatur.

D. Proba.

M. Deus eduxit filios Israël de Ægypto, ut daret eis terram repromissionis, * quàm propter peccata non sunt adepti; sed antequam illuc venirent, sunt in deserto prostrati.

al. qui

CAPUT XXIV.

De justa reorum nece, & de eorum salute: déque puerorum disciplina; de Arca, & de Prophetis.

DISCIPULUS.

PEccat judex, si * reos punit?

al. si eos

M. Imò peccat, si non punit: vindex est enim iræ Dei in hoc ipsum constitutus.

D. Peccant ministri, qui à judicibus * jussi damnatis mortis supplicium inferunt?

al. missi

M. Minimè: sed potiùs lavant manus suas in sanguine peccatoris.

D. Qui in criminibus fuerunt deprehensi, & à judicibus ad equuleum, vel ad aliud supplicium damnati, & in ipso mortis articulo pœnituerint, est spes aliqua de eis?

M. Magna: Quidam enim per illud supplicium purgantur; & ut latro in cruce, salvantur: * quidam orationibus Sanctorum de pœnis liberantur.

al. omitt

D. Quæ causa est, quod pueri melius quæque possunt discere, quàm senes?

M. Quia anima adhuc in ipsis est nova, & ad universa curiosa. In senibus verò quotidiano usu, vel visu, vel auditu est sensus obtusus, & per multas cogitationes attenuatus.

D. Quò venit arca Testamenti?

M. Imminente Hierusalem excidio à Babyloniis, Hieremias ex præcepto Domini condidit eam in sepulchro Moysis cum aliis Prophetis: hæc tempore novissimo ab Elia & Enoch proferetur, revelante Domino.

CAPUT XXV.

Cur modò signa non fiunt.

DISCIPULUS.

CUr non possunt justi signa facere hoc tempore sicut olim fecerunt?

Ex Mtt. Corâ & Tenano.

M. Nullus unquam sanctorum fecit aliquod signum, sed Deus per eos fecit, qui menti illorum præsedit; ut dicitur: *Tu es Deus, qui facis mirabilia solus.* Porrò olim propter incredulos visibilia signa per justos fecerat, dum corpora languida sanaverat: nunc majora, scilicet, spiritualia per eos perpetrat, dum animas variis modis languidas curat. Interdum autem, cum necesse est, exteriora signa per suos agit, interdum etiam per reprobos; sed tamen propter electos mira facit. Ideò à quibusdam lapsis, quamvis pœnitentibus, Deus recessisse prædicatur, quia per eos signa non operatur. Ideò verò extremo tempore penitus signa ab Ecclesia subtrahentur, ut justi magis per tentationes probati abundantiùs remunerentur.

Digitized by Google

CAPUT XXVI.

De Prophetis & Scriptura ſacra.

DISCIPULUS.

INtellexerunt Prophetæ quæ ſcripſerunt?

M. Intellexerunt.

D. Quare tunc ita obſcurè & non manifeſtè ſcripta ſua ediderunt?

M. Non debuerunt: cæmentarii namque eſt conſtruere; pictoris verò pingere. Patriarchæ itaque quaſi * deſignatum Eccleſiæ locum figuris foderunt: Prophetæ fundamenta ejus Scriptis ſuis poſuerunt; Apoſtoli prædicationibus parietes extruxerunt: illorum ſequaces expoſitionibus depinxerunt. Sed ſacra Scriptura non eſt niſi filiis Dei ſcripta, quibus mater Eccleſia per clavem David aperit omnia clauſa. Non * filii autem tantùm foris vident, & non intelligent; quia nec amant, nec credunt.

* D. Cum ſeptuaginta Hebræi fuerint, cur aliter tranſtulerunt, quàm Prophetæ ſcripſerunt?

M. Sacra Scriptura duobus modis intelligitur, hiſtoricè & allegoricè. Prophetæ ergo ſenſum hiſtoricum contexuerunt: Septuaginta autem viri, & ipſi prophetæ, allegoricum ſenſum tranſtulerunt.]

al. deſignantes

al. non ſicut autem filii qui tantum *al.* omit.

CAPUT XXVII.

De Angelis cuſtodibus.

DISCIPULUS.

HAbent homines cuſtodes Angelos?

M. Unicuique genti, unicuique civitati præſunt Angeli, qui jura, leges, * mores juſtè diſpenſant & ordinant. Unaquæque etiam anima dum in corpus mittitur, Angelo committitur, qui eam ſemper ad bonum incitet, & omnia opera ejus Deo & Angelis in cælis referat.

D. Cùm Deus omnia ſciat, & ſancti Angeli in eo cuncta cernant; quid poteſt eis referri quod neſciant?

M. Angelos actus noſtros Deo & * Angelis narrare, non eſt aliud quàm de noſtro * provectu in Deo congratulari, ut dicitur: *Gaudium erit Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente:* ſicut econtra illorum contriſtari, eſt de noſtris malè geſtis indignari.

D. Sunt jugiter Angeli in terra cum his quos cuſtodiunt?

M. Cùm opus fuerit in auxilium veniunt, maximè cùm precibus fuerint invitati: non eſt enim mora veniendi, cùm in momento de cœlo ad terras, & iterum ad cœlum relabi poſſint. Qui cùm ad nos * deſcendunt, gloria intima non fraudantur, quia ſemper vident faciem Patris, quocunque mittantur.

D. Qualiter apparent Angeli hominibus?

M. In forma hominis; homo etenim cùm ſit corporeus, non poteſt videre ſpiritus: propter quod aſſumunt de aëre corpus, quod homo videre & audire poſſit: * ipſum autem corpus viſibile magis eſt quàm palpabile; non tamen omnibus viſibile, niſi his ſolummodo quibus ſe volunt demonſtrare.]

al. juſtos

al. profectu

al. venient

al. omit.

CAPUT XXVIII.

De dæmonibus inſidiantibus, & obſidentibus.

DISCIPULUS.

SUnt dæmones hominibus inſidiantes?

M. Unicuique vitio præſunt dæmones, qui ſub ſe habent innumerabiles, qui animas jugiter ad vitia illiciunt, & mala hominum ſuo principi cum magno cachinno * referunt. Si quis tamen illorum ab aliquo juſtorum pugnans vincitur, mox ab Angelo cuſtode ejus in abyſſum retruditur, nec amplius cum aliquo juſtorum congredi permittitur, quamvis alius à Principe dæmonum in locum ejus ſurrogetur. Sicut enim à diabolo homo victus mox de paradiſo eſt ejectus; ita cùm quis dæmonum à ſanctis ſuperatur, confeſtim confuſus in tartara damnatur: * hi ſæpius corpus de craſſo aëre ſumunt palpabile, quo magis poſſint fallere.]

D. Poſſunt dæmones obſidere quos volunt?

M. Gregem porcorum intrare non potuerunt niſi permiſſi: quantò * minus homines? * Aliquando corpus viri ſancti obſident; illi ad coronam, ſibi ad pœnam: malorum autem animas ſemper obſident] interdùm etiam corpora * vexant. Corpus autem hominis in baptiſmate ut templum Spiritui ſancto oleo & chriſmate dedicatur, ut dicitur: *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Igitur hoc * templum ſemper aut Spiritus ſanctus, aut immundus * ſpiritus inhabitat.

al. annuerunt

al. omit.

al. magis

al. nocent

al. templo

al. omit.

CAPUT XXIX.

De unctione, & pœnitentia in extremis, ac de morte.

DISCIPULUS.

QUid valet unctio olei infirmis?

M. Peccata confeſſa, & non iterata, vel quotidiana per hanc unctionem relaxantur, ut dicitur: *Si in peccatis eſt, dimittentur ei.* Si * de peccatis pœnitentiam non egerit, iſta unctio non ſolùm ei nihil prodeſt, ſed & multùm obeſt.

D. Prodeſt pœnitentia in extremis?

M. Qui peccata ſua uſque ad mortem * pœnitere * differunt, non ipſi peccata, ſed peccata eos deſerunt; quia eos diutius ſervos habere nolunt: qui tamen ex corde pœnitent, etiam in ipſa morte miſericordiam invenient, ſicut latro in ipſo mortis exitu, ut dicitur. *Quacunque hora ingemueris, ſalvus eris.*

D. Unde mors dicitur?

M. Ab amaritudine, vel à morſu * pomi vetiti; unde mors eſt * orta. Sunt autem tres mortes: ſcilicet, immatura, ut in infantibus: acerba, ut in * juvenibus: naturalis, ut in ſenibus.

D. Cùm peccata in baptiſmate dimittantur, & cùm mors ſit pœna peccati; cur permittitur poſt baptiſma etiam electis dominari?

M. Ut poſſint * pro Chriſto pati, & magis coronari. Eſt & aliud. Si immortalitas corporum in baptiſmate daretur; non pro Deo, ſed pro hac immortalitate ad baptiſma ab omnibus feſtinaretur: & ſic nullus ad regnum reverteretur. Peccatum * ergo Deus in baptiſmo dimiſit, pœnas autem peccati non remiſit, ut juſti per fidem ambulent, & per operationem ſe exerceant, donec mors à vita abſorbeatur.

al. ligni

al. orta

al. infantem. juvenum ... ſenum

al. poſt Chriſtum

al. verò

CAPUT XXX.

De reditu peccatorum, & de peccato irremiſſibili.

DISCIPULUS.

DImittitur reprobis peccata in baptiſmate?

M. Dimittuntur: ſed cùm ipſi poſt in eadem peccata relabuntur: quæ dimiſſa erant, etiam in eos revolvuntur: ut dicitur: *Omne debitum dimiſi tibi,* & mox ſubditur. *Tradidit eum tortoribus, donec redderet univerſum debitum.*

Matt. 18. v. 32. v. 34.

D. Cur permittit eos Deus ad baptiſma vel ad alia Sacramenta accedere, cùm eos ſciat ab his deficere?

M. Propter electos, ut dictum eſt, ut trahant eos exemplo.

Digitized by Google

D. Quæ eſt blaſphemia Spiritus ſancti, quæ non remittetur neque in hoc ſæculo neque in futuro?

al. Impœnitentia & diffidentia in Spiritu ſancto datur remiſſio omnium peccatorum

M. In pœnitentiæ diffidentia in Spiritu ſancto non datur remiſſio peccatorum: qui igitur de gratia Spiritus ſancti diffidit & non pœnitet, hic blaſphemat in Spiritum ſanctum: & hoc eſt irremiſſibile peccatum.

CAPUT XXXI.

De morte, & de ſepultura bonorum & malorum.

DISCIPULUS.

NOcet bonis ſi occidatur, vel ſubita morte rapiantur? al. moriantur

M. Nihil penitus. Non enim ſubita morte moriuntur, qui ſe ſemper cogitant morituros. Sive ergo ferro immolentur, ſive à beſtiis dilacerentur, aut flammis vel undis immergantur, aut ſuſpendantur, vel in rota frangantur, vel quolibet infortunio moriantur; ſemper pretioſa eſt in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus: ut dicitur: *Quacunque* * *morte juſtus moriatur, juſtitia ejus non auferetur ab eo.* Et talis mors non obeſt, imò multum eis prodeſt: quia ſi quid peccati contraxerunt per humanam fragilitatem, relaxatur per mortis acerbitatem. al. die

D. Prodeſt malis, ſi diu decumbant in lectis antequam moriantur?

M. Nihil. Quacunque enim morte moriantur, A mala & ſubita morte moriuntur, * qui in Domino non moriuntur] & qui nunquam cogitaverunt ſe morituros: & ideò ſemper mors peccatorum eſt peſſima. al. amiſi

D. Obeſt juſtis aliquid ſi in cœmeterio Eccleſiæ non ſepeliantur?

M. Nihil prorſus. Totus enim mundus eſt templum Dei, quod dedicatum eſt ſanguine Chriſti: & ſive in campo, ſive in ſylva, vel in palude, vel in quovis loco ſepeliantur, vel projiciantur, vel à beſtiis vel à belluis devorentur, ſemper in gremio Eccleſiæ confoventur, quæ per latitudinem terræ diffunditur.

D. Confert juſtis aliquid, quòd in ſacratis locis tumulantur?

M. Per quoſdam juſtos loca ſacrantur, in quibus B tumulantur. Qui autem in pœnis ſunt in eo prodeſt, quòd eorum corpora in ſacris locis ſepeliantur, quòd eorum precibus adjuvantur quibus per ſepulturam ſociantur. Et in hoc etiam prodeſt, quòd cùm amici illorum ibi conveniunt, de monumentis admoniti preces pro eis Domino fundunt.

D. Prodeſt malis, ſi in loco ſacro ſepeliantur?

M. Imò obeſt multùm, ſi eis per ſepulturam junguntur, à quibus per meritum longè diſjunguntur: unde & multi leguntur ſæpe per dæmones effoſſi, & à ſacris locis longiùs projecti.

D. Longè te faciat Deus, bone Doctor, à malis: & civibus æthereis ſociet te Chriſtus in aſtris. Amen.

ELUCIDARII

LIBER III.

DE FUTURA VITA.

CAPUT PRIMUM.

De deductione juſtorum in paradiſum; & quid ſit paradiſus.

DISCIPULUS.

JAM innumeris hydræ capitibus præciſis, aliis atque aliis renaſcentibus pro eis, eia Lux Eccleſiæ arripe gladium tuæ nobilis linguæ, & ſylvam quæſtionum, in qua erro, ſuccide; ut liceat mihi errabundo per te ad campum ſcientiæ exire: & qualiter circa morientes agatur evolve.

M. Sicut ſponſus cum multitudine militum ad ſuſcipiendam ſponſam venit, & eam cum cantu gaudens adducit: ita cùm juſtus in extremis agit Angelus ſui cuſtos cum multitudine Angelorum venit, & animam ejus ſponſam Chriſti de carcere corporis tollit, & cum maximo dulciſſimæ melodiæ cantu, & immenſo lumine, ac ſuaviſſimo odore, ad cœleſte perducit palatium, in ſpiritalem paradiſum.

D. Eſt hic paradiſus locus corporeus, vel ubi? al. omit.

M. Non eſt locus corporalis, quia ſpiritus non habitant in locis: ſed eſt ſpiritalis manſio beatorũ, quàm æterna ſapientia perfecit ab initio, & eſt in intellectuali cœlo; ubi ipſa Divinitas, qualis eſt, ab eis facie ad faciem contuetur.

CAPUT II.

De perfectis & juſtis qui in cœlum deducuntur, & de purgandis.

DISCIPULUS.

PErducuntur illuc omnes animæ juſtorum?

M. Perfectorum animæ, cùm * à corpore eximuntur, mox illuc inducuntur. al. de corpore exeuntes

D. Qui ſunt perfecti?

M. Quibus præcepta non ſufficiunt, ſed plus quàm præceptum eſt faciunt, ut Martyres, Monachi, Virgines: Martyrium etenim, virginitas, & ſæculi abrenunciatio non ſunt præcepta, ſed divina conſilia: ideò qui hæc faciunt, regnum cœlorum quaſi hæreditario D jure poſſidebunt, ut dicitur: * *centuplum accipietis, & vitam æternam poſſidebitis.* Et alibi:] *Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hereditas Domini.* Juſti autem quibuſdam manſionibus adhuc * differũt, ut de his dicitur: *ut ille proficiat ad honorem, nobis verò ad ſalutem.* al. omit.

D. Qui ſunt iſti?

M. Qui præcepta Domini implent ſine querela: hi à corporibus exuti in terrenum paradiſum, vel potius in aliquod ſpiritale gaudium, ab Angelis perducuntur; cùm ſpiritus in locis corporalibus non habitare credantur. Eſt quidam ordo juſtorum qui imper-

Digitized by Google

fecti dicuntur, qui tamen omnes in libro Dei scribuntur: ut * sint confugati, qui mortui pro meritis in * amœnissimis habitaculis recipientur. Ex his multi ante * diē judicii precibus Sanctorū & eleemosynis viventiū in majorem gloriam * assumentur: ut omnes post judicium Angelis consocientur. Sunt quidam de electis, quibus multum deest de perfectione, qui crimina sua differunt pœnitere: hi sicut peccans filius servo traditur ad vapulandum, ita à sanctis Angelis permittuntur dæmonibus ad purgandum: qui tamen eis nocere non poterunt plus quam ipsi promeruerunt, aut quàm sancti Angeli permittunt.

al. sunt quidam pusillanimes qui — *al. amœnissima loca recipiuntur* — *al. judicium* — *al. assumuntur: omnes tamen post... consociabuntur*

D. * Scis per quod hi liberentur?

al. quid potest fieri vel esse per

M. Missæ, eleemosynæ, orationes, aliique pii labores his prosunt; maximè si ipsi viventes hæc pro aliis fecerunt. Et quidam ex his septimo die, alii B trigesimo, alii anniversario liberantur: quidam verò post multum tempus. Tamen post judicium omnes, ut dictum est, Angelis coæquabuntur.

D. Cur magis aguntur hi dies?

M. Tria & quatuor sunt septem; per tria, fides Trinitatis; per quatuor, homo qui constat ex quatuor elementis, intelligitur. Anima etiam habet tres vires, quæ sunt rationalis, irascibilis, concupiscibilis; & omne tempus septem diebus volvitur. Agitur itaque septimus dies; ut quicquid anima in tribus viribus suis per quatuor qualitates corporis, per septem dies hujus temporis peccavit contra septiformem Spiritū, quem in baptismo suscepit, in fide Trinitatis relaxetur. Triginta per tria & decem surgunt; per tria, nova lex propter fidem Trinitatis; per decem, vetus lex propter decalogum intelligitur. Triginta etiam diebus omnis mensis labitur. Agitur itaque trigesimus dies, ut C quicquid homo * in mensibus in nova vel in veteri lege deliquit, deleatur. Annus est Christus, ut dicitur: *Annus acceptabilis Domino.* Menses sunt duodecim Apostoli, ut dicitur: *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ.* Solis cursus * per annum: reditus * Lunæ, post mensem. Agitur igitur anniversarius dies, ut quicquid contra Solem justitiæ Christum, & Lunam ejus Ecclesiam, & doctrinam Apostolorum, qui * sunt menses boni anni, egit, remittatur.

Consule varias lectiones

al. omis.

Psal 64. v. 12.

al. cursus & lunæ per annum distinguunt minùs.

CAPUT III.

De Purgatorio.

ANSELMUS.

QUid est purgatorius ignis?

M. Quibusdam est purgatio in ista vita cruciatus corporis, quos mali eis aliquando inferunt: Aliquibus afflictiones carnis, quas sibi per jejunia, per vigilias, per alios labores ipsi ingerunt: Quibusdam verò charorum vel rerum amissio: Quibusdam dolores, vel ægritudo. Aliquibus victûs vel vestitûs egestas. Quibusdam ipsius mortis acerbitas. * Post mortem verò purgatio erit aut nimius calor ignis, aut magnus rigor frigoris, aut aliud quodlibet genus pœnarum; de quibus tamen minimum majus est, quàm maximum quod in hac vita excogitari potest. Dum ibi sunt E positi, * interdum apparent eis Angeli, vel alii Sancti, in quorum honore aliquid egerunt in hac vita; & aut auram, aut suavem odorem, aut aliquod solamen eis impendunt usque dum liberati introibunt in illam aulam quæ non recipit ullam maculam.

al. est ignis purgatorius.

al. omis.

D. Quali forma sunt ibi positi?

M. In forma corporum quam hîc gesserunt. Dicitur & de dæmonibus, quòd eis corpora de aëre dentur, in quibus crucientur.

D. Cùm corpus sit insensibile, & per se nihil possit operari, nisi quod anima per illud operatur, quasi per instrumentum; qua ratione damnatur?

M. Cùm homines inimicum suum obsident, prius ædificia sua destruunt, vel incendunt: post ipsum excruciatum interimunt, * ut & de amissis * rebus doleat in animo, & de * illatis vulneribus in corporis exitio. Corpus est animæ vestimentum, vel habitaculum: quod quia concepto creatore anima dilexit, destruitur, & cum * eo comburitur, ut & de sui habitaculi vel vestimenti incendio crucietur. Est & animæ instrumentum, non quale est * tubicini tuba, vel carpentario ascia: sed ita ei coadunitur, ut quicquid egerit anima, corpus etiam fecisse dicatur: & ideò justè cum ea damnatur.

al. vel incendunt — *al. omit* — *al. illata vulnera corporis* — *al. ea*

al. tubicini ista vel fidicini tuba

D. Quot animæ pervenient ad cœlum?

M. Quot Angeli ibi permanserunt: * Quæ singulæ singulis ordinibus Angelorum associabuntur, prout in meritis à Deo discernuntur.]

al. omis.

CAPUT IV.

De malorum deductione ad inferos; & de pœnis quas ibi sustinent.

DISCIPULUS.

SAtis mihi fecisti de his: nunc dic qualiter agatur circa malorum exitum.

M. Cùm mali in extremis * sunt, dæmones maximo strepitu conglobati veniunt aspectu horribiles, gestibus terribiles, qui animam cum pervalido tormento de corpore excutiunt, & crudeliter ad inferni claustra pertrahunt.

al. laborant

D. Quid est infernus; vel ubi?

M. Duo sunt inferni, superior, & inferior. Superior infima pars hujùs mundi, quæ plena est pœnis: nam hîc exundat nimius æstus, magnum frigus, fames, sitis, varii dolores corporis: verbera animi, ut timor & verecundia. De hoc dicitur: *Educ de carcere*, hoc est, de inferno *animàm meam*, id est vitam meam. Inferior verò est locus spiritalis, ubi ignis inextinguibilis, de quo dicitur: *Eruisti animam meam de inferno inferiori.* Qui sub terra dicitur esse; ut sicut corpora peccantium terrâ cooperiuntur, ita animæ peccantium sub terra in inferno sepeliuntur; ut de divite dicitur: *Sepultus est in inferno.* In quo novem * species pœnæ esse leguntur.

Psal. 85.

al. spirituales

D. Quæ sunt illæ?

M. Prima ignis, qui sic semel accensus est, ut si D totum mare influeret, non extingueretur: Cujus ardor sic istum materialem vincit ignem, ut iste pictum ignem; ardet, & non lucet. Secunda pœna est intolerabile frigus; de quo dicitur: Si igneus mons immitteretur, in glaciem verteretur. De his duabus dicitur, illic erit *fletus & stridor dentium:* * quia fumus excitat fletum oculorum, frigus stridorem dentium] Tertia, vermes immortales, vel serpentes & dracones visu & sibilo horribiles, qui ut pisces in aquâ, ita vivunt in flamma. Quarta, fœtor intolerabilis. Quinta flagra cædentium, ut mallei ferrum * percutientium. Sexta, tenebræ palpabiles, ut dicitur: *Terra tenebrarum, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Septima, confusio peccatorum; E quia omnia peccata ibi patent omnibus, & se abscondere non valent. Octava, horribilis visio dæmonum & draconum, quos igne scintillante vident; & miserabilis clamor flentium & insultantium. Nona, sunt ignea vincula, quibus * in singulis membris constringuntur.

Matth. 24. v. 51.

al. omis.

al. percutient Job 10. v. 22.

al. singula membra

D. Quare tot miserias patiuntur?

M. Quia consortium novem ordinum Angelorum neglexerunt, justè novem tormentis addicti mœrebūt. Et quia in igne concupiscentiarum hîc exarserunt, justè ibi in igne ardebunt. Quia verò frigore malitiæ hîc riguerunt, justè ibi pœnali frigore stridebunt. Dicuntur namque exteriùs igne candere, ut ferrum in fornace; interiùs frigere, ut glacies in hyeme; ut dicitur:

Job. 24. v. 19. *Transibunt ab aquis nivium, ad calorem nimium.* Et quia invidia & odium hîc eos ut vermes corroserunt, meritò eos ibi vermes mordebunt. Qui autem hîc fœtoræ luxuriæ dulciter delectabantur, justè ibi fœtore * putrido atrociter cruciantur. Et quia hîc disciplinam recipere noluerunt, & cum hominibus flagellari non meruerunt; ibi ideò sine cessatione locis tunduntur, ut dicitur: *Sunt parata judicia * blasphematoribus, & percutientes malleî stultorum corporibus.* Quia tenebras vitiorum hîc amaverunt, & ad lucem Christum venire noluerunt; ideò horridis tenebris ibi obscurabuntur, ut dicitur: *In æternum non videbunt lucem.* Et quia hîc peccata confiteri * delexerunt, quæ facere non erubuerunt; ideò omnibus ibi * nudi & aperti perpetuò confundentur. Quia hîc bona videre & audire dedignabantur; justè ibi terribili visu & miserabili auditu replebũtur. Et quia hîc per singula vitia * defluî erant; justè ibi erunt per singula membra catenis constricti. * Oprabunt mori; & mors fugiet ab eis.

al. & putredine

Prov. 19. v. 29 al. derisoribus

Psal. 48. v. 20 al. neglexerunt

al defixi erant vel diffluxerant

al. optant

D. Qualiter sunt ibi positi?

D. Capita sunt eis deorsum mersa, dorsa ad invicem versa; pedes sursum erecti, & in * pœnas undique distenti.

al. pœnis

D. Heu * quid unquam natus est homo, qui tali plectetur supplicio?

al. ad quid natus

M. Quid fles? quid lachrymis fluis diabolus tantùm, & sua membra ista patientur.

D. Qui sunt membra diabôli?

M. Superbi, invidi, fraudulenti, infidi, * gulosi, ebriosi, luxuriosi, homicidæ, fures, crudeles, prædones, latrones, immundi, avari, adulteri, fornicatores, mendaces, perjuri, blasphemi, malefici, detractores, discordes. Qui in his fuerint inventi, in prædicta supplicia ibunt nunquam redituri.

al. gloriosi

CAPUT V.

Quomodo Beati erga damnatos se habeant.

DISCIPULUS.

HEu videbunt eos justi?

M. Justi videbunt malos in * pœnis, ut magis gaudeant quòd * has evaserint pœnas: mali etiam ante judicium videbunt bonos in gloria, ut magis doleant quod hanc neglexerunt: post judicium * autem boni videbunt semper malos in pœnis; mali verò nunquam amplius videbunt bonos.

al. dolent al. videant

D. Non * dolebunt justi cùm eos * viderint ita torqueri?

M. Non: licet pater videat filium, aut filius patrem in pœna; aut filia matrem, aut mater filiam ibi conspiciat; aut vir uxorem, aut uxor virum; non solùm non dolent, sed ita est eis delectabile * hoc videre, sicut nobis cùm videmus pisces in gurgite ludere, ut dicitur, *Lætabitur justus, cùm viderit vindictam* * *peccatorum.*

al. omit.

Psal. 57. al. impiorum

D. Non orant justi pro eis?

M. Contra Deum sentirent, si pro damnatis orarent: ita enim Deo uniti sunt, quòd eis judicia Dei per omnia placebunt; ideò & in eis gaudebunt.

CAPUT VI.

Quis infernus justorum animas ante Christi adventum exciperet.

DISCIPULUS.

IN quo inferno erant justi ante adventum Christi?

M. In superiori, in quodam loco juncto inferiori, in quo poterant alterutrum conspicere. Qui erant ibi, quamvis carerent supplicio * videbantur sibi esse quodammodo in inferno, cùm essent separati a regno. Illis autem, qui erant in inferioti inferno, videbatur * quòd illi, qui erant in illo inferno juncto inferioti, erant in refrigerio paradisi; unde & dives rogabat à Lazaro guttam super se stillari.

al videbantur sibi esse in

al. videbatur refrigerium paradisi

D. Quam pœnam habebant * ibi.

al. illi qui erant in illo inferno juncto inferioti

M. Quasdam tenebras tantùm: unde & dicitur: *Habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis.* Quidam ex eis erant in quibusdam pœnis. Venit ergo Dominus ad infernum superiorem, nascendo; * ut liberaret oppressos à diabolo; descendit ad inferiorem moriendo,] ut redimeret captivos à tyranno, ut dicitur: *Dices his qui vincti sunt, exite: & his qui in tenebris sunt, revelamini.* Vinctos vocat qui erant in pœnis; alios verò in tenebris: quos omnes absolvit, & in gloriam duxit Rex gloriæ.

al. omit.

CAPUT VII.

Quomodo beati se invicem cognoscant, & pro nobis intercedant.

DISCIPULUS.

COgnoscunt se * justi & boni in gloria?

al. se ibi

M. Animæ justorum omnes justos cognoscunt & nomine & genere, & merita ipsorum, quasi semper cum eis fuissent. Malos omnes etiam in tantum cognoscunt; ut propter quod meritum unusquisque ibi sit, sciant. Mali quoque malos cognoscunt, & bonos quos vident, in tantum ut etiam nomina illorum sciant; ut dives Abrahæ & Lazari.

D. Orant animæ pro charis suis?

M. Justi orant pro his quos in Domino amaverunt, vel pro his qui eos invocant ut à malo serventur, & à mundi tentamentis liberentur: & si in errore sunt, ut corrigantur, & eis celerius associentur.

D. Qualiter orant Deum?

M. Desiderium illorum est oratio eorum. Quicquid enim desiderant, sine dilatione percipient. Horum etiam orare, est cruciatus corporis vel bene gesta pro Christo, Deo repræsentare. Non tamen aliquid orant, nisi quod ipse Deus disposuit facere: alioquin incassũ orarent.

CAPUT VIII.

De gaudio, & mansionibus, scientia, & apparitione Beatorum: itemque de spectris per damnatos exhibitis.

DISCIPULUS.

HAbent plenum gaudium Sancti?

M. Nequaquam. Sicut enim * vocati ad convivium venientes de sua vocatione & susceptione sunt læti, de absentibus amicis solliciti; * donec simul conveniant omnes: ita animæ justorum de sua nunc quidem gloria lætantur, de absentia autem nostra sollicitantur. Cùm autem corpora sua receperint, & omnes in unum convenerint, tunc plenum gaudium habebunt.

al. omit.

al. eũ autem omnes simul venient, amplius gaudebunt ita

D. Quæ est domus * patris, & multæ mansiones?

al. Dei

M. Domus Patris est visio omnipotentis Dei, in qua justi, ut in * domino gloriantur. Mansiones diversæ sunt pro meritis remunerationes.

al. domo

D. Sciunt animæ quæ hîc geruntur?

M. Animæ justorum sciunt omnia, quæ hîc aguntur: quæ autem in pœnis sunt, nesciunt nisi quæ eis Angeli vel Sancti referunt. Quæ verò in inferno sunt, non plus norunt quid hîc agatur, quàm vivi sciunt quid ibi geratur. Ut tamen olim Prophetæ quædam sciverunt, quæ alii ignoraverunt; non tamen omnia: ita quædam animæ inter malos quædam sciunt, quæ aliæ nesciunt; quamvis non omnia. Itaque omnia quæ sciunt, vel eis divinitus revelantur, vel eis à morientibus & illuc venientibus nunciantur.

D.

D. Possunt animæ apparere quando volunt, vel quibus volunt?

M. Animæ Sanctorum apparent quando volunt, & quibus volunt, sive vigilantibus, sive dormientibus. Quæ autem in pœnis sunt, non apparent, nisi ab Angelis permittantur, & ut pro liberatione sua rogent, aut liberatæ gaudium suum amicis suis nuntient. Quæ autem in inferno sunt, nulli apparere possunt: si autem aliquando videntur apparere, sive in somnis, sive vigilantibus; non illa sunt, sed dæmones in illarum specie, qui etiam in Angelos lucis se transfigurant, ut decipiant. Si autem * veraciter contigerit, pro alicujus sancti merito fit: ut cùm S. Martino anima latronis apparuit ubi altare destruxit: aut pro admonitione, ut anima Benedicti Papæ in * monasterio apparuit, cujus caput & cauda asinus, meditas ursus fuit, quæ se die noctuque per aspera & ignea loca * trahi, & post judicium deglutiendam asserunt olla gehennali.

al. velocker

al. monstro

al. traxit.

D. In qua forma apparent?

M. In humano corpore assumpto de aëre.

CAPUT IX.

Unde somnia.

DISCIPULUS.

UNde veniunt somnia?

M. Aliquando à Deo, cùm aliquid futuri revelatur; sicut Joseph per stellas & manipulos quòd fratribus suis præferretur: Aut aliquid necessarium admonetur; ut * Angelus Joseph, ut fugeret in Ægyptum. Aliquando à diabolo, cùm aliquid * tentare aut bonum impedire nititur: ut in passione Domini de uxore Pilati legitur. Aliquando ab ipso homine, cùm quod viderit vel * audierit vel cogitaverit, hoc in somnis imaginatur, & in timore positus * per tristia, & in spe per læta ludificatur.

al. ut alio

al. sæpe videatur

al. omit.

al. per ultimam

CAPUT X.

De Antichristo, & adventu Enoch et Eliæ.

DISCIPULUS.

BEnedictum Dei verbum, qui tot secreta mihi referat per os tuum. Nunc si rogare auderem, libenter de Antichristo auditem.

M. Antichristus in magna Babylonia de meretrice generis Dan nascetur. In matris utero Diabolo replebitur, & in Corozaim a maleficis nutrietur. Universo Orbi imperabit, & totum genus humanum sibi quatuor modis subjugabit. Uno modo; nobiles sibi divitiis adsciscet, quæ sibi maximè affluent, quia omnis pecunia abscondita erit ei manifesta. Secundo modo; vulgus sibi terrore subdet quia maxima sævitia in Dei cultores * furiet. Tertio modo; sapientia & incredibili eloquentia cleri obtinebit, quia omnes artes & omnem Scripturam memoriter sciet. Quarto modo; mundi contemptores, ut sunt Monachi, signis & prodigiis fallet. Faciet enim tam stupenda miracula, ut jubeat ignem de cœlo descendere, & adversarios suos coram se consumere, & mortuos resurgere, & sibi testimonium dare.

al. grassabitur

D. Suscitabit mortuos verè?

M. Nequaquam, sed Diabolus ejus maleficiis corpus alicujus * intrabit, & illud apportabit, & in illo loquetur; ut quasi vivum videatur, ut dicitur: *in omnibus signis & prodigiis mendacibus.* Hic antiquam Hierusalem reædificabit, in qua se ut Deum coli jubebit. Hunc Judæi ex toto orbe venientes summo voto suscipient: sed per prædictionem Eliæ & Enoch ad Christianam religionem redibunt, & omnes penè dirum martyrum subibunt. *

al. alicujus damnati

al. omit.

videcrucifigerunt

D. Quali ætate venient illi duo?

M. In ea qua assumpti sunt: qui etiam ab Antichristo, qui vocatur, Αντίχριστος id est contrarius: vel Αντίνοος id est nego, vel, titan, id est, sol vel gigas) interficientur. * Hic per tres annos & dimidium monarchiam obtinebit: deinde tentorium suum ad expugnandos justos in monte Oliveti extendet, in quo invenietur subita morte mortuus spiritu oris Domini, id est, jussu Dei interfectus: ut dicitur, *Præcipitabit Dominus inclytum universæ terræ in monte sancto.*

videcrucifigentur

Esai. 63. v. 7.

D. Cùm dictum sit: *Dies illi propter electos breviabuntur*: erunt tunc dies breviores, quàm nunc?

Matt. 24. v. 22.

M. Dies * tunc ita longi erunt sicut nunc, ut dicitur: *Ordinatione tua perseverat dies.* Sed dies dicuntur breviari, quia per breve tempus, id est, tres semis annos regnabit. Porro corpora hominum creduntur futura minora, quàm nostra; sicut nostra etiam minora, quàm antiquorum.

al. ita nunc erunt

Psal. 118.

D. Quid postea erit?

M. Relinquentur quadraginta dies his qui ejus errore vel fallacia lapsi sunt, ut pœnitere possint: post hæc qua die judicium fiet, * omnis homo ignorat.

al. nullus scit

CAPUT XI.

De novissima tuba, & resurrectione.

DISCIPULUS.

QUid est novissima tuba?

M. Cùm Dominus legem daret in monte, audita est vox tubæ: ita Angeli ad hoc constituti, corporibus & tubis de aëre sumptis, terribile judicium Dei sonitu tubæ intonabunt; ut dicitur: *Canet enim tuba, & mortui resurgent.* Et iterum: *Periit memoria eorum cum sonitu:* & * altissima voce mortuis clamabunt, Surgite; ut dicitur: *Media nocte clamor factus est.* Ad quam vocem omnes mortui boni & mali in ictu oculi * id est, quàm citò possis oculum aperire, * imò aperto oculo lucem videre,] resurgent.

1. Cor. 15. v. 52.

Psalm. 9.

al. altisona

Matt. 25. v. 6.

al. novissima tuba

al. omit.

D. Quæ est prima resurrectio?

M. Sicut duæ sunt mortes, ita sunt duæ resurrectiones; una animarum, altera corporum. Cùm homo peccat, anima moritur; quia à vita Deo deseritur, & in corpore quasi in sepulchro sepelitur: cùm verò per pœnitentiam ad * vitam Deum redit, quasi a morte resurgit. Alia erit corporum.

al. Deum qui est vita

D. Qua die *?

al. fiet resurrectio

M. In die Paschæ, eâ horâ qua Christus resurrexit.

D. Erit aliquis tunc in mundo?

M. Ita plenus erit mundus tunc hominibus, ut est hodie. * Quidam arabunt, quidam navigabunt, quidam ædificabunt, quidam aliud & aliud facient.

al. hodie: quia ita erunt operantes ut hodie quidam arabunt, navigant, ædificant al. omit.

D. Quid de illis fiet?

M. Justi cùm resurgent, mox ab Angelis in aëra ob viam Christo rapientur, * & electi viventes cum eis rapientur,] & in ipso raptu morientur, & reviviscent: hoc præcessit in Maria, & Johanne; Maria, quæ recepto corpore post mortem in gloriam est assumpta: Johanne, qui cum corpore raptus, & in ipso raptu * creditur mortuus * & revivisces: Reprobi quoque de ipso terrore morientur, & confestim revivisces: & hoc est judicare vivos & mortuos.

al. raptus adhuc

al. omit.

D. Resurgent qui in matribus sunt mortui?

M. Quotquot vitalem spiritum acceperũt, resurgẽt.

D. Qua ætate, vel mensura?

M. Qua erant, * si essent triginta annorum; vel futuri essent, nisi ante morerentur.

al. erant; quam

D. Aliquando lupus devorat hominem, & caro hominis vertitur in suam carnem: lupum verò ursus, ursum leo devorant; quomodo resurget ex his homo;

M. Quod caro fuit hominis, resurget: quod bestiarũ, remanebit. Scit enim hæc bene secernere, qui scivit ex nihilo cuncta condere. Sive ergo * membratim à bestiis, sive à piscibus, seu à volucribus devorentur;

al. membra

Digitized by Google

omnes in resurrectione reformabuntur in tantum, ut nec capillus de eis pereat.

D. Si capilli & ungues præcisi in locum suum redeunt, nonne deformes erunt?

al. quod redeant

M. Non est intelligendum quòd * sint reducendi in priorem locum: sed sicut figulus si vas noviter factum frangat, & de eodem luto aliud faciat, non attendens * quid priùs ansa vel fundus fuerit: ita * formar Deus de eadem materia * aliud corpus huic valde dissimile, * cui omnis deformitas & * infirmitas absit, & omnis integritas * & decor adsit: * quamvis unumquodque membrum in locum suum Deus decenter restaurare possit.

al. ubi ansa
al. formator
al. aliud corpus cui
al. reformabit
al. infirmitas
al. omit. & decor
al. D. Quamvis
al. Posit, qui

D. Qui hîc habuerunt bina capita, vel plura membra, vel quibus defuerunt aliqua, aut pingues aut macri fuerunt, resurgent tales?

al. capita habuerunt duo vel corpora, resurgent tales
al. caput
al. appetent
al. habeat
al. omit.

M. Qui hîc * habuerunt duo capita, duo inde corpora resurgent, & unaquæque anima habebit suum * corpus, cui nihil indecens & deforme * adhæreat, sed omnia membra sana & integra, & omni pulchritudine plena * habebit.

* D. Quid sentis de abortivis?

M. In quantum est semen patris, resurget in patre: in quantum sanguis matris, resurget in matre.]

D. Qualia corpora justi habebunt?

M. Immortalia & incorruptibilia, & ut splendidum vitrum perlucida. * Reprobi quoque similiter immortalia, * quoniam sine fine jugiter in morte dolentia: & incorruptibilia in hoc quod cùm omnibus pœnis afficiantur, non consumantur: sed tantum tenebrosa.

al. reproba verò
al. quamvis

CAPUT XII.

De judicio ejusque circumstantiis.

DISCIPULUS.

QUa hora fiet judicium?

M. Media nocte, qua hora Angelus Ægyptum devastavit, * & Dominus infernum spoliavit.] ea hora electos suos de hoc mundo liberabit. *

al. omit.
al. Dominus

D. Qualiter veniet Dominus ad judicium?

M. Sicut * cùm Imperator ingressurus est civitatem; corona ejus, & alia insignia præferuntur, per quæ adventus ejus cognoscitur: ita Christus in ea forma qua ascendit, cùm Ordinibus omnibus Angelorum ad judicium veniet: Angeli crucem ejus ferentes præibunt; mortuos tubâ & voce in occursum ejus excitabunt, omnia elementa turbabuntur, tempestate ignis & frigoris mixtim undique furente: ut dicitur: *Ignis ante ipsum præcedet, & in circuitu ejus tempestas valida:* & alibi *pugnabit orbis pro eo contra insensatos.*

al. Sicut Imperator ingressurus civitatem, vel sic, ut Imperatore ingresso civitatem

Psal. 96. v. 3.
Sap. 5. v. 21.

D. Erit judicium in valle Josaphat?

M. Vallis Josaphat dicitur vallis judicii. Vallis est semper juxta montem. Vallis est hic mundus, mons est cœlum. In valle ergo fit judicium, id est, in isto mundo, scilicet in * aëre, ubi justi ad dextram Christi, ut oves, statuentur; impii autem, ut hœdi, ad sinistram ponentur.

al. in isto

D. Quomodo * ad dexteram vel sinistram?

al. autem ad

M. Ad dexteram, scilicet, sursum in gloria; ad sinistram, deorsum in terra. Justi * enim geminis alis charitatis ad alta sublevabuntur; ut dicitur: *Sancti fument pennas ut aquila.* Impii autem peccatis ut plumbum * ad terrena, quibus toto corde inhæserant, deorsum deprimentur.

al. autem
Prov. 23. v. 5.
al. à terra

CAPUT XIII.

De Judice, & Assessoribus.

DISCIPULUS.

QUali forma apparebit * ibi Dominus?

al. in judicio

M. Electis in ea forma, qua in monte apparuit: reprobis verò in ea, qua in cruce pependit.

D. Erit crux ibi, * lignum, scilicet, in quo Dominus passus est?

al. lignum

M. Nequaquam, sed lux in modum crucis splendidior Sole.

D. Quare faciet Filius judicium?

M. * Filius similitudo Dei est: Angelus autem & homo usurpaverant sibi similitudinem Dei: justum est ergo ut cui facta est injuria, judicium faciat pro vindicta: quamvis Pater & Spiritus sanctus ei cooperetur.

al. quia filius

D. * Erit ibi sedes in qua sedeat, ut dicitur: *Sedebit super sedem majestatis?*

al. est sedes ibi (id est in judicio)

M. Christus dicitur nunc stare, & pro sponsa sua pugnare: tunc devictis hostibus, & sponsa ad se recepta in majestate sedebit: hoc est, humanitas in Divinitate requiescet. *Super sedem suam* etiam *sedebit*, quia ab omni * labore in Ecclesia cessabit. Tamen quia homo ibi apparebit, super sedem de aëre assumptam ut judex sedere creditur.

Matt. 25. v. 31.
al. labore Ecclesiæ

D. Habebunt Apostoli sedes, ut dicitur: *Sedebitis super sedes duodecim, * judicantes duodecim tribus Israël?*

Matt. 19. v. 27.
al. omit.

M. Conscientiæ eorum sunt sedes eorum, in quibus devicto mundo & vitiis; * quasi in sede triumphantes quiescent. Sed & ipsi super sedes de aëre videbûtur sedere, ut dicitur; *Sedebunt super sedes in judicio.*

al. omit.
Psal. 121. v. 5.

D. Qualiter fiet judicium?

M. Nunc sunt boni & mali mixti; & multi videntur boni, qui sunt mali; & multi putantur mali, qui sunt boni. Tunc ab Angelis boni à malis, ut grana à paleis, secernentur, & in quatuor ordines dividentur. Unus ordo est perfectorum cum Deo judicantium. Alter justorum, qui per judicium salvantur. Tertius impiorum sine judicio pereuntium. Quartus malorum, qui per judicium damnantur.

D. Qui sunt qui judicant?

M. Apostoli, Martyres, Monachi, Virgines.

D. Quomodo judicabunt * justos?

al. Gentes

M. Monstrabunt * eos suam doctrinam & sua exempla * fuisse imitatos, & ideò regno dignos.

al. eis
al. eos fuisse

CAPUT XIV.

De judicandis & sine judicio perituris: de ira Dei, & de apertione librorum.

DISCIPULUS.

QUi sunt qui judicabuntur?

M. Qui opera misericordiæ in legitimo conjugio exercuerunt, vel qui peccata sua pœnitentiâ & eleemosynis redimerunt, * eis dicetur: *Venite benedicti Patris mei; Esurivi, & dedistis mihi manducare* &c.

D. Dicentur hæc sonis verborum?

M. Cùm Christus homo ibi apparebit, & ipsi in corporibus adsistent, potest esse quòd hæc verba sonaliter fient. Tamen cùm sit ibi omnibus manifestum per quod meritû quisque salvetur vel damnetur, magis nobis per hæc verba innuitur, per quæ merita salvêtur.

D. Quomodo judicabuntur?

M. Cœlesti palatio, qui hæc fecerunt, digni censebuntur.

D. Qui sunt, qui sine judicio pereunt?

M. Qui sine lege peccaverunt, pagani, scilicet, & illi Judæi, qui fuerunt post passionem Christi. Nam post suam passionem legis observatio reputatur idolatriæ superstitio.

Digitized by Google

D. Videbunt Chriſtum?

Jom. 19 v. 37. M. Videbunt: ſed ad ſui perniciem, ut dicitur: *Videbunt in quem transfixerunt*: omnes namque impii in necem Domini conſenſerunt.

Pſalm. 1 v. 5. Pſal. 30. v. 18. D. Quare dicitur de eis: *Non reſurgent impii in judicio?*

M. Non continget illis, ut ibi judicent; ſicut hîc fecerunt. De his dicitur: *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui.*

D. Qui ſunt qui judicabuntur, & peribunt?

M. Judæi, qui ante adventum Chriſti ſub lege peccaverunt; & mali Chriſtiani, qui malis operibus Deum negaverunt: his dicetur, *Diſcedite à me maledicti; Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare*, &c. Quibus verbis innuitur * quod ideo damnentur, quia crimina ſua eleemoſynis redimere contempſerunt. Et debes notare quòd non dicit: *Venite*, * *benedico vos*, nec dicit: *Diſcedite*, * *maledico vos*: ſed, *quia eſtis benedicti venite*: &, *quia eſtis maledicti, diſcedite.*

Matt. 5 v. 41.

al. quare damnentur

al. benedicti

al. maledicti

D. Quis benedixit iſtos? vel quis maledixit illos?

M. Spiritus ſanctus quotidie per ora amicorum & inimicorum electos benedicit, ut dicitur: *Benedicti vos à Domino.* Et iterum: *Benedictio Domini ſuper vos.* Reprobos verò per ora omnium maledicit, ut dicitur: *Maledicti, qui declinant à mandatis tuis.*

D. Quomodo judicabunt eos Sancti?

M. Suis meritis oſtendent eos nec facta nec dicta ſua ſequutos, * & ideo omni ſupplicio dignos: hos in ira ſua conturbabit Deus, & devorabit eos ignis.

al. ſed omni

D. Habet Dominus furorem vel iram?

M. In Domino non ſunt tales motus: qui, ut dicitur, *omnia cum tranquillitate judicat*: ſed cùm in reos ſententia juſtæ damnationis profertur; iraſci eis, qui hæc patiuntur, videtur.

Sapient. 12. v. 18.

D. Habebunt juſti defenſores, aut mali accuſatores?

M. Habebunt conſcientias ſuas. Ita namque omnes à fulgore crucis illuſtrabuntur, ut ſicut nunc. Sol ab omnibus videtur; ita omnium hominum conſcientiæ tunc ab omnibus in propatulo videantur.

Apoc. 20. v. 12. D. Quid eſt quod dicitur, *Libri aperti ſunt*; &, *liber vitæ*, &, *judicati ſunt mortui de his quæ erant ſcripta in libris.*

al. ſunt Sancti, aliqui perfecti

M. Libri ſunt Prophetæ, ſunt Apoſtoli, ſunt * alii perfecti. Qui libri aperti erunt, quia doctrina & exempla eorum omnibus patebunt: in quibus omnes, quaſi in libris, videbunt quid facere vel quid vitare debuerunt. Liber verò vitæ eſt vita Jeſu, in qua omnes quaſi in libro legûnt quid de præceptis ejus vel fecerûnt, vel neglexerunt. Liber vitæ eſt etiam vis divina, in qua omnes ſuas conſcientias quaſi ſcriptas videbunt.

CAPUT XV.

De ſubſecuturis univerſali judicium, & mundi conflagrationes; ac de reformatione.

DISCIPULUS.

QUid ſequitur?

M. Peracto judicio diabolus cum toto corpore ſuo, id eſt, cum omnibus impiis, in carcerem, id eſt, in ſtagnum ignis & ſulphuris præcipitabitur: Chriſtus verò cum ſponſa ſua, id eſt, omnibus electis, cum triumphali gloria in civitatem Patris ſui cœleſtem Hieruſalem revertetur.

Luc. 12 v. 37. D. Quid eſt, *Tranſiens miniſtrabit illis?*

M. Hoc eſt, remotâ ſervili formâ, talem qualis

Joan. 14. v. 21. eſt oſtendet ſe electis in Patris gloria, ut dicitur: *Manifeſtabo illis me ipſum.*

1. Cor. 15. D. Quid eſt: *Tradet regnum Deo & Patri*: &, *Deus erit omnia in omnibus?*

M. Id eſt, Chriſti humanitas, & tota Eccleſia in Divinitate regnabunt; & Deus erit gaudium omnium, & gaudium ſingulorum. * Singuli namque ſingulare gaudium habebunt, & omnes ſimul de viſione Dei gaudebunt.

al. Sed Angeli ſingulare

D. Quid poſtea de mundo erit?

M. Conflagrabitur. Sicut enim olim aqua diluvii mundo prævaluit, & ſuper montes omnes cubitis * quindecim excrevit, ita tunc ignis prævalens ſuper omnes montes * quindecim cubitis altiùs ardebit. *

al. duodecim

al. duodecim Vide varias lectiones

D. Interibit penitus mundus?

M. Rerum mutabilitas, pœnæ peccati, ſcilicet, frigus, æſtus, grandines, turbines, fulgura, * & aliæ incommoditates penitus interibûnt: elementa verò purgata permanebunt, ut dicitur: *Mutabis eis, & mutabuntur.* Sicut enim præſens figura noſtrorum corporum tranſibit, & longè aliam huic incomparabilem habebit: ita præſens mundi figura penitus * præteribit, & longè alia incomparabilis * gloriæ forma erit, ut dicitur: *Faciet Dominus cœlum novum, & terram novam.* Denique cœlum, Sol, Luna, ſtellæ, aquæ, quæ nunc feſtinant curſu irretardabili, quaſi cupientes in meliorem ſtatum immutari, tunc fixa ſtabiliter manebunt & quieta, & mirabili glorificatione immutata. Nam cœlum gloriam Solis * induet: Sol ſeptempliciter plus quàm nunc lucebit, ut dicitur: *Sol habebit lumen ſeptem dierum.* Luna & ſtellæ veſtientur ineffabili ſplendore. Aqua, quæ Chriſti corpus tingere meruit, & Sanctos in baptiſmate lavit, omnem decorem cryſtalli tranſcendet. Terra, quæ in gremio ſuo Domini corpus confovit, tota erit ut Paradiſus. Et quia Sanctorum ſanguine eſt irrigata, odoriferis floribus, liliis, roſis, violis immarceſcibiliter erit perpetuò decorata. Et hæc eſt mutatio dexteræ Excelſi: quia terra, quæ erat maledicta, & ſpinis addicta, tunc in perpetuum à Domino erit benedicta; & labor & dolor non erit ultra.

al. tonitrua & alia incommoda

Iſ. 10. v. 18.

al. interibit

al. gloria

Apoc. 21. v. 1.

al. indutet vel reducet

Iſa. 30 v. 26.

CAPUT XVI.

De corporibus beatorum, & eorum adjunctis.

DISCIPULUS.

REpleſti me de bonis * domus Domini: dic, qualia corpora habebunt Sancti?

al. omit.

M. Septies quàm Sol ſplendidiora, & præ animo * agiliora.

al. angeliora

D. In qua ætate, vel in qua menſura erunt?

M. Ut Chriſtus, quando reſurrexit. Verumtamen cùm ſit hîc delectabile pueros ſenibus mixtos, viris mulieres, longis breves junctos cernere; credibile eſt multò delectabilius eſſe ibi ſingulis ætatibus, ſingulis * menſuris utrumque ſexum virorûm & mulierem conſpicere: ſicut hîc delectabile eſt diverſas voces in organis vel infidibus audire. Unde magis credendum eſt omnes in illa ætate, & in illa menſura * reſurgere, & ibi apparere, qua contigit eos hinc migrare.

al. conſurgere

D. Erunt veſtiti, an nudi?

M. Nudi erunt, * ſed omni decore fulgebunt; & non plus de * aliis membris, quàm nunc de gratioſis oculis erubeſcent. Salus autem juſtorum & lætitia erit illorum veſtimenta: nam Dominus induet corpora eorum veſtimento ſalutis, & animas eorum indumento lætitiæ. Et ſicut * hîc ſunt diverſa genera florum, ut in liliis albedo, & in roſis rubedo; ita] diverſa gratia colorum creditur fore in corporibus Sanctorum, ut alium colorem Martyres, alium habeant Virgines: & hæc pro veſtimentis reputabuntur.

al. de

al. illis vel pudendis

al. omit.

Digitized by Google

CAPUT XVII.

De operatione & gaudio beatorum.

DISCIPULUS.

al. licenter POssunt * libenter facere quod volunt?

M. Nihil nisi bonum volunt, ideò quicquid volunt, liberè agunt: & ubicunque esse volunt, sine mora ibi sunt.

D. Quid * operantur?

Psal. 41. M. * Vacant, & vident Deum, *& in seculo seculorum laudabunt eum.*

D. Quæ est laudatio Sanctorum?

M. Deum Sanctos ibi laudare est tantùm de visione Dei gaudere.

D. * Recordantur malorum quæ in corpore patiebantur?

M. Omnium * recordantur.

D. Non * habent inde dolorem?

M. Imò majus gaudium habebunt, quòd hæc omnia * devicerunt: sicut aliquis qui olim periculum * belli evasit, & hoc post * gaudens amicis narrat.

al. evaserunt & devicerunt al. omn. belli al omn. gaudens

D. Super altitudinem terræ * sustulit me tua aurea lingua. Nunc eia, dic mihi illorum gaudia.

al. sustentavit

M. Gaudia Sanctorum erunt, *quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt quæ preparavit Deus his qui diligunt eum.*

D. Quæ sunt hæc?

M. Vita æterna, beatitudo sempiterna, omnium bonorum sufficientia sine omni indigentia.

D. Hoc planius edicito.

al. spirituales M. Septem * speciales glorias corporis habebunt, & septem animæ. In corpore quidem pulchritudinem, velocitatem, fortitudinem, libertatem, voluptatem, sanitatem, immortalitatem: In anima autem sapientiam, amicitiam, concordiam, potestatem, honorem, securitatem, gaudium.

CAPUT XVIII.

De corporum dotibus in beatis.

DISCIPULUS.

LEvasti me super me. Hæc sunt quæ concupivit anima mea audire. Rogo te, hæc aliquibus modis exprime.

M. Placeret-ne tibi si esses ita pulcher ut Absalon, in cujus corpore non erat macula, & cujus coma multo pretio ponderabatur præcisa?

D. O gloria!

M. Quid si cum hoc decore esses tam velox quàm Asaël, qui cursu pedum * prævertebat capreas.

al. pergrabat campos qui prævertebat capreas

D. O gratia!

M. Quid si cum his duobus ita esses fortis ut Samson, qui mille viros armatos prostravit * una mandibula?

D. O ingens decus!

M. Quid si cum his tribus esses tam liber quàm Augustus, cui totus mundus servivit?

D. O claritudo!

M. Quid si cum his quatuor ita voluptate afflueres ut Salomon, qui nunquam cordi suo aliquid denegabat quod desiderabat?

D. O dulcedo!

M. Quid si cum his quinque ita sanus esses ut Moyses, cui nunquam dens motus est, nec caligavit oculus?

al. O suavitas D. * O sanitas?

M. Quid si his omnibus habitis deberes ita fieri longævus ut Mathusalem qui penè ad mille annos vixit?

D. O Magnificentia! Mihi videtur, si cui optio ex his * eligendi daretur, unumquodque pro regno jure eligeretur: si quis autem his omnibus polleret, merito toti mundo præferendus esset.

M. Oportet, ut * interdum sileas, dum præstantiora audias. Quid si cum his omnibus superioribus ita sapiens esses ut Salomon, cui omnia abscondita & occulta erant manifesta?

al. interdum sileas dum præstantiora

D. * O decus, vel sapientia!

al. O Deus

M. Quid si super hæc omnes homines tibi essent inamici, ut David Jonathæ, quem dilexit ut animâ suâ?

D. O beatitudo!

M. Quid si insuper omnes tibi essent ita concordes, ut Lælius Scipion, de quibus neuter nisi quod alter voluit?

D. O ineffabilitas!

M. Quid si ad hæc omnia ita potens esses, ut Alexander Magnus, qui Asiam, Africam, Europam sibi potenter subjugavit?

B D. O sublimitas!

M. Quid si insuper ab omnibus ita honorareris, ut Joseph ab Ægyptiis, quem adoraverũt ut Dominum?

D. O celsitudo!

M. Quid si in his omnibus ita securus esses ut Elias & Enoch?

D. O Magnitudo!

M. Quod si his omnibus habitis tale haberes gaudium, quale is habet qui cùm ad equuleum ducitur, repentè in itinere ad regnum rapitur?

D. O majestas!

M. Quid si amicum haberes, quem ut teipsum diligeres, & is similiter ut tu his omnibus bonis abundaret; nonne duplex gaudium haberes?

C D. O immensa delectatio!

M. Quid si multos amicos haberes, & nihilominus his bonis affluerent, nonne tot gaudia haberes?

D. O inenarrabilitas! Ita ego delector in sermonibus tuis, sicut in omnibus divitiis. Mihi videtur quòd si quis quædam ex his, non dico omnia, haberet; dignior toto mundo esset. Si quis autem his omnibus esset plenus, videretur jure Deus.

M. Rectè sentis. His omnibus ipsi * (id est, Sancti) longè excellentius exuberant. Absalonis namque formositas ibi esset deformitas. Porrò illorum speciositas erit ut Solis claritas, ut dicitur: *Fulgebunt justi sicut Sol*, qui tunc septuplo plus quàm tunc fulgescet. Et hoc eis promittitur: *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Nemo dubitat quin corpus Christi clarius sit quàm Sol, utpote

Matt. 13. v. 43. Philip. 3. v. 21.

D corpus Creatoris quàm corpus creaturæ: homines verò templa Dei dicuntur,* quod Sol non dicitur.] Si ergo corpora Sanctorum corpori claritatis Christi, & quod est splendidius quàm Sol, configurantur; & Deus in eis, ut in templis, habitat; necesse est ut templa Dei magis perspicua sint quàm Sol. * Ecce qualis Sanctorum pulchritudo. Asaël agilitas esset ibi pigra tarditas. Sanè ipsi veloces sunt ut quàm citò oriens Sol * occidentem suo radio tangit, tam citò ab oriente] in occidentem venire possint, & quàm citò oculus se elevans visum ad cœlum dirigit, tam citò ad terram de cœlo, terra ad cœlum relabi poterunt: hoc etenim Angeli facere possunt, quibus ipsi coæquales erunt, ut dicitur: *Erunt æquales Angelis Dei.* Ecce

al. habent ; al. qui est splendidior al. omit. Matt. 22. v. 30.

E qualis illorum velocitas Samsonis valetudo esset ibi invaletudo: nempe illorum talis erit valentia, ut si montes & omnem molem terræ pede vertere vellent; valenter possent, & tam facilè, quàm nunc videre: hoc enim nemo dubitat Angelos posse, quibus ipsi æquales dicuntur esse. Ecce qualis justorum fortitudo. Augusti Imperatoris libertas esset ibi captivitas: qui potuit capi, ligari, claudi. Illorum verò talis est libertas, ut omnia obstantia penetrare valeant, & nulla creatura * eos retinere queat; sicut sepulchrum corpus Domini * tenere non potuit quin resurgeret, & januis clausis intraret. Huic ipsi configurabuntur. Ecce qualis illorum libertas.

al. eis resistere al. omnis

Digitized by Google

CAPUT XIX.

De voluptate beatorum.

DISCIPULUS.

SAlomonis deliciæ essent eis miseria. O qualis est * illorum voluptas, quibus ipse Deus fons omnium bonorum est insatiabilis satians satietas! Duæ sunt beatitudines: una minor Paradisi, altera major cœlestis regni. * Quarum quia neutram experti sumus, de eis comparationem dare nescimus. Et duæ sunt miseriæ: una minor hujus mundi, altera major inferni. E quibus quia unam quotidie experimur, comparationem de * experta dare novimus. Sicut igitur si ferrum * ignitum alicujus capiti esset in fixum, & sic candens per omnia membra transiret: sicut ille dolorem interiùs & exteriùs haberet; ita ipsi per contrarium modum in omnibus membris suis interiùs & exteriùs voluptatem habent. Hîc, * id est, in hoc mundo, est voluptas multitudinem virorum ac mulierum speciosarum videre, * induere vestes pretiosas, præclara ædificia cernere, dulcem cantum, sermonem concinnum, organa, lyras, cytharas, & talia audire; thymiamata, & alias diversi pigmenti species odorare; variis epulis deliciari; blanda & mollia tractare; multam pecuniam & variam supellectilem possidere; hæc omnia illis infinitè redundant. O qualem voluptatem visus ipsi habebunt, qui ita clausis sicut apertis oculis videbunt! Quibus singula membra, ut oculus Solis erunt, qui Regem gloriæ in decore suo cernent; omnes Angelos & omnes Sanctos interiùs & exteriùs conspicient. Gloriam Dei, gloriam Angelorum, gloriam Patriarcharum, gloriam Prophetarum, gloriam Apostolorum, gloriam Martyrum, gloriam Confessorum, gloriam Virginum, & gloriam omnium Sanctorum videbunt: * suos oculos, suas facies, omnia membra sua interiùs & exteriùs, * cogitationes singulorum intuebuntur: omnia quæ sunt in novo cœlo, & in nova terra contemplabuntur: inimicos suos, qui se * olim afflixerunt, in inferno * jugiter videbunt: & de his omnibus ineffabiliter gaudebût. O qualis voluptas auditûs illorum, quibus incessanter sonabunt harmoniæ cœlorum, concentus Angelorum, dulcisona organa omnium Sanctorum! Olfactio qualis, ubi suavissimum odorem de ipso suavitatis fonte Deo haurient, & odorem de Angelis & de omnibus Sanctis percipient! Eia qualis voluptas gustûs, * ubi *epulabuntur & exultabunt in conspectu Dei: & cùm apparuerit gloria Dei saturabuntur, & ab ubertate domus ejus inebriabuntur!* Voluptas tactûs qualis, ubi omnia aspera & dura aberunt, & omnia blanda & suavia arridebunt! O quàm magna * multitudo dulcedinis divitiarum, ubi in gaudio Domini super omnia bona sua constituentur. Ecce tales sunt deliciæ Sanctorum. Moysis sanitas esset ibi infirmitas. Salus autem justorum a Domino. Quos si tentares impetere ferro, non plus posses * lædere quàm nunc radium Solis secare; talis est sanitas justorum. Mathusalæ longævitas esset * prolixæ mortis difficultas, * quos mors & dolor fugiunt, * quia in perpetuum vivunt.] En qualem habebunt vitæ diuturnitatem, * qui indeficientis vitæ feliciter hæreditabunt æternitatem. Et hæc tantùm sunt bona corporis.

al. Justorum

al. Quare

al. experti vel non experta

al. omit.

al. omit.

al. videre, vestes speciosas

al. cernunt

al. equales afflixerunt

al. magna dulcedo

al. nocere

al. ibi

al. omit.

al. & qui in

CAPUT XX.

Dotes animarum in beatis: & quòd de peccatis vitè expiatis non erubescant; deque pleno omnium gaudio.

DISCIPULUS.

SIcut dulcis fons sitientem agricolam, ita delectabilis favus de ore tuo distillans meam refocillat animam. Sed ô incomparabiliter beati, qui ad tam ineffabilia bona sunt prædestinati!

M. Verè beati sunt, qui habitant in domo Domini, quia in his omnibus vivent in sæculum sæculi. His Salomonis sapientia esset magna insipientia. Portò ipsis omnis sapientia affluit: omnem scientiam de ipso fonte sapientiæ * hauriunt. Omnia quippe præterita, præsentia; & si qua futura sunt, perfectè sciunt. Omnium omnino hominum, sive in cœlo, sive in inferno, nomina, genera, opera bona vel mala unquam ab eis gesta norunt: & nihil est quod eos lateat, cùm in Sole justitiæ pariter videant omnia.

D. Heu quantas lachrymas miseriæ meæ nunc cogit me fundere fons tuæ eloquentiæ. Scient omnes Sancti quod ego feci?

M. Utique, non solùm quæ fecisti, sed quæ unquam vel cogitasti, vel dixisti, aut aliquis homo, sive bonum, sive malum, * indelebiliter cognoscent.

D. Quid tunc valet confessio, & pœnitentia peccatorum, si non delebuntur; & si ipsi debent turpia & fœda flagitia nostra scire, quæ etiam exhorrescimus cogitare?

M. Quid abhorres? quid times? An vereris quod de tuis factis ibi confundaris? De fœdissimis & turpissimis actibus tuis confessis & pœnitentia lotis non plus verecundaberis, quàm si quis nunc narraret tibi quæ olim gessisti in cunis: nec plus erubescens, quàm si vulneribus in prælio acceptis perfectè sanatus esses. Nihil est aliud peccata dimittere vel delere, quàm non punire: per pœnitentiam & confessionem remittuntur; sed de Dei & Sanctorum scientia nunquam delebuntur.

D. Vellem mihi hoc exemplo probari.

M. Nunquid scis quòd David homicidium & adulterium perpetravit?

D. Scio.

M. Num nosti Mariam * peccatricem fuisse, Petrum Christum perjurio abnegasse, Paulum Ecclesiam crudeliter impugnasse?

D. Novi.

M. Credis eos esse in cœlo?

D. Credo.

M. Si igitur tu adhuc corruptibilis & fragilis hæc nosti; quantò magis illi norunt, qui ab omni corruptione & fragilitate liberi erunt? Non tamen inde nunc verecundantur, sed magis de sua salvatione in Domino gloriantur.

D. Non abhorrent tales Angeli, vel Sancti, qui penè nihil peccaverunt? non habebunt eos pejus?

M. Nequaquam: sed sicut * his amici congaudent * qui naufragium vel aliquod grave periculum * evadunt; ita Angeli & Sancti de illorum evasione congratulantur, quibus omnia, etiam ipsa peccata, in bonum cooperantur. Et sicut Medicus magis de desperato ægro, si eum sanaverit, laudatur: ita Deus uberiùs de illorum salvatione glorificatur.

D. O immensa lætitia!

M. David & Jonathæ amicitia esset illis inimicitia. O quàm dulcis amicitia illos copulat, quos Deus ut filios suos amat, & ipsi Deum plus quàm se ipsos diligunt; * & omnes Angeli & omnes sancti eos ut

al. Indelebiliter

al. his al. quando

al. omit.

Digitized by Google

ſeipſos diligunt!] Lælii & Scipionis concordia eſſet illis diſcordia. Sanè concordia illorum eſt ut oculorum: quo unus aſpicit, mox ſe alter illuc flectit: quicquid aliquis illorum volet, hoc Deus, hoc Angeli, hoc omnes Sancti volent.

al. voluerint al voto

D. Eia, ſi Deus & omnes Sancti * volent quod ego volo: tunc * vellem ſimilis eſſe Petro.

M. Certè ſi hoc volueris, continuò eris. Non dico quòd Petrus ſis, ſed Petro ſimilis. Nam ſi cuperès Petrus eſſe; cuperes non ſubſiſtere. Si enim tuam eſſentiam exueres, nihil eſſes: quamvis nullus ibi plus cupiat, quàm promeruerit; ſicut nec pes cupit oculus eſſe, aut manus auris; vel vir eſſe mulier. Si enim aliquid plus cuperent, plenum gaudium non haberent: ſed omnes plenum gaudium habebunt: ergò nihil plus cupient quàm habebunt, & nihil * poteſt adjici gaudio eorum. Quod enim quiſque in ſe non habuerit, in altero habebit: ut, verbi gratiâ, Petrus in Johãne gloriam habebit virginitatis; Johannes in Petro gloriam paſſionis. Et ità gloria uniuſcujuſque erit omnium, & gloria omnium uniuſcujuſque erit. Dic igitur quid cupere plus * poterunt, qui Angelis cœquales erunt, & hæc omnia, quæ commemoravi, & plura habebunt. Alexandri ampla potentia eſſet illis anguſta cuſtodia. Nempe illorum tam efficax erit potentia, ut ſi aliud cœlum * facere vellent, potenter poſſent. Sunt enim Filii Dei, & cohæredes Chriſti, & ideò dii, ut dicitur: *Ego dixi, dii eſtis.* Et quia dii ſunt, omnia quæ volunt poſſunt.

al. nihil plus

al. cœlum & aliam terram facere. *Pſ. 81. v. 6.*

D. Et ſi poſſunt, quare non aliud cœlum faciunt?

M. Deus nihil imperfectum reliquit: quia omnia in menſura, numero, & pondere perfectè abſolvit. Et ſi ipſi aliud cœlum * facerent, eſſet ſuperfluum: ſed nihil volunt quod ſit indecens vel ſupervacuum. Nos etenim multa poſſumus, quæ tamen non facimus, ut ſaltare, vel currere.

al. vel aliam terram facerent.

D. Hæc omnia poſſunt credi de Apoſtolis & ſummis Sanctis: * circa nos bene geritur, ſi nobis in ſervitio eorum vivere conceditur. De omnibus omnino juſtis dictum eſt: *Erunt æquales Angelis Dei.* * Sicut enim illud eſt perfectè calidum, à quo omne frigus eſt remotum; & illud eſt perfectè frigidum, à quo omnis calor removetur; & tamen aliud poteſt eſſe calidus aut frigidus: ita licet omnes Sancti æquales ſint ſemper videndo faciem Patris; tamen ita differunt in gloria ut ſtellarum claritas, vel ſolis & lunæ lumina.] Sicut igitur ſi rex præteriens ægrum, quem in cœno jacentem videret, levari, balneari, veſtibus ſuis indui juberet, nomen ſuum ei imponeret, in filium ſuum adoptaret, regnum ei in hæreditatem daret: ita Deus cernens nos in luto peccatorum, * nos inde per fidem levavit, baptiſmate lavit, nomen ſuæ Divinitatis nobis impoſuit, in regnum ſuum hæredes adſcivit, ut dicitur: *Quotquot receperunt eum, * dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.*] Quamvis ergo alius alio præſtantiùs, alius alio eminentiùs gloriam pro meritis ſortiatur; tamen omnes unam domum Patris, licèt diverſis manſionibus, & unum denarium de viſione Dei & conſortio Angelorum percipient. Joſeph honor eſſet eis ut dedecus. O qualem honorem habebunt ipſi, quos Deus ut filios honorabit, Angelirut * principes, omnes Sancti ut Deos venerabuntur. Debitor eſt enim eis Deus: quia hoc quod de eis ſtatuit facere, ut hoc fieret, * toto anniſu ſe præparavere. Debitores ſunt eis omnes Sancti: quia quòd binam ſtolam; imò centuplum perceperunt, ex eis ex magna parte habebunt. Debitores ſunt eis * Angeli quia quod eorum numerus eſt impletus, quantum in ipſis fuit, fecerunt, Debitores ſunt eis] cœlum, & terra, & omnis creatura: quia quòd tam excellenter immutata ſunt, ut hoc fieret, ſuis meritis feſtinaverunt. Eliæ & Enoch ſecuritas eſſet eis timoris anxietas: quia ita ſecuri ſunt, quòd nec mortem nec aliquod infortunium timebunt: & hæc omnia nunquam amittere pavebunt. Deus enim non aufert ab eis, cùm ſint filii ejus chariſſimi: & ipſi nunquam amittere volent: nunquam igitur ea perdent, * Equuleo verò erepti, & in regnum rapti perfruentur lætitia pro mœſtitia. O qualem lætitiam & exultationem ipſi habebunt, qui in gaudium Domini introibunt! O Deus quale gaudium habebunt, qui Patrem in Filio, & Verbum in Patre, & Spiritus ſancti charitatem in utroque, ſicuti eſt, facie ad faciem ſemper videbunt. Gaudium habebunt de conſortio Angelorum, gaudium de contubernio omnium Sanctorum. Gaudebunt itaque de bonis Domini interiùs & exteriùs, ſupra ſe, & infra ſe, in circuitu & undique. Ad hæc omnes amicos, * meos incito; qui ſi me audierint, in eorum conſortio,] quorum multa millia ſunt, his deliciis affluere & ſuperabundare gaudebunt. Ecce, hoc eſt plenum gaudium: & hæc eſt omnium bonorum ſufficientia ſine omni indigentia.

al. ſed & magis nobis concreditur, ſi

Iſa. 30. v. 26.

al. omit.

al. levari vel

al. de quo nos per

Joh. 1. v. 12.

al. pardulpes

al. tota anima

al. omit.

al. De equuleis verò tetorti & in regnum rapti, ita lætitia eſſet eis mœſtitia

al. omit.

CAPUT XXI.

Antitheſes Beatorum, & damnatorum.

DISCIPULUS.

ITa tepleſti meum cor gaudio, quòd penè vidi faciem Domini in * jubilo raptus in cœli gremio. Idcirco lætor ſuper eloquia tua, ſicut qui invenit ſpolia multa.

al. jubilo

M. Sicut igitur * hi amici Dei perenniter felices in Domino gloriabuntur: ita econtrario inimici ejus nimium miſeri & infelices jugiter cruciabuntur. Ecce ſicut iſti * decore maximo illuſtrabuntur, ita illi maximo horrore deturpabuntur. Sicut iſti ſumma agilitate erunt alleviati, ita illi ſumma pigritia prægravari. Sicut iſti præcipuo robore ſolidati, ita illi erunt præcipua invaletudine debilitati. Sicut iſti * anguſta libertate potientur, ita illi anxia ſervitute deprimentur. Sicut iſti immenſa voluptate deliciabuntur, ita illi immenſa miſeria amaricabuntur. Sicut iſti egregia ſanitate vigebunt, ita illi infinita infirmitate deficient. Sicut iſti de beata immortalitate triumphantes lætabuntur, ita * illi de dolenda ſua diuturnitate lamentabuntur. Sicut iſti perpoliti erunt ſplendore ſapientiæ, ita illi obſcurati erunt horrore inſipientiæ. Si quid enim ſcient, ad augmentum doloris ſcient. Sicut iſtos dulcis amicitia copulabit, ita illos amara * inimicitia excruciabit. Sicut iſti concordiam cum omni creatura habentes, ab omni creatura glorificabuntur: ita illi cum omni creatura diſcordiam habentes, ab omni creatura execrabuntur. Sicut iſti ſumma potentia ſublimabuntur, ita illi ſumma impotentia anguſtiabuntur. Sicut iſti maximo honore erunt præditi, ita illi maximo dedecori erunt dediti. Sicut iſti ſecuritate egregia tripudiabunt, ita illi maximo pavore trepidabunt. Sicut iſti ineffabili gaudio erunt jubilantes, ita illi * miſerabili mœrore ſine fine ejulantes. Odium enim Dei habebunt: quia, quantum in ipſis erat, ei obſtiterunt, ne unquam civitas * ejus ædificaretur. Odium habebunt Angelorum: quia, quantum potuerunt, effecerunt ne unquam numerus eorum impleretur. Odium habebunt omnium Sanctorum: quia, quantum in ipſis erat, nunquam gaudium plenum habebunt. Odium à novo cœlo, & à nova terra, & ab omni creatura habebunt: quia, quantum in ipſis erat, impedierunt ne unquam immutarentur. O

al. amicos Dei nimium

al. iſti amici Dei

al. illorum corde de corruptione ſua dolentia, longa diuturnitate

al. inimicitia amara victa

al. amic. miſerabili

al. civitas non locus

mirabilis contrarietas: Sicut illorum gaudia erunt * inexcogitabilia & indicibilia; ita istorum supplicia erunt incomparabilia & ineffabilia. Ideò vocantur perditi, quia à cultu Dei sunt lapsi.

al. inexcogitata & incestimabilia, vel incredibilia

D. Hoc non intelligo.

M. Cùm Deus palatium sibi constitueret, paries lapsus est, quando Angeli corruerunt. Quem Deus volens restaurare, misit Filium suum vivos lapides ad hoc ædificium congregare. Qui scandens currum, multos convexit: lapsos inde reliquit, ut dicitur: *Ascendes super equos tuos: & quadriga tua salvatio.* Dei quadrigæ sunt quatuor * Evangelistæ. Equi sunt Apostoli, qui prædicatione sua Christum in hoc curru per mundum traxerunt, & multos ad Dei ædificium collegerunt. Lapsi de curru sunt hæretici & schismatici, ut dicitur: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis.* Qui autem sunt adducti, ut lapides quadrati à summo opifice in ædificio cœlesti sunt locati. Hi sunt electi, quatuor virtutibus politi, id est, prudentia, fortitudine, justitia, temperantia, quibus muri Hierusalem fient reparati, ut dicitur: *Hierusalem, quæ ædificatur ut civitas.* Quidam verò lapides asperi impoliti, ab opifice sunt reprobati, in ignem missi, & in calcem versi: murique his firmati quasi cæmento & ornati. Hi sunt impii à cœlesti ædificio rejecti, & in fornacem gehennæ projecti: de quorum exitio justi vinculo charitatis quasi cæmento murus firmiùs compaginabuntur; & eorum glorioſiùs collatione decorati, sine fine in Domino Deo jocundabuntur.

Habac. 3. v. 8. al. Evangelia

c. 1. Joh. 2. v. 19.

Ps. 121. v. 3.

D. Jucunditate & exultatione repleat te Dominus Deus omnipotens, optime Magister, glorificatione Sanctorum, & videas Regem gloriæ in suo decore: & videas bona Hierusalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Ps. 127. v. 5.

Digitized by Google

al. Manclus B. Mariæ Virginis ad Anſelmum, de Paſſione Domini.

DIALOGUS

B. MARIÆ ET ANSELMI,

DE PASSIONE DOMINI.

al. Beatus Anſelmus Epiſcopus al. ramabat al. ei dilecti Filii ſui paſſionem diguaretur perfectius revelare, cui tandem apparens Beata Virgo dicebat al. & ad preces tuas, & pro ſalute multorum tibi

SANCTUS Anſelmus, longo tempore cum jejuniis, lachrymis, & orationibus glorioſam Virginem * exoravit, ut ei * revelaret qualiter ejus Filius paſſus eſt. Tandem Beata Virgo ei apparuit, & dixit: Tanta & talia paſſus eſt dilectus Filius meus, quòd nullus ſine lachrymarum effuſione dicere poteſt. Tamen quia glorificata ſum, flere non poſſum: * ideò tibi paſſionem mei Filii per ordinem explicabo. Beatus ergo Anſelmus quæſivit per ſingula, & beata Maria ad ſingula reſpondit.

CAPUT PRIMUM.

De traditione Chriſti, ac ejus oratione in horto.

ANSELMUS.

al. Quæſivit * ergo primò, & dixit: al. qualiter Filii tui paſſio inchoata eſt. Reſpondit Maria al. argenteis

DIc mihi, chariſſima Domina, * quale fuit initium paſſionis Filii tui?

MARIA. Quando Filius meus à cœna facta cum diſcipulis ſuis ſurrexit, Judas Scarioth ſacerdotum principes adiit, & Filium meum tradens, pro triginta * denariis vendidit.

A. Quales fuerunt illi denarii?

M. Ismaëlitici, quibus etiam Joſeph venditus fuit ante * quatuor millia annorum, & hæreditaria ſucceſſione fuerant devoluti ad illos Judæos, qui Filium meum emerunt, & uniuſquiſque denarius valuit * decem uſuales: Judas verò ita avarus fuit, quòd quando denarios vidit, Chriſtum pro eis vendidit: & licèt Chriſtus ei prædixiſſet ſæpius; tamen ille Judas per hoc * non fuerat emendatus.

al. multos annos

al. valebat triginta

B

al. ſe non emendaverat al. tunc in concilio cum diſcipulis

A. Fuiſti tunc * cum Filio tuo, & diſcipulis ejus?

M. Non; ſed ſcias quòd quando Filius meus cœnaverat, & pedes diſcipulorum laverat, & corpus ſuum & ſanguinem diſcipulis dederat, & dulciter prædicaverat, ac Judas Pontifices adierat; Filius meus de monte Sion cum diſcipulis ſuis per portam ad natatoriam Siloe, ubi erat hortus, quem introivit, & diſcipulis dormientibus aſcendit ad montis Oliveti pedem, quantùm ad jactum lapidis à diſcipulis, & oravit * ſic Patrem: *Exaudi me, Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua: ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum reſpice in me. Ne avertas faciem tuam à * puero tuo: quoniam tribulor, velociter exaudi me. Intende anima mea, & libera eam, propter inimicos meos eripe me.*

al. ad Patrem dicens Pſalm. 68.

C

al. à me

A. Quare oravit?

M. Propter tres rationes. Prima; quia delicatè nutritus fuit, utpote filius Virginis, & de ſtirpe regia natus: quia nobiles magis dolent, quando læduntur, quam * ignobiles. Secunda; quia tanta anguſtia eum invaſit, quòd guttas ſanguineas ſudavit de toto corpore; * & quia Deus erat, ideò omnia quæ * paſſurus

al. ruſtici

al. quia Deus fuit, & ideo

A erat præſcivit: videlicet, * conſpuitionem, blaſphemias, flagellationem, crucifixionem, & hujuſmodi. * Licet enim fur ſciat quòd mori debeat, tamen neſcit quid mors ſapiat, niſi quando funis ſtringit collum: ſed Filius meus omnia præſcivit tanquam Deus & homo.] Tertia: quia præſcivit quòd Judæi non deberent ei miſereri. Et quando ſic oravit: *Pater, ſi * poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte: verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat:* Angelus Domini apparuit ei confortans eum, & dicens: Conſtans eſto, Domine, modò genus humanum * redempturus es.

al. amit.

Matt. 26. al. ſi poteſt

al. debes redimere

CAPUT II.

De Chriſti comprehenſione.

POſt hoc Filius meus ad diſcipulos rediit: eoſque dormientes invenit, quibus & dixit: *Non potuiſtis unâ horâ vigilare mecum?* * Et adjecit: *Ecce appropinquat, qui me tradet:* & ecce Judas venit cum turba * magna, dixitque Judæis: Duo * conſimiles ſunt, ſcilicet, Jacobus & Jeſus; unde do vobis ſignum: *Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt; tenete eum.* Et cùm Judas accederet cum turba, proceſſit Jeſus ad eos, dicens, *Quem quæritis?* Qui reſponderunt: *Jeſum Nazarenum.* Quibus Jeſus: *Ego ſum.* Et cum dixiſſet, *Ego ſum:* Omnes ceciderunt retrorſum. Iterum dixit Jeſus: *Si me quæritis, ſinite hos abire.* Ut Scriptura impleretur: *Quia quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quemquam.* Tunc * accedens Judas oſculatus eſt eum, cui dixit Jeſus: *Juda, oſculo Filium hominis tradis? At illi injecerunt manus in Jeſum, & tenuerunt eum.* Tunc Petrus eduxit gladium, & percuſſit ſervum principis * ſacerdotum, qui vocabatur * Malcus.

al. dicens etiam

al. turba Judæorum al. itaque pars

Ibidem.

Joan. 18.

al. unus.

al. Marchus

A. Contigit ibi aliquod miraculum?

M. Filius meus applicuit ſibi ſervum, & curavit auriculam ejus, & dixit Petro: *Mitte gladium in vaginam. Omnis enim qui acceperit gladium, gladio peribit:*

Digitized by Google

bit: An putas quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum? Tunc omnes discipuli, relicto eo, fugerunt. Matth. 26.

A. Dic, * piissima Domina, fuisti nunc * cum illo? al. dulcis Maria al. ibi al. omit. al. mulieres

M. Non.

A. * Quare, cùm eum tantum diligeres?]

M. Nox instabat, & non expediebat ut * juvenculæ tunc foris inveniremur.]

A. Ubi ergo dulcissima fuisti?

M. Fui in domo sororis meæ, matris Johannis Evangelistæ.

A. Quomodo ergo vel * quis nuntiavit tibi quod factum fuit? al. à quo nuntiatum tibi fuit factum hujusmodi

M. Audi nunc, Anselme, quod multùm est lamentabile. Venerunt * discipuli currentes, & lachrymabiliter clamantes: O charissima Domina, dilectus Filius tuus Dominus & magister noster captus est: & nescimus quò ducatur jam ligatus, vel quid fiat ei, * vel utrum sit occisus.] al. apostatæ discipuli lachrymabiliter currentes ad me, & clamantes domna Domina al. omit.

A. Flevisti tunc, Domina?

M. Licet scirem quòd genus humanum esset redempturus; tamen propter maternum affectum, doloris gladius, * de quo Simeon prædixerat, animam meam pertransivit. al. omit.

CAPUT III.

De Christi deductione ad Annam, & Petri negatione.

ANSELMUS.

QUò tunc fuit ductus Filius tuus dilectus?

M. de horto prædicto per vallem Josaphat * per portam auream, & ductus fuit in palatium Scribarum, & Pontificum, & Pharisæorum, juxta templum, in domum Annæ: & quæsivit Annas de doctrina ejus, & discipulis. At ille respondit: *Ego palam locutus sum mundo: ego semper docui in synagoga, & in templo, ubi omnes Judæi * conveniunt; & in occulto locutus sum nihil: quid me interrogas, * interroga eos qui me audierunt, quid locutus sim eis: ecce hi sciunt quid dixerim eis.*] Tunc assistens unus ministrorum dedit ei alapam * inexpertæ crudelitatis, dicens: *Sic respondes Pontifici?* Filius autem meus, ut agnus mansuetus, respondit ei: *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si benè, cur me cædis?* Tunc * velaverunt oculos ejus tanquam furis: Quod tamen nulli fit, nisi priùs condemnetur. Et illuserunt ei tota nocte, spuentes in faciem ejus, & * percutientes eum, dixerunt, *Prophetiza * nobis, quis est qui te percussit?* Johannes verò existens intus, quia notus erat Pontifici, introduxit Petrum. Quem videns ostiaria dixit: *Tu es ex discipulis hominis istius?* Petrus verò ter negavit cum juramento, quòd numquam eum vidisset, neque novisset. Et statim gallus cantavit. *Et * conversus Jesus respexit Petrum; & recordatus est Petrus verbi * Domini quod dixerat ei: Quia priùs quam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus Petrus flevit amarè.* al. in civitatem, & docebatur al. convenerunt al. omit. al. omit. al. ligaverunt

A. Ubi fuisti, charissima Domina, * cùm hæc fierent? al. quando hæc facta sunt

M. Statim cùm discipuli mihi * dixissent quæ facta fuerant, omnia ossa mea contremuerunt, surgensque cucurri cum Maria Magdalena juxta templum, audiensque tumultum * in domo Annæ, volui intrare, sed non sum permissa: unde stabam foris plorans, & clamans: Heu dilecte Fili mi, lumen oculorum meorum, quis dabit capiti meo aquam: & oculis meis fontem lachrymarum ut plangam * interfectionem Filii mei. Maria verò Magdalena circuibat undique, & introspiciens per fenestras, quæ audiens negationem Petri, commota * sunt omnia viscera ejus pro desolatione al. mihi quod factum fuerat nunciaverunt al. omit. al. interfectum al. commota est totis visceribus

A unici Filii mei, eò quod princeps discipulorum eum negasset; & dixit, O Jesu * bone, qualem finem fortitus es, vel quid fiet de te, cùm iste princeps * discipulorum te negaverit. O dulcis Jesu non te negabo * in æternum. Ego autem stabam plena dolore audiens omnes illusiones & contumelias, quas Filio meo dilecto inferebant, & Petrum negantem, & omnia quæ tota nocte ibi fiebant. *Et cùm Petrus tertiò negasset, Filius meus eum respexit, & eo quod eum negaverat, flevit amarè: egressus foras invenit nos foris stantes, * & tacta dolore cordis intrinsecus dixi ad eum, Petre Petre, quid agitur cum Jesu, * vel ubi est Jesus? Qui clamans & ejulans lachrymosa voce respondit: Heu, charissima Domina, absque misericordia tractatur, & cruciatur * usque ad mortem. Et currens abscondit se præ timore in lapide, qui vocatur gallicantus, & non comparuit donec Jesus mortuus fuit in cruce. al. dulcis al. princeps omnium, ut dignoscerent te negavit al. omit. al. Cum ergò Petrus cum tertiò negasset, Filiusque meus eum respexisset, & propter quod al. cui cum dolore dixi, Petre al. omit al. & occiditur

A. Dic mihi, Domina charissima, quid fecisti cùm hoc audires?

M. Gladius Simeonis pertransivit animam meam.

CAPUT IV.

De Christi deductione ad Caïpham.

ANSELMUS.

DIc mihi quid factum fuit post hæc?

M. Manè facto eduxerunt eum de domo Annæ; & duxerunt eum ad Caïpham * principem sacerdotum. * Tunc primò, postquam captus fuerat vidi eum, & accurrens quasi leæna raptis fœtibus videbam illam desiderabilem faciem sputis Judæorum maculatam, dicens lachrymando, Heu dilectissime Fili, quàm * miserabilem te modò video; quæ totiens dulcissimo tuo aspectu gaudebam. Et volens illum amplecti, non fui permissa accedere, sed trusa à Judæis huc & illuc, contumeliosè sum amotu, & populus undique concurrebat, sicut quando fures & latrones condemnantur. al. Pontificem al. ibi eum tuo vidi, Postquam captus fuit, al. crines dilanians ejulans, & plorans, alaque vobis clamans al miserabiliter

A. Habuisti * aliquam spem quòd liberari posset? al. tunc aliquam

M. Etiam: * sciebam enim quòd ingeniosus fuit & facundus, & sperabam quòd se excusaturus esset, si ad judicium veniret: tunc stetit quasi agnus mansuetissimus, & non aperuit os suum; fuit etiam ita amicabilis, quòd sperabam quòd deberent ejus misereri. Et modico tempore dilapso, adeò conspurus fuit, quòd quasi leprosus apparebat. Invenerunt enim isti multa falsa testimonia * contra eum: dicentes eum esse legis destructorem, & populi * subversorem. Tandem *duo falsi testes accesserunt, dicentes: Hic dixit, Possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud.* Et Caïphas dixit: *Die nobis si tu es Christus.* Jesus respondit: *Si dixero vobis, non creditis mihi. Si autem interrogavero vos, non respondebitis, neque dimittetis: Amen, dico vobis, amodò videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli. Tunc princeps sacerdotum * scidit vestimenta sua, & ait: Quid adhuc desideramus testes? Audistis blasphemiam. Quid vobis videtur? Tunc omnes clamabant: Reus est mortis.* Hac prolata sententia, gladius Simeonis pertransivit animam * meam. al. omit. al. perversorem al. in triduo al. animam & cor meum

CAPUT V.

De Christi ad Pilatum deductione.

ANSELMUS.

QUò tunc ductus fuit?

M. Ad Judicem Pilatum.

A. Speràsti ibi aliquid, Domina charissima?

Digitized by Google

M. Multùm ſperaveram, cùm turba convenisſet cui ſæpè dulciter prædicaverat, & quorum infirmos ſanaverat, & eos in deſerto paverat, quòd eum de manibus Judæorũ liberare deberent. Tunc unanimiter clàmabant coram Pilato: *Crucifige, crucifige eum.* Et * imposuerunt ei quòd dixerat ſe Filium Dei esſe, & quòd prohibuisſet tributa dari Cæſari. Tunc Pilatus quæſivit * de regno ſuo, dicens: *Tu es Rex Judæorum?* Et reſpondit Jeſus: *A temetipſo hoc dicis: an alij tibi dixerunt de me?* Reſpondit Pilatus: *Nunquid ego Judæus ſum? Gens tua, & Pontifices tui tradiderunt te mihi, quid feciſti?* Reſpondit * Jeſus: *Regnum meum non eſt de hoc mundo: ſi ex hoc mundo eſſet regnum meum; miniſtri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis.* Dixit itaque Pilatus: *Ergo rex es tu?* Reſpondit Jeſus: *Tu dicis, quia rex ſum ego: ego ad hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati: omnis qui ex veritate eſt, audit vocem meam.* Dixit ei Pilatus: *Quid eſt veritas?* Hanc quæſtionem non ſolvit ei Chriſtus: quia ſi ſolviſſet, eum utique liberaſſet, & * ideo genus humanum redemptum non fuiſſet. Tunc Judas videns quòd damnatus eſſet, pœnitentiâ ductus retulit triginta argenteos principibus ſacerdotum, & ſenioribus populi, dicens: *Peccavi tradens * ſanguinem juſtum.* At illi dixerunt: *quid ad nos, tu videris.* Et projectis argenteis in templum, receſſit ab eis, & abiens laqueo ſe ſuſpendit. Pilatus autem convocatis principibus ſacerdotum, & magiſtratibus, & plebe, dixit ad eos: *Nullam cauſam invenio mortis in homine iſto, ex his in quibus eum * accuſatis.* At illi invaleſcebant, dicentes: *Commovit populum * per univerſam Judæam, incipiens à Galilæa uſque huc.*

al. impoſuit ei turba

al. eum de

al. Judæis, hunc autem regnum meum non eſt de hoc mundo. Dixit

al. tunc

al. tradens juſtum

al. accuſant al. docens per

CAPUT VI.

De abductione ad Herodem, & reductione ad Pilatum.

TUnc Pilatus audiens * Galilæam, & quod Galilæus eſſet, miſit eum ad Herodem, qui & * tunc erat Hieroſolymis. Herodes autem viſo Jeſu gaviſus eſt valde: erat enim ex multo tempore cupiens videre eum, eo quòd audierat multa de eo, & quia ſperabat aliquod ſignum ab eo fieri. Interrogabat ergo Jeſum multis ſermonibus: videlicet, ſi eſſet ille * puer, quem pater ſuus volebat interficere, & propter eum multos pueros necaverat. Item: ſi eſſet ille, qui * cæcum illuminaverat, & qui Lazarum ſuſcitaverat, & adoleſcentem filium viduæ in porta civitatis Naym; & multa alia * miracula feciſſet: & rogavit eum, ut aliquod ſignum faceret, promittens * quod eum de manibus Judæorum eriperet. Jeſus autem nihil ei reſpondit. Et poſuit Herodes coronã ſuper caput ejus, * promittens quòd ſi faceret ei ſignum, quòd ipſum regni ſui participem faceret, & pariter cohæredem.] Iſta corona * Romani coronantur Imperatores. Jeſus autem non reſpondit ei. Stabant autem principes ſacerdotum & Scribæ conſtanter accuſantes eum.

al. audiens quod al. Et ipſe Hieroſolymis erat illis diebus.

al. ille quem

al. cæcum

al. omit. miracula feciſſet al. ut eum de manu

al. omit.

al. omnes

Anſelmus. O dulciſſima, quid tunc ſperabas.

Maria. * Sciebam Herodem eſſe regem * naturalis elegantiæ: & ideò ſperabam quòd regi excellentiſſimo Filio meo parcere debuiſſet. Sprevit autem Filium meum, & indutum veſte alba remiſit eum Pilato. Et facti ſũt amici Herodes & Pilatus: nam antea * inimici erant. Sciens * autem Pilatus quanta immanitate & crudelitate in mortẽ Filii mei conſpiraverint Judæi, * præmiſit quoſdam, qui Jeſum ab Herode conducerent, ne ipſum in via interficerent. Remiſſo ergo Filio meo, * convocans Pilatus omnes Judæos dixit: *Obtuliſtis mihi hunc hominem quaſi avertentem populum; & ecce ego coram vobis interrogans nullam cauſam mortis in eo invenio, ex his in quibus eum accuſatis: * Sed neque Herodes; nam remiſi vos ad illum. Ecce nihil dignum morte factum eſt ei. Emendatum ergo illum dimittam.* At illi petebant Barrabam, qui propter * ſeditionem & homicidium miſſus erat in carcerem. Pilatus iterũm dixit: *Quid enim mali fecit: Nullam cauſam mortis invenio in illo: corripiam ergo eum, & dimittam.* At illi inſtabant vocibus magnis, * ut crucifigetur, clamantes: *Crucifige, crucifige eum.* Sedente ergo Pilato pro tribunali, miſit ad eum uxor ſua: *Nihil tibi & juſto illi. Multa enim in hac nocte paſſa ſum per viſum propter illum.*

al. sfeiebam me mater, ſciebam enim al. elegantiam

al. amici non erant ad invicem al igitur al. providit al. convocatis Pilatus omnibus Judæis dixit ad eos al accuſatis. Illo remiſi ad vos illum & ecce

al. omis.

al. magnis crucifige

CAPUT VII.

De flagellatione, & corona ſpinea, ac vociferationibus Judæorum.

PIlatus autem ſperans * crudelitati Judæorũ ſatisfacere, * apprehendit Jeſum & flagellavit * ſtatua inligatum ita ut à planta pedis uſque ad verticem non eſſet in eo ſanitas. Hæc ſtatua ita ſpiſſa fuit, quod circa duas ſpannas manus manum tangere non potuit. Unde accipiebant corrigias, & manus ejus ligabant.

A. Sperasti * ibi aliquid, Domina chariſſima?

M. * Multum ſperaveram propter hanc cauſam, quam tibi manifeſtabo: delicata enim & naturalis ingenuitas, & formoſa membrorum principalium compages mihi matri ejus ſolummodo nota ſpem præſtitit. Æſtimabam ſiquidem nudato corpore formoſis membrorum lineamentis victi * parcerent; ſed heu in momento temporis totalis corporis ejus ſuperficies ita ſanguine * perfuſa eſt, ac ſi purpurea circundatus; & in ſtuporem & deformitatem transformatus, omnibus apparuit quaſi lepra percuſſus. Milites verò plectentes coronam de ſpinis impoſuerũt capiti ejus, & veſte purpurea circumdederunt eum, ac venerunt ad eum, & dixerunt, *Ave Rex Judæorum:* & dabant ei alapas. Hanc coronã habet rex * Franciæ. Hæc corona non fuit de ſpinis, ſed de juncis marinis; qui habent acutiores aculeos quam veræ ſpinæ. Hanc coronam * igitur plectentes capiti ejus imprimebant, ita quòd ſanguis per ejus faciem defluebat: & ſic * ornatum eduxit eum Pilatus foras, & dixit: *Ecce Rex veſter.* Illi autem clamabant, *Tolle, tolle, crucifige eum.* Reſpondit ei Pilatus: *Accipite eum vos, & crucifigite.* Reſponderunt: *Nos legem habemus, & ſecundùm hanc legem debet mori; quia filium Dei ſe fecit.* Dùm ergo audiſſet Pilatus hos ſermones, magis timuit. Et ingreſſus prætorium dixit ad Jeſum; *Unde es tu?* Jeſus autem reſponſum non dedit ei. Dixit ergo ei Pilatus: *Mihi non loqueris? Neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te?* Reſpondit Jeſus: *Non haberes poteſtatem adversùm me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper. Propterea qui tradidit me tibi, majus peccatum habet.* Et exinde * quærebat Pilatus dimittere eum: Judæi autem clamabant dicentes: *Si hunc dimittis, non * eris amicus Cæſaris.* Videns autem Pilatus quòd nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret; accepta aqua lavit manus coram omni populo, & dixit; *Innocens ego ſum à ſanguine juſti hujus; vos videritis.* Et reſpondens univerſus populus dixit: *Sanguis ejus ſuper nos & ſuper filios noſtros* Inſtabant ergo magnis vocibus ut crucifigeretur, & invaleſcebant voces eorum. Et Pilatus adjudicavit fieri petitiones eorum. Dimiſit autem illis eum, qui propter homicidium miſſus fuerat in carcerem, quem petebant.

al. quod debebat.

al. apprehenſum Jeſum flagellari fecit

al columna

al. inde

al. filium, Anſelme, quaſi mater: propter ea cauſa ut tibi pandam

al compateretur

al. ſuperfundebatur

al. Francorum al. Francorum, quæ non

al. cum læcè percutientes capiti ejus imprimere conabantur al. cruentatum

ſuam. id.

al. volebat

al. ex

CAPUT VIII.

De damnatione Chriſti, & Crucis bajulatione.

al. autem al. hujus al. ad al. omit.

AD nimiam*igitur plebis inſtantiam Pilatus*hanc mortis ſententiam protulit * adversùs Filium meum, dicens: *Jeſum Nazarenum * abjudico vitæ, & adjudico morti ignominioſæ crucis*

A. Quid feciſti, dulciſſima, cùm hæc audires?

M. Hac prolata ſententia gladius Simeonis pertranſivit cor meum & animam meam.

al. omit. A. O dulcis Maria! * Quid factum fuit poſt hæc?

M. Suſceperunt Jeſum dilectum Filium meum, & eduxerunt eum, ut ſcribit Johannes, & bajulans ſibi Joan. 19. crucem exivit in locum, qui dicitur Calvariæ locus: B ubi eum crucifixerunt. * Crux verò adeò magna erat, al. Crux quòd habebat quindecim pedes in longitudine. Et adeò al. tota nocte debilitatus erat Filius meus * præterita nocte & illa die, quod eam portare non poterat. Unde & Lucas ſcribit: Luce 23. *Apprehenderunt Simonem quendam Cyrenenſem, & impoſuerunt illi Crucem portare poſt* Jeſum unicum Filium meum. Quod fecerunt non causâ miſerationis; al. miſerationis, quod compatererentur ei * ſed quia præ debilitate id facere non poterat.

A. Sequebantur eum * aliqui, cùm educeretur? al. aliquæ mulieres

M. Tota turba * concurrebat, ſicut quando fures al. convenit ducuntur ad ſupplicium. Unde Lucas ſcribit: *Sequebatur autem illum turba multa populi; & mulieres, quæ plangebant & lamentabantur eum.* Sequebantur etiam pueri projicientes lutum & lapides in eum. Converſus autem Filius meus Jeſus ad mulieres dixit: *Filiæ Jeruſalem, nolite flere ſuper me; ſed ſuper voſipſas* C *flete, & ſuper filios veſtros*, qui lutum & lapides mittunt in me, neſcientes quid faciunt: *quoniam ecce dies veniunt, in quibus dicent: Beatæ ſteriles, & ventres qui non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus, cadite ſuper nos; & collibus, operite nos. Quia ſi in viridi ligno*, hoc eſt, in pueritia, hoc *faciunt: in arido*, hoc eſt, in ſenectute, *quid fiet?* Vel *in viridi ligno*, hoc eſt in me: *in arido*, hoc eſt, in aliis ſanctis meis quid fiet? Ducebantur & alii duo nequam cum eo, ut cru- al. ad fil cifigerentur. Hoc fecerunt ad * majorem confuſionem.

CAPUT IX.

De Chriſti & matris hypapante.

CUm autem educeretur Filius meus principalis cum duobus ſceleratis extra portam civitatis, cum ingenti preſſura irruentis populi & inſultantis: volui eam ſequi & videre, ſed non potui præ maxima multitudine populi, quæ ad opprobrium Filii mei al. deliberabam convenerat. Sed tandem cum Maria Magdalena * de- al objacentis liberavi quòd per viam * adjacentis plateæ circa quen- al. cucurrimus dam fontem * circuiremus, quatenus illi * obviaremus. al. obvium Et cùm veniſſemus juxta fontem, obvium habuimus veniremus. Et meum Filium deformatum, preſſum omni dolore: al. inclinans ſe ad me, di- qui benignè inclinabat ſe ad me, ac ſi diceret, gra- cebat: Ave tes tibi refero, electa mater mea, pro multimodis be- E neficiis mihi impenſis, & pro multo labore quo in ſumma paupertate & abjectione enutriviſti templum corporis mei, & nunc in deſtructione conſtitutum inter contumelias & opprobria ſequi non dedignaris nec veteris: quamvis omnibus contemptui habeamur.

CAPUT X.

De crucifixione, & Crucis erectione.

AT poſtquam venerunt in locum Calvariæ; ibi eum crucifixerunt, & latrones cum eo, unum à dextris, & alium à ſiniſtris.

A. Quomodo fecerunt ei?

M. Audi, Anſelme, quod modò referam nimis eſt lamentabile, & nullus Evangeliſtarum ſcribit. Cùm veniſſent ad locum Calvariæ ignominioſiſſimum, ubi canes & alia morticina * projiciebantur; nudaverunt al. projiciebantur Jeſum unicum Filium meum totaliter veſtibus ſuis, & ego exanimis facta fui: tamen velamen capitis mei accipiens circumligavi lumbis ſuis. Poſt hoc depoſuerũt crucem ſuper terram, & eum deſuper extenderunt, & incutiebant primò unum clavum adeo ſpiſſum, quòd tunc * ſanguis non potuit emanare: ita vulnus al. nunc plenè clavo replebatur. Acceperunt poſtea funes & traxerunt aliud brachium Filii mei Jeſu: & clavum * ſe- al. ſimilem cundum ei incuſſerunt. Poſtea pedes * funibus traxe- al. eidem intulerunt, & clavum acutiſſimum incutiebant; & adeo al. clavos tenſus fuit, ut omnia oſſa ſua & membra apparerent, ita ut impleretur illud Pſalm. *Dinumeraverunt omnia* Pſ. 21. v. 18. *oſſa mea.* Et tunc impleta fuit propheria ipſius David; * id eſt ipſius Chriſti, dicentis in Pſal. *Audi filia, & vide*: Quaſi diceret Filius meus: Audi, chariſſima mater mea, ſonum malleorum, & vide qualiter manus meas & pedes meos confixerunt: * & nemo mihi al. quia compatitur, niſi tu ſola mater mea electa: * Audi Filia, & compatere mihi. Hæc audiens & videns, gladius Simeonis cor meum & animam meam transfixit. Poſt hæc erexerunt * eum cum magno labore: & fuit al. erexit adeò altè ſuſpenſus, quod ejus pedes nuſquam attingere poteram. Et cùm erectus fuiſſet, tunc propter ponderoſitatem corporis omnia vulnera lacerata ſunt & aperta; & tunc primò ſanguis de manibus & pedibus copioſiùs emanavit. Ego autem induta fui quadam veſte, qua mulieres regionis illius uti ſolent, quæ tegitur caput & totum corpus, & eſt quaſi linteum: & fuit iſta veſtis tota reſperſa ſanguine.

CAPUT XI.

De Chriſti in Cruce opprobriis.

D

ANSELMUS.

QUid factum eſt poſt hæc?

M. Poſtquam crucifixerunt Filium meum: diviſerunt ſibi veſtimenta ſua, & mittebant ſortem ſuper veſtem inconſutilem, ut impleretur quod dictum eſt per Prophetam: *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea*, Pſ. 21. v. 19. *& ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* Et ſedentes obſervabant eum. Et ſcripſit Pilatus ſuper caput ejus litteris Hebraïcis, Græcis & Latinis: *Jeſus Nazarenus Rex Judæorum.* Tunc Judæi rogabant Pilatum, ut non ſcriberet: *Rex Judæorum. Sed quia dixit, Rex ſum Judæorum*, Pilatus reſpondit: *Quod ſcripſi, ſcripſi.* Prætereuntes autem blaſphemabant eum, moventes capita ſua, & dicentes: *Vah qui deſtruis templum Dei, & poſt triduum reædificas illud. Salva temetipſum: ſi Filius Dei es; deſcende nunc de cruce.* Similiter & Princeps ſacerdotum illudentes cum Scribis & Senioribus dicebant: *Alios ſalvos fecit; ſe ipſum non poteſt ſalvum facere. Si Rex Iſraël eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei. Confidit in Deo; liberet eum nunc, ſi vult: dixit enim; Quia Filius Dei ſum.*

Digitized by Google

CAPUT XII.

De Verbis Chriſti in cruce.

ANSELMUS.

QUid ad hujuſmodi inſultus reſpondit Filius tuus?

al. omit. M. * Dilectus meus oravit pro eis, dicens: *Pater dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt.* Et ſtabat populus expectans, & deridebat eum. Tunc matri potuit dicere: * *Audi filia, & vide*, audi voces blaſphemantium Filium tuum, & vide dolorem meum. Scis enim quòd de Spiritu ſancto concepiſti me, & quòd virgo genuiſti me, & qualiter * aluiſti me. Unde ex quo iſti non credunt in me: tu tamen crede * in me, & compatere. Tunc iterum gladius Simeonis animam pertranſivit. Audiens hoc latro qui à ſiniſtris pendebat, inſultabat ei, dicens: *Si tu es Chriſtus; ſalva temetipſum & nos.* * Reſpondens autem alter, qui à dextris pendebat, increpans eum, dixit; *Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es: & quidem nos juſtè, quia digna factis recipimus: hic verò nihil mali geſſit.* Et dicebat ad Jeſum: *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum.* Et dixit illi Jeſus: *Amen, amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.*

al. ablaſti me

al. quia Filius Dei ſum, tu tamen compatere

al reſpondebat autem alius, & dicebat increpans eum; neque

A. Quid feciſti tunc, Domina chariſſima?

M. Stabam juxta crucem tam plena mœrore, quòd conſolationem ferre non poteram; & mecum ſtabant ſorores meæ, & Maria Magdalena. Et cùm Filius meus vidiſſet me, & Johannem diſcipulum ſuum, quem diligebat, dixit: *Mulier ecce Filius tuus.* O quam miſerabilis licentia! Deinde dixit diſcipulo: *Ecce mater tua.* Erat autem quaſi hora ſexta: & factæ ſunt tenebræ ſuper univerſam terram, uſque ad horam nonam. Et clamavit Jeſus voce magna, dicens: *Eli, Eli lamma ſabbacthani.* Hoc eſt, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Quidam autem dicebant: *Heliam vocat iſte. Sine videamus ſi veniat Helias liberans eum.* Poſtea ſciens Jeſus quia omnia conſummata eſſent, dixit: *Sitio.* Quid Domine ſitis? Salutem peccatorum. Erat autem vas poſitum aceto plenum, & currens unus, implens ſpongiam aceto, & circumponens * haſtæ dabat ei bibere, ut citiùs moreretur. Et cùm * guſtabat, dixit: *Conſummatum eſt.*

Matt. 27.

Joan. 19.

Luce 23.

al. calamo

al. accepiſſet eorum

CAPUT XIII.

De Chriſti morte, & eam conſecutis mirabilibus.

ET poſt hoc dixit: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.* In hac commendatione * cum hoſtia ſanguinis] commendabat Chriſtus Deo Patri * matrem dulciſſimam, quæ ſcrinium eſt & puriſſimum habitaculum ſancti Spiritus, una cum omnibus qui de Spiritu ſancto victuri ſunt uſque in finem ſæculi. Et poſt hæc inclinato capite tradidit ſpiritum. Tunc velum templi ſciſſum eſt in duas partes à ſummo uſque deorſum, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt: & maximè illa petra, in qua ſtetit crux, ſciſſa fuit, ita ut manus imponi poſſet; & monumenta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierunt, ſurrexerunt; & exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem ejus venerunt in Sanctam civitatem, & apparuerunt multis. Centurio autem & qui cum eo erant, cuſtodientes Jeſum viſo terræ motu & his quæ fiebant, timuerunt valde: & ipſe Centurio glorificavit Deum, dicens: * *Verè Filius Dei erat iſte.* Ecce quomodo omnia elementa Chriſto compatiebantur; ſoli autem Judæi indurati fuerunt. Et omnes qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, videntes quæ fiebant, pectora ſua percutientes revertebantur. Stabant autem omnes noti ejus de longè, & mulieres quæ ſecutæ ſunt eum à Galilæa, hæc videntes.

al. omit.

al. dilectiſſimam matrem ſuam, ſtrenuum & ſereniſſimum & puriſſimum receptaculum ſancti

Luce 23.

al. hic homo juſtus erat

CAPUT XIV.

Luctus matris pro filii morte.

ANSELMUS.

CHariſſima Domina, habuit adhuc finem dolor tuus?

M. Non, Anſelme: quia nondum plenè prophetia Simeonis impleta erat, *& tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Audi ergo quod ſuper omnia eſt lamentabile. Judæi ergo (quoniam Paraſceve erat) rogabant ut non remanerent in cruce corpora ſabbatho. Erat enim magnus dies ille ſabbathi; rogabant Pilatum ut frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi fregerunt crura, & alterius qui crucifixus erat cum eo. Ad Jeſum autem cum veniſſent, & * invenìſſent eum jam mortuum; non fregerunt ejus crura, ſed unus militum lanceâ latus ejus aperuit; & continuò exivit ſanguis & aqua. Cumque hoc viderem, quòd talem crudelitatem in jam mortuum exercerent, * examinis facta fui; & tunc verè impleta eſt prophetia Simeonis, quæ dicit: *Et tuam ipſius*, &c. Et tunc cœpi clamare, & ejulare: ſed jam omnino lachrymæ in me defecerunt, tantùm fleveram nocte præterita & die illa: & dicebam, Eia dulciſſimi Fili mi, ubi eſt nunc conſolatio, quam ſemper in te habui? Quis mihi det ut ego moriar pro te, Fili mi Jeſu? His, & aliis ſimilibus, dulciſſimi unici Filii mei mortem deplanxi.

Luce 23.

al. videremus

a'. quaſi examinis jam facta

CAPUT XV.

De Anima Chriſti ad limbum deſcenſu.

TUnc magnum gaudium fuit factum in limbo, quando anima Chriſti in ipſum deſcendit, & patres inde liberavit, & limbum deſtruxit: & infernum obſtruxit, ita quòd nullus Chriſtianus illuc venire poterit niſi proprio ſuo arbitrio; nec aliquis eorum, qui intus ſunt, ante diem judicii exire poterit. Tribus autem * vectibus infernum obſtruxit. Et hæc eſt ratio, quia ante mortem ſuam * nulli habere potuerunt contritionem, confeſſionem, vel ſatisfactionem *.

al. nodibus

al. nullam habuerunt

al. quæ nullus ante paſſionem Chriſti habere potuit, ſcilicet, cõtritionem, cõfeſſionem, ſatisfactionem.

CAPUT XVI.

De Corporis Chriſti depoſitione de cruce, ac ſepultura.

ANSELMUS.

QUid factum fuit poſt hæc?

M. Poſt hæc rogavit Pilatum Joſeph ab Arimathia, ut tolleret corpus Jeſu, dicens inter alia: Domine, niſi corpus citò tradideris; * honeſta mulier, mater ipſius juvenis, moritur præ dolore. Tunc Pilatus quæſivit ſi jam mortuus eſſet, & * expertus à Centurione de omnibus, quæ ibi acciderant, juſſit dari corpus Jeſu. Et venit Joſeph, & tulit corpus Jeſu. Nota hoc, Anſelme, quod * multum eſt lamentabile. Dum Joſeph corpus deponeret, ego ſtabam juxta crucem ſurſum reſpiciens: * Expectabam quando brachium ſolveretur, ut tangerem & deoſcularer, ſicut & feci; & cùm depoſitus eſſet de cruce, poſuerunt eum ſuper terram bene ad tres paſſus de loco crucis. Et ego caput ejus in ſinum meũ recipiẽs amariſſimè

al. pulcherrimam Dominam perdemus matrem juvenis qui occiſus eſt, quæ tantum dolorem oſtendit, quod tantùm ei compatiamur quòd ſi omnium noſtrũ unicus eſſet. Tunc

al. omit.

Digitized by Google

fiere cœpi, dicens: *Heu dulciſſime Fili, qualem conſolationem* * *habeo, quæ mortuum filium coram me video.* Tunc accurrens Johannes Evangeliſta cecidit ſuper pectus Jeſu, plorans & dicens: *Heu, heu, de iſto pectore meo potabam dulcia verba, hodie triſtia & lamentabilia.* Tunc Petrus advenit; & * quòd ipſum negaverat, amariſſimè flere cœpit: tunc Maria Magdalena plus omnibus flere cœpit ſuper Dominum ſuum, dicens: *Quis mihi modò peccata dimittet? Quis me modò excuſabit apud Simonem, & apud ſororem meam?* Venit etiam Jacobus, qui frater Filii mei * appellatus eſt, qui ſimillimus illi erat, & cum multis lachrymis hoc dicebat: Heu: Domine, * & magiſter, die præterita, hæc facies amantiſſima erat mihi ſimillima. Heu modò apparet multùm diſſimilis. Tuæ manus, & pedes tui clavis ſunt confixi; corpus verò undique vulneratum apparet à planta pedis uſque ad verticem:] meum autem * apparet ex toto illæſum. Juravit quòd * nec cibum nec potum ſumpturus eſſet, quouſque ad ſimilitudinem ſui conformaretur. Tunc cæteri diſcipuli accurrebant & lamentabantur ſuper eum: * & Filius meus ad conſolationem meam & diſcipulorum glorificatus fuit ibi coram * ſuis: ita quòd nulla plaga aut livor in corpore ſuo apparuit præter quinque vulnerum cicatrices, quas reſervaturus eſt uſque in diem judicii; & adeò ſanus * apparuit in corpore, ac ſi nunquam paſſus fuiſſet. De quo ego & diſcipuli immenſam conſolationem recepimus. Et cùm eum ſepelire * vellent; cum magno mœrore corpus fortiſſimè tenui, & ſepeliri vix permiſi, dicens: *Chariſſime Johannes, relinque mihi mortuum filium meum, quem non potui habere vivum. Sed ſi neceſſe eſt ut hoc faciat, rogo te ut me cum ipſo ſepelias.* Johannes reſpondit: *Scis, Domina chariſſima, quòd aliter eſſe non potuit, & genus humanum ſic redimi debuit.* Tandem invita permiſi ut ſepeliretur: & cùm in ſepulchrum poſitus fuiſſet, ad eum intrare volui, & ſuper ſepulchrum me projeci, & adeò miſerabiliter * egi, quòd omnes fleverunt. Et cùm me Johannes ad civitatem ducere vellet, & à ſepulchro amovere; * lachrymans rogavi: Chariſſime Johannes, non facias mihi hanc injuriam, ut me * ſepares à dulciſſimo filio meo Jeſu, quoniam hîc * expectabo donec moriar: & iterum omnes fleverunt. Johannes verò me tandem * accipiens & quaſi violenter deducens] in civitatem introduxit.

al. de te habeo, quem nunc mortuum coram

al. qui

al. appellabatur.

al. Domine talem gratiâ mihi indigno præ cæteris monſtrabili, quia dulciſſimus facies tua erat.

al. omit.

al. meum autem apparet.

al. nunquam

al. tunc

al. nobis

al. ſanus & clarus

al. vellem

al. Ideo miſerabiliter clamavi: Johannes chariſſime

al. ſeparare

al. expectare vellem

al. omit.

A Populus autem me videns indutam veſtem aſperſam ſanguine, ſicut ante Jeſum ſteteram, & ſanguis ejus ſuper me ſtillaverat, unanimiter clamabant gementes: *O quanta injuria facta eſt hodie in Hieruſalem in iſta pulcherrima Domina, & filio ſuo:* & comparie-bantur * mihi. Judæi autem propter invidiam reclu- al. nobis
ſerunt Joſeph vivum in muro, quia Chriſtum ſepelivit: uxor autem ejus locum * filio ejus Joſepho poſt al. filio Joſeph
oſtendit. Tandem poſt annos quadraginta venerunt Titus & Veſpaſianus Hieruſam deſtruentes, & Joſeph vivum * in muro inveneruntEt ſicut Judæi Chri- al de muro excluſerunt
ſtum pro triginta denariis emerunt; ita triginta Judæos pro uno denario vendiderunt.

Heu ſponſa mea dilecta cerne meas — *Ex Ms. Thomæ 319.*
Quas pro te ſuffero pœnas.
Ferre non expavi
Quòd agunt Crux, lancea clavi.
Fel ego deguſtavi,
Quia te vehementer amavi.
Tu mihi redde vicem,
Tu quoque tolle crucem.
Vide me nudum,
Verberibus laceratum,
In medio latronum
Cruci ignominioſæ clavis ferreis affixum,
Aceto in cruce potatum,
Poſt mortem lanceâ latus vulneratum.

Ad hoc anima dixit. Ecce vox ſanguinis ſponſi mei Jeſu dilecti clamat ad me de Cruce: O ſponſa mea unica, vide dolorem meum. Ad hoc ſponſa: Jeſu, mi dilecte, factus es pro me opprobrium hominum, qui eſt Dominus Angelorum. Attende, ô anima, iſte eſt dilectus tuus, cujus pedes pallidos clavo perfoſſos, ſanguine perfuſos intueris. Vide non ſine amaro planctu & lacrymis, non poſitum ſuaviter, ſed diſtentũ crudeliter in ligno duro corpus Jeſu delicatum. O te, Jeſu ſalus omnium! O admiranda & amanda dignatio! O Jeſu mi dilecte, & Deus immenſæ gloriæ, vermis contemptibilis propter me fieri non deſpexiſti! O ſpeculum, O claritas Angelorum! Aſcendiſti arborem crucis, & extendens manus ac membra tua in ejus ramis effudiſti floridum ſanguinem per radices tui corporis. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Deo Gratias.

Digitized by Google

LIBER
DE MENSURATIONE CRUCIS.
IN ILLUD CHRISTI

Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, quotidie, & ſequatur me. Lucæ 9.

QUONIAM jubente Filio tuo Chriſto: *Perfecti eſtote, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*: Et Apoſtolo exhortante ut ad perfectionem feramur, omnibus modis ad perfectionem vitæ tendere debemus: tendentes autem ſine ductore, errare poſſumus: optimè conſulit nobis in eo bonitas tua, Deus meus, qui eundem unicum tuum nobis in ductorem tradere dignatus es, ut nobis factis & verbis viam veritatis oſtenderet ac doceret. Cui etenim ut eum confidenter ſequeremur perfectionis teſtimonium perhibuiſti, dicens: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite.* Ipſe igitur ut faceret voluntatem tuam, quoddam compendium viæ perfectionis brevibus ſub verbis, ſed plurimum ponderoſis, nobis oſtendit dicens: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* In quibus verbis oſtendit paucitatem perfectorum libertate arbitrii eum ſequi volentium: ipſe tamen vult noſter eſſe ductor, initium viæ perfectionis, medium & finis, & qua intentione ſit ambulandum. Singula autem in ſuis locis patebunt.

CAPUT PRIMUM.

Expenduntur prima particula, ſi quis, *ubi de radicibus & remediis puſillanimitatis.*

PAucitatem perfectorũ inuis, Domine, in eo quod dicis: *Si quis*, quaſi aliquis ex multis vult poſt me venire. Et quare hoc, Deus meus, niſi ex quodam torpore & puſillanimitate nimia, eo quòd plerique animum ſuum ad tendendum ſurſum cogere nolunt, & perfectam viam attentare non audent. Naſcitur autem puſillanimitas etiam nimio timore, maximè propter peccata præterita, & quòd minùs propria reſpiciunt merita, propter utilitatem; quod nimis timent impedimenta; & quòd ſtatim non ſentiant ſe proficere, inter quotidianos lapſus; & quòd tuam minùs conſiderant bonitatem. Iſta etiam ſæpe multos repellunt ne audeant attentare viam perfectam; immò & ipſos incipientes ſæpe in tantum dejiciunt, ut procedere ſe poſſe deſperent. Sed primum, ſcilicet, nimius timor propter peccata præterita, non debet nos impedire: quia ſi bene eo utimur, omnia computantur nobis in bonum prædicandi nimiam bonitatem tuam, cognoſcendi te atque amandi & laudandi. Notandum verò quòd principaliter tria damna ſunt in peccatis; ſcilicet, quòd in eis meremur pœnam æternam; demeremur æternam beatitudinem: tempus (quod peſſimum eſt) ſine amore & laude noſtri creatoris expẽdimus. Prima duo pertinent ad hominem; tertium verò A ad tuum damnum pertinere videtur, Deus meus. Cùm ergo ex indebita & nimia miſericordia tua jam morti nos deputatos revocare digneris ad vitam tuam: tam fideliter ad te deberemus converti, ut damna noſtra diſſimularemus; & modis omnibus inſtare, ut laudem tuam quam negleximus, ſaltem in aliquo reſiduo noſtri temporis ſuppleremus. Quantùm eſt, Domine, diſſimulare timorem pœnæ propter amorem tuum? At cur propter deſiderium beatitudinis noſtræ minueremus famam laudis tuæ: cùm eam pati æternaliter meruiſſemus, etiam propter furorem tuum? Primum quæremus te laudare, qui es regnum B Dei, ut dicis in Evangelio, *Regnum Dei intra vos eſt, & hoc adjicietur vobis ex ſuperabundanti.* Da nobis, Domine, charitatem non quærentem quæ ſua ſunt, ſed quæ tua ſunt; ut non cogat timor pœnæ tibi ſervire pro peccatis, vel amor noſtræ beatitudinis pro mercede, quia tempus & vires non ſufficiunt nobis ad laudandum te: cujus bonitas exuperat omnem ſenſum, & ſic puſillanimitatem timor non incutiet peccatorum. Terret etiam nos quandoque noſtrorum parvitas meritorum, ne ad perfectionem vitæ tendere audeamus: quia ad eam promerendum non ſufficiunt. Sed huic objicitur quia tu, Domine, juſſiſti nos eme-

Digitized by Google

re; & adjunxisti quia gratis emere debemus: Dixisti enim: *Sitientes venite ad aquas.* Quid est, Domine, quòd vinum fervoris in laude tua, & lac mundæ conscientiæ absque ulla commutatione debemus emere; nisi quòd tibi sufficit quantumcunque parum sit, quod habemus tibi dare: immò & hoc ipsum quod damus, tuum est? Inducit etiam pusillanimitatem quòd indignos nos videmus, eo quòd perimus: quod utique verum est; quia si homo mille annis serviret Deo etiam fervent.ssimè, non mereretur ex condigno dimidiam diem esse in regno cœlorum: Sed, Domine, non debemus considerare tantùm nostram utilitatem, sed tuam laudem: cujus bonitas exuperat omnem intellectum. Pusillanimes etiam facit nos quia nimia impedimenta nostra videmus. Sed, Domine, si audacter te sequi proponimus; pro certo habere debemus quòd aufers quicquid nos retardat à laude tua. Quicquid enim non aufers secundùm tuam voluntatem, libenter portare debemus. Stultitia enim nostra sæpe putat ea esse impedimenta, quæ tua occulta sapientia ad nostrum ordinavit profectum. Quintò terret quòd non statim sentimus nos proficere, sed Domine sæpe differs quod petitur, ut excites magis appetitum: non differs quòd nolis dare, sed ut aucto desiderio abundantiùs possis dare. Sextum, quod retrahit nos; sunt quotidiani nostri defectus. Sed contra hoc est remedium, ut semper deputemus aliquam horam diei ad examinandum nos qualiter habeamus nos in interioribus & exterioribus: & quicquid invenimus quod nobis sit utile ad profectum, ad hoc firmissimè laborare proponamus, & defectus quoscunque rejicere studeamus. Non autem terreat nos si fortè nonnunquam aliqua die contra propositum faciamus, qua non minus proponamus: quia longè facilius redit ad te, qui ex infirmitate facit contra propositum, quàm qui statum suum dissimulans se non proposuit emendare: immò quandoque major est ei pœna quam culpa, & bonitas tua malis nostris novit bene uti, sæpe faciens defectus nostros ad augmentum humilitatis prodesse, ut verum sit quòd *septies in die cadit justus*, & fortior resurgit. Septimo pusillanimes nos facit, quòd tuam non perpendimus bonitatem. Cùm enim tibi orando loquimur, non deberemus te cogitare quasi durum ad exaudiendum, sed patrem benignissimum, qui etiam antequam oramus scis quid sit necesse nobis, & ex naturali bonitate tua in infinitum pronior es ad exaudiendum, quantùm in te est, quàm nos avidi ad rogandum. Da, dulcissime Domine, ut non simus pusillanimes, sed magnanimi in infirmitatibus nostris: nos dejicere contendentibus medicinam tuarum gratiarum apponentes non pusillanimes, sed magnanimi te sequi firmiter proponamus; maximè si non est in nobis tanta fortitudo quòd post te gigantem, qui exultasti ad currendam viam, currere possumus; hoc tamen remedium habemus, quòd post te clamare possumus: *Trahe nos post te*, & clamorem nostrum audiat & exaudiat auris tua.

Cant. 1.

CAPUT II.

De libertate, & ejus illicibus ad perfectionem: expositio particulæ vult, *in proposita Christi sententia.*

SEcundò innuis libertatem arbitrii te sequi volentium in via perfectionis, cùm dicis: *Si quis vult*; quia hoc relinquis hominum voluntati: sed nunquid potestati? Non. Sed potestatem tibi, Domine, reservasti, cùm omnis potestas à Deo sit. Cur ergo causabitur homo contra te; si te sequi vult, & non potest? Certè ideò quòd non te sequitur: quia licet non possit per se; tamen per te, qui non ideò reservasti tibi potestatem nostri profectus, ut non possimus, qui omnia opera nostra operaris: sed ut magis admiremur & laudemus abyssum bonitatis tuæ, quòd eadem quæ tu facis in nobis, grata tibi sint & accepta, & judicas ea digna mercede: ita quòd etiam *calicem aquæ frigidæ* non dimittis absque mercede: & eo ipso nostram alicujus voluntatem, quam adeò liberam propter tui similitudinem fecisti, ut cogi non possit. Multis etiam aliis modis ad viam veritatis & perfectionis nos allicere studuisti. Unde hoc merebamur, Domine, ut ad nos descenderes, & humanitatem nostram tam mirabiliter unires, & in ea tam humiliter cum homine conversareris; nisi quod nos ad perfectionem tui amoris sic provocare vòlebas, ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur. Quis ergo homo dignus erat ut Filius Dei mortem pro eo pateretur? Aut quis unquam meruit tuo corpore & sanguine refici: nisi quòd tu, Deus meus, in hoc ostendisti aviditatem amoris tui circa nos, ut saltem ex multitudine & magnitudine tam mirabilium beneficiorum tuorum ad mutuam dilectionem accenderetes cor nostrum, & in captivitatem amoris tui redigeres? Innumerabilia nimis sunt beneficia tua, Domine, quibus voluntatem nostram excitas, ut perfectè & ardenter te sequi velimus; maximè autem quæ provocaret: imò, si sic dicere liceret, cogeret voluntatem nostram tuæ consideratio bonitatis, ex qua omnia bona creata procedunt. Quia autem pauca expertus est, & nondum exercitatus de te qui spiritus es, spiritualiter cogitarè voluerit: sic meditari de te poterit inchoare. Primò assumat in mentem suam aliquam animam virtutibus perfectam, & de illa ita specialiter cogitet, quasi nulli corpori sit conjuncta: imaginetur autem in illa omnem perfectionem virtutum, quæ unquam de aliqua anima poterit cogitari, scilicet, quàm bona, quam dulcis, quàm patiens, quàm misericors, quàm sapiens, quàm charitativa, quàm fidelis, quàm pia, quàm justa, quàm vera, quàm humilis, &c. Cùm autem circa animam talia cogitaverit, cogitet quod hæc anima est similis creatori in virtutibus, qui eam in similitudinem suam fecit: & postea transferat se ad creatorem, ut omnia quæ in anima perfecta poterunt inveniri, in creatore infinita cogitet & immensa, & ea ipsa naturam suam esse: & sic quodam modo *invisibilia Dei per ea quæ facta sunt*, conspiciat intellecta. Hîc est quidem initialis modus cogitandi de te, Domine, quem qui sollicitè sequitur meditando te, intrabit fontem vivum & dulcedinem tuæ naturæ, quæ quantò major est omnibus beneficiis tuis, tantò magis afficit nostram voluntatem, ut sequamur ardenter Jesum filium tuum ad laudem bonitatis tuæ nos informantem.

Rom. 11.

CAPUT III.

De sequentibus particulis, Venire post me.

TErtiò enim se dedit nostrum ductorem & instructorem, cùm subdit: *Venire post me.* Quantumcumque curramus ferventer sequendo, nullus præcedit te, & nullus vadit juxta te: Omnes nos oportet ire post te, quia tu es *primogenitus in multis fratribus.* Primò dicis, Domine, discipulis: *Venite, & videte.* Postea dicis, *Venite post me:* ut quod in te viderunt imitentur. Deinde dicis: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*, &c. ut *jugum* tuum *suave, & onus* tuum *leve*, quod qui susceperint, hilariter possint portare ad gloriam Patris tui. Tandem dicis: *Venite benedicti Patris mei: percipite regnum.* Sic, Domine, iste est fidelissimus legatus tuus, qui primò ponit se nobis in exemplum, cùm dicit, *Venite & videte*; & postea invitat ad veniendum post se. Venientes ad se vocat, ut reficiat ne deficiant. Tandem assumet ad requiem, ubi tamen requiem

Rom. 8.
Joan. 1.
Matt. 4.
Matt. 25.

Lam. 3. Isai. 6. non habebimus nocte ac die, dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus sabaoth.* Ibi absterges, Domine, *omnem lachrymam ab oculis* dilectorum tuorum; *quoniam non erit amplius mors ultra, neque luctus*, &c. Sed, Domine, quomodo istud possit esse, non bene potest comprehendere anima mea, quæ aliquo modo experta est quanta sit afflictio noscere te & non posse laudare te: cùm & ipsa afflictionem generet: propter gratitudinem, quòd licet ei affligi, pro eo quod non potest laudare te; imò omnia quæ unquam ad laudem tuam cogitare, loqui, vel agere potest, afflictionem ei generant: quia his indignam se putat, & quia tibi in nullo poterit respondere. Si ergo anima incarcerata, in umbris collocata, sic insatiabiliter affligitur pro laude tua: quomodo satiabitur cùm in meridie apparuerit ei bonitas tua, cùm utique videat ad plenum eam non posse laudari. Si forte dicis mihi, Domine, quod hoc erit maximum gaudium ejus, quod perfectè cognoscet bonitatem tuam, & illam tam immensam, quòd eam non poterit aliqua creatura plenè laudare. Verum credo quòd de bonitatis tuæ immensitate gaudebit; tamen adhuc pœnitet eam perfectè non posse laudare, nisi aliquo modo vulnera ejus alligarentur, & percussuræ plagæ ejus sanarentur: quia tunc primum oleum additum esset camino. Unde si placet tibi, Domine, credo quòd etiam pœna & afflictio laudis tuæ, quam habet hìc anima, ibi satiabitur & alligabitur palo laudis; cùm tu qui reples in bonis desiderium nostrum, tantùm dederis te laudare, quantùm desideramus; imò longè supra

Joan. 16. desideratum. Sic enim dixisti: Quia *vos plorabitis & flebitis* nunc, *mundus autem gaudebit. Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Sanata autem pœna, quam hìc habuit, & impleto quod hìc desideravit, aliam pœnam pro majori laudatione ibi, sicut nec hìc a se habere non potest. Tu etiam non dabis ei, qui *omnia*

Sapien. 11. *disponis in numero, pondere, & mensura:* quia tunc non erit tempus flendi, sed ridendi; cum apparuerit nobis tuus amicus Filius, si volumus post ipsum venire.

CAPUT IV.

Quòd non simus nostri, sed Dei: ad illud, abneget semetipsum.

QUartò ergo ostendit nobis initium viæ, qua debemus post Christum venire, cùm dicit, *abneget semetipsum:* qui ergo in via perfectionis vult sequi Christum Jesum, laboret primò ut *abneget semetipsum.* Meritò ergo debemus nos abnegare: cùm nihil juris habeamus in nobis. Sunt autem septem causæ, quarum quælibet sufficeret hominem compellere ut fateatur in se nihil juris habere. Prima, quia tu, Domine, nos creasti: sicut ergo nihil in nobis boni est, quod tu non creaveris: ita dignum est quòd omnia bona nostra sint tua, quæ nullo modo licet auferri à te Sancto Sanctorum; ne sacrilegium committamus. Cur ergo non abnegaremus nos, qui nostri non sumus? Nam quandocunque aliquid à nobis abnegamus, nec hoc abnegatum propter te conferimus: sed aliunde quantumlibet etiam modico temporis spatio donamus, mox alienum invadimus. Secunda causa est, quia nos æternæ morti deditos tua morte pretiosissima redemisti; pro omnibus mortuus es, *ut qui vivunt jam sibi*

2. Cor. 5. *non vivant, sed ei qui pro omnibus mortuus est*, ut dicit vas tuum electum. Ergo sicut omnes & totos redemisti, sic & omnes & toti tui sint. Qui vult ergo salvus esse, restituat tibi illum preciosissimum sanguinem quem pro eo fudisti. Tertia, quia nos ingratos omnibus bonis tuis & aversos à te propter peccata à diabolo defendisti; postquam à te nostro Domino recessimus turpiter & iniquè, sub tua protectione esse meritò non deberemus. Sicque nos hostis sine defensione captivos habens ad suam voluntatem, debuisset in æterna supplicia demersisse; nisi tu ex superabundanti bonitate nos defendisses ab eo, & ad pœnitentiam reservasses: & propter hanc causam propriè sumus tui servi, quasi ab hoste servati. Similiter tui sunt quicunque per tuam gratiam laqueos diaboli evitaverint: & ideò tibi nihil auferri debet ex eo, quod vel te dante non cecidit, vel si ceciderat est erectum. Quarta causa est, quia cùm æternam mortem peccatis nostris meruissemus, tu nos reduxisti ad vitam, eam dimittendo. Cur ergo tibi non vivemus nos penitus abnegando, à quo habemus quòd æternaliter mortui non simus. Quinta causa est, quòd eadem bonitate qua nos creasti, etiam conservas, ne in nihilum redigamur: Quomodo enim aliquo subsistere valeamus, nisi te conservante? Si ergo tu es vita nostra; nulli alii vivere debemus, sicut nullo alio subsistere valemus. Sexta causa est securitas: Qui enim se totum abnegat, ut Deum habeat, qui sibi periit ut tibi valeat, qui sibi nihil est ut tibi aliquid sit; Si nihil in se habet, nihil sui amittere timet sed semper securus est te quod tuum est conservare: Si minentur ei pœnæ inferni, vel ignis purgatorius; parum timore eorum afficietur, quia cantabit vacuus coram latrone viator, & se non timet perdere qui se abnegat. Si enim tu eum, qui tuus est, ad pœnas mittere velles: semper tamen de te in bonitate sentiret, paratus sustinere quod velles; nec diceret: cur ita facis? Cui prædicta sententia non placet: ad ei, Domine, se abnegare, ut intelligat. Septima verò causa deberet maximè nos urgere, scilicet, ut tibi vices redderemus sive responderemus: quia

Isai. 7. *puer natus est nobis, & filius datus est nobis:* qui das quotidie te nobis in cibum, & tandem dabis te nobis in præmium, & in mercedem magnam nimis. Domine, quid dignum poterit esse tantis beneficiis tuis? Quid ad hoc dignum poterimus dare? An oportet aliquid præter id nos penitus abnegare & tibi dare, dulcissime Domine? Si unus homo esset tanti quanti omnes creaturæ, quas unquam fecisti; quantus esset, si daret se totum tibi, qui dedisti te totum nobis, cujus bonitas in infinitum præponderat? qui se putat meliorem quam te, tantum de se reservet tibi, quantò meliorem se putat quàm tu. Propter hujusmodi causam

Matt. 16. dicis: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum:* immò, Domine, jam cogor, dicere (salvo verbo tuo) quòd nullus semetipsum valeat abnegare. Quomodo enim se abnegabit, qui nunquam aliquid juris in se habuit? Sed, Domine, in hoc verbo ostendis maximam gratitudinem tuam, ut hoc tanti æstimes, ut quicunque in se sibi aliquid juris usurpaverat, ulteriùs se tibi rapere non attentet. Da mihi, Domine, ut me abnegem; immò ut reddam quod rapui violenter. Debemus autem secundùm legem ablatum reddere in quadruplum; ut non solùm nos, sed & nostra reddamus, scilicet naturalia, fortuita & gratuita. Naturalia sunt, quæ communiter natura omnibus hominibus administrat: quædam in anima tantùm, ut intellectus & affectus: quædam in corpore, mediante anima, ut quinque sensus interiores. Reddamus ergo intellectum, sed suum proprium relinquentes, qui nos multùm à cognitione veritatis impedit. Quàdiu enim homo sensu suo ita innititur, ut ab eo recedere nolit; vix sensum alterius quantumcunque rationalem apprehendit. Faciendum igitur est secundùm Apostolum: *Quicumque inter vos sapiens esse vult, stultus* 1. Cor. 3. *fiat, ut sapiens sit.* Si enim humiliter se stultum reputaret ad tempus; tunc veram sapientiam à te, sive à tuis apprehendere te posset: quia *ubi humilitas, ibi sa-* Prover. 11. *pientia.* Paulus enim creditur didicisse Evangelium in Act. 9. illis tribus diebus, cùm cæcus esset. Reddamus etiam affectum Deo, semper postponendo nostram voluntatem voluntati divinæ, & maxime in oratione nostra: quia in omni oratione nostræ utilitati suam debemus

præponere voluntatem: immò ſua voluntas, ſi ea rectè utimur, ſemper eſt noſtra utilitas. Sæpe autem venit de propriò ſenſu quia non credimus Domini voluntatem eſſe quicquid circa nos contingit; & ita abutimur eâ, minus gratè ſuſcipiendo, ſicut dicit Auguſtinus: *Optimus ille tuus miniſter eſt, qui non hoc à te audire deſiderat, quod ipſe voluerit; ſed hoc velle, quod à te audiet.* Sed cum his duobus, ſcilicet, intellectu & affectu, & quinque ſenſus exteriores reddamus, mortificando eos ab omnibus vanitatibus, & ad tuum obſequium convertendo. Jam aliquantulum habemus de prima parte quam nobiſcum abnegare debemus, ſcilicet, de naturalibus bonis. Secunda pars ſunt fortuita, quæ dicere poſſumus temporalia, & amicos. Hæc enim omnia calcanda ſunt, ne impediant tuum amorem. *Minus enim amat te, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat*, ut dicit Auguſtinus. Valde deberet homo indignari, diligere modica; quem tantæ dignitatis feciſti, ut ei liceat te amare. Occultiùs autem nocet nimius amor amicorum, quam temporalium: quia tegit ſe velamine charitatis, ita quòd ſæpe putet homo charitatem eſſe quod dilectio eſt carnalis, quæ ita dulciter & ſuaviter mentem captivam tenet, quòd neſciat homo quam duris vinculis fuerit ligatus, niſi poſtquam fuerit abſolutus. Sic totum cor noſtrum tuo debemus amori; ut quicquid de eo alteri damus, tibi ſubtrahamus? Neceſſariò ergo eſt ut omnia, quæ fortuna nobis offert diligenda, ſive res temporales, ſive amicos, propter te abnegamus. Tertia pars reſtitutionis ſunt gratuita, ſcilicet virtutes, quas in fontem ſuum penitus refundere debemus, nihil ex his nobis adſcribendo: ſed tibi, *à quo omne donum perfectum*, pro eis grates referendo. Si omnia, quæ in his tribus, ſcilicet, bonis naturalibus, fortuitis, & gratuitis inveniuntur, abnegamus; nos tibi, quod fraudavimus in quadruplum reſtituimus; & hoc ſit nobis initium vitæ perfectæ, ſic noſmetipſos pœnitus abnegare.

L. 10. Confeſſ. c. 26.

Jacob. 1.

CAPUT V.

Exuntiuntur verba illa, tollat crucem ſuam.

QUintò conſideratum eſt quale medium perfectionis ſit nobis propoſitum, ut ambulemus per ipſum, ſcilicet, ut crucem noſtram tollamus. Crux autem à cruciatu dicitur. Domine, ſi crucem noſtram tuum ſervitium dicerem, ſecundùm opinionem eorum hoc intelligerem, qui neſciunt quoniam jugum tuum ſuave eſt, & onus tuum leve; nec ſentiunt quam bonus & quam ſuavis tuus ſit ſpiritus in nobis. Dico autem crucem eſſe cruciatum cordis, quem de hoc habere debemus, quòd non ſumus ita fideles & ferventes in omni ſervitio tuo & laude tua ut deberemus. Hæc crux habet longitudinem, latitudinem, ſublimitatem, atque profundum. Debemus ergo habere cruciatum, eò, quòd non tantùm humiliamur ut deberemus: & hoc eſt profundum crucis. Non tantùm amamus & laudamus, quantùm bonitas tua exigit: & hæc eſt ſublimitas. Non ſumus tam fideles ut deberemus: & hæc eſt latitudo. Quòd non ſemper continuamus, nec laudem tuam copiosè extollimus, nec ab infidelitate toto niſu deſiſtimus: & hæc eſt longitudo. Ad profundum humilitatis cogit nos primò propria cognitio: Satis enim eſt homini ad humilitatem, cognoſcere ſeipſum; maximè ſi recordamur iniquitatum noſtrarum antiquarum, quia iniquè in conſpectu tuo egimus, Deus meus: quia revera tam fidelis nobis es, quòd etiam in peccatis nobis exiſtentibus peccata dimittere, & gratiam tuam tam abundanter, ſicut vellemus, largiri es paratus: quantò majora quis de te præſumit, tantò magis neceſſe eſt eum humiliari; quia tantò nequiùs egit contra te peccando, quantò tu interim largiùs ei benefacere cogitabas. Unde Bernardus: *Quantò benignior de illo, tantò indigniùs de me ſentire cogor.* Item: defectus quotidiani humiliant, eo quòd ità inſtabiles in laude tua ſumus; immò nunquam in eodem ſtatu permanemus. Quantò tu quotidie pronior es ad indulgendum: tantò plus humiliat, contra tuam relinquere bonitatem. Item: pondus gratiæ humiliat & deprimit, cùm conſideramus quòd eâ indigni ſumus, qui magis in inferno eſſe mereremur. Item: quòd tu tantùm humiliatus es pro nobis, Domine Deus meus. Item: quòd in natura Divinitatis tuæ omnem excedis humilitatem; cui ſi velimus ſimilari, neceſſe habemus humiliari. Item: quòd adeò tam frigidi ſumus; ut nec amore, nec laude, nec in aliquo reſpondere tuæ bonitati poſſumus. Hæc & multa alia, quæ magis communia ſunt, ad humilitatem nobis ſufficiunt, immo ſuperbiæ nullum locum relinquunt. Valde autem neceſſaria eſt nobis profunditas humilitatis ad tuam ſublimitatem: quia quantò quis ſe reputat indigniorem, tantò magis gratus eſt beneficiis; & quantò gratior, tantò magis laudabilior: & qui maximè gratus eſt, maximè te laudabit. Da igitur nobis, Domine, veram humilitatem, id eſt, ita cruciari, quòd in hac vita non poſſumus ad plenum humiliari, ut ſic habeamus Crucis profundum. Sublimitas Crucis eſt cruciari pro eo quod te ad plenum laudare non poſſumus & amare. Quod cauſa amoris tui habemus, quæ lingua dicere, vel quis intellectus ſufficiat capere, neſcio. Si aliquid gratis amare volumus; ubi melius quàm in te amorem noſtrum locabimus? Si pro muneribus; quantò plura dabis? Sed quantò plus promittis, tantò magis gratis amari mereris. Si amare volumus eos qui nos amant, quantò æquiùs nos te amabimus? Et ſi expectamus & deſideramus ut quis extorqueat à nobis amari: nonne tu es Deus meus, qui tam crebrò pulſas & mendicas ad oſtium noſtrum dicens: *Præbe fili cor tuum mihi*, imò & ſæpe repulſus, te iterum ingeris impudenter. Si verò aliquid volumus diligere, quia bonum: cur non potius te immenſum bonum, qui totum noſtrum tibi vendicas affectum, ut bonitatem tuam amemus & laudemus? Si verò aliquid dignum judicamus amore noſtro quod tanta fecerit pro nobis; cur non judicamus ſimiliter de te, qui tot & tanta feciſti pro nobis? Si verò conſideramus paſſiones tuas; tu animam tuam pro nobis dignatiſſimè poſuiſti, ut toram animam noſtram poſſideres. Infinita ſunt, Domine, quæ nos te amare compellunt: quia, omnia, quæ creaſti, tuam prædicant bonitatem, quam qui in omnibus non intelligunt, non tibi, ſed ſuæ imputent cæcitati. Sed quia *probatio dilectionis, exhibitio eſt operis*; neceſſe habet anima ſic ſe conformare ad dilectionem tuam, ut ſicut te habes ad eam, ſic ſemper ſe ad te habere nitatur. Maximè autem in iſtis. Primò: ſicut tu amas ſemper, ita & ipſa ſemper amet; & hoc oſtendere tibi nitatur, ut omnem affectum ſuum tuæ contemperet voluntati. Sunt autem quatuor affectiones, ad quas aliæ reduci poſſunt, ſcilicet gaudium, dolor, ſpes, & timor. Primæ duæ ſunt circa præſentia, vel præterita: & aliæ duæ ſunt circa futura. Sic igitur tibi confirmare noſtras affectiones debemus, ut de omnibus quæ tibi adverſa ſunt, timeamus, & doleamus; & quæ tibi honeſta, de his ſperemus & gaudeamus; omnes alias affectiones de cordibus noſtris effugantes. Quanta utilitas in hoc eſſet quòd falſas & inutiles affectiones vitaremus? Utique ſi homo ſe verè ſecundùm has quatuor affectiones examinaret: quãdo aliquis motus ſẽriret: Quomodo tu eum eriperes, Domine, ſolus noſti. Si enim originem motuũ noſtrorum diligenter adverteremus; ſæpe inveniremus eſſe vitii, quod putavimus eſſe virtutis; & ſæpe illo impedimur, quo credimus promoveri. Secũdo: ſicut ſemper habes nos præ oculis tuis, ita etiam te ſemper debemus cogi-

Matt. 11.

Prov. 23.

Greg.

Digitized by Google

tare præſertè. Hoc cogit nos ab omnibus cogitationibus nostris, verbis, factis & moribus esse sub moderamine disciplinæ : quoniam non auderet sponsa inhonestè se habere sponso suo præsente, imò in omnibus intenderet sibi placere, & quærere ab eo consilium & auxilium, ut in omnibus secundùm suam posset agere voluntatem. Cùm autem in omnibus tibi placere intendimus, semper securam conscientiam habebimus; etiam si se aliquid minus utile præter te intentioni nostræ ingesserit incidenter. Tertio : sicut semper & continuè servis nobis, omnia opera nostra operando vel sustinendo ne esse desinamus, vel per alios, vel quocunque modo : ita nunquam particula diei bonæ debet nos præterire, quin in tuo servitio expendamus. Quartò : sicut semper tueris nos, & custodis nos ab omnibus malis, sive per te, sive per tuos : ita diligenter debemus nos abstrahere ab omnibus, quæ nos possent in tuo servitio impedire. Quintò : sicut largitas tua nunquam lassatur in dando ; ita nunquam debemus voluntariè deficere in orando. Sextò : sicut semper es benignus in relaxando ; ita nunquam debemus defectibus nostris terreri, quin statim post culpam veniam postulemus. Quando enim cor hominis est distortum, & à te quadammodo alienum, multò est pronius ad levitates, & ad quærendam exteriùs falsas consolationes, quàm fuerit dum apud te esset. Unde non est differenda acquisitio veniæ, ne diuturnior recessus difficiliorem reditum operetur. Taliter nos debemus ad te habere, & semper cruciari quòd te tantùm non amamus ut debemus. Quomodo autem te laudare debeamus, & de quibus gratias agere debeamus, est in principio supra dictum. Da nobis, Domine, toto desiderio ad amandum & laudandum te aspirare ; & pro eo quod dignè non possumus, cruciari & hoc nobis tollendæ crucis sit altitudo. Latitudo autem crucis est fidelitas semper spiritum crucians & dilatans, ut omnem hominem subjiciat tuæ laudi ac servituti. Hac maximè facit hominem in oratione communem cogens ut quicquid sibi vel aliquibus specialiter suis desiderat : quia eos humiles quodammodo videt ; nihil tamen hominum, sed totum ad laudem tuæ desideret bonitatis. Unde cùm fidelitas maximè in oratione consistat, considerandum est qualiter debeat orare qui voluerit exaudiri. Debet enim orare sapienter, ardenter, humiliter, fideliter, perseveranter, & confidenter. Sapienter : ut oret quæ tuæ laudi sunt expedientia & proximorum saluti. Si verò in quibusdam dubitamus ut cùm expediant, sicut salus corporis, & similia, quæ quandoque nocere, quandoque prodesse possunt : pro his semper sub conditione est orandum, scilicet, si tibi sit placitum & honestum. Ardenter : scilicet, devotè, vel ad minùs seriosè ; ut cùm bene videamus quid petendum sit a te, intentè de corde nostro petamus, non alienis sed propriis verbis cordis vel oris, quia utraque æquè intelligis & auscultas. Humiliter : ut non de nostro merito, sed tantùm de tua gratia confidamus. Quamvis enim peccata dimiseris, & quandoque aliquid tibi servire concedas ; semper tamen tales nos reputare debemus, quales nosipsos peccando fecimus, qui nihil nisi malum per nos facere possumus. Fideliter : ut in oratione offeramus nos ad carentiam omnis gaudii, & patientiam omnis pœnæ quæ ad utilitatem nostram cedere valeat per tuum adjutorium, ut in exauditione desiderii nostri actio tuam laudem attolat. Sed, Domine, merebor sic offerendo me tibi : cùm tamen, ut totus tuus, ad hoc teneat ; etiam si nunquam volueris me exaudire. Perseveranter : ut nunquam cessare proponamus à desiderio omnium quæ tibi sunt laudabilia & honesta. Si qua verò in nobis vel in nostris supervenerit necessitas, quamvis pro hac semper cum intentione non possumus orare, tamen aliquotiens, cum omni fidelitate qua possumus, pro ea orabimus, & deinceps voluntati tuæ nostrum desiderium committemus, semper primam fidelitatem, & si non in actu, tamen in habitu retinentes. Confidenter : ut postulemus in fine nihil hæsitantes. Sunt autem septem causæ quæ cogunt nos tuæ confidere bonitati. Prima, quia justum omne desiderium tu das : & ad quid dares, nisi etiam velles exaudire ? Secunda, quia non ad nostram utilitatem, sed ad tuam gloriam volumus exaudiri. Tertia, quia majora, quæ pro nobis fecisti, animat nos ut etiam de minoribus confidamus. Omnia enim quæ petere possumus tam minora sunt, quam quòd dignanter pro nobis es incarnatus & passus. Quarta, quia tam facilè est apud te in maximis, quàm in minimis exaudire. Quinta, quia nos ad hoc provocat tuæ consideratio bonitatis. Sexta, quia intercessorem te, Jesu Christe, habemus, & omnes sanctos. Septima, quia infinitam ad nos habes bonitatem. Si enim modica dilectio quam ad te habemus ad hoc nos cogit, ut in omnibus tuæ voluntati libenter parere velimus ; cur idem de inæstimabili dilectione tua non præsumeremus : Alioquin fideliores vellemus apparere, quàm tu ; si tales nos tibi exhiberemus, qualem te nobis conversò non crederemus ? Sic, Domine, orabimus, & propter hoc in oratione confidentiam habebimus : nihilominus tamen cruciabimur, quòd hoc dignè exequendo omnem hominem ad tuam laudem per effectum trahere non possumus & amplecti : & hæc spiritualis nostræ Crucis est latitudo.

CAPUT VI.

De perseverentia in Cruce : ad illud, quotidie.

LOngitudo autem Crucis tuæ toti vitæ nostræ debet commensurari ; ut quamvis consideremus tecum esse jucundum, & te in domo tua laudare, & in abyssо tuæ dulcedinis absorberi : tamen non rædeat nos portare crucem tuam, cruciari ; scilicet, in misera hac vita pro tuæ laudis augmento. Quid magni est, Domine, si tecum sim in patria ; ubi sum securus ab omni malo & ubi habeam quicquid volo ? Da mihi, Domine, ut nunquam me pungendo sic superent clavi timoris & miseriæ hujus vitæ : ut ante velim descendere vel saltem deponi de cruce, quàm à te, Domine, hoc fuerit mandatum. Sed neque hoc desiderarem, ut ab hac cito facias me deponi ; sed ut semper mallem propter te pendere in cruce ; quàm a miseriis his facias me in abscondito sepeliri. Tu enim, Domine, nec descendisti de cruce, nec sic te deponi petisti. Voluntas ergo semper affligendi pro augmento tuæ laudis, crucis erit longitudo. Si quis vult venire post me ; tollat crucem suam quotidie, & sequatur me, & sic currat per medium viæ perfectionis. Si nos tollamus, Domine, tu ipse portabis. Finem autem viam perfectionis, id est, perseverantiam in voluntate ; semper pro te patiendi innuis in eo quod dicis : *quotidie*. Si enim uno die, priùs quam tu jusseris, crucem deponere volumus : eam quotidie non tollimus. Qui autem perseveraverit usquequo eam deponas, hic in abundanti laude tua sepulchrum ingreditur pacis æternæ. Quamvis in hoc verbo intelligere possumus quòd sicut cruciatus pro tua laude quotidie deficiendo cadit ; ita crucem quotidie tollere debemus, laudis tuæ desiderium resumendo.

CAPUT VII.

Expensio postremorum verborum, & sequatur me.

QUa verò intentione in via ista sic ambulandum, innuis ultimò cùm dicis : *sequatur me*. Quod tam de gressu corporis, quàm de mentis possumus intelligere. Quia multi non solùm portantes crucem,

Digitized by Google

sed & se suspendentes in cruce, te gressu corporis sunt sequuti. Sequamur igitur te non tantùm gressu bonorum operum, sed & intentione cordium; ut non solùm consideremus quibus operibus nos præcesseris, sed qua intentione feceris: & in hac te sequi studeamus. Invenimus autem quod in omnibus cogitationibus, verbis & factis tuis principaliter quæseris gloriam tui Patris. Tu ergo, Domine Jesu Christe, dirige intentionem nostram; ut in omnibus gloriam ejus quæramus & tuam, nos abnegando; profundum, sublimitatem, latitudinem & longitudinem Crucis portando, & in ea perseverando ad laudem & gloriam tuam, qui cum Patre & Spiritu sancto vivis ac regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

TRACTATUS
DE CONCEPTIONE
B. MARIÆ VIRGINIS.

Mss. Cluniac. incipit Tract. Alius B. Anselmi de Conceptione B. Mariæ Virginis.

Ex Mss. Cluniacensi & Corbeiensi.

PRincipium quo salus mundi processit, mihi considerare volenti occurrit hohierna solemnitas, quæ * Conceptione Beatæ matris Dei Mariæ multis in locis festiva redditur.] * & quidem priscis temporibus frequentiori usu celebrabatur, ab eis præcipuè in quibus pura simplicitas & humilior in Deum vigebat devotio. * At ubi & major scientia & præpollens examinatio rerum mentes quorumdam imbuit & erexit; * eamdem solemnitatem, spretâ pauperum simplicitate, de medio sustulit; & eam, quasi ratione * vacantem, redegit in * nihilum. Quorum sententia eo maximè in robur excrevit, quòd ii, qui eam protulerunt, seculari & Ecclesiastica auctoritate divitiarumque abundantia præeminebant. Sed cùm ego & priscorum simplicitatem & modernorum ingenii sublimitatem mecum revolverem; cecidit in mentem quædam divinæ scripturæ verba in medio ponere; & quid judicii de singulis gerant, pro meo sensu pia consideratione perpendere: * quatenus sua auctoritate probetur quid cui attribuendum*, quid mei similibus sit certa magis ratione sequendum. Et de simplicibus quidem in ipsis verbis invenitur quòd cum eis sit sermocinatio Dei. Illos verò, quos multa scientia sine caritate perlustrat, ferunt eâdem scientiâ inflari, potius quam veri boni integritate solidari, Cum ergo illos Dei sermocinatio instruat, & istos sua scientia quadam ventositate distendat; qui æqua discernere non verentur cui magis parti sit cedendum, precor, edicas; colloquio videlicet Dei inhærenti, an de sui cordis perspicacia ultra equum tumenti. Et hi quidem ut nulla memoria de Conceptione Virginis matris in Ecclesia filii ejus fiat, non * sibi rationis videri affirmant; eò quòd * ex nativitate illius, quæ ubique festivè recolitur, Conceptionis ejus exordium satis memoretur: nec enim, aiunt, nata esset, si concepta non fuisset: Et cùm in lucem ex materni uteri secreto prodivit, clarum fuit quòd * in alvo parentis concepta in humanam formam concrevit. Cùm itaque corporis ejus specificata compositio, & in hujus mundi * latitudine exhibitio veneretur à cunctis; supervacuè illa adhuc informis materia * coleretur, quæ in nonnullis sæpe, priusquam plenè in humanam effigiem transeat, deperit & adnihilatur. Hac animi sui sagacitate perfuncti quod antiquorum simplicitas & perfecta in Domina * nostra constituerat caritas, festum scilicet de Conceptione ipsius Sanctissimæ Dominæ, sua quâ se pollere gloriabantur auctoritatis ratione abolere non timuerunt.

Mss. Corb. & editio Quæ de conceptione hoc loco celebratur. *Mss. Corb.* A quibusdam priscis temporibus celebratur *Mss. Corb.* Atque *Mss. Corb.* eandem *Mss. Corb.* eamdem *Mss. Corb.* quantum. *Mss. Cor.* non sine ratione *Mss. Corb.* in peccato concepta *Mss. Corb.* latitudinem *Mss Cor* communicetur *Mss. Cor.* Domina rerum *leg.* pro Dominam nostram

Visa ergo ratione summorum virorum in abolitione festivitatis matris Dei * proficientium, videamus etiam caritatem simplicium de tanti gaudii amissione * gementium. Simplices sunt, & profundis rationibus philosophorum responsa quæ expetunt, fortassis reddere nesciunt: Dicunt * tamen devotâ in Domini matrem caritate fundari, * non magni ponderis sibi videri omne quod dignitati aut honori ejus humana laude defertur, si meritis illius & insignibus comparetur.

Mss Corb. proficisci *Mss. Cor* om. *Mss Cor.* enim *Edit.* nec magni ponderis est,

Verumtamen dum ipsa insignia sua, ut dignum est, devotione mundus ubique veneratur, quid sit quod supremam originem * illorum non pio oculo intuetur, nonnihil mirantur.

Mss. Cor. om.

Tantorum enim bonorum consummatio, quæ per ipsam Domini matrem toti creaturæ provenerunt, videtur * admonere mentem humanam pietatis affectu exordium suum considerare. Et utique eam veterum, ac Domini matrem futuram tota veteris * Instrumenti series pandit. Sed utrum * ita proximè nascitura quovis oraculo aut Angelo nuntiata sit, sicut Dominus * Christus filius ejus, aut Beatus Johannes præcursor & Baptista ejusdem filii * ejus, aut illi vel ille de quibus, ut penè omnibus liquet, sacræ historiæ plenissimè narrant: in divina pagina non habetur, in canonica Scriptura non reperitur. In quo quid dispensatori omnium rerum Spiritui sancto placuerit, non satis dignè me posse considerare confiteor, absque tamen & contra fidem esse non æstimo, si exordium Conceptionis ipsius * tam à simplicibus Ecclesiæ filiis æstimetur, * ut tam sublime, tam divinum, tam ineffabile fuerit, ut in illud mens humana nulla perspicacitate assurgere possit.

Mss. Cor. videtur autem movere omnem *Mss. Cor.* testamenti *Mss. Cor.* omittit, ita *Mss Cor* ipse *Mss. Cor.* ejus *Mss.* C. mod *Mss. Cor.* & *Mss. Cor.* ed. sacratissimi *Mss Cor.* & trinus

Nec mirum: fundamentum siquidem & quasi quoddam * seminarium civitatis & habitaculi summi boni in eo ponebatur; & mansio lucis æternæ, & templum quod corporaliter inhabitaret ille incorporeus & incircumscriptus * & creatus simul & vivificans omnia spiritus parabatur.

Dicit fortè aliquis. Quid enim, major & excellentior æstimari debet Conceptio futuræ matris Dei, quam conceptio venientis in carne filii Dei? Conceptionamque incarnandi filii Dei ab Angelo, sicut Evangelium * refert, cœlitus prænuntiata & humanitùs intellecta est. Si ergo aliquid excellentius, & quod humanum intellectum supervolet, conceptionem B. Mariæ designasse æstimandum est; excellentior gloria & major dignitas in ejus, quam in Christi Domini conceptione divinitus * enituisse verisimili

Mss. Cor. tollatur

Mss. Cor. emicuisse

rarione videtur. Non hoc dico, ſed Filius Dei, candor lucis æternæ & ipſe lux inacceſſibilis, formam ſervi accepturus ſemetipſum exinanivit; ſuumque adventum ita humanis mentibus contemperavit, ut capi poſſet & intelligi: nam ſi in Divinitatis ſuæ eſſentia veniens appareret; nemo caperet, nemo ſuſtineret.

Mſ. Cor. & ed. Virgo. Beata * verò Maria Mater Dei futura, ſicut eum, qui ſuper omnia eſt incomprehenſibilis, verum erat hominem ineffabili modo de ſua ſubſtantia virgo paritura, ac per hoc in * Divinitatis illius unitatem tranſitura, * non abſurdè credi poteſt primordia conceptionis ejus tanta Deitatis ſublimitate prælignata, ut humanarum conceptio mentium ea plenè penetrare non valeret.

Mſ. Cor. & ed. Deitatem illius. *ed.* ita non

Mſ. Cor. ita Hoc * itaque pura ſimplicitas ſupplexque in Deum & in dilectiſſimâ matrem ejus puritas dilectionis æſtimare de conceptione illius Dei genitricis non veretur.

Mſ. Cor. & ed. ideo *ed.* multis fidelibus merito celebratur. *Mſ. Cor.* celebretur. *ed.* emer vel conceptum *Mſ. Cor. & ed.* hoc emit. Et * idcirco ejuſdem Conceptionis dies feſtivis laudibus à * cunctis fidelibus ſuo judicio merito * celebraretur. De ipſa quippe, multis ſæculis ante ortum ejus * vel conceptum, Iſayam ſpiritu ſancto afflatum dixiſſe conſtat: *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, * Spiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilii & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini.*] Hæc itaque virga quæ talem ex ſe protulit florem, nullo diſſentiente, Virgo Maria fuit; & flos, qui de radice ejus aſcendit, benedictus filius, ſuper quem & in quo omnis plenitudo Divinitatis eſſentialiter requievit. Hæc igitur * virgo, tanti filii digniſſima parens, cùm in alvo ſuæ parentis naturali lege conciperetur; quis non concedat Dei ſapientiam à fine uſque ad finem pertingentem, cuncta implentem, cuncta regentem, novo quodam & ineffabili gaudio cœlum, terram, & omnia quæ in eis ſunt,

ed. emit. virgo

Mſ. Cor. & ed. profundiſſima *ed.* prævidebat, perilluſtraſſe *Mſ. Cor.* conceptio habitaculi fuerit *ed.* contraxit * perfudiſſe; ac ineffabili jubilatione pro ſui reintegratione, quam per illam ſibi eventuram divinâ & occultâ inſpiratione * prævidebant, perluſtraſſe? Sed cùm ipſa conceptio * fundamentum, ut diximus, fuerit habitaculi ſummi boni; ſi peccati alicujus ex primæ prævaricationis origine maculam * traxit, quid dicemus? utique voce divina dicitur ad Jeremiam: *Priuſquam te formarem in utero, novi te: & antequam exires de ventre, ſanctificavi te:*

ed. hæc emit. *& prophetam in gentibus dedi te.*] De Johanne quoque Angelus, qui eum naſciturum prænunciabat, aſſeruit quòd Spiritu ſancto repleretur adhuc ex utero matris ſuæ Si igitur Jeremias, * quia in

Mſ. Cor. & ed. qui gentibus erat propheta futurus, in vulva eſt ſanctificatus; * & Johannes Dominum in ſpiritu & virtute Heliæ preceſſurus, Spiritu ſancto eſt ex utero matris repletus: quis dicere audeat ſingulare totius ſæculi propitiatorium, ac Filii Dei omnipotentis dulciſſimum reclinatorium, mox in ſuæ conceptionis exordio Spiritus ſancti gratiæ illuſtratione deſtitutum? Teſtante verò Scriptura, *ubi ſpiritus, ibi libertas:* à ſervitute igitur omnis peccati libera fuit, quæ

ed. eſſet * omnium peccatorum propitiatori aûla, in qua & ex qua perſonaliter homo fieret, Spiritus ſancti præſentiâ & operatione conſtruebatur.] Quòd ſi quis eam primæ originis peccato non omnimodè expertem fuiſſe pronuntiat: cùm illam ex legali conjugio maris & fœminæ conceptam veriſſimè conſtet, ſententia Catholica eſt. Ego à Catholicæ & univerſalis Eccleſiæ veritate nulla ratione volo

ed. magnitudinem diſſentire: * magnificentiam tamen operationum virtutis divinæ quadam quaſi mentis lippitudine pro poſſe conſiderans, videor mihi videre quia ſi quid originalis peccati in propagatione ejus, & communis vitii extitit, illud propagantium & non propagatæ prolis fuit.

Caſtaneam invicem attende cùm de ſui videlicet A generis arbore prodit naſcitura, involucrum illius totum hiſpidum & denſiſſimis aculeis undique ſeptum apparet. Intus caſtanea concipitur, primò quidem nucleum lactei liquoris, nihil hiſpidum, nihil aſperum, nec aliquibus aculeis noxium in ſe habens; ſed ſi aliquatenus ſervans illic in ſumma lenitate nutritur, fovetur & alitur; ac formâ in ſui ſpeciem & habitudinem jam adultâ, rupto involucro ab omni ſpinarum punctione & onere liberrima natura egreditur. Attendo.

Si Deus caſtaneæ confert ut inter ſpinas remotâ punctione * concipiatur, alatur, formetur; non *ed.* recipiatur potuit hæc dare humano quod ipſe ſibi parabat templo in quo corporaliter habitaret, & de quo in unitate ſuæ perſonæ perfectus homo fieret; ut licet inter ſpinas peccatorum conciperetur, ab ipſis tamen ſpinarum aculeis omnimodè exors redderetur? potuit planè, & voluit: ſi igitur voluit, fecit. Et quidem quicquid dignum unquam de aliquo extra ſuam perſonam voluit, perperam eſt eum de te, ô beatiſſima fœminarum, noluiſſe: voluit enim te fieri matrem ſuam; & quia voluit, fecit eſſe: quaſi diceretur, matrem ſuam te fecit ille rerum Dominus, Creator & gubernator; rerum, inquam, omnium, non ſolùm intelligibilium, ſed omnem intellectum tranſcendentium Dominus & factor te Dominam & imperatricem conſtituit cœlorum atque terrarum: & ſic marium & omnium elementorum, cum omnibus quæ in ipſis ſunt, Domina & Imperatrix extitiſti & exiſtis: & ut ita eſſes, in utero matris tuæ à primordiis Conceptionis, operante Spiritu ſancto, * creabaris. Ita eſt, bona Domina, *ed.* creatis & gaudemus ita eſſe. Numquid ergo, dulciſſima Domina, numquid * tu tanta futura, ſummi videlicet Mater unica, & omnium quæ fuerunt, ſunt vel erunt, prudens ac nobilis poſt filium tuum Imperatrix: Numquid in exordio tuo talis eſſe debuiſti, ut omnium quorum te * Dominum gerere certiſſimè novimus aut impuritati aut ſubjectioni potuiſſet addici? ille aſſertor poræ veritatis, & à filio tuo jam in cœlo præſidente vas electionis cognominatus; omnes homines peccaſſe in Adam fatetur; vera utique ſententia, & cui contradici nefas eſſe pronuntio. Sed cùm eminentiam gratiæ Dei in te conſidero, ſicut te non intra omnia, ſed ſuper omnia quæ facta ſunt, inæſtimabili modo contùeor ita te non lege naturæ ut alios in tua cõceptione devinctam fuiſſe opinor; ſed ſingulari, & humano intellectui impenetrabili Divinitatis virtute & operatione ab omni peccati adjunctione liberrimam. Solum etenim peccatum fuerat quod homines à parte Dei dirimebat: Et ut illud Filius Dei evacuaret, ſicque ad placere Dei humanum genus revocaret, homo fieri voluit; & talis, ut nec in eo aliquatenus concordaret ei, unde homo à Deo diſcordabat: quia ergo ita fieri oportebat; Matrem, de qua talis * crearetur, mundam eſſe ab omni peccato decebat. Aliter enim quo pacto illi ſummæ puritati caro tanta conjunctione uniretur; ut homo aſſumptus ita eſſet in unum, ut quæ Dei ſunt, indifferenter hominis eſſent; & quæ hominis, Dei.

ed. in tanta futura gloria

ed. Dominiam

ed. talis colleretur

Mſ. Cor. Explicit Anſelmi de Conceptione B. Mariæ Virginis. * Adhuc propone tibi palatium, quod ſpecialiter ſuis uſibus aptum exiſtat, conſtruere volentem, in quo & ipſe frequentiori & feſtiviori * curſu converſetur; & omnibus ope ejus atque auxilio indigentibus mitiori & lætiori vultu reſpondeat, & auxilietur. Pateretur-ne, quæſo, in principio palatii fundamentum invalidum, & ſtructuræ, quæ foret ædificandæ, incongruum, & non cohærens? Non puto, ſi ſaperet, & propoſitum ſuum ad effectum perducere vellet. Ergo Sapientiam ante omnia ſæcula propoſuiſſe ſibi habitaculum, quod ſpecialiter inhabitaret, conſtruere ſimiliter indubitata fide tenemus. Quod autem

habitaculum iſtud fuerit, jam dudum innotuit; hoc enim habitaculum illud ſacratium Spiritus ſancti eſſe fatemur, in quo & per quod eadem Sapientia humanæ naturæ conjungi voluit & incorporari, & omnibus ſe pura mente confitentibus parcere & miſereri: quod ſacratium, Aula videlicet univerſalis propitiationis, cùm operante Spiritu ſancto conſtrueretur, ſi fundamentũ illius, ſcilicet initium ſive primordium formationis beatæ Mariæ, corruptum fuit, ipſi certè conſtructuræ non congruebat nec cohærebat. Inſcia ne fuit & impotens ſapientia Dei & virtus mundum ſibi habitaculũ condere, remota omni labe conditionis humanæ? Angelis aliis peccantibus, bonos à peccatis ſervavit; & fœminam, matrem ſuam mox futuram, ab aliorum peccatis exortem ſervare non valuit? In æternitate conſilii fixum ſtatuit eam dominatricem & Reginam fore Angelorum; & nunc inferiorem Angelis natam, in conſortium aceeptam eſſe credemus omnium peccatorum? Exiſtimet hoc, & argumentis ſuis probet qui vult: ego donec oſtendat mihi Deus aliquid dignius excellentiâ Dominæ noſtræ poſſe dici; quæ dixi, dico; quæ ſcripſi non muto; cæterùm me & intentionem meam Filio ejus, & illi committo.

Nihil tibi, Domina, æquale, nihil comparabile eſt: omne enim quod eſt, aut ſupra te eſt, aut ſubtus te eſt: quod ſupra te eſt, ſolus Deus eſt; quod infra te, omne quod Deus non eſt. Ad tuam tantam excellentiam quis aſpiciet? quis attinget? Et certè ut ad hanc excellentiam pervenires, in humillimo loco, id eſt, in utero matris tuæ puriſſima oriebaris. Quòd ſi tali modo concepta & ordinata non fuiſſes, ad tantam celſitudinem non ſuccreviſſes.

Quiſquis igitur de crementi tui magnitudine gaudet ac lætatur, de ordinatione ipſius crementi æquum eſt ut exhilaretur. Qui ergo à die beatæ Conceptionis tuæ gaudium ejuſdem Conceptionis tollit Eccleſiæ Dei; aut non bene attendit, aut attendere negligit, vel neſcit bonum quod inde proceſſit omni creaturæ Dei. Sed immenſitatem boni ipſius quis explicabit? Fateor non ego; longè enim a me & mei ſimilibus, hoc eſt peccatoribus, tanta ſalus: verumtamen, ut autumo, quaſi in ænigmate adverti aliquatenus poterit, ſi malum, in quod natura humana ex peccato Adæ corruit, ante mentis oculos præfigatur; & ita in ipſius mali contrarium, bonum ſcilicet quod per hanc Dominam mundo provenit, animus conſiderare volentis defigatur.

Omne quippe bonum, ad quod homo conditus fuerat, perdidit in Adam: & idem ipſum bonum multò excellentiùs humana natura recuperavit in Maria. Duas ſiquidem beatitudines, & duas miſerias eſſe novimus: harum beatitudinum, & miſeriarum unam majorem, alteram minorem eſſe conſtat. Beatitudo major, Regnum cœlorum: minor, qua primus homo potiebatur ante peccatum: major miſeria, pœnæ infernales; minor, in quibus vivimus continuæ tribulationes, & nos ipſarum beatitudinem experientiâ penitùs ignari, experientiâ miſeriarum ſentimus nos uſquequaque gravari: ſub una gemimus; aliam, ne nos rapiat, formidamus. Conſideratione etenim minoris, ſi vigilanti animo ſtudium adhibemus, aliquantum quæ ſit major miſeria conjicere valemus; licet porrò infra quàm ſit. Qualitatem verò beatitudinis vel minoris, niſi per contrariam miſeriam in qua ſumus, non facilè percipere poſſumus. De majori autem beatitudine dictum æſtimo, *quòd oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe.*

Ab his igitur beatitudinibus omni modo ſeparati fuimus per prævaricationem noſtri primi parentis, & utrique miſeriæ infeliciter obnoxii facti. Mors namque per peccatum Adæ intravit in mundum, & ita in omnes homines pertranſivit; nec aliquis ante adventum filii ſanctæ Mariæ inde poterat liberari. Et quæ mors? Mors animæ primo quà homo perdidit vitam æternam, Deum videlicet, ad cujus ſimilitudinem factus fuerat. Infelix perdere, perdere quod ſummè eſt & verè, & ſine quo nihil unquam bene habetur vel eſt! hanc miſeram mortem & omni malo incomparabilem mors quoque corporis ſequebatur, per quam anima, quæ adhuc in corpore degens vitæ cœleſtis ſtatum amiſerat, multò miſerior clauſtris inferni ſubmerſa deperibat. Hanc ineſtimabilem damnationem nemo qui evaderet, qui inde liberaretur nemo erat; liberandi poteſtas in tota creatura nulli rei accidebat: ſoli Deo qui hominem fecerat, & contra quem homo deliquerat, hæc liberandi poteſtas ſupererat. Sed quis? ipſe offenſus, ipſe deſpectus, ipſe ut parceret à nullo dignè petebatur, de die in diem ſcelera multiplicabantur, & ira Dei ad puniendum potiùs quàm ad parcendum provocabatur: at ille cujus pietas non exhauritur, cujus miſericordia non exinanitur, cujus bonitas numquam deficit, cujus majeſtas quod vult efficit, hominem ad ſimilitudinem ſui creatum, ne totus in æterna damnatione periret, liberare inſtituit; & ordine, quo gratior eſſe non potuit, ipſe videlicet qui hoc & per ſe faceret, homo fieri voluit, nec talis ut cæteri homines; ſed ut ipſe & aſſumpta humanitatis in una perſona eſſet perfectus Deus & perfectus homo ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens: ſed tota humana natura in radice ſui vitiata fuerat atque corrupta, nec Deus corruptioni & vitio peccati poteſt conſociari: neceſſe igitur fuit ut natura, de qua ſe hominem facere volebat, & humana & munda ab omnis peccati contagio eſſet: quod non inveniret; cùm, ut dixi, nihil incorruptum vitiatâ cunctorum radice exiſteret: ſed qui humanæ perditioni ſubvenire diſponebat, Dei virtus & Dei ſapientia nuncupatur. Itaque ad omnia quæ vult, poſſe ſuppetit illi, nec ſapientiæ illius ullus eſt numerus, quæ pertingit à fine uſque ad finem, cuncta diſponens. Poterat ergo de maſſa peccatrice naturam humanam ab omni labe peccati immunem facere, unde in unam perſonam ſui ſuſciperet, ut homo integer eſſet & Divinitati ſuæ nihil minueret. Prædeſtinata fuit & præordinata in hoc opus mirabile, & omnibus operibus Dei præſtans & inenarrabile, Maria, ſcilicet illa magni maris nobiliſſima ſtella, hoc eſt totius ſæculi illuſtratio, & omnium in tempeſtatibus diverſorum caſuum titubantium indeficiens levamen & conſolatio, nec non ab æternæ mortis interitu paventium ac ſub ejus præſidium confugientium tutum juvamen atque redemptio.

Te igitur, Domina, quam in tantum culmen prædeſtinavit & extulit divina potentia, quam tot prærogativis dotavit cuncta diſponens Dei ſapientia, quam ſibi matrem elegit ad mundo ſubveniendum, ipſa omnium ſalvandorum ineffabilis miſericordia: crediderim ne, quæſo, te morte peccati, quæ per invidiam diaboli occupavit orbem terrarum, in tuo conceptu potuiſſe gravari? me namque iterum atque iterum ipſas, quas ſuperiùs commemoravi, rationes conſiderante, animus hoc credere vitat, intentio abhorret, lingua fateri non audet.

Quòd ſi dicitur te, ſi ante partum beati filii tui præventa corporis morte fuiſſes, originalis peccati legem aliorum more evadere non potuiſſe; ineptè dicitur: nec tanti eſt, ut ei reſpondeatur. Qualiter enim mater Dei futura præordinata fuiſſes, ſi ad hoc te, qui præordinavit, Deus non perduxiſſet? Nam in Deo non eſt, eſt & non, ſed ſimplex eſt in illo eſt. An mors valentior eſſe poſſet Deo, de cujus manu nemo valet quicquam rapere? Nunc autem, quia tanti apud Dꝰum præ omni creatura es, ut mater ejus digniſſimè fieri meruiſſes; ſicut ipſe non tantum ſuper-caſtus & mundus, ſed ipſa caſtitas ipſaque munditia eſt: ita

ficationis conjubilent? Et quidem ad hanc dignitatem nec beatiſſima virginum, nec numerolitas hominum electorum unquam aſcendiſſet; ſi Filius Dei ad deſtructionem peccati Adæ de ſinu Patris hominem ex ipſa virgine aſſumpturus non deſcendiſſet. Igitur propter peccatores Maria facta eſt Mater Dei, quæ idcircò quòd eâ caſtior, eâ ſanctior, eâ humilior in genere humano nulla potuit reperiri, meritò debuit in tantam excellentiam ab eo, quo nihil caſtius, nihil ſanctius, ſublimius eſt nihil, adciſci, & in quid excellentius adciſci valeret, quam ut in perpetua virginitate permanens Deum de ſua carne carnem factum generaret? Hanc excellentiam contulit Deus Virgini Mariæ, eò quòd illam pudicitiâ cordis & corporis ſibi præ omni creatura intellexit adhærere. O felix hærere! ô hærere felix, hærere illi qui ſolus verè eſt, qui ſolus ſummè eſt, qui numquam deficit ulli ſibi non ficto corde hærenti? Huic, pia Domina, quoniam, ut dixi, adhæſiſti; hæſit & ipſe tibi, & modo quo nec dulciùs potuit adhærere. Quid enim inter duos dulciùs, aut digniùs valet eſſe, quàm eſſe matris ad filium, vel filii ad matrem? Et hoc utrumque vobis eſt, ut omnibus liquet. Sed hos honores, has dignitates, hæc gaudia, quibus cœtus hominum cœtui admixtus Angelorum perfruitur, ob prævaricationem primorum hominum, num illis aſcribere, num illis exinde jure debuere gratioſi exiſtere? Non puto. Nec enim eâ intentione præceptum Dei prævaricati ſunt, ut tot bona inde procederent; ſed ut modum conditionis ſuæ, ſpreto Deo, ſuperbi excederent. In eo quippe quo diabolum audierunt ut dii fierent, non intenderunt ut ad deitatem, qua ſe ſublimandos ſperabant, exterminandam Filius Dei aliquando ex ſua ſtirpe homo fieret. Forté magis putavit Æva ſe Deum illicò fore, & Adam ſibi conſentientem Divinitatis ſuæ futurum conſortem. O ſuperbia intolerabilis! ô ſtultitia inæſtimabilis! ô vanitas omni vanitati incomparabilis! ô Eva, quàm propinquior veræ ac ſummæ Deitati extitiſſes, ſi in ſtatus tui humilitate Deo ſubdita perſtitiſſes. Adam quippe, ſicut Apoſtolus ait, in prævaricatione tua ſeductus non fuit: quia quod ſerpens pollicebatur, mendacium eſſe intellexit. Tu autem miſerrimè ſeducta, & è veſtigio multiplici perverſarum cupiditatum ſemine imbuta, illecebroſâ facundiâ illum ad tibi conſentiendum illexiſti, præſignans in hoc opere tuo veram fore futuram ſententiam viri Dei, mulieres ſcilicet apoſtatare facere etiam ſapientes. Nec dum enim tibi præpoſitus fuerat ex ſententia Dei, & ideò in perditionem tui & ſui & univerſæ poſteritatis noſtræ illa fœmina ſollicitatione prævaluiſti. Obedivit namque voci tuæ, poſtpoſitâ obedientiâ vocis Dei. Væ obedire, væ non obedire: væ voci mulieris contra vocem Dei obedire, væ pro voce mulieris voci Dei non obedire: malum hoc, malum hoc. Hinc enim omnes tribulationes & miſeriæ quas paſſus eſt mundus, quas patitur, quas patietur, exortæ ſunt. Hinc deorſum ſortitæ ſunt, hinc robur & perſeverantiam perdiderunt; hinc ignorantia omnis boni, hinc ſcientia & executio omnis mali, hinc Dei contemptus, hinc dæmonum ſub ſimulacrorum ſpecie nefandiſſimus cultus, hinc mors vitæ præſentis, hinc illi miſerior mors ſubiens diſpendia vitæ ſequentis. Non ergo debet vobis humana natura gratias agere quòd ſic in Filio Dei eſt exaltata & honorata; ſed vobis utique, quòd innumera mala, quòd in geminam mortem corporis & animæ eſt dejecta & præcipitata: nec ulla eſſet ſpes hæc tanta mala aliquatenus evadendi, ſi flos ille ſpecioſiſſimus per glorioſiſſimam virgam, de radice Jeſſe nobiliter ortam, non ſumpſiſſet initium naſcendi. Sed ipſe in mundo natus ordine quo voluit, Spiritus ſancti ſuper ſe in gratiarum ſuarum plenitudine quieſcentis, ſuis auditoribus dona diſtribuit; & mundum ab ignorantia veri boni, & aliis malis inde manantibus, quæ incurrit per Adam, potenter eduxit; atque ad amiſſam regni cœleſtis converſationem jam alios in re, alios in ſpe miſericorditer reduxit.

Patet igitur quid cui debeat genus humanum, cui quòd in infima humiliatum atque proſtratum, cui quòd in ſumma eſt exaltatum & glorificatum. Vos igitur, ô Adam & Eva, vos, vos accuſat; vobis veſtra progenies mala, quæ ſuſtinet, imputat; ſe per vos paradiſo excluſam, ſe miſeriis continuis per vos intruſam miſeranda lamentatione deplorat: & non immeritò quidem. Cauſa evidens eſt, nec refragari poteſt. Quid igitur, Deus omnium, quid faceret opus manuum tuarum, ex prævaricatione horum parentum ſuorum perennibus pœnis & æternæ morti obnoxium, ſi non venires? Si non ſubvenires, quô fugeret, quô deliteſceret, quô evaderet? Utique conſilium nullum, refugium nullum, remedium nullum, nuſquam protectio ulla; ſed veniſti, & qualiter hæc omnia adipiſceremur, efficaciter oſtendiſti. Si ergo hi qui poſt adventum tuum, Domine, venerunt, non ſalvantur; non habent præter ſe ipſos, contra quos æquo judicio inde conquerantur. Quid igitur facient? ut mihi quidem, Domine, videtur; ultimum & unicum conſilium eſt omnibus qui volunt ſalvari, ut primò tibi intimas ex corde pro omnibus beneficiis tuis grates exſolvant, te diligant, ac demum præceptis tuis obediant; ſicque ſe ad te perventuros ſecurâ fiduciâ ſperent. Sed ad hoc, pie Pater, quis idoneus? Utique nemo, niſi tuo fultus adminiculo. Tu enim ſummum omnium bonorum es, qui & ipſum ſummum bonum es: nec quicquam boni poteſt eſſe, vel fieri, vel haberi; niſi aut a te, aut per te, aut de te. Nihil itaque boni ſine te valet quiſquam facere. Redemiſti nos, Domine, Deus veritatis; ne propter ſcelera noſtra exerceas contra nos judicium tuæ ſeveritatis, voluiſti fieri homo pro nobis: intende ut eſſe poſſimus, quod ut eſſemus factus es unus ex nobis. Quod petimus, honor tuus eſt ut fiat. Nam ſi non fit; videberis à propoſito tuo quodammodo defeciſſe. Verùm nulla diſceptatio nobis eſt tecum; quia Dominus es, & unum verbum tuum validius noſtris mille. Si enim omnes juſtitiæ noſtræ coram te ſunt, ſicut pannus menſtruatæ, quid erunt injuſtitiæ noſtræ à ſe ipſis & à noſtris inimicis ante faciem tuam denudatæ? Væ, væ, quis hinc prodeuntem perturbare mentis confuſionem, quis terrifici horroris explicare poterit immanitatem? Et ſi confuſi horroris, horridæque confuſionis immanitas eſt modo nobis inexplicabilis; diſtricta malorum examinatio in futuro examine cui erit tolerabilis? Heu peccatores homines, quos hæc omnia mala ex Adam ſtirpe reſpiciunt, quid faciemus in iſtis? Deſperabimus? Abſit. Quid tunc? ô fons David patens, in ablutionem menſtruatæ flue ad nos, & conſule quid expediat nobis. O pietas! verè bone Domine, video, videns gaudeo, gaudens amplector conſilium quod per ſingularem miſericordiam tuam providiſti ſalubrius fore nobis. Et quod vel quale? Nimirum mente, vultu, voce ad eam redire, cujus ſupra meminimus, dilectiſſimam matrem tuam, piiſſimam ſcilicet Dominam noſtram, à cujus contemplationis dulcedine, à cujus caſtitatis contemplatione, a cujus dignitatis conſideratione, a cujus ſublimitatis ſpeculatione, in has anguſtias, quædam animo non abolenda commemorando, devenimus; ipſamque pura devotione interpellare, ut nobis conſulat; & nobis ſupereminenti, qua præeminet apud te, gratia ſubveniat. Proculdubio namque ſcimus eam tanti eſſe penes te; ut nihil horum quæ volet efficere, aliquatenus poſſet effectu carere. Salus igitur noſtra in voluntate ſua conſiſtit, dum tamen quod vult potenter efficiat. Quod itaque conſilium ſalubrius nobis, quos involvit finis ſæculi, daret filius ejus finis cunctorum: quàm currere ad ipſam,

quæ de carne ſua generavit eumdem ipſum, ſine quo non ſit ulla remiſſio peccatorum, verè bonus, verè pius, verè volens miſericordiam eſt. Et tu, Domina, ad cujus ſubſidium nos mittit dilectiſſimus filius tuus, quid dicis nobis? ipſe enim miſericordia noſtra eſt, & tu ejuſdem miſericordiæ mater es. Quid, inquam, dicis nobis? Forſan, Domina, ut ſub alarum ſuarum protectione confugiamus. Bene: at licet miſericordiam illius, ſicut decet, gratanter amplectamur; tamen juſtitiam ejus non parum formidamus. Ne igitur quærentibus miſericordiam, obtendat juſtitiam ſuam; precamur, adeſto nobis, & age cauſam noſtram pro nobis. Ipſe namque magni conſilii ſummus Angelus conſuluit nobis venire ad te. Certè peccatores nos eſſe cognoſcimus, & damnari meremur, & juſtè quidem, non negamus. Sed æquè juſtum eſſe profitemur, ut voluntatem ipſius faciat, qui voluntati ſuæ in cunctis quæ agit concordare non detrectat. Et quis unquam voluntati illius magis concors extitit, quam tu, cujus ſubſiſtentia ab impletione voluntatis ejus nunquam otioſa fuit. Velis itaque ſolummodo, Domina, ut ille juſtiſſimus judex nobis miſereatur: profectò juſtum erit, nullâ ratione obſiſtente, ut velle tuum perficiatur. Noli ergo, noli propter miſericordiam, cujus mater eſſe probaris, nobis deeſſe: quia velle tuum non poſtponet in ſalute noſtra, qui ut ſalvemur factus eſt per te frater noſter. O mira operatio Conditoris? ô immenſa conſolatio peccatoris! ô Domina, ſi Filius tuus eſt factus per te frater noſter; nonne & tu per illum facta es mater noſtra? Hoc enim jam mortem pro nobis ſubiturus in cruce dixit Johanni, utique Johanni, nec aliud quàm nos in natura ſuæ conditionis habenti: *Ecce*, inquiens, *Mater tua*. O peccator homo, gaude, gaude & exulta; non eſt enim unde deſperes, non eſt quod formides: quicquid judicabitur de te, totum pendet ex ſententia fratris & matris tuæ. Ne ergo avertas aurem cordis tui a conſilio illorum. Judex tuus, videlicet frater tuus, docuit te fugere ad ſubſidium matris ſuæ: & ipſa eadem mater tua monuit te protectioni alarum filii ſui fiducialiter inhærere; ſeque tibi, ne ejus juſtitiâ gravareris, non negavit affuturam.

Maria quid dicemus? quali organo vocis, vel quali jubilo cordis exprimemus quantùm tibi debemus? Utique, Domina, quicquid intellexerimus, quicquid mente conceperimus, quicquid ore protulerimus, minimum eſt & quaſi nihil ad ea quæ tibi ex æquo debemus. Tu namque ante omnem creaturam in mente Dei prædordinata fuiſti, ut omnium fœminarum caſtiſſima Deum ipſum verum hominem ex tua carne procreares, ut omnibus poſt ſuum Filium tuum Regina cœlorum effecta glorioſa regnares, ut perdito mundo recuperationis aditum & vitæ perennis emolumentum præparares. Tu genus humanum æternitatis glorià nudatum, per beatæ fœcunditatis tuæ virgineum partum, in priſtinum ſtatum reduxiſti. Tu leges inferni, devicto per mortem filii tui principe mortis, evertiſti. Tu denique cunctis Deum ac Dominum, quem ignorabant, viſibiliter & propitiatorem exhibuiſti. Per te, Domina, vitam perditam in unigenito tuo recuperavimus; per te eſt, ſi quid boni ſumus, ſive poſſumus, ſive habemus; per te ad æternam gloriam quicumque ſumus perventuri, perveniemus. Tu poſt Deum ſumma ac ſingularis conſolatio noſtra. Tu felix atque beata gloriatio noſtra, tu ad Regna cœlorum ductrix ac ſubvectio noſtra: Tu, quæſumus, eſto in ipſo beatitudinis regno cœleſti ſuſceptrix & perpetua exultatio noſtra. Ergo ſecundùm beatum & miſericors conſilium ſpecialis miſericordiæ, dulciſſimæ ſcilicet prolis tuæ ad te confugimus: tu procura ne in vanum hoc fecerimus. Re etenim vera ſi defeceris nobis, nihil erit tutum nobis. Ne igitur tantùm attendas injuſtitias noſtras; ut quibus huc uſque præ omnibus præ-

A dita fuiſti, poſtponas miſericordias tuas. Et qui ſummè omnium eſt, nec ab eo quod eſt mutari ullatenus poteſt, æternaliter hæres; & ea te, quæſumus, ne jugi miſericordiæ, qua erga omnes hactenus uſa es, alia ſis quam te certiſſimè ſcimus. Et utique, Domina, non te decet à Filii tui voluntate diſcrepare, qui ad miſerandum generi humano ſe naturæ noſtræ conſortem vultui patris ſui non ceſſat perenniter demonſtrare. Et ipſa naturæ noſtræ demonſtratio quid aliud eſt, quam ad provocandum ſuper nos miſericordiam ſuam quædam ineffabilis pietatis incitatio. In ipſo enim ſibi complacuiſſe Pater ipſe teſtatur: nec fieri poteſt ut quibus ipſe vult miſereri, non miſereatur. Summus igitur Pater participibus fi-
B lii ſui vult miſereri, & ipſe filius eos ingerit pro ſe conſpectui miſericordiæ Patris ſui; & tu unica mater ejuſdem unici Filii Dei repelles ab uberibus miſericordiæ tuæ quos, ut dixi, & Pater Filii & idem ipſe Filius vocant & revocant in ſinum gratiæ tuæ? Tu exaſperareris contra nos propter iniquitates noſtras; cùm filius tuus, quem maximè offendimus, morti le tradidit pro delendis iniquitatibus noſtris? ſeverior videlicet illo eſſes ſuper nos; cùm ejuſdem conditionis ſis, cujus & nos; naturam tuam, Domina, excedens. Sed fortaſſe tantùm amas juſtitiam Dei contra peccantes in eum; ut malis illum exercere vindictam, quàm exhibere miſericordiam. Quòd ſi ita eſt; cur, Domina, cuidam olim ope tua magnopere indigenti, & quæ eſſes neſcienti,
C matrem te potius miſericordiæ dulci voce reſpondiſti quam juſtitiæ: cùm Filius tuus non minùs ſit vera & incommutabilis juſtitia, quàm vera & appetibilis miſericordia? Eâ fortaſſis conſideratione, quoniam ſi te matrem juſtitiæ diceres, magnam non ſolùm ei quem in anguſtia poſitum omni miſericordiâ (poſtpoſitâ juſtitiæ ſeveritate) opus habere ſciebas; verùm etiam nobis pauperibus tuis ſpem veniæ tolleres, & ſingularis refugii oſtium crudelem humani generis perſecutorem, fugientibus quodammodo inimicis occluderes. Quis enim cum juſtitia Dei judicium ſubiens, non ut veſtimentum conteritur, non deterius quàm à tinea devoratur? Quapropter, pia
D Domina, dulcis & clementiſſima Domini mater, attende fragilitatis noſtræ gravem neceſſitatem; & oſtende ſuper nos effectu te eſſe, quod jocundo affectu te eſſe cognoviſti: quod ſi feceris, ad nos ſalvandos Filio tuo & Patri ſuo proculdubiò concors eris. Benigniſſimus quippe Filius tuus deſiderat ſalutem noſtram; & in tantùm ut quo illam incommutabilem & æternam faceret, æternitatem ſuam momentaneâ mutabilitate noſtrâ indueret. Verax quoque & juſtiſſimus Pater ſuus ita ſibi per omnia complacet; ut nihil eorum nolit, quæ illum velle intelligit. Velis itaque ſolummodo quod vult ipſe: nihil reſtabit quod poſſit obſiſtere ſaluti noſtræ. Sed te non velle quod Deus vult, nefas eſt vel opinari. Gaude igitur & exulta, humana natura; omnia quippe tibi proſpera Chriſtus Filius ſanctæ
E Mariæ paravit, dum ſe ex ea propter te in ſubſtantiæ tuæ veritate creavit.

Domina, Domina, quod ego qualiſcumque homuncio, & verè magnus peccator hoc corde impuro de te meditari, fœtidò ore effari, pollutis digitis auſus fui deſcribere, parce, quæſo, parce, & miſerere. Noſti enim, pia Domina, hoc me ita præſumpſiſſe, quia talem me confiteor eſſe, ut nec cœlo nec terrâ me judicem dignum eſſe: & ideò nimis anxius vellem, ſi quo modo valerem, eniti quatenus aliquo miſerationis ſuæ intuitu ſuper me Deus intenderet, quæ ſua ineffabili gratia vel modicum ſancti amoris affectum erga benignitatis tuæ dulcedinem in me accenderes. Confido quippe quoniam ſi hoc faceres; ab his quæ merui pœnis inferni, ſua miſeratio tuaque ſubventio me forte redimeret. Quapropter, Domina, ne indigneris

gneris quasi audaci & præsumptuoso: quia si quid horum in istis esse videtur, mea gravis necessitas compulit, & tua grandis & omni sæculo probata bonitas suasit. Ultima ergo atque summa votorum meorum intentio est, ut vel in extremo examine justissimi filii tui si me, remotâ misericordiâ, severâ sententiâ crudeli tortori damnandum tradiderit; subvenias, & me ad inferos rapienti occurras, ac manica misericordissimæ deffensionis tuæ protectum, ne in æternum damner, eripias. Et quidem, Domina, quondam parvulis, & fortè mihi, si non fallor, hoc à matronis, cùm ad verbera raperentur à pædagogo, impensum reminiscor: & ob hoc illis nonnulli valdè gratiosi fuerunt, ac pietatis viscera, quibus in eorum pia liberatione usæ sunt, magnificè prædicaverunt. Si ille igitur pro tantilla gratia: quibus, quæso, præconiis à cœli civibus, qui de peccatorum salvatione gratulantur, prædicaberis; cùm mei magna peccatoris, ut dixit, misericordia fueris? Utique beatus & bonus filius tuus Dominus Jesus dicit gaudium esse in cœlis, angelis Dei, super uno peccatore pœnitentiam agente; quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentiâ. Cùm ergo pro pœnitente fiat gaudium in cœlis; quoniam in eo quòd illum malorum suorum pœnitet, tendit ad salutem: quale gaudium erit, Domina, quando aliquis liberatus ab omni malo pervenit ad ipsam salutem? Si igitur me à meritis pœnis liberatum, æternæ salutis participem feceris; nimium totam curiam Regni cœlorum exhilarabis. Quapropter, piissima Domina mater, ne parvipendas enormen immanitatem criminum meorum, ut postponas magnitudinem gaudiorum pro remissione illorum congratulantium angelorum. Domina, Domina, quid futurus vel facturus sim penitus ignoro; & ideo quicquid de me sit eventurum, præsentem postulationem ne oblivioni tradas; obsecro piissimam dilectionem, qua diligis unicum filium tuum, ut me peccatorem à mortis auctore transferas in sortem vitæ æternæ; & tu singulare præsidium omnium ad te confugientium, vere & unice fili hujus castissimæ virginis Dominæ meæ, rogo te per dilectionem, qua diligis ipsam dulcissimam matrem tuam, sentiam quandoque per effectū, quod mihi per eandem piissimam genitricem tuam opto impendi, tepido licet; tamen qualicumque affectu. Quòd si multitudo scelerum meorum justitiam tuam ad me damnandum magis erexit, quàm pietas matris tuæ misericordiam tuam ad parcendum inclinaverit: tu, qui ubique præsens, & in omni loco æquè potens es, aliquod mihi tuæ protectionis quo ab inimicis meis abscondar, obstaculum inveni; ne præda dæmonum factus, detrudar in profunditatibus malorum inferni: ac si nihil merear exaudiri, saltem in inferno constitutum memoriâ & cognitione sancti nominis tui privari non sinas, ne Sathanæ similis & cohæres justitiam tuam reprehendendam, sicque æquitatis tuæ examen perversi murmuris obstinatione graviùs feram. Bone Domine, bone, si in his omnibus aures misericordiæ tuæ mihi occludis; profecto non video quid amplius rogem, quod largitatem misericordiarū tuarum mihi impendat; & hæc ignorantia nimirum ex multitudine iniquitatum mearum mihi provenit. Nam si densis illarum tenebris obvolutus non essem; tu, qui lux es indeficiens, non mihi deficeres; sed ignorantiæ meæ tenebras radio tuæ claritatis abigeres: sicque in lumine tuo constitutus viderem te non esse Deum volentem iniquitatem, & tamen nosse & posse habere cum pia voluntate inæstimabilibus modis subveniendi lapsis & oppressis miseriâ & inquitate; & hoc, Domine, sic esse firmissimè credo: ac per hoc intimo corde teneo & ore profiteor quia quicquid de me feceris, qualicumque videlicet malorum pondere pressieris, nullo injustitiæ livore turbatus in his pertraheris. Sic quoque deletis ac dimissis peccatis nostris, talis esto erga nos propter dulcem amorem dilectissimæ matris tuæ, ut ..... Virginis humanam de suæ carnis substantia verum hominem genuisse. Amen.

aliquando sumus.

DE CONCEPTIONE BEATÆ MARIÆ.

CONCEPTIO venerandæ Dei genitricis perpetuæ Virginis Mariæ, dilectissimi Fratres, quemadmodum per multa signorum experimenta in Anglia & in Francia, cæterisque climatibus mundi celebranda sit declarata, me narrantem audiat dilectio vestra.

Tempore namque illo, quo divinæ placuit pietati Anglorum gentem de malis suis corrigere, suæque servitutis officiis arctiùs adstringere; Gloriosissimus Normanorum dux Guillelmus eamdem patriam debellando subegit. Qui videlicet Guillelmus tunc temporis Rex Anglorum factus, Dei virtute, & industria sua, totius Ecclesiasticæ dignitatis honores in melius reformavit. Cujus piæ intentionis operibus invidens bonorum omnium inimicus Diabolus, tum familiarium fraudibus, tum extraneorum incursibus multoties conatus est ejus obsistere successibus. Sed Domino protegente, & timentem se Regem glorificante, ad nihilum deductus est malignus. Audientes autem Daci Angliam esse subjectam Normanis, graviter sunt indignati, & suo quasi hæreditario jure privati, arma parant, classem aptant, ut eos adeuntes à data sibi divinitus patria expellant. Hoc comperto prudentissimus Guillelmus * quemdam religiosum Abbatem * cœnobii accersitum in Daciam dirigit, ut inquirat hujus rei veritatem. At ille, ut vir sagacis ingenii, strenuè Regis negotium exequitur. Quo fideliter peracto, ad Angliam revèrti cupiens, mare ingreditur; & cùm jam maximā partem maris prospero cursu transisset, subitò densis surgentibus undique ventis, horrida tempestas cœlum commovit, & undas. Fatigatis igitur nautis, nec ultrà jam obniti valentibus, fractis remis, funibusque ruptis, cadentibus velis, spes salutis amittitur, nihil sibi nisi submersionis exitium miserabiliter expectantibus. Cumque de salute corporū desperati, animarum solummodo magnis clamoribus salutem creatori suo commendarent, & Beatissimam Virginem Mariam Dei genitricem, miserorum refugium, & desperatorum spem devotè reclamarent, ecce subitò conspiciunt quendam admodum reverendæ habitudinis virum, Pontificali infula decoratum, quasi inter medias undas navi proximum. Qui vocans ad se * Abbatem, his verbis cœpit eum appellare. Vis (inquit) periculum maris evadere? Vis in patriam suam sanus redire? Cùmque cum fletu id toto corde desiderare, & hoc solum expectare responderet; tunc

Hersfeldensem. Remigiensem. Hersfeldum.

ille: Scias (inquit) me ad te à Domina noſtra Dei genitrice Maria directum eſſe, ad quam dulciter reclamaſti; & ſi dictis meis obtemperare volueris, ſanus cum comitibus tuis evades imminens periculum maris. Ille verò illicò ſpondet ſe ei in omnibus obtemperaturum, ſi hoc evadere naufragium. Promitte, inquit ille, Deo & mihi, quòd diem Conceptionis, & creationis Matris Domini noſtri Jeſus Chriſti ſolemniter celebrabis, & celebrandum prædicabis. At ille, ut prudentiſſimus: Et quis, inquit, dies in hoc feſto celebrandus erit? Sexto, ait, Idus Decembris, hoc feſtum ſolemnizandum tenebis. Et quo, inquit Abbas, officio utemur in Eccleſiaſtico obſequio? Omne, inquit, officium quod dicitur in ejus Nativitate, dicetur in Conceptione; excepto quòd nomen Nativitatis mutabitur in nomen Conceptionis. His dictis ille diſparuit, & dicto citiùs ſedata tempeſtate, Abbas incolumis concito flatu applicuit littoribus Anglicanis: & quæ viderat & audierat, quibus potuit notificavit. Statuit autem idem feſtum in * cœnobio celebrari, & ipſe quandiu vixit devotis obſequiis celebravit.

Remenſ.

Et nos ergo, fratres dilectiſſimi, ſi portum ſalutis volumus apprehendere, Dei genitricis Conceptionem dignis obſequiis & officiis celebrabimus, ut ab ejus Filio digna mercede remuneremur.

Rurſum hæc ſolemnitas alibi alio modo declaratur. Tempore namque Caroli Regis Francorum illuſtriſſimi, Clericus quidam Ordine Diaconus Ungariæ Regis germanus, Matrem Jeſu toto corde diligens, ejus horas ſolicitus decantabat. Parentũ autem ſuorum conſilio, nubere volens cum quadam adoleſcentula valde pulcherrima, accepta à Preſbytero nuptiali benedictione, quadam die, Miſſa etiam celebrata, recordatus quòd ejuſdem beatiſſimæ Virginis horas illa die, juxta morem ſolitum, non cantaverat; ſponſam domum mittens, omnes ab Eccleſia exire coegit, & ipſe juxta altare Virginis ſolus remanſit. Cúmque horas Dominicæ Matris decantaret, & hanc Antiphonam *Pulchra es & decora filia Jeruſalem*, diceret; ſubito apparuit ei Virgo Maria cum duobus Angelis, dextram ejus manum, & lævam tenentibus, dicens ei: Si ego ſum pulchra, & decora; quid eſt, quòd dimittis me, & ſponſam aliam accipis? Numquid ego ſum optimè formoſa? Numquid ego ſum pulchrior illa? Ubi vidiſti tam pulchram? Cui ille ſtupefactus ait: Domina mea dulciſſima, claritudo tua omnem mundi pulchritudinem excellit. Quid vis, Domina, ut faciam? Ait illa: Si ſponſam carnalem, cui adhærere vis, amore mei dimiſeris, me ſponſam in cæleſti regno habebis: & ſi Conceptionis meæ feſtũ annuatim 6. Idus Decembris ſolemniter celebraveris, & celebrandum prædicaveris: mecum in regno Filii mei laureatus eris. His dictis Beata Virgo diſparuit; Clericus verò domum adire renuit, & abſque parentum ſuorum conſilio, ad Abbatiam quamdam extra patriam illam perrexit, & ibidem monachali habitu decoratus, & poſt tempus exiguum meritis Beatæ Mariæ ſemper Virginis quæ quidem diligentes ſe decorat ſemper & beatificat, Aquileiæ Epiſcopus Patriarcha factus feſtum Conceptionis B. Virginis die præfato, quamdiu vixit, annuatim cum propriis octavis diligenter celebravit; & ubique celebrandum prædicavit.

Aliud etiam miraculum hujus feſtivitatis alibi divina inſpirante gratia, à nobis declaratur. In pelago Gallico Canonicus quidam, Ordine ſacerdos, ſolitus B. Mariæ Virginis horas canonicas decantare, à villa quadam, ubi cum uxore alterius fornicatus fuerat, rediens, ad oppidum in quo morabatur tendere curans, & pelagus Sequanæ tranſmeare cupiens, ſolus navem ingreſſus Dominicæ Matris horas navigando canere cœpit. Cúmque Invitatorium, *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum*, diceret; & jam in medio fluminis eſſet; ecce turba magna Dæmonum in profundo pelagi, una cum ejus navicula eum præcipitavit, & ejus animã rapuit ad tormenta. Die autẽ tertia locum quo Demones eum tormentis afficiebant, venit mater Jeſu cũ magna Angelorũ ſocietate, dicens eis: Ut quid animam famuli noſtri ita injuſtè affligitis? Nos, inquiunt, eam debemus habere, & meritò; quoniam in noſtris operibus capta eſt. Quibus mater Jeſu: Si illius debet eſſe, cujus opera faciebat; ergo noſtra debet eſſe quoniam matutinas noſtras, dum vos eum peremiſtis, decantabat: unde magis rei eſtis, qui iniquè contra me egiſtis. His dictis dæmones huc illucque diſperſi fugerunt, & Beata Maria animam reduxit ad corpus, & hominem ab utroque funere ſuſcitatum per brachium arripiens, aquam à dextris & à ſiniſtris quaſi murum ſtare jubens, de profundo pelagi ad portum incolumen reduxit. At ille gaudens pedibus B. Virginis proſtratus ait: Chariſſima Domina mea, & virgo ſpecioſa Chriſto gratiſſima; quid tibi tribuam pro tantis beneficiis quæ mihi feciſti? liberaſti me de ore leonis & de tormentis inferni graviſſimis animam meam. Cui Mater Jeſu ait: Precor te, ne de cætero in adulterii peccatum cadas; ne fiat tibi noviſſimus error pejor priore. Precor te iterum ut de cætero feſtum Conceptionis meæ devotè celebres annuatim 6. idus Decembris, & ubique celebrandum prædices. Mox ut id dixit B. Virgo Maria, eo cernente cœlos aſcendit, & ipſe eremiticam vitam ducens, quod ſibi acciderat, cunctis audire volentibus narravit; & poſtea quandiu vixit, illud feſtum Conceptionis ſolemniter & devotè celebravit, & celebrandum prædicavit. Et nos, Fratres Chariſſimi, noſtrâ Archiepiſcopali auctoritate corroboramus, atque præcipimus, ut nullus noſtrûm ita ſit rebus temporalibus aut propriis delictis deſperatus, quin B. Mariæ Virginis Conceptionem celebret annuatim. Sicut enim in ſancta Eccleſia ejus extollitur Nativitas, ita debet ejus extolli Conceptio: niſi enim conciperetur, nunquam naſceretur: ſicut enim ad ſalvandum genus humanum olim fuit neceſſaria ejus Nativitas: ſic fuit neceſſaria ejus Conceptio: juſſu Dei concipitur & naſcitur. Inde ſi divina ratio perſpiciatur; ſpiritualis conceptionis ejus dies major fore approbatur, quam ejus Nativitatis.

Res enim major extitit, Adam à Deo creari, quàm filios Adæ de matre naſci; non eſt mirum ſi homo à Deo de matre naſcitur. Erubeſcant igitur omnino inſenſati, qui tanta ſacramenta, tantaque myſteria tenebris ignorantiæ excæcati ideò reſpuunt celebrare, quòd viri ac mulieris copulatio in cõceptione Virginis extitit: ſi enim ejus Conceptionem, idcirco quòd carnalis extitit, ſtultis non placet hodie celebrare; tamen diem & noctem illam dignam, quamvis multis ſit incognita, & tempus & horam ſpiritualis conceptionis ejus hodie celebrare delectet, qua ipſe animarum creator animam ſuæ matris dignam, & ſanctiſſimam corpori Virginali ejus miniſtrantibus Angelis copulavit; quam etiam diem primam noſtræ reparationis & ſalutis, diſpoſitor noſtræ ſalvationis inter cæteros dies fecit, prælegit, & ſanctificavit: nam duæ ſunt conceptiones hominis; (hoc omnibus peritis notum eſt) una qua carnalis copula viri ac mulieris agitur, alia qua ſpiritualis anima nova & pura Deo operante corpori divinitus adjungitur. Si non placet illi celebrare Dominicæ matris carnalem conceptionem; ſaltem placeat celebrare ejus animæ ſpirituale creationẽ corporiſque cum anima copulationem. O quanta eſt dies illa quâ noſtræ reparatricis anima digna creatur, & ſãctificatur, & ſanctiſſimo corpori unitur? non eſt enim verus amator Virginis, qui reſpuit colere diem ejus Conceptionis. Erubeſcant iterum inſani qui hunc diem colere non volunt idcirco quia aliorum ſanctorũ conceptiones minimè colere ſancta conſuevit Eccleſia. Maxima quippe ruſticitas eſt eam aliis Sanctis in hoc comparare, in qua Deus carnem humanam aſ-

ſumpſit, quam etiam ſuper omnes Angelos & Archangelos in cœlis ſublimavit: quamvis enim cæteris Sanctis dies Conceptionis eorum non ſit conceſſum ut celebretur; illi tamen à Spiritu ſancto conceſſum eſt, quæ major & excellentior cunctis eſt. Pulchrè & dignè dominationem ſuper cæteros Sanctos illa debet habere, per quam omnes Sancti ſanctificantur; dicitur enim Chriſtus ſanctorum ſanctus, & ipſa ſanctorum ſancta: & ſicut ſine more ſummus rerum diſpoſitor ſuper omnes ſanctos & ſanctas illam dignitatem illi contulit, ut Verbum carnem factum Virgo conciperet & pareret, & poſt partum Virgo permaneret; ſic ipſe præ omnibus abſque more hanc dignitatem illi præbuit, ut Conceptionis & Nativitatis ejus ſol mnia ſacroſancta in ſancta Eccleſia celebremur. Quid longiùs; dominicæ matris Conceptionem colere, Chriſti generationem eſt commemorare: nam ejus Conceptio, Chriſti generationis eſt linea: quàpropter Evangelium (liber generationis) ipſa die ſicut in Nativitate Domini ante matutinales laudes bono more decantamus, & ad miſſam legimus; meritò ergo colitur & filii generatio, & Matris Conceptio; quoniam Conceptio & Nativitas matris generatio eſt filii. Celebremus igitur (dilectiſſimi) hodie dignis officiis utramque ejus Conceptionem venerabilem; ſpiritualem videlicet, & humanam: ut ipſius meritis & precibus, à ſæcularibus curis & à cunctis malis mereamur eripi, & ad æterna gaudia perduci, præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto filio ejus, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

MIRACULUM DE CONCEPTIONE SANCTÆ MARIÆ.

Ex M. Germ. C. 40.

EO tempore quo Guillelmus Normanorum Dux potentiſſimus, proſtrato Anglorum Rege Heraldo, ipſos Anglos bello ſtrenuè ſuperando ſibi ſubjecerat: quidam Abbas Elſinus nomine in Eccleſia Apoſtolorum Petri & Pauli Sanctique Auguſtini Anglorum Apoſtoli reſidebat: in qua Eccleſia ipſius Auguſtini, cæterorumque Archiepiſcoporum corpora ibi ſuccedentiũ requieſcunt. Hic itaque Elſinus certis ex cauſis in Rameſienſem Eccleſiam promotus, Domino Jeſu Chriſto devotiſſimè famulabatur, ejuſque genitricem, ſervitium ejus faciendo devotiſſimè, venerabatur. Cõtigit autem ut Danorum Rex, auditâ Heraldi morte, Anglorumque ſubjectione, venire in Angliam properaret, & ſuo eam dominio ſubjugare, proſtrato Guillelmo novo Rege, ut ipſe teſtabatur ipſius terræ invaſor, & eam in perpetuum poſſideret. Quo audito Guillelmus ad defendendum ſe præparavit, & ex circumjacentibus regionibus milites quamplurimos congregavit; & ut erat callidus, urbes ac caſtella ſtrenuiſſimè munivit, & omnibus neceſſariis opulentiſſimè replevit. Conſilio itaque inito Guillelmus Rex cum optimatibus ſuis ſtrenuiſſimum Abbatem Elſinum, de quo ſuprà retulimus, in Daciam miſit, ut conſilia ipſorum & acta diligenter inquireret; & eorum in Angliam adventum, prout poſſet, averteret. Aſcenſa igitur puppe proſpero vento flante, in Daciam venit, ipſiuſque terræ ſe Regi præſentavit, & ſalutes ac munera atque ſervitia ex Guillelmi Regis parte obtulit. Deinde omnia ut ſibi juſſum fuerat, inquiſivit; quid dicerent, & quomodo ſatagerent percunctari non deſtitit. Poſtquam autem omnia propter quæ illuc erat, ſtrenuiſſimè complevit, proceresque terræ muneribus & promiſſis oneravit, in Angliam regredi voluit; ſed Rex Daciæ ſecum illum regredi permiſit. Qui mox cum ſociis navem conſcendit. Nautæ igitur apluſtria collegerunt, & in altum carbaſa extenderunt, ac per fremencia æquora itinera direxerunt.

Dum itaque per alta maris pergerent, contrarius ventus eis ſurrexit, mare fundìtus commovit, omneſque qui in navi erant formidine replevit. Timore igitur mortis contriti nimiumque perterriti, preces cum lacrymis Domino fundunt, & ſe graviter deliquiſſe miſerabiliter gemunt. In tanto diſcrimine poſitis majora pericula occurrerunt, namque ſyrtes præ oculis aſpiciunt, quas naucleri ſcamna dicunt. Tunc magis anxii & dubii velut in morte poſiti clamabant ad Deum fortiùs. O Deus clementiſſime, pater miſericordiæ, dignare nos reſpicere merſos pro noſtro crimine. Reſpice clementiſſime de ſede tuæ gloriæ, viſita nos jam poſitos in extremo vitæ periculo. Aſſit nunc tua gratia, aſſit tua benignitas, aſſit maxima bonitas, aſſint bona gratuita dona. Succurre nobis miſeris, pietas ineffabilis, ne nos ſorboat infernus nunc pro noſtris criminibus. Pie Deus cognoſcimus quòd graviter deliquimus, pejora commeruimus, quia multum peccavimus. Benigna tua gratia fatentibus indulgeat, fatemur noſtra crimina, tu dele tua gratia. Qui promiſiſti miſeris qua hora ingemuerint & corda pœnituerint, ſalvos protinus fieri. Parce nunc confitentibus, miſerere gementibus, miſerere nunc flentibus & verè pœnitentibus. Maria mater Domini, ora pro nobis miſeris, tuo filio, ô Domina, commenda noſtra flamina. Namque mari ſunt tradita miſera noſtra corpora, tuus filius animas in requiem ſuſcipiat.

Cùm igitur deſperati ſic clamarent, quendam pontificalibus veſtibus ornatum juxta navim aſſiſtere vident, qui Elſinum Abbatem proprio nomine compellans, hoc ei retulit, inquiens, O tu Abba Elſine, veni ſurgens & mecum loquere. Dum autem, admirantibus omnibus quænam eſſet perſona illa, Abbas Elſinus ſurrexiſſet, præfata perſona, ut creditur, Angelica hæc ei inſit. Si vis ſanus effugere, ſi vis mortem evadere, ſi vis patriam cernere, tuoſque lares viſere; promitte, ſi deliſſime, Matri Chriſti piiſſimæ te facturũ percelebrem Conceptionis ipſius feſtum diem, in qua ipſa virgo incomparabilis Dei futura genitrix, in alvo matris concepta fuit, & doceto quoſcunque poteris, ut percelebrem diem hujus agant ſolemnitatis. Tunc Abbas Elſinus, ut erat prudentiſſimus, hoc illi refert protinus: Quomodo faciã iſtud, qui diem quo iſtud faciã ignoro penitus. Dei nuncius reſpondit. In ſexto idus Decembris, eſt dies celeberrimus hujus Conceptionis, hunc ut celebres moneo, & celebrandum dicito quibus dicere poteris & qui ſcire voluerint. Tunc Abbas Elſinus: Et quali, inquit, ſervitio jubes uti in hoc feſto? Cui divinus nuncius reſpondit hoc velociùs. Omne ſervitium quod dicitur in ejus Nativitate, dicitur & in Conceptione; ſic ubi natalitium in Nativitate dicitur, Conceptio in hac celebritate dicitur.

Prædictus Abbas poſtquam talia audivit; Deo gratias reddidit, & devotiſſimè vovit ſe ſervaturum quod audierat divinitus juſſum. Statim ut hoc vovit, tempeſtas cecidit, & ſerenitas rediit. Vento igitur proſpero redeunt, & in Angliam alacres veniunt. Statuit quoque in Rameſienſi Eccleſia, cui ipſe Abbas præerat, ut hoc feſtum omni anno ſolemniter ſexto Idus Decembris celebretur; multoſque ad celebrandum devotiſſimè invitavit. Hujus ſolemnitatis celebratoribus detur à filio ipſius Virginis Domino noſtro Jeſu Chriſto pax & longa vita, & poſt tranſitum hujus vitæ æterna requies concedatur. Amen. Explicit miraculum de Conceptione ſanctæ Mariæ.

In eodem Ms. eodem caractere ſcripta ſequuntur plura alia miracula B. Mariæ precibus edita, quæ non majoris ſunt fidei, unde hoc unum eſt ex Abbatiſſa Sanctimonialis quæ cum virginitatis & Caſtitatis voto eſſet profeſſa & pregnans B. Mariæ ſuas preces fudisset, ob ea abſtinentiæ reus Angelis liberata eſt.

PASSIO SANCTORUM
GUINERI, FINGARIS,
PIALÆ, ET SOCIORUM.

POscis fideliter satis, charissime, Martyris sacri Guineri, sociorumque ejus admirabilem vitam, quam priùs brevibus notulis retinebas, victoriæque triumphum latiori tibi explicari sermone. Cupio sanè devotioni tuæ parere devotus: Et si non dignè, ut gestorum fortium deposcunt magnalia, tamen pro ingenii facultate Sanctorum laudibus occupabor intentus: quoniam laus militis gloria est Imperatoris; & dum Sanctorum virtutes narrantur, Christi gloria prædicatur. Spondet ergo devotio, quod negat scientia; & Sanctorum fides, quod non promittit facultas: totum eorum præsumam de meritis. Nec de eloquii paupertate confundar, quoniam pro certo non in nitore sermonis consistere regnum Dei monstravit, qui ad sui gloriam prædicandam idiotas & piscatores elegit.

CAPUT I.

Sancti Patricii prædicatio in Hybernia, & Fingaris Principis conversio.

GLoriosus equidem & prædicandus ubique Domini Confessor Patricius, cùm in Cornubiæ partibus sanctis actibus moraretur intentus, admonitus est voce Angelica, ut Hyberniæ insulam, fidem Christi in ea prædicaturus, aditet. Tunc fidelis servus & prudens, Domini visione compertâ sine mora surrexit; & locum sibi præsignatum a Deo, in nullo barbaræ & incredulæ gentis expaveſcens feritatem, expetiit. Cujus adventu, famâ vulgante, præcognito, septem nominatæ jam insulæ Reges cum Pontificibus idolorum, cum Satrapis, ejusdemque gentis non minimâ multitudine in Sancti convenere occursum. Hos Sanctus Domini fide integer & devotione plenus aggrediens, cœpit eis Evangelium Christi cum fiducia prædicare, & in Jesu evangelizare salutem. Verùm quia vas plenum absinthio, nisi prius amaritudine pulsâ, alterius liquoris non admittit dulcedinem; illi adhuc pleni spiritu superbo doctrinam salutis recipere noluerunt. Sed cernentes humilitatem, & vilitatem habitûs attendentes, non thesaurum latentem interiùs, sanctum & verè Apostolicum virum penitùs contemplerunt. Fuit inter jam dictos Reges nobilior unus, ac potentior omnibus nomine Clito. Huic erat filius adolescens bonæ indolis, vocabulo Fingar, electione divinâ præcognitus, & sancti Spiritus jam gratiâ perfusus. Hic ex universis solus sancto assurgens Patricio, quo potuit honore, virum Dei suscipiens cessit, & in loco, quo sederat ipse, eum sedere fecit.

CAPUT II.

Fingaris ac sociorum pro fide exilium.

IRatus pater severus, & indignatione grandi succensus in filium, dicens quod Deorum suorum intenderet evacuare culturam, & novam Christianorum per sanctum Patricium introducere legem, regno expulit, & solo fecit exhæredem paterno. Cui plures ex nobilibus Hyberniæ procreati adolescentes dulcissimo amore conjuncti, pariter profecti coëxules, terra marique minorem in Britanniam pervenerunt. Quo audito Judex Britanniæ in terram suam novos accolas adventasse, eos sibi exhiberi * præcepit, & diligenter inquirens qui essent, ad quid, vel unde venissent, responderunt se de Hybernia pulsos; seseque proscriptionis suæ ratione expositâ, petierunt ut * in provincia sua locum * habitandi atque licentiam eis concederet pro sua clementia. Ingenuitate verò adolescentum compertâ, simulque exilii causam Dux agnoscens, summâ eorum petitioni liberalitate assentiens, tantùm eis terræ ad habitandum concessit, quantùm unus equitando posset currere per diem: præcepitque venerationi habendos, & maximè Fingarem censuit excolendum. Domini igitur gratiam in omnibus consecuti diliguntur ab omnibus, ab omnibus honorantur, & cum indigenis de cætero novi hospites familiariter habitare cœperunt.

* al. patcepit

* in provincia sua locum * habitandi *al. omit.* habitandi

CAPUT III.

Occasio successus Fingaris à sæculo.

SEd cùm jam providentia summi Dei tyronem suum Fingarem suis arctiùs vellet applicare obsequiis, tali eum arte discrevit. Die quadam cum suis consortibus ad venandum egressus, repertũ canes cœperunt agere cervum, qui cùm canibus importunè infestantibus, eâ, quâ illud animal solet fieri, velocitate aufugeret; solus Fingar cum canibus, relictis sociis, prosecutus est fugientem. Quid plura? cervum retinuit, occidit: & detractâ pelle * frustatim concidens per artus equo imposuit, quasi reversurus ad socios, qui eum nebulâ obducente perdiderant. Sed cùm respersam sanguine vestem, ac cruentatas manus vellet abluere, huc illucque circumspiciens non inveniebat aquam: & labari cuspide in terra defixâ, improvisi fontis gratissima manans vena defluxit. Laticis novi miratu fluenta; & illius virtuti factum deputavit, qui antiquum populum silice percusso potavit. Comparetur, si placet, factum * antiquo S. Clementis miraculo: * nisi quod ille pede agni fontis cognovit thesaurum: iste acumine teli bullientem venam invenit. Denique cùm lavandus se ad fontem disponeret, inclinans se in aquam, per umbram formosi vultus sui pulchritudinem attendens, erat enim speciosus valde & decorus aspectu, cœpit laudare Deum & benedicere, qui tantam ei contulerat gratiam. Et ex illa hora se ei serviturum tota devotione spondens, soluto de capite equi fræno, liberum quo vellet ire permisit: ipse verò inter saxa sub quodam specu latitans, quercuum glande aliquanto tempore vixit. Socii autem ejus per loca diffusi totâ intentione quærebant eum; & cùm non invenissent, anxii valde, & dolentes reversi sunt ad habitaculum suum. Dominus autem Britanniæ cùm audisset illum deesse; evocatis ad se sociis ejus, requirebat * ab eis quò devenisset, vel quid de eo factum fuisset; & alligatos in custodia tradens, comminabatur jurans se occisurum omnes, nisi ei veritatem indicarent;

* cum antiquo *al.* nam qui illo fonte (eg. aumque ille

* *al. omit.* ab.

Digitized by Google

arbitrans ab eis in contentione vel litigio interruptum. Sed cur hominem occidissent, pro cujus amore natale solum reliquerant, laboresque sustinuerant infinitos, terræ marisque discrimina toleraverant multa? Denique tristitia, qua afficiebantur pro eo, non homicidas, sed veros monstrabat amicos, & tales quibus credi non de odio, sed de amicitia debuisset. Expolito tamen qualiter inventione cervi decessissent ab eis, ad eum iterum inquirendum se offerunt; loca se monstraturos, ubi socium perdidissent; si viros, qui eum sagaciùs scirent inquirere, destinaret. Itum est: & multo labore inventus ad præsentiam Ducis * cum honore adducitur: & cùm Dux de ejus inventione lætus, facti benignè causam inquireret; respondit se omnino divinis mancipatum obsequiis, nec ulla unquam ratione ad sæculi deinceps posse redire officia; si tamen ei locum, in quo constructo oratorio Deo quietiùs posset servire, pro sua vellet benignitate concedere, libenter susciperet. Dux verò benignus ejus voluntati favere consentiens, locum assignavit; & totam insuper terram, quam ei & sociis ejus priùs ad habitandum concesserat, liberam ab omni tributo perpetuam delegavit in dotem. Ingreditur igitur electus Domini Fingar locum Ducis clementiâ consignatū, prædiis ac possessionibus dotatum amplissimè atque ditatum, ac mente tota ac devotione in cœlestis solii habitationem intentus habitaculum sanctificationis, in quo Deus perpetuò laudaretur, instituit. Accingit se deinceps servus Dei fortiùs ad opera fortiora, carnem domat, roborat spiritum; & prosequendo seipsum, seipsum perficiebat in Domino.

al. omit.

CAPUT IV.

Regressus Fingarii in patriam, & regni recusatio.

POst tempus aliquòd ad locum nativitatis admonitus hortatu angelico redire jubetur. Quò cùm Domini in omnibus præsidio fultus rediisset; Hyberniam Christi legibus subditam, in confessione Christiani nominis gloriantem, & totam lavacro sancto perfusam invenit. Gaudent servi se Dominum accepisse, Christiani fideles consortem patronum: rogant eum, Clitone patre defuncto, suscipere regnum, cupientes defensorem talem habere, cujus providentiâ gubernaretur regnum, & nova adhuc Christianitas tueretur. Tibi, inquiunt, excepto quòd fidei Christianæ te cupimus habere fautorem, ex genere * Regius honor debetur, ad te hæreditas pertinet, tibi hæreditario jure cedit possessio. Tum ipse: Parcite, inquit, Charissimi, semel dedicatus sum Christo, illi soli me serviturum devovi: ad officia sæculi deinceps reverti non pollum: quoniam nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei: Nemo militans Deo, implicet se negotiis sæcularibus, ut placeat ei, cui se devovit. Et cùm rogantes pia importunitate instarent: in vanum, ait, fratres, tantis precibus laboratis: ego enim vobiscum diutiùs detineri non possum. Sed si vultis agere secundùm meum consilium, eligite virum industrium ac fidelem, unum ex nobilibus patriæ; cujus providentia moderetur regnum, & Christianæ fidei tueatur religio; & illi germanam meam Pialam, in uxorem simul cum regno tradite. Fuerat autem clarissima virgo Piala, nobilissimi Regis Clitonis filia, soror S. Guigneri, * jam lavacro purificationis regenerata in Christo. Sancti igitur instructi consilio virginem sacram alloquuntur de sponso. Quibus illa, tota in amore Christi fundata, respondit: Sponsus meus Christus est, qui me per suam gratiam regni sui elegit consortem: Huic fidem promisi, quàm violare non debeo; & ideo alium sponsum, præter ipsum, non possum suscipere. Regni hujus gloriam contemno, quæ non debet dici gloria; quia non potest carere miseria; & ad regnum, quod promittit Dominus Jesus Christus, suspiro, ubi non est dolor, vel tristitia; sed perpetua jucunditas, & lætitia sempiterna. Cernens autem Sanctus virginis intentionem in Christi solidatam amore, ita ut nulla posset ratione ad consensum conjugii flecti, ait: Sinite eam, fratres; nolite contra Dei beneplacitum niti: ipse sic voluit, & sic futurum providit. Regnum istud Dei providentiæ committamus; ipse secundùm suam voluntatem providebit tutorem ac defensorem. Et omnibus vale dicens parabat profectionem.

al. Regis

CAPUT V.

Rursus Fingar solum patrium deserit cum insigni comitatu.

SEcuti sunt eum septingenti septuaginta viri, & septem Episcopi, quos Sanctus Patricius per aquam incorruptionis Christo genuerat, pleni Deo, & divinâ lege instructi, cupientes beatæ peregrinationis ejus esse consortes in Domino: inter quos fuit supradicta virgo Piala, soror Beati Guigneri. Sancto igitur consortio omnes adunati in Domino, simul cum Patrono ad littus usque procedunt: repertoque pro voto navigio, navem omnes una conscendunt. Paululum jam altiùs navigando à terra discesserant; cùm ecce virgo quædam, nomine Hya, nobili sanguine procreata, pervenit ad littus, fœlici Sanctorum cupiens adunari collegio: cernēsque procul à littore jam remotos, nimio anxiebatur dolore, & fixis in terra genibus, manus & oculos ad sublimia erigens, mente consilium è cœlo efflagitabat devota. Et modicum inferiùs relaxans obtutum, contemplatur super aquas folium parvum; & protensâ virgâ, quam manu gestabat, tangens illud volebat probare an mergeretur: & ecce sub oculis ejus cœpit crescere & dilatari, ita ut dubitare non posset à Deo sibi illud obsequium missum. Et fide fortis, folium audacter conscendens, mirabiliter Dei virtute * perlata, alterum socios præ- venit ad littus. Hæsitandum non est de operibus Dei: nam qui transituro populo mare rubrum potenter divisit, & Heliæ Jordanem aperuit, & Petrum supra aquas currere fecit; ipse quomodo voluit, virginem suam transvexit.

al. prolata

CAPUT VI.

Appulsus in Cornubiam.

SOcii verò datis velis æquoreos fluctus secantes, prospero cursu applicuere Cornubiam, ad portum, qui vocatur Heul, ubi jam prævenerat eos sacra virgo Hya potentiâ Dei transvecta: & descendentes de navi quoddam habitaculum non longè à littore invenerunt, in quo virgo quædam sancta manebat inclusa; & nolens Sanctus Guignerus eam inquietare, salutatâ virgine ad alium locum transiere pransuri: ubi cùm aquam deesse cerneret Sanctus, plenâ de Jesu Christo fiduciâ præsumens, oratione præmissâ baculum in terra fixit, & confestim limpidissima aqua Sanctorum prosilivit in hausum. Post cibum verò proficiscentes inde, ad villam quandam, quæ vocatur Conetconia, pervenerunt: ubi quædam mulier fidelis & timens Dominum, nomine Coruria, non modicam eis exhibuit benignitatem. Nam cùm omnes habitacula ejus capere non possent; nec habere stramen, in quo omnes possent pausare; detectis domibus, culmum, quo operiebantur, in Sanctorum * accubitum commodavit: vaccam unam eis mulier charitate plena in cibum dedit; quâ occisâ, & ejus carnibus, prout oportuit, diligenter paratis, pariter comederunt. De-

al. accubitu

Digitized by Google

nique cœnâ in gratiarum actione completâ, jubet sanctus Fingar nudata carnibus ossa omnia congregari in unum, & desuper ejusdem vaccæ pellem deponi. Tum Confessores Christi omnes, qui cum eo erant, ad orationem invitat, dicens: Oremus, fratres, ut Deus pro cujus amore mulier officiosissimè nobis istam servivit vaccam, ei restituat. Et oratione completâ sub omnium oculis stans pulchrior, quàm antè fuerat, vacca apparuit. Deinde de lacte ejus sibi offerri mandavit: quo hausto, simpliciter deprecatus est Deum ut vena lactis uberior, quam in aliis vaccis triplicaretur in illa: quòd non solùm in ea, sed * in omnibus, quæ ex ea processerunt, factum esse narratur. Mane autem facto, cùm jam iter agere vellent, respicientes viderunt omnia habitacula retecta & reparata; ita ac si nunquam discooperta fuissent. Tunc fideles, qui, prævio S. Guignero, Christi vestigia sequebantur, per singula loca cernentes multiplicari mirabilia Dei, magis magisque confortabantur, & in fide & amore Christi confirmabantur. Et bene Christus debuit talibus consolationibus suos confirmare testes, & consolari; quos per palmam martyrii in proximo dispositos coronare. Mane autem facto, pergentes gradiebantur per loca quædam silvestria.

al. omis. in

CAPUT VII.

Martyrium Fingaris, & Sociorum.

SOnuerat iam, pervulgante famâ, in auribus Theodorici Regis Cornubiæ, in terra, scilicet, sua, Christianam multitudinem advenisse: & timens odibilis Deo tyrannus ne populum suum ad fidem Christi vellent convertere, conglobatis militibus ad locum ubi Sanctos esse cognovit, truculentior ferâ cucurrit. Non expectat causam, rationem non quærit, non vult audire sermonem: sed veniens improvisus à tergo, subitò oves Christi leo cruentus aggrediens, perimit, trucidat, atque prosternit. Cæduntur Sancti, truncantur, dilaniantur, & alii amputatis capitibus, alii confossi gladiis inhumanè, alii trucidati, omnes unâ die Christi Martyres effecti, sacræ mortis compendio, perennis vitæ bravium perceperunt. Paululùm S. Fingar tunc fortè separatus à suis in valle quadam residens operiebatur sequentes. Ubi cùm solo baculum, quem manu gestabat, fixisset: mox * ut ad se cambutcam retraxit, fons à terra fœcundus eripuit; qui utrinque duplici saxo decenter inclusus, usque in hodiernum diem copiosa vena flustrare non cessat. Et subitò audiens murmur in comitatu exurgere, miratus quid esset, festinans ad Sanctos regreditur: cernensque passim immolari hostias Christi, & hostilem gladium * confusè per Sanctorum membra discurrere: paucis, qui cum eo erant, ait: Ecce, fratres, hîc est locus pausationis nostræ, hîc providit Deus finem dare nostris laboribus. Venite ergo, fratres, & libenter immolemur pro eo, qui animam suam dedit redemptionem pro multis. Non timeamus eos, qui corpus occidunt; sed illum potius, qui potestatem habet & corpus & animam mittere in gehennam. * Et occurrens tyranno: Facis, inquit, fili Diaboli, opera patris tui. Et Tyrannus ad eum: Tu, inquit, manus meas non evades, non effugies gladium. Tunc Sanctus in hilaritate offerens acceptabile sacrificium Deo: baculo, quem manu gestabat, ex latere fixo cervicem prærendit * intrepidus ut ictum reciperet ferientis. Immanissimus verò Tyrannus, * arrepto mucrone, fortiter nudam cervicem percutiens, amputato capite, Christi Martyrem fecit. Et confestim sacri corporis truncus caput, machærâ lectoris propriâ de cervice truncatum de terra collegit; & in montem, qui non longè distat à loco, propriis manibus poplite firmo incedens portavit. Erat villa quædam, in ejusdem latere montis sita, in qua cùm mulieres litigantes audiret, litem loco imprecatur æternam, ut inibi habitantes inter se litigare nunquam desisterent. Unde, ut fertur, terra, licèt fructifera, manet tamen inhabitabilis: in uno fœcunditatis gratiam retinet; in altero Sancti maledictioni subjecta Sanctus igitur Martyr nolens, pro tumultu, in loco requiescere; resumpto iterum capite, alium vectitavit ad locum; ubi ipsum deponens, caput cruentatum diligenter lavit: in quo loco gratissimus fons jugi rivo usque hodie emanare non cessat; lavatumque diligenter resumens, portavit iterum illud in alium locum. Qui locus ab eo, in quo Sancti Martyres passi fuerant, interjecto parvo spatio cujusdam saltus * ali. quantulum disparatur. Locus, qui de corpore Sancti venam sanguinis * defluentem suscepit, apertus continuò fontem edidit fœcundum, qui usque hodie monstratur cernentibus. Unus autem ex militibus cùm sancti Martyris baculum ab eo loco, in quo eum proximus passioni defixerat, rapere vellet: cernit bifurco ramo duplicem jam erupuisse in frondem; & tanto tremefactus miraculo, non est ausus eum contingere. Cernitur usque hodie in testimonium Sancti excelsa (ut dicitur) arbor ex baculo, virtute Dei exaucta; sed cujus sit generis ignoratur.

al. mox ad se cambucam

al. em. confusè

al. em. Et occurrens Tyranno:

al. em. intrepidus al. erepto

al. em. aliquantulum.

al. reflorescentem.

CAPUT VIII.

Sepultura Sanctorum Martyrum.

SAnctorum adhuc corpora per campum inhumata jacebant: & ecce nocte quadam testis Christi eodem schemate, quo super montem in ulnis proprium caput detulerat, cuidam viro nomine Gur, tertio in visu apparens, ut se sepeliret monebat. Expergefactus homo uxori visionem per ordinem narrabat, quomodo videlicet de sepultura esset persuasus à Sancto. Mulier autem dissuadebat fieri, ne fortè Regis iram incurreret; & ob hoc mortis sententiam mereretur. In crastinum verò cum canibus in campum venaturus egrediens, cervum repetit; qui canum pernicitate infectatus fugiens, ad S. Martyris glebam procumbit, tanquam ejus flagitaturus sanctitatis præsidium. Definunt canes latrare, ac persequi cervum: & omni feritate laxatâ, pariter cum cervo quasi Sanctum venerantes decumbunt. Contemplatur homo grande spectaculum; & repercussâ mente in se reversus, quæ viderat noctu recogitans, divino illuc nutu se reputavit adductum. Et accipiens corpus sanctissimi Martyris, veneratione qua potuit, tumulavit. Deinde sanctorum Martyrum corpora studiosè per campum requirens, sicuti jacebant, in campo sepelivit.

CAPUT IX.

Basilica in eorumdem honorem: & mira ibidem Divinitùs edita.

POst tempus aliquantulum, cùm jam vinea Domini Sabaoth, id est, Ecclesia Cornubiæ terminos occupare cœpisset: inchoata est devotione fidelium super sepulchrum sancti Martyris Basilica. Et cùm artificibus, qui in opere Oratorii laborabant, necessaria deessent, nec aliquis ministraret: Sanctus * suorum recordans, qui ejus devotione famulabantur obsequiis, provincialibus circumquaque in visu nocte apparens monebat singulos, ut operariis cibum & necessariam opem ferrent auxilii. Venit tandem ad hominem quendam, qui tantum habebat indomitum, monèt ut ad operarios ductũ * eum eis largiretur in cibum. Mane autem facto, sollicitus homo de visione Sancti, cœpit cogitare qualiter posset animal cervicosum ac superbum valde subigere, loríque arctatum,

al. em. suum

itized by Google

quò ſanctus Martyr mandaverat, ducere. Et conſcenso equo, ut quæreret taurum, egredientes cernit priùs indomitum, modò Dei virtute manſuetiſſimum animal aſtare pro foribus, qui ſponte ante dominum gradiens manſuetus recto itinere pergebat ad locum, ubi artifices in opere oratorii laborabant. * Mactatur beſtia, & cernentes Martyris ſibi adeſſe auxilium, operi de cætero devotiùs inſtiterunt. Aliud quoddam memorabile & dignum relatione in ejuſdem quoque fertur baſilicæ conſtructione contigiſſe miraculum. Unus quidam ex iis artificibus, qui in opere laborabant, cùm in ſecuri incuteret, confracta in duo fruſta diviſa eſt. Turbatus homo, jurare cœpit & obteſtari ſe in opere de cætero nihil facturum. Quod cùm audiſſet operis procurator (vir quidem bonus, qui pro Deo baſilicæ curam ſuſceperat, & devotè ſe mancipaverat obſequiis Sancti) cœpit conſolari hominem, & blandis triſtem demulcere alloquiis: & accipiens fruſtà in nomine Jeſu Chriſti, & fractionis ruinas conjungens, confeſtim meritis Martyris glorioſi compaginatum & conſolidatum eſt ferramentum: ita ut * nullum de cætero fracturæ veſtigium appareret. Laudatur Deus in commune, & benedicitur; & homo, qui ſe de cætero nihil facturum juraverat, tanto confortatus miraculo fortior jam perſtitit in opere.

CAPUT X.

Illata cœlitùs ſupplicia in ſacrilegos.

SEd quoniam Sancti exorſus ſum enarrare virtutes; illud inferendum credidi lectioni, quod & incredulis metum incutit, & univerſos de Sanctorum reverentia monet. Cùm ſuper ſaxum quoddam, quod fuerat anchora navis ejus, in contemptum ſancti Martyris, duo milites inſultando urinarent; utrumque confeſtim divina ultio percuſſit. Ambo enim arrepti a dæmone, alter eorum linguam fruſtatim conciſam dentibus maſticavit; alterius viſcera per poſtrema diffuſa ſunt omnia: ſic uterque exitu expiravit horrendo. Ecce ex hoc poteſt ſatis perpendi quantâ Sanctos vult Deus reverentiâ honorari, quorum contemtum tam diſtricto diſponit examine expiari. Super ſarcophagum venerabilis cujuſdam Epiſcopi, qui de contubernalibu fuerat Regis Clitonis, corruptor quidam gremia cujuſdam mulieris inceſtare præſumpſit, qui more canum in ipſo opere turpitudinis inſeparabiliter copulati, nullâ poterant ratione ab invicem ſeparari. Adducuntur tandem ad memoriam Martyris glorioſi Guigneri; ubi merito teſtis Chriſti, & interceſſione fidelium liberantur. Habebat præterea ædituus Martyris ſacri vaccam; quam cùm ſcelerati homines quidam furati fuiſſent, ducentes, ſuper cornua ejus ſubitò duo luminaria ardentia conſpexerunt: & tanto tremefacti ſpectaculo, redeuntes in craſtinum, vaccam Sacriſtæ propriam reddiderunt; & aliam pro ſatisfactione commiſſi ſimul & pro indulgentia, ſupplicantes dederunt. Terra, cum fide & devotione, ſancti de tumulo ſumpta, per meritum Martyris pellit languores, & perficit ſanitates.

Hæc ego ſervus Chriſti Jeſu Anſelmus de paſſione Sanctorum, & virtutibus Martyris pretioſi Guigneri, juxta fidem narrantium, brevi ſtylo digeſſi; ut habeant fideles, qui ejus * ſpeciali titulo gloriantur, quibus ſe lectionibus occupent, & patroni propria fortia geſta cognoſcant: & ob hoc nomen meum in fine ſubjunxi, ut per meritum Martyris, & orationem fidelium, miſericordiam merear Redemptoris Jeſu Chriſti Domini noſtri, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus, per omnia ſæcula ſæculorum.

JUDICIUM DE STABILITATE
Monachi in loco quem poſuit.

TRia ſunt capitula, pro quibus mutare licet loca, in quibus ſe ſtabiles eſſe promiſerunt religioſi. Primum eſt, nimia paupertas. Secundum, perſecutio nimia. Tertium, irreligioſitas. Nam ſtabilitas in loco non promittitur niſi propter Regulam ſervandam: quæ non conſtat in præceptis, ut multi æſtimant, ſed inſtitutionibus. Aliter enim tranſgreſſores eſſent, quicunque per omnia Regulam non ſervarent. Nec de præceptis in arbitrio poneretur. Inſtitutiones verò mutari, & fieri poſſunt ab Abbate, ſi magis utiles ſunt ad puritatem mentis, quæ ſola quærenda eſt coram Deo; & pro qua ſola laborandum: non curandum de toto exteriori habitu qualis ſit, ſed quod ſcandalum non faciat. Inde Lanfrancus ad quendam Monachum. Indicatum eſt mihi quia de monaſterio tuo recedere vis: ſed de promiſſa ſtabilitate ſollicitus es, ne unde Deum placare debes, inde magis offendas. De quo rationem oſtendo, & in oſtendendo me in exemplum ſic do. Si ego Lanfrancus manu propria me de aliquo monaſterio non receſſurum juraſſem, & viderem hoc quod animam meam ſalvare non poſſem; exirem, nec perjurii crimen incurrerem. Qui enim Deo propter Deum alligatur, non ab ipſo niſi contra ipſum ſolvitur. Porrò ab ipſo contra ipſum non ſolvitur, qui propter amorem ejus, ut ei bene placeat, à filiis ſuperbiæ & diffidentiæ, a filiis diſcordiæ (& ut apertiùs dicam) à filiis diaboli migrat ad filios pacis & ſpei, humilitatis innuo filios Dei. Qui enim ſic tranſit, nonne fugit a ſede diaboli ad ſedem Dei? Qui autem judicent eum damnandum à Deo, qui ut ad patrem, ut ad Deum, ut ad amicum, fugit ad ipſum? Præterea qui ſic tranſit, non ab Eccleſia ad Eccleſiam tranſit: Non enim plures ſunt Eccleſiæ, ſed una eſt toto orbe terrarum diffuſa, & uni Deo ubique ſervitur, uni regi militatur. Poſtremò beatus Benedictus qui ſtabilitatem præcepit firmare monachum, ab alio monaſterio ad aliud venientem jubet ſuſcipi: & ſi bonæ vitæ fuerit, & ſtabilitatem ſuam firmet, ſuadet. Quàm dubia & brevis ſit vita hominis, & quàm infinita ſunt, quæ ſequuntur bona vel mala, inceſſanter memorare.

Digitized by Google

Ex Mſ. bibliot. S. Remig. B. 10. & ex Mſ. Viennæ CC. 9. & ex Mſ. San. Germanenſi.

DISPUTATIO
JUDÆI CUM CHRISTIANO
DE FIDE CHRISTIANA.

SCRIPTA A DOMNO GISLEBERTO ABBATE WESTMONASTERII.

Hactenus inedita.

EPISTOLA.

Giſlebertus hanc diſputationem examinandam ad S. Anſelmum tranſmittit.

REVERENDO Patri & Domino Anſelmo ſanctæ Cantuarienſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, ſervus & filius ſuus Frater Giſlebertus, Weſtmonaſterii * Cœnobii procurator & ſervus: proſperam in hac vita diuturnitatem, & beatam in * futura æternitatem.

Mſ. Rom. & Vat. futuro

PAternitati & prudentiæ * veſtræ diſcutiendum mitto libellum, quem nuper ſcripſi paginæ commendans quæ Judæus quidam * olim mecum diſputans, contra fidem noſtram de lege ſua proferebat, & quæ ego ad objecta illius pro fide noſtra reſpõdebam. Neſcio unde ortus, ſed apud Moguntiam litteris educatus, legis & litterarum etiam noſtrarum bene ſciens erat, & exercitatum in ſcripturis atque diſputationibus contra nos ingenium habebat. Plurimùm mihi familiaris ſæpe ad me veniebat, tum negotii ſui cauſâ, tum me videndi gratiâ: quoniam in aliquibus illi multùm neceſſarius eram: & quotiens convenieba- B mus; mox de ſcripturis, ac de fide noſtra ſermonem habebamus. Quadam ergo die ſolito amico animo * habebamus. Quadam ergo die ſolito majus mihi & illi Deus * otium conceſſit; & mox unde ſolebamus inter nos quæſtionem cœpimus. Et quoniam quæ opponebat, convenienter ſatis & conſequenter opponebat; & ea quæ oppoſuerat, non minùs convenienter proſequendo explicabat: noſtra verò reſponſio vicino ſatis pede ad * oppoſita illius reſpondebat, & ſcripturarum æquè teſtimonio * nitens * eadem ipſi * conceſſu facilis eſſe videbatur, & approbanda: Rogaverunt quidam, qui aderant, ut memoriæ darem noſtrã hanc * diſceptationem fortaſſe aliquibus profuturam. Scripſi igitur, & tacito mei & ipſius nomine ſcripſi ſub perſona Judæi cum Chriſtiano de fide noſtra diſceptantis, ſcriptumque & exaratum hoc opus veſtræ tranſmitto examinandum cenſuræ. Si res approbanda eſt, veſtro placebit approbata judicio: ſi vero reſpuenda eſt, ſeu tota, ſeu pars ejus aliqua, quicquid reſpuendum erit, accipite amico dictum in aure; & quia ſoli amico innotuit, ſilentio ſupprimatur, nec alicui hæc ad legendum pagina communicetur: ſalvo quidem amore mutuo, & integra prorſus pace mutua, deleatur quidquid delendum eſſe vobis placuerit; aut * corrigatur, ſi quid eſt quod * corrigi poſſe * tibi viſum fuerit. Fateor quamlibet, * protuleritis ſententiam, animo libenti excipiam, & aure obtemperanti audiam. Tamen quidam ex Judæis, qui tunc Londoniæ erant, opitulãte miſericordia Dei, ad fidem chriſtianam ſe convertit apud Weſtmonaſterium; coram omnibus fidem Chriſti profeſſus baptiſmum petiit, accepit: & baptiſatus Deo ſe inibi ſerviturum devovit, & monachus factus nobiſcum remanſit.

Mſ. San. Ger. propoſita Mſ. Vill. ad propoſitum Mſ. Vill. ut ceteri, eidem Mſ. R. conceſſa Mſ. Vill. San. Ger. diſceptationculam

Mſ. Vill. recipiatur ... ſcenat

Sic ergo Judæus ille diſputator, aliis pluribus interpoſitis, me provocando adorſus eſt.

DISPUTATIO

Ms. Remens. Disputatio Judæi & Christiani.

DISPUTATIO
JUDÆI CUM CHRISTIANO
DE FIDE CHRISTIANA.

JUDÆUS.

Ms. Vill. non habet nomina hæc interloquentium, Judæus, Christianus.

QUia Christiani dicunt te litteris eruditum & facultate dicendi expeditum, vellem ut toleranti animo mecum agas, qua ope rationis & quo auctoritatis testimonio Judæos culparis, quia legem à Deo datam observamus, & Moysi legislatori obsecundamus. Si enim lex bona, & a Deo data est; observanda est: cujus enim decretum observandum erit, si Dei mandatum non est observandum? Si verò lex observanda * est; cur ejus observatores canibus assimulatis fustibus, extrusos usquequaque insectatis? Si verò eam minimè observandam dicitis; culpandus est Moyses, qui nobis eam adeo inani vanitate tradidit observandam. Quòd si partè excipiendo, id observandum esse dicitis? illud verò minimè observandum vel abolendum esse censetis; date consilium quomodo effugiemus illud indictum à Deo maledictum, *Maledictus, qui non permanserit in omnibus quæ in lege scripta sunt.* Legislator nihil excipit, sed universaliter ea omnia mandat observari: Vos autem ad vestrum arbitrium, legis & mandatorum observantiam determinatis. Et ut scias quia his in rebus rationi potiùs vacare volo, quàm contentioni; ab aliis secedamus, * & cui nostrùm favor audientium applaudat * omnino recusemus.

Ms. Vill. erit

Ms. Rem. & ne cui... animo recusemus.

CHRISTIANUS.

Rationabiliter satis hæc omnia tu requiris, & hæc omnia quæri convenit; sed a te * vice pari requiro ut mecum animo patienti agas. Nam si modus altercationis nostræ is habeatur, ut concedas quidquid tuæ legis pagina testatur, vel ratione tam evidenti astruitur, ut à te nulla evidentiori refuteur; præsto sum ut de his tecum agam, & undecumque volueris: idque potius * veri causâ & tui * amore facio, quàm studio disputandi: nec hominũ acelamationes curo; sed vincat cui ratio attestabitur, & Scripturæ auctoritas contestabitur. Primùm itaque legem bonam & à Deo datam esse dicimus, tenemus, astruimus; ac proinde quidquid in ea scriptum est, divino sensu intellectum, suis temporibus observatum, & observandum esse sancimus. Divino quidem sensu legis mandata intelligenda esse dicimus, quia si humano sensu ea omnia & ad litteram accipimus, multa sibi invicem adversantia & multùm repugnantia videmus. Cùm enim peracta creatione mundi Moyses dicat: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona*; quomodo in * discretione animalium postea scribit hæc munda *, & illa animalia esse immunda: his uti permittit; illa non solùm non tangere, sed eum qui tetigerit morte mulctari & puniri mandat? Quomodo enim est immundum, quod est valdè bonum? Ubi enim cuncta nominavit, & valdè bona esse dixit; neque hoc, neque illud animal excepit. Quomodo igitur Deus cuncta creavit valdè bona animalia; & postea vetat comedi hæc vel illa animalia: & causam reddit dicens, ea esse immunda animalia?] nec solùm ea prohibuit quæ sui naturâ homini ad vescendum noxia sunt; verum & multa quæ gustu jocunda, & usu æquè salubria ad comedendùm existunt. Aliquid ergo Sacramenti hæc in se continent, quæ licet à Deo dicta sint, tamen à se invicem ad litteram omninò dissidens. * Sacramentum sacræ rei latens signum esse dicimus.] Item scimus quia dixit Deus ad Adam; *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem * super terram semen, & universa ligna quæ habent in semetipsis * semen. sem generis sui, ut sint vobis in escam.* Qua igitur ratione dedit Deus primo homini universa ligna in escam, & statim postea prohibuit ne sumat de ligno scientiæ boni & mali in escam? Ubi universaliter ligna concessa homini commendat, nullum exceptum fuisse lignum insinuat. Non igitur absque mysterio id accipiendum est. In Exodo inter alia præcepta de faciendo Altari Dominus Moysi ita præcepit. *Altare de terra facietis mihi, & offeretis super illud holocausta & pacifica vestra*; & de qua materia * altare fieri liceret, & quomodo ita subdidit: *quòd si de lapidibus illud ædificare volueritis, de non sectis lapidibus ædificabitis illud.* In expletione autem tabernaculi, & vasorum, atque utensilium tabernaculi, ita legitur: *Fecit Moyses altare thimiamatis de lignis sethim, habens per quadrum singulos cubitos, & in altitudine duos.* Et post pauca: *fecit & altare holocausti de lignis Sethim, quinque cubitorum per quadrum, & in altitudine trium.* Non temerario quidem ausu seu præsumptione fiebat, quod tam discreta dimensione altitudinis & quadraturæ fiebat. Item post aliquanta: *fudit bases æneas in introitu Tabernaculi, & altare æneum cum craticula sua.* Item in fine: *candelabrum stabit cum lucernis suis, & altare aureum; in quo adolebitur incensum coram area testimonii.* Quomodo ergo jubet Deus ut altare de terra faciatis, & super illud holocausta vestra offeratis: econtra Moyses altare thimiamatis fecit ligneum: fecit & altare holocausti ligneum: fecit altare æneum, fecit & aureum, fecit etiam aliquando lapideum? Multùm itaque adversum videtur ut aliud & aliter quàm Dominus per Moysem jubet, ab ipso Moyse agatur aliter ergo quàm littera sonat, & hoc accipi oportet. Rursum cùm ea omnia humanis usibus Deum creasse Moyses

Ms. Vill. vicem pari

Ms. V. & R. causâ fidei Ms. San. Ger. omnino

Gen. 1. v. 31.

Ms. Vill. distinctione

A

B

C

Ms. Vill. sac. Germ.

Gen. 1. v. 29.

Ms. Vill. in terra

Ms. Vill. semen.

Exo. 20. v. 24.

v. 25.

Ibid. 37. v. 25.

Ibid. 38. v. 1.

v. 30.

Ibid. 40. v. 4. & 5.

dicat, eaque omnia homini ſubdidiſſe commemoret, A
Gen. 1. v. 26. *ut præſit*, inquit, *piſcibus maris, volatilibus cœli, animantibus terræ, & omni reptili quod movetur in terra:* cur poſtea vetat ne homo aret in bove & aſino? onus aliquod, quodcumque tibi placet, aſino imponere licet: & ponere jugum bovi cum aſino quare non licet? Ad paſcua ducere bovem cum aſino licebit, & in paſcuis ea ſimul eſſe & compaſci lex permittit: & arare ea ſimul prohibet & interdicit. Si autem propterea venit, quia hoc immundum animal lex dicit: quare circa illud cætera, quæ dicta ſunt, permittit; ſolùm arare excipit? Equus in lege immundum animal eſſe perhibetur, & alia multa; nec tamen arare bovem cum equo vel alio animali immundo prohibetur in lege. Hanc non ſolùm in his, quæ dicta ſunt, mandatis; ſed etiam in
Mr. San. Ger. inſtituit. quampluribus aliis legalibus * cerimoniis contrarietatem videmus; niſi ea competenti ſenſu intellexerimus. Diſcretò itaque & divino ſenſu hæc intelligenda & diſcutienda ſunt: quia fieri non poteſt, ut ad litteram ſumpta ea omnia impleantur. Si verò legem debito ſenſu accipimus; omnia legis mandata debitâ obſervatione obſervare poterimus: * quædam ad litteram, & ſine ullo figurarum profundo; quædam figuratum velamine adumbrata eſſe intelligo. Quædam ad tempus obſervari juſſa ſunt; quædam ſine ulla temporum determinatione obſervanda ſunt. * Quæ enim ſacra-
Mr. San. Ger quædã enim ſacramenta. menti alicujus prænunciativa erant, & veritatis futuræ figura; ſuo tempore manifeſtatâ rei atque veritatis præſentiâ, non oportuit ut eorum remaneret prænuntiatio & figura. Num ſicut ipſo uſu loquendi, verborum utimur viciſſitudinibus dicendo, erit, quamdiu futurum eſt; ipſumque erit, prorſus omittentes in præſenti, eſt, aſſumimus; quodque ipſum jam præteriiſſe ſignificantes, utimur, fuit: ſic in rebus prænuntiativis alicujus ſacramenti, ubi præſens manifeſtatur ſacramentum, ejus jam ſuperfluò ſervaretur ſeu figura ſeu ſignum. Quæ verò alicujus myſterii ſignificativa non erant, ſed apertè ſeu fidei veritatem inſinuant,
Mr. Rem. veritatis ſeu * charitatis ædificationem commendant; ea & à nobis & à vobis non ad tempus, ſed in perpetuum obſervanda ſunt, eorumque tranſgreſſio nullatenus eſſe poteſt inulta. Harum quæ in lege erant figurarum veritas tamdiu & per tot ſæcula expectata, tandem erat aliquando exhibenda. Num- D
Pſ. 77. v. 2. quid ſemper promittendum erat: *aperiam in parabolis os meum: loquar propoſitiones ab initio?* Numquid ſemper futurum erat, *donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium?* Tandem ergo
Gen. 49 v. 10. prædeſtinatis à Deo temporibus venit mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus aperiens nobis ſenſum, ut intelligeremus Scripturas; diſſolvens profunda myſteria, quæ de eo in lege & Prophetis ſcripta erant, in quem te oportet credere.

JUDÆUS.

Si ad tempus hoc vel illud ſermo Dei ſervandus eſt; eoque tunc adnullato, item alius ad aliud tempus obſervandus eſt; ſicque per temporum viciſſitudines, E
* Pſ. 61. v. 12. divinæ immutantur ſanctiones: quomodo ſtabit *ſemel locutus eſt Deus?* Quo pacto ratum erit *in æternum, Domine, verbum tuum permanet in cœlo?* Quid, quæſo, mea intereſt cur Deus hoc animal mundum, illud immundum judicet; hoc uti permittat, illo uti prohibebat? Quis enim adjuvit Spiritum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit, ut iſtud agi permittat; illud fieri prohibebat. Juſſit: * obſequendum
Mr. Rem. obſervandum. igitur eſt; eique obſequi ſumma virtus eſt. Prohibuit: fieri igitur jam non licet; idque ſi poſtea fiat, peccatum eſſe dicimus, ac debitâ pœna puniendum.

Ut ergo ſervemus litteræ figuram, contemnemus litteram? ut ſervemus alterum, quæ ratio eſt * damnare alterum? Servemus litteram ſervemus & litteræ figuram. Maneat parvo ſenſui noſtro littera, maneat & veſtro; atque addatur ſpiritualis & conceſſa * nobis à Deo myſterii latentis intelligentia; abſtinea mus à porco, quia lex jubet; abſtineamus & ab eo ſi * quod eſt, quod per porcum ſignificatur, * peccato. Non aremus in bove & aſino, quia id Legiſlator prohibuit: & ſi qua evitanda * intellexeris per hanc aſini & bovis copulam, fas eſt evitare; immò peccatum eſt non evitare. Ita & de cæteris. Ita enim lex adimpletur, & adimplenda eſſe cenſetur. Sed ita his prælibatis ad Chriſtum veniamus, in quo quæſtionis & controverſiæ cauſa tota conſiſtit: nam eum novi cultus, novarum inſtitutionum ac B * legis prorſus immutatæ dicitis vos habere auctorem, in quem dicis quia oportet me credere. Chriſtum credo Prophetam quidem omni virtutum prærogativa excellentiſſimum, & Chriſto credam: ſed in Chriſtum neque credo, neque credam; quia non credo niſi in Deum, & in unum. *Audi*, inquit, *Iſ-* Deut. 6. v. 4. *rael, Deus tuus, Deus unus eſt:* unus, non triplex, ſicut vos Chriſtiani & negando dicitis, & dicendo negatis. Dicitis enim, Deus eſt Pater, Deus eſt Filius, Deus eſt Spiritus ſanctus; alius Pater, alius Filius alius Spiritus ſanctus; & tamen non tres Dii, ſed unus eſt Deus. Dicitis utrumque: qui vult credat vel alterum, vel utrumque. Iſrael verò noſtra gens audit & credit, *Deus tuus, Deus unus eſt:* non creatus in C tempore, non factus ex muliere, quoniam ſi propriè dici poſſet; antequam tempus fuit, ipſe fuit: tempus ipſe creavit, & ſub tempore cœlum & terram & quæ in eis ſunt omnia, ipſe creavit. Sequitur aliud in decalogo mandatum. *Non aſſumes nomen Dei* Ex. 20. v. 7. *tui in vanum:* In vanum nomen Dei aſſumet, qui homini nomen cultumque Divinitatis attribuit. * Mr. San. Ger. vanit. Nam ſi vanitas eſt omnis homo vivens, qui hominem Deum credit, & Deum appellat, homini nomen cultumque Divinitatis attribuit. Non igitur credo in Chriſtum, neque ſpes mea eſt in Chriſto: quoniam *beatus vir, cujus eſt nomen Domini ſpes* Pſ. 39. v. 5. *ejus.* Sed Chriſtum credo, & Chriſto credam, cùm venerit; quoniam de eo Moyſes teſtatur & dicit: *Prophetam ſuſcitabit vobis Deus* de fratribus veſtris, Deut. 18. v. tanquam me audietis eum. Et quoniam votis omni- 15. bus optandum erat ut veniret, & quo ſigno adventus ejus dignoſci poſſet: Audi quid ſuper hoc Iſaias Propheta denuntiat: *Erit in noviſſimis diebus pra-* Iſ. 2. v. 2. & 3. *paratus mons domus Domini in vertice montium, & fluent ad eum omnes gentes, & dicent: Venite aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob.* Si ergo Chriſtus jam venit; ubi in toto orbe terrarum, præter pauculam gentem Judæorum, dicitur: *aſcendamus ad domum Dei Jacob?* Alii veſtrûm dicunt *eamus ad domum Petri*, alii *ad domum Martini.* Nulli verò dicunt: *Eamus ad domum Dei Jacob.* Audi adhuc de adventu Chriſti ſequentia: *& conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas* Ibid. v. 4. *in falces. Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium.* Numquid nam ordo militaris noſtrâ hac ætate conflat gladios ſuos in vomeres, & lanceas * in falces? Vix fabri ſufficiunt, vix ferrum ſufficit fabricandis militaribus armis. Ubi terrarum inveniri poteſt, *non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium?* Ubique * orbis terrarum vicinus inſidiatur vicino, opprimit, necat; gens contra gentem effuſis viribus prælietur: regnum adverſus regnum excitatur, & ab ineunte ipſa puerili ætate quiſque exercetur ad prælium. Conſtat ergo quia vos Chriſtiani longè de Chriſto & de ejus adventu erratis.

Digitized by Google

CHRISTIANUS.

Revera semel locutus est Deus; & nefas est ut umquam ullus sermo Dei annulletur: divinæ sanctiones non immutantur per ullas temporum vicissitudines, quia Christus non venit legem solvere, sed
Matth. 5. v. 18. adimplere. *Amen*, inquit, *dico vobis, iota unum, aut unus apex, non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Numquid vult Christus legem damnare, qui comminatur inquiens, *iota unum aut unus apex non præteribit à lege donec omnia fiant?* Non eam igitur vult solvere, sed adimplere. Lex prohibet homicidium; Christus iram & odium: lex prohibet adulterium carnis; Christus ipsum etiam
Mss. San. Ger. omnis Mss. Vill. cur ne: & ipsum abstinentia tunc vobis necessaria erat. appetitum * cordis. Vobis lex prohibet uti porcinæ: * & ea tunc ab eo animante abstinentia vobis necessaria erat, quoniam veritatis futuræ figura erat, & figura servanda erat; donec adesset ipsa veritas. Nunc autem nobis seu vobis necessaria non est, quoniam ipsa figuræ veritas jam præsens adest. Quamvis abstinere liceat, & multi nostrûm abstineant non solùm ab ea, verùm & ab omni carne alia; magno & eodem judice, quisquis nostrûm se tuetur. Moyses carnem suillam immundam appellat, uti eâ prohibet: & propterea dicitis quia ea uti non licet. Moyses non alius, sed idem ipse carnem suillam dicit mundam & valde bonam, & eam ad vescendam sicut cætera scribit Deum fecisse bonam: & ideo
Mss. San. Ger. enumeravit dicimus quia uti eâ licet. Postquam enim * enunciaverat Deum creasse universa, pisces maris, volucres cœli, cuncta animantia terræ, in quibus
Gen. 1. v. ult. est anima vivens; non longè infra subdidit: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* Quod valdè bonum est, ex nulla parte malum est. Quod verò nulla ex parte malum est; quomodo malum & immundum est? Quicquid ergo naturæ à Deo factæ in carne suilla consideratur, mundum & valdè bonum est, atque uti licet. Quia verò per hoc animal, voluptas & immunditia figuratur; immundum, propter hoc,
Mss. San Ger & V. omit. hoc animal esse designatur, * ut vitium hoc studiosiùs caveatur, etiam animal ad vescendum interdicitur, per quod designatur]: & ea immunditia
Mss. Rem. & ergo uti non licet. * Si ergo mundum & immundum esse hoc animal intelligitur, & eo uti & non uti à Deo nobis permittitur: unde & sacra testatur auctoritas: *Non quod intrat in os, coinquinat hominem;*
Matth 15 v. 11. Mss. Vill. omit. *sed* * *quæ de corde exeunt, fornicationes* & cætera, quæ enarrat vitia, *ea coinquinant hominem.* Non itaque caro suilla, quæ in os intrat, coinquinat
Mss. R. & San. Ger. & immunditia hominem; sed voluptas, * & immunda voluptatis cujuslibet concupiscentia, quæ de corde procedit, ea coinquinat hominem. Propter hoc
1. Cor. 10. v. 27. Vulg. Omnia, quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Apostolus * quoque Paulus ait: *Omnia, quæ vobis apponuntur ad vescendum, sumite cum gratiarum actione; nihil interrogantes propter conscientiam.* Eadem ratione licet arare in bove & asino, & * prohibetur ne aremus in bove & asino. *Numquid de bobus*, ut ait Apostolus Paulus, *cura est Deo?* An propter nos lex hoc
Mss. San. Ger. prohibimus 1. Cor. 9 v. 9. dicit? Qui ergo terram colit, aret in bove & asino, si melius non potest: quia Deus permittit, quia omnia hæc humanis usibus creavit. Sed quia bos ungulam findit & ruminat, & ad excolendam terram omninò est idoneum animal; rectorem in Ecclesia designat discretum, in his quæ agit sensum habentem, qui rectum discernit à pravo; & qui mandata Dei, quæ audit & quæ legit, meditatur, & meditando ruminat apud se die ac nocte: nec solùm sibi utilis existit, sed alios ædificat, & docendo istruit. Huic tam idoneo prædicatori A non est associandus ad prædicandum verbum Dei alter moribus indiscretus, seu idiota & litteris imperitus; quia non solùm sibi malè vivendo est inutilis, sed malo suo exemplo & immundè vivendo aliis noxius existit. Porrò hæc vitia per asinum designantur, qui neque ungulam findit, neque ruminat; & omninò est inertissimum animal. Quæ verò dicta sunt de faciendo altari; & quare Dominus prohibuit ne homo comederet de ligno scientiæ boni & mali, profundum in se continet mysterium: sed aliàs & ad alios hæc discutienda pertinent. Hæc quidem in figura contingebant, & dicebantur vobis. Scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt; sicut dicit Paulus ex vestra gente noster Apostolus: fines sæculorum sunt novissimi dies, de quibus
B Isaias prænuntiat, dicens: *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium*, ad quem revera confluent omnes gentes, sicut Psalmista quoque prædixerat: *Reminiscentur, & convertentur ad Dominum universi fines terræ, & adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium.* * Universi fines terræ jam credunt in
Mss. S. Ger. omit. Mss Vill. Christum * Deum; jam adorant Christum universæ familiæ gentium; una & concordi voce dicunt. Eamus ad montem Domini & ad domum Dei Jacob; non ad domum Jacob, sed ad domum Dei Jacob, hoc est, ad domum Dei quem coluit Abraham, quem coluit Isaac, quem coluit Jacob, quem coluit Moysen quoque & Aaron; ut ostendant unum Deum esse & eorum qui ante legem fideles fuerunt, & eorum qui
C sub lege extiterunt, & eorum qui nunc existunt credentes in Deum universæ multitudinis gentium. Quod autem dicere nos arguis, eamus ad domum Petri, eamus ad domum Pauli & ad domum Martini; nullus, qui sanè sapit, hoc ita dictum esse intelligit: nullam quippe domum Petro seu Paulo facimus; sed in honorem atque memoriam Petri seu Pauli Deo eam condimus. Nec ulli Pontificum fas est dicere in consecrationibus Ecclesiarum: tibi Petro, seu Paulo, hanc domum, vel hoc altare consecramus. * Sed tibi Deo
Mss. Vill. omit. in honoré Petri seu Pauli hanc domum vel hoc altare consecramus.] Propterea verò hæc domus potissimum appellatur domus Dei Jacob, ac specialiter nominatur Jacob; quia primus omnium legitur Jacob Deo instituisse hanc domum. *Erexit*, inquit, *Ja*
Genes. 28. v. 18. *cob lapidem in titulum, fundens oleum desuper, &*
D *dixit, verè locus iste sanctus est:* & enumeratis quæ viderat, cœlestibus mysteriis obstupefactus addidit:
Ibid. v. 17. *Quàm terribilis est locus iste, non est hic aliud nisi domus Dei & porta Cœli.* Domus ergo Dei nostri est Domus Dei Jacob; quia Deum, quem colimus, coluit Abraham, Isaac quoque & Jacob. In hac domo Dei quotidie divinus sermo recitatur; populus fidelis quæ bona appetat, & quæ mala fugiat, edocetur; ac simul quæ appetendorum sint præmia, & quæ mala quæ agunt pœna comitetur. Inde & forenses causæ à Christianis aguntur, à proximis proximorum calumniæ audiuntur, ac debita cuique reatui pœna infertur. *Non oc-*
Ex. 20. v. 13. Mss. Rem. omnia *cides*, inquit lex, qui autem occiderit, immò sicut Christus ipse adjecit, *qui irascitur fratri suo, reus*
Matth. 5 v. 22 *erit judicio.* * Cui ergo ira & odium tollitur, uti gla-
Mss. San. Ger. omit. cui ergo E dio & lanceâ non permittitur. Qui abrenunciat iræ & odio, facillimum est ut abrenunciet lanceæ & gladio. Multò quippe facilius est conflare gladium suum in vomerem, & lanceam suam in falcem, quàm tumore cordis submisso, humilem fieri ex superbo, servum ex libero; abnegare uxorem, filios, domum, arma, agros, equos, & omnia quæ possidet, adhuc autem ut se ipsum abneget. Quod * tamen sæpenumero fieri videmus videtis & vos, quia * multi olim in rebus sæculi agentes, superbi & potentes, ad bella instructissimi & pugnaces, rapiendis aliorum rebus inhiantes,

propter Deum abnegatis omnibus pompis sæcularibus, pauperrimi sponte per diversa peregrinantes loca, Sanctorum suffragia requirunt, aut quolibet inclusi specu agunt vitam * sub aliquo Prælato. In hujusmodi verò servorum Dei cohabitatione adimpletur etiam illud denuntiatum per Isaiam Prophetam miraculum: *vitulus, leo & ovis simul morabuntur; & puer parvulus minabit eos.* Puer parvulus leonem & ursum cum agno * minat, cùm in Domo Dei pastor æquè nobili quondam & ignobili, potenti & impotenti, forti & infirmo imperat. Puer non sensu, sed malitia: Parvulus non justo regiminis vigore; sed ab omni fastu sæculari aut generis indignitate. Ut igitur breviter dicam, hæc est institutio * vitæ Christianorum; ut quisque diligat proximum, sicut se ipsum; & quod sibi fieri non vult, alius non faciat. Hoc est verbum, de quo ait Apostolus Paulus; *verbum consummans & abbrevians in æquitate posuit Dominus super terram.* De hac verbi consummatione Isaias Propheta dicit: *Consummatio abbreviata inundabit justitiam:* consummationem enim & abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio terræ. De hoc etiam Verbo idem Propheta Isaias prædixerat: *Venite*, inquit, *ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob; & docebit nos vias suas Dominus, & ambulabimus in semitis ejus; quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem.* Quæ, inquam, lex alia de Sion exitura prædicatur? Quod, inquam, verbum Domini de Jerusalem exiturum esse prænuntiatur? lex, quæ per Moysen data est, non ex monte Sion exiit, quia non in monte Sion data * est, sed in monte Sinai. Quæ igitur lex exiit de Sion, nisi lex novi testamenti per Christum data, * quæ de monte Sion exiit, quoniam de monte Sion Christus cœlum ascensurus Discipulis suis legem per mundum universum prædicandam commendavit, *Euntes, inquit, in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ?* Hoc * est illud bonum verbum, id est, Evangelium, quod de Jerusalem exiit, *prædicate Evangelium omni creaturæ: Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* In quo Evangelio vias suas, vias novas edocuit Dominus; viæ veteres fuerunt, *oculum pro oculo, dentem pro dente.* Viæ novæ sunt, *si quis te percusserit in unam maxillam, præbe ei & alteram; Auferenti tunicam, dimitte & pallium.* Viæ veteres fuerunt, *diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Viæ novæ sunt: *si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi.* Hæ sunt viæ Domini: hæ sunt semitæ Domini, per quas perfecti ambulant Christiani: * hanc Christianæ institutionis vitam licet nunc pauci servent Christiani,] quondam servabant Reges, & cum Regibus subditæ eis nationes. Quid verò si potens aliquis, si violentus aliquis pravè agit, & corrigi non vult? *mihi vim inferam*, dicit *Dominus*, & *ego retribuam.* Et quanta erit illa divinæ animadversionis severitas; Audi Psalmistam: *Deus manifestè veniet, Deus noster, & non silebit. Ignis in conspectu ejus exardescet, & in circuitu ejus tempestas valida.* Tamen circa novissima dierum illorum, circa sæculi consummationem hæc mala & multò duriora prænunciata sunt à Christo, & à Propheris ante Christum: *surget*, inquit in Evangelio, *gens contra gentem, & Regnum adversus Regnum, & erunt pestilentiæ & fames, & signa magna erunt: & nisi abbreviati essent dies illi, non fieret salva omnis caro.* Unde in postrema visione Danielis de extremo temporum, & tribulatione illa intolerabili circa finem sæculi, ita legitur: *Et faciet Rex juxta voluntatem suam, & elevabitur, & magnificabitur adversum * omnem Deum, & adversus Deum Deorum: loquetur magnifica: & diriget., donec compleatur iracundia.* Et post pauca: *Veniet*, inquit, *tempus, quale non fuit ab initio, usque ad tempus illud.* De abbreviatione quoque tribulationis ita subdidit: *Usquequo horum finis mirabilium: Et audivi virum, qui erat indutus lineis, jurantem per viventem in æternum, quia in tempus & tempora & dimidium temporis.* In novissimis ergo diebus, id est, vergente mundi vespera, quando venit plenitudo temporis, in qua misit Deus filium suum in terris; pax illa, superiùs dicta, in Ecclesia Dei primitiva fuit, diuque longè latéque permansit. Circa verò finem sæculi, hoc est, circa novissimorum finem dierum, dissensio illa per mundum, & tribulatio, quæ * superiùs dicta est, ebulliet, & sævissima erit; atque jam ebullire cepit. Paucis & succinctè nunc ad ea, quæ de adventu Christi proposuisti, respondimus; responsuri plenius, cùm ad id & tempus nos & ratio perduxerit. Ad Christum redeamus, in quem dixi & dico quia oportet te credere.

Quamvis enim pace mea concedo esse dictum, & salva fidei assertione contestor esse * approbandum, quia non debemus credere nisi in Deum & in unum; tamen dixi & dico quia in Christum te oportet credere.

Nomen Dei in vanum nequaquam assumimus; quia nulli creaturæ nomen cultumque Divinitatis attribuimus; & si quis attribuendum dicit esse, omnino redarguimus: & tamen dixi & dico quia in Christum oportet te credere; quia Christum constat Deum & hominem esse. Licet enim credamus Deum assumptisse hominem in unitatem personæ, & Christum credamus Deum & hominem esse; tamen duas naturas in eo credimus; & omnino discretas utriusque naturæ proprietates asserimus. Manens quippe incommutabiliter Deus id quod erat, assumpsit quod non erat. Verbum quod erat in principio apud Deum, per quod omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil; caro factum est, & habitavit in nobis. Quia ergo Christus Deus est; filius Dei est virtute, non gratiâ, Patri consubstantialis, par & coæternus, ante omnia existens tempora; & in eum credimus.] * Quia verò factus in tempore homo est; filius Dei est, non virtute, sed gratiâ; Deo inferior, minoratus etiam paulominùs ab Angelis, sub tempore factus, natus ex muliere; & in eum * scilicet hominem assumptum non credimus. Item: quia Deus est, nec mori, nec pati, nec nasci potuit: quia homo est, & mori & pati, & nasci potuit, & voluit, & per passionis suæ mysterium à morte nos redemit. Propheta ipse Isaias Deum & hominem futurum esse Christum prænuntians, ait: *Ecce*, inquit Dominus, *ponam in fundamentis Sion lapidem probatum, angularem, pretiosum: qui crediderit in eum, non confundetur.* Lapidem dicit, & aperte subsequitur: *qui crediderit in eum, non confundetur.* * Per lapidem itaque sic probatum, angularem, pretiosum, summum aliquem, Christum utique designat hominem. Sed si homo tantùm esset, profectò idololatriam & prophanari Propheta suaderet, qui in hominem credi oportere nos admonet. Quia verò non est homo tantum, verum & Deus, cui in psalmo dicitur; *qui sustinent te, non confundentur*; ideo addidit: *qui crediderit in eum, non confundetur.* Igitur Christus, * quia homo est, positus est in Sion lapis probatus, angularis, pretiosus: lapis probatus; quia peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus: lapis angularis; quia Circumcisionem justificat ex fide, & Præputium per fidem, utrumque parietem in se colligens, atque utrumque populum in se unum faciens. Lapis pretiosus; quia mors ejus apud Deum tanti extitit, ut peccata totius tolleret mundi. Sed quamvis lapis probatus, angularis, pretiosus fuerit; non in eum, sed ei debita observatione credimus. Quia & Deus est (unde & consequitur,

Mr. Vill subdiam sub quolibet.

Isa. 11. v. 6.

Mr. San Ger. sanct. vitæ

Rom. 9. v. 28.

Isa. 10. v. 22.

Isa. 2. v. 3.

Mr. Rom. & San Ger. omnia, quæ ab eo loco per totum orbem terrarum annunciatur diffusa federi inquit in civitate, donec indueamini virtute ex alto: & inde ascensurus in cœlum ait, euntes &c.

Marc. 16. v. ult.

Mr. San Ger. hæc enim est

Ibid. v. 16

Luc. 11. v. 24

Mat. 1. v. 19.

Ibid. v. 49

Ibid. v. 48.

Rom. 11. v. 10

Mr. San. Ger. omnes.

Hebr. 10. v. 10

Psal. 49. v. 3. & 4.

Luc. 21. v. 10.

Mat. 24. v. 22.

Daniel. 11. v. 36.

Mr. Rom no mens Domini

Daniel. 12. v. 11.

Mr. Vill. & San Ger. omnia

Isa. 28. v. 16.

Mr. Rom. omnia.

Ps. 24. v. 3.

Mr. Rom. & San Ger. Quamvis itaque (quia) homo factus est lapis probatus, angularis, pretiosus, & in eum credimus: quia, ut dixi, Christum Deum & hominem esse credimus.

Mr. Rom & San Ger. omnia.

Mr. V. San. Ger. sæmina

Quia & Deus est ; unde eo sequitur, qui credide-rit in eum, non confundetur ;) credentes in eum, debito divinitatis cultu, non confundetur. Quod autem

qui crediderit in eum non confundetur)& ei & in eum debito Divinitatis cultu credimus. Quod autem dicis & nos negando dicere, & dicendo negare unũ & triplicem Deum : modis omnibus negamus unum & triplicem dici ; quia in Deo nullam dicimus triplicitatem : sed unum & trinum dicimus ; quia in Deitatis unitate personarum credimus trinitatem. Quare autem dici non debet triplicitas, & quare dici potest trinitas, suo loco dicemus : & quod dicemus, ratione & auctoritate astruemus.

JUDÆUS.

Ms. Rem. alteratio

Quæ * me ratio, quæ me scripturarum cogit auctoritas, ut credam quod Deus homo fieri queat, vel homo factus jam existat ? Si nulla apud Deum est transmutatio, nec ulla vicissitudinis obumbratio; quomodo penes eum tanta rerum fieri potest * alteratio, ut Deus homo fiat, Creator creatura, & incorruptibilis credatur factus esse corruptela ? Quomodo, quæso, accipitur : *In principio, Domine, terram fundasti ; & opera manuum tuarum sunt cœli : Ipsi peribunt ; tu autem permanebis : Mutabis eos, & mutabuntur ; tu autem semper idem ipse es* ; Quomodo Deus semper idem ipse est ; si alteratus homo fieri potest ? si Deus est immensus ; quomodo vili & parva humanorum dimensione membrorum potuit dimensus circumscribi ? si Deus est incircumscriptus ; quo argumentationis genere dicetur quòd dimensione corporea circumscriptus totus sub angusto matris utero potuit comprehensus teneri ? Ad hæc : si Deus est quo nihil majus sive sufficientius cogitari potest ; quà necessitate coactus humanæ calamitatis particeps, & tantorum factus est consors & patiens malorum ? Denique si Deus homo factus est ; quomodo stabit quòd ipse locutus ad Moysen dixit : *non enim videbit me homo, & vivet ?* Multùm repugnare videtur ut Deus * homo factus sit, & ab homine vel ab ipsa matre sua videri non potuerit. Abiit enim ut circa Deum aliquid fantasticum fuisse dixeris. Unde fatemur quia nullo modo fas est de Deo talia excogitare, nedum dicere aut prædicare : quoniam nec ratio id posse fieri sinit ; nec ulla scripturæ auctoritas occurrit, quæ huic errori vestro assentanea seu vicina sit. Nam illud Isaiæ vaticinium, quod ad vestrum accipiendo sensum malè omnino depravatis : *Ecce virgo concipiet & pariet filium ; & vocabitur nomen ejus, Emmanuel, hoc est, nobiscum Deus :* Quid ad rem unde agimus ? numquid ab homine nunquam corrupta ; sed viro nupta, virgo adhuc existens concipiet & pariet filium ? animo libenti accipimus de Christo dictum : *& vocabitur nomen ejus, nobiscum Deus* ; hoc est, tantæ dignitatis & gratiæ erit apud Deum, ut in eo & per eum Dominus, id est, Domini virtus sit nobiscum. Numquid quotiens ad vestrarum solemnia Missarum diciris : *Dominus vobiscum*, statim consequitur ut Deus homo fiat, vel in turba homo factus * consistat ? Propheta igitur rem * sacram commemorans, & nascituri Christi eminentiam præmuntians, nihil de eo absurdum, nihil de eo contra naturam dixit esse futurum, nihil pravæ suspicationis relinquens : *Ecce*, inquit, *Virgo concipiet.* Qua ergo temeritatis præsumptione quisquam hominum audet scribere quod nullo modo fuit propheta ausus dicere, quòd de Deo * fœmina conciperet, & conceptum de eo * filium pareret. Propheta dixit, *concepit & peperit filium.* Vos ex vestro sensu conjicitis, & commentatum usquequaque divulgatis : *Et post partum virgo permansit*, * quod nusquam à Propheta dictum accipitis. Injuriosum igitur est quod fronte tam impudenti sacra prophetarum eloquia, ad hominum voluntatem commentando, ita interpretamini.

Ms. Rem. existat *Alii Mss. & San. Germ.* sacrè *Isa.* 7. v. 14.

Ms. San. Ger. eo *Ms. Vill. omn.* filium *Isa.* 7. v. 14. *Ms. Vill.* Nusquam id à Propheta dictum accipitis. *Ms. San Ger.* numquid id à Propheta &c.

CHRISTIANUS.

Nullam in hoc Sacramento repugnãtiam rerum metuimus : nullam scripturarum dissonantiam veremur. Sed scripturarum * interim omittamus auctoritates, quibus Deo * adjuvante omnimodis altruemus quia Deus homo factus est, & ab hominibus visus est. Nam apertè exclusa omni æquivocationis ambiguitate, ita * Jeremias propheta denuntiat. *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius * ad eum. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & * dedit eam Jacob puero suo, & Israel * electo suo : * post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Post hæc, post legem, inquit, datam, post viam disciplinæ datam Jacob puero suo, & Israël electo suo.] Deus homo factus est, & cum hominibus conversatus est, natus ex virgine, clauso matris utero, salvâ omni * dignitatis integritate. Unde Propheta Ezechiel dicit : *Et dixit Dominus ad me ; porta hæc clausa erit, & non aperietur ; & vir non transibit per eam, * sed Dominus Deus Israël ingressus est per eam, & clausa erit principi. Princeps ipse sedebit in ea, ut comedat panem suum coram Domino.* Virgo igitur concepit : quia porta clausa erit ; & vir non transibit per eam.] Post partum virgo permansit ; quia Dominus Deus Israël ingressus est per eam, & clausa erit. Ipse Dominus Deus Israël ingressus est per eam, factus homo sicut * psalmus dicit : *Tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Et quamvis homo, tamen princeps. Et sicut alius psalmus dicit : *Inter mortuos liber se labit. Ut comedat panem coram Domino.* Quem panem ? *meus, inquit, cibus est, ut faciam voluntatem patris mei, qui in cœlis est. Nobiscum Deus*, non sicut ad Missarum solemnia, dicimus ; *Dominus vobiscum :* sed sicut apertiùs alibi Isaias dicit : * *Puer natus est nobis & filius datus est nobis &*] *vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri sæculi, princeps pacis.* Quia conceptus ille novus nec usitatus, & magnæ rei mysterium erat ; idcirco Propheta præmisit : * *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum : Ecce virgo concipiet, & pariet filium.* Illam enim absurditatem sensu vestro conceptam & adinventum, quòd de Dei substantia conceperit, * nulli fidelium fas est dicere vel cogitare : quia de Deo, * hoc est potentia, & virtute Dei concepit, quoniam non humano * usu, nec ullo viri semine concepit.] Qui enim sine viri semine ex nihilo primum creavit hominem ; sine viri semine, ex aliquo, id est, ex matris carne hominem Christum creare potuit. Et quoniam humano usu conceptus, à peccato originali immunis non fuisset, nec inter mortuos liber : ut inter mortuos solus liber sit, sicut Psalmista dicit ; & à peccato immunis ; ideo eum nasci sine peccato, hoc est, sine viri coitu ex virgine oportuit. Ut ergo hæc sine præjudicio dicta sint, quia Scripturarum testimonia suo loco servamus ponenda, necessitas quoque summa & ratio exposcebat ut Deus homo fieret, & per humanitatis suæ mysterium ad vitam nos restitueret. Homo igitur factus est, non id desinens esse quod erat ; sed id assumens quod non erat. Non conversione Divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum, dicimus Deum hominem factum. Et sicut anima rationalis & caro, propter unitatem personæ, unus est homo ; quamvis omnino alterius est naturæ anima, & alterius caro ; nec anima convertitur in carnem, seu in animam caro ; sed manente utrâque naturâ, personæ conservatur unitas. Deus & homo, propter unitatem personæ, unus est Christus ; quamvis Deus nec in hominem conversus fuerit, nec in Deum homo ; sed * divisâ Dei & hominis naturâ, indivisa Dei & hominis personæ * conservatur & adoratur unitas. Neque enim omnia quæ aliquo modo fiunt aliud quam erant, desinunt esse id quod erant. In accidentium enim quorumdam

Ms. Vill. iterum *Ms. Rem.* annuente *Ms. Vill. & San. Ger.* invocatione *Baruch* 3. v. 36. 37. & 38. *Vulg* adversùs *Vulg.* tradidit *Vulg* dilecto *Ms. Rem.* omit. *Ms. San. Germ.* Divinitatis *Ezec.* 44. v. 2. & 3. *Ms. Vill.* omit. *Psal.* 18. v. 6. *Ps.* 87 v. 6. *Ezech.* 44. v. 3. *Joan.* 4. v. 34. *Isa.* 9. v. 6. *Ms. Vill.* omit. *Isa.* 7. v. 14. *Ms. Vill.* omit. *Ms. Rem.* hæc potentiâ est *Ms. Rem.* sensu *Ms. Vill.* hic desinit. *Ms. Rem.* diversa *Ms. Rem.* convertatur

Digitized by Google

alteratione, ut cùm homo niger sit albus, seu albus niger; superveniente altero, petit omninò alterum. At cùm homo sit armatus, sive exarmatus; vel ex nudo indutus, seu ex induto nudus, nihil prorsus in se sic alteratus homo vel accipit, vel amittit. Suscepit ergo Deus hominem in unitatem personæ, ingenitâ bonitate suâ, non nostrâ; & multâ necessitate, non suâ, sed nostrâ: & ratione magna, tibique approbanda; si audita vis vel rationaliter admittere, vel rationabiliter excludere. Scripturarum verò auctoritas * exacto sensu interpretata, sed tam evidens tibi * apponetur; ut nil excogitare queas, quod contra * opponatur. Nosti quoniam Genesis apertissimè commendat qualiter homo primus sit conditus, qua dignitate sui præstans, & qua eminentia supra cætera terræ animantia erat positus. *Dominamini*, inquit, *piscibus maris, & volatilibus cæli, bestiis terræ, & omni reptili quod movetur in terra*: unde accepit à Deo vetiti mandatum, *Ex omni*, inquit, *ligno Paradisi comede; de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. In quacunque die comederis * ex eo, morte morieris.* Non leviter erat accipiendum, quod sub tanto invectionis maledicto vetitum erat. Nullâ tamen necessitate coactus, sed propriâ voluntate subactus, morem gerens uxori, obedire maluit uxori quam præcepto Dei. Tetigerat illa, & comederat; dedit viro, & comedit: & utrique mordendo vetitum, mortis & damnationis subierunt maledictum. Inobediens Deo Adam effectus est; protinus concessum omne jus amisit, excussum ditionis suæ jugum à cæteris animantibus sensit; & dignitatem sui jam amittendo, nuditatem suam erubuit; & currens ad folia fici, pudendam membrorum turpitudinem operuit. Ab hoste igitur seducti, hostique turpiter subacti, mox de Paradiso voluptatis, in quo erant, sunt expulsi; obseratus est paradisi aditus; positus est, ad custodiendam viam ligni vitæ, gladius ille versatilis & flammeus. Gratias Deo quia * licet ille gladius flammeus erat; non tamen in perpetuum fixus, sed versatilis erat: quia quandoque misericordiâ Dei erat removendus. Infelices itaque & miseri parentes genuerunt filios sub eadem mortis & miseriarum conditione genitos. Ad laborem nascebatur homo, ad laborem moriebatur homo; in peccatis concipiebatur, in doloribus parturiebatur, miser ad ærumnas & labores nascebatur. *In sudore vultus tui*, dixit Dominus ad Adam, *vescéris pane tuo, donec revertaris ad terram de qua sumptus es, quia terra es, & in terram reverteris.* Unde & Beatus Job * ait: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis: * qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodem statu permanet.* Post hanc denique qualemcumque vitam, morientes quò tunc ibant? Nemo in cœlum, sed omnes in infernum: tamen justi spe bonâ quòd ab inferis per Christum eruerentur, & per Christum ad superos in cœlum revehi mererentur. Audi Patres eminentissimos id apertâ voce contestantes: *descendam*, inquit Jacob Patriarcha, *lugens filium meum in infernum.* Et alibi ad filios suos: *Deducetis canos meos cum dolore ad inferos*; unde & Beatus Job, cui, * Domino attestante, vir non erat in terra similis, *infernus*, inquit, *domus mea est, & in tenebris stravi lectum meum.* Tamen liberationis spe arreptus, paulò post addidit: *Scio quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum.* Qui Redemptorem attestatur, venundatum seu * captivatum se fuisse, & redemptum esse non inficiatur. Audi & Beatum David: *Deus redimet animam * meam de manu inferi, cùm acceperit me:* & accepram dicit ab inferis animam suam & redimendâ ab infero: unde & alibi exultans dicit: *Domine, eduxisti ab inferno animam meam; salvasti me à descendentibus in lacum.* Cui dicit, *eduxisti, salvasti*, nisi ei * de quo in alio psalmo dicit * *iter facite ei, qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.* Et quoniam solus ascendere super occasum noluit, audi * quod Psalmista * addidit: *Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem.* Ezechias quoque moriturus ait: *ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi.* Et postea subdidit: *Tu autem eruisti animam meam, ut non periret.* Hæc, inquam, spes justorum erat tunc morientium nemo ergo in cœlum; sed omnes qui tunc moriebantur, descendebant in infernum. Originalis * itaque delicti expiationem, & malorum tantorum evacuationem fieri oportebat, nullo quidem creati hominis merito, sed ingenitâ optimi Creatoris bonitate & gratiâ. Ne ergo in æternum homo periret, restitui hominem oportebat: restitui autem non poterat, nisi Deus hominem assumeret, necessitatem nostram subiret, noster causidicus contra adversarium ipse fieret; & nostræ actionis negotium agens, * non suadendo, sed justo rationis judicio adversarium excludens, causam nostram finiret. Restituendus itaque Deo homo erat, ac per hominem qui Deo semetipsum abstulerat. Quis autem hominum de communi massa perditionis natus id explere posset, ut reliquam humani generis massam restitueret? Vix enim sibi justitia cujusque sufficit: non est immunis à peccato infans, cujus vita est unius diei super terram. Quòd si novus, vel aliunde natus homo; * seu Angelus factus homo] hominem liberaret; non sic ad * pristinum dignitatis ingenitæ statum restitui posset. Cùm enim Angelis homo par creatus non naturâ, sed rationis & concessæ libertatis gratiâ, soli Deo Creatori ad serviendum erat obnoxius; ad eundem libertatis statum, seu per hominem, seu per Angelum restitui non valebat: A quo enim quis à servitute redimitur, ei obnoxius esse ad serviendum judicatur. Quia ergo per alium plena hominis restitutio fieri non valebat; necesse fuit ut Creator creaturæ subveniret, creaturam Creator subiret: ut per ipsum Creatorem homo restitutus, soli Creatori ad serviendum obnoxius remaneret: & hostis jure ditionem supra genus humanum habitam amitteret. Nihil enim in Christo suum hostis invenerat, qui neque in iniquitatibus conceptus erat, neque in peccatis partus fuerat, neque ullam prorsus peccati maculam vivendo contraxerat. Qua igitur præsumptione injusta mors in eum feriendo deliquit, in quo nihil suum repererat, nihil omnino juris habebat; jure amisit eam jurisdictionem, quam peccato primi hominis in hominem primum ejusque posteritatem obtinuerat. Mors itaque Christi, & originalis peccati apud Patrem hostia & propitiatio fuit, atque humani generis plena integraque restitutio extitit. Reseratus est in ejus obitu Paradisi aditus, remotus est gladius ille versatilis & flammeus. Jam in crucis patibulo affixus & moriens ait ad Latronem: *hodie mecum eris in Paradiso.* Tunc quoque adimpletum est quod per Oseæ Prophetam dictum est: *O mors: ero mors tua; morsus tuus ero, inferne.* Hujus igitur nostræ restitutionis Sacramentum, in Prophetis habebamus promissum, aliquando per figuras rerum, aliquando per verborum ænigmata, aliquando evidenti promissione & apertâ. Primis illis temporibus loquens Deus ad Abraham de hoc sacramento ait: *in semine tuo benedicentur omnes gentes terræ.* In * Christo enim, qui de semine ejus oriundus erat, benedicentur omnes gentes terræ.] Quandoquidem universum genus humanum sub maledicto primi parentis oppressum, per * eum ab illo maledicto absolvitur, & benedictioni atque gratiæ priori restituitur. Nam in Isaac gens nulla benedicitur, nulla gens ejus ditioni subacta fuisse legitur. In David verò & Salomone, qui Regum terræ illius fortiores aliis & potentiores extitere, quo-

Ms. Rem. non exacto Ms. Rem. apponetur Ms. San. Ger. apponatur

Genes. c. 1. v. 28

Gen. 2. v. 16. & 17.

Ms. San. Ger. unus. ex eo

Ms. San. Ger. gladius licet flammeus.

Genes. 3. v. 19.

Job. 14. v. 1.

Genes. 37. v. 35.

Gen. 42. v. 38.

Ms. San. Ger. Deo tollit Job. 17. v. 13.

Ibid. 19 v. 25.

Ms. San. Ger. captivum & fugisse

Ps. 48. v. 16.

Psal. 29. v. 4.

Ms. Rem. cùm Psal. 67. v. 19.

Mss. Germ. subdidit

Ps. 6. v. 6. Isa. 38. v. 10.

Ibid. v. 17.

Ms. San. Ger. namque

Ms. Rem. non sua deside

Ms. Rem. omit. Ms. Rem. pristinâ

Ms. San. Germ. ei

Luc. 23. v. 43.

Osee 13. v. 14.

Genes. 26. v. 4. Ms. Rem. omit.

modo omnes gentes benedicuntur; cùm omnes circumquaque, præter Judaïcam, gentes * eis adversæ & contra * eos dimicantes semper fuere. De successoribus eorum Regibus regno fugatis, captivis, exhæredatis frustra mentio ulla haberetur. In Christo itaque restat ut hæc intelligantur, & intellecta omnibus modis adimpleantur.

Mr. S. Germ. — M. Rom. omnes

JUDÆUS.

Violentiam Scripturæ infers, & ad fidei vestræ assertionem Scripturas intorques. Nam Ezechiel Prophetam * apertè portam appellat, & de porta loquitur: tu fœminam appellas, & de fœmina ad voluntatem tuam disputas. Res hæ omnino sunt remotæ, & nulla sibi invicem similitudine sunt admotæ. Hoc denique ultimo exemplo apertè tota tua de Christi ortu refellitur disputatio. Nam Deus dixit ad Abraham: *In semine tuo*, hoc est, in Christo, qui de semine ejus oriundus erat, *Benedicentur omnes gentes terræ*. Deus dixit Christum de semine Abrahæ oriundum; tu dicis eum sine ullo viri semine fuisse ortum. Sed procede ad reliqua Scripturarum exempla, utrùm aliqua apertius dicta sint, * & sententiæ atque fidei vestræ magis assentanea.

Mr. San. Ger. omnes. — Gen. 12. v. 18. — Mr. San. Ger. omit.

CHRISTIANUS.

Commodè ad opposita respondet, quisquis vicino pede prosequitur atque respondet. Dicimus Ezechielem Prophetam figuratè fuisse locutum de porta illa; quoniam nullo modo ad litteram accipi possunt quæ locutus est de porta illa: *Et dixit*, inquit, *Dominus ad me: Porta hæc clausa erit, & non aperietur: & vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam, & erit clausa Principi. Princeps ipse sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino. Per viam vestibuli portæ ingredietur, & per viam ejus egredietur.* Hæc ad litteram nemo explere potest: nam si Dominus Deus Israel, qui per Prophetam loquitur, *cælum mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum*: & alibi, *cælum & terram ego impleo*: si, inquam, Dominus Deus Israel totus ubique est: unde ingressus est per portam, & quò egressus est per portam illam? Si Deus est incircumscriptus: quomodo eum in porta sedere ad litteram accipi potest? quomodo erit clausa principi: si princeps ipse Dominus Deus Israel ingressus per eam sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino? Quem panem, vel cujusmodi panem, unde factum, vel unde delatum comedat Dominus Deus Israel, & coram Domino; Quis est alius iste Dominus, ut coram eo panem cõmedat Dominus Deus Israel? Quia ergo hæc ad litteram accipi non possunt; per portam illud intelligi oportet, ut hæc omnia considerentur, & considerata fieri posse convenienter intelligantur. Dominus ergo Deus Israel ingressus per portam illam, ad nos egressus exiit; quia Deus homo factus in utero Virginis, ex carne Virginis. Nam aliter ab originali peccato non fieret immunis, sicut in Psalmo legitur: *Tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Ad nos homo exiit; atque Jeremia teste, *in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Porta clausa erit; quia viro * clausa erit, nec vir transibit per eam. Clausa Principi servabitur, ut per eam ingrediatur: quia Dominus Deus Israel ingressus est per eam. Neque enim ante Conceptionem & partum Christi Mater ejus * Viro cognita fuit, quoniam porta clausa erit, atque clausa Principi servabitur. Et quoniam totum hoc Incarnationis Dominicæ misterium solâ virtute divinâ sine humano contagio peractum est: alibi Propheta Isaïas dicit: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum; aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* Rore, inquit, & nube

Act. 7. v. 49. — Jerem. 23. v. 24. — Ezech. 44. v. 1. 2. — Mr. Rom. quia Virgo clausa. — Mr. Rom. Virgo. — Isa. 45. v. 8.

A cœlesti, hoc est sola creatione & operatione Dei, sicut paulo post subdidit: *Ego Dominus creavi eum.* *Aperta est terra*, uterus videlicet Virginis, & *protulit Salvatorem.* Princeps ipse sedebit in ea: quoniam in ea quoque humanitate, quam Christus pro nobis assumpsit, omnia sibi subdita accepit. Unde & in Psalmo dicitur: *Minuisti eum paulominus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.* Comedit panem coram Domino, faciens voluntatem Patris sui, qui eum misit ad nos. De hoc Domino, & Domino, in Psalmo dicitur: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Quis Dominus hoc dicat? & cui Domino hoc dicat? audi evidentiùs in alio Psalmo: *Dominus dixit ad me; Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Dominus ergo est Pater, Dominus est & Filius. Sed quia in Deo nihil est extrinsecus sumptum, & apud Deum nulla temporum vicissitudo seu mutabilitas est, atque in Deo nulla essentiæ diversitas intelligi potest: quis enim in Deo diversa copularet? quia ergo in Deo nihil horum est: sed quicquid in eo est, unum & idem omnino substantialiter est, ante omnia existendo, & post omnia subsistendo; consequitur quia sicut Pater est Deus, & Filius Deus est, compar, coæternus & consubstantialis; non tamen duo dii, sed unus est Deus: quia non alterius, sed unius ejusdem omnino substantiæ est Pater & Filius. Idem de Spiritu sancto intelligi necesse est. Quòd autem Spiritus sanctus sit, multis Scripturarum locis apertè legis. *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Et alibi: *Verbo Domini cœli firmati sunt; & spiritus oris ejus omnis virtus eorum.* Et alibi: *Sanctus enim Spiritus disciplinæ effugiet fictum:* & in quam pluribus aliis veteris Testamenti locis de Spiritu sancto mentio & sermo habetur. Quia verò Spiritus Dei non est alterius substantiæ quam Deus; sed unius ejusdemque omnino substantiæ est Deus & Spiritus ejus, compar, coæternus, & consubstantialis: quicquid enim de Deo substantiale est, unum & idem omnino est: à quo enim Deus aliquid à se diversum acciperet? quia, inquam, ita est; consequitur quia Deus est Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus; & tamen non tres Dii; sed unus est Deus, Pater & Filius & Spiritus sanctus. Nullam verò in Deitatis unitate recipimus triplicitatem; quoniam triplicitas tollit essentiæ simplicitatem: quamvis recipiamus Personarum Trinitatem; quoniam personalis trinitas essentiæ non adimit unitatem. Commodiùs verò dici potest Personarum Trinitas, quàm personarum triplicitas; ne unaquæque persona subintelligatur tripliciter accepta. Sed quoniam inter fideles solos de unitate Deitatis, ac Personarum Trinitate in Deitatis unitate, sermo habendus est: quia sine periculo dicitur, quicquid ventilando discutitur, atque auctoritatis testimonio dirigitur; si vis, procedamus ad reliqua de Christo Scripturarum testimonia. Postea ad hæc, prout poterimus, discutienda revertemur. Quamvis enim hoc mysterium nulla humana ratio potest comprehendere; tamen videmus per speculum in ænigmate: invisibilia enim Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus & Divinitas. Illud * quoque aliud exemplum, quod refellendo posuisti, nihil nos impedit. Si enim Mater Christi, de cujus carne in ejus utero Christus carnem accepit, de semine Abrahæ orta fuit; de semine Abrahæ Christus originem duxit: quamvis sine ullo viri semine, de Virgine Matre ortus fuit.

Ibidem. — Psal. 109. v. 1. — Psal. 2. v. 7. & 8. — Mr. San. Ger. dogs elt. — Gen. 1. v. 2. — Psal. 32. v. 6. — Sapient. v. 5. — Mr. Rom. salvâ fide. — Mr. Rom. itaque.

JUDÆUS.

Si fas est Christianis hoc modo Scripturas de Christo legere & interpretari; multò plura invenietis, quæ

ita quoquo modo poteritis interpretari. Nos vestras litteras nescimus: & fortasse multa dicis esse apud vos scripta, quæ apud nos scripta esse non credimus. Sed si Deus mihi & tibi vitam præstare voluerit, majori otio ad te revertar; librorum conferemus apud nos & apud vos exemplaria: & ista requiremus exempla. Ipse quidem fateor summæ ineptiæ, imò dementiæ esse, seu me seu te contra evidentia Scripturarum exempla & auctoritates resistere: & idcirco non est opus ad præsens te ulteriùs disputando procedere. Nam revera vos Christiani multa profertis de Lege & Prophetis, quæ non sunt scripta in Lege & Prophetis. Illud enim quod de Jeremia posuisti: *post hæc in terris Deus visus est, & cum hominibus conversatus est*, multaque alia huic usui superiùs annexa, Jeremias non dixit, non scripsit. Quòd si hoc in Jeremia scriptum esse invenieris; cætera * veracissimè dicta esse concedo. Si autem in Jeremia non inveneris; depone tantam adversùm nos animositatem: erubesce contra nos adinventam falsitatem: & agnosce primam apud nos permanere in Lege & Prophetis veritatem. Nam & illud quod vos universi Christiani ore tam severo adversùs nos profertis: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium.* Isaias non dixit, non scripsit; sed tantùm: *Ecce*, inquit, *abscondita concipiet & pariet Filium.* Tamen si hoc ipsum dixisset Isaias, quod vos dicitis; non tamen addidit quod ex vestra parte additis, quòd Virgo in conceptu mansit & quia post partum Virgo permansit. Hoc nec Isaias dixit, nec ullus alius Propheta.

Baruch. 3. v. 38.

Mss. Rom. vetissima esse.

Isai. 7. v. 14.

Christianus.

Quia Christus veritas est, fides Christi nullâ falsitate indiget; nec in Ecclesia Christi ullus est locus falsitati. Quæ proferimus scripta in Lege & Prophetis, accepimus à vobis scripta esse in Lege & Prophetis. Legem enim & Prophetas Ecclesia Christi à vobis accepit; & quod à vobis accepit, immutatum per tot sæcula ad hæc usque conservabit tempora. Temporibus Ptolomei Regis Ægypti septuaginta Interpretes, vestræ gentis tunc eruditissimi doctores, Legem & Prophetas ex Hebræo in Græcum interpretati sunt. Nostri autem de Græco in Latinum, verbum ex verbo, vel sensum ex sensu postea interpretati sunt. Ab ipsis exemplaribus primis accepimus quicquid in Lege & Prophetis scriptum habemus. Lege novos, lege veteres veteris * instrumenti libros: lege apud Græcos, lege apud Latinos: nusquam in Lege aut Prophetis reperies apud nos varietatem: sed eamdem ubique veritatem & veritatis unitatem in Lege & Prophetis, per totum orbem terrarum invenies apud nos. Illud quod de Jeremia posui, Jeremias scripsit & dixit. Jeremiam hoc dixisse universa per orbem Ecclesia Christi testatur, & à primis temporibus primisque interpretibus vestris hæc ita accepit, & sine ulla alterationis controversia tenuit Ecclesia Christi. Quamvis enim non habeatur in eo libro qui sub nomine Jeremiæ titulatur; Jeremias tamen hoc dixit: quia ille qui hoc scripsit, ex ore Jeremiæ hoc scripsit Baruch, qui Jeremiæ Notarius extitit. Unde sic in Jeremia legitur: *Vocavit ergo Jeremias Baruch Filium Neriæ, & scripsit Baruch ex ore Jeremiæ omnes sermones Domini, quos locutus * est ad eum, in voluminе libri.*

Mss. Sam. Grec. à Christi.

Mss. Rom. Testamenti codices.

Jer. 36. v. 4.

Mss. Sam. Grec. est Dominus ad

Judæus.

De istis septuaginta Doctoribus nihil apud nos aliud habetur, nisi quòd temporibus Moysi, Moyses ipse septuaginta viros elegit senes populi, quos sui adjutores, & earum quæ erant in populo altercationum judices esse constituit. Isti nec Scripturas docuerunt, quia nondum erant, nec Scripturas interpretati sunt. Procedente verò temporum atque rerum serie, apud nos postea fuerunt David & Prophetæ, qui multa dixerunt, multa scripserunt; sed quæ dixerunt, Hebræa lingua dixerunt: quæ scripserunt, Hebræo stylo scripserunt, & apud nos. Quidquid ergo aliud in Lege & Prophetis, quàm apud nos habetur; & aliter quàm primum exemplar continet, aliquis interpretatus est, falsò interpretatus est; nec alicujus auctoritatis esse potest. Videte igitur unde habeatis; quoniam à nobis ea non habetis.

Christianus.

Septuaginta illos sub Moyse viros interpretes fuisse non dicimus; sed tantùm senes populi atque judices. Sed illos fuisse septuaginta interpretes dicimus, quos ad id officii populus Judæorum misit ad Ptolomeum Regem Ægypti, jam subacto regno Judæorum * ab Antiocho Rege Ægypti. Hi à vobis Alexandriam missi sunt, & apud Alexandriam scripturas omnes, quas tunc habebatis, ex Hebræo in Græcum interpretati sunt. An verò nunc ita sit apud vos, seu aliquo modo immutatum, vel prorsus de medio sit sublatum, nescio, sed quoniam Lex sanxit quòd in ore duorum vel trium testium stabit omne Verbum; planè concedi oportet apud vos, ut stet illud verbum quod septuaginta Interpretes vestræ gentis approbati testes pari * consensu attestantur esse dictum, & in Jeremia scriptum: nec dum enim Christiani erant. Denique in exordio fidei nostræ gens vestra, fidei nostræ æmula, magnæ adhuc eminentiæ erat, multos viros adhuc habebat summæ facundiæ, & magni ingenii, & utriusque linguæ Hebrææ atque Latinæ optimè instructos. Multi quoque tunc gentiles Philosophi litteris Græcis, Hebræis, & Latinis æque instructi erant; omnes adversùs fidem nostram insurgebant, ac quæstiones, bella & seditiones movebant; quæstiones, inquam, movebant domi, foris plerumque, etiam universalibus Consiliis universaliter per provincias denunciatis. In * manus Lex & Prophetæ habebantur, revolvebantur prolata testimonia, in utraque lingua discutiebantur; tamen nullus vestrùm hanc præsumpsit calumniam, ut falsæ interpretationis eos argueret; quâ fidem nobis facilè adimere posset. Philosophi ergo gentiles, hac omissâ penitus calumniâ, Prophetas pro vili habebant, dicta eorum respuebant; sed callida dicendi versutiâ fidem nostram lædere attentabant. Philosophi vestræ gentis Prophetas refellere non volebant, nec valebant; sed, hac item omissâ calumniâ, scripturas longè aliter intelligi oportere dicebant; suo sensu exponebant, causæque suæ Prophetas res atque tempora conterminare tentabant. Sed quamvis astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adversùs Dominum & adversus Christum ejus: frustrà fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania. Verùm de his hactenus Isaias eôdem spiritu aspiratus, quo & Jeremias, idem licet aliis verbis prænuntiat. *Hæc dicit Dominus: propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa; quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum*; hoc est, * ipse qui per Moysen loquebar, qui per alios Prophetas loquebar, per memetipsum locutus ecce adsum. Ad cujus occursum hortatur vos idem Propheta in alio loco: *Prepara te Israel in occursum Domini tui, quoniam venit:* & de quo ejus ad nos adventu loquitur, audi evidentius: *habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis:* quæ, inquam, lux? audi absque ulla æquivocationis ambiguitate: *Parvulus enim natus est nobis, Filius datus est nobis.* Quis, inquam parvulus est iste, qui natus est nobis; filius, qui datus est nobis? audi adhuc: *& vocabitur nomen ejus, admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri sæculi, princeps pacis:* & cujusmodi pacis? *multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis:* quia, sicut sequitur, *amodo & usque in sempiternum erit. Ipse ego qui loquebar, qui adinveni omnem viam disciplinæ, & dedi eam Jacob puero meo, & Israel electo meo; ecce adsum homo factus, cum hominibus in terris conversatus,*

Mss. Sam. Grec. assensu contestantur.

Mss. Sam. Grec. in manu.

Isa. 52. v. 6.

Mss. Sam. Grec. ego ipse.

Isa. 9. v. 2.

Ibid. v. 1.

Ibidem.

Ibidem v. 7.

ſarus. Chriſtus ergo, quia homo eſt; puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis: quia & Deus eſt; vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Conſilarius, Deus, Fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis, & pacis non erit finis; quia amodo & uſque in ſempiternum erit. Si puer ille, ſicut alius quilibet, in iniquitatibus conceptus eſſet, & in peccatis eum mater peperiſſet; quid puer ille ab alio differret? quomodo ſolus inter mortuos liber exiſteret? quomodo ejus genera-
Iſa. 53. v. 8. tionem idem ipſe Propheta inenarrabilem diceret: *Generationem*, inquit, *ejus quis enarrabit?* Sed ſuper generationem ejus ideo obſtupuit, & inenarrabilem dixit; quia neque in iniquitate mater eum concepit, neque in peccatis mater eum peperit; ſed virgo concepit, virgo peperit: & ideo ſolus inter mortuos liber extitit. Illud denique quod negatis eſſe ſcriptum
Iſa. 7. v. 14. in Iſaia: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium*, ſeptuaginta veſtri Interpretes, fide & ſcientia approbati teſtes, ita interpretati ſunt; & ita interpretari Propheta ipſe voluit, dicendo, & ſcribendo: *Ecce abſcondita*, ſicut dicitis, *concipiet & pariet filium.* Nam ſi communi ſenſu abſconditam, id eſt, domi recluſam intellexit; & nihil aliud: quid mirum, quid novum in eo conceptu? & cujus myſterii ſignum conceptum
Ibidem. illum eſſe voluit? *Propter hoc*, inquit, *dabit Domi-*
Ibid. v. 14, 15. *nus ipſe vobis ſignum: Ecce*, inquit, *abſcondita concipiet, & pariet filium; & vocabitur nomen ejus, Emmanuel; butyrum & mel comedet, ut ſciat reprobare*
Mſ. Sam. Ger. manus. *malum, & eligere bonum.* * Si ad litteram, & communi ſenſu hæc dicta accipiuntur; quomodo ille puer comeſtione butyri & melli ſciet reprobare malum & eligere bonum? quam diſcretionem boni & mali dat comeſtio mellis & butyri? Quid ad rem ſcribere quod ille puer comederet butyrum & mel; ſi ad litteram hæc accipi vellet? Quod ſignum, vel cujus rei ſignum eſſet, quòd abſcondita, id eſt, domi recluſa aliqua puella conciperet? Omnia ergo hæc, niſi ad figuram & ſpirituali atque myſtico ſenſu dicta accipiatur; puerili omnino ſenſu & inani dicta eſſe à Propheta conſiderantur; quod quia credi & dici abſurdum eſt; abſcondita, hoc eſt, ab amore viri & omni contagione peccati ſervata concepit: ſicut Angelus ad Virginem
Luc. 1. v. 34. *Ibid.* v. 35. reſpondit: *Quomodo*, inquit illa, *fiet iſtud; quoniam virum non cognoſco? Et reſpondens Angelus dixit ei: Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Umbram, inquit, faciet tibi abſcondendo te ab omni fervore libidinis. Propterea, quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei. Cui
Pſal. 2. v. 7. Deus Pater in Pſalmo dicit: *Ego hodie genui te.* Et quia iſtud hodie non præſentaneum & tranſitorium tempus, ſed æternitatis perpetuitatẽ volebat intelligi;
Pſa. 109. v. 3. idcirco alio in Pſalmo dicit: *Ante luciferum genui te.* Quid igitur: *Hodie genui te, & ante luciferum genui te*; niſi, ante tempus & tempora ego Deus Pater Deum Filium genui te coæternum; quamvis te ſub tempore & temporis conditione creaverim hominem ex fœmina factum? Has duas in Chriſto naturas alio in
Pſa. 84. v. 12. Pſalmo David breviter commendat: *Veritas*, inquit,
Mſ. Sam. Ger. *de terra orta eſt*; quia de terra * ortus eſt natus homo ex
orta eſt, hoc eſt natus ex fœmina. fœmina: ſed quia omnis homo mendax; pluſquam homo eſt qui non mendax, immò veritas ipſa & Deus eſt. Puer ergo iſte homo & Deus butyrum & mel comedit; quia, ſicut paulò ſuperiùs idem Pſalmus dicit:
Ibid. v. 11. *Miſericordia & veritas obviaverunt ſibi, juſtitia & pax oſculatæ ſunt.* Butyrum enim gratiam unctionis & miſericordiam deſignat: Mel verò, quod curandis vulneribus adhibitum edendo ſanat, judicii & veritatis ſeveritatem denuntiat. Licet enim Scriptura dicat,
Mſ. Sam. Ger. ſignificat. *Rom.* 9. v. 18. *cui vult miſeretur, & quem vult indurat*; quia nec ipſum miſereri, nec ipſum indurare ulla in parte à juſtitia ſeu à veritate exorbitat: Miſericordiam Dei & judicium ubique veritas comitatur; & in Scripturis
Pſ. 24. v. 10. pro alterutro veritas ſæpe habetur: *Univerſa*, inquit, *vie Domini, miſericordia & veritas.* Et in alio Pſalmo: *opera manuum ejus veritas & judicium:* *Pſ.* 110. v. 7. quia ſeu miſereatur, cui vult; ſeu judicet & puniat, quem vult; verax & juſtus eſt: * miſericordiam exhi- *Mſ. Rem. omit.* bendo, verax; & juſtus eſt, debitam judicii ſententiam inferendo. Butyrum igitur & mel Chriſtus comedet, ut ſciat reprobare malum & eligere bonum, id eſt, ut ſciri faciat quia reprobat malum & eligit bonum, reddens unicuique juxta opera ſua; bonos renumerans, & malos debitâ animadverſionis ultione condemnans. De hoc ſacramento Dominicæ Incarnationis videamus quæ in alio loco idem Propheta dicit, & Prophetiam ſummatim percurramus. *Do-* *Iſa.* 53. v. 1. 2. 3. &c. *mine, quis credidit auditui noſtro? & brachium Domini cui revelatum eſt? Et aſcendit ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti, & non eſt ſpecies ei neque decor, & quaſi abſconditus vultus ejus, & deſpectus; unde nec reputavimus eum: verè languores noſtros ipſe portavit, & dolores noſtros ipſe tulit. Ipſe enim vulneratus eſt propter delicta noſtra, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum; cujus livore ſanati ſumus. Omnes nos quaſi oves erravimus, unuſquiſque noſtrûm in viam ſuam declinavit: & Dominus poſuit in eo iniquitatem omnium noſtrûm: oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum. De anguſtia & de judicio ſublatus eſt: generationem ejus quis enarrabit? Propterea dabit impios pro ſepultura, & divitem pro morte ſua, eo quod iniquitatem non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus: & voluntas ejus in manu Domini dirigetur.* Animos itaque veſtros ad credendum * ob- *Mſ. Rem. deſt. manus.* ſtinatos vidit Propheta, & ait: *Domine, quis credidit auditui noſtro?* Et demonſtrat quod audierat: & *brachium Domini, cui revelatum eſt?* De hoc brachio idem ipſe alibi ait: *Paravit Dominus brachium* *Iſa.* 52. v. 10. *ſuum in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri.* Hoc brachium Domini, hoc ſalutare Dei, de quo in Pſalmo dicitur: *Ponam in ſalutari, fiducialiter agam in eo.* Cui re- *Pſ.* 11. v. 6. velatum eſt? Vos enim repuliſtis eum, qui ad vos miſſus venerat: ſicut ipſe conqueritur per eumdem Iſaiam Prophetam: *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum,* *Iſai.* 1. v. 3. *& aſinus præſepe Domini ſui: Iſrael me non cognovit, & populus meus non intellexit me.* Unde apertiùs in Pſalmo dicitur: *Populus, quem non cogno-* *Pſ.* 17. v. 45. *vi, ſervivit mihi: in auditu auris obedivit mihi, filii alieni mentiti ſunt mihi; filii alieni inveterati ſunt, & claudicaverunt à ſemitis ſuis.* Idcircò eum repuliſtis, quia homo erat; quia puer natus erat. Unde ſequitur: *& aſcendit ſuper virgultum coram eo.* De radice enim Jeſſe virga exiit; de virga virgultum aſcendit. Virgultum aſcendebat, quoniam *Jeſus proficie-* *Luc.* 2. v. 52. *bat ætate & gratia apud Deum & homines:* & quia vultus Divinitatis ejus ſub aſſumpti nube hominis abſconditus erat & deſpectus, nec reputavimus eum. *Verè languores noſtros ipſe tulit* hoc eſt ab *Iſa* 53 v. 4. ſtulit: *& dolores noſtros ipſe portavit*, hoc eſt asportavit. *Ipſe enim vulneratus eſt propter delicta* v. 5. *noſtra, attritus eſt propter ſcelera noſtra* Unde Apoſtolus Paulus, ait: *Proprio filio ſuo non pepercit;* *Rom.* 8 v. 32. *ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, cujus livore ſanati ſumus.* Ipſe *Iſa ſup.* v. 5. enim eſt agnus qui tollit peccata mundi, qui mediator Dei & hominum exiſtens, morte ſua nos Deo reconciliavit; quia mors ejus apud Deum hoſtia pro peccato originali atque propitiatio fuit. *Omnes* *Iſa.* 53. v. 6. *nos quaſi oves erravimus*, brachium Domini non cognoſcendo, quod paravit Dominus in oculis omnium gentium, nec in homine Deum eſſe eum reputando. *Unuſquiſque noſtrûm in viam ſuam declinavit*; quoniam ab eo qui eſt via, veritas, & vita aberravit: *& Dominus poſuit in eo iniquitatem omnium noſtrûm*; quoniam pro iniquitate &

peccato totius mundi mortem pertulit. Factus enim pro nobis, sicut ait Apostolus, maledictum, hoc est, particeps mortis quam primo homini intulit illud
Gen. 2. v. 17. indictum à Deo maledictum: *in quocumque die comederis, morte morieris*, mortem pro nobis pertulit, & morte sua maledictum illud & mortem evacuavit. Et quoniam universa hæc propria voluntate,
Is. 53. v. 7. non coactus, pertulit; idcirco addit: *Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum.* Hæc quidem assumpti hominis esse videntur. Cætera, quæ sequuntur, hominem excedunt, & Dei solius existunt. Unde * ipse in Evangelio ait: *Venit enim*
Mr. San. Ger. unde in ipso Joan. 14. 30. *Princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam.* Sed unde hæc in eo libertas? quia Princeps mundi hujus nihil suum in eo invenit; quia de angustia, & de judicio sublatus est; quia mortuus teneri ab ipsa morte non potuit. Resurrexit enim à
Psal. 15. v. 9. & 10. mortuis, sicut Psalmus dicit: *Caro mea requiescet in spe; quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis semen tuum videre corruptionem.* Unde ergo hæc tanta in homine potestas? Quia plusquam
2. Cor. 5. 19. homo erat; *Deus enim erat in Christo*, (sicut ait Apostolus Paulus) *mundum reconcilians sibi*, cujus
Is. 53. 8. generatio est inenarrabilis. Quomodo enim Deus ex se consubstantialem ante tempora & semper gignat
Mr. Rem. omit. filium, quis enarrabit? * quomodo prædestinatis temporibus ex matre sine viri semine homo creatus sit, & eum Deus ipse assumpserit in unitate personæ, quis enarrabit?] Nec illam igitur nec illam Christi generationem aliquis enarrabit. Propter scelus, non quidem suum sed populi mei, percussi eum. Quid enim sceleris admisit, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus? Si ergo verum est quod Beatus
Mr. San. Ger. omit. Job testatur: * *omnis homo mendax*, & alibi:] *non*
3. Reg. 8. v. 46. *est homo qui non peccet, nec infans cujus vita est unius diei super terram* Si verum est quod & Beatus
Ps. 115. v. 11. Rom. 3. v. 4. David testatur, *omnis homo mendax*, & alibi: *non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*: plusquam homo est qui peccatum non facit; supra hominem prærogativa excellentiæ ejus fuit, qui verbo non offendit, nec inventus dolus est in ore ejus. De eodem Sacra-
Psal. 44. v. 3. mento in Psalmo dicitur: *Speciosus forma præ filiis hominum; diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.* Et continuatim eumdem
Ibid. v. 7. Mr. Rem. omit. alloquens, ita subjungit: *Sedes tua Deus in sæculum sæculi, virga directionis virga regni tui*, * percurre Psalmum, & vide ad unam eumdem personam Psalmum huc usque continuatum. Deus itaque est, cui dicitur: *Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi, virga directionis virga Regni tui.* Cui verò dicitur: *Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi*, nisi cui super ils dixerat: *Speciosus forma præ filiis hominum; diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum?* Quem speciosum forma præ filiis hominum appellat, ab hominis natura eum non separat; & hominem esse constat. Eumdem igitur, quem speciosum forma præ filiis hominum appellat. Deum in subsequenti versu
Mr. Rem. locis aperte nominat dicens: *Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi.* Ex his ergo & aliis Scripturarum * exemplis credidimus, & credendum esse astruimus quia Christus
Mr. San. Ger. eamque Mr. San. Ger. credimus est Deus & homo, discretâ * omnino utriusque naturæ essentia. Hunc jam venisse * dicimus, quia signa, quæ de ejus adventu prædixerunt Prophetæ, jam subsecuta esse videmus. Ut enim de multis unum assumam, Ja-
Gen. 49. v. 10. cob benedicens Judam filium suum ait: *Non deficiet Princeps de Juda, & dux de femoribus ejus; donec veniat qui mittendus est: & ipse erit expectatio gentium.* Quia ergo jam per millia annorum defecit Princeps ex Juda & dux de femoribus ejus, ac penè jam ipsum evanuit nomen Judæorum; dicimus quia Christus jam venit expectatio gentium: & in Psalmo dici-
Ps. 68. v. 24. tur: *Obscurentur oculi eorum, ne videant; & dorsum eorum semper incurva.* Quia igitur jam per totum orbem terrarum dorsum vestrum aliis gentibus est incurvatum; jam defecit Princeps ex Juda, & dux de femoribus ejus, & idcirco dicimus quia Christus jam venit expectatio gentium. Item, quia adimpletum est: *reminiscentur, & convertentur ad Dominum universi fines terræ; & adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium*: dicimus quia Christus jam venit expectatio gentium, cui honor & imperium per æterna sæcula sæculorum. Qui ergo crediderint in eum, non confundentur; sicut testatur Isaias Propheta. Qui ergo non crediderint; audi de gentibus: *Confundantur*
Ps. 96. v. 7. *omnes, qui adorant sculptilia & qui gloriantur in simulachris suis.* Audi & de Judæis: *Deleantur de libro vi-*
Ps. 68. v. 29. *ventium; & cum justis non scribantur.*

JUDÆUS.

Ex hac ergo tua illatione colligi potest. Confundantur & Christiani, quia & Christiani adorant sculptilia, & gloriantur in simulachris suis: ipsum etenim Deum effigiatis aliquando miserum pendentem in patibulo cruci clavis affixum, quod ipso etiam visu horrendum est, idque adoratis; & circa crucem effigiatis semipuerum solem nescio unde exterritum, & fugientem lunâ semipuellam lugubrem, semumque lucis suæ cornu occultantem, aliquando autem Deũ effigiatis sublimi solio sedentem, manuque porrecta signantem, & circa eum quasi magno dignitatis prælatio, aquilam, & hominem vitulum & leonem. Hæc effigies Christiani exculpunt, fabricant, & depingunt, unde possunt; & ubi possunt, adorant & colunt: quod lex a Deo data omnino fieri vetat. Nam in Exodo ita scriptum est:
Exo. 20. v. 4. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis; non adorabis ea, neque coles.* Lex igitur eradicat omne sculptile; & eum, qui fecerit, horrenda judicat condemnatione.

CHRISTIANUS.

Si unquam Lex omne ita damnat sculptile, & nullo modo rei alicujus licet fieri similitudo; peccavit Moyses, qui rerum similitudines effigiavit, & exsculpsit; immò peccavit Dominus, qui eas effigiari & exsculpi mandavit. Nam in Exodo Dominus ita præcepit: *Fa-*
Exod. 25. v. 8. & 9. *ciet mihi sanctuarium juxta omnem similitudinem tabernaculi quod ostendam tibi, & omnium vasorum, in cultum ejus.* Item post pauca: *Facies & laminam ex*
Ib. 28. v. 36. *auro purissimo, in qua sculpes opere cælatoris sanctum Domino.* Item: *Sumes duos lapides onichinos, &*
Ibid. v. 18. & 11. *sculpes in eis nomina filiorum Israel, opere sculptoris, & cælatura gemmarum.* Ecce rerum similitudines effigiantur & effigiari a Domino præcipiuntur. Ecce sculpturæ fiunt Domino in lapidibus onichinis & auro. In libro verò Regum legitur, ubi Templum Domino ædificatur: *Omnes parietes templi sculpsit per circuitum*
3. Reg. 6. v. 29. *variis cælaturis, & torno; & fecit in eis Cherubim, & palmas, & picturas varias quasi prominentes de pariete & egredientes. Fecit quoque & mare fusile decem cubi-*
v. 23. 7. v. 23. *torum; & stabat super duo decim boves.* Idem post pau-
v. 27. 6. v. 23. *ca: Fecit in oraculo de lignis olivarum duo Cherubim decem cubitorum altitudinis* Idem: *Induxerunt sacer-*
8. v. 6. *dotes archam fœderis Domini in locum suum, in oraculum Templi in sanctum sanctorum, subter alas Cherubim.* Ecce apertè nominat picturas & sculptilia, non improbando sed approbãdo ea quæ in Templo Domini facta existunt sculptilia. Nam Deus ipse omnia quæ facta sunt approbando se insinuavit accepisse: *Et non*
v. 11. *poterant*, inquit, *Sacerdotes stare & ministrare, propter nebulam: implerverat enim gloriâ Domini domum Domini.* Isaias Propheta dixit: *In anno, quo mortuus*
Is. 6. v. 1. & 2. *est Rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum. Seraphim stabant super illud; sex ala uni, & sex ala alteri.* De illis

quatuor animalium ſpeciebus, quas deriſione injuſtâ notabi, Ezechiel Propheta ita loquitur: *Similitudo vultus quatuor animalium, facies hominis, & facies Leonis à dexteris ipſorum quatuor,* * *facies verò vituli à ſiniſtris ipſorum quatuor, & facies aquilæ deſuper ipſorum quatuor.*] Quod ergo Iſaias vidit, dixit, & ſcripſit; quod Ezechiel vidit, dixit, & ſcripſit; licet poſt eos ſcribi, & dici, & picturæ aliquâ notâ ſignari. Sicut enim litteræ quodammodo fiunt verborum figuræ & notæ: ita & picturæ ſcripturarum, rerum exiſtunt ſimilitudines & notæ. Quid plura? ſermonem colligamus, & ad propoſitæ quæſtionis finem accedamus. Prohibuit Deus ne fiant ſculptilia: & tamen; ſicut legimus, à Deo juſſa ſunt fieri ſculptilia. Competenter igitur mandatum legis accipiendum eſt, immo ſicut ipſe legiſlator declarat, intelligendum eſt. *Non,* inquit, *facies ſculptile, &c.* cauſamque demonſtrat: *Non adorabis ea, neque coles.* Exclusâ igitur perfidi cultus idololatriâ, fracta ſunt ab eis, & fieri poſſunt à nobis ſculptilia. Facimus Deo picturas, facimus Deo cælaturas, facimus Deo & ſculpturas; ſed divino cultu nec colimus eas, nec adoramus. Nam ipſam crucem, quam crucem ſanctam dicimus, utique lignum, non Deum, eſſe dicimus; nullamque in ſe, aut ex ſe virtutem habere eam dicimus: ac poſtquam benedictione Pontificali ſanctificatur in memoriam Dominicæ Paſſionis; jam crucem non divino, ſed debito veneration is cultu attollimus, adoramus, & colimus; ſicut in Pſalmo dicitur: *Adorate ſcabellum pedum ejus; quoniam ſanctum eſt.* Debito veneration is cultu idcirco dicimus; quia alio modo dicimus, *Chriſtianus colit Deum*; alio modo dicimus, *colit ruſticus agrum.* Item alio modo dicimus, *adorat homo Deum*; alio modo dicimus, adorat homo aliquem alicujus dignitatis virum, vel aliquod alicujus dignitatis ſignum. Nam in libro Regum legimus quòd Berſabee adoravit Regem David: & in multis veſtrarum ſcripturarum locis legimus quòd homo hominem adoravit, * quamvis in Lege ſcriptum ſit: *Dominum Deum tuum adorabis.*] Cùm igitur Chriſtianus crucem adorat, divino religionis cultu adorat in cruce Paſſionem Chriſti; propter hominis, à Deo aſſumpti in unitatem perſonæ, paſſionem: ac debito venerationis cultu adorat crucis effigiem, ipſius Dominicæ Paſſionis ex ſculptam ſimilitudinem. Ut ego paucis & breviter * concludam, nullam omninò Chriſtianus divino cultu rei alicujus adorat effigiem; debito tamen honoris cultu ſacratas ſacrarum rerum colit & honorat effigies & picturas. Recita ergo Scripturas, Legem ſcilicet & Prophetas; videbis ea omnia, quæ dixi, ſcripta eſſe in Lege aut Prophetis, aut eadem verba, aut eumdem omnino ſenſum habentia. Cogita, inquam, & recogita quid expectatis, & quouſque expectatis; & quo ligno * expectata, cùm aderunt, dignoſcetis. Nam qui promittebatur mittendus, venit jam miſſus; ſicut atteſtatur ſigna, quibus prænunciabatur Jeſus Chriſtus, expectatio gentium, cui honor & imperium per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Ezech. 1. v. 10.
Mt. Rom. 1. v. 23.
Ex. 20. v. 4.
Ps. 98. v. 5.
Deut. 6. 13. & 10. v. 20. Mat. 4. 1. 10. Luc. 4. v. 8.
Mt. Rom. 1. v. 23.
Mt. Sen. Germ. expectato.

Hæc Epiſtola, ut liquet eſt Gilleberti, & hunc diſputationi erat præmittenda, ſicut in Mſ. Victor. ipſi præfigitur ſub hoc titulo. *Incipit Altercatio cujuſdam Chriſtiani & Judæi, de fide Catholica.*

REverendiſſimo Alexandro Dei gratia Lincolnenſi Epiſcopo quidam fidei Chriſtianæ propugnator & ſervus. In ſpiritu Dei recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere. Quam plurimùm litteris iſtis inſtructus, aitæ non ſolùm humanis, ſed etiam divinis legibus eruditus, & perſonalis gratiæ honore præditus; mitto vobis diſputatiunculam parvam veſtro examinandam judicio, quam nuper cum quodam Judæo confligens edidi. Quidam mihi cùm cognitus eſſet Judæus cujuſdam negotii causâ; tandem cogente amore frequenter illi ſuadebam quatenus Judaïſmo relicto Chriſtianus efficeretur; cui etiam multimodas erroris ſui vias veritatis luce monſtraveram; & quod dicebam ſuę legis & noſtræ teſtimoniis approbabam: ſed cùm obdurato corde in ſua infidelitate perſiſteret, atque errorem ſuum ineptis quæſtionibus & argumentationibus tueretur, tandem amicabili conventione convenimus, & diſputandi gratiâ reſedimus. Igitur rogaverunt me auditores ut hoc pro utilitate fidei litteris traderem, quibus libenter obediens pro capacitate ingenioli mei, ſub perſona Judæi & Chriſtiani diſputantis apicibus annotavi. In quo ſi quid bene dictum, Dei gratiæ tribuatur; ſi quid otioſum & inutile, veſtra Prudentia noverit reſecare, ſive totum, ſive partem, libentiſſimè feram quidquid vobis placuerit facere. Ergo Judæus ille plurimum ſua lege peritus, noſtrarum etiam litterarum non inſcius ſic incepit.

Digitized by Google

ANNULUS,

SEU

DIALOGUS CHRISTIANI

ET JUDÆI

DE FIDEI SACRAMENTIS.

AUCTORE RUPERTO, ABBATE TUITIENSI.

Nunc primùm editus.

PROLOGUS AUCTORIS.

a Vide Apologiam pro Ruperto pag. 41. 50. 64. 76. & 82.

SCIEBAM ego jam dudum quod nunc dicis, Pater mi R. Abba venerabilis, sciebam, & vulnerato corde sentiebam ita esse, ut tandem tu animadvertisti, quia quæ scripsi vel quæ scribo non sunt sine spiritu Dei; & omnia, quæ objecta sunt per contrarium libris nostris ab hominibus malæ voluntatis, ex radice pullularunt amaritudinis.

2. Cor. 1. v. 12. Unde autem hoc poteram scire, nisi ex glorioso testimonio conscientiæ? *Nam gloria nostra,* inquit Apostolus, *hæc est testimonium conscientiæ nostræ.* Cùm igitur hoc scirem; nam etiam certis cum indiciis ad gloriam Dei hoc referre possem, ubi, quando, & quomodo visitationem acceperim Spiritus spirantis ubi vult, & dividentis singulis prout vult: nunquid cedere debebam eidem, quam dicis, invidiæ diaboli, amaritudini hominum malæ voluntatis? Nunquid dignum erat à laude vel ministerio Divini verbi cessare, & gratiolam desuper datam, intus consopitam silentio detinere? Utique etsi vellem, nequaquam valerem. Ut interim nunc taceam de amicis hominibus bonæ voluntatis, qualium nunc mihi non minus es tu, qui ad diu optatum me compellis opusculum; ut, inquam, taceam de hominibus, qui me dormire non sinunt: ipse Deus Dei verbum clausum sibi esse oris mei non patitur ostium, modis quibusdam super me jus exercens magisterii sui; ut si vellem, de ipso tacere non possim. Infelicem me vel in hac parte profiteri non audeo, quia nonnullis experimentis aliquantisper didici quæ sit illa vis sub qua deficiunt felices & sancti; qua-

Jer. 1. & 9. lium de maximis unus Jeremias cùm præmisisset. *Et factus est mihi sermo Domini in opprobrium & in derisum tota die, & dixit, non recordabor ejus neque loquar in nomine ejus:* Protinus ait: *Et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans.* Psalmista quoque secundùm eundem sensum cùm

Ps. 38. v. 2. dixisset: *Posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator adversum me: obmutui, & humiliatus sum,*

v. 4. *& silui à bonis;* protinus defectum suum insinuat his verbis: *& dolor meus renovatus est: concalu-*

v. 5. *it cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* Statimque, *locutus sum,* ait, *in lingua mea,* subauditur, qui tacere decreveram. Nimirum sensum verborum experimento meliùs addidici, quàm lectione addiscere potuerint: & hinc est quòd & ego nunc usque locutus sum, & loquar in lingua mea, fronte hactenus & dura facie quasi adamantina. Sed his omissis, quæ fortè nimiam videatur spirare confidentiam: quamquam sit humilitate remissa utilior humilis confidentia; jam nunc in rem ingrediar, in opus quod tu jam diu expectas, jam dudum vehementer efflagitas. Constituenda est mihi, quoniam ita postulas, quædam Christiani contra Judæum monomachia: ita ut sub dialogo totum duellum procedat, Christiano ad fidem Evangelicam invitante Judæum, Judæo quantumcumque potest ex littera legis & ex sensu suo repercutiente Christianum. Putas enim & fortè non inaniter existimas quòd hæc disputatio, etsi non necessaria est veteranis, at saltem nostris poterit prodesse tyrunculis: cùm ex multitudine Legis & Prophetarum, sive omnium sanctarum Scripturarum aliqua simul congesta hîc invenerint, quibus velut armis communiti expugnare non dubitent sensum Judaïcum extollentem se adversus scien-

Digitized by Google

tiam Dei. Hoc ego facere inſiſtam, ſicut vis, ſicut inſtanter exigis, prout Deus dederit, & animo in aliis occupato poſſibile fuerit: & ſicut omni ratione, quoad potero, fideliter armare Chriſtianum; ita omni contraditione diligenter curabo ſubornare Judæum. Feſtivum ſit pueris fidelibus hoc ſpectaculum: nam non neceſſe eſt fortè ſenibus, nec vacat aut delectabile intereſſe, aut animum intendere ad hujuſmodi conflictum: quippe quorum in mentibus bene fundatum eſt ſuper petram & firmiter ſtat Chriſtianæ fidei fundamentum.

ANNULUS

SEU

DIALOGUS CHRISTIANI

ET JUDÆI,

DE FIDEI SACRAMENTIS.

LIBER PRIMUS.

CHRISTIANUS.

EGo baptizatus in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti maculam peccati originalis, reatum inobedientiæ primi hominis in memetipſo dilui; & contra cibum ligni vetiti, quod idem primus homo comedit, Corpus & Sanguinem Chriſti de ligno crucis, Deo dante, ſuſcepi; comedenſque ac bibens gratiam & gloriam conſequor adoptionis filiorum Dei.

JUDÆUS. Ego circumciſus circumciſione, quam Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob auctoritate ſua tradidit, primogenitus ſum filius; quemadmodum Deus ipſe ad Pharaonem dicit, *filius meus primogenitus Iſrael, Dixi tibi: dimitte filium meum ut ſerviat mihi: & noluiſti dimittere eum: Ecce ego interficiam filium tuum primogenitum.* Exo. 4. v. 22. 23.

CHRIST. Cauſam ſive utilitatem ego novi & dicturus ſum tibi, propter quam Baptizari debuerim, vel neceſſariò Baptizatus ſim; tu prior cauſam, ſive utilitatem dic, ſi noſti propter quam circumciſus ſis. Ego namque paratus ſum demonſtrare tibi quòd vulnus circumciſionis hoc tempore efficere non poteſt, ut filius ſis. Recita nunc ipſam traditionem Dei, traditionem circumciſionis.

JUD. Ad Abraham patrem meum Deus dixit: *Et tu ergo cuſtodies pactum meum, & ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis. Hoc eſt pactum quod obſervabitis inter me & vos, & ſemen tuum poſt te; circumcidetur in vobis omne maſculinum, & circumcidetis carnem præputii veſtri; ut ſit ſignum fœderis inter me & vos: Infans octo dierum circumcidetur in vobis; omne maſculinum in generationibus veſtris tam vernaculus, quàm emptitius circumcidetur, & quicumque non fuerit de ſtirpe veſtra, eritque pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum. Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo; quia pactum meum irritum fecit.* Gen. 17. v. 9. &c.

CHRIST. Traditionem iſtam jam dudum legi & relegi, veneratus ſum & nunquam deſinam venerari; quia fuit traditio Dei: debemus autem ego pariter & tu conſiderare intentionem ejus qui tradidit ſecundùm dictum hoc; quia cum dixiſſet: *Et circumcidetis carnem præputii* veſtri; ſubjunxit atque ait, *ut ſit ſignum fœderis inter me & vos.* Primum hoc ex te quæro quid ſit fœdus, * & quid ſignum fœderis nuncupatur. Dic ergo quid ſit fœdus?

JUD. Fœdus amicitiæ compoſitio eſt, animorum invicem diligentium conjunctio eſt.

CHRIST. Rectè reſpondiſti. Creator creaturæ Deus fœderatus eſt, Deus homini Abrahæ per amicitiam conjunctus eſt: & illius mutuæ confœderationis ſignum voluit eſſe circumciſionem carnis. Die ergo quid, vel quale fœdus illud fuerit, cujus in ſignum Deus fœderatus homini amico circumciſionem dedit. Sic enim ſcriptum eſt; *ſic Deus dilexit, ut circumciſio ſit ſignum fœderis.*

JUD. Quid, niſi quia pater noſter idem Abraham, vir bonus, homo ſanctus fuit, & ſanctè vivendo Deo placuit.

CHRIST. Nolo mihi de tuo corde reſpondeas; ſed hoc mihi reſponde, quod ex ipſa depromptum ſit Scriptura ſacra. Verum quidem eſt quòd Abraham vir bonus extitit; ſed ego ipſis Scripturæ vocibus certum quæro capitulum, quo bonitatis vel ſanctitatis illius indubitatum ſuſcipiamus teſtimonium: Quid ſtas? Quid taces & titubas? Ego tibi dicam: *Credidit Abraham Deo; & reputatum eſt ei ad juſtitiam.* Hoc de nullo ejus opere dictum vel ſcriptum eſt, quod ad juſtitiam ei ſit reputatum; niſi de iſto ſolo, quia credidit. Gen. 15. v. 6. Rom. 4. v. 3. Gal. 3. v. 6.

JUD. Concedi oportet: etenim ita eſſe manifeſtum eſt.

CHRIST. *In die illo*, ait Scriptura, *pepigit ſupra Dominus fœdus cum Abraham:* & deinde poſt annos non minus quatuordecim, apparens ei Dominus dixit ea quæ jam meminiſti; *circumcidetur*, inquiens, *in vobis omne maſculinum, & circumcidetis carnem præputii veſtri; ut ſit ſignum fœderis inter me & vos.* Eſt igitur aliud fœdus, & aliud ſignum fœderis: quia fœdus, fidei meritum eſt: Etenim propter fidem & Abraham ante Deum juſtificatus, & Deus Abrahæ fœderatus eſt: ſignum autem fœderis circumciſio, quæ poſt tot annos juſſa eſt. Proinde cùm dicit Deus, *eritque pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum*; nolo ſic accipias ut dicat, *& circumcidetis carnem veſtram in æternum.* quia fœdus quidem æternum Gen. 17. v. 13.

est : circumcisio autem in æternum exerceri non potest, quippe ubi nec ipsa circumcidentium successio æterna est.

Jud. Et tamen ad æternam salutem necessaria est. Ibid. v. 14. *quia masculus*, inquit, *cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo ; quia pactum meum irritum fecit.*

Christ. Necessaria fuit, quamdiu illam exerceri oportuit.

Jud. Numquid ad tempus posita, sive observari jussa est : aut Deus, qui illam observari jussit, mutabilis est ? Quid ergo est quod dicis ; quamdiu illam exerceri oportuit ?

Christ. Recole quod jam inter nos confectum est, scilicet, circumcisionem non esse fœdus vel pactum ; sed pacti vel fœderis signum ; patremque Abraham non ex circumcisione, sed ante circumcisionem per fidem fuisse justificatum, factumque Dei amicum.

Jud. Et quidem recolo ; sed nihilominus constat quia absque ulla determinatione temporis data est circumcisio ab æterno & incommutabili Deo.

Christ. Est igitur circumcisio justitiæ fidei signaculum. Quæro autem nunc à te ipsam fidei substantiam : scilicet in quo fidem habuerit Abraham, quid crediderit, quæ res in medio posita fuerit, in qua inventus est fidelis. Quid iterum stas ? quid dubitas ? Ego dicam tibi quia promissio seminis, in quo benedicerentur omnes gentes, primum & ultimum capitulum fuit ejus fidei. Primò namque loGen. 12. v. 1. quens ad eum Deus : *egredere*, inquit, *de terra tua, & de cognatione tua*, &c. usque ; *atque in te benedicentur universæ cognationes terræ.* Et jam tunc quidem credidit ; egressus namque est, sicut ei præceperat Dominus : post autem labores peregrinationis atque expectationis, quarta vice apparens cùm dixisset ei Gen. 15. v. 5. Dominus : *suscipe cœlum, & numera stellas, si potes ; sic erit semen tuum.* Tunc demum Scriptura : *credidit,* v. 6. inquit, *Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam.*

Jud. Quod erat illud semen ? vel quid intelligere me vis in eo quod narras, *atque in te*, sive, atque supra in semine tuo (ut alibi dictum est) *benedicentur omnes gentes, sive cognationes terræ ?*

Christ. Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi pater tuus Jacob, cujus in carne quòd gloriaGen. 49. v. 10. ris pater tuus sit, *veniet*, inquit, *qui mittendus est ; & ipse erit expectatio gentium.* Quod ille dicit expectationem gentium, hoc intellige hîc benedictionem gentium, & hanc esse remissionem peccatorum ; quia peccatum maledictio est, per quod mors introivit in hunc mundum. Ergo illud semen Abrahæ Messias est, quem expectaverunt patres tui, & in hoc semine credenti Abrahæ fides ad justitiam reputata est ; & pro hujus justitiæ & fidei merito, Deus cum illo fœdus pepigit ; cujus, videlicet, fœderis signum circumcisionem Deus esse voluit.

Jud. Si, ut dicis, fœderis vel fidei signum circumcisio est ; quare in illa parte corporis, quæ non apparet, posita est ? signum enim, sive id quod pro signo ponitur, ibi poni debet ubi videatur : Cur ergo non potius in facie, vel in aure signum positum est, vel in aliqua corporis parte, ubi pareret ?

Christ. A Deo nihil non videtur ; sed omnia nuda & aperta sunt oculis ejus. Melius ergo & rationabilius, quoniam in semine venturo erat fides, in ea parte corporis, per quam semen naturaliter traducitur, signum fidei positum est. Sic Noé, qui similiter per fiGen. 6. v. 17. dem justificatus est ; credidit enim Deo dicenti, *ecce ego adducam aquas diluvii &c.* cùm cæteri ferè omnes permanerent increduli : propter quod & Scriptu- v. 9. ra de illo dicit, quia *justus atque perfectus cum Deo ambulavit :* sic, inquam, congruum signum accepit secundùm rationem fidei suæ. Nam quia dicenti Deo, *ecce ego adducam aquas diluvii super terram.* Gen. 7. v. 4. Itemque : *ego pluam super terram xl. diebus & xl. noctibus :* indubitanter credidit, & fecit arcam sicut Dominus mandaverat ; & signum accepit non ubicumque, sed in nubibus cæli, unde descendit pluvia sicut ipse credidit. *Nam ecce*, inquit Deus, *ego statuam pa-* Gen. 9. v. 11. *ctum meum vobiscum, & hoc signum fœderis inter me* 12. & 13. *& vos, arcum meum ponam in nubibus cæli.*

Jud. Quid necesse erat fœderis signum, ut dicis, circumcisionem dari ?

Christ. Qui hoc interrogas, interroga simul quid necesse fuerit vel ad quid valeat signum fœderis arcum poni in nubibus cœli ? sin hoc interrogas ; non ego, sed ipse Deus respondebit. *Videbo*, inquit, *eum* Ibid. v. 14. & *& recordabor fœderis sempiterni ; ut non sint ultra* 15. *aquæ diluvii ad delendam universam carnem.*

Jud Ergone Deus oblivioſus est, ut opus sit illum commoneri signo recordationis ?

Christ. Non est oblivioſus ; sed recordari rectè dicitur, dum nos recordari facit.

Jud. Assentio : nam & ad Abraham, *nunc cogno-* Gen. 22. v. 12. *vi*, inquit, *quòd timeas Dominum :* cùm & antè, sicut omnia, ita & istud cognoverit.

Christ. Igitur si interrogas quid necesse fuerit signum fœderis circumcisionem dari ; ipse tibi & si non eisdem verbis, eodem sensu respondebit : *videbo supra signum, & recordabor fœderis mei*, quod propter fidem pepigi cum Abraham, quia credidit in semine quod promisi ; *Recordabor*, inquam, & posteros Abrahæ recordari faciam : ut sint certi quòd non dimittam fidelis & verax, nisi verbum promissionis adimpleam.

Jud. Quòrsum ista omnia ? Quò tendis aut quò me dicere vis ?

Christ. Nonne tibi suprà proposui demonstrare quia vulnus circumcisionis hoc tempore efficere non potest, ut tu ille filius sis, de quo Deus ad Pharaonem, *filius meus*, inquit, *primogenitus Israel : di-* Exo. 4. v. 23. *mitte filium meum, ut sacrificet mihi ?* Expecta pauliſper, citò illuc perveniendum est. Ego adhuc tibi dico, quia Deus, quem impossibile est mentiri, non contentus promissionis & fœderis sui signum dedisse circumcisionem, juramentum addidit in repromissione his verbis : *Per memetipsum juravi, quia fecisti rem* Gen. 22. v. 16. *hanc, & non pepercisti filio tuo unigenito, benedicam* 17. & 18. *tibi : & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Optabat enim Deus fidelis, ut certi essent homines de immobilitate consilii sui ; & ideireo cum jam dicto fœderis signo jus jurandum quoque interposuit, per semetipsum jurans ; quia per quem juraret, majorem non habuit. Ecce implevit quod promisit, non oblitus est quod juravit, justificatus Deus in sermonibus suis, sicut orat David, & fidelis in omnibus verbis suis, sicut idem ait ; quia de semine Abrahæ Messias, qui dicitur Christus, natus est : & in isto semine jam dudum benedicuntur omnes gentes.

Jud. Quàm multi benedictionem istam non quærunt, quam multi per orbem terrarum quem tuum dicis Christum contemnunt. Quomodo ego tu dicis quòd iste sit illud semen, in quo, sicut promissum est Abrahæ, benedicentur omnes gentes sive cognationes terræ ?

Christ. Nunquid hoc Abrahæ promissum est, quòd in semine ejus benedicerentur omnes homines ? Non utique ; sed omnes gentes, omnes cognationes, id est, quicumque sive qualescumque de omnibus gentibus, sive cognationibus credentes ; ut non sit, aut discernatur in benedictione hac masculus aut fœmina, Gentilis & Judæus, Circumcisio & Præputium, Barbatus & Scyta, servus & liber. Olim non ita, priusquam semen istud veniret ; sed intra solâ Judæam ista benedictio, immo benedictionis promissio conti-

Digitized by Google

batur: & cum illæ propheticæ voces audirentur, non prædicabatur cæteris gentibus.

Jud. Immo & cæteris gentibus prædicabatur; & hoc in Prophetis manifeſtè habemus. Prædicabatur Aſſyrio, prophetabatur Babyloniis, nuntiabatur Moab, clamabatur Ægypto, dicebatur Medo pariter & Idumæo, non tacebatur Arabiæ, imperabatur meretrici Tyro, cæteriſque nationibus per Prophetas Iſaiam, Jeremiam, atque Ezechielem ventura nuntiabantur.

Christ. Planè ſcimus quia multis gentibus ſua mala nuntiabantur, ſuum væ Aſſyrio, ſuum onus Babyloni, ſuum onus Ægypto, cæteriſque gentibus, quas enumerare longum eſt: ſed illud non erat prædicari gentibus benedictionem ſeminis Abrahæ. Aliud erat Prophetam in angulo judaici domatis ſedendo calamo ſuo litteris unius Hebraicæ linguæ de gentibus quibuslibet ventura præſcribere: aliud Apoſtolos ad gentes ire, & omnibus linguis prædicare pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in nomine ſeminis Abrahæ.

Jud. Et Propheta Jonas ad gentes ivit; ad civitatem Caput Aſſyriorum, Ninive miſſus eſt, & prædicavit.

Christ. Quid rogo prædicavit? nunquid prædicationem benedictionis? prædicationem regni Dei? non utique: ſed hoc tantùm *adhuc xl. dies, & Ninive ſubvertetur.* Non prædicavit, neque hoc prædicare miſſus eſt ut gentes ad Dominum converterentur: nec enim jam venerat converſionis gentium tempus; ſed hoc agebatur, ut Aſſyrii, quibus in captivitatem tradendus erat Iſrael, juſtiores Iſraële comprobarentur; dum iidem Aſſyrii prædicationi vicinæ ſubverſionis ſuæ crederent, Iſraële incredulo permanente, cùm ei captivitas eadem per multos Prophetas diu prænuntiaretur, multis Miraculis concurrentibus, quæ maximè per Heliam & Heliſæum operatus eſt Deus. Quid nunc taciturus aſtas? Ut video, non habes quid econtra dicas, quo infirmare poſſis veritatem manifeſtæ rei, quam dicimus, quia venit ad benedictionem omnium gentium ſemen Abrahæ, quod promiſit, & cum juramento repromiſit fidelis Deus.

Jon. 3. v. 4.

Jud. Omnia quæ dicis, mea ſunt; & de meis libris ea ſuſtuliſti. Unde hæc tibi? Quid ad te de Scripturis meis?

Christ. Nunquid ego non ſum, aut eſſe debeo bene fraudulentus? *venit germanus tuus fraudulenter*, ait Jacob filio ſuo primogenito Eſaü, & *accepit benedictionem tuam.* Nimirum ſicut Rebecca mater veſtibus Eſaü valde bonis, quas apud ſe habebat domi, induit juniorem filium; ſic Spiritus ſancti gratia Scripturis ſanctis, quas tu, Judæe, dicis eſſe tuas, ornavit me Chriſtianum. Sed jam veniamus ad propoſitum: ſiquidem propoſueram demonſtrare tibi quòd hoc tempore circumciſio tua non proſit; & quòd poſt adventum ſeminis Abrahæ ceſſare debuerit.

Gen. 27. v. 35.

Jud. Non vacat auditum præbere diutius ſermonibus hujuſmodi; aliis enim occupatus ſum negotiis: veniam rurſus ad audiendum & reſpondendum, cùm oportunum fuerit.

Christ. O Judæe, quoties ſubterfugiſti per occaſiones hujuſcemodi, & diem condictam inter nos non obſervaſti? Fugis, & rationes veritatis pati non potes, oculis à lumine ejus reverberatis. Sic quondam fugiebant patres tui non ferentes, niſi velata eſſet, claritatem vultus Moyſi. Sed nunc mane, obſecro, quia veritatem diligens, tuam quoque ſalutem quæro. Non tibi impropero te non eſſe ſapientem, juxta quod quidam tuorum Prophetarum dixit. *Propterea captivus ductus eſt populus meus; quia non habuit ſcientiam:* & alius dixit; *quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi.* Cæterique multa his ſimilia. Sed hoc tibi inſinuare cupio, ne adeò ſciens tibi videaris, ut ultra diſcere nolis; non, inquam, ita ſapiens apud temetipſum ſis, ut audiens veritatem contradicas veritati.

Iſa. 5. v. 13. Oſee 4. v. 6.

Jud. Dic cætera, proſequere quouſque vis.

Christ. Profectò ſi recolis ritè, ſi recitatas hactenus Scripturarum voces & ſenſum ritè perpendi; hoc vides, qui ſignum fœderis, ſignaculum fidei, circumciſio carnis quam Pater Abraham Deo jubente ſuſcepit, quoddam ſchema vel habitus fuit profeſſionis teſtimonium perlubens hominibus fidelibus ſpei & expectationis, quô ſperarent credentes & expectarent adventum beati ſeminis Abrahæ, ſcilicet Chriſti, & hoc teſtimonium habentes, juſta miſericordia, miſericordi juſtitia deberent in adventu ejus ad perfectum juſtificari; & ipſi Deo, qui promiſerat, commonitorium fuit, ut videret illud ſignum, & recordaretur fœderis ſui & mitteret ſemen illud quod promiſit, quod juravit. Quod ſi ita eſt, immo quia ita eſt; revera poſt adventum ejuſdem ſeminis, omnino circumciſio ceſſare debuit; cùm circumcidi hoc ſit dicere, mitte quem miſſurus es; mitte quia nondum miſiſti; nec enim illum recipimus, quem miſiſſe diceris: & hoc eſt negare illum, qui jam venit benedictus in nomine Domini. Proinde veraciter & rectè nunc mihi dicitur, cui tu perſuadere volebas ut circumcideret, dicens ſub ipſis exordiis Evangelicæ prædicationis Gentilibus auditoribus Evangelii; quia niſi circumcidamini ſecundùm morem Moyſi, non poteritis ſalvi fieri; rectè, inquam, mihi dicitur & veraciter quia ſi circumcidaris, Chriſtus tibi nihil prodeſt.

Jud. Etſi tibi vis non expedire circumcidi; ut mihi prodeſt circumciſum eſſe, ſicut circumciſi ſunt octavo die Patres mei, Pater meus Iſaac, Pater meus Jacob.

Christ. Quare non dixiſti potius, ſicut circumciſus eſt Iſmael, ſicut circumciſus eſt Eſaü? denique quantùm diſtat circumciſio Iſmaelis & Eſaü infidelium, à circumciſione Iſaac & Jacob; tantùm diſtat inter circumciſionem tuam, & circumciſionem cujuſque fidelis ante hujus beati ſeminis adventum. Dic mihi nunc, ſi noſti, quid in circumciſione amplius fuerit Iſaac, quàm Iſmaeli; Jacob, quàm Eſaü? omnes quippe unum idemque in carne ſua vulnus circumciſionis acceperunt: Et unius patris, ſcilicet Abrahæ, duo filii Iſmael & Iſaac; unius patris Iſaac duo ſecundùm carnem filii, Jacob & Eſaü fuerunt, & eadem die circumciſi ſunt.

Jud. Dic tu, quid propoſuiſti, quæ diſtantia circumciſionis illorum fuerit.

Christ Dicam breviter quia cùm duo ſunt fœdus & ſignum fœderis; ſicut hactenus clariſſimè demonſtratum eſt; Iſaac & Jacob ita, ſicut pater eorum Abraham, & fœdus in mente, & ſignum fœderis, ſcilicet, circumciſionem in carne ſuſceperunt; Iſmael autem & Eſaü abſque theſauro fidei, ſine compoſitione fœderis ſignum, id eſt, circumciſionem perpeſſi ſunt; & tanquam vaſa vacua ſignaculo ſuperfluo ſignati ſunt. Proinde benedictio illorum tota in carne rebuſque corporalibus fuit, dicente Deo ad Abraham: *ſuper Iſmaele quoque exaudivi te, ecce benedicam ei, & augebo & multiplicabo eum valde*, dicente Iſaac ad Eſaü, *in pinguedine terræ & in rore cæli deſuper erit benedictio tua.* Porro benedictio Iſaac & benedictio Jacob in bonis eſt ſpiritualibus & ſempiternis, dicente itidem Deo ad Abraham: *pactum verò meum ſtatuam ad Iſaac*, dicente Iſaac ad Jacob, *ſerviant tibi populi & adorent te Tribus.* Quod propter Chriſtum dictum eſt, in quo ſine dubio carnem Jacob adoramus; licet & iſtis temporalis benedictio, ſcilicet, abundantiæ de rore cæli & de pinguedine terræ non defuerit. Circumciſionem tuam, ô Judæe, qui hodie

Gen. 17. v. 20. Gen. 17. v. 39 & 40. Gen. 17. v. 21. Gen. 17. v. 19.

circumcideris, ſic appendit Deus, ut illius Iſmaelis & illius Eſaü: quia quemadmodum illi, ſic & tu ſine fide, abſque fœdere ſignum fidei, ſignaculum quod erat quondam fœderis, accipis vacuus, ſcilicet circumciſionis vulnus.

JUD. Quantum in te eſt, confundis gentem noſtram, abolere niteris generis noſtri memoriam; ut incircumciſi permanentes, in nullo cæteris gentibus ſimus diſſimiles: & ita deleatur nomen Iſrael.

CHRIST. Non confundo gentem tuam; ſed ad veram te cupio pervenire gloriam; ut non glorieris in carne, ſed in fide ſeminis Abrahæ: una enim gens, & magna gens Abrahæ promiſſa ſecundùm ſeminis ejus fidem, dicente Deo, *faciamque te in gentem magnam*; ſubjungens: *atque in te benedicentur omnes cogitationes terræ.* Quid ergo tibi melius videtur fide mori in gente & cum gente tua parvula & captiva & diſperſa; an per fidem in illa gente una, gente Abrahæ magna, gente luminoſa, in cælo conſcripta, ſecundùm hoc dictum; *ſuſcipe cælum, & numera ſtellas, ſi potes; ſic erit ſemen tuum?* ibi ſemen Abrahæ Chriſtus tanquam ſol; ibi virgo, quæ illum peperit & ipſa ſemen Abrahæ, tanquam luna; ibi omnes ſancti & electi, tanquam ſtellæ, multitudo innumerabilis ſoli Deo numerata. Fac ut vis. Nam de circumciſione tua juxta propoſitum ratione reddita quòd ſit inutilis dico, ſicut in initio dixi, quia ego baptiſatus in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, in fide ſeminis Abrahæ peccatum exui primi patris veteris Adæ, & gloriam aſſecutus ſum adoptionis filiorum Dei, filiorum Abrahæ.

Gen. 22. v. 3-5.

Gen. 15. v. 5.

JUD. Si peccatum primi parentis Adæ per baptiſmum tuum exuiſti; quare moreris? Nonne mors peccati eſt pœna? Si ergo tibi & non mihi peccatum illud remiſſum eſt; quare tu æquè ut ego moreris: cùm ipſa mors pœna ſit peccati, & peccatum efficiens fuerit cauſa mortis?

CHRIST. Ego vivo; & à morte, quæ per peccatum & cum peccato ſubintroivit, liberatus ſum per gratiam baptiſmi.

JUD. Quotidie moreris; quotidie, Chriſtiane, cùm ſis pulvis, non minùs nec tardiùs quàm Judæus, in pulverem reverteris.

CHRIST. Velamen ſuper oculos habes; & idcirco non niſi mortem unam, non niſi mortem corporis vides: Revelentur oculi tui, ut videas quia duæ ſunt mortes; altera animæ, qua à Deo ſeparatur anima; altera carnis, qua carnem deſerit anima. Mortem animæ peccatum adduxit ipſa die, qua homo vetitum comedit ſecundùm veritatem Dei dicentis: *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris:* mortem carnis Deus miſericorditer intulit non ipſo die, quo ille comedit; ſed anno nongenteſimo triceſimo: licet Abel prius mortuus fuerit, & alii per tot annos mori vel interfici potuerint; ſed ipſe qui comedit, non ipſa die, ſed poſt tot annos mortuus eſt morte carnis. Inter utramque mortem hoc maximè intereſt, quòd mors animæ à diabolo per peccatũ ſumpta eſt, mors carnis à Deo per providentiſſimam ejus miſerationem ſuperducta eſt.

Gen. 2. v. 17.

JUD. Quomodo per miſerationem? Numquid miſerationis, & non potius iræ fuit & indignationis, quòd ne fortè mitteret homo manum ſuam, & ſumeret de ligno vitæ, & comederet, & viveret in æternum, ejecit eum de Paradiſo voluptatis?

CHRIST. Revera non iræ, ſed magnæ fuit miſerationis iam nos providè circumvolantis: vidit enim quòd homini nimis inutile foret, ſi ſecundùm corpus viveret in æternum, cùm ſecundùm animam mortuus eſſet; maneret quippe irrecuperabilis, ut ſunt dæmones, & indomabilis ſuperbiæ: quippe qui adhuc vix domatur humilitatis ſpiritu, cùm quotidie moriatur. Bene igitur gratia liberatoris de morte animæ jam per baptiſmum me liberavit; mortem autem corporis auferre diſtulit, quæ multùm cooperatur cum omnibus hujus vitæ miſeriis, ut demiſſo capite flexaque cervice citiùs adduci poſſint ad quærendam gratiam, & præveniendam iram Judicis, quotquot ſunt ad vitam æternã prædordinati: ſcilicet, quorum cauſa ut naſcerentur non peccatum extitit, quo jam patrato atque per defenſionem roborato, dixit Deus mulieri: *multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos*; ſed benedictio, qua, antequam peccaſſent Adam & Eva, benedixit illis dicens; *creſcite & multiplicamini* &c.

Gen. 1. v. 16.

Gen. 1. v. 28.

JUD. Abſque baptiſmo tuo Pater meus Abraham de morte illa, quam dicis mortem animæ, ſalvatus eſt; quippe qui, quod ipſe non diffiteris, juſtus & ſanctus fuit, quemque ob juſtitiæ meritum Deus ſibi æterno fœdere amicum fecit.

CHRIST. Quando putas Abraham ſalvatus eſt, & in paradiſum introivit?

JUD. An tu & hoc ipſum refragari audebis, & dicere quòd nec ipſe Abraham pater introivit in Regnum Dei; ſicut aſſeverare ſolitus es quòd nullus omnino introierit ante adventum Chriſti tui?

CHRIST. Ego Scripturis ſanctis nuſquam refragari cupio; & rurſus ſine auctoritate illarum nec tuam nec alterius cujuſquam ſententiam audire patior, præſertim in tanto tamque arduo cognoſcendæ veritatis negotio. Dic ergo cum auctoritate Scripturæ quãdo vel ipſe pater Abraham, vel alius quis ſanctorum antiquorum, paradiſum ſive regnum Dei introierit. Nam de Abraham patre optimo atque ſanctiſſimo hoc tantùm egimus in fine ejus, quia deficiens mortuus eſt in ſenectute bona, provectæque ætatis, & plenus dierum, congregatuſque eſt ad populum ſuum, & ſepelierunt eum Iſaac & Iſmahel filii ſui. Quod ſi congregari ad populum ſuũ, idem eſſe velis quod introire in regnum Dei, ſive in paradiſum; repugnat valde quòd pater Jacob deflens filium Joſeph, quem putabat eſſe mortuum, & conſolantes filios ſuos audire nolens; *deſcendam*, inquit, *ad filium meum lugens in infernum.* Item; *ſi quid adverſi filio meo Benjamin*, ait, *acciderit in terra, ad quam pergitis; deducetis canos meos cum dolore ad inferos.* Non igitur ego, ſed Scripturæ auctoritas tibi refragatur, ne dicas aut æſtimare velis quòd locus, ubi congregatus eſt Abraham ad populum ſuum, jam fuerit cælum ſive paradiſus: ſed & in toto proceſſu vitæ ipſius Abraham nuſquam invenis quòd aliud quid promiſerit ei Deus, niſi ſemen in quo benediceretur, id eſt, ſalvaretur mundus; & terram Chanaam, ubi tamdiu habitare oportuit filios Abrahæ, donec eadem promiſſio impleretur.

Gen. 37 v. 35.

Ib. 42. v. 38.

JUD. Ergo-ne Abraham & cæteri Patres ſancti deſcendebant in infernum, & hoc erat eos congregari ad populum ſuum?

CHRIST. Deſcendebant utique in infernum; non tamen inferiorem, quo ſepeliuntur impii, cujus pſalmiſta meminit dicens: *Et liberaſti animam ex inferno inferiori*; ſed in locum, ſive regionem, non ſolùm cælo vel paradiſo, verùm etiam mundi hujus habitatione, inferiorem; ubi non ſolùm liberi erant à pœnis impiorum, verùm etiam viſitatione frequentabantur, & collocutione fruebantur ſanctorum Angelorum. Nam & Dominus noſter, quem voluntate mea jam dudum cognoſceres, de quodam paupere dixit quia factum eſt ut moreretur, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ, ſubjungens de divite, quia mortuus eſt & ipſe, & ſepultus eſt in infernum.

Pſ. 85. v. 13.

JUD. Quid ergo illis deerat, ſi ſanctorum Angelorum familiaritate non fraudabantur; aut quid illis claudi poterat de regno Dei, ſi à civibus ejuſdem regni Dei non ſeparabantur?

CHRIST. Ego tibi demonſtrare poſſum per ſimilitudinem ſancti Eccleſiaſtici atque Catholici Ordinis mei, quem ſi non recipis, libenter recipient & veraciter

ter agnoscēt quicumque huic spectaculo interesse volunt fideles, seu parvi seu magni: & deinde cursus demonstrabo per similitudinem illius, quam tuam dicis esse, legis Moysi, Cathecumenis suis mater Ecclesia maternā in omnibus dulcedinem impendit familiaritate amica; societate benigna colloquens atque cohabitans quisque fidelis doctrinæ lac aut etiam solidum scripturarum cibum, quoad potest, illis apponit: & cùm in his vel aliis ejusmodi ministeriis cōmunem se ordo Ecclesiasticus exhibeat ac tamen ad ipsum altare ipse singularis sancti sacrificii ritus non eos admittit, donec perficiatur in eis Sacramentū sacri Baptismatis, quo funditus expiatur macula peccati originalis, sed tu fortè parum curas de ista similitudine; dicam ergo aliam, sicut proposui: mulierem menstruatam ab introitu templi vel altaris suspendit lex Moysi, donec transactis diebus septem munda fieret, aut fœta esset, item transactis diebus legitimis veniret ad templum cum hostiis purificationis. Secundùm priorem similitudinem & Abraham & omnes sancti antiqui sic erant, quasi cathecumeni; & quia nondum erant abluti, non admittebantur sanctuario, sive altari cælesti, ubi vera & sempiterna communicatio est ipsa præsens dulcedo, dulcis præsentia visionis Dei, ut secundùm propositam aliam ex lege Moysi similitudinem menstruatæ mulieris, hoc ipsum demonstrem tibi; memento prius quia sanctorum illorum de notissimis unus Isaïas dixit: *Et facti sumus ut immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ universa justitia nostra.* Et Zacharias Propheta dixit: *In die illa erit fons patens domui David & habitantibus in Hierusalem, in ablutionem peccatoris & menstruatæ.* Igitur secundùm similitudinem hanc, quoniam justitia legis quasi pannus menstruatæ fuit, donec patens fieret fons domus David; concedere & oportet quod sicut mulier menstruata secundùm Legem arcebatur liminibus sacris, donec transactis sive completis diebus purgationis veniret cum oblationibus legitimis; ita justum erat ut sancti vel justi omnes, quorum justitia profectò imperfecta erat, foris excubarent à sanctuario cæli & visionis Dei, donec veniret ille qui menstruatam ablueret, qui, sicut Psalmista dixit; cùm sit legislator, benedictionem daret.

64. v. 6. Zac. 13. v. 1.

Jud. Et quis est ille?

Christ. Ille nimirum, cui propheta Zacharias dixit; *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua.*

Zac. 9. v. 11.

Jud. Et quis est ille?

Christ. Profectò ille, qui cùm veniret Hierosolymam sanguinem fusurus testamenti sui, sedit super Asinam sive super pullum Asinæ, verè contemptor vanitatis sæculi, verè mitis & humilis corde. Sic enim promiserat idem Propheta; *Exulta satis, filia Sion; jubila, filiæ Hierusalem: ecce rex tuus venit tibi justus & salvator ipse pauper ascendens super Asinum, & super pullum filium asinæ, & loquetur pacem gentibus:* & nunc demum ad ipsum conversus; *tu quoque in sanguine*, inquit, *testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.*

Jud. Ergone Christus tuus ipsum patrem nostrum Abraham de lacu eduxit? ubi, & quando, vel qualiter hoc fecit?

Christ. Cùm jam mortuus esset Christus meus, unus ex militibus lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua: in illo sanguine testamenti sui, in illa aqua socia sanguinis sui emisit Abraham & omnes vinctos suos de lacu in quo non erat aqua; & factum est ut jam dictus Zacharias Propheta prædixit, *in illa die erit fons patens domui David & habitantibus Ierusalem, in ablutionem peccatoris & menstruatæ*; hæc erat spes illorum, sicut attestantur scripturæ ipsorum. Exempli gratiâ, *asperges me*, inquit David, *hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor:* Et per Ezechielem loquitur ipse Dominus, *& scient gentes quia ego Dominus, cùm sanctificatus fuero in vobis coram eis: Tollam quippe vos de gentibus, & congregabo de universis terris, & adducam vos in terram vestram, & effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*, &c. Ecce habes utrumque ex auctoritate prophetica, & aquam mundam ad emundandos, & sanguinem testamenti ad emittendos vinctos de lacu in quo non est aqua. Multa quoque, præter hæc, poterant dici ad demonstrandum quòd sacramentū baptismi profluentis de latere Christi, Sacramentum sanguinis quo redimimur, Sacramentum aquæ, qua abluimur omnes fidem habentes beati seminis Abrahæ, scilicet, Christi, non est novi consilii; sed priusquam fieret, in antiquo erat proposito creatoris & Salvatoris nostri Dei.

Psa. 50. v. 9. Ezec. 36. v. 23. 24. 25.

Jud. Nunquid sanguis ille, quem dicis, in infernum descendit? aut aqua illa in lacum illum, nescio quem, in quo non erat aqua, profluxit? tantaque fuit inundatio, sive abundantia illius aquæ & sanguinis, ut illum omnem populum perfunderet atque ablueret, ad quem congregatus est pater Abraham, cui appositus Isaac, ad quem appositus est Jacob, cujus tanta multitudo jam fuit diebus Moysi ut dici possent pluraliter populi, sicut locutus Dominus ad Moysem in monte Hoc: *pergat*, inquit, *Aaron ad populos suos?* Quanta putas deinceps illius populi sive illorum populorum multitudo fuit temporibus David, quando dormivit cum patribus suis, quem dixisse meministi & dixisse putas de Baptismo tuo, *asperges me hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor?* Amplius autem: quando Jesus ille Christus tuus crucifixus & lanceâ percussus sanguinem, ut dicis, & aquam jam mortuus de latere suo fudit; quanta erat multitudo illius populi? quantus autem fuit rivus sanguinis illius & aquæ, ut omnem illam multitudinem lavare sua sufficeret inundatione?

Num. 20. v. 24. Ps. 50. v. 9.

Christ. Nolo in sanguine illo & aqua illa solùm illud attendas quod visibile fuit, sed causam illius effusionis, virtutemque invisibilem, quam sustinere non posse mundus clamavit. Siquidem omnis terra tremuit, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum qui dormierant, non quidem statim neque ante illum, sed cum illo surrexerunt. Nimirum illa virtus sanguinis eodem ictu quo terram concussit, infernum quoque conturbavit; & causa ejus omnem illum populum emundavit, secundùm veritatem spiritus Propheticiqui de illo per Isaïam dixit: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum; & voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit & saturabitur. In scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in morte animam suam, & cum sceleratis reputatus est.*

53. v. 10. 11. 12.

Jud. Si ita est, ut dicis; quid necesse est ut tu hodie in persona tua Baptisatus sis: cùm enim secundùm assertionem tuam cunctos ille credentes in se tunc suo sanguine & aqua laverit; quæ ratio est, ut iterum laveris? Credas tantum, & non Baptizeris.

Christ. Priusquam nascerer, non potui renasci; priusquam essem, non potui lavari. Sed nec efficaciter quisquam potest lavari, nisi priùs crediderit. Illos qui jam dudum erant vel fuerant credentes in eum tunc, sicut jam dictum est, sine dubio lavit, & ex illis valdè multis hominibus & soli Deo

Digitized by Google

numerabilibus : una consistens Ecclesia tunc renata est de latere Christi dormientis dormitione mortis, secundùm similitudinem mulieris, quæ formata est de latere viri dormientis dormitione somni : mihi autem volenti incorporari eidem Ecclesiæ positum est ad fores ejus Sacramentum ejusdem regenerationis positione dicentis, *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.*

Matth. 28. v. 19.

Jud. Pro velle tuo loqueris; secundùm intentionem tuam Scripturarum voces ducis ac reducis, & trahis quo vis. Mihi autem ratio suppeditat, ut persistam immobilis firmiter tenens quòd Jesus ille, quem crucifixerunt patres mei, non sit Messias, id est, Christus, quem expectaverunt patres mei. Nam si ille est; ubi sunt bona Jerusalem & prospera Sion? ubi exultatio Jacob, & lætitia Israel tantis promissa Prophetarum vocibus, quod abundare deberet in adventu ejus? Immo postquam venit ille Jesus, non solùm non factum est illud quod exempli gratia nunc memorabo de Pro-

14. v. 11. 12.

pheta Zacharia dicente, *& sedebit Jerusalem secura; & hæc erit plaga, qua percutiet Dominus omnes gentes quæ pugnaverunt adversus Jerusalem; & congregabuntur omnium gentium divitiæ in circuitu, aurum & argentum & vestes satis multæ:* verum ipsa Jerusalem nunquam sic percussa, suo quoque auro & argento vestibusque spolita, & ipsa subversa fuisse legitur; sicut est nunc à tempore illo quo fuit ille, quem dicis Christum, regem Sion, regem Jerusalem. Num igitur de

v. 14.

Zac. 9. v. 9.

illo diceret Prophetа illud quod ante meministi, *exulta satis, filia Sion; jubila, filia Jerusalem; Ecce Rex tuus venit tibi justus & salvator.*

Christ. O Judæe, vide ne supervenerit in te illud

est v. 23. & 24.

quod in psal. scriptum est, *fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributionem & in scandalum: obscu-*

Psal. 10. v. 7.

rentur oculi eorum ne videant. Et alibi, *Pluit super peccatores laqueos.* Dico enim tibi quia peccatoribus popularibus tuis mensa sua scriptura sacra laqueis plena est, maximè propter ipsorum cupiditatem nimiam & insatiabilem avaritiam, propter quam patres tui Christum Dominum, regem Jerusalem sive Sion interfecerũt, regem pauperem, sicut loco jam dicto Pro-

Zac. 9. v. 9.

pheta cùm dixisset, *exulta satis, filia Sion &c.* Subjunxit: *ipse pauper & ascendens super asinam.* Scriptura quæ est mensa tua, nisi caveas & nisi cupiditatem deponas, illaqueavit te, promittendo aurum, promittendo argentum, & securitatem Jerusalem. Nunc ergo, dic mihi, quid intelligis, dum legis *Sion*, dum audis *Jerusalem*, lapidesne, an homines?

Jud. Homines intelligo, qui tunc tenebant arcem Sion; genus meum, quod tunc habitavit in Jerusalem.

Christ. Concedo: & homines quoque cæterarum civitatum, quarum caput erat Jerusalem, qui undecunque veniebant diebus festis adorare in Jerusalem; rectè dixeris Jerusalem. Sed dic mihi: homines illi qui habitabant Jerusalem, & qui veniebant adorare in Jerusalem, cùm obirent & congregarentur sive apponerentur ad populum suum, sicut de patribus jam supra memoratum est, desinebant dici Jerusalem, desinebant esse Sion? Nonne potius ille ipsorum populus, ad quem singuli obitu suo congregabantur, rectè illo nomine apud Deum censebantur, quo dum adviverent vocabantur, scilicet nomine Sion, nomine Jerusalem, cum rege suo David, qui cepit arcem Sion, cujus fuit civitas Jerusalem? Taceo nunc de mystica interpretatione nominum, secundum humanam consuetudinem: tecum loquor nunc de nomine Jerusalem. Ait quidam secularium nobilis auctor;

Nam ut hyperborea plaustrum glaciale sub ursa:
Vel plaga, qua terrens claususque vaporibus axis,
Nec patitur noctes, nec iniquos crescere soles,
Si fortuna ferat, rerum nos summa sequetur,
Imperiumque comes Tarpeia sede perusta,
Gallorum facibus Veiosque habitante Camillo.

Illic Roma fuit, non unquam perdidit orbi,
Mutato sua jura solo, mœrentia tecta
Cæsar habet vacuasque domos legesque silentes.
Clausaque justicio tristi fora.

Apud Epirum, Græcorum civitatem, tunc erat Cæsarem fugiens senatus Romanus cum consulibus, Pompeio duce. Si ergo veraciter & pulchrè dici potuit conventum illum Romam esse potius quàm tecta ubi derelictæ, & dictio hujusmodi non dissonat ab humana loquendi consuetudine; quanto magis populus ille ad quem singuli, ut jam dictum est, morientes congregabantur de Jerusalem & civitatibus ejus Dei cultricibus recte dici debuit Jerusalem, sive Sion, potius quàm ipsa pars parva, generatio una, quæ suo tempore vivebat in tectis Jerusalem sive Sion. Cùm igitur legis, *exulta satis, filia Sion; jubila, filia Jerusalem:* ne respicias solam generationem illam, quæ in tectis Jerusalem habitabat illo tempore, sub principibus sacerdotum Anna & Caipha; nec ex eo argumenteris Jesum Nazarenum non esse Regem Sion sive Jerusalem, quia generatio illa non recepit eum: neque dicas in adventu ejusdem Christi mei non exultasse Sion, sive jubilasse Jerusalem, idcirco quia post passionem ejus mala omnia venerunt super generationem illam. Cunctas respice generationes millium annorum, quæ ab hac vita decedẽdo cõgregatæ fuerant in unum populum, universum illum respice populum sive populorum multitudinem, verè Sion, verè Jerusalem, & cognosces quàm efficaciter quàm non inaniter dictum sit; *Exulta, filia Sion; jubila, filia Jerusalem,* supra: & multa his similia.

Jud. Quod nunc protulisti adversùm me de psalmo:

Ps. 68. v. 23. & 24.

fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributionem, & in scandalum; obscurentur oculi eorum ne videant. Et illud de Isaia: *excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava; & oculos ejus claude: ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & convertatur & sanem eum,* & multa talia sæpe mihi objecta audivi, & multi tuorum memoraverunt hæc insultabundi. Numquid Deus est hujusmodi, ut tu putas, scilicet volens aliquem falli & in errorem induci?

Is. 6. v. 10.

Christ. Nonne Hieremias dicit: *Seduxisti me, Do-*

20. v. 7.

mine, & seductus sum; fortior me fuisti & invaluisti? Nonne adversus regem Achab loquens spiritui mendacii *decipies*, ait, *& prævalebis, egredere & fac ita?* 3. Reg. 22. v. 22.

Verumtamen audi me; non est unus modus seductionis: est enim seductio qua seducitur quis à bono ad malum. Hanc seductionem Deus nescit. Est è contra seductio à malo ad bonum: & hac seductione Deus te & genus tuum seduxit; dum scripturam sacram talem esse voluit, ut in lectione ejus obscurarentur oculi tui. Si enim Sacramenta ejus non clausisset sub figuris & ænigmatibus, si expressisset vocibus manifestis; numquid patres tui sustinuissent, præsertim rebelles & increduli, quemadmodum Moyses ipse dixit? nimirum sicut rex Joachim scidit volumen Hieremiæ, & projecit illud in ignem donec consumeretur igni: & sicut Isaiam sectum perhibes à Manasse per occasionem hanc qua dixit, *vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum:* cum Deus ipse dixisset ad Moysem, *non enim videbit me homo, & vivere poterit.* Et ita & multò insaniùs & scripturas omnes incendissent, & Prophetas omnes interfeciissent; nisi scripturæ clausæ illis & signatæ fuissent, si manifestè illis Prophetæ clamassent quicquid de Christo futurum erat & fieri oportebat, verbi gratiâ, quomodo vel quali ordine foret exaltandus in illud soliũ excelsũ & elevatum, de quo dixit Isaias, *vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum.* Propterea videbantur claudere sermonem & signare librum, ligare testimonium & signare legem, & hoc faciebant in timore magno, Prophetãtes cũ vitæ suæ periculo, quemadmo-

Is. 1. v. 64.

Ex. 33. v. 20.

Lam. 2. v 20. dum unus eorum Hieremias, cùm dixisset: *si occiditur in sanctuario Domini sacerdos & Propheta; formido, inquit, & laqueus facta est nobis vaticinatio & contritio.* Bona ergo seductio, qua factum est, ne scripturæ odio magno habitæ cùm ipsis qui scripserant delerentur, potiusque superventuris sæculis profuturæ custodirentur.

JUD. Quale est hoc bonum obscuratos, ut dicis, oculos meos esse, & mensam meam factam esse mihi
Isa. 6. v 10. in scandalum: præcavere Deum & dicere, *ne fortè convertatur, & sanem eum?* Tale namque hoc est ac si maledicatur surdo, & ponatur coram cæco offendiculum. Vide ergo quia dum vis incusare vehementer, excusas me. Quæ enim culpa in me, si obscuratus sive excæcatus sum, cùm velim videre, cùm B etiam putem me & oculos ad videndum, & aures ad audiendum, & cor ad intelligendum habere?

CHRIST. Nemo hîc nisi volens illaqueatur, sive scandalizatur; nullius, nisi volentis obscurari, oculi obscurantur, sive excæcantur.

JUD. Et quis est, qui velit excæcari, qui velit illaqueari, qui velit oculis non videre, auribus non audire, corde non intelligere?

CHRIST. Ille, qui Christum, quem felle cibavit, quem aceto potavit (quemadmodum ipse dixi præcedenti versiculo ejusdem psalmi, qui totius in perso-
Ps. 68. v. 22. na ejus scriptus est; *& dederunt in escam meam fel, &*
Ibid. v. 10. *in siti mea potaverunt me aceto:* & ante hæc, *zelus*, air, C *domus tua comedit me, & opprobria exprobantium tibi ceciderunt super me,*) ille, inquam, qui hunc Jesum Christum vult omnino non esse Christum, & ex Scripturis suffragium adipisci desiderat, quo videatur eum rationabiliter negare; ipse est, qui optat oculos suos obscurari, qui sciens & prudens laqueo pedes suos immittere contendit. Justè ergo conceditur ei, & dimittitur secundùm desideria cordis sui dicen-
Ibid. v. 23. do, *fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, &c.*

Isa. 6. v. 10. JUD. Quæ ratio est dicere Deum, *ne fortè convertatur, & sanem eum:* quod contra me vis esse dictum?
Exod 7. v 14 & 8. v. 32. & 9. v. 7. & 10. v 20. & 11. v 10 Exod 14. v, 17 CHRIST. Quæ ratio est dixisse Deum; *ego indurabo cor Pharaonis, ut non dimittat populum meum: ego* D *indurabo cor Ægyptiorum, ut persequantur transeuntes per mare rubrum?*

JUD. Ergo ne me sic haberi vis, ut Pharaonem, sicut Ægyptium?

CHRIST. Plane Ægyptium, sicut Chananæum, secundùm prophetiam veridicâ, quâ per Ezechielem dictum est tuæ terrenæ sanguinolentæ Hierusalem;
Ezec. 16. v. 3. *Hierusalem, radix tua & generatio tua de terra Chanaam. Pater tuus, Amorrhæus, & mater tua Cethæa.* Et est sensus. Quoniam tu nata de carne Abraham, non es ex fide Abraham; sic es mihi sicut Chanaam, sicut Amorthæus & sicut Cethæus. Ergo & sicut Ægyptius, quia sicut Amorrhæus & sicut Cethæus; ita & Mefraim, de quo sunt Ægyptii, non de Sem, sed de E
Ps. 77. v. 51. Cham fuit exortus. Hinc est illud in psalmo: *Et percussit omne primogenitum in terra Ægypti; primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham.* Igitur, si rectè intellexisti quomodo induraverit Deus Ægyptium, ut non dimitteret populum; nihilominus rectè
Is. 6. v. 10. & hoc intelligis quomodo dictum sit: *excæca cor populi hujus; & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude; ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat; & convertatur, & sanem eum.*

JUD. Dic tu quomodo induraverit Deus cor Ægyptiorum: ut consequenter vel similiter dicas quomodo excæcaverit cor meum.

CHRIST. Utinam sic interroges, ut audire desideres, & non sis ille de quo in psalmo scriptum est; *noluit intelligere, ut bene ageret.* Deus cor Ægyptiorum in hoc induravit, quòd illis quibus invidebant Ægy- 35. v. 4.
ptii, clarissima beneficia sua larga manu impendit: hæc enim morbi hujus, scilicet invidiæ, natura, hoc proprium est, cui quis multùm invidet, magnum ex ejus profectibus tormentū habet. Ægyptii filios Israel oderant, & invidebant eis: gentium salutem tu odisti, & invides nobis. Hoc autem est peccatum diaboli, per quod mors in hunc mundum introivit. Igitur sicut Ægyptiis duritiæ causa efficiens invidia ipsorum extitit, quia filiis Israel invidebant: ita & populo tuo suæ excæcationis causa efficiens invidia ipsius est, quia salutem gentium odit. Proinde sicut accipis & accipere debes illud, quod eo usque induravit Dominus cor Ægyptiorum, donec perirent persequendo filios Israel fugientes per mare rubrum; sic accipe istud, quòd populus tuus eò usque excæcatus est persequendo credentes in Christum, & fugientes per baptismi sacramentum, donec exterminaretur: secundùm verba hæc, quæ in eadem prophetia subjuncta sunt: Dixit enim Propheta, *Usquequo Domine?* & responsum est, *Do-* Is. 6. v. 11. &
nec desolentur civitates absque habitatore, & domus sine 12.
homine, & terra derelinquetur deserta, & longè faciet Dominus homines. Quod idem est ac si diceret, & qui reliqui fuerint ex Judeis captivi ducentur in omnes gentes. Hæc duo mala evenerunt ibi; scilicet, & cæcitas cordis, & dispersio captivitatis: quæ loco præscripto continuat concessio prophetica, dicendo, *obscurentur oculi eorum, ne videant; & dorsum eorum* Ps. 68. v. 24.
semper incurva: & utrumque Evangelio Christi bonum est. Si enim videres, id est, in Christum credisses; Baptismum & Circumcisionem commiscuisses, sicut facere volentes pauci illi, qui ex populo tuo conversi & sanati, id est, batizati sunt in initio Christianitatis, seditiones Evangelii prædicatoribus excitaverunt: sedensque in civitatibus tuis dorso erecto, si non esses incurvatus; pro arbitrio tuo velles prædicari, & non nisi circumcisum gentilem patereris admitti: atque hoc pacto nec mihi, nec tibi Christus esset, nec mihi nec tibi Evangelium prodesset.

JUD. Malis meis insultas, non recogitans quia scriptum est: *cùm converterit Dominus captivitatem* Ps. 13. v. 7.
plebis suæ; exultabit Jacob, & lætabitur Israel.

CHRIST. Non insulto, sed tanquam frater fratri voces veritatis ingero, bonum tibi retribuens pro malo; quia tu salutem meam odisti, ego autem salutem tuam desidero. Nosti illam parabolam Domini mei? Homo quidam habuit filios duos, & dixit adolescentior ex illis patri: *Pater da mihi portionem substantiæ* Luc. 15. v. 12.
quæ me contingit, &c. Ego & tu sumus illi duo filii: etenim unus Deus nos creavit, unus Adam nos ambos genuit. Ecce tu foris stas præ ira & indignatione, quia pater meus salvum me recepit, & non vis introire eo pariterque epulari. Ego autem egredior ad te, & rogo ut ingrediaris, ostendens tibi stolam primam, quam pater in lavacro mihi dedit cum annulo fidei & calceamentis scientiæ veritatis. Accipe mecum hunc annulum; admitte fidelem sermonem istum, quem quoniam de fide est, annulum nuncupare placuit; & stola ista induere: & calceamentis istis mecum calceare.

Digitized by Google

LIBER II.

CHRISTIANUS.

DEus omnipotens, cùm ſit ipſe fidelis in omnibus verbis ſuis, fidem ab homine ante omnia requirit, & ſine fide impoſſibile eſt placere ei; hanc in primo homine quæſivit & non invenit: ille enim ſerpenti magis, quàm Deo credidit. Quæſivit in Noe, & invenit; quæſivit in Abraham, & invenit; quæſivit in Maria virgine, & invenit; nullum ſignum horum alicui præmittens; ut crederetur ſibi nova & inaudita promittenti. Inventâ ergo fide delectatus, ut verè theſauri magni inventione, ſignaculum ſuum appoſuit Deus fœderatus homini fœdere inſolubili: illi, videlicet, Noe arcum ſuum in nubibus cæli, ut viſo hoc ſigno recordaretur fœderis ſui, ut non ſint ultra aquæ diluvii: huic autem, ſcilicet, Abrahæ ſignum circumciſionis, ut recordaretur promiſſi ſui, ſcilicet, ſeminis quod daturum ſe illi promiſit, & cum juramento repromiſit. Tertium fidei ſignum, quam videlicet fidem, ut jam dictum eſt, in Maria virgine invenit credente parituram ſe ſine viro Chriſtum Filium Dei, & in omni Eccleſia quæ illam Virginem peperiſſe fideliter credit; tertium, inquam, fidei ſignum, ſignaculum eſt ejuſdem crucis Chriſti Filii Dei, cum ſacramento Baptiſmi, ut videat & recordetur fœderis ſui, & non percutiat nos in die
Ex. 12. v. 13. judicii, ſicut quondam in Ægypto: *Videbo*, inquit, *ſanguinem, & pertranſibo vos, nec erit in vobis plaga diſperdens, quando percuſſero terram Ægypti.* De hac fide ſi præcedenti libello non ſatisfactum eſt tibi, objice quicquid contra ſentis.

JUD. Tu in unam tantummodò partem aſpicis; & ſic tractas de fide Abrahæ, ut obliviſcaris Moyſi legis, legis Dei. Non recogitas ſigna & mirabilia quæ fecit Deus in terra Ægypti, ut daret nobis legem in monte Sinaï quinquageſimo die egreſſionis de terra Ægyti, cum tantis indiciis præſentiæ ipſius Dei: audiebantur enim tonitrua, & micabant fulgura: cunctuſque populus audiebat voces & ſonitum buccinæ, videbant lampades, montemque fumantem. Nullam feciſti mentionem illius fœderis, quod tunc nobiſcum pepigit, quemadmodum ibidem Scriptura dicit:
Exod. 24. v. 6. & 7. *Tulitque Moyſes dimidiam partem ſanguinis, & miſit in crateres: partem autem reſiduam fudit ſuper altare; aſſumenſque volumen fœderis, legit audiente*
v. 8. *populo, ſumptumque ſanguinem reſperſit in populum, & ait: Hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper cunctis ſermonibus his.* Nunc ergo dic mihi: ſi per fidem juſtificatus eſt Abraham juſtificatione ſufficienti; ſi fœdus illud, quod cum eo Deus pepigit propter fidem, ſatis juſtitiam ejus confirmavit: quid deinceps opus erat juſtificatione legis, aſperſione ſanguinis fœderis, ſive fœdere ſanguinis holocauſti, omnique ritu ceremoniarum vel ſacrificiorum, quem tradidit nobis pro emundatione cujuſque delicti? Quorſum totus ille cultus tabernaculi fœderis?

CHRIST. Interrogabo te unum ſermonem, quem ſi dixeris mihi, dicam tibi quorſum illa omnia, propter quid lex data fuerit; Abraham pater noſtræ fidei quam ob cauſâ ingreſſus eſt ad ancillam Saræ Ægyptiam Agar, poſt annos decem quam habitare ceperat in terra Chanaan, poſtquam pepigerat Dominus cum eo fœdus, poſtquam ſcriptura dixerat: *Credidit Abra-*
Gen. 15. v. 6. *ham Deo, & reputatum eſt ei ad juſtitiam?*

JUD. Quia Sarai uxor Abraham non genuerat liberos, ait Scriptura, *ſed habens ancillam Ægyptiam* Gen. 16. v. 1. *nomine Agar, dixit marito ſuo? Ecce concluſit me* & 2. *Dominus, ne parerem; ingredere ad ancillam meam ſi forte ex illa ſuſcipiam filios.* Adquievit ille deprecanti, & ingreſſus ad ancillam genuit ex ea Iſmahel.

CHRIST. Ut dixiſti, ita eſt: ſimul autem meminiſſe debes quæ Deus per Prophetam dixit: *Et ego* Oſe. 12. v. 10. *viſiones multiplicavi, & in manu Prophetarum aſſimilatus ſum.*

JUD. Memini & in quo hæc dicta ſunt Prophetâ, & ipſe eſt Oſée.

CHRIST. Et ille pater Abraham Propheta & Prophetarum primus fuit. Ipſe namque primus illorum eſt, ad quos factus eſt ſermo Domini; ſicut ſcriptum eſt: *Mihi autem*, inquit, *non dediſti ſemen,* Gen. 15. v. 3. *& ecce vernaculus meus hæres meus erit.* Statimque ſermo Domini factus eſt ad eum: *Non erit hic hæres* v. 4. *tuus, &c.* Et pro illo ad Abymelech Deus locutus eſt: *Nunc igitur redde uxorem viro ſuo, quia Pro-* Ibid. 20. v. 7. *pheta eſt, & orabit pro te.* Et in Pſalmo tam de Abraham & Iſaac & Jacob ſcriptum eſt: *Non reliquit ho-* Pſal. 104. v. 14. & 15. *minem nocere eis; & corripuit pro eis reges. Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* Proinde nunc dico: Si in manu Prophetarum Deus aſſimilatus eſt, quod ore eum Prophetico dixiſſe diffiteri non poteſt; quantò magis & in manu iſtorum, qui & Prophetæ & Prophetarum patres atque principes extiterunt, aſſimilatus eſt? Igitur quamquam allegorias noſtras oderis, & contemnere conſueveris; patere ut audias quòd ſecundùm illam rem geſtam, quam propoſuit Deus, in manu Abrahæ aſſimilatus ſit.

JUD. Perge quò cupis, perfice quò intendis, da quam polliceris aſſimilationem Dei in manu Prophetæ Patris mei.

CHRIST. In Abraham Deus Pater omnium noſtrûm, in Sara fides, in Agar lex Moyſi aſſimilata eſt. In ſterilitate Saræ ſterilitas fidei aſſimilata eſt, quia videlicet ſicut illa libera, illa princeps diu ſterilis fuit; ita fides, quæ ſola humani generis vera libertas & nobilitas eſt, ferè ſterilis extitit, poſtquam Deo Patri & Creatori noſtro nupſit, poſtquam propter illam Deus homini dignatus eſt fœderari, & animæ hominis conjungi fœdere conjugali, conjunctione maritali. Quantos enim præter Iſaac & Jacob & Joſeph filios fidei, filios promiſſionis demonſtrare poteris? Nempe & ſi fuerunt plures aliqui, ut nunc interim taceam de multitudine ſtirpis Iſmahel, ſtirpiſque Eſaü: de ſtirpe loquor patris Jacob: Et ſi, inquam, fuerunt plures aliqui filii fidei præter illos, quos Scriptura nominavit; attamen fuere tam pauci in comparatione filiorum carnis multitudinis, ut veraciter dicas quia fides ſterilis, caro autem fœcunda erat.

JUD. Diſcerne mihi clariùs quos dicis filios fidei, & quos filios carnis. Qualis eſt diſcretio ſive diſtantia filiorum carnis & filiorum fidei? In quo, vel ſecundùm quid utramque generationem diſcernis?

CHRIST. Patri Abrahæ duo promiſſa fuerunt, quorum alterum hoc eſt, *in ſemine tuo benedicentur* Gen. 22. v. 18. *omnes gentes:* alterum, *ſemini tuo dabo terram hanc*, Ibid. 12. v. 7. terram Chanaan. Quicumque ex Abraham geniti pro-

y Google

missionem beati seminis expectaverunt, juxta fidem & à longè eos aspicientes, & salutantes, & confidentes quòd peregrini essent & hospites super terram; ipsi erant filii fidei. Porro qui solam terræ Chanaan promissionem expectaverunt, & solummodò propter illam clamaverunt ad Dominum, cùm affligerentur in terra Ægypti; ipsi fuerunt filii carnis. Nunc quæso dicas mihi; ex quo fratres invidi & suo patri infideles vendiderunt Joseph, post eundem Joseph usque ad Moysen quotus quisque fuit, qui diceret aut dicere
Ex. 4. v. 13. sciret illud, quod dixit idem Moyses: *Obsecro, Domine, mitte quem missurus es?* Sexcenta ferè millia peditum virorum erant absque parvulis & mulieribus, & cùm ingemiscentes propter opera vociferarentur ad Dominum, ascenderetque clamor eorum ad Dominum pro operibus, & ipse audiret gemitum eorum, ac recordaretur fœderis, quod pepigerat cum Abraham, in cujus videlicet fœderis pactione istud quoque
Gen. 12. v. 7. dixerat Deus; *Semini tuo dabo terram hanc:* ferè nullus aut rarus erat nobisque multum incognitus est, qui in illo clamore diceret illud, quod jam, ut memini,
Ex. 4. v. 13. dixit Moyses: *Obsecro, Domine, mitte quem missurus es.* Ergo fides sterilis, caro autem jam fœcunda, in servitutem non Dei sed hominum Ægyptiorum generabat, immo & diis Ægypti serviebat: quod & per Prophetas, maximeque per Ezechielem Deus ipse commemorat. Ergo fides Patrum, qui quamvis mundo mortui essent, Deo nihilominus vivebant & vivunt, Deo quidem conjuncta erat; sed non pariebat secundùm similitudinem Saræ, quæ cùm esset uxor legitima, uxor libera, sterilis erat & non paribat. Merebatur autem ipsa fides, & exigebat ab ipso Deo, ut saltem Lex interveniret quæ, ad cultum Dei multitudinem illam astringendo, filios in servitium fidei
Gen. 16. v. 2. pareret; secundùm similitudinem hanc: *Ecce,* inquit Sara, *conclusit me Dominus, ne parerem; ingredere ad ancillam meam, si saltem ex ea suscipiam filios:* Adquievit Abraham deprecanti, & ingressus ad ancillam genuit Ismahel. Adquievit Deus pater excelsus fidei patrum secretas aures ejus interpellanti, & admittens legem ceremoniarum genuit ex ea populum non tam libertati quàm servituti idoneum; id est non tam in dilectione, quàm in timore colentem & cognoscentem Deum patrem vel Creatorem suum. Hoc enim scire te volo quia Deus legem illam non jussit, sed admisit; non voluit, sed permisit.

JUD. Quid est quod dicis? Noluit Deus legem? Non jussit Deus legem? Non scripsit tabulas digito suo. & dixit Moysi, hæc sunt præcepta mea, hæc sunt judicia mea, sic & sic præcipies filiis Israel, sic & sic facies holocaustum & pro peccato?

CHRIST. Oportet te sic Moysen audire & intelligere, ut Psalmos quoque & Prophetas audias pariter & intelligas. In Psalmo quoque Deus ipse loquitur:
Psal. 49. v. 8. *Non in sacrificiis tuis arguam te,* & cætera usque,
v. 13. *nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? immola Deo sacrificium laudis,* &
Isa. 1. v. 11. in Isaia: *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? Plenus sum; holocaustum arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum & agnorum & hircorum nolui: Cùm veniretis ante conspectum meum, quis quæsivit hæc de manibus vestris, ut ambularetis in atriis meis: Ne afferatis ultra sacrificium frustra. Incensum abominatio est mihi; Neomeniam, & sabbatum, & festivitates alias non feram. Iniqui sunt cœtus vestri, Kalendas vestras, & solemnitates vestras odivit anima mea.*

JUD. Propter Jeroboam illa dicta sunt, propter vitulos quos fecit Jeroboam, quos colebat Israël: Ideò holocausta arietum, & adipem pinguium, & cætera se nolle dixit; quia sacrificabant vitulis.

CHRIST. Vituli non in Juda colebantur, non in Jerusalem vitulis illis, sed in Samaria, id est in decem Tribubus sacrificabatur. Ista autem prophetica lectio sic intitulatur. *Visio Isaiæ Prophetæ filii Amos, quam vidit super Judam & Jerusalem.* Ergo non propter vitulos illos de præsenti loquebatur super Samariam; sed propter sanguinem justum de futuro prophetabat super Judæos & Jerusalem: quippe qui cùm dixisset ea quæ jam prælibata sunt usque ad id, *& cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam;* statim causam istam subjunxit: *Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Ante sanguinem Christi, nolebat, licet permitteret ea, neque postulabat; sicut & in Psalmo scriptum est: *Holocaustum & pro peccato non postulasti:* Ex tunc autem non solùm non vult, aut non postulat; verùm etiam *odivit,* inquit, *anima mea; festa sunt mihi molesta.* Quòd nunquam voluerit, aut quæsierit, sive postulaverit, magnum adhuc & evidens in Jeremia testimonium hoc est: *Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël, holocaustomata vestra addite victimis vestris, & comedite carnes, quia non sum cum patribus vestris locutus, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Ægypti de verbo holocaustomatum & victimarum, sed hoc verbum præcepi eis dicens: Audite vocem meam; & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus; & ambulate in omni via, quam mandavi vobis, ut bene sit vobis.* Ibid. 1. v. 1. Ibid. 1. v. 15. Ibidem. Psal. 39. v. 7. Isa. 1. v. 14. Jer. 7. v. 21. 22. & 23.

JUD. Quam facis distantiam inter verbum holocaustomatum & victimarum, & vocem sive verbum quod nobis Deus præcepit, aut certè viam quam mandavit ut ambularemus in ea ut bene esset nobis?

CHRIST. Non ego facio, sed factam invenio magnam secundùm verba præscripta distantiam; & inde commonitus respexi diligentiùs ad ipsam Legis scripturam, & inveni ipsam in quo tibi quoque demonstrare possim sententiam. Vocem Domini, sive viam, quam præcepit, quam mandavit, ecce habes in Exodo ante creatum vituli conflatilis, quem fecerunt & adoraverunt: *Non,* inquit, *habebis deos* Ex. 20. v. 3. *alienos coram me,* &c. usque: *omnia quæ dixi vobis custodite: & per nomen æternorum deorum non jurabitis, neque audietur ex ore vestro. Hæc sunt præcepta & judicia, quæ faciens homo vivet in eis, ait ipse Dominus.* Porrò post hæc, cùm moram faceret Moyses in monte cum Domino, loquens Dominus ad Moysen durissimum posuit super eos jugum legis cerimoniarum propter reatum, ut jam dictum est, vituli quem fecerunt. Hinc ipse Dominus per Ezechielem loquitur: *Ejeci ergo eos de terra Ægypti,* Ez. 10. v. 10. & 11. *& eduxi in desertum, & dedi eis præcepta mea: & judicia mea ostendi eis, quæ faciat homo, & vivat in eis.* Et subinde, *iterum levavi manum meam in* 15. v. 23. 24. & 25. & 26. *eos in solitudine, ut dispergerem illos in nationes, & ventilarem eos in terras, eo quòd judicia mea non fecissent, & præcepta mea reprobassent, & sabbata mea violassent, & post idola patrum suorum fuissent oculi eorum. Ergo & ego dedi eis præcepta non bona, & judicia in quibus non vivent, & pollui eos in muneribus suis, cùm offerrent omne quod aperit vulvam, propter delicta sua.* Considera præcepta quæ prius dederat, & judicia quia valde bona sunt, quorum summa est; quod tibi non vis fieri, alii ne feceris; sive, quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos eadem facite illis: & præcepta quæ deinde dedit, quia non quidem mala, verumtamen non bona fuerunt; quia neque portari potuerunt, neque vitam hominis in semetipsis habuerunt. Quomodo enim viveret homo in sanguine, vel pro sanguine brutorum pecorum, pro observatione mundorum sive immundorum animalium, lepræ & non lepræ hominis, vestium atque domorum cæterorumque talium, quæ maximè in Levitico scripta sunt?

JUD. Ante illum, quem dicis, reatum vituli, holocausta & victimas pacificas obtulit ipse Moyses. Sic

Ex. 24. v. 4. & 5. enim ibidem ſcriptum eſt: *Scripſit autem Moyſes univerſos ſermones Domini, & mane conſurgens ædificavit altare ad radices montis, & duodecim titulos per duodecim tribus Iſraël, miſitque juvenes de filiis Iſraël, & obtulerunt holocauſta, immolaveruntque victimas pacificas Domino, vitulos duodecim.*

CHRIST. Et ſi legiſti, quia ſic factum eſt; numquid legiſti quia à Deo illi juſſum eſt? Poteras mihi objicere & illud, quia & Noe longè ante Moyſen Archa egreſſus ædificavit altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis obtulit holocauſta ſuper altare, odoratuſque eſt Dominus odorem ſuavitatis. Quod ſi mihi objeciſſes; addidiſſem ego aliud, quia Melchiſedech rex Salem qui non improbabiliter exiſtimatur Sem filius ejuſdem fuiſſe Noe, reverſo Abraham à cæde Chodorlahomor & regum qui cum eo erant, occurrens obtulit panem & vinum, erat enim ſacerdos Dei altiſſimi; benexitque ei: Ecce alterum longè ante Moyſen ſacrificium; & neutrum juſſum, utrumque voluntarium. Ego non ignoro quod iſtorum magis altiſſimo placuerit, nec tibi ignorare licet, dicente Scriptura, in quem-
Pſ. 109. v. 4. dam quem tu ignorare velles. *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Sed de iſto aliàs oportunius; nunc dicere præſtat cur prius ſacrilegium carnis & ſanguinis bruti Deus admiſerit, & ritum ejus ipſe præceptor ordinaverit. Nimirum quia populus carnalis ab ejuſmodi ſacrificiis non poſſet avelli; & ſi Deo in hujuſmodi ſacrificare permiſſus non fuiſſet, ſimulachris illa pronius obtuliſſet. Ecce experimentum aderat, quia formato vitulo ſurgentes mane obtuleſunt holocauſta & hoſtias pacificas; & ſedit populus manducare, & bibere; & ſurrexerunt ludere. Igitur quia & fides Patrum, ut jam ſupra dictum eſt, interveniebat; & pro tempore neceſſarium erat ut ſuccreſcens multitudo filiorum carnis aſtringeretur ad cultum Dei per ſeveritatem Legis; adquievit Deus, & legem Dei ritumque ſacrificiorum ſic præcepto ſuo ordinavit, ut in illis non neceſſariis umbra vel figura eſſet neceſſariæ rei & veritatis.

JUD. De figuris vel umbris mecum agere noli; ſed de ipſis Scripturæ vocibus & ſenſibus manifeſtis ſimpliciter & plano atque intelligibili modo locutionis. Quid enim mihi de his quæ ipſa Scriptura non tradidit, neque ut quærerem demandavit?

CHRIST. Nonne tibi ſupra dixi, & notum habere debes illud Propheticum, *& ego viſiones multiplicavi, & in manu Prophetarum aſſimilatus ſum?* Nonne & ad ipſum Moyſen Prophetam maximum, poſt quem, ait Scriptura, non ſurrexit Propheta in Iſraël, ſicut ille quem noſſet Dominus facie ad faciem; idem Dominus dixit, cùm fieri juberet taber-
Ex. 25. v. 40. naculum; *inſpice, & fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt?* Quid vel quale exemplar illi demonſtratum putas?

JUD. Quid putem, niſi quod Scriptura ipſa dicit, quia fecerat tabernaculum Deus, & Moyſi demonſtravit ut faceret ſimile illi?

CHRIST. Si ita fuiſſet; nonne facilius erat illud ipſum dare Moyſi, ſicut tabulas dedit, quàm aliud facere tanto labore, tantiſque impenſis? Sed erat profectò ſpirituale & cæleſte ſanctuarium in propoſito Dei, revelandum in plenitudine temporis; cujus quia nondum tempus erat, imaginem præire voluit in illis ſanctis manufactis. Itaque factum eſt ſecundùm ſimilitudinem ſupra ſcriptam. liberæ & ancillæ, ut deprecatu liberæ, quia ſterilis erat, ad ancillam vir liberæ legitimus ingrederetur: id eſt, pro merito fidei patrum, quoniam ipſa fides in pauciſſimis fructificabat, legem admitteret Deus, & ſic ſaltem ex ancilla ſuſciperet filios libera qui ſalvarentur.

JUD. Quid opus erat ut ſecundùm ſententiam tuam fides ſterilis eſſet, & propter ſterilitatem lex ſubintroiret? Non poterat Deus facere ut fides jam tunc pareret, quo facto legiſlatione ſecundùm te opus non eſſet?

CHRIST. Hoccine interrogas, quare jam non veniret ſemen illud quod Abrahæ promiſſum fuerat, in quo per fidem benedicerentur omnes gentes? Ego tibi dico, idcircò non jam tunc venire debebat, quia Deus iratus erat: Sic enim habes, quia cum ſemen illud ſuſpirans Moyſes dixiſſet: *Obſecro, Domine,* Ex. 4. v. 13. *mitte quem miſſurus es*, protinus ſubjunctum eſt: *Iratus Dominus in Moyſen ait, Aaron frater tuus* v. 14. *Levites ſcio quòd eloquens ſit*, &c. Eſt enim hic ſenſus, quia Dominus iratus erat; idcirco ſuper eo quod obſecrabat Moyſes nihil reſpondit, ſed alia quæ cæperat proſecutus eſt.

JUD. Quam ob cauſam tunc Deus iratus erat?

CHRIST. Nimirum propter peccata domus, ſive generis ejuſdem Abrahæ, cui Deus ſæpe dictam benedictionem promiſerat; ſcilicet, propter ſacrilegium filiorum Jacob, qui vendiderant fratrem ſuum Joſeph.

JUD. Numquid Moyſes illum vendiderat? Quomodo ergo propter cauſam illam diceret iratus Dominus in Moyſen?

CHRIST. Idcircò ſic de ſemetipſo dixit Moyſes, *Iratus Dominus in Moyſen*, quia ferè ſolus ipſe tunc temporis illius iræ rationem, ferè ſolus ipſe ſcienter habebat illius expectationis promiſſionem. Num parva erat cauſa illa, venditio illa, talis illius fratris, cujus venditionis videlicet ferrũ ipſius ſancti Patris animam tamdiu ſauciaverat? Hoc malũ portenderat ipſi Patri Abrahæ, quando pepigit Dominus cum illo fœdus, viſio illa: Cùm dictum fuiſſet ad eum: *Scito præno-* Gen. 15. v. 13. *ſcens quòd peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua, & ſubjicient eos ſervituti*, &c. uſque, *gene-* v. 16. *ratione autem quarta revertentur huc*, confeſtim iſtud ſubjunctum eſt: *Cùm ergo occubuiſſet ſol, facta eſt ca-* v. 17. *ligo tenebroſa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis tranſiens inter diviſiones illas.* Ille clibanus fumans cum caligine tenebroſa portendebat invidiæ clibanum fumoſum, atque caliginoſum, quo adufti atque decocti & obſcurati filii Jacob fratrem optimum vendiderunt; & illa lampas ignis lucida præſagiebat miracula per quæ liberandi erant de ſervitute Ægyptiorum, quibus traditi fuerant uſque ad quartam generationem, propter illud peccatum. At ille in ſervum venundatus Joſeph ſervivit annis quatuordecim: Quando enim venundatus eſt, erat annorum ſedecim; quando autem eductus de carcere ſtetit ante conſpectum Pharaonis, erat annorum triginta: juſto ergo judicio propter peccatum illud differri conveniebat ſemen illud benedictionis Abrahæ promiſſum, per generationes quatuordecim; & pro annis ſingulis ſingulas generationes ſupputari: ſicut & alibi annus pro die compenſatus eſt generationi illi, quæ exivit de terra Ægypti. *Juxta numerum dierum quadraginta*, ait Num. 14. v. Dominus, *quibus conſideraſtis terram, annum pro die* 34. *imputabitur; & quadraginta annis recipietis iniquitates veſtras.*

JUD. Illud ſemen quod tu intendis, tuus ille Chriſtus quem dicis eſſe illud ſemen quod Deus Abrahæ promiſit, numquid venit ſtatim poſt generationes quatuordecim? Multò plures fuerunt generationes ab Abraham uſque ad dies Herodis, quo regnante natus eſt ille, quem Chriſtum dicis.

CHRIST. Expecta pauliſper, ut dicam tibi illud quod tu ipſe verum eſſe diffiteri non potes. Generationes quatuordecim ab Abraham, cui clibanus ille fumans præmonſtratus eſt, in David terminatæ ſunt. At ille non minus peccavit, tollendo uxorem Uriæ, & ipſum interficiendo gladio filiorum Ammon: *Quam-* 2. Reg. 12. v. *obrem*, ait Dominus, *non recedet gladius de domo* 10.

tua usque in sempiternum. Exigebat ergo justitia ut differret Deus Christum suum non paucioribus, id est quatuordecim generationibus. Quibus expletis nihilominus justum erat differri generationibus quatuordecim; nec solummodo Christum differri, verum etiam in captivitatem duci populum, maximè propter peccata Manassem: impleverant enim Jerusalem sanguine innoxio usque ad os.

Jud. Quis Prophetarum causas istas dixit, aut in qua Scriptura dilationes istas sic provenisse, aut provenire debuisse legisti?

Christ. Evangelista divinus non absque illo, in quo Prophetæ locuti sunt, spiritu, cùm per ordinem digessisset generationes ab Abraham usque ad Chri-
Mat. 1.v.17. stum, protinus ita subdistinxit. *Omnes ergo generationes ab Abraham usque ad David generationes quatuordecim, & à David usque ad transmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim, & à transmigratione Babylonis usque ad Christum, generationes quatuordecim.* Hæc dicens vigilantem auditorem mittit ad quærendas ex Scripturis causas dilectionum, & ecce causæ manifestæ sunt.

Jud. Ego Evangeliis tuis non attendo: sed hoc scio, quia quando natus est is, quem Christum dicis, magis abūdabat iniquitas quàm eatenus abūdaverat; nisi fortè hoc etiam asserere tu velis, quòd peccatum David majus fuerit ōni belluina crudelitate Herodis.

Christ. Impietas Herodis, & omnis sanguis, quem ille effudit, non debuit imputari generationibus Judaici generis: ille enim non Judæus erat, sed alienigena, patre Idumæo & matre ortus Arabica. Unde & hac te concedere oportet, quia tempus erat ut mitteretur jam qui mittendus fuerat, quoniam in illo ablatum erat sceptrum de Juda: dixerat enim pater
Gen. 49.v.10 Jacob in benedictione Judæ: *Non auferetur sceptrum de Juda & dux de femoribus ejus, donec veniat qui mittendus est.* Sed jam redeamus ad ceptam similitudinis demonstrationem. Nam si vis, si benevolentia non deest cordis tui, satisfactum esse potest, ut jam non quæras cur Deus fidem sterilem tamdiu esse permiserit, & interim legem admiserit secundum similitudinem sterilitatis Saræ, propter quam pater Abraham ad ancillam ingressus est, dominà deprecante. Nam illud magis mirandum est in gloriam fidelis Dei, quòd tandem fecit sicut promiserat, tot vel tantis malis offensus ab ipsis quorum patribus promiserat.

Jud. Jam de illa similitudine satis dictum est. Quid inde amplius dicere habes?

Christ. Scio quia jam dudum audire vix sustines, & vereor ne dum cupio tibi sublevare velamen vultus Moysi, ut videas claritatem ejus; effugias sicut fugiebant patres tui, cùm viderent splendidam faciem ejus nondum velatam, & timebant propiùs accedere. Totam similitudinem tibi vòlo aperire us-
Gen.21.v.10. que ad illud: *Ejice ancillam & filium ejus: non enim erit hæres filius ancillæ, cum filio meo Isaac.* Illa videlicet ancilla concepisse se videns despexit dominam suam, & lex postquam subintravit, occasionem carnali fecit multitudini, ut contemneret & pene oblivioni daret justitiam fidei, putans se justificari posse ex operibus legis, unde & tu cum superiùs te interrogarem per quid Abraham justificatus fuerit, dicere nescisti, usque adeò propter ancillam legem neglexisti dominam fidem, ut ne saltem unquam fuisse illam meminisses, nisi tibi impegissem senten-
Gen.15.v.6. tiam irrefragabilem & veram: *credidit Abram Deo, & reputatum est illi ad justitiam.* Deinde sequitur:
Gen.16.v.6. *Ecce, ait,* Abram, *ancilla in manu tua est, utere ea ut libet.* Affligente igitur eam Saraï, fugam iniit. Quicquid egerint probi judices Israël, regesque fideles, cohibendo populum ab illicitis, afflictio fuit ancillæ illi: & idcircò fugit. Initium fugæ fuit in eo, quòd vitulum unum in deserto post exitum de Ægypto sibi formavit, & sculptile illud adoravit, gaudens quòd in illius cultu comedere & bibere, & deinde ludere vacaret sibi: consummatio autem ejusdem fugæ in eo fuit, quòd decem tribus scissæ & domo David etiam duos vitulos fecerunt sibi. Sed ecce Angelus Domini, *Agar,* inquit, *ancilla Saraï, unde venis?* Ibidem 8.
Vel quò vadis. Quæ respondit, à facie Saraï Domine mea ego fugio: dixitque ei Angelus Domini, v. 9.
revertere ad dominam tuam, & humiliare sub manu ejus. Nonne similiter sermo Domini per Prophetas revocavit, & revocare non desiit per Prophetas populum refugum à cultu vitulorum & Baal, cæterorumque dæmoniorum, ad cultum Dei sui? Vix tandem effecit ut Tribus Juda rediret ad cultum Dei sui: nam decem Tribus scissæ per Jeroboam à domo David nunquam recesserunt a cultu vitulorum, quos Jeroboam fecit; propter quod in Assyrios translatæ sunt captivitate indissolubili. Hinc Osee Dominus ipse dixit: *Quia non adjam ultra misereri Domui Israël;* Os. 1.v.6.
sed oblivione obliviscar eorum: & domus Juda misere- 7.
bor. Profecto quando Tribus Juda pœnitentiam egit, & de Babylonica captivitate reversa templum & civitatem reædificavit; tunc ancilla ad dominam suam rediit, & sub manu ejus humiliata est. Tandem libera peperit Isaac, id est fides nobilissima & princeps ex utero Virginis Mariæ Jesum Christum de Spiritu sancto conceptum enixa est. Quo facto vidit Sara filium ancillæ ludentem cum Isaac filio suo, dixitque ad Abraham. *Ejice ancillam hanc, & filium ejus; non* Gen.21.v.10.
enim erit hæres filius ancillæ, cum filio meo Isaac. Sed nimirum vidit liberrima fides carnalem Judaïsmum ludentem, id est, illudentem, immò persequentem Christum, Christi Apostolos; & ecce ejectus est cum lege sua populus secundùm solam carnem Judæus; ut non sit hæres in regno Dei: ejectus quoque de loco terrenæ possessionis, ut non vacet ei ludere; id est, persequi libertatem fidei.

Jud. Si ita est, ut dicis: magna mihi est in Christum tuum causa odii. Nam secundùm affectatam similitudinem quam introduxisti, adventus ejus causa mihi est totius mali, causa excidii, captivitatis & dispersionis & longissimæ captivitatis. Populus, antequam iste veniret, eram Dei; nunc autem jam nec populus, nec Dei sum, ut tibi videtur: Nimis ergo malè mihi propter adventum ejus.

Christ. Falsum est: Non propter adventum ejus populus esse desiisti, immò propter adventum ejus diutius populus fuisti. Nam propter eum ut nasceretur, ut esset unde illo nascente promissio impleretur, reservatus es tu, reservata est Tribus Juda, cùm decem Tribus perpetuæ captivitati adjudicarentur; & reædificata est civitas tua Jerusalem, unde venire oportebat tantam salutem juxta illud:
Quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Isa. 2.v. 3.
Jerusalem. Nunquid enim minus peccavetat illa tua terrena Jerusalem, quam Samaria? Immò plus peccasse arguitur per Prophetam dicente Domino ad ipsam Jerusalem. *Vivo ego, quia non fecit So-* Ez. 16.v.48.
doma soror tua, sicut fecisti tu; & Samaria dimi- v. 51.
dium peccatorum tuorum non peccavit: sed vicisti eas in sceleribus tuis, & justificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis quas operata es. Depone ergo magnitudinem odii & iracundiæ, de qua Psalmista loquitur in persona Christi: *Et in iracun-* Ps. 54 v. 10.
dia terræ loquentes dolos cogitabant: quia non propter adventum ejus perdidisti terram tuam; immò propter eum, ut eo nascente veritas Dei, qui repromiserat Abrahæ & juraverat fideli David, adimpleretur; tu diutius possedisti eam, quàm decem Tribus non injustiores immò justiores te possederunt Samariam.

Jud. Superiùs dixisti quia præcepta & judicia, quæ ante reatum vituli data sunt, præcepta &

judicia juſtitiæ fuerunt ; & quia per Prophetam
Exc. 20 v. 11. de illis Deus dixit : *& dedi eis præcepta mea, & judicia mea oſtendi eis, quæ faciens homo vivat in eis.* Nonne inter illa prima præcepta juſtitiæ præceptum
Exod 20. v. 8. 9. 10. & 11. eſt de obſervatione Sabbati? Sic enim Deus dixit. *Memento ut diem Sabbati ſanctifices. Sex diebus operaberis & facies omnia opera tua : ſeptimo autem die Sabbati, Domini Dei tui non facies omne opus, tu, & filius tuus, & filia tua, ſervus tuus, & ancilla tua, jumentum tuum, & advena qui eſt intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Deus cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt ; & requievit Deus die ſeptimo. Idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, & ſanctificavit illum.* Quare ergo vel Sabbatum non cuſtodis ? Quare præceptum illud contemnis, unum de decem præceptis quæ ſcripſit in tabulis lapideis digitus Dei.

CHRIST. An quia non ſabbatizo tecum, tranſgredior præceptum, & nullum habeo Sabbatum? immo ſi ſabbatizarem tecum, incurrerem Dei odium : dixit enim Deus in Iſaia, & ego jam tibi memoravi longè ſupra. *Neomeniam, & Sabbatum, & feſtivitates alias, Kalendas veſtras, & ſolemnitates veſtras, odivit anima mea. Facta ſunt mihi moleſta.* Receſſi ergo à tuo ſabbato ; & aſſumpſi mihi meliorem ſabbatiſmum, ut ſabbatizem primam Sabbati, qua die Chriſtus meus reſurrexit, cujus ſanguine tu ſabbatum tuum cruentaſti, & odibile Deo feciſti. Paraſceve enim erat Paſchæ tui, aderatque magnus ille dies ſabbati, quando ſacrilegium illud conſummaverunt Patres tui.

JUD. Non primum ſabbati, ſed ipſum ſabbatum Deus ſanctificavit ; non primo diei, ſed ſeptimo Deus benedixit ; & idcirco benedixit, quia in illo requievit.

CHRIST. Quid intelligis in appellatione illius diei ſeptimi ? putaſne ſolum ſpacium ab ortu uſque ad occaſum ſolis ? Si nihil amplius intelligere vis ; ego dico tibi quia non ſeptimus, ſed quartus erat ille dies ab eo die quo ſolem iſtum viſibilem Deus fecit. Interrogo adhuc quomodo vel quali operatione Deus illa omnia fecit ſex diebus ?

JUD. Dicendo, fiat ; & ſicut Pſalmiſta etiam di-
Pſ. 148. v. 5. cit : *ipſe dixit, & facta ſunt ; ipſe mandavit, & creata ſunt.*

CHRIST. Ita eſt, ut dicis : dicendo fecit, dicendo operatus eſt, & ab operibus ſuis ſeptimo die requievit.

JUD. Etiam requievit, & idcirco benedixit diei ſeptimo, & ſanctificavit illum.

CHRIST. Quare tu loqueris in die ſabbati ? Si enim Deus dicendo omnia fecit, & ab illo modo ſuæ operationis die ſeptimo requievit ; tu, qui idcirco ſabbatizas, quare dicis quidpiam in die ſabbati ? Adhuc & aliud interrogo te, quoniam diem illum ſic accipis, ab ortu uſque ad occaſum ſolis ; numquid tam breviter Deus requievit ; numquid requies ejus requies eſt unius talis diei ? Ego autem dico tibi, quia requieſcit adhuc & requieſcebat, quando dixit in
Pſa. 94. v. 11. David : *Ipſi verò non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam.*

JUD. Fatigas me ; & illud ipſum quod ſcio, penè facis me neſcire. Quid enim aliud ego debeo ſcire, niſi quod palam dicit mihi manifeſta facies litte-
Exo. 20. v. 8. ræ ? *Sex diebus*, inquit, *operaberis ; ſeptimo autem*
9. 10. & 11. *die non facies opus ; quia ſex diebus fecit Deus cœlum, & terram, & mare & omnia quæ in eis ſunt.*

CHRIST. O Judæe, benevolentia Dei tuam infantiam lactavit. Utrumque fecit : & intus abſcondit ſecreta ſapientiæ ſuæ, quæ non potuiſſes capere ; & in ſuperficie litteræ lactavit te, ut ſcires operariis tuis tua viſceta non claudere, & feſtis in opere tuo non poſſes requiem denegare. Iſtam denique intentionem ſuam in Deuteronomio manifeſtiùs edicit. Cùm enim loquens de obſervatione Sabbati dixiſſet, *non*
Deut. 5. v. 14. *facies in eo quicquam operis, tu, & filius tuus, & filia, & ſervus, & ancilla, & bos, & aſinus : & omne jumentum tuum, & peregrinus qui eſt intra portas tuas :* ſtatim ſubjunxit, *ut requieſcat ſervus & ancilla tua,*
v. 15. *ſicut & tu. Memento quod & ipſe ſervieris in Ægypto : & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti & brachio extento ; idcirco præcepit tibi, ut obſervares diem Sabbati.* Ad hanc intentionem idem facit prima Sabbati, quod ipſa dies Sabbati ; requieſcit enim ſervus meus, & ancilla mea, bos, & aſinus meus, uno die ex ſeptem diebus. Sed tibi jam melius notum eſſe cuperem quid ſit ſanctificare diem Sabbati ſecundùm requiem Domini : & hinc aliquid nunc dicturus ſum, quod & ſi tu non accipis, accipient libenter diſcipuli fidei, quorum Deus cor ad intelligendum ea, quæ ſunt ſpiritus, aperuit ; ut delectentur remoto velamine videre vultum Moyſi. Sex dies primos intellexerunt nonnulli majores noſtri, ſex creaturæ ſpecies, quibus multis conſtitit, quem in ſapientia ſua Deus fecit, ſicut Pſalmiſta
Pſ. 103. v. 24. dicit : *omnia in ſapientia feciſti :* ipſam autem ſapientiam ſeptimum eſſe diem, in quo revera Deus requieſcit : & iſte quidem dies numero ſeptimus, natura autem primus eſt. Propterea notandum quod
Geneſ. 1. v. 3. Scriptura cùm dixiſſet : *fiat lux &c.* per quam videlicet lucem intelligimus creaturam angelicam : non dixit, *factumque eſt veſpere & mane dies primus*, ſed
Ibid. v. 5. *factumque eſt*, ait, *veſpere & mane dies unus.* Ille namque, qui numero, ut jam dictum eſt, ſeptimus ponitur, natura eſt primus : & rectè ſeptimus ponitur, cùm ſit primus ; quia cùm omnia, quæ facta ſunt ; tranſeant & immutentur, ille permanet dies æternus veſperam numquam habiturus. Iſte eſt qui contra te in Evangelio ſuo loquitur. Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolvi Scriptura ; *Quem Pater ſanctificavit & miſit in*
Joan. 10. v. 36. *mundum*, vos dicitis quia blaſphemat, quia dixit : *Filius Dei ſum?* Nam quia Scriptura dixerat : *Et be-*
Geneſ. 2. v. 3. *nedixit Deus diei ſeptimo & ſanctificavit eum*, bene conſonat ei dicendo : *quem Pater ſanctificavit & miſit*
Joh. 10. v. 36. *in mundum*, ſcilicet Deum hominem factum, Verbum incarnatum. Sine igitur me perloqui, quoniam mihi objeciſti de ſanctificatione ſabbati, quod verbum ſanctificationis ſplendidè poſitum eſt tam in Exodo, quàm in libro Deuteronomii. In Exodo : *Memento*, ait, *ut*
Exod. 20. v. 8. *diem ſabbati ſanctifices.* In Deuteronomio : *Obſerva*,
Deut. 5. v. 12. inquit, *diem ſabbati, ut ſanctifices eum.* Quid rogo eſt ſanctificare diem ſabbati, niſi vacare verbo Dei in feſtivitate ſancti otii ; & omnibus modis quærere regnum Dei, poſtpoſitis cunctis quæ pertinent ad curam carnis ? Qui enim ſic non egit, numquid ſanctificavit diem Sabbati ? *Si averteris*, inquit Propheta,
Iſa. 58. v. 13. *à Sabbato pedem tuum non facere voluntatem tuam in die ſancto meo, vocaberis Sabbatum, & ſanctum Domino glorioſum.* Qui ſic incipit ſabbatizare, hic dum vivit ; perficitur, dum de præſenti ſæculo tranſit ingrediens in requiem Domini, & requieſcit ab operibus ſuis ; quemadmodum Deus & ab operibus ſuis requievit.

JUD. Tu neque ſabbatum cuſtodis, neque illum diem, quem dominicum dicis : negotiaris enim, ambulas, & circa res quaſlibet exerceris, & inſuper ſculptilia facis, & colis ea, contra alterum præceptum decalogi dicentis. *Non facies tibi ſculptile, ne-*
Exod. 20. v. 4. 5. & 6. *que omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cœlo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra ; non adorabis ea, neque coles. Ego ſum Dominus Deus tuus fortis zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me, & faciens miſericordiam in millia his qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea.*

CHRIST.

CHRIST. Ego si in Sabbato Domini, quod est vacare & videre quoniam Dominus ipse est Deus, quidpiam admitto, quo impediar ab illa vacatione sanctoque studio; fateor quia pecco: veruntamen scias quòd non mihi eadem quæ tibi posita ratio, neque per omnia servituti æque ut tu obnoxius esse debeo. Tibi enim in ratione observandi Sabbati ob requiem servi & ancillæ tuæ veracitet dictum est: *Memento quòd & ipse servieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti & brachio extento*; Idcirco præcepit tibi, ut observares diem Sabbati. Ego non servivi in Ægypto, sed panem meum comedo: & in me completur illud, quod per Isaiam dictum est: *Apprehendent septem mulieres virum unum in die illa dicentes, Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur; tantummodo invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum.* Præmiserat autem idem Propheta dicens, *Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, &c.* Usque, *pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, & fortes tui in prælio, & mœrebunt atque lugebunt porta ejus, & desolata in terra sedebit.* His præmissis continuò subjunxit, quod jam dixi, *apprehendent septem mulieres virum unum.* Tu fuisti illa terrena Sion, elevata mulier, & extento collo ambulans: cùm numquam dicere possis: panem meum comedam, & vestimentis meis operiar; tantummodo invocetur nomen tuum super me: quippe qui panem nullum, nec vestimentum ullum habebas, immo in Ægypto serviebas advena: sed ut invocares nomen Domini super te, ipse tibi panem & vestimentum alterius dedit, sicut scriptum est: *Et dedit illis regiones gentium, & labores populorum possederunt, ut custodiant justificationes ejus, & legem ejus requirant.* Porro septem mulieres, quæ dixerunt: *Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur*, universæ sunt Ecclesiæ mei, id est, Christiani nominis, quæ propter invocationem nominis Domini, propter fidem quam susceperunt illius unius viri, cujus & tu esse debuisti, nullas regiones aut labores aliorum quæsierunt sive acceperunt; sed in suis, quas antiquitus possidebant, regionibus commanentes justificationes Domini custodiunt, & legem ejus requirunt. Propter quod ipse Deus ponendo tibi legem terræ in eadem Lege dicit. *Mea est enim terra; vos autem coloni mei estis.*

Deut. 5. v. 15.

Isa. 4. v. 1.

Isa. 3. v. 16.

Ibid. v. 25.

4. v. 1.

Psal. 104. v. 44.

Isa. 4. v. 1.

Levit. 25. v. 23.

JUD. Numquid solummodo terra illa, terra Chanaan, quam dedit nobis, terra Domini erat; & non etiam omnis terra Domini est? *Domini est terra, & plenitudo ejus; orbis terrarum, & universi qui habitant in ea: quia ipse super maria fundavit eam, & super flumina præparavit eam &c.*

Ps. 23. v. 1. 2.

CHRIST. Planè omnis terra & plenitudo ejus, Domini est, & ipse post diluvium dedit eam filiis hominum, filiis Noë, dicendo: *Vos autem crescite, & multiplicamini, & ingredemini super terram, & replete eam.* Sed considera quid deinceps actum vel dictum sit: Posteritas Cham, filii Noë, maximeque Chananæi, quorum patrem Chanaan, quem in patre maledixit offensus Noë dicens: *Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis:* Terram quam acceperant propter scelera sua perdiderunt; immo & ipsa terra evomuit eos, quemadmodum ipse Dominus, cùm enumerasset ipsa scelera, *ne polluamini*, inquit, *in omnibus his, quibus contaminata sunt universæ gentes, quas ego ejiciam ante conspectum vestrum, & quibus polluta est terra, cujus ego scelera visitabo, ut emovat habitatores suos.* Cavete ergo ne & vos similiter evomat, cùm paria feceritis; sicut evomuit gentem, quæ fuit ante vos. Rectè ergo suam terram Dominus dixerit; quam, per justum judicium possessoribus ablatam, sibi retinere voluit, ut haberet in ea memoriale nominis sui, sancta sua tabernacula, & templum, ubi deberet nomen ejus invocari.

Gen. 9. v. 1.

Ibid. v. 25.

Levit. 18. v. 24. & 25.

JUD. Patri meo terram illam dedit, patri meo Abrahæ & semini ejus, quod semen ego sum, eodem jure quo dedit, quemadmodum nunc non commemorasti, filiis Noë. Quomodo ergo terram illam suam diceret, potius quam terras alias quas aliis hominibus dedit?

CHRIST. Dedit quidem, quia dare se promisit; sed terra illa non fuit tota promissio, sed quædam superadjectio; ut quærentibus regnum Dei, quò sine dubio promissio tendebat, necessarium non deesset stipendium, quo via vitæ præsentis indigebat. Cùmque terram illam se daturum promisisset; indignos se fecerunt patres tui filii Jacob, qui habitarent in ea, vendendo in servum fratrem suum Joseph. Sed & futurum præsciebat Deus, ut ingressi terram illam contaminarent eam, plusquam contaminaverant gentes, & idcirco non nisi sub conditionibus dare voluit, hoc inter cætera dicens, *Terra enim mea est, vos autem coloni mei estis.* Igitur ego, ut jam dixi, si in Sabbato Domini, quod est vacare & videre quoniam Dominus ipse est Deus, quidpiam admitto, quo impediar ab illa vacatione sanctoque studio; fateor quia pecco: veruntamen scias quia non eadem, quæ tibi fuerat, mihi quoque posita est ratio; neque per omnia servituti, æquè ut tu, obnoxius esse debeo. Non exigitur à me ut terra mea Sabbatizet septimo anno; quia terram meam non accepi ex eo vel pro eo, cui credidi, Evangelio. Bona tantummodo spiritualia consecutus sum per Evangelium; & idcirco spirituale meum debet esse Sabbatum. Tuum Sabbatum erat, & est Sabbatum servitutis & carnis: meum Sabbatum est Sabbatum libertatis & fidei. Et ut manifestiùs dicam, Sabbatum tuum unus erat dies, idemque tibi absconditus; quia claritatem ejus ferre non potuisses, nisi velamine vultus Moysi operiretur: meum autem Sabbatum duobus constat diebus; ipsum est enim unus idemque Deus & homo, Christus Jesus, dies primus & octavus; primus, quia Deus; octavus, quia homo factus, gloriâ suæ resurrectionis illustratur. Dixi tibi supra quia dies septimus, cui benedixit & in quo requievit Deus, qui numero ponitur septimus, ipse est naturâ primus, gratiâ octavus; quia gratiâ propter nos homo est factus: & de tuo die septimo, die transitorio & umbratico, transiens ad octavum me transduxit; ut mihi sit dies octavus, idemque primus; atque in una persona utrumque clarâ festivitate concelebrem: scilicet, & quia in ipso condita sunt universa in cœlis & in terra, visibilia & invisibilia; & quia ipse est principium, primogenitus ex mortuis, & per eum placuit reconciliari omnia, sive quæ in terris sunt, sive quæ in cœlis sunt.

JUD. Si ipse dies erat naturâ primus; quid necesse erat ut numero poneretur septimus? Non poterat dici vel scribi primo die Deus requievit; & secundo, & tertio & quarto, quinto, & sexto, & septimo opera sua fecit.

CHRIST. Vobis, quibus vel propter quos Scriptura condebatur, idcirco post dies operum rectè positus est dies requietionis, in quo Deus & antequam operaretur requiescebat, & postquam operatus est requiescit: quia nos non de requie ad operandum vocamur, sed post opera; cum bene operati, & creaturis Dei bene usi fuerimus, in requiem ingredimur: quandoquidem resurgemus dupliciter, id est tam secundùm animam, quàm secundùm corpus, quicumque Jesum Christum secundùm prædictas rationes primum & octavum esse diem fideliter & cum dilectione credimus. Hæc tibi de Sabbato responderim: jam nunc de eo quod objecisti, quod alterius quoque præcepti de Decalogo transgressor sim,

Digitized by Google

Exo. 20. v. 4. quod dictum est: *Non facies tibi sculptilia, non adorabis ea, neque coles*; similiter quæ vera sunt responderem: sed prius est ut peragam quæ superiùs cœpta fuerant de sacrificio carnis & sanguinis, quod in lege per Moysen ordinatum est, & de sacrificio panis & vini quod Christo juravit Dominus secundùm Ordinem Melchisedech. Et hoc quidem facere insistam: sed ut benevolum te reddere queam ad audiendum; persuadere cupio quatenus deponas animi contemptum, quo soles contemnere nationes gentium, te solum existimans nobilem populum, aut omnium populorum nobilissimum.

Jud. Rectè ego sic existimo quia Judæus ego, sive Judaicus populus, non sum sicut cæteri hominum, sicut cæteræ gentes sunt. Numquid tu ipse aliter sentis, aut de nostri nobilitate generis contrariam sententiam proferre vis?

Christ. Ego sententiam proferre non cupio contrariam veritati; sed si de nobilitate carnis gloriari vis, ego tibi veraciter demonstrare possum quia non est unde gloriari possis. Et ut breviter hoc faciam, dic mihi nunc in quibus hominibus nobilitas generis tui maximè claruerit.

Jud. In Regibus nostris, maximè in David, & in Jerusalem civitate Dei, in templo, & in omni gloria Ordinis Sacerdotalis & Levitici.

Christ. In primis de tota tribu regia, tribu Juda, A quæ nobilissima fuit, ego tibi dico quia si id quod verum est attendisses; numquam dixisses contra Dominum meum: nos, non ex fornicatione sumus nati: fornicata quippe est Thamar nurus Judæ cum eodem socero suo, & concepit Phares & Zaram, de quibus tota Judæ Tribus propagata est: Levi quoque, de quo fuerunt omnes familiæ Sacerdotales atque Leviticæ, de Lia quæ per fraudē subintroducta fuit Jacob, cùm ille pro Rachel servierit, progenitus est. Et si citè consideres, soli duo Joseph & Benjamin de legitima conjuge procreati sunt. Unde & idem pater Jacob ad decem filios suos? *Vos scitis*, ait, *quod duos filios genuerit mihi uxor mea. Egressus est unus, & dixistis, bestia devoravit eum, & huc usque non comparet: Si tuleritis & istum Benjamin, & aliquid ei in via contigerit, deducetis canos meos cum dolore ad inferos.* Solam ergo Rachel uxorem legitimam intelligi voluit, ubi hæc dixit; & sic fuit, quia videlicet sex filii de subintroducta Lia, & quatuor de ancillis nati sunt; &, sicut jam dictum est, pro sola Rachel sibi desponsata ille servivit. Quid dicam de patre Abraham? Genere Chaldæus extitit, cæteris hominibus similis. Hæc dicens nequaquam gentem tuam sive Israelitici generis seriem volo haberi ignobilem; constat enim illam fuisse nobilem valde. Sed hoc intendo ut scias quia nobilitas ejus non fuit secundùm carnem, sed fuit secundùm fidem. Ge. 44. v. 27. 28. & 29.

LIBER III.

CHRISTIANUS.

PRæcedente disputationis nostræ breviculo satis demonstratum esse arbitror quod carnalia legis sacrificia non jussa, sed permissa; non postulata fuere, sed ultrò ab hominibus illata. Unde ne adhuc dubites, recole quis primus fuerit litator ejusmodi sacrificii; & vide utrum jussus, Scriptura teste, litaverit, an non.

Jud. Abel primus litator fuit, sicut scriptum est; fuit autem Abel pastor ovium, & Caïn agricola; factum est autem post multos dies, ut offerret Caïn de fructibus terræ Domino munera: Abel quoque obtulit de primogenitis ovium gregis sui, & de adipibus eorū. Et quidem neutrum illorum lego jussum esse ut offerret: veruntamen prius placuit Domino sacrificium de primogenitis ovium, respexit enim Dominus ad Abel, & ad munera ejus; quàm oblatio de fructibus terræ, cujuscumque generis fuerint: Sequitur enim, *ad Caïn verò, & ad munera ejus non respexit.* Gen. 4. v. 4.

Christ. Certè quòd ad fructus terræ munera Caïn non respexit Dominus, culpa fuit ipsius Caïn, quia benè quidem obtulit, sed malè divisit, cor suum sibi in infidelitate tenens, & rem suam Domino offerens: cum offerret Abel semetipsum, sive cor suum, Domino per fidem, & rem suam per dilectionem. Nam de fructibus terræ cum fide offerre, præsertim oblationes panis & vini, laudabile Deoque placitum non minus animadvertis, ubi jam tunc temporis quis obtulit: licet Scriptura nusquam ante diluvium aperte memoraverit, maximè quia recenti post diluvium tempore tam insigniter Scriptura quendam pro hujusmodi oblatione commemoravit, ut diceret: *At verò Melchisedech rex Salem proferens panem & vinum (erat enim sacerdos altissimi) benedixit ei*, videlicet Abrahæ. Ei qui benedictiones acceperat in promissione, benedixit sacerdos hujusce sacrificii. Dico ergo quia semper plus placuit & plus placere debuit sacrificium panis & vini, quam sacrificium cujuslibet Gen. 14. v. 18

G bruti pecoris, Scriptura quoque testante, quæ istud hoc modo præfert: *Juravit Dominus & non pœnitebit eum; tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Veruntamen hoc te scire & concedere oportet, quia neutrum illo adhuc tempore sacrificium jussum est; sed utrumque, prout merebatur fides voluntariè offerentium, verbi gratia, fides Noë, fides Melchisedech, ab uno eodemque Deo susceptum est. Psa. 109. v. 4.

Jud. Si jussum non erat; unde habebant ut offerrent? Quæ causa hominibus suggessit, ut offerrent quippiam Creatori cuncta possidenti; si non ipse prior jussit?

Christ. Causa sacrificii vel muneris, quod in sacrificium Domino deberet offerri, peccatum fuit. Nisi enim peccatum accidisset, nullo sacrificio, nullo redemptionis munere nobis opus fuisset: Ipsum autem peccatum comedēdo admissum fuit; per cibum vetitū D hominem inobedientem, hominem similitudinis Dei nimium appetitorem, comprehendit & morti tradidit. Nam cibus ille, ligni vetiti fructus, res quidem parva fuit, & apud Dominum secundùm se nullius momenti; sed intentio comedentis nimis magna, nimisque fuit horribilis: secundùm verba illa serpentis: *Comedite & eritis sicut dii.* Nonne hoc fuit peccatum diaboli, qui primus in cœlo appetivit similitudinem Dei? Igitur quia rapiendo vetitum & comedēdo, peccatum admissum fuit; ratio justitiæ postulabat sacrificium Deo offerri, quod tanti esset pretii, ut comedendo illud satisfieret, & recompensaretur rapina illius cibi, quem homo tali intentione comedit. Sed ubi, vel unde homo tale quid acciperet; tale quid invenire posset? Nihil ergo Deus homini super sacrificio jubere voluit, aut jubere debuit; quia sciebat eum nihil habere, quo peccatum ejus posset redimi. At ille, videlicet homo fidelis, qualis fuit Abel, qualis fuit Noë, qualis fuit Melchisedech, qualis fuit Gen. 3. v. 5.

Moyſes, recuperare geſtiens gratiam Creatoris ſui, venit voluntarius, voluntariè ſacrificavit, voluntaria munera obtulit, qualia vel quanta conſequi potuit de laboribus ſuis; ille de gregibus ſuis, in quorum cura laboravit; ille de fructibus terræ, qui majore cum labore adquiruntur, quorum videlicet fructuum terræ panis & vinum præcipua ſunt, & cum labore maximo veniunt. *Num in ſudore vultus tui*, ait Dominus, *veſceris pane tuo: & cùm operatum fuerit terram, non dabit fructus ſuos; ſed ſpinas & tribulos germinabit tibi.* Vidit Dominus voluntarios offerentes, & ad numera eorum reſpicere dignatus eſt; cùm nullo horum indigeret, juxta quod Pſalmiſta *Dixi*, inquit, *Domino, Deus meus es tu; quoniam bonorum meorum non eges.* Vidit & accepta habuit, prout offerentium merebatur fides; & oblata ſive accepta ſic honoravit, ut in illis rebus quas offerre vel ſacrificare præparaverant, ſacramenta poneret illius unici ſacrificii, quod ſolus ipſe dare poterat, quo ſolo poſſet homo à peccatis vel à morte redimi. Hoc eſt, quod nos dicimus & ſcimus; tu autem ſcire vel audire non vis quid in ſacrificiis animalium quæ ultro offerebantur, ut jam dictum eſt, cauſæ ſuberant, propter quas Deus ritus eorum ſic & ſic ordinare voluit, ſic & ſic immolari, ſic & ſic conſumi, & quædam omnino præcepit incendi, ſic & ſic ſanguinem fundi vel aſpergi, adipemque totum adoleri, & cætera ritu diligentiſſimo pertractari. Omnia fieri juſſit in myſterio ſacrificii venturi, ſub figuris ſanctis & myſticis, juxta quod ipſe quodam loco dixit ad Moyſen, ut jam longe ſuperius memoratum eſt, *inſpice & fac ſecundum exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt.* Porrò in ſacrificio panis & vini, quod tu ipſe noſti, & jam ſuprà dictum eſt, primus prótuliſſe legitur Melchiſedech, cauſam per ſemetipſum, virtutemque poſuit ejuſdem veri ſacrificii: cauſam, quia jam venit; virtutem, quia remiſſionem peccatorum hoc ſacrificium operatur, non jam in ſpe, ſed in re, illi qui fideliter ſumit: quod illis carnalibus ſacrificiis impoſſibile fuit.

Ibid. v. 19. v. 18. Pſ. 15. v. 2. Exo. 25. v. 40. Rup. l. 3. de operibus Spiritus ſancti. cap. 11. Vide Apolog. pro Rup. p. 232.

JUD. Cauſam, dicis, & virtutem poſuit. Quis, rogo, poſuit?

CHRIST. Ille nimirum, in quem illud, quod jam ſuprà memoravi, dictum eſt: *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech.*

Pſ. 109. v. 4.

JUD. Quis enim ille eſt? Scio quò tendis, videlicet ad Jeſum Chriſtum, quem crucifixerunt patres mei. At ille ubi ſacerdos demonſtratus eſt? Ubi conſecratus ille fuit, vel ſacrificium obtulit?

CHRIST. Nuſquam in Ordine Aaron ſacerdos fuit nec eſſe debuit, quem videlicet Ordinem ſacerdotii ſolum attendis; ſed in Ordine, vel ſecundùm Ordinem Melchiſedech. Quid iterum ſtupidus aſtas? quid hæres? O Judæe, quæcumque loquuntur Scripturæ, aut vera ſunt, aut non. Sed dicere quis audeat quia non vera ſunt? Si autem vera, immò quia vera ſunt; quære aliquem, in quo completa ſit veritas Scripturarum; & non invenies, niſi hunc unum Jeſum Chriſtum. Non longè, nec in multa Scripturarum ſpatia quæ latiſſima ſunt, nunc mitto te; hunc unum brevem Pſalmum ſcrutare, de quo eſt verſiculus iſte: *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum:* & invenies & ſacerdotis perſonam, & ſacerdotii Ordinem, & Ordinis virtutem, & præcedentis in virtute ſua ſacerdotis gloriam & honorem, & ſeſſionis eius altitudinem, & ferè quidquid magnum & victoriosum ego per Evangelium didici de Jeſu Chriſto Filio David, Domino David. Dico tibi quia paſſus & mortuus eſt, & propter hoc illum Deus exaltavit exaltatione aſcenſionis in cœlum multis videntibus. Quid aliud loquebatur idem Pſalmus ultimo verſiculo: *De torrente in via bibet; propterea exaltabit caput?* Dico tibi quia ſedet nunc à dextris Dei, ſecundùm carnem Filius David, & ſecundùm Divinitatem Dominus David. Quid aliud erat in primo verſiculo ejuſdem Pſalmi: *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis?* Dico tibi quia regnum & ſacerdotium ejus ad Jeruſalem incipiens, ad gentes ſeſe extendit; & inter inimicos ſuos, Judæum, ſcilicet, & gentilem, crevit nomen ejus; & præ ficatur ipſe Dominus omnium; & propterea Judæi captivi ducti ſunt inter gentes quæ credunt in eum, quia inimici ejus ſunt, & amici per fidem eſſe noluerunt. Quid aliud ille verſiculus ejuſdem Pſalmi loquitur: *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum?* Dico tibi quia antequam ipſe homo factus viſibiliter appareret, ante cœlum & terram, ante omnem creaturam viſibilem ſeu inviſibilem, ipſe Deus apud Deum erat, natus ex corde Patris, cœternus illi & conſubſtantialis. Unde & principium rectè ſemetipſum pronuntiavit, ſicut & Pater principium eſt. Quid aliud ſequenti verſiculo loquitur Pſalmus iſte: *Tecum principium in die virtutis tuæ, in ſplendoribus ſanctorum, ex utero ante luciferum genui te?* Dico tibi quia ipſe eſt judex vivorum & mortuorum; & in die judicii cunctos impios, tam gentes, quàm gentium reges, judicabit; juſtos autem & humiles glorificabit. Quid aliud ei vel de eo dicitur duobus verſiculis ſequentibus: *Dominus à dextris tuis, confregit in die iræ ſuæ reges: Judicabit in nationibus, implebit ruinas, conquaſſabit capita in terra multorum?*

Ibid. v. 1. Ibid. v. 2. Ibid. v. 3. Ibid. v. 5. 6.

JUD. Tu Scripturas tuo ſenſu tractare conſuevisti; & ducis ac reducis, ut jam dixi, qualem in partem vis.

CHRIST. Non ego ſenſu meo Scripturas involvo; ſed hoc tibi oſtendere cupio, quia ſicut Ezechiel vidit & ſcripſit, *rota eſt in medio rotæ*, id eſt, Scriptura Evangelica, quam tu non accipis, ſtat fundata in manifeſta auctoritate veteris Scripturæ, legalis & propheticæ. Scio quòd in iſto gravaris, & abhorres quod tibi ad videndum ingeritur: etenim iſtud quoque non tacuit aut ignoravit Propheta jam dictus, nam *ſtatura quoque*, ait, *erat inverſis, & altitudo, & horribilis aſpectus.* Nunc ad illud revertar quod ex adverſo interrogaveras: dixiſti enim; *Ubi ille, quem crucifixerunt patres mei, ſacerdos demonſtratus eſt? ubi in ſacerdotem conſecratus fuit? Ubi ſacrificium obtulit?* Ego autem dico & dixi tibi quia nuſquam in Ordine Aaron ſacerdos fuit, aut eſſe debuit; ſed in Ordine, vel ſecundùm Ordinem Melchiſedech. Quod niſi feciſſet, niſi ad illum Ordinem tranſiſſet; quomodo juramentum Domini ſtaret, quem mentiri impoſſibile eſt? Nam cum juramento dixit Dominus: *Tu es ſacerdos in æternum ſecundùm Ordinem Melchiſedech.* Si non eſſes cordis nimiùm duri & averſi; ſaltem propter hoc, quia Dominus juravit, ſentires & conſentires ſic oportuiſſe omnia fieri, quomodo Jeſus Chriſtus fecit. *Qui* enim *nocte* 1. Cor. 11. v. *tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit;* 23. 24. 25. *& dixit, Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, poſtquam cenavit dicens: Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine: hoc facite in meam commemorationem, quotieſcumque biberis.* Ibi ſacerdotio functus eſt ſecundùm Ordinem Melchiſedech, poſt eſum agni faciens ſacrificium panis & vini. Ubi completum eſt deſiderium omnium Sanctorum, qui non habentes ſacrificium ſufficiens ad expiandum peccatum, præparaverunt ſacrificare quod potuerunt: de quibus & Jacob in benedictionibus Joſeph: *Benedictiones*, inquit, *patris tui confortatæ* Gen. 49. v. 26. *ſunt benedictionibus patrum ejus, donec veniret*

deſiderium cœlium æternorum. Hoc facientes ſive ſumentes nos comperenti antidoto curamus ſervato ordine juſtitiæ, ut quia crediderunt homines primi illud quod non videbant; ſcilicet, pomo illi, ſecundùm dictum ſerpentis, virtutem ineſſe effectivam. Divinitatis, ſive divinæ ſimilitudinis; illud comedendo mortui ſunt: credamus nos è contra illud, quod non videmus carneis oculis, ſcilicet, ſacrificium panis & vini; ſecundùm dictum Filii Dei, veritatem ineſſe carnis & ſanguinis ejus; ut comedendo vivamus conſecuti per hoc remiſſionem peccatorum.

Rup. l. 1. de oper. Spiritus ſancti, c. 13. Vide Apolog. pro Rup. pag. 835.

Jud. Forſitan hoc itidem dices mihi de ſacrificio illo panis & vini, quod de baptiſmo dixiſti mihi: ſcilicet, quod virtus ejus ad inferos deſcenderit; & omnes, qui illic erant, eodem cibo refecti ſunt & potu.

Rup. l. 2. in Exod. c. 6. l. 3. de Sapientia c. 20. l. 20. in Mat. & l. 6. in Johan.

Christ. Planè hoc dico, quia idcircò Dominus meus Jeſus Chriſtus ſecundùm id quod Deus Dei verbum, dicitur que & eſt verè panis Angelorum, viſitatione ſua refecit & pavit omnem multitudinem animarum fidelium; & ſecundùm corpus, in eumdem ventrem terræ receptus, quo ſepulta fuerunt corpora illorum, factus eſt eis cibus terræ; ut reſurgant in vitam æternam: ob cujus rei fidem ſive teſtimonium, jam nunc multa cum eo ſanctorum corpora ſurrexerunt. Quod in illa ſpecie in qua pependit in cruce & ſepultus eſt, tunc illis prioribus contulit; hoc nobis idem reſiduis confert in iſtis ſpeciebus panis & vini; dum abluti ſacramento ſanguinis & aquæ, quæ utraque tunc fluxerunt de latere ejus jam mortui, & mundati à peccatis (eorum maximum erat opprobrium peccati originalis) comedamus & bibamus, ut jam dixi, contra illum cibum primæ prævaricationis, ut ſimus Filii Dei.

Jud. Tu ſi velles, melius aliquid loquereris de lege ſancta Dei, lege Moyſi, & ſacro Ordine omnis ſacrificii. Tu omnino ſic loqueris, ac ſi in tuo tantùm ſacrificio, & non in ſacrificiis legis, peccati remiſſio

Lev. 4. v. 26. ſit. Nonne in lege Dominus dicit: *Rogabuntque pro eo ſacerdos, & pro peccato ejus; & remittetur ei?* Aut numquid tantummodo ſemel hoc dicit? Nimirum & in oblatione pro peccato principis, & in oblatione pro peccato plebeii, & in oblatione cujuſcumque animæ, ſive quæ juramenti ſui oblita fuerit, ſive quæ cerimonias per ignorantiam prævaricata fuerit, & in cæteris hujuſcemodi remiſſio legitima propoſita

Ibidem. eſt, dicendo, *Rogabitque pro eo ſacerdos, & dimittetur ei.* Horum tu aut non meminiſti, aut cùm non immemor eſſes diſſimulaſti, ut ordinem ſacrificii mei ſuperexaltares, ordinem autem meum deprimeres. Similiter cum de pacto, quod pepigit Dominus cum Abraham patre meo propter ſolam, ut dicis, fidem, multa ſuperiùs dixeris, de pacto vel fœdere, quod pepigit in monte Sinaï, ſuper ſermonibus legis nimis ad loquendum negligens extitiſti.

Christ. De pacto illo quid ego loquerer, niſi quia irritum factum eſt? An non Prophetæ iſtud, immò

Jer. 31. v. 31. 32. & 33. in Prophetis Dominus loquitur? Exempli gratiâ, *ecce* inquit Jeremias, *dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Iſraël & domui Juda fœdus novum, non ſecundùm pactum, quod pepigi cum patribus eorum in die quando apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti; pactum, quod irritum fecerunt, & ego dominatus ſum eorum, dicit Dominus: ſed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſraël,* &c. Porrò pactum fidei, quod cum Abraham pepigit, ſuper quo etiam, ſicut juraverat Abrahæ, juravit iterum David, irritum fieri non potuit. Hinc apud eumdem Jeremiam idem Dominus dixit: *Si irritum poteſt fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, ut non ſit dies & nox in tempore ſuo; & pactum meum irritum eſſe poterit cum David ſervo meo, ut non*

Ib. v. 25. 26. *ſit ex eo filius qui regnet in throno ejus.* Item: *Si pactum meum inter diem & noctem, & leges cœlo & terræ non poſui; & quidem & ſemen Jacob & David ſervi mei projiciam, ut non aſſumam de ſemine ejus principes ſeminis Abraham, & Iſaac, & Jacob.* Pactum illud, ſuper quo tu quereris, non tam firmum ſive tam firmiter poſitum fuit, quo poſſet diſſolvi abſque detrimento juſtitiæ & veritatis Dei.

Jud. Quomodo magis pactum legis diſſolvi potuit, ſalva veritate Dei; quàm illud pactum, ut dicis, fidei pactum, quod pepigit cum Abraham & cum David?

Christ. Rationem, ſi vis, cito intelligere poteris. Nonne illud volumen fœderis, de quo ita legis; *aſſumenſque Moyſes volumen fœderis legit audiente populo,* &c. uſque *hic eſt ſanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper cunctis ſermonibus his:* Nonne, inquam, volumen illud totum ſub conditione ſcriptum fuit? Sic quippe ſermones illos, quos in illo volumine ſcribi juſſerat, Dominus exorſus eſt: *Vos ipſi vidiſtis quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portaverim vos ſuper alas aquilarum, & aſſumpſerim mihi. Si ergo audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum; eritis mihi in peculium de cunctis populis,* &c. Nunquid ita conditionaliter in promiſſione aut in repromiſſione ad Abraham & ad David locutus eſt? Non utique; ſed abſque conditionis interpoſitione ad Abraham, *In ſemine,* inquit, *tuo benedicentur omnes gentes:* Et alibi, *Suſcipe cœlum,* inquit, *& numera ſtellas, ſi potes; ſic erit ſemen tuum:* Ad David autem, *de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam:* Et alibi, *cumque completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis; ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus. Ipſe ædificabit domum nomini meo, & ſtabiliam thronum regni ejus uſque in ſempiternum.* Hujuſmodi promiſſiones, quoniam abſque conditione dictæ ſunt, non potuerunt irritæ fieri, ſalvâ veritate Dei: illas autem promiſſiones legis, quoniam conditionaliter dictæ ſunt, *ſi audieritis vocem meam, ſi cuſtodieritis pactum meum,* &c. Irritæ factæ ſunt non infirmata veritate Dei, & irritæ fieri cœperunt jam tunc à reatu vituli. Hæc ut ita eſſe magis ac magis rite perpendas, dic mihi quando iratus propter illum vitulum dixit ut diſperderet eos? Quomodo, quid dicendo tenuit eum Moyſes ſtans in confractione in conſpectu ejus? Recole verba ipſa hominis tenentis Deum dicentem,

Ex. 32. v. 10. *Dimitte me, ut iraſcatur furor meus.*

Jud. Verba illa orantis Dominum ſatis in promptu ſunt: *Recordare,* ait, *Abraham, Iſaac & Jacob ſervorum tuorum, quibus juraſti per temetipſum dicens: Multiplicabo ſemen veſtrum, ſicut ſtellas cœli, & univerſam terram hanc, de qua locutus ſum, dabo ſemini veſtro.*

Ibid. v. 13.

Christ. Cur non dixit: recordare fœderis, quod nuperrimè nobiſcum pepigiſti, cujus ego internuntius dixi: hic eſt ſanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper cūctis ſermonibus his? Videlicet quia per commemorationem iſtam nihil haberet fortitudinis; cùm jam ex parte populi violatæ eſſent cōditiones illius fœderis. In illo fortis fuit, & Deum tenere potuit, quia ſine conditione, ut jam dictum eſt, Abrahæ promiſit, & juravit. Eadem fortitudine utebatur & David, quando ſollicitus ne, propter peccatum quod fecerat in Uriam Etheum, indignus haberetur promiſſione, qua promiſerat illi & juraverat Deus naſci de ſemine ejus regem ſempiternum, dicebat: *Miſerere mei, Deus,* *Pſ. 50. v. 1. & 6.* *ut juſtificeris in ſermonibus tuis.*

Jud. De differentia pacti & pacti, promiſſionis & promiſſionis ſatis abundè dixiſti, & ſcientiam tuam plurimam oſtendiſti. Ego autem prius & maxime illud propoſuetam quod in ordine meo in ſacro ritu ſacrificiorum legalium manifeſtè datur & enuntiatur remiſſio peccatorum, ſcripturamque oſtendi ex ore dicentem Domini; *Qui,* ſic vel *ſic peccaverit, offeret* hoc vel illud; *rogabitque pro eo ſacerdos, & dimittetur ei.* Tu ergo *Lev. 4. v. 26.*

Digitized by Google

frustra soli tuo, quod dicis secundùm ordinem Melchisedech, sacerdotio remissionem peccatorum ascribis.

CHRIST. Et de hoc tibi respondere paratus sum, nec oblitus eram; sed cùm duo proposuisses, simul de utroque respondere non poteram. Novi planè quia dixit Dominus, & verum esse oportet quod dixit, *rogabitque pro eo sacerdos, & dimittetur ei.* Sed numquid omnis dimissio ubicumque nominatur, sufficiens & perfecta debet intelligi? Repugnat valde illud, quod cùm dimisisset Dominus peccatum populi, & placatus esset ne faceret malum quod locutus fuerat; postmodum ait: *Ego autem in die ultionis visitabo & hoc peccatum eorum*, & quidem meliorem constat esse dimissionem illam qua dictum est; *rogabitque pro eo sacerdos, & dimittetur ei:* verumtamen ad quantitatem sive æqualitatem non pertingit hujus remissionis quæ datur in sacrificio panis & vini, sacrificio corporis & sanguinis Domini. Aliud nàque est in remissione solùmodo dimitti pœnam, aliud non solùm dimitti pœnâ; verum etiam conferri gloriam. Sunt ergo tres modi dimissionis: est enim dimissio exigua, qua ita dimittitur peccatum, ut ad præsens non inferatur temporale malum pro quo multi solliciti sunt, sicut Achab, & sicut Ninivitæ fuerunt; & est maxima dimissio, qua ita dimittitur peccatum, ut peccator non solùm evadat pœnam, sed & gloriam consequatur æternam. Harum media dimissio erat, qua in lege dimittebatur peccatum, ut propter illud apud inferos non puniretur anima, non jam in re sed in spe habens gloriam vitæ æternæ, quæ non nisi in semine Abrahæ, quod est Christus, danda vel implenda erat: de illa spe sanctorum apud inferos expectantium, priori libello cum testimoniis Scripturarum latiùs tractatum est.

JUD. Ubi vis immoraris, & declamata jam dudum importunus iteras ac replicas; & illud, in quo tenebaris, aut oblitus es, aut dissimulando devitas. Dico enim te idololatriæ cultum non reliquisse, sed immutasse; & contra sacræ legis præceptum dicentis: *non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper: & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra: non adorabis neque coles ea:* tu sculptilia facis, & colis ea.

CHRIST. Ego similitudinem facio & adoro humilitatis Dei altissimi; qui cùm sit homo, ipse altissimus est; sicut testatur psalmus dicens: *homo natus in ea, ipse fundavit eam altissimus:* & hoc faciendo longè fugio judicium diaboli in quo secum hominem reum statuit, peccando ipse prior in eo quod dixit: *ascendam super altitudinem nubium; similis ero altissimo:* & promittendo homini eandem similitudinem Dei, dixit Evæ: *comedite, & eritis sicut dii.* Per hoc namque satis evidenter me significo multum dissentientem esse, & longè recessisse animo ab illa præsumptione sacrilega dum ego illius in cruce pendentis adoro humilitatem, cujus ille rex filiorum superbiæ regnantem in cœlo contempsit majestatem.

JUD. *Simulachra gentium*, ait Psalmista, *argentum & aurum, opera manuum hominum; os habent, & non loquentur*, & cætera usque, *similiter illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.* Et in Isaia loquitur dicens: *Numquid est Deus absque me, & formator quem ego non noverim? Plasta omnes idoli nihil sunt. Quis formavit Deum, & sculptile conflavit ad nihilum utile?* &c. usque: *cor insipiens adoravit hoc, & non liberavit animam suam, neque dicit: forte mendacium est in dextera.*

CHRIST. Et idem Deus postmodum apud eumdem Prophetam dicit: *Ecce ego levabo ad gentes manum meam: & ad populos exaltabo signum meum: vultu demisso in terram adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.* Inter medium istorum, quæ ab uno eodemque Domino dicta sunt, sic medium tene; ut meritò detesteris simulachra gentium, & tamen adorare debeas aliquod signum: *quoniam exaltabo*, inquit, *signum meum:* & ad ipsum conversus *vultu*, inquit, *in terram demisso adorabunt te.*

JUD. Tu illud medium ostende; tu mihi, si potes, modum expone; quo umquam liceat homini facto ad imaginem Dei simulachrum aliquod, aliquod opus manuum adorare.

CHRIST. Primum hoc dico tibi, quia illud super quo mihi calumniaris, simulachrum non est de simulachris gentium; neque enim gentes, quamdiu gentes, id est, gentiles sunt vel fuerunt, tale simulachrum adorant, sive adoraverunt. Et mihi manifesta horum distantia est, quia simulachra gentium cuncta mendacia sunt; istud autem simulachrum non mendacii, sed summæ veritatis est signum. Qui ergo simulachra gentium facit & adorat, mendacium facit & mendacium adorat: qui autem simulachrum Jesu Christi crucifixi pro salute mundi, facit & adorat; veritatem facit, veritatem adorat.

Ratio specialis Cur imagines adorandæ, & istæ non colendæ sint.

JUD. Absque ulla distantia, absque aliqua exceptione dixit Deus qui non mutatur: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra.*

CHRIST. Et ipse postmodum ad Moysem; *facies*, inquit, *duos Cherubim aureos, & productiles ex utraque parte oraculi: Cherubin unus sit in latere uno oraculi, & alter in altero. Utrumque latus propitiatorii tegant, expandentes alas suas, & operientes oraculum; respicientque se mutuò, versis vultibus in propitiatorium.* Et in libro Numeri scriptum est; *Fac serpentem æneum*, ait Dominus, *& pone eum pro signo. Qui percussus aspexerit eum, vivet. Fecit ergo Moyses serpentem æneum, & posuit pro signo; Quem cùm percussi aspexissent, sanabantur.*

JUD. Et si jussit Deus illa fieri; non tamen jussit, immo vetuit adorari, sive coli quæcumque ejusmodi.

CHRIST. Planè non jussit, neque voluit ea coli; immo ne colerent ea proni ad idololatriam juveniles animi, capti pulchritudine formarum sive metalli; abscondita esse voluit, intecta videri prohibuit. *Cum*, inquit, *involverint Aaron & filii ejus sanctuarium, & omnia vasa ejus in commotione castrorum; tunc intrabunt filii Caath, ut portent involuta, & non tangant vasa sanctuarii, ne moriantur.* Item: *Aaron & filii ejus intrabunt, ipsique disponent onera singulorum & dividunt quid portare quis debeat. Alii nulla curiositate videant quæ sunt in sanctuario priusquam involvantur, ne fortè moriantur.*

JUD. Unde hoc habes quòd si visui patuissent illi Cherubin, colerentur, & ita qui vidissent morerentur; & quòd idcirco dixerit Deus: *alii nulla curiositate videant, alioquin morientur?*

CHRIST. Narrat Scriptura de rege Ezechia, quia ipse confregit æneum serpentem quem fecerat Moyses; siquidem usque ad illud tempus filii Israel adolebant ei incensù. Si ergo potuerùt colere æneam similitudinem serpentis; quanto magis, vel citiùs coluissent aureas similitudines sanctorum Cherubin? Igitur quod vetuit Dominus dicens: *non facies tibi sculptile neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra*; idcirco vetuit ne facturam eorum subsequeretur cultura, unde & subjunxit, *non adorabis neque coles ea.* & rectè, quia nihil erat in cœlo, sive in terra, neque in aquis, cujus similitudo jure adorari deberet, aut coli, præter Deum cujus substantia incircumscripta esset invisibilis, & cujus nullam viderant similitudinem, ut eam posset artifex imitari. Hinc Moyses in Deuteronomio dicit: *Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis Dominus in Oreb de medio ignis, ne fortè decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi*

vel fœmine, &c. Itaque non contra me, ſed pro me facit illud præceptum legis, videlicet adverſus Humani-formios; contra quos Chriſtianitati aliquando labor extitit, ut manifeſti convincerentur erroris, dicentes hominem ſecundùm facturam corporis factum eſſe ad imaginem Dei. Contra me, ut jam dictum eſt, non facit, quia videlicet tunc quidem non videbatur aut viſus erat in terra Deus cum hominibus converſatus; nunc autem in terra viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt in illa ſpecie, quam optimè novi, Deus & homo Chriſtus, & hic idem crucifixus. Proinde ſimilitudinem ejus facio, & hanc adoro, non vana ſpe ſanitatis & ſalutis in fide vel per fidem ejus, qui pro me ſecundùm hanc ſimilitudinem in cruce pependit. Si enim ſerpentem æneum pro ſigno poſitum percuſſi aſpicientes ſanabantur; non utique ſerpentem viventem, ſed inanimatam ſerpentis ſimilitudinem: quantò magis ego ſignum hoc aſpiciens, de quo, ut
Iſa. 49. v. 22. jam ſuprà memini; *ecce ego*, inquit Dominus, *levabo ad gentes manum meam & ad populos; & exaltabo ſignum meum*: quantò magis, inquam, ego aſpiciens & vultu in terram demiſſo, adoro hoc ſignum, & pulverem pedum illius lingens ſanari debeo à morſibus ſive percuſſionibus ſerpentum, id eſt, à vitiis & peccatis, quæ ſunt percuſſiones malignorum ſpirituum?

JUD. Ergone ſignum illud, quod adoras, ſignum eſt Dei; & non potius hominis mortui? Nam Deus
Exo. 33. v. 20. ad Moyſen dixit: *Non enim videbit me homo, & vivere poteſt*: hic autem & viſus ab hominibus, & comprehenſus, & occiſus eſt?

CHRIST. Deus inviſibilis eſt; & ut videretur, homo factus eſt: neque enim ignota eſt cauſa hæc ritè recolẽtibus quòd primùm in Exodo, & deinde in Deuteronomio ſcriptum eſt; *Perterriti ac pavore concuſſi*
Ibid. 20. v. 18 & 19. *ſteterunt procul dicentes Moyſi: loquere tu nobis, & audiemus. Non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur*, &c. Hujus rei memor ipſe Dominus ad Moy-
Deut. 5. v. 28 ſen dixit: *Audi vocem verborum populi hujus: quæ locuti ſunt tibi; bene omnia ſunt locuti.* Et ipſe Moyſes
Deut. 18. v. 15. 16. 17. 18. 19. ad populum: *Prophetam*, ait, *de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus; ipſum audies, ut periſti à Domino Deo tuo in Oreb, quando concio congregata eſt, atque dixiſti: Ultra non audiam vocem Domini Dei mei; & ignem maximum hunc non videbo amplius, ne moriar; & ait Dominus mihi: Bene omnia ſunt locuti: Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui, & ponam verba mea in ore ejus; loqueturque ad eos omnia quæ præcepero ei. Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ego ultor exiſtam.* Hæc & cætera, quæ longum eſt hîc enarrare, perſpicuum faciunt omni oculos habenti ad videndum, & aures ad audiendum, quòd idcirco Deus homo factus eſt, quia non poterat viſio ſubſtantiæ ejus ab homine videri; videlicet, propter antiquas inimicitias, quarum paries ſtabat inter Deũ & homines ex peccato primi hominis. Hinc eſt illud, quod tu legere aut intelligere for-
Joan. 1. v. 18 tè nondum vis; *Deum nemo vidit unquam.* Unigenitus filius qui eſt in ſinu patris ipſe enarravit, id eſt, ſoluto pariete inimicitiarum viſionem Dei hominibus oſtendit. Iſte eſt prophetа ille, de quo Moyſes, ut
Deut. 18. v. 15. jam dictum eſt, *Prophetam*, ait, *de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus*, &c.

JUD. Ecce duo dii, Deus Pater, & Deus unigeni-
Ibid. 6. v. 4. tus Filius. In lege autem ſcriptum eſt: *Audi Iſrael,*
Iſa. 45. v. 5. *Dominus Deus tuus, Deus unus eſt.* Et alibi: *Ego Dominus, & non eſt amplius; extra me non eſt Deus.*

CHRIST. Numquid unigenitus filius hoc de ſemetipſo, aut alius quis de illo dixit ex omnibus aſſertoribus ejus, quòd ſit extra Deum Dominus? Numquid illud, quod jam memoravi, unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris, hoc dicere eſt quòd extra Deum aut præter Deum Deus ſit; *Ego*, ait ipſe, *in Patre & Pater in me eſt.* Non igitur duo dii; quia non extra Patrem Deum Filius Deus; immo in ſinu Patris eſt unigenitus Filius. Joan. 14. v. 11.

JUD. Qualemcumque, quantumcumque facias vel eſſe velis Chriſtum tuum; ego dico tibi quia quod adoras nec Deus eſt, nec homo.

CHRIST. Sed utrumque figurat imago. Jam tibi ſupra dixi quia non adoro ſimulachra gentium, ſed adoro veritatis ſignum; quam, videlicet, veritatem gentes, quamdiu gentes erant, neſcierunt.

JUD. Et tamen adoras ſimulachrum opera manuum hominum. Dicit enim Scriptura: *Similes fiant* Pſal. 113. v. 16. *illis, qui faciunt ea.*

CHRIST. In quo ſimiles; in corpore, an in anima? Si in corpore dicis; hoc numquam factum eſt, ut corpus hominis ſimulachra facientis ſimile fieret illis. Si autem in anima; oportet ut ita dicas: *ſimiles illis fiant, quorum ſunt ſimulachra*: Et ita fit; quia reveꝛa ſimiles ſunt homines illis, quorum ſimulachra faciunt; in quorum ſimulachris confidunt: Exempli gratia, Quando patres tui initiati ſunt Beelfegor, & comederunt ſacrificia mortuorum; eidem Beelfegor, ſcilicet, Priapo turpiſſimo ſimiles facti ſunt, ſcortando cum Madianitis mulieribus, ſecundùm exemplum Priapi, quem conſtat fuiſſe ſcortatorem nimium. Sic & de cæteris gentium monſtris, ſi ſecundùm animam intelligis, *ſimiles illis fiant, qui faciunt ea*; recte intelligis, Ibid. ſcilicet; quòd cum Jove & Mercurio, cum Junone, & Venere ſimili damnatione damnentur, qui ſimulachra eorum faciunt, & qui confidunt in eis. Quid mihi conſequenter evenit; niſi ut faciens ſimulachrum Jeſu Chriſti filii Dei propter me crucifixi, & adorans hoc ſignum ſanctæ ejus humilitatis, ſimilis fiam illi, ſimque & ego filius Dei, ſcilicet, per gratiam adoptionis? Quid nunc è contra dicis? Ut video, immo ut jam dudum certiſſimè ſcio, in omnibus deficis, & toto animo fugis, cùm effugere non poſſis: & completur in te illud quod inter cæteras maledictiones Legis pronũtiavit, & excelſa voce pronuntiari juſſit Moyſes, in quo tu confidis, *Tradat te*, inquit, *Deus corruen-* Deut. 28. v. *tem ante hoſtes tuos. Per unam viam egrediaris contra* 25. *eos, & per ſeptem fugias.* Hoc dupliciter, id eſt, tam corporaliter quàm ſpiritualiter in te completum eſt. Corporaliter nimirum, in eo quòd ante hoſtes tuos, ſcilicet, ante Romanos milites corruiſti; quia contra eos per viam unam egreſſus, contra eos per ſeptem fugiſti: id eſt, per fiduciam unius munitæ civitatis contra eos pugnare auſus, per omnes terras diſperſus es, qui gladio ſuperfuiſti. Spiritualiter verò, quia in una re, ſcilicet, in carne Abrahæ gloriabundus, ante omnes homines veritatem quærentes, quibus odioſum te feciſti, quotidie corruis; & dum in eo ſolo, quod jam dictum eſt, ſcilicet, quòd ſecundùm carnem ex Abraham es, nimiùm confidens & contra me egrediens, per ſeptem vias, id eſt, per omnes veritatis Scripturas convictus terga vertis, malens fugere veritatem quàm credere veritati.

JUD. Ergone tu mihi hoſtis es, & ante te ſicut ante hoſtem corruo? Ubi eſt quod dicebas, quia ſalutem meam quæreres, cùm profitearis quòd agas hoſtiliter?

CHRIST. In Pſalmo ſcriptum eſt: *Perfecto o-* Pſ. 138. v. 22. *dio oderam illos.* Perfectum quippe odium eſt, ubi odio habentur non homines, ſed hominum errores: tunc maximè, quando cum errore erroris quoque defenſio eſt. Dic mihi nunc quam ob cauſam tradiderit te Dominus, ut jam dixi, corruentem ante hoſtes tuos; venerintque ſuper te omnes maledictiones, quas ſcripſit Moyſes; & apprehenderint te.

JUD. Quia non audivi vocem Domini Dei mei, ut cuſtodirem & facerem omnia mandata ejus; & cæremonias, quas ipſe præcepit mihi.

by Google

CHRIST. Verè non audisti, verè non custodisti. Hoc tantùm, & non amplius, mihi respondere consuevisti. Ego autem certum ex te quæro capitulum, ut confitearis in quo non audieris, in quo non custodieris. Numquam enim tradidit patres tuos in manus hostium, nisi præmonstrata & apparente causâ: exempli gratiâ, ut illic filii Israël duxerunt uxores filias Chananæorum, ipsique filias suas eorum filiis tradiderunt, feceruntque malum in conspectu Domini, servientes diis eorum Baalim & Astaroth: iratusque Dominus contra Israël tradidit eos in manus Chusan Rasathaim Regis Mesopotamiæ. Hoc malum, quod erat fornicari cum diis alienis, & adorare eos, semper Scriptura præmittit narratura iram Domini tradentis Israëlem hostibus suis. Quando autem taliter ut nunc tradidit? Quando Israël taliter ut nunc, & tamdiu captivus atque dispersus fuit? Si ergo quando levius tradebatur in terra sua manens, licet serviret hostibus suis, culpa vel causa nominatim præmonstrata est & præmonstrari debuit; quantò magis & tua præsens captivitas, & dispersio, cunctas retro generis tui calamitates magnitudine sua superans, causam habet quam tu nominatim scire & confiteri deberes? Et quidem non ignoras, sed ignorare te simulas nihil aliud dicere volens nisi, *propter peccata mea.* Ego autem dicam tibi; immo Moysen prædixisse & Prophetas ostendam tibi. Moyses namque, ubi omnes maledictiones præscripsit quæ nunc venerunt super te, causam illam subjunxit: *Et erit vita tua quasi pendens ante te; timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ.* Daniel autem manifestius, *Et post hebdomades septuaginta duas occidetur Christus.* Hæc est causa, statimque subjunxit id quod nunc pateris: *Et non erit ejus populus, qui eum negaturus est.* Et *civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; & finis ejus vastitas; & post finem belli statuta desolatio, & deficiet hostia & sacrificium, & in templo erit abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.* Confitere igitur quia propter peccatum negationis Christi, quem negasti ante faciem Pilati, & occidisti; civitatem Jerusalem & sanctuarium dissipavit populus Romanus cum duce, scilicet, Vespasiano sive filio ejus Tito, & statuta perseverat desolatio, & tu non es populus ejus quem negasti: quo malo tuo, scilicet, non esse populum ejus, nihil deterius est. Non dixit: *Et non erit populus ejus,* qui eum occisurus est, sed, *qui eum*, inquit, *negaturus est.* Quod enim occidisti nihil tibi noceret, nisi negares eum pertinaciter. Ecce vita tua, sicut dixit Moyses, ut jam memini, quasi pendens est ante te, & non credis vitæ tuæ. Olim fuit verè pendens una non tota die, sed ab hora sexta usque ad horam nonam; nunc autem quasi pendens est ubicumque tu dispersus es, sicut præmiserat Moyses idem: *Dispergет te Dominus in omnes populos a summitate terræ, usque ad terminos ejus.* Nam in eo est quasi pendens vita Christus, qui fuit verè pendens, quod similitudo ejus, qui pependit, palam te vidente adoratur in tam multis locis dominationis ejus. Quasi pendet, & quasi pendebit, sicut & prædixit ipse: *Sicut exaltavit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.* Et pendebit ante te similitudo hæc, licet tu videre nolis, & versus in furorem ac nescіens quid dicas, (neque enim ad rem pertinet) clames contra me, clames contra hoc signum Domini exaltatum: *Simulachra gentium, argentum & aurum, opera manuum hominum.*

JUD. Numquid verò solum illud adoras crucifixi tui simulachrum, quem dicis esse Deum tuum, quem mihi persuades esse Messiam, id est Christum? Alias quoque innumeras imagines facis tibi tam masculini sexûs, quàm fœminei, & plena sunt templa simulachris eorum, qui non sunt dii.

CHRIST. Jam dudum dixi tibi quia & Moyses fecit Cherubin, & Salomon imagines ejusmodi ampliavit in templo quod fundavit, sicut scriptum est: *Et fecit in oraculo duo Cherubin de lignis olivarum decem cubitorum altitudinis. Quinque cubitorum ala Cherub una, & quinque cubitorum ala Cherub altera; id est decem cubitos habens à summitate alæ usque ad summitatem alterius. Decem quoque cubitorum erat Cherub secundus, mensura pari. Et opus unum erat in duobus Cherubin, id est altitudinem habebat unus Cherub, decem cubitorum, & similiter Cherub secundus. Posuitque Cherubin in medio templi interioris: extendebant autem alas suas Cherubin; & tangebat ala una parietem, & ala Cherub secundi tangebat parietem alterum; alæ autem alteræ in media parte templi se invicem contingebant. Texit quoque Cherubin auro, & omnes parietes Templi per circuitum sculpsit variis calaturis & torno. Et fecit in eis Cherubin, & palmas, & picturas varias quasi prominentes de pariete, & egredientes, &c.* Multa post illud tempus, & multò plura vel majora, quàm antea, facta sunt memorabilia per sanctorum ministerium Angelorum, & multæ atque innumerabiles palmæ atque cedri creverunt nobis in altum, de qualibus Psalmista: *Justus*, inquit, *ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur; plantati in domo Domini; in atriis Domus Dei nostri florebunt: adhuc multiplicabuntur in senectâ uberi.* Et idcirco omnes parietes Ecclesiarum laudabiliter sculpo variis cælaturis & torno; & multiplico non solùm Cherubin & palmas; verùm etiam & picturas varias memoriæ meæ repræsentantes memorabilia gesta sanctorum, fidem Patriarchatum, veritatem Prophetarum, gloriam Regum, beatitudinem Apostolorum, victorias Martyrum, quorum omnium inter sacras imagines Crux adoranda cum imagine Salvatoris mei præfulget miranti mihi quia nullo genere mortis illum interficere potuisses; cujus, videlicet, mortis imaginatio tali tamque evidenti prospectu proponi potuisset. Si illum præcipitasses de supercilio montis, ut præcipitare voluisti; si lapidasses, ut semel & iterum lapidare voluisti; si gladio percussisses, ut eum infantem funestus Herodes trucidare voluit: nullatenus vel sic vel sic perempti posset imaginatio tam insigniter orbi terrarum spectanda proponi. Sed jam solvamus litem, & veni mecum intùs in domum patris qui me recepit; & pro reversione mea diem festum agens vitulum saginatum jussit occidi; & *manducemus*, ait, *& epulemur; quia hic filius meus mortuus erat, & revixit; perierat, & inventus est.* Veni intus, ut simul epulemur: crede, ut mecum salveris.

JUD. Hoccine mihi persuadere vis, ut tecum epulans carnes quoque suillas comedam, cæteraque immunda, quæ lege prohibita sunt?

CHRIST. De hac re pro minimo mihi est loqui tecum; quia, sicut jam alibi dixi, præcepta hujusmodi, præcepta non bona sunt, & data maximè propter reatum vituli; sicut ipse apud Ezechielem, cùm præmisisset: *Et exacerbaverunt me, in præceptis meis non ambulaverunt*, & cætera usque, *Et post idola patrum suorum fuerunt oculi eorum*, ita subjunxit: *Ergo & ego dedi eis præcepta non bona, & judicia in quibus non vivent.* Mihi omnis creatura bona; & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Nam ad Noe & ad filios ejus, post diluvium, dixit Deus: *Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt; & omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum: Quasi olera virentia tradidi vobis omnia, excepto quòd carnem cum sanguine non comedetis.*

Lev. 26. v. 38.
Deut. 28. v. 66.
Dan. 9. v. 26.
Ibid. v. 26. & 27.
Dan. 9. v. 26.
Deut. 28. v. 64.
Joh. 3. v. 14.
Psal. 113. v. 12.
1. Reg. 6. v. 23. 1. 15. 16. 27. 28. 29.
Psal. 91. v. 13. & 14. & 15.
Luc. 15. v. 23. 24.
Ezech. 20. v. 21. & 24. & 25.
Gen. 9. v. 2. & 4.

Jud. Ergo si absque discretione omnes pisces maris, ait Deus, manui vestræ traditi sunt; & omne, quod movetur & vivit, erit vobis in cibum; quasi olera virentia tradidi vobis omnia; cur non etiam canem comedis? cur non etiam ranam sive rubetam deglutis?

Christ. Hoc ego cordi meo expostulare non valeo; sensus meus abhorrescit; nimietati huic ratio non consentit. Sed quid mihi diutius agere tecum de ejusmodi? *Nam quod intrat in os non coinquinat hominem*, ait Dominus meus; *sed quod inde procedit hoc coinquinat hominem.* Nam *quod intrat in os, in ventrem vadit: quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt; & ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Hæc sunt, quæ coinquinant hominem.* Proinde patres mei rectissimè dixerunt & scripserunt mihi. *Visum est enim Spiritui sancto, & nobis nihil ultra imponere vobis oneris; quàm hæc necessariò, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione; & ea quæ vobis fieri non vultis, aliis ne feceritis: à quibus vos custodientes, bene agetis.*

Jud. Qui sunt illi patres tui?

Christ. Apostoli Jesu Christi, qui me per Evangelium genuerunt, genitum fidei, generatione verbi Dei, ut adimpleram credentem & scitem esse promissionem, quam patribus tuis Deus fidelis promisit & juravit.

Jud. Ego non multùm attendo illis patribus tuis, sed neque curo de illorum dictis aut scriptis: discipulus enim sum Moysi: & hoc scio quia Deus locutus est Moysi, tuos autem Apostolos nescio unde sint.

Christ. Unde scis quia Deus locutus est Moysi? unde scis quia Deus locutus est Prophetis?

Jud. Scriptura hoc mi denarravit, & testimonia fidelia præbita sunt signis, prodigiis atque portentis.

Christ. Et mihi similiter de patribus meis Apostolis Scriptura denarravit quia Deus locutus est illis, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Adhuc autem dicam tibi unum quid, quod nondum ritè perpendisti. Inde scio ego, & inde scire debes tu quòd Deus locutus sit Moysi, quòd locutus sit Prophetis, quia in scripto illorum quo instructi vel edocti sunt, non fuit secundùm hominem; neque enim ab homine acceperunt verbum, neque didicerunt; sed cùm essent plerique illorum idiotæ, immo & pastores, ut Amos vellicans sic Omoros, & David pascens oves patris, invisibiliter per revelationem spiritus Dei edocti & sapientes effecti sunt, & verbum sapientiæ eorum sequebatur effectus rerum. Ob hoc recepti sunt, & recipi debuerunt in tanto auctoritatis apice; ut eos non audire hoc fuerit vel sit Deum non audire, sicut cuilibet eorum dixit ipse Deus: *Domus autem Israël, nolunt audire te, quia nolunt audire me.* Ecce autem patres mei Apostoli non ab homine, neque per hominem acceperunt aut didicerunt; sed cùm essent homines sine litteris & idiotæ, venit Spiritus sanctus super eos, & repentè sapientes & scientes, linguisque omnibus eloquentes effecti sunt, & verbum sapientiæ eorum secutus est & sequitur effectus rerum. Exempli gratiâ, cùm adhuc staret civitas tua, civitas Jerusalem terrena in sua gloria, dixerunt & scripserunt citò venturum ejus exterminium, quod à Magistro veritatis audierant: *Cùm autem videritis circumdari ab exercitu Jerusalem: tunc scitote quia appropinquabit desolatio ejus. Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus; erit pressura magna super terram, & ira populo huic, Et cadent in ore gladii, & captivi ducentur in omnes gentes.* Hoc enim non solùm Magister prædixit; sed & Discipuli scripserunt, priusquam fierent: ut ab eis dictum vel scriptum, ita & factum est. Et saltem istam veritatis portionem tu abscondere non potes ductus captivus non in unum locum, sed in omnes gentes, gladio Romanorum superstes. Igitur quoniam tam Patres mei Apostoli; quàm & Moyses & Prophetæ non ab homine neque per hominem didicerunt; sed per Spiritum sanctum repentè docti sunt: rectè in eodem canonicæ auctoritatis apice mihi patres sunt: & quia tu istos audire non vis, dico revera quia non vis audire Deum. Et ecce habeo lapides molares duos ad molendum verbi Dei frumentum, & faciendum panem vivificum: tu autem, qui Moysen & Prophetas te audire profiteris, quos tamen non verè audis; Apostolos autem neque audis, neque audire te velle profiteris; unum tantummodo habes lapidem, inferiorem, ociosè jacentem: unde nec facis farinam: id est, eam quam in Scripturis te habere putas, auctoritatem non invenis tutam. Age nunc, ut dixi, noli stare foris, nec invideas stolæ, & calceamentis, & annulo, fidei signaculo, quæ mihi pœnitenti filio pater dedit: sed veni intus, & esto socius gaudii, particeps convivii. Quòd si non facis, expectabo & sustinebo indignationem tuam, donec egressus pater ipse te roget: & interim dicam ad gloriam ejusdem patris: annulus meus mihi, annulus meus mihi.

Mat. 15. v. 11
Ibid. v. 17-18. 19. 20.
Act. 15. v. 28. 29.
Luc. 3. v. 8
Luc. 21. v. 20
Ibid. v. 23. 24.

Digitized by Google

QUÆDAM DICTA UTILIA

COLLECTA EX DICTIS S. ANSELMI

CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI.

Ex Bibliotheca Vaticana.

O Homo, qui ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtis, conditionis miſeræ, repletus multis miſeriis, miſer, & miſerabilis; homo pauper, cæcus, nudus, plurimis neceſſitatibus ſubditus, ad cor tuum revertere. Quid foris vagaris? Quid foris quæris? Quid in carnalibus ſtudès? Quid in ſæcularibus te implicas? Quid in vanitatibus te involvis? Inferioribus delectaris, & ab omnibus interioribus. & ſuperioribus elongaris; per èa quæ foris ſunt diffunderis; & in his quæ intra te ſunt confunderis. Quantò magis ad mundum accedis, tantò longiùs a Deo recedis. Quantò magis foris es ſapiens, tantò magis intus ſtultus efficeris. Quantò magis extra lucraris, tantò magis intus perdis. Quantò magis in iis quæ foris ſunt vagaris, tantò magis intus evacuaris. Quantò magis in temporalibus es ſollicitus, tantò magis in ſpiritualibus es mendicus. Quid eſt quòd omnia ordinas, & te ipſum non vis ordinare? Quid in omnibus es prudens, & circa temetipſum inſipiens? Quid eſt quòd omnia, quæ foris ſunt ſollicitus es bona facere, & temetipſum ſinis ſemper eſſe malum & inutilem? Dormit in te Spiritus Dei, & vigilat in te ſpiritus mundi? Vacat in te ratio, & viget in te ſenſus? Extinguitur in te Spiritus Dei, & dominatur in te caro mundi? Fervet in corde tuo amor terrenorum & moritur in te amor æternorum bonorum? Mundum diligis, & Deum derelinquis? Omnium recordaris, & tui ipſius obliviſceris? Quæ ſuper terram ſunt deſideras & diligis, cœleſtia verò non curas? Appropinquas ad interitum, & longè fis à ſalute? Curris ad diabolum, & prolongaris à Deo? Redi, redi prævaricator homo, ad cor, quia loquitur Deus omnipotens pacem ei qui convertitur ad cor. Omnia mundi hujus tibi dedit Deus, & tu propter omnia relinquis Deum? Omnia propter te fecit Deus, & tu propter omnia dimittis temetipſum? Propter omnia quæ occurrunt tibi dimittis Deum, & idcircò omnia dimittent te. Propter creaturas relinquis creatorem, & ideo contra te inſurgent omnes creaturæ, quia offendendo creatorem, offendiſti omnem creaturam. Et ideo omnes creaturæ, quæ factæ ſunt in miniſterium & utilitatem tuam, convertentur ad vindictam & pœnitentiam tuam; & væ tibi erit ſine fine, quia noluiſti habere bonum ſine fine.

Recognoſce itaque, homo, recognoſce temetipſum. Recogita quòd nihil facis. Attende quòd vilis & malus es. Plange homo miſer. Plange, inceſſabiliter peccata tua. Dele lachrymis malitias & miſerias tuas, quia voluntate propria peccaſti. Diſpliceat tibi ſuper omnia. Diſpliceat tibi toto corde; & continuè diſpliceat tibi, quòd Dominum immenſæ majeſtatis, habentem poteſtatem omnis carnis, & mittere corpus & animam in gehennam, auſus fuiſti offendere. Amareſcat tibi amariſſimè cor tuum, quòd Deum ſummum Patrem incomprehenſibilis majeſtatis, miſericordiæ ineffabilis, qui benignus & miſericors eſt ſuper ingratos & malos, faciliter, voluntariè, libenter, & delectabiliter offendiſti. Totus diſpliceas tibi, ut poſſis totus placere ſibi, qui eſt ſummus, verus, & ſolus Deus, cui nemo placet, niſi qui ſibimetipſi diſplicet; & nemo diſplicet, niſi qui ſibimetipſi placet. Diſſipat namque Deus oſſa eorum, qui hominibus placent, & quod altum, & pulchrum eſt apud homines, abominabile eſt apud Deum. Mirum eſt de te homo miſer; ad mala quippe totus es avidus, totus promptus, totus facilis, totus ſapiens & mobilis, & totus ſollicitus ad malum. Ad bona autem totus es durus, totus piger, totus incredulus, & rebellis es ad bonum.

Unde tibi hoc niſi à carne, quàm tantùm diligis & ſequeris. Quia verò carnem ſequeris, carnem diligis; & quia carnem ſequeris, opera carnis facis, & cum ipſa punieris. Carnis mæ fructus eſt libido, concupiſcentia, infirmitas, fragilitas, & dolor. Vermis & putredo, putens & fœtidus fœtor. Tu ipſe es tenebris ignorantiæ ſic excæcatus, ut neſcias quid ſis. Non attendis quò vadis, nec animadvertis factum tuum, neque inſidias inimici & tentationes fraudulentas intelligis, totus negligens, nec cogitas quò tendere debeas. Viam neſcis, & non inquiris, grandis namque tibi reſtat via; ſollicitè quæris cibum, veſtitum, & requiem, & omnes carnis neceſſitates quando indiges; de vita verò & ſalute animæ tuæ ſemper tepens non curas, licèt ſemper indigeas, plenus malitia & nequitia. Mulier homo ut miſerum corpus paſcas & veſtias, & carnis voluptatibus, quæ poſt paucos dies à vermibus devorabitur, ſatisfacias, ſollicitus laboras, curris & diſcurris, vigilas, ſomnum non capis oculis ut repleas ventrem, & pro anima tua, quæ Deo præſentanda eſt in cœlis, cur non ſollicitus fatigaris, ut ipſam paſcas bonis operibus, & induas virtutibus, nè appareat confuſio nuditatis ejus? Homo triſtis quæris ſemper implere ventrem, & cur non paſcis animam eſurientem? De vaſe ſtercorum ſemper curas, & de Dei imagine cur non curas? Paſcis ſterilem, & quæ non parit, animam eſurientem non ſatias bonis? Væ tibi eſt, quia anima tua propter famem in te deficit. Væ tibi, & væ tibi erit, quòd reddis quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & non reddis quæ ſunt Dei Deo; & ideo maledictus es à Deo, & confunderis ab eo. Vide, miſer homo, vide, quia totum eſt vanitas, totum ſtultitia, totum dementia, quicquid cogitas, quicquid vis, quicquid loqueris, quicquid facis in hoc mundo, præter id ſolum quod in Deum, & propter Deum, & ad honorem Dei facis. Quicquid ſine Deo facis totum eſt malitia & vanitas, quia nihil eſt bonum ſine ſummo bono. Certè magis miſeria hominis eſt cum illo non eſſe, ſine quo eſſe non poteſt.

Vide, homo miſer, quia ad imaginem & ſimilitudinem Dei creatus es, & propter nimiam charitatem Domini noſtri Jeſu Chriſti morte turpiſſima redemptus & liberatus es: & ad videndam claritatem ſummi Dei ſola inæſtimabili miſericordia ſua vocatus es, & plurimis beneficiis ex quo eſſe cœpiſti, ab altiſſimo Patre totius veritatis ad vitam æternam cum ipſo habendam per unicum filium ſuum invitatus es. Miſer homo, recognoſce hunc honorem. Intellige dignita-

tem, & honorem tuum, quo à tanta majeſtate honoratus es. Æternus enim Deus, & immenſus creavit te; formavit te, & invitavit te. Maximus honor, & ampliſſimus amor. Cognoſce, ô homo, honorem tuum, & cure gratias agens ad invitatorem, ne fortè ſi ingratus ire nolueris, ſed aut villa, aut bobus, vel uxore te impedieris, iratus Dominus jubeat te ſuccendi; & tibi oſtium vitæ æternæ in perpetuum claudatur. Cognoſce ergo, ô homo, honorem tuum, & honora creatorem tuum; ſed heu hodie rectè poteſt dici de te, homo: *Homo cùm in honore eſſet non intellexit; comparatus eſt jumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis.* Dignum certè, & juſtum eſt ut qui noluit eſſe ſocius Angelorum, fiat ſimilis jumentorum, & qui deſtruxit in ſe imaginem & ſimilitudinem Dei, dignum eſt ut imago & ſimilitudo jumentorum adhæreat ei. Cognoſce ergo te, miſer homo, cognoſce te meliorem eſſe avibus, digniorem cunctis animantibus. Noli ſimilis eſſe jumentis inſipientibus, quæ tantùm vitam præſentem cogitant, quæ tantùm carnalia & corporalia appetunt, terrena & temporalia diligunt, quia nec alia ſciunt.

Homo, non te ſubjicias carni, non ſis amator mundi. Nec te ſuſtineas eſſe filium diaboli, propter honorem potentiſſimi, ſapientiſſimi, & incomprehenſibilis Patris tui altiſſimi Dei. Propter admirabile nomen Dei æterni non te conſtituas adverſarium & homicidam tui. Propter amorem benigniſſimi Dei non te facias inimicum, & contrarium omnipotentis Dei. Propter magnitudinem, & dilectum Filium Dei Chriſtum Dominum non te facias ſocium dæmonum, & combuſtionem ignis æterni, qui redemptus es pretioſiſſimo ſanguine agni immaculatiſſimi. Noli tantum pretium vilipendere, quod pro te Filius Dei dignatus eſt exſolvere, ne ſempiternis involvaris incendiis. Tunc enim pœnitentiam maximam habebis, ſed ſine remedio. Tunc dolorem inopinabilem patieris, ſed ſine fine tormentis plenus eris, nunquam tamen alleviaberis. Quia quiſquis non flebit, flendi dum tempus habebit, æterno luctu lugebit, ſed ſine fructu. Redi ergo ad te, redi, nec tardes converti ad illum qui te ſua poteſtate fecit, ſua ſapientia redemit, ſua inenarrabili bonitate ad ſe vocavit, & expectat adhuc quotidie, & corronabit. Quid quæris extra illum? Quid? Quid deſideras præter ipſum? Quid tibi placet ſine ipſo? Ipſe fecit omnia, ipſe habet omnia, ipſe eſt omnia. Quicquid bonum cupis, quicquid pulchrum quæris, quicquid dulce & delectabile requiris, totum in ipſo invenies, & in ipſo perfrueris, ſi gaudere vis, ipſe gaudium eſt, &c.

Ex Mſ. Cenſ. f. 196.

Exponente Magiſtro Anſelmo, hæc collegit N. Amanuenſis.

DEus ſolo verbo vel voluntate plaſmavit hominem, non per Angelum, ut quidam volunt. Et nota quod in aliis operibus ait Geneſis: *Dixit Deus, & facta ſunt.* Sed cùm de creatione hominis loqueretur ait: *Manus Dei fecerunt hominem:* vel, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram:* non quòd tamen magis factus ſit quàm alia, ſed ut oſtendatur dignitas hominis, qui ab ipſo ſummo Deo artifice non ab opificibus ejus, & cum conſilio magno ſit factus. Ad imaginem Dei dicitur eſſe, quia rationalis & ſapiens ut Deus. Ad ſimilitudinem ita. Deus unus eſt, non ut nos in quibus diverſa, ut ſubſtantiæ vel accidentia uniuntur in unum; ſed ineffabili modo & in omnibus eſt, & omnia complet; & tamen pro rebus immutatur. Illis inciſis, non inciditur; truncatis, non truncatur; augmentatis, non augmentatur; diminutis, non diminuitur; ſordidatis, non ſordidatur. Quòd ſi quæratur quomodo hoc poteſt ſciri; anima eſt inde ſimilitudo, anima ut in corpore pro quo inciſo, non inciditur; augmentato, non augmentatur; imminuto, non imminuitur; & ſic ut ad ſimilitudinem Dei iſtud ſciendum, quòd ſcriptura rarò dicit hominem imaginem Dei, quod ſoli convenit Filio Dei, ſed ad imaginem. Auguſtinus, *Omnis Adam dum vult perversè eſſe ſimilis, cadit in captivitatem, unde clamet ad eum à quo cecidit: Quis ſimilis tibi?* Eſt autem homo juſtus qui diligit inimicos, & benefacit eis, ſimilis eſt Deo ad cujus imaginem factus eſt, qui ſolem ſuum facit oriri ſuper juſtos & injuſtos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos; ſed hæc obedientia eſt, non ſuperbia. Eſt ergo bene ſimilis qui credit Deum ſummum eſſe, nullo egere, ſe verò non per ſe ſed apud Deum eſſe: qui verò per ſe vult eſſe ut Deus, à nullo eſt. Perversè vult ſimilis eſſe, ut diabolus qui noluit ſub eo eſſe; & homo qui .... ſervus noluit teneri præcepto, voluit ut nullo ſibi dominante eſſet quaſi Deus.

Ex eod. Mſ.

MAGISTER ANSELMUS SUPER VERSUM ILLUM,

Decebat enim eum per quem omnia, & ex quo omnia. Hebr. 2. v. 10.

DEus omnipotens ſi nullam penitus creaturam feciſſet, in ſeipſo plenè beatus eſſe potuit; quippe nullo indigens, ſed ſibimet uſquequaque ſufficiens. Volens autem ea ſumma bonitate creaturam beatificari, quod ipſius tantùm cognitione & amore futurum erat, Angelicas creaturas fecit à quibus laudaretur, non ut ei de laude eorum aliquid accreſceret, ſed ipſis. Porro eadem bonitate, ut laus imperfecta non eſſet, corpoream creaturam condidit, ac beatificare voluit. Hac de cauſa ſpiritum rationalem corpori indidit, qualiter bene regendo ipſum, ſimul cum corpore in Deo beatificaretur; & ita laus Dei ab omni creatura plena eſſet. Inde eſt quòd omnia laudare Deum dicuntur, dum rationales creaturæ, Angeli ſcilicet & homines, miram Dei potentiam & bonitatem tam in ſe, quàm in cæteris creaturis nitantur & laudant. Sic ergo Apoſtolus ait: *Propter eum omnia*, ſcilicet laudandum & glorificandum, *& per eum omnia nihil*, ſcilicet ſuperfluè. Quod ſi verum eſt, immò quia verum eſt, hominem ad gloriam duci neceſſe eſt: quæ cùm neceſſitas non aliunde quàm ex maxima Dei, quam prædiximus, bonitate deſcendit, homo à peccato ſuo perditus eſt. Ergo ad gloriam non ducitur, ergo ipſe non laudat: conſequenter igitur corporea creatura non laudat: otiosè igitur facta eſt. Quòd ſi ita eſt, ergo nec ipſi Angeli plenè laudant, cùm numerus eorum ſit diminutus. Ut autem hæc omnia inconvenientia ab ipſo quo procedunt fonte ſupprimamus; hominem perditum ad gloriam duci conſtituamus, cujus glorioſæ ſalvationis ordinem, ipſo auctore adjuvante, videamus. Deus hominem ipſum ſic in medio condidit, ut ſi obediens ei exiſteret, peracta obedientia, ſine interpoſita morte de mortali immortalis fieret, ſin autem de mortali in mortem præcipitaretur. Perſuaſus ergo à diabolo, juxta terribilem Dei comminationem de mortali mortuus factus eſt, & juſtè à diabolo poſſeſſus cui ſponte conſenſerat. Voluit tamen eum Deus requirere, quia licet ſponte, aliena tamen cecidit perſuaſione. Diabolus verò requiri non debuit, quia in naturæ ſuæ firmitate per ſe ipſum, nulla extrinſecus perſuaſione cecidit. Oportuit ergo ut auctorem ſalutis haberet, per quem juſta ratione ad Deum rediret. Videamus ergo quis ille auctor eſſe potuerit. Si Deus ſimpliciter eſſet, poterat quidem diabolum vincere, hominem eripere; ſed hæc ſola jam eſſet potentia non ratio juſtitiæ. Si diabolo,

qui mortis habebat imperium, ſicut ait Apoſtolus, quamvis rem alienam injuſtè invaſiſſet, tamen ſponte aſſentientem juſtè obtinenti hominem ſic ſubditum auferret. Si homo ſimplex eſſet, quomodo in natura corrupta reſiſteret, qui in meliori ſtatu poſitus, tam facilè ſuccubuit? Hìc notandum eſt quia gratia Dei vim non infert libero arbitrio. Rurſus, ſi hanc pugnam Angelus inſumeret, quare propterea diabolus victus etiam hominem amitteret, ratio non eſſet. Sed nec Angelus in homine hoc poterat; quia ſi in ſua ſimplici & forti natura infirmus inventus eſt; multò magis infirmæ huic naturæ, humanæ videlicet, admixtus debilis inveniretur. Oportet ergo ut auctor ille ſalutis Deus in homine ſit, qui ex hoc quòd Deus eſt, poſſit; ex hoc quòd homo, debeat congruo multùm ordine: ut ſicut diabolus mala fraude primùm rem invaſit alienam; ita Deus bona (ut ita dicamus) fraude, rem ſuam efficeret per gratiam: & ſicut homo ille propria libertate ſuccubuit; ita homo iſte ex arbitrii libertate diabolo reſiſteret: quem & pati oportuit, ut diabolus in eo peccaret in quo culpam non reperit illum puniendo. Hunc quippe, ſicut & cæteros, omni genere tentationis aggreſſus eſt; blandis primùm, ut draco: deinde aſperis, ut leo: ad ultimam occidit? & ſic juſtiſſimè omne ſuum in homines dominium perdidit, dum ſe ultra licitum extendit. Unde adhuc lex communis habet, ut debitum perdat qui pluſquam debitum exigit. Sicut ergo in ipſum qui ei non conſentit, jus amiſit; ita in omnes filios ejus qui ejus innocentiam imitantur. Nunc verò iſte in morte remanere non debuit, quia hoc modo nec ſibi, nec alteri profuiſſet. Per paſſionem ergo conſummandus erat ut ita ſuos ſequaces conſummaret: & hoc eſt quod Apoſtolus ait: *Decebat*, &c. Singulos paſſus nota. *Decebat multos filios in gloriam adducere eum*, ſcilicet Patrem, *propter quem*, ſcilicet laudandum & glorificandum, *facta ſunt omnia*; & hoc dando auctorem ſalutis, ſcilicet Chriſtum, & hunc dando paſſioni, & ſic conſummando. Quem ordinem ſi diligenter attendis, videbis hominem debuiſſe ſalvari, etiamſi nullus Angelus cecidiſſet.

Ex Mſ. Sangermanenſi 201.

MIRACULUM SANCTI JACOBI,

à Domino Anſelmo Cantuarienſi Archiepiſcopo editum: de Milite quem in agonia mortis à dæmonibus oppreſſum, B. Apoſtolus per mendici baculum, & ſaccatum mulierculæ liberavit.

A Almo fit mentio.

TRes milites diœceſeos Ludunenſis Eccleſiæ de oppido Dumenzo ſibi condixerunt ut orandi cauſâ Jacobum Apoſtolum oris Galetiæ adirent, & proficiſcti ſunt. Qui cùm eſſent in via peregrinationis ejuſdem, mulierculam invenerunt, quæ res ſibi neceſſarias in ſaccolo quod manu deferebat. Cùm autem equites intuita eſſet, rogavit ut ſui miſerti ſarcinulam quam ferebat, in ſuis jumentis amore beati Apoſtoli deportarent, ſeſeque tanti labore itineris allevarent: quorum unus peregrinæ petitioni annuens, ejus manticam ſuſcepit & portavit. Igitur veniente veſpera mulier conſequuta milites, de ſua ſarcinula ſibi accipiebat neceſſaria. Et primo gallorum cantu cùm peregrini pedites proficiſci ſolent, equiti ſaccolum reddebat, ſicque expedita lætior agebat. Taliter miles amore Apoſtoli ſerviens mulierculæ, ad locum orationis optatum feſtinabat: ſed cùm duodecim dietis ab urbe B. Jacobi diſtarent, pauperem infirmatum invenit in itinere, qui eum cœpit orare ut ſibi equum ſuum ad equitandum accommodaret, quatenus ad Sanctum pervenire poſſet; alioquin moreretur in via, quia ampliùs ambulare non poterat. Conſenſit miles, deſcendit, impoſuitque mendicum ſuper equum ſuum, ejuſque baculum in manu ſua accepit, ferens etiam A propriò collo & ſarcinulam mulierculæ quam ſuſceperat. Sed cùm ita pergeret, nimio ſolis fervore ac longi itineris ſolitudine conſtrictus infirmari cœpit. Quod ubi ſenſit, perpendens quia in multis ſæpe multùm offenderit, incommoditatem ſuam Apoſtoli amore uſque ad ejus limina pedibus eunte.... toleravit: ubi Apoſtolo deprecato, & hoſpitio recepto, & eâdem moleſtiâ quam in via ceperat, lecto decubuit, & aliquot diebus ingraveſcente langore jacuit. Quod alii milites qui ejus ſocii fuerant videntes, ad eum accedentes monent ut peccata ſua confiteatur, & ea quæ Chriſtianum refert petere quærat, ſuumque maturiùs exitum muniat. Hoc ille audiens faciem avertit, & reſpondere non potuit, ſicque per triduum ſine verbi prolatione jacuit. Inde vehementer mœroB re afflicti ſunt, tum quia de ejus ſalute deſperaverant, tum maxime quia ſuæ ſalutem animæ procurare non poterat. Quadam autem die quando eum citiùs ſpiritum exhalare putabant, illis circumſedentibus & exitum illius præſtolantibus graviter ſuſpirans locutus eſt. Grates, inquit, ago Deo, & S. Jacobo Domino meo, quia liberatus ſum. Quod qui aderant quærentes quid ſignificaverit: Ego, inquit, ex quo ſenſi me languore gravari, mecum tacitus cœpi cogitare quòd ego vellem peccata mea confiteri, ſacra unctione liniri, & Domini Corporis perceptione muniri. Sed dum hæc in ſilentio tractarem, ſubitò venit turba terrorum ſpirituum, quæ me in tantum oppreſſit, ut neque verbo neque ſigno ex illa hora innuere Cpotuerim quod ad meam ſalutem pertinuerit. Et quæ dicebatis bene intelligebam, ſed nulla ratione reſpondere poteram: Nam dæmones qui ad me confluxerant, alii mihi linguam ſtringebant, alii oculos meos claudebant, nonnulli quoque caput & corpus meum ad libitum ſuum huc & illuc me nolente vertebant; ſed modo paulò antequam loqui cœpiſſem, intravit huc S. Jacobus, ferens ſiniſtra manu mulierculæ ſaccolum quem in via tuleram, baculum verò mendici quem portavi dum idem equitaret equum meum, ipſa qua infirmitas me cepit in manu dextra tenebat; baculum enim habebat pro lancea ſaccolum pro palma: & confeſtim quaſi furoris indignatione veniens ad me, elevato baculo viſus eſt percutere dæmones qui me tenuerant, qui protinus fugerunt territi; quos ille inſequutus per angulum illum hinc exire coegit: Et ecce Dei & B. Jacobi gratiâ liberatus ab illis qui me premebant, loqui valeo; ac citiùs mittite, & Preſbyterum accite, qui mihi ſanctæ communionis viaticum tribuat, diutius enim in hac vita manendi non habeo licentiam. Qui cùm miſiſſent, dum ille moram veniendi faceret, unum de ſociis ſuis publicè admonuit, dicens: Amice, inquit, noli amodo Girino Domino tuo Calvo militare, cui hactenus adhæſiſti, veraciter enim damnatus eſt, & in proximo mala morte moriturus. De quo ita contigiſſe rei veritas declaravit. Poſtquam enim peregrinus ille bono fine quievit, & ſepulturæ traditus eſt; reverſis ſociis & narrantibus quæ geſta ſunt, prædictus Girinus, cognomento Calvus, qui dives Ehomo fuerat, eorum relationem pro ſomno duxit, nec ſe à pravitate ſua quicquam emendavit; unde non poſt multos dies contigit dum militem armis inte ficeret, ipſe quoque ejuſdem militis lanceâ transfoſſus interiret. Ergo Regi regum Domino N. J. C. in ſæcula ſæculorum amen.

Digitized by Google

Ex vid. Ms.

MIRACULUM GRANDE SANCTI JACOBI

à Domino Anſelmo Cantuarienſi Archiepiſcopo editum, de Peregrino qui amore Apoſtoli ſe peremit, & B. Jacobus illum ad vitam, Beata Dei genitrice Maria auxiliante, de morte reduxit.

Fabula hæc S. Anſelmo falſo tribuitur.

PRope Ludunenſem civitatem eſt vicus quidam in quo juvenis quidam morabatur, nomine Giraldus, qui arte pelletaria inſtructus, juxta laborem manuum ſuarum vivebat, & patre ſuo defuncto ſuis laboribus matrem ſuam ſuſtinebat. Hic ſanctum Jacobum vehementer diligebat, ad cujus limina ſinguiis annis venire & ſuam obedientiam ſolebat offerre. Uxorem non habebat, ſed ſolus cum matre ſua vetula vitam caſtam gerebat. Sed cum diuſcule ſe contineret; tandem vice carnis voluptate ſuperatus cum juvencla quadam fornicatus eſt. Mane autem facto quia peregrinationi priùs ſe diſpoſuerat, cum duobus vicinis ſuis ducens ſecum aſinum ſuum, ad ſanctam Jacobum ire cœpit. Qui cùm in via eſſent invenerunt quendam mendicum ad ſanctum Jacobum proficiſcentem. Hunc ſecum & gratiâ ſocietatis, & potius amore ſancti Apoſtoli tuleruut; largientes ei neceſſaria victûs. Pergentes igitur, plures cum lætitia dies hoc fecerunt. Quoniam pacificæ ac caritativæ ſocietati invidens diabolus, in humana forma ſatis honeſta ad juvenem qui in domo fornicatus fuerat clam acceſſit, eique dixit: Noſti qui ſim? At ille, Nequaquam. Et dæmon: Ego, inquit, ſum Jacobus Apoſtolus quem ſingulis annis jam ex multo tempore conſueviſti viſitare tuiſque præmiis honorare. Scias quia multùm gaudebam de te, quoniam quidem magnum bonum ſperabam de te. Sed nuper antequam domum tuam exires, fornicatus es cum muliere, nec inde uſque nunc pœnituiſti, nec confiteri voluiſti; ſicque peregre cum peccato tuo profectus es, quaſi tua peregrinatio Deo & mihi foret acceptabilis. Non ita fieri oportet: nam quicunque amore mei vult peregrinari, priùs neceſſe eſt ut peccata ſua per humilem confeſſionem aperiat, & poſtea peregrinando eadem commiſſa puniat: qui aliter fecerit, peregrinatio grata non erit. Hoc dicto ab oculis ſe videntibus evanuit.

His auditis homo contriſtari cœpit, proponens in animo ſuo ſe domum velle redire, ſuo Preſbytero confiteri; ſicque cepto itinere regredi. Hoc itaque dum apud ſe tracteret, venit dæmon in eadem forma qua priùs apparuerat, dicens ei: Quid eſt quod cogitas in corde tuo, te domum velle redire; pœnitudinem agere, ut ad me digniùs poſtmodum valeas redire? Putas te tantum ſcelus tuis jejuniis ſive lacrymis poſſe delere? multum deſipis: crede meis conſiliis, & ſalvus eris; alioquin ſalvari non poteris. Quamvis peccavero, ego tamen amo; & propterea veni ad te ut tale conſilium tibi tribuam unde ſalvari poſſis, ſi mihi credere volueris. Cui peregrinus: Ita, inquit, cogitabam ſicut dicis: ſed poſtquam ad ſalutem non prodeſſe hoc aſſeris, dic quod tibi placet unde ſalvari poſſim, & libens exequar. At ille: Si, inquit, pleniter à delicto emundari deſideras, virilia, quibus peccaſti, citius amputa. Quo ille conſilio territus dixit: Si mihi hoc quod conſulis fecero, vivere non potero, eroque mei ipſius homicida; quod ſæpe audivi coram Deo eſſe damnabile. Tunc dæmon irridens: O, inquit, inſipiens, quàm parum intelligis ea quæ tibi ad ſalutem poſſunt proficere! Si taliter mortuus fueris, ad me ſine dubio tranſibis, quia puniendo delictum tuum martyr eris. O ſi eſſes tam prudens ut temetipſum interficere non dubitares, ego certè cum multitudine ſociorum meorum ſtatim ad te venirem, ac mecum manſuram animam tuam lætus acciperem. Ego, ait, ſum Jacobus Apoſtolus qui tibi conſulo: fac ut loquutus ſum ſi ad meum vis venire conſortium, & tui delicti remedium invenire. Quibus dictis peregrinus animatus ad facinus, nocte, ſociis dormientibus cultellum extraxit, & quidquid virile fuerat in partibus illis ſibi amputavit, deinde verſa manu ferrum erexit, ejuſque acumine, ſe injiciens, ventrem confodit. Cùm autem ſanguis efflueret, & ille palpitando tumultuaretur, experrecti ſocii vocaverunt illum ſciſſitantes quid haberet. Qui cùm illis reſponſum non daret ſed anxius extremum ſpiritum traheret, conturbati concitè ſurgunt, luminaria accendunt, ſociumque ſemivivum nec jam eis reſpondere valentem reperiunt. Ex quo ſtupefacti ſimul & magno timore percuſſi, ne mors illius ſibi imponeretur ſi mane in eodem loco invenirentur, fugam ineunt, ipſum verò in ſuo ſanguine volutantem, aſinum verò & egenum quem alere cœperant, derelinquunt.

Mane autem cùm familia domus ſurrexiſſet, occiſumque reperiſſet, non habens certitudinem qui eum occidiſſet, advocat vicinos & defunctum ad Eccleſiam ſepeliendum deferunt; ante cujus fores dum foſſa pararetur, propter ſanguinis fluorem illum deponunt. Nec multâ interveniente morâ ille qui mortuus fuerat, rediit, & in ſtratu funereo reſedit. Quod qui aderant intuentes, perterriti fugiunt & exclamant; quorum clamore populi concitati accurrunt, quid acciderit inquirunt, & mortuum vitæ reſtitutum audiunt. Qui cùm propriùs acceſſiſſent, & eum alloqui cœpiſſent; quæque circa eum acta fuerant libera voce coram omnibus enarravit. Ego, inquit, quem à morte reſuſcitatum videtis, ab infantia ſanctum dilexi Jacobum, eique, in quantùm potui, ſervire conſuevi. Modò autem dum ad eum pergere decreviſſem, & uſque in hanc villam veniſſem, adveniens diabolus fefellit me, dicens ſe eſſe ſanctum Jacobum; totumque ordinem, ut ſuprà dictum eſt, enarravit; atque ſubintulit: Poſtquam mihimet vitam ademi & anima coarctaretur de corpore, venit ad me idem malignus ſpiritus qui me deceperat, ducens ſecum magnam turbam dæmonum, qui confeſtim abſque miſericordia me rapuerunt, atque plorantem ac miſerabiles voces emittentem tulerunt ad tormenta. Euntes ergo verſus Romam tetenderunt. Verùm cùm ad ſilvam quæ inter urbem & villam quæ vocatur Labicau, ſita eſt, veniſſemus, ſanctus Jacobus inſequutus nos poſt tergum noſtrum advolavit, comprehenſiſque dæmonibus ait: Unde veniſtis & quo tenditis? Aiunt illi. O Jacobe ſancte, ad te nihil pertinet; nam in tantum nobis credidit, ut ſemetipſum interficeret. Nos ſuaſimus, nos fefellimus, nos habere debemus. Quibus ille: De hoc, ait, quod quæro nihil reſponderis, ſed Chriſtianum decepiſſe jactando gauderis. Unde malas habeatis gratias; meus enim peregrinus eſt quem vos habere jactatis; utique non vos ſine pugna feretis. Videbatur mihi Jacobus juvenis, & venuſti aſpectûs, macilentus, medii coloris, qui vulgo brunus dicitur. Illo igitur cogente Romam divertimus, ubi prope juxta Eccleſiam Beati Petri Apoſtoli erat locus viridis & ſpatioſus in planitie aëris, in quo ſanctorum turba inenarrabilis ad Concilium venerat, cui præſidebat Domina venerabilis Dei genitrix & perpetua virgo Maria, multis & præclaris proceribus dextraque lævaque ejus conſidentibus. Quam ego cum magno cordis affectu conſiderare cœpi, nunquam enim in vita mea tam pulchram creaturam uſpiam vidi: non magnæ ſed mediocris ſtaturæ, erat pulcherrima facie, deſiderabilis aſpectu. Ante eam beatus Apoſtolus meus advocatus piiſſimus coram omnibus protinus extitit, & de ſatanæ fallacia qualiter me devicerat clamorem fecit. Quæ mox ad dæmones converſa:

O, inquit, miseri, quid quærebatis in peregrino Domini & filii mei, & Jacobi fidelis sui? Satis vobis posset sufficere pœna vestra, non esset opus ut eam augeretis malitiâ vestrâ. Postquam loquuta est illa Beatissima, clementer super me sua lumina flexit: dæmonibus autem magno timore conterritis, omnibus qui in Concilio erant dicentibus eos contra Apostolum, me fallendo, injustè fecisse, imperavit Domina me ad corpus reduci. Sanctus igitur Jacobus me suscipiens confestim in hunc locum restituit. Taliter mortuus & resuscitatus sum. Quod incolæ ipsius loci audientes, vehementer lætati, protinus eundem in domum suam tulerunt, ac per triduum secum tenuerunt, divulgantes & demonstrantes illum in quo Deus per beatum Apostolum Jacobum tam insolitam rem operatus est atque mirabilem. Nam plagæ illius sine mora sanatæ sunt, solis cicatribus loco vulnerum manentibus: loco verò genitalium crevit caro quasi verrucæ, per quam mittebatur urina. Expletis diebus quibus habitatores illum secum pro gaudio tenuerant, paravit asinum suum, & cum socio paupere quem in via junxerat sibi, iter agressus est. Sed cùm appropinquasset ad beati Jacobi limina, ecce socii qui cum reliquerant regredientes obviaverunt illi; qui cùm adhuc procul essent & duos illos asinum incitantes intuiti fuissent, locuti sunt ad invicem. Similes, aiunt, homines illi sunt sociis nostris quos reliquimus, alterum mortuum, alterum vivum, nec animal quod minant differt ab illo, in quantum videtur, quod illis derelictum est. Postquam autem appropinquaverunt, & mutuis agnitionibus se cognoscere cœperunt, agnoscentes quod actum fuerat, vehementer exultaverunt, & domum venientes rem per ordinem asseruerunt. Sed qui resuscitatus fuerat postquam à sancto Jacobo rediit, hoc quod socii priùs narraverant re ipsa confirmavit: nam ut res gesta est passim divulgavit, cicatrices ostendit, & etiam quod in secretiori loco, multis videre cupientibus demonstravit. Hunc hominem & omnia signa mortis ejus reverendissimus Hugo Sanctus Abbas Cluniacensis & cum multis aliis vidit, & pro admiratione hoc ubi relatus est sæpius solitum se vidisse asseruit, & nos Apostoli amore ne à memoria deleretur, litteris commendavimus, præcipientes omnibus ut per omnes Ecclesias festum tanti miraculi cæterorumque miraculorum sancti Jacobi 5. die Nonarum Octobris dignis annuatim celebrent obsequiis. A Domino factum est, &c.

Digitized by Google

R. D. JOHANNIS PICARDI
ECCLESIÆ S. VICTORIS PARISIENSIS
AUGUSTINIANI CANONICI,
ANNOTATIONES
IN
S. ANSELMI CANTUAR. ARCHIEPISCOPI
EPISTOLAS
TRIBUS LIBRIS PRIORIBUS CONTENTAS.

ANNOTATIONES
IN EPISTOLAS PRIMI LIBRI.
ANNOTATIO IN EPISTOLAM PRIMAM.

Qui fidei vestræ lucernam] Alluso est ad parabolam Evangelicam Matth. 6. & Luc. 11. nempe lucernam accensam esse super candelabrum ponendam. Anonymus verò per filei lucernam intelligit ipsum Lanfrancum, fidelem & prudentem Dei servum, suæ doctrinæ pietatisque lumine undique collucentem: qui in Archiepiscopatus Cantuariensis evectus cœlum sanctia Angliæ emicuit, ut inquit Guillelmus Malmesberiensis, lib. 3. de Gestis Regum Anglorum:

Qualis defectum fugientia Lucifer astra
Cum vicino clarum præcedit ore diem

Cùm autem in ipso limine offenderimus illum jam Pontificis adornatum insulis, ut scretur qualis antea fuerit, lubuit narrare ex Notationibus ad veteres Cantuariensium Archiepiscoporum Tabulas M S. in Bibliotheca nostra, his verbis: [„ Lanfrancus eruditus fuit ab annis infantiæ „ in scholis artium liberalium & legum secularium, ad „ patriæ suæ morem intentione laica, ortus ex nobili pa- B „ rentela Papiæ urbis Italiæ civibus, adolescentulus Ora- „ tor veteranos adversantes in actionibus causarum frequen- „ ter præcipitavit torrente facundiæ, appositè dicendo. In „ ipsa ætate sententias depromere sapuit, quas graviter „ Jurisperiti, aut Judices, aut Prætores civitatis acceptabant: Meminit horum Papia. At cùm in exilio, ut Pla- „ to quondam Philosophus philosopharetur, incendit mentem ejus æternus ignis, & illuxit cordi ejus amor veræ „ sapientiæ. Animadvertebat cum Ecclesiaste, quod nondum „ Ecclesiasticæ lectionis usu didicit; quia mundi bona vanitas. Repentino itaque mundi contemptu jactans mundum „ ac se, arripiensque Religionis professionem, jugo regulari subdidit se. Cœnobium in Normannia, loci situ & „ paupertate horrendum, elegit; quod prudentia ipsius vigilantissimaque cura locupletavit, & in statum provexit „ pulcherrimi ordinis, dum regeret collegium fraternum se- C „ vera disciplina, ac miti: Sanctum Abbatem humili & „ utili consilio. Etenim cum propriæ tantum mortificationi operam impendere desideraret, deprehendit eum atque „ publicavit cogitationum inspector Deus, ut lucerna sese colligens in vallem diffunderetur & excelsa. Effulsit, eo „ magistro, obedientiæ coetu philosophicarum ac divinarum literarum Bibliotheca, nodos quæstionum solvere in „ utroque potentissimo. Admirandum sibi cognoscerent ingenium studium Lanfranci. Herodianus in Grammatica: „ Aristoteles in Dialectica: Tullius in Rhetorica: Legis ac „ scripturæ expositores in Sacra pagina. Conctæ Athenæ „ quando incolumes florebant, & excellentissimæ sedebant ad præcipiendum, Lanfranco in omni genere elo- „ quentiæ aut disciplinarum assurgerent. Sic Hilarion Pa- „ lestinus, & alii plures temporalis gloriæ contemptores, „ quanquam assuetæ fugerent, nunquam latuerunt. Sic Au- „ gustinus omnipotentis & individuæ Trinitatis perspicacissimus indagator: Hieronymus hebraicæ veritatis facundissimus interpres: Gregorius Romanus, atque Nazianzenus, „ item alii quamplures almi Doctores primùm Philosophiæ, „ deinde Ecclesiæ in libris emicuêre. Studiosus fuit idem „ cœnobita verbi gladio premere lectas, si quæ fidem in- „ festarent catholicam. Profligato Berengarium Turonensem „ Hæresiarcham, sive Antichristum, cujus dogma tetris „ venenatis nocentius, de hostia salutis mortem animabus „ propinabat, spiritualis eloquii mucrone confodit in Synodo Romana ac Vercellensi sanctissimæ excommunionis, veracissimè comprobans panem & vinum, quæ mensæ Dominicæ superponuntur, post consecrationem esse veram carnem & verum sanguinem Domini Redemptoris. Victus, „ Berengarius ad observantiam sententiæ hujus semel Romæ, denuo juravit Turonis, simul pronuncians excommunicatione feriendum, quemcunque aliter sentientem. Omnem namque Latinum anathematizavit, præcipue de qua, cum vanæ laudis quæritaret nitorem, sordiverat infamatus. Verùm seductissimus homo atque pervicacissimus ad subvertendum in salubri proposito fideliter non stetit, schismatis crimen iterati jurisjurandi violatione cumulans: Et quia timor pœnæ retinebat ne publicè prælicaret quod publicè damnaverat, secretis disputationibus domi insusurrabat idem, atque per discipulos pecunia corruptos patriæ ac fallacia peregre transiegebat. Pœnituit „ blasphemum & sacrilegium amisisse libellos perversi dogmatis, Romæ suis manibus ne ipse cremaretur in „ ignem conjectos. Proinde scriptum condidit recens, ut „ approbatius fulciretur vetus error, & perdurabilior in „ annos futuros porrigeretur: ad quod destruendum prænominatus veritatis defensor epistolam edidit sive libellum dilucido stylo venustoque sacris auctoritatibus ponderosum, rationum consequentiis indissolubiliter constantem. Opimus enim plenitudine charitatis resuscitare satagebat per fidei rectitudinem in hæresi mortuos, cuilibet per baptismum fratri suo veræ intelligentiæ de Eucharistia astructionem relinquere sufficientem, luculentam, nec tædiosam prolixitate. Sapientes religiosique Abbates, nec non Pontifices metropolitani, & timuerunt sapientiam Lanfranci, atque religiositatem, & auctoritati atque correptioni habere gaviti sunt. Ipsum quantæ Ecclesiæ Abbatem vel Pontificem sibi incredibili desiderio petierunt. Christiani orbis caput Roma sollicitavit cum epistolis, precatu retinere conata est, & vi. Quippe cognoverant eum peritissimum honesta quælibet & „ eorum contraria secernere: diligentissimum cuique „ suum tribuere perpendiculo rationabilitatis: prompti-

Ipsius eidem Berengario Lanfrancus ob errores pristinos ipse a concilio Romano & Vercellensi damnatos.

Idem scribit Guiel. Malmesb. l. 3 de Reg. Anglor. pag. 115. edit. Londinensi. anno 1596.

Idem denuo Lanfranc. sup. & Guitmundus Aversanus lib. 2. Corpor. & Sanguine Domini.

Digitized by Google

„ mum ardua duraque ſuſcipere pe perique cauſa veri boni : A
„ ſimiliter cautiſſimum gubernare manum & linguam conſi-
„ deratione & comitate. Cognoverant (ut breviter & aperte
Habes eadem omnia verba ex ejus vita in Ms. S. Becc. „ loquar) hanc ejus vitam quæ * merito dicatur quædam di-
„ recliſſima ac tutiſſima ad perennis vitæ portum via. Ille ve-
„ ro nimis altum ſibi duxit præceſſe fratribus loco ſecundo, in-
„ fimam extremitatem corde non deſeruit. Abbatiam Cadomenſem, quam coactus acceperat, libens deſeruiſſet, ad a-
„ nachoretas vel procul remotos cœnobitas confugiens, niſi
„ multæ obſtitiſſent difficultates, quas nulla potuit ratione e-
„ luctari extra animæ gravem læſionem. Fuit autem conſo-
„ latio ſanctè doleuti pro illa prælatione laboriofum onus :
„ nam ædificatio locorum primùm conſurgebat : Scientiæ at-
„ que virtutum hujus Patris memoriale illic inſerimus. Qua-
„ propter eadem productiùs non repetamus. Invitatus ad cul-
„ men Archipræſulatus mœſtus trans mare exulaturus ſe va-
„ dit, ſperans jucunditatem in reverſione : Rex tamen cum
„ gaudio recepit adjutorem chriſtianæ culturæ : devicit reluc-
„ tantem recuſationem : adducuntur hilari feſtivoque juſſu
„ Cantuarienſis Eccleſiæ Priores, & multa regni ſecularis at-
„ que religionis dignitas. Præfatus Abbas ac Archipræſul ho-
„ neſtiſſima electione intronizatur ; cum honoris adornan-
„ dus pallio : antea ſpirituali tam pallio quàm rationali inſi-
„ gnitus. Ordinationi interfuere multi præſules & abbates,
„ maximâ Cleri & populi multitudo celebratæ 4. Calendas
„ Decemb.] Hucuſque veteres tabulæ : ex quibus hæc decer-
pere coegit me character obſcurus pallarulque proximum de-
nuntians interitum, ni Typographiæ ſalutifera ſuccurrerent
medicamenta.

Fuit autem Lanfrancus in Cantuarienſem unctus Pontificem à Gilone Wiltenſe, & Waltero Herefordenſi Præſulibus. Anno 1070 Decollati D. Joannis Baptiſtæ ſacra luce.

At ne quis exaggeratione Rhetorica ſuperiùs dictum putet, quod Roma Epiſtolis Lanfrancum ſollicitarit ; legat Alexandrum II. Papam ad Guilhelmum Nothum Regem Anglorum ſic ſcribentem : [„ Ad virtutum incrementa percipienda, fratris noſtri Lanfranci Cantuarienſis Archiepiſcopi monitis, gloriam veſtram hortamur acquieſcere : „ Quem ut chariſſimum membrum, & unum ex primis Romanæ Eccleſiæ filiis lateri noſtro aſſidue non adjunctum „ eſſe dolemus : ſed ex fructu, quem Eccleſiæ in regno veſ-
„ tro tribuit, conſolationem ejus abſentiæ ſumimus. "] Hactenus Alexander Alterum quoque ſcilicet plures Eccleſias cum Pontificem expetiiſſe, confirmat illud Beccenſ. Chron. in ejus vita [„ Ea tempeſtate * civitas Rothomagenſis vi-
An. 1067. ut notat Epiſt. Chron. Becc. MS. „ duata eſt ſancto & venerabili Archipræſule Mauritio.
„ Tunc clerus omnis, & populi congregati, volebant ſubſti-
„ tuendum eligere Lanfrancum. Verùm toto conamine il-
„ le tale onus vitabat ſubire, humiliter magis cupiens ſub-
„ eſſe quàm præeſſe. Quod Rex advertens providit ſubroga-
„ re Joannem, quem Abricarenſium conſtituerat Pontifi-
„ cem Sed ut hoc canonicè, fieret licentiam petendi gra- D
„ tia Romam direxit eundem Abbatem Cadomenſem Lan-
„ francum : qui onus hujuſce legationis perferens (ſicut Ec-
„ cleſiis cupiebat eſſe conſultum) à Papa Alexandro impe-
„ trat ; ſacrum quoque pallium cum licentia hujus promo-
„ tionis deportavit : unde & ipſi toti Neuſtriæ gaudium
„ fuit. "] Fortaſſis infimulabor *ἀτεχνολογίας*, nec ab re : quod exſcripturus hypomnematum de Lanfranco ex Monacho Beccenſi Cantuariæ Archipræſule, à monachiſmo non ſim exorſus : at cumulatarium quempiam texo Commentarium ; ſed nec ſeriùs, ſi ſeriò. Lanfrancus igitur Ticini, vulgò Papiæ, Inſubrium oppidi in Gallia Ciſalpina : genitus eſt parentibus Ticinenſibus quoque indigenis & primoribus. Etenim pater vir erat juris peritiſſimus, ſenatoriique ordinis, quem quidem mors cæca Lanfranco etiam adoleſcenti eripuit iniquiùs. Is autem cum in demortui parentis eſſet ſuccenturiandus locum, natale reliquit ſolum, alio abreptus inſano diſcendi amore.

Poſt quæ, tempore Henrici I. Franc. Regis hujus nom. & E Guilhelmi cognom. Conquæſtoris Normannorum Ducis, venit Abrincas Lugdunenſis ſecundæ, vulgo Normanniæ civitatem : ubi quid geſſerit, hincque egreſſo quid contigerit, quoniam Vincent. Bellon. l. 22. ſpec. hiſt. c. 36. me antevertit, non re voco : tum maximè, cum agnoſcam & paucula, quod habet ipſe depromptæ ex geſtis ejuſdem latius explanatis in Chron. Becc. MS. Lanfrancus tandem periculo, quod Vinc. ſupr. refert, exemptus venit Beccum, hujus temporis & gentis tum ignobilius cœnobium quale à viatoribus perierat edoctuſque fuerat. Tunc fortè (ait Beccenſ. codex) Abbas extruendo formaci occupatus ipſemet operabatur manib. Et accedens ad eum dixit ; Deus te ſalvet : & Abbas, Deus te benedicat, *inquit*. Es Lombardus ? at ille, Sum : Quid vis ? Monachus fieri volo. Tunc Abbas præcepit cuidam Monacho nomine Rogerio, ut illi oſtenderet librum Regulæ : qua perlecta reſpondit, omnia ſe Deo juvante ſervaturum. Hæc audiens Abbas, & ſciens quis eſſet vel unde, conceſſit ei quod petebat gaudens. At ille in faciem procidens, oſculatus eſt pedes ejus. Lanfrancus humilitatem animi ſermoniſque dignitatem in Abbate plurimum veneratus & amans Monachus ibi efficitur : Erat is annus 1042. ut notat Epiſt. Chron. Becc. Poſtquam verò cucullam induit, ſudumque literarium licet gravatè aperuit, jam ejus nomen per ora Doctorum celerimè volitare cœpit, ut ad epiſt 26. hujus lib. patefaciam teſtimoniis æquævorum Scriptorum.

Sub annum 1063 Guilhelmus Nothus Cadomi monaſterium condidit in Memoriam D. Stephani protomartyris, cui Lanfrancum renitentem, ſed tandem ſua Procerumque Normannorum importunitate expugnatum præpoſuit. Conditi autem hujuſce cœnobii cauſas enodabit notatio ad Epiſtolam 13. hujus libri. Vix effluxerat triennium, hoc eſt, annus 1057. latifer D. Mauritio Rotomagenſium præſuli, in cujus locum ſuffici Lanfrancum poſtulabant Normanni, ſed eos conſtanter poſtulantes conſtanti fatigavit refutatione. Annus tandem 1070. honorem omniſque alias ab eo rejectum injecit humeris, B licet pro more firmiter detrectantis. Ea vero de cauſa Guilhelmus Anglorum Rex in Normanniam miſerat Legatos, ſed & Hermenfredus Sedunenſium Pontifex redux ex Anglia (in quam navigaverat cum duobus S. R. E. Cardinalibus miſſis ab Alexandro Papa ut Guilhelmum Nothum Anglici regni diademate redimerent, id enim petierat) Lanfranco denunciavit in Concilio Epiſcoporum & Abbatum Normanniæ petitionem Regis, ſimulque voluntatem ſuam, & reliquorum Sedis Apoſtolicæ Legatorum. Is vero petiit inducias. Perſpectum namque & inconcuſſum tenebat, ſimul ire non poſſe negotium Archipræſulis, & otium Monachi. Precatur Regina cum filio : jubet Abbas Herluinus licet invitus, cui tanquam Chriſto obedire ſolitus erat. Hortantur etiam ad hoc ſtudioſiùs collecti Majores. Nam hanc urgentem nudique violentiam dictaverat mandatum Regis, ſcientis æſtimationem dilectiſſimi Patris, cum ad altiora invitaretur. Non abnuit ille præcipiti ſententia (ſic omne factum & dictum diſ- C cretionis norma regebat) obedientiam, offendere cavet ſimul & tantos qui rogant, favent, hortantur Mœſtus ergo tranſmare exulaturus ſe vadit, ſperans jucunditatem in reverſione. Cæterùm divinæ diſpoſitioni, quo conſilio reſiſti poterit ? Rex cum gaudio atque cum digna reverentia recepit Chriſtianæ Religionis coadjutorem : devicit reluctantem pulchrè pugnans humilitate & majeſtate. In Pontificatu geſta, quoniam Guilhelmus Malmeſburienſis, Matthæus Parkirſt in antiquitatib. Eccleſiaſt. Britann. & poſt eos Cardinalis Baronius in Annalib. minutatim computarunt, minimè replico : Unum tantum & alterum complicaturus, depromptа ex eius geſtis, in Chronic. Beccenſ. enarratis, ad hunc modum. Quando glorioſus Rex Guilhelmus morabatur in Normannia, Lanfrancus erat Princeps & cuſtos Angliæ, ſubjectis ſibi omnibus Principibus & juvantibus in iis, quæ ad defenſionem & diſpoſitionem, vel pacem pertinebant Regni, ſecundùm leges patriæ. Lectioni erat aſſiduus & ante Epiſcoparum, & in Epiſcopatu, quantum poterat. Et quia Scripturæ Scriptorum vitio erant nimium corruptæ, omnes tam Veteris quàm Novi Teſtamenti libros, necnon etiam Scripta Sanctorum Patrum ſecundùm orthodoxam fidem ſtuduit corrigere : & etiam multa de his, quibus utimur nocte ac die in ſervitio Eccleſiæ, ad unguem emendavit : & hoc non tantùm per ſe, ſed etiam per diſcipulos ſuos fecit. Quantùm poterat paupertatem retinebat in vilitate habitus, parſimoniam tenens inter multimodas delicias : multa quoque & magna offerebantur ſibi dona, quæ ille hilariter rogantibus ſe, vel indigentibus tribuebat.

Alterum quod premiſi hocce eſt, à Biographo Lanfranci ad nos tranſmiſſum his prorſus verbis. In quadam feſtivitate de tribus Magis, in quibus Rex coronatus ſolebat tenere curiam, die feſtivitatis Sancti Martini, cùm Rex diademate & indumentis regalibus ſederet ad menſam, & Lanfrancus juxtà eum, quidam ſcurra videns Regem auro & gemmis radiantem, exclamat in Aula magna adulationis voce : Ecce Deum video. Lanfrancus converſus in Regem ait : Noli talia imponi tibi : non ſunt hæc hominis, ſed Dei : Jube eum acriter verberari, ne unquam talia audeat iterare. Quod Rex juxta verbum illius fieri juſſit. Quæ de Lanfranco ſuperſunt, apponentur lib. 2.

ANNOTATIO IN EPISTOLAM II. pag. 312.

NON *habet fœnum in cornu.*] Scitè Anſelmus, ut oſtendat mundum eſſe quoddam noxium & fallax animal ; dicit non habere fœnum in cornu, ſicut olim boves petuleos, de quorum cornubus id appendebatur, quo ſibi cavetent, qui forte occurriſſent : ſed contrà, aurum habere in cornu, ut coruſcantis metalli ſplendore inſpicientes excæcet, & ſe fugientes cautius mitiuſque comprehendat. Aurum quoque cornubus alligatum aperte deſignat ſuperbiam ex opum abundantia manare ſolitam. Nam ſumere cornua, tollere cornua, ſuperbum eſſe nemo non ſcit. Quibus aſtipulatur illud Græcorum : *κερατίζει τὸ σκόλοψ τοῦτο*, indicant,

literaturæ, & Joannes Flaventinus ejuſdem Gratiani ſcholaſtes, ambo Ms. in noſtra Bibliotheca viderunt, hoc nondum dicentes, aliàs legi diptycis: ſic etiam legunt duo Gratiani Ms. noſtra exemplaria.

pag. 119. ## ANNOTATIO IN EPISTOLAM XXII.

Ita vocat tum ii ſcriptorum Britannia ac nonnulli alteram à Lanfranci dictam Epiſt. numer. xxv lib. 1. Epiſtolar. ſic nempe ab veteribus hujus temporis, quæ non multa.

Hanc lacunam oſtendi relatâ ab ejuſdem egregiæ in Chron. Becc. Ms.

T*Ot enim tantiſque.*] Hæcce mala universè renovata, quanto perculerint mœrore Lanfranci animum, alteræ, quas reperi in Ms. V. C. N. Fabri Pariſiensis, Alexandri II. Papæ auribus, diſtinctiùs multoque lugubrius oppleturæ, & his omnino lachrymis: [„ Summo ſanctæ Eccleſiæ Paſtori Alexandro Papæ, Lanfrancus indignus antiſtes „ canonicam obedientiam. Neſcio cui aptiùs meas calamitates explicem, quam tibi Pater, qui ipſarum mihi calamitatum cauſa exiſtis. Nam cum de Beccenſi congregatione (in qua habitum religionis aſſumpſi) à Principe „ Normannorum Wilhelmo abſtractus, Cadomenſi præfectus Cœnobio, imparque exiſterem paucorum regimini monachorum: incertum habeo, quo judicio omnipotentis Dei factus ſum, te cogente, ſpeculator multorum numeroque carentium populorum. Quod cùm præfatus Princeps, jam Rex Anglorum factus, multis variisque modis laboraret efficere: caſſatis tamen laboribus ſuis a me nullo modo potuit impetrare: quoadusque Legati tui Hermenfredus, videlicet, Sedunenſis Epiſcopus, atque Hubertus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis in Normanniam venerunt: Epiſcopos, Abbates, ejuſdemque patriæ nobiles convenire fecerunt: atque in eorum præſentia, ut Cantuarienſem Eccleſiam regendam ſuſciperem, ex Apoſtolicæ Sedis auctoritate præceperunt. Adversùs hoc imbecillitas mearum virium, morumque indignitas prolata in medium nihil profuit: excuſatio incognitæ linguæ, gentiumque barbararum nullum apud eos locum invenire prævaluit. Quid plura? Aſſenſum præbui, veni, ſuſcepi: in qua tot moleſtias, tot tædia, tantumque ab omni fere bono defectum mentis quotidie ſuſtineo: tot aliorum in diverſis perſonis perturbationes, damna, obdurationes, cupiditates, tantumque ſanctæ Eccleſiæ caſum inceſſanter audio, video, ſentio; ut tædeat me vitæ meæ doleamque plurimum me uſque ad hæc tempora perveniſſe. Mala ſiquidem ſunt, quæ in præſenti cernuntur: multò verò deteriora ex iſtorum conſideratione in futuro conjiciuntur: & ne diu celſitudinem veſtram multis magniſque negotiis occupatam, prolixæ orationis ambitu protraham; rogo quatenus propter Deum & animam veſtram, ſicut veſtra, cui contradici fas non fuit, me auctoritate alligaſtis: ſic quoque alligatum abrupto hujus neceſſitatis vinculo abſolvatis: viramque cœnobialem, quam præ omnibus rebus diligo, repetendi licentiam concedatis. Nec in hujus rei petitione ſperni debeo, quam tam piè, tam neceſſariis, tam juſtis ex cauſis concedi mihi à vobis depoſco. Meminiſſe ſiquidem debetis, nec tradi oblivioni oportet, quam benignè conſanguineos veſtros, alioſque à Roma ſcripta deferentes in præfatis adhuc cœnobiis conſtitutus ſæpè recepi: quam ſtudiosè pro captu meo: ingeniique ipſorum tam in ſacris quàm in ſecularibus literis erudivi: ut taceam multa alia, in quibus vobis veſtriſque anteceſſoribus pro rerum ac temporum qualitate, nonnumquam ſervivi. Nec hæc jactando, aut improperando, teſte conſcientia, dico: nec favorem gratiæ veſtræ quaſi præiatis obedientiæ meæ obſequiis ſolitò majorem captare requiro. Hoc tantùm ſtudeo, harumque literarum hic ſolummodo finis eſt: ut congruam rationem, juſtamque cauſam poſſim oſtendere, qua id quod peto, à veſtra munificentia Chriſto aſpirante, valeam obtinere. Quòd ſi forſitaſſe conſiderata aliorum utilitate ſecus agendum, mihique id denegandum eſſe decernitis; valdè vobis cavendum atque timendum eſt, ne, unde mercedem vos habere apud Deum exiſtimatis; inde, quod à veſtris actibus procul ſit, peccati periculum incurratis. Nullus eſt enim à me, aut per me in hac terra animarum profectus: aut ſi ullus exiſtit, tam parvus eſt, ut detrimentis meis comparari non poſſit.“] De his hactenùs (*inquit Lanfrancus*) & nos cum illo. In his tamen ſanctiſſimi cujuſdam ac verè paſtoralis ſollicitudinis ardorem maximè agnoſco. [„ Nam Lanfranci induſtria, (*inquit Willelmus Malmeſberienſis*) Monachicum „ germen effloruit, eo vivente vigot Pontif. induruit: Ipſius „ etiam impulſu, ambitum nebulonum rex fregerat, qui „ conſueto more, mancipia ſua Hyberniam venditabant.“] Cætera quæ idem narrat lib. 1. de geſtis Pontificum Anglorum, miſſa facio; quæ adibit, qui volet ſubjunctorus alterum Chron. Beccenſ. Ms. in vita ejuſdem Lanfranci elogium, quod ſic habet: [„ Cujus (Lanfranci) quantùs poſtea exiterit fructus, latiſſimè teſtatur renovatus uſquequaque inſtitutionis Eccleſiaſticæ ſtatus. Cœnobialis ordo, qui omninò ad laicalem prolapſus fuerat diſſolutionem, ad probatiſſimam reformatur diſciplinam Monaſteriorum. Clerici ſub Canonicali coërcentur diſciplina. Populos rituum barbarorum interdicta vanitate ad veram credendi atque vivendi formam erudiur.“] Hæc ibi, quæ ſubjunxiſſe placuit, ut appareret expoſitas Lanfranci querimonias potiſſimum ortas eſſe ex illius moleſtiis quæ ſemper occurrunt nova ſanctaque molientibus.

ANNOTATIO IN EPISTOLAM XXIII. pag. 120.

S*Ed intervenientе venerando Patre Domino Anſelmo, cui, ſicut Deo, obedire deſidero.*] Hinc advertere eſt inſignem modeſtiam tanti victoris, tam humiliter de ſe, tam magnificè de diſcipulo ſentientis. Ita & in extrema tuarum Epiſtolarum ſe vocat peccatorem, conſiliique divini ignarum, Anſelmum verò Dei ſpiritu plenum Gilbertus Criſpinus in vita Herluini reliquit poſteritati mutuum humilitatis certamen inter Abbatem & illum. *Abbas*, inquit, *ex grandævo licet veretur ſubditum ſibi tanti doctoris celſitudinem. Ille nullam pro eminenti ſcientia gerens inſolentiam, humillimè ad omnia parebat, attendebat, mirabantur & prædicabant quam ipſi in intelligendis Scripturis gratiam Dominus contuliſſet.* Anonymus Beccenſis Ms. in vita ejuſdem obſervat quod Herluinus Beccenſis Archimandrita profectus in Angliam: „ Cùm ad Archiepiſcopum, *inquit*, perveniſſet, quæ tunc inter eos ſubmittendi pia contentio? Summus Antiſtes, & in tranſmarinis vices Apoſtolicas gerens, ſubmittebat ſe ſuo quondam Abbati, ut alius quivis monachus. Secundus ubique ab eo, (niſi ad Miſſarum ſolemnia) reſidendo, & manum illius, cùm aliqua ab eo accipiebat (niſi raptim ille retraxiſſet) oſculando. Illi ſedes eminentior, ac imperandi jus omne tribuebatur. Donabat famulorum delinquentium reatus, ac cætera in domo pro velle faciebat. Domini nomen alius, ille auctoritate gerebat. Quantò curia ſua frequentior, quantò utriuſque ordinis perſonarum totius regni excellentium conventus fiebat numeroſior, tantò majori coram omnibus illum Archiepiſcopus præferebat obſequio. Multum mirabantur univerſi, maximè Angli, Cantuarienſem Archiepiſcopum ſic ſummiti. Abbas verò, quam debebat dignitati tantæ ſummiſſionem conabatur exolvere; ſed nullatenus permittebatur. *Rurſus ibidem referens, cum Beccum templi dicandi cauſa advenisſet, ſubjungit:* Cùm veniſſet ad deſcenſum montis, qui ipſi cœnobio imminet, ferrus annulum de digito extraxiſſe: nec poſteà quamdiu Becci moratus eſt, niſi ad Miſſarum ſolennia reſumpſiſſe. Ad Abbatis (Herluinum ſignat) jam ſenio incurvati oſculum accedens tam magnus Antiſtes, ad pedes advolvi conatus eſt. Verùm illo econtra ad ipſum conante, longo utrinque luctamine, dum alter alterum ſuſtentat; neuter explevit quod ſatagebat: Poſt multos diuque optatos amplexus, cum fratribus in clauſtro ſedit Archiepiſcopus ut quivis alius, juvenes, ſenes, atque infantes, & unumquemque ſigillatim compellans, & juxta uniuſcujuſque qualitatem debita confortatione adhortans. Quis enarrare ſufficienter queat, quantam humilitatem & benignitatem omnibus condeſcendendo exhiberet? Ad menſam dextrorſum, & ſiniſtrorſum fratres cum Archiepiſcopo ſedere, ac communi calice & ſcutella cum eo coguntur cibum ſumere.

ANNOTATIO IN EPISTOLAM XXVIII. pag. 130.

B*Ecum certius vos expectat:*] Quandoquidem creberrimè occurrit occurretque id nominis & loci, juvat exponere, etenim expoſuiſſe juvabit; ſed de ejus conditore, Herluino viro ſplendidis virtutum ornamentis decorato & ordo & ratio, lectoriſque non mediocre commodum nonnulla proloqui ſuadent: imò compellunt; quia (ut inquit Gilbertus Criſpinus in prœmio vitæ ejus) mundum ſibi & ad votum arridentem ea penitùs ætate recuſavit, qua vehementiùs alii ſe ingerunt recuſari; & in patria, in qua tunc incolumeni armis militem Monachum fieri, portentum habebatur. Sed ipſius Gilberti verbis inchoatam carptim proſequamur expoſitionem. A. Danis, qui Normanniam primi obtinuerunt, pater ejus originem duxit. Mater proximi Ducum Flandriæ conſanguinitatem attingit. Anſgotus ille, iſta Heloye nomen habebat.

Gillebertus Brioneaſis Comes primi Ricardi Normanniæ Ducis nepos, ex filio conſule Godefrido illum enutritum penes ſe inter omnes curiæ ſuæ primates habuit acceptiſſimè. Habilis hic ad arma plurimum erat, nec minori ea animoſitate geſtabat. Omnes tot in Normannia familiæ in electis illum habebant armis; omnique rei militaris uſu & cultu corporis ſui attollebant. Ab inhoneſtis avertebat, animum; honeſtis, quæ curiales magnificiunt, impendebat omne ſtudium. Vitæ hujus jocundiſſimo ſtatu annos jam

ille excesserat triginta septem : cùm tandem divino metu, succendi amore illius mens cœpit, & ab amore mundi recedere. Ab exterioribus oculum cordis convertens ad seipsum, ibat frequentiùs ad Ecclesiam, orabat devotè, ac sæpè prorumpebat in lachrymas sæpè totum jejuniis transfigebat diem. In armis, in cultu corporis non idem studium, quod priùs satis indicabat alterationem animi illius, quam adhuc tenta dissimulatione celabat. Militiæ ac cæteræ rei secularis summa erat voti : verum quo se conferret, quod vivendi genus assumeret, ignorabat. Rarus in Normannia tunc recti tramitis index aut prævius erat. Sed sicut spiritus ubi vult spirat, ita quem aspicat, unctio ejus docet de omnibus. Abrenuntians ergo militiæ, vili tegumento indutus, barba & crine intonsis inter amicos diu servivit, ut prædia sua Deo secum lucraretur exuturus ab Ægypto vetus ille Hebræus. Jam domini sui assidens mensæ, inter multimodas epulas pane asperiori vescebatur & aqua. Radebatur ab universis, aventiæ, quicquid agebat reputabatur. Minis, promissis, injuriis, officiis dominus & universi satellites non poterant a proposito suo eum avertere, nolebat tamen sine domino cui serviebat, discedere. Interea Comes Gillebertus ob damnum sibi perniciosum, quod quisquis compatriota nuncupabatur, misit Herluinum ad Robertum Normanniæ Principem. At vir pacis tetæ damnosa alicui machinamenta penitùs reculavit : perstat dominus in sententia, hortans, comminans, ut consilii sui verbum ad dominum suum perferendo referat. Agitur ut jam ostendat mentis ad utrumlibet positus, cui servire superno an terreno domino malit. Abdicata igitur omninò legatione discedit à curia. Quod ut cognovit Comes, jussit mox abripi universa ejus bona, pauperesque ejus clientes : quorum nomine ad Comitem rediit, innocentium causam acturus ; inter quæ dixit : Quæ mea sunt universa distrahantur, modò pauperibus, qui vestram nullo crimine iram meruerunt, sua restituantur. Motus ad pietatem Gillebertus, quem mundanæ fastus celsitudinis plurimum obtinebat, adducto in partem Herluino perquisivit animi tantam communicationem, & finem consilii. Cui paucis verbis, multis lachrymis respondit : [„ Sæculum amando & tibi obsequendo omnium „ Deum ac meipsum hactenùs neglexi : Quæ corporis erant „ cultui omninò intentus, nullam animæ meæ eruditionem „ accepi. Quapropter precor, si quid unquam bene merui „ à te, liceat vitæ quod superest in monasterio transigi, „ salvo circa me amore tuo, & da mecum Deo quæ ha„ bui.] Corde in lachrymis concitato nequit sustinere ulteriùs loquentem, clientique experitam sui suorumque omnium facultatem. Protinus Herluinus Burnevillæ (Bonnevillam dicunt) extruendum Dei servitio opus arripuit. Ipse igitur non solùm præsidebat operi, sed ipsum quoque efficiebat. terram fodiens, follam efferens, lapides, fabulum, calcemque humeris comportans, ac ea in parietem componens. Quibus alii horis aberant, ipse congerebat, quæ ad opus exigebantur, excludens otium ab omni parte mei ; quantò vanitate tumida olim dedicator, tantò vera humilitate nunc ad omnem laboris tolerantiam propter Deum patiebatur.

Cibum, præter quibus non licebat diebus, accipiebat nec exquisitum, & parcè satis, explero cum die opere suo. Et quia interdiu nequibat studere, edisserendo psalterio noctem pene totam impendebat. His exercitiis multa jocunditate novus tyro Christi exercebatur.

Prima litterarum elementa didicit, cum jam existeret annorum propè quadraginta, & divina opitulante gratia eo usque processit, ut etiam apprimè eruditus, in exponendis ac intelligendis divinarum Scripturarum sententiis meritò haberetur mirabilis. Quod ut solius divinæ gratiæ tribuatur, nocturnis tantùm horis studio huic vacabat : quia propter lectiones nunquam diurni operis intermisit executionem. Nova rursus contra eum hostis antiquus invenit.

Cœnobium quoddam Herluinus adierat gratia inquirendi de vita monachorum. Oratione facta accessit omni cum reverentia, multo cum tremore ad ostium claustri, velut ad claustum paradysi, desideratissimus scire quis monachorum habitus, qui mores, quæ in claustro sedendi sit religio. Sed visit longè aliam ab ea, quam cœnobialis ordo exposcit, gravitatem haberi. Turbatus est, jam incertus quod vivendi genus approbaret.

Ad hæc, qui monasterii custos erat, ut illum sic introrsùs attendentem conspexit, furem suspicatus, immisso, quanta vi potuit, collo illius pugno per capillos foris usque ad ostium extrusit. At vir patientissimus pro illata sibi injuria nullum monacho verbum impatientiæ respondit. Nec tantùm semel, sed ubique hostis ab eo victus Deo vincente succubuit.

Sacrata tandem, quam construxerat, ab Episcopo Lexovii Heberto, comam totondit, ab eodem sacræ Religionis habitum indutus, & paulò post consecratus sacerdos, pluribus jam Ducatui illius addictis Fratribus Abbas præficitur.

Totò imitandus aliis præponebatur, qui per annos tres impropertum vitæ spiritalis patientissimè tulit coram secularibus. Quos autem regendos acceperat, arctissimè, sed more Patrum priorum, regebat.

Viderat peracto in Ecclesia officio, Abbatem collo fementum, manu rastrum vel sarculum gestantem ad agriculturam prodire, monachos omnes operi sub diei terminum insistere. Victus quotidianus panis siligineus, & herba cum sale & aqua. Aqua non nisi turulenta : quia fons nusquam præter ad duo milliaria habebatur.

Cœleste prædicabant beneficium, cum panis melior, & caseus, vel aliquod aliud edulium undecumque habebatur : exemplum magistri & conatus omnem murmurandi excludebat aditum. Abbas prior ad opus, ab opere discedebat ultimus. Simili se inibi servituri propter Deum nobilis mater ejus addixit : & concessit Deo prædiis quæ habebat, ancillæ fungebatur officio, servientium Deo pannos abluens, & quicquid injungebatur externi operis accuratissimè agendi.

Ad opus servorum Dei quadam die cum annonam tolleret, nescio quo casu domus undique succensa est. Cucurrit quidam, ejulando nuntians Abbati domos combustas, & matrem inibi combustam. At ille, licet lachrymis suffusus, ad Deum manus levavit : *Gratias tibi Deus*, inquit, *quia in officio servientium tibi matrem meam ignis assumpsit.* Fortis in amore Dei constantia, quæ tot diaboli arietibus impulsa labare non poterat : Nihil tamen mali in illa conflagratione prædicta domina palla fuit. Deinde post aliquantum temporis per visum divinitus commonitus est, ut dimissa solitudine campestri, quæ competenti opportunitate omnino carebat, ad locum sui juris mansionem transferret, qui à tivo hic manenti Beccus appellatur, ad milliarium à castro Brionio. Est hic locus in ipso saltu Brioneusi, valle ima, montibus saltuosis hinc inde occlusa, omni opportunitate humano usui commodus : Propter densitatem ac rivi recreationem ferarum multus ibi erat accursus. Trium tantum molendinorum tres domus illic erant, & solum illic habitabile.

At verò cum sylva prædicta Gilleberti Comitis esset delicium, variarumque soli portionum jure ad varios spectaret, tamen Deo juvante, & Herluino firmiter sperante, integra Brionii sylva ad Beccenses.

Utque eò de Herluino narravimus ipsismet Gilberti Crispini sui Biographi verbis, aliquantùm subinde interlocatis, quantùm ad Beccensis Cœnobii constitutionem constitutorisque gloriam nonnihil illustrandam facere animadverti.

Etenim suo sæculo Herluinus fuit nostræ Galliæ, speciatimque Normanniæ non obscurum sydus ; cujus aliquot radios alibi opportunius spargemus, & maximè, ubi de ejus occasu.

Quæ autem literis consignavit Gemmet. lib. 6. Histor. Ducum Normanniæ cap. 9. sunt tam angusta & brevia, ut amplissimam viri gloriam iniquius constringant. Ut autem nepotes nostros minimè lateat, quantùm externorum bonorum reliquerit Christi amore, recensebimus ex ejus diplomate, ubi ait :

Notum sit omnibus Christianæ religionis cultoribus, “ quod ego Abbas Herluinus filius Ausgoti, astantibus & “ laudantibus fratribus meis Odone & Rogerio, jubente “ Gillebetto Comite, & Alberto & Ranulpho consentiente, “ Roberto Comite, & Roberto Archiepiscopo, donavi sanctæ Mariæ terriam partem terræ de Burnevilla, & hoc “ quod pertinet ad eam ; & Tuvileio, & de Surceio, & hoc “ quod pertinet ad eas, & terram de Sarnaio, & hoc quod “ pertinet ad eam, quæ Ausgotus pater meus in vita sua habuit : Dotem quoque matris meæ jubente patre meo ex “ integro mihi datam, coram testibus Fulberto sacerdote, “ Vitale, Rainaldo, & aliis multis.

ANNOTATIONES IN EPISTOLAM pag. 311.

VIGESIMAM NONAM.

Lauzoi.] Sic quinque nostra manuscripta Exemplaria. Badmerus in editione Antuerpiensi anno 1551. Guilhelm. Malmesberiensis lib. 5 de gestis Regum Anglorum, & lib. 3. de gestis Pontificum. Perperam igitur Exemplaria excusa habebant ante hac Lauronem. Quantos verò pietatis fructus ex hac sementе ab Anselmo facta legerit, hinc manifestum evadit, quòd Cœnobium sancti Pancratii Leviensis in Anglia (cui præfuit) Diœcesis Selesiensis tanta religionis claruerit fama, ut cæteris monasteriis facile palmam eriperet. In

autem Lanzo Cluniaci [quod Cœnobium in Gallia Diœceſi Matiſconenſi, Guilhelmus Pius Aquitanorum Dux tam magnificè ſtruxit, ut Paradinus lib. de antiquo ſtatu Burgundiæ cap. 18. teſtetur, ſe eminus ſpectantem præ ſtupore ſubſtitiſſe) priùs Monaſticum egerat tyrocynium: & ut noris quam fuerit religioſi tenax inſtituti, licet ſuprema ægrotatione ſic exercitaretur, ut nec ſedens nec ambulans, nec jacens nec ſtans, ne momento quidem tranquillus fuerit: nunquam tamen (*inquit Bibliothecarius Malmeſberienſis lib. 5. de Regib. Anglor.*) noctibus eſt locutus: rogantibus fratribus, ut ſilentium ſolveret, non acquievit, ne monachatus impudicitiam libarent, eò quòd nunquam poſtquam monachicum accepiſſet habitum, à Completorio exiens, uſque ad ſequentis diei Primam locutus fuiſſet. Huic autem (*ut paulo poſt item Bibliothecarius advertit*) qui præ cæteris ſui ævi hominibus Regulam ſancti Benedicti obſervabat. Beatam Dei genitricem ejuſque ſolemnia ſingulari venerebatur affectu, contulit, ut ſolita ſibi conſuetudine, & in tranſitu ſancti Benedicti, & in feſtivitate ſanctæ Mariæ (quæ Annunciatio dominica dicitur) majorem Miſſam in Conventu celebraret, & octavo à prædicto ſancti Benedicti tranſitu die præventus infirmitate, octavo nihilominùs die ab Annunciatione dominica migraret ad Chriſtum. Porro hujus Epiſtolæ nominatim meminit Anſelmus Epiſt. 104. ad Guarnerum lib. 3. Eadmerus bonam partem adduxit lib. 1. vitæ ejuſdem Anſelmi cap. 15.

ALTERA.

Sic infelix Monachus] Eò non inſultè reſpicere videtur illud Lyrici epiſt. 14. lib. 1.

Cui placet alterius, ſua nimirum eſt odio ſors.
Stultus utrumque locum immeritum cauſatur iniquè.
In culpa eſt animus, qui ſe non effugit unquam.

POSTERIOR.

Qui Cœnobitarum aggreditur propoſitum, expedit ei, ut in quocunque monaſterio profeſſus fuerit, niſi tale fuerit, ut ibi malum fugere cogatur, ſe vaſicare ſtudeat] Locus expreſſiſſimus ad confirmandos quamplurium Cœnobitarum animos, qui durioris vitæ tæpti deſiderio, plerumque ad aliud tranſeunt monaſterium, unde paulò poſt, quoniam oneri ſunt impares, coguntur exire non ſine gravi mœrore, & grandi, cui exeuntes objiciuntur, tentationis diſcrimine. Magiſter Adam de ſancto Victore, vir æqualis Hugoni, Ricardo, & aliis complutibus noſtri Cœnobii Patribus religioſiſſimis, in dialogo de Inſtructione diſcipuli (quem nuncupavit Patribus noſtris Canonicis Eccleſiæ Archiepiſcopalis ſancti Andreæ in Scotia) interrogans eundem jam dejuratæ religionis ſacramento ligatum, hoc audit reſpondentem. [„ Quid ſi majoris perfectionis & rigidioris ordinis deſi-„ derio accenſus vitam meam emendare, & converſatio-„ nem meam augere voluero, nunquid, ubi id faciam, „ tranſmigrem conſulis?

„ *Doct.* Certè non conſulo.

„ *Diſc.* Quare?

„ *Doct.* Primùm, quia ſuſpectam habeo infirmitatem „ tuam, quia potes ſufferre ordinem iſtum, non potes for-„ taſſis ſufferre illum. Secundò, quia timeo ne per diſceſ-„ ſum tuum eis, qui poſt diſceſſum tuum remanent, ali-„ quod damnum inferatur & ſcandalum.

„ *Diſc.* Et quare hæc eſſent?

„ *Doct.* Nonne una ex de decem virginibus, quæ accipien-„ tes lampades ſuas exierunt obviam ſponſo & ſponſæ?

„ *Diſc.* Una quidem de quinque prudentibus eſſe deſi-„ dero.

„ *Doct.* Aut prudens virgo es, aut fatua.

„ *Diſc.* Sum utique.

„ *Doct.* Si fatua es, non conſulo ut quoquam diſcedas, „ ne fortè fatuus ſit fatui egreſſus. Si autem prudens es, „ & tunc nihilominùs conſulo ut remaneas, ut matri, quæ „ te concepit & portavit, domui videlicet tuæ, præ cunctis „ aliis tua ſapientia ſuccurrat.“] Et poſt modicum, ubi diſcipulus obiciens noxiſſimos fratrum mores, à quibus, quia longè abhorret, odio fit, ait: [„ Viſne ergo ut rema-„ neam cum odio?

„ *Doct.* Nequaquam, ſed cum dilectione. Volo enim ut „ Abel habites cum Chain; ut Iſaac cum Iſmaele; cùm Sa-„ ſaù, Jacob. Poterit namque tibi prodeſſe malitia, ſi tibi „ non defecerit patientia. Si autem tales ipſi fuerint, ut „ te ad peccatum trahant, nunc conſulo ut aliò, ubi Deo „ placere poſſis, diſcedas.“] D. Bernardus (cui & prædictus noſter Adam poſuit ſepitaphium) ex aliquot Columbenſis Abbatis quæſtionibus, & hanc, de qua nunc ſermo eſt, ſic enodat in lib. de præcepto & diſpenſatione. [„ A bono, „ quod ſemel quis voverit, deſcendere non licere; mutare A locum, quem ſibi quiſque delegerit, & cui ſua ſe voluntate & voce firmaverit, omninò non conſulo: Sed nec „ ſanctus Papa Gregorius, ait enim: Perfecti quique magna ſe diſcretionis ſubtilitate conſpiciunt, ne ad deteriora unquam, vel in opere vel in cogitatione dilabantur: „ *Et paucis additis inquit.* Præſcribat proinde ſtabilitatis pactum omni deinceps remiſſo deſcenſui, contentioſo diverſui, vago & curioſo diſcurſui, totius denique inconſtantiæ levitati: non tamen in his, quæ in profeſſionis ſerie „ ſequuntur, morum videlicet converſioni & obedientiæ, „ quæ ſecundùm regulam ſit. Nam ſi hæc ibidem pro improbitate nimirum atque irreligioſitate cohabitantium obtineri fortè nequiverint, duce ſpiritu libertatis indubitanter ſuadeo tranſire ad locum alium, ubi non impediatur „ homo reddere vota ſua, quæ diſtinxerunt labia ſua. *Poſt „ nonnulla explanatius ſuam aperit mentem, dicens:* Fortè „ vult aliquis de Cluniacenſibus inſtitutis ad Ciſtercienſium „ ſeſe ſtringere paupertatem, eligens præ illis nimirum con-B ſuetudinibus magis regulæ puritatem. Si me conſulit, „ non conſulo: ſi non ſanè ſui Abbatis uſurpavit aſſenſu. „ Quamobrem? Primò propter ſcandalum ipſorum, quos „ deſerit: Deinde, quia certa pro dubiis relinquere tutum „ non eſt: Forſan enim hoc tenere poteſt, illud non po-„ teſt: tertiò ſuſpectam habeo levitatem, qua id ſæpè quod „ facilè volumus antequam probemus, experti jam nolumus, uno prope momento ſtultum & cupientes & refugientes, tam leviter quàm & irrationabiliter.“] Hactenùs illic Bernardus: multa enim præterii, quæ lectorem avidiorem non præteribant: quamvis nihil exiſtimem me ſtultiſſe, quod ſcribendum fuerat neceſſariò. Habeat tamen Coronidis vice ſi lubeat & illud, quod extat in calce Apologiæ ad Guilhelmum Abbatem, his verbis: [„ Sicut „ non licet his qui majus aliquid forte voverunt, ad id quod „ minùs eſt, deſcendere, ne apoſtatentur: ſic non omnibus „ expedit de minoribus bonis ad majora tranſire, ne parti-„ cipentur. Scio quippe nonnullos de aliis congregationi-C nibus & inſtitutionibus ad noſtrum ordinem prevolaſſe, pulſaſſe, intraſſe. Qui hoc quidem agendo & ſuis ſcandala „ reliquerunt, & nobis nihilominùs attulerunt: dum quantùm illos ſua temeraria diſceſſione, tantùm nos turbaverunt ſua miſera converſatione; quoniam ſuperbè ſpreverunt quod tenebant, & temere præſumpſerunt, quæ non „ valebant. *Concludens tandem Bernardus, addit:* Quanquam ergo nonnullos eorum noverimus, qui & fortiter „ Deo auctore cœperunt, & ipſo protectore fortiùs perſeverant: ſecuriùs tamen eſt, ut perſeveremus in bono, „ quod cœpimus, quàm quod incipiamus ubi non perſeveremus, & hoc pariter omneſque ſtudeamus, quod ſecundùm Apoſtoli conſilium, omnia noſtra in charitate fiant.“ Eundem tertio conſule in Epiſt. 7. ad Adam Monachum, ab his verbis poſt medium: *Si quidem ut cætera taceam; &c.* & 115. ad Sanctimonialem ſanctæ Mariæ Trecenſis. In Bernardi ſententiam it Div. Thom. 2, 2. quæſt. 189. art. 8. dicens. „ Tranſire de religione in religionem, „ niſi propter magnam utilitatem vel neceſſitatem, non „ eſt laudabile, tùm quia ex hoc plurimum ſcandalizantur „ illi qui relinquuntur, tùm etiam quia faciliùs proficit „ aliquis in religione, quam conſuevit quàm in illa quam „ non conſuevit, cæteris paribus: Sic ille, ubi proximè „ ſubjungit egregiam Neſtorii Abbatis in hanc rem ſententiam. D. Thomam plerique ſumm Jurii ſequuntur.“ Cauſas verò mutandi Cœnobii ibidem productas à D. Thoma ex ſuperioribus elicere eſt. Johannes Gerſon, vir, etiam Luteri demonachati judicio, non vulgaris, à D. Thoma non recedit in Conſiderat. 4. ſuæ Epiſt. ad quendam Carthuſian. tom. 1. monens. „ Religioſum debere advertere, in domo Patris cœleſtis multas eſſe manſiones, „ viaſque multas quibus illas aſſequaris, & juxta dictum „ Auguſtini in via Dei ſic alium ire, alium ſic, eamque „ ob cauſam unumquemque in vocatione, qua vocatus eſt, „ debere ambulare. *Rurſus Conſiderat. 5. ait.* Diabolus autem non habet efficacius malignandi machinamentum, „ quàm ſi poſſit religioſo ſuadere diſplicentiam ſtatus ſui „ jam aſſumpti atque profeſſi. Et hoc facere conatur nunc „ ſub figmento quietudinis contemplativæ, nunc ſub umbraculo, quaſi omnia ſint inutilia quæ agit in vocatione ſua.“

Hæc ex Gerſone carptim. Johannes Ketelius ſeu Cacabus apud Thomam Campenſem hæc meditans proponit. „ Eſt mihi utile ut magna reputem exercitia domus iſtius „ ſupereminere alias domos, & ut habeam magnum propoſitum in hoc ſtatu mori, & pro nulla re mihi adventura „ ab iſto velle ſeparari, ſalva ſemper obedientia.“ Thomas verò Campenſis vir illuminatiſſimæ mentis probeque gnatus harum procellarum, quibus Candidatorum aut militiæ Chriſti nuper aſſcriptorum corda concuſſantur ſuos tyrones in 2. part. ſermonum ad Novitios, ſermone 5. ſic cautos facit. „ Poteſt quilibet religioſus in ordine ſuo, & loco ſibi „

Digitized by Google

„ à Deo, proviſò animam ſuam ſalvare & virtutibus proficere, A
„ & ſollicitè ſervat quæ ordo inſtituit, & Prælatus facere ju-
„ bet ac conſulit. Nemo igitur irritabilis ſe ſeducat, neque
„ ſtulta & vana imaginatione de alio loco cogitet, & de in-
„ certis futuris jucundiora ſibi propoſuerando dicat: O Deus,
„ ſi in tali loco & ordine eſſem, quam bene & devotè me
„ habere vellem, nec de aliquo amplius conqueri vel turba-
„ ri."] Hæc pauca ex multis quæ Thomas ſuos commonet: ubi ſubjicit exemplum cujuſpiam Canonici Regularis, [„ qui diutino hujus occultæ tentationis pondere tandem proſ-
„ tratus deſecit ad Eremitas Auguſtinianos. Mox, ut eò per-
„ venit, tyrocinii monaſtici veſte indutus eſt, & quidem
„ tanto pectoris æſtuantis fervore, ut eodem die, ſi Patribus
„ viſum fuiſſet, nomen dediſſet: vix ſuſtentare octo dies, cùm
„ graviſſimo percellitur mœrore, prorſusque Cœnobii deſide-
„ rio, adeo, ut nec cibum nec ſomnum valeret capere.
„ Quamobrem coactus aperit inteſtinum dolorem: mirantur
„ Patres, levitatem puerilem objurgant acerbiſſimè, redeunt
„ habitum Canonicum. redit in paternam domum, ubi caſ-
„ tigatus, poſtea ſuæ inconſtantiæ malo, evaſit melior & conſ-
„ tantior.

Johannes Gerſon Epiſt. ſuperiùs prolatæ Conſideratione
ſimilquantulum ſimile quæ in erat, ſed horribilius, de Johan. Bono bonæ Criſtino. „ Is enim ſub nobilem diſtinctionis ordi-
„ nis receptus à Franciſcanis nuncupatis de Obſervantia; paulò
„ poſt abceſſit & duxit uxorem, à cujus propinquis occiſus eſt,
„ cum reverteretur Româ. Anno 1198

„ Reverendus Pater noſter Johannes Hurtaldus Pariſienſis,
„ Epiſcopo à ſacris vicibus, cùm ex Funtebalo redens viſi-
„ tationis munere peracto, pertranſiret Andegavo; accepit
„ Franciſcanum quendam Bammetianum, (id autem Cœno-
„ bii haud procul ab urbe ſitum eſt) præpoſtero arreptum ze-
„ lo expetiſſe Capucinos: ubi mox à Dæmonio meridiano
„ impetitus, & cucullam & catholicam objecit fidem, pro-
„ feſſus Salmurii, oppidi in Archiepiſcopatu Turonenſi, Cal-C
„ viniſmum.

„ Dum inviſerem aliquando Fulienſes monachos in Pari-
„ ſienſi ſuburbano degentes, & cum venerabili ejus aſcetenti
„ Præpoſito hiſce de rebus confabularer, aſſeruit ſe vidiſſe duo
„ decim externos monachos tyrones, quorum unicus in eorum
„ permanſiſſet ordine.

„ Eſt mihi quiſpiam novus adoleſcens Canonicus Regularis,
„ miræ ſimplicitatis, qui inter mutua colloquia ingenuè faſ-
„ ſus eſt, ſe hujuſmodi inſana tam furenter percuſſum pro-
„ cella, ut univerſa ſui Cœnobii inſtituta floccifaceret, donec
„ ad ſe reverſus, gratioriſque potius aura, exclamaret. Hem
„ quid ago? eſt animus hinc aliò migrare, ut potiùs vi-
„ vam? Equando foris evadam diſciplinæ Canonicæ ſtudio-
„ ſior, cùm eam domi negligentiùs ſervem? Hæc correp-
„ tuncula factus animoſior poſtea impugnantem conſtanter ri-
„ ſit dæmonem.

Sciſcitatus ſum, dum hæc elucubrarem, religioſiſſimum quendam virum (nomen verecunde filco) quid hac de re ſentiret: dixitque id licere, cùm quis ſui Ordinis Cyclopædiam abſolvit: ſed & tum vires animi eo poſtique ad unguem explorandas. Imo licet hæ viderentur ſtrmiſſimæ, tamen ob ingentia quæ has mutationes comitantur, ſalutis diſcrimina, maturè rem tractandam. Cæterùm, qui infirmiores valeant eludere inſidias diaboli has religionis vices ſuadentis, & inſidias detegere, quotidianaque præſidia vel ex inſtituti monaſtici remiſſuri cuſtodia, vel ex quorundam licentioſorum Fratrum perverſitate nata, illæſi perferre, docet Thomas Campenſis ſupra cæteroſque ſpirituales Patres.

Ad hæc refer univerſa, Lanfranci ſuper his dubiis monaſtices interrogati reſponſum, quod noſter Anſelmus exſcripſit ſub finem ſui Poëmatis de Contemptu mundi. Quin actuatii vice apponam ſapientiſſimum D. Stephani Muretenſis, Grandimontenſium Sodalium Inſtitutoris decretum, quod lege in ejuſdem regula calamo ſcripta apud nos, ubi ſic præcipit in Titulo de viris alterius religionis non recipiendis. [„ Alterius
„ religionis viros in hac religione recipi, omnimò prohibemus.
„ Nam veſtri mores ab eorum moribus plurimùm differunt:
„ vos quippe ſimum & ligna portantes, & cibarium calefa-
„ cientes, panem & alia multa facere conſueviſtis: nullos
„ enim voſmetipſos habetis famulos. Vobis enim talia facien-
„ tibus frequenter impropararent, dicentes: Nunquam de hu-
„ juſmodi vilibus in noſtra religione tractabamus: facilè
„ etiam poteſt in diſciplina teneri, qui nunquam in illa fuit,
„ quando recentes ſæculum relinquit, quam revocari ad ip-
„ ſam, qui ſemel eam exceſſit. Inſuper ſi poſt longum
„ tempus veſtris perſcrutatus moribus ad priſtinæ religionis
„ habitum remeare vellent; ipſo poſtare, cujus obedientiæ
„ ſe priùs ſubmiſerunt, eos recipiente quaſi oves ſuas, abſ-
„ que licentia, calumniam veſtris facere poſſent, unde &
„ vobis & ipſis aliquod contingat opprobrium, nullo modo
„ recipiantur. Hinc Salomon ait? Cor ingrediens duas vias,
„ non habebit requiem. Hinc Jacobus ait: Vir duplex ani-
„ mo, inconſtans eſt in omnibus viis ſuis."] Hactenus viri

ſanctiſſimi ſcitum, in quo cùm monachos externos à ſuis ex-
cipi vetuerit, manifeſtiſſimè præmonuit hos; nec ad ſuos alte-
riuſque ſectæ Cœnobitas debere tranſmigrare. Huc facit cap.
15. lib. de Mortificatione Joan. Facundi, edit. Lutet. 1198. Ve-
nerabilis Pater Nicolaus Grenierius, ante annos 36. noſtri Cœ-
nobii Prior, & quidem integritate prior, nulloque ſuorum
poſterior doctrina, lect. 4. in regulam Sancti Auguſtini ex-
cutiens, qui vir religioſus in irreligioſa Cœnobiarcha queat
vivere, quam deſerere nolit adactus Fratrum charitate, ſcan-
dali futuri metu, aut ex fragilitate, & propria trepidante
conſcientia. [„ Tum, *inquit Grenierius noſter*, ſperan-
„ dum eſt, quod ſine peccato in monaſterio ſuo irreformato
„ perſiſtere poſſit, modò tamen illic ſobriè, piè & juſtè vi-
„ vat: has conditiones obſervans, ut ſcilicet ſuper ſui monaſ-
„ terii irreformatione doleat, ejus reformationem in ſubſtantia-
„ libus & præſertim in bonorum communitate deſideret. Item,
„ ut pro reformatione introducenda, quod in ſe eſt, faciat;
„ atque ut bona ſibi commiſſa ſine expreſſa ſui Superioris per-
„ miſſione non diſpenſet: Nec ſæculariter ſe habeat, ſed [ut
„ dictum eſt] vivat piè, ſobriè, ac juſtè. Piè Deo, ut rec-
„ tè & catholicè ſentiat, divinumque officium, ut poteſt ſol-
„ licitè & reverenter perſolvat. Sobriè ſibi, ut abſtineat, jux-
„ ta ſuaſum Apoſtolicum, à carnalibus deſideriis, quæ mili-
„ tant adverſus animam. Juſtè aliis, ut in omnibus ſe exhi-
„ beat ſicut Dei miniſtrum, præcavens ne quemquam verbo
„ aut facto, quantùm commodè poterit, malè ædificet, præ-
„ ſertim ut neminem eorum, quibus convivit, offendat."] Sic Grenierius.

ANNOTATIO IN EPISTOLAM XXXIV. pag. 314.

De regula ſancti Dunſtani.] „ Sanctiſſimus Dunſtanus
Glaſtonienſis Abbas; poſtea Wigornienſis Epiſcopus,
deinde Archiepiſcopus Cantuarienſis, ſedit annis 27 jacet in
Metropolitana Eccleſia ſanctiſſ. Trinitatis ſupra altari ſuo no-
mini dicato juxta majus altare ejuſdem ſanctiſſ. Trinitatis; cu-
jus feſtum eſt 14. Calend. Junii."] Sic de Dunſtano Ms Tabulæ Cantuarienſium Archiepiſcoporum in noſtra Bibliotheca. Unde auctoris error Petri Equilini, ſcribentis l. b 8. c. 49. Catalogi Sanctorum, Dunſtanum ad Superos migraſſe 7. Idus Septemb. Plura de illo ſanctiſſimo viro ſcriptis reliquere Oſbernus Cantor Eccleſiæ Cantuarienſis. Guilhelmus Malmeſberienſis lib. 1. de geſt. Pontific. Anglor. & lib. 2. de geſt. Reg. Anglor. c 7. 8. 9 10. Specialiùs verò in duobus libris de ejus vita lucubratis (teſte Baleo cent. 2. ſcriptorum Britan.) Henricus Hungtidonenſis Archidiaconus lib. 5. ſuæ hiſtor. Roger. Hoved. priori parte Annal. ab anno 919. (quo illum eſſe natum refert) ad 988. Guido Abbas Sandionyſianus Ms. in noſtra Bibliotheca. c. 5. ſui ſanctilogii ad 14. Calend. Junii. Regulæ verò ſancti Dunſtani meminit Anſelmus ſupra Epiſt. 31 & Baleus centur. 2. nominatim, quam inſcribit Regulam vitæ monaſticæ: Cui annumerat Benedictionarium Archiepiſcopale lib. 1. Ordinationes Cleri, ſuper Regulam ſancti Benedicti, de occulta Philoſophia. Leges decimarum contra Sacerdotes ad Papam. Solutiones dubiorum Euchariſtiæ. Epiſtol. ad diverſos. Cæterùm ad Epiſt 19. l b 3. eum, opitulante Chriſto, vindicabimus ab impia Matthæi Parkeri Pſeudoarchiepiſcopi Cantuarienſis ſcurrilitate.

ANNOTATIO IN EPISTOLAM XLV. pag. 319.

Ernoſto.] Aliàs Arnoſto, seu Hernoſto, ut in Tabulis Epiſcoporum Rafenſium Codicis Victorini legitur his verbis: „ Poſt reſtaurationem à Lanfranco Archiepiſcopo Her-
noſtus monachus Becci fit Epiſcopus." Tacitum illæ. In hujus autem Hernoſti conſecratione, cùm ſuper altari inventus fuiſſet iſte verſus:

E

Citò proferte ſtolam primam, *&c.*

Lanfrancus prænunciavit, eum brevi moriturum. Neque eventus fefellit Sancti Archiepiſcopi vaticinium: quare eodem anno exceſſit, poſt acerrimos diuturnoſque corporis dolores, ad quorum conſtantiam tolerantiam Anſelmus hic excitat & ſolatur. Cæterùm Roneſtrenſis, Roceſtrenſis aut Roneceſtrenſis ſunt dictiones jam exoletæ & formatæ à Roceſtra ſeu Roneceſtria; ut etiam legit Henricus Huntidonenſis lib. 2. hiſt. in hoc verſu:

Teſtis Elyformoſa ſim; Roneceſtra viſa.

Hodie dicitur Roffa civitas Cantuarienſis Comitatus in edito ſita, à qua Roffenſes Epiſcopi denominati. Superiùs autem de Arnoſto tres mihi, recenſet Lanfranci Biographus Ms. in Chronico Beccenſi.

pag. 110. ## ANNOTATIO IN EPISTOLAM LVI.

NOn quo quis, ea quæ tractant, contemnendo, &c.] Incerdicti Pontificis Anselmus verissimam edidit rationem: cui similem aliquam non excogitantes plerique, contendunt Gregorii VII. prohibitionem sanctam & piam: alii verò impiam & adversantem Evangelio. Sigibertus, Gregorio alioqui infensissimus, ut apparet ex opusculis adversùs eum scriptis, affirmat id novo exemplo, & *ut*, inquit, *multis visum est inconsiderato præjudicio, sanctum contra Patrum sententiam, asserentium, sacramenta Ecclesiastica aque per bonos ac pravos ministros operari*: Reliqui scriptores Sigiberto posteriores ejus dicta dicunt, & sine ullo delectu aliena qualiacunque suis commiscent; scilicet Matthæus Paris, Thomas Walsing. in hypodigm. Neustriæ, Vincent. Bellovacensis, Nauclerus, Joannes Frasquetius MS. in nostra Bibliothec. Achilles Gasparus in Epitome Chronicorum; ubi exemplo Hermannorum Episcoporum Vormaciæ congregatorum Anno 1077, Gregorium vocat necromanticum. Sed longè aliter de eo loquuntur omnes historici, etiam Germani, ut doctissimus Genebrardus lib. 4. Chronicorum, & Papirius Massonus lib. 5. de vitis Pontificum Romanorum diligenter observarunt. Nec id novo exemplo, aut contra sanctorum Patrum mentem à Gregorio fuisse institutum liquet ex his quæ tetulit Gratian dist. 32. can. Nullus missam; & can. Patet hoc autem: in quo Urbanus Gregorii successor argumentum ex patribus ductum dissolvit. Licet Gregorius non interdixerit sacerdotum conjugatorum sacrificiis ut inanibus: sed hac verecundia permoti ad se redirent. Reliqua quæ nonnulli obtendunt incommoda & scandala hinc orta, non legis sed hominum iniquitati vertenda quilibet cordatus facilè dabitur. Nam ut rectè D. Hieronym. Epist ad Amandum scribit: *Putrida carnes ferro indigent & cauterio, nec est medicina culpa, sed vulneris, cum clementi crudelitate non parcit Medicus, ut parcat, sævit, ut misereatur.* Gregorium igitur Necromanticum cum impiè appellavit Gasparus, in hoc valde dissentiens à Volaterrano, quem se in Patrum enumeratione secuturum pollicetur in epistola liminari. Nam Anthropologiæ lib. 22. sic de Gregorio scribit: *Hic præter omnes, quod vir pius, & Christiana religionis acerrimus defensor fuerit, labores magnos pertulit*: Hartmannus Schelidcus Registri Chronicorum ætate texta, Gregorium nominat virum Deo & hominibus gratissimum, prudentem, justum, clementem, pauperum, pupillorum, ac viduarum patronum, & Ecclesiæ Romanæ contra hæreticorum improbitatem, & malorum Principum potentiam res ecclesiasticas per vim occupare conantium unicum ac acerrimum defensorem, eumque sanctè & piè mortuum esse. Hæc Schedelius Germanus scriptor, & Gasparo antiquior; quem & Volaterranum, à Genebrardo prætermissos adduxi, ne quis testium deesset Gregorianæ innocentiæ.

ANNOTATIO IN EPISTOLAM LXXVII. pag. 140.

ADala.] Sic legitur apud Guilhelmum Malmesberiensem lib. 3. de gest. Regum Anglorum, & in histor. Matthæi Parys. Verùm quia id cognomini proximè accedit ad dictionem Anglicam Adeling, i. e. nobilem seu magnatem, hæc quoque Adala fuerit filia Guilhelmi Victoris, cognomine Nothi, Regis Anglorum: opinor rectius legi Adela; ut etiam in epistolis Ivonis Carnotensis ad eandem 5. 82 138. 145. 150. 161 163. & Guilhelmi Gemmeticensis lib. 8. Histor. Ducum Northmannorum, cap. 34 & 39. In hujus Adelæ gratiam Hugo Floriacensis ad Ligerim monachus, scripsit historiar. lib. 6. ab Abrahamo ad nepotes Caroli Magni, quorum autographum misit Ivoni Carnotensi anno 1110. ut notatum est in exemplari scripto Bibliothecæ Victorianæ, necdum typis dato. Hæc tandem calcata sæculi pompa, Stephano Blesensi Comite & conjuge extremum diem functo, videns filios esse legitimæ ætatis ad res gerendas, Deo nupsit in Parthemonie Marcinacensi, cùm Petrus Venerabilis præesset Cluniaco, cujus auctoritatem respicit id Parthemonis, in quo Adela post vitam religiosè peractam excessit anno 1137. Stephani Anglorum Regis filia fuit secundo, ut Gemmeticensis loco proximè citato animadvertit: Guilhelmus Malmesbiensis & Matthæus Parys memorant religiosam ejus professionem.

D. R. JOHANNIS PICARDI
ANNOTATIONES IN LIB. II.
EPISTOLARUM S. ANSELMI.

ANNOTATIO IN EPISTOLAM PRIMAM. pag. 141.

POst obitum Dn. *Herluini Abbatis.*] Beccensis videlicet & fundatoris: de cujus interitu fidem pollicitam ad Epist. 28. lib. 1. hic factis addo, commodiorem post hæc locum minimè offensurus. Anno 1077. 10. Calend. Novemb. Lanfrancus venerat Beccum, amplioris Basilicæ (cujus is secundùm fundamenta collocarat lapidem) consecrandæ ergo. Post ejus consecrationis diem tertium recessit, recedentem verò ad duo milliaria prosecutus est Herluinus, eum supra omnes amans, & ab eo amatus: Chron. Beccens. sunt verba. Ut verò Cœnobium repedavit, & in cellam se recepit, lætus dans lacrymis habenas dixit: *Nunc dimittis Domine servum tuum in pace, quia viderunt oculi mei, quæ ut viderem antequam morerer, summopere optabam, & indefinenter orabam. Adimplesti quæ volui; nunc servus tuus lætus ad te ibit, quæcunque bona tibi placuerit.* Sic quidem loquendi, non lachrymandi finem fecit. Erat is annus Christi 1077. 7. Calend. Novemb. Adhuc visus est lento pede ad mortis limen procedere, quoniam membris omnib. captus debilisque effectus est: fuitque ad 13. Calend. Septemb. anni consequentis, quo die moribundus decubuit lecto. Id verò ut audiere Monachi, ipsa mœstitia effecti sunt mœstiores. Interea tertius, isque antepenultimus vitæ Herluini dies illuxit, quo supremis fidissimisque Ecclesiæ subsidiis se muniri petiit. [„ Tunc (*inquit Chron. Beccens. Ms.*) adsunt filii valefacturi amantissimo Patri, lachrymis ac singultibus Psalmos & cæteras orationes interrumpentibus. Tandem ventum est ad confessionem agendam. Confiteri cœpit; verùm remanentium pietate filiorum superatus & ipse in lachrymas effusus nihil dicere potuit: vix tamen electatus in vocem absolvit filios, dansque benedictionem & pacem omnibus, tam absentes quam præsentes immortali eos Patri commendavit: ac discedentes (quia plus non poterat) ut pro se orarent postulavit. Dolor & lachrymæ orationes fiebant, quia vix ab eis Psalmus continuari valebat, dum quisque alterum respiciebat, quasi jam cerneret patrem fratre orbatum, erumpebat in lachrymas. Coram illo plangere nequaquam audebant; quia spe bona lætabundus, non lachrymantes sed lætantes eos omnes videre volebat. Si cujus in lachrymas concitati singultum sentiebat, confestim solita gravitate compescebat."] Tandem die Sabbati mediam circiter noctem 7. Calend. Septemb. sanctissimam efflavit animam, Christi incarnati anno 1078. suæ ætatis anno 84. Monachatus 44. Cadaver in media exedræ cœnobiticæ area conditum, nigroque lapide variis effigiebus cælato rectum fuit, quem ipsis oculis vidi.

Tres titulos eidem factos habebat Cod. Beccens. quorum duos, quia apud Gemmet. lib. 6. hist. Ducum Normannorum cap. 9. videre est, mitto; admissurus tertium, qui sic habet.

Humanum lapsum, quem vincere non potuisti,
Conditione veteri, Pater Herluine subisti.
Primò quidem miles, quæ sunt mundi tenuisti;
Sed miserante Deo mundum post desaniisti,
Paupertatis onus patienter sæpe tulisti,
Nam tua pauperibus sapienter distribuisti.
Becci fundator primus fieri meruisti,

Ipſiuſque loci Monachus Rectoique fuiſti,
Vivere quique gregem ſanctum tecum voluiſti,
Si quid cum premeret, de morte patris doluiſti,
Munere divino tibi commiſſos docuiſti.
Ecce ſub hac tumba, cinis es, cui membra dediſti.
Laudibus ergo piis Beccenſes venerentur,
Detque tibi Dominus regnum cœleſte, precentur.

Necrologium Becci his pauculis ejus obitum memorat.

VII. Calend. Septemb. obiit Venerabilis memoria Dominus Abbas Herluinus Paſtor & Fundator hujus Cœnobii.

pag. 141. ## ANNOTATIO IN EPISTOLAM SEXTAM.

Suo chariſſimo Domino Ricardo, & ſua chariſſima Domina Rohaidi.] Non ex hoc tantum titulo, ſed & ex inſequentibus epiſt. Anſelm. verbis hiſce. *Quanto enim plura bona nobis fecitis & promittitis*, liquet eos eſſe de quibus Herluinus protocœnobiarcha Beccenſis ſub finem diplomatis, ubi & decem ſolynas in ſuum collatas cœnobium, & collatores recenſet, & de his quidem ſic. *Eidem monaſterio dedit Ricardus filius Gilleberti Comitis manſiones duas, Totine & Eſtrahani, teſte & aſſentiente uxore ſua & filiis, Rogerio & Gilleberto, & duas partes decimæ de Hondemereſto, & de Cypeſtedehe, & de Guentum, & de Blaciugeleth, & de Becceſurdum, & de Terneruſto, & de Vualeuterona. Et Rohais ipſius Ricardi uxor per conſenſum illius dedit eidem monaſterio hoc quod in dominio habebat ad Hamerceleſſan, tam in terris, quàm in aliis rebus.* Sic in diplomate ſignato. Porro Ricardum parvulum, quem in fronte epiſtolæ notat Anſelm. puto eſſe illum ipſum Helluiſii monaſterii poſtremum Archimandritam, de quo infra ad epiſt. 126 lib. 3. Sed & hunc patrumque ejus fuiſſe Anglos, claret ex vocabulis Anglicis rerum donatarum nunc enumeratis, & ex Anſelmo ſub finem epiſtolæ aientе: *Commendamus ergo vobis illos, ut ſicut vadunt in Angliam &c.* Inſuper nomen Rohais, pleno guttare pettonat Anglicanum.

pag. 141. ## ANNOTATIO IN EPISTOLAM SEPTIMAM.

De Domino Henrico, qui Camerarius fuit.] Id nominis non unum ſignificatæ compertі primò apud Abbatem Joachimum, qui cap. 2. Apoc. enucleans poſuit pro Amanuenſi. *Nec*, inquit, *mirum ſi à cœli camerario (Johannem Evangeliſtam notat) ſcribitur, cui ſuper pectus Domini recumbenti, &c.* Si neutrum occurrat, poſſum erit pro quavis cucurbitarum genere, quod quia cameras & pergulas operi ſeptentrionibus flagellis & caſeolis imminentibus, hinc opinatus ductum & dictum Marius Grapaldus l. 1. Apotheceæ Onuphrius in explanat. obſcur. vocum Eccleſ. huic etymologiæ ſubſcribens, aliò tamen reſpiciens docet, Camerarium (exculto Archicancellarii S. R. E. nomine) ſic vocatum fuiſſe, quod pecuniarum eccleſiaſticarum, quæ in Cameris aſſervantur, curam habeat: hocque vocabulum habuerit tempore Gregorii VII. Huic argumento conſentit nomen Camerarii poſitum in Epiſt. 152. lib. 3. ubi obſervavi ad marginem illum Petrum (de quo illic) fuiſſe ex Cluniacenſi Monacho Camerarium Urbano II. & Paſchali. In veteribus Floriacenſis ad Ligerim Cœnobii ſtatutis legi, quod feria quinta hebdomadis ſanctæ: *Finito ſermone jubente Domino Abbate ſurgit Camerarius, & ſuffraganeum ejus, & per eos fratribus nova calceamenta erogantur.* Lib. 1. Statutorum noſtrorum cap. 10. explanatus partes ejus cui eſt nomini, memorantur in hanc ſententiam, [„ Ad officium Camerarii pertinet, ut omnes cenſus „ & reditus monaſterii ſive de villis ſive de terris, ſive de mo„ lendis, ſive de quibuſlibet aliis rebus ſtatuto tempore & per„ quirat & recipiat. De receptis autem pecuniis ad Abbatem ac „ prædictus depoſitarios ſingulis hebdomadis, quantum fieri po„ teſt, ſe exoneret. Horreas etiam, ararra, & terræ arabiles, & „ cæteræ culturæ monaſterii, nec non & pecora & omnes nutri„ turæ communes ad ejus curam ſpectant; ut ipſe provideat, quæ „ in omnibus inſtaurandis & exercendis ſive conſervandis neceſ„ ſaria ſunt: In monaſterio omnis cura exteriorum, & totius cu„ riæ providentia ad eum pertinet: ſtabulum & omnis ſupellex, „ & quæ ad ſtabulum & equos pertinent; cum & ibi ſervientes „ ſub ejus ſunt providentia. *Et poſt pauca*: Granarium & cel„ larium & horreum ad curam & providentiam Camerarii ſpec„ tant. *Et capite præcedenti*: Expenſas autem monaſterii Ce„ lerarius faciat, ſicut Camerarius receptas colligit.“] Hactenus Statuta Victorina, ex quibus Camerarii miniſterium enucleatius expoſitum, huic loco Anſelmi rectiſſimè quadrat. Regulæ S. Benedicti 31. cap. Cellarius videtur hoc fungi munere, quo Camerarius Victorianus: ſed univerſa ejus munia tam ſigillatim privatimque non exprimuntur. Et Eadmero autem liquet, diverſa eſſe Camerarii & Cellarii officia, famulis quoque cubicularibus video à quibuſdam hanc eſſe inditam appellationem, quæ tamen olim Regii cubiculi præfecti ſummi & primi maximè erat, ut legi in Epiſtol. 190. Ivon. Carnot. ubi Galeranno Regis camerarius dicitur. Et in diplomatibus Ludovici Craſſi Francorum Regis, filiique ejuſdem Ludovici VII. Prius quidem Cartularii datum 11 5. ſubſcriptum eſt ita. *Signum Guidonis, Camerarii.* Poſterius Lutetiæ Pariſiorum à Ludovico Grati filio obtentum ad aſſerendam Parris magnificentiam in Victorianos noſtros datum anno 1117. Pariſiis in Baſilica, cui ſubeſt hoc chyrographum. *Signum Hugonis Camerarii.* Alios mitto locos, ex quibus ſimilia poſſem argumenta proferre, ſi in re tam levi nimioſiorem me quam ſtudioſiorem lectori me oſtentarem. Unicum addam, ſcilicet illum, quem in plerisque monaſteriis procuratorem aut œconomum appellant, hic Camerarium nominari, apud nos *Chambrier*, ut etiam noſtrates Galli vernacule nunc pane Papæ camerarium. Sed & quondam cubicularius regius hoc vocabatur nomine, ut palam fiat ex hoc epiſtolari titulo Laurentii Primfachi ad librum de Senectute à ſe gallicè verſum, Anno 1405. *A tres excellent, glorieux & noble Prince Loys oncle du Roy de France, Duc de Bourbon, Comte de Clermont & de Foreſtz, ſignieur de Beaujeu, grand Chambrier & premier Pair de France.* Hujus autem verſionis duo exemplaria manuſcripta proſtant in noſtra Bibliotheca. Quem verò Laurentius Primfactius ejuſdem Ludovici Borbonii clericus appellavit, *grand Chambrier*, hodie dicunt, *grand Chambellan*, aut, *premier Chambellan.*

ANNOTATIO IN EPISTOLAM DECIMAM QUARTAM. pag. 146.

Et Confluentibus apud Confluentium.] Ex hujus vocabuli amphibologia, fateor influxerat in animum errori, ut arbitrarer eſſe illud oppidum Germaniæ Cisrhenanæ dictum Confluentem, (ut Gregor. Turonenſ. lib. 8. hiſtor. Franc. cap. 13 repetam verbum) quod illic Moſellæ fluminis non mediocris, Rhenuſque confluant. Nec hanc meæ conjectationi quid objectari poſſet, videbam, niſi quod poſtea offendi in parvo Beccenſ. Chronic. Ms. ſcilicet. Anno 1080. [„ Ivo Comes de Belomonte tuper Ilarum, „ & Adelaïs uxor ejus, volentes B. Honoratæ de Confluentio „ à monachis Deo deſervire, dederunt eam, & omnia ad illam „ pertinentia Beccenſi monaſterio, ſub libera poteſtate & ordina„ tione Abbatum præfati cœnobii. Hanc donationem Reverendus „ Epiſcopus Pariſienſis Gotfridus de Pacëcia, & beneficio (ut „ ſemper mos eſt bonos bene actis favere) cum Canonicis Ec„ cleſiæ ſanctæ Mariæ Pariſienſis confirmavit. *Et paulò poſt.* Anno „ 1081. fundata eſt domus de Confluentio ſub Dominio Abbatum „ Becci. Anno 1083. tranſlatio monachorum Becci ad ipſa Con„ fluentium commorantium à veteri Eccleſia (quæ Capilla dicitur) ad novam Eccleſiam cum corpore ſanctæ Honoratæ.“] Confluentium igitur (de quo nunc ſermo) eſt Cœnopolis, à Lutetia Pariſiorum diſtans ſex millibus ad Occidentem ubi Iſara & Sequana confluunt: unde ejus nomen Confluens, forſan rectiùs Confluens. Habes ejuſdem appellationis vicum mille paſſibus à Lutetia, contra Orientem, ſic nuncupatum ob Matronam & Sequanam juxta confluentes.

pag. 147. ## ANNOTATIO IN EPISTOLAM DECIMAM SEXTAM.

Giſleberto.] Sic Gemmeticenſis, & Chronic. Beccenſe Ms. Trithemius, & Trithemium ſecutus Sixtus Senenſ. Giſelbertus legunt: at in his ſolus vocalis E, manuteſti advertis. Giſleberto autem fuit agnomen Criſpini, & hujus quidem cauſam in Chronic Beccenſ. hanc nactus ſum, his enarratam verbis. [„ Antequam Normanni Duce Wilhelmo „ Angliam debellarent, fuit in Neuſtria (quæ nunc Normannia vocatur) vir egregius nomine Giſlebertus, genere & „ nobilitate præclarus; qui ab habitudine capillorum, primus „ Criſpini nomine dicitur inſignitus. Nam in ſua primæva ætate habebat capillos criſpos & rigidos; atque ſurſum erectos, & ut ita dicam, rebarſos, ad modum ramorum pini, qui „ ſemper tendunt ſurſum: quare cognominatus eſt Criſpinus, quaſi „ criſpus pinus. Quam capillorum riburſionem videmus adhuc „ in iis, qui de ipſius Giſleberti genere deſcendunt. Unde & ipſi „ eodem cognomine à cæteris Normannorum filiis diſtinguntur.“

Hic ergo Giſlebertus cognomine Criſpini notatus ex uxore ſua Gemmeticenſi tres filios ſuſcepit, Giſlebertum Criſpinum de Tegulariis (quod caſtri Guilhelmo Notho duce Normannorum fuit in Ebroicenſi tractu conditum, vulgoque dictum Tillieres vel Tullieres) Robertum, qui ob virtutem militarem, honoremque ſibi ab Imperatore delatum, tandem veneno ab invidis Græcis propinato interiit, & Guilhelmum noſtri Giſleberti patrem, qui, ut ad Epiſtol. 10 ſupra monuimus, uxorem duxit nomine Evam, quæ peperit Giſlebertum, (de quo impræſentiarum) & nomine & agnomine referentem avum. [„ Pater Guilhelmus „ hunc in tenera ætate (inquit Chronic. Beccenſ.) Deo nutriendum ſub diſciplina regulari obtulit Beccenſibus Pa„

Digitized by Google

„ tribus. Et multa de rebus suis temporalis vitæ subsidia A „ cum puero ministravit. Quorum informatus doctrina & „ sanctæ conversationis exemplis, sic cum divino profecit „ auxilio in divinis & philosophicis institutis, ut omnes „ artes (quas liberales vocant) ad unguem addisceret, & „ earum rivulos pluribus ipse præfectus in religione pro- „ pinaret, cujus tanta fuit in activa & speculativa perfec- „ tio, ut cùm Deus Lanfrancum Cantuariensi Ecclesiæ in „ summo pontificatu præficeret, eum Lanfrancus ad regi- „ men Westmonasterii Deo vocante provideret, tantaque „ sanctitatis gratia (ut credimus) Deo & hominibus pla- „ cuit; ut humilitatem præ cunctis sui temporis Prælatis „ & specialius præcenderet, & sublimius prædicaret. Hic „ 38. annis loco magis profuit, quam præfuit: & in se- „ nectute bona plenus dierum & sanctitate, patribus suis „ appositus hujus vitæ terminum clausit.“] Sic de Gis- leberto filio Monacho & Abbate Westmonasteriensi Chro- nicon Beccense: quem locum hic esse appositissimum vi- B debit, qui non tantùm Epistolæ argumentum, sed & An- selmi verba legerit. Defuncti verò Gisleberti annum 1117. numerat in Chronico Florentius Wigornienſis, cujus com- putatio collata cum numero annorum, quibus præfuit Gisleberrus reddit insimul annum suæ electionis, scilicet 1084. Ejus doctrinam sæcularem & divinam (utraque enim excellentiss dedit memoriæ Guilhelmus libro 7. histor. omis. laudat Ducum Normannorum cap. 22.) * Herluini Beccensis insti- tutoris vita lib. 1. MS. Chronico Beccensi; cujus ite- rum fit mentio in vita Lanfranci ibidem MS. & apud Gemmet. cens. supra præter hæc homil. 47. in Cantica Can- ticorum, quas apud Eberbacenses extare monet Additiun- cula in Trithem. in Isaiam Propheram lib. 1. de casu dia- boli lib. 1. de anima lib. 1. ad Cantorem Sagiensem lib. 1. Disputatio cum quodam Judæo, & adversùs Judæos emis- sa, cujus solus mentio Trithemius, quamque servat MS. nostræ Bibliothecæ, ex quo hæc retulimus Prologum, ut vide extat su- lector præcipuum hujus laboris occasionem nosset, (his ad- C pra pag. 118. de, quod putem nondum exiisse in lucem) his exordien- tem verbis:

„ Reverendo Patri & Domino Anselmo Abbati, suus „ servus ac filius Gisl bertus, qui est Westmonasterii * Co- Westmona- sterium est ar- cobium celeberrimum Angli- genum regum sepulcrum (Chron. Sax. ,, frà in ec- clesiastar sub urbe Londini, unde Gemmet. jam fit, ad Alienas aliquando ejusdem, quod in ipso erat vicino ad Occi- dentem, ubi Ecclesia S. Pauli Londi- nensis adeo magnifica. „ nobii Procurator & servus: prosperam in hac vita diu- „ turnitatem, & beatam in futuro æternitatem.

„ Paternitati & prudentiæ vestræ discutiendum mitto li- „ bellum, quem nuper scripsi paginæ commendans quæ „ Judeus quidam olim mecum disputans contra fidem „ nostram de lege sua proferebat, & quæ ego ad objecta „ illius pro fide nostra respondebam. Nescio unde ortus, „ sed apud Maguntiam educatus, legis & literarum etiam „ nostratum benè sciens erat, & exercitatum in scriptu- „ ris atque disputationibus contra nos ingenium habebat. „ Plurimum mihi familiaris sæpè ad me veniebat; tum „ sui negotii causa, tum mei videndi gratiâ, quoniam in „ aliquibus illi multum necessarius eram; & quoties con- „ veniebamus, mox de Scripturis, de fide nostra sermo- D „ nem habebamus.

„ Quadam ergo die solitò magnis mihi & illi Deus o- „ tium concessit, & mox, unde solebamus, inter nos quæs- „ tio cœpit. Et quoniam quæ opponebat, convenienter „ satis & consequenter opponebat; & ea quæ oppositerat, „ non minùs convenienter prosequendo explicabat. Nos- „ tra verò responsio vicino satis pede ad propositum il- „ lius respondebat, & Scripturarum æquè testimonio „ utens, eidem ipsi concessu facilis esse videbantur appro- „ banda.

„ Rogaverunt quidam qui aderant, ut memoriæ darem „ hanc nostram disceptationculam, fortasse aliquibus pro- „ futuram. Scripsi ergo, & tacito mei & ipsius nomine, „ scripsi sub persona Judæi cum Christiano de fide nostra „ disputantis: scripturasque & exaratum hoc opus vestræ „ transmitto examinandum censuræ. Si res approbanda „ est, vestro placebit approbata judicio: si verò respuen- E „ da est, seu tota, seu pars ejus aliqua; quicquid res- „ puendum erit, accipite amico dictum in aure: & quod „ soli amico innotuit, silentio supprimatur, nec alicui „ hæc ad legendum pagina communicetur. Salvo quidem „ amore mutuo, & integra prorsus pace mutua, deleatur, quicquid delendum esse vobis placuerit: aut rese- „ cetur, si quid est quod resecari posse vobis visum fue- „ rit. Fateor, quamlibet protuleritis sententiam, animo „ libenti excipiam, & aure obtemperante audiam. Tamen „ quidam ex Judæis, qui tunc Londoniæ erant, opitu- „ lante misericordia, ad fidem Christianam se convertit „ apud Westmonasterium coram omnibus fidem Christi pro- „ fessus baptismum petiit, accepit: & baptizatus Deo se ibi „ serviturum devovit, & Monachus factus, nobiscum re- „ mansit. Sic ergo Judæus ille disputator aliis pluribus in- „ terpositis, me provocando adortus est.

Hæc tantùm ex Gisleberto excerpsimus, ut lector ex- A nosus paucis haberet totius rei summam: * integrum e- nim librum describere extra rem fuisset, quem etsi poli- ceremur, tamen præstare nequiremus integrum, videntur enim aliqua deesse: quicquid verò est, non spernendæ antiquitatis apparet descriptum pergameno & caractere vetustiori. *editum habes pag. 525.

ANNOTATIO IN EPISTOLAM pag. 351.

VIGESIMAM SEXTAM.

D*Ominum Hugonem de Gornago,*] aliàs, emendatiusque, *Gornaco*, sic etenim epistola 7. lib. 2. & apud Gemm. lib 8. cap. 8. histor. Ducum Normannorum, & in Diplomate Herluini legitur in hanc sententiam. *Eidem Abbatiæ dedit Hugo Gornacensis decimam de tribus mansionibus quas in Anglia habebat.* Iterumque in alia perio- do. *Eidem monasterio dedit Hugo de Gornaco dimidiam mol- tam villæ, quæ vocatur Vallis Gerardi, quod postea concessit uxor ejus, & filius.* Testes, Ausridus Monachus; Ro- dulfus filius Toraldi, Rogerius Cuchelin, & alii plures. Gornacum verò, de quo ad præsens est oppidum Norman- niæ & Bellovacis finitimum, spectansque ex occidente Bel- lovacum; quod advertere non otiosum duxi quoniam est ejusdem nominis castellum quarto à Lutetia lapide; ad præterfluentem Matronam, in conspectu Calensis Parthe- nonis.

C*Harissimæ Dominæ, & matres nostræ, Dominam E- vam, & Dominam Basiliam.*] Non absque ut ambas has matronas Anselmus appellat; utraque etenim mater- no fuit in Beccenses animo. Porro Eva, natione Fran- ca, illustris genere, nupsit viro quoque illustrissimo Wil- lelmo cognomine Crispino, Nealfi Toparchæ, & Nor- mannici Vulcassini Vicecomiti, Comiti. [„ Eva autem,“ inquit Chronicon Beccense MS, se conjugis aptans mo- “ ribus cœpit Ecclesiam Beccensem præ omnibus amare: “ Abbatem & monachos quasi ex se genitos totis visceribus “ amplecti, magna devotione venerari: vestes, & quæ- “ cumque in ornamentis pretiosa habebat, in usus Eccle- “ siæ & Fratrum expendit; ipsamque Domini matrem, & “ ejus Beccensem Ecclesiam toto corde dilexit. Defuncto “ viro ejus Willelmo, totam se ad Dei servitium conver- “ tit, vivens in sancta viduitate, jejuniis & orationibus “ intenta, quantùm sexus vel ætas patiebatur, carnem & “ saginam usque ad finem vitæ non gustans, eleemosynas “ multas indigentibus faciens. Post aliquot annos à Willel- “ mo Rotomagensi Archiepiscopo velata, in subjectione “ Beccensis Cœnobii permansit usque ad mortem, & de- “ functa tepulta est juxta virum suum.“] Hucusque de Eva in narratione de ejus viro Willelmo, qui sub extremæ vitæ dies Monachalem induit cucullam Becci; & mortuus ibi- dem tepulturam obtinuit juxta claustrum, ubi Ecclesia ædificanda erat. Post unam paginam Chronicon subjit nar- rationem de eadem Eva, Basilia, & Ausrida ejusdem nep- te, quam hic attexam, ut pareat iterùm, unde Anselmus duas priores appellet matres; sic ergo ait Chronicon: Tempore sancti Anselmi Abbatis Becci, tres matronæ “ nobiles se dederunt in subjectionem ejusdem loci, Basi- “ lia scilicet uxor Hugonis de Gornaco, & Ausfrida neptis “ ipsius Basiliæ, & Eva uxor Willelmi Crispini. Quæ “ tres cùm simul Becci viverent; quasi condixerunt sibi, “ ut de hoc mundo una post aliam transveheretur, & “ tres dominicas elegerunt, in quibus vitam finirent. Et “ prima Ausfrida Basiliæ neptis, quæ annos erat ætate, “ virgo autem corpore, ut dicebatur, & Deo sacrata. “ Quæ cùm proximam mortis expectaret horam, dixit “ Prioribus Baldrico & Rogerio, & aliis qui ad exitum “ illius convenerant: Quando oculos claudo, videtur mi- “ hi domus ista plena albis & nigris personis. Respondе- “ runt, Domina cum albatis pergetis ad Dominum: nec “ multò post expiravit profunda nocte, Dominica 4. Non. “ Januar. Qua sepulta cœpit infirmari Basilia Domina “ ejus: quæ cùm per aliquot dies gravi corporis in- “ commoditate molestaretur, velata est à Willelmo “ Rothomagensi Archiepiscopo, sicque defuncta est alia Do- “ minica 16. Calend. Februar. & sepulta, ut talem perso- “ nam decebat. Tertia ejus non diù supervixit. Nam ætate “ & jejuniis attenuata cœpit repente viribus corporis de- “ stitui. Post mortem enim viri sui Willielmi Crispini, “ omni continentiæ se mancipavit, Beccique usque ad fi- “ nem vitæ in Dei servitio perseveravit. Hæc ante plures “ annos sacrum velamen acceperat à prædicto Willielmo “ Rotomagensi. Cumque indies languor crescceret, & ipsa “ quotidie ad Ecclesiam pergeret, die festivitatis S. Vin- “

by Google

„ centil, manè se fecit in Ecclesiam duci, ibique à toto „ conventu visitata, atque inuncta ante altare Crucifixi, „ cætera quæ morientibus Christianis solent exhiberi, per„ soluta sunt ei. Cumque conventus recederet, elevata „ manu signavit eos dicens: Deo vos commendo, filii. Di„ ligebat enim tam teneræ eos, quasi omnes peperisset. Dein „ domum reducta, dum ad focum sederet, dixit: Vide„ tur mihi quod ego & ignis iste fumus in Ecclesia. Sic „ diem, & sequentem noctem transigit. Cum jam ad exi„ tum propinquaret, aderant Fratres, ut Psalmis & ora„ tionibus ei subvenirent, quando opus esset. Inter quos „ fuit quidam nomine Radulfus filius Lancelini, qui eam „ rogavit, ut si possibile esset, post mortem illi apparens „ diceret quid invenisset. At illa spopondit, si Deus con„ cederet sibi: sicque defuncta est tertia Dominica 10 Cal. „ Februar. & humo tradita & apposita ad populum tuum. Et „ paucis interpositis diebus postquam defuncta est appa„ ruit Monacho dormienti, qui eam rogaverat ut sibi quod „ invenisset, renunciaret. Quam cùm vidisset, ait: Quid „ est Domina? Quomodò te habes? Respondit se sera„ ginta annos pœnitentiæ accepisse. Ad hoc cùm ille obs„ tupuisset, & quæsivit causam, & ait: Quia parvos ca„ nes, & alia hujusmodi vana amavi, & ultra modum in „ his delectata fui: ideo tam longam pœnitentiam acce„ pi. Ita hæ tres Dominæ tribus Dominicis à seculo mi„ gravesant, & una quidem prima parte noctis, ut dixi„ mus, defecit alia media nocte dum cantarentur Maturi„ næ: tertia manè, dùm cantaretur Prima, ultimum spi„ ritum exhalavit " Hucusque Chron. Beccense. Cæterùm quam Willielmus Crispinus, ejusque uxor Eva fuerint in Beccenses benefici, hæc diplomatis Herluiniani clausula propalam dixit: *Præfato Cœnobio dederunt per concessum comitis Normannie Willelmus Crispinus, & uxor ejus filium monachandum; & cum eo beneficium quod Osbernus vicus Vallonis tenebat de domo eorum, Ecclesiam, que sita est in Burgo, que vocatur Blanzeium cum omnibus pertinentiis ad eam*: Testes Arnulfus Presbyter; & Radulfus Dastin. Et rursus haud procul a fide diplomatis: *Eidem monasterio dedit Willelmus Crispinus decimam molendini, & totius dominii sui quod habebat in Atsifolsfubert.* Testes Paganus de Moritania, Gilebertus Dastin. Tertioque. [„ Prædicto „ monasterio dedit Willelmus Crispinus ad luminaria al„ taris in Burgo Pacei 20. solidos de Telonco, & in burgo „ Estrepigner de Telonco 20. solidos in eandem rem, & „ tredecimam totius annonæ, quam habet in eadem villa, „ & unum hospitem. Dedit quoque quatuor libras dena„ riorum præter supradictos 20. solidos datos ad luminaria „ in prædicta villa Pacei, & totam partem quam tenebat „ in molendinis ejusdem villæ, hoc est, sextam partem mo„ lendinorum, & medietatem totius sylvæ pertinentis ad „ se in eadem villa. Dedit etiam de Telonio Burgi Linarolt „ 40. solidos præter supradicta dona. Dedit de Telonco „ Blanzei 40. solidos. Dedit quoque medietatem cam„ si quod vocatur Blancart ad præsens absolutè, & reliquam „ partem mediam post mortem Evæ uxoris suæ ipsa volente „ & consentiente.

Cæterùm Normannorum Comitem suprà memoratum alium putes quàm Willielmum cognomine Spurium. Nam in Diplomate Herluini non semel sic vocatur, & quod ille ipse sit, qui Anglos devicerit, apertè palamque dicunt insequentia hæc verba: *Hanc donationem confirmavit Willelmus Rex Anglorum, cum esset Comes Normannorum.* Et quidem quamplures illic recensentur viri nobiles, at Comitis nudo contenti nomine, Unicus Normannorum Dux appellatur Comes Normannorum.

pag. 351. ## ANNOTATIO IN EPISTOLAM

TRIGESIMAM PRIMAM.

G *Regorius Episcopus*:] Hic est Gregorius Septimus hujus nominis Papa, dictus antea Hildebrandus, & post à quibusdam, ironicè: cujusmodi est ille, quem Lanfrancus his increpat literis. *Lanfrancus Hu literas tuas, quas mihi per portitorem mearum misisti, suscepi & legi: & displicuerunt mihi quædam quæ in eis inveni. Non probo quod Papam Gregorium vituperas, quod Hildebrandum tuum vocas, quod Legatos spinosistes nominas: quod Clementem tot & tantis præconiis tam propere exaltas: Scriptum est enim non esse laudandum hominem in vita sua, nec detrahendum proximo suo. Adhuc incognitum est humano generi, quales nunc sint, & quales futuri sint in conspectu Dei.* Sic Lanfrancus breviter & acriter objurgavit cavillatorem σκωπτὴν lingua que bellantem. Clemens verò, quem ridiculus ille Encomiastes tertium ad cœlum usque efferebat, antea vocabatur Gilbertus Corrigianus Ravennatium Antistes: quem trigenta Episcopi stantes à partibus Henrici Imperatoris Gregorio infestissimi creaverunt Papam in schismate, quod perdurabit annis 17. scilicet ab anno 1084 ad 1101. Quantus verò fuerit Gregorius, quamque Ecclesiæ sibi commissæ invigilaverit, abundè testatur Registrum Epistolarum ejus. Cæterùm has Gregorii literas fuisse redditas Anselmo annum circiter 1085. postremum Gregorii, dignò monstrat, quod responsum, hic non habeamus; quod tamen procul dubio fecisset, quemadmodum Urbano Gregorii successori. His adde quod Anselmus fuerit in Abbatem subrectus anno 1077. Gregor. 1073. & post electionem suam variis scripsit ante hanc Gregor. acceptam Epistolam.

ANNOTATIO IN EPISTOLAM pag. 352.

TRIGESIMAM TERTIAM.

B A *Rchiepiscopi nostri Willelmi.*] Scilicet Rothomagensis, ad quem est epist. 62. l. 3. cujusque non semel Chronic. Becc. Ms. meminit. Successit autem Johanni tertio Willel. Gemmet. lib 8 cap. 3. histor. Duc. Norman. (ad quem legi nonnulla Lanfranci epistolia) vita functo anno 1079 *Is, ut alibi monuimus, fuit nepos Rathbodi, ejus*, ut legunt Victorianæ Sagiens. Episcopor. tabulæ Ms. *Rathbaudi Episcopi nepos, & monachus S. Stephani Gadomensis, tandemque Abbas post Lanfrancum: Illi autem nuncupato Rothomago si Archiepiscopo Cadomenses surrogarunt Guilebertum Constantiensem*: ut notavit Guillelmus Gemmeticensis lib. 7 Histor. Ducum Northmannorum, cap. 26 anno 1081. habuit synodum apud Lisiebonam multis astantibus Episcopis, & Willelmo Notho Anglorum rege, teste Matthæo Paris in Historia Majore: Solus ille Archiepiscopus, quasi nihili faceret ubique tonantia Pontificiorum anathematum fulmina, incestas efficit nuptias Philippo Francorum regi, & Bertradæ Fulconis Rechini Andegavorum Comitis uxori, sicut universi Francorum annales recitant. Hæc tamen Bertradam inter uxores Fulconis non reperio in tractatu Comitum Andegavensium quem servat scriptum Bibliotheca Victoriana His verò connubiis male & perperam a Willelmo conjunctis, Urbanus Papa tanto Domini furore in eum est accensus, ut multis annis interdictum vix Anselmus aliquin Urbano amicissimus, potuerit reconciliare: quod notat Willelmus Malmesberiensis lib. 5. de gestis regum Anglorum Imò non reconciliavit. Nam Paschali Epistol. 140 lib 3. Epistolarum nostri Anselmi sub finem, ait: *Rothomagensis episcopi crimen & interdictum justitia dictante prolatum tua delectatione commissum. Quod enim indulseris, indulgeo, &c.* Porro hunc esse electi Willelmi annum superiùs recensitum, & Antonii Democharis, ut nostræ tabulæ Ms. Rothomagensium Archiepiscoporum confirmant, extat ad eundem 80. Ivonis Carnotensis Epistola. Obiit anno 1110. successore Gaufrido Cœnomanensi Decano, ex earundem tabularum notatione, & Guillelmi Gemmeticensis, cap. 14. lib. 8. hujus Historiæ.

ANNOTATIO IN EPISTOLAM pag. 357.

QUADRAGESIMAM PRIMAM.

C *Concilium à venerabili.*] Hujus Concilii rursus meminit Anselmus cap 1. lib. de Incarnatione Verbi. Archiepiscopi etiam, ad quem extat 13. Ivonis Carnotensis Epistola, ubi (sicut in Præfation. libr Anselm. de Incarnatione Verbi) vocatur Rainaldus: sed purius Rainoldum dixeris: Sic enim legi in Tabulis Rhemensis Archiepiscopor. apud Demochar. & in Privilegio, quod ipse anno sui Pontificatus tertio, contulit Theodorico secundo Abbati sancti Huberti Ardennensis.

D A *Rchiepiscopum quidem Lanfrancum vita ejus multis religiosis nota, &c.*] Nescio qua fronte hic nebulo (Roscelinum dico) ausus sit Lanfrancum, virum alioquin integerrimum, ne leviusculè quidem suspectum hæreseos, imò hæreseon hostem infestissimum, tam gravis insimulare erroris. Verùm, ecquid non audeat in viros sanctissimos, si cum ipso Deo gygantum more bellare non dubitet? Licet autem fides & auctoritas Anselmi satis apud omnes Catholicos purgent Magistrum de objecto crimine, gratior tamen potentiorque fuerit purgatis ex ejusdem verbis Lanfranci elicita, quam præfabimus, priùs posita Roscelini conclusione, quam sic Anselmus refert. „ Roscelinus Cleri- " cus dicit, in Deo tres personas esse tres res ab invicem se- " paratas, sicut sunt tres Angeli: Ita tamen ut una sit vo- " luntas & potestas: aut Patrem & Spiritum Sanctum esse " incarnatum, & tres Deos verè dici posse, si usus admitteret. " Lanfranci verbis hilce ad Rainaldum Pictaviensem scribentis poterit impia Roscelini conclusio dejici. „ Domi- "

nus

„ nus Jeſus Chriſtus in eadem perſona verus homo, & verus A
„ Deus: ſecundùm humanitatem quidem eſurivit, ſitivit,
„ cæteraſque humanæ naturæ infirmitates aſſumendo homi-
„ nem præter peccatum aſſumpſit: ſecundùm divinitatem ve-
„ rò, qua Patri & Spiritui Sancto per omnia æqualis eſt,
„ nihil horum ſuſtinuit.] Et poſt pauca: [Unigenitus Pa-
„ tris ita in mundum venit, ut tamen à paterno ſinu nun-
„ quam diſcederet.] Et poſt pauca: [Hoc locutionis modo
„ ſuperiùs dictum eſt: quia homini aſſumpto à filio Dei ic-
„ tus & vulnera impetum paſſionis afferrent.“] Tertioque:
Alioqui, ſi præfatum Dei virum (D. Hilarium Pictavenſem intelligit quemque purgat à Gataniſmo Berengarium Sacramentarium congeſto in eundem Hilarium) *revera omnium Sanctorum Patrum defunctionem, carnem inſenſibilem & doloris expertem intelligi voluiſſet, aſſumptum à filio Dei hominem ſimilem nobis hominem, in præfata ſententia minimè reluiſſet.* Lanfrancus autem, cùm dicat his in locis, Chriſtum in eadem perſona hominem verum Deumque verum: ei quoque ſoli tribuat humanæ naturæ aſſumptionem manifeſtè profite- B
tur ſolum Chriſtum fuiſſe incarnatum: ſed & cum dicat in eadem perſona, verum fuiſſe Deum, ac ſecundùm divinitatem fuiſſe per omnia æqualem Patri & Spiritui Sancto, non obſcurè docet, minimè dici poſſe tres Deos. Etenim cum numeri ad ſignificandam rerum multiplicitatem fuerint inſtituti, ubi quid jam unicum repreris, omnia proſus erit multiplicatio: At Chriſtus a Lanfranco ſecundùm divinitatem per omnia æqualis Patri & Spiritui Sancto, hoc eſt, proſus idem creditur, & eſt juxta ſymbolum Athanaſii: Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus. Naturam igitur numero eandem Roſcelinus impiis ac iniquis diſtinxit calculis. Extremum quo que effatum Lanfranci, dicentis, ſic Unigenitum Patris in mundum veniſſe, ut tamen à paterno ſinu nunquam diſceſſerit, plane demonſtrat inſeparatam inſeparabilemque divinarum naturarum connexionem. Quod enim ab alio nunquam ſeparatur, quis infirmans dicat ſeparatum? Utinam ſuperiorum noſtrorum diligentia conſuluiſ- C
ſet ejuſdem Lanfranci Commentariis, in Epiſt. D. Pauli recenſitis à Petro Chriſtiani Bercenſi Monacho, in indiculo Bibliothecæ Beccenſis, anno 1484, ut legi in Biblioth. Becc. Hinc enim multò plura promptiſſimus teſtimonia, quibus Roſcelinum jure poſtularemus Stellionatus.

Ab hoc crimine fatis excuſant, & ætatis, & mors ejus.] Non quælibet mors excuſat, ſed ea potiſſimum, quam nullus præverit hæreſeos ſimilis rumor, ut de Lanfranco paulò ante Anſelmus teſtificatus eſt. Mors autem ejus incidit in annum Chriſti 1089 ſui Pontificatus undevigeſimum Willielmi cognomento Rufi, Anglorum Regis tertium, teſtibus Henrico Hungtidon. lib. 7. Matthæo Weſtmonaſt. in Flor. hiſtor. Rogerio Honed. in Annal. & Archiepiſcop. Cantuarienſ. Tabulis MS. in noſtra Bibliotheca, his verbis: [„Anno tertio Guilhelmi Rufi, Regis Anglorum, Lanfrancus „ Cantuarienſis Metropolis Archiepiſcopus defunctus, in Ba- „ ſilica Sanctæ Trinitatis (quam ipſe mirifico opere conſ- D
„ truxerat) ante Crucifixum ſepultus eſt. Sedit annis no- „ vem, & vacavit ſedes annis quinque. Gemma ſacerdo- „ tum, & flos monachorum Lanfrancus Cantuariorum Ar- „ chiepiſcopus V. Calend. Junii obiit in Anglia.“ De iſto venerabili Patre multa loquuntur (quæ literis dedit Gilbertus Criſpinus Herluini Lanfrancique contemporaneus, & Beccenſis Monachus) *in geſtis ſanctæ memoriæ Herluini Abbatis, ac Anſelmi ejus ſucceſſoris: & in geſtis Normannorum.* Sic tabulæ MSS. de Lanfranco.

Porrò Scriptores nec conveniunt de menſe obitus, nec de die. Nam Roger. Honed. priori parte Annalium Florent. Wigornienſis in Chronic. numerant 9 Calend. Jun. Matth. Weſtmonaſt. 9. Calend. Aprill. Matth. Parkerus in antiquit. Eccleſ. Britan. 4. Jun. Petrus Equilin. lib. 6. catalog. cap. 47. 5. Non. Jul. Baleus cent. 11 Script. Britan. 5. Calend. Jul. Tabulæ Cantuar. & Chron. Becc. MS. 5. Calend. Junias. Si forſan quis me cauſſificetur ſcrupuloſiorem aut moroſiorem ephemeretin, norit ſibi maximè proſpectum ſuiſque ſcrupu- E
lis (ſi urgeretur aliquot) occurriſſe me. Ex his enim, quanquam diſſentaneis ephemeridibus magis conſentaneam poteſt colligere ſuppurationem, ſcilicet mentem Junium Lanfranci defuncti teſtem. Nec minorem anni diſcrepantiam habent auctores: ex quibus ſuperiores veriùs ſentiunt & ſcribunt, horumque ſententiæ ſuffragatur tempus unctionis, ſcilicet annus 1070. quem tant. Willelmus Malmeſberienſis lib. 1. de geſt. Pont. Angl. Roger. Honed. in eundem, Matth. Paris in hiſt. majore, & narratio electi, unctique Lanfranci deſcripta in limine ſuarum Epiſtolarum. Cæteri, qui ejus mortem referunt, ad annum 1 90 ut Wigornienſis & Georgius Lilius in Chronic. Anglorum Regum recenſent ejus ordinationem anno 1071 ſicut & Cantuarienſes. Tabulæ Lilioque in hoc conſentaneæ, quod dicant, Archiepiſcoparum vacaſſe annis quinque. Tandem in hoc omnes conveniunt, nempe Lanfrancum ſediſſe annis undeviginti, licet, ut prænonui, ſit multò verior ſententia Malmeſberienſis, qui flo- A
ceſcente Lanfranco floreſcebat. Nam & idem gubernatæ Eccleſiæ Cantuarienſis tempus, & cellationis ſervat, annos plus quatuor connumerans, reliquit animum mortui Lanfranci & Anſelmi in ejus locum ſubdiri inchoatum aliquot menſibus, ſumit pro exceſſit illo ſignificato tribus ejusdem verbis quatuor: etſi verè quis hunc annum poſſit numerare, quia Anſelmus electus Martio menſe anni 1093. ſuſcepit regimen pridie Non. Decemb. cum ſacro delibutus oleo, & pontificiis adornatus eſt inſignibus. Si quis ergo annum 1 70 ſui parte majore inceptum (ut pote perductum ad Septembrem quo fuit conſecratus Lanfrancus) dicat eum obiiſſe anno 1089. alias, 1090 Neubrigenſis lib. 1. rerum Anglicarum cap. 2. opinatur Lanfrancum obiiſſe diem anno 1087. Contra, auctor memorialis hiſtoriarum, vir alioqui diligentiſſimus, anno 1096.

Sed cum priora, quæ in connexo ſunt, neceſſaria ſint, ſiunt etiam, quæ conſequuntur, neceſſaria. Volaterrano parcere, foret religio: Ait enim, lib. 3. Commentar. tit. de Gallia Narbonenſi ſub finem Lanfrancum Honorio Tertio Papa regiſſe Ludimagiſtrum. Poſtrà tamen lib. 22. notat Honorio Tertio ſucceſſiſſe Innocentium Tertium, i. e. anno 1216. Sed & inficias ibit Anſelm. noſtrum audiviſſe Lanfrancum: Illum tamen claruiſſe anno 1058. obſervat lib. 13. eorundem Commentar.

Nunc hiſtorica diſſenſione dijudicata, proſequamur quæ reſtant in Tabulis Cantuaricoſibus notata de Lanfranci obitu. *Multa*, inquiunt, *ſuper illum Cantuarii metro, ſeu proſâ pramiſerunt: multa quoque Bercenſis, quæ ipſe docuerat: aliique ſophiſta de charismatibus illi divinitus datis, ediderunt.*

Archiepiſcopus non divitias nec honores,
Lanfrancus ſubiit, ſed curas atque labores:
Natus in Italia, Papienſi de regione,
Civibus egregiis, & honeſta conditione.
Monachus atque Prior fuit, hinc Cadomenſis
Abbas, poſt Præſul primatus Cantuarienſis,
Totius Angiorum fuit Eccleſiæ reparator,
Et Northmannorum nihilominùs auxiliator.
Hujus doctrinam pars maxima ſenſerat orbis.
Et commune fuit viduis ſolamen, & orbis,
Claudis, contractis, leproſis, dæmoniacis,
Surdis & cæcis, nec non etiam vitioſis.
Poſt exhortamen, non ſprevit ferre juvamen.
Sed dum vixit erat ſpes omnibus atque levamen.
Et quamvis epulæ cum potu delitioſæ,
Et veſtes fuerint ſibi molles & pretioſæ:
Ipſe tamen ſemper tectus fuit aſperitatis
Amictu; de vili vivens & paupere victu:
Verus juſtitiæ, non falſus in ordine cultor,
Nequitiæque fuit rectiſſimus & pius ultor:
Aſper in elatos, nulli pro munere ſupplex,
Innocuiſque bonis & nullo tempore duplex.
Caſti- & inceſtis parcendo ſubveniebat:
Juſtos & injuſtos tolerando corripiebat,
Sic ſe conſervans Domino per cuncta placebat,
Sic alios curans paſtoris opus faciebat.
Hic vir tam ſapiens, & in hoc luctamine fortis,
Non potuit tandem laqueos evadere mortis.
Et gens Anglorum quantos amiſit honores!
Quo gemitu Clerus, quo fletu Monachus orat!
Et quantus dolor eſt, quo ſexus uterque laborat!
Si quis confidit ſe totum dicere poſſe,
Hunc ego confirmo, ſe totum dicere noſſe!
Et qui Lanfranco ſe judicat æquiparandum,
Illum jure facit præſumptio vituperandum.
Sole ſub undecima geminos ſubeunte dicta
Fœlicis vitæ ibi ponitur ultima meta.
Rex æterne Deus, regum rerumque creator,
Sis ſibi perpetuus defenſor & auxiliator.
Virgo Redemptoris mundi ſanctiſſima mater
Illum conſerva, ne ſpiritus noceat acer.
Omnes electi precibus meritiſque juvate
Lanfrancum veſtris: pro nobis conſociate.
Vos quoque qui vitam gratanter adhuc retinetis,
Et ſpem futuræ, donec ſupereſtis, habetis:
Hortor & admoneo, quod eidem ſubveniatis,
Ut quod fecerit is, poſt mortem percipiatis.
Nam qui propter eum ſupplex & ſedulus orat,
Pro ſemet ſupplex & ſedulus ipſe laborat.

Bercenſis autem Anſelmus ſupradictum compatriota ſui memoriam heroico carmine voluminis I chrymabil rer indidit. Hucuſque Victorianus Codex, & Becc. MS. Quibus, ſi plura quis deſideret, adeat Malmeſberienſem, Gemmeticenſem, Rogerum Honedenum, Matthæum Paris, Thomam Walſinghanum in hypodygmate Neuſtriæ ad annum 1071. Florentem Wigornienſem in Chron. Vincentium Belvacenſem Speculi hiſtor. lib. 25. cap. 36. 37. & 42.

Digitized by Google

His collectaneis funeratilis adjunxi noviſſimum illud, quod, etſi Lanfranco ſuperſtiti contigerit, tamen quia ſic fuit rectum ut ſola mors ejus detexerit, idcirco hic tantùm reteximus: Beccenſe verò Chronicum MS. ſuppeditavit in hæc verba.

„ Reverendiſſimo Patri Wilhelmo, & cunctæ Congregationi Sanctæ Mariæ Beccenſis, Frater Wilhelmus Abbas „ Cormelienſis veſtræ pietatis alumnus.

„ Rem, Domini & Fratres charitſſimi, nulli (ut reor) „ mortalium, niſi ſoli mihi cognitam, refero vobis de vene„ rabili Patre Herluino, atque ejus Priore Lanfranco, quam „ ipſe Lanfrancus proprio ore ſingulariter mihi retulit, & ut „ nemini dicerem, quoad ipſe viveret, penitùs interdixit. „ Cujus interdictum hactenùs cuſtodiens, nunc tandem le„ cturis enuncio, cùm jam me nulla cohibet interdictio. Hu„ jus autem enunciationis ipſam Veritatem, Deum videli„ cet, Invoco teſtem; quem ſcio mendaciloquorum omB „ nium eſſe perditorem: dicit enim Pſalmus: *Perdes omnes, „ qui loquuntur mendacium.* Hic igitur Lanfrancus tempo„ re prædicandi Herluini Patris, converſionis gratiâ Bec„ cum humillimè ſuſcepit, ſuſceptum ſtrenuiſſimè utque ad „ finem vitæ gratia divina ſe protegente ſervavit. Erat tunc „ Beccus ædificiis parvus, pauper ſortuna, pauperior reli„ gionis norma. Pater quidem præfatus Dei amore polle„ bat, ſed Fratrum utilium conſolatione carebat. Verùm, „ ſecundùm quod ſcriptum eſt: *Dirige cogitatum tuum in Do„ minum, & ipſe enutriet te;* cum aſſiduis Dei clementiam ip„ ſe exoraret precibus, quaterùs ſibi talem virum dirigeret, „ cujus ſolatio foveretur, conſilio animaretur, adjutorio „ ſuſtentaretur: Lanfrancum liberalium artium eruditio„ ne peritum, morum probitate conſpicuum, ratione di„ vina ſuffultum, diſcretionis virtute ſubnixum ei direxit, „ qui ſibi ad omnia utilis, ad cuncta, quæ piè volebat, ac„ commodus fuit. Nam ipſius bonitate atque induſtria, do„ ctrina atque efficacia illud Cœnobium, ut cunctis notum C „ eſt, ſuperna pietas ſacræ religionis ordine informavit, „ multis honoribus, reditis & prædiis ampliavit, plutibus e„ tiam perſonis nobilibus atque honeſtis, ad laudem & glo„ riam nominis ſui ſublimavit. Sed ad rei relationem, cu„ jus occaſione iſta prælibavi, pertingam. Cernens Lanfran„ cus Fratrum inertiam, morum pravitatem, Ordinis tranſ„ greſſionem, conjiciens etiam aliquos ſibi invidere, qui ſibi „ murmurabant eum proficiendum fore, ignorabat quid ageret, „ quò ſe conferret, tædebat eum converſationis inhoneſtæ, „ inhiabat ardenter ad ſolitariæ dulcedinem vitæ. Simulata „ igitur infirmitate, Fulcrannum horrulanum rogavit, ut ei „ quoridie afferret radices quorundam carduorum, quos ſibi „ aſſerebat afferre ſolutionis remedium. Hoc autem facie„ bat, ut corpus ſuum aſſuefaceret tali edulio, quaſi diſpo„ nebat vivere in eremo. Cùm ergo jam corpus & animum „ præparet ad fugam nocturnæ elapſionis, Domino Her„ luino Abbati nihil de hac re ſuſpicanti, dum in lecto quieſ„ ceret, egregiæ indolis Hugo puer, qui nuperrimè obie„ rat, in veſte candida apparuit filius Baldrici de AuverVil„ la, nepos ejuſdem Abbatis. Cujus aſpectu in nullo turba„ tus, amabiliter ſic eum Abbas affatur: Quid eſt fili? quo„ modo te habes? Et puer alacriter: Ego Pater benè habeo, „ quia per Dei miſericordiam & per tuam interceſſionem, „ liberatus ſum ab omni tormento: ſed Deus miſit me ad „ te, ut dicam tibi, quia ſi tibi non proſpexeris, Magiſ„ trum Lanfrancum non habebis. Abbas admiratus: Quo„ modo, inquit, fili? Puer ad hæc: Quia vitam ſolitariam „ deſiderat, & de monaſterio egredi deliberat. Nam mores „ Fratrum & vita non ſibi placent: Vide ergo quid facias, „ quia tibi non expedit. His dictis puer diſparuit. Abbas at„ tonitus in iis quæ audierat, reliquum noctis vigiliis & ora„ tionibus inſomne peregit. Summo autem mane mox ut „ hora loquendi ſe dedit, Lanfrancum aſcivit, ſecum ſingu„ lariter ſedere fecit. Cor Abbatis intimo dolore cruciabatur, „ vox intra fauces premitur, lachrymæ ubertimè erumpen„ tes dolorem cordis aperiunt. Lanfrancus hæc videns, in „ terram proſterneus ſe, cur Abbas ſic plorat aperiri ſibi ſup„ pliciter precatur. Tandem Abbas in hæc verba prorupit: „ Heu mihi, cui tale damnum minatur Deus! Væ mihi! „ qui meum conſilium perdidi, meum auxilium amiſi, mul„ totiens per magnos gemitus Deum rogavi, uberrimis la„ chrymis divinæ ſupplicavi miſericordiæ, ut talem præſta„ ret mihi virum, cujus conſilio & auxilio locum iſtum e„ mendarem, & quæ eſſent Deo placita monachorum uſibus „ inſtauraretur. Et quando, Frater Lanfrance, huc te Deus „ adduxit, preces meæ humilitatis exauditas credidi. Ego in „ te onus meum transferre cogitabam: Ego te totius oneris „ mei ſarcinam ſupportaturum ſperabam. Nunc autem (ne„ ſcio qua de cauſa) hinc diſcedere me derelicto fatagis & „ ad deſerta pergere cupis. Lanfrancus intelligens voluntaD „ tem ſuam detectam, & propoſitum cordis ſui, quod occul„ tum parabat, evidenter propalatum, Abbatis pedibus illi „ eo advolvitur, & qualiter ſibi innotuiſſent talia, humiliter „ ſciſcitatur. Tunc ei Abbas blanda voce viſionem aperuit, „ & quid ſibi divinitus per puerum revelatum ſit, ſicut ſupra „ retexuimus, explicat. Lanfrancus obſtupefactus, & Dei „ gratiam in Abbate vehementer admiratus, humique proſ„ tratus, per confeſſionem Patri protinus quicquid in vo„ luntate habuerat, corde compunctus expoſuit: pœnitentia„ que accepta & abſolutione impetrata, ſpopondit ſe nun„ quam ab ipſo diſceſſurum, ejuſque præceptis per omnia „ obtemperaturum. Abbas ingentes omnipotenti Deo gra„ tias referens, quàm citiùs potuit, Lanfrancum Priorem „ conſtituit, & quicquid domini monaſterii ſubjacebat intus „ & exterius, ipſius curæ commiſit. Quos ita unanimes eſſe „ tribuit divina protectio, ut nulla inter eos unquam fuerit „ orta diſſenſionis occaſio. Hanc viſionem Lanfrancus nec „ volens propalare, nec omnino occultare, indicavit illam „ cuidam monacho nomine Guilhelmo, quem à puero nu„ tricrat & docuerat, plurimumque amabat, præcipiens ne „ alicui diceret, quamdiu in corpore viveret. Quod ille ſer„ vavit uſque ad ultimam ſenectutem. Poſt mortem verò „ Lanfranci, cùm jam nulla prohibitione urgeretur, ſcripſit „ rem ſicut audierat, & Abbati ac monachis Becci, prout „ ſupra digeſſimus, dixit. "] Hucuſque Guilhelmi epiſtola, cujus ſummarium Biographus Beccenſis in ejuſdem Lanfranci vitam contulerat, ex qua unicum illud id que ſupremum referam, nempe, quod cùm Cantuarienſis Baſilica ab ipſo Lanfranco primùm inchoata, tandemque ad umbilicum perducta à Guilhelmo Gutbolienſi tertio poſt ipſum Archiepiſcopo foret facranda, pro more univerſi inhumatorum cineres elati fuere, tumque monachus aliquis præcidit caſu'æ Lanfranci particulam, quæ cunctos olfacientes fragrantiſſimo afflavit odore.

ANNOTATIO IN EPISTOLAM pag. 558.

QUADRAGESIMAM TERTIAM.

S*ancti Vvandregiſili.*] Id Cœnobii ſic ab ejus Conditore etiamnum dicitur, vulgò S. Wandrile, decem circiter à Rotomago millibus. Alias dicitur Fontanella in vita S. Audœni; vel Fontonilla apud Gemmet lib. 7. Ducum Norman. cap. 23 idque ob fontem juxta ſcaturientem. Everſum illud à Normannis excitavit Ricardus 1. Dux Norman Gemmet. ſup. cap. 22. Extructum eſt id Cœnobii ab ipſomet Wandregiſilo, decimo à Rotomago lapide.

Digitized by Google

D. R. JOHANNIS PICARDI
ANNOTATIONES IN LIB. III.
EPISTOLARUM S. ANSELMI.

ANNOTATIO IN EPISTOLAM SECUNDAM. pag. 361.

Omnes experiretur.] D. Anſelm. Epiſt. 7. infrà aperté dicit, D. Petrum Romam migraſſe. Id tamen adhuc neſcitur à noſtris & Germanis & Anglis Gooſticis: Dolendum profectò homines ſibi Argo oculatiores, in hæc excæcatos talpa nondum vidiſſe apud Iræn. lib. 3. cap. 1. & 3. Tertull. lib. de Bapt. de præſcription. Ignat. ad Mariam Caſſiod. Euſeb. Cæſar. lib. 2. Hiſt. Eccleſ. Ruffino interprete, cap. 14. 15. & 25. Epiph. hæreſ. 27. Ambroſ. lib. 3. de Sac. cap. 1. Hieron. in Catal. Optat. Mil. vc. lib. 2. Auguſt. de hæreſ. ad Quod vult deum hær. 1. cont. lit. Petil. lib. 2. cap. 51. & alios quamplures, quos lubens ſilco, ne manifeſtior fiat eorum cæcitas.

Quis igitur non factat riſum pluſquam Democriticum, de illa ridicula theſi, agitata à Germanis, iiſque Lutheranis Anno 1520. *An Petrus Roma fuerit?* ut notatum eſt in Schol. margin. ad Abbatem Uſperg. ubi de Petro. Et eius quidem poſitionis negantem partem propugnat impudenter & (de more) falsò Johannes Baleus Anglus Sudolvogius, peregrinuſque apud Germanos (ut gloriatur, hancque ob cauſam Germanis Theologaſtris à me contundus) pro Chriſti (ſic Antichriſtum ſpecioſo Chriſti mentitur nomine) profeſſione.

Poſtrò ipſiſſima ſunt ejus verba, centuria prima Script. Britann. pag. 16. edit. Baſil. 1557. [„ Petrus cum ex Chriſti Domini juſſu ac præcepto Circumciſionis Apoſtolus fuerit, Gal. „ 2. æquum profectò non erat, ut relicto Judæorum grege 25. „ annis (ut ſommiant Papiſtæ) apud gentes incircumciſas Romæ ſederet, aut illis gentilium Regum more imperaret. In „ Judæa ergo ac finitimis regionibus, Chriſti mandato obſtrictus permanſit, prædicans in maritimis urbibus evangelium regni Dei: quod & ipſa teſtantur miracula, quæ per illum Deus „ operabatur. Nam Lyddæ paralyticum Æneam ſanitati reſtituit; Tabitham Joppe à mortuis excitavit. In Cæſarea, Cornelium Centurionem baptizavit, atque alia plura fecit. Quæ „ omnia declarant illum nec ſedſſe, nec mortem obiiſſe Romæ. Unde Bapt. Mantuanus in 6. Faſt. libro.

> Urbibus Aſſyriis Chriſti poſt funera, poſtquam
> In cœlum reditus, bis ſeptem dicitur annos
> Impendiſſe, gravi veranis mala numina bello.
> Mox maria ingreſſus, longaque ambage viarum
> Circumlatus, iter vertit Bythinica verſus
> Littora Cappadoces, Galatas, Pontumque peregrans:
> Quotquot erant illis Judæa ab origine regnis
> Evocavit Chriſtum, veterique retraxit ab uſu.

Hieronymus etiam atque Lyranus ſuper illa Chriſti verba: *Ecce ego mitto ad vos Prophetas ac Sapientes*, &c. aſſerunt, Petrum fuiſſe à Judæis Hieroſolymæ crucifixum quod & illis verbis aptiſſimè reſpondet. Sic quidem Baleus: ſed utrum ſic ſe habeant hæc, videamus. Imprimis Evangelium, Petro credidum, non ſic concluſit Chriſtus intra Eccleſiæ Judaicæ parietes, ut ad gentilium aures non pervenerit: Imò Act. 10. per vas quadrangulum undiquè allatum refertumque impuris animantibus, juſſus eſt Petrus etiam ipſis gentibus evangelizare. Hinc poſteà illis audientibus profeſſus eſt Deum non eſſe acceptorem perſonarum, ſed cujuſlibet gentis juſtum ei placere: ut qui dominetur univerſis. Quamobrem ait Lucas ibidem. cap. 10 ſub finem. *Obſtupuerunt ex circumciſione fideles, qui venerant cùm Petro: quia & in nationes gratia Spiritus ſancti effuſa eſt.*

Mantuanus verò à Balco citatus, ne verbulum quidem habet de Petri morte aut Papatu, tantùm abeſt ut neget, præterquam quod nullam urbium à ſe recenſitarum in Palæſtina reperias, quod graviſſimo eſt argumento Petrum reliquiſſe Judæam, ut incircumciſas doceret gentes, contra Balei mentem & judicium. Nam ut divino juſſu aliquandiu Judæos, ſic & eodem poſtea Ethnicos docuit. Quod autem Mantuanus ſenſerit & ſcripſerit D. Petrum Romæ necatum fuiſſe, liquet ex lib. 1. de agone D. Dionyſii Areopagitæ, quem multò labore Romam venſſe deſcribens magiſtri ſui D. Pauli viſendi cegò, ait.

> Sed fuit eventu clauſus labor ille ſiniſtro,
> Nam licuit paucis, heu præceptore, diebus
> Et ſancto ſermone frui: quia fata repentè
> Demettere novi duo maxima lumina mundi
> Vidit ab excelſo Petrum ſuprema trahentem
> (Heu tacitous viſu horrendum) ſuſpiria ligno.

Ruſuſque in 10. Faſtorum de eodem Dionyſio ſic canit:

> Per ſicca devenit Romanam poſt funera Petri,
> Poſt obitum Pauli, qua tempeſtate tenebat
> Naviculam Petri Clemens Romanus, &c.

Sed Balæum ſuis conficiamus armis: Nam 6. Faſtorum citato (vide hominem ipſo mendacio mendaciorem) ait Mantuanus de Petro loquens.

> Multa mari & terris diſcrimina paſſus ad urbem
> Romuleam mundi dominam rerumque potentem
> Venit, ubi æterni jaceret primordia regni.

Hieronymi locus indicatus, & à me integrè religioſeque exſcriptus, iterùm traducet Balæum ipſis etiam Cretenſibus mendaciorem. Hieronym. lib. 4. Comment. in Matth. ad caput 23. explanans Evangeliſtæ verba: *& ex illis occidetis, & crucifigetis, & flagellabitis*: ſubjungit varia eſſe dona diſcipulorum Chriſti. [„ Alios, *inquit*, Prophetas, qui ventura prædicant: „ alios ſapientes, qui noverunt quomodò debeant proferre ſermonem. Alios Scribas in lege doctiſſimos: ex quibus lapidatus „ eſt Stephanus, Paulus occiſus, Crucifixus Petrus; Flagellati „ in actibus Apoſtolorum Diſcipuli, & perſecuti eos ſunt de civitate in civitatem expellentes de Judæa ad Gentium populum „ tranſmigrarent.“] Sic Hieronym. qui ne apicem quidem de Petro in Judæa crucifixo ſcripſit; quin potiùs, ſi ejus verba ad unguem exploremus, Petrum à Judæa expulſum, ſicque ad Ethnicos emigraſſe habemus. Quod ſi quis Balei nomine perſtrictus inficietur: jure efficiam & D. Paulum in Judæa peremptum fuiſſe: Interea reclamantibus antiquiſſimis probatiſque Hiſtoriographis. Stephanum autem ſaxorum grandine obrutum narrat Act. Apoſtol. lib. Verùm nec mihi nec Baleo, ſed ipſimet Hieronymo (qui litem videtur excitaſſe) judicium deferatur: In ſcriptoribus eccleſiaſticis, ait: [„ Simon Petrus & princeps Apoſtolorum, poſt Epiſcopatum Antiochenſis Eccleſiæ, „ & 2. Claudii anno, ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique 25. annis cathedram ſacerdotalem tenuit, „ uſque ad ultimum annum Neronis. Rurſum ad Damaſum „ Papam. Hujus cathedram Petri, & fidem Apoſtolico ore laudatam, cenſui conſulendam. Et poſt pauca: Cum ſucceſſore piſcatoris, & diſcipulo crucis loquor. Ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens, beatitudini tuæ, id eſt cathedræ Petri, communione conſocior, ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. “] In Comment. in Epiſt. ad Galat. in illud ipſum caput, ex quo Baleus perpetuam in Judæa manſionem conſtituit. D. Petro, obſervans D. Hieronym. pleraque deſiderari in hiſtoria actuum Apoſtolorum addit illud poſtremum, inquiens. *Denique primum Epiſcopum Antiochenæ Eccleſiæ, Petrum fuiſſe accepimus, & Romam exinde tranſ-*

latum: quod Lucas penitus omisit. Expedit mihi ex catalogo Scriptor. ecclesiast. testimonium haud apernandum: quo Hieronym. ait: *Clemens, &c. quartus post Petrum Romæ Episcop. &c.* Lyranum, quia eadem cum Hieronymo dicit, prætereo, contentus detexisse impudentem Isaki malitiam.

pag. 567.

ANNOTATIO IN EPISTOLAM OCTAVAM.

DE *nullo mihi meliùs videtur, quàm de Domino Guillelmo, &c.*] Hinc certò certiùs est Anselmum intus & in cute hunc nosse Willelmum: cum speciale non tantùm de eo in sui locum legendo det consilium, sed & votum faciat: quæ quidem certissimo sunt argumento probitatis & sanctimoniæ Guillelmi. Agedum, videamus illum pusionem, tenerrimque adolescentem: videamus tyronem, cum hic videamus futurum non dico veteranum militem sed ducem. Anonymus Beccensis in prologo historiæ ejusdem pollicetur se ejus successorumque vitam posteris relicturum: unde est quod certàs credamus narrationem hoc verborum stamine orditur. [„Venerabilis Abbas Becci Guillelmus, nobili Normannorum prosapia originem trahens in veteri castro super Rislam, quod dicitur Mons fortis, claris parentibus est exortus. Pater ejus Turstinus, mater Albereda dicebatur, Rogerii de Bellemonte, Patris Roberti Comitis ex sorore neptis. Qui puer dum adhuc in cunis jaceret, gravi molestia tactus pene visum amisit. Territa mater pro filio lugens cucurrit ad quandam Ecclesiam S. Germani in eodem castro sitam, & obtulit illum super altare ejusdem Ecclesiæ, vovens Deo, & beatissimæ Dei genetrici Mariæ, sanctoque Germano, quòd si puer illam incommoditatem oculorum, eorum auxilio evaderet, illum servitio Dei nutriret, litterisque imbuendum traderet, simulque rogavit Deum, ut si aliter puerum sanare nollet, in se, id est in matrem infirmitatem illam converteret. Quid plura? Annuit petitioni & voto bonæ matris gratia Salvatoris nostri, pietasque ejus sanctissimæ genitricis, nec non & beatiss. confessoris Germani, & infans integræ restitutus est sospitati: matrem verò infirmitas corripuit nec multò post excæcavit. Crevit puer: & cùm ad congruam pervenisset ætatem, traditus est literarum studiis imbuendus. Cœpit itaque bonæ indolis esse, amore Dei fervere, cùm honestis incedere, ab inhonestis animum revocare. Jam mundi luxum spernabat, jam sermone, actu & habitu talem se exhibebat, ut jam tunc quasi monachus ab omnibus haberetur, quantùm ad vitæ morumque spectabat informationem. Si quando a cognatis & amicis ad scholas aliquid pecuniæ sibi mitteretur, quasi rem malam vitabat suscipere, sicut condiscipuli ejus soliti erant referre: ita avaritiam perhorrebat. Cumque ageret ætatis annum, desiderans vocem Domini implere, dicentis: *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus: & si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* „Renuncians mundo, Becci factus est Monachus sub sanctissimo Abbate Anselmo. Ingressus monasterium intentissimè religioni Monasticæ operam dabat: lectioni & silentio assiduus vitam suam honestè custodire admodum studebat. Ita Deo placere cupiens, hominibus charus, in castris Domini Sabaoth ejus signa sequens, per [illegible] annos strenuè militiis officio functus, huic militiæ B. Anselmus duce militavit tam strenuè, ut omnes eum diligerent, & nullus de eo conquereretur, fama bonitatis ejus circumquaque bonum Christi odorem de eo ferebat. Igitur B. Anselmo in Angliam translato, & Archiepiscopo facto, ejus fastigium virgæ prædictus Willelmus antea cùm veneratus fuisset, postea suscipere meruit.“ Hucusque Chronic. Beccense de Willelmi incunabulis, pueritia & Monachismo; insequentia etenim, quoniam hinc in quartum Anselmi fuere traducta, elogium reticeo, in etiam sint biscides qui Biographus iste præterierit quod Willelmus fuerit Prior Beccensis, ut Anselmus peculiariter designavit. Sed ut conjungam disjuncta, tandem universorum calculis in Willelmi electionem conglobati sunt. *Post hæc*, ait Chronic. [„Vocatus venit, & in ordine suo sedit. Tunc Prior dixit ei, quod ad regimen Beccensis Ecclesiæ illum eligerent; & ut Abbatis officium, & curam animarum susciperet ex parte Dei, & sanctæ Mariæ, atque omnium Sanctorum, nec non ex parte reverendissimi Patris Anselmi, præcepit: At ille in terram prostratus, precor Domini, aut de hoc quod jubetis omnino absolutum dimittite me: aut quomodo id adimplere possim, docete. Prior ad hæc, ut dimittamini, ait, non est opus laborare, sed suscipite hanc curam in nomine Domini: & nos vobis ex animo obedientes erimus. Statim ipsa die Abbas Rogerius & Prior, & quidam alii Fratres cum eo assumpto electo suo ad curiam properarunt, & Roberto Normannorum Duci præsentarunt. Quem alacriter, & cum magno honore suscipiens, dedit ei Abbatiam more antecessorum suorum. Aderant enim principes, Robertus Comes Mellenti, & Robertus Anschitilli consobrini ejusdem Willelmi electi Becci, qui de ejus promotione valde sunt gratulati. Tunc Comes Mellenti præcepit Roberto filio Anschitilli, ut novum electum Becci ad monasterium conduceret, mandans omnibus ministris suis, ne quis ipsi Abbati vel hominibus ejus in aliquo molestus esse præsumeret. Dedit tunc Comes Mellenti Roberto, ut res quæ ad victum Fratrum emebantur, quietæ essent ab omni consuetudine: quæ usque ad illud tempus de rebus ad cibum Monachorum pertinentibus ubicumque emerentur, etiam in coquina Becci à ministris Brionium castri exigebantur. Procedente tempore dedit idem Comes Mellenti per totam terram suam, ubicumque suum erat, hoc exigere, vel dimittere; ne omnino Dominicæ res Monachorum Becci ad victum vel vestitum pertinentes, ubicunque Monachi essent, ad quorum usus emebantur, sive in claustro, sive extra claustrum in negotiis monasterii quietæ forent ab omni consuetudine, quæ teloneî vel transitus vel alio nomine nuncupatur. Hoc fecit pro amore Dei & Willelmi Abbatis Becci cognati sui. Multa quoque alia beneficia Beccensi cœnobio contulit dum vixit, causa ejusdem Abbatis. Itaque novus electus accepto à duce Roberto, ut dictum est, Abbatiæ dono, & à Willelmo Rotomagensi Archiepiscopo animarum cura, cum gratia Principis rediit à curia cum suis. Venit autem Beccum serò post Completorium die ante festivitatem Dedicationis: quæ festivitas est X. Calend. Novemb. & eo anno Dominica die evenit. Surgens ad Matutinas venit novus electus in chorum, & stetit in loco juxta sedem Abbatis, & totum officium festivitatis, nocturnum & diurnum decenter ut Abbas complevit. Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis 1093. In ipsa die Willelmus electus, sedit primùm ut Abbas in Capitulo, ab illo die disponens omnia intus & extra convenienter monasterii negotia; gaudentibus cunctis, quod talem Deus Anselmo successorem, & sibi dederat pastorem. Tamen ante benedictionem nec in sedem Abbatis intravit, nec virgam pastoralem portavit. Sed & de benedictione accelerandâ, nullam, ut videbatur, curam habebat: quæ benedictio dilata est usque ad Augustum mensem anni sequentis. Verùm Anselmus non oblitus quod inceperat, rogavit Willelmum Rotomagensem Archiepiscop. de benedictione Abbatis Becci, & hoc ipsum per literas Priori Baldrico, & conventui notificavit. Instante Augusto mense Baldricus Prior, & aliquantum fratres cum eo perrexerunt Rotomagum cum Archiepiscopo locuturi de benedictione Abbatis. Qui diem benedictionis constituit in proxima festivitatis sancti Laurentii. Reversus Prior dixit conventui quæ ab Archiepiscopo acceperat. Die festivitatis sancti Laurentii, cum Archiepiscopus ad altare staret infulatus, atque electus Becci esset vestibus sacris indutus, & instaret hora ut ad benedicendum procederetur, audivit à referentibus, quod Archiepiscopus non benediceret eum, nisi professionem faceret: sed respondit se nullo modo facturum. Tunc Prior Becci Baldricus cum aliquantis monachis perrexit ad Comitem Normanniæ Robertum, intimans ei, quòd Archiepiscopus exigeret ab Abbate Becci professionem, quam Antecessores ejus non fecerant. Illico dux misit Guillelmum de Bitolio, & Guillelmum filium Ricardi de Bardivilla cum Ernulpho Cancellario suo, mandans & præcipiens Willelmo Archiepiscopo ut Abbatem Becci sine mora benediceret, nihilque ab eo exigeret, nisi quæ constaret à Beccensibus Abbatibus antecessoribus ejus factum esse. Audiens hoc Archiepiscopus iratus est valde; perfecit tamen quod inceperat: & Abbatem benedixit sine professione, quia præceptum Principis illum cogebat. Posteà Abbas locutus est cum Archiepiscopo, atque in tantam gratiam illum præsul accepit, ut nullum in Normannia Abbatem chariorem vel familiariorem haberet. Postera die rediit ad monasterium: Archiepiscopus verò præcipit Guillelmo Cormeliensi Abbati, ut simul cum eo pergeret, & in Sedem Abbatis vice sui introduceret. Venit autem cum majori, qua potuit, humilitate, nudis pedibus, & susceptus est à Fratribus cum magno honore & gaudio in Ecclesiam ductus. Tunc Abbas Cormeliensis, ut sibi jussum erat, eum in sedem misit, & incipiens: *Te Deum laudamus*, osculatus est omnem conventum.“ Huc usque Cod. Beccens. de Guillelmi electione, quem, ut posteri norint dignissimum Anselmi successorem, dignumque patellam invenisse operculum, citrà piu lectoris ut spero fastidium. (Nam de probis habitus sermo etiam pullulantem suffocat nauseolam, tantùm abest, ut excitet.) Suppingam breviora quædam & crassiora virtutum ejus lineamenta ex Beccens. eadem tabula: „Iste, *inquit*, vir bonus de quo loquimur, Abbas scilicet Guillelmus magnæ sapientiæ, bonis moribus ornatus, magnorum virorum propinquus, regi & primoribus regni acceptus, ita se modestè, humiliter & mansuetè habebat, ut aliquando nescius & pene idiota videretur quibusdam: verùm si propiùs accederes, & velut perscrutando ejus sensum de rebus dubiis interrogares, altam prudentiam, profundum consilium, & maximæ honestatis documentum invenires. Erat

Iste monacho Becci factus fuerat Abbas cenobii.

„ quoque Deo devotus, majoribus ſummiſſus, ſubditis benigнus, manſuetis bonus; ſeverus indiſciplinatis: ſupra mensuram ſuam nihil uſurpabat, divinis rebus omnem reverentiam exhibebat. Deum timebat, peccatum quaſi virus mortale odio habens fugiebat: Si quis benedictionem ab eo poſſeret, verbo magis quàm manu benedicebat, dicens non eſſe ſuum manu benedicere, ſed Epiſcoporum. Nullus Abbas, qui majorem ſolicitudinem gereret conventus ſui, tamen illum fuiſſe ſciunt, qui illi familiares adhæſerunt. „ Quippe ita compoſitus bono, ut nec turpiloquium ore proferret, ſcurrilitatis omne genus abhorreret: immunditiam mentis & corporis, ut virgo ab ute o matris ignoraret: cibo potuque temperatus, honeſtè verecundus, indole religioſa decorus, bono ingenio ſanè intelligebat, blando ſermone placebat: doctrina & exemplo utilis erat, &c.“] Propè mihi ciciderat locus Gemmet. lib. 8. ſuæ hiſtoriæ cap. 6. ubi Guilielmum noſtrum agnominat Bellomontanum ex genere materno, ut videre eſt in exordio hujus narrationis.

pag. 169. ## ANNOTATIO IN EPISTOLAM DUODECIMAM.

Joffrido.] Alias Goffrido, Gaufredo, Gauffrido, tam variæ tum & diſcrepantes ſcriptorum, impreſſorumque voluminum lectiones. Paulus Æmilius lib. 3 annalium habet, Gotofredus; quem Euſtachii Comitis Bolonienſis fratrem fuiſſe aſſeverat, & Franciæ Cancellarium, virumque non modo in re ſacra, ſed & profana potentiſſimum. Sanè de Cancellarii dignitate eſt verus teſtimonium in Diplomate Philippi Francorum Regis dato Aurelianis anno 1071. in quo vocatur regis Cancellarius, & Pariſiorum Epiſcopus. Unde palam eſt illum multos annos Pariſienſem Eccleſiam gubernaſſe. Sed hæc impræſentiarum ſatis ſint; nam plura dicturi ſumus in hiſtoria Epiſcoporum Pariſienſium, quam præmeditamur. Det Deus hanc quoque finem.

Ut conſecrationem meam, quæ in Dominica, quæ cantatur Populus Syon, *ordinata eſt, &c.*] Hæc eſt Dominica ſecunda Adventus, quæ cum hoc anno incideret in 4. Decemb. ſeu Prid Non. Decemb. ut Anſelmus deſignat Epiſt 15. ſequenti, neceſſario prima Dominica Adventus celebrata eſt 27. Novemb. quo principio Adventus nullum habet aliud; ſicut nec inferiùs 5. Non. Decemb *Iridie ergo Nonas Decembris, Anſelmus qui ſanctus dicitur, & merito, ex canſidio Burgundiæ ortus, Becci monachus, & ſecundus Abbas: poſtea Cantuarie Archiepiſcopus conſecratus eſt à Vualchelmo Wintonienſi, & Mauritio Londonienſi Epiſcopis:* His enim verbis tabulæ Cantuarienſes Ms. in Bibliotheca ſancti Victoris Pariſienſis recitant Anſelmi inaugurationem: quæ eodem anno, videlicet 1093 facta eſt, quo electio, aſſentientibus Eadmer. lib. 2. vitæ ejuſdem Manſuet. liber. Rogero Hovedeno, Thom. Walſinghamo, Matth. Paris. Non ſunt igitur audiendi Matth. Palmer. in addit. ad Chronicon Euſebii ſe libens, anno 1090. Anſelmus Cantuarienſis Epiſcopus bonitate vitæ & ingenii acumine claret in Anglia. Nec Georgius Lilius id tradens anno 1095 multò minus Sigiſbertus aiens anno 1097. Lanfranco defuncto Anſelmum ſucceſſiſſe in præſulatu Cantuarienſi. Non ſunt inquam audiendi, ac inprimis Palmerus: Tantùm enim abeſt, ut Anſelmus tum in Anglia claruerit, cum ne quidem degeret. Nam ex Lilii ſupputatione is eſt annus defuncti Lanfranci: Imò illa ultima ejuſdem ægritudine, Anſelmus erat Becci in Normannia, ut liquet ex Epiſt 53. lib. 2 ad eundem lecto decumbentem ex dyſenteria. Sigiberti & Lilii errorem prodidiſſe, vicſſe eſt aliorum teſtimoniis, qui Eadmerum Anſelmi convictorem ſecuti ſunt.

pag. 179. ## ANNOTATIO IN EPISTOLAM DECIMAM NONAM.

Vulſano.] Non parum diſſentaneè legitur id nominis, aliquando Vulſinus, aliàs Wolſtanus & Ulſtanus: ſed creberrimè Vulſtanus; ut hic & in Ms. tabulis Worcenſium Epiſcoporum noſtræ Bibliothecæ, ita. [*Aldredus Vigornienſis Epiſcopus Eccleſiam in civitate Glavornia à fundamentis conſtruxit; & in honorem Apoſtolorum Principis Petri ædificavit; & poſteà regis licentia, Vulſtanum Vigornienſem monachum à ſe ordinatum Abbatem conſtituit. Ibidem M. LXII. Sanctus Vulſtanus fit Epiſcopus ab Aldredo predicto tunc Ebovacenſi Archiepiſcopo, Stigando Cantuarienſi interdicto. Hujus S. Vulſtani geſta habentur. Cujus feſtum eſt 14. Calend. Febr.* Tandem ille: Plura verò Wilielmus Malmeſber. lib. 4. de geſtis Anglorum Pontificum, obiterque lib. 3. in Ebotacenſibus Archiepiſcopis: Rogerius Hovedenus Annalium priori parte ad annum 1062. ſingularia quæque commemorat & ſatis prolixe, & 1095. Senatus Bravonius Vigornienſis Monachus concinnavit epitome geſtorum ejus: apud Surium tom. 1. Polydor. Vergil. hiſtor. Anglic. lib. 8. 9. 10. paſſim & honorificè ſanctiſſimi Auſtitis meminit: nec non Matthæus Paris hiſtoriæ majoris anno 1088. & 1095. ubi prolixiorem rerum narrationem vitæ & morum ejuſdem. Thomas Walſinghamus, etſi de eo narrarit paucula, dicitur tamen dolia & præſtigia in hiſtoriis reliquiſſe, non meo, ſed Matthæi Parkeri Pſeudo Archiepiſcopi Cantuarienſis, & Anglo-Calviniani judicio: qui Walſinghamo conjungit Matthæum Paridem in Præfatione ad Hiſtorias Walſinghami, ſua cura & opera Londini editas anno 1574. Et ne adverſario me audacius imponere quis exiſtimet, legat ipſiſſima ejus verba ad hanc ſententiam [„ Quis hodie, *inquit*, putat vel Dunſtanum Archiepiſcopum, diabolum operi illius inſidiantem naſo ſuſpenſum tenuiſſe, vel Vulſtanum Wigornienſem juxta D. Eduardi ſepulchrum, bacculum marmoribus ita infixiſſe, ut nec à Lanfranco, nec alio quocumque niſi ſolo Vulſtano evelli poſſet? Iſta omnia antiquitatis delira cognoſcere ſatis eſt adoleſcentulis. *Et poſt pauca, Lectorem monemus ut:* Nec antiquiſſimas iſtas patriæ ſuæ hiſtorias protinus rejicias, quoniam in illis falſa miracula producuntur.

O hominem emunctæ naris, & lyncei viſus! qui probè noverit purpuram juxta purpuram dijudicare, falſaque miracula à veris ſecernere. Utinam & adoleſcentulis, quorum ſaluti metuit, explanaſſet diſcrimen falſorum & genuinorum miraculorum, ne pro ſole amplecterentur nubem. Quid enim velit, profiteor me non tenere: niſi per falſa miracula, ſignificet ea, quæ ante verbis ejuſdem deſeruimus; in quibus ſi quidpiam falſitatis delitеſcat, ſolus ipſe dicat: Si enim horum optimus judex, planeque quod dici ſolet, ἀγχιβασία ἄλλοις apponatur Scriptoria ſancta, (quam illi cæteriſque Calviniſtis aut Proteſtantibus, non tamen nobis ſufficere exploratum eſt) nihil tamen fuci aut mendacii arguetur. Nam, ut à ſanctiſſimo Dunſtano exordiamur, nemmem fugit, ſicut ad decipiendos primos parentes ſerpentis organo & malitia uſus eſt diabolus, ita ad delinendos quoſlibet, potiſſimumque viros ſanctitatis & pudicitiæ ſtudioſos aſſumere fallax mulieris ſpectrum. Jam verò ſi contrariorum contraria ſunt conſequentia, ut ſunt: quis ibi inficias, cum Abraham bonos Angelos virilem habentes ſpeciem, exceperit hoſpitio, laverit, allocutus ſit; Loth quoque in hoſpitium ſuum compulerit: imò Jacob ſit cum Angelo luctatus, plurimaque alia ſacris literis mandata homines cum bonis Angelis virilem oſtentantibus ſpeciem egerint, non potuiſſe D. Dunſtanum compreſſo naſo detrectare Dæmonem, vinctumque diabolum: ſi Jacob datum ſit arctiſſimè bonum Angelum conſtringere. Ad Vulſtanum ſeſtinato, cujus præclarum facinus etſi uxore nec præconio nec patrocinio indigeat: ſaltem illatam breviter retorquebo calumniam, à qua interenda non potui facilegam ſæculo manum prohibere. In hoc igitur divino cœleſtique opere quid deprehendi poteſt aut diſiri aut præſtigii, forſan quod marmor eodem pene tempore & molle & durum fuerit. At quis, niſi divinarum literarum expers, non videat eſſe ſacris literis ſimillimum? Exodi 7. memorantur aliquot plagæ, quibus ultionum Deus percuſſit Ægyptum: ita tamen Geſſen Ægypti regio fuit immunis. 4. Reg. 6. idem ferrum eodem pene temporis momento fuit grave ut caderet in fundum aquæ: leve, ut enatans ſurſum aſcenderet. Daniel 3. idem ignis, eodem tempore, & Nabucodonoſoris tortores incendit; & ſanctos pueros in fornacem conjectos leviſſimè quidem attigit: imò velut ros manuenus leniter perſudit. Ejuſdem maris aquam & ſtabilem Chriſto, & Petro inſtabilem narrat Matth. 14. Quid ergo his ſanctæ Scripturæ locis obſtat, marmor ſepulchrale & mollitiem ſimul & duritiem præbuiſſe mollitiem, cùm linus pontificius defixus eſt; duritiem, cùm aliquis præter Vulſtanum tentavit revellere? Has verò refutatiunculas ut lector facilius accipiat, brevi utriuſque cauſam dico: Beatus Dunſtanus aliquando quidpiam artificioſi operis cudens, vidit ex improviſo diabolum puellari ſpecie: qui & muliebri riſu & procacibus verbis adorſus eſt virum Dei. Petulantior autem ſermo hoſtem indicavit. Quamobrem derepente ignitis forcipibus naſum criſpantem cachinnos tam fortiter corripuit Dunſtanus, ut horribilem ejulatum doloris inflicti teſtem diabolus daret.“] At ſi Parkero videatur id operis ridiculum propter novitatem, ſaltem perſimile multa canicæ venerandam quandam concinnavit reverentiam. Illud ipſum de Appelle fabro ferrario Nitrienſiſque Eremi incola referunt hiſtor. Lauſiaca Palladius in cap. 60. Tripar. lib. 8. cap. 1. & Sozom lib. 6. cap. 28 D Vulſtanus anno 1078. adfuit Synodo Londini habitæ: in qua Wilhelmo rege agente, & Lanfranco jubente ob imperitiam (etſi aliter Senatus Bravonius, Malmeſber. & Matth. Paris loquantur) coactus eſt inſignia Epiſcopalia deponere. Et revera depoſuit dicens: *Honores & onera me indignum profiteor: verùm à quo accepi, eidem reddo.* Vix ea fatus erat, cum ſe veſtimenta pontificia exuit, & ad D. Eduardi monumentum profectus, tam altè pedum in lapidem infixit, ut nullius vi po-

Geneſ. 18.
Ibidem 19.
Ibidem 32.

tuerit extrahi nisi ejus qui fixisset. Hoc miraculo & Rex & Lanfrancus territi jusserunt ut resumens lituum, & podetem reinduens sacerdotio ab Eduardo collato poriretur. Ecce utriusque rei summarium : judicet lector, quid insit delirii. Liberet quidem manifestiùs ostendere deliria illius scriptoris sic deliranris : ut cætera quælibet præclare gesta existimet deliria : verùm minimè licet. Nam extra chorum saltandum foret. Præterquam quod idem illic pleraque alia enarret somnia (ut vocat) ad quæ explicanda & pluribus pagiais & vigiliis opus fuerit. Quoniam autem Dunstani superius & hic inciderit cum Vulstano mentio, vitium est operæ pretium, aut potius necesse breviter hæc discutere. Porrò cùm Anselmus jam Archiepiscopus factus scripserit ad Vulstanum, crassissimus error, qui in ejus vitam Surii tom 1. insertam irrepsit, facile deprehendetur, deprehensusque facilius potest emendari : scilicet quod obierit anno 1067. reclamantibus Thoma Walsinghamo in hypodigmate Neustriæ ; Matth. Paris, Florentio, Wigornienſis Chron. pag 462. (qui antea pag. 421. amplius de eo scribit) & Rogero Hovedeno : nempe mortuum esse anno 1095. Quod certè necessarium est : cùm alibi ostenderimus Anselmum sub finem anni 1093. consecratum fuisse Archiepiscopum. Quo quidem argumento licet careremus, tamen alia pleraque in Anglorum historias relata coarguerent non esse hunc defuncti Vulstani annum. Et ex his quidem perspicuum est quando has ad Vulstanum literas Anselmus dederit, nempe anno 1094. cùm superiùs ostenderimus Anselmum unctum fuisse sub finem anni 1093. Vulstanum expirasse in initio 1093.

Qui viderunt antecessorem meum venerabilis memoriæ Lanfrancum.] Anselmus quidem generatim dixit & assecuit ex rumore populari, exercuisse Lanfrancum in villis Cantuariensis Ecclesiæ, quidquid ad munia pontificia pertinet, Lanfrancus verò in epistola ad Stigandum Winloniæ antistitem paulò subtilius rem hanc differere videtur, inquiens, [„ Clerici Villarum nostrarum, qui in vestra Diœcesi exis„ tunt, questi sunt nobis quod vestri Archidiaconi reper„ tis occasionibus pecunias exquisierunt, & à quibusdam jam „ acceperunt. Meminisse debet Fraternitas vestra, quia „ contra morem antecessorum nostrorum atque vestrorum „ nobis concessimus, eisque imperavimus, quatenùs ad sy„ nodos vestras irent : & ea, quæ ad Christianæ religio„ nis notitiam prodesse possunt, sine interpellatione vel „ discussione aliqua, à vobis audirent. Si quæ in ipsis „ culpæ inveniretur, suspensa interim vindicta ad nos„ trum examen servarentur : & nobis vel in miserando, „ vel in ulciscendo obnoxii tenerentur. Mandamus itaque „ vobis ut malè abcepta sine dilatione reddi jubeatis : & „ ministris vestris, ne ulteriùs id præsumant, servandæ „ charitatis studio prohibeatis. Nos verò Presbyteris nos„ tris qui extra Cantiam constituti sunt, omnino præci„ pimus, ne ad vestram vel alicujus Episcopi synodum „ amplius eant ; nec vobis, nec aliquibus ministris vestris „ pro qualibet culpa respondeant. Nos enim cùm ad vil„ las nostras venerimus, quales ipsi vel in moribus, vel in „ sui ordinis scientia sint, pastorali auctoritate vestigare „ debemus. Chrisma tantùm à vobis accipiant ; & ea, quæ „ antiquitus instituta sunt, pro chrismatis acceptione per„ solvant. Sicut namque ea quæ antiquitus usque ad nos„ tra tempora antecessores nostri habuerunt, solerti vigi„ lantia cupimus illibata servare : Ita aliis debita (quod „ absit) aliqua usurpatione denegare nolumus.

ANNOTATIO IN EPISTOLAM

pag. 174.

VIGESIMAM SECUNDAM.

Bosoni.] De hoc Bosone dicam quæ offendi ; licet breviùs, ut fugiam pleraque à suo Biographo memorata nullius aut perexigui fructus momenti, ut quæ lectori molestas crearent moras. Sanè quam dignus sit Boso longiori latiorique memoria, indicat mutuus, & plusquam fyladeus amor, quo Anselmus illum, & ille Anselmum redamaret. Quod etsi ex ejus non agnosceremus literis, saltem honorificum ejus elogium, quod extat apud Gemmet. lib. 8. hist. Ducum Norman. cap. 24. etiam cæco indicaret. Rem igitur sui Biographi ordiamur verbis : In diebus Willelmi Regis, qui Anglos armis perdomuit, in pago Rothomagensi, fundo, vulgò *Montivilliers au Pays de Caux*, monasterii villaris, Boso parentibus Haimerico & Lezelina genitus est, eorumque cura sic bonis artibus pietateque imbutus, ut in mediis fluctibus mundi nihil prorsùs immundum contraxerit, & ne contraheret ad Beccum sese contulit, mansitque ea potissimum de causa, quam exponit Eadmerus lib. 1. vita D. Anselmi, cap. ultim. quamque hic & iterùm in Chronic. Beccensi enodatam minimè repetemus ; præterentes quoque & illud quod de eo simul Anselmi elogia hinc transfusum est, prosecuturi Chronic. Beccens. paralipomena quæ sic incipiunt : [„ Inter hæc „ obeunte Baldrico Priore, jubente Willelmo Abbate suc„ cessit ei in Priorato. Erat enim honorabilis vitæ & mul„ tæ prudentiæ, humilitate conspicuus, spiritu consilii „ providus, fortitudine firmus, consolabatur defolatos, om„ nibus omnia factus. In quantùm poterat unicuique sub„ veniebat : benignus erat in exhortando, modestus in cor„ ripiendo, pauperibus dapsilis, hospitibus affabilis, fide „ firmus, spe in Deo certus, charitate diffusus, cùm no„ haberet quod tribueret, monebat spem in Deo ponen„ dam, asserebat in proximo subventionem Dei adesse, „ nondum finem mundi venisse. Talia jucando dicebat, sed „ corde Deum supplicitèr rogabat, qui persæpè illi secun„ dùm fidem tuam subveniebat. Sapientiam, consilium, at„ que bonitatem animi ejus non solùm subjecti, sed etiam „ Principes terræ. Episcopi & Abbates, simulque religiosi „ & seculares, multi comperientes, quasi thesaurum pre„ tiosum, ac velut divinum oraculum admirabantur. Tan„ ta ei inerat Dei gratia : & sic spiritus consilii in eo vi„ gebat, ut ad se venientibus causa consilii subtiliter & „ sufficienter ad inquisita respondebat. Per idem tempus „ mandavit Rex Henricus Willelmo Abbati, ut Priorem „ Becci Bosonem daret Comiti Theobaldo nepoti suo ad „ faciendum Abbatem in terra sua. Quod utrùm amore „ an cordis rancore sine agrorum immissione rex petie„ rit, ut inde Boso pelleretur de regione, incertum habe„ mus. Audiens hoc Abbas, contristatus est non modicè, „ misitque ad Regem, mandans & multùm deprecans, ut „ Ecclesiæ & sibi parceret ; atque à tali jussione animum re„ vocaret, Prioremque sibi non tolleret. Jam enim Ab„ bas senio & infirmitate confectus, viribus corporis defici„ ebatur. Placatus rex hac deprecatione, dimisit Priorem. „ Cumque Abbas Willelmus ob ingravescentem ætatem tam „ morti proximus videretur, duo Beccenses monachi ac „ cesserunt ad Regem Henricum, qui tunc Becci & circa „ Beccum propter incursiones quorumdam, qui contra eum „ rebellaverant, morabatur, dicentes quia Boso, si suc„ cederet Abbati Willelmo, (sicut conventus quærebat) „ hominium, vel fidelitatis sacramentum nullo modo sibi „ faceret : Ideoque alium, quem nominabant, & laudabant, pro eo substituere deberet. Hoc agebant quia Pri„ rem nolebant habere Abbatem. Verùm cur ei sint infensi „ erant, nescimus. His auditis Rex nimium offensus est „ animo, & tunc quidem iram distulit. Illi autem ea „ lidè agentes, ignorante conventu contra Regnum & Be„ nedicti fine eorum consensu, volebant superponere sibi, „ cùm hoc esse constat contra decreta Patrum, qui dixe„ runt, ut nemo invitus ordinetur ; sed conventus Ecclesiæ „ debet sibi secundùm timorem Dei pastorem eligere. Sed „ hæc calliditas ma ignantium licet aliquantùm conventum „ conturbaverit, tamen quod molliebatur efficere non va„ luit. Defuncto namque Abbate Willelmo totus conven„ tus elegit Bosonem. Omnes Episcopi & Abbates, Cleri „ & populus, vicini & remotiores, qui eum noverant, hanc „ electionem laudabant, eumque summo honore dignum „ affirmabant. Itaque Conventus, ut eis assentiretur, ob„ nixè rogabat. Ille suæ infirmitatis multas opponebat „ causas : Illi in terram prostrati deprecabantur ; ille toto „ conamine negando reluctabatur. Perlata est res ad Re„ gem : at ille recordatus quod de hominio à duobus Mo„ nachis audierat, sicut supra retulimus : erat enim inde „ nimis iratus. Interea Gaufridus Rothomagensis Archie„ chiepiscopus vir prudens & honorandus, & Joannes Lexo„ viensis Episcopus, qui ad Curiam Regis venerant ; qui „ tunc obsidebat Bridoum castrum, quod contra eum te„ nebant homines Comitis Mellenti, venerunt Beccum, & „ locuti sunt cum Fratribus de eligendo Abbate. Tunc in „ terram omnes prostrati (nam in capitulo sedebant) ro„ gabant Priorem, ut sæpedictæ electioni assensum præbe„ ret ; & Archiepiscopum, ut illum præcipiendo cogeret. „ Archiepiscopus admirans Fratrum unanimitatem, lauda„ vit eorum religiosam voluntatem, & erga Priorem suum „ tantùm amorem. Deinde conversus ad illum, monuit, „ rogavit, ad postremum præcepit per obedientiam, ut ac„ quiesceret voluntati Fratrum : & contra ille asserebat hoc „ se non posse facere propter magnam corporis sui debili„ tatem, & alia quædam gravia quasi peccata opponebat, „ quibus ad hoc indignum se esse dicebat. Esne Monachus ? „ Respondit, velle esse : Tunc Archiepiscopus : Revera, in„ quit, si viginti homines occidisses, non te dimitterem ; „ quandoquidem tantùm ac talem erga te video affectum. „ Nunquam, ait, hominem occidi. Tunc compulsus est ape„ rire quod latebat, & accipiens Archiepiscopum cùm Epis„ copis seorsum, dixit ; Papam sibi interdixisse, ne unquam „ laicæ personæ hominium faceret : & ideo istam obedien„ tiam non audebat suscipere, ne cogeretur, aut prohibi„ tionis Apostolicæ transgressor existere, aut Regem offen„

„ dere. Archiepiſcopus, cum audiſſet, ſapienter tulit: Le-
„ xoviensis verò Epiſcopus graviter accepit, quia Prior Bec-
„ ci dedignabatur facere, quod ipſi & omnes Prælati Nor-
„ manniæ faciebant antiquo more patriæ. Archiepiſcopus
„ præterea Beccenſes juvabat quantùm poterat apud Regem,
„ loquens cum ipſis & pro ipſis, & ſine ipſis. Quadam die
„ cùm de hac re loqueretur cum Rege, dixit ei Rex: Nec
„ mihi facit hominium, nec vobis profeſſionem. At verò
„ paulò poſt mitior factus Rex duobus Beccenſibus fortè oc-
„ currentibus conſuluit, ut generali quapiam obtestatione
„ id negotii Deo commendaretur. Nec fruſtrà. Rex etenim
„ poſtea juſſit Priorem venire Rothomagum, ubi ei regimen
„ ſolo verbo dedit: rogavit præterea pro duobus monachis,
„ quos electioni ejus fuiſſe contrarios diximus: ne illis
„ obeſſet, quòd contra eum ſenſiſſent. Non erat apud
„ illum gravis labor indulgere delinquenti. Archiepiſcopus
„ videns Regem tam liberè quod petebatur, feciſſe, ſicut
„ promiſerat, voluit honorabiliter facere quod de hac re ad B
„ ſe pertinebat. Venit ergo ad feſtivitatem Pentecoſtes, &
„ ad Tertiam, quando cantor incepit *Veni Creator Spiritus*,
„ ingreſſus chorum Archiepiſcopus cum honore miſit illum
„ in Sedem Abbatis. Deinde in Octavis Pentecoſtes juſſus
„ pertexit ad benedictionem. Veruntamen ante Miſſam lo-
„ cutus cum Archiepiſcopo, rogavit ne ſe cogeret ad pro-
„ feſſionem, quam nullo modo facere vellet: quia ſi faceret,
„ magnum ſcandalum in monaſterio generaret. Ad hæc
„ Archiepiſcopus: Sine, ait: bene erit. Cumque tempus
„ Miſſæ advenisset, oblatus eſt ad benedicendum. Tunc Ar-
„ chiepiſcopus ſtans ſacris altaribus interrogabat eum juxta
„ morem, donec ad illud ventum eſt, ut diceret: Vis obe-
„ diens eſſe huic Eccleſiæ & mihi, & ſucceſſoribus meis? At
„ ille: Volo. Tunc cœperunt aliqui de circumſtantibus Cle-
„ ricis urgere, ut diceret profiteor. At ille iterum dixit: Vo-
„ lo. Atque cum inſtarent, ut profiteor reſponderet, dixit
„ tertiò, Volo & ex corde volo. Tunc Johannes ſanctæ Ro-
„ manæ Eccleſiæ legatus, qui ibi fortè aderat: Non audiris, C
„ inquit, quod dicit? Quid amplius vultis? Sicque Archie-
„ piſcopus benedixit eum. Altera die Abbas reverſus eſt Bec-
„ cum. Conventus verò ſacris veſtibus indutus ordinata pro-
„ ceſſione exivit obviam venienti. At ille occurrit humiliter
„ nudis licet infirmus, & ſuſceptus eſt cum gaudio.“] Tan-
tùm Chronic. Beccenſe quædam alia latiniori contexens
oratione, inter quæ illud præterire religio videbatur, nempe
quòd cùm aliquis nuntiaſſet minimè expleri quæ juſſiſſet,
reſpondit: *Sæpè mandata Dei præterimus, & ſuſtinet: quanto magis nos pati debemus, ſi noſtra contemnantur juſſa?* Tandem
poſt diuturnos pedum, capitis, viſcerumque dolores, excita-
tem aliquot annis æquanimiter toleratam, acerbiſſimos
momentaneoſque cruciatus ex paralyſeos acceſſione, venit ad
mortis limen, ubi præmunitus Eccleſiaſticorum ſacramento-
rum robore, fratribus alternatim pœnitentiales concinentibus
Pſalmos, ad illam civitatem, in cujus plateis, juxta To-
biæ vaticinium, alleluya cantatur, migravit die feſto D.
Johannis Baptiſtæ, anno Chriſti 1146. ſuæ ætatis 71. regimi-
nis 12. & 22. dierum. Cadaver autem in levam Heeluini hu-
matum eſt in area Capitulari, cum hoc impoliticri elogio.

Moribus ornatus Paſtor fuit hic tumulatus
Ingenio clarus, ſobriùs atque pius.
Fortis & mitis, prudens, ad triſtia fortis:
Nam donec vixit, multa flagella tulit.
Conſilio pollens, multis fuit ipſe levamen,
Solamen miſeris, ſubſidiumque piis.
Abbas bis ſenis hîc quartus præfuit annis.
Cœnobii Becci forma decuſque gregis.
Mundi contemptor, veræ virtutis amator
Chriſto devotum præbuit obſequium.
Annos tranſierat Patrer hic jam ſeptuaginta
Cùm mortem ſubiit, qui finis hic modò fit.
Dum ſol octavum ſub cancro tendit ad ortum
Triſtibus hunc nobis ultima ſors rapuit.
Ortus Baptiſtæ colitur, dum deficit iſte,
Boſo fuit dictus, cui Deus eſto pius.

Mortuus autem Boſo reliquit ſuæ doctrinæ hæredem epiſto-
lam ad quempiam medicum, de monachorum profeſſione
blaterantem, ut liquet ex ipſius epiſtolæ textu, quam in Ms.
Becc. ſi repertam, ne ab edaci ederetur tempore, huc tranſ-
tuli his exordientem verbis, Boſo, &c.

pag. 174. ## ANNOTATIO IN EPISTOLAM VIGESIMAM TERTIAM.

Rodolfo.] Radulfum habent univerſi codices impreſſi, duæque nomenclaturæ Archiepiſcoporum Cantuarien-
ſium Ms. in noſtra Bibliotheca, quorum una Radulfum con-
numerans, præter nomen hanc habet ampliùs: Anno Do-
mini ab Incarnatione 1089. [„Robertus primus Monaſte-
rii Sagienſis Abbas, vir bonus & ſimplex, menſe Januario
in lectum cecidit, & perceptis Dominicis ſacramentis 13.
Calend. Febr. de ſæculo migravit. Cui Radulfus Seiſredi de
Scurris filius, ejuſdem Cœnobii Monachus in regimine ſuc-
ceſſit. Hic literis admodùm fuit imbutus, eloquens, & ju-
cundus; ideoque amabilis omnibus. In juventute de illuſtri
familia monachilem ad converſationem venit, & 10. annis
in monaſterio per diverſorum gradus officiorum humiliter
miniſtravit. Undecimo tandem anno Abbatiæ curam, ju-
bente & conſecrante Girardo Sagienſi præſule ſuſcepit: &
16. annis inter ævos bellorum turbines ſtrenuè rexit, Dei
que fretus auxilio pro temporis opportunitate res Eccleſiæ
diligenter auxit: & deinde Roberti Beleſinenſis ſævitia ni-
mis imminente in Angliam confugit. Quem Rex Henricus
honorificè ſecum detinuit, & poſt Gondulfum præſulem Ro-
ſenſi Epiſcop. præfecit. Inde poſt aliquot annos promotus,
venerabili Anſelmo Archipræſuli ſucceſſit: & 9. annis Doro-
berniæ Metropoli præfuit. Hic Radulfus tempore Papæ Paſ-
chalis ad Regem in Neuſtriam venit, & inde Romam, licet
jam tumore pedum infirmaretur, proficiſci cœpit. Auditis de
obitu Papæ rumoribus, legatos Romam deſtinavit. Ipſe
verò Rothomagum remeavit, & fere tribus annis in Nor-
mannia degit. Ibi quondam dum moraretur, in tranſlatio-
ne ſancti Benedicti finita Miſſa, dum exueretur veſtimentis,
acuta paſſione ſubitò perculſus obmutuit, & poſt aliquot dies
loqui cœpit, ſed non plenè. Duobus annis paralyſi ægrota
vit, & vehiculo delatus ad ſedem ſuam inter ſuorum manus
decubuit. Anno ab Incarnatione Domini 1123. Radulfus Ar-
chiepiſcopus 13. Calend. Novemb. Cantuariæ obiit, cui Guil-
lelmus Curbuenſi Canonic. regular. poſt aliquot annos ſuc-
ceſſit.“] Huc uſque Cod. Victorianus narratiuncula de Radulfo: in qua unum obſervavi, quod lectorem moneam, ſcilicet de anno mortis ejuſdem: quem eſſe tres dicunt una voce Malmeſb. Honed & Matth. Paris. Et liberali incuria ſuſpicor eſſe
factum tertium, ut quemadmodum legerat 11. Calend. ita feſtinans ſcripſerit ann. 1123. ut facilius & citius obtineret Pallium eſt Ivon. Carn. Epiſt. 234. ad Paſchal. Pap. Monaſterium verò Sagienſe cui Radulfus præfectus fuit, opinor illud eſſe, quod Gemmet. lib. 7. cap. 12. teſtatur poſitum fuiſſe D. Martino in ſuburbanis Sagienſibus à Rogerio Montgomerio Roberti Beleſinenſis (cujus ſuprà memoria facta eſt) patre, tempore Willelmi Nothi Ducis Normanniæ: ad cujus exemplum (is enim D. Stephani nomine Cadomi extruendum curaverat Cœnobium) univerſi Normanniæ Reguli ſeſe compoſuerunt: & ſancta quædam æmulatione plurimas excitavere Eccleſias, quas perſtrinxit Gemmet. adhuc Sagienſis Abbas. Eadmer. quoque meminit lib. 1. vitæ Anſelmi.

ANNOTATIO IN EPISTOLAM TRIGESIMAM. pag. 177.

Qui modica deſpicit, paulatim decidit.] Eandem ſententiam iiſdem prorſus verbis Anſelmi inculcat ep. 20. hujus libri. Pro verbo *deſpicit*, excuſa Biblia & ſex Ms. noſtra, habent *ſpernit*: ſed cum vox ſit ſynonima, rei non pervertit intellectum. Significantur etenim ad virtutis Cyclopædiam eſſe perneceſſariam erratorum fugam leviorumque præceptorum diligentiſſimam obſervantiam: ut paſſim & crebrò Anſelm. commonet, cæteriſque Patres, nempe D. Chryſoſt. homil. 27. in Matth. & in ad populum Anthioch. Hieron. ad Ruſticum Monachum, & Euſtachiam de cuſtodia virginitatis; Gorgor. Nazianzen. orat. 1. in Iulianum. D. Ephrem tom. 2. tract. de intemperantia ab his verbis: *A illis, quæ minimis leviſſimiſque, &c.* & Paræneſi 29. tom. 1. Cæſarius Arelat. ſerm. 8. Ruſuſque noſter Anſelm. apud Eadmerum lib. 1. ſimilitudine ſumpta ex vinario, cujus rimæ quantumvis tenues, ſi non obturentur, confeſtim aquam totam emittant, unde pilcium conſequetur interitus. Leonius Canonicus noſter Poëta non contemnendus, qui ante 400. annos parabat heroicum carmen in univerſa Biblia, ſed mors prævenions jamiam ſcribentis manum obſtupefecit & compeſcuit. Quam ob cauſam reliquit tantùm libros duodecim finitos in hiſtoria Ruth Is., inquam, præter hæc & alia poëmata, illud reperi ad rem præſentem, cui titulo eſt: *Quod non ſunt neglegenda venialia.* Carmen ſequitur hujuſmodi:

Qui bene cuncta fugis graviorîs crimina noxæ,
Hoc age ne culpa ſub leviore cadas.
Culpa gravis, ſemper levium contemptus haberur:
Parvaque quæ fuerant, crimina magna facit.
Quid vitaſſe lutum juvat, ut mergaris arena?
Fortè lutum fœtet: non minùs illa necat.
Sic timidus fluctus maris alta pericula fugit:
Quem necat in tuto fluminis unda vado.
Nec ſatis eſt greſſu foveas vitare patentes,
Decipit incautos & via plana pedes.

Digitized by Google

Ut bene, quæ ſeſe produnt incommoda, vites.
Utilium ſpecie noxia multa latent.

Hactenùs Decaſtichon, quod antehac in vulgus non exierat, ut cætera ſui auctoris poëmata, inter quæ vidi literas, unas ad Adrianum IV alteras ad Alexandrum III. Summos Pontifices. Eò quoque loci ſpectant Plutarchi duo ultima capitula ejus tractatus, quem inceperat: *Quomodò videri quis poſſit an in virtute proficiat.*

Abbatiſſa Virtonenſi Oſmundo Epiſcopo.] Sariſberienſi vel Saliſberienſi. Ante hunc reliqui Epiſcopi vocabantur Schireburnienſes à Schireburnia in Anglia Weſtſaxonica, vico ignobili, & inamœno. Unde mirum eſt tamdiu illic Epiſcopos ſediſſe. Tandem 1075. Synodus auctore Lanfranco Londini eſt habita, in qua, ut teſtantur acta ejuſdem epiſtolæ Lanfranci admixta, & decretis ſummorum Pontificum, Damaſi videlicet & Leonis: nec non ex Conciliis Sardicen B ſi atque Laodicenſi, in quibus prohibetur Epiſcopales Sedes in viis exiſtere conceſſum eſt Regis munificentia, & Synodali auctoritate præfatis tribus Epiſcopis de viis tranſire ad civitates: Hermanno de Syraburnia ad Sariſberiam, &c. Vulgaris autem codicum impreſſorum lectio habet Sariſberiam & Scherebarniam; Tabulæ quoque Sariſberienſium Epiſcoporum in Bibliotheca ſancti Victor Pariſienſis. Hermannus igitur mox ut Sedem invenit Sariſberiam, inchoavit Eccleſiam primariam, cujus opus mors præveniens remorata eſt. Oſmundus autem ſucceſſor operi inchoato colophonem impoſuit, ut notavit Malmeſberienſis lib. 2. de geſtis Pontificum Anglorum. Cæterùm juxta Sariſberiam poſitum eſt Cœnobium Wiltoniense ad Wilen fluvium in vico non exiguo cui nomen Wiltuna, à quo & Wiltonienſis Parthemo ut ſedem, ita & nomen traxit. Originem vero ab Edgaro Rege, qui illuc introductis Monachis Benedictinis Antiſtitem præpoſuit ſitam ſuam nomine Edithan anno 974. ut Lilio placet. Serò quidem; ſed non importunè (vi- C rorum enim ſanctorum quolibet tempore memoria ſolet eſſe opportuna) in mentem venit annotare quæ D. Antonin. ſcriptis dedit. 3. part. hiſtor. tit. 24. cap. 12. nempe hunc Oſmundum (quem Oſmundum nuncupat) ob ſanctitatis famam, & miraculorum frequentiam in divos relatum fuiſſe à Calixto III. Papa anno 1457. officiumque præſcriptum, in ejus memoriam ſiendum nomine unius confeſſoris Epiſcopi. Quæ quidem Oſmundi apotheoſis a Gregorio IX fuerat tentata, ſed inſurgentibus variis in Eccleſiam tempeſtatibus protogata, donec ſereniori die illucéſcente tam ſanctum inſcriptionis opus fieri poſſet religioſus & prudentius. Antonino erat in votis illi attexere epitoma mirabilium, ſancti Oſmundi precibus & meritis geſtorum; ſed abſtinuit, cùm tæli vitandi ergo, tùm quòd libellum id argumenti continentem juſſerit in Eccleſiæ Sariſberienſis tabulario ſervari; ad quem mittit lectorem cupidum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Præter Antonin. hujus quoque apotheoſeos meminere Polyd. Virgil. lib. 21. hiſtor. Anglor. & ante illum, Matth. D Palmer. Piſanus, Petrus à Natalibus lib. 12. cap. 22. Schédel. 6. ætate ſui Regiſtri Chronic. Bergom. lib. 15. ſupplement. Chronic. Sabellic. lib. 6. Eadmer. 10. Platina in Calixto III. Sed in his quinque poſterioribus mirè variata eſt orthographia: ita ut pro Oſmundo, legas Oſimundum, Edimundum, Eadimundum, vel Edmundum. Nec eſt quod quis Sabell. Plat. Borgomenſ. Schedel. putet intelligendos de ſanctis Edmundo Rege aut Archiepiſcopo: cùm ille longè antè, hic verò cœlitum numero fuerit aſcriptus anno 1246. teſtibus Walſingh. in Neuſtria, & Matth. Paris, aut 12. 8. ut notat Mo an. in addit. Ubaard. Prid. Non. Decemb. His plura refert Malmeſb. in Epiſcopis Sariſberienſibus, iterumque Polydor. lib. 9. Pauca quidem ſed optima & præclara. Migravit tandem ad ſuperos ſanctiſſimus Pontifex anno 1099. Epiſconatus ſui 24. Sariſberiæ ſepultus: (conſentientibus Henrico Huntidon. lib. 7. & Matth. Pariſio) Prid. Non. Decemb. ut Baron. poſt Molanum advertit. Quibus, hæcce excideſant, collecta hic repoſuimus.

pag. 179. ## ANNOTATIO IN EPISTOLAM

TRIGESIMAM SEXTAM.

Pallium quod Archiepiſcopus Cantuarie ſolet habere, mihi per veſtram charitatem, &c. miſit.] Pallii ad ſe tranſmiſſi rurſus meminit in ſequenti Epiſtola; Urbanoque gratias ſcribit eo nomine, qui ut honorificentiſſimè miſit (erat enim luculo incluſum argenteo) ſic Anſelmus devotiſſimè, juxta ac lautiſſimè excepit: nam Walero Legato id defeſente obviam ivit pontificia indutus veſtimenta & nudato pede. Sacrum autem inſigne depoſitum in altare ſuſcepit & humeris compoſuit: ſicque diurna illa decoratus ſtola tem ſacram peregit dominico die quarto Idus Junias anno 1095. A (Hunc enim Florentius Vigornienſis, & Honedenus notarunt,) & reliquos aſſantes illud oſculatos fuiſſe pro reverentia ſancti Petri. Quem ritum, quia cognoſcere operæ pretium exiſtimavi, lubuit obſervare. Pallii autem Archiepiſcopalis formam, aliaque ſcitu non indigna deſcribit Onufrius in explicatione vocum Eccleſiaſticarum, & Joan. Durantus lib. 2. de ritibus Eccleſiæ, cap. 9. num. 41. 42. & cæteris. Quid autem myſterii contineat, Jarlandus Chryſopolitanus lib. 5. ſui operis (quod Candelam nuncupavit) docet ex Epiſtola Leonis Papæ in hanc ſententiam: [„ Archiepiſcopo Pallii honor decernitur, ut purpureo crucis “ ejuſdem veſtimenti ſignaculo à tergo & pectore depicto “ demonſtret populo ſignaculum redemptionis noſtræ, & “ pia cogitet mente de paſſione Redemptoris dicens: Mihi “ autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Jeſu “ Chriſti.“] Leoni conjunxerat Amalarium. Verùm quia & hunc noſter Hugo eſt imitatus lib. 1. de Officiis Eccleſiaſticis cap. ultim. ubi vice auctarii interpretatur ſpinulas ejuſdem pallii miſſi; præterquam quod totus de illo agat lib. 2. de Sacramentis cap. 16. parte quarta. Paſchalis ſecundus ſcribens ad Guidonem Viennæ Galliarum Archiepiſcopum ſingulare quodpiam myſterium advertit à ſuperioribus incogitatum. [„ Pallio ad Miſſarum tantummodò ſolennia il- “ lis ſolummodo diebus uti Fraternitas tua meminerit, qui “ tuis prædeceſſoribus Romanæ auctoritate Eccleſiæ conceſſi “ ſunt; cujus te volumus per omnia gremium conſervare. “ Hujus enim indumenti honor humilitas atque juſtitia eſt. “ Tota ergo mente fraternitas tua ſe exhibere feſtinet in proſ- “ peris humilem, & in adverſis (ſi quando adveniunt) inve- “ niatur cùm juſtitia erecta, amica bonis, perverſis contraria, nullius unquam faciem pro veritate loquente tremens: “ miſericordiæ operibus juxta virtutem ſubſtantiæ inſiſtens: “ & tamen ſupra virtutem inſiſtere cupiens; infirmis com- “ patiens, bene valentibus congaudens, de alienis gaudiis “ tanquam de propriis exultans? In corrigendis vitiis piè ſæ- “ viens, in fovendis virtutibus auditorum animos demulcens: “ in ira judicium ſine ira tenens: in tranquillitate ſeveritatis “ juſtæ cenſuram non deſerens. Hæc, frater chariſſime, Pal- “ lii dignitas: quam ſi ſolicitè ſervaveris, quod foris accepiſ- “ ſe oſtenderis, intùs habebis.“] Sic Paſchalis in Epiſt. quam Floriacenſis Bibliotheca exhibet integram lecturienti. Peculiariter, quandoquidem ita tulit ſermo, notabimus, Lanfranco collata fuiſſe duo pallia, ut ipſemet ſcribens Alexander III. commemorat Epiſt. 3. [“ Nunquam, *inquit*, res “ quælibet de arca pectoris mei ejicere quavis occaſione pote- “ rit inauditam illam humanitatem: quam mihi extremo ho- “ minum, tantis in ſigno honoribus Romæ exhibuiſtis: quod- “ que duo pallia, unum de altari ex more, & alterum quo “ ſanctitas veſtra Miſſas celebrare conſueverat, ad oſtenden- “ dam circa me benevolentiam veſtram mihi impendiſtis.“] Poſt Lanfrancum id prodiderunt Chron. Beccenſ. Ms. in ejus geſtis: & Willelm. Malmeſb. lib. 3. de Pontif. Anglis. Cæterò de honore, petitione & uſu pallii tota eſt centeſima Gratiani diſtinctio: ex cujus 1. can. cùm præcipiatur Metropolitanum fidem ſuam exponere tribus à conſecratione menſibus, & ab Eccleſia Romana pallium poſtulare, meritò Roger. Honed. ſuſpectus videtur parum fideliter notati anni, quo Anſelmus pallium recepit. Cùm enim teſtimonio ſuo, Anſelmus fuerit conſecratus & inauguratus Pontifex anno 1093. mihi profectò non ſit veriſimile eum juris Eccleſiaſtici non imperitum recepiſſe pallium ſeſqui anno poſt conſecrationem. Unde ſeipſum quodammodò damnans, dolenſque quod per Anglici Regis malignam pervicaciam non daretur aut prorogaretur facultas eundi Romam, dicebat ſupra ad calcem Epiſt. 24. *Si Metropolitanus Epiſcopus per totum primum annum, nec Papam viventem, nec pallium requiro, juſte ab ipſo honore removendus ſum.* Qua de cauſa Matthæus Paris exactiùs ſupputavit hanc receptionem anno 1094. in hiſtoria majore.

E ## ANNOTATIO IN EPISTOLAM pag. 181

QUADRAGESIMAM QUARTAM.

Quia de re in Synodo nuper &c.] De hac re lege Abbatem Urſperg. 1102. Eſt enim alia ab illa Lateranenſi, in qua Henricus Quintus armata manu repetiit libertatem inveſtiturarum eccleſiaſticarum, Ann. 1122. duos poſt Anſelmi obitum annos.

Ne quis omnino Clericus &c.] Sic Urbanus Paſchalis anteceſſor in Concilio Claremontenſi apud Malmeſberienſem, lib. 4. de Regibus Anglis cap. 2. & in Concilio Romano apud eundem in Angl. Pontif. lib. 1. de Anſelm. & Honeden. anno 1099. Ivon Carnotenſ. Epiſt. 237. Paris in hiſt. majore ad annum 1095. Flor. Wigornienſ. Chronic. pag. 468. edit. 1592.

Hoc eſt enim Simoniace pravitatis vadix.] Immitiori vocabulo nempe hæreſi appellavere ſimoniam: D. Gregor.

Papa

Papa homil. 17. in Evang. epist. 51. lib. 4. 47. 113. 114. lib. 7. 49, 51. 53. 54 55. lib. 9. prioris edition. Petr. Damianus cap. 6. 7. 17. libri epistolaris ad Henricum Ravennæ Præsulem, & epist. ad Alexandrum II, signata ad oram hujus epistolæ. Gregorius VII. censuit simoniam non hæresim tantùm, sed & maximam hæresim esse, cùm Simoniacos inscribat maximos hæreticos 1. qu. 3. Pervenit ad nos fama. Ipsemet Paschalis (in cujus epist. hæc congerimus obiter) 1. q. 3. Hæresim. Tharasius Constantin. Patriar. ibidem Canon. Eos, cui asserit hæresim Macedonianorum esse tolerabiliorem simonia & simoniacis: Abbas Ursperg. hæresim Henricianorum nominat sic cognominatam ab Henrico IV. Imperatore licentiosiori Episcoparuum Abbatiarumque collatore. Ivo Carnotens. epist. 238 excutiens, num rectè dicerentur somnia hæresis, & simoniacus hæreticus, his maximè suam aperit mentem: [„ Si quis laicus ad hanc pro„ rumpit insaniam, ut in datione & acceptione virgæ, pu„ tet se tribuere posse sacramentum, & rem sacramenti Ec„ clesiastici, illum prorsus judicamus hæreticum; non prop„ ter manualem investituram, sed propter præsumptionem „ diabolicam.“] Johannes Lugdunensis Archiepiscopus, cùm hæc scribebat Ivo, respondens affirmat eum non esse, quod in hanc rem vellet, assecutum. [„ Et licet, *inquit*, „ exteriores investituras per laicos factas, non satis pro„ prie hæresis nomine censeamus, sentire tamen ac defen„ dere fieri debere, indubitata hæresis est.“] Noster Hugo lib. 2. de sacram. part. 10. cap. 3. censet simoniacum esse hæreticum in opere, non in fide. Hugoni subscribens D. Thom. 22. q. 100. art. 1. ad 1. concludit simoniam dici hæresim secundùm exteriorem protestationem: quia in hoc quod aliquis vendit donum Spiritus sancti, quodammodo protestatur se esse dominum spiritualis doni; quod est hæreticum. Paulò superiùs dixerat simoniacum peccare tantùm peccato irreligiositatis, quia emendo vel vendendo rem spiritualem, irreverentiam exhibet Deo & rebus divinis.

Ex quibus universis conficitur, cùm hic simoniam negat esse hæresim, ille astruit, cardinem discrepationis versari in propria hæreseos acceptione. Quamobrem simonicos in hæreticos numerant Epiph. hæres. 21. August. lib. de hæres. ad Quod vult deum, Isidorus lib 8. Etym. cap. 5. Damasc. I de hær. 5. Antiochus hom. 110. Non ob sacrarum emptionem, venditionem aut collationem, sed quod Simon (unde Simoniani vel Simoniaci) asseveraret impiè, mundum fuisse creatum à superiori quadam virtute, non à Deo.

pag. 180. ## ANNOTATIO IN EPISTOLAM

QUADRAGESIMAM QUINTAM.

Hominium faciat laïco] Variè hæc vox effertur: aliquando enim hominium, ut in hoc loco, & epist. præcedenti iisdem omnino verbis, & apud Malmesberiensem lib. 4. de Regib. Anglis, lib. 1. de Pontificib. Anglis in Anselmo sæpissime. Honed. ad annum 1108. Aliquando dicitur hominarum facere, apud Ivonem Carn. epist. 87. Frequentior est usus tertiæ, nempe homagium, qua etiam utitur noster Anselmus, posteà Matthæus Paris in histor. majore passim, Walsinghamus in hist. Anglicana & hypodig. Neustriæ, Tract. de origin. Comit. Andegavent. scriptus manu in Bibliotheca Victoriana, quique pervenit ad annum 169. supra millesimum: inter quem legendam id adverti: *Homagium ejus acciperet & ligantium; hoc etenim vinculo debita subjectionis exhibitoria, &c.* In cursu Normanniæ Vict. Codex Ms. ubique legit hominagium: & nominatim dist. 5. tit. de Hominagio. Ex his autem diction. fictæ sunt locutiones: *Esse homo, vel fieri homo alicujus, id est, fieri vasallus, pro eo quod puriores loquela studiosi dicunt, sacramentum inire lege clientelarum, obedientiam, fidem clientelarem jurare, dare, promittere.* Exoletarum tandem harum vocum postremam, hodieque nostrates Galli retinuerunt.

Ranulfi Episcopi causam.] Ut in nominis, sic & cognominis orthographia aliquantum dissentiunt libri. In his enim legas Ranulfus aut Radulphus, ut in Ind. Matt. Parisii. In illis Ranulfus, sicut in uno exemplari Dunelm. Episcoporum Codicis Victor. In altero enim scribitur Ranulphus: [„ Hic à Rege Henrico I. consilio Anglorum positus in „ vinculis, cùm evasisset, transiit in Normanniam, permo„ vens Ducem Robertum contra Regem Henricum fratrem „ suum.“] Hæc Vict. Cod. impium autem facinus dum in Norman. degeret à se tentatum, & Ivonis Carnotensis laudabili vigilantia repressum narrant ejusdem epistol. 174. 178. 179. & 181. In qua ultima reperio illi fuisse cognomini Flammard. aut, ut Hon. dicit, Flambard. Flor. Wigorn. Passeflambardus. Quamquam hominis tam impuri etiam nomen scire ne minimi quidem fuerit momenti. Dunelm. autem cujus Episcopatum à Guillelm. Rufo impetratum anno 1099. gessit Ranulfus, est Northumbriæ in Anglia urbs maritima spectans aquilonem, quam Weruspiscosus amnis attingit: unde Dunelmenses Episc. dicti: cum ante corpus S. Cuthberti eò transferum ab Eadmundo Episc. vocitarentur Lindisfarnenses ab insula Lindisfarnia, prima sede illius Episcopi. De Ranulfo plura literis consignarunt Malm. lib. 3. de Pont. Angl. Fato cessit anno 1129.

Disensione habita missi, &c.] Purgationem Canonicam intelligit, qua quis famosus jurabat se criminis nojecti purum: Compurgatores autem jurejurando affirmabant, se credere infamatum juraße verum. Si Episcopus esset, Compurgatores Episcopos debebat habere; si sacerdos, sacerdotes. Numerus autem videtur fuisse indefinitus. Nam cap. 2. q. 5. Omnibus vobis, duodecim Episcopos ad purgationem Leonis Papæ convenisse scribitur. Et can. Auditum est: ibidem relinquitur arbitrio Episcopi, quora manu sacerdos se debeat expurgare. Paschali quoque assignat tantùm septem Episcop. ad Ranulfi purgationem, quos vocat septimam manum sui ordinis; respiciens, ut opinor, ad manualem sacri Evangelii tactum, qui fiebat jurando. De hac purgatione fusius Hostien. lib. 5 hæ summæ. Panorm. ad Rubricam de purgatione Canonica lib. 5. Petrus Ravennas parte 2. Juris Canonici, & plures alii.

ANNOTATIO IN EPISTOLAM pag. 180.

QUINQUAGESIMAM PRIMAM.

Eam ad Rumesis, & dicatis, &c.] Haud levi fuit labori hic locus furor. Nam cùm inter legendos Script. Anglos occurreret passim Rameleia, Rameseiensisque, & in ea degentes Monachi, stabam dubius, videns in hac epist. expressum nomen Abbatiæ. Tabulæ verò Lincolniensis Ecclesiæ Ms. in nostra Bibliotheca inspectum exemère scrupulum his pauculis. *Alwinus Consul ex tempore Abbatiam Remesia intrepus ædificit.* Quod autem hæ tribuant fundationem Ramesiensis Cœnobii Aluvino Consuli ita video accipiendum, quia ille plurimum operæ & opum suarum largitus sit ad id operis. Reliqui enim Scriptores, ut Malmesbur. lib. 4. de Pont. Angl. Honed. & Polyd. & Lelius in Chron. ad annum 971. prædicant Sanctum Oswaldum Eborari antistitem, hujus monasterii primarium & præcipuum institutorem. Malmesbur. tamen & Honed. Annal. part. 1. anno 971. fatentur communibus utriusque ope & opibus Ecclesiam fuisse conditam. In Honedeno autem, quem Aluvinum scriptæ tabulæ Lincolnienses vocavere Ethelwium: in Malmesb. Egelwinus appellatur. Rumesei verò de quo Anselmus hoc in loco, est patricius diœcesios Wintoniensis, excitatus ab Eduardo Rege, ut Honedenus testatur hisce verbis. [„ Anno 967. “ Rex Anglorum pacificus Edgarus in Monasterio Rumesciæ “ (*non Ramesciæ, ut corrupte impressi libri habent*) quod avus “ Rex Eduardus senior construxerat, sanctimoniales collo„ cavit: sanctamque Mervinam super eas Abbatissam consti„ tuit.“] Malmesb etiam lib. 2. de P. A. recensens Cœnobia Wintoniensis diœcesios, ejus meminit & Rumesciam vocat: discrepans ab Honedeno, quod Edgarum non Eduardum conditorem asserat. Locorum igitur, temporum & fundatorum varietas apertè distinguunt hæc duo Cœnobia, quib. litera *u* in *a* mutata, idem prorsus est nomen. Cæterùm homo ille quorundam opinione sanctus, à cujus cultu & honore Anselmus præcipit Rumesienses virgines abstinere, est Valdeosus, Valtheosus, Valdesus seu Veldeosus, Comes nobilissimus, quem Guillelmus Nothus ob levissimam conjurationis suspicionem capite damnavit. Innocentiam verò ejus multa eaque præclara miracula significarunt: Testib. Malm. l. 4 de Pont. Angl. & Walsing. in hypod. Neust. ad an. 1075. Rumesiensis igitur antistita vel alicujus miraculi permota tumultu, aut iniqua Comitis nece, publicas fundebat preces, votaque nuncupabatur ei, quem nondum Ecclesia in Divos retulisset. Quamobrem Anselmus meritò præcipit eam cessare: neque enim publici Sanctorum honores pendent ex ferventiori cujuslibet zelo, sed Apostolicæ Sedis & Ecclesiæ Catholicæ judicio: licet in Synodo Pondini habita an. 1102. eam ob rem id promulgarit edictum, quod Malm. retulit l. 1. de Pont. Angl. in hanc sententiam. [„ Ne quis temeraria novitate corporibus mortuorum, “ aut fontib. aut aliis rebus (quæ contigisse novimus) sine E„ piscopali auctoritate reverentiam sanctitatis exhibeat.“] Quo interdicto voluit Anselmus compescere subitaneas quasdam plebeculæ superstitiones, ex immaturiori pietate genitas: non laudabilem & antiquam Ecclesiæ Romanæ consuetudinem in apotheosibus servari solitam aspernari.

ANNOTATIO IN EPISTOLAM pag. 180.

QUINQUAGESIMAM TERTIAM.

Hildebertus.] Robertus Cenalis lib 1. de re Gallica pericha 6. scribit Gildebertus, Guillelm. Gemmet. lib. 6. histor. Ducum Norman. cap. 10. Hebertus, alii Hildebertus: quam posteriorem, hujusque epist. scriptionem promiscuè ha-

bent Mſs. Codices: exemſi autem Hildebertus, ſed & in ejuſ-
dem geſtis (quæ impetravi a V. Priore Tuſcero, Cœnobita
S. Vincentii Cenomanenſis) utramque viciſſim reperi. Hæc-
cine verò geſta, ne diutiùs lateant poſteros, addamus hic.
[„ Venerabilis Hildebertus ex Laverdinenſi Caſtro mediocri-
„ bus, ſed tamen honeſtis ortus parentibus à Domino
„ Hoelo (aliàs Boellio) Cenomanenſi Epiſcopo factus Ma-
„ giſter ſcholarum, deinde Archidiaconus, & poſt deceſſum
„ Domini Hoeli in ejus loco eſt ſubſtitutus. Hic itaque
„ moribus placidus & modeſtus, primo initio ſui Epiſcopa-
„ tus ſatagebat reſtaurare ea quæ anteceſſorum ſuorum ne-
„ gligentia vel deſtructa vel amiſſa fuerant, infatigabili ſtu-
„ dio. Continuò namque domum Capituli a fundamentis
„ cœpit conſtruere, & undique vitreis illuſtravit, & formi-
„ ceo opere ſuperregere curavit. Eodem namque tempore
„ bellum graviſſimum exortum eſt inter Henricum I. An-
„ glorum Regem, & Helium Comitem Cenomanenſem,
„ eò quòd ipſe Rex Epiſcopatum calumniabatur; ideoque
„ ordinationi Epiſcopi molebatur obſiſtere. Cùm autem
„ audiſſet ordinatum eſſe, manifeſtis bellorum incurſibus
„ patefecit. Cujus inceptis Comes Helias cœpit reſiſtere.
„ Quo comperto, Fulco Comes Andegavenſis in civitatem
„ advenit, & conſenſu civium in munitionibus civitatis cuſ-
„ todiam poſuit: ibique relicto filio ſuo ad alia properavit.
„ Interea Rex Anglorum videns civitatem ſui principis præ-
„ ſidio deſtitutam, huc acceſſit, ad Colonias accedit, con-
„ ſedit urbem exercitu magno, poſtea cremavit Colonias.
„ Rex autem videns ſe eſſe illuſum, cum exercitu ſuo diſ-
„ ceſſit.

„ Cives autem, cùm ad pugnam ſe præparaſſent, com-
„ perta Regis fuga ad urbem ſunt reverſi. Quo audito Co-
„ mes Helias, timens ne Fulco Comes Andegavenſis proſ-
„ criptioni ejus intenderet, mandavit ad ſe Epiſcopum Hil-
„ debertum, & quoſdam ex primoribus civitatis, & cùm
„ eis cœpit excogitare, quibus modis civitatem Regi tra-
„ derent, ipſumque à vinculis liberarent. Erat enim ipſe
„ Comes Helias in vinculis Regis Anglorum: timebat enim
„ ne Comes Fulco regiis muneribus deceptus, cum eo pa-
„ cem faceret, & tradita civitate ipſe perpetuò damnare-
„ tur.

„ Epiſcopus autem ejus anguſtias miſeratus, cum eo de
„ ejus liberatione eſt collocutus. Ipſe verò Rex paulò poſt
„ liberum & quietum abire permiſit. Rex autem capta ci-
„ vitate, & munitionibus impoſitis, in Angliam tranſfre-
„ tavit.

„ Quidam autem ex clericis invidentes promotioni Epiſ-
„ copi, & dolos inſidiantes, accuſaverunt eum apud Re-
„ gem Angliæ; dicentes, eum fuiſſe conſcium proditionis,
„ quando Comes Helias occupavit civitatem conſentientibus
„ bus omnibus. Unde Rex ſuſpectum habens Hildebertum,
„ inſtanter ab eo exigebat ut turres Eccleſiæ dirui præciperet
„ (quibus dicebat ſibi damnum illatum fuiſſe) antequam in
„ Angliam tranſfretaret. Et ut turres dirueret, obtulit Pon-
„ tifici maximum pondus auri & argenti ad ædificationem
„ ſepulchri beati Juliani, ut dicebat.

„ Quod ad ignominiam fieri videns Epiſcopus, conſilio
„ accepto ad ſuam reverſus eſt Eccleſiam. Primùm detulit
„ planè duo cymbala pretioſa, & optimam cappam de pal-
„ lio, & duas pelves argenteas, cum aliis multis ornamen-
„ tis. Interea præſul de præcepto Regis valde anxius; de
„ urbis incendio, de domorum ſuarum deſtructione, de ci-
„ vium expulſione, de clericorum diſperſione mœſtiſſimus,
„ Dei Omnipotentis clementiam jugiter precabatur, ut ab
„ Eccleſia & populo iram indignationis dignaretur avertere.

„ Miſertus autem Dominus afflictionis illius, indignatio-
„ nem ſuam, ultra quàm ſperari poterat, mitigavit, & fa-
„ cies inimicorum ejus confuſione & ignominia replevit; ut
„ Canticum eorum verteretur in luctum, & organum eo-
„ rum in vocem flentium.

„ Nam dum quodam die in ſylvam Rex venandi gratiâ
„ perexiſſet, ab uno ex ſuis militibus (qui ſecum erant)
„ ſagitta percuſſus interiit. Pacata civitate & hoſtibus fuga-
„ tis, Hildebertus Romam proficiſcitur, quem Paſchalis ſe-
„ cundus Papa recepit attentiùs. Deinde illi in Siciliam A-
„ puliamque progreſſo, univerſi quaſi Angelo Dei honorem
„ exhibebant.

„ Rogerius autem Dux Siciliæ, audita fama & ſcientia
„ Præſulis, illum in maximo honore & reverentia ſuſcepit,
„ & dedit ei idem Rogerius centum uncias auri ad facien-
„ dum opus beati Juliani, & ad victum canonicorum decem
„ libras monetæ dedit. Poſtea verò idem Epiſcopus ad Ce-
„ nomanicam rediit provinciam. Eodem tempore Comes
„ Helias liberalis, lectum in quo beati Juliani beata membra
„ requieſcebant, auro decoravit & argento.

„ Deinde anno Domini 1120. ad dedicationem Eccleſiæ
„ accelerans, multa ibi neceſſaria miniſtrans, in octavo
„ die Paſchæ Hildebertus conſecravit eam in honore & no-
„ mine Sanctæ & Gloriosæ Virginis Mariæ, & beatorum
Martyrum Gervaſii & Protaſii, ac piiſſimi Juliani. Poſtea
verò fecit ex proprio ſuo duas caſas auro & argento pul-
cherrimè circumtectas, in quibus reliquias Sanctorum Tu-
tilii & Victoris & Innocentii, & Sanctæ Teneſtinæ & O-
dæ, & Sancti Hilarii Preſbyteri, ſolemniter conſignavit.

Poſt aliquantum temporis Guillebertus Turonenſis Ar-
chiepiſcopus moritur, & in ſede & in loco illius Hilde-
bertus Cenomanenſis Epiſcopus apicem eſt ſortitus, con-
cedente Ludovico Groſſo Francorum Rege. Anno Domi-
ni 1129.

Tandem verò 15. Calend. Januar. id eſt, 18. Decemb.
anno Domini 1136. in ſenectute bona obdormivit in Do-
mino, & ſepultus eſt Turonis in Eccleſia ſancti Mauri-
tii; rexitque Eccleſiam Turonenſem annis ſeptem, & men-
ſibus ſex, & Eccleſiam Cenomanenſem annis 22. & fuit
vita ejus quaſi 80. annorum. "] Hucuſque ſchedula mihi
tranſmiſſa.

In quam unum & alterum obſervare me compellit hiſto-
ricæ veritatis amor. Arnoldus Vuion. lib 2. tui ligni vitæ
cap. 39. ex Chronic. Cluniacenſi Ms. refert eum fuiſſe Mo-
nachum Cluniacenſem, cùm tamen hæc narratiuncula bre-
vi commemorans Hildeberti cunas, dicat illum egiſſe poſ-
tea Scholarcham & Archidiaconum, & ante audiviſſe Bere-
garium præceptorem, Guillelm. Malmeſbetienſ. cæteriqué
Hiſtorici, ad quam vitæ Hildeberti partem ejus Monacha-
tus reduci poſſit, non video.

Præterea Monachus (ut Jacobus de Graffis Monachus Caſ-
ſin. notat parte 2. deciſionum aurear. lib. 3 cap. 20.) ne-
quit promoveri ad dignitates Eccleſiarum, quæ ſint diverſæ
profeſſionis & habitus. Eccleſiam verò Cenomanenſem tum
(necnon hodieque) Clericos Canonicos habuiſſe liquet ex
ſuperioribus. Imò ab initio Clericos regulariter & exemplo
Apoſtolorum in ea viviſſe, palam eſt ex cap 3. vitæ ſancti
Panacii, Cenomanenſis quoque Epiſcopi: quod & Johannes
à Boſco notavit ibidem.

Electionem autem Hildeberti ad Cenomanenſem Epiſco-
patum cecidiſſe anno 1105. juxta Chronic. Cluniacenſe, nec
Guilielmi Ruſi Anglorum Regis ſuperiùs memorata patra-
taque anno 1100. (teſtibus Sigiberto aliiſque ad epiſt. 40.
coram notatis) palam obſiſtit. Ipſe quoque eodem libro
cap 22. oſcitantiſſimè dixit, Hildebertum creatum fuiſſe Ar-
chiepiſcopum Turonenſem anno 1106. Si hunc lapſum tri-
buas labenti Typographo, tribuo. Rem ſollicitius videamus.
Scheda manuſcripta habet, Hildebertum anno 1129. Turo-
nenſis Archiepiſcopatus inſulam geſtaſſe: Tabulæ Cenoma-
nenſes apud Democharem & Vuion. ſignant ſediſſe Cenoma-
ni annis 19. & ſcheda manuſcripta Cæſareduni Turonum
annis 7. & menſibus 6.

Priorem quidem chronologiæ partem infirmant epiſtolæ
Honorii Papæ ſecundi, (qui creatus fuit ano 1124.) ad Hil-
debertum jam Turonenſem Archiepiſcopum, & Hildeberti
reſponſum ad Honorium, quæ quidem reperies epiſt. 67. &
68. Hildeberti. Ex adverſo occurrit epiſtola 114. D. Bernardi
cum hortantis ad Innocentii II. renunciati Papæ anno 1130.
tutandas partes.

Si tandem dicamus Hildebertum præfuiſſe Cenomanenſi
Eccleſiæ annis viginti novem, fuit unctus ſaltem anno 1099.
à quo ad 1100. curaverit ædificium Capitulare, (ut legi-
mus in principio narrationis) annoque 1125. tranſlatus ad
Turones, fato ceſſerat 1136. computandoſque addititios men-
ſes anni integri vice. Cui illuſerit tantùm egiſſe Cenoma-
ni duos & viginti annos, cogitur eum facere Pontificem
anno 1100. & Archiepiſcopum 1113. ac poſtremò defunctum
1130. paulò poſt Innocentium II. electum anno 1130. ad 13.
Calend. Martias.

Sed hæc ſupputatio diffideret ab obitu Hildeberti mortui
18. Decemb. præterquam quòd coactior apparet violentior-
que: unde priorem lubentius amplexor. Hæc excuſſiſſe &
adnotaſſe coëgit aperta tempora repugnantia, quam vel cæci
advertiſſent in ſuperioribus.

ANNOTATIO IN EPISTOLAM [pag. 1508]

SEXENTESIMAM SECUNDAM.

DE *Preſbyteris, quod ſtatutum eſt in Concilio, ſervabitur.*] Concilium ad Londinum habitum, proximeque memo-
ratorum intelligit: cui Anſelmus Præſidens conſentientibus Ebo-
racenſi Archiepiſcopo, cæteriſque Angliæ Pontificibus, nec-
non Archimandritis multa quidem ſtatuit per neceſſaria; hoc-
que comprimis: [„ Ut Preſbyter quamdiu illicitam „
converſationem habuerit, non ſit legalis, nec Miſſam ce- „
lebret: nec, ſi celebraverit, ejus Miſſa audiatur. Ut nul- „
lus ad ſubdiaconatum, aut ſupra ordinetur, ſine profeſſio- „
ne caſtitatis: ut nullus Archidiaconus, Preſbyter, Diaco- „
nus, Canonicus uxorem ducat, aut ductam retineat: Sub- „
diaconus verò quilibet qui Canonicus non eſt, ſi poſt „

„ professionem castitatis uxorem duxerit ; eadem regula „ constringatur.“] Hæc in Synodo Londinensi : quam dat integram Willelm. Malmesber. lib. 1. de Pontif. Anglor. pag 119 edit. Londin. 1596. Henricus Hungtidoniensis Archidiaconus eodem anno, iisdem typis datus fol. 217. pag. 1. lib. 7. suarum historiarum de hoc Concilio ita scribit : *Eodem anno ad festum Sancti Michaëlis tenuit Anselmus Archiepiscopus Concilium apud Londoniam, in quo prohibuit uxores Sacerdotibus Anglorum antea non prohibitas.* In quibus verbis quis non videat tum superbam hominis temeritatem, (qui Concilium in Spiritu Sancto legitimè congregatum ausit reprehendere imprudentiæ ob novam, suo judicio, constitutionem) cùm in historico summam veri, rerumque domesticarum inscitiam seu oblivionem ? Adversus quem imprimis agam una duntaxat tabella obsignata. Is enim lib. 4. suarum histor. in princip. post Bedam, recenset acta Concilii Hatfeldiensis Theodoro Cantuariæ Archiepiscopo habiti anno 680, in quo post multa ad Orthodoxæ fidei puritatem confirmandam tractata, sancta Synodus suis literis hæc addidit : *Suscipimus sanctas, & universales quinque Synodos beatorum & Deo acceptabilium Patrum, id est, qui in Nicæa congregati fuerunt 318.* Atqui in hac Synodo manifestè Clericis fuit interdictum uxoribus, can. 3. quem Gelasius Cyzicenus Cæsareæ Palestinæ Episcopus his omnino verbis habet, 2. part. actor. ejusdem Concilii cap. 32. Ἀπηγόρευσε καθόλου ἡ μεγάλη σύνοδος, μὴ ἐπίσκοπῳ, πρεσβυτέρῳ, διακόνῳ μηδ' ὅλως τινὶ τῶν ἐν τῷ κλήρῳ ὄντι, ἐξεῖναι συνείσακτον ἔχειν : εἰ μὴ ἄρα μητέρα, ἢ ἀδελφὴν, ἢ θείαν, ἢ ἃ μόνα πρόσωπα πᾶσαν ὑποψίαν διαπέφευγεν. ὁ δὲ παρὰ τοῦτο ποιῶν κινδυνεύσει περὶ τοῦ κλήρου αὐτοῦ. Hunc Canonem sic Baltoreus vertit : *Magna Synodus plenissimè vetat Episcopum, Presbyterum, Diaconum, aut ullum Clericorum habere secum mulierem introductam : nisi fortè matrem, vel sororem, vel amitam, vel denique eas solas personas, quæ omni suspicione carere solent, qui secus fecerit, dignitate sua periclitabitur.* Photius in Nomocanone, Burcard. Wormat. lib. 2 cap. 109. Ivo Carnotens 9. part. cap. 186. Jatland. Chrysopol. sub fin. lib. 6. suæ Candelæ, Gratian 32. interdixit, hanc sanctionem retulere, & quidem paulò articulatius quàm Ruff lib. 1. continuat histor. Eccles. cap. 6. Quapropter Nicæna Synodo tam unanimiter suscepta à Primate totius Angliæ, nec non Episcopis & quinque Regibus ibidem considentibus, quidquid Patres Nicæni sanciverunt, Angli quoque Pontifices comprobarunt, simulque decretum illud de cœlibatu sacerdotum. Quod hinc ampliùs & sole meridiano clarius emicat, cùm excussis, quæ ad fidem pertinerent, auctarii instar adjice Nicænas sanctiones uno ore laudarint. Quæ ratio etsi adultam conciliario auctoritatem ex communi utriusque Synodi Ecclesiasticæ consensu, ita ut acutissima ingenia hebescant ad aciem legum divino Spiritu suggerente promulgatarum; subjiciam tamen quicquid ad hanc rem ex Historia Anglicana depromptum venerit in mentem. Quod igitur Sacerdotalis cœlibatus diutiùs in Anglia viguerit, posthæc quæ suprà memoravimus, fidem faciunt Fulconis, Rhemorum in Gallia Belgica Archiepiscopi literæ missæ ad Alfredum Saxonum Occidentalium Regem in Anglia, quibus commendarat ob Archiepiscopum integerrimum Ecclesiæ Cantuariensi præfectum, pestilentissimamque licentiam divini verbi gladio recisam, & ab Ethnicorum Danorum turbido fonte haustam, qua Episcoporum & Presbyterorum plerique non tantùm penes se uxores haberent, verum etiam consanguineas : pro scelerum quoque cumulo, virgines Deo sacras impiè violarent, concubinamque superinducerent uxori, quò nihil ad explendam deesset libidinem, si tamen expleri queat. Quæ omnia & divinis præceptis & religionis Catholicæ puritati adversari magnificè docebat Fulco, teste Fioardo cap. 5. Historiæ Ecclesiasticæ Rhemensis, ubi interpres Gallicus pro Alfredo seu Ælfredo & Alvredo, vertit Albrado. cap. item 6. ejusdem historiæ pleno laudatur ore Peigmundus Cantuariensis Antistes propter sanctissimos conatus expurgandis luxuriæ, stupri, incestus & fornicationis sordibus. Porro Fulconem Elfredo Regi fuisse notissimum, sciet qui legerit Malmesburiens. cap. 4. lib. 2. de Regibus Anglorum. Contigit autem hæc Anglicanæ Ecclesiæ restauratio annum circiter 890. Ælfredi regnantis, 18. Peigmundi, (quem Peonicum vocat Gallicus Interpres) sedentis, 2. Quandoquidem effrænatam libidinem in Angliæ regnum Ecclesiamque pridem antea irrupisse notum, testatumque est ex Epistola S. Bonifacii Martyris Archiepiscopi Moguntini, quæ extat apud Malmesburiens. lib. 1. de Regibus Anglor. fol. 14. pag. 2. Rogerius Honedenus ad annum 975. vituperat Alferum Merciorum Principem, & aliquot Angliæ Magnates, qui Clericorum uxoratorum muneribus allecti expellebant probos monachos ex Ecclesiis, quibus fuerant ejecti incontinentes Clerici. Quorum nobilium furenti avaritiæ impietati viriliter restiterunt Etheluvinus Orientalium Anglorum Dux honestissimus atque integerrimus, necnon ejus Germanus Elfuoldus Brithnothusque Comes. Idem Honedenus anno 977. in Edgari seu Elgari regis laudes breviter excurrens ait : *Destructas Ecclesias renovavit & ditavit, abjectis etiam Cœnobiis Clericorum Scholarium veneniis*, &c. quænam verò hæc sint venena, nisi stupri, adulterii & fornicationis, quæ sensim ad intima cordis serpunt, & animam omni gratiæ divinæ calore expulso, suffocant ? Ingulphus in hist. fol. 502. pag. 2. eadem venena appellat Clericorum Nænias. Ipsemet Edgarus id profitetur & asserit in diplomate suo, quod extat apud Malmesb. lib. 2. cap. 8. fol. 32. inter cætera hæc commemorans : [„ Idiotis Clericis ejectis, nullis Regu- “ laris Religionis disciplinæ subjectis, pluribus in locis sanc- “ tioris seriei, scilicet, monachici habitus præfeci pastores : “] Hæc in rem meam Regis regioque ore verba dignissima sunt & opera Atheluvodus seu Etheluvodus illo Rege sanctissimo, Episcopus quoque sanctissimus è sua Wintoniensi Ecclesia expulit Clericos mulierosos, testibus Malmesb. suprà, & Osberno Cantuariensi Præcantore, cap. 39. vitæ sancti Dunstani apud Sur tom. 3. Aliquot autem horum Clericorum expulsorum dum expostularent cùm Rege de sua expulsione, rogatus fuit S. Dunstanus, ut iterarò parceret : siluit ille ad has preces, animo volutans quid ageret, positus inter incudem & malleum : Cum ecce crucifixi Christi imago clara voce id prohibuit, dicens : Non fiet, non fiet : quod testantur Osbernus loco præcitato, Vincent. Beluac. hist. Speculi lib. 25. cap. 80. D. Antonin. pag. 2. hist cap. 6. tit. 16. §. 1. Petrus de Natalibus lib. 2. Catalog. Sanct. cap 49. Præterquam quod id etiam adversariis nostris Anglo Calvinianis (si Baleum exucullatum cùm sua Dorothea, Polydorumque Virgil. impostores hujus facti calumniatores demas) sic in confesso, ut longiori non egeat probatione. Post aliquantum temporis expulsorum Clericorum filii litem sopitam extinctamque redaccenderunt in conventu Talnensi seu Calnensi, cui aderant Rex Eduardus, & totius Angliæ Optimates. Quotquot autem Sancto Dunstano refragati sunt, & turpi Clericorum patrioni annuerunt, è solio tam graviter in terram corruerunt, ut nonnulli expirarint, alii vix præsentissimæ necis manus effugerint, auctoribus Osberno, Vincent. Antonino, Honedeno ad annum 977. qui casum quidem exprimit non causam, tum quòd notissima esset, cùm quod Comitia non ob id tantummodo haberentur. Cæterùm quod Etheluvodus in Wintonia, id S. Oswaldus & Dunstanus præstiterunt in suis Ecclesiis. Ut autem iterùm meus adversarius suo judicetur ore, suisque pareat armis : en quod de Etheluvedo scribit lib. 5. fol. 204. [„ Hic secundo Episcopatus sui anno quos- “ dam Canonicos in veteri Monasterio Vincestre degentes, “ & ordinem suum pigrè & negligenter observantes, eje- “ cit : & monachos imposuit. “] Hucusque Huntidoniensis, qui etsi hujusmodi pigritiam & negligentiam enucleatius non declararit, tamen ex supradictis patet. Ad annum millesimum accedamus : producet enim nobis Lanfrancum uxoratorum Clericorum hostem & insectatorem acerrimum. Is igitur Epistol. 2 ad Alexandrum II. Papam de Cestrensi Episcopo, quem Licifeldensem nuncupat, in hunc modum scribit : [„ Licifeldensis verò Episcopus, qui apud legatos “ vestros de incontinentia carnis (cui uxor publicè habita, “ filiique procreati testimonium perhibebant,) aliisque cri- “ minibus accusatus, ad Synodum tamen eorum venire no- “ luit. Unde & prædicti Legati vestri eum excommunica- “ verunt, regique substituendi successorem, ut dicitur, con- “ cesserunt : in Paschali solemnitate ad Curiam venit : de “ illatis culpis causam inire noluit, regi in conventu Epis- “ coporum atque Laicorum, Episcopatum reddidit : se am- “ pliùs non habiturum, nec successori calumniam aut dam- “ num illaturum, jurejurando spontanea voluntate firmavit. “ Dehinc ad monasterium, in quo ab infantia nutritus Mo- “ nachus fuerat, repedavit. “] Rursusque in Epistola ad Johannem Rothomagi Pontificem, apud quem Theones quipiam & malevoli postulaverant Lanfrancum ceu Johannis obtrectatorem. Quod crimen & imposturam pro falso repudians Lanfrancus ait : [„ Retulistis vobis à multis “ fuisse relatum, quod ego quædam facta vestra carpo. Et “ maximè, quod instituta sanctorum Patrum de servanda “ Clericorum castitate, malè vos intellexisse redarguo : “] Paucisque interpositis, subjungit dissolvens calumniæ modum : [„ Imò vestro, aliorumque venerabilium Patrum “ exemplo provocatus, per totam Anglicam terram pasto- “ rali auctoritate prohibui, ne cujuslibet ordinis quisquam “ Canonicus uxorem accipiat : nec sortito antea, si Presby- “ ter aut Diaconus est, (nisi præbenda carere velit) habe- “ re ulterius liceat. “] Hæc Lanfranci verba & instituta de Clericali cœlibatu ad unguem servando, videamus actissimam ejusdem decreti custodiam in Epistola ad Herfastum Tetfordensem Episcopum his verbis : [„ Lanfrancus gra- “ tia Dei, non suis meritis, Coepiscopo Herfasto ; salutem, “ Clericus iste noviter ad me venit, causam suæ infœlici- “ tatis mihi dixit : dictam, testimonio vestrarum litera- “

„ rum verum esse affirmit. Testatus est se inordinatè ordi-
„ natum ; videlicet , cùm nullius esset ordinis , à Fraterni-
„ tate vestra factum esse Diaconum. Interrogatus à me si
„ uxorem haberet : uxorem se habere , nec eam se velle
„ dimittere respondit. Propterea tali pacto contulendum ei
„ ei divina fultus auctoritate decerno. Diaconatum ei au-
„ ferte. Ad cæteros minores Ordines congruis eum tem-
„ poribus promovete. Diaconatus verò ordinem nunquam
„ recipiat ; nisi castè vivat : nisi se de reliquo castè victu-
„ rum canonica attestatione promittat. Si verò cœlibem
„ vitam egerit , & acturum se omni tempore spondere vo-
„ luerit : non quidem eum ad ordinem Diaconatus iterùm
„ ordinabitis ; sed ipsum officium per textum sancti Evan-
„ gelii , vel in Synodo , vel in multorum Clericorum con-
„ ventu reddetis. "] Hactenùs Lanfrancus , cujus testimo-
niis planum fecimus etiam ante Londinensis Synodi canonem Sacerdotibus fuisse conjugiis interdictum. Valeat ergo Huntidonensis inscitia & calumnia : quod enim obtendit in defensionem suæ alienæque opinionis , scilicet , Anselmianum decretum visum fuisse periculosissimum , ne dum munditias viribus majores appeterent , in immunditias horribiles ad Christiani nominis summum dedecus inciderent : Id , inquam , ne flocci quidem facio : si enim tantillum haberet roboris ratiuncula hæc , eadem necessariò efficeretur , perpetuam fuisse à Deo veritum. Non occides , non mœchaberis , non furtum facies : & quia indies fiunt cædes innumeræ , eæque indignissimæ & maximè : Item adulteria , stupra , sacrilegia , incæstus , & alia horrenda scelera quæ his omnibus ita præcellunt impietate. In summa ut Hieronym. Rusticum Monachum docet : *Non est culpa Christiani nominis , si simulator religionis in vitio sit. Quinimo confusio gentilium* (addo , & malorum & hæreticorum) *cum ea videant Ecclesiis displicere , quæ omnibus bonis non placent.* Cæterùm ut sciant posteri , quanta animorum consentientium multitudine recepta fuerint Londonienſis Synodi statuta , testatur Rogerus Honed. Anselmum Eboracensi Archiepiscopo , & cæterorum Episcoporum Anglicorum grege confidente hæc renovasse , astante atque audiente Henrico I. Rege , Comitibus atque Baronibus , ut vocat , una mente & voce consentientibus , anno 1108. eodemque sæculo repetita fuerunt in Concilio Eboraci coacto anno 1195. cujus acta Honedenus eodem retulit anno 1235. in altera Synodo Londinensi id rursus fuisse prohibitum narrat Matthæus Paris in historia majore , fol. 436. editionis Tigurinæ. Idem ad annum 1225. observat severissimam Stephani de Langetuna Cantuariensis Archiepiscopi pœnam in concubinas Clericorum his verbis decretam : [„ Concubinæ Sacerdotum & Cle-
„ ricorum , qui infra sacros Ordines constituti & benefi-
„ ciati sunt , ecclesiastica careant sepultura ; nisi sanè se cor-
„ rexerint , & (quia scriptum est : *Vivens , vivens ipse ,*
„ *confitebitur tibi*) incolumes , vel tanta earum in extremis
„ appareat pœnitentia , propter quam non immerito debet
„ cum eis dispensari. *Item :* non recipiantur ad osculum
„ pacis , nec panem benedictum percipiant in Ecclesia ,
„ quamdiu concubinarii eas detinent in domibus suis , vel
„ publicè extra domos. *Item :* Si peperint , non purificen-
„ tur , nisi prius sufficientem præstiterint cautionem Archi-
„ diacono , vel ejus Officiali de satisfactione in proximo
„ capitulo , post purificationem earum facienda. *Item :* Sa-
„ cerdotes in quorum parochiis concubinæ talium commo-
„ rantur , si non hoc ostenderint Archidiacono vel ejus Of-
„ ficiali , suspendantur. Et priusquam relaxentur , gravi pœ-
„ nitentiæ subjaceant. *Item :* Quæ convinci poterit , quòd
„ Sacerdos eam carnaliter cognoverit , publicam agat pœ-
„ nitentiam , & solennem ; ac si de adulterio esset convicta ,
„ tanquam pro duplici adulterio puniatur ; nec tanti rea-
„ tus impunitas aliis transeat in materiam delinquendi. "]
Has in Clericos concubinarios , clericasque concubinas (nam & percussæ concubinæ repercutiuntur concubitores) animadversiones statuit Stephanus de Languetuna , vir eruditus & sanctæ memoriæ , priùs sancti Chrysogoni Cardinalis , sedit annis 21. diebus 23. Hic transtulit corpus S. Thomæ in capsa pretiosissima. Sic de Archiepiscopo mulieratos Clericos justè vindicante loquuntur tabulæ Ms. Archiepiscop. Cantuariensis in nostra Bibliotheca. Maneat ergo ab omni ævo uxores usurarias fuisse Clericis Anglicis : ita ut quod contra rationem juris , addo Ecclesiasticì , (nam Pauli J. C. verba lib. 184. indig. majore) fuit receptum ab aliquibus , non sit producendum ad consequentium. Postquam hæc congessissem , occurrit lib. 8. histor. Britannicæ Armoricæ , cap 19 idem locus de uxoribus primùm ab Anselmo interdictis Sacerdotibus : quem historiæ conditor Bertrandus Argentræus hausit ex Roberti Beccensis Monachi Chronologia. Hunc autem retulit Argentræus postquam memoravit Victorium Rhedonum Antistitem filiam habuisse Demnolam nomine : & plusculis de ea scriptis , addit observatum , quod Episcopi Sacerdotesque non tantùm Victorii , sed & D. Hieron. Augustinique sæculo liberè possint impuneque esse mariti : eo quod Ecclesia Catholica nondum vetuisset : vetuerit tamen ob infinitas gravesque causas : & id interdicti postremò in Anglicana fuisse receptum Ecclesia à D. Anselmo Archiepiscopo. Quàm verò absurdè vir eruditus dixerit producens tacitè sui dicti testes D. Hieronym. & Augustin. præter Concilii Nicæni decretum superiùs allegatum , palam est ex Bellarmini , Gregorii , Valentini & aliorum Clericalis continentiæ propugnatorum scriptis D. Hieronym. August. mens patet , & illius quidem ex sua confessione edita Paris. apud Nivellium , hujus verò ex ejusdem quoque confess. pag. 467. 468. & 469. ubi dicitur Apostolos cœlibatum docuisse , & antiquos servasse. Profiteor igitur , quondam plerosque coniugatos in Episcopum unctos , sed post unctionem ab uxoribus abstinuisse. Sic in Gallia nostra D. Germanus Autissiodorensis inauguratus uxorem mutavit in sororem , teste Constantio Presbytero contemporaneo lib. 1. vitæ ejusdem , cap. 7. D. quoque Hilarius Pictavienſis : de quo etsi Fortunatus non prodiderit , eximia tamen viri sanctitas , Canonum Ecclesiasticorum tenax custodiæ , & præclara ad filiam Abram de servanda Virginitate Epistola , locupletissimè testantur. D. Genebaldus Lauduni clavati primus Pontifex , & Urbicius ex Senatore Claromontis Alverniæ Episcopus , sic se gessere aliquamdiu. Sed cùm ad uxores redissent , acerbam incestus senserunt pœnam. Ille enim septem annis ergastulo incluſus pœnituit , teste Hincmaro in vita sancti Remigii : Hic verò lachrymis scelus expiavit , auctore Gregor. Turon. lib. 1. hist. Franc. cap. 44.

ANNOTATIO IN EPISTOLAM pag. 198

SEXAGESIMAM QUINTAM.

A *Papalici decretis.*] Id est , Papæ : Hoc enim vocabulo reperio plerosque scriptores nuncupare Papam Romanum : Imo & Nicolaum II. Papam dist. 79. can. Apostol. & can *Si quis* : ubi lepida paronomasia dicit non esse habendum Apostolicum , sed Apostaticum , qui Apostolicam Sedem non conscenderit unanimi Cardinalium Clericorumque suffragio. Ad quem locum videntur respexisse Abbas Urspergensis ad annum 1106. & Bibliothecarius Malmesbur. lib. 4. de Regibus Anglor. loquens de Anselmo : *Voce Dei dilectus Urbanum Apostolicum , alterum Apostatam (scilicet Guibertum Antipapam) pronunciavit.* Nec semel tantùm hac utitur dictione : nam lib. 2. cap. 12. ita scribit : *Sanè ipse Leo (videlicet I X.) de quo Epitaphium loquitur , fuerat Roma Apostolicus , &c.* Præcedenti quoque lib. cap. 3. de Leone V. scribens : Et lib. 1. de Gestis Pontif. Angl. in vita Anselmi crebrissimè , & alibi passim. Henricus Huntidon. lib. 4. eandem usurpat vocem , numerans Romanos Papas qui sederunt regnante Adelardo Westsaxonum Rege Apostolici autem , inquit , ejus tempore fuerunt Sergius Papa , Johannes , &c. noster Anselmus rursus utitur Epist. 24. hujus libri , necnon 87. & 92. infra Theodorus Studita scribens ad Paschalem Primum , inquit , Paschali Papæ Romæ in omnibus summa virtute prædito , lumini magno , principi Sacerdotum primo , Domino nostro Apostolico Papæ Paschali , &c. apud Baron. tom. 9. anno 817. His accedunt Epistolæ Gabriëlis Patriarchæ Alexandrini , & Johannis Conii Corepiscopi Alexandrini missæ anno 1595 ad S. D. N. Clementem VIII. apud eundem Baron. in appendice ad tom. 6 In quibus Epistolis Clemens Octavus vocatur Tertius decimus Apostolorum mundorum. Ob quem locum venit in mentem locutionis majoribus nostris consuetæ , qua Papam vernaculè Apostolem vocabant. Quod animadverti primò in antiqua precum capitularium apud nos fieri solitarum forma his omnino verbis & literis ; *Priom por notre seignor Lapotoire : por toute la court de Rome , &c.* In codice Victor. Ms. qui habet vitas sanctorum patrio descriptas sermone , in vita sancti Sylvestri , *une bonne fame pris apostoile.* Rursus , In festo Cathedræ sancti Petri explicit *la chaiere seint Pere l'Apostre comment fu. Evesques d'Antioche & puis Apostoles de Rome.* Helinandus Monachus Frigidimontis ita Papam appellat , 10. apostrophe sui poëmatis de morte scripti ante 400 annos , *de Cardonal ou d'Apostoile.* Sic etiam Villarduinus in Hist. & Chron. Franciæ in 3. vol. Carolo VIII. Francorum Regi dicata. Hinc traxerunt originem pleræque aliæ voces , nempe Sedes , Cathedra , literæ , decreta Apostolica , id est , Papalia , non aliam profectò ob causam , quàm quòd etsi omnes Episcopi fuerint successores Apostolorum , ut scribit D. Hieronym. ad Evag. tom 2. attamen in Romana Ecclesia semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus. D. August. Epist. 162. vel , ut placet Ruperto Tuitiensi lib. 1. de Divin. Offic. cap. 27. quod cæterorum Apostolorum successores , Patriarchæ : Petri autem successor pro reverentia principis Apostolorum , Apostolicus nominatur.

pag. 191. ## ANNOTATIO IN EPISTOLAM

SEXAGESIMAM NONAM.

D *Ominum Gualonem.*] Sic apud Ivonem Carnot. epist. 41. 220. 245. epist. tamen 49. 50 169. 171. legitur Galonem: & in epistola Paschalis Papæ, missa Adamo cœnobii Dionysiani ad Lutetiam Parisiorum præfecto, quæ extat in M S. Victoriano. Rursus ejusdem Ivonis epist. 220. & 193. scribitur Gallonem: sed 269. apud continuatorem Aimoini lib. 5. cap. 50. Andream lib. 3. histor. Francorum. Badmerum lib. 2. vitæ nostri Anselmi, scriptum est, Vualo non Gualo aut Gallo: adeò fuere inconstantes librarii in eodem nomine, de varietate lectorem monêre placuit, ne inter legendum remoraretur, aut in bivio relinqueret. Sed horum nominum posteriùs reor esse germanius, quia idiomati Picardico vicinius.

Quod enim Celtæ Galli pronunciant per G. Belgæ atque adeo Picardi per duplex V. Bellovaci quoque etiamnum perdurat familia ejusdem nominis, *les Vualons.* Vualoni autem Bellovacus patria fuit: ubi cùm puer operam dedisset Ivoni tum Ecclesiæ Quintinianæ præposito, Canonicorum regularium militiæ eodem duce, nomen dedit.

Postmodum Ivo Carnotum pontifex factus est Vualone in ejus locum surrogato. Mortuo denique Fulcone Beluacensi antistite ab optimis clericis delectus fuerat ad Episcopatum: Nequiores verò corrupti muneribus Stephani Garlandi, hominis perditissimi, refragrabantur electioni. Quanquam electo, nihil haberent adversarii quod objicerent. Tandem post varias altercationes inter electum & improbos clericos habitas integro biennio, perplures ob causas quæ in Episcopis Parisiensibus propitio Deo sumus enarraturi, Fulconi Parisiorum Antistiti suffectus est. Cùm autem Parisiensem ageret Episcopum, Paschalis literas à me nuperrimè commemoratas dedit ad Abbatem Sancti Dionysii his verbis: [„ Paschalis Episcopus, servus servorum Dei, Venerabili „ fratri Abbati, & Monachi Sancti Dionysii, salutem, & „ Apostolicam benedictionem. Et confratris nostri Galonis Parisiensis Episcopi relatione compertimus, quia vos „ præter ipsius licentiam pro sacri olei & charismatis acceptione, ac pro Monachorum seu Clericorum vestrorum ordinationibus quoslibet Episcopos adeatis: vel pro „ eorundem sacramentorum celebratione ad vestrum Monasterium convocetis; & quod laicis pœnitentias criminum injungatis Quæ profectò sacris Canonibus valde „ sunt contraria. Et quidem privilegia pro pravis & malis collata sunt, & ad ædificationem, non ad Canonum „ destructionem, alicui concessuntur. Cùm itaque prædictus Frater Galo Episcopus vester, Dei gratiâ bonus & „ Catholicus habeatur, & prædicta sacramenta gratis ac „ sine pravitate indulgeat: ut vos præter ipsius licentiam „ pro eisdem sacramentis suscipiendis alios adire Antistites „ prohibemus: & Archiepiscopis vel Episcopis omnibus, „ ne ea vobis exhibeant, interdicimus.“] Hæc Paschalis, quæ quia nusquam emissa contigit videre, & ad Galonis prædicationem faciebant; hìc addenda existimavi. Obiit autem Gualo anno centesimo decimo quarto supra millesimum, VII. Calend. Mart. Hunc diem legi in Necrologio Ecclesiæ Quintinianæ, (cujus cœnobiarchiam gesserat) in hanc sententiam.

Obiit sanctæ recordationis Dominus Galo secundus Abbas hujus Ecclesiæ, postea Parisiensis Episcopus.

pag. 191. ## ANNOTATIO IN EPISTOLAM

SEPTUAGENAM.

M *Ajor est illi gloria, quia expulerat pro justitia.*] Ne hæc legens lector non intelligat, & negligat, meminerit anno 1103. magnum conflagrasse discordiæ incendium inter Anselmum & Henricum primum Anglorum regem. Hic enim pro libitu volebat conferre & investire (ut illius temporis tetricem vocabulum) annulo virgaque pastorali, Episcopos & Abbates. Anselmus reluctabitur constanter, pronuncians non tantùm Regem posse donare quempiam dignitate Ecclesiastica, sed ne quidem esse consecrandum hujusmodi, aut cum illo conversandum.

Sub hoc diffidium Henricus dedit Episcopatum Wintonienſem Willelmo Giffardio, multùm dissentienti, refragantique; sed & electores convitiis lacessenti. Unde malens obedire Deo, quàm homini Henrico, tantam ejus sibi concrazit iram, ut facultatibus spoliatus universis, Anglia exierit; nec redierit, quoad Anselmus, qui zelo libertatis Ecclesiasticæ ignem accenderat, extinxisset, ipso Henrico primùm aquas injiciente.

A Quamobrem Wintonienſem Antistitem de Pastore expulso mœrentem solatur Anselmus, commonens tum maximè lætandum, cùm quis justitiæ nomine angitur.

ANNOTATIO IN EPISTOLAM pag. 91.

SEPTUAGENAM SECUNDAM.

S *Annuli Dublinæ civitatis Episcopo.*] Dublina, vel Dublinia (sic enim constanter & passim lego apud Sylvestrum Giraldum in topographia Hyberniæ, ejusdemque expugnatione) vulgò Dyuclin in Annal. Rogeri Honed. posteriori parte, est regni Hybernici caput Giraldo Hyberniæ expugn. caput 28. Hæc ut ex Anselmi pontificium inscriptione liquet, Episcopatus titulum sustinebat tantummodo, Anselmo Archiepiscopo: qui, ut alias vir disciplinæ Christianæ consultissimus, unumquemque pro B conditione salutabat honorificè; id minimè prætermisisset. Unde castigandus venit Parkerus in antiquitates Ecclesiæ Britannicæ referens Anselmum inunxisse hunc Samuelem in Archiepiscopum Dublinensem, cùm testibus Honedeno suprà, & Giral. Sylvest. cap. 17. topograph. Hyberniæ, Joannes Papyrio, alias Paparo vel Papirus, ab Eugen. III. legatus in Hyberniam quatuor attulerit pallia, unum Aramachianæ, alterum Dublinensi, tertiam Cassiliensi, quartum Connactiensi Ecclesiis. Posterior verò Giraldi articulus videtur repugnare notis ad Epistolam 149. infrà; ubi ostendimus Hyberniæ & Scotiæ Episcopos, ab Archiepiscopo Eboracensi duobusque Episcopis, quos debet Cantuariensis Archiepiscopus mittere, esse inaugurandos. Primo autem Dublinæ Archiepiscopo fuit nomen Gregorii, ut speciatim Giraldus observavit, subdens hanc honoris accessionem contigisse anno 1152. aut, si lubet 1151. Illum enim annum ponit Honeden. in Annal. Et horum quidem (qui eodem floruere scilicet 1130. usque ad 1200. & suprà) scriptorumque Anglorum fides, si quidpiam auctoritatis sibi comparavit: Nescio ut fuerit constantius D. Bernardus, qui etsi D. Malachiam appellet modò Episcopum 315. 316. 317. Epistol. in ejus vita nominet Archiepiscopum, & quidem fato functum anno 1148. biennio scilicet ante pallia in Hyberniam per Apostolicum Legatum delata: ni forsan dicas quod Baleum de Malachia loquentem scripsisse recolo, nempe, quòd obtinendi pallii gratiâ Romam accessisset. Verùm penes auctorem sua fides esto.

ANNOTATIO IN EPISTOLAM pag. 194.

SEPTUAGENAM QUARTAM.

S *i ergo Virgam pastoralitatis signum, si annulum fidei, &c.*] Iisdem penè utitur rationibus ad confirmandum Rothardum Pontificem Moguntinum, Epistola ad eundem, quam quia in nullis impressis voluminibus reperire potui, depromptam ex M S. nostræ Bibliothecæ, & ad rem plurimum facientem, hìc apponendam putavi: sic autem incipit. [„ Paschalis Episcopus servus servorum Dei, Ve- “
nerabili Fratri Rothardo Moguntino Episcopo; salutem, “
& Apostolicam benedictionem. Sacerdoti ac regni gra- “
ve jamdiù scandalum fuit: quia usurpantibus non sua re- “
gibus, Ecclesia, quod suæ est libertatis amisit. Hanc “
profectò viam, hanc januam nequitiæ suæ Simon Ma- “
gus invenit. Deum enim non nisi per prælucidam in- “
vestituram Ecclesiasticos honores adipisci mens ambitio- “
sa credidit; & seipsam curialibus subdit obsequiis, & re- “
gium cor amplioribus passa inclinare muneribus. Hæc “
nimirum avaritia, sicut in Regum libris legitur, anti- “
quorum quoque temporum religionem everrit. Sed er- “
ga hujusmodi præsumptores reges, qualiter divina sæ- “
vierit indignatio, in eisdem apicibus non siletur. Et ve- “
rò magnum est filio flagitium, matrem addicere servi- “
tuti, ut invita thalamos ineat, quos recusat. Super hoc “
negotio nova nos oportet solicitudine concitari, cùm no- “
vi regni opportunitatem divina dispositio providit. Nos “
enim regibus, quæ sui juris sunt, integra servare opta- “
mus: nec in aliquo minuimus, dummodo ipsi sponsæ “
sui Domini libertatem integram patiantur, quam sui me- “
ruit sanguine redemptoris. Sic agentes nostrum auxi- “
lium, nostrum consilium, concordiam nostram, nostram “
dulcedinem obtinebunt. Alioquin tantam Dominæ ac “
matris nostræ indignitatem pati non possumus. Quid “
enim ad militem baculus Episcopalis? Quid annulus sa- “
cerdotalis? habeant in Ecclesia primarum sinum, ut sint “
Ecclesiæ defensores, & Ecclesiæ subsidiis perfruantur. Ha- “
beant reges, quod regum est. Quod sacerdotum est, ha- “
beant sacerdotes: sic pacem invicem tenebunt, & se invi- “
cem in uno Christi corpore venerentur. De ordinatione- “

Hujus Synodi meminit Abb. Urspergens. sub fin. ann. 1099. & post eum Plac. de Vetust. Mediolan. l. 2. c. 21.

„ bus Clericorum, qui in noſtri temporis ſchiſmate ordi- A
„ nati ſunt, non aliud ſcribendum duximus, * quàm in Pla-
„ centina Synodo, per ſanctæ memoriæ Urbanum prædeceſſorem noſtrum deliberatum eſt. Porro Epiſcopis, qui
„ ſub excommunicationis in eodem ſchiſmate manus impoſitionem ſuſceperunt, ad Concilii ſententiam deferendos
„ arbitramur. Tantum enim tantarum perſonarum malum generaliter deliberatione aut curandum eſt, aut detruncandum. De Concilii autem loco vel tempore, ſi veſtris
„ in partibus celebrandum ſit, tua intereſt, communicato
„ Fratrum conſilio, nobis citiùs judicare. Optamus enim,
„ & vehementer opportunum eſt, ut vel apud vos per Le-
„ gatos noſtros: vel in Italia per nos largiente Domino
„ peragatur. In quo de ſacerdotii ac regni ſcandalo pro-
„ pulſando pace ſtabilienda, communi per Dei gratiam
„ deliberatione tractemus. Sanè de ſchiſmaticorum Eccle-
Hic off Joannis Papæ de Martyr. de quodam. plurimum ad ann. 131. ubi & hunc ſua epiſtola ſummus hunc allatum reſtituendum. l. 1. c. 11. Ivo Carnot. 3. p. c. 37.
„ ſiis, ſanctæ memoriæ * Johannis Papæ verba mandamus.
„ Ait enim Epiſcopis per Italiam conſtitutis: Eccleſias Ar- B
„ rianorum, ubicunque inveneritis, Catholicas eas divinis
„ precibus & operibus abſque ulla mora conſecrate in inferioribus, & id ipſum in Conſtantinopolitanis partibus ſe
„ feciſſe commemorat, dicens: Quaſcunque illis in partibus eorum Eccleſias reperire potuimus, Catholicas eas,
„ Domino opem ferente, * conſecravimus.
„ Omnipotens Dominus, quem pacem noſtram & ſalutem eſſe credimus, per induſtriam veſtram, pacem ac
„ ſalutem Eccleſiæ ſuæ, miſerationum ſuarum affluentia operetur. Datum Laterani, 3. Id. Novembris.“] Hactenus Paſchalis Epiſtola, quam illuſtrabunt quæ habet Abbas Urſpergenſ. anno 1105. 1106. & inſequentibus. Sed nec ab illa abhorrent Agobardus Lugdun. contra ſacrilegos, titul. 21. Capitul. Caroli Magni lib. 6. Jariand. Chryſopol. collectan. lib. 12. ſuæ Candelæ.

Hinc uſque Joan. Papa lo. cat.

pag. 195. ANNOTATIO IN EPISTOLAM C

SEPTUAGENAM SEXTAM.

Romam tendens ea intentione.] Quam quidem noverant, ad quos ſcribebat: ſed non omnes qui hunc locum viderint, niſi renexo ſtamine interruptum hiſtoriæ filum retexamus. Anſelmus igitur accepta Paſchalis Epiſtola penultima, quæ impudens regiorum legatorum detexit mendacium, conſtantius defendit inveſtituram Eccleſiaſticarum libertatem & poteſtatem. Rex autem regnique proceres videntes Dei virum tam excelſo firmoque animo, ut nec blanditiis molleſceret, aut minis concuteretur, ſuaſerunt ut ipſe Romam proficiſceretur, confidentibus atque etiam credentibus totam rem ejus opera fœliciſſimum ſortituram exitum. Paruit Anſelmus commentoribus, nihil non moliturus pacis ergo: diſceſſitque Anglia 5. Calend. Maias anno 1104. ut ſcribit Lilius in Chronico; cui libentius aſſentior quàm Matthæo Pariſio, Honedeno & Wigornienſi, id recenſentibus anno 1101. Nam ut aliàs diximus, Anſelmus Lugduno revocatus eſt in Angliam ab Henrico I. anno 1100. Auguſto menſe: eſtque veroſimile in Angliam delatum fuiſſe ſub finem ejuſdem menſis: immò, ſi Honedenum ſequamur, 7. Id. Septemb. Henricus Anſelmum invitavit in Angliam: quo menſe aut die, nihil non refert: cum inter omnes Anglos Scriptores conſtet eo anno Novembri menſe Anſelmum ſacro junxiſſe connubio Henricum regem & Mathildam Malcolini Scotorum regis filiam. Aſt Eadmerus peregrinantis Anſelmi Achates individuus, lib. 2. vitæ ejus, & Walſinghamus in hypodigmate Neuſtriæ obſervant has Henrici & Anſelmi inimicitias, non niſi poſt dimidiarum & ſecundùm ejuſdem Anſelmi reverſi annum, natas eſſe. Quod tempus dreſt in ſupputatione Pariſii & Honedeni. Quamobrem certior eſt, immò nulla verior Chronographia Eadmeri: cui ſoli, qui Anſelmum vidit, comitatus eſt euntem & redeuntem, ac permanſit ad extremum uſque vitæ ſpiritum, fidem promptius accomodo, quam alteri cuilibet. E

pag. 197. ANNOTATIO IN EPISTOLAM

OCTOGESIMAM QUINTAM.

Ut eum de Romfeot adjuvarem.] Romaſcot, Romiſcheot (Gallicè, *La taille de Rome*, Cujacio ad C. Auditis de præſcript. lib. 2.) Romſcot vel Romeſcot Anglica eſt dictio, ut apparet in legibus Guillelmi Nothi Anglorum Regis apud Roger. Honed. deſcriptis in Annal. poſteriori parte, pag. 344. Quarum una hunc titulum habet, & ſtatutum. [„ De denario S. Petri, qui Anglicè dicitur Rameſcot. Omnis qui habuerit 30. denariatas vivæ pecuniæ in domo ſua de proprio „ Anglorum lege dabit denarium S. Petri, & lege Danorum „ dimidiam marcam. Ille verò denarius debet ſummoneri in ſolemnitate S. Petri & Pauli ante feſtivitatem, quæ dicitur, ad vincula S. Petri, ita ut ultra aliam diem non detineatur. Si quiſquam detinuerit, ad cuſtodiam Regis clamor deferatur, quoniam denarius hic elecmotyna Regis eſt: juſtitiâ faciat reddi denarium, & forisfactionem Epiſcopi & Regis. Et ſi quis plures domos habuerit, de ea ubi reſidens fuerit, in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli reddat.“] Sic Guillielmus dictus Conquæſtor imperavit reddendum Deo quod Dei eſt, quodque a ſe imperatum fuerat ad unguem ſervavit, teſtibus litteris quas ad Gregorium VII tranſmiſit in hanc ſententiam: [„ Excellentiſſimo S. Eccleſiæ Paſtori Gregorio: gratia Dei Anglorum Rex & Dux Normanniæ Guillelmus, ſalutem cum amicitia. Hubertus legatus tuus, religioſe Pater, ad me veniens ex tua parte me admonuit quatenùs tibi & ſucceſſoribus fidelitatem facerem, & de pecunia, quàm anteceſſores mei ad Rom. Eccleſ. mittere ſolebant, melius cogitarem. Unum admiſi, alterum non admiſi. Fidelitatem facere nolui, nec volo: quia nec ego promiſi, nec anteceſſores meos anteceſſoribus tuis id feciſſe comperio.

Pecunia tribus fermè annis, in Galliis me agente, negligenter collecta eſt: Nunc verò divina miſericordia me in regnum meum reverſo, quod collectum eſt per præfatum legatum mittitur: & quod reliquum eſt, per legatos Lanfranci Archiepiſcopi fidelis noſtri, cùm opportunum fuerit, tranſmittetur. Orate pro nobis, & pro ſtatu regni noſtri, quia anteceſſores veſtros dileximus, & vos præ omnibus ſyncerè diligere, & obedientes auditer deſideramus.“] Hucuſque Guillelmi litteræ, quas inter Lanfranci Epiſtolas nactus ſum.

Sed Guillelmum ſcripſiſſe Gregorii litteris ad parentem in quibus ſic eum monuerat anno 1073. 11. Nonas Aprilis. Indictione 12 [„ Rebus verò S. Petri, quæ in Anglia colliguntur, ſic te ut tuis invigilare admonemus, ſic liberalitati tuæ ut tuæ committimus, ut pium & propitium debitorem Petrum reperias, & eum tibi ex debito ſubvenire admoneas, quem ſibi multa te tribuiſſe non latebit.

Huberti verò Apoſtolici in Angliam Legati ad colligendum divi Petri vectigal, fit mentio epiſt. 32. lib. 2. & 42 lib. 3. Quod autem Guillelmus Danorum lege pendi marcam dimidiatam jubet, videtur intelligendum de Regibus Danis, qui per aliquot annos regni Anglici habenas tenuerunt. Quorum unus, nempe Kanulus primus Rex Daciæ, Norvegiæ, & Angliæ, revertens Roma, quam petierat voti causâ anno 1030 litteras ad Anglos dedit, præcipiens universum æs alienum ſolvi ante reditum ſuum: & inquit, *denarios, quos Romam ad Sanctum Petrum debetis, ſive ex urbibus, ſive ex villis.* Has autem litteras anno 1031. ſcriptas eſſe memoriæ dedit Ingulphus Abbas Croilandenſis in ſua hiſtoria, ubi integrum earum apogryphum exſcripſit, religioſam quoque Kanutii peregrinationem denarravit: nec non Malmeſber. lib. 2. de Regibus Anglor. cap. 11. Honed. Annalium prioris parte anno 1031. Polyd. lib. 7. Angl. hiſtor. Lilius in Chronic. Henric. Huntid. lib. 6. *Rex verò Cnut*, inquit, *Romam ſplendidè perrexit: & eleemoſynam quæ vocatur Romſcot, quam anteceſſores ſui dederant Eccleſiæ Romanæ, perenniter aſſignavit.*

Ramoſcot igitur, ſeu Romſcot, eſt annum vectigal, quod Reges Angliæ penſitabant annuatim Summis Pontificibus Romanis: eamque ob rem Angli vernaculè appellabunt Pitrepens vel Petrepence, quaſi penium ceu denarium Petri, ut Epiſtol. 32. lib. 2. & 42. ſuprà. Petri Bleſenſis 136 edit. Pariſienſ. 1515. (Nam edit. Mogunt. ſeparavit ab Epiſtolis, ſeparatamque inſcripſit invectivam) & capit. Auditis de Præſcription. lib. 2. & capit. Ea quæ, De conſuetud. lib. 3.

Et hunc quidem denarium etiam cùm Angliæ Regnum teneretur eptarchia, Reges pependerunt. Ac imprimis Ina Occidentalium Anglorum Rex, annum ſalutis circiter 740. Æthelvulfus vel Adulf (ut ſcribitur lib. 3. Chronic. Etheluverdi. cap. 4.) ſitidem Weſtſaxonum ſeu Occidentalium Anglorum anno 855. ut Aſſerius Syreburnenſis, nunc Sareſberienſem dicunt, Epiſcopus, in Hiſtoria Elfredi Angloſaxonum Regis, tradidit hiſce litteris. [„ Romæ quoque omni anno magnam pro anima ſua pecuniam, id eſt, CCC. Mancuſſas portare præcepit: quæ taliter ibi dividerentur, ſcilicet, C. Mancuſſas in honorem Sancti Petri ſpecialiter ad emendum oleum, quo impleantur omnia luminaria illius Eccleſiæ in veſpera Paſchæ: & C. Mancuſſas in honorem Sancti Pauli, eadem conditione ad parandum oleum in Eccleſia Sancti Pauli Apoſtoli, ad implenda luminaria in veſpera Paſchæ, & in Galli cantu C. quoque Mancuſſas venerabili Papæ Apoſtolico.“] Penè ſingula Aſſiri verba Florentii Wigornenſis perſcripſit Chronic. pagina 300. Guillel. Malmeſberienſis lib. 2. de Reg. Anglis cap. 1. rem totam brevius & ſpecialius abſolvit: *Romam*, inquit, *compoſito regno ivit: ibique tributum, quod Anglia hodieque penſitat, Sancto Petro oblatis coram Leone Papa Quarto.*

Digitized by Google

Mancuſſas autem nunc memoratas Rogerius Honedenus appellat Manculas: & Malmeſberienſis proximè Marcas. At Guillelmus Lambierdus Scholiis ad veteres Saxonum leges aſſerit manculam & marcam eadem eſſe, nempe nummum valentem 30. denariis. Sed de his nimis, cùm Anglicanæ ſtiſtoriæ ſtudioſis ſint notiora, quàm luculentiùs explanatem. Neceſſariò tamen explanarius hæc obſervavi propeer quoſdam, me audiente referentes hanc denarii Romani penſtrationem ad Johannis, vulgariter appellati ſine terra, Regis Angliæ tempora: quanquam utraque ſit ex diametro oppoſita: hæc enim coacta, illa ſponranea fuit, ut prolixè narrat Matth. Paris in hiſt. majore.

pag. 198. ## ANNOTATIO IN EPISTOLAM

OCTOGESIMAM OCTAVAM.

UT autem vobiſcum ſim ſicut anteceſſor meus fuit, eâm patri veſtro facere non poſſum.] Girgillus foret hiſce verbis extricandis neceſſariùs. Cùm enim ſub finem illius ſeculi mille ſimi vocaretur Simonia, ſacerdotii, virgæ, aut anuli Pontificii data poteſtas à laico Principe, ſed & homagium (ut vulgò loquar) eidem factum, vel quodpiam obſequium ejuſdem rei gratia, videbatur Lanfrancus hac pœna macula: Immò & ipſe Guillelmus Nothus, hujus Henrici (ad quem ſunt præſentes Anſelmi literæ) genitor. Vidimus enim apud Baronium eum Alexandri Papæ teſtimonio laudatum, ob extinctam à ſe peſtem Simoniæ. Malmeſberienſis verò, ſi credamus ainti, lib. 3. de Reg. Anglis, Gregorium VII. inventorem fuiſſe & primum fulminatorem anathematis in laicos inveſtitores & inveſtitos; nihil in his verbis animadverto quod Lanfrancum attingat. Et quidem ejus inauguratio plus regia importunitate, & Summi Pontificis juſſu perfecta fuit, quàm hujuſmodi ſuſpectis favoribus, ut ipſemet teſtatus eſt literis ad eundem Pontificem datis relatiſque ad epiſtolam 23. lib. 1. Præterea, eodem Alexandro præcipiente Thomam Eboraci Archiepiſcopum & Remigium Lincolniæ Præſulem ſuis indignos ſcribus, (hic quòd Guillelmo Notho Angliam venienti tuliſſet ſuppetias, Epiſcopium acquiſierat; ille, quòd Preſbyter ſanctus eſſet) reſtituit. Verùm quia auctore Malmeſberienſi lib. 2. de Pontificibus Anglis. [„ Papa pondus facti à ſe rejiciens, in Lanfrancum conſilierationem transfudit, „ Et nè an tecus fieret, redderet inveſtituras ſi vellet; ſi minùs faceret, quod commodum ſciret. Ita illi de manu „ Lanfranci baculos & annulos recipientes, lætum ad patriam ſuum eodem modo iter reſtituit. Nec minori eum „ amoris ſtrugentia palpandum curavit Gregorius Alexandri ſucceſſor, multa illius conſilio tranſigens, multa etiam „ dom ſtica inſignia, illius conſcientiæ communicans.“] Quibus Malmeſberienſis verbis apparet, hos duos Pontifices habuiſſe Lanfrancum in Anglia vice ſacerrimi cujuſdam adyti, ex quo in vulgus ederentur neceſſariò cognoſcenda, pro locorum, perſonarum, & temporum ratione: alia verò aut reticenda prorſus, aut non tam manifeſta, ſicuta, ut videret Lanfranci prudentia, cui fides erat dictorum Papatum.

Quamobrem, ſi quid præſtitit Lanfrancus, quod detrecret Anſelmus, nemo temerariè vitio dederit probiſſimo Antiſtiti, cùm diſcipulus præceptoris non carpat, ſed affirmet ſe non audere quod præceptori licuit (ſi res exigeret aliquando) ob interdictum Urbani II. & Paſchalis II. ſe audiente promulgatum. Cæterùm hîc animo ſuccedit, Malmeſberienſem ſui immemorem fuiſſe libro 3. de Reg. Anglis, ubi de Gregorio VII. Papa ſic ſcribit: *His, quod alii inſtituerant, palùm extulit, excommunicans electos, qui inveſtituras de manu laici per annulum & baculum acciperent.* Graviter, inquam, memoriæ lapſus eſt Malmeſbita ita ſcribens: [„ Cùm Nicolaum I. Papam ducentis fermè annis ante Gregorium & Leonem IV. ante Nicolaum conſtet idem caviſſe ſub anathematis pœna, quàm legere eſt „ tomo 2. Conciliorum, his verbis: Ut per laicos nullo „ modo quilibet Clericus aut Preſbyter obtineat Eccleſiam, „ nec gratis, nec pretio.“] Quin & Alexander II. Gregorii VII prædeceſſor probavit, ſervandamque præcepit hanc cæteraſque Nicolai conſtitutiones. Etenim hanc Gratianus retulit Alexandri nomine, cap. 6. quæſt. 7. can. Per laicos. Ubinam verò loci hæc Statuta renovarit, exprimit ipſemet, ſcribens in hunc modum. [„ Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, omnibus Epiſcopis Catholicis, „ cunctoque Clero & populo; ſalutem charitſſimam, & benedictionem Apoſtolicam. Vigilantiâ univerſalis regiminis aſſiduam ſollicitudinem omnibus debentes, quæ in „ Conſtantiniana Synodo nuper celebrata coram centum „ & amplius Epiſcopis, licet nobis immeritis præſentibus, „ ſunt Canonicè inſtituta, vobis notificare curavimus; quia „ ad ſalutem noſtram eorum executores vos optamus, & Apoſtolica auctoritate jubendo mandamus. Primò namque, inſpectore Deo, ut à Beato Papa Leone & beatæ „ memoriæ Nicolao priùs ſtatutum eſt erga Simoniacos „ nullam miſericordiam in dignitate ſervanda habendam „ eſſe decernimus.“] Et paulò poſt ſancta Synodus hæc à capite ſub excommunicatione ſtatuit, dicens: [„ Quicunque Sacerdos vel Diaconus vel Subdiaconus poſt conſ- „ tiutum beatæ memoriæ prædeceſſoris noſtri, ſanctiſſimi „ Papæ Leonis aut Nicolai de caſtitate Clericorum concubinam duxerit, vel ductam non reliquerit, ex parte omnipotentis Dei, & auctoritate Apoſtolorum Petri & Pauli præcipimus, & omnimodo interdicimus, ut Miſſam „ non cantet, neque Evangelium, neque Epiſtolam ad Miſſam legat.“] Hæc carptim ex Synodo Lateranenſi.

Portò has Anſelmi literas Lugduno fuiſſe datas anno 1105. inde conſtat, quod obſervaverimus in epiſt 76. Anſelmum Romam profecturum exceſſiſſe Anglia anno 1104 & in Galliis ſupra tres menſes eſſe commoratum, propter nimios æſtus ſimiliſque corpuſculi imbecillitatem: ita ut ſe dederit in viam Nonas circiter Auguſtas: hunc enim diem produnt epiſtol. 81. & 85. Præterquam, quod à verò abhorreat, virum multò confectum ſenio iiſſe & redüiſſe tam brevi, ut eodem revertteretur anno quo diſceſſiſſet, maximeque hyberno tempore.

Hanc verò ſeparationem Anſelmi regiique legati Guilhelmi Guarlenaſii contigiſſe haud procul à Lugduno, Eadmerus, Malmeſberienſis, & alii ſunt auctores. Diverſus igitur Lugdunum Anſelmus multas inſequentium Epiſtolarum ſcripſit ad Regem, Reginam, Antiſtites, Cœnobiarchas & Cœnobitas, aliique ad eum.

ANNOTATIO IN EPISTOLAM pag. 199.

NONAGESIMAM.

Quia eum illum coronare nolo.] Quo ſenſu id dicat Anſelmus, non video: quia antequam Henricus eum primò revocaſſet in Angliam, jam inſignia Regis ſumpſerat ipſomet teſte epiſt. 40. ſupra. Præterea ut monſtravimus ad epiſtol. 88. hæ literæ fuere ſcriptæ Lugduni intra annum 1105. Henricum autem fuiſſe in Regem Angliæ unctum anno 1100. Poſtrid. Calend Auguſt. uno teſtantur ore Hontidon. lib. 7. Malmeſbur. lib. 3. de Reg. Angl. Florent. Wigorn. id Chronic. Honed. in Annal. 1. part. Neubrig. lib. 1. cap. 3.

ALTERA ANNOTATIO.

ET Alexander, qui maxime, &c.] Hic Alexander (cujus etiam Willelmus Malmeſber in Cantuarienſibus Archiepiſcopis ſubinde meminit, ubi maximè de Anſelmo ſcribit) fuit Cantuarienſis Monachus: & ad Anſelmum, Anſelmi noſtri nepotem deſtinavit lib. 1. ex Anſelmi Archiepiſcopi dictis concinnatum, & 19. capit. diſtinctum: Ex centur. 10. Catalog. Scriptorum Britanniæ.

ANNOTATIO IN EPISTOLAM pag. 201.

NONAGESIMAM TERTIAM.

AMplectar veſtigia tua, pedes exoſculabor.] Lectorem hîc velim orarum, ne putet iſthæc eſſe verba & voces: quod enim Regina illa modeſtiſſima polliceretur Anſelmo, eodem prorſus anno & exteris, ut credibile eſt, præſtitit. Teſtem habeo Matthæum Paridem anno 1105. majoris hiſtoriæ id referentem. [„ Eodem, „ *inquit*, tempore David frater Reginæ Anglorum Matildis, venit in Angliam, ut ſororem ſuam viſitaret. „ Qui cùm nocte quadam in thalamum ejus ab ipſa vocatus veniſſet domum, invenit leproſis plenam: & Regina in medio ſtans, depoſito pallio, linteo ſe utriſque manibus præcinxit, & aqua impoſita, cœpit lavare pedes eorum, & extergere linteo, & utriſque manibus „ conſtrictos cœpit devotiſſimè oſculari. Cui frater: Quid „ eſt quod agis, ô Domina mea? Certè ſi Rex ſciret „ iſta, nunquam dignaretur os tuum leproſorum pedum „ tebe pollutum, labiis ſuis oſculari. Et illa ſubridens, „ ait: Pedes Regis æterni quis neſcit labiis Regis moriturí eſſe præferendos? Ecce, ego idcirco te vocavi, „ frater Chariſſime, ut exemplo meo talia diſcas opera „ ri: fac rogo quod me facere intueris.“] Hucuſque Matthæus Paris, cui nonnulla adieciſſemus, ſi veniſſet in manus noſtras liber de ejus vita ſcriptus, cujus mentionem facit Guillelmus Gemmeticenſis lib. 8 hiſtoriæ Ducum Normannorum cap. 10. M.S. Victor. habet 8. in hunc mo-

Digitized by Go

dum. [„ Quantæ autem ſanctitatis & ſcientiæ tam ſecu- A
„ laris quam ſpiritualis utraque Regina, Margareta ſcili-
„ cet & Mathildis fuerint: liber, qui de vita ipſarum
„ ſcriptus eſt, plenè ſermone deſcribit.“] Hic autem Gemmeticenſis locus anſam præbet monendi lectoris de rerum divinarum humanarumque cognitione, qua excelluit Mathildis: quamque teſtantur ſatis hæc & aliæ ejuſdem ad Anſelmum epiſtolæ, ne quis exiſtimet ſuo tantùm ſcriptas nomine. Gemmeticenſi calculum adjicit Willelmus Malmeſberienſis lib. 1. de geſtis Regibus Anglorum in hanc ſententiam: Literis quoque fœmineum pectus exercuit.

pag. 401. ## ANNOTATIO IN EPISTOLAM

NONAGESIMAM SEXTAM.

A *Pud Deum pro ipſâ, & me, & communi ſobole, &c.*] B
Communis illa ſoboles fuit Mathildis filia cognominis hujus Mathildis Anglorum Reginæ, ſuſcepta ex legitimo & pudico Henrici I. thoro, non inceſto concubitu; ut Matthæus Paris, Polydorus, & Arnoldus Vuion. lib. 4. ligni vitæ, capite 19. eos ſecutus imprudentiſſimè, aſſerunt ex incerto vulgarique rumuſculo: nullum enim habent teſtimonium certiùs quam verba, Aiunt nonnulli, Perhibent, &c. ſicque aiunt: [„ Mathildem inter Mona-
„ chos Wiltonienſes & Rumeſienſes nutritam, virginitate
„ jam dedicata, coactam & agnatorum precibus, & no-
„ vi Regis importuno amore, nupſiſſe; tumque ditis pro-
„ lem oeroviſſe, ſi quam ederet: acciditſſeque ex geni-
„ tricis voto, quod Willelmum filium in Angliam trans-
„ fretantem mare abſorbuerit, & ſiniſtri bellorum even-
„ tus eripuerint Angliæ regnum Mathildi filiæ ab Henri-
„ co relictum.“] Egregiæ profectò divinationes, aut potiùs ingenia recti devia. Sed ad rem. Quis credat D. Anſelmum, virum Matthæi Paridis, Polydori & Vuionis judicio integerrimum, tam nefandas conciliaſſe nuptias? Quare illos ne pili quidem hac in re facio, tum quod, ut diximus, ex plebeia fama, (quæ crebrò mendax eſt) loquantur, tum quod hic quadringentos poſt Anſelmum, ille centum & viginti annos Henrico III. Rege ſcripſerit. Præſtat igitur audire Scriptores rerum geſtarum ſynchronos, & primò Malmeſburienſem Bibliothecarium ita lib. 5. de Regibus Anglorum loquentem: [„ Nec multò
„ poſt ſuadentibus amicis, ac maximè Pontificibus, ut
„ remota voluptate pellicum, legitimum amplecteretur con-
„ nubium, die ſancti Martini accepit Mathildem, filiam
„ Malcolini Regis Scotorum, cujus amori jampridem a-
„ nimum impulerat, parvipendens dotales divitias, dum-
„ modo diu cupitis potiretur amplexibus: *Et rurſus pag.*
„ 92. *fac.* 2. *&* 93. Ut ignobiles nuptias reſpueret, (vi-
„ *delicet Mathildis*) pluſquam ſemel à patre oblatas; pe-
„ plum ſanctæ profeſſionis iudex geſtavit. Quapropter
„ cùm Rex ſuſciperet eam thalamo, res in diſceptatio-
„ nem venit, nec niſi legitimis teſtibus productis, qui
„ eam jurarent ſine profeſſione cauſa procerum velum ge-
„ ſiſſe, Archiepiſcopus adduci potuit ad conſentiendum.“]
Sic ille, qui ne verbulum quidem habet voti à Mathilde violati: ſed ne præſtiti quidem, aut execratæ ſobolis: immo legitimum appellavit connubium, & pepli virginei aliquamdiu geſtati cauſam reddens gravem, non famam popularem. Florent. Wigorienſ. Guilelmus Gemmeticenſ. Henricus Huntidon, æquales Malmeſberienſi ne de ſomnio quidem hujus fabulæ meminere, qui aliàs de Mathilde breviter & præclarè loquuti ſunt. Ipſius quoque Mathildis teſtimonium, ut ſuam perſequatur injuriam, præterire religio mihi eſt: poterit enim audiri non ut accuſatrix, ſed ut teſtis: Ait ergo epiſtol. 51. ſuprà: Cujus (nempe Anſelmi) ſum benedictione in legitimum matrimonium ſacrata, cujus precibus in cœleſti gloria Deo annuente coronanda. Nec horum verborum immemor Anſelmus ad eandem reſcribens, inquit: Memor eſt benigna veſtra dignatio in Epiſtola ſua, quod per me ſit veſtra celſitudo in conjugium legitimum deſponſata, & ad regni ſublimitatem me ſacrante coronata. Sic Anſelmus; cujus verbis ſi non accredat quis, impudentiam ipſam illum jure vocitaris. C

Sed nec in animum inducere poſſum, Virginem ſanctiſſimam & ſingularis pudicitiæ, ſi voto fuiſſet obſtricta, tam nefando conſenſuram matrimonio. Jam verò quis credat eam malè imprecatum ſoboli, cùm Anſelmi preces his literis efflagitet pro ſalute ipſius? D

Quod tandem Paris & Polydorus opinantur, ad rem ſuam facere Willelmi Mathildis filii exitum infœlicem, & Angliam Mathildi filiæ ereptam, nihil moror; cum ea, quibus maximè incumberent, everterint, contentus Mathildis innocentiam in tranſitu propugnaſſe.

ANNOTATIO IN EPISTOLAM pag. 407.

CENTUM NONAM.

F *oriſfacturam exigit.*] Foriſfactura, foriſfactio & foriſfactum vulgò ſynonima ſunt. Hic autem foriſfactura ſignificat mulctam pecuniariam à Principe vel judice delinquenti impoſitam. *Amende en punition du forfaict.* Et ſic quidem hic accipi ſuadent Anſelmi verba hæc: [„ Dico enim vobis, quod valde timere debetis, “
„ quia pecunia taliter accepta (ut taceam quantùm no- “
„ ceat animæ) non tantùm, cùm expenderetur, adjuva- “
„ bit terrena negotia, quantùm perturbabit.“] Sic rurſus uſurpatur in legibus Willelmi Nothi apud Roger. Honed. pag. 448. fac. 2. [„ Quod ſi, *inquit*, aliter fece- “
„ rit, ſolvat ſatisfacturam.] Et pag. ſequenti: [Reddatur “
„ de rebus hominis illius, qui calumniatus eſt, quod di- “
„ citur ſcapus, & inſuper Regi foriſfactura.] Et folio 345. pag. 2. [„ Sacca eſt, quod ſi quilibet nominatim ali- “
„ quem de aliquo calumniatus fuerit, & ille negaverit, fo- “
„ riſfactura probationis vel negationis ſi evenerit, ſua “
„ erit.“] Et in titulo de iis qui pacem per breve regis habent, & proximè appoſito titulo: [„ De iſtis octo “
„ libris rex habeat centum ſolidos, & Conſul Comita- “
„ tus, qui tertium habet denarium foriſfacturæ, quin- “
„ quaginta ſolidos.“] Iterumque titulo de latronibus pro latrocinio interfectis: [„ Ab ipſo verò die in quinde- “
„ cim dies reddat interfector Epiſcopo tres foriſfacturas“] In eandem acceptionem videtur quadrare locus cap. 18. diſtinct. 2 Curtus Normanniæ MS. in noſtra Bibliotheca ſic. *Ad ducem pertinent omnes foriſfacturæ mobiles. Foriſfacturæ autem mobiles ſunt Catallia, ſeu mobilia eorum qui per judicium damnati ſunt.* Sic Normanni in ſuo curſu.

Præterea aliquando foriſfactura uſurpatur pro ipſo ſcelere, ſeu peccato aut vi facta alteri, ut titulo de temporibus & diebus pacis Domini Regis, earundem legum Willelmi: *Rex conſtringet malefactorem, ut emendet, cui foriſfacturam fecit.*

Ibidem etiam foriſfactum ſynonimos poſitum eſt juxta poſteriùs foriſfacturæ ſignificatum, his verbis: *Si quis foriſfactus Regis miſericordiam pro foriſfacto poposcerit.*

Johannes Gerſon tractatu contra obſcœniſſimum Johannis Magdunenſis carmen, quod vulgò *Romantianum*, de roſa dicitur, & hoc vocabulo utitur, inducens pudicitiam ita ſupplicantem: *ut*, inquit, *remedium ponatur, & brevis proviſio de innumerabilibus foriſfactis quæ mihi intulit, necdum inferre ceſſat.* Eò quoque accedunt verbum foriſfacere, & foriſfactus participium, educta ex vernacula noſtra lingua forſaict, forfaire, forfaicture, peccatum, peccare. Videtur enim ab adverbio foris deduci, ita ut foriſfacere ſit quaſi extra facere, quod peccatum homines foris vel extra jus & æquum faciat ſeu ejiciat. Poſſemus & hujus compoſitionem referre ad vocalem monoſyllabam *for*, quæ crebro ſignificat male: & foriſfacere, malefacere. Harum autem literaturum & mulctæ pecuniariæ ab Henrico dictæ Clericis violatoribus Concilii Londinenſis, memicit Malmeſburienſ. in Anſelmo. Porro ex Normannia hanc Epiſtolam fuiſſe datam anno 1107. colligitur ex Florentio Wigornienſi, & Matthæo Paride, qui colloquium in Caſtro Aquilenſi (ut Anſelmus deſignat Epiſtolam 112. ſequenti) habitum inter Regem & Archiepiſcopum, hoc anno recenſent. Confer. Epiſtol. 111. 112. 115.

ANNOTATIO IN EPISTOLAM pag. 408.

CENTUM DECIMAM SEPTIMAM.

D *omino Priori Ernulfo.*] Priori ſcilicet Eccleſiæ Cantuarienſis, poſt Henricum Beccenſem monachum, ad quem ſunt Epiſtol. 49. 54. 58. 64. lib. 1. necnon aliquot lib. 2. & 3. Ernulfus autem, licet ſic ſcribatur Epiſtol. 80. 81. 90. 101. 110. hujus libri, & lib. 2. de geſtis Anglorum Pontif. auctore Guillelmo Malmeſberienſi. Attamen in MS. tabulis noſtris, Roger. Honed. Annal. Florentii Wigorn. Chronic. & Epiſtol. 31. Ivonis Carnotenſis ſcribitur Arnulfus in hanc ſententiam. *Arnulfus Beluacenſis, Monaſterii Sancti Symphoriani Monachus, vir prudens & religioſus, ſimili de cauſa, relicto Monaſterio* (ſic enim illic legendum eſt, non *Caſtruenſe*, ut conſtat ex locis ſuperioribus) *Monaſterium regit.* D. autem Symphoriani Monaſterium à Drogone 43. Bellovacorum Pontifice conditum fuit ad Auſtrum

in

in colle, ex adverſo portæ urbanæ, cui D. Johannis nomen A
eſt. Porro locus Ivonis patria quidem Bellovaci, (ſed a-
gnominati Carnotenſis ob Pontificatum à ſe Carnuti ge-
ſtum) & Arnulfi coætanei expungit quædam in duobus Scri-
ptoribus Anglis, & comprimis Malmeſberienſe Bibliothecario ſuprà dicente, Arnulfum priùs egiſſe monachum in Cœ-
nobio S. Luciani à Bellovaco paſſus circiter triginta diſtanti contra ſeptentrionem in conſpectu præterfluentis Taræ amnis. Sed id per facilè dabitur Bibliothecam qui fortè cùm accepiſſet Arnulfum priùs extitiſſe Monachum Bellovaci, potius in Lucianico, utpote longè antiquiori & celebrio-
ri, quàm Symphorianico ſuſpicatus eſt, Balæus cent. 2. ut ſuam Angliam furtivis decoret pennis, præciſe negat eum fuiſſe Bellovacum, refragantibus Ivone & Guillelmo Malmeſberienſis, Arnulfi contemporaneis, nec non Anſelmo noſtro ſic finiente Epiſt. 65. lib. 1 *Salutat Dn. Arnulphum Belvacenſem.* Hic igitur Prioratu ſen Decanatu Cantuarienſi lautè honorificeque adminiſtrato, emicuit dignus qui præficeretur Cœnobio S. Petri Burgenſis in Anglia, tan-
demque poſt Gondulfi (de cujus Pontificatu eſt ſcholion B
noſtrum ad Epiſtol. lib 1.) mortem, Roſenſi Eccleſiæ: ubi quàm elegantiſſimè fit functus partibus egregii Antiſtitis enarrat Malmeſbrienſes in Roſenſ. Epiſcopis, ubi ſub finem, computans annos ſui Pontificatus, ait. *Vixit in Epiſcopatu dies aliquot ſuper novemdecim; deceſſitque quatuor & octoginta annos natus, multis probitatis ſuæ monumentis relictis.* Malmeſbr. aſtipulatur, Continuator Florentii Wigorn. Matth. Paris in majore Hiſtor. Rogerus Honed. in annal. Fato tandem ceſſit anno 1114. & quidem Romæ (ſi Balæus frequenter ἐμέσαιμον fidem mereatur) licet alle-
gati Scriptores Angli, Balæoque ſeniores annis, ne verbulum quidem fecerint. Sed & tam varia, verſicolorque ut ita dicam, de Arnulfo Balæi apud Hiſtoricos narratio rexi-
ſit, ut cunctis perlectis quid ſis lecturus, neſcias Martinus Polon. lib. 4. de Pontif. Roman. in Paſchali II. loquitur de quopiam Hæreſiarcha Arnulpho, (ſic enim legi in noſtro M S. cùm edit. Antuerp. 1574. legat Arnulphum) C
ſed nullius eum dignitatis aut conditionis fecit. Scedelius in regiſtro Chronic. dicit eum ex Abbate S. Medardi Sueſſionenſis creatum Lugdunenſem Archiepiſcopum. Supplem. Chronic. lib. 12. fuiſſe Abbatem, (ſed anonymi apud eum Cœnobii) poſteaque Lugdunenſem Archiepiſcopum, Canonicorum Regularium magnificum propagatorem, & inſignem verbi divini præconem: adeò ut cùm Romæ graviùs infectaretur Clericorum petulantiam ab iis fuerit peremptus. Platina in Honorio II. poſtrema hæc cecinit: at num is fuerit Monachus, eremita vel Preſbyter, non pronunciat. Balæum tota reddidit ſynonimia audacem & mendacem, (quem etenim vidimus impoſtorem pro aſſignanda patria, fideliorem in ejus morte dicenda non habebimus:) ne verò ſecurum &, ut ſpero, veracem ſtabilemque cum proba-
tis Scriptoribus Anglis, teſtes deprehenſi, æſtuantes & de veritatis gradu dejecti. Hoc unum prodet, nempe de Archiepiſcopatu Lugdunenſi tributo à Jacobo Bergon. & Scedelio: quoniam in duabus Archiepiſcoporum Lugdunenſium nomenclaturis apud Demochatem deſcriptis, ne unum quidem deprehendes hujus nominis Pontificem: quod & Balæus minimè ambit. Solum odium, & quidem pluſquam Vatinianum, quo Romanam infectabatur Eccleſiam, hocce atramento ejus tinxit pennam. At ne quis putet religio-
nem in Arnulfo ſolam viguiſſe, ſuæ doctrinæ habebit hæc monimenta. Nempe: Solutiones quæſtionum à Lamberto Cœnobiarcha Bertiniano propoſitarum, venerabili ac in gremio charitatis. De corpore & ſanguine Domini lib. 1. faciem tuam non velabis. De ſex verbis Domini: ultima Chriſti in cruce verba. De operibus ſex dierum lib. 1. Homelias & Sermones lib. 1.

pag. 410. ## ANNOTATIO IN EPISTOLAM

CENTUM DECIMAM NONAM.

Abbatem Malmeſberia.] Lingua Weſtſaxonica dicitur Maildulfeſburch, vulgò Malmeſberia vel Malmeſburia, ſita in Witenſi pago, diœceſi Sareſberienſi in Anglia: primo inchoata à Meidulpho Scoto Monacho: ſed anno 657. maximè aucta ditataque à Leutherio Weſtſaxonum Epiſcopo, Agilberti Pariſienſis Antiſtitis nepote: Sed multò ditior fuit viris eruditis: inter quos non tenet poſtremas Guilhelmus, à ſui Cœnobii nomine cognominatus Malmeſberienſis; Propriè tamen Homerſet, homo impensè doctus, diligenſque Hiſtoricus: quem non ſemel produxit: quique obiit anno 1142. Porrò ex quo Calviniani Angli diruerunt hoc Monaſterium, ſuiſque miniſtellis, ut in eo juventutem docerent, nullus illic potuit habitare; aut ſi quis, vel inſa-
nus, vel impius invaſit.

ANNOTATIO IN EPISTOLAM pag. 410.

CENTUM VIGESIMAM PRIMAM.

Gerardus Eboracenſis Archiepiſcopus, & Robertus Ceſtrenſis Epiſcopus, & Herebertus Norwicenſis, & Rodulfus Ciceſtrenſis, & Samſon Wigornenſis, & Wilhelmus Wintonienſis &c.] Ad Gerardum ſunt Epiſtolæ 53. & 60. ſuprà, qui ex Herefordenſi Epiſcopo poſt Thomam Bajocenſem Archiepiſcopii Eboracenſis inſulas adeptus eſt. Eboracum verò, Anglicè Iortz, Gallicè York eſt urbs celeberrima, inſulæ Anglicanæ ad Aquilonem inter Uſcam & Foſſam flumina, quæ ipſam præterlabuntur civitatem, ac inde ſimul junctæ Humbrum influunt. Licet autem poſt annum ſalutis redditæ 181. fuerit Sedes Archiepiſcopalis, tamen à quibuſdam tranſlata fuit ad Hanguſtaldum ejuſdem Archiepiſcopatus villam, ut ſcrupulosè obſervavit Malmeſberienſis in Archiepiſ-
cop. Eboracenſibus. B

Roberto Ceſtrenſi fuit cognomento de Limmeſis, ſeditque annos ſuprà triginta, ut legi in Tabulis M S. Ceſtrenſium Epiſcoporum noſtræ Bibliothecæ.

Herebertus inter Orientalium Anglorum Epiſcopos primus dictus eſt Norwicenſis à vico Norwic, commercio populique frequentia celebertimo, quò Herebertus Cathedram tranſtvexit. Priores enim Antiſtites Domocenſes & Helmo-
neſes, tandemque ex duobus ſacerdotiis unum effectum eſt apud Helmacham villam; ex qua Agelmarus, ſeu Ethelmerus Thedfordum receſſit, ut Helmanenſium Epiſcoporum Tabulæ M S. in noſtra Bibliotheca teſtantur, quod tamen à Malmeſber. lib. 2. de Pontif. Ang. video tribui Herfaſto, qui in noſtro M S. Præponitur Agelmaro. [„ Herebertus „ denique vir magnanimus, & admodum literatus, prius „ Monachus & Prior Fiſcannenſis, deinde Abbas Rameſien- „ ſis, & ex Abbate Rameſiæ empto præſulatu Thedforden- „ ſis Eccleſiæ factus eſt Epiſcopus: Pœnitens verò Romam „ profectus eſt, indulgentiaque accepta reverſus, ſedem „ tranſportavit ad Norwic, ibique Monachorum congrega- „ tionem condita Eccleſia ſanctè inſtituit.“] Hucuſque de Hereberto noſter M S. codex. C

Radulfus Ciceſtrenſis: ita reſtituimus ex Mſs. tabulis Ciceſtrenſium Præſulum, impreſſis Florentii Wigor. cæteriſque hiſtoriis Britanniæ excuſis. Nam exemplar harum Epiſtolarum calamo exaratum legebat *Robertus*: forſan ex Libratii incogitantia alteriùs Roberti nomen ruminantis.

Samſon Guigornienſis: non Satiſo, quemadmodum legitur: Ivon. Carnut. Epiſt. 76. Cujus tamen ſcholion monet in aliis codicibus haberi Samſon: & nos ita legimus ex plurimis Scriptoribus Angl. & Mſs. tabulis Guigor. Epiſcop. in hunc modum: *Anno 1096. Samſon Bajocenſis conſecratus eſt ab Anſelmo Archiepiſcop. in Eccleſia S. Pauli Londonienſis, 27. Calend. Julii. Hic fuit frater Thomæ Eborac. quem promovit Odo Bajocenſ. Epiſc.*

Guillelmi Wintonenſis meminit Anſelmus Epiſt. 70. 2. 95. & 105. ſcribit. Has autem Britanni Antiſtites idcirco literas mittunt Anſelmo, quia etſi ab Henrico Rege univerſa ſui Archiepiſcopii prædia & jura recepiſſet in Conventu Aquilenſi, ut apparet ex Epiſt. 110. 111. ſup. diſtulit tamen reditum in Angliam, quia nolebat cum pontificib. à Rege inveſtitis verſari. Eam ob rem denuo poſtremoque Guillelmus Warlevaſt Regis, & Balduinus Anſelmi Legati Romam contendêre: unde tandem litis diutiſſimè conteſtatæ, tamque iniquè hoc retulere judicium ab ore Paſcha-
lis: ſcilicet electos Præſules ab Anſelmo recepturos annulum & virgam pontificiam: Regi verò facturos fidelitatem. Interea dum Romam iterat; crebræ ex Anglia querimoniæ & literæ perferebantur, ut quàm citiſſimè rediret. Videbant enim univerſi Epiſcopi, omnia in pejus ruere & retro ſub-
lapſa referri; volebantque mederi, ſed non valebant niſi Anſelmo præſente. D

ANNOTATIO IN EPISTOLAM pag. 412.

CENTUM VIGESIMAM SEXTAM.

Utrum Dominus Hervæus Bancorenſis poſſit conſtitui Epiſcopus in Eccleſia Lexovienſi.

Hervæus.] Polydoro lib. 12. Hiſtor. Angl. Henricus. Sed Malmeſber. Honed. Matthæus Paris, M S. Schedæ Epiſcoporum Helyenſium certiorem faciunt fidem, quæ eum Hervæum vocant: primùm fuit Bancorienſis Antiſtes; ſucceſſor Davidis, illius ſcilicet egregii hyperaſpiſtæ Henrici Quinti Imperatoris, ob iniquam probroſamque Paſcha-
lis Secundi Papæ captivitatem. Erat autem Bancor, (unde & Bancorienſis, Bangorienſis, & Bancorenſis formantur) tempore Britonis civitas, & Arturo Rege Sedes pontificia in Wallia tertia parte Inſulæ Britannicæ ad umbili- E

Digitized by Google

cum Galliæ, (qui quidem locus in Armonia Venedotarum terra) haud procul à trajectu in Monam Inſulam Britannico vocabulo fuit appellatus Banchor, nunc verò Bangora ſeu Bancora. Illic autem teſtimonio Bedæ lib. 2. Hiſtor. Eccleſ. Anglic. cap. 2. floruit Cœnobium duorum millium monachorum, qui eptarchia regebantur. Divus Bernhardus in vita S. Malachiæ copioſiorem fuiſſe gregem inſinuat, addens, ob majorum primorumque incolarum ſanctitatem, fuiſſe illic conditum Oratorium ab eodem Malachia, & inhabitatum. Henrico autem Primo Rège, cùm ſolo æquatum fuiſſet locus Epiſcopatus, ut nec eſſet in quo Epiſcopus pedem figeret, petiit a Rege ſibi dari Lexovienſem Eccleſiam: ſic enim ſcribo, non Luxovienſem, ut Epiſtol. 174. 178. 179. 181. Ivon. Carnotenſ. Alioquin nihil videas diſcriminis inter Eccleſiam Lexovienſem Pontificiam Lugdunenſis ſecundæ in Neuſtria, & Luxonienſe Cœnobium, Voluiſiano Protocœnobiarcha illuſtre conditum in Burgundia non in Germania, ut ſenſit Robertus Cænalis Abrincatum Epiſcopus lib. 2. de re Gallica, perioche nona. Burgundiam enim ſemper Gallici fuiſſe juris Guillel. Paradius oſtendit cap. 10. ſui libri de antiquo ſtatu Burgundiæ. [„ Cùm igitur ob cauſas ab Anſelmo redditas, (ſic enim „ lego facilitatum ab Ivone Carnotenſ. in transferendo Gua„ lone ab Eccleſia Bellovaca, cui ſacratus fuerat, ad Pa„ riſienſem, Epiſt. 169. juxta finem & 170.) Herveus Le„ xovienſem nequiret obtinere ſedem; Lincolnienſiſque dioe„ ceſis longiùs protenderetur; ad minuendam Epiſcopi cu„ ram & laborem, Concilio habito, novus Epiſcopus poſi„ tus eſt in Helyenſi Cœnobio, anno Chriſti 1109. An„ ſelmi poſtremo, Henrici Regis 9. Eſt verò Helys, (un„ de & Helyenſi monaſterio nomen) inſula ad Auſtrum „ Angliæ, dulcibus aquis circumfuſa intra limites Can„ tabrigienſis Comitatus, quem Herveus impetravit, ut „ ſibi poſteriſque eſſet abundè, quæ viverent honeſtè pro „ dignitate.

ANNOTATIO IN EPISTOLAM pag. 415.

CENTUM TRIGESIMAM QUARTAM.

Valerano Norumburgenſi.] Sic tres Codices excuſi: Prioris autem vocabuli æquè ac poſterioris varia eſt lectio. Prioris quidem apud Dodechyn in continuatione Mariani Scoti & Trithem. in ſcripto Eccleſ. Valtramus, alibi Valerannus, aut Valeranus: quæ duæ ſunt receptiores. Poſterioris apud Trithemium Nienburgenſis, Munſter. lib. 3. Coſmograph. Neunburgenſis, Catalog. Archiepiſcopatuum & Epiſcopatuum, edit. 1518 Mitveſtburgenſis Munſterum libentiùs ſequor, monentem id Epiſcopii ſedem habere in Miſnia, aliàſque vocitari Litzenſe aut Manſilienſe, & Archiepiſcopi Parthenopolitani (vulgò Magdeburgenſem dicunt) reſpicere auctoritatem. Hunc autem Valerannum ab Anglicis quibuſdam Theologis hæreſeos cauterio muſtum, purgabimus in Annotationibus Tractatus S. Anſelm. de Sacramento Altaris.

Prudentiam veſtram non favere ſucceſſori Julii Cæſaris, & Neronis, & Juliani.] Henricum IV. Teuthonicorum Regem, & Imperatorem puto hîc ſignari tot ob cauſas, quot nomina. Fuit enim Julii Cæſaris ſucceſſor: quia hæres (ut ita dicam) & poſt multa ſæcula coaptatus eſt in regnum illius Germaniæ, quam Cæſar multis tandem proſtratam præliis, Romano ſubegit imperio: vel forſan quia ut Cæſareo diademati, ſic & bellicæ ſuccreſſit fœlicitati. Henricus enim (ſi luxum tollas & pluſquam vipereas hoſtileſque in Romanos Pontifices inimicitias) fuit alioquin Princeps facundus, liberalis & bellicoſus, adeo ut bis & ſexagies in acie collata pugnaverit: teſtimon. Malmeſburienſ. ejus coætaneis in Reg. Angl. Melanthon. ſcholiis ad Abbat. Urſperg. Chronic. & Munſter. lib. 3. Coſmog. Julii Cæſaris, Neroniſque ſimilitudinem in eo rurſus exprimit ſimilitudo flagitiorum, ſtuprorum, adulteriorum & inceſtuum, quos de Julio habet Sueton. cap. 49. 50. 51 52. & de Neronc 6. 26. 28. 29. Juliani effigiem (ni penicillum adulterinos duxerit colores) refert idem vultus immanitatis, quæ non Chriſtianos tantùm, ſed & Chriſtianorum ſummos Pontifices Alexandrum 2. Gregor. 7. Victorem 3. Urban. 2. exagitavit. His accedunt confirmantque univerſa, & ea nefanda, quæ ipſius Henrici uxor Agnes reſtificata eſt in Syn. Placentina, Urbano 2. audiente, ducentiſque Patribus ibidem coactis, ut ſcribit Abbas Urſperg. ſub finem anni 1099. Qui & ante finem 1106. iiſdem (ne dicam vivacioribus & ſordidioribus) quam hic & Anſelm. hominem coloribus depingit, inquiens: [„ Hic „ finis, hic interitus, hæcque ſors ultima Henrici ſub il„ lo vocabulo 4. Roman. imperatoris à ſuis appellati: à „ Catholicis verò, id eſt, ſanctis B. Petri ſucceſſoribuſque ſuis, fidem & obedientiam lege Chriſtiana conſervantibus, Archipirata ſimul & Hæreſiarcha, nec non & „ Apoſtata, perſecutorque plus animarum quàm corporum competenter dicebatur, ut pote qui nec naturalibus „ nec conſuetudinariis contentus ſceleribus, nova & à ſæculis inaudita, ideoque nonnulla & incredibilia excogitaſſe, & exercuiſſe infamabatur.] Et poſt pauca: [Deo „ gratias, qui licet tardè, tandem per magnificè victoriam conceſſit Eccleſiæ ſuæ. Cui etiam Nabuchodonoſor „ quinquageſimum exactionis annum, id eſt Galilæus, qui „ quondam Julianum vicerat, vertit in Jubilæum. Si quis „ verò tam zelotes eſt, cui quaſi diem obitus Amân, „ etiam Henrici obitum & Eccleſiæ poſteritatem ignorare „ non libeat, 7. Idus Auguſt. hanc eſſe ſciat "] Sic Urſperg. quam hæcce locutum eſſe non pigebit cordatum lectorem, ut reor, Henricum non fuiſſe ab Anſelmo mordaciùs impetitum. Abbas Joachim Urſperg. æquævus, horum elogiorum atrocitatem brevi circumſcriptione ſignavit in 6. part. text. 8. expoſit. in Apocal. ubi interpretans ſeptem capita magnæ beſtiæ, totidem Reges deſignat, Henricum hoc unico delinians tractu: *Quintus fuit ex, qui primus in partibus occiduis cœpit fatigare Eccleſiam pro inveſtitura Eccleſiarum: ob quam cauſam multa ſtigmata & tribulationes orta ſunt in Eccleſia Dei.* Waleranus igitur, quia tam impio favebat, non ſaluratur pro dignitate. Quanto autem impetu, ne dicam rabie, in Henrici cauſam incubuerit, juſti ſunt ac pleni teſtimonii teſtes, ſculeatæ contumelioſæque apud Dodech. literæ in append. ad Mariam. Scot. quibus tentabat pertrahere Ludovicum Comitem ad Henricianam factionem commemorans Gregor. 7. Papam, & Rudolphum Regem, quaſi nunquam fuerint, ſic periiſſe. Ludovicus perlectis Valeranni literis non tepidè extanduit, in iis advertens linguam virulentam, ſubſannatione ſuffarcinatam, viros probos ſatoque functos vellicantem? Quamobrem præcepit Stephano Halberſtatenſi Epiſcopo, ut oblatrantis Valeranni fauces reſponſo, ſeu medicata oppilaret offa: quod & præſtitit, hominem veridico carpens dente, Simoniacum & hæreticum vocans: Regem quoque Henricum pronuncians Concilio piorum abactum eamque ob rem immerenter & dici & eſſe Regem, ut pote Sacerdotia licitantem gladio, pecunia, pædophthoria. Mitto cæteta Stephani literis commiſſa (quarum etiam Trithem. meminit in Cat. Scriptor. Eccleſ.) apud Dodechinum. Porro nam illa Valeranni Epiſtola ſit eadem cum ejuſdem libello adverſùs Gregorium 7. ſcripto & commemorato à Balæo (forſan commento) centur. 2. Scriptor. Brit. præfractiùs non aſſeveratim.

De ſacrificio vero.] Sic Gregor. 7. epiſt. 1. lib. 8. ſui Regiſt. *Nos*, inquit, *azymum noſtrum impugnabili ſecundum Dominum ratione defendentes, ipſorum* ſcilicet Græcorum *fermentatum nec vituperamus nec reprobamus, ſequentes Apoſt. dicentem, mundæ omnia eſſe munda.* Vide etiam Algetum lib. 2. de Corp & Sang. Domini, cap. 10.

Apertiſſimum tamen eſt.] Lege Jacob. Vitriacum hiſtor. Orient. cap. 75. & Occident. cap. 38. Moſcovitæ autem non tantùm fermentato pane conficiunt, ſed & calici aquam infundunt calidam, quod ex latere Domini non ſine myſterio magno profluxerit ſanguis & aqua, quam calidam fuiſſe credere fas eſt, inquit Joan. Fab. in relig. Moſcovitarum.

Quæ cum Græci &c.] Non tantùm anathematizant, ſed etiam altaria, ſuper quibus Latini Sacerdotes rei divinæ operati fuerint, abluunt: nec aſſurgunt quando corpus Chriſti ad ægrotos fertur. Vitriac. ibidem. Hic autem error Græcam Eccleſiam inficere cœpit ann. 1054. Sigib. in Chronic. Junge Rupert. lib. 2. de divin. offic. cap. 22.

Sicut in veſtra legi &c.] Videtur hîc deeſſe hæc epiſtola, forſan ab aliquo lectore religioſiori ſublata, quia hîc Waleranus eſſet Epiſcopus Henricianus, eamque ob rem à coitu piorum ſubmotus Paſcalis II. anathemate cum cæteris Germaniæ Pontificibus.

ANNOTATIO IN EPISTOLAM pag. 419.

CENTUM TRIGESIMAM SEPTIMAM.

Turoldo.] In Chronic. Beccenſ. haberur prolixa mentio de eo: quam ideirco ſic perſtringemus, ut nihil, quod ad hiſtoriam ſpectet, excidat. Turoldus igitur Hugonis Euremondenſis germanus, vir non poſtremæ nobilitatis & potentiæ, cùm ad Eccleſiæ Bajocenſis regimen fuiſſet evectus, paulò poſt divino ſit exarſit amore, ut univerſam ſæculi honeſtatem pro ſtercore habuerit: & Becci monachum induerit. Nec ſine magna fruge. Nam eò tandem aſcendit ſummiſſionis, modeſtiæ gravitatis, prudentiæ, obſervantiæque monaſticæ, ut admirationi foret ipſis optimatibus Beccenſibus. At verò, ut magis magiſque ſplendeſceret, viſum eſt divinæ ſapientiæ, eum diutiùs excoquere in fornace doloris

(quem rupturam dicimus) ſic eum excruciantis, ut non parva inteſtinorum portio in ſcrotum deſcendens penè hominem examinaret, & denuo conſcendens, quicquid cruciatus de deſcenſu videbatur defuiſſe, fœnorum fœnoribus repeteret. Interea Dei ſervus fortiter cum interno luctante hoſte, ſemper ejus furorem celabat, ſperans divino tandem reprimendum auxilio: ſicque nemini (quod clam eſſe peroptabat) detegere cegeretur, & quidem virginei pudoris ſtudio. Ceſſit tamen, cùm ſemel inteſtina ſic relaxata & inflata ſunt, ut de interiori eorum regreſſu deſperans, Abbatem Willelmum accerſierit: qui haud mora cum Fratribus advolavit. Conſpicatus Turoldum morbo penè enectum, cœleſtis medici manum implorat. Ipſe quoque ægrotus, animo tamen, plurimumque vividus, ad Divæ Fidis Virginis opem celeriter confugit. Nec fruſtrà. Cœpit enim meliuſculè eſſe & dormire. Inter ſomnum verò audivit vocem hujuſcemodi: [„Surge ſanus, & intellige precibus beatæ „Fidis integræ te reddicum ſoſpitati: & ad te accerſito hoc „ipſum indicabis Abbati. Orabis etiam ipſum quatenùs fratrem Girardum cognomento Giffardum, Longueville dirigat; qui ſalvatori tuo gratias pro ſalute tibi concreſſa referat, ac candelas ſuper Eccleſiæ altare reverentiſſimè offerat.“] Ipſiſſima ſunt Chronic. Beccenſ. verba. Turoldus ſomno excitus pudendis admovet manum, deprehendit cæca veritatem cœleſtis admonitionis, reſtitutionemque tam inſperatæ ſanitatis. Unde in doxologias gratiaſque ſupremo Pharmacopæo, nec non ejus ancillæ ſanctiſſimæ Fidi habendas effunditur. Abbas hoc audiens, incredibili exultavit gaudio, Turoldumque unà cum Giffardo Longevillam mittit reddendi voti ergo. Porrò hanc ſanctam Fidem, cujus obſecrationibus convaluit Turoldus, videtur eſſe illa ipſa, de qua Martyrolog. Prid. Non. Octob.

pag. 416. ## ANNOTATIO IN EPISTOLAM

CENTUM TRIGESIMAM NONAM.

Conſilium autem meum, &c.] Arnulfus Lexovienſis in Epiſtol. ad Danielem Priorem S. Barbaræ rectè, quod quemadmodum vocatus ad Prioratum non ſe debuit ingerere, ita vocatus non debeat recuſare: [„quia, inquit, non „minùs delictum, tumor, inobedientiæ importat, quàm „zelus ambitionis importat. Quod ſi non ex tumore, ſed „humilitate potiùs, ſicut putas, & timore deſiſtis: puſillanimitatem, hæc mihi ſapit humilitas. Veni igitur: „quoniam cum ipſo onere gratia tibi divina concreſcet.“] Sic ille.

pag. 418. ## ANNOTATIO IN EPISTOLAM

CENTUM QUADRAGESIMAM PRIMAM.

Et ſunt legitur de quodam ſancto viro, &c.] Is (vel hallucinor) fuit Paulus Abbas Heremi Panephiſiæ, tantam membrorum debilitate conſtrictus quadriennium, ut eorum functione penitùs careret, & à viris curari nequiret; eamque ob rem traditus ſanctis virginibus, apud quas & defunctus eſt. Vide Caſſian. collat. 7. cap. 26. ubi reperies oleum deflarans ex unctis ſancti viri membris, tam ſuiſſe ſalutare, ut infirmis ſalutem reſtitueret.

pag. 419. ## ANNOTATIO IN EPISTOLAM

CENTUM QUADRAGESIMAM SEPTIMAM.

Dicitur quod viri ita libere & publicè uxores ſuas aliorum uxoribus commutant.] Epiſt. 141 ſuprà, idem præmonuerat, ſed quia ut liquet, neglectum fuerat, rurſus inculcat. Sanè ante Anſelmum Gregorius Papa VII. aliquid ſimile audierat, unde Lanfrancum per literas, (quarum majorem partem retulimus in Epiſtol. 31. lib. 2.) monuit ſerpenti morbo occurrere his verbis: [„Tuam verò Fraternitatem, etſi monitore non egeat, impellente tamen nos „ſollicitudine admonemus, quatenùs graviora uſquequaque „vitia reſecare ſtudeat, & inter omnia, & præ omnibus, „nefas quod de Scotis audivimus; quod plerique videlicet „uxores non ſolùm deſerunt, ſed etiam vendunt, modis „omnibus prohibere contendat. Ad hæc enim Apoſtolica „te auctoritate fultum eſſe volumus, ut non ſolùm in Scotis, ſed etiam in aliis (ſi quos in Anglorum inſula tales „eſſe cognoveris) dura animadverſione punias, & radicem „tanti mali præſenti ſæculo correctionis penitùs extirpare „non differas.“] Sic Gregorius ad Lanfrancum, qui monitis Pontificis continuo morem geſſit. Nam poſt Gregorianas literas ſequuntur proximè aliæ ejuſdem Lanfranci, ad Gothricum Hyberniæ Regem, ubi poſt captatam in limine benevolentiam, hæc inſunt: [„In regno veſtro prohibentur homines, ſeu de propria, ſeu de mortuarum uxorum parentela conjuges ducere. Alii, legitimè ſibi copulatas pro arbitrio & voluntate relinquere, nonnulli ſuas aliis dare, & aliorum infanda commutatione recipere. Hæc, & ſi qua ſunt alia crimina, propter Deum & animam veſtram in terra poteſtatis veſtræ corrigi jubete: taleſque vos cùm divino adjutorio veſtris ſubditis exhibete, ut & amatores boni bona amplùs diligant, & appetitores mali pravas actiones nequaquam exercere præſumant. Ita Lanfrancus commonuerat Regem.“ Verùm neſcio an ſurda aure illius præterriſſet, aut mors intempeſtiva ſancta ejus præveniſſet deſideria: ſaltem conſtat ex aliis literis Lanfranci ad Terdelvacum Gothrici ſucceſſorem datis nihil fuiſſe adhibitum remedii tam peſtilenti morbo. Subſtomachans enim, paulò ante medium ſcribit, [„Inter multa quæ placent, relata nobis ſunt quædam quæ diſcipiicent: ſcilicet, quod in veſtro regno quiſque pro arbitrio ſuo legitimè ſibi copulatam uxorem nulla canonica cauſa interveniente relinquit, & aliam quamlibet, ſeu ſibi, vel relictæ uxori conſanguinitate propinquam, ſive quam alius ſimili improbitate deſeruit, maritali ſeu fornicaria lege puniendæ temeritate conjungit.“] Hactenùs Lanfrancus, ex cujus præteritis adhortamentis ſi præſentia liceat Anſelmi comprobare, auſim dicere non ex Scotorum vel Hybernorum, ſed Anglorum longè antea depravatis moribus natam hanc læthalem gangrenam paulatim vires & augmentum ſumpſiſſe. Nam Gildus in excidio Britanniæ ſupra mille annos dixit *Reges habet Britannia quamplurimos conjuges habentes, ſed certantes.* D. Bonifacius Martyr & Archiepiſcopus, Legatus Germanicus objicit Ethelbaldo Regi Anglorum apud Willelm. Malmeſbur. lib. 1. de Reg. Angl. cap. 4. *Audivimus quod optimates penè omnis gentis Merciorum tuo exemplo legitimas deſerant uxores, & adulteras, & ſanctimoniales conſuprent, &c.* Quod autem fuerit Scotis hæc libido quaſi hæreditaria, arguit D. Hieronym. lib. 1. adverſùs Jovinianum: *Scotorum natio uxores proprias non habet: & quaſi Platonis politiam legerit, & Catonis ſectetur exemplum, nulla apud eos conjunx eſt propria: ſed ut cuique libitum fuerit, pervadum more laſtiviunt.* Taceo pudenda & perſimilia memoratis libidinibus, quæ Sylveſter Giraldus centum poſt Anſelmi annis notavit de Hybernis, diſtinct. 3. Topographiæ Hybernicæ, cap. 19. Quam verò altas hic morbus egiſſet radices, adeò ut nec hujus epiſtolæ medicatis eveili potuerit conſiliis: patuit ex Concilio Caſellis Archiepiſcopali Hyberniæ civitate habito anno 1171. & ab Alexandro III. probato: in cujus Concilii placitis id potiſſimè jubetur: *ut omnes laici qui uxores habere volunt eas ſecundùm jus Eccleſiaſticum habeant:* Roger. Hovedenus retulit in poſter. parte annal. Sed nec hoc decretum (ut liquet in ſignato Sylveſt. Giraldi teſtimonio) valuit extirpare: tam piceum eſt impiæ veneris malum.

ANNOTATIO IN EPISTOLAM pag. 420.

CENTUM QUADRAGESIMAM NONAM.

Facere voluit, ut electus Epiſcopus Sancti Andreæ de Scotia apud Eboracum conſeceretur.]

Quoniam ad Eboracenſem Archiepiſcopum pertinebat conſecratio omnium Epiſcoporum præfaciendorum Eccleſiis inſularum Orchadum, id eſt, Hyberniæ & Scotiæ: Thomas necdum acceptam χειροθεσίαν alteri vocabat conferre, aut curare conferendam. Quod Anſelmus prohibuit, rectè dicens, non poſſe quem animarum curam demandare, quam non ſuſceperit. Initiando autem Epiſcopo nomini erat Turgodus Eccleſiæ Dunelmenſis Prior. Cæterùm, quod Scotorum & Hybernorum Antiſtitum initiatio ſit Pontificis Eboracenſis & hujus (de quo ſit ſermo) fratruelis, ad Lanfrancum, nec non Lanfranci ad ipſum; quas ad literam ſubricio, priores ſic habent: [„Piiſſimo & ſanctiſſimo Cantuariorum Archiepiſcopo, totius quoque Britanniæ ſummo Paſtori Lanfranco Thomas fidelis ſuus, & (niſi præſumptuoſum ſanctitati ſuæ videatur) Eboracenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus: cœli portas, Petri vice, juſtis & injuſtis juſtè aperire & claudere. Ecce, Pater ſanctiſſime, filius tuus ad te clamat, ſed magis filia, Eboracenſis videlicet Eccleſia: ad eam, cui divina diſpoſitione præſides Eccleſiam, tanquam ad maternum recurrens ſinum piè poſtulat, ut ex abundantia maternarum deliciarum reparetur inopia ſuarum ſe deſerentium, immò longè & inter barbaras nationes poſitarum virium. Siquidem venit ad nos quidam Clericus, quem miſit Paulus Comes cùm literis ſigillatis de Orchadum parti bus ſignificans in eis, Epiſcoporum ſuæ terræ eidem Clerico conceſſiſſe. At ille anteceſſorum ſuorum ordine cuſ-

„ rodito, poſtulat à nobis conſecrari Epiſcopum, cui, A
„ quod juſtè petit, injuſtè denegare non poſſumus. Precamur ergo ut nobis duos Epiſcopos dirigat Paternitas veſtra; quorum fulti orationibus & auxilio, tantæ rei ſacramentum canonicè compleamus. Illa autem procul arceatur ſuſpicio, quam nupertimè noſter frater nobis & coepiſcopis ſubintulit Remigius, me ſcilicet impoſterum qua fituram Dorcaceſtrenſis vel Wigornenſis Epiſcopi ſubjectionem hac de cauſa. Dico enim coram Deo me nunquam hoc facturum. Si placet igitur ſanctitati veſtræ, ut juxta petitionem noſtram nobis facere dignemini, Locum Eboracum: tempus, 5. Non. Martias nobis immutabiliter conſtituimus, & vobis ſignificamus. Ergo vivas & valeas, & ſpiritualibus incrementis uſquequaque proficias.“] Hactenùs Thomas. Et cujus verbis peripicuum eſt, quod altiùs in Lanfrancum criſtas olim erexerat eandem ob cauſam quàm hic Thomas ſuus fratruelis, tantò demiſſius inclinaſſe, adeo ut non niſi racito Lanfranci permitlu, vereatur ſe nuncupare Archiepiſcopum Eboraci. Sed Lanfranci reſponſum conjungamus, quo & id juris ſpectans ad Ebotacenſem Cathedram graviùs probat. B
[„ Lanfrancus Dei gratia ſanctæ Dorobernenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, venerabilibus fratribus Wiſtano Wigornienſi, & Petro Ceſtrenſi Epiſcopis, ſalutem. Inſinuavit nobis venerabilis Frater noſter Thomas Eboracenſis Archiepiſcopus advenſſe de Orchadum inſulis ad ſequendam Clericum, quem in Epiſcopatum ipſius terræ, præcipiente & inſinuante Paulo Comite, teſtatur eſſe electum. Et quia ex antiquo more ſui juris eſt præfatarum inſularum præſules conſecrare petiit à me ut mittam ſibi de noſtris ſuffraganeis duos, qui tantæ rei ſacramentum cùm eo valeant celebrare. Rogantes itaque præcipimus, & præcipientes rogamus, quatenùs omni excuſatione ſubmota illuc eatis, & ex noſtro præcepto ſecum, quod juſtum eſt, in tantæ rei myſterio compleatis. Non enim decet ut qui ſacrandus in hanc terram venit, & cùm omni humilitate ſacrari ſe poſtulat, inopia adjutorum à tanto regno non ſacratus abſcedat. Terminum hujus conſecrationis latot præſentium vobis indicabit. Et ne forte ſolliciti ſitis, putantes quod vel ipſe vel ſucceſſores ejus hac occaſione ſuper Eccleſias veſtras jus prælationis quandoque conentur arripere; literas, quas ipſe mihi tranſmiſit, fraternitati veſtræ, ſolicitudinem de futuro gerens, curavit tranſmittere. Quas, & has (quæ vobis tranſmitto) in Archivis Eccleſiarum veſtrarum, ob memoriam futurorum, ſervatum iri præcipio.“] Sic Lanfrancus: qui & profitetur ab Eboracenſi Archipræſule inungendos eſſe Epiſcopos Orchadum: ita tamen, ut Cantuarienſis Primas ad eum mittat duos Comprovinciales Epiſcopos, qui ei adſint ad inaugurationem ſacram peragendam: neque eam ob rem ſibi valeat aliquid in eos juris vendicare. Unde & hic Thomas (ad quem Anſelmus) Eccleſiæ Scoticæ deſignatum Pontificem initiare non poterat. C

pag. 411. ANNOTATIO IN EPISTOLAM

CENTUM QUINQUAGESIMAM TERTIAM.

Quid regem Teuthonicum inveſtiturâ dare toleramus.] Eandem, quam hic Paſchalis, rationem reddit Ivo Carnotenſis Epiſt. 138. inquiens: [„ Quod ſi Papa adhuc in „ Teuthonicum Regem debitam ſeveritatem non exercet, „ credimus quia conſultò deſſert ſecundùm quorundam Doc„ torum judicia, qui conſulunt, quædam admittenda peri„ cula, ut vitari poſſint meliora.“] Unde Auguſtinus in 3. lib. contra Parmenianum Donatiſtam dicit: [„ Hoc ſani„ tas obſervat Eccleſiæ ut cum quiſque Fratrum, id eſt, „ Chriſtianorum, intus in Eccleſiæ ſocietate conſtitutorum, „ in aliquo tali peccato fuerit deprehenſus ut anathemate „ dignus habeatur; fiat hoc, ubi periculum ſchiſmatis nul„ lum eſt. Atque id cum ea dilectione fiat, de qua ipſe „ Apoſtolus alibi præcipit, dicens: Ut eum non exiſtimetis „ inimicum, ſed corripite ut fratrem.“] Hactenùs Ivo.

Porrò cùm Epiſt. 149. animadverterimus hunc Archiepiſcopum Eboracenſem, de cujus Pallio non concedendo Anſelmus Paſchalem monuit, electum fuiſſe anno 1108. liquet hunc Regem Teuthonicorum eſſe Henricum Quartum ejus nominis Romanorum Imperatorem, & Quintum Teuthonicorum Regem, ut de filio loquentes utamur diſtinctione, quam Otto Friſingenſis Epiſcopus de patre ſcribens uſurpavit initio lib. 1. de geſtis Friderici Ænobardi, cap. 1.

Cæterùm ſi hæc Paſchalis verba conferantur Abbatis Urſpergenſis hiſtoriæ, videntur obſcuriora. Hic enim de „ Henrico Quinto ſcribens ait ad annum 1105. [„ Hæreſim præ„ ceptam anathematizans „ Apoſtolicæ ſedis Pontifici debi„ tam profitetur obedientiam. Et poſt modicum: Conſilio „ atque miniſterio Ruothardi Moguntini, atque Gebehardi „ Conſtantienſis Epiſcopi, reſponſalium, ſcilicet Domini Paſchalis Papæ, totam Saxoniam Romanæ Eccleſiæ re„ conciliavit.“] Rurſuſque ad annum 1106. exultans de Eccleſiarum redita libertate, *ingenit.* [„ Sic nimirum, ſic „ per tot jam annos adnubilata lux oriri cœpit noſtris in „ partibus, orthodoxa depublicatur & ventilatur, dijudicatur „ & convincitur, fatet, reſpuitur & condemnatur, & ana„ thematizatur hæreſis Wigbertina, vel Henriciana; abdi„ catis ſive fugatis hæreſibus, Catholici cathedris Pontifica„ libus deſtinantur, è quibus etiam aliqui inter ipſa feſta „ conſecrantur.“] Hæc Conradus à Liſthenau Urſpergenſis Abbas de Henrico præclara reliquit, quæque fuiſſent præclariora, niſi poſteriòris impudentiæ caligo obfuſcaſſet: ita ut hiſtoricorum plerique non immeritò dicant, ſe pietatis nebula texiſſe aliquamdiu, ut matrem, nempe Eccleſiam, licentioſiùs vexaret poſteà.

ANNOTATIO IN EPISTOLAM pag. 411.

CENTUM QUINQUAGESIMAM QUARTAM.

Reverendo Abbati Willelmo, &c.] Ille ipſe Willelm. Becci tertius Archimandrita, de cujus electione ſcribitur epiſt. 8. ſuprà, ad quem recenſuimus ejuſdem Willelmi natales, puericiam & Monachiſmum: & quidem ex Beccenſi Ms. quod etiamnum ſuppeditabit in materiam brevis & apertæ narrationis de ejus interitu: ut cujus ſancta feliciaque primordia illic expoſuimus, hic fœliciorem, etſi Beccenſibus lugubrem faciamus ejuſdem finem. Anno vigeſimo ſui muneris, menſe Septembri decidit in ægrotationem, quæ lentè ſeniles artus conſumens vitalem ejus mortem prorogavit ad inſequentis anni menſem Martium. Tum enim gravior ſolitò & potentior cùm lecto ſortiùs, quàm Prometheum Caucaſo, alligavit. Inter hæc Ricardus Abbas Pratellenſis cœnobii (quod Rogerius Bellomontanus Hunfridi filius conſtituit in fundo ſuo, ſic enim ſcrupuloſe Guillelm. Gemmet. lib 7. hiſtor. Ducum Norman. cap. 21. obſervavit) conviſit Willelmum, ac mox Beccenſes Fratres. Tunc verò & obſecrationibus, & Eccleſiaſtico Chrismate roboratus eſt Willelmus. Boſo autem Prior Beccenſis. (Jam enim Baldricus, adquem ſunt Epiſtol. 7. & 8. ſuprà, è vivis exceſſerat) monuit Willelmum, ut moribundus filius cœleſtem quandam legaret benedictionem. Erecta igitur manu illis bene precatus dixit: [„ Amate clauſtralem vitam: quia reparatio „ eſt ordinis noſtri: & non quæratis habere obedientias in „ ſeculo, quoniam in eis multi perdunt animas ſuas: & „ quantociùs Abbatem eligite, quia non eſt bonum tale „ opus differre.“] Hæc farus, obnixè rogavit eos ſuo nomine fundere vota: Erat enim pro more, ut ſi quempiam virum noſſet integerrimæ vitæ communionem precationum ejuſdem cupidiùs ambiret. Sub hæc propter repentinos tumultus aliquot in Normannia excitatos Henricus Norbi filius & Rex advolarat ex Anglia, iſque Paſchalem circiter ſolemnitatem venit Beccum, ubi Beccenſes nonnulli ei ſupplicarunt, ut in morituri locum ſufficeretur quiſpiam Beccenſis. Id ut Willelmi auribus inſonuit, cavit ne ſuam exoraret Sedem. Henricus autem cognita Willelmi invalerudine, perhumanè inviſit, eumque aloquens humi reſidebat pro hominis obſervantia. Willelmus contrà futuro ſui cœnobii proſpiciens ſtatui, ſupplicavit Henrico, ut Monachum mediæ ætatis & integrioris vitæ præponeret Becco. Quem inquit? Willelmus contrà. Eccleſiaſticæ ſanctiones univerſis interdicunt præpoſitis, electione ſucceſſoris. Dixerat hæc, & dicentis dexteram ori oculiſque Rex admovit. Quamobrem Fratres Pſalmos legere pœnitentiales, ſanctorumque litaniam: inter quæ animam exhalavit. Mox pro more cadaver ſactis indutum veſtibus in Baſilicam delatum, coram maxima collocatum eſt ara: quò & Monachi & laici, convicaneique lugubres facturi preces ventilabant. Sed & Rex, quem ſupremò halitantem viſerat omni carentem ſpiritu dignatus eſt ſuprema viſitatione. Præter illum, novem Abbates, Clericorum Monachorumque turba innumera, & inter hos præcipuus venit Johan. Lexoyienſium Pontifex: qui, & ſuprema defuncto perſolvit obſequia: Mendicorum quoque non defuit multitudo, in quorum gratiam, defunctique opem biduo tam largæ fuerunt eleemoſynæ diſtributæ, ut nullus inanis redierit. Interea Willelmi cadaver inhumatum in exedra capitulari, ad dexteram Herluini fundatoris. Willelmus autem anno ætatis 25. Becci Monachum profeſſus eſt, quindecim annis privatus ibidem vixit, triginta & dimidio præfuit, ſicque 70. natus annos obiit anno 1124. Calend. Maii, & hoc fuit donatus epitaphio.

Abbas Willelmus præclari generis ortus
Tempore primævo ſit religionis amator,
Ætatis quinis luſtris jam ritè peractis,
Suſpirando Deum cœpit contemnere mundum,
Terrea diviſit, ſed Chriſto totus adhæſit,

Digitized by Google

Ut nudum nūdus Dominum famulus sequeretur,
Confestim Becci juga rumpsit: suavia Christi,
Quæ per quindenos constanter pertulit annos.
Anselmo post Anglorum Præsule facto,
Iste loci curam cœpit Fratrumque regendam:
Quem gravitas morum, vel vita, decusque parentum
Fecerunt clarum permultis ac venerandum.
Doctus erat, blandoque loquens sermone placebat:
Actibus & verbis subjectos erudiebat.
A puero vitæ fuerat servator honestæ;
Cordis munditiam servans carnisque perennem.
Beccum ter denos, auxit rexitque per annos:
Blandus subjectis rector, durusque superbis.
Vir tantus, meritis morum ditatus opimis,
Nequaquam valuit nexus evadere mortis,
Aprilis sextadecima surgente diera
Complevit cursum vitæ præsentis, & actum,
Commendans animam cœlo corpusque sepulchro
Expectat tempus, quo judicet omnia Christus.
Ecce sub hac tumba pulvis sunt membra sepulta,
Cui præstet Dominus veniam vitamque rogemus.

Id verò Epitaphii Beccens. Ms. insertum non vidi in memorato capituli loco. Existimarim, nec falsò, cùm instauraretur (instaurationem enim recentiorem ipsa loci facies nova & quodammodo puerilis testatur) tum vel situ obducta seu rubigine, eamque ob rem neglecta.

pag. 410. ## ANNOTATIO IN EPISTOLAM

CENTUM QUINQUAGESIMAM QUINTAM.

Tibi Thoma in conspectu, &c.] Hanc Anselmus scripsit epistolam nullo non noto charitatis lapide. Nam teste Bibliothecario Malmesberiensi, Thomas ab Anselmo primò accitus, ut Cantuariam veniret à se inaugurandus, sibique pro more obedientiam firmaturus sacramento, benignas egit gratias pro invitatione, petiitque inducias ad tam celebris operis apparatum: Secundò accitus respondit se rationibus suorum Clericorum adduci: Tandem per Episcopos Londinensem Rofensemque conventus apertè se denegavit venturum. Quamobrem quem privatis monitionibus pellicere nequierat Anselmus, postremò publicavit quasi contumacem hoc programmate execrando, quod etiam retulit Willelm. Malmesb. in Eboracens. Archiepisc. Post hæc dum Henrici Summarumque Anglicorum consiliis Thomas commoneretur, Anselmus decessit, relinquens eum sua benedictione (quam spreverat arrogantiâ, spretamque seriùs doluit) privatum. Coactus igitur tandem Episcopo Londinensi Richardo Belmozio pollicitus est & unctus. Post quinquennium VI. Calend. Mart. desiit esse in vivis eò spendidiùs, quò vixerat obscuriùs ob podendam suæ pervicaciæ caliginem. Cùm enim decubuisset lecto, consulti medici responderunt, nunquam convaliturum, nisi fœminei coitus opera. Quod responsum fœtidumque execratus pharmacum cogemuit hoc planctu: *Va agritudini, cui competit medicina: Et sic virgo electus à Domino* (inquit Roger. Honeden in Annalib.) *vitam finivit temporalem.* Quamobrem jure de eo, quod Angelus Politianus de Michaele Verino, cani potest.

Sola Venus lento potuit succurrere morbo,
Ne se pollueret, maluit ille mori.

Imò virile laudandumque Thomæ responsum fas est Verini æquè laborantis exprimere distichis quorum unum ad Petrum quendam sic direxit:

Cur Petre virgineum hortaris me ponere florem:
Non faciam; vel si hoc certa parandа salus.

Et rursus ad Præceptorem.

Promittunt medici coitu mihi, Paule, salutem:
Non tanti vita sit mihi certa salus.

pag. 412. ## ANNOTATIO IN EPISTOLAM

CENTUM QUINQUAGESIMAM SEPTIMAM.

Quamvis enim ab Episcopo sacrata non fueris, nec eorum ipso profitentem legeris] Id videtur Anselmus dixisse ex mente D. Leonis Papæ, ita cap. 13. epist. 90. ad Rusticum Narbonensem Episcopum scribentis: [„Puellæ, quæ „non coactæ parentum imperio, sed spontaneo judicio, „virginitatis propositum atque habitum susceperunt; si post„ea nuptias eligunt, prævaricantur: etiamsi consecratio non accessit, cujus utique non fraudarentur munere, si „in proposito permanerent."] Ante Leonem, idem apparet tenuisse Innocentium I. cujus in hanc rem decretum Gregor. Magnus Papa protulit in epistola ad Bonifacium, relata ab Ivone Carnot. part. 3. suæ Pannoniæ: & Petro Lombardo lib. 4. sent. dist. 38. ad hæc verba: [„Hæ, „quæ nec dum sacro velamine rectæ, tamen in proposito „virginali semper se simulaverunt permanere: licet velatæ non fuerint, tamen si nupserint aliquo tempore, his „agenda pœnitentia est, quia sponsio earum tenebatur à „Domino. Si enim inter homines solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolvi: quanto magis illa pollicitatio, quam cùm Deo pepigerunt, solvi sine vindicta poterit? *Item*: Si virgines nondum velatæ taliter publica „pœnitentia puniuntur, & à cœtu fidelium usque ad satisfactionem excluduntur, &c. Ubi Lombardus subjungit: Ex his apparet virgines vel viduas voto continentiæ astrictas, sive fuerint velatæ, sive non, nullatenus „ad conjugium fortiri posse."] Hactenùs Innocentius: à quo cùm in virgines nondum velatas tam severè sit animadversum, jure hæc, ad quam scribit Anselmus, eandem erat luitura pœnam. Hinc est quod Lombardus examussim ejus expendens verba, inferat: [„Non est igitur, *inquit*, „prætermittendum, quod Innocentius Papa de viduis & „puellis decrevit, quæ Christo spiritualiter nubunt, si postea publicè nupserint, non eas admittendas esse ad pœnitentiam, nisi hi, quibus se junxerant, de mundo re„cesserint. Si enim de omnibus hæc ratio custoditur, ut „quæcunque vivente viro alteri nupserit, adultera habeatur: nec ei agendæ pœnitentiæ licentia conceditur nisi „unus de illis fuerit defunctus: quanto magis de illa tenenda est, quæ ante se immortali sponso conjunxerat, & „post hæc ad humanas nuptias transmigravit?"] Hactenùs Magister. Cui lubens addidissem 17. Canonem Gangrensis Concilii ab Ivone superius adducti, ni viderem hunc in mulieres Eustachianas esse promulgatum, ut illic (velut & in cæteris) doctè animadvertit Johan. Quintinus Heduus. Rectius adjungerentur decretum Concilii Chalcedonensis 27. q. Si qua virgo, & Concilii Elibertini Canones 13, 14. Concil. Tolet. 4. relati ibidem à Gratiano 1. Devoram peccantem, cap. 108. lib. 6. capitul. Caroli Magni, & cap. 257. lib. 7, & in illo quidem præcipitur utrumque, nempe virum & fœminam, separatos perpetuo relegari exilio: [„In „hoc autem tamdiu submovendos esse Christianorum cœtu, „donec, *inquit Christianissimus Imperator*, quod illicitè perperaverint, emendent. Quod si emendare neglexerint, à „communione vel omnium Christianorum convivio in per„petuo sequestrandos."]

ANNOTATIO IN EPISTOLAM pag. 413.

CENTUM QUINQUAGESIMAM NONAM.

PRIOR.

Quando respondit, &c.] Hinc maximè palam est Anselmum id argumenti aliàs tractasse, & quidem fortassis paulò ante primum ex Anglia discessum. (nempe anno 1097. quod alibi observavimus) ut insequentia monstrant Anselmi verba dicentis, fuisse tam adeo molesta gravatum solicitudine, ut vix sibi attenderet: ac procul dubio propter varios angores casusque non leves & publicos ab Eadmero pluribus enarratos vitæ ejusdem lib. 2. cap. 12. 14. 15. 19. quibus quidem cùm non liceret mederi, per contumacem Guillelmi Rufi Anglorum Regis pervicaciam, gravissimè vexabatur Anselmus. Porrò id rescripsi pro foribus Epistolæ appensi hactenùs me fugit, quod tamen Baleum vidisse liquet ex hoc titulo, & verborum principio, de motione altaris: *Quod de altari datur occasio, &c.* Sed & hanc, quam commentamur Epistolam, offendi inter Ms. Ivon. Carnotens. epist. Beccensis Bibliothecæ, adjunctam illi ipsi, in qua eandem exponit materiam. Anselmus verò cùm dicat se Urbano Papa nonnullisque Pontificibus audientibus cardinem hujus causæ vertisse, claret ei Willelmo responsasse in Angliam revectum, scilicet sub finem anni 1100.

ALTERA.

IN decretis Eugenii Papæ legitur, altare motum, &c.] Nomen Papæ subditicium esse coarguunt, Primò pauca quæ de Eugenio I. & II. ad nos pervenerunt ne ejus quidem habentia: Altero quòd Burchardus lib. 2. decret. cap. 21. Jarlandus Chrysopolitanus lib. 12. suæ Candelæ: Ivo Carnot. 3. part cap. 13. rursusque Pannoniæ 2. part. & Gratian. de consecrat. distinct. 1. cap. Si motum, Higino Papæ tribuant his omnino verbis: *Si motum fuerit altare, denuò consecretur Ecclesia: si parietes mutantur, & non altare, solitum*

Ætas suscipiendi Sacerdotium 174 1 A.
Ætas triginta annorum est ætas assumendi Doctoris & Sacerdotis dignitatis officium 174 1 A.
Sibi conscius criminis abstinere à sacris semper potest, Deo non improbante 140 1 C, 332 1 E, præsumere non potest, nisi Deo approbante *ibid.* *Vide* Lapsus.
Sanctorum Patrum sententia de lapsis sic intelligenda ut aperte lapsos à sacris prohibeant, occulte verò lapsos post dignam pœnitentiam ad sacra accedere concedant 140 2 A B C, 332 2 A B, in tali re cuique tutius est coram Deo sibi plus timere quàm confidere *ibid.* B, A.
Lapsi occulti qui sacros ordines habent, si sponte & secrete fuerint confessi cum cordis contritione, uti possunt suis Ordinibus 140 1 B, 2 A, 332 1 D, juxta Epistolam Calixti Papæ, & Epistolam S. Gregorii ad Secundinum *ib.* 2 A, 332 2 A.
Non decoloratur apud homines sacri Ordinis dignitas propter personam, cujus peccatum ipsi non cognoscunt 140 1 B, 332 1 D.
Ordinatus ab Episcopo interdicto, uti non debet susceptis Ordinibus, nec ab ullo Episcopo debet reordinari 374 1 D.
Qui mulieri dedit herbas ad virum interficiendum, ad sacros Ordines non debet promoveri, si vir iste fuerit his herbis interfectus *ibid.* E.
Vide Abortus. Homicidium.

ORIGINALIS JUSTITIA.

Vide Adam. Angelus. Homo. Justitia.

ORIGINALE PECCATUM.

Vide Infantes. Originale.

ORDUVINUS.

Orduvinus Monachus quærit quid Anselmi obtrectatoribus respondeat 404 1 A, petit licentiam adeundi Anselm. 406 2 C.

OS.

Os Christiani est os Christi 204 1 C, non ad detractiones, non ad mendacia, non ad otiosos sermones, sed ad laudes Dei, & ad ædificationem proximi debet aperiri *ibid.*

OSBERNUS.

Osbernus defunctus : cujus animam commendat Anselmus 313 2 C, 314 1 B, 2 E, 444 2 B.
Osbernus Exoniensis Episcopus 373 1 E, malè prohibet Monachos signa sua pulsare secundùm Ordinem suum 373 2 B, unde Anselmus Archiep. conqueritur, & eum monet ut Monachos contra Clericorum suorum, gravamina protegat; & ut eos signa sua secundùm Ordinem suum pulsare, & in conventu populi auxilium postulare ad Ecclesiæ suæ constructionem non prohibeat *ib.* 1 E, 2 A B.
Osbernus alter Monachus Cantuariensis 376 2 D, cum Gondulpho degens salutatur ab S. Anselmo 314 1 B, 318 1 A, Becci degens virtute ac scientia crescit 323 2 A, vertigine dirè vexatur *ibid.* B, hæc ejus infirmitas describitur *ibid.* dum Becci moratur pro eo veniam cujusdam culpæ Anselmus petit ab Henrico Priore 329 2 B, eum remittit Anselmus, jussu Lanfranci Archiepisc. 333 1 C E, morum ejus emendatio *ibid.* 2 A, Anselmum electum in Archiepisc. Cantuariæ invitat & suadet ut onus subeat 363, hortatur eum ut suam acceleret inaugurationem 361 1 B C D, tredecim annos Anselmum jam laudavérat *ibid.* C, mortuum Lanfrancum semper dolebit *ibid.* D.

OSMUNDUS.

Osmundus Episcopus Wintonienſis 377 2 A, ut ipsi Abbatissæ Mathildis obediat, præcipit Anselmus Archiepisc. *ibid.*
Vide Mathildis. Wintonia.

OTIOSITAS.

Otiositas vitanda 195 2 C, 385 1 D.
Otiositas inimica animæ, Opera 388 2 D.
Vide Fides. Opera.

P.

PALLADIUS.

Palladii liber de Rusticatione 107 2 C.

PALLIUM.

Pallium ante consecrationem nullus debet habere 448 1 B.
Episcopus metropolitanus intra annum Pallium debet requirere 375 1 D.
Pecunia pro Pallio Romam mittenda 448 1 B.
Pallium habet Eboracensis Arch. 428 1 C.

PANIS.

Vide Azymum. Eucharistia.

PAPA.

Papa titulo majestatis insignitus 354 2 A, 439 2 D.
Fides Christiana custodienda, & Ecclesia regenda summo Pontifici à Deo commissa est 41, huic referendum, si quid contra Catholicam fidem oritur in Ecclesia, ut ejus auctoritate corrigatur 41.
De Apostolicæ Sedis auctoritate pendent filiorum Ecclesiæ directiones & consilia 417 1 E.
Obedientia Romano Pontifici debita 430 2 D.
Non est Episcopi ligare quod Romanus Pontifex absolvit 185 1 A.
Apostolica decreta præferenda sunt voluntati Regis 382 1 A.
In Anglia Apostolicus (id est Papa) nec recipitur nec nominatur, hinc Regis jussione 382 2 D.

PARABOLA.

In scripturæ parabolis non omnia sunt similia 55 1 A.

PARADISUS.

Nulla anima, ante Christi mortem, paradisum cœlestem ingredi potuit 92 2 D.
Paradisum promittit qui pendet in ligno 24, 174 2 C D. *Vide* Latro.
Paradisus est ubi Christus est : & esse cum Christo, est esse in paradiso 174 2 D.
Bonis apertus est paradisus 211 1 E.
Vide Beatitudo.

PARALYTICUS.

Paralyticus accepit peccatorum remissionem, quam non præcesserat confessio, nec meruerat satisfactio, nec exigebat contritio 252 1 B C D, corporis salutem petebat non animæ ; & salutem corporis & animæ recepit *ibid.* B.

PARISIENSIS.

Vide Galo. Goffridus.

PASCHA.

Vide Azymum.

PASCHALIS.

Paschalis II. Romanus Pontifex 381 2 B, ei Anselmus mala Angliæ scribit *ibid.* C ■ E, gratulatur Anselmo de ipsius in Angliam reditu 382 2 B, de Censu B. Petri restituendo scribit Anselmo *ibid.* C, & ut pacem componat inter Regem Angliæ & Comitem Normanniæ *ibid.* D, confirmat Ecclesiæ Cantuariensis primatum 383 2 B, concedit ut Regnum Angliæ nullius legati, sed Sedis Apostolicæ subsit judicio *ibid.* Anselmi consultationi respondet *ibid.* C D E, 384 2. Radulphi Episcopi causam Anselmo demandat *ibid.* 2 E, cum Anselmus consulit de investituris 393 2 D E, de his respondet Anselmo 394 1 ■ E, præcipit Anselmo ut nullam communionem habeat cum his qui de manu Regis investituras acceperunt 399 1 A 400 1 C, 408 1 A, ejus electio Canonica defenditur 409 1 B, ejus adversarius nullam habebat electionem, sed invasor erat *ibid.*
Excommunicat Comitem de Mellento, & alios Regi pro investituris faventes 445 1 C, absolvit eos qui in Anglia investituras acceperant aut investitutos benedixerant, aut hominia fecerant 416 2 A, Henrico Anglorum Regi condescendit *ibid.* 2 E, eos, qui Regi faverant & postea pro Ecclesiæ libertate laboraverunt absolvit *ibid.* 2 C, Anselmo committit causam Archiepiscopi Rothomagensis *ibid.* Anselmo exultante legationem in Anglia Archiepisc. Viennensi dederat 427 2 B, Gerardum Eboracensem, quòd Regi contra Anselmum faveret, acriter corripit 436 2 C D, ei Anselmus pro Guillelmi Archiep. Rothomag. causa scribit 445 1 B.
Sub Paschalis II. regimine pax Ecclesiæ restituta 139.

Digitized by Google

INDEX RERUM

PASSIO.

Recordatio myſteriorum & paſſionis Chriſti 155, 156, 172 B C D.
Vide Chriſtus.
Patri exponuntur opprobria, dolores, & mors Filii 246

PATER. PATER ÆTERNUS.

Nomen patris ſignificat Deum qui eſt Pater, & relationem ejus ad filium 58 2 B, ex ea nomen Patris habet *ibid.*
Magis convenit ſummo Spiritui dici patrem, quàm matrem 19 1 B, quia prima & principalis cauſa prolis ſemper eſt in patre *ibid.*
Nullis rebus tam convenienter videtur aperiri habitudo parentis & prolis quàm ſummo Spiritui & Verbo ejus 18 2 C, 19 1 B, proprium illius eſſe veriſſimum parentem, iſtius eſſe veriſſimam prolem *ibid* ille eſt veriſſimè pater; hoc verò veriſſimè filius *ibid.* E, 19 1 B, non hic mater, neque hoc filia dici debet 19 1 A, 49 1 A, licet hic ſit veritas, & hoc ſit ſapientia *ibid.*
Nihil competentius quam in memoria pater, ſicut in verbo filius, intelligitur 10 2 B.
Memoria nomen parentis aptiſſimè ſuſcipit *ibid.* C.
Pater eſt memoria vel ſapientia de nullo nata *ibid.* D, ſic eſt memor ſui, ut tua ipſe ſit memoria *ibid.* C, eſt perfectè ſumma eſſentia 19 2 C, perfectus per ſe eſt *ibid.* per ſuam eſſentiam eſt, per ſuam ſapientiam ſapit, per ſuam vitam vivit *ibid.* D.
Ipſa ſubſtantia Patris eſt intelligentia, ſcientia, ſapientia, & veritas 10 1 E.
Quamvis Pater ſit intelligentia & amor, non tamen eſt Filius, aut alicujus Spiritus 131 B, 24 1 A, quia non eſt intelligentia genita, nec amor ab aliquo procedens *ibid.* ſed eſt tantùm gignens, & à quo alius procedit *ibid.*
Singulus Pater eſt perfectè ſummus Spiritus 19 2 E, increatus & creator 22 1 C.
Patrem nullus facit, creat aut gignit *ibid.*
Aut Pater eſt de Filio, aut Filius de Patre 51 2 D.
Filium Pater ſolus gignit, ſed non facit 22 1 C.
Deus Pater unicum filium ſuum de corde ſuo æqualem ſibi genuit 103 1 B.
Os patris non eſt aliud quam eſſentia ejus 54 2 E.
In eo quòd ſeipſam dicit ſumma eſſentia, generat Pater & generatur Filius 24 1 D
Filius habet eſſe de Patre 60 1 A.
Pater dat Filio eſſentiam, & ſapientiam, & vitam in ſemetipſo habere 19 2 D E, ut per ſuam eſſentiam, ſapientiam, & vitam ſubſiſtat, ſapiat & vivat *ibid.*
Non eſt alius Deus Pater, & alius Deus filius 60 1 A.
Sed alius eſt Pater, alius filius 19 2 A, 60 1 A.
Pater non eſt magis Deus, quam Filius 60 1 A.
Ea quæ ſunt Patris, Filii quoque ſunt *ib.* C
Impoſſibile eſt aliud eſſe genitorem, quam quod eſt genitus, ſeu, aliud eſſe patrem, quàm quod eſt filius 19 1 D, idem eſt eſſe Patris & Filii 19 2 D E, 101 A.
Pater rectè dici poteſt eſſentia Filii; & Filius, eſſentia Patris 19 2 B, & quod alter habeat eſſentiam alterius *ib.* E, 20 1 A.
Non quaſi alter non per ſe, ſed per alterum exiſtat 19 2 B E.
Uterque per ſe eſt, & per ſe ſapit *ibid.* C.
Non eſt aliud Patri & Filio habere eſſentiam, quàm eſſentiam eſſe 19 2 E, 20 1 A.
Pater & Filius ſunt eſſentialiter Spiritus; ſed non ſunt alicujus ſpiritus 22 1 D, 49.
Tantò verior eſt parens, & Verbum proles; quantò magis ille ad hujus nativitatis perfectionem ſufficit, & quod naſcitur ejus ſimilitudinem exprimit 18 2 B
Solus ille, cujus eſt Verbum, dici debet genitor & ingenitus 22 1 A, quia ſolus eſt Pater, & nullo modo ab alio eſt *ibid.*
Pater & Filius ſic ſunt oppoſiti relationibus, ut alter nunquam recipiat quod eſt proprium alterius 19 2 A, ſic ſunt concordes naturâ, ut alter ſemper teneat eſſentiam alterius *ibid.* una Patris & Filii eſt eſſentia *ibid.*
Aliæ ſunt ab invicem, paternitas & filiatio 43 2 B.
Relationes Patris & Filii plures ſunt 22 2 B
Et alia eſt relatio Patris, alia Filii *ibid.*
Patris aut Filii, ſecundùm paternitatem & filiationem, non eſt ulla voluntas aut potentia 44 1 A.
Ille, cujus eſt verbum aut imago, nec imago nec Verbum eſt 18 1 D.
Pater & Filius, ſecundùm propria, non ſunt una res ſed duæ 43 2 A B D Non ſubſtantiâ ſed relationibus *ibid.*
Pater & Filius non ſunt unus, ſed duo 19 1 D E, 43 2 D, ſed latet quid duo ſint 19 1 D E.
In Patre & Filio unum eſt commune, id eſt Deus: & duo propria, quæ ſunt Pater & Filius 43 1 E.
Nulli in illis ſexus diſcretio 19 1 A, 49 2 A.
Quomodo nulla omnino perſona etiam increata novit Filium, niſi Pater; neque Patrem, niſi Filius, aut cui voluerit Filius revelare 55 1 E, 2 A.
Amat ſe Pater, amat ſe Filius, & alter alterum 22 2 B, ſui meminit, & ſe intelligit Pater & Filius, & alter alterum *ibid.*

SS. PATRES.

Sancti Patres non omnia dixerunt, quæ dici poſſent 41, nihil dixit Anſelmus quod non cohæreat dictis SS. Patrum. *Vide* Anſelmus.

PATIENTIA IMPATIENTIA.

De Patientia 191 1 B C.
Patientia non eſt niſi in tribulatione 331 1 E.
Patientia mala ferre potius quam referre 192 1 B.
Cum meritus punitur, execranda eſt impatientia, ne nocens infœlicius damnetur 335 1 C.
Cum immeritus affligitur, ſervanda eſt patientia, ut innocens fœlicius coronetur *ibid.*
Peccatis ſuis imputet quiſque mala quæ patitur 390 1 A.
Ex incommodorum paſſione gratia nobis operatur incorruptibilitatem 71 2 A.
Spiritus patientiæ pacificis convenit 159 2 D, in iis nullus motus eſt rebellis *ibid.* filii Dei vocabuntur 160 1 A.
Vide Adverſitas. Injuria. Ira. Manſuetudo. Vindicta.

PAULUS

S. Paulus Miletinorum atque Epheſiorum fletibus irroratus 364 1 A, eos tamen deſeruit ut ad exteras gentes tranſmigraret *ibid.* omnes alios Apoſtolos tempore ſequens, labore & efficacia præceſſit 298 1 D.
S. Paulus eſt mater & nutrix Chriſtianorum 300 2 B C.
Quis Chriſtianus doctrinâ Pauli non eſt in fide natus & confirmatus? *ibid.* B.
Paulus electus Abbas S. Albani; ei Anſelmus de electione gratulatur: & qualiter gerere ſe debeat, præſcribit 337 2 E, 338 1, ut exemplo doceat quos verbo, propter linguarum diverſitatem, docere non poterat 338 1 A.

PAUPERTAS.

Beati pauperes ſpiritu qui non neceſſitate, ſed devota voluntate contemptis omnibus Deo vivunt 159 1 A, paupertas Evangelica duas habet partes: abdicationem rerum, etiam ad opus pietatis; contritionem ſpiritus, qua ſeipſum abdicet *ibid.* Paupertas jure prima virtus ponitur *ibid.* ea non præcedente non valent quæ ſequuntur *ibid.* ipſa promeretur auxilio divinæ gratiæ beatitudinem *ibid.*
Paupertatis bona 196 2 C D.

PAX.

Pax diligenda 192 1 E.

PIETAS.

Chriſtiana pietas nihil vult honeſtum judicare, quòd faciat contra honeſtatem naturæ 142 2 D.
Spiritus pietatis mitibus convenit 159 2.

PECCATOR.

Peccator non definit eſſe filius Eccleſiæ 140 1 E.
Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati *ibid.*
Vide Homo poſt peccatum.
Deus non poteſt hominem peccatorem impunitum dimittere *ibid.*
Vide Deus juſtus.
Homo peccator comparatur margaritæ in cœno pollutæ 83 2 C D.
Tolerabilius canis putridus fœtet hominibus, quàm anima peccatrix Deo 207 1 E.
Peccatori non reſtat niſi ut in tota vita ſua ploret totam vitam ſuam *ibid.* 2 D.
Qui Dei præcepta non acquieſcit, à voluntate Dei deviat, ſed ab ordine præſcientiæ ejus non exorbitat 151 2 A.
Peccator licet divinæ voluntati ſubjacere nolit, non eam fugere valet 80 2 D, ſi vult fugere de ſub voluntate jubente, currit ſub voluntatem punientem *ibid.* ſicut qui ſub cœlo non poteſt fugere cœlum, niſi appropinquando cœlo *ibid.*
Omnis peccator eſt fur 72 2 C.
Inter peccatorem & peccatorem eſt magna differentia; id eſt inter illum qui plus peccat, & cum qui minùs 213 1 C.
Sunt peccatores qui correcti & pœnitentes mira operantur 183 2 B C.
Famoſa peccatrix & prior vidit gloriam reſurrectionis, & eam Apoſtolus nunciavit 214 1 E.

PECCATUM
PECCATI DEFINITIO.

Peccatum eſt legis tranſgreſſio 175 1 E.
Peccato non eſt aliud, quàm Deo non reddere debitum 79 1 E.
Peccare eſt Deum exhonorare, ſeu illi auferre quod ſuum eſt 79 2 A, 221 1 D.
Peccata vocari ſolent debita 182 2 D.
Peccatum, nomen horrendum, res deteſtabilis 196 1 D.
Plus vitanda eſt peccati fœditas, quàm quælibet tormentorum immanitas *ib.*
In peccato eſt injuſtitia, in tormentis juſtitia *ibid.* E.
Peccare, mala & amara res eſt 188 1 D, 2 A.
Peccata faciles aditus, difficiles exitus habent 188 1 E, 199 1 E, 2 A.
Omne peccatum eſt injuſtitia 98 1 D, injuſtitia omnino nihil eſt, ſeu nullam habet eſſentiam eſt *ibid.* E, 2 B C, 116 2 C.
Deum volumus ſervare quod promiſit; & non timemus non obſervare quod juſſerit 151 2 A. *Vide* Juſtitia.
Peccatum dici poteſt quædam corruptio virtutis 107 1 C.

PECCATI DIVISIO.

Uniuſcujuſque peccatum eſt in natura & perſona 97 1 C.
Peccatum quod quiſque trahit cum natura in ipſa origine, vocatur originale 97 2 A, poteſt etiam dici naturale *ibid.* peccatum quod quiſque facit, perſonale poteſt nominari, quia vitio perſonæ fit *ib.*
Peccatum cogitationis 170 1 A, propter illud anima judicatur indigna ſocietate Angelorum *ibid.*

Digitized by Google

Peccare in voluntate non eſt aliud quàm velle quod non debet 114 2 C.
Actiones, quas facit injuſta voluntas, vocantur peccata, quia in voluntate, qua fiunt, eſt peccatum 99 1 C.
Aliud intelligitur, cum ipſa actio; aliud cùm utrum juſtè fiat vel injuſtè conſideratur *ibid.*
Peccati quod ſcienter fit, & ejus quod per ignorantiam fit differentia 91 2 C.
Peccatum per ignorantiam fit veniale *ib.*
Quædam non poſſunt niſi injuſtè fieri 98 2 E.
Sola injuſtitia eſt per ſe peccatum 131 2 E quæ ſequuntur injuſtitiam, indicantur peccata, donec ipſa remittatur *ibid.* A.

PECCATI GRAVITAS.

Omne peccatum Deum exhonorat 208 2 A, Deum exhonorare non debet homo, etiamſi neceſſe eſſet quicquid eſt, & Deus non eſt, petire 222 1 D,
Peccatum nullum debet reputari parvum 208 1 A, 412 1 C, aliud alio majus eſt 412 1 C.
Graviter peccamus, quotieſcunque ſcienter aliquid quamlibet parvum contra voluntatem Dei facimus 84 2 E, ipſe ſemper præcipit ne peccemus *ibid.*
Præſtat quicquid non eſt Deus, petire, quàm leve peccatum committi 84 1 C D E, 222 1 D.
Horror mirabilis, perverſa voluntas: miraculum mirabile, voluntaria perverſitas 209 1 B.
Peccata plus horrent plus conſiderata 290 2 A.
Peccata tantùm ſunt odibilia, quantùm ſunt mala 91 2 A.

PECCATI CAUSA.

Qui malum poteſt & facit, ſuo malo hoc poteſt & facit 248 2 D.
Homini culpa eſt non habere quod debet habere *ibid.* culpa eſt habere quod debet non habere *ibid.* culpa eſt homini non habere poteſtatem, quam accepit, ut poſſet cavere peccatum 85 2 D.
Nuſquam eſt in hominis natura præter voluntatem peccatum 103 1 C.
Rectitudinem voluntatis acceptam per gratiam nemo deſerit, deficiente poteſtate eam ſervandi 134 1 E, ſed deficiente voluntate eam ſervandi *ibid.*
Adæ poſteri naturali peccant neceſſitate 104 2 E.
Hanc neceſſitatem meruit propria & perſonalis Adæ voluntas *ibid.*
Nemo eſt qui ſine alicujus peccati attractu vivere queat ſuper terram 79 1 D, 81 2 C, 163 2 A, 169 2 D E, 170 1 B C, 454 1 A, hæc fides eſt ad ſalutem neceſſaria 79 1 D.
Quæ impotentia excuſat peccatum 85 2 C D. *Vide* Impotentia. Infantes.
Homo ea ſe habet, unde in culpam cadat; ſed ex ſe non habet, unde ad veniam reſurgat 168 1 B.
Obſequium mundi peccatum 215 1 A, tributum peccati triplex, delectatio, conſenſus, conſuetudo *ibid.* hoc ſolvitur corde, ore & opere *ibid.*

PECCATI EFFECTUS.

Omnia peccata animam lædunt 142 1 C, ſed corpus non deturpant *ibid.*
Juſtitia aboletur juſti ruentis 252 2 D.
Pœnitentia ruit in idipſum revertentis *ibid.*
Tanto magis ægrotat, quanto licentius quis peccat 186 1 B.
Qui ſponte peccat, in infinitum cadit, ſi non per miſericordiam retineatur 296 2 A.
Peccata dum attrahunt, dulcia promittunt: cum pertrahunt, amaritudine perfundunt. Dum ſuadent, ungunt; poſtquam ſuaſerunt, uſque ad mortem animam pungunt 299 1 E.
Peccata conſcientiam diſcerpunt 279 2 B.
Recedente juſtitia, crudelis animam occupat affectus 66 1 C, hic facit hominem turpium & laborioſorum operum cura ſollicitum *ibid.*
Peccata ſæpe non delentur, actione delera & ſæpe delentur, opere non deleto 99 1.

PECCATI POENA.

Per peccatum moritur homo, etſi aliquatenus vivat 250 1 C.
Abyſſus peccatorum invocat abyſſum judiciorum & ſuppliciorum 296 1 A B.
Qui prævisa pœna peccat, tanto magis puniendus eſt 72 1 C.
Si peccatum nihil eſt, cur punit Deus hominem pro peccato 99 2 C.
Deus non punit peccatores niſi pro peccato; nec tamen pro nihilo ſed propter aliquid *ibid.*
Homo qui ſponte peccavit, nec peccatum nec pœnam peccati per ſe vitare poteſt 77 1 A.
Qui peccat, impunitus non debet dimitti niſi miſericordia parcat *ibid.* B.
Vide Deus miſericors.
Homo peccando rapit quod Dei eſt 80 2 A. Deus puniendo aufert quod hominis eſt *ibid.* & in hoc ſe ejus dominum probat *ibid.* A B.
Humana natura quando primùm peccavit, hæc pœna flagellata eſt; & nunquam prolem naturaliter niſi talem, quales videmus infantes naſci, generaret 132 1 C, ac poſt hanc vitam in inferno à Regno Dei, ad quod facta eſt, in perpetuum exularet *ibid.*
Poſt Adæ peccatum remanſit in natura debitum juſtitiæ integræ quam accepit 98 1 A, & debitum ſatisfaciendi, quia eam deſeruit *ibid.* & corruptio, quam propter peccatum incurrit *ibid.*
Si non peccaſſet humana natura, qualis à Deo facta eſt, talis propagaretur *ibid.*
Poſt peccatum, qualem ſe fecit peccando, talis propagatur *ibid.*
Vide Adam. Homo.
Infirma quoque facta eſt ad volendum juſtitiam deſertam 134 1 D.
Propter peccatum primi parentis patitur homo innumerabilia incommoda 71 2.
Quòd natura humana minorata eſt à primæ conditionis dignitate, forritudine atque pulchritudine, illi ad culpam imputatur 131 1 B, quia per hoc minoravit honorem & laudem Dei *ibid.*
Noſtræ naturæ corruptio aliquando eſt pœna peccati, non peccatum: ut morbi, & aliæ incommoditates, & mors ipſa quæ in ſanctis hominibus ſunt ſine peccato 107 1 B.
Quantò natura humana precioſum opus Dei in ſe minoravit atque fœdavit, tantò ſuâ culpâ Deum exhonoravit 131 1 B, hoc illi ad tantum ſtatuitur peccatum, ut non niſi per mortem Dei deleatur *ibid.*
Obſtructi ſunt ſenſus animæ noſtræ veteſto languore peccati 33 1 B.
De pœna peccati eſt non poſſe hoc bonum facere, quod datum eſt cognoſcere 165 1 B.
Peccati pœna eſt peccandi neceſſitas 101 1 E, 2 A.
Morbi, mors &c. pœna ſunt peccati 107 1 B. *Vide* Morbus.
Mors ex peccato, & pœna peccati 30 1 B C, 85 1 C, 241 2 E. *Vide* Mors.
Natura humana propter peccatum incurrit corruptionem & appetitus brutorum 133 2 E.
Homo peccando non perdidit omnino quod factus erat *ibid.* ut eſſet qui puniretur, cui Deus miſereretur *ibid.*
Hominis in peccato miſeria 213 1 A B.
Tormenta peccatis debita 293 1 C D, 296 1 C.
Non eſt levis culpa, quam mortis ſequitur damnatio 131 1 C.
Par pœna non ſequitur imparia peccata 104 2 E.
Eo acrior erit vindicta, quo diuturnior vita ad pœnitentiam dilata 140 1 C
A quocunque removetur pœna peccati, ab eodem & peccatum removetur: ſed non econverſo 108 2 D.
Cur delcto peccato in nobis pœna peccati remanet 131 2 B C.
Vide Baptiſmus. Concupiſcentia.
Crimen quod à Deo non imputatur, nec ab omnibus eſſe putatur, non reprobat neque decolorat 140 2 B, 332 2 A.
Apud Deum non reprobatur alicujus officium propter culpam, quam ipſe ignoſcit 140 1 B, 332 2 D.
Petitio veniæ pro peccatis 256 2 B C.
Peccata per pœnitentiam dimiſſa redeunt cum indulgentia fratri denegatur 169 1 A B, 2 A B. *Vide* Injuria.
Vide Concupiſcentia Homo poſt peccatum. Ignorantia. Impotentia. Juſtitia. Liberum arbitrium. Pœnitentia. Voluntas.

PECCATUM ORIGINALE.

De Originali Peccato 94 2 D, 97, &c. 225 1 C.
Eſt peccatum à natura ſeu naturale ſeu originale 104 1 B C, eſt peccatum à perſona ſeu perſonale *ibid.*
Originale ab origine denominatur 97 1 A.
Originale peccatum dicitur aut quia ab illis deſcendat in ſingulos, à quibus habent naturæ originem: aut ab origine, hoc eſt ab initio cujuſque perſonæ quoniam in ipſa ejus trahitur origine *ibid.*
De peccatrice parente juſta proles poteſt naſci 103 1 B.
De Adam & Eva peccatum in omnes homines propagatum eſt 88 1 E.
Peccatum Adæ perſonale in omnes ejus poſteros tranſit 104 2 [redacted], & eſt in illis originale ſive naturale *ibid.* ſicut perſonale tranſit ad naturam: ita naturale ad perſonam *ibid.* C.
Peccatum trahit quiſquis per naturam propagatur 101 1 A.
Nulli perſonæ de ſe propagatæ Adam mala tranſmittere potuit, in cujus generatione nec natura illi data eſt propagandi, nec voluntas quicquam operari valuit *ibid.* D.
A peccato Adæ non liber fuit ni ſolus homo qui ſine viri ſemine factus eſt 82 2 D
Solus inter homines Filius Virginis in utero matris, & naſcens de matre ſine peccato 98 1 E.
Vide Chriſtus. Infantes. Maria.
Omnes Filii Adæ, præter Chriſtum, originalem habent injuſtitiam 103 1 E, omnes peccatores, & filii iræ *ibid.* 2 D.
Unuſquiſque Adæ peccato gravatur & eſt debiti reus 100 1 E, 2 D, 101 1 A B, non quia eſt homo, nec quia eſt perſona, ſed quia eſt peccator Adam, & de illo peccatore propagatur *ibid.*
Peccatum Adæ in infantes deſcendit 103 1 C [redacted], 104 1 A; non tamen illi pro hoc ſic debent puniri ac ſi ipſi illud perſonaliter feciſſent *ibid.* nullus tamen eorum naſcitur ſine peccato quod ſequitur damnatio *ibid.*
Homo in tenebris & peccato jam concipitur & naſcitur 33 2 A B, 85 1 C, 98 1 B, 110 1 D, 103 2 C.
Corruptio naturæ tranſit in omnes qui paterno gignuntur ſemine 107 1 C, ipſa eſt pœna peccati, & habet cauſam in peccato primi parentis *ibid.*
Semen à parentibus trahitur cum neceſſitate peccati futuri cùm fuerit animarum anima rationali 100 1 D.
Quomodo ſemen immundum 100 1, & quomodo infans in peccatis concipi dicatur *ibid.*

INDEX RERUM

In semine non est immunditia peccati, seu peccatum ante animam rationalem 100 1 B, 101 1 C, sed ab ipso semine & ipsa conceptione, ex qua incipit homo esse, accipit necessitatem habendi immunditiam peccati, cùm habebit animam rationalem *ibid.*

Non magis est in semine culpa, quàm in sputo vel sanguine, cùm emittitur 100 1 C, 107 & 108, quia in eis nulla est voluntas *ibid.*

Non statim ab ipsa conceptione est in infantibus peccatum 100 1 A C.

Non est in infante, antequam habeat animam rationalem 98 1 C D.

Cùm infans rationalis est, humana natura non habet in illo justitiam, quam accepit in Adam. & quam semper debet habere 103 2 C, ideo originale peccatum habet *ibid.*

Natura humana in infantibus nascitur cum debito satisfaciendi pro peccato Adæ 98 1 B, 100 1 D, & cum debito habendi originalem justitiam 98 1 B, ideo in peccato nascitur *ibid.* 100 1 D.

In omnibus infantibus naturaliter genitis, cum peccato & flagellata nascitur humana natura 152 1 C.

Originale peccatum esse videtur debitum satisfaciendi pro primo peccato, & recuperandæ justitiæ 98 1 B non est nisi in anima & natura rationali 98 2 A.

Peccatum infantes non ex persona, sed ex natura sua trahunt 104 2 D, nec eorum voluntas, sed naturalis egestas facit *ibid.* personas infantium facit peccatrices *ibid.*

Licet tota massa generis humani dicatur peccatrix, peccatum non est nisi in voluntate 101 1 E.

Originale peccatum est absolutè peccatum 98 1 D E, est injustitia *ibid.* & 2 A.

Impotentia non excusat naturam humanam in ipsis infantibus à debito satisfaciendi pro primo peccato, & à debito habendi justitiam 98 1 B, 103 2 C, 131 1 A, quia ipsa sibi fecit eam *ibid.*

Deus homini concepto & nato in peccato nihil nisi pœnam debet 119 1 E.

Personalis & originalis peccati est similis damnatio 104 2 B, excludunt à regno Dei *ibid.*

Damnat Deus propter originale peccatum 98 1 E.

Peccatum originale non tam grave est 103 2 C D, 104 1 A, obcæcavit hominem 103 2 E.

Utrum peccata proximorum parentum computentur in originali peccato 98 1 C

Vide Adam. Baptismus. Homo. Infantes.

PEREGRINATIO.

De peregrinatione 409 2 B.

Peregrinationis votum 376 1 D.

PERICULUM.

Non rationabile consilium est, ut quia ubique periculum est, ibi eligas manere, ubi majus est periculum 352 2 A.

PERJURIUM.

Perjurium & quædam alia non nominanda nunquam possunt nisi injustè fieri 98 2 E.

PERSECUTIO

Persecutio fortiter sustinenda propter justitiam 400 1 D, 2 E.

Si persecutio corporis fugienda est: quanto magis persecutio animæ 370 2 D.

PERSEVERANTIA. PERSEVERARE.

Perseverare est perficere: unde perseverare in ducendo, dicimus, perducere 63 2 C, perseverare in volendo est perveile *ibid.*

PERSEVERANTIA ANGELORUM.

Vide Angelus.

Non semper priùs est non velle tenere, quàm non velle deserere 63 2 E, 64 1 A, aliquando priùs est velle deserere, quam non velle tenere *ibid.*

Cùm aliquid propter se nolumus tenere; priùs est non velle tenere, quam velle deserere 63 1 E, ideo enim id deserimus, quia tenere nolumus *ibid.*

Cùm magis vis aliud, quod non potes habere, nisi deseras quod tenes: tunc priùs est velle deserere, quàm non velle tenere 63 2 E, 64 1 A.

Virtus boni operis, perseverantia est 157 2 A.

Nemo in bono perseverat qui non sit ex filiis cœlestis Hierusalem 185 1 C.

Non nisi perseverantibus salus tribuitur 253 2 C.

Certa salus est illi qui dum solum Deum nititur amare, servat propositum usque in finem 352 2 A.

Si perseverat in injustitia, totus similiter æternè miles erit 83 1 D.

PERSONA.

Omnis individuus homo persona est 43 1.

Persona est natura collectionem habens proprietatum, quibus homo fit singulus & ab aliis distinguitur 47 1 D.

Persona non dicitur nisi de individua rationali natura 17 2 D

Substantia principaliter & magis propria dicitur de individuis *ibid.* & 2 E.

In hominibus, tot sunt substantiæ, quot personæ 17 2 D.

In hominibus si plures personæ, plures quoque sunt homines 61 1 D.

Hominum personæ per hoc diversæ sunt, quia proprietatum collectio non est eadem *ibid.*

Diversarum personarum non potest esse una eadem proprietatum collectio 47 1 E.

Natura subsistit in personis: & personæ non sunt sine natura 194 1 D.

PETRUS.

Petrus, id est, agnoscens 166 1 A.

Petrus 161 1 2, significat ordinem prædicatorum *ibid.* 1 C, 2 A, significat electos 163 2 D, præpositos 162 2 D.

S. Petrus princeps Apostolorum 270 2 D, 288 1 E, 289 1 D, 2 A D, primus in ordine 273 1 D.

Petrus Apostolus Antiochiæ sedit, deinde Romæ 364 1 A, 366 2 C, non peccavit deserendo Antiochenam Sedem, studio majoris profectus *ibid.*

Petri primatus 162 2 D.

Petrus Camerarius sum, Pontificis 422 1 D

Monachus de S. Petro supra Divam 346 2 B.

S. Petri Monasterium Carnotense 398 2 C.

Petrus consobrinus Anselmi 388 2 E.

PHILIPPUS.

Philippus Rex Francorum 440 2 C D, Anselmo omnem opem spondet, & eum invitat ut veniat in Galliam *ibid.*

Philippus de Brajosa 433 1 C.

Philippus Monachus claustrum deseruit 404 2 C, ejus pœnitentia *ibid.* C D.

POENA.

Vide Damnatio. Infernus. Peccati pœna. Satisfactio. Pœnitentia. Voluntas.

POENITENTIA.

Vera pœnitentia, veraque confessio est perpetrata mala plangere, & plangenda amplius non admittere 250 1 B. peccata plangere 191 1 A.

Per pœnitentiam & confessionem mundantur peccata 209 2 C, 211 2 A

Sine labore, contritione, confessione, ac etiam oratione nunquam remittuntur peccata 251 1 D.

Nullum est tam grave peccatum quod non possit per pœnitentiam deleri 218 2 D.

Misereatur Deus omnibus per pœnitentiam & opera bona suas malitias mundantibus 150 1 B C.

Certi esse debent peccatores se veniam obtinere, si peccata sua curent dimittere, & pœnitentiam agere 213 1 B, 2 C D.

Quoties peccator redierit cum digna pœnitentia, recipitur 222 2 D.

Sed hæc pœnitentia peccanti non promittitur *ibid.*

Gravis dolor de gratia primæ justificationis amissa 187 2 D, 188 1 A B C.

Est opus Spiritûs sancti quod peccatori sua facinora displicent, & ea agere satagit quæ Deo placent 150 1 A, hoc non valet suis viribus; nisi Spiritûs sancti gratia illuminatus *ibid.*

Pœnitentis habitus 191 2 D.

Pœnitentis oratio 214 2 B, & seq. 115 & seq.

In confessione peccata purgantur propter pœnitentiam quam acturi sunt pœnitentes 185 1 A, ex quo tendentes ad confessionem & pœnitentiam, tota deliberatione mentis peccata sua damnant & deserunt, liberantur ab eis in conspectu interni inspectoris *ibid.* B, perveniendum tamen ad sacerdotes, & ab eis quærenda solutio *ibid.* ut qui jam coram duo sunt mundati, sacerdotum judicio etiam hominibus ostendantur mundi *ibid.*

Hoc ipsum pertinet ad peccati solutionem, ut peccator supplicet 84 1 A.

Pœnitentiam pro peccatis à sacerdote accipere 150 1 D, emendationem promittere, ac etiam jurare *ibid.* 2 A.

Satisfactio pro peccatis 390 1 A.

Pœnitentia secundùm quam discretionem danda *ibid.* D.

Pœna publica pro peccatis occultis non est invito imponenda 140 1 B, ne via Confessionis obstruatur *ibid.*

Vide Lapsus.

Prohiberi invitus non debet, qui occultum crimen humili confessione sponte & occulte detegit 140 2 B, 332 2 A.

Vide Lapsus.

Ad hoc misit Deus Patriarchas & Prophetas ut pœnitentiam prædicarent 114 2.

Pœnitentia ruit in idipsum revertentis 252 2 D.

Vide Absolutio. Confessio. Conversio. Lapsus. Ordo. Satisfactio.

POSSIBILE.

Vide Deus potens. Impotentia. Impossibile. Mundus. Potentia.

POSSIBILE.

Major est qui possidet, quàm quod possidetur 58 2 D.

POTENTIA. POTESTAS.

Dicitur aliquando quis posse, non quia est in ipso sed quia in alio est potentia 93 2 D.

Sic homo dicitur posse vinci quem alius potest vincere *ibid.*

Aliquando quis dicitur non posse, cum in eo est potentia & in alio non est *ibid.*

Sic homo dicitur non posse vinci, in quo tanto est fortitudo ut alius eum vincere non possit *ibid*

Posse vinci non potestas est, sed impotentia *ibid.* vinci non posse, non impotentia, sed potestas *ibid.*

Omne quod est, eo ipso quia est, potest esse 67 1 A, non omne quod est, potuit esse antequam esset *ibid.*

Necesse est si voluntas vult, ut possit velle *ibid.*

Per se posse velle vel agere, est habere ea omnia quæ ad volendum vel agendum sufficiunt 67 1 E.

Qui nihil habet, quod non accepit, nihil

Digitized by Google

potest per se *ibid.*

Duplex potestas : una, quæ rem præcedit ; altera quæ fit cum re 67 2 A.

Potestas est aptitudo ad faciendum 116 2 B C D & omnis aptitudo ad faciendum est potestas *ibid.* aliud est aptitudo ad faciendum, & aliud aptitudo faciendi *ib.* definitio potestatis est legitima *ib.* D E.

Nullam potestatem habemus quæ sola sibi sufficiat ad actum 118 2 B, cum ea desunt, sine quibus ad actum non perducuntur nostræ potestates, non minùs eas habere dicimur *ibid.* sic qui visum habet, potestatem habet videndi montem ; qui tamen si absit aut non adsit lux, videri non potest *ibid.* C D.

Quatuor potestates ad actum concurrere debent. 1. in agente. 2. in objecto. 3 in medio adjuvante. 4. in medio non impediente 118 2 D E.

Multa dicuntur posse, non sua sed aliena potestate 67 2 D, multa non posse dicuntur non sua, sed aliena impotentia *ibid.*

Pluribus modis dividi potest potentia, vel impotentia *ibid.*

Sæpe dicimus rem posse, non quod illa possit, sed quoniam alia res potest *ibid.* C, & rem, quæ potest, non posse, quoniam alia res non potest *ibid.*

Quicquid non est, antequam sit, sua potestate esse non potest *ibid.* D, sed si res alia potest facere ut sit, aliena potestate potest esse *ibid.* *Vide* Impossibile.

In servando vitam duæ potestates : una volendi servare vitam ; altera vitam servandi 93 1 A.

Alicujus esse dicitur, quod in ejus potestate est ut habeat 89 2 A.

Potentia impropriè aliquando dicitur pro impotentia 31 2 A, facere pro non facere *ibid.*

Impotentia quæ non est ex culpa, aliquatenùs excusat 85 2 B, impotentia quæ habet culpam, non levigat nec excusat peccatum *ibid.*

Homo qui sua culpa dejecit se in impotentiam non peccandi, & solvendi quod peccavit, inexcusabilis est 85 2 C. Ista impotentia culpa est *ibid.* D.

Impotentia, quæ descendit ex culpa, non excusat impotentem culpa manente 131 1 A.

Non solùm impotentia justitiam habendi, sed etiam impotentia ipsam intelligendi in non baptisatis imputatur ad peccatum *ibid.* quia descendit à peccato *ibid.* *Vide* Impotentia.

Quandiu homo habet hanc impotentiam sine satisfactione, peccatum est illi [illegible] 1 B. *Vide* Peccatum.

Qui propter culpam suam verbum Dei suscipere nequeunt, rectè sunt arguendi 111 1 D.

Quod si qui niteotes non proficiunt aut deficiunt, hoc non ex impossibilitate sed ex difficultate fit 132 1 D E, neque hoc negat liberum arbitrium valere *ibid.*

Corrumpi aut mentiri posse, aut posse facere ut verum sit falsum, vel ut quod factum est non fuerit factum, non est potentia sed impotentia 31 1 B, 2 A.

Impotentia est posse velle mentiri, aut fallere, aut mutare voluntatem 94 1 B.

Terrenæ potestates ad vindictam sumendam ordinatæ sunt à Deo 79 2 E, & cum vindicant, Deus est qui vindicat *ibid.*

PRÆCEPTOR.

Vide Prudentia.

PRÆCEPTUM.

Vide Ecclesia, Lex.

PRÆDESTINATIO.

Prædestinatio in Deo non dicitur propriè 127 2 B, Deo nihil est ante vel post *ibid.* C, sed omnia sunt illi simul præsentia *ib.*

In Deo præscientia, prædestinatio, vocatio, justificatio, glorificatio sunt simul in æterna præsenti 127 2 A, & nihil horum prius aut posterius apud Deum est *ibid.*

Prædestinatio & præscientia non discordant 127 2 C, sicut Deus præscit, ita & prædestinat *ibid.* prædestinantur quædam per liberum arbitrium futura *ib.* D.

Deus non præscit neque prædestinat quemquam justum futurum ex necessitate *ibid.*

Prædestinatio non mutatur *ibid.* E, non prædestinat Deus, nisi sicut est in præscientia *ibid.* nec prædestinatio excludit liberum arbitrium, nec liberum arbitrium adversatur prædestinationi *ibid.*

Prædestinatio idem est quod præordinatio, sive præstitutio 127 2 E, prædestinare est præordinare & statuere futurum esse *ibid.*

Prædestinatio non solùm bonorum, sed & malorum potest dici 127 2 B, nec est inconveniens si dicimus Deum prædestinare malos & eorum mala opera, quando eos & eorum mala opera non corrigit *ibid.* Deus bona specialius præscire & prædestinare dicitur *ibid.*

Necesse est fieri quæ præsciuntur & quæ prædestinantur *ibid.* D, quædam tamen præscita & prædestinata non eveniunt necessitate quæ rem præcedit, sed eâ quæ rem sequitur *ibid.* Deus prædestinando, voluntatem non cogit, aut voluntati resistit ; sed eam in sua potestate dimittit *ibid.* D.

Deus amandus est qui se à damnata societate prædestinando discrevit, vocando separavit, justificando purificavit 134 2 A C.

Rationalis natura in quodam rationabili & perfecto numero præscita est à Deo 81 2, nec major nec minor ille numerus esse potest *ibid.*

Quod pauci sint electi certi sumus, Veritate dicente : quam pauci sint, incerti sumus, Veritate tacente 312 2 E, 327 2 C, 372 2 D E.

Qui non vivit ut pauci, reprobationem timeat *ibid.*

Nullus novit aut certus esse debet se esse de numero electorum *ibid.*

Capi non potest cur de malis hos magis salvet Deus quàm illos : & cur illos magis damnet, quàm istos 32 2 A.

PRÆDICATIO. PRÆDICATOR.

Christum ad peccatores ducit, qui eum peccatoribus prædicat 182 2 B.

Rarus est qui Christum prædicat 181 2 B.

Sapientia prædicantis prædicantibus subjecta est 173 1 A.

Sapientia prædicantium vel magistrorum, Christus est *ibid.*

Angeli, id est, nuntii Dei vocantur, qui Christum loquuntur 176 1 A.

Ordo prædicatorum, servus ille est qui dicit invitatis ut veniant 183 1 A, 2 B.

Minoribus minora prædicari debent, & majoribus majora 167 2 B.

Unusquisque juxta modum capacitatis suæ doceatur *ibid.*

Fidei prædicatio agriculturæ comparatur 130 1 B C E, 2, fideles sunt agricultura Dei *ibid.* 1 B C.

Deus non dat incrementum omni semini 130 1 D, tamen præcipit Agricolis suis in spe instantissime verbum suum seminare *ibid.* non supervacaneum est homines ad fidem Christi & ad ea quæ fides hæc exigit, invitare *ibid.* E, quamvis non omnes hanc invitationem suscipiant *ibid.* cur arguuntur qui Verbum Dei non suscipiunt *ibid.* 131 1, cum hoc facere nequeant, nisi gratia eorum voluntates dirigente *ibid.*

Boni mores in tacente diliguntur, & facundia in torpente contemnitur 338 1 A

Prædicatores in Petro claves regni cœlorum acceperunt 171 2 E, absolvunt & benedicunt fidelem morientem *ibid.* & orant ut hinc migrans in cœlis suscipiatur *ibid.*

PRÆLATUS.

Electus in Episcopum, tantum onus fugere debet 409 1 E, fugiens magis cogi debet ut onus suscipiat *ibid.*

Prælatio est, quantum sine peccato fieri potest, refugienda 330 2 A, est tamen, si obedientia coegerit, suscipienda *ibid.*

Per solum Christum Ecclesiæ Pastor est constituendus 363 2 B.

Non intrat per Christum qui non intrat per veritatem 358 1 A, non intrat per veritatem, qui non intrat per rectitudinem *ibid.* non intrat per rectitudinem, qui non intrat per regularem electionem *ibid.* hunc facit prælatum non Christus, sed sua cupiditas, & eorum qui non percipiunt quæ Dei sunt, temeritas *ibid.*

Prælatus sic se exhibeat ut neque justitiam gratia, neque gratiam justitia qualibet unquam privata subreptione excludat 371 2 E.

Multum nocet infirmis in Ecclesia Dei opinio alicujus vitii, sive vera sive falsa sit, maximè de prælatis 369 2 A.

Prælatus commissum gregem deserere non debet, etsi non omnes sub eo in Domino proficiant 377 2 C D E.

Abbas non potest onus impositum deponere nisi de licentia Archiepiscopi & Episcopi 377 2 C, 378 1 A.

Et Pastor commissum gregem deserere non debet propter calumniam 330 2 C D. *Vide* Prælatus.

A Prælatione per mortem deponitur præpositus 182 2 C.

Pastor ab Ecclesia revocandus, in qua non potest cum pace consistere, nec malis prævalere 360 1 D.

Pastor anxius de imposito onere 256 1 C D, petit gratias & virtutes sibi necessarias *ibid.*

Prælati de peccatis suis anxietas 302 2 B.

Sæpè Deus magis operatur per vitam illiteratorum (Prælatorum) quærentium quæ Dei sunt ; quàm per asturiam literatorum, quærentium quæ sua sunt 354 2 D.

Sincere obediendum prælatis 376 1 A.

Subditi facta prælatorum non dijudicent 376 1 D, 381 2 A.

Prælati Ordinationes, velut à Deo inspiratæ, suscipiantur *ibid.*

Quandiu Prælatus non cogit à bono in malum divertere, ejus subjectio non est deserenda 314 1 E, à prælato indisciplinato, etiam si majoribus bonis obstet, non est recedendum *ibid.*

Pravitas & emendatio præpositi Ecclesiæ 181 1, 2 C D E, 183 1 E, 2 A B C.

Prælati qui de bonis Dei non ejus lucra sed sua quærunt, & nocent quibus prodesse debuerant 181 1 D E.

Multi prælati quasi solliciti ne destruatur res Dei in manibus eorum, agunt ut dissipetur lex Dei in cordibus eorum 338 1 B.

Prælatus bona Ecclesiæ dissipans 181 1 D, prælati mala exempla *ibid.* Angeli Deo renunciant mala opera prælatorum *ib.*

In novissimo facta præpositorum per semetipsum Dominus examinat 181 1 E, qui quotidie per præpositos actiones subditorum judicat *ibid.*

Contra sacerdotum & prælatorum superbiam scribit Benedictus 384 2 B C.

Vide Benedictus.

Villicus rectorem Ecclesiæ designat 182 1.

Virga Episcopi Pastoralitatis signum 394 2.

PRÆSCIENTIA.

Non aliud est præscire, quam scire fu-

Digitized by Google

rurum 114 2 A.
Deus quædam præſcit ex libera rationalis creaturæ voluntate futura 114 2 B, 127 2 C.
Præſcientia eſt cum certa ratione aliquid intelligitur 71 2 A, hanc ſequitur neceſſitas rei *ibid.* D.
Præſcientia Dei non propriè dicitur præſcientia 71 1 C, 127 2 B, ſed præſentium ſcientia *ibid.*
Non præſcit Deus, niſi verum 127 2 E, præſcientia Dei non fallitur *ibid.*
Non præſcitur niſi quod futurum eſt 123 2 C.
Deus præſcit omnia futura 123 1 B, 124 2 A D.
Quæ Deus præſcit, neceſſe eſt futura *ibid.* 125 1 A, non omnia quæ præſcit, ſunt ex neceſſitate 124 2 E.
Quædam præſcit, quæ fiunt ex libertate voluntatis *ibid.* 127 2 C D.
Non præſcit cuncta futura neceſſitate, 124 2 A, quod præſcit Deus, neceſſitate futurum eſt ſicut præſcitur *ibid.* ſi aliquid eſt futurum ſine neceſſitate, neceſſe eſt aliquid eſſe futurum ſine omni neceſſitate *ibid.* non præſcit ſimpliciter Deus aliquem peccaturum, vel non peccaturum *ibid.* ſed præſcit peccaturum, vel non peccaturum ſine neceſſitate & ſola voluntate *ibid.* & 1 B, ſtant ſimul præſcientia Dei, & libertas arbitrii 71 1, 123 1, 124 1, 125 1 A, 2 E, 126 1 D, 127 1 C, 2 E, pereunt qui unam partem defendunt, & alteram negant 71 1 C, neceſſitas qua res liberæ quæ præſciuntur, futuræ ſunt, deſcendit de libera voluntate 124 2 D, 125 1 C.
Si præſcit Deus aliquid, neceſſe eſt eſſe futurum: idem eſt ac ſi dicam, ſi erit, ex neceſſitate erit 124 1 A, hæc neceſſitas ſequitur rei poſitionem *ibid.* neceſſitas ſequens non cogit nec prohibet rem eſſe vel non eſſe *ibid.* D, 2 A C, nec aliud ſignificat niſi quia quod erit non poterit ſimul non eſſe *ibid.* quod eſt futurum, non poteſt ſimul non eſſe futurum *ibid.* B C D, 2 A, rem futuram neceſſe eſt eſſe futuram *ibid.* 2 A, actio aliqua, antequam ſit, non neceſſitate futura eſt *ibid.* C, quia fieri poteſt ut non ſit futura *ibid.* *Vid.* Futurum.
Quicquid de his quæ libero fiunt arbitrio ut neceſſarium ſcriptura pronunciat, ſecundùm æternitatem loquitur non ſecundùm tempus 125 2 C, vis æternitatis facit ut præſcientia Dei & liberum arbitrium non repugnent *ibid.* E.
Deum non latuit quid homo facturus erat, cùm illum fecit 87 2 C
Ab ordine divinæ præſcientiæ nemo valet exorbitare 151 2 A.

PRÆSENTIA DEI.

Semper in conſpectu Dei ſumus 84 2 E.
Dei præſentia cohibet peccata 193 2 A.

PRÆSUMPTIO.

Vide Confidentia. Miſericordia. Spes.

DE PRATELLIS.

Abbas de Pratellis 451 1.

PRESBYTERI.

De Preſbyteris qui uxores habebant in Anglia 190 1 E.
Preſbyterorum conjugia à Concilio ſub Lanfranco damnata 407 2 E, ea reprobat Anſelmus *ibid.* & 408 1 A, ea Rex Henricus probat 407 2 E, Preſbyteri fœminas tenentes Beneficiis privantur 408 1 A, excommunicantur *ibid.* 2 B C
Contra Preſbyteros concubinarios 140, 331 2 C D E, 438 1 A, ab eis nec baptiſmus ſuſcipiendus, ſi adſint alii ſive Clerici ſive Laici 438 1 A, non debent fideles adſtare celebrantibus Preſbyteris aperta libidine fœtentibus 140 2 A, 332 1 C, ut vel hominum deteſtatione repulſi ſacra contaminare non audeant *ibid.* quæ ii tractant, non ſunt proinde contemnenda *ibid.* ſed ipſi execrandi *ibid.* ipſi, quantum ad ſe, ſacra altaria commaculant *ibid.*
De Preſbyterorum & concubinarum filiis 383 2 E.
Filii Preſbyterorum à præbendis patrum & ab Ordinibus ſacris removendi 334 1.

PRINCIPES.

Principes diligere debent juſtitiam 376 2 B C. *Vide* Rex.
Principes non Domini Eccleſiæ, ſed advocati 389 1 D, 2 A, 391 2 B C.
Vide Eccleſia. Rex.
Principes mala ſubditorum emendare maxime tenentur 417 1 E. *Vide* Correctio.

PRINCIPIUM.

Principium videtur non niſi rei incipientis eſſe 37 2 C.
Cauſa non videtur niſi effectus alicujus *ibid.* nomen effectus convenit rei quæ fit *ibid.* *Vide* Cauſa.

PRIVATIO.

Abſentia ejus quod eſt aliquid, non eſt aliquid 67 1 B.
Cæcitas dicitur aliquid, ſecundùm formam loquendi *ibid.* A, non eſt aliquid ſecundùm rem *ibid.* hanc habere non eſt aliquid habere, ſed carere aliquo *ibid.* cæcitas non eſt aliud quàm non-viſus, ubi viſus debet eſſe *ibid.* abſentia viſus non magis eſt aliquid ubi viſus debet eſſe, quàm ubi non debet eſſe *ibid.*
Quo ſenſu dicitur injuſtitia vel cæcitas facere aliquid 73 1 B.

PRIVILEGIUM.

Privilegium 437 1 D. *Vide* Beccenſis.

PRIOR. PRIUS.

Prior cum Abbate debet concordare 376 1 D.
Quædam natura priùs, quæ ſunt ſimul tempore 114 2 B C.

PRODIGIUM.

Signa aliquid præſentialiter ſignificant: prodigia aliquid futurum portendunt 186 1 B.
Prodigia, quaſi porta dicia *ibid.*
Vide Miracula.

PROFECTUS.

Quandiu vivit homo, non facit niſi ire 415 2 C, ſemper aut aſcendit, aut deſcendit, aut aſcendit in cœlum benè vivendo, aut deſcendit in infernum malè vivendo *ibid.* 452 2 A, iſte aſcenſus vel deſcenſus tunc cognoſcitur ab anima, cum exit de corpore 415 2 C, qui bonis moribus aſcendit, in cœlo collocabitur; qui malis moribus deſcendit, in inferno ſepelietur *ibid* D, diligenter attendat anima Chriſtiana ſi aſcendat, aut ſi deſcendat *ibid.*
Aſcendunt qui proficiunt: deſcendunt qui deficiunt 175 2 B.
Studium proficiendi 312 a D E, 2 A B C, 321 1 C D, 327 2 B C D, 355 2 C D, 372 2 E, 378 2 D E.
Sollicita de ſuo profectu diſcuſſio 312 1 D, 327 2 B, 452 2 A.
Juſtus novum augmentum ſemper adipiſci ſtudet 176 2 A.

PROFESSIO.

Profeſſio Monachica 423 1 A B, olim ſolo habitu & converſione Monachica fiebat *ibid.*
Monachi deditio ſeu obligatio per ſpontaneam cucullæ acceptionem fiebat 350 1 B. *Vide* Monachus. Votum.
Spiritus Prophetarum Prophetis ſubjectus eſt, ne eorum arbitrio repugnaret 273 1 A

PROSPERITAS.

Proſperitas 191 2 E, 192 1 A.
Ventus contrarius non ſæculi adverſitas, ſed proſperitas 161 2 D, & tunc maximè invocandus Deus *ibid.* magnæ virtutis eſt cum fœlicitate luctari *ibid.* E.
Vide Adverſitas. Afflictio. Tribulatio.

PROVIDENTIA.

Non ab alio, quàm à Deo cuncta regantur 28 2 A.
Non caſu, ſed multa ratione cuncta regantur *ibid.*
Deo eſt cura de omnibus 145 1 C, quia Dominus omnium eſt *ibid.*
Omnia ſubjacent Dei diſpoſitioni 119 2 A.
Plus eſt attendendum nobis quid facit de nobis Dominus, cujus ſumus; quàm quod nos volumus, qui noſtri non ſumus 313 2 E.
Sive vivimus, ſive morimur, non noſtri, ſed Domini ſumus *ibid.*
Vide Deus ſapiens. Dei voluntas. Deus cauſa rerum.

PRUDENTIA.

Pars prima prudentiæ eſt ipſam, cui præceperus es, æſtimare perſonam 107 2 C

PUDICITIA. IMPUDICITIA.

Impuræ cogitationes & motus impudici 249 2 A, 256 2 A.
Vide Concupiſcentia. Virginitas.

PULCHRITUDO.

Vanitas pulchritudinis 197 1 A B C, 198 1 A. *Vide* Fucus. Mulier.

PULSUS.

Liber de Pulſibus: ejus ſcientia non adeo utilis 319 2 B, nunc Mauritius tranſcribere ſtatuerat *ibid.* *Vide* Mauritius.

PUNCTUS.

Punctus additus puncto, non eſt niſi unus punctus 61 2 A.

PURITAS.

Vide Cordis munditia. Pudicitia.

PUSILLANIMITAS.

Vide Confidentia. Deus miſericors. Spes.

Q.

S. QUINTINI ECCLESIA.

Sancti Quintini Belvacenſis Eccleſia 406 1 B, hujus Canonicus Gunterius *ibid.* A.
Odo hujus Eccleſiæ Abbas *ibid.* depoſitur *ibid.* *Vide* Gunterius. Odo.

QUÆRERE.

Hoc quæritur, quod latet nec habetur 155 1

R.

RADULPHUS.

Radulphus nepos Epiſcopi Gundulphi 393 1 E.
Radulphus Ciceſtrenſis 410 2 D.

RAINALDUS.

Rainaldus Anſelmi conſanguineus 351 2 B, 352 1 A.
Rainaldus Remenſis Archiepiſcopus; Concilium cogit adversùs Roſcelini Clerici blaſphemias 357 1 C. *Vid.* Roſcelinus.
Rainaldus Abbas 339 1 A, ad eum Anſelmus rogatus mittit Monologium *ib.* B.
Rainaldus Monachus Beccenſis: eum Anſelmus ſalutat 374 1 B.
Rainaldus, Epiſcopatum, in quem invitus male intruſus fuerat, pro veritate rejecit 405 2 A.

Digitized by Google

RAINERUS.

Rainerus : Abbas de Monte S. Trinitatis 372 2 D.
Rainerus Clericus Idæ Comitissæ adfuit Anselmi electioni in Archiepiscopum 372 2 B.

RANULPHUS.

Ranulphus Episcopus à Rege restitutus in Episcoparum, jussu Paschalis II. 384 1E, de gravissimis criminibus apud Rom. Pont. accusatur *ibid.* ejus causæ discussio Anselmo demandatur à Paschali II. *ib.*
Ranulphus Flambardus sacerdos infamissimus publicanorum Princeps 427 2 C, hic Simoniacus ad Episcopatum à Guillelmo Anglorum Rege erectus est *ibid.* ob Henrico Rege pro pecunia captus est 428 1 A, ad eum Anselmus quatuor Episcopos misit *ibid.* B, postea clam fugit in Normiam *ibid.* Dominum piratarum se constituit *ibid.*

RATIO.

Ratio princeps & judex omnium esse debet quæ sunt in homine 43 1 A.
Ratio, quæ est instrumentum ratiocinandi, una est in homine 133 1 A.
Sicut bestiarum est nihil velle cum ratione : ita hominum est nihil velle sine ratione 100 2 E.
Homines semper debent nihil velle sine ratione *ibid.*
Ejusdem rei plures possunt esse rationes : quarum unaquæque sola possit sufficere 97.
Deus incipit rationem ponere quando per infirmitatem ad lectum & ad mortem pertrahit 167 2 E, 168 1 A.

RATIONALIS NATURA.

Rationalis natura non est nisi Deus, & Angelus, & anima hominis 98 2 A.
Nihil pretiosius Deus fecit, quam rationalem naturam 87 1 E.
Deus naturam rationalem fecit ad gaudendum de se *ibid.*
Rationalis creatura justa facta est 77 2 D, 86 2 E, 87 1 A B, & ad hoc ut Deo fruendo beata esset *ibid.*
Creatura rationalis non potest habere à se primam voluntatem 68 1 B.
Natura rationalis neque justa neque beata esse potuit, sine voluntate justitiæ & beatitudinis 133 2 E.
Deus voluit naturam rationalem facere justam & beatam ad fruendum se *ibid.*
Eam ad intelligendum & amandum se Deus creavit 134 1 B.
Sola mens rationalis, summam naturam valet indagare 24 2 E.
CUm ſcias quia multum te diligo, non deberes totienscumque tibi datum conſilium & præceptum meum contemnere, & contemnendo me & Abbatem cui te commiſi contriſtare. Totiens enim te monui, & conſului, & præcepi, ut indiſcretas abſtinentias & vexationes corporis tui ſecundùm ordinationem præfati Abbatis temperares: totiens promiſiſti quia in hac re meæ & illius voluntati penitùs obedires; & adhuc pertinaciter tuæ propriæ voluntati adhæres. Timeo ne dum vis habere præmium, ſeu potiùs famam aut inanem intra cor tuum gloriam abſtinentiæ, incurras potiùs pœnam inobedientiæ. Certè ſicut majorem coronam meretur ſimplex obedientia, quam præter communem uſum eſcarum abſtinentia; ita graviùs ille punitur, à quo illa contemnitur, quam à quo iſta deſeritur. Sine hujuſmodi enim abſtinentiâ poteſt obedientia hominem ſalvare: ſine obedientia verò talis abſtinentia non valet niſi damnare. Adquieſce igitur, adquieſce, & totum te Prælati tui diſpoſitioni committe, ſi mihi vis obedire, ſi mihi vis placere, ſi dilectionem meam erga te vis ſervare, ſi tuam erga me vis probare, ſi me deinceps non vis contriſtare, & Abbatem, ſub quo es, & Fratres inter quos vivis, tua indiſcretione gravare. Nimis enim patet quia corpus tuum & natura tua nequit tolerare quod indiſcretio tua præſumit. Omnipotens Dominus deducat te in via ſua, & in veritate ſua. Amen.

EPISTOLA II.

Anſelmus Archiepiſcopus, Roberto, Seyt, Edit, Cariſſimis ſuis filiis: ſalutem & benedictionem Dei, quantum poteſt.

Hortatur ad obſervantiam in minimis, & ut Angelos ſibi ſemper adſtantes cogitent, eorumque converſationem imitentur.

UTinam cognoſceretis quanto gaudio cor meum repleverit dilectus Filius meus Willelmus, de veſtra (quam mihi retulit) invicem ſanctâ dilectione, de religioſa converſatione, de cœleſti propoſito, & ſpirituali intentione. Quamvis enim multis curis & tribulationibus prementibus me ſentiam à ſpiritali fervore tepere; tamen magna cordi meo generatur lætitia; cùm audio alios in amore Dei fervere. Et quoniam ad officium mihi injunctum, & curam pertinet commiſſum, & vos (ſicut ſentio) deſideratis; moneo, precor quanto affectu poſſum, ut in hoc quod non vos ſed Deus in vobis cœperit, perſeverare, immo & perficere ſtudeatis. Quod utique (Deo adjuvante) poteritis efficere, ſi minima quæque noluerit is negligere. Qui enim in minimis ſervat diligentiam, non facile admittit in majoribus negligentiam. Nec hoſtis noſter illis quos in ſancto propoſito eſſe conſiderat, majora peccata apertè oſtendit; ſed in modicis (quaſi quæ contemnenda ſunt) latenter eos fallere contendit. Scit enim quia *qui modica deſpicit, paulatim decidit.* Ergo, cariſſimi, ſi quamlibet parum à veſtra bona conſuetudine aliquando vel ſemel ſentitis declinare gravem caſum gemendo vos incurriſſe judicate. Colloquia veſtra ſemper ſint munda, & de Deo. Exemplum vitæ accipite ex Angelis de cœlo, exceptis his quæ fragilitas humanæ naturæ ad ſuam exigit ſuſtentationem. Ut veſtra converſatio ſemper in cœlis ſit, Angelicam in omnibus conſiderate & imitamini converſationem. Hæc contemplatio ſit magiſtra veſtra: hæc conſideratio ſit regula veſtra. Quæ vitæ Angelicæ concordant ſectamini; quæ ab illa diſcordant execramini. Angelos veſtros (ſicut dicit Dominus, *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei*) ſemper vobis præſentes, & actus & cogitatus veſtros conſiderantes cogitate: & ita velut ſi eos viſibiliter inſpiceretis, ſemper vivere curate, omnipotens Deus nunquam permittat vos ab hoc ad quod perveniſtis, deficere; ſed ſemper faciat ad meliora proficere. Oro, orate pro me. Matth. 18 10.

EPISTOLA III.

Anſelmus Archiepiſcopus, fratri & filio cariſſimo Hugoni: ſalutem & benedictionem.

Hugonem Monachum, à quo ſe multum amari audierat, hortatur ut culpas ſuas nec celet, nec defendat: ut cor ſuum Abbati ſuo patere ſemper velit: & proprios ſenſus obedientiæ poſthabeat.

DOmino Abbate referente didici quod tantam erga me habeas dilectionem, ut cum proſpera mea audis, valdè gratuleris; & cum adverſa cognoſcis, multùm contriſteris; & cor tuum commoveatur adversùs eos, à quibus contingere ſentis aliquam adverſitatem mihi: & quia pro me orare pro poſſibilitate tua non deſinis. Quoniam ergo tanta tui eſt erga

Digitized by Google

tuæ dilectio, ſi te non diligo, me ipſum injuſtum judico. Et quia vera dilectio illum quem diligit ſemper proficere deſiderat, idcirco te hortor, & moneo ut mens tua ſemper ad meliora ſe extendere ſtudeat. Quod ſi quæris conſilium quomodo hoc poſſis facere; Monachicum propoſitum ſuper omnia dilige. Quod tunc bene cuſtodire poteris, ſi nunquam culpam tuam aut celare aut defendere volueris, ſicut vulpes foveas habent, ubi lutenter catulos pariunt & nutriunt, & ſicut volucres nidos habent patentes in quibus pullos fovent; ita diaboli faciunt foveas, & multiplicant peccata in corde celantis, & ædificant apertè nidos, in quibus ſimiliter peccata aggregant in corde defendentis. Vide igitur ſi non vis eſſe fovea, aut nidus diaboli, ne unquam culpam tuam celes aut defendas. Cor tuum ſemper pateat Abbati tuo; & ubicumque ſis, non ſolum corpus tuum, ſed etiam cogitationes tuas in conſpectu ejus eſſe exiſtima: & hoc fac & cogita, quod coram eo facere & cogitare non erubeſcas. Si hoc feceris, ita fugiet diabolus habitaculum pectoris tui, ſicut fur vitat domum illius qui eum nec celare vult nec defendere. In domum namque illius furta ſua fur attrahit, à quo ſe abſcondi aut defendi confidit. Si autem hoc quod dico in uſu habueris, tunc Spiritus ſanctus in te habitationem ſuam facit: nec corripietur, nec expelletur a ſuperveniente iniquitate; ſed bonus uſus tuus per illum a te repellet iniquitatem. Quæ res in tantam convertetur tibi delectationem; ut nihil dulcius, nihil unquam exiſtimare poſſis jocundius. Hoc autem quod dico intelligere non poteris, niſi in quantum ipſo opere experiri volueris.

Multa bona Dominus Abbas mihi de adoleſcentia tua retulit, ſed unum addidit quod mihi placere non potuit; judicas enim melius quod tuus ſenſus eligit, quam quod obedientia exigit. Cum enim ſcribendi habeas ſcientiam, majus aliud quid tibi videtur, quam ſcribere per obedientiam. Certus ergo eſto, quod melior eſt una oratio obedientis, quam decem millia orationum contemnentis. Moneo itaque ut filium cariſſimum, & dilectorem meum, ut obedientiam in omnibus actibus præferas, & ea quæ ſuprà dixi memoriâ perpetuâ teneas, & opere complere efficaciter ſtudeas. Omnipotens Deus ſuæ gratiæ benedictione te in omnibus ſemper dirigat, & ab omni malo cuſtodiat. Amen.

EPISTOLA IV.

Anſelmus Archiepiſcopus, dilecto filio ſuo Willermo: ſalutem & benedictionem Dei & ſuam.

Willermum amicum ſuum monet ut Deo ſit ſemper præſens: & ſic ſervet ſuam dilectionem, ut omni ſtudio conetur cavere Dei offenſionem.

EXpertus ſum te magno & intimo affectu me diligere, & ideo non poſſum tui dilectionis vicem non reddere. Diligis me ut Patrem in Deo, cui totam te ſine ſimulatione commiſiſti: & ego te ut filium, qui ſincera dilectione te ſuſcepi. A Deo accepiſti ut me diligeres: & ego à Deo habeo ut te ſic diligerem. Quoniam ergo ex Deo eſt mutua dilectio noſtra, non poteſt deleri, nec debet, niſi hoc faciat aliqua in Deum offenſio. Sicut ergo meam vis ſervare dilectionem, ita omni ſtudio conere cavere Dei offenſionem. Dilige ut me diligas: ſed plus diligo, ut teipſum diligas. Dilige teipſum, & quantum ad dilectionem, habeto meipſum. Eſto memor monitionis meæ; & ſemper eris dilectionis Dei, & ſub illa meæ; nequeo ſemper tibi eſſe præſens: Deus te cuſtodiat, qui ubique præſens. Moneo te ut ſemper illi ſis præſens.

EPISTOLA V.

Anſelmus ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis, Herberto Epiſcopo Thioſordenſi: ſalutem.

Herbertum Epiſcopum Thioſordenſem hortatur ut Presbyteros Concilio inobedientes, & qui fœminas nollent dimittere, à ſacris prohiberet: & ad Eccleſiaſtica munia alios ſeu Clericos ſeu Monachos illis ſubſtitueret.

DE Preſbyteris, de quibus quærit veſtra prudentia conſilium, reſpondeo quia nihil relaxandum eſt de his quæ conſtituta ſunt in Concilio. Quoniam ipſi autem malunt dimittere quidquid pertinet ad Preſbyteri officium, quàm fœminas: ſi aliqui inveniuntur caſti, faciant pro illis: ſi autem nullus aut pauciſſimi tales inveniuntur; jubete ut interim Monachi Miſſas dicant populo ubi ipſi fuerint, & faciant Corpus Domini, quod per Clericos portetur ægrotis. Qui Clerici veſtrâ juſſione vice verſa accipiant confeſſionem, & faciant abſolutionem, & ſepeliant corpora mortuorum. Quæ omnia etiam Monachis provectioris ætatis præcipere poteſtis; donec iſta duritia Preſbyterorum Deo viſitante molleſcat; non enim diu durabit, Deo propitiante, ſi in incepto perſeveraverimus. De Baptiſmo, vos ſcitis quia quicumque baptizet, Chriſtus baptizat. Laicis omnibus, majoribus & minoribus, ex parte Dei & ex parte omnium noſtrûm qui hoc conſtituimus in Concilio, *a* rogando præcipite, ut ſi Chriſtianos ſe confitentur, adjuvent vos quatenus expellatis Preſbyteros Concilio inobedientes de Eccleſiis, & rebus earum, & dignos pro illis conſtituaris. Et ſi expulſi, contra illos qui Eccleſiis caſtè ſervire voluerint, aut alia aliquo modo in aliquam ſuperbiæ temeritatem proruperint; omnes Chriſtiani ſint contra illos: & non ſolum à ſocietate ſua, ſed etiam à terris, quas de illis habent, eos cum fœminis ſuis excludant, donec reſipiſcant.

a Habita Londoniis an. 1102 Præſidente S. Anſelmo.

EPISTOLA VI.

Anſelmus Archiepiſcopus, dilecto nepoti ſuo Anſelmo: ſalutem & benedictionem.

Anſelmo nepoti ſuo commendat bonos mores, ac ſtudioſitatem, & Latinæ linguæ perpetuum uſum. De ſorore ſuâ, ejus matre, nuntiat admiſſam illam Marciniaci à Monialibus; ſed eam repoſcere, ſibi negatam.

SOllicitudinem & triſtitiam quam tu habes de tua matre, ego quoque tolero. Unde à Domino Abbate Cluniacenſi petii ut eam in Monaſterio Ancillarum Dei in Marcinneio ſuſciperet: quod ipſe libenter ſua gratiâ annuit propter noſtrum amorem: & ipſæ Ancillæ Dei voluerunt. Litteris igitur, & nuncio noſtro petii ab Abbate Cluniacenſi, & Monachis ejus, ut ſororem noſtram ad hoc mihi concederent, quantò humilius & ſtudioſius potui. Sed ipſi nullatenus aſſenſum præbere voluerunt: imo commoti ſunt adversùm me, & magnum ſibi me feciſſe dedecus exiſtimaverunt. Ego autem nondum deſiſtam conari, ut hoc aliqua ratione poſſim quod

Digitized by Google

incepi, perficere. Quòd si non potero, non debemus tamen ego & tu frustrà tristitiam inconsolabilem assumere; sed Dei dispositioni nos & illam patienter committere. Spero enim in Deo quia non patietur eam quibuslibet incommoditatibus ita tentari, ut non possit sustinere: sed per multas tribulationes quas ab infantia passa est & (si Deus ita disposuerit) usque in finem patietur, deducet eam, & intrare faciet in requiem suam. Ego verò in quantum potero, omnibus modis quamdiu vivam illi subvenire non cessabo. Quod autem pertinet ad te, mando, & præcipio tibi ut nullatenus sis otiosus; sed in hoc propter quod in Anglia te reliqui, in dies statuas proficere. Virtutem grammaticæ stude cognoscere: dictare quotidiè assuesce, maximè in prosâ: & ne multum ames difficilè dictare, sed plane & rationabiliter. Semper, nisi cùm necessitas te cogit, latinè loquere. Super omnia bonis moribus & gravitati intende. Loquacitatem fuge: plus enim proficit homo tacendo, & audiendo, & quid de aliorum dictis & vita possit proficere considerando, quàm scientiam suam verbositate, nulla necessitate cogente, ostendendo. Saluta magistrum tuum ex nostra parte amicabiliter: cui (si Deus mihi opportunitatem dederit) & pro te, & pro aliis fratribus quos docet, & pro suis moribus bonis, verè desidero prodesse. Interim tamen posui super Dominum Priorem & multùm rogavi illum, quatinus illi ita bene faciat, ut ei se conjunxisse vobis non displiceat. Vale.

EPISTOLA VII.

Domino & Romanæ Ecclesiæ Legato Cardinali Episcopo Waltero, Anselmus vocatus Metropolitanus Cantuariæ Episcopus; fidelium orationum cum servitio devotionem.

Vualterum Cardinalem Episcopum Albanensem, Apostolicum in Anglia Legatum rogat ut ad sustinendum onus sui Archiepiscopatus, opem sibi ac subsidium à Pontifice Romano accersat.

QUoniam de vestræ sanctitatis caritate confido, precor ut Domino nostro Papæ fidelitatem nostram, & dilectionem cum reverentia, quas illius Celsitudini in corde servo, sicut vobis ostendi, benignè monstretis: & laborem mentis meæ sub Archiepiscopatus onere, sicut vobis conquerendo confessus sum, pia compassione intimetis. Quatenus paterna ejus pietas, filii & servi sui gemitibus compatiens, aliquando in conspectu Domini nostri Jesu Christi, & beati Petri Apostoli, memor mei esse dignetur; & si quando ad illam in anxietatibus meis refugero, pietatis ejus viscera mihi non claudantur. Munusculum nostrum illi pro possibilitate nostra misimus, rogo ut sic vestra commendetur benignitate, ut plus placeat vestra commendatione, quàm sua quantitate. Valeat Sanctitas vestra: & omnipotens Deus mittat vobis Angelum suum bonum, qui comitetur vobiscum, & bene disponat iter vestrum. Rogo vos, orate pro me.

EPISTOLA VIII.

Anselmus Cantuariensis Ecclesiæ Metropolitanus Antistes, Reverendis Coëpiscopis, Donnaldo, Donato, ac cæteris in Hyberniæ insula Pontificali eminentibus dignitate; à Deo Patre, & Jesu Christo, filio ejus unico, salutem & perpetuæ hæreditatis benedictionem.

Episcopos Hyberniæ rogat ut pro se multis erumnis presso Deum interpellent: simul admonens ut sui quisque officii partes impleant: ac si quid inter eos controversiæ ortum fuerit, rem illi totam ad se deferant.

ODorem religionis vestræ plurimis indiciis agnoscens, calamitates quas patior decrevi potissimum vobis aperire: ut quantò viciniùs assistitis Creatori, tanto familiarius angustias meas in ejus conspectu valeatis indicare, & indicantes compassionis gemitibus ipsius misericordiam mihi impetrare. Defuncto beatæ memoriæ prædecessore meo Lanfranco Archiepiscopo, cum in Normannia Beccensis Monasterii Abbas extitissem (unde & præfatus antecessor meus ad regendam Ecclesiam, cui Deo auctore præsideo, ante me præcesserat) occulto Dei judicio pro utilitatibus Ecclesiasticis in Angliam veni: quo venientem tam Rex, quam Pontifex, Regnique Optimates, ad Cathedram Pontificalem non vocando; ut fieri solet, immo violenter rapiendo pertrahunt, Clero & Populo acclamantibus in idipsum; ut nec unus cui displiceret quod gerebatur visus fuerit interesse. Demique cùm adhuc id nolle, nec assentire me debere acclamarem; quod de potestate Normanni Ducis, quòd de subjectione Rothomagensis Episcopi, ipsis ignorantibus ereptus essem: quorum jure effugere enitebar, eorumdem (præfati videlicet Ducis & Archiepiscopi) præcepto onus officii coactus & obediens accepi. Quo pacto in gradum Pontificalem sublimatus, idcirco assensi quia contraire non potui. Proinde infulatus sedulè quid Christo, quid ejus Ecclesiæ, pro loco, pro officio deberem, cogitare cœpi: & pastorali regimine vitia resecare, præsumptores coërcere, & quæque inordinata ad ordinem debitum volui revocare. Quâ causâ, quos adjutores me oportuerat habere in causa Dei, terribiliter offensos patior: & quæ per me crescere debuerat, me præsente deperit causa Dei. Unde (Reverendi Patres, gemebundè vobis loquens fateor) invenerunt me amarissimæ tribulationes, dum & quietem fructuosam me reminiscor perdidisse, & infructuosum periculum considero me incurrisse. Ita etenim peccatis meis facientibus actum est, ut qui nostræ se sponte subdiderant ditioni, à nostra sponte resiliant ditione; & qui illis amabilis extiteram, omnibus ferme odiosus existam. Quapropter (Venerandi Fratres, filii charitatis vestræ) obtecto vos in nomine ejus, qui suos inimicos redemit sanguine suo, orate ut omnibus Deus nobis pacem tribuat, inimicos nostros in gratiam convertat, & secundùm suam voluntatem nos vivere faciat.

Præterea, quamquam rectè viventem, rectèque sapientem pastorali sollicitudine Fraternitatem vestram monere compellor; quatinus viriliter, ac vigilantius agat in doctrina Dei: canonica severitate, si quid contra Ecclesiasticam doctrinam in Provinciis suis inventum fuerit, compescens, & secundùm vo-

Digitized by Google

luntatem Dei cuncta disponens. Si quando verò seu in consecrationibus Episcoporum, seu in Ecclesiasticorum negotiorum causis, seu quibuslibet aliis rationibus aliquis quod ad sacram religionem pertineat inter vos ortum fuerit, quod per vos canonicè nequeat diffiniri; caritatis officio id ad noritiam nostram deferri commonemus: quatenus à nobis potiùs consilium & solatium accipiatis, quàm prævaricatores mandatorum Dei, in judicium ejus indicatis. Iterum, carissimi, rogamus vos, orate pro nobis: erigite nos de tribulationibus nostris manu vestræ orationis, piis precibus pulsantes auræ clementiæ Dei. Dominus qui jussit de tenebris lucem splendescere, mentibus vestris infundat lucem sapientiæ suæ; ut quæ jubet intelligatis, intelligentes opere compleatis.

EPISTOLA IX.

Ex Mss. Lib. Eccles.

Ad Hugonem Archidiaconum.

Anselmus Gratia Dei Archiepiscopus Cantuariensis, quamvis exul, vero & dilecto amico, Hugoni Archidiacono: salutem & benedictionem Dei, & suam, si quid valet.

Ex Edit. Mss. Lovel. manuscr. pag. 703.

Fidelis Dei dilectio non dormit neque dormitat, neque ulla sæculi perturbatio aut ullus casus illam fatigat; & semper ejus quem diligit præsentiam desiderat. Et quoniam de dilectione tua certus sum: quod absens per mei præsentiam non possum, saltem per litteras quid mihi sit aliquatenus significo. Dei gratia disponente, & orationibus servorum Dei, qui in multis locis longe lateque sua gratia propter Deum me diligunt, me prosequentibus: ex quo de Anglia quomodo scit Deus, nec obliviscitur, exivi, nullam sensi temporalis rei in his quæ necessaria mihi fuerunt, indigentiam; nec ullius mali violentia tantùm mihi nocere potuit, quantùm benevolentia Dei me juvare voluit. Tantam enim gratiam suæ pietate mihi Deus largitur apud multos, quorum numerum modò nescio, Episcopos, Abbates, Principes & divites hujus sæculi, & minoris ordinis, à mari Barenti usque ad mare Bonojense; ut plus timeam multos offendere me absentando, quàm eos frequentando. Inter quos Venerabilis Archiepiscopus Lugdonensis gaudet ad præsens se suam mihi munificentiam copiosè & honorificè exhibere, & desiderat me semper secum, quandiu exul ero ab Ecclesia nostra, manere. Quod non tam Deus meis meritis facit, quam suæ bonitatis abundantiâ. Quid autem de me futurum sit, vel quid facturus sim, nulla certitudine tibi possum scribere; sed Divinæ benignitatis me committo penitus dispositioni. Tibi autem de me nihil melius ad præsens possum consulere, quàm ubi nunc es, ibi studeas Deo servire; donec Deus aliter te & vitam tuam velit ordinare sub Gratia sua. Saluta Dominum Guillelmum Archidiaconum, ut dilectum nostrum. Saluta dilectissimas filias nostras Abbatissas cum suis ancillis conversantibus, de Scephtesberia, de Wintonia, & de Wintuna, quibus mando benedictionem Dei & nostram, quantum possum; & roga eas ut orent pro me. Hoc unum scito, quia spero in Deo; & hæc voluntas mea quia sicut propter timorem & amorem Dei, & honorem ejus, & Ecclesiæ ejus egressus sum de Anglia; ita nunquam ingrediar in illam, nisi propter & secundùm eandem causam in quantum intelligere potero. Huic pauperi precor ut melius sit ex tua parte propter amorem nostrum; quoniam per multa pericula & multo labore portat nuncium nostrum. Vale

Saluto vos Ego Frater Edmerus coexul Domini & Patris nostri Archiepiscopi, gratias agens Deo & illi, quia dignus habitus sum hujus exilii consortio. Rogo etiam ut quos Dominus Archiepiscopus salutat ex sua parte, ex nostra parte salutetis.

EPISTOLA X.

Ad Abbatissam Eulaliam.

Anselmus Archiepiscopus, sororibus suis in Deo Charissimis, Dominæ Abbatissæ de sancto Edwardo Eulaliæ, & omnibus filiabus ejus, & suis: salutem, & benedictionem Dei, & suam, quantum valet.

Ex edit. Mss.

Propter quendam servientem Regis, qui mihi sigillum ejus detulit; petiit dilectio vestra, sicut ipse dixit, nostris litteris salutari: quod malui facere per legatum meum, quem sciebam me in proximo tunc missurum in Angliam. Scio quia abundantia veræ & religiosæ dilectionis hoc facit ut litteras meas libenter videre velitis: ut cùm meam præsentiam, quam religioso affectu desideratis, secundùm voluntatem vestram habere non potestis; saltem per Epistolam meam aliquatenus illam vobis exhibeatis; & forsitan ut in me memoriam vestri, quasi ne obdormiat, excitetis: Quod totum magnitudini imputo sinceræ dilectionis. In hoc enim cognosco quia vos vere mei memoriam habetis; cùm & meas litteras quæritis, ut in eis me quodammodo videatis; & me ad memoriam vestri excitetis. Denique sicut scio quia bona voluntas & sincera dilectio in vobis erga me non frigescit: ita scitote quia erga vos in me non tepescit. In hoc autem maximè volo vos mei memores esse, & me, sicut facitis, diligere; ut sicut scitis desiderium meum, in amore Dei omnes studeatis indesinenter fervere. Et vos, quæ subditæ estis, Matris vestræ obedientiam non ad oculum, sed intimo corde satagatis exhibere. Scio quia adversitates & tribulationes ex diversis partibus sustinetis; sed tunc magis ad Ordinis & vitæ vestræ custodiam studere debetis: quia plus bene vivendo consolationem Dei impetratis, quam si aliquatenus propter aliqua sæculi impedimenta à vestri propositi fervore cessatis. In quocunque secreto sitis, certæ estote nec ullatenus dubitetis quia unaquæque habet Angelum suum, qui omnes cogitatus & actus ejus videt & notat, & invicem ad Deum reportat. Moneo itaque vos, Filiæ charissimæ, ut in occulto & in aperto unaquæque sic omnes motus cordis & corporis sui custodiat, ac si ipsum Angelum custodem sui oculis corporalibus præsentem videat. Omnipotens Deus vos sua benedictione protegat, & ad conspectum gloriæ suæ perducat. Amen. De reditu nostro scio quia vultis aliquid cognoscere: sed nihil certum vobis ad præsens possum scribere. Orate ut faciam secundùm beneplacitam voluntatem Dei.

Digitized by Google

SERMO
SANCTI ANSELMI
DE PASSIONE DOMINI.

Ex Mſ. 1697. Bibl. Regia.

DOmine Jeſu Chriſte, Paſtor bone, qui pro grege tuo mori dignatus es, agnoſce me inter oves tuas & trahe ad paſcua tua, & agnoſce oviculam tuam ut merear eſſe ad dexteram tuam. Fac me participem gloriæ tuæ qui amarum calicem bibiſti pro me: pœna tua torquet conſcientiam meam, tormenta cruciant memoriam meam: ego enim * timui potionem quam bibiſti, ego peccavi quod tu tuliſti, ego ſervus contumax commiſi quod tu devapulaſti; ego * quod tu exſolviſti: cauſa tuæ mortis fuit iniquitas mea, vulnera tua fecerunt crimina mea. Væ peccatis meis quæ tam amara morte expiari oportuit. O peccata mea quàm amara fuiſtis, quæ mihi dulcedinem promiſiſtis & me fefelliſtis! O Eva infelix quæ pomum momordiſti & mortem omnibus intuliſti, immo & Deum & hominem nobiſcum occidiſti! O infelix homo qui brevi voluptate te diabolo tradidiſti, & te & tuos perdidiſti! Deo quidem nolente & prohibente, mortem comminante, diabolo conſenſiſti: Deo diſponente bonum inveniſti, gratiam accepiſti. O ineffabilis miſericordia! ubi abundavit delictum ſuperabundavit & gratia; ut cum ſatisfacere pro culpa nullos deberet niſi homo, nullus abſolvere poterat niſi Deus. Miſerat ut homo fieret, qui cùm pro ſe nil deberet, moriendo pro nobis delictum noſtrum ſolveret. Propterea Deus carne induitur, qui eſt concipitur, verbum incorporatur; æternus naſcitur, panis involvitur, in præſepio ponitur, circumciditur, baptizatur, eſurit, tentatur; Deus ut homo venditur, capitur, tenetur, ligatur, conviciatur, opprobriis ſaturatur, aceto & felle potatur, ſpinis coronatur, inter latrones computatur, morte turpiſſima condemnatur, cruci affligitur. Ecce quomodo proprio Filio non pepercit Deus, ſed pro nobis illum tradidit. O gratia tradentis! ô pietas mortis! ô bone Jeſu! ô pie Jeſu quid tribuam tibi, quid ſuſtinebo pro te qui tot & tanta ſuſtinuiſti pro me: exhibitio operis probatio eſt dilectionis. Quid ergo faciam qui tantum indignus accepi? quid reddam? quid rependam? Accipe quod tuum eſt, fac de ſervo tuo quod tibi placet: non debeo tibi aufferre jus tuum, non debeo dare alieno domino ſervum tuum: jus tuum anima mea eſt, ſervus tuus corpus meum eſt; jus tuum feciſti animam meam quando pro ea poſuiſti animam tuam; ſervum tuum feciſti corpus meum, quando pro eo tradidiſti corpus tuum in mortem. Totum te dediſti pro me & opetaſti totum in me: emiſti tibi ſpiritum meum, emiſti tibi corpus meum utrumque ſervum tuum. Tuus ergo ſum ſpiritu & corpore: utrumque debeo tibi impendere. Diligam te ergo ex toto corde meo, ſerviam tibi ex toto corpore. Caligaverunt pro me in morte oculi tui, advertant ne videant vanitatem vagi oculi mei: convitiis & blaſphemiis patuerunt aures tuæ, patebunt ad clamorem pauperis aures ſurdæ aures meæ: felle & aceto potatum eſt os tuum, veritatem & judicium loquatur mendax os meum: extenſæ ſunt in cruce manus tuæ, extendentur inopi manus contractæ manus meæ. Confixi ſunt clavis pedes tui, dirigentur in ſemitas rectas pedes diſtorti pedes mei. Apertum eſt lancea latus tuum, aperiam per confeſſionem cor meum ut fatear vulnus meum. Anguſtias mortis pertulit totum corpus tuum, ut membrum fieret tuum corpus putridum corpus meum. O bone Domine quid retribuam tibi pro tantis beneficiis, ego vile mancipium ſervus inutilis? * Gaudebo an dolebo de morte tua? ſane utrumque faciam, gaudebo ſiquidem de gratia tradentis & de caritate morientis. Sed prius dolebo de cauſa mortis, id eſt de conſcientia peccati, & condolebo morienti. Si non gaudeo, ingratus ſum; ſi non doleo, crudelis ſum: ſed quia tempus eſt flendi antequam ridendi, ambulo triſtis demiſſo capite, & aſſimilabor paſſioni tuæ. Fertum igitur paſſionis tuæ pertranſeat animam meam, & crux tua ſuſpendat concupiſcentiam meam. Confige timore tuo carnes meas, ut non eam poſt concupiſcentias meas. Mortifica in carne mea ſtimulos carnis omneſque libidinoſas commotiones, & da mihi veram & perpetuam caſtitatem & vitam æternam. Amen.

Leg. confeci aut aliud ſimile verbum.

Deſi verbi commixi, aut aliud ſimile.

Hæc ex Med. ij de Humanæ Redemp. p. 222. b. Ed.

Digitized by Google

NOVUM
SUPPLEMENTUM
SANCTI ANSELMI
CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI.
TRACTATUS ASCETICUS.

CAPUT PRIMUM.

De Monachi destinatione vel fine.

Ex tom. 3. Spicileg.

OMNES artes ac disciplinæ *scopon* quemdam, id est, destinationem; & *telos*, id est, finem proprium, habent. Ad quem respiciens uniuscujusque artis industrius appetitor, cunctos labores & pericula atque dispendia æquanimiter libenterque sustentat. Nam & agricola nunc tortidos solis radios, nunc pruinas & glaciem non declinans, indomitas agri glebas frequenti subigit vomere dum scopon servat, ut eam cunctis sentibus expurgatam exercendo comminuat: Finem, id est, perceptionem copiosarum frugum inde adepturum se esse confidens. Referta etiam horrea frugibus libenter exhaurit, sulcisque commendat, præsentem diminutionem futuratum messium contemplatione non sentiens. Negotiatores non incertos pelagi casus; non ulla discrimina perhorrescunt. Milites peregrinationum exilia ac bellorum pericula non sentiunt, dum illi ad finem quæstus, & isti ad propositum sibi honorem, spe præpeti provocantur. Ita ergo & nostri propositi finis quidem, secundùm Apostolum: *Vita æterna est*; ita eodem pronuntiante: *Habentes quidem fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* Scopos verò est puritas cordis, quam sanctificationem non immeritò nuncupavit, sine qua prædictus finis non poterit apprehendi. Ac si dixisset aliis verbis: Habentes quidem scopon vestrum in puritate cordis, finem verò, id est, telos, vitam æternam. Quicquid ergo nos ad hunc scopon, id est, puritatem cordis, potest dirigere, tota virtute sectandum est. Pro hac enim universa agimus atque toleramus; pro hac parentes, patria, dignitates, divitiæ, & voluptas universa contemnitur, ut scilicet puritas cordis perpetua retententur. Hac igitur nobis destinatione proposita, semper actus nostri & cogitationes ad eam obtinendam, velut ad certam lineam rectissimè dirigantur. Quæ si præoculis nostris jugiter statuta non fuerit, non solùm cunctos labores nostros varios pariter atque instabiles reddens, incastum eos ac sine fructu compellet effundi: sed etiam cogitationes omnes diversas sibique contrarias suscitabit. Necesse est enim mentem quò recurrat cuive principaliter inhæreat non habentem, per singulas horas atque momenta pro incursuum varietate mutari, atque ex his quæ extrinsecus accidunt, in illum statum continuò transformari, qui sibi primus occurrit. Hinc namque est, quòd nonnullos mundi hujus maximas facultates contemnentes, post hæc videmus pro graphio vel acu commoveri, pristinum scilicet affectum in rebus minimis retentates. Qui si contemplationem mundi corde fixam tenerent, numquam utique pro parvis rebus admitterent, quod ne pro magnis incurrerent opibus, easdem penitùs abjicere maluerunt.

Quod Religiosorum fundum.

Hic ergo nobis principalis debet esse conatus, ut divinis rebus ac Deo mens semper inhæreat, fornicationem judicans vel momentaneum à Christi contemplatione discessum. Totum namque in animæ consistit recessu; unde expulso diabolo, ac nequaquam in ea jam regnantibus vitiis, consequenter regnum Dei fundatur in nobis, dicente Evangelista: *Regnum Dei intra vos est.* Intra nos verò nihil aliud potest esse, quàm scientia aut ignoratio veritatis, & vel vitiorum amicitia vel virtutum, per quam aut diabolo aut Christo præparamus regnum in corde. Cujus etiam regni qualitatem describit Apostolus, ita dicens: *Non est enim regnum Dei esca & potus; sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto.* De alio namque dicitur: *Mundus iste gaudebit.* Et *Væ vobis qui ridetis, quia plorabitis.* Itaque si regnum Dei intra nos est: & ipsum regnum Dei justitia, & pax, & gaudium est; ergo qui in istis commoratur, sine dubio in regno Dei est. Et è contra, qui in injustitia, discordia, & tristitia mortem operante versantur, in regno diaboli, & in inferno, ac morte sunt constituti: in quo qui fuerit, nec laudare Deum potest, secundùm Prophetæ sententiam dicens: *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum*, sine dubio peccati. *Sed nos*, inquit, *qui vivimus*, non vitiis scilicet, nec mundo huic, sed Deo, *benedicimus Dominum ex hoc nunc & usque in sæculum. Non* enim *est in morte qui memor sit* Dei *in inferno autem quis confitebitur* Domino? id est nemo. Nullus enim tametsi millies semetipsum vel Christianum esse profiteatur vel Monachum, cum peccat, confitetur Deo; nec servum se veraciter illius profitetur, cujus præcepta contumaci temeritate contemnit. Regnum sanè Cœlorum tripliciter accipiendum est: aut quòd regnaturi sint Cœli, id est Sancti, in aliis subditis secundùm illud: *Esto tu super quinque civitates, & tu super decem:* Illudque quod dicitur ad Discipulos: *Sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim Tribus Israël.* Aut quod ipsi Cœli incipiant à Christo regnari, cum scilicet omnibus eis subjectis, cœperit esse omnia in omnibus Deus: vel certè quòd Sancti in Cœlis sint cum Domino regnaturi. Quamobrem in hoc corpore constitutus jam noverit unusquisque illi se regioni vel ministerio deputandum, cujus in hac vita particeps semetipsum cultoremque præbuerit; illiusque se etiam in illo perenni sæculo consortem futurum esse non ambigat, cui nunc ministrum se sociumque maluerit exhibere, secundùm sententiam Domini

Rom. 6. 22.

Rom. 14. 17.

Jean. 16. 20.

Ibidem.

Regnum Dei & diaboli qui differunt.

Psal. 113. 17.

Psal. 66.

Luc. 19. 19.

Matth. 19. 28.

Joan. 12. 26. Domini dicentis: *Si quis mihi ministrat, me sequatur; & ubi sum ego, illic & minister meus erit.*

CAPUT II.

De Cogitatione.

MEntem quidem non interpellari cogitationibus, impossibile est; suscipere verò eas sive respuere, omni studenti per gratiam Dei possibile est. Quod exercitium cordis non incongruè molarum similitudini comparatur, quas meatus aquarum præceps impetu rotante provolvit. Quæ nullatenùs quidem cellare possunt ab opere suo aquarum impulsibus circumactæ. In ejus verò qui præest potestate, utrumnam triticum malit, an hordeum, loliumve comminui. Illud quippe est commolendum, quod ingestum ab illo fuerit, cui operis illius cura commissa est. Ita igitur etiam mens per vitæ presentis incursus undique ingruentibus tentationum torrentibus circumacta, vacua quidem cogitationum æstibus esse non poterit; quales verò vel admittere vel parare sibi debeat, studii sui providebit industria. Si enim ad sanctarum Scripturarum meditationem jugiter recurramus; ac memoriam nostram ad recordationem spiritualium rerum, & desiderium perfectionis, spemque futuræ beatitudinis erigamus: necesse est, ut ortæ cogitationes exinde spirituales in his quæ meditati sumus mentem faciant immorati. Sin verò desidia seu negligentia superati, vitiis & otiosis confabulationibus occupemur, seu curis mundanis & superfluis sollicitudinibus implicemur: consequenter exinde velut quædam zizaniorum species genera operationem quoque nostro cordi noxiam ministrabit, & secundùm sententiam Domini Salvatoris: *Ubi fuerit thesaurus* operum & intentionis nostræ, *ibi & cor nostrum* necessario permanebit.

Sacris Scripturis imbuendus est animus.

Matth. 6. 21.

Illud sanè præ omnibus nosse debemus, tria cogitationum nostrarum esse principia, id est, ex Deo, ex diabolo, & ex nobis. Ex Deo quidem sunt, cum Spiritûs sancti illustratio nos visitare dignatur, erigens nos ad sublimiorem profectum, & in quibus vel minùs acquisivimus vel delicioè agentes superati sumus, salubberrima compunctione castigat: vel cum referat nobis cœlestia Sacramenta, & propositum nostrum ad meliores actus voluntatemque convertit; ut ibi, cùm Rex Assuerus castigatus à Domino Libros Annales instigatur inquirere, quibus Mardochæi beneficia recordatur: summi eum gradu honoris exaltat, ac protinùs crudelissimam super nece Judæa Gentis sententiam revocat. Ex diabolo verò cogitationum nascitur series, cùm subvertere nos tam vitiorum obluctatione, quàm etiam occultis conatur insidiis, subtilissima calliditate mala pro bonis fraudulenter ostentans, & transfigurans se in Angelum Lucis. Vel cum Evangelista refert: *Et Cœnâ facta cùm diabolus jam misisset in corde Simonis Iscariothes ut traderet Dominum.* Et iterùm *Post buccellam*, inquit, *tunc introivit in illum Sathanas.* Petrus quoque ad Ananiam: *Quare*, ait, *Sathanas tentavit cor suum mentiri te Spiritui sancto?* Et Salomon: *Si spiritus potestatem * habens ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris.* Ex nobis autem otiuntur; cùm eorum quæ gerimus vel gessimus, vel audivimus, naturaliter recordamur; de quibus beatus David: *Cogitavit*, inquit, *dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Et meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar & ventilabam spiritum meum.* Et iterùm: *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.* Et, *cogitationes justorum judicia.* Hanc ergo tripertitam rationem oportet nos jugiter observare, & universas cogitationes quæ emergunt in corde nostro sagaci: discretione discutere, origines earum vel causas auctoresque primitus indagantes, ut quales nos eis præbere debeamus, ex illorum merito qui eas suggerunt, considerare possimus; ne qua forte intellectualis ibidem bestia, vel leo, vel draco pertransiens, pernicioſa vestigia latenter impresserit, quibus accessus etiam cæteris in abdita pectoris nostri per cogitationum negligentiam præbeatur. Et ita per singulas horas atque momenta terram cordis nostri Evangelico aratro, hoc est, jugi Dominicæ Crucis recordatione sulcantes, vel noxiarum ex nobis ferarum cubilia, vel virulentorum serpentium exterminare latibula poterimus. Hujus ergo perfectæ mentis figura per illum Evangelicum centurionem, pulcherrimè designatur. Cujus virtus atque constantia, quâ non quibuslibet ingruentibus cogitationibus abducedatur: sed pro suo judicio vel admittebat bonas, vel contrarias absque ulla difficultate pellebat, hac tropica significatione descripta est: *Nam & ego homo sum sub potestate habens sub me milites, & dico huic vade, & vadit; & alio veni & venit; & servo meo, fac hoc, & facit.* Si igitur nos quoque viriliter adversùs perturbationes & vitia dimicantes, potuerimus ea ditioni nostræ discretionique subjicere, vel instabilem cogitationum nostrarum cohortem rationis imperio subjugare, ad spiritualis hujus Centurionis ordinem provehemur, quem in Exodo quoque per mortem legimus designatum: *Constitue tibi * Chiliarchos, & Centuriones, & Quinquagenarios & Decanos.* Et ita nos quoque hujus dignitatis apice sublimati habebimus hanc imperandi potestatem, ut malis quidem suggestionibus præcipiamus, abite, & abibunt: bonis verò, venite & venient. Servo quoque nostro, id est corpori, ea quæ castitatis vel continentiæ sunt, similiter injungemus, & sine ulla contradictione deserviet, non jam suscitans nobis adversùs concupiscentiæ stimulos, sed omnem exhibens spiritui famulatum.

Matth. 8. 9. Luc. 7. 8.

al. tribunos Exod. 18. 21.

Hujus Centurionis qualia arma sunt, vel ad quæ præliorum exercitia præparentur. Audi Apostolum prædicantem: *Arma*, inquit, *potentia nostra non sunt carnalia, sed potentia Deo.* Quibus nos quoque si volumus bella Domini præliari, & inter Centuriones Evangelicos militare, accincti jugiter debemus incedere: *Sumite*, inquit, *scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignita extinguere:* Ergo fides est quæ excipiens ardentissima libidinum tela metu futuri judicii, & cœlestis regni credulitate mortificata: *Et Loricam*, inquit, * *caritatis:* Ipsa nempe est quæ vitalia pectoris nostri circumlans atque communiens, ad interiorem hominem nostrum jacula diaboli penetrare non permittit. Omnia enim suffert, omnia patitur, omnia sustinet. *Et Galeam spem salutis.* Galea capitis est munimen. Quia ergo caput nostrum Christus est, debemus istud semper spe bonorum futurorum velut inexpugnabili galea in cunctis tentationibus ac persecutionibus communire, & principaliter fidem ejus illæsam atque integram custodire. Aliis enim membris truncatum quempiam licet debilem, possibile tamen est utcunque superesse: sine capite verò nemini vel brevis vitæ spatium prærogatur. *Et gladium Spiritus, quod est verbum Dei. Penetrabilius* namque est *omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ ac Spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis*; dividens scilicet & abscindens quicquid in nobis carnale terrenumque repererit. Quibus armis quisque fuerit communitus, ab hostium semper telis ac populatione defensus, non ut captivus ac subditus ad hostilem cogitationum terram deprædantium constrictus vinculis abducetur, nec audiet per Prophetam: *Quare inveteratus es in terra aliena?* Sed tanquam triumphator in illa qua voluerit cogitationum regione consistet. Vis etiam ipsum

2. Cor. 10. 4.

Ephes. 6. 16.

Ibidem 14.

al. justitiæ

Ibidem 17.

Ibidem.

Hebr. 4. 12.

Rom. 5. 12.

robur ac fortitudinem Centurionis hujus, quibus hæc arma quæ prædiximus non carnalia ſed potentia Deo geſtet, agnoſcere. Audi ipſum Regem viros fortes ad ſpiritualem militiam congregantem,
Joel. 3. 10. quos eos dilectos ſignet ac probet: *Infirmus*, inquit, *dicat quia fortior ſum ego:* Et qui patiens eſt, ſit pugnator. Videtis ergo bella Domini præliari non poſſe niſi patientes infirmoſque, illa procul dubiò infirmitate, quâ fundatur ille noſter Evangelicus centurio
2. Cor. 12. 10. cum fiducia loquebatur: *Cùm enim infirmior, tunc fortior ſum;* Et iterùm: *Virtus in infirmitate perficitur.* De
Hebræ 3. qua infirmitate unus Prophetarum: *Et erit*, inquit, *qui infirmatur inter eos, ſicut domus David.* Patiens etiam hæc bella præliabitur, nempe illâ patientiâ,
Heb. 10. 36. de qua dicitur: *Patientia vobis neceſſaria eſt, ut voluntatem Dei facientes recipiatis remunerationem.*

Virtus confeſſionis. De maligna cogitatione illud noſſe debemus, quia illico ut per Confeſſionem patefacta fuerit, marceſſit; & antequam diſcretionis judicium proferatur, ſerpens teterrimus, velut tenebroſo ac ſubterraneo ſpecie virtute Confeſſionis protractus ad lucē, & traductus quodammodò ac dehoneſtatus, abſcedit. Tandiu namque ſuggeſtiones ejus noxiæ dominantur in nobis, quandiu celantur in corde. Quem ſenſum in Eccleſiaſte
Eccleſ 10. 11. quoque legimus figuratum: *Si momorderit*, inquit, *ſerpens non* a *in ſibilo, non eſt eo amplius incantatori*, taciti ſerpentis morſum pernicioſum eſſe deſignans. Id eſt, ſi per confeſſionem ſuggeſtio ſeu cogitatio diabolica in cantore cuiquam (ſpirituali ſcilicet viro) qui carminibus Scripturarum mederi protinus vulneri, & extrahere de corde conſuevit noxia venena ſerpentis patefacta non fuerit, ſuccurrere periclitanti periturove non poterit. Nam bonarum rerum non tantùm ſuggeſtor, ſed etiam fautor atque impulſor eſt Deus; ita ut nonnunquam nos etiam invitos & ignorantes attrahat ad ſalutem. Conſtat ergo neminem poſſe à diabolo decipi, niſi eum qui præbere ei maluerit ſuæ voluntatis aſſenſum.

a) Silentio nihil immùtabilius habet quo oculto detrahit.

CAPUT III.

De Concupiſcentia Carnis ac Spiritûs.

Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis. Caro enim concupiſcit adversùs ſpiritum, ſpiritus autem adversùs carnem. Hæc autem invicem adverſantur ſibi; ut non quæcumque vultis, illa faciatis. Tres res hoc loco ab Apoſtolo nominari videntur: Concupiſcentia carnis adversùs ſpiritum, & ſpiritus adversùs carnem. Quorum adversùs ſe invicem pugna hanc videtur habere cauſam atque rationem, ut ea quæ volumus, inquit, facere nequeamus. Quarta igitur ſupereſt cauſa, ut illud ſcilicet quod nolumus, faciamus. Nunc ergo de ſingulis videamus. Carnem hoc loco non hominem, id eſt, hominis ſubſtantiam, ſed ejus deſideria peſſima debemus accipere, ſicut ne ſpiritum quidem aliquam rem ſubſtantialem, ſed animæ deſideria bona & ſpiritualia deſignari. Quæ cum utraque, id eſt, deſideria carnis & ſpiritûs, in uno eodemque ſint homine, inteſtinum quotidiè intra nos geritur bellum: Dum concupiſcentia carnis, quæ præcipitanter fertur ad vitia, his quæ ad præſentem requiem pertinent deliciis gaudet, luxuriis delectatur: quibus è contra concupiſcentia ſpiritûs adverſata ita deſiderat tota ſpiritualibus ſtudiis inhærere, ut etiam neceſſarios carnis uſus optet excludere. Illa ſatiari ſomno, repleri cibo univerſiſque exuberare copiis concupiſcit: hic vigiliis & jejuniis ſaginatur, ac paupertate gloriatur. Lavacris illa nitescere, & quotidianis adulantium cuneis appetit conſtipari: hic ſqualore ſordium congaudet, cunctorumque mortalium præſentiam perhorreſcit. Honoribus illa & laudibus hominum convoetur: hic irrogatis ſibi injuriis ac perſecutionibus gloriatur.

Inter has igitur utraſque concupiſcentias animæ, voluntas in mediocri quodam vituperabiliore conſiſtens, nec vitiorum flagitiis oblectatur, nec virtutum doloribus acquieſcit; ſic quærens à paſſionibus temperari carnalibus, ut nequaquam velit dolores neceſſarios ſuſtinere, ſine quibus deſideria ſpiritûs nequeunt poſſideri. Abſque caſtigatione carnis caſtimoniam corporis, ſine vigiliarum labore cordis deſiderans acquirere puritatem, abſque ullius exaſperatione convitii patientiæ gratiam poſſidere, humilitatem Chriſti ſine honoris mundani exercere jactura, Religionis ſimplicitatem cum ſæculari ambitione ſectari. Chriſto cum hominum laude ac favore ſervire, diſtrictionem veritatis ſine cujuſpiam vel tenui offenſione proferre. Poſtremò ſic vult conſequi futura bona, ut præſentia non amittat. Quæ voluntas nunquam nos ad perfectionem veram faceret pervenire; ſed in tepore quodam teterrimo collocaret, taleſque faceret quales ſunt illi qui in Apocalypſi increpatione Domini caſtigantur: *Scio opera tua, quia neque frigidus es; neque calidus: utinam frigidus eſſes, aut calidus: nunc autem tepidus es, & incipiam te emovere ex ore meo*; niſi hunc tepidiſſimum ſtatum alterinſecus hæc inſurgentia bella dirumperent. Nam cum famulantes huic voluntati noſtræ ad hanc remiſſionem volverimus noſmetipſos paulatim relaxare, confeſtim aculei carnis inſurgunt, ſuiſque nos vitiis & paſſionibus ſauciantes, nequaquam in illa quâ delectamur puritatis qualitate ſtare permittunt, atque ad illam quam horremus frigidam voluptatum plenamque ſentibus perrahunt viam. Carnis concupiſcentia. Apoc. 3. 15.

Rurſus ſi ſpiritus fervore ſuccenſi opera carnis volentes extinguere, ſine ullo reſpectu fragilitatis humanæ, totos noſmetipſos tentaverimus ad immoderata virtutum ſtudia cordis elatione conferre: interpellant imbecillitas carnis, ab illa reprehenſibili nimietate ſpiritus revocat ac retardat. Et ita fit, ut utraque concupiſcentia tali colluctatione alterna ſibimet repugnante, animæ voluntas, quæ nec totam ſe carnalibus deſideriis dedere nec virtutum vult laboribus deſudare, quodam juſto moderamine temperetur: dum hæc inter utraque contentio illam pernicioſiorem excludens animæ voluntatem, ut quandam æquitatis libram in ſtatera noſtri corporis collocat, quæ ſpiritûs carnisque confinia juſto diſcernit examine: nec a dextris mentem ſpiritûs ardore ſuccenſam, nec à leva carnem vitiorum aculeis præponderare permittens. Dumque hæc pugna quotidianis diebus utiliter exagitatur in nobis, ad illud quartum quod nolumus ſalubriter venire compellimur, ut puritatem cordis non ocio nec ſecuritate, ſed jugi ſudore & contritione ſpiritûs adquiramus, caſtitatemque carnis diſtrictis jejuniis, fame, ſiti ac vigilantiâ retentemus. Eſſemus itaque penitus ſine remedio tepidi, ut pote non habentes indicem negligentiæ noſtræ vel in corpore noſtro, vel in conſcientiis propriis indeſinentem: nec ſtuderemus ad perfectionis unquam pervenire fervorem, ſed ne frugalitatis quidem diſtrictionem teneremus, niſi ſaltem nos titillatio carnis fluxuſque increſcens humiliaret atque retunderet, & adversùs ſpiritualium quoque vitiorum purgationem ſollicitos redderet & intentos. Qui ſtatus, id eſt tepidus, à carnali qualitate deſcendens efficitur animalis, qui eſt deterior gradus. Ipſe eſt enim qui de frigido ad tepidum tranſiens, deteſtabilior voce Domini ſignatur. Anima temperat carnalis concupiſcentiam.

Tres namque ſunt animarum ſtatus: primus carnalis; ſecundus animalis; tertius ſpiritualis. Quos in Apoſtolo ita legimus deſignari: nam de carnali ita dicitur: *Lac vobis potum dedi non eſcam. Nec dum enim poteratis, ſed nec adhuc quidem poteſtis. Adhuc enim* Tres animarum ſtatus. 1. Cor. 3. 2.

itized by Google

al. cùm *ibidem.* *carnalis eſtis.* Et iterum : **Ubi enim eſt inter vos Zelus & contentio, nonne carnales eſtis?* De animali quo-

1. Cor. 2. 14. que taliter commemoratur : *Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei, ſtultitia enim eſt illi.*

Ibidem. De ſpirituali verò : *Spiritualis autem examinat omnia :*

Gal. 6. 1. *ipſe autem à nemine dijudicatur.* Et iterum : *Vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite, eos qui ejuſmodi ſunt, in ſpiritu lenitatis.* Itaque feſtinandum eſt nobis, ut cum renuntiantes deſierimus eſſe carnales, id eſt, à ſæcularium cæperimus converſatione ſejungi, & ab illa manifeſta carnis pollutione ceſſare, ſpiritualem ſtatum protinùs apprehendere nitamur, nequaquam exiſtimantes quàm ſupra diximus exterioris hominis converſionem ad perfectionem nobis ſufficere, ſi erga emendationem cæterarum paſſionum lentiores reddamur, ne fortè inventi in illo tepido ſtatu, qui teterrimus judicatur, evomendos nos ex ore Domini, ſecundùm ejus ſententiam noverimus ; ita dicen-

Apoc. 3. 15. tis : *Utinam calidus eſſes, aut frigidus : Nunc autem quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Nec immeritò eos Dominus, quos jam in viſceribus receperat caritatis, noxiè tepefactos cum quadam convulſione pectoris ſui evomendos eſſe pronuntiat, qui cum ſalutarem quodammodo eidem potuiſſent præbere ſubſtantiam, avelli ab illius viſceribus maluerunt : tantò deteriores effecti illis qui nunquam ori Dominico illati ſunt cibis, quantò id, quod nauſea, compellente projicimus, odibilius deteſtamur. Quicquid enim frigidum eſt, etiam ore noſtro ſuſceptum vertitur in calorem, & ſalutifera ſuavitate percipitur. Quod autem vitio ſemel pernicioſi teporis objectum eſt, non dicam labiis admovere, ſed etiam eminus intueri ſine ingenti horrore non poſſumus. Rectiſſimè ergo pronuntiatur eſſe deterior. Quia facilius ad ſalutarem converſionem ac perfectionis faſtigium carnalis quis, id eſt, ſæcularis, vel Gentilis accedit, quàm is qui profeſſus Monachum, nec tamen viam perfectionis arripiens ſecundùm regulam diſciplinæ, ab illo ſemel ſpiritualis fervoris igne diſceſſit. Ille namque corporalibus ſaltem vitiis humiliatus, & horreſcens illum in quo eſt infidelitatis gelidiſſimum ſtatum, ſpiritus ardore ſuccenſus ad perfectionem facilius convolabit. Hic autem dicit

Ibidem 16. in corde ſuo : *Quia dives ſum & nullius egeo.* Cui illud quoque quod ſubſequitur conſequenter aptabi-

Ibidem 17. tur : *Tu autem es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* In eo factus etiam ſæculari deterior, quod nec miſerum ſe nec cæcum, aut nudum, aut emundatione dignum, vel agere monitis alicujus aut inſtitutione cognoſcit, non intelligens ipſo Monachi nomine prægravari ac deprimi opinione multorum, quia dum creditur ab omnibus ſanctus, & velut Dei famulus colitur, neceſſe eſt ut in futuro, vehementiori judicio pœnæ ſubdatur.

CAPUT IV.

De Caſtitate.

SEx ſunt caſtimoniæ gradus. Primus gradus eſt, ne vigilans impugnatione carnali Monachus elidatur. Secundus, ne mens illius voluptariis cogitationibus immoretur. Tertius, ne fœmineo vel tenuiter ad concupiſcentiam moveatur aſpectu. Quartus, ne vigilans vel ſimplicem carnis perferat motum. Quintus, ne cùm memoriam generationis humanæ vel tractatus ratio vel neceſſitas lectionis ingeſſerit, ſubtiliſſimus mentem voluptariæ actionis prætringat aſſenſus ; ſed velut opus quoddam ſimplex ac miniſterium humano generi neceſſariò contributum, tranquillo ac puro cordis contempletur intuitu, nihilque ampliùs de ejus recordatione concipiat, quàm ſi operationem laterum, vel cujuſlibet alteriùs officinæ mente pertractet. Sextus, caſtimoniæ gradus eſt, ne illecebroſis phantaſmatibus fœminatum vel dormiens illudatur. Licet enim hanc ludificationem peccato eſſe obnoxiam non credamus, concupiſcentiæ tamen adhuc medullitùs latinitatis indicium eſt ; donec paulatim ſecundùm menſuram caſtitatis ad quam unuſquiſque contendit, in odium illius rei quam voluptariam antea ſentiebat, mens etiam ſumno ſopita vertatur, illudque ei quod fortibus viris pro ſummo laborum ſtipendio repromittitur per Prophetam, concedatur à Domino : *Arcum, gladium,* Oſee 2. 18. *& bellum conteram de terra veſtra, & dormire vos faciam fiducialiter.* Et ita demum ad illum perveniet ſtatum : ut talis inveniatur in nocte, qualis in die ; talis in lecto, qualis in oratione ; talis ſolus, qualis turbis hominum circunſeptus. Poſtremò ut nunquam in eo tale aliquid inevitabilis ille oculus deprehendat, quod ab humanis aſpectibus velit eſſe celatum. Hoc autem fiet quando jam deſinens caro adversùs ſpiritum concupiſcere deſideriis, ejus virtutique conſenſerit, cæperintque ſibi invicem pace firmiſſima fœderari, & ſecundùm Pſalmographi ſententiam : *Habitaverint fratres in unum,* illam re- Pſal. 132. 1. promiſſam à Domino beatitudinem poſſidentes, de qua ait : *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram,* Matt. 18. 19. *de omni re quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo qui in Cœlis eſt.* Quiſquis ergo intellectualis illius Jacob, id eſt ſupplantatoris, tranſcenderit gradum, ab illa continentiæ colluctatione ac ſupplantatione vitiorum obſtupefacto femoris nervo, ad Iſraëlis meritum perpetua cordis directione conſcendet. Quem ordinem etiam beatus David ita Spiritûs ſancti vaticinatione diſtinxit, imprimis inquiens : *Notus* Pſal. 75. 2. *Judæa Deus*, id eſt, in anima, quæ adhuc ſub peccatorum confeſſione retinetur ; Judæa enim confeſſio interpretatur. In Iſraël autem, id eſt, in eo qui videns Deum, ſive, ut quidam interpretatur, rectiſſimus Dei eſt, non ſolùm notus, ſed & magnum eſt nomen ejus. Deinde ad ſublimiora nos provocans, & volens etiam locum ipſum, quo Dominus delectatur, oſtendere : *Et factus eſt*, inquit, *in pace* Ibidem. *locus ejus.* Id eſt, non in conflictu certaminis & colluctatione vitiorum ; ſed in caſtimoniæ pace, & cordis tranquillitate perpetua. Hunc igitur pacis locum extinctione carnalium paſſionum, ſi quis meruerit obtinere : Ex hoc quoque proficiens gradu, ac *Syon* ſpiritualis, id eſt ſpecula Dei conſequenter effectus, erit etiam *habitatio* ejus. Non enim in conflictu continentiæ, ſed jugi virtutum ſpecula Dominus commoratur ; ubi jam non retundit, non comprimit, ſed in perpetuum confregit potentias arcuum ; ex quibus videlicet adversùm libidinum quondam jacula dirigebantur ignita. Videtis ergo quia ſicut non eſt in colluctatione continentiæ, ſed in caſtitatis pace locus Domini : Ita etiam habitatio ejus in ſpecula ſit & contemplatione virtutum. Unde non immeritò portæ Syon cunctis tabernaculis Jacob præferuntur : Diligit enim *Dominus Syon ſuper omnia* Pſal. 86. 1. *tabernacula Jacob.*

Ut igitur cum lege animi lex quoque congruat corporalis, etiam in ipſius aquæ potu ita eſt nimietas caſtiganda, ut humoris quotidiani illa collectio pigriùs arefactis influens membris, illum corporis motum non ſolùm rariſſimum verùm etiam lentum reddat ac tepidum, frigidumque : ut ita dixerim, ignem, & abſque ullius aduſtionis ardore rorantem ſuſcitet flammam, inſtar admirabilis illius Moſaïcæ viſionis, ut carnis noſtræ rubus innoxio igne circundatus non uratur : vel ſicut illorum trium juvenum quibus ita rorante ſpiritu fornacis Chaldaicæ flamma diſcuſſa eſt, ut ne capillos eorum aut fimbrias odor ignis afflaret, ut illud quodammodò, quod Sanctis repromittitur per Prophetam, incipiamus

Mortificatio corporis caſtitatem conſervat.

Digitized by Google

Pſal. 41. 3. jam in hoc corpore poſſidere : *Cùm ambulaveris per ignem non combureris & flamma non ardebit in te.* De hac caſtimoniæ puritate quid beatus Apoſtolus ſenſerit, diligentiùs inquiramus. *Mortificate*, inquit, *membra veſtra quæ ſunt ſuper terram.* Non utique membra corporis noſtri : ſed corpus peccati, quod conſtat ex membris, quanto ejus deſtrui zelo perfectæ deſiderat ſanctitatis. De quo corpore alibi : *Ut deſtruatur*, inquit, *corpus peccati.* Et quæ ſit ejus deſtructio conſequenter exponit : *Etiam*, inquit, *non ſerviamus peccato.* A quo etiam liberari cum ejulatu poſtulat, dicens : *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ?* Hoc itaque peccati corpus multis vitiorum membris probatur extructum, & ad ejus attinere portionem, quicquid vel facto, vel dicto, vel cogitatione peccatur ; cujus membra ſuper terram rectiſſimè eſſe dicuntur. Non enim poſſunt ii qui eorum utuntur miniſterio veridicè profiteri : *Noſtra autem converſatio in Cœlis eſt.* Hujus igitur corporis in hoc loco Apoſtolus membra deſcribens : *Mortificate*, inquit, *membra veſtra quæ ſunt ſuper terram : Fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & avaritiam, quæ eſt ſimulachrorum ſervitus.* Primò itaque loco *fornicationem* credidit inferendam, quæ carnali commixtione perficitur. Secundùm etiam membrum *immunditiam* nuncupavit, quæ nonnunquam abſque mulieris tactu vel dormientibus vel vigilantibus per incuriam incircumſpectæ mentis obrepit, & ideò notatur ac prohibetur in lege ; quæ immundos quoque non ſolùm ſacrarum carnium participatione privavit, verùm etiam ne contactu ſuo ſancta polluerent, à caſtrorum juſſit congregatione ſecerni, dicens : *Anima quæcumque comederit de carnibus ſacrificii ſalutaris quod eſt Domini, in qua eſt immunditia, peribit coram Domino, & quicquid tetigerit immundus, immundum erit :* In Deuteronomio quoque : *Si fuerit inter vos homo qui nocturno pollutus eſt ſomnio, egredietur extra caſtra ; & non revertetur priuſquàm ad veſperam lavetur aquâ ; & poſt ſolis occaſum regredietur in caſtra.* Deinde tertium peccati membrum *libidinem* poſuit, quæ in receſſibus animæ coaleſcens, accidere cuipiam etiam ſine paſſione corporis poteſt. Libidinem enim ab eo quod libeat dictam eſſe, non dubium eſt. Poſt hæc de majoribus peccatis ad minora deſcendens, quartum intulit membrùm *concupiſcentiam malam*, quæ non ſolùm ad prædictam impudicitiæ paſſionem, verùm etiam ad omnes noxias cupiditates generaliter referri poteſt quæ corruptæ tantummodò voluntatis eſt ægritudo, de qua Dominus in Evangelio : *Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Multò enim majus eſt etiam tunc mentis lubricæ deſiderium continere, cùm illecebroſi affectus offertur occaſio quibus manifeſtiſſimè comprobatur ad perfectionem puritatis caſtimoniam continentiæ corporalis ſolùm non poſſe ſufficere, niſi ei etiam mentis addatur integritas. Poſtque omnia noviſſimum illius corporis membrum, *& avaritiam*, inquit, procul dubio oſtendens non ſolùm ab appetitu rerum alienarum animum continendum, verùm etiam propria magnanimiter contemnenda : hoc enim & in actibus Apoſtolorum fecille legitur credentium multitudo, de qua dicitur : *Multitudinis autem credentium erat* cor unum, & anima una, & uſque *dividebantur autem ſingulis prout cuique opus erat.* Et ne ad paucos pertinere videretur iſta perfectio, avaritiam ſimulachrorum ſervitutem eſſe tellatus eſt. Nec immeritò : quiſquis enim non communicat neceſſitatibus egenorum, & pecuniæ ſuæ quàm infideli tenacitate conſervat, Chriſti præcepta poſtponit, idololatriæ crimen incurrit, amorem ſcilicet materiæ mundialis divinæ præferens caritati.

Rom. 6. 6. *Ibidem.* *Rom. 7. 24.* *Philip. 3. 20.* *Coloſſ. 3. 5.* *Act. 15. 29.* *Levit. 7. 20.* *Ibid. 15. 5.* *Deut. 23.* *Matth. 5. 28.*

Quæ caſtitatis labefactatio.

Non ſola corporalis, ſed & poſtiſſimè mentis continentia requiritur.

Qui egenos non ſubvenit idololatriæ reus eſt.

In tantùm autem beatus Apoſtolus fornicationem ſive immunditiam de noſtris membris extirpari poſſe confidit, ut non ſolùm mortificari ea, ſed ne nominari quidem in nobis debere pronuntiet : *Fornicatio, inquiens, & omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, ſicut decet Sanctos : aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas quæ ad rem non pertinet.* Quæ etiam parimodo perniciosa eſſe, & æquali nos à regno Dei excluſione depellere edocet, dicens : *Illud autem ſcitote quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod eſt idolorum ſervitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei.* Et iterum : *Nolite errare ; neque fornicarii, neque Idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt.* Certos autem eſſe nos convenit, quod licet omnem continentiæ diſtrictionem, famem ſcilicet ac ſitim, vigilias quoque & operis jugitatem, atque inceſſabilis ſubeamus ſtudium lectionis : perpetuam tamen caſtimoniæ puritatem harum laborum meritò contingere nequeamus, niſi in his jugiter deſudantes, experientiæ magiſterio doceamur incorruptionem ejus divinæ gratiæ largitate concedi. Sciendum quoque quia quantùm quis in lenitate ac patientia cordis, tantùm in corporis puritate proficiet. Unde Dominus : *Beati mites quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Non ergo aliter noſtram poſſidebimur terram, id eſt, non aliàs ditioni noſtræ rebellis hujus corporis terra ſubditur, niſi mens noſtra priùs fuerit patientiæ lenitate fundata. *Manſueti* enim *poſſidebunt terram.* Et non ſolùm poſſidebunt eam ; ſed etiam *delectabuntur in multitudine pacis* ; qua nemo in cujus carne adhuc bella concupiſcentiæ ſuſcitantur, ſtabiliter perfruetur. Neceſſe eſt enim infeſtari eum diriſſimis dæmonum præliis, & ignitis luxuriæ jaculis fauciatum à terræ ſuæ poſſeſſione devolvi : Donec Dominus *auferat bella uſque ad fines terræ ejus, arcum conterat, & confringat arma, & ſcuta comburat igni :* Illo ſcilicet quem Dominus venit mittere ſuper terram. Et ita cum eum Dominus conterens bella ob omnium incentivorum æſtibus liberaverit, ad illum puritatis perveniet ſtatum, ut depoſita confuſione, quâ ſemetipſum, id eſt, carnem ſuam, dum impugnaretur, horrebat, incipiet ea velut puriſſimo tabernaculo delectari : non enim accedent ad eum mala, & flagellum non appropinquabit tabernaculo ejus. Hanc igitur pacem donec firmam atque perpetuam obtinere mereamur, multis neceſſe eſt nos impugnationibus attentari frequenterque nobis eſt verſiculus iſte cum gemitu lachrimiſque repetendus : *Miſer factus ſum uſquequaque, tota die contriſtatus ingrediebar : quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus, & non eſt ſanitas in carne mea.* Hoc autem tandiu, quoadusque per Dei gratiam confirmatus in illâ quam appetit puritate, efficaciter dicere mereatur : *Expectans expectavi Dominum & intendit mihi.*

Ephes. 5. 3. 4. *Ibidem 5.* *1. Cor. 6. 9.* *Matth. 5. 4.* *Pſal. 36. 11.* *Iſai. 43. 9.* *Pſal. 37. 8.* *Pſal. 39.*

Largitate gratiæ caſtitas conceditur.

CAPUT V.

De Spirituali ſcientia.

Quæ ad veram ſcientiam conducunt.

IMpoſſibile eſt animam, quæ mundanis vel tenuiter diſtentionibus occupatur, vel quæ propoſito adquirendæ laudis humanæ ſtudio lectionis inſiſtit, donum veræ ſcientiæ promereri, vel generatricem ſpiritualium ſenſuum, aut tenacem ſacrarum fieri lectionum. Aliud namque eſt facilitatem oris, & nitorem habere ſermonis, & aliud venas ac medullas cœleſtium intrare dictorum ; ac profunda & abſcondita Sacramenta puriſſimo cordis oculo contemplari. Quod nullatenùs humana doctrina, nec eruditio ſæcularis, ſed ſola puritas mentis per illu-

Matt. 5. 8. minationem ſancti Spiritûs obtinebit : *Beati*, ait Dominus, *mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Feſtinandum igitur tibi eſt quiſquis ad veram ſcripturarum vis ſcientiam pervenire, ut humilitatem cordis immobilem primitûs conſignaris, quæ te non ad illam quæ inflat; ſed ad eam quæ illuminat ſcientiam caritatis conſummatione perducat. Deinde hoc tibi eſt omnimodo evitendum, ut expulſa omni ſollicitudine & cogitatione terrena aſſiduum te, ac potiûs jugem ſacræ præbeas lectioni donec continua meditatione imbuas mentem tuam, & quaſi in ſimilitudinem ſui formet arcam quodammodò ex ea faciens teſtamenti habentem, ſcilicet in ſe duas tabulas lapideas, id eſt, duplicis inſtrumenti perpetuam firmitatem, unam quoque auream. Hoc eſt memoriam puram atque ſinceram, quæ reconditum in ſe manna perpetua tenacitate conſervet, ſpiritualium ſcilicet ſenſuum, & Angelici illius panis perennem cœleſtemque dulcedinem, nec non etiam virgam Aaron, id eſt ſummi verique Pontificis noſtri Jeſu Chriſti ſalutare in illum immortalis memoriæ ſemper viriditate frondeſcens. Hæc namque eſt virga quæ poſtea quam de jeſſe radice ſuccita eſt; vivacius mortificata revireſcit. Hæc autem omnia duobus Cherubim, id eſt hiſtoricæ, & ſpiritualis ſcientiæ plenitudine protegentur. Cherubim enim interpretatur ſcientiæ multitudo, quæ propitiatorium Dei, id eſt, placiditatem pectoris tui jugiter protegens, & à cunctis ſpiritualium nequitiarum incurſibus obumbrabunt, & ita mens tua non ſolùm in arcam divini teſtamenti, verùm etiam in regnum ſacerdotale provecta, per indiſſolubilem puritatis affectum, quodammodò abſorpta, ſpiritualibus diſciplinis illud implebit pontificale mandatum; quod à Legiſlatore ita præcepitur : *Et de Sanctis non egredietur, ne polluat ſanctuarium Dei*; id eſt cor ſuum, in quo jugiter habiturum te Dominus repromittit, dicens : *Inhabitabo in illis, & inter illos ambulabo.* Impoſſibile quippe eſt immundam animam ſcientiam ſpiritualem adipiſci. Nemo enim in vas fœtidum, atque corruptum unguentum aliquod nobile, aut mel optimum, aut pretioſi quiſquam liquoris infundit. Faciliùs enim quamvis odoratiſſimam myrrham ſemel horrendis imbuta fœtoribus teſta contaminat, quàm aliquid ex eo ſuavitatis gratiæ ipſa concipiat. Quia multò citiùs munda corrumpantur, quàm corrupta mundantur. Ita igitur & vas pectoris noſtri, niſi priùs fuerit ab omni fœdiſſima vitiorum contagione purgatum, non merebitur ſuſcipere illud benedictionis unguentum, de quo dicitur per Prophetam : *Sicut unguentum in capite quod deſcendit in barbam, barbam Aaron; quod deſcendit in oram veſtimenti ejus.* Nec illam ſcientiam ſpiritualem, & eloquia ſcripturarum, quæ dulciora ſunt, ſuper mel & favum, impoluta ſervabit. Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci & tenebris? quæ autem conventio Chriſto ad belial? in corde bono requieſcit ſapientia.

Levit. 21. 12.

2. Cor. 6. 16.

Pſal. 132. 2.

ORATIO.

Dicenda ante perceptionem Corporis & Sanguinis Domini, edita ab Anſelmo Archiepiſcopo.

Vet. Analect. Mabill. tom. 4.

DOmine Jeſu Chriſte, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu ſancto, per mortem tuam mundum vivificaſti, adoro & veneror hoc ſanctum Corpus tuum & hunc ſanctum Sanguinem tuum, quod traditum, & qui effuſus eſt pro multis in remiſſionem peccatorum. Deprecor clementiam tuam miſericors Domine per horum virtutem, fac me unum de illis multis, & fac me hæc ſic ſentire per fidem & affectum ut ſentiam ea per ſalutis effectum : & abſolve & libera ſervos & ancillas tuas, me & omnes qui mihi confeſſi ſunt peccata & pro quibus promiſi vel obnoxius ſum orare, & qui ſe ſperant vel petunt meis orationibus apud te juvari, ab omni peccato & pœna peccati, & fac Eccleſiam noſtram continua tua protectione & conſolatione lætari. Qui cum Deo Patre, &c.

Digitized by Google

SANCTI ANSELMI CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI EPISTOLÆ QUATUORDECIM.

EPISTOLA PRIMA.

Anſelmus Archiepiſcopus Cantuariæ amico ſuo Reverendo Epiſcopo Atrebatenſi Lamberto ſalutem.

Epiſt. 37. Miſcellan. Baluſ. lib. 3.

PRecor ſanctitatem veſtram quatenus propter Domni Papæ amorem & noſtrum faciatis conduci iſtum Clericum ejus per Epiſcopatum veſtrum quantum vobis placet. Valete.

EPISTOLA II.

Venerabili Atrebatenſi Epiſcopo Lamberto & amico dilectiſſimo Anſelmus ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis ſalutem & fideles orationes.

Epiſt. 91. Miſcellan. Baluſ. lib. 3.

GRatias ago reverendæ dilectioni veſtræ pro ſollicitudine quàm habet erga me in eo quod tantopere noſſe vult de noſtra ſanitate. Dico itaque vobis qui gratia Dei Corpore ſanus ſum, ſed continua debilitate laboro. Quod me rogatis ut veſtri memoriam habeam in Orationibus noſtris, pro certo ſcitote quia licet Orationes meæ viles ſint, tamen bene valete, Reverende mi Pater & Domine, cum omnibus vos in veritate diligentibus, & orate pro nobis.

EPISTOLA III.

Domino & Fratri cariſſimo Hernoſto Frater Anſelmus ſalutem: Corporis quanta expediat, & anima quanta ſufficiat.

Epiſt. ſeptem ex Balu. Miſcell. lib. 4.

INfirmitatis tuæ nimis ingravatam moleſtiam, mi dilecte pariter & dilector, priùs quorumdam narratione, deinde litterarum tuarum lectione cognovi. Quia de re ut taceam quantam aſſumpſerim in animam meam compaſſionem, teſtis eſt mihi conſcientia quia libenter ipſam totam tranſumerem in corpus meum paſſionem. Sed cùm certum ſit quia flagellat Deus omnem filium, quem recipit, miro quodam mira eadem me caritas, & quia flagellis atteretis, impellit ad compaſſionem, & quia ad hæreditatem erudiri, invitat ad congratulationem. Penſandum enim nobis eſt, cariſſime; quantam ſecum ferant dolores illi conſolationem, qui dum exteriùs noſtra delicta purgant, quibus externi cruciatus intenduntur, ad filiorum Dei nos transferunt ſortem, quibus ſuperni regni gaudia promittuntur; ut dum exterior homo noſter, quem cotidie neceſſe eſt corrumpi, flagellorum pondere preſſus gemendo ſuſpirat, interior homo noſter, quem de die in diem oportet renovari, peccatorum gravamine relevatus exultando reſpiret. Quod nimirum tunc perveniet, ſi interior homo in exterioris afflictione non per impatientiam reſultaverit, ſed per gratiarum actionem cædentis manui conſenſerit. Cùm enim ſemper placeamus omnipotenti Deo quotiens ejus diſpoſitionibus in nullo diſſonamus, tum maximè placamus miſericordem Dominum, ſi vapulantes verberanti ſponte conſonamus. Cùm enim omnis ira nonniſi in adverſantem ſe exerat, ſi ſe reus offenſo per concordem de ſe ſententiam conſocier, neceſſe eſt ut iraſcentis motus deferveat, quoniam jam adverſarium non invenit quem feriat. Quapropter cariſſime, cùm ſcriptum ſit, quia oportet nos per multas tribulationes intrare in Regnum Dei, cùm flagellamur, inter nos & Deum beati Job teneamus ſententiam, qui nimiis circumſeptus doloris dicebat: *Hæc mihi ſit conſolatio, ut affligens me doloribus non parcat.*

EPISTOLA IV.

Venerabili Dominæ Regia nobilitate, ſed nobiliùs morum probitate pollenti Adelidi, Frater Anſelmus, ſic cum temporali nobilitate virtutum ornamentis decoraris ut in æterna felicitate mereatur Regi Regum copulari.

DE floribus pſalmorum quod dignata eſt jubere dilecta mihi in Deo veſtra ſublimitas, nec citiùs nec meliùs potuit exequi fidelis vobis noſtra humilitas. Tantò quippe obedientia noſtra imperio veſtro devotiùs ſucceſſit, quantò ipſum imperium à ſancta devotione proceſſit. Quam devotionem opto & oro ut omnipotens Deus ſic in nobis conſervet & nutriat ut mentem veſtram in terris ſuo dulciſſimo affectu, & in Cœlis ſuo beato aſpectu reficiat. Exiguum & vile munus quod vobis mittit noſtra pauper parvitas rogo ne deſpiciat veſtra dives nobilitas. Si enim non eſt auro gemmiſque cruſtatum, eſt certè totum caritativa fidelitate factum & fideli caritate donatum. Poſt flores pſalmorum additæ ſunt orationes ſeptem; quarum prima non tantùm oratio quantùm meditatio dicenda eſt, quia ſe peccatoris anima breviter diſcutiat, diſcutiendo deſpiciat, deſpiciendo humiliet, humiliando terrore ultimi judicii concutiat, concuſſa in gemitus & lacrymas erumpat. In orationibus verò ſancti Stephani, & ſanctæ Mariæ Magdalenæ quædam ſunt quæ ſi intimo corde dicantur cum vacat plus tendunt ad accendendum amorem. In omnibus verò ſeptem hortor vos Ego ſervus & amicus animæ veſtræ ut attendere dignemini, etiamſi vos id meliùs

Digitized by Google

facietis, quâ humilitate & quo affectu timoris & amoris offerendum sit sacrificium orationis. Valete & nunc & in æternum in Deo, valete, & libellum nullum arram nostræ fidelitatis secundùm Deum & nostrarum orationum, qualescumque sint, habete. In fine Epistolæ profero quod per totam Epistolam persuadere desidero. Omne quod amitti necesse est, etiam cùm habetis sublimi mente contemnite; ad id solum quod æternum beate haberi potest, quamdiu non habetis humili mente contendite. Quod persuadere volo, ut Spiritus sanctus persuadeat oro, in quo tertio. Valete.

EPISTOLA V.

Domino & Patri, Catholicis reverenter amando & amanter Reverendo Archiepiscopo Lanfranco, Frater Anselmus suus quod suus.

QUoniam scienti aut tacendum aut breviter est dicendum, cùm tacere nolim ne non loquar quod & cui libenter loquor, breviter qualiter noster animus in paternæ vestræ sublimitatis fidelitate conversetur intimo. Sicut igitur cotidie desidero ut affectus amoris vestri cordi meo semper augeatur, ita nulla nostra ab invicem absentia afficere valet, ut aliquo modo minuatur. De moralibus Job mandastis, sed Domnus Abbas Cadomensis Willelmus & Domnus Hernostus fideles vestri invenerunt scriptorem, qui jam habens nostrum Librum, vestrum, ut puto, incepit. Ut Libros beatorum Ambrosii & Hieronimi habeam, ad hoc quod jussistis, laboravi & laboro. Sed eos nondum habere potui. Quàm verò citiùs potero, quod vos inde velle scio perficiam Girardum vestrum de Flandria per vestræ pietatis largitatem Deo de mundo nostra suggestione redemptum, unde me, si vester non essem confiteret servum vobis emptum, die à vobis constituta sciat sanctitas vestra sine gravi jactura esse non potuisse absolutum à creditoribus suis. Venit tamen prima Dominica Quadragesimæ, vestram in se magnificè misericordiam prædicans, & qualiter nostræ non tam petitioni quàm levi voluntatis significationi in ejus causa dignatio vestra favit & semper se velle favere intimavit. Qui dixit se velle & quantùm attinet ad hoc quod habet posse sic reddere quod debet ut aliquid quod secum offerret haberet, sed pro quibusdam impedimentis non potuisse secundum condictum ut oporteret. Rediit igitur, promittens se in Pascha Beccum Deo annuente venturum & mansurum, si non quomodo volet, vel sic quomodo poterit. Si quid igitur peccavit quia promissionem vobis factam ad plenum non est executus, quoniam non id admisisse malitiam videtur, peto secutus, ut soleo de vestra benignitate, quatinus filio vestro vice Patris liceat eum hoc reatu absolvere cùm nobiscum incipiet vivere. In qua te hanc certam præsumam concessionem, si nullam legero prohibitionem.

EPISTOLA VI.

Domino & Fratri Henrico Frater Anselmus salutem.

CUm Romam tendentes transistis prope nos, mirantes doluimus quia non potiùs per nos, donec audivimus hoc vobis prohibitum esse in eundo, sed concessum in redeundo. Expectavimus igitur Domnus Abbas & Ego & alii Fratres & Dilectores vestri adventum vestrum spe falsa gaudentes, donec didicimus vos in Anglicam terram pertransisse, desperatione vera dolentes. Quod quamquam Ego non sine aliqua rationabili causa factum esse, si bene vestram novi dilectionem, non credam, tamen ne qua, quod absit, vel contemptus vel modici amoris erga Monasterium & Fratres vestros de vobis maneat suspicio, mandate quid aliis respondeam cur vestra nos in eundo & redeundo non visitatos præteriit dilectio, sicut enim desidero vos nihil operari quod vobis non expediat, ita nolo quemquam de vobis aliquid opinari nisi quod vos deceat. Innotescat etiam amico vestro si quid de re pro qua animum vestrum & aliorum verbis & à vestris litteris, valdè sollicitum ut parentes invisereris agnovi effectilis, quatinus sciam utrum vobis debeam compati vel congaudere.

EPISTOLA VII.

Domino & Patri Reverendo Episcopo G. Frater Anselmus dicitur Abbas Becci temporalem prosperitatem & æternam felicitatem.

GRatias agimus vestræ sanctitati, quæ nostras & Fratrum nostrorum orationes postulando, suas nobis est dignata per dilectum Fratrem nostrum Domnum Ricul'fum concedere & suæ benevolentiæ auxilia, ubicumque oportunitas exhibebit, promittere. Ad quod quantò minùs quod dignè recompensare possimus habemus; tantò magis quicquid possumus ad vestræ celsitudinis servitium & opere & voluntate impendere debemus & Deum, propter quem nobis promittitis, orare ut ipse vobis secundùm suam copiosam largitatem retribuat quod nos propter nostram parvitatem non valemus. De filio vestro fratre nostro Domno Ricoardo, quamvis honestiùs nobis esset & mallemus priùs servire quam aliquid petere, vestram tamen, quia ita res exigit, rogamus benignitatem quatinùs illi propter nostrum amorem concedatis si quid de se aut de præbenda sua petierit quod vestram non dedeceat honestatem.

EPISTOLA VIII.

Dilecto & Patri Reverendo Abbati Maineriо Frater Anselmus: Salutem.

SCitote quia quo iterum me vobis mandaveram non ibo ante octavas Epiphaniæ Domini. Deinde nescio quando ibo aut si ibo. Interim si vobis placeret ut Domnus Serlo ad nos, cum vobis opportunum esset, quantum juberetis moraturus veniret, mihi quidem placeret, & puto quia illi non difpli-

Digitized by Google

ceret. Precor ſanctitatem veſtram ut ſi vobis molestum non eſt, per vos notum fiat dominis & amicis noſtris de Sagienti Monaſterio quod de noſtro mando itinere. Scio enim eos ſicut vos ſollicite orare pro me & ejuſdem itineris proſperitatem. Nec pœniteat caritatem veſtram oraſſe pro itinere noſtro, quia modò non eo. Potens eſt enim Deus ſervare mihi orationes veſtras in oportunam diem. Valete.

EPISTOLA IX.

Suo Cariſſimo Domino Henrico gratia Dei Regi Anglorum, Anſelmus Archiepiſcopus Cantuariæ, fidele ſervitium & fideles orationes.

AUdivi quia vos Willelmum electum Epiſcopum Wentonienſem præcipitis exire de Epiſcopatu & de Anglia, quia non ſuſcepit conſecrationem quam illi voluit facere Archiepiſcopus Eboracenſis & alii Epiſcopi. Unde precor & conſulo, & ſicut fidelis Archiepiſcopus Domino & Regi ſuo, ne credatis conſilio illorum qui hoc vobis conſulunt, quia meo ſenſu non intelligo hoc eſſe ad veſtrum honorem. Nam ſatis eſt notum quia ad me pertinet ejus conſecratio, nec alius eam debet facere niſi per me; quod paratus ſum, ſi neceſſe fuerit, rationabiliter oſtendere, ſicut talis res oſtendi debet. Quapropter ſi illum expellitis de terra veſtra ut mihi non liceat eandem conſecrationem Canonicè facere, videtur mihi quia diſſaiſitis me de officio meo ſine judicio cur facere debeatis. Precor itaque ut illum in pace in Epiſcopatu manere permittatis, ſaltem uſque ad terminum noſtri reſpectus, ut interim mihi liceat illi facere conſecrationem quam debeo.

EPISTOLA X.

Anſelmus Archiepiſcopus Cantuariæ Reverendo laudis Eccleſiæ Archiepiſcopo Lundenſi Aſſero: ſalutem & veram amicitiam in Chriſto.

Anno 1094. E Veteri Codice Bibliothecæ Colbertinæ.

QUod me rogaſtis de Domno Albrico Cardinali Romanæ Eccleſiæ libenter feci, cùm propter honorem Romanæ Eccleſiæ, tum propter amorem veſtrum, pro quo libenter facere volo ſi quid quod placeat ſanctitati veſtræ intellexero. Gratias agimus Deo, qui in regno Danorum veſtram * religioſam ad Archiepiſcopatum ſublimavit. Confidimus enim quia, gratia Dei cooperante, eà quæ corrigenda ſunt corrigetis; & quæ ædificanda ædificabitis, & quæ nutrienda nutritis. Audivimus namque à præfato Cardinali multa bona de vobis. Unde iſtam habemus fiduciam, & oramus ut Deus, qui hoc incepit in vobis, ad bonum effectum veſtram ſemper perducat voluntatem. Rogo ſanctitatem veſtram quatinus regnum illud veſtro ſancto ſtudio emundetis ab apoſtatis, ut nullus alienigena ibi recipiat aliquem Eccleſiaſticum ordinem: uia illi qui ab Epiſcopis ſuis repelluntur, illud pergunt, & execrabiliter ad diverſos ordines ſacrantur. Valete & orate pro me.

al. religioſitatem

EPISTOLA XI.

Anſelmus Dei gratia Archiepiſcopus Cantuarienſis exul, vero & dilecto amico Hugoni Archidiacono: ſalutem & benedictionem Dei & ſuam, ſi quid valet.

Significat quanto cum honore & munificentia ab omnibus in exilio ſuo ſuſceptus fuerit.

FIdelis Dei dormitio non dormit, neque dormitat, neque ulla ſæculi perturbatio aut ullus Caſus illam fatigat, & ſemper ejus quem diligit præſentiam deſiderat. Et quoniam de dilectione tua certus ſum, quod abſens per meam præſentiam non poſſum, ſaltem per litteras quid mea ſit aliquatenus ſignifico. Dei gratia diſponente & orationibus ſervorum Dei, qui in multis locis longè latèque ſua gratia propter Deum me diligunt, me proſequentibus, ex quo de Anglia, quomodo Deus ſcit, nec obliviſceris, exivi, nullam ſenti temporalis rei in his quæ neceſſaria mihi fuerunt indigentiam, nec ullius malivolentia tantum nocere potuit, quantum benevolentia Dei me juvare voluit. Tantam enim gratiam ſua pietate mihi Deus largitur apud multos, quorum numerum neſcio modo, Epiſcopos, Abbates, & Principes & divites hujus ſæculi & minoris ordinis, à mari barenſi uſque ad mare bonienſe, ut plus timeam multos oſtendere me abſentando, quam eos frequentando. Inter quos venerabilis Archiepiſcopus Lugdunenſis gaudet ad præſens ſe ſuam mihi munificentiam copioſè & honorificè exhibere; & deſiderat me ſemper ſecum, quamdiu exſul ero ab Eccleſia noſtra, manere. Quod non tam Deus meis meritis facit, quàm ſuæ bonitatis abundantia, quid autem de me futurum ſit, vel quid facturus ſim nulla certitudine tibi poſſum ſcribere: ſed Divinæ benignitatis me committo penitus diſpoſitioni. Tibi autem de me nihil melius ad præſens poſſum conſulere, quàm ubi nunc es, ibi ſtudeas Deo ſervire, donec Deus aliter te & vitam tuam velit ordinare ſub gratia ſua. Saluta Domnum G. ut dilectum noſtrum. Saluta dilectiſſimas filias noſtras Abbatiſſas, quibus mando benedictionem Dei & noſtram quam poſſum, & roga eas, ut orent pro me. Hoc unum ſcito, quia ſpero in Deo; & hæc voluntas noſtra: quia ſicut propter timorem & amorem Dei & honorem ejus & Eccleſiæ ejus egreſſus ſum de Anglia: ita numquam egrediar in illam, niſi propter & ſecundùm eandem cauſam, in quantum intelligere potero. Huic pauperi precor ut melius ſit ex parte tua propter amorem noſtrum: quoniam per multa pericula & multo labore portat nuncium noſtrum. Saluto vos ego Frater E: Coexul Domini & patris noſtri Archiepiſcopi, gratias agens Deo & illi quia dignus habitus ſum hujus exilii conſortio. Rogo etiam ut quos Domnus Archiepiſcopus ſalutat ex parte ſua ſalutetis ex noſtra.

Mense 1093. Ex Mſ. Codicibus E. Ipſis Tornacenſi & Monaſterii Pultuenſis.

EPISTOLA

Digitized by Google

EPISTOLA XII.

Anſelmus Archiepiſcopus ſororibus ſuis in Chriſto Cariſſimis Domino abbatiſſæ Eulaliæ & omnibus filiabus ſuis : ſalutem & benedictionem Dei & ſuam quam valet.

Litteras quas ab eo deſideraverat mittens, hortatur ut ſinceram erga ſe dilectionem in amore Dei, & aliis piis operibus fervendo demonſtret.

Ex Mſ. Turonenſi Eccleſiæ & Pratellenſi Monaſterii.

PEr quemdam ſervientem Regis, qui mihi ſigillum ejus detulit, petiit dilectio veſtra, ſicut ipſe dixit, noſtris litteris ſalutari : quod malui facere per legatum meum, quem ſciebam me in proximo tunc miſſurum in Angliam. Scio quia abundantia veſtræ & religioſæ dilectionis hoc facit, ut litteras noſtras libenter videre velitis, ut cum meam præſentiam, quam religioſo affectu deſideratis, ſecundum voluntatem veſtram habere non poteſtis, ſaltem per epiſtolam meam aliquatenus illam vobis exhibeatis, forſitan ut in me memoriam veſtri, nequando obdormiat, exerceretis. Denique ſicut ſcio, quia bona voluntas & ſincera dilectio in vobis erga me non frigeſcit : ita ſcitote quia erga vos in me non tepeſcit. In hoc autem maxime volo vos noſtri memores eſſe, & me, ſicut facitis deſiderium meum, in amore Dei omnes ſtudeatis indeſinenter fervere; & vos quæ ſubditæ eſtis matri veſtræ, obedientiam, non ad oculum, ſed intimo corde ſatagatis exhibere. Scio quia adverſitates & tribulationes ex diverſis partibus ſuſtinetis; ſed tunc magis ad ordinis & vitæ veram cuſtodiam ſtudere debetis, quia plus bene vivendo conſolationem Dei impetratis, quam ſi aliquatenus propter aliqua ſolum impedimenta à veſtri propoſiti fervore ceſſatis. In quocumque ſecreto ſitis, certæ eſtote, nec ullatenus dubitetis, quia unaquæque habet Angelum ſuum, qui omnes cogitatus & actus ejus videt & notat, & invicem ad Deum reportat. Moneo itaque vos, filiæ chariſſimæ, ut in occulto & in aperto unaquæque. Sic motus cordis & corporis ſui cuſtodiat, ac ſi Angelum ipſum Cuſtodem ſui oculis corporalibus præſentem videat. Omnipotens Deus vos ſua benedictione protegat, & ad conſpectum gloriæ ſuæ perducat. Amen.

De reditu noſtro ſcio quia vultis aliquid cognoſcere, ſed nihil certum vobis ad præſens poſſum ſcribere, orate ut faciam ſecundum beneplacitum voluntatem Dei.

EPISTOLA XIII.

Anſelmus Dei diſpoſitione vocatus Archiepiſcopus Dominæ & matri reverendæ Abbatiſſæ Eulaliæ, & ſanctæ Congregationi illi commiſſæ in ſanctitate ſemper proficere, & ad beatitudinem pertingere.

Hortatur eas ad perfectionem & ne minima ſpernant.

Ex Mſ. Pratellenſi Monaſterii.

QUamvis veſtrum ſanctum ſtudium mea monitione non egeat, cogit me tamen dilectio quam erga vos habeo, & officium meum, ut vobis aliquid exhortando ſcribam. Conſiderate inceſſanter, filiæ & ſorores meæ dilectiſſimæ, quia in Cælum propoſuiſtis aſcendere, ut ibi regnetis & regno gaudeatis cum Domino & amico veſtro Jeſu Chriſto, qui ibi vos expectat & expectando aſſidue invitat; quippe quamdiu homo vivit, aut aſcendit in Cælum bene vivendo, aut deſcendit in infernum male vivendo. Si ergo ad hoc quod propoſuiſtis vultis pertingere, neceſſe eſt vos ſanctis actionibus illuc quaſi quibuſdam paſſibus proficere. Diligenter igitur vitæ veſtræ curſum diſcutite, non ſolum in operibus, ſed & in verbis, non ſolum in his & in minimis cogitationibus, ne fortè cum in omnibus his ſemper debeatis curſum tendere, aliquid ibi inveniatur quod magis ſit deſcendere. Quod ſi bene vultis cuſtodire; expedit ut ſemper illud cogitetis, quod veriſſimè ſcriptum eſt. *Qui modica ſpernit paulatim decidit.* Qui enim paulatim decidit, non proficit, ſed deficit : & qui deficit, non aſcendit, ſed deſcendit. Hoc ergo curate ſollicite, ut nihil tam parvum ſit quod de ordine veſtro ubi vos videre poſſitis violetis, & ſic ſanctis paſſibus in Cælum, quod utinam adjuvante Deo, fiat, aſcendetis. Oro ut pro me oretis, & tanto attentiùs quantò ſcitis me de dilectione veſtra confidere : quoniam numquam cognovi me magis quam nunc orationibus indigere. Tam malè enim ſunt in Archiepiſcopatu, ut certè, ſi ſine culpa dicere poſſum, malim de hac vita exire, quam ſic vivere.

Ordinis Cluniacenſis.

EPISTOLA XIV.

Domino Reverendo & Patri diligendo Paſchali ſummo Pontifici, Anſelmus Servus Eccleſiæ Cantuarienſis debitam ſubjectionem & Orationum aſſiduitatem.

Ex Anglia Sacra Pars. 2. p. 178. Epiſt. Anſelmi omiſſa in Editione Operum Anſelmi lib. 3. Ep. 47. p. 84. Pariſiis 17.. ex Libro de Gubernaculo adornata, ex Codice Mſ. verſante Bibliotheca Lambethana repetita.

POſtquam revocatus ad Epiſcopatum redii in Angliam; oſtendi Decreta Apoſtolica, quæ in Romano Concilio præſens audivi; ne ſcilicet aliquis de manu Regis aut alicujus Laici Eccleſiarum inveſtituras acciperet, ut pro hoc ejus homo fieret; nec aliquis hæc tranſgredientem conſecrare præſumeret. Quod audientes Rex & Principes ejus, ipſi etiam Epiſcopi, & alii minoris ordinis, tam graviter acceperunt; ut aſſererent ſe nullo modo huic rei aſſenſum præbituros, & me de regno potiùs quam hoc ſervarent expulſuros, & à Romanâ Eccleſiâ ſe diſceſſuros. Unde, Reverende Pater, veſtrum petii per Epiſtolam noſtram conſilium; quam miſi Celſitudini veſtræ per Wilhelmum Regis Legatum. Sed quoniam reſponſi veſtri Literas non accepi; adhuc per Legatos noſtros, quos mitto cariſſimis fratribus & Coepiſcopis noſtris, qui pro eâdem re veſtram Sanctitatem adeunt, jam petitum iterum ſupplex per cartam Sublimitatis veſtræ certum peto conſilium. Oramus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ut vos conſervet ad laudem & gloriam nominis ſui & utilitatem Eccleſiæ ſuæ.

Digitized by Google

CARMEN
IN LAUDEM
SANCTI ANSELMI
ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS.

Bolandi Miſcell. tab. 4.

HAut habiture parem ſumas pater alme ſalutem
Quam mea diſparibus muſa vehit pedibus.
Quòd mea muſa pedes tibi ſcribens non habet æquos,
Paupertate mei contigit ingenii.
Laudari proles procerum pede debet homeri.
Da veniam, timui pondera tanta pati.
Materiæ, fateor, ſum tantæ pondere preſſus,
Nec mea muſa rei ſuſtinet hujus onus.
Indefectivè jam ſi mea pectora clament,
Et mea centenis vocibus ora ſonent,
Fonte Caballino ſi me reſpergat Apollo,
Ad te laudandum non ſatis unus ero.
Tu genero[illegible]us homo, magniſque patentibus ortus,
Exupe[illegible] morum nobilitate genus.
Jam tua fama domum ſolis replevit utramque,
Et talem mundus gaudet habere patrem.
Axis & auſtrales te novit hyperboreuſque,
Parſque tuis mundi nulla caret meritis.
Fulta tuis meritis ſi non foret Anglica terra,
Corrueret vitii pondere quaſſa ſui.
Illa tuis meritis, fateor, valet atque valebit,
Atque tuis precibus ne cadat efficitur.
Quis te non norit menſura vivere recti?
Quis te Sanctorum neſcit habere fidem?
Tu delinquentes caſtigas verbere dulci;
Ne peccare velint, ipſe mones homines.
Arguis ut debes homines peccata lucrantes.
Te mercede caret judice cura fides.
Judice te dives peccator vivit egenus,
Et dominus nequaquam ſat miſer eſt famulus.
Solus in hoc ævo pater es laudabilis ævo.
Solus habes vitæ, vir venerande, modum.
Solus es in terris deflens peccata malorum.
Tu ſolus timidis es medecina reis.
His quoque pro meritis meritò, pater optime, toto
Eſt propagatum nomen in orbe tuum.
Intereunt caſu quæ primùm magna fuerunt,
Nec quemquam certo limite fata regunt.
Qui modo dives erat, fortunæ corruit ictu.
Atque modo cùm ſim, non reor eſſe diù.
Hoc non attendunt quos mundi gloria ducit,
Quoſque fefellit amor non ſatiatus opum.
At tu, præterita qui ſpectas quod ſequitur que,
Scis quia, quæ modo ſunt, interitum capient.
Hæc quæ per ſpatium vix durant unius horæ
Credis perpetuis æquiparanda bonis.
Naturæ paret quicquid mortale creatur;
Quòdque fuit quondam, deſinit eſſe modò.
Tu quoque parebis morti, ſed diſpare tractu;
Nec tu cum reprobis ipſe locandus eris.
Tu cùm mutabis terram, cælo potieris,
Et tamen in terris ipſe ſuperſtes eris
Excipiet primo quoniam te gaudens curia cæli,
Et tibi promiſſa ſede locatus eris.
Credo tuis hominum nullus ſuccedet habenis,
In bonitate tua qui mederetur eas.
Cum Deus omnipotens protoplaſtum fecit abyle,
Te noſtris naſci temporibus voluit.
Cur tamen hoc voluit, niſi quòd te noverat ante
Poſſe cruentatis frena parare lupis?
Ecce cruentatus lupus aſſiſtit, aggrediturque
Caulas, quæ firmæ te vigilante manent.
Si quam crudus ovem caſu lupus ore cruentat,
Evadit fauces te properante lupi.
Mundi tempeſtas aliquem ſi depulit ad te,
Armamenta ratis, ne pereant, reficis.
Divinis armis inſtantem perculis hoſtem.
Divinis armis tuta quieſcit ovis.
Quòd nolles, ovium periit tamen una tuarum;
Nec perit ex toto, ſi vigilare velis.
Hæc de qua dico, bahalans eſt Preſbyter Hugo,
Abſtulit in ſcopolos quem ſua ſtultitia.
Sed quoniam, Pater, eſt miſeris pietas tua vallum,
Auxilium, quæſo, ſentiat ille tuum.
Hoc quod vivit adhuc, quod non eſt lumina foſſus,
Effectum cura quis neget eſſe tua?
Nam ſi te rabies timuiſſet ſæva luporum,
Quem non carcer habet, Crux habitura foret,
Eſt grave, conficeor, quod commiſit miſer ille.
Sed non excedit culpa gravis veniam.
Quis quàm primus homo peccavit acerbiùs unquam?
Illius interiit culpa tamen venia.
Aliùs incipiant; quis erit Judæ ſceleri par?
Huic, reor, eſſe comes nulla poteſt venia.
Cæde tamen ſacra madidus ſi pœnituiſſet,
Qui pius eſt cunctis, non ferus eſſet ei.
Tu debere manum dicis ſupponere nanti,
Ne demergat cumque venit unda maris.
Mergitur hic, puppim magna feriente procella;
Et ni jam properes, vita relinquit eum.
Ex illo toto ſolum caput eminet undis:
Quod ſi mergatur, hei mihi! Vita fugit.
Illius ergo precor fracto ſucurre phaſelo,
Quæ nullum, niſi des, litus habere poteſt.
Aut igitur properans tua cura medebitur illi,
Aut nullo certè tempore ſanus erit.
Ille fuit multis & magnis fultus amicis,
Dum ridebat ei quæ ſtat in orbe dea:
Quæ poſtquam riſum ſubitum contraxit in iram,
Illos non puduit quin retro terga darent.
Illum non ulli non cum ratione remordent,
Nec, quia deſipuit, noſſe fatentur eum.
At, puto, cùm poterat ſanus vitare ruinam,
Hac incede via, dicere debuerant.
Nunc illi fracta navi quid dicere prodeſt,
Currere cantiùs hoc per mare debueras.
Ergo communis cùm vos tutela reorum,

Digitized by Google

Illum, ſancte pater, quæſo tuere reum.
Sancte Dei cultor fidei fons, pecus amator,
Spes, decus, auxilium, vita ſalus hominum,
Uſque quod eſt dicam, patriæ totius aſylum.
Unica ſcala poli, nec ruitum, vale.

Epicedion in obitum ejuſdem.

Præſulis Anſelmi, quem nuper obiſſe dolemus.
Laudibus aptari littera noſtra cupit.
Eſt tamen à tanto quod me deterreat auſu,
Ne res cara meum amat ingenium.
Aggrediar vero, de Chriſti munere fidens,
Dicere quod poſſum de bonitate viri.
Res pretioſa nimis, res utilis, atque decora,
Vir clarus, ſapiens hic, & honeſtus erat,
Notus & ignotus, ſapiens ſimul inſipienſve,
Et totus pariter mundus amabat eum.
Ejus amor dulcis faſtidia nulla gerebat.
Cuique parum fuerat quicquid amaret eum.
Quòque magis virtutis opem mireris in illo,
Carus habebatur hoſtibus ipſe ſuis.
Rex & complices ejus. Nempe fuere viri quos ejus cauſa gravabat;
Laudabantque tamen quod bonus ipſe foret.
Quicquid erat quod eis ſuper illo diſplicuiſſet,
Illorum planè, non ſuus error erat.
Tota quidem (quid enim vir pravi tantus haberet?)
Ejus odore bono vita ſuavis erat.
Difficile credas quantum vir claruit ille,
Nec tibi lingua poteſt ulla referre ſatis.
Ipſe Deus novit quia ſpero vera fateri
Nec laudando virum fallere quemque volo.
Teſtor enim Jeſum, nec inanis opinio fallit,
Quòd ſatis innocuos duxerat ille dies.
Quem læſit verbo, niſi quem peccaſſe putaret?
Hoc quoque; ô, quàm ſobriè fecerat atque piè!
Opprobrium durum quis ab illius ore recepit?
Quòd rideret eum dicere quis potuit?
Quem malè tractavit, vel iniquè movit ad iram?
Quem vivens hominum fraude ſua nocuit.
Nec multum fuerat ſine crimine ducere vitam,
Si non virtutis plena decore fuit.
Si placet, audito ſanctiſſimus ille, virorum
Virtutum merito quam pretioſus erat.
Eſt tamen incertum, quia plurima copia fallit,
Quid priùs incipiam, poſteriùſve loquar.
Ceu videas aliquem qui tempore veris amœnum,
Lecturus flores, ingrediatur agrum.
Cogitat, hunc carpam? ſed valde pulchrior iſte eſt.
Illum decerpam? Sed ſuperant alii.
Ignoranſque diu quid agat, deſiderat omnes,
Miratur, neſcit quem magis accipiat.
Sic ego multa diù mecum dicenda revolvens,
Cogito de multis quæ recitare velim.
Denique ſi referam quanto ſplendore ſophiæ
Ille niteret homo, quis mihi credet homo?
Omnes, ni fallor, quos tempore cernimus iſto
Vicerat electos egregioſque viros.
Si mihi non credis, illius opuſcula ſaltem
Non mihi non poterunt viſa negare fidem.
Qui legiſſe volet quos ſcripſerat ille libellos,
Illic perſpiciet quàm ſapiens fuerit.
Et rectè ſapuit qui Chriſtum ſemper amâvit,
Qui numquam ſceleri præbuit obſequium.
Talis quippe Deo ſapientia grata probatur
Quæ vitium prohibet juſtitiamque docet.
Sed de juſtitia, qua pleniùs ille vigebat,
Quiddam dicendi tempus adeſſe reor.
O quàm juſtus erat qui non adverſa timeret,
Nec pluſquam ſatis eſt proſpera diligeret.
Non erat in rebus quicquam, quaſcumque videmus,
Quod levitatis eum cogeret in vitium.
Inter divitias, quas ſufficienter habebat,
Virtutum plenus, rebus egenus erat.
Sic ſibi vivebat ut nil habuiſſe putares.
Hærebat mundo corpore, non animo.
Omnia prudenter & fortiter omnia penſans,
Nolebat ſibi diſplicuiſſe Deo.
Inter utrumque manens, moderate cuncta gerebat.
Odivit nimiò quicquid erat nimium.
Sunt autem quidam qui me fortaſſe notabunt
Quòd tantis illum laudibus extulerim.
Nam dicent: adeo non debuit ille levari,
Qui nimium ſimplex atque remiſſus erat,
Qui, ſicut legitur, ſeductæ more columbæ,
Quæ citò decipitur, ſic ſinè corde fuit,
Qui prohibere nefas ut præſul non ſatagebat,
Nec populi miſerum corripiebat opus,
Qui dignos ſapido non protulit ore latratus,
Sed ſeſe mutum protulit eſſe canem,
Qui ubi commiſſum non cuſtodivit ovile,
Immo locum ſceleri diſſimulando dedit.
O nimis inſanæ præceps audacia mentis,
O cæcus tumida pro pietate furor!
Tu quis es ut ſervum damnare queas alienum?
Non tibi, ſed Domino, ſubditur omnis homo.
Quid prodeſt alios ſi lumine cernis acuto,
Cùm tamen ipſe tuam non videas nebulam?
Reſpice, cor proprium qui ſic delicta remordes.
Nigra videbuntur quæque geruntur tibi.
Difficile propriam poteris dinoſcere vitam,
Qui ſolus damnas quicquid agunt alii.
Otia ſectantem nil impedit eſſe loquacem.
Pugnantis vitium plangere novit iners.
Parce, miſer, juſtum morſu lacerare canino;
Nec dabis inſonti quod nocuere mali.
Fœdera, jura, fidem contemnit neſcia veri.
Odit majorem, non amat illa parem.
Hos igitur quando delectet habere magiſtrum,
Qui mores hominum corrigat indomitos,
Qui doceat non eſſe bonum contemnere legem,
Qui mandata Dei prædicet ac teneat?
Porro timere Deum quando non ille monebat?
Aut quando latuit ejus in ore Deus?
Si miſit vacuum quem ſciret velle doceri,
Tunc juſtè potuit diſplicuiſſe tibi,
Si cuiquam verbum de re quacumque petenti
Non ſtatim plenam reddidit ipſe vicem.
Indignum nimis eſt, ſi te reprehendere fruſtra,
Aut illum falsò magnificare velim.
Verum quid noceat rem ſi deſcripſero geſta,
Quæ verè meritum Pontificale probet?
Multis quippe liquet quod Regia juſſa volebant
Ut quiddam fieret quod minùs eſſe bonum.
Lex divina docet. Sed præſul fortiter idem
Reſtitit, & fieri multotiens vetuit.
Unde ratam tandem præcepto Legis habetur
Quatinus exilii debeat eſſe reus.
Quid faceret poſt hæc ſanctæ prudentia mentis?
Regis ob imperium deſpiceret ne Deum?
Maluit ergo loco ſecedere quàm vitioſo
Contra velle Dei ſubdere colla viro.
Quid moror? E patria depellitur, exiliumque
Paſſus, longinquas cogitur ire vias.
Hoc ſemel, hoc iterum, virtutis amore coactus,
Felicem pugnam ducere promeruit.
Eſt etiam, fateor, dictu mirabile quiddam,
Quod titulum noſtri præſulis amplificet.
Nam cui non placeat quòd quamvis dignior eſſet,
Omnibus eſſe tamen maluit inferior?
Inferior nemo quàm ſubditus inferiori,
Qui ſe nec minime judicat eſſe parum.
Sic bonus ille ſuæ cultor cuſtoſque ſalutis,
Quot ſervos habuit, tot Dominus habuit,
Utilius reputans, paupertum ſi velle relinquens,
Pronus ad ulterius curreret arbitrium.

Digitized

NOVUM SUPPLEMENTUM.

Laus ſoli Domino, de cujus munere tantæ
Gratia virtutis venit in hunc hominem,
Quem laudare pium, de quo meminiſſe ſalubre.
Nam pietatis opus, mentio talis erit.
Sed fateor culpam, quia ſenſus manuſque,
Quæ novi ſaltem, ſcribere deficiunt.
Me quoque multa latent; quis enim ſe noſſe putaret
Omnia quæ vita geſſerat ille ſua?
Cariùs ille quidem certa ratione valebat
Quàm plenè quiſquam cernere poſſit homo.
Nec merito dignus privari laude videtur
Qui tantæ meruit laudis habere fidem.
Quid porrò miraris eum, ſi plebis iniquæ
Non ſtatim potuit pellere grande ſcelus?
Deſine mirari. Deus eſt qui judicat orbem.
Non homo cor noſtrum, ſed Deus ipſe trahit.
Corripuiſſe malum, ſed verba dediſſe ſalutis
Erranti, paſſim quiſque poteſt hominum.
Sed plantaſſe nihil, nihil eſt plantata rigaſſe,
Incrementa niſi conferat ipſe Deus.
Quem Deus indurat, nullius cura levabit
Abſque Dei nutu nil valet omnis homo.
Arida ſemper erunt humanæ germina mentis,
Si non rore ſuo compluat ille Deus.
Hic ergo talis, tam fidus amator honeſti,
Hic fidei princeps, & decus Eccleſiæ,
Hic aries geminis depellens cornibus hoſtem,
Hic vitis palmes, hic pietatis odor,
Hic lapis æterni rutilans in imagine Regis,
Corporis exuvias grande reliquit onus.
Heu quàm flebiliter, quàm multo fuſa dolore,
Mens tanti recolit præſulis exequias!
O quàm pretioſus erat, ô quàm pluribus utilis! Ergo
Illius multos aggravat interitus.
Felix Italia præ cunctis partibus orbis,
Quæ meruit talem progenuiſſe virum.
Infelix iterum quæ talem perdit alumnum,
Infelix planè pignoris orba ſui.
Tu quoque Cœnobium quondam Beccenſe vigebas,
Dum tuus Anſelmus Dux fuit & Monachus.
Amiſit veterem facies tua penè decorem,
Dum tuus Anſelmus deſiit eſſe Pater.
Cantia tu quondam totum veneranda per orbem,
Præſulis Anſelmi tempore ſigna dabas.
Te minor orbis erat; populos tua fama per omnes
Fluxit amica bonis, invidiola malis.
Te Monachus, Clerus, populuſque docendus adibat,
Dum tuus Anſelmus vixerat ille bonus.
Non erat in terris quiſquam qui dicere vellet:
Me minor Anſelmus eſt, ſimiliſve mihi.
Nunc tua frons trahitur ſcabroſis obſita rugis.
Nunc patitur miſeram cervix demiſſa ruinam,
Quæ quondam celſæ turris ad inſtar erat.
Nunc inculta jaces tanto viduata paſtore,
Quantus nemo quidem divus in orbe manet;
Quo moriente, ſimul diſpendia multa recepit
Eccleſiæ matris religioſa fides.
Nullus enim ſexus, non ætas ulla videtur,
Cui bonitas ejus ferre nequiſset opem.
Felix quem populi tot dulcia vota ſequuntur,
Quem tot commendant, tot redimſunt lacrymæ,
Multis communem mors intulit iſta dolorem
Unius caſus publica pœna fuit.
Quid nos, quid miſeri Monachorum nomen habentes!
Nobis ſemper erit proprius iſte dolor.
Ordinis ille decus, princeps, & ſemita noſtri,
Currus & auriga, partus & aura fuit.
Maxima ſpes vitæ nobis evaſit in illo,
Nec ſupereſt alius qui ſit illi ſimilis.
Qui velut ille pari nos poſſit honore beare,
Erigat & noſtrum ſicut & ille caput.
O Anſelme Pater, ô gloria Pontificalis,
O decus, ô lumen, ô pie præſul ave.
Jam mundi varios meruiſti vincere motus.
Securus placida jam ſtatione manes.
Curris in amplexus cœleſtis & oſcula Regis.
Nullus porrò tui finis honoris erit.
Semper habes Chriſtum, quem ſemper habere volebas:
Una tibi ſemper portio Chriſtus erit.
Cantica lætitiæ nullo tibi tempore deſunt.
Et ſine fine, gloria magna Deo. Amen.

FINIS.

APPROBATIO.

ILluſtriſſimi Galliarum Cancellarii, juſſu legi *Sancti Anſelmi ex Beccenſi Abbate, Cantuarienſis Archiepiſcopi Opera, necnon Eadmeri Monachi Cantuarienſis Hiſtoriam Novorum, & alia Opuſcula. Labore ac ſtudio D. Gabrielis Gerberon Monachi Congregationis Sancti Mauri, ad Mſſ. fidem expurgata & aucta.* Datum Pariſiis die quinta Septembriis 1720.

ROBUSTE.

EADMERI

Digitized by Goo

EADMERI

CANTUARIENSIS MONACHI

ORDINIS S. BENEDICTI

OPERA:

Labore ac ſtudio Monachorum Congregationis S. Mauri reſtituta & emendata.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO
AD NOVAM EDITIONEM OPERUM
EADMERI.

EADMERUS, quem Angli pronunciant, *Edmerus*, & corruptè recentiores ſcribunt, *Edinerus*, cognomine Cántor, in Anglia natus, in Cantia educatus, Monachus tandem Cantuarienſis Ordinis S. Benedicti factus eſt in Salvatoris Cœnobio Congregationis Cluniacenſis. Huic ab infantia mos erat ſemper Nova, quæ fortè & maxime in Eccleſiaſticis rebus occurrebant, diligenti intentione conſiderare, ac memoriæ commendare, ut de ſe ipſe loquitur. Quo ſtudio in doctiſſimum evaſit, ſinceritate hiſtoriæ & orationis facundiâ præ cæteris illuſtrem. Ipſe S. Anſelmi Cantuarienſis Archiepiſcopi auditor & diſcipulus, deinde convictor & amicus, exiliorumque ac laborum ejus individuus comes, Regis ira & odio nihil territus, ab eo nuſquam receſſit. Romam cum eo profectus, urbanè ab Urbano II. ſuſceptus & in magno honore habitus eſt, adeo ut ipſi Anſelmo Edmerum præfecerit à cujus juſſis totus penderet, id ipſum Anſelmo enixiùs rogante ne obedientiæ meritum cæteris prælatus perderet. Anſelmo denato privatam vitam Edmerus aliquandiu duxit; ſed poſtmodum Eccleſiæ S. Andreæ in Scotia Epiſcopum creatum ferunt. Edmerum hunc non illum fuiſſe qui S. Albani Cœnobio præfuit, & ſub Ethelredi Regis initia circa annum videlicet 980. deceſſit, optimè notat Seldenus, Balæum & ejus exſcriptorem Lelandum, & Pitſæum jure corrigens, cùm Eadmerus hic non niſi uno poſt alterum ſæculo floruerit, & humana poſuerit anno 1121. Simone Dunelmenſi teſte. Hæc Anſelmum inter & Eadmerum neceſſitudo ſuaſit ut hujus & illius opera unà in lucem emendatiora prodirent, tum ne in diverſas partes typi eos diſtraherent qui idem in omnibus ſenſerunt; tum ut ea quæ Eadmeri ſtylo ſcripta ſunt, & quæ hactenus inter Anſelmi lucubrationes recenſita fuere, ipſi Eadmero reponantur. Hæc autem Eadmerus ſcripſit.

Malmesbur. l. 1. de geſtis Pontif. Ipſe id indicat initio libri 5. Novorum. Simeon Dunelmenſis Balæanus, Pitſæus & alii.

S. Anſelmi vita, duobus libris diſpoſita.
Hiſtoria Novorum, ſex libris diſtincta.
Vita S. Vilfridi Archiep. uno libro contenta.
Hiſtoriarum collectanea uno libro deſcripta.
De geſtis ſui temporis liber unus.
De libertate Eccleſiaſtica, ſeu, de diſcordia inter Guillelmum Rufum Anglorum Regem, & Anſelmum, volumen unum.
Querela ſuper morte S. Anſelmi, Carmine Elegiaco.
De Laudibus S. Mariæ Virginis, liber unus.
De inſtitutis Chriſtianæ vitæ, liber unus.
De S. Dunſtano, Carmen.
Epiſtolas plures ſcripſit, & ab aliis accepit.

Digitized by Google

Pitſæus Eadmerum brevi ſtylo ab Edgaro Rege uſque ad Guillelmum primum Hiſtoriam perſtrinxiſſe, & poſtea latiùs divagatum ad ſua uſque tempora fuiſſe colligit ex Lelando & Simone Dunelmenſi: ſed non aliam puto ab Hiſtoria Novorum in qua paucis ab Edgaro Rege ad Guillelmum deſcendit.

Ex his autem omnibus ea duntaxat publici Juris facta ſunt. De vita Anſelmi libri duo: quos ad Mss. fidem emendavimus. Hiſtoria Novorum. Sermo, ſeu liber de cœleſti Beatitudine. Liber de Excellentia ſive de laudibus Virginis: Inſtituta vitæ Chriſtianæ ſeu liber de moribus; qui, ut reor, non eſt alius à libro Similitudinum Anſelmi, quas Eadmerus collegit. Cætera in Angliæ Bibliothecis deliteſcunt, ex quibus eruere ea omni noſtro ſtudio, omni amicorum ope & quibuſcunque impenſis non valuimus directis ad diverſos hac de re ſchedulis. Eadmeri Epiſtolæ Manuſcriptæ habentur Cantabrigæ in Collegio S. Benedicti. Liber de Eccleſiaſtica libertate extat Ms. in Bibliotheca Archiepiſcopi Cantuarienſis. Hiſtoria Novorum Ms. ſervatur Cantabrigæ in Bibliotheca Collegii S. Benedicti num. 78. Vita S. Vuilfredi extat Londini inter Mss. Cottoniana: vita S. Dunſtani Ms. habetur Cantabrigæ in Collegio S. Benedicti, ubi extant Mss. alia ejuſdem opuſcula de monte humilitatis & de duobus ejus montis cuſtodibus: ſed hæc in libro Similitudinum emendata dedimus. Iis igitur in ſcriniis deliteſcentes Eadmeri Theſauros ut fælicius inquirat, cui facilius erit eos depromere, non ſolum non invidemus ſed obnixius exhortamur.

Illuſtra de Eadmero Teſtimonia habent Malmeſburienſis in prologo de Geſtis Regum, & alibi paſſim, ubi in recenſendis ſuorum temporum actis ejus ſinceritatem & facundiam pluribus laudat: Pitſæus in Relationibus de rebus Anglicis ætate 12. Trithemius, qui eum vocat Emondum; & alii qui de Scriptoribus Eccleſiaſticis diſſeruerunt, vel qui de rebus Anglicanis accuratiùs ſcripſere.

EADMERI

Digitized by Google

EADMERI
CANTUARIENSIS MONACHI
ORDINIS SANCTI BENEDICTI
LIBRI DUO
DE VITA S. ANSELMI
CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI

PROLOGUS.

QUONIAM multas & anteceſſorum noſtrorum temporibus inſolitas rerum mutationes * noſtris diebus in Anglia accidiſſe & coaluiſſe conſpeximus; ne mutationes ipſæ poſterorum ſcientiam penitus laterent, quædam ex illis ſuccinctè * excerpta, literarum memoriæ tradidimus. Sed quoniam opus ipſum in hoc maximè verſatur, ut ea quæ inter Reges Anglorum & Anſelmum Archiepiſcopum Cantuarium facta ſunt, inconcuſſa veritate deſignet, quæque omnibus puram illorum hiſtoriam ſcire volentibus tunc temporis innoteſcere potuerunt, licet inculto, plano tamen ſermone deſcribat. Nec adeò quicquam in ſe contineat, quod ad privatam converſationem, vel ad morum ipſius Anſelmi qualitatem, aut ad miraculorum exhibitionem pertinere videatur, placuit quibuſdam familiaribus meis me ad hoc ſua prece perducere; ut ſicut deſcriptione notarum rerum poſteris, ita deſignatione ignotarum * ſatagerem tam futuris quàm & præſentibus aliquod officii mei munus impendere. Quos eo quòd offendere ſummopere cavebam, dedi operam voluntati eorum pro poſſe morem gerere. Opus igitur ipſum de vita & converſatione Anſelmi Archiepiſcopi Cantuarienſis titulatum, taliter Deo adjuvante curavi diſponere, ut quamvis aliud opus quod præſignavimus ex majori parte de ejuſdem viri converſatione ſubſiſtat; ita tamen in ſua materia integræ narrationis formam prætendat, ut nec illud iſtius, nec iſtud illius pro mutua ſui cognitione multùm videatur indigere. Plenè tamen actus ejus ſcire volentibus, nec illud ſine iſto, nec iſtud ſine illo ſufficere * poſſe pronuntio.

* al. excepta

* al. fatagerem

* al. nobis

DE VITA S. ANSELMI
CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI
LIBER PRIMUS.

INSTITUTA vitæ & conversationis Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi literarum memoriæ traditurus, primò omnium vocata in auxilium meum summa Dei clementia & majestate, quædam brevi dicam de ortu & moribus parentum ejus; ut hinc Lector advertat de qua radice prodierit quod in studiis nascituræ prolis postmodùm fulsit. Pater igitur ejus Gundulphus, mater Ermemberga vocabatur. Utrique juxta seculi dignitatem nobiliter nati, nobiliter sunt in * Augusta civitate conversati. Quæ civitas confinis Burgundiæ & Langobardiæ, Ermembergam in se edidit: Gundulphum in Langobardia natum, civem sui ex advena fecit. Conjuncti sunt lege conjugali, ambo divitiis non ignobiles, sed moribus ex quadam parte dissimiles. Gundulphus enim sæculari deditus vitæ, non adeo curam suis rebus impendere, sed habita frequenter ab re distribuere, in tantum, ut non modò largus atque beneficus, verùm etiam prodigus atque vastator à nonnullis æstimaretur. Ermemberga verò bonis studijs serviens, domus curam bene gerens, sua cum discretione dispensans atque conservans, bonæ matris-familias officio fungebatur. Mores erant probi & irreprehensibiles, ac juxta rectam considerationem ratione subnixi. Hæc fuit vita ejus, in hac dum vixit permansit, in hac finem vitæ sortiri promeruit. Gundulphus verò circa diem obitus sui, spreto seculo Monachus factus, Monachus defunctus est. At Anselmus filius horum, cùm puer parvulus esset, maternis, prout ætas sua patiebatur, colloquiis libenter animum intendebat. Et audito unum Deum sursum in cœlo esse, omnia regentem, omnia continentem, suspicatus est, utpotè puer inter montes nutritus, cœlum montibus incumbere, in quo & aulam Dei esse, eamque per montes adiri posse. Cumque hoc sæpius animo volveret, contigit ut quadam nocte per visum videret se debere montis cacumen ascendere, & ad aulam magni regis Dei properare. Verùm priusquam montem cœpisset ascendere, vidit in planicie qua pergebat ad pedem montis mulieres, quæ regis erant ancillæ, segetes metere, sed hoc nimis negligenter faciebant & desidiosè. Quarum puer desidiam dolens ac redarguens, proposuit animo se apud Dominum regem ipsas accusaturum. Dehinc monte transcenso, regiam aulam subit. Dominum cum solo suo dapifero invenit. Nam familiam suam, ut sibi videbatur, quoniam autumnus erat, ad colligendas messes miserat. Ingrediens itaque puer, à Domino vocatur. Accedit, atque ad pedes ejus sedet. Interrogatur jucunda affabilitate quis sit, vel unde, quidvè velit. Respondet ille ad interrogata, juxta quod rem esse sciebat. Tunc ad imperium Domini panis ei nitidissimus per dapiferum affertur, eoque coram ipso reficitur. Mane igitur cum quid viderit ante oculos mentis reduceret, sicut puer simplex & innocens, se veraciter in cœlo & ex pane Domini refectum fuisse credebat, hocque coram aliis ita esse publicè asserebat. Crevit ergo puer, & ab omnibus diligebatur. Mores etenim probi in eo erant, qui magnoperè eum diligi faciebant. Traditur literis, discit, & in brevi plurimum proficit. Necdum attigerat ætatis annum quintumdecimum; & jam qualiter secundùm Deum vitam meliùs instituere posset, mente tractabat, idque concepit apud se, nihil in hominum conversatione monachorum vita præstantius esse. Quam assequi cupiens, venit ad quendam sibi notum Abbatem, rogans illum ut se monachum faceret. Sed Abbas, voluntate illius agnita, quod petebat inscio Patre illius, ne offenderet animum ejus, facere recusavit. At ille in suo proposito perstans oravit Deum, quatenus infirmari mereretur, ut vel sic ad monachicum quem desiderabat, Ordinem susciperetur. Mira res. Ut enim Deus declararet quantum etiam in aliis de suæ pietatis auditu confidere posset, preces illius exaudivit, ac illi protinus validam corporis debilitatem immisit. Acriter igitur infirmatus ad Abbatem mittit, mortem se timere pronunciat, orat ut monachus fiat: præfato timore obstante non fit quod postulabat, & hoc quidem * quantum ad humanum * spectat examen. Cæterùm Deus, quem futura non fallunt, servum suum ipsius loci conversatione noluit implicari, propterea quod alios quoldam in sinu misericordiæ suæ reconditos habebat, quos ut postmodum clariùs magis, per illum ad suam voluntatem in posterum disponebat informari. Post hæc sanitas redit juveni; quodque tunc nequibat, in futuro se per gratiam Dei facturum mente proponit.

* al. tamdiu spectabat.

Exinde tùm corporis sanitas, juvenilis ætas; seculi prosperitas ei arrideret, cœpit paulatim fervor animi ejus à religioso proposito tepescere, in tantùm ut seculi vias magis ingredi, quàm relictis eis monachus fieri cuperet. Studium quoque literarum, in quo se magnopere solebat exercere, sensim postponere, ac juvenilibus ludis cœpit operam dare. Veruntamen pia dilectio & diligens pietas, quas in matrem suam habebat, nonnihil eum ab istis * restringebant. Defunctâ verò illâ, illico navis cordis ejus, quasi anchorâ perditâ, in fluctus seculi penè tota dilapsa est. Sed omnipotens Deus prævidens quid de illo facturus erat, ne animam suam pace transitoria potius perderet, infestum ei & intestinum bellum generavit. Hoc est, animum patris ejus acerbo cortra illum odio * inflammavit in tantum, ut æquè, aut certè magis ea quæ benè, sicut quæ perperam faciebat, insequeretur. Nec aliqua poterat Patrem humilitate lenire, sed quantò illi se exhibebat humiliorem, tantò illum sibi sentiebat asperiorem. Quod nimis intolerabile cernens, & ne deterius quid inde contingeret timens, elegit potius paternis rebus & patriæ abrenuntiare, quàm patri suo vel sibi quamlibet infamiam ex sua cohabitatione procreare. Baratis itaque his, quæ necessaria erant in viam ituris, * patria egreditur, uno qui sibi ministraret Clerico comitatus. Cumque dehinc in transcensu montis * Senisii fatigaretur, & laboris impatiens corpore deficeret, vires suas nivem mandendo reparare tentabat. Nec enim aliud quo vesceretur, præsto fuit. Quod minister illius advertens, doluit & ne fortè quid edendum haberetur in sacculo qui asino illorum vehebatur, diligenter investigare cœpit, & mox contra spem panem in eo nitidissimum repperit. Quo ille refectus, recreatus est, & vitæ incolumis * redonatus.

* al. restituus

* al. patriam

Exactis dehinc partim in Burgundia, partim in Francia fermè tribus annis, Normaniam vadit, * Abrincam ipsius provinciæ urbem petit, ubi aliquandiu demoratur: post hæc venit Beccum, & magistrum] quendam nomine Landfrancum, virum videlicet valde bonum, præstanti religione ac sapientia verè nobilem, videre, alloqui, & cohabitare volens. Excellens siquidem fama illius circumquaque percrebuerat, & nobilissimos quosque Clericorum ad eum de cunctis mundi partibus agebat. Anselmus igitur viro adito, eumque singulari quadam sapientia pollere agnito, ejus se magisterio subdit, eique post modicum familiaris præ cæteris discipulis fit. Occupatur die noctuque in literarum studio, non solùm quæ volebat à Landfranco legendo, sed & alios quæ rogabatur studiosè docendo. Propter quæ studia, cùm corpus vigiliis, frigore & inedia * fatigaret, venit ei in mentem quia si aliquando monachus, ut olim proposuerat esset, acriora quàm patiebatur, eum pati non * oporteret, nec tunc sui laboris meritum perderet, quod nunc utrum sibi maneret, non * prospiciebat. Hoc ergo mente concepto, totam intentionem suam ad placendum Deo dirigere cœpit, & spernendo mundum cum * oblectaminibus suis, revera cupit fieri monachus. Quid plura? Cogitat ubi melius proficere queat, quod facere desiderat, & ita secum tractat. Ecce, inquit, monachus fiam. Sed ubi? Si Cluniaci vel Becci, totum tempus quod in discendis literis posui, perdidi. Nam & Cluniaci districtio Ordinis, & Becci supereminens prudentia Lanfranci, qui illic monachus est, * me aut nulli prodesse, aut nihil valere comprobabit. Itaque in tali loco perficiam quod dispono, in quo & scire meum possim ostendere, & multis prodesse. Hæc ut * ludens ipsemet referre solebat, secum meditabatur; addebatque: Necdum eram edomitus, necdum in me vigebat mundi contemptus. Unde quod ego ut putabam, fretus aliorum charitate dicebam, quàm damnosum esset non advertebam. Postmodum autem in se reversus. Quid inquit? Esse-ne * monachum hoc est, velle scilicet aliis præponi, præ aliis honorari, ante alios magnificari? Non. Illic ergo deposita contumacia monachus deveni, ubi sicut æquum est, cunctis propter Deum postponaris, cunctis abjectior habearis, præ cunctis parvi pendaris, & ubi hoc esse poterit? Equidem Becci. Ibi siquidem nullius ponderis ero, quandoquidem ille ibi est, qui præeminentis * scientiæ luce conspicuus cunctis sufficiens, cunctis honorabilis & acceptus. Illic ergo requies mea, illic solus Deus intentio mea, illic solus amor ejus erit contemplatio mea, illic beata & assidua memoria ejus felix solamen & satietas mea. Hæc cogitabat, hæc desiderabat, hæc sibi provenire sperabat. Raptabatur quoque mens ejus per id temporis in alias sectandæ semitas * vitæ, sed vis desiderii ejus in hanc quàm maximè declinaverat. Sciens itaque scriptum esse, *omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebis*, nolebat se alicui uni vitæ earum quas mente volebat inconsultè credere, ne in aliquo videretur Scripturæ præceptis non obedire. Amicos insuper multos habens, sed cui se totum in istis committeret consiliarium unum, de mille videlicet præfatum Lanfrancum eligens, venit ad eum, indicans voluntatem suam ad tria pendere, sed per consilium ejus ad unum quod potissimum judicaret, duobus relictis, se velle tenere. Quæ tria sic ei exposuit. Aut enim, inquit, monachus fieri volo, aut eremi cultor esse desidero, aut ex proprio patrimonio vivens, quibuslibet indigentibus propter Deum pro meo posse exinde ministrare, si consulitis, cupio. Jam enim pater ejus obierat, & tota hæreditas ad illum respiciebat. In his, inquam, tribus voluntatem meam, Domine Lanfrance, fluctuare sciatis, sed precor ut me * in horum potissimo stabiliatis. Differt Lanfrancus sententiam ferre, suaderque negotium ad venerabilis * Maurilii Rotomagensis * Episcopi audientiam magis referre. Acquiescit Anselmus consilio, & comitatus Lanfranco Pontificem petit. Tanta autem vis devotionis pectus Anselmi tunc possidebat, tantumque veri consilii Lanfranco inesse credebat, ut cùm Rotomagum petentes, per magnam quæ super Becum est sylvam pergerent, si Lanfrancus ei diceret, in hac sylva mane, & ne dum vixeris hinc exeas cave, procul dubio ut fatebatur imperata servaret. Pervenientes ergo ad Episcopum adventus sui causas ei exponunt, quid inde sentiat quærunt. Nec mora, monachicus Ordo præ cæteris laudatur, ejusque propositum * omnibus aliis anteferrur. Anselmus hæc audiens & approbans, omissis aliis, sæculo relicto, Becci monachus factus est, anno ætatis suæ vigesimo septimo. Regebat eo tempore cœnobium ipsum * Dominus Abbas Herluinus nomine, vir grandævus, & magna probitate conspicuus, qui primus ipsius loci Abbas monasterium ipsum à fundamentis de suo patrimonio fecerat. Sæpe dictus autem Lanfrancus gradum Prioris obtinebat. Anselmus verò novus monachus factus, studiosè vitam aliorum religiosiùs viventium æmulabatur. Imo ipse sic Religioni per omnia serviebat, ut quisquis religiosè in tota ipsa congregatione vivere volebat, in ejus vita satis inveniret quod imitaretur, & ita per triennium de die in diem semper in melius proficiens, magnus & honorandus habebatur.

Venerabili autem Lanfranco in Cadomensis cœnobii regimen assumpto, * ipse Prioris officio functus est, sicque Deo serviendi * ampliore libertate potitus, totum se, totum tempus suum in illius obsequia expendere, sæculum & cuncta negotia * ejus ab intentione sua, funditus cœpit amovere. Factumque est ut soli Deo, cœlestibusque disciplinis jugiter occupatus, in tantum speculationis divinæ culmen ascenderit, ut obscurissimas, & ante tempus suum * insolutas de Divinitate Dei & nostra fide quæstiones, Deo referante perspiceret, ac perspectas enodaret, apertisque rationibus quæ dicebat rata & catholica esse probaret. Divinis namque Scripturis tantam fidem * adhibebat, ut indissolubili firmitate cordis crederet nihil in eis esse, quod solidæ veritatis tramitem ullo modo exiret. Quapropter summo studio animum ad hoc intenderat, quatenus juxta fidem suam mentis ratione mereretur percipere, quæ in ipsis sensit multa caligine tecta latere. Contigit ergo quadam nocte, ut ipse * in hujusmodi mente detentus, ante nocturnas vigilias vigilans in lecto jaceret, & meditando secum rimari conaretur quonam modo Prophetæ præterita simul & futura, quasi præsentia, olim agnoverint, & indubitanter ea dicto vel scripto protulerint. Et ecce cùm in his totus esset, & ea intelligere magnopere desideraret, defixis oculorum suorum radiis, vidit per medias maceries oratorii ac dormitorii monachos, quorum hoc officium erat, pro apparatu matutinarum altare & alia loca Ecclesiæ circumeuntes, luminaria accendentes, & ad ultimum unum eorum sumpta in manibus chorda pro excitandis Fratribus scillam pulsantem, ad cujus sonitum conventu Fratrum de lectis surgente, miratus est de re quæ acciderat. Concepit ergo apud se Deo levissimum esse, Prophetis in Spiritu ventura monstrare, cum sibi concesserit quæ fiebant per tot obstacula corporeis oculis posse videre.

Hinc perspicatiori interius sapientiæ luce perfusus, mores omnis sexus & ætatis ita discretionis ratione monstrante penetravit, ut eum * palam inde tractantem, adverteres cuique sui cordis arcana revelare. Origines insuper & ipsa, ut ita dicam, semina atque radices, nec non processus omnium virtutum ac vitiorum detegebat, & quemadmodum vel * hæ adipisci,

vel. omis.

al. Mauriel

al. Archiepiscopi

al. fatigaretur

al. oportet

al. perspiciebat

al. oblectationibus

al. nihil

al. lubens

al. omis. ejus

al. insolitas

al. monachum

al. sapientiæ

al. hos

vel hæc devitari * aut devinci possent luce clariùs edocebat.

Tantam autem omnis boni consilii vim in eo elucere cerneres, ut pectori ejus spiritum consilii præsidere non ambigeres. Quam promptus verò atque assiduus in sanctis exhortationibus fuerit, super vacuum est dicere, cùm illum semper in ipsis infatigabilem omnes ferme audientes constet fatigasse; quodque dicitur de sancto Martino, ejus ori nunquam defuit Christus, sive justitia, vel quicquid ad veram vitam pertinet, incunctanter confirmemus sine mendacio posse dici de illo. In his leve est lectorem advertere, eum de mensa Domini, non sine quodam præsagio, per visum jam olim nitido refectum pane fuisse.

De corporalibus ejus exercitiis, jejuniis dico, orationibus atque vigiliis, melius æstimo silere quàm loqui. Quid namque de illius jejunio dicerem, cum ab initio Prioratus sui tanta corpus suum inedia maceraverit, ut non solùm omnis illecebra gulæ penitus in eo postmodum extincta sit, sed nec famem sive delectationem comedendi pro quavi abstinentia, ut * dicere consueverat, aliquando pateretur. Comedebat tamen ut alii homines, sed omnino parce, sciens corpus suum sine cibo non posse * subsistere. In orationibus autem quas ipse juxta desiderium & petitionem amicorum suorum scriptas edidit, qua solicitudine, quo timore, qua spe, quo amore Deum & sanctos ejus interpellaverit, nec non interpellandos docuerit, satis est & me tacente videre: sit modo qui eis piè intendat, & spero quia cordis ejus affectum, suumque profectum in illis & per illas gauderes percipiet.

Quid de vigiliis? Totus dies in dandis consiliis sæpissime non sufficiebat, addebatur * ab hoc pars maxima noctis. Præterea libros, qui ante id temporis nimis corrupti ubique terrarum erant, nocte corrigebat, sanctis meditationibus insistebat ex contemplatione summæ beatitudinis & desiderio vitæ perennis immensos lachrymarum imbres effundebat. Hujus vitæ miserias, suaque, si quæ erant peccata, & aliorum amarissimè flebat, & vix parum ante vigilias nocturnas, * sæpeque nihil somni capiebat. Talibus studiis vita ejus ornabatur.

Qualiter autem erga subditos se habebat, det Deus ad æmulationem Prælatorum posse * quid vel modicum dici. Cùm primùm igitur Prior factus fuisset, quidam Fratres ipsius cœnobii facti sunt æmuli ejus, videntes & videndo invidentes illum præponi, quem juxta conversionis ordinem judicabant * sibi debere postponi. Itaque turbati, aliosque turbantes, scandala movent, dissentiones pariunt, sectas nutriunt, odia fovent: at ipse cum his qui oderunt pacem, erat pacificus, & detractionibus eorum reddebat officia fraternæ charitatis, malens vincere malitiam in bono, quàm à malitia eorum vinci in malo. Quod miserante Deo factum est, siquidem illi animadvertentes eum omnimodis purè ac simpliciter in cunctis actionibus suis incedere, neque quod jure blasphemari posset in illo residere, malâ voluntate in bonam mutatâ; dicta ejus & facta in bono æmulari cœpere. Verùm ut clareat quo pacto id provenerit, unum ex ipsis exempli gratia ponam, quatenus agnito quo dolo Anselmi, à sua pravitate sit mutatus, qualiter & alii per eum correcti sint perpendatur. Osbernus quidam nomine, ætate adolescentulus, ipsius erat monasterii monachus: ingenio quidem sagax, & artificiosis ad diversa opera pollens manibus, bonam in se bonæ spei materiam præferebat. Sed mores qui in eo valde perversi erant, ista multum decolorabant, & insuper odium quod omnino more canino contra Anselmum exercebat. Quod odium quantum ad se Anselmus non magni pendens; sed tamen mores illius * concinere sagacitati ingenii ejus magnopere cupiens, cœpit * quadam sancta calliditate puerum piis blandimentis delinire, puerilia facta ejus benignè tolerare, multa nisi quæ sine Ordinis detrimento tolerari poterant concedere, in quibus & ætas ejus delectaretur, & effrenis animus in mansuetudinem curvaretur. Gaudet puer in talibus, & sensim à sua * feritate ipsius demittitur animus. Incipit Anselmum diligere, ejus monita suscipere, mores suos componere. Quod ille intuens, præ cæteris eum familiariter amplectitur; * nutrit, fovet, & ut semper in melius proficiat omnibus modis hortatur & instruit. Dehinc paulatim ei quæ concesserat puerilia, subtrahit; eumque ad honestam morum maturitatem provehere satagit. Non frustratur pia solicitudo ejus, proficiunt in Juvene ac roborantur sacra monita ejus. Ergo ubi de firmitate boni studii adolescentis se posse confidere animadvertit, mox omnes puriles actus in eo resecat, & si quid reprehensionis eum admittere comperit, non modo verbis; sed & verberibus in eo * acriter vindicat. Quid ille? Æquanimiter cuncta sustinet, confirmatur in proposito omnis religionis, fervet in exercitio discendæ omnis sanctæ actionis, suffert patienter aliorum contumelias, opprobria, detractiones, servans erga omnes affectum sinceræ dilectionis. Lætatur pater in his, ultra quam dici possit, & diligit filium sancto charitatis igne, plusquam credi possit. Sed cùm ipse (ut flens referebat) eum ad magnum Ecclesiæ fructum proficere speraret, ecce gravi corporis infirmitate præripitur, lectoque recipitur. * Videres tunc bonum patrem felicis juvenis amicum, lecto jacentis die noctuque assidere, cibum & potum ministrare; omnium ministrorum super se ministeria suscipere, veri amici morem in omnibus gerere; ipse corpus, ipse animam ejus studiosissimè refovebat. Appropinquanti autem ad exitum familiari præcepit alloquio, quatenus post obitum suum si possibile foret, suum esse sibi revelaret. Spopondit, & transiit. Corpus defuncti ex more lotum, vestitum, in feretro compositum, in Ecclesiam delatum est. Circumsederunt Fratres Psalmos pro ejus anima decantantes: Anselmus verò quo liberiùs pro eo preces funderet, in secretiorem Ecclesiæ locum secessit. Qui cum inter ipsas lachrymas ex gravi * cordis mœstitudine * corpore deficeret, & paululum oculos in somnum deprimeret; vidit in spiritu mentis suæ quasdam reverendi vultus personas candidissimis vestibus ornatas, domum in qua idem Osbernus vitam finierat introisse, & ad judicandum * circumsedisse. Verum cum judicii sententiam ignoraret, eamque solicitus nosse desideraret; ecce Osbernus adest similis homini, * cum aut ex languore, aut ex nimia sanguinis munitione * fuerit exanimatus, ad se redeunti. Ad quem pater: Quid est fili? Quomodo es? Cui ille hæc verba respondit. Ille antiquus serpens ter insurrexit in me, & ter cecidit in semetipsum, & Ursarius Domini Dei liberavit me. Quo dicto Anselmus oculos à somno levavit, & Osbernus non comparuit. En obedientiam mortuus vivo exhibebat, quam vivens viventi exhibere * solitus erat. Quod si quispiam audire * voluerit qualiter hæc obedientis verba defuncti, ipse Anselmus fuerit interpretatus, brevi accommodet aures. Ter, inquit, antiquus serpens insurrexit in eum, quia de peccatis quæ post baptismum priusquam à parentibus ad servitium Dei in monasterium offerretur, * commiserat, illum diabolus accusavit; de peccatis etiam quæ post oblationem parentum ante suam professionem fecerat, illum accusavit; de peccatis nihilominus, quæ post professionem ante obitum suum egerat, illum accusavit. Sed ter cecidit in semetipsum, quia peccata quæ in seculo constitutus admiserat, per fidem parentum, quando eum Deo obtulerunt, deleta invenit. Et peccata, quæ postmodum in monasterio degens ante suam professionem fecerat, in ipsa professione deleta invenit. Peccata etiam quæ post professionem ante obitum suum egerat, per veram confessionem, &

* al. vel aut devinci
* al. subsistere
* al. cœpit
* al. videres
* al. solitus
* al. commiserat

pœnitentiam deleta atque dimissa in ipso ejus obitu A confusus invenit : sicque * malignus versutias suas quibus eum ad peccandum * illexerat, justo Dei judicio in se ad cumulum suæ damnationis retorqueri ingemuit. Et ursarius Domini Dei liberavit eum : ursarii Dei, boni Angeli sunt. Sicut enim ursarii ursos, ita Angeli malignos dæmones à sua sævitia coercent & opprimunt, ne nobis * noceant, quantum volunt. Post hæc Anselmus ut sanctæ dilectionis munus quod vivo impenderat, mortuo non negaret, per integrum annum missam pro anima ejus omni die celebravit. Quod si aliquando à celebratione ipsius Sacramenti impediebatur, eos qui Missas familiares debebant, suam pro anima Fratris Missam dicere faciebat : & ipse Missas eorum, dum oportunum erat, ante Missam sui B defuncti aliâ Missâ persolvebat. Itaque per singulos dies totius anni aut ipse pro illo Missam celebravit, aut ab alio celebratam aliâ missâ * mutuatus est. Super hæc missis circumquaque Epistolis pro anima sui Osberni orationes fieri petiit, & obtinuit : hæc Fratres videntes & socordiam sui cordis redarguentes, se miseros ac infelices, Osbernum beatum prædicant ac felicem, qui talem amorem, talem meruit invenisse subventionem. Ex hoc ergo singuli * quique corpore, & animo se subdunt Anselmo, cupientes in amicitiam ejus hæreditario jure succedere Osberno. At ille in conversione ipsorum Deo grátias agens, omnibus omnia factus est, ut omnes salvos faceret.

Verúmtamen adolescentibus atque juvenibus * præcipuâ curâ intendebat, & inquirentibus de hoc rationem, sub exemplo reddebat. Comparabat ceræ juvenis ætatem, quæ ad * informandum sigillum aptè C est temperata: Nam si cera inquit nimis dura vel mollis fuerit, sigillo * impressa ejus figuram in se nequaquam ad plenum recipit. Si verò * ex utrisque, duritia scilicet atque mollitie; discretè habens sigillo imprimitur, tunc forma sigilli omnino perspicua & integra redditur. Sic est in ætatibus hominum. Videas hominem in vanitate hujus sæculi ab infantia usque ad profundam senectutem conversatum, sola terrena sapientem, & in his penitus obduratum. Cum hoc age de spiritualibus, huic de subtilitate contemplationis divinæ loquere,* hunc secreta cœlestia doce rimari, & perspicies eum nec quid velis quidem posse videre. Nec mirum indurata cera est, in istis ætatem * non trivit, aliena ab istis sequi didicit. E contrario conside- D res puerum ætate ac scientia tenerum, nec bonum nec malum discernere valentem, nec te quidem intelligere de hujusmodi differentem : Nimirum mollis cera est & quasi liquens, nec imaginem sigilli quoquo modo recipiens: Medius hortim adolescens & juvenis est, ex tenetitudine atque duritia congruè temperatus. Si hunc instruxeris, * ad quæ voles informare valebis. Quod ipse animadvertens juvenibus majori solicitudine invigilo, procurans cuncta in eis vitiorum germina extirpare, ut in sanctarum exercitiis virtutum postea competenter edocti, spiritalis in se transforment imaginem viri. Sed cùm inter hæc eum diversa diversorum negotia fatigarent, & nonnunquam illius mentem à sua quiete turbarent, consilium super his à supradicto venerandæ memoriæ Archiepiscopo Rothomagensi Maurilio postulaturus Rothomagum venit. E Cumque sui adventus causam pontifici exponeret, ac inter verba pro amissa status sui tranquillitate vehementissimè fleret, abonere prælationis quod sibi fatebatur importabile, ut relevari mereretur, magno opere cœpit rogare. At ille sicuti vir magnæ sanctitatis, noli, inquit, mi fili charissime, quod quæris quærere, nec te * à subvectione aliorum tui solius curam gerens velis retrahere. Verè etenim dico tibi me de multis audisse, multosque vidisse, qui quoniam causa suæ quietis proximorum utilitati per pastoralem curam invigilare noluerunt, per desidiam ambulantes semper de malo in pejus profecerunt. Quapropter ne tibi (quod absit) hoc idem contingat, per sanctam obedientiam præcipio quatenus prælationem quam nunc habes retineas, nec * eam nisi tuo jubente Abbate quomodolibet deseras; & si quando fueris ad majorem vocatus, eam suscipere nullatenus abnuas. Scio enim quòd in hac quam tenes non diu manebis, verum ad altiorem prælationis gradum* non post multum proveheris. Quibus auditis, væ, inquit, misero mihi. In eo quod porro deficio; & si gravius imponitur onus, rejicere non audeo. Repetit præsul edictum, & ut primò jubet ne transgrediatur.

Dehinc Anselmus ad monasterium reversus talem se cunctis exhibuit, ut ab omnibus loco charissimi Patris diligeretur. Ipse enim mores omnium & infirmitates æquanimiter sufferebat; & unicuique ticut expedire sciebat, necessaria suggerebat. O quot in sua jam infirmitate desperati per piam solicitudinem ejus sunt ad pristinam sanitatem revocati! Quod tu Herewalde decrepite senex in teipso percepisti, quando gravatus non solùm ætate sed & valida infirmitate, ita ut nihil * tui corporis præter linguam haberes in tua potestate, per manus illius pastus, & vino de racemis per uvam in aliam ejus manum expresso, de ejus ipsa manu bibens * es refocillatus, ac pristinæ sanitati redonatus. Neque enim alium aut aliunde potum sumere poteras, qui tibi cordi esset, ut referebas. Ipse quippe Anselmus in usu habebat infirmorum domum frequentare, singulorum Fratrum infirmitates diligenter investigare: & quod infirmitas cujusque expetebat, singulis absque mora seu tædio subministrare. Sicque sanis pater, & infirmis erat mater, imo sanis & infirmis pater & mater in commune. Unde & quicquid secreti apud se quivis illorum habebat, non secus quàm dulcissimæ matri ille revelare satagebat. Verúntamen solers diligentia Juvenum hoc præcipuè exercebat.

De quorum numero quidam in ipso conventu hoc apud se proposuerat, quatenus nulla occasione unquam suam manum suis genitalibus membris admoveret. Cui proposito invidens diabolus, tantum dolorem & angustiam in eisdem membris fecit eum sentire, ut se juvenis nullo modo ferre valeret. Sentiebatur etenim caro ipsa tanti ponderis esse, ac si quædam plumbi gravissima moles ad ima eum detrahens, in illa sui corporis parte penderet. Cumque in habitu suo anxietatis magnitudinem dissimulare non posset; requisitus ab Anselmo quid haberet, rem celare non potuit. Admonitus itaque ut modum ægritudinis admota manu probaret, verecundatus reculavit, timens ne propositum violaret. Tunc Anselmus assumpto secum quodam grandævo Fratre & religioso juvenem languidum in secretiorem locum ducit, utpote modum infirmitatis illius agniturus, & auxilium pro possibilitate laturus. Quid amplius? Caro sanissima reperitur! & admodum mirati sunt. Ilvestigio quippe omnis illa diabolica vexatio cadit, nec in hujusmodi fatigat ulterius juvenem, quem simplex Anselmi aspectus à tanta clade fecit immunem. Præterea quidam ex antiquioribus ipsius Cœnobii Fratribus, qui veteri odio plurimum erat infestus Anselmo, nec ullatenus poterat super eum respicere simplici oculo, infirmitate pressus ad extrema perductus est. Cùm itaque fratres meridiana hora in lectis ex more quiescerent, ipse in domo infirmorum in qua jacebat, cœpit miserandas voces edere, & quasi quorundam * horridos aspectus subterfugere gestiret, pallens & anxiè tremens vultum suum deliteścendo hinc inde commutare. Territi Fratres qui aderant, quid haberet percunctantur. At ille, geminos immanes lupos me inter brachia sua compressum tenere, & guttur meum impressis dentibus jam jam suffocare videtis, & quid mihi fit quæritis? Quo audito, unus ex Mo-

nachis Riculphus nomine, ad Anſelmum qui tunc in A
clauſtro emendandis libris intendebat, concitus per-
al. eo rexit; & * ei extra clauſtrum educto, quid circa infir-
mum fratrem ageretur, patefecit. Juſſus ergò Ricul-
phus ad ægrum rediit, & Anſelmus in ſecretiorem lo-
cum ſolus ſeceſſit. Poſt modicum, domum in qua
al. qui pa- frater * ſe male habebat, ingrediens, levata manu,
tiebatur ſignum ſanctæ crucis edidit dicens: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Ad quod factum ſtatim æger conquievit, * & exhilarato vultu, intimo cordis affectu Deo gratias agere cœpit. Dicebat enim quod Anſelmo oſtium ingrediente, & extenſa manu ſignum ſanctæ Crucis edente, viderit ex ore illius flammam ignis in modum lanceæ procedentem, quæ in lupo jaculata eos deterruit, & celeri fuga dilapſos procul abegit. Tunc Anſelmus ad Fratrem accedens
B
atque cum eo de ſalute animæ ſuæ ſecretiùs loquens, ad pœnitudinem & confeſſionem omnium, in quibus ſe Deum offendiſſe recordari valebat, cor ejus inclinavit, Paterna dehinc auctoritate à cunctis abſolutum, dixit eum hora qua Fratres ad nonam ſurgerent, præſenti vitæ * deceſſurum. Quod & factum eſt. Nam Monachis à lecto ſurgentibus, ipſe ad terram depoſitus eſt, & illis circa ipſum * ſub uno collectis, defunctus eſt.

al. diſceſſu-rum

Præfatus Riculphus ſecretarii officio in ipſo cœnobio fungebatur. Hic quadam nocte dum tempus & horam qua Fratres ad vigilias excitaret, per clauſtrum iens obſervaret, fortè ante oſtium capituli pertranſivit; introſpiciens verò, vidit Anſelmum in oratione ſtantem, ingenti ſplendentis flammæ globo
C
circumcinctum. Miratur, & quod videbat quid novi prætenderet ignorabat; æſtimabat enim Anſelmum
al. ex ea * ea hora ſopori potius, quàm orationi occupatum. * Ocius itaque dormitorium aſcendit, ad lectum Anſelmi vadit, ſed eum ibi nequaquam invenit. Regreſſus igitur, hominem in capitulo reperit, ſed globum ignis quem reliquerat, non invenit.

Alio quodam tempore eidem Anſelmo mandatum ab uno de Principibus Normaniæ eſt, quatenus ad
al. vellet ſe in Angliam tranſire * volentem, * cum propter alia
al. omis. negotia, tum ut ſua prece iter illius per marina pericula tueretur, * veniret. Aſcendit, jam dies mutui colloquii in veſperam declinabat, & Principem de
al. de hoſpitando Anſelmo nulla cura detinebat. Quod ubi Anſelmo innotuit, nihil ſuper * re cuiquam locutus, accepta licentia loco deceſſit. Eunti autem, & quo
D
diverteret incertum habenti (Beccus enim longè aberat) occurrit unus de Monachis Becci, volens illuc ire, quo eum ſciebat, Principis colloquio detineri. Interrogat ergo eum Anſelmus quo tendat, ac deinde quid conſilii de ſuo hoſpitio ferat. Reſpondit. Et quidem, Pater, hoſpitium qualecunque non longè habemus, ſed quid vobis & Fratribus præter panem & caſeum apponetur, * nihil habemus. At ille ſubridens,
al. ebrius bone vir, ait, ne timeas, imo * citus procede, & miſſo reti in vicinum amnem, ſtatim invenies piſcem qui ſufficiet omnibus nobis. Ille accepto mandato prævolat, accitoque * piſcatori, quid Anſelmus juſſerit, intimat, ac ut velocius rete in fluvium jactet, jubet,
E
hortatur & obſecrat. Admiratus ille, parere petenti moratur, ridendum potiùs quam attentandum quod dicebat fore, prænuncians. Tandem tamen à Fratre coactus, contra ſpem rete jecit, & illico tructam inſolitæ magnitudinis cum alio quodam piſciculo cæpit. Tertius piſcator ad factum & obſtupefactus, aſſeruit ſe jam per viginti annos receſſus aquæ illius rimaſſe, & nunquam hujuſmodi tructam in ea reperire potuiſſe. Parata igitur & viro appoſita, juxta verbum ejus ſibi & ſuis copiosè ſuffecit & ſuperabundavit. Alia vice, vir quidam Walterus nomine, cognomine Tirellus, eundem hominem per terram ſuam tranſeuntem detinuit, nolens eum à ſe impranſum dimittere. Verum cum ipſe de penuria piſcium conquereretur, & quod tanto viro ac Monachis ejus, niſi vilia quædam non haberet quæ apponerentur, alludens dixit ei Anſelmus: Sturio unus en tibi defertur, & animus tuus de deliciarum inopia queritur? Ridet ille, fidem his quæ audiebat præbere nullatenus valens. E veſtigio autem verborum Anſelmi duo ex hominibus viri attulerunt Sturionem unum prægrandem: quem in ripa fluminis Altijæ dixerunt à paſtoribus ſuis inventum, ſibique tranſmiſſum. Si ſpiritum Prophetiæ in his viro adfuiſſe quis dubitat; geſtæ rei veritas quid ſit, tenendum declarat.

His temporibus ſcripſit tractatus tres, ſcilicet *de veritate*, *de libertate arbitrii*, & *de caſu diaboli*: In quibus ſatis patet ubi animum fixerit, quamvis ab eis quæ aliorum cura expetebat, talium rerum conſideratione nullo ſe modo ſubtraxerit. Scripſit & quartum quem intitulavit *de Grammatico*: In quo cum diſcipulo quem ſecum diſputantem introducit, * diſputans al. diſputat cùm multas quæſtiones dialecticas proponit & ſolvit, tùm qualitates & qualia, quomodo ſint diſcretè accipienda exponit & inſtruit. Fecit quoque libellum unum quem *Monologium* appellavit. Solus enim in eo * & ſecum loquitur, ac tacita omni auctoritate divinæ Scripturæ, quid Deus ſit ſola * ratione quærit & in- al. omis. venit; & quòd vera fides de Deo ſentit, invincibili] ratione ſic nec aliter eſſe probat & aſtruit.

Poſt hæc incidit ſibi in mentem inveſtigare utrum uno ſolo & brevi argumento probari poſſet id quod de Deo creditur & prædicatur: videlicet quòd ſit æternus, incommutabilis, omnipotens, ubique totus, incomprehenſibilis, juſtus, pius, miſericors, verax, veritas, bonitas, juſtitia, & nonnulla alia, & quomodo hæc omnia in ipſo unum ſint. Quæ res, ſicut ipſe referebat, magnam ſibi peperit difficultatem. Nam hæc cogitatio partim illi cibum, potum, & ſomnum tollebat, partim & quod magis eum gravabat, intentionem ejus qua matutinis & alii ſervitio Dei intendere debebat, perturbabat. Quod ipſe animadvertens, nec adhuc quod quærebat ad plenum capere valens, ratus eſt hujuſmodi cogitationem, diaboli eſſe tentationem, niſuſque eſt eam procul repellere à ſua intentione. Verùm quantò plus in hoc deſudabat, tantò illum cogitatio ipſa magis ac magis infeſtabat. Et ecce quadam nocte inter nocturnas vigilias, Dei gratia illuxit in corde ejus, & res patuit intellectui, immenſoque gaudio & jubilatione replevit omnia intima ejus. Reputans ergo apud ſe hoc ipſum, & aliis ſi ſciretur poſſe placere, livore carens, rem illico ſcripſit in tabulis, eaſque ſollicitius cuſtodiendas uni ex Monaſterii Fratribus tradidit. Poſt dies aliquot, tabulas repetit à cuſtode. Quæruntur in loco ubi repoſitæ fuerant, nec inveniuntur. Requiruntur à Fratribus, ne fortè aliquis eas acceperit, ſed nequaquam. Nec enim huc uſque inventus eſt, qui recognoverit ſe quicquam inde ſciviſſe. Reparat Anſelmus aliud de eadem materia dictamen in aliis tabulis, & illas * eidem ſub cautiori cuſtodia tradit cuſtodiendas. Ille in ſecretiore parte lectuli ſui tabulas reponit, & ſequenti die nil ſiniſtri ſuſpicatus, eaſdem in pavimento ſparſas, ante lectum reperit, cerâ quæ in ipſis erat hac illac fruſtatim diſpersâ. Levantur tabulæ, cera colligitur, & pariter Anſelmo reportantur: Adunat ipſe ceram, &, licet vix, Scripturam recuperat. Veritus autem ne qua incuriâ penitus perditum eat, eam in nomine Domini pergameno jubet tradi. Compoſuit ergo inde volumen parvulum, ſed ſententiarum ac ſubtiliſſimæ contemplationis pondere magnum, quod * *Proſlogion* nominavit. Alloquitur etenim in eo opere aut ſeipſum, aut Deum. Quod opus, cùm in manus cujuſdam veniſſet, & is in quandam ipſius operis argumentationem non parum offendiſſet, * ra- al. iram tus eſt eandem argumentationem ratam non eſſe:

al. illam

quam refellere gestiens, quoddam contra * illam scriptum composuit, & illud fini ejusdem operis scriptum apposuit. Quod cùm sibi à quodam amico suo transmissum Anselmus consideratlet, gavisus est; & reprehensori suo gratias agens, suam ad hoc responsionem. edidit, eamque libello sibi directo subscriptam sub uno ei qui miserat amico remisit. Hoc ab eo & ab aliis, qui libellum illum habere dignantur petitum iri

vide var. lect.

desiderans, quatenùs in fine ipsius * operis, suæ argumentationis reprehensiæ, & reprehensionis sua responsio subscribatur. Inter hæc scripsit etiam quàm plures epistolas, per eas nonnullis ea, quæ secundùm

al. suarum

diversitatem causarum * sua intererant, procurare mandans, & nonnullis consilium de negotio suo quærentibus, pro ratione respondens. Et quidem de his quæ diversæ causæ scribi cogebant, mentionem facere supersedemus. Quid autem consilii cuidam Lanzoni, moviter apud Cluniacum facto Monacho, per unam mandaverit, huic operi inserere curavi, quatenus in hac una cognoscatur quid de aliis perpendatur. Scripsit itaque inter alia sic: *Ingressus es, Charissime, professusque Christi militiam; in qua non solùm apertè obsistentis hostis violentia est propellenda, sed & quasi consulentis astutia cavenda. Sepe namque dum ipsum Christi vulnere male voluntatis apertè malevolus non valet perimere, sitientem* eum poculo venenosæ

al. tamen

rationis malevolè callidus tentat extinguere. Nam cùm Monachum nequid obtinere, vitæ quam professus est odio, nititur eum conversationis in qua est subvertere fastidio. Et licet illi Monachicum propositum tenendum quasi concedat, tamen quia hoc sub talibus, aut inter tales, aut in eo loco cœpit, illum stultum nimis, imprudentemque multis modis versutiis arguere non cessat, ut dum illi persuadet incepto Dei beneficio ingratum existere, justo judicio nec ad meliora proficiat; nec quod accepit

al. utiliter

*teneat, aut in eo * inutiliter persistat. Quippe dum incessanter laboriosis cogitationibus de mutando, aut si mutari non valet, saltem de improbando initio meditatur, nunquam ad finem perfectionis tendere conatur. Nam quoniam illi fundamentum quod posuit displicet, nullatenus illi structuram bonæ vitæ superædificare libet. Unde fit ut quemadmodum arbuscula si sæpe*

al. transportetur. al conversatione.

*transplantetur, aut nuper plantata in eodem loco crebra * convulsione inquietetur: nequaquam radicare valens, ariditatem citò attrahit, nec ad aliquam fructus fertilitatem pervenit: sic infelix Monachus si sæpius de loco ad locum proprio appetitu mutatur, aut in uno permanens frequenter ejus odio concutitur, nusquam amoris stabilitus radicibus ad omne utile exercitium langescit, & nullâ bonorum operum ubertate ditescit. Cumque se nequaquam ad bonum, sed in malum proficere si fortè hoc recogitat, perpendit; omnem suæ miseriæ causam non suis, sed aliorum moribus injustus intendit, atque inde se magis ad odium eorum, inter quos conversatur, infeliciter accendit. Quapropter quicunque cœnobitarum fortè propositum aggreditur, expedit ei ut in quocunque Monasterio professus fuerit, si tale fuerit ut ibi malum facere invitus cogatur, tota mentis intentione amoris radicibus ibi radicari studeat, atque aliorum mores aut loci consuetudines, si contra divina præcepta non sunt, etiamsi inutiles videantur, dijudicare refugiat. Gaudeat se jam tandem invenisse ubi se non invitum, sed voluntarium tota vita mansurum, omni tranquillitatis solicitudine propulsa, deliberet: ut quietus ad sola pie vitæ exercitia exquirenda sedulo vacet. Quod si sibi videtur majora quedam ac utiliora spirituali fervore appetere, quàm illi præsentis Monasterii institutionibus liceat; æstimet aut se falli sive præferendo paria paribus, vel mi-*

al. minoribus

*nora * majoribus, sive præsumendo se posse quod non possit, aut certè credat se non meruisse quod desiderat. Quod si fallitur, agat gratias divinæ misericordiæ, qua ab errore suo defenditur, ne sine emolumento, aut etiam cum jactura locum vel vitæ ordinem mutando, inconstantiæ levitatisque frustra crimen subeat, aut majora suis viribus experiendo fatigatus, deterius in priora, aut etiam in pejora prioribus deficiat. Si autem verè meliora illis quæ in promptu sunt nondum meritus optat, patienter toleret divinum judicium, quod * alli aliquid iniustè non denegat, * neque mu-*

al. illi. al. tamen

*rmurando aut obloquendo Deum offendat, sed æquanimiter omnia sufferet, omnia ad meliora conatur deducere ferendo] ne per impatientiam judicem justum existimet mereatur quod non habet non accipere, & quod accepit amittere; aut * quia non amat, inutili-*

al. quod

*ter tenere. Seu verò misericordiam seu judicium erga se in illis quæ non habet & optat, persentiat; gaudeat ex his quæ accepit, largitati superna gratias dignas persolvat. Et quia ad qualemcunque portum de procellosis mundi turbinibus potuit pertingere, caveat in portu tranquillitatem ventum levitatis & impatientiæ turbinem * inducere; quatenus mens constantia & mansuetudine tutantibus quieta, divini timoris solicitudini & amoris delectationi sit vacua. Nam timor per solicitudinem custodit, amor verò per delectationem perficit. Scio quia hæc majorem aut scribendi aut colloquendi exigunt amplitudinem, ut plenius intelligatur, quibus scilicet dolis antiquus serpens ignarum Monachum in hoc genere tentationis illaqueet, & è contra quibus rationibus prudens Monachus * ejus c[illegible]las*

al. eas

*persuasiones dissolvat & annihilet: sed quoniam [illegible] brevitatem quam exigit epistola excessi, & totum quod hinc dixi, ante dicendum fuit, ad custodiendam mentis quietem pertinet, hujus * rei brevis exhortatio epi-*

al. omit.

*stolam nostram terminet. Nec putes, charissime, hæc me dicere idcircò quòd suspicer te aliqua mentis inquietudine laborare: Sed quoniam Dominus * Ursio*

al. Ursus

*cogit me aliquam admonitionem tibi scribere, nescio quid potius moneam, quàm cavere hoc sub specie rectæ voluntatis, quod scio Novitiis quibusdam solere * subrepere. Quapropter, amice mi & Frater dilectissime, consulit, monet, precatur te tuus dilectus dilector totis cordis visceribus, ut totis viribus quieti mentis studeas, sine qua nulli licet callidi hostis insidias circumspicere vel semitas virtutum angustissimas prospicere. Ad hanc verò Monachus qui in Monasterio conversatur, pertingere nullatenus valet sine constantia & mansuetudine, quæ mansuetudo indissolubilis comes est patientiæ; & nisi Monasterii sui institutum, quæ divinis non prohibentur mandatis, etiamsi rationem eorum non perviderit, ut religiosa studuerit observare. Vale, & omnipotens Dominus perficiat gressus tuos in semitis suis, ut non moveantur vestigia tua, ut in justitia appareas in conspectu Domini, & fatieris cùm apparuerit gloria ejus.*

Inter hæc, cùm jam & dictis & scriptis suis mores sui in nullo discordarent, totam suæ mentis intentionem in contemptum mundi composuisset, & his solis quæ Dei erant totum studium suum infixisset; contigit ut infirmitate correptus graviter affligeretur. Sed ipse in Deo semper * idem existens, languore paulisper se-

al. omit.

dato, extra se per mentis excessum raptus vidit fluvium unum rapidum atque præcipitem, in quem confluebant omnium * fluxuum purgaturæ, & quarum-

al. flumium

cunque rerum terræ lavaturæ. Videbatur itaque aqua ipsa nimis turbida & immunda, & omni spurcitiarum sorde horrida. Rapiebat igitur in se quicquid attingere poterat, & devolvebat tam viros quam mulieres, divites & inopes simul. Quod cum Anselmus vidisset, & tam obscœnam revolutionem illorum miseratus unde viverent, aut unde sitim suam refocillarent qui sic ferebantur, inquireret; accepitque responsum, eos * ea qua trahebantur aqua vivere delectarique, indi-

al. si inquit

gnantis voce * inquit: Quomodo? Tali ne aliquis cœno potatus, vel pro ipso hominum pudore se ferret? Ad hoc ille qui comitabatur eum, Ne miretis, ait, Torrens

mundi est quod vides, quo rapiuntur & involvuntur homines mundi; & adjecit: Vis-ne videre quid sit * verus monachatus? Respondit, volo: Duxit ergo illum quasi in conseptum cujusdam magni & ampli claustri, & dixit ei, Circumspice. Aspexit, & ecce parietes claustri illius obducti erant argento purissimo * & candidissimo.] Herba quoque mediæ planitiei virens erat & ipsa argentea, mollis quidem & ultra humanam opinionem delectabilis: * Hæc more alterius herbæ sub his qui in ea pausabant, leniter flectebatur, & surgentibus ipsis, & ipsa erigebatur. Itaque locus ille totus erat amœnus, & præcipua jucunditate repletus: hunc ergo ad inhabitandum elegit sibi Anselmus. Tunc ductor ejus dixit ei, eia vis videre quid sit patientia vera? Ad quod cùm ille magno cordis affectu gestiret, & se id quàm maximè velle responderet; adesse subitò reversus, & visionem, & B visionis demonstratorem dolens ac gemebundus pariter amisit. Duas autem quas viderat visiones intelligens, secumque revolvens, eo magis unius horrorem fugere, quo alterius amœnitate illuduit delectari. Totum ergo deinceps se se dedit in hoc, ut * verus monachus esset; & ut vitam monachicam firma ratione comprehenderet, aliisque * proponeret: Nec est privatus desiderio suo. Quod quidem, ut æstimo, aliquantum percipi poterit ex verbis ejus, quæ per vices huic opusculo indere rati sumus, juxta quod series gestæ rei quam suscepimus enarrare postulabit: Nec enim mihi videtur pleniter posse pertingi ad notitiam institutionis vitæ illius, si * descriptis actibus ejus quis vel qualis fuerit in sermone taceatur.

Quodam igitur tempore cùm quidam Abbas qui admodum religiosus habebatur, secum de his quæ monasticæ religionis erant loqueretur, ac inter alia de pueris in claustro nutritis verba * consereret, adjecit: Quid obsecro fiet de istis? Perversi sunt & incorrigibiles, die ac nocte non cessamus eos verberantes, & semper fiunt sibi ipsis deteriores. Ad * quæ miratus Anselmus non cessatis inquit, eos verberare? Et cùm adulti sunt, quales sunt? Hebetes inquit, & bestiales. At ille: * Quo bono omine nutrimentum vestrum expenditis; qui de hominibus bestias nutrivistis? Et nos, ait, quid possimus inde? Modis omnibus constringimus eos ut proficiant & nihil proficimus. Constringitis? * dic mihi, quæso Domine Abba, si plantam arboris in horto tuo plantares, & mox illam omni ex parte ita concluderes, ut ramos suos D nullatenus extendere posset, * cum eam post annos excluderes, qualis arbor inde prodiret? Profecto inutilis, inservis ramis & perplexis. Et hoc ex cujus culpa procederet nisi tua, qui eam immoderatè conclusisti? Certè hoc facitis de pueris vestris; plantati sunt per oblationem in horto Ecclesiæ ut crescant & fructificent Deo. Vos autem in * tantùm terroribus, minis, & verberibus undique illos coartatis, ut nulla sibi penitus liceat libertate potiri. Itaque indiscretè oppressi pravas & spinarum more perplexas * intra se cogitationes congerunt, fovent, nutriunt, tantaque eas in nutriendo * suffulciunt, ut omnia quæ illarum correctioni possent adminiculari obstinata mente subterfugiant. Unde fit, ut quia nihil amoris, nihil pietatis, nihil benevolentiæ, sive dulcedinis circa se in vobis sentiunt, nec illi alicujus * in vobis * boni postea fidem habeant sed omnia vestra ex odio & invidia contra se procedere E credant. Contingitque modo miserabili, ut sicut deinceps corpore crescunt, sic in eis odium & suspicio omnis mali crescat, semper proni & incurvi ad vitia. Cumque ad nullum fuerint in vera charitate nutriti, nullum nisi depressis superciliis, oculove obliquo valent intueri. Sed propter Deum vellem diceretis mihi, quid causæ sit quod eis tantum infesti estis? Nonne homines; nonne ejusdem naturæ sunt cujus vos estis? Velletis ne vobis fieri quod illis * infertis? si quidem quod sunt, vos * essetis? Sed esto. Solis eos percussionibus & flagellis ad mores bonos vultis * informare? Vidistis unquam artificem ex lamina auri vel argenti solis percussionibus imaginem speciosam formasse? Non puto. Quid tunc? Quatenus aptam formam ex lamina * formet, nunc eam suo instrumento leniter premit & percutit, nunc discreto levamine lenius levat & format. Sic & vos si pueros vestros cupitis ornatis moribus esse, necesse est ut cum depressionibus verberum impendatis eis paternæ pietatis & mansuetudinis levamen atque subsidium. Ad hæc Abbas: Quod levamen? quod subsidium? Ad graves & maturos moles illos constringere laboramus. Cui ille: Bene quidem. Et panis & quisque solidus cibus utilis & bonus est, eo uti valenti. Verùm subtracto lacte ciba inde lactentem infantem, & videbis eum magis ex hoc strangulari, quàm recreari. Cur hoc? Dicere nolo, quoniam claret. Attamen hoc tenete, quia sicut fragile & forte corpus pro sua qualitate habet cibum suum; ita fragilis & fortis anima habet pro sui mensura victum suum. Fortis anima delectatur & pascitur solido cibo, patientia scilicet in tribulationibus, non concupiscere aliena, percutienti unam maxillam præbere alteram, orare pro inimicis, odientes diligere, & multa in hunc modum. Fragilis autem & adhuc in Dei servitio * tenera, lacte indiget, mansuetudine videlicet aliorum, benignitate, misericordia, hilari advocatione, charitativa supportatione, & pluribus hujusmodi. Si taliter vestris & fortibus & infirmis vos coaptatis; per Dei gratiam omnes, quantum vestra refert, * Deo acquiretis. His Abbas auditis ingemuit dicens: Verè erravimus à veritate, & lux discretionis non luxit nobis. Et cadens in terram ante pedes ejus se peccasse, se reum esse confessus est, veniamque de præteritis petiit, & emendationem de futuris repromisit. Hæc idcirco diximus, quatenus per hæc quàm piæ discretionis & discretæ pietatis in omnes fuerit agnoscamus.

Talibus studiis intendebat, in istis Deo serviebat; per hæc bonis omnibus valde placebat. Unde bonâ famâ ejus non modo Normannia tota est respersa, verùm etiam Francia tota, Flandria tota, * contiguæque his * terræ omnes: quin & mare transiit Angliamque replevit. Exciti sunt quaque gentium multi nobiles, prudentes Clerici, strenui milites atque ad eum confluxêre, seque & sua in ipsum monasterium servitio Dei tradidêre. Crescit cœnobium illud intus & extra, intus in sancta religione, extra * id multimoda possessione. Cum verò Abbas Herluinus, cujus supra meminimus, jam decrepitus monasterii causis intendere & opem ferre non valeret, quicquid agi oportebat sub Anselmi, ut pote Prioris, dispositione fiebat. Exigentibus igitur multiplicibus causis, eum foras monasterium ire sæpe necesse fuit. Cui dum nonnunquam equi * & alia quæ sunt equitaturis necessaria deessent, præcepit Abbas ei omnia quæ opus erant parari, & illi soli sicut propria ministrari. At ille ad nomen proprietatis inhorruit, & reversus de itinere quæque * sibi specialiter fuerant præparata, in viam ituris communiter exponi jussit, nec propter secuturam quam fortan erat passurus penuriam, unquam se retraxerit, quin ex sua copia cæterorum suppleret inopiam. Nec mirandum cum jam mundo * illuserat eum se fratribus talem exhibuisse, cùm sicut ipsemet referre solitus erat, etiam quando adhuc in sæculari vita degebat, eo circa alios amore fervebat, ut quemcunque sui ordinis minus se habentem videret, ejus inopiam de abundantia sua libens pro posse suppleret. Jam tunc enim ratio illum docebat omnes divitias mundi pro communi hominum utilitate ab uno omnium patre creatas, & secundum naturalem legem nihil rerum magis ad hunc quàm ad istum pertinere. Taceo quòd illi sæpe plura auri & argenti pondera à nonnullis sunt oblata, quatenus ea in suos suorumque usus susciperet, servaret, dispen-

al. vere
al. inter.
al. hæc
al. vere
al. proponeret
al conferret
al. quem
vide var. lect.
al dic, quæso mi
al. omnium
al. ipsa
al sufficiunt
al. emit.
al. facilis
al. mirare
al. agere
al. terra omnis.
al. illuserat

disponderet : quæ ipse nulla patiebatur ratione susci- A pere ; nisi forte communi Fratrum utilitati profutura Abbati præsentarentur. Sed cùm is qui sua offerebat, è contra diceret, se nullam tunc voluntatem habere ut Abbati vel Monachis aliquid daret, nisi ei soli ; referebat ille se talium opus non habere, nec aliter à quoquam velle quicquam accipere. Illud autem breviter dico, quòd inter hujuscemodi studia die quadam, dum ad lectum suum in dormitorio diverteret, annulum aureum in eo insperatus invenit, & admodum miratus est. Reputans ergo apud se, ne forsè aliquis eorum, qui res Monasterii procurabant, quovis eventu eundem annulum ibi reliquerit, levavit eum, & singulis ostendit. Mirantur illi, & se rei conscios omnino negant. Ostenditur aliis atque aliis, sed hucusque nullus fuit, qui recognoverit unde vel à quo illuc de- B latus sit. Et tunc quidem annulus in * opus Ecclesiæ expensus est, & res ita remansit. Postmodum verò cum ipse Anselmus ad Pontificatum sumptus est, fuerunt qui hoc ipsum per annulum illum jam tunc quodam præsagio præsignatum fuisse affererent. Nos autem quæ gesta sunt, simplici tantùm stilo digerimus.

Invitabatur præterea à diversis Abbatiis, quatenus ibi & publicè in capitulo Fratribus, & secum privatim loqui volentibus, verba vitæ ministraret. Namque solemne extiterat omnibus, ut quicquid ab ore illius foret auditum, sic haberetur quasi planè divinum responsum. Unde requirendi consilii gratiâ, ex diversis ad eum locis festinabatur. Quæ res invidia gravi
al. vulnera-bat diabolum * vulneravit. Nonnullos ergo quos ab ea intentione secreta fraude non poterat, manifesta increpatione avertere machinabatur. Exempli causa, miles quidam erat, Cadulus nomine. Hic quadam vice vigiliis & orationibus Deo intentus audivit diabolum sub voce scutarii sui extra Ecclesiam in qua erat vociferantem, & turbato murmure equos & omnia sua fracto hospitio à latronibus jam tunc direpta esse, atque abducta conquerentem, nec aliquid eorum ulterius recuperandum, ni citius accurreret. * Ad quæ cùm ille nequaquam moveretur, majus videlicet damnum deputans orationi cedere, quàm sua perdere ; dolens diabolus se despectum, in speciem ursi demutatus est, & Ecclesiæ per tectum dilapsus, ante ipsum præceps corruit, ut horrore saltem & fragore sui casus virum
al. perturba-bat à cœpto * proturbaret. Sed miles immobilis permanet, D & monstrum securus irridet. Post quæ statum vitæ suæ proposito sanctiori fundare desiderans Anselmum adiit, consilium ejus super hoc addiscere cupiens. Verùm dum ad ipsum vadens iter acceleraret, ecce malignus hostis humanam vocem ex adverso edens, in hæc verba prorupit. Cadule, Cadule, quo tendis ? Igitur cùm ille ad vocem hanc subsisteret, scire volens quis esset qui talia diceret repetivit dæmon, & ait : Quo tendis Cadule ? Quid * te tantopere Priorem illum hypocritam * cogit adire ? Opinio siquidem ejus omnino alia est à conversatione vitæ illius. Quapropter suadeo, consulto ut celeriùs redeas, ne seductus ab * eo stultitia, qua modò, traheris, illaqueeris. * Hypocrisis namque sua jam multos decepit, & spe vana delibutos E suis vacuos & immunes effecit. Hæc ille audiens, & dæmonem esse qui loquebatur recognoscens, signo se crucis munivit, & spreto hoste, quo proposuerat ire, perrexit. Quid plura ? Audito Anselmo, abnegato seipso & sæculo religiosæ vitæ se tradidit, & apud majus Monasterium Monachus factus est. Hunc etenim usum Anselmus habebat, ut nunquam alicujus commodi causâ suaderet alicui sæculo renuntiare volenti, quatenus in suo Monasterio potius quàm in alieno id faceret. Quod nimirum eo intuitu, ea consideratione faciebat, ne ullus postmodum loco quem ex propria deliberatione non intraverat, aliqua ut fit pulsatus molestia detraheret, & scandali sui ac impatientiæ murmur persuasioni illius imputaret, itaque se aliis & alios sibi ad multa divisus graves efficeret.

Defuncto, sæpe superiùs nominato, Abbate Herluino, uno * omnium Fratrum Beccensium consensu in Abbatem eligitur. Quod ipse omni studio subterfugere gestiens, multas & diversas rationes ne id fieret obtendebat. Sed illis nec auditum quidem rationibus ejus patienter accommodare volentibus, anxiatus est in eo spiritus ejus, & quid ageret ignorabat. Transierunt in illis dies quidam. Verùm ubi Anselmus vidit se Monachorum unanimem constantiam non posse verbis mutare, tentavit si quomodo eam valeret vel precibus inclinare. His itaque * Priore sub uno constitutis, ac ei ut, omissis objectionibus solitis, Abbas fieri adquiesceret instistentibus, ille flens & miserandos singultus edens, prosternitur in faciem coram omnibus, orans & obtestans eos per nomen Dei omnipotentis, per si qua in eis erant * pietatis viscera, quatenus respectu * misericordiæ Dei super eum intendant, & ab incepto desistentes se à tanto onere quietum manere permittant. At illi omnes è contra in terram prostrati, orant ut ipse potius loci illius & eorum misereatur, ne postposita utilitate communi se solum præ cæteris singulariter amare convincatur. Acta sunt de his utrinque plurima in hunc modum : sed jam nunc eis istum ponimus dicendi modum. Vicit tandem diligens * importunitas & importuna diligentia Fratrum jugum Domini sub ejus regimine ferre volentium : vicit quoque & multò maximè vicit præceptum, quod, ut suprà retulimus, ei fuerat ab Archiepiscopo Maurilio per obedientiam injunctum, videlicet, ut si major Prælatio quàm illius Prioratus extiterat, ipsi aliquando injungeretur, nullatenus eam suscipere recusaret. Nam sicut ipse testabatur, nunquam se Abbatem fieri consensisset, nisi eum hoc quod dicimus imperium ad hoc constrinxisset. Tali ergo violentia est Abbas effectus, ac Becci debito cum honore sacratus. Qualem verò se deinceps in cunctis sanctarum exercitiis virtutum exhibuerit, inde colligi potest, quòd nunquam de retroacta sanctitatis suæ conversatione causa Abbatiæ aliquid minuit, sed semper de virtute in virtutem, ut Deum deorum in Sion mereretur videre, conscendere studuit.

al. omnium

al. misericordiæ dicte

al. pietatis

al. dicendi

Delegatis itaque Monasterii causis curæ ac solicitudini Fratrum, de quorum vita & strenuitate certus erat, ipse Dei contemplationi, Monachorum eruditioni, admonitioni, correctioni jugiter insistebat. Quando autem aliquid magni in negotiis Ecclesiæ erat agendum quod in ejus absentia non æstimabatur oportere definiri, tunc pro tempore & ratione negotium quod imminebat, mediante justitia disponebat. Abominabile quippe judicabat, si quidvis lucri assequeretur ex eo quod alius contra moderamina juris * quavis astutia perdere posset. Unde neminem in placitis patiebatur à suis aliqua fraude circumveniri, observans ne cui faceret quod sibi fieri nollet. Hinc procedebat quod inter placitantes residens, cùm adversarii ejus per sua consilia disquirerent quo ingenio, quave calliditate, suæ causæ adminiculari, & illius valerent fraudulenter insidiari ; ipse talia nullatenus curans, eis qui sibi volebant intendere aut de Evangelio, aut de aliqua alia divina Scriptura, aut certè aliquid de informatione morum bonorum differebat. Sæpe etiam cùm hujusce auditores deerant, suaviter in sui cordis puritate quiescens, corpore dormiebat. Eveniebatque nonnunquam ut fraudes subtili machinatione compositæ, mox ubi sunt in audientiam illius delatæ, non quasi à dormiente, qui tunc erat, sed sicut à perspicaciter vigilante & intendente sint detectæ atque dissectæ. Charitas enim quæ non æmulatur, quæ non agit perperam, quæ non quærit quæ sua sunt, in eo vigebat, per quam quæ videnda erant veritate monstrante extemplo perspiciebat.

Quam vigil autem atque solicitus fuerit circa hos-

Digitized by Google

al. humilitatis

pium ſuſceptionem, eorumque in omni * humanitatis officio relevationem, ex eo probatur quod illum pio ſtudio in hoc & ſe & ſua novimus expendiſſe: Se in omni hilaritate, ſua in omni largitate. Quod ſi aliquandò ad refectionem corporum victus omnino pro voto ſuo non ſufficiebat, hoc quod deerat ejus bona voluntas & vultus alacritas apud hoſpites gratiosè ſupplebat. Præterea nonnunquam cibus Fratrum ſuo juſſu de refectorio ſublatus, & hoſpitibus eſt allatus atque appoſitus. Neque enim tunc in promptu aliud erat, quod eis aptè poſſet apponi.

Victus autem Monachorum ita Deo providente diſpenſabatur, ut nihil eorum quæ neceſſitas expetebat illis deeſſet; licet ſæpiſſime in hoc eſſent, ut timeretur ne in craſtinum eis cuncta deeſſent: Sicque nonnunquam inter aliquid & quaſi nihil ferebantur, ut aliquid eis non ſuperflueret; & quod erat quaſi nihil eos nequaquam per inopiam fatigaret. Quod penitus illis contingebat ſecundùm verba ſui patris, qui ea prædicebat, dum miniſtri Eccleſiæ apud eum querebantur de formidine imminentis neceſſitatis: frequenter namque à * Cellerariis, à Camerariis, à ſecretariis aditus eſt, & quid conſilii contra penuriam quæ cujuſque obedientiam pellundabat daret inquilitus. Quibus cùm reſponderet, Sperate in domino, & ſpero quia ipſe neceſſaria vobis quæque miniſtrabit; mirabili modo non ſecus eveniebat in re, quàm ipſe dicebat ſe habere in ſpe. Videres enim poſt hæc verba ſtatim ipſa die vel certè ſequenti mane, ſive quod falli non poterat, priuſquam penuria aliquo * ullum affligeret, ut naves de Anglia oneratas omni copia in uſum * illorum juxta appelli, aut quemlibet de divitibus terræ Fraternitatem Eccleſiæ quærentem cum magna pecunia adventare; aut aliquem relinquere mundum volentem, ſe & ſua in Monaſterium offerre; aut denique aliunde aliquid apportari, unde per plurimos dies neceſſaria quæque poterant miniſtrari.

Habebat præterea ipſum cœnobium plures poſſeſſiones in Anglia, quas pro communi Fratrum utilitate neceſſe erat per Abbatis præſentiam nonnunquam viſitari. Ipſo itaque ſuæ ordinationis anno, Anſelmus in Angliam profectus eſt. * Ad quod licet hæc, quam dixi, ſatis firmâ cauſâ exſtiteret; alia tamen erat non infirmior iſta, videlicet ut reverendum Lantfrancum, cujus ſuprà meminimus, videret; & cum eo de his, quæ corde gerebat, familiari affatu ageret. Ipſe ſiquidem venerabilis vir jam de Abbate Cadomenſi factus fuerat Archiepiſcopus Cantuarienſis omnibus valde honorabilis & ſublimi probitate conſpicuus.

Cùm igitur Anſelmus tranſito mari Cantuariam veniret, pro ſua reverentia & omnibus nota ſanctitate, honorificè à conventu Eccleſiæ Chriſti in ipſa civitate ſitæ ſuſceptus eſt. Pro quo honore nolens ingratus exiſtere, poſtmodum ipſi Monachorum conventui à gratiarum actione inchoans, procedente in hoc verborum ſerie de charitate locutus eſt, rationabiliter oſtendens eum qui charitatem * erga alterum] habet, majus aliquid habere, quam * illum ad quem charitas ipſa habetur: ipſe enim inter alia, inquit, qui charitatem habet, hoc unde Deus ei ſcit gratias habet; ille verò ad quem tantummodo habetur, minime. Quas etenim gratias mihi debet Deus, ſi tu me vel quilibet alius diligit? * Quod ſi majus eſt habere hoc unde Deus ſcit homini grates, quàm hoc unde nullas; cùm pro habita charitate gratias ſciat, pro ſuſcepta non adeò; colligitur eum qui charitatem erga alium habet, majus quid habere quàm ipſum cui impenditur. Ampliùs: Is cui dilectio alterius ſervit, ſolius commodi munus perfunctorie ſuſcipit, verbi gratia: honorem unum, beneficium unum, prandium unum, vel quodlibet officii genus in hunc modum. Alius verò charitatem quæ commodi munus exhibuit, ſibi retinuit. Quod in vobis & in me, ſanctiſſimi Fratres, libet in præſenti conſiderare. Ecce unum charitatis officium mihi impendiſtis. Impendiſtis, inquam, mihi charitatis officium unum, & à me jam ipſum officium tranſiit; charitas verò ipſa, quæ Deo eſt grata, vobis remanſit. Nonne melius judicatis bonum permanens bono tranſeunti? Adhæc ſi ex ipſo officio circa vos aliquid charitatis in me crevit, & hoc ipſum vobis ad cumulum retributionis erit, qui feciſtis unde mihi tantum bonum provenit. Si non vobis * tamen charitas veſtra remanſit, à me officium quod exhibuiſtis penitus tranſiit. Hæc igitur ſi recta conſideratione attendimus, profecto perſpiciemus magis nobis eſſe gaudendum, ſi alios diligimus, quàm ſi diligimur ab aliis. Quod quia non omnes faciunt, multi potius ab aliis amari, quàm amare alios cupiunt. Hæc & hujuſmodi multa locutus eſt, & accepta Fraternitate Monachorum, factus eſt inter eos unus ex eis. Degens per dies aliquot inter eos & quotidie, aut in capitulo, aut in clauſtro mira quædam & illis adhuc temporibus inſolita de vita & moribus Monachorum coram eis rationabili facundiâ diſſerens. Privatim quoque aliis horis agebat, cum his qui profundioris ingenii erant, profundas eis de divinis nec non ſecularibus libris quæſtiones proponens, propoſitaſque exponens. Quo tempore & ego ad ſanctitatis ejus notitiam pervinere merui, ac pro modulo parvitatis meæ beata illius familiaritate utpiote adoleſcens, qui tunc eram, non parum potiri.

al. unum

Inter reverendum autem Pontificem Lantfrancum, & hunc Abbatem Anſelmum quid in illis diebus actum dictumve ſit, planum eſt intelligere his qui vitam & mores noverunt utrorumque. Qui verò non noverunt, ex eo intelligant quod, in quantum noſtra & multorum fert opinio, non erat illo tempore ullus qui aut Lantfranco in auctoritate vel * multiplici rerum ſcientia, aut Anſelmo præſtaret in ſanctitate vel Dei ſapientia.

al. utplici

Erat præterea Lantfrancus adhuc quaſi rudis Anglus, necdumque ſederant animo ejus quædam inſtitutiones, quas repererat in Anglia. Quapropter cùm plures de illis magna fretus ratione, * tum quaſdam] mutavit ſola auctoritatis ſuæ deliberatione. Itaque dum illarum mutationi intenderet, & * Anſelmum unanimem ſcilicet amicum & fratrem ſecum haberet, quadam die familiariùs cum eo loquens, dixit ei: Angli iſti, inter quos degimus, inſtituerunt ſibi quoſdam quos colerent ſanctos. De quibus cùm aliquando qui fuerint, ſecundùm quod ipſimet referunt, mente revolvo; de ſanctitatis eorum merito animum à dubietate flectere nequeo. Et ecce unus illorum eſt in ſancta, cui * nunc Deo auctore præſidemus ſede quieſcens, Elfeguſ nomine, vir bonus quidem, & ſuo tempore * gradui Archiepiſcopatus prætidens ibidem. Hunc non modo inter ſanctos, verum * & inter martyres numerant; licet eum non pro confeſſione nominis Chriſti, ſed quia ſe pecunia redimere non voluit, occiſum non negent. Nam cùm illum, ut verbis utar Anglorum, æmuli ejus & inimici Dei pagani cepiſſent; & tamen pro reverentia illius ei poteſtatem ſe redimendi conceſſiſſent, immenſam pro hoc ab eo pecuniam expetiverunt. Quam quia nullo pacto poterat habere, niſi homines ſuos eorum pecunia ſpoliaret & nonnullos forſitan inviſæ * mendicitati ſubjugaret; elegit vitam perdere, quàm eam tali modo cuſtodire. Quid hinc igitur tua Fraternitas ſentiat, audire deſidero. Et quidem ille, ſicuti novus Angliæ civis, hæc ſummatim perſtringens Anſelmo propoſuit.

al. amic.

al. Anſelmus

al. nos

al. amic.

Attamen cauſam necis beati Elfegi hiſtorialiter intuentes videmus non illam ſolam, ſed aliam fuiſſe iſta antiquiorem. Denique non ideo tantum quia ſe pecuniâ redimere noluit, ſed etiam quia paganis perſecutoribus ſuis civitatem Cantuariam & Eccleſiam Chriſti in ea ſitam concremantibus, * civeſque innocuos atroci morte necantibus] Chriſtiana libertate obſiſtere

eosque à sua infidelitate convertere nisus, est ab eis captus, & crudeli exanimatione est occisus.

Sed Anselmus, ut vir prudens, viro prudenti juxta interrogationem sibi propositam simpliciter ita respondit, dicens: Palam est * quod is, qui ne leve quidem contra Deum peccatum admittat mori non dubitat; multò maximè mori non dubitaret, priusquam aliquo gravi peccato Deum exacerbaret. Et revera gravius peccatum videtur esse Christum negare, quàm quemlibet terrenum Dominum pro redemptione vitæ suæ homines suos per ablationem pecuniæ illorum ad modicum gravare. Sed hoc quod minus est, Elfegus noluit facere. Multò igitur minùs Christum negaret, si vesana manus eum ad hoc mortem * intentando constringeret. Unde datur intelligi miram pectus ejus justitiam possedisse, quando vitam suam maluit dare, quàm, spreta charitate, proximos suos scandalizare. Quamobrem longè fuit ab eo illud væ, quod Dominus minatur ei, per quem scandalum venit. Nec immerito, ut reor, inter martyres computatur, qui pro tanta justitia mortem sponte sustinuisse veraciter prædicatur. Nam & beatus Johannes Baptista, cui præcipuus martyr & veneratur & creditur à tota Dei Ecclesia, non quia Christum negare, sed quia veritatem tacere noluit, occisus est. Et quid distat inter mori pro justitia & mori pro veritate? Amplius: Cum testante sacro eloquio, ut vestra paternitas optimè novit, Christus veritas & justitia sit; qui pro justitia & veritate moritur, pro Christo moritur: Qui autem pro Christo moritur, Ecclesia teste, martyr habetur. Beatus verò Elfegus æquè pro justitia, ut beatus Johannes passus est pro veritate. Cur ergo magis de unius quam de alterius vero sanctoque martyrio quisquam ambigat, cùm par causa in mortis perpessione utrumque detineat? Hæc me quidem, reverende Pater, in quantum * perspicere possum, rata esse ipsa ratio docet, attamen vestræ prudentiæ est, & me si aliter sentit ab hoc corrigendo revocare, & quid potissimum in tanta re sentiendum sit, Ecclesiæ Dei docendo monstrare. Ad quod Lantfrancus: Fateor, inquit, subtilem perspicaciam, & perspicacem subtilitatem ingenii tui vehementer approbo & veneror, firmaque ratione tua edoctus beatum Elfegum ut verè magnum & glorioſum martyrem Christi deinceps me colere & venerari ex corde, gratia Dei juvante, confido: quod ipse postmodum devotè exercitus est, quin & historiam vitæ ac passionis ejus diligenti studio fieri præcepit. Quam quidem historiam non solùm plano dictamine ad legendum, verùm etiam musico modulamine ad canendum à jucundæ memoriæ Osberno Cantuariensis Ecclesiæ Monacho ad præceptum illius nobiliter editam, ipse sua prudentia pro amore illius martyris celsius insignivit, insignitam auctorisavit, auctorisatam in Ecclesia Dei legi cantarique instituit, nomenque Martyris hac in parte non parum glorificavit.

Posthæc Anselmus ad agenda propter quæ venerat, terras Ecclesiæ Beccensis per Angliam adiit, utilitati Monachorum suorum per omnia studiosè secundùm Deum serviens. Vadens autem & ad diversa Monasteria Monachorum, Canonicorum, Sanctimonialium, nec non ad curias quorumque nobilium, prout * eum ratio ducebat perveniens, lætissimè susciperebatur, & suscepto quæque charitatis obsequia gratissimè ministrabantur. Quid ille? Solito more cunctis se jucundum & affabilem exhibebat, moresque singulorum in quantum sine peccato poterat, in se suscipiebat. Nam juxta Apostolum his qui sine lege erant tanquam sine lege esset, cùm sine lege Dei non esset, sed in lege Christi esset, se coaptabat, ut lucrifaceret eos qui non modo sine lege, ut putabatur beati Benedicti, sed & eos qui seculari vitæ dediti in multis vivebant sine lege Christi. Unde corda omnium miro modo in amorem ejus vertebantur, & ad eum audiendum famelica aviditate replebantur. Dicta etiam sua sic unicuique hominum ordini conformabat, ut auditores sui nihil moribus suis concordius dici posse faterentur. Ille Monachis, ille Clericis, ille Laïcis, ad cujusque propositum sua verba dispensabat. Monachos ut ne minima quidem sui Ordinis contemnerent admonebat, contestans * quia per contemptum minimorum ruerent in destructionem & despectum omnium bonorum. Quod dictum sub exemplo vivarii proponebat; dicens clausuram illius districtioni Ordinis monastici assimilari: Quandoquidem, inquit, sicut pisces decurrente aqua vivarii moriuntur, si clausuræ ipsius minutatim ac sæpe crepant nec reficiuntur: ita omnis Religio Monastici Ordinis funditus perit, si custodia ejus per modicarum contemptum culparum paulatim à fervore sui tepescit, attestante Scriptura quæ ait: *Qui modica despicit, paulatim decidit.*

Clericos quoque qualiter se in sorte Dei custodire deberent instruebat, eisque magnopere esse cavendum, ne si à sorte Dei caderent, in sortem diaboli per neglectum conversationis & Ordinis sui deciderent.

Conjugatos etiam qua fide, qua dilectione, qua familiaritate, tam secundùm Deum, quàm secundùm sæculum sibi invicem copulari deberent edocebat: virum quidem ut suam uxorem sicut seipsum diligeret, nec præter illam aliam nosset, ejusque sicut sui corporis absque omni sinistra suspicione curam haberet. Mulierem verò quatenus viro suo cum omni subjectione & amore obtempetaret, eumque ad bene agendum sedula incitaret, nec non animum ejus si fortè contra æquum in quemquam tumeret, qua affabilitate mitigaret.

Hæc autem quæ eum vel admonuisse, vel instruxisse, vel edocuisse dicimus, non eo ut aliis mos est docendi modo exercebat, sed longè aliter singula* quæque sub vulgaribus & notis exemplis proponens, solidæque rationis testimonio fulciens, ac remota omni ambiguitate, in mentibus auditorum deponens. Lætabatur ergo quisquis illius colloquio uti poterat, quoniam in eo quodcunque petebatur divinum consilium in promptu erat. Hinc eum omnis sexus & ætas mirabatur, & mirando amplectebatur, quoque potentior * aliisque præstantior, eo magis quisque erat ad ministrandum ei devotior atque proclivior. Non fuit Comes in Anglia seu Comitissa, vel ulla persona potens, quæ non judicaret se sua coram Deo merita perdidisse, si contingeret se Anselmo Abbati Beccensi gratiam cujusvis officii tunc temporis non * exhibuisse. Rex ipse Wilhelmus, qui armis Angliam ceperat, & ea tempestate regnabat, quamvis ob magnitudinem sui cunctis ferè videretur rigidus ac formidabilis; Anselmo tamen ita erat * inclinus & affabilis, ut ipso præsente omnino quàm esse solebat stupentibus aliis fieret alius.

Pro sua igitur excellenti fama Anselmus * totius Angliæ partibus notus, ac pro reverenda sanctitate charus cunctis effectu, iter repetendi Normanniam ingreditur ditatus multiplici dono, quod honori ac utilitati Ecclesiæ suæ usque hodie servire dignoscitur. Familiaris ergo ei dehinc Anglia facta est, & prout diversitas causarum * ferebat, ab eo frequentata. Ut autem omnipotens Deus demonstraret se gratiæ ipsius quam invenerat apud homines esse auctorem, & illum apud se quàm apud homines gratiam invenisse potiorem, quosdam viros per vilum dignatus est visitare, & qualiter per eum ab infirmitate, qua nimis graviter vexabantur, convalescerent edocere. Horum * quos dico, duos qui inter suos non ignobilis famæ erant, exempli causâ, proponam, qui sicut à veridicis ipsius Monasterii, cujus Abbas diu extiterat, Monachis accepi, in eodem * ipsius Monasterio illis præsentibus per eum curati sunt.

Quidam igitur vir nobilis & strenuus in confinio Pontivi ac Flandriæ præpotens habebatur. Hic

* al. habuisse

* al. inclinatus

in corpore lepra percuſſus, eo majori mœrore afflictus eſt, quo ſe & a ſuis contra dignitatem natalium ſuorum pro obſcœnitate tanti mali deſpici deſerique videbat. Converſus itaque ad Deum eſt, & crebris orationibus cum eleemoſynarum largitionibus opem ab eo precabatur. Una igitur noctium ei per viſum quidam apparuit, monens ut ſi priſtinæ ſanitati reſtitui vellet, Beccum iret, & apud Abbatem Anſelmum efficeret quatenus aquam, unde manus inter Miſſam ſuam lavaret, in potum illi conferret. Qui viſioni credulus quo monebatur, impiger tendit, atque Anſelmo cur adveniret ſecretò innotuit. Stupet ille ad verba, & hominem ut talibus deſiſtat multis modis adjuvat. At ipſe in precibus perſtat, & multò magis ut ſibi miſereatur exorat, nec patiatur ut ea medecina fraudetur, unde ſibi * celerem ſalutem affuturam pro divino promiſſo credebat. Quid plura? Vicit pietas pectus humilitatis, & pro homine Deum poſtulaturus matutino tempore Miſſam ſecretius celebrat. Admittitur æger, & quam petebat aquam de manu viri accepit. Quæ in potum illico ſumpta, & hominem morbidum integerrimæ ſanitati reſtituit, & in laudem Dei multorum ora diſſolvit. Clam itaque virum qui venerat à ſe Anſelmus emiſit, denuntians ei in nomine Domini ne unquam hoc factum ſibi aſcriberet, ſed ſola divina miſeratione perfectum eſſe certiſſimè ſciret, & hoc ita eſſe tacita funditus mentione ſuæ perſonæ ſciſcitantibus reſponderet.

Quo etiam tempore quidam Frater de Congregatione, valida corporis infirmitate percuſſus, ad extrema deductus eſt. Huic in ſomno quidam aſtitit, & quòd vitam atque ſalutem recuperaret, ſi aqua ab Anſelmo ſanctificata aſpergeretur, ipſi promiſit: æger * ergo Anſelmum ſe viſitantem * ſecundùm viſionem, de aqua precatus eſt, & voluntatis compos effectus, eveſtigiò ſanitati reſtitutus eſt. Hæc pro oſtendenda gratia viri paucis * interim dicta ſint. Attamen de gratia quam meruerat apud homines, non multùm his qui mores illius novere mirandum video, propterea quòd quædam appetibilis ſuavitatis ubicunque erat ex converſatione ejus emergebat, quæ in amicitiam illius ac familiaritatem cunctos agebat. Ipſius etenim ſtudii ſemper erga omnes extiterat, ut ea potiſſimum ageret, quæ aliis magis commoda eſſe poſſe intelligebat. Unde cùm interrogaretur quid emolumenti *acquirerent, qui ſervata æquitate aliorum voluntati in quibuſcunque poſſent concordare ſatagerent; quidve detrimenti incurrerent, qui ſuam potius quàm * cæterorum voluntatem implere ſtuderent, hoc modo reſpondebat. Qui aliorum voluntati concordare per omnia in bono nititur, hoc apud juſtum judicem Deum meretur, ut quemadmodum ipſe aliorum voluntati in hac vita, ita Deus * & omnia ſecum ſuæ voluntati concordent in alia vita. Qui verò aliorum voluntate contemptâ ſuam implere contendit, id ejuſdem judicis ſententiâ damni ſubibit, ut quoniam ipſe in vita præſenti voluntati nullius; nullus quoque in futura velit, aut debeat concors eſſe voluntati illius. Eadem quippe menſura, qua quiſque aliis menſus fuerit, remetietur ei. Hujus igitur rationis Anſelmus conſideratione ſubnixus, nulli gravis, nulli volebat oneroſus exiſtere, etiamſi à Monachicæ inſtitutionis auſteritate hac de cauſa deberet aliquantulum temperare. Et quidem ut eum diſcretionis ordo docebat, nonnunquam ab ipſa ſeveritate aliis condeſcendendo temperabat. In quo quid hi ſenſuri ſint, qui poſt nos * iſta fortaſſis lecturi vel audituri ſunt, * præſcire non poſſumus. Nos tamen qui vitæ illius modum ſcire meruimus, magis in eo laudandum æſtimamus, quod à rigore ſui propoſiti aliquando pro ratione deſcendebat, quàm ſi continuè in ipſo rigidus indiſcretè perſiſteret. Ratione ſiquidem agi virtutis eſt, vitii verò contra.

Inter hæc quidam Clericus ætate juvenis, Boſo nomine, Beccum venit, Abbatis colloquium expetens. Erat enim idem acer ingenio, & quibuſdam perplexis quæſtionibus involverat animum, nec reperire quemquam poterat, qui eas ſibi ad votum evolveret. Loquens igitur cum Anſelmo, ac nodos ei ſui cordis depromens, omnia quæ deſiderabat ab eo ſine ſcrupulo * deceptionis accepit. Miratus ergo hominem eſt, & * al. diſceptanimio illius amore devinctus. Dehinc ergo cùm ejus tionis allocutione familiariter potiretur, illectus ad contemptum ſæculi emenſo brevi ſpatio, Becci Monachus factus eſt. Cujus converſioni ſimul & converſationi diabolus graviter invidens, in tantam illum tentationis procellam demerſit, ut ſuccedentibus ſibi variis cogitationum tumultibus, vix mentis ſuæ compos exiſteret. Tranſierunt in hoc quidam dies, & ſeipſa ſemper fiebat immanior tentatio eadem. Turbatus ergo & mente confuſus Anſelmum adiit, animique ſui fluctus illi expoſuit. At ipſe cum ſingula intellexiſſet, hoc ſolum pio affectu, ſcilicet conſulat tibi Deus, ei reſpondit, illicoque Fratrem à ſe dimiſit. Eveſtigiò autem tanta tranquillitas mentis illum ſecuta eſt, ut ſicut ipſemet mihi referebat, ultra quàm dictu credibile ſit, ſubitò alius fieret ab eo qui fuit. Itaque omnis illa tentatio penitus evanuit, nec quicquam hujuſmodi in ſe ulterius ſenſit. Fiebant præterea ab Anſelmo plurima in hunc modum, quæ nos brevitati ſtudentes ex induſtria præterimus. Silentio quoque præterire placuit innumeros homines tam per lavaturas manuum ejus, quàm per reliquias ciborum ejus de ante illum clàm eo ſubtractas, à diverſis languoribus, ſed maximè febribus curatos, diſpenſante Deo ſua dona juxta meritum fidei uniuſcujuſque. Nam ſi cuncta quæ inde à veraciſſimis viris accepimus deſcribere vellemus: loquacitati potius quàm rerum geſtarum ſimplici narrationi nos operam dare (ut reor) judicari poſſemus. Quapropter ne nimis longum faciamus hujuſcemodi immorando, iſtis omiſſis tendamus ad alia. Verùm ne inculta oratio prolixa ſui continuatione legentes ſeu audientes faſtidio gravet: hîc primum cœpto operi terminum ponamus, quatenus illis quæ magis delectant recreati, aliud exordium ſequentia noſſe volentes expediti reperiant.

al. tacita viſione

Digitized by Google

DE VITA SANCTI ANSELMI

LIBER SECUNDUS.

DEfuncto memorato rege Anglorum Wilhelmo, Wilhemus filius ejus regnum obtinuit. Hic ſublato de hac vita venerabili Patre Lantfranco, Eccleſias ac Monaſteria totius Angliæ gravi nimium oppreſſione afflixit. Cujus oppreſſionis anno quarto Anſelmus invitatus, immo diſtricta interpellatione adjuratus ab Hugone Ceſtrenſi Comite, multiſque aliis Anglorum regni Principibus, qui eum animarum ſuarum medicum & advocatum elegerant, & inſuper Eccleſiæ ſuæ prece atque præcepto pro communi utilitate coactus, Angliam ingreſſus eſt. Pridie igitur Nativitatis beatæ Dei genitricis & perpetuæ virginis Mariæ Cantuariam venit. Ubi cùm quaſi ex præſagio futurorum multi & Monachi & Laïci conclamarent illum Archiepiſcopum fore, ſummo mane à loco diſceſſit, nec ullo pacto acquieſcere petentibus; ut ibi feſtum celebraret, voluit. Venienti autem ei ad curiam Regis, optimates quique alacres occurrunt, magnoque ipſum cum honore ſuſcipiunt. Rex ipſe ſolio exilit, & ad oſtium domus viro gaudens occurrit, ac in oſcula ruens per dexteram eum ad ſedem ſuam perducit. Conſident, & læta interim quædam inter ſe verba permiſcent. Deinde Anſelmus ſecretiùs cum Rege acturus cæteros ſecedere monet. Omiſſis igitur Monaſterii ſui cauſis, pro quibus maximè illuc veniſſe putabatur, Regem de his quæ fama de eo ferebat Anſelmus arguere cœpit, nec quicquam eorum quæ illi dicenda eſſe ſciebat, ſilentio preſſit. Penè etenim totius regni homines omnes talia quotidie nunc clàm nunc palàm de eo dicebant, qualia regiam dignitatem nequaquam decebant. Finito colloquio diviſi ab invicem ſunt, & de Eccleſiæ ſuæ negotiis ea vice ab Anſelmo nihil actum eſt. Deinde Ceſtram ad Comitem abiit, ac in partibus illis degere per plures dies ex neceſſitate compulſus eſt. Interea rex Wilhelmus gravi languore corripitur & penè ad extrema perducitur. Suadetur ei inter alia à Principibus ut de matre totius regni, Eccleſia videlicet Cantuarienſi, * cogitet; & eam à priſtina viduitate & calamitate, per inſtitutionem Pontificis relevet. Acquieſcit ille conſilio, & Anſelmum in hoc opus fore digniſſimum pronuntiat. Acclamatur ab univerſis, * & dictum Regis laudat Clerus & populus omnis, nec reſonat ibi ulla contradictio cujuſlibet hominis. Audit hæc ille, & ferè uſque ad exanimationem ſui contradicit, reluctatur & * obſiſtit. Prævalet tamen Eccleſiæ Dei conventus. Rapitur ergo & violenter in vicinam Eccleſiam cum hymnis & laudibus portatur magis quàm ducitur. Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis milleſ. xciij prid. Non. Martii, 1. Dominica Quadrag. in ſubſequenti autem feſto Paſchæ Wintoniam Anſelm. advenit, & in ſuburbio civitatis hoſpitatus eſt. Una igitur nocte in tecta ſuburbii per incuriam ignis dilabitur. Quo creſcente, ædificia quæque paſſim conſumebantur. Et jam ignis * idem hoſpitium Anſelmi conſumpturus, duabus tantùm domibus interpoſitis, aderat. Quibuſdam igitur ea quæ in domo erant aſportantibus, interdixit domina domus, affirmans ſe nullo modo ſibi vel ſuis aliquid damni timere, quæ tantum hoſpitem, hoc eſt, Anſelmum Archiepiſcopum meruiſſe tecum habere. Pro quibus verbis Balduinus vir ſtrenuus & Monachus mulieri compaſſus, ſuaſit Anſelmo ut hoſpiti ſuæ ſubveniret. At ille: Ego in qua re? Egredere, inquit, & ſignum Crucis igni oppone, arcebit illum fortè Deus. Reſpondit: Pro me? Nihil eſt quod dicis. Egreſſus tamen domum eſt, timore incendii ductus, & viſis flammantibus globis, à venerabili Gundulpho Epiſcopo & ab eodem Balduino contra ignem ſignum Crucis, erecta in altum dextra, edere coactus eſt. Mirabile dictu: Non prius manum extenderat, quàm in ſe incendium retorqueri, flammas deficere cerneres, ita ut domum etiam quam vorare cœperant, ſemiuſtam relinquerent.

Igitur Anſelmus, propter multas rationes quæ intervenerant, nondum conſenſerat electioni, quæ de ſe facta fuerat ut Pontifex fieret; ſed tamen detinente illum Rege morabatur in Anglia, converſante cum eo ex juſſu Regis præfato Gundulpho Roffenſi Epiſcopo, & ei quæ opus erant miniſtrante. Ablatis autem de medio rationibus illis, tandem poſt longum temporis ſpacium, obedientia ſimul ac neceſſitate conſtrictus conſenſit, & prid. Non. Decem. debito cum honore ab omnibus Epiſcopis Angliæ, Cantuariæ conſecratus eſt. In qua conſecratione Evangelica illa ſententia ſuper eum reperta eſt. *Vocavit multos: Et miſit ſervum ſuum hora cœna dicere invitatis ut venirent, quia jam parata ſunt omnia. Et cœperunt ſimul omnes excuſare.* Dehinc cum ſe regali curiæ in Nativitate Domini Jeſu præſentaſſet, & honorificè à Rege ſuſceptus, primos * tres dies feſtivitatis circa Regem * lætus tranſegiſſet; poſt, * inſtinctu diaboli hominumque malorum mutatus eſt animus Regis contra eum, eo quod ipſe ſpoliatis hominibus ſuis mille libras denariorum ei * pro agendis munificentiæ ſuæ gratiis dare noluit, & ita Principe turbato à curia diſceſſit. Veniens autem in villam ſuam, quæ Berga vocatur, dedicavit ibi Eccleſiam ad parochiam pertinentem, quam quidem anteceſſor ejus Lantfrancus conſtruxerat, ſed obitu præventus dedicare nequiverat. Ad quam dedicationem quidam Clericus inter alios de Londonia veniens, ſeque inter Clericos viri quaſi ad comminiſtrandum mittens, chriſmatorium Pontificis clàm ſurripuit, & in turbam merſus fugam arripui. Dum igitur iter, quod Londoniam ducit, ingreſſus cum furto fuiſſet, reflexit greſſum * non autumans ſe ad locum * quem fugiebat feſtinare. Sed cum rediens adunatæ plebis multitudinem reperiſſet, animadvertit ſe cupitum iter permutaſſe, & qua venerat viam * repetit. Aliquantum proceſſerat, & iterum viſum eſt ſibi eò tendere quo fugiebat. Factum eſt hoc frequentius, & nunc hac nunc illac neſciens quo iret etroneus ferebatur. Populus autem qui eum ſic ſe habentem intuebatur, quidnam haberet mirabatur. At ubi miniſtri Pontificis vas chriſmatis perditum eſſe cognoverunt, confuſi & tumultuantes diſcurrunt,

al. ergiant

al. edictum

al. obſtat

al. dulcem

al. pertinentis

al. greſſum autumans... al. quo

al. repetit.

gitized by Google

quod perditum erat hinc inde quærunt, ignorantes à quo vel ubi id quærere certò debeant. Rumor damni fertur in populum, & opinio multorum cadit in erroneum Clericum. Capitur, & ſub cappa illius vas abreptum invenitur. Refertur Antiſtiti quod actum erat. At ipſe modeſto vultu, menteque tranquilla ſtatim juſſit culpam ignoſci, & Clericum ad ſua liberum dimitti. Tunc ille iter quod furto gravatus nullatenus tenere ſciebat, liber illico & nihil hæſitans ingreſſus agebat.

Poſt hæc, paucis diebus interpoſitis, mandatur ad curiam ire Anſelmus, Regem mare trànſiturum ſua benedictione proſecuturus. Qui tranſitus dum vento obſtante differtur, Anſelmus oportunum ſe tempus nactum exiſtimans, Regem pro Eccleſiarum quæ de die in diem deſtruebantur relevatione, pro Chriſtianæ legis quæ in multis violabatur renovatione, pro
al. omis. diverſorum morum, qui in * omni ordine hominum quotidie nimis corrumpebantur, correctione cœpit interpellare, quæ] omnia cum magna indignatione ſuſcipiens, nec ſe cauſâ illius quicquam de omnibus acturum fore proteſtans hominem diſcedere, nec ſe transfretaturum diutius ibi expectare iratus præcepit.

Conſiderans Anſelmus poſt hæc quid quietis perdiderit, quid laboris invenerit, anxiatus eſt ſpiritu, & vehementi dolore attritus. Ducebat enim ante oculos ſuæ mentis qualem in Prioratu & Abbatia poſitus vitam agere ſolebat, quàm ſcilicet jucundè in Dei & proximi charitate quieſcebat ac delectabatur, quàm devotè verba vitæ loquens ab omnibus audiebatur, quàm devotius ad ſuæ ut ſperabat cumulum retributionis, quæ dicebat, opere exercebantur: & nunc è converſo cùm in melius per Epiſcopatum proficere debuerit, ecce die ac nocte in ſæcularibus
al. & laborans videbat * ſe nec Deo nec proximo ſecundùm Deum juxta priſtinum morem intendere poſſe,
al. à Deo nec * adeo quemquam ex ore ſuo verbum vitæ quod facto impleret ad ſuæ, ut reputabat, detrimentum mercedis audire velle.

Acceſſerant iſtis in augmentum mali ſui, * crudeles
al. crebra ſuorum hominum oppreſſiones quotidie auribus ejus inſonantes, & minæ malignantium deteriora in poſte-
al. ſalebat rum pollicentium circumquaque detonantes: * Sciebatur enim regiam mentem contra eum in furorem concitatam eſſe; & ob hoc quiſque malus beatum ſe fore credebat, ſi quod illum exaſperaret ullo ingenio facere poſſet. Multis itaque ac diverſis injuriarum procellis fatigabatur, & nulla terreni honoris vel commodi ſuavitate, unde conſolationem haberet, fovebatur. Verùm ſalva in omnibus & ad omnes
al conſcientiæ ſuæ puritatem * innocentiâ ſuæ conſcientiæ modicum reſpirabat ab his, &, magnopere conſolabatur, ſi quando ſe monachorum clauſtro inferre, & quæ inſtitutio vitæ ipſorum expetebat, coram eis effari * valebat. Quod ipſe quadam vice Capitulo eorum præſidens, & ex more de hujuſmodi liberiùs agens, dicendi fine completo, jucunda hilaritate alludens, jocoſa comparatione innotuit, dicens: Sicut bubo, dum in caverna cum pullis ſuis eſt, lætatur, & ſuo ſibi modo bene eſt; dum verò inter corvos aut corniculas ſeu alias aves eſt, incurſatur ac dilaniatur, omnino quoque ſibi male eſt: ita & mihi.

Quando enim vobiſcum ſum, bene mihi eſt, & grata ac ſingularis vitæ meæ conſolatio. Quando verò remotus à vobis inter ſeculares converſor, hinc inde variarum me cauſarum incurſus dilacerant, & quæ non amo ſæcularia negotia vexant. Malè igitur mihi eſt quando ſic ſum, ac tremens pertimeſco ne meum hujuſmodi eſſe procreet immane diſpendium animæ meæ. Ad quod verbum licet alludens, ut dixi, * cœpit amariſſimè flens * ſubinferre, & ait: Sed quæſo miſeremini mei, miſeremini mei ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Quia ergo in tali converſatione magnopere reſpirabat, ea ſibi deficiente graviter ſuſpirabat. Deum teſtor me ſæpe illum ſub veritatis teſtimonio audiſſe proteſtantem, quòd libentiùs vellet in congregatione monachorum pueri loco inter pueros ſub virga magiſtri pavere, quàm per paſtoralem curam toti Britanniæ prælatus in conventu populorum Cathedræ pontificali præſidere. Fortè dicet aliquis: Si tam bonum tam jucundum erat illi habitare cum monachis, cur non continuè habitabat Cantuariæ cum ſuis? Ad quod ego: Si hoc ſolum ſibi poſſibile eſſet, magno ſe conſolatum reputaret. Sed & hoc partim remotio villarum ſuarum, * partim uſus & inſtitutio anteceſſorum ſuo- al. omis:
rum,] partim numeroſitas hominum, ſine quibus eum eſſe pontificalis honor non ſinebat, illi adimebat, eumque per villas ſuas ire ac inibi degere compellebat. Præterea ſi Cantuariam aſſiduè incoleret, homines ſui ex advectione victualium oppido gravarentur; & inſuper * à præpoſitis, ut ſæpe continge- al. appoſitis
bat, multis ex cauſis oppreſſi ſi quem interpellarent, nunquam præſentem haberent; magis ac magis oppreſſi in deſtructionem funditus irent. Nullo tamen loco vel tempore ſine ſuis Monachis & Clericis erat. His duntaxat exceptis, qui ad eum ex diverſis locis confluentes rarò deerant. Omnes etenim ad ſe venientes dulci alacritate ſuſcipiebat, & cuique pro ſui negotii qualitate efficaciter reſpondebat. Videres ſiquidem iſtos Scripturarum ſententiis ac quæſtionibus involutos mox ratione propoſita ab eo evolvi, iſtos
* in morum diſcretione nutantes non ſegnius infor- al. minorum
mari, illos neceſſarium rerum tenuitate laborantes, datis quibus opus habebant, ab inopia revelari. Nec iſta largitas ſolummodo Monachorum ſeu Clericorum penuriam ſublevabat, ſed * & in quoſque laicos ea indigentes, ea ſibi ſubveniri petentes pro poſſe, & nonnunquam ultra poſſe pii Patris redundabat. Quotiens autem oportunitas ſeſe præbebat, in remotiorem cameræ ſuæ locum ſecedere, ſoluſque cœleſtibus ſtudiis conſueverat inhærere. Unde fidei Chriſtianæ zelo commotus egregium & pro illius temporis ſtatu per neceſſarium opus *de Incarnatione Verbi* compoſuit. Quod opus Epiſtolari ſtilo conſcriptum, * venerabili Urbano ſanctæ Rom. Eccleſiæ ſummo Pontifici dicavit, deſtinavit. Quod ille gratioſè ſuſcipiens, ac invincibili veritatis ratione ſubnixum intelligens, in tanta auctoritate habuit, ut poſtmodum contra Græcos in concilio Barenſi, cujus ſuo loco mentio fiet, diſputans inde robur ſuæ diſputationis aſſumeret, & quàm damnabilis fuerit error eorum in hoc, quod Spiritum ſanctum à Filio procedere negabant, aſtrueret. Sed nos iſta prætermittentes, & * cæptæ narrationi operam dantes, dicamus quòd al. autem
ipſe Anſelmus ad refectionem corporis ſedens, modo de ſacra quæ coram eo legebatur lectione, materiâ loquendi ſumptâ, conveſcentes ædificabat, modò ex ſua parte ſacra verba ediſſerens loco ſacræ lectionis præſentium mentes inſtruebat, modo de aliqua re utili vel neceſſaria requiſitus requirentem * pariter & al. parcum
coaudientes mira ſuavitate reficiebat. Hujus rei cognoſcendæ gratiâ, quod levius occurrit exempli cauſâ unum ſubjiciam, non quo ulla doctrinæ ejus efficacia per hoc deſignetur, ſed ut in quibus lingua ejus inter carnales * epulas verſari ſolita fuerit, pauliſper al. epiſtolas
intimetur.

Venit ad eum quadam vice quidam ex ſeculari vita monachus factus, conſilium de vita ſua flagitans. Hic cum aliàs familiariùs ei locutus fuiſſet, inter prandendum oportunitate potitus dixit, quia cùm ſe in ſeculari vita teneret, intellexit non rectum fuiſſe iter ſuum pergendi ad vitam: Quamobrem, inquit, relicto ſæculo veni ad Ordinem monachorum, ſperans me ibi poſſe penitus intendere vitæ perenni & Deo. Ecce autem ex præcepto Abbatis mei ſecularibus negotiis in-

tendo, & dum res Ecclesiæ contra seculares defendere tuerique desidero, placito, litigo, nec mihi forsan magnæ curæ est si alii perdunt in meo lucro. Quapropter ferè cogor desperare, dum ea quæ reliqui cum tot peccatis videor administrare. Ad hæc Anselmus tali sub exemplo respondit: Tota vita hominum comparari potest molendino super præcipitem fluvium constituto. Sit igitur in hoc molendino ad manum hominis molens mola, qua qui molunt alii sic suam farinam negligunt, ut tota in fluvium labatur ac defluat, alii parte retentâ partem in præceps ire sinant, alii * totam colligant atque in sua custodia condant. Horum scilicet qui nihil sibi de farina servavit, quid in vespere comedat non habebit. Qui parum retinuit, pro portione sua parum inveniet. Qui totam collegit, largè se pascere poterit. Itaque molendino assimiletur, ut dixi, vita hominum; molæ actus eorum. Nam sicut mola dum aliquid molit, in circuitu ducitur, & circumducta simili cursu sæpe reducitur; sic & actus humani quibusque temporibus in se revertuntur. Verbi gratia: Arant homines, seminant, metunt, molunt, panificant, comedunt. En circuitum suum mola peregit. Ultra ne quiescit? Nequaquam. Repetitur enim idipsum. Aratur, seminatur, metitur, molitur, fit panis & comeditur. Hæc * fiunt omni anno, & more molæ recurrunt in idipsum. Videas ergo hominem cuncta opera sua pro terreno commodo facientem, nihil in eis nisi transitorium quid desiderantem. Iste siquidem molit quia operatur; sed tota farina sua, qui fructus est operis, fluvio, id est, à fluxu secularis desiderii rapitur ac præcipitatur. Hic cùm in fine vitæ suæ molendinum egressus, atque in domum suam reversus, operum suorum fructus manducare voluerit, nihil inveniet, eo quod fluvius torrens totum absorbuit. Jejunabit ergo, væ misero in æternum. Est alius qui suam non omnimodis farinam perdit, quoniam nunc aliquam pro Deo eelemosynam facit, nunc ad Ecclesiam pro Dei servitio vadit, nunc infirmum visitat, nunc mortuum sepelit, & aliis in hunc modum bonis intendit. Verùm cùm is ipse voluptatibus carnis inservit, pro illata injuria per medium sævit, humanis laudibus pascitur, crapula & ebrietate sopitur, horumque similibus enervatur, ne farinæ pars maxima pereat, nequaquam cautus invigilat. Quid de isto erit in futuro, nisi quia recipiet prout gessit? Jam tertium genus in Ordine monachorum attende. Est igitur monachus sub Abbatis sui imperio positus, obedientiam in omnibus quæ sibi secundùm Deum injunguntur professus, sua quantum in se est voluntate nunquam claustra monasterii pro quovis seculari negotio egredi volens. Huic fortè præcipitur ut extra claustrum ad custodiendam aliquam Ecclesiæ villam eat. Excusat se, & ne fiat obsecrat. Perstat Abbas in sententia sua, & per obedientiam jubet peragi imperata. Non audens ille * recusare, paret. Ecce venit ad molam, necessariò illum molere oportet. Insurgunt hinc inde querelæ, placita, lites. Custodiat ergo sapiens monachus farinam suam, eamque in vas suum diligenter recipiat, ne in fluvium defluat. Quo, inquis, pacto? Nihil per inanem jactantiam agat, nihil quod Deus prohibet cujuslibet lucri gratiâ faciat. Obedientiæ quæ sibi injuncta est ita studeat, ut & res Ecclesiæ contra omnes viriliter justeque tueatur & protegat, & de alieno per injustitiam sub dominium Ecclesiæ nihil redigere satagat. Si in hujusmodi conversatur & vivit, quamvis aliquando pro talibus missas perdat, nonnunquam loquatur cùm fratres in claustro tacent, & quædam similia horum faciat vel dimittat, quæ ipsi nec faciunt nec dimittunt; obedientiæ virtus, quam exercet, hæc cuncta consumit; & vas suum integrum servans, farinam de sua mola fluentem, quæ illum æternaliter pascat, totam ac puram colligit atque recondit. Non enim secundùm carnèm, sed secundùm obedientiam incedit; ac per hoc, ut Apostolus ait, nihil damnationis illi erit. Et quid de illo sentiendum est, inquit, qui se ultro ad dispositionem villarum offert: atque ut id quod cupit ad effectum perveniat, clam sibi * adjutores advocat, munera pollicetur, gratiam spondet? * refert. Nihil hoc ad propositum monachi pertinet: ait. Quare? Nonne hic talis licet hoc quod dixi cupiat, tamen sine licentia sui prælati nil facere tentat? Respondit. Licentia multos * decipit. Obedientia enim & inobedientia contraria sunt. Harum media licentia est. Is igitur quem obedientia non constringit claustra monasterii egredi, vult tamen exire, regulæque districtionem licenter declinare, quamvis nolit sine licentia id præsumere, & idcirco actum suum licentia qua nititur possit defendere; peccatum tamen habet ex illicita voluntate. Nec enim postquam mortuus mundo claustrum subiit, ad mundi negotia vel voluntate ullatenus redire debuit. Quia tamen ipsum velle suum nonnihil permissus facto implere voluit; obedientia quam in hoc amplexatus est, ipsum factum excusabit: sed velle quod contra obedientiam habuit, periculosum, nisi pœnituerit, illi erit. Quod nonnulli minus attendentes, licentiâ, quam pro implenda voluntate sua expetunt, sæpe fallantur.

Hæc, ut dixi, non pro ostendenda doctrinæ suæ qualitate proposui, sed quibus inter epulas occupari solitus erat, levi exemplo monstravi. Nam si de humilitate, de patientia, de mansuetudine, & de hac quam nunc paululum tetigi obedientia, nec non de aliis innumeris ac profundis sententiis, eum, ut singulis ferè diebus audiebamus, differentem introducerem; aliud opus cudendum, & quod * manu habemus esset intermittendum. Quando ergo, ait aliquis, manducabat? Manducabat planè inter loquendum, parcè quidem, & ut mirareris unde viveret. Veruntamen fatebatur, & verum esse cognovimus, quia dum alicui longæ disputationi occupatus erat, magis solito nesciens edebat, nobis qui propinquiores sedebamus, clanculo panem ei nonnunquam subministrantibus. Cùm verò absentibus hospitibus privatim cum suis ederet, & nulla quæstio spiritualis cujusvis ex parte prodiret; prælibato potiùs quam sumpto cibo mox cessabat, lectionique intendens manducantes expectabat. Quòd si aliquem cerneret aut pro sui expectatione celeriùs comedentem, aut fortè cibum relinquentem; utrumque redarguebat, & quo suo commodo nihil hæsitantes operam darent, affectuosè admonebat. Ubi autem * aliquos libenter edentes advertebat, affabili vultus jucunditate super eos aspiciebat, & adgaudens levatâ modicum dextrâ benedicebat eis, dicens: Bene faciat vobis.

Expositio igitur quibus modulis Anselmus inter suas epulas delectari consueverit, ut paucis exponatur quibus etiam aliis horis intenderit; repetam quod de eo me superiùs dixisse recordor, videlicet ejus ori nunquam Christus defuit, sive justitia, vel quicquid ad veram vitam pertinet. Omneque tempus perditum iri asserebat, quod bonis studiis aut necessariæ utilitati non serviebat. Opinari autem illum secus vixisse quàm docebat, profiteor nefas esse. Nam cùm illum, ex quo religionis habitum sumpsit usque ad susceptam Pontificatus dignitatem, omnium virtutum ornamentis ratum si * studuisse, ipsasque virtutes in quorumcunque mentibus poterat verbo & exemplo inseruisse: ita nihilominus ratum esse confirmamus eum totius Britanniæ Primatem factum omnimodis in hac parte claruisse. Unde etiam pro ipsarum indiscreta ceu nonnullis & mihi quoque aliquando visum est virtutum custodia sæpe reprehensus, & quod Monachus claustralis quàm Primas tantæ gentis esse deberet, præjudicatus est. Hoc pro excellenti humilitate ejus, hoc pro immensa patientia ejus, hoc

pro nimia abſtinentia ejus dicebatur, dictum accuſabatur, accuſatum damnabatur. Præcipuè tamen in ſervando manſuetudinem indiſcretionis arguebatur, quoniam ſicut à pluribus putatum eſt, multi quos Eccleſiaſtica diſciplina corripere debuerat, intellecta lenitate ejus, in ſuis pravitatibus quaſi licitè quieſcebant. Verùm audita ſuper his excusatione ſua, nam neminem ſpernebat, nemini rationem ad inquilita reddere contemnebat, mox liquido cognoſcebatur ipſum aliter quàm faciebat, minimè in talibus facere debere vel poſſe, dum ſe in regula vere diſcretionis vellet abſque errore tenere.

Secularia verò negotia æquanimiter ferre nequibat, ſed pro ſuo poſſe modis omnibus ſuam eis præſentiam ſubtrahebat. Si quando autem talis cauſa emergebat, ut ei neceſſariò intereſſe oporteret, ſoli veritati ſtudere, nulli fraudem, nulli quodlibet præjudicium, quantum ſua intererat, pacibatur inferre. Si vani clamores, ſi contentiones, ſi jurgia ut fit oriebantur, aut ea ſedare, aut citius ſeſe abſentare curabat. Niſi enim ita faceret, tædio affectus ſtatim animo deficiebat, & inſuper gravem corporis ægritudinem incurrebat. Quam conſuetudinem ejus edocti ſæpe illum reipſa cogentes de medio multitudinis eduximus, proponentesque ei aliquam ex divina pagina quæſtionem illicò corpus & animum ejus, quaſi ſalubri antidoto medicatum, in conſuetum * ſtatum reduximus. Requiſitus autem quamobrem ſic imbecillis ad ſeculares cauſas ac puſillanimis exiſteret, reſpondebat: Qui * omnem ſecularium rerum amorem ac concupiſcentiam ab animo meo jamdudum pepuli, qualiter in cauſis earum fortis & diligens exiſtam? Imò veritatem dico non mentior, quia quando ipſe mihi ſeſe importunè & ex neceſſitate ingerunt, ita mens mea illarum horrore concutitur, ſicut infans, cùm aliqua terribilis imago vultui ejus ingeritur. Nec in * earum diſpoſitione magis delector, quàm puer in uberibus matris delectatur, dum illis acerba amaritudine * ſuperlitis ablactatur.

His neceſſitatibus actus totam domus ſuæ curam & diſpoſitionem Domno Balduino monacho, cujus ſuprà meminimus, impoſuit; quatenus ad nutum illius cuncta penderent, & ſtatuta * contra ordinationem ejus irrita fierent. Igitur ſecuritate potitus, ſpiritualibus diſciplinis & contemplationi operam dabat.

Veruntamen diverſæ tribulationes & anxietates, quas tum propter terras Eccleſiæ, * quas quidam maligni injuriâ, Rege non prohibente, invadebant; tum pro pecuniarum exactionibus, quæ totum regnum, ſed maximè ſuos homines in immenſum devaſtabant; tum pro monaſteriorum oppreſſionibus, quas ſedare non poterat, & quotidie ad eum referebantur; tum pro multis aliis * quæ in hunc modum ſæpe patiebatur, hanc ejus quietem interrumpebant, & aliena quædam meditari compellebant. Prætereà hi qui ante Epiſcopatum viro ſummiſſi eum diligebant, * diligendo favebant,] favendo quæque electa de ſuis alacres conferebant, nunc terras Eccleſiæ petere, nunc equos rogare, nunc pecuniam, nunc hoc vel illud ad quod ſcilicet ſua quemque * voluptas trahebat, ab eo precari. Adverteres itaque petita obtinentes in præſentia ejus ficta pace adgaudere, retributiones & obſequia polliceri, alios in contraria lapſos honori ejus detrahere, homines ejus pro poſſe impugnare, in immenſum minari.

Ille autem in patientia ſua ſciens poſſidere animam ſuam, cum his qui oderunt pacem erat pacificus, verba manſuetudinis & pacis ſemper reddens impugnatoribus ſuis, cupiens malum illorum in bono vincere. Attamen ea * quæ in ſequenti tempore poterant Eccleſiæ ſuæ damno eſſe, nequaquam æquo animo tolerare, aut ſub negligentiam cadere patiebatur. Sed quid dicam? Tanta cupiditas ea tempeſtate dominabatur in mentibus quorundam, ut nec patientia ipſius deliniti monitis ejus acquieſcerent, nec terroribus pulſati cæcitatem ſui cordis * exirent. Verum de extraneis non multùm fortè mirandum. Ipſi ſui proprii ac domeſtici homines mentiti ſunt ei, & infideles facti. Animadvertentes quippe manſuetum, lene, ſimplexque cor ejus, in pluribus cauſis fraudulenta calliditate, compoſitiſque ſermonibus eum multotiens circumvenere, & quæ illius juris eſſe debebant diminuentes, ac exinde ſua non jure augentes, qua ei fuerant alligati, fidem perdidere. Qua de re cùm à Balduino, aliiſque fidelibus ſuis nimiæ ſimplicitatis minoriſque prudentiæ familiariter reprehenderetur; ſimplici admiratione reſpondebat, dicens: Quid eſt hoc? Nonne Chriſtiani ſunt? Et ſi Chriſtiani, * num alicujus commodi cauſâ vellent contra fidem ſuam ſcienter mentiri? Nihil eſt. Tanto nempe ſtudio mihi loquentes ſua verba componunt, & ea fide ſua interpoſita vera eſſe jurant, ut incredulitati putetur poſſe aſcribi nolle credere eos ipſa veritatis firmitudine niti. Dicebat hæc ille æſtimans ipſos ſibi nolle quod ſciebat ſe nemini facere velle. Cumque reſponderetur ſui moris illos non eſſe; aiebat: Fateor, malo decipi bona de illis credendo, etiamſi me neſciente mali ſunt, quàm decipere meipſum, credendo mala de ipſis quos nondum verè probavi quod boni non ſint. Hæc tamen in principio Pontificatus ſui dicta meminerim. Poſtmodum enim rei veritas viro innotuit, & quæ ſibi à * ſuis verè dicta fuerant, nimis vera fuiſſe cognovit. Quamvis igitur ſolitam fidem non ex toto verbis eorum deinceps præbuerit; tamen ſuis rebus in poſterum non parum obfuit, quod ipſis in principio tam credulus fuit. Siquidem illi certò ſcientes eum pro malis ſibi illatis ad mala reddenda cor non habere, à timore * ſuſpenſi, ſibique ipſis deteriores affecti, in pejus * profecere. Quod Pater tractans apud ſe, magis illorum, quàm ſublequi prævidebat, perditioni, quàm ſuæ indoluit tranſitoriæ deceptioni. Pro qua tamen deceptione, & fidei non ſervatæ corruptione, ſæpe Anſelmus dicere ſolitus erat eos quandoque aut in ſe, aut in liberis ſuis de rebus Eccleſiæ, quibus tunc in ſublime raptabantur exhæredandos; & antiquæ paupertati in qua nati fuerant & nutriti, ſubjugandos; aut certè aliqua gravi & contumelioſa vindicta, ante mortem vel in morte, quod deterius eſſet, puniendos. Quod dictum ejus in quibuſdam jam completum videmus, & ex hoc quid aliis etiam timendum ſit, conjectamus. Ideo autem eos corrigere nequibat, quoniam ipſi more denſarum ſpinarum perplexi, argutis verborum aſſertionibus ſe tales non eſſe, qui hujuſmodi correctione opus haberent, affirmabant. At ille contentioni ſervire devitans, dimittebat eos ſibi timens ne menſuram diſcretionis excederet, ſi in rimandis actibus illorum nimis ſtudioſus exiſteret. Nihil enim in mundo, quantùm peccare timebat. Conſcientia mea teſte non mentior, quia ſæpe illum ſub veritatis teſtimonio profitentem audivimus, quoniam ſi hinc peccati horrorem, hinc inferni dolorem corporaliter cerneret, & neceſſario uni eorum immergi deberet; priùs infernum, quàm peccatum appeteret.

Aliud quoque non minus forſan aliquibus mirum dicere ſolebat, videlicet malle ſe purum à peccato, & innocentem gehennam habere; quàm peccati ſorde pollutum, cœlorum regna tenere. Quod dictum cùm aliquibus extra eum videretur, reddita ratione temperabat, dicens: Cùm conſtet ſolos malos in inferno torqueri, & ſolos bonos in cœleſti regno foveri; patet nec bonos in inferno, ſi illuc intrarent, poſſe teneri debita pœna malorum; nec malos in cœlo ſi fortè * aſcenderent, frui valere felicitate bonorum. Hæc propter magno ſtudio ſemper nitebatur peccatorum contagia

al. rectum
al. omnium
al. erecta
al. amic.
al. volumus
al. ascendere

contagia devitare; & quicquid eis aliquam naſcendi occaſionem poterat miniſtrare, ab intentione ſua omni ſolicitudine propulſare. Nec in his momentaneus erat. In his denique verſabatur quotidiana inſtitutio morum ejus, in his ſtabat aſſidua converſatio vitæ ejus, in his vigebat indeficiens executio propoſiti ejus, in iſtis Deo ſerviebat, pro his quibuſque bonis acceptus erat, per hæc vitam æternam adipiſci ſatagebat.

Regem autem de trans mare regreſſum Anſelmus adiit, & ut ſibi Romam ad Papam Urbanum pro ſtola ſui Archiepiſcopatus eundi licentiam daret, humiliter petiit. At ille ad nomen Urbani turbatus dixit ſe illum pro Papa non tenere, nec ſuæ conſuetudinis eſſe, ut abſque ſua electione alicui liceret in regno ſuo Papam nominare. Hinc igitur orta quædam diſſenſio gravis eſt, ſed in aliud tempus diſcutienda eſt dilata. Jubetur ergo ut totius Angliæ Epiſcopi, Abbates & Principes, ad diſcuſſionem diſſidii hujus apud caſtrum, quod Rochingcham dicitur, unà veniant: factum eſt, & * tertia ſeptimana quadrageſimæ] juxta edictum convenerunt. Cauſa in medium ducitur, & Anſelmus diverſis querelis hinc inde concutitur. Siquidem multi, & maximè Epiſcopi regiæ voluntati favere volentes, ſpreto æquitatis judicio id probare nitebantur, quod Anſelmus ſalva fide quam Regi debebat, nullatenus poſſet in regno ipſius Urbanum Sedis Apoſtolicæ Præſulem pro Papa tenere. Quibus cùm plura quæ ratio tulerat objecta fuiſſent, & Anſelmus eos ex verbis Domini, *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*, aliiſque nonnullis, quæ * ratio nulla refellere poterat, penitus infrænaſſet: illi è contra quid dicerent non habentes, eum in Regem blaſphemare uno ſtrepitu conclamavere, quandoquidem auſus erat in regno ejus, niſi eo concedente, quicquam vel Deo adſcribere.

Igitur ad unam Regiæ indignationis vocem, quidam ex Epiſcopis, Archiepiſcopo ſuo atque Primati omnem ſubjectionem profeſſam obedientiam uno impetu abnegant, eique unitatem fraternæ ſocietatis pari voto miſerandi abjurant: quidam verò in eis * tantùm, quæ ex parte Urbani Papæ præciperet, illi ſe obedituros negant. Epiſcopi itaque omnes qui affuerant, Roſenſi ſolo excepto, aut uno aut alio modo debitam illi ſujectionem & obedientiam abnegant. Rex etiam ipſe cunctam ei confidentiam & ſecuritatem * in ſuis omnibus adimit, nec ſe illum pro Archiepiſcopo vel Patre amplius habiturum jurat, niſi ipſe vicario beati Petri ſe ulterius obedituram ſtatim deneget. Tres dies in iſto negotio clamoribus in Anſelmum & contumeliis gravidi expenſi ſunt, & tandem in hoc, quem dixi, fine concluſi ſunt.

Tunc Anſelmus in ſuo propoſito conſtans, per internuncios conductum à Rege poſtulat, quo tutus regno decebat. Quod * Principes multis damnoſum fore dignoſcentes, pro reſtituenda pace inducias utrinque ad Pentecoſtem uſque dari precantur & obtinent; ac ſic eum ne regno decedat, impediunt. Spondet igitur Rex ſe rebus ejus uſque ad præfixum tempus induciarum plenam pacem & tranquillitatem indulturum, & tunc voluntati illius pro ſua religione multum in negotio, quod emerſerat, condeſcenſurum. Verum omnino in contraria lapſus eſt, & Anſelmus Domino Balduino extra regnum depulſo, hominibuſque ſuis captis & expoliatis, terriſque vaſtatis in immenſum afflictus. Attamen poſt hæc, & Urbanum per Walterum Albanenſem Epiſcopum, qui Pallium Anſelmo Româ Cantuariam detulit, pro Papa ſuſcepit, & Principum ſuorum conſilio actus, in amicitiam ſuam virum ſuſcepit. Verùm poſt aliquantum tempus idem Rex * à Gallis victor regreſſus, renovata ira propter milites, quos, ſicut falsò à malignis dicebatur, malè inſtructos in expeditionem Anſelmus direxerat, contra ipſum conturbatus eſt. Tunc Anſelmus conſiderans apud ſe omni tempore talia pro nihilo poſſe oriri, & ſe eis occupatum ſemper ab officio Pontificali poſſe impediri, tractavit ſecum ſibi Romam eundum, & conſilium à Sede beati Petri ſuper his petendum. Cùm igitur in ſolennitate Pentecoſtes, ad Curiam apud Vindleshoriam veniſſet, per familiares ſuos Regi mandavit ſibi perneceſſarium eſſe Romam ire; & hoc ſi ei placeret, ſe per licentiam ejus facere velle. At ille nequaquam, inquit: * Nec enim eum, aut in his quæ agenda ſunt, cujuſvis conſilii inſcium, aut alicui gravi peccato obnoxium eſſe ſcimus, unde vel Papam conſulere, vel illius abſolutionem neceſſe ſit illi implorare. Et res igitur ita tunc quidem remanſit.

Diſcedente autem Anſelmo à Curia, & ad villam ſuam nomine* Heyſem properante, pueri quos nutriebat, leporem ſibi occurſantem in via canibus inſecuti ſunt, & fugitantem infra pedes equi, quem Pater ipſe ſedebat, ſubſidentem conſecuti ſunt. Ille ſciens miſeram beſtiam ſibi ſub le refugio conſuluiſſe, retentis habenis equum loco fixit, nec cupitum beſtiæ voluit præſidium denegare. Quam canes circundantes, & *linguis ſuis] haud grato obſequio hinc inde lingentes, nec de ſub equo poterant ejicere, nec in aliquo lædere. Quod videntes, admirati ſumus. At Anſelmus, ubi quoidam ex equitibus aſpexit ridere, & quaſi pro capta beſtia lætitiæ frena laxare; ſolutus in lachrymas, ait: Ridetis? Et utique infœlici huic nullus riſus, lætitia nulla eſt. Hoſtes ejus circa eam ſunt, & ipſa de vita ſollicita confugit ad nos præſidium flagitans. Hoc planè eſt & animæ hominis. Nam cùm de corpore exit, mox inimici ſui, ſcilicet maligni ſpiritus, qui eam in corpore degentem, per anfractus vitiorum multis modis perſecuti ſunt, crudeliter aſſunt parati eam rapere, & in mortem æternam præcipitare. At ipſa nimis anxia huc illucque circumſpicit, & qua tueatur defenſionis & auxilii manum ſibi porrigi ineffabili deſiderio concupiſcit. Dæmones autem è contrario rident, & magno gaudio gaudent, ſi illam nullo fultam adminiculo inveniunt. Quibus dictis laxato freno, in iter rediit, beſtiam ultra perſequi clara voce canibus interdicens. Tunc illa ab omni læſione immunis exultans & hilaris præpeti curſu campo ſylvaſque revisit. Nos verò depoſitis jocis, ſed non modicè alacres effecti, de tam pia liberatione pavidi animalis cœpto itinere viam detrivimus.

Alia vice conſpexit puerum cum avicula in via ludentem. Quæ avis pedem filo innexum habens, ſæpe cùm laxiùs ire permittebatur, fuga ſibi conſulere cupiens avolare nitebatur. At puer filum manu tenens, retractam uſque ad ſe dejiciebat, & hoc ingens gaudium illi erat. Factum eſt id frequentiùs. Quod Pater aſpiciens, miſerè condoluit avi, ut rupto filo libertati redderetur optavit. Et ecce filum rumpitur, avis avolat, puer plorat, Pater exultat. Et vocatis nobis conſideraſtis, inquit, jocum pueri? Et confeſtis conſideraſſe, ait: Simili conſideratione jocatur diabolus cum multis hominibus, quos ſuis laqueis irretitos pro ſua voluntate in diverſa vitia pertrahit. Sunt enim quidam, ut verbi gratia dicam, aut avaritiæ, aut luxuriæ, & ſimilium flammis ſuccenſi; & ex * mala conſuetudine illis addicti, his contingit aliquando ut ſua facta conſiderent, deſleant, ſeque amodò à talibus ceſſaturos ſibi promittant. Et more avis ſe liberos volare autumant. Sed quia pravo uſu * irretiti ab hoſte tenentur, volantes in eadem vitia dejiciuntur, Fitque hoc ſæpius. Nec omnimodis liberantur, niſi magno conatu per reſpectum gratiæ Dei * funis pravæ conſuetudinis dirumpatur.

Hinc iterum Anſelmus Curiam veniens, jam petitam licentiam Romam eundi à Rege petivit, ſed eam non obtinuit. Poſt quæ in menſe Octobri invitatus à

Rege Vuintoniam vadit; & quod jam bis rogaverat, attentiùs per internuncios tertiò rogat. Turbatur ille, & nimiùm se vexari ab eo * anxiè queritur. Ad quod Anselmus: Et quidem quod Romam ire disposo causâ sanctæ Christianitatis, quam in hac terra regere suscepi, causâque salutis animæ meæ, causâ etiam sui honoris & utilitatis, sic credere velit, id ago. Si ergo mihi bono animo licentiam dederit eundi, gratiosius accipiam. Si * non: ego utique, quod Deus præcipit, postponere non debeo, quia scriptum est: *Obedire magis Deo oportet, quàm hominibus.* Quod ille audiens, turbato animo jubet ut aut cœpto desistat, & insuper se numquam beatum Petrum vel Sedem ejus pro quolibet negocio appellaturum jurejurando promittat, aut sine mora, omni spe remeandi sublata, suo regno decebat. Et subdens ait: Si verò territus istis cœpto desistere & remanere quàm ire delegerit, tunc volo quatenus * prout mihi judicabit curia mea emendet, quoniam illud sibi concedi à me tertiò petiit, in quo se perseveraturum certus non fuit. Respondit: Dominus est, quod vult dicit. Ego tamen sciens ad quid assumptus sim, & quid in Anglia gerendum suscepturim, non mihi esse honestum pronuntio, cujusvis transitorii commodi causâ illud omittere, quod in * ope misericordiæ Dei spero futuris temporibus Ecclesiæ ejus utile fore. Acta sunt hinc his multò plura, quæ quoniam aliàs scripsimus, hîc paucis perstringimus. Rege igitur & curialibus contra virum in iram permotis, ipse ad eum placido vultu ingreditur, & dextram ejus ex more assidens ait: Ego, Domine, ut disposui vado; sed primò meam vobis benedictionem, si eam non abjicitis, dabo. Quam cùm ille se nolle abjicere responderet, conquiescentem Regem ad hoc levata dextera benedixit, sicque relictâ curiâ Cantuariam venit.

Postera die admutatos monachos in ipsa sede Domino Jesu Christo famulantes his verbis allocutus est: Fratres & filii mei dilectissimi, sicut audistis & scitis, ego regno huic proximè sum * decessurus. Causa quippe quæ inter Dominum nostrum Regem & me jam diu de Christianæ religionis correctione versata est, ad hoc est tandem perducta, ut aut ea quæ contra Deum & honestatem meam sunt, me oporteat agere, aut huic regno sine mora decedere. Et ego quidem libens vado, sperans in respectum misericordis Dei iter meum libertati Ecclesiæ futuris temporibus nonnihili profuturum. Super vos tamen, quos ad præsens relinquo, non modica pietate moveor, ut pote quos tribulationes & angustias, oppressiones & contumelias acerbiùs solito me absente passuros intueor. Licet enim constet illas nec me præsente ex toto fuisse rembcas; tamen quando emergebant, contra eas vobis quoddam quasi umbraculum extiti: & ne in immensum vos ferirent * scuto me vestræ protectionis medium objeci. Et quidem majori pace ac securitate vos usos existimo postquam inter vos veni, quàm à decessu venerandæ memoriæ Lantfranci Patris nostri usi fueritis usque ad introitum mei. Unde etiam videor mihi videre eo magis ipsos qui vos infestare solebant adversum vos me abeunte lævituros, quo à dominatu quo vos opprimebant vident se in præsentiâ mei dejectos. Sed vos non estis rudes aut hebetes in schola Domini, ut qualiter in hujusmodi, si ingruerint, debeatis vos habere, opus habeatis doceri. Paucis tamen suggero, ut quia Deo militaturi in conseptum hujus monasterii convenistis, præ oculis semper habeatis quemadmodum militetis. Non enim omnes uno modo militant. Quod etiam in terrenorum curiis Principum videre planum est. Est etenim Princeps diversi ordinis in sua curia milites habens. * Habet namque qui pro terris quas de se tenent, servitio suo invigilant, * habet qui pro stipendiis in militaribus armis sibi desudant, * habet etiam qui pro recuperanda hæreditate, quam in culpa parentum suorum se perdidisse deplorant, invicta mentis virtute voluntati suæ parere laborant. Hi ergo qui pro terris quas possident serviunt, jam radicati sunt & fundati, nec evelli formidant, dum se in Domini sui voluntate conservant. At hi qui pro stipendiis in militiam sese dederunt, nonnunquam fatigati laboribus à militia, quam aggressi sunt, segniter cadunt; dum fortè magnitudini exercitii atque laboris magnitudo, sicut ipsi existimant, non æquatur impendii ac retributionis. Qui verò recuperandæ causâ hæreditatis serviendi conditionem arripuêre, quamvis nunc istis * vel illis laborum generibus opprimantur, nunc his vel illis contumeliis afficiantur, æquanimiter omnia sustinent, si firmum recuperandæ hæreditatis suæ amorem certæ spei gratia tenent. Hæc fieri inter homines liquet; & hinc quid in curia Principis omnium fiat, re ipsa monstrante advertere libet. Deus enim, cujus sunt omnia quæ sunt, in his tribus generibus distinctam ad sui obsequium curiam habet. Habet quippe Angelos, qui æterna beatitudine stabiliti sibi ministrant. Habet etiam homines sibi pro terrenis commodis, quasi milites stipendiarios, servientes. Habet quoque nonnullos, qui die noctuque suæ voluntati inhærentes ad regnum cœlorum, quod in patri sui Adæ culpa perdiderunt, hæreditario jure pervenire contendunt. Sed nobis ad beatorum spirituum societatem magis est suspirandum, quàm de eorum procinctu, quo Deo perenniter astant, in præsenti disputandum. Ad solidarios Dei milites verba vertamus. Videatis quàm plurimos in seculari vita degentes, Deum in his quæ possident specie tenus diligentes, & ejus per quædam bona opera quæ faciunt, famulatui insistentes. Supervenit his Dei judicio tentatio aliqua, perdunt sua. Quid dicam? Mutata protinus mente, volant ab amore Dei, deserunt bona quæ faciebant, murmurant, injustitiæ Deum accusant. Quid de istis dicendum? Solidarii sunt, & impletur in illis, quod dicit Psalmus: *Confitebitur tibi, cùm benefeceris ei.* Hoc de secularibus dictum. Sed nos monachi utinam tales essemus, ut horum similes non essemus. Nam qui in propositi sui norma, quam professi sunt, stare recusant, nisi cuncta quæ sibi ad votum sunt copiosiùs habeant, nec hinc propter Deum cujuslibet rei penuriam, nec hinc regulæ disciplinam pati * volunt, quibus, obsecro, rationibus juvabuntur, ne horum similes habeantur? In omni quippe opere suo priùs mercedem exigunt, quàm cui merces debetur ministerii munus exolvant. Et hi tales regni cœlestis hæredes erunt? Fidenter dico, nequaquam; si non pœnituerint se tales fuisse.

Qui verò ad * recuperandum vitæ regnum obsequii sui dirigit intentionem, Deo per omnia inhærere, & totam fiduciam suam inflexibili mentis statu in eum defigere nititur, nulla hunc adversitas Dei servitio detrahit, nulla transeuntis vitæ voluptas ab ejus amore compescit. Per dura & aspera viam mandatorum illius incedit, & ex spe retributionis futuræ cor suum indeficienti charitatis ardore succendit, ac * sic in cunctis vera patientia fretus, cum Psalmista lætus canit: *Magna est gloria Domini.* Quam gloriam sic in hac peregrinatione positus gustat, gustando ruminat, ruminando desiderat, desiderando à longè salutat, ut ad illam spe perveniendi subnixus, ea se inter mundana pericula consoletur & alacriter cantet: *Magna est gloria Domini.* Et sciatis quod hic ipsa gloria Domini nullo modo defraudabitur, quoniam totum quod in eo viget voluntati Domini famulatur, atque ad hanc obtinendam dirigitur. Sed ô jam ab istis inter vos mihi cessandum video, Fratres mei, obsecro vos, si hîc dolentes nunc ab invicem separamur, tendite ut in futuro ante Deum læti ad invi-

al. opere
al. discessurus
al. fœtum
al. habent
al. habeant
al. nunc
al. recuperanda
al. ac sic

eem conjugamur. Estote illi, qui veraciter velitis ethici hæredes Dei. His dictis erumpentes ab ejus oculis lachrymæ, eum plura loqui prohibuêre. Gemitum Fratrum qui subsecutus est quis enarrabit? Ita fletus implevit omnia, ut vox nulli superesset * ad verba. Tandem Pater medios rumpens singultus ait: Charissimi mei, scitis quòd vos esse, & quo vos tendere cupiam. Sed hora hæc plura loqui vetat, Deo omnipotenti & beatissimo Apostolorum principi Petro vos commendo, ut & ipse Deus inter suas oves vos agnoscat, & beatus Petrus in sui tuitionem sicut oves Dei sibi commendatas, vos suscipiat. Ego vestra licentia & benedictione vado, ac ut Deus pacis ac dilectionis vobiscum maneat oro. Post hæc surrexit, & dato pacis osculo cunctis, in oratorium ivit, populo sanctum ejus alloquium præstolanti pro instantis qualitate negotii verbum consolationis & exhortationis ministraturus. Quod ubi excellenter peregit, astante Monachorum, Clericorum, ac numerosa populorum multitudine peram & baculum peregrinantium more coram altari suscepit, commendatisque omnibus Christo ingenti fletu & ejulatu prosecutus egressus est.

Ipso die ad portum Dofras ivimus, ibique Clericum quendam Wilhelmum nomine à Rege ad Anselmum directum reperimus. Detenti autem ibi quindecim diebus sumus, vento nobis transitum prohibente. In qua mora idem Wilhemus cum Patre intrans & exiens, & in mensa illius quotidiè comedens, nulli propter quam rem missus fuerat denudare volebat. Die verò quintodecimo cum nos nautæ urgerent naves petere, & nos transire avidi ad hoc fatigaremur, ecce videres rem miserandam, Patrem patriæ, Primatem totius Britanniæ Wilhelmus ille quasi fugitivum & alicujus criminis reum in littore detinet, ac ne mare transeat ex parte Domini sui jubet, donec omnia quæ secum ferebat singulatim sibi revelet. Allatæ igitur ante illum Bulgiæ & Manticæ reseratæ sunt, tota suppellex illius spe pecuniæ reperiendæ subversa atque exquisita est, ingenti plebis multitudine circumstante, ac nefarium opus pro sui novitate admirando spectante, & spectando execrante. Rebus ergo eversis, sed nihil horum quorum causâ eversæ sunt in eis reperto, delusa solicitudo perscrutantis est, & Anselmus cum suis abire permissus.

Itaque navem ingreditur, ventis vela *panduntur: * Et aliquanto maris spatio promovemur, cùm subitò nautæ primò inter se submurmurantes, ac deinde manifesta voce murmur ipsum depromentes] affirmant nullo penitus conatu, nullo numerosorum remorum impulsu, eo quo ferebamur vento, Vuitsandis pertingendum, imò si marinis fluctibus pariter involvi nollemus sine mora remeandum. Ingemuit Anselmus ad ista, & ait: Si omnipotentis Dei judicio placet me magis redire ad pristinas miserias, quàm liberatum ab illis tendere ad id quod ipse novit me animo proposuisse, ipse videat, ipse dispenset; ego voluntati ejus obsequi paratus sum, nec enim meus, sed ipsius sum: * dixit & suffusis in lachrymas oculis ejus, * concussisque in gemitum cordibus nostris qui hæc audiebamus ac videbamus,] illico ventus ex alio latere surgens in velum percussit, & nautas jam velo reflexo terram petentes, ad priorem cursum reverti coegit. Nos igitur non modicum exhilarati, & in brevi prosperrimè marinis fluctibus evecti, Vuitsandis pro voto appulimus.

Egredientibus autem nobis de navi, hi quorum navis erat, retinentes Domnum Balduinum, quem provisorem & ordinatorem rerum Anselmi suprà diximus, ostenderunt ei mirabile quiddam quod acciderat. In fundo etenim navis, quæ virum per undas transvexerat fractura unius tabulæ foramen unum, ferme duorum spatio pedum magnitudinis habens, effecerat, quod fluitanti elemento * latum demonstrabat, sed nullum omnino, quandiu Anselmus in ea fuerat, reserabat introitum. Quæ res si admirationem sese intuentibus intulit, non puto mirandum. Tunc Balduinus summo studio cunctis rem celare præcepit, & ea res per id temporis non multis innotuit. Ego * tamen cùm inde quædam persensissem, ac post longum tempus dum istis, quæ in manu habemus scribendis animum applicuissem, nihilque unde mihi vel levis dubitatio inesse poterat describere voluissem, interrogavi eundem virum de negotio, & veritatem magnopere scisitatus sum. Qui interposita veritatis assertione, qua servus Dei ac verus monachus inniti debet, confessus est rem ex toto sicut eam retuli factam; nec quicquam in ea confictum.

Anselmus itaque extra Angliam positus * in eo magnificè lætatus est & multiplices Deo gratias egit, quòd se quasi immanem Babylonis fornacem evasisse & culmen quodammodo placidæ quietis contigisse videbat. Wilhelmus autem Rex audito Anselmum transfretasse, confestim præcepit cuncta quæ illius juris fuerant in suum transcribi dominium, & irrita fieri omnia, quæ per ipsum statuta fuisse probari poterant, ex quo venerat in Archiepiscopatum. Quas itaque tribulationes Ecclesia Christi passa sit intus, & * extra, cogitatu nedum dictu percipere difficile esse pronuntio.

Igitur Anselmus à Vuitsandis mane discedens, & post dies ad sanctum Bertinum veniens, magna plebis, Clericorum ac Monachorum alacritate susceptus est, & per quinque dies ibi detentus. Interea rogatu * Canonicorum altare unum apud sanctum Audomarum consecravit. Quo facto venerunt ad eum honorati quidam de indigenis viri, flexis genibus obsecrantes, quatenus filios eorum per impositionem manus suæ sacri chrismatis unctione signaret. Ad quod mox ita respondit: Et hos pro quibus petitis libens in hac causa susoipiam, & alios hoc sacramento egentes si præsto fuerint non abjiciam. Qua illi facilitate responsi benignitatem viri admirantes magnificè lætati sunt, & gratias egerunt, confirmatisque pueris suis, illi totam urbem his quæ ab ejus ore acceperant impleverunt. Videres ergo viros ac mulieres magnos ac parvos è domibus ruere, certatimque currendo ad nostrum hospitium prædicti gratiâ sacramenti properare. Plures siquidem anni jam apud eos transierant, in quibus nullus Episcoporum illic fuerat tali officio passus occupari.

Sexto demum die cum jam innumeram multitudinem confirmasset, & nos à loco discessuros longum iter ipsius diei quod instabat festinare compelleret, ecce puella quædam domum de qua equos ascensuri egrediebamur introiit, flebili pietatis affectu se confirmari deposcens. Quod quidam ex sociis nostris audientes nimis molestè tulerunt; & verba illius, ut pote qui jam talium erant tædio affecti, contradicendo depressserunt. Quid plura? Virum precibus puellæ assensum præbere volentem ipsi objecta longitudine diurnæ viæ, objectis periculis quæ nocturnos viatores in peregrina quam maximè patria comprehendere solent, * objecto quoque quàm plures ob id ipsum pro foribus attentos stare, paratosque irrumpere, si ei soli adquiescceret,] detinuerunt, & ne voci ipsius auditum præberet obtinuerunt. Sed ubi aliquantum processimus, venit Patri in mentem quibus adquieverit, quid egerit. Illico * nimiæ impietatis seipsum arguens, tantum exinde concepit * in corde dolorem, ut quandiu vitæ præsenti superfuit, pœnitudo ipsius facti, ut sæpe fatebatur, ab animo ejus non recesserit. Nobis dehinc cœptum iter de die in diem accelerantibus, famâ viri multò celeriùs præcurrebat, & multiplici populos voce replebat. Unde turbarum concursus, Clericorum cœtus, Monachorum exercitus ei quocunque veniebat occurrunt, illi gaudio & exultatione

concrepantes, illi vexillis & sonoris concentibus Deo pro illius adventu conjubilantes.

Cùm autem Lugdunum venisset, & ab Archiepiscopo civitatis ipsius gloriosè susceptus fuisset, post dies paucos missis literis consilium à Domino Papa de negotio suo quærivit, & quia partim imbecillitate sui corporis, partim aliis pluribus cautis præpeditus ultra Lugdunum progredi nequaquam posset, ei suggessit. Ita ergo Lugduni resedit, reditum nuntiorum suorum ibi expectans. Post tempus Româ nuntii * redeunt, & quoniam omni sublata excusatione eum ad se Papa properare præceperit, referunt. Ille nescius moræ pontificalibus jussis obaùdit, viæ se periculis mortem pro Deo non veritus tradit. Hinc Secusiam venimus, & nos Abbati loci illius præsentavimus. Eramus quippe monachi tres, Dominus videlicet & Pater Anselmus, Domnus Balduinus, & ego qui hæc scribo Frater Eadmerus. Qui ita ibamus quasi pares essemus, nullo indicio quis cui præstaret coram aliis ostendentes. Ab Abbate igitur qui vel unde essemus interrogati, paucis respondimus. Et audito quosdam ex nobis Beccensis cœnobii monachos esse, scisciratus est: Fratres obsecro vos, vivit ille adhuc, ille Dei & omnium bonorum amicus Anselmus, scilicet cœnobii ipsius Abbas, vir in omni religione probatus & acceptus? Balduinus ad hæc: Ille ait ad Archiepiscopatum in aliud regnum raptus est. At ille, audivi. Sed nunc quæso qualiter est? valet? Equidem ex eo tempore, ait, quo functus est pontificatu, non vidi eum Becci: dicitur tamen bene valere ubi est. Tunc Abbas: Et ut valeat oro. Hæc de se Anselmus dici audiens, confestim tecto cuculæ suæ capitio capite, demisso vultu sedebat. Nolebamus enim agnosci, ne fortè præcurrente fama de adventu tanti viri cuivis periculo nostra incuria fieremus obnoxii. Celebratis dehinc in cœnobio sancti Michaelis Archangeli, quod in monte situm Clusa vocatur, Passionis ac Resurrectionis Dominicæ solemniis, in iter reversi Romam festinavimus. Mirum dictu. Pauci atque ignoti per loca peregrina ibamus, neminem agnoscentes, nemini qui vel unde essemus innotescentes, & ecce solus Anselmi aspectus in admirationem sui populos excitabat, eumque esse virum vitæ designabat. Unde cum jam hospitati etiam inter eos, quorum insidias metuebamus, fuissemus; nonnunquam viri cum mulieribus hospitium * intrare, & ut hominem videre ejusque meretentur benedictione potiri obnixè * precabantur.

al. intravere
al. precati

Tali ergo vulgi favore Romam usque profecutus, Lateranis, ubi tunc temporis summus Pontifex morabatur, advenit. Nunciatur Pontifici Patris adventus, & ovans jubet illum in parte ipsius sui palatii hospitari. & die illo indulgere quieti. Mane confluit ad Papam Romana nobilitas, & de novi hospitis adventu sermo conseritur. Adducitur cum reverentia vir in medium, & in qua coram Papa decenter sedeat, sella profertur. Ingressus humiliat se pro more ad pedes summi Pontificis, sed statim ab ipso erigitur ad osculum ejus. Sedet, ac pro adventu illius lætari se Apostolicus cum Romana curia dicit, acclamat curia dicto. Postea silentio facto, multa in laudem hominis Papa locutus est: virum illum virtutis ac totius religionis esse contestans. Et quidem, inquit, ita est: Cumque illum, utpote hominem cunctis liberalium artium disciplinis innutritum pro magistro teneamus, & quasi comparem vel ut alterius orbis Apostolicum, & Patriarcham jure venerandum censeamus; ita tamen excellens menti ejus humilitatis constantia præsidet, ut nec marinis periculis, nec longissimis peregrinæ terræ spaciis terreri potuerit, quin vestigiis beati Petri * pro nostræ parvitatis ministerio se præsentare, nosque magis illius quàm illum nostro egentem consilio, super causis suis consulendos adire studuerit. Quapropter considerare quo amore, quo honore suscipiendus sit & amplectendus. Hæc cùm Anselmus de se, & multò his plura pro sui laude dici audiret, sicut ipsemet sæpe fateri solebat, non parum erubuit, quoniam se talem apud se, qualis à tanto viro prædicabatur, minimè cognovit. Veruntamen erat inter verba tacens, decentius fore perpendens ad ejusmodi silere, quàm loqui. Post hæc de sui adventus causa percunctatus à Papa, eo sibi modo narravit eam, quo veritatis ac discretionis ratio poposcit. Ille ad audita miratur, & subventionem plenam pollicetur. Præcepit itaque ut subventionis ipsius effectum circa se Anselmus præstolaretur.

Verùm quia calor æstatis in partibus illis cuncta urebat, & habitatio urbis nimiùm insalubris, sed præcipuè peregrinis hominibus erat, Johannes quidam nomine, olim monachus Becci, tunc autem Abbas cœnobii sancti Salvatoris * Telesim, annuente Papa suscepit eum ut proprium patrem * in sua, & eduxit in suam villam Schlaviam nomine, quæ in montis vertice tam sano jugiter aere atque tepenti, * conversantibus illic habilis extat. Igitur habitatio nostra in montis erat summitate locata, à turbarum tumultu instar solitudinis vacua. Quod Anselmus advertens, ex spe futuræ quietis exhilaratus ait: Hæc requies mea, hic habitabo. Ad primum igitur conversationis ordinem, (quem antequam Abbas esset habebat, quemque se in Pontificatu positum maximè perdidisse deflebat) vitam instituit, sanctis operibus, divinæ contemplationi, mysticarum rerum enodationi die noctuque mentem intendens. Unde Christianæ fidei amore permotus, insigne volumen edidit, quod *Cur Deus homo* titulavit. Quod opus sicut in Prologo ejus ipse testatur, in Anglia cœpit, sed hîc in Capuana videlicet provincia constitutus absolvit.

Inter hæc omnia sese omnibus fecit, cuncta pro posse subveniens; cunctos qui se audire volebant, non considerata alicujus persona ad suum colloquium admittens, & singulis pro qualitate motæ quæstionis benigna affabilitate atque affabili benignitate satisfaciens. Quapropter fama illius in brevi circumcirca percrebuit, & in dilectionem atque venerationem ejus cunctorum corda convertit. Quicunque igitur eum videre, ejusque potuit benedictionem habere, beatum se proprii censura judicii æstimavit. Monachus etiam qui villæ ipsius pro abbatis imperio custos erat, quique nobis more boni hospitis in nonnullis ministrabat, considerans vitam & actus Patris, concepit apud se spem boni magni & gratiam Dei in eo vigere, crediditque quòd Deus multa libens faceret ob merita ejus: homines autem villæ multas incommoditates quotidie patiebantur pro penuria aquæ. In devexo tamen latere montis puteus unus nimiæ profunditatis habebatur; sed ita singulis diebus exhauriebatur, ut ab hora diei nona nulla quæ extrahi posset in illo aqua usque mane reperiretur. Quo incommodo Frater ille subventum iri desiderans, rem Anselmo conquerentis more innotuit, & suæ voluntati inesse subjunxit puteum in ipso quo habitabamus loco facere, si fortè Deus sua pietate dignaretur hoc incommodum propulsare. Laudat Anselmus piam Fratris voluntatem, & rem tentare suadet. Lætatur ille ad hæc, & rogat quatenus ipse locum inspiciat, ac præmissa prece cum benedictione sua primus terram aperiat. Adquievit ille precanti, & nolens offendere voluntatem hospitis sui. Quid dicam? Cernebatur miræ celsitudinis rupes, & quasi dementia videbatur in tali loco velle fontem aquæ investigare. Vadit tamen Anselmus nobis comitatus ad locum, & supplici prece præmissa, hoc est, ut abundantiam jugis atque salubris aquæ Deus * inibi largiretur. Tertio feriens terram aperuit, & reliquo operi dari operam jussit. Perpauci dies cœpti

operis transierant, & ecce fons vivus è duritia rupis erumpens, ingenti cunctos stupore percussit. Nec mirum. Aqua enim, quam se magister operis nec in plurimis diebus reperturum putabat, non mirum si stupotem incusserit brevi reperta. Perfectus itaque puteus est modicæ quidem profunditatis extans, sed limpidissimæ atque salubris aquæ jugi fonte redundans. Quæ res illico divulgata non parvæ admirationi fuit, & eâm viri meritis omnis qui audivit adscripsit. Itaque puteus ille, puteus Cantuariensis Archiepiscopi usque hodie ab incolis ipsius terræ vocatur. * Ferunt autem hi, qui ad nos inde sæpe venerunt, quia multi diversis languoribus ac febribus tenti, sumpta in potum eadem aqua, pristinæ sanitati mox restituuntur.

His diebus * Rogerius dux Apuliæ civitatem Capuam * obsederat. Qui fama viri permotus mittens rogavit eum venire ad se: ascendimus, ivimus, & plures in obsidione dies exegimus, remoti in tentoriis à frequentia & tumultu perstrepentis exercitus. Erat autem ubi eramus quædam Ecclesiola penitus deserta, & juxta ostium cisterna * desuper dirutæ magnæ profunditatis hiatum sua duriptione prætendens. In qua Ecclesia velut in camera pro velle conversabamur, tam quieti quàm operi in ea indulgentes, & Ducem ipsum cum suis nobiscum singulis diebus ad quæ volebamus in promptu habentes. Quadam verò nocte cùm in ea dormiremus, contigit Anselmum sui corporis necessitate silentio surgere, & ne inquietaremur suo more lento pede ad ostium tendere. Quod cùm exisset, & immemor foveæ per tenebras in partem divertisset, in profundum cecidit, clamosa voce cadendo dicens: *Sancta Maria.* Ad quem sonitum nos ac socii nostri qui in tentoriis quiescebant expergefacti, lectis prosiliv imus, accurrentes hominem in profundo vidimus, & præ timore simul & angustia cordis exanimati ferè sumus. Quod ipse percipiens, mox levato capite * comi vultu, jucundo intuitu nobis innuit nihil læsionis sese perpessum. Descendentes igitur quidam ex nostris ex altera parte ipsius præcipitii, qua via erat descendendi, eduxerunt eum à loco sanum omnino atque incolumem. Cùm post hæc Sedis Apostolicæ Pontifex Urbanus illo adventaret, & ei ab Anselmo & principibus totius exercitus obviam itum esset, ingenti mundialis gloriæ pompa prosecutus, dictus est in tentorium quod juxta nos sibi erat cæteris excellentius constitutum. Sicque donec civitas in deditionem transiit, obsidio illius Dominum Papam & Anselmum vicinos habuit, ita ut familia utrorumque magis videretur una quàm duæ, nec facilè quivis declinaret ad Papam, qui non diverteret ad Anselmum. Papa namque colebatur à cunctis, quemadmodum pater & pastor communis: Anselmus verò diligebatur ab omnibus, sicut homo mansuetus & mitis, & cui suo judicio nihil debebatur à quovis. In Papa denique supereminens vigebat cum dignitatis auctoritate potestas: in Anselmo mira & quæ cunctos demulcebat pura cum simplicitate humilitas. Multi ergo, quos timor prohibebat ad Papam accedere, festinabant ad Anselmum venire, amore ducti qui nescit timere. Majestas etenim Papæ solos admittebat divites, humanitas Anselmi sine personarum acceptione suscipiebat omnes. Et quos omnes? Paganos etiam, ut de Christianis taceam. Siquidem nonnulli talium, nam eorum multa millia in ipsam expeditionem * secum adduxerat] homo Ducis Rogerus; Comes de Sicilia, nonnulli inquam talium fama bonitatis ejus inter suos exciti mansionem nostram frequentabant, & sumptis ab Anselmo corporalibus cibis gratiosi revertebantur, admirandam viri benignitatem suis prædicantes quam experiebantur. Unde in tanta deinceps veneratione etiam apud eos habitus est, ut cùm per * castra illorum, quæ in unum locata erant, transiremus, ingens multitudo eorum elevatis ad cœlum manibus ei prospera imprecarentur, & osculatis pro ritu suo manibus propriis nec ne coram eo genibus flexis, pro sua eum benigna largitate grates agendo venerarentur. * Quorum etiam plurimi, velut comperimus, se libenter ejus doctrinæ instruendos submisissent, ac Christianæ fidei jugo sua per eum colla injecissent, si credulitatem Comitis sui per hoc in se sæviturum non formidassent. Nam revera nullum eorum pati volebat Christianum impune fieri. Quod qua industria, ut ita dicam, faciebat, nihil mea interest; viderit Deus & ipse.

Dehinc soluta obsidione, Anselmus multa prece Papam ad hoc flectere conatus est, quatenus ab onere Pontificali eum absolveret, & quieti liberum vacare concederet. Verùm cùm, in quantum quidem ad effectum spectabat, in nihilum laborasset; fretus benedictione ejus, Schlaviam reversus est, operiens ibi tempus Concilii, quod idem Papa apud Barum Calend. Octob. erat celebraturus. Cui Concilio dum Anselmus se præsentasset, & persuasus à Papa Græcos in processione Spiritus sancti, utpote quem à Patre non à Filio procedere astruebant; errantes, rationabili atque Catholica disputatione confutasset; magni apud omnes habitus est, & veneratione dignissimus comprobatus.

Finito Concilio, Romam cum Apostolico profecti sumus. Transactis autem aliquantis diebus, venit Romam Wilhelmus ille, cujus in exitu Angliæ mentionem fecimus. Is inter alia hoc effecit apud Apostolicum, ut inducias Regi Angliæ daret de causa Anselmi usque ad festum sancti Michaëlis Archangeli. Quod Anselmus agnoscens, illico Lugdunum redire volebat: sed prohibitus à Papa est propter Concilium, quod se tertia hebdomoda Paschæ Romæ habiturum statuerat. Morati itaque sumus Romæ ferme per dimidium annum, continuè circa Papam degentes, & quasi in commune viventes. Unde & ipse Papa nonnunqam ad Anselmum veniebat, lætè cum eo sese agendo, & curiam ei faciendo. Dedit ei quoque hospitium, in quo conversabamur eo jure, ut si aliquando Romam rediret, contra omnes homines illud sibi vendicaret. Ipse in conventu nobilium, in processionibus, in stationibus, semper & ubique à Papa secundus erat, præ cunctis honoratus, cunctis acceptus, & ipse omnibus simplici humilitate submissus. Præterea Angli illis temporibus Romam venientes, pedes ejus ad instar pedum Romani Pontificis sua oblatione honorare desiderabant. Quibus ille nequaquam adquiescens, in secretiorem domus partem fugiebat, & eos pro tali re nullo patiebatur ad se pacto accedere. Quod ubi Papæ relatum est, admiratus in homine humilitatem mundique contemptum, jussit sese in * se tenere, & nullum benefacere ultra volentem prohibere, sed omnes pro tali causa adventantes patienter admittere. At ille modesta quadam verecundia * actus, jussa profecto postponeret, si non inobedientiæ nævo corrumpi timeret.

Quid referam nonnullos cives Urbis, quorum ingens multitudo propter fidelitatem Imperatoris ipsi Papæ erat infesta, nonnunquam in unum conglobatos, Anselmum à Lateranis ad sanctum Petrum euntem cùm suis propter odium Papæ capere volentes, sed mox viso vultu ejus territos projectis armis terræ procumbere, & se illius benedictione deposcere insigniri? Hi honores, & horum similes vulgi favores illum ubique comitabantur, quia mores sui in cunctis Deo famulabantur. Hinc etiam erat, quòd non facilè à quoquam Romæ simpliciter homo vel Archiepiscopus, sed quasi proprio nomine sanctus homo vocabatur. Quicunque igitur ei serviebamus, amori & honori cunctis eramus. Cùm * verò ad præfatum Concilium ventum esset, & jam quæ recidendâ recisa, & quæ statuenda videbantur statuta fuissent, excommunicationis sententiam tam in

al. emit.

al. claustra

al. in eo

al. idem

al. ergo

Laïcos, qui investituras Ecclesiarum dant, quàm in eos qui de manibus eorum illas suscipiunt, cum toto Concilio Papa intorsit. Eadem sententia quoque damnavit & eos, qui in officium sic adepti honoris aliquem sacrant.

Soluto conventu, accepta licentia Roma digredimur. Via verò redeundi multis erat periculis obnoxia, sed protegente nos Domino pericula cuncta evasimus, ac Lugdunum illæsi pervenimus. Ubi summo cum honore gaudioque susceptí, & à Pontifice civitatis* venerabili scilicet Hugone] detenti, mansionem nostram illic firmavimus, amissa omni fiducia, vivente Rege Wilhelmo, Angliam remeandi. Habitatus est ergo ibi Anselmus non sicut hospes aut peregrinus, sed verè sicut indigena & loci dominus. Unde nusquam ipse ipsius urbis Antistes eo præsente suo volebat loco præsidere, sed præsidente ubique Anselmo,* ille mira humilitate & honestate præditus, inferioris, & quasi suffraganei loco simul & officio fungebatur. Super hæc ut Episcopale officium per totam Parrochiam suam pro velle exerceret, in voluntate ejus ac deliberatione constituit. Quod ubi per loca vicina innotuit, illico frequens populorum concursus factus est, unctionem sacri chrismatis per impositionem manus illius poscentium sibi conferri. At ille omnes ad gratiam ipsius sacramenti admittebat, ita ut sæpissime in hoc totus dies expenderetur, & nos qui ei ministrabamus gravi tædio afficeremur, ipso semper jocundo & hilari vultu existente. Crevit autem ex hoc in eum mira quædam & incredibilis dilectio omnium, & bonitas ejus divulgabatur per circuitum.

Igitur qui illis diebus saltem reliquias de mensa illius poterat habere, contra omnia pericula & infirmitates se salutifera credebat medecina ditatum. Nec ista fides fallebat eos. Nam revera nonnullos febribus tentos, & quibusdam aliis infirmitatibus pressos, mox sumptis ciborum ejus reliquiis, novimus integræ sanitati restitutos. Exempli gratia. Festivitas beati Mauricii celebris habetur Viennæ. Rogatus itaque Anselmus à Guidone ipsius urbis Archiepiscopo, in ipsa festivitate venit eo. Et celebrato solenni Missæ ac prædicationis officio, cùm ad refectionem corporis sedisset, venerunt ante illum milites duo, voce & vultu ægrotationis molestiam qua premebantur præferentes, rogantes quatenus de micis sui panis eis dare dignaretur. At ille nequaquam, inquit: Nec enim pane integro nedum micis vos indigere conspicio. Sed si comedere vobis placet, amplus locus est, sedete, & cum benedictione Dei quæ vobis apponentur comedite. Responderunt se pro hoc non venisse. Nec ego, ait vobis aliud faciam. Intellexerat enim quo intenderent. Unus ergo ex his qui in ejus dextra sedebant intelligens illos salutis propriæ curam habere, & virum in hoc nihil quod miraculo posset adscribi velle facere, quasi eorum importunitate pertæsus, arrepta desuper mensa fragmenta præbuit eis, & ne hominem fatigarent secedere monuit. Qui statim ut exinde modicum gustaverunt cum benedictione viri egressi sunt. Post mensam in secretiorem locum me tulerunt, magnopere postulantes quatenus adjuti mea ope ad Missam Patris mererentur de manu ejus Dominicum corpus & sanguinem sumere. Quos cùm libenter audissem, & quando, quove in loco id fieret edocuissem, gratiosa voce responderunt: Et nos quidem omni excusatione semota sicut dicis, veniemus, si hac medecina, quam nunc de mensa ipsius suscepimus à quartanis, & mortiferis febribus, ac intestinorum tortionibus, quibus intolerabili cruciatu concutimur, liberati non fuerimus. Et hoc erit* signum inter nos & te, quoniam si convaluerimus, non veniemus: * veniemus si non convaluimus. * Adquievi dictis & ad invicem divisi sumus. Non venerunt, quia sicut accepi ab eis quicumque noverunt eo quod de mensa acceperant ad plenum Dei gratiâ convaluerunt. Quod quidem si ita non fuisset, quemadmodum illos infirmitate gravatos sanitati voluisse restitui credibile est: ita eos ab requisitione istius posterioris medecinæ supersedere noluisse dubium non est.

* Certo nempe tenebant ista se, quin convalescerent falli non posse, scientes quendam non ignoti nominis virum eo solo quod spe recuperandæ sanitatis Missæ illius interfuit, à pari tunc* noviter invaletudine convaluisse. Siquidem unus è Principibus terræ illius diu eâdem qua ipsi languoris molestia vexatus fuerat. Hic agnito Anselmum in Ecclesia beati Stephani Missam ex more celebraturum, festinavit illo arbitrans sibi ad recuperandam sanitatem utile fore, si Missa tanti viri ac benedictione meruisset potiri. Fateor, vidimus hominem suorum manibus innixum Ecclesiam introeuntem, mortuo* quàm viventi similiorem. Sedit, & finita Missa egressus est. Nobis verò nec quis vel unde aut cur advenerit scientibus aut curantibus; idem vir evolutis paucis diebus ad Patrem venit, flexis genibus ei pro adepta sanitate gratias agens. Ad quod cùm ille obstupesceret, indicavit ei ordinem gestæ rei, confirmans quòd ab ea hora, qua se Missæ illius præsentavit, omni doloris vexatione depulsa sanitati restitutus sit. At ille nihil ad se hoc pertinere, sed ipsius fidei ac meritis beati Martyris, ad quem divertit, ascribendum asserens, his quæ saluti animæ illius competerent, eum instruxit, & familiarem sibi effectum correctiori vitæ ut post multorum testimonio comperimus, reddidit.

His ferè temporibus, Cluniacum euntibus nobis occurrit quidam sacri Ordinis homo, lachrymosis precibus virum deprecans quatenus & se oculo misericordiæ & sororem suam nuper amentem effectam dextera suæ benedictionis dignaretur respicere. Et subdens, Ecce ait in* via qua transituri estis inter multos tenetur, sperantes quia si tu Domine ei manum imposueris, continuò favente gratia Dei suæ menti restitueretur. Ad hæc ille muta voce & quasi surda pertransiit aure. Presbyterum autem eo magis instantem ac preces multiplicantem repulit à se, omnibus modis asserens tam extraneum factum nulla sibi ratione tentandum. Inter hæc procedimus & illam in medio adunatæ multitudinis cominus teneri conspicimus, furibundos motus, & inhumanos nutus, vultu, ore, oculis, & totius coporis gestu edentem. Populus itaque virum advenientem circundat, retentis habenis preces ingeminat, ut miseræ mulieri manum imponat, orat, obsecrat. Obsistit ille dicens quod postulant nequaquam esse sapientiæ. Objiciunt illi vulgi more quæ occurrebant, saltem improbitate vincere gestientes. Tunc vir aliter se non posse evadere sentiens, hoc solo eis morem gessit, videlicet quod nulli negare solebat, signo eam sanctæ Crucis levata dextra signavit. Quo facto, laxatis habenis ocyor abit, impositoque cucullæ suæ capitio capiti remotis sociis singularis vadit, infœlicis fœminæ ærumnas pietatis affectu * perfusus lachrymis] terrerrimè deflens. Hac nos contritione afflicti Cluniacum, illa vulgi manibus acta domum tetendit. Necdum pes ejus limen suæ domus attrivit, & integerrimæ sanitati donata in laudem viri linguas omnium solvit. Quam rem sic factam dum certa relatione Cluniaci accepissemus, gavisi sumus, ac pro sua misericordia Deo gratiam & gloriam dedimus.

Actis deinde propter quæ Cluniacum advenimus, reversuri Lugdunum iter per civitatem Matisconensem arripuimus. Ubi Anselmus rogatu Episcopi & Canonicorum Missam publicè apud sanctum Vincentium celebravit; & inter sermonem, quem ad populum habuit, ut omnes Dominum pro siccitate qua in immensum terra aruerat, communiter precarentur, admonuit. Dicunt se jam id sæpius fecisse, sed nihil effecisse; & ea re, ut preces eorum ipse sua prece coram

al. amis.

al. mitis

al. signi

* vid. var. lect. al. quibus dictis

Deo efficaces efficiat, magnopere orant & obſecrant. Quid dicam? Necdum pranſi eramus, & ecce ſubito ſtupentibus cunctis ſerenitas cœli in nubilum vertitur, ipſaque die priuſquam civitatem egrederemur, pluvia dulcis & copioſa terris illabitur. Plebs igitur viſo hoc facto benedixit Dominum, & ejus poſt Deum auctorem magnis laudibus prædicant Anſelmum. Itaque in habitaculum noſtrum Lugdunum reverſi quietam vitam ab omni tumultu negotii ſæcularis agebamus. Anſelmus * verò vitam veri ſervi Dei in ſanctis meditationibus, in * omnis ſexûs, ætatis & ordinis hominum ad ſe venientium ædificationibus, ac in cæterarum virtutum exhibitionibus exercebat.

Per id etiam temporis ſcripſit librum unum *de Conceptu virginali & de peccato originali*, * & aliud quoddam opuſculum multis gratum & delectabile, cui titulum indidit, *Meditatio redemptionis humanæ.*

Inter hæc Urbanus Sedis Apoſtolicæ Pontifex huic vitæ decedit; & ad inducias quas de cauſa Anſelmi Regi dederat, non pervenit. Quo tempore multa etiam de Regis interitu à multis prædicebantur, & tam ex ſignis quæ nova & inuſitata per Angliam monſtrabantur, quàm ex viſionibus quæ pluribus religioſis perſonis revelabantur, quia ultio divina in proximo eum pro perſecutione Anſelmi oppreſſura eſſet ferebatur. Sed Anſelmus in nihil horum animum ponens, quotidie pro converſione & ſalute ejus Deum precabatur. Hinc exilii noſtri anno tertio, qui eo quo Româ Lugdunum venimus erat ſecundus, ivit Anſelmus Marciniacum loqui Domino Abbati Cluniacenſi Hugoni, & Sanctimonialibus. Ubi cùm ante ipſum Abbatem conſedilſemus, & de his quæ inter Anſelmum & Regem eo uſque verſabantur, verba ut fit nonnulla hinc inde proferrentur, intulit idem venerabilis Abbas ſub teſtimonio veritatis proximè præterita nocte eundem Regem ante thronum Dei accuſatum, judicatum, ſententiamque damnationis in eum promulgatam. Ex quibus verbis admirati non modicè ſumus, ſed perpendentes eminentiam ſanctitatis ac reverentiæ ejus, fidem his quæ dicebat, nullatenus non habere nequivimus.

Poſtera die cùm inde digreſſi Lugdunum veniſſemus, & inſtanti feſto beati Petri, quod colitur Calendis Auguſti, dictis matutinis, nos qui circa Anſelmum aſſiduè eramus, quieti indulgere cuperemus; ecce quidam juvenis ornatu ac vultu non vilis Clerico noſtro qui propè oſtium cameræ jacebat, & necdum dormiens, oculos tamen ad ſomnum clauſos tenebat, aſtitit vocans eum nomine ſuo, Adam, inquit, dormis? Cui dum ille reſponderet, Non. Dixit ei: Vis audire nova? Et libens, inquit. At ille: Pro certo, ait, noveris quia totum diſſidium quod eſt inter Archiepiſcopum Anſelmum, & Wilhelmum Regem, determinatum eſt atque ſedatum. Ad quod ille alacrior factus illico caput levavit, & apertis oculis circumſpectans neminem vidit.

Sequenti autem nocte inter matutinas unus noſtrûm clauſis oculis ſtabat & pſallebat. Et ecce illi quidam chartulam admodum parvam legendam exhibuit. Aſpexit; & in ea, *Obiit Rex Wilhelmus*, ſcriptum invenit. Confeſtim aperuit oculos, & nullum vidit præter ſocios.

Poſt triduum abhinc ad Abbatiam quæ vocatur Caſa Dei, multis precibus invitatus Anſelmus pertexit. Ubi cùm honorificè ſuſceptus & hoſpitatus fuiſſet, una dierum Fratribus loci illius poſt menſam in lectis ſuis pauſantibus, ſubito fragore cœlum intonuit, & vibrantibus coruſcis crebra per montem fulgura volitant. Creſcit tempeſtas illa, & multiplicata non modicum fulminis ſuper domum, qua fœnum monaſterii ſervabatur, præcipitat. Unde protinus horridus ignis accenſus tetrerimum atque fœtentem ex ſe fumum per aera ſpargit. Quicunque igitur cum Anſelmo in hoſpitio erant, timore concuſſi diſſiliunt. Remanſi itaque ſolus cum ſolo. At ille lecto volens decumbere, interrogavit me utrumnam ignis, qui eruperat, ſopitus eſſet. Cui cùm reſponderem auctum potius quàm ſopitum eſſe, erexit ſe, ac vultu placido atque modeſto dixit: Melius eſt ut nobis provideamus, quia tua tunc res agitur, paries cùm proximus ardet. Quo dicto ad ignem concitus venit; eoque viſo, mox illi ſanctæ Crucis ſignum levatâ dexterâ objecit. Videres à veſtigio flammam ſe ita demittentem, ac * pro ſuſcipienda benedictione illius conquieſceret. Ignis ergo ſtatim in ſemet rediens totus elanguit, nec aliquid abſumpturus uſquam proceſſit. Quodque fortaſſis non minus ſtupeas, voratis quibuſdam ædibus, quæ circa erant, nihil læſionis intulit fœno Monachorum, qui Anſelmum hoſpitem habebant, quo ſcilicet fœno domus fermè plena erat, ſuper quam fulgur ipſum primò corruerat.

Exinde duo ſui Monachi ad Anſelmum venerunt, nunciantes ei * deceſſum præfati Regis. Siquidem ſecunda die menſis Auguſti, qui poſt primam viſionem, quam Lugduni factam noviter retuli ſecundus, & poſt ſecundam primus illuxit, idem Rex manè in ſylvam venatum ivit, ibique illum ſagitta in corde percuſſit, & nulla interveniente mora extinxit. Quo Anſelmus vehementi ſtupore percuſſus, mox eſt in acerbiſſimum fletum concuſſus. Quod videntes, admirati admodum ſumus. At ille ſingultu verba ejus interrumpente, aſſeruit quòd ſi hoc efficere poſſet, multò magis eligeret ſe ipſum corpore, quàm illum ſicut erat mortuum eſſe. Nobis poſt hæc Lugdunum reverſis, ecce nuncii unus poſt unum Anſelmo occurrunt, litteras ei cum precibus ex parte matris Eccleſiæ Anglorum, ex parte novi regis Henrici, qui fratri ſucceſſerat, nec non ex parte Principum regni, deferunt ſummopere poſtulantes eum feſtinato greſſu redire, & aſſerentes totam terram in adventum illius attonitam, omniaque negotia regni ad nutum ejus pendere dilata. * His acceptis Anſelmus velox Angliam petit.] Verùm ubi Serberiam ad Regem venit, & ei quid de Eccleſiarum inveſtituris in Romano Concilio acceperit, plano ſermone innotuit; turbatus eſt Rex, ac vehementer indoluit, nec nutum ejus in aliquo, ſicut nuncii dixerant, expectare voluit. Quæ igitur inter eos per duos * ſemis annos pro iſto negotio acta ſint, & quot quantaſve minas ac tribulationes Anſelmus paſſus ſit, vel quomodo nuncii ſemel ac iterum Romam pro mutatione ipſorum decretorum miſſi ſint, quidque effecerint, qui noſſe voluerit, opus illud, cujus in Prologo hujus opuſculi mentionem fecimus, legat, & ibi ſingula * plenè, ut puto, digeſta reperiet. Poſt quæ omnia rogavit Anſelmum Rex, quatenus ipſemet Romam iret, & cum nuncio quem eo directurus erat, cauſæ quæ emerſerat, pro ſuo honore opem ferret. In quo cùm omnes totius Angliæ * Epiſcopi, Abbates & Principes acquieſcerent, & eum pro tanta re, quin iret nullatemus ſuperſedere debere conclamerent; ſe quidem iturum reſpondit, ſed nihil quod vel Eccleſiarum libertati, vel ſuæ poſſet obviare honeſtati, ſuo vel rogatu vel conſilio unquam Papam acturum viva voce * ſpopondit. Itaque cùm Romam veniſſet, à Domino Papa Paſchali qui Urbano ſucceſſerat, totaque urbis nobilitate honorificè ſuſceptus eſt. Die dehinc conſtituto, Wilhelmus ille, cujus ſuprà meminimus, à Rege directus, cauſam Regis in medium tulit, ac inter alia, quod Rex ipſe nec pro regni amiſſione inveſtituras Eccleſiarum pateretur amittere, minacibus verbis aſſeruit. Ad quæ Papa. Si quemadmodum dicis Rex tuus nec pro regni amiſſione patietur Eccleſiarum donationes amittere; ſcias, ecce coram Deo dico, quia nec pro ſui capitis redemptione eas illi aliquando Paſchalis Papa impunè permitter habere.

In his negotium Regis ita finem tunc temporis ſum-

* al. diſceſſum
* al. omiſ.
* al. planè
* al. ipſi
* al. reſpondit

pſit, & Anſelmus aliisatque aliis cum Papa de Eccleſiaſticarum rerum inſtitutionibus actis, in iter reverſus civitatem Florentiam uſque pervenit, & nocte una in ea quievit. Lecto igitur in quo ſopori Antiſtes indulſerat, Dominus domus eo diſcedente pro * more decubuit. Cui obdormienti aſtitit quidam ignoti vultus homo, monens ut lecto ocyor decederet. Nec enim decet, inquit, te tua præſentia loco præripere, quod ex præſentia tanti viri meruit obtinere. Qui mane conſurgens, & viſum mente revolvens phantaſmati deputat, ac nocte ſequenti in eodem ſe lecto nihil hæſitans collocat. Dormit, & ecce qui venerat, ſecundò jam vultu paululum minaci * aſſiſtit, repetens dicta quæ primò protulerat. At ille expergefactus, ac viſione ut primò poſthabita, nocte tertia in ſolito loco ſomno ſe tradit. Cui obdormienti, idem qui ſecundò apparuerat, tertiò apparuit irati mentem vultu ac voce prætendens. Quare, ait, facis quod jam ſemel tibi & iterum ne faceres dixi? Nunc igitur vel tertiò admonitus ſurge, & te à lecto Pontificis amodo cohibe. Nam dico tibi quia ſi ultrà in eo repertus fueris, experieris nihil phantaſmatis eſſe in iſtis quæ audis. Tunc ille vehementer exterritus lecto deſilit, Epiſcopum civitatis ſuper negotio conſulturus celeriùs adit, eique ordinem rei in præſentia multorum exponit. Epiſcopus autem jam dudum viri ſanctitatem famâ diſcurrente edoctus, ac nuperrimè ex collocutione illius eam nonnihil expertus, hominis audaciam duriùs increpavit, & quia ſtultè & inſipientium more egerit, quòd lecto ubi vir tantus quieverat, cubare præſumpſiſſet, aſſeveravit. Eundem itaque lectum reverenter deinceps ſervatum iri præcepit, & ne aliquis in eo ulteriùs jacere præſumeret, juſſit. Quod uſque hodie, uti accepimus, ſervatum eſt. Anſelmus autem cùm emenſo itinere Lugduno appropinquaſſet; Wilhelmus præfatus comitatum illius deſerere volens, interdixit ei ex parte Domini ſui Regis redire in Angliam, niſi ipſe omnes patris & fatris illius conſuetudines poſtpoſitâ Sedis Apoſtolicæ ſubjectione & obedientia, ſe ei ſervaturum certò promitteret. Quod
al. non alia illeaudiens admiratus eſt, ſciens ſe * alia conditione Angliam extiſſe. Perveniens verò Lugdunum reſedit ibi ex more antiquo in pace & quiete propriam præfati Reverendi Hugonis ejuſdem urbis Archiepiſcopi domum inhabitans, & ne ad horam quidem ab his quæ Dei ſunt, verbo ſe vel actu elongans.

Vide ver. ſeq. Accidit autem una dierum dum ipſe Pater celebrato ſolemni Miſſæ officio, ſolus, prout ei conſuetudinis erat, in oratorio per fletum Deo ſeſe macteret, ut quidam homo pedes ſuos baculo regente adveniret oratorium ipſum rumpere geſtiens. Quem Frater & ſocius noſter Alexander Monachus Eccleſiæ ſcilicet Cantuarienſis, qui pro foribus egreſſum Patris ſortè præſtolabatur, intuens Eccleſiam ſubire volentem detinuit, ſuſcitans quidnam vellet. At ille clamoſa voce ſe oculorum lumen amiſiſſe reſpondit, ac velle ut ſervus Dei ſibi manum imponeret, ſciens quòd ſancta merita ejus ſibi ſubvenirent. Pater igitur clamorem audiens, ſed verba minimè diſcernens, innuit præfato Fratri venire ad ſe, & cauſam clamoris ipſius intimare. Tunc ille Domine Pater, ait, pauper quidam venit conquerens ſe in oculis affligi, precaturque per vos ei ſignum ſanctæ Crucis imponi.

At ille ipſe pio vultu, veniat dixit: Itaque tertiò ſuper oculos ejus quod petebat ſignum Crucis cum pollice pingens, oravit ſic: Virtus crucis Chriſti illuminet oculos iſtos, & ab eis omnem infirmitatem depellat, integræque ſanitati reſtituat. Et aſpergens eos aqua ſanctificata, hominem præcepit abire. Alexander verò mox illum reducens, monuit ut ſi factum viri Dei non uſquequaque illi hac vice primò profuit, mane rediret, pollicens quòd hoc ipſum illi repetita vice fieri impetraret. Ad quæ ille: Ego quidem, bone Domine, hac de cauſa non redibo, quia gratia Dei & fidelis ejus famuli, omni cæcitate fugata, clariſſimè video. Hæc ita ſcripſi, ſicut ab ore ipſius Alexandri, qui præſentem ſe fuiſſe teſtatur, accepi.

Rex autem Henricus ut comperit Papam in ſua ſententia ſtare, mox Archiepiſcopatum in ſuum dominium redegit, & Anſelmum ſuis omnibus ſpoliavit. Acta ſunt hinc inter eos multa, & anno uno ac ſemis indignatio Regis non eſt ſopita.

Inter hæc venit ad nos Walo Epiſcopus Pariſiacenſis, vir bene Religioſus, & Eccleſiaſticarum conſuetudinum inſtitutionibus ab ineunte ætate imbutus. Hic Romæ notus, & Apoſtolicæ legationis miniſterio functus, familiaritate Patris Anſelmi potiebatur. Igitur iſte à Roma ad nos veniens quorundam Sanctorum reliquias ſecum ferebat; quas, ut certò comperimus, ſibi Romæ datas habebat. Itaque cum Anſelmo me præſente loquens, innotuit ei quid Reliquiarum à Roma ſecum detulerit. Ad quod cùm ille Deo gratias ageret, Epiſcopus unum os, quod de capite ſanctæ martyris Dei Priſcæ eſſe aſſerebat, è pixide protulit, & id qualiter adeptus fuerit illico ſubinferens ait: Romæ eram, & oratorium nominatæ Martyris, in quo beatiſſimus Apoſtolorum princeps Petrus altare ſacravit, vetuſtate conſumptum, dirutum eſt, & corpus Martyris in nova recondendum Eccleſia me aſtante levatum eſt. Igitur cum loci ipſius Cardinalis Reliquias Sanctæ in ſuo jure haberet, & ipſe idem mihi familiaris exiſteret, os iſtud quod videtis de ſacro corpore ſumptum mihi pro ſigno mutui amoris dedit. Finierat Præſul in iſtis. Aſt ego earundem Reliquiarum habendarum amore illectus, ut ex ipſo oſſe mihi partem daret, deprecari Epiſcopum cœpi. Et ille: Accipe, inquit, & quantum inde primo conatu frangere poteris, tuum ſit. Accepi, & en extra quam ſperabam in principio mei conatus, una mihi particula in dextera manu remanſit. Cumque de parvitate ipſius mœrorem animi diſſimulare nequirem, & ut ſemel adhuc * frangere inde mihi liceret magnopere * geſtirem, rupit deſiderium meum * Pater Anſelmus, & ait: Noli, noli, quod habes ſufficiat tibi. In veritate quippe dico tibi, quia pro toto auro quod Conſtantinopolim & ultra citrave habetur, non omitteret Domina ipſa cujus eſt, quin illud ſibi vindicaret in die reſurrectionis cunctorum. Quamobrem ſi debitam illi reverentiam exhibueris, æquè ſuſcipiet ac ſi toti corpori ejus exhiberes. Quod ego audiens acquievi, & quàm decentiùs potui ipſum ex hoc huc uſque ſervavi, de quo oſſe poſt plures dies Petrus quidam Monachus Cluniacenſis, vir ſuo tempore magnæ auctoritatis, qui Camerarius erat Domini Papæ Urbani atque Paſchalis ad nos veniens à me percunctatus eſt quid ſentiret. At ille ubi me referente accepit qualiter id adeptus fuerim, vera omnino eſſe confeſſus eſt, quæ Epiſcopus inde dixerat, ſeque præſentem fuiſſe aſſeruit, quando idem os à corpore Martyris ſublatum à Cardinali ſuſceperat.

al. frangeret

al. geſtire

Poſt hæc cùm pro exercendo Eccleſiaſticæ diſciplinæ rigore, tum pro Eccleſiarum in Anglia conſtitutarum relevatione, relicta Burgundia, Anſelmus Franciam ivit. Quod ubi Regi Anglorum Henrico innotuit, rogatus ad eum in Normaniam venit, ibique * Rex timore ſimul & amore Dei correptus reveſtivit illum de ſuis, & in amicitiam ejus receptus eſt. Converſante dehinc Anſelmo in Normania, reverſiſque Balduino & Wilhelmo, qui ex juſſu Regis atque Pontificis Romam pro expletione negotii quod de inveſtituris Eccleſiarum inter eos eo uſque verſabatur, directi fuerant, Wilhelmus Angliam ad Regem vadit, ac in brevi Beccum ad Anſelmum regreſſus rogat eum ex parte ipſius Regis ut jam ſopitis retroactis querelis ocior Angliam viſitet. Cui cùm ille promptus acquieſceret, & iter aggreſſus Gemmeticum veniret, infirmitate ne iter expleret inibi detentus eſt. Qua ſopita Beccum revertitur,

Regem

Regem Angliæ transfretaturum illic præstolaturus. Ubi cùm pro reditu ejus omnes exultatio mira teneret, ecce infirmitas Anselmi renovata, & ipsum lecto & subversa exultatione gravi cunctos mœrore prostravit. Igitur ipse nec manducare, nec aliquid unde salutem ejus sperare possemus facere poterat, & de morte illius * tantùm nos formido immensa tenebat: Inter hæc ut * cibi aliquid sumeret diligenti cura petebatur, sed ille nihil sibi animo esse, quomodo poterat, anhelo spiritu fatebatur. Nobis tamen preces multiplicantibus, tandem ne penitùs negando nos magis magisque gravaret, Fortè, ait, de perdice comederem si haberem. Quid plura? Per campos & sylvas dispersi sunt quique suorum, & dies unus in requirenda perdice casso labore consumptus.

al. tamen

al. in cibum

Contigit autem, ut unus ex Monasterii servientibus ipsa die per vicinam sylvam iter fortè caperet, negotio quo alii occupabantur nihil intendens, & ecce in via qua gradiebatur bestio'a, quam martyram vocant, perdicem in ore ferebat. Quæ bestiola viso homine suam ei prædam reliquit, sibique fuga consuluit. At ille perdicem assumens ad nos detulit. Ex qua æger noster reflectus, statim meliorari ab ægritudine cœpit, ac demum in dies melius meliusque habendo, pristinam est sanitatem adeptus.

Post hæc Episcopis & Abbatibus, qui exequiarum illius causâ convenerant, in sua remeantibus, remeavit etiam * Radulphus Abbas Cœnobii Sagiensis, qui unus erat ex eis. Unus igitur ex hominibus ejus per viam cœpit Anselmo detrahere, & quod meritò nullus infirmitati ejus compati deberet, præsertim, inquiens, cùm ipse cibo & potu saluti suæ, si remota jactantia vellet, facilè succurrere posset, maledica voce astruere. Quod Abbas audiens, hominem monuit ut sileret, nec de tanto viro quid sinistri ultrà proferret. Quæ ille subsannando despiciens, & in his quæ cœperat furore quodam exagitatus, persistens equo calcaribus institit, ut ab Abbate elongatus liberiùs ederet quod suæ mentis amaritudo sibi proponeret. Verùm cùm ipse præpeti cursu ferri gestiret, ac remissis habenis ocyor ire inciperet, quem sedebat quadrupes corruit, eumque magno cum * dedecore tergo suo excussit, ac per devexum montem longo rotatu præcipitatum à viri blasphemia linguam compescere docuit.

Dehinc in Assumptione beatæ Dei Genitricis & perpetuæ Virginis Mariæ Rex Henricus Beccum adveniens, omnia quæ inter se & Anselmum de sæpe fato negotio resederant, moderante Sedis Apostolicæ sanctione delevit, atque de singulis ad quæ tendebat, suæ illum voluntatis compotem fecit. Cùm igitur Angliam repetendi iter Anselmi certis ex causis aliquantisper demoraretur, rogatus ab Abbate Beccensi, dedicavit cappellam unam infrà curiam ipsius Cœnobii sitam. In qua dedicatione quidam Clericus phreneſis valetudine tunc noviter captus, à suis est ante Pontificem ductus, illicoque ad benedictionem ejus à suæ mentis alienatione sanatus.

Cùm post hæc prospero cursu Angliam venisset, magno sanctæ Ecclesiæ gaudio & honore susceptus est. Inde evolutis diebus nonnullis, Anglus quidam vir nobilis quidem & dives valida corporis infirmitate gravatus, ab Anselmo sibi panem à se benedictum transmitti per nuncium petiit, & accepit. Unde paululùm gustans juxta fidem suam statim convalescere cœpit, integræque sanitati donatus, Deo & Dei viro ex corde gratias egit.

Interè hæc Rex in Normannia positus valde lætabatur, sicut ferebant hi qui ad nos inde veniebant, quòd fuerat Anselmi pace potitus. Unde etiam firma sibi spe applaudebat, suo se dominio totam Normanniam subjugaturum. Quod & factum est. Nam conserto gravi prælio fratrem suum Robertum, Northumbriæ Comitem, & alios Principes, qui contra illum in bellum venerunt, cœpit; innumerisque peremptis, totam terram victor obtinuit, idque per litteras Anselmo gaudentur & gratiosus mox intimavit. Omnes verò qui hæc gesta tunc temporis audiere, ea meritis concordiæ, quam Rex cum Anselmo fecerat, adscripsere. Ipso anno Anselmus celebrata Paschali solemnitate, in Curia Regis apud Londoniam abiit ad Abbatiam sancti Edmundi, electum inibi Abbatem sua auctoritate roboraturus, & alia quædam officia Pontificalia pro suo jure celebraturus. Quæ ubi solenniter cuncta peregit, gravissima febre correptus, per plures dies penè usque ad emissionem ultimi flatus vexatus est. Pro quo illic octavas Pentecostes usque detentus est, & Consilium, quod se viduatis Ecclesiis Rex proposuerat collaturum, propter ejus absentiam in Calendas Augusti dilatum est. Eo igitur tempore adunatis in palatio Regis Londoniæ cunctis Primoribus Angliæ, victoriam de libertate Ecclesiæ, pro qua diu laboraverat Anselmus adeptus est. Rex enim antecessorum suorum usu relicto, nec personas quæ in * regimen Ecclesiarum sumebantur per se elegit, nec eas per dationem virgæ Pastoralis Ecclesiis quibus præficiebatur investivit.

Scripsit inter hæc Anselmus libellum unum *de concordia præscientiæ & prædestinationis, & gratiæ Dei, cum libero arbitrio.* In quo opere * contra morem, moram in scribendo passus est. quoniam ex quo apud sanctum Edmundum fuerat infirmatus, donec præsenti vitæ superfuit, solito imbecillior corpore fuit. Quapropter de loco ad locum migrans, lectica deinceps non equo sedens vehebatur. Vexabatur præterea frequentibus & acerbis infirmitatibus, ita ut vix illi vitam promittere auderemus. Ipse tamen nunquam pristinæ conversationis oblivisceba tur, sed semper aut meditationibus bonis, * aut exhortationibus sanctis, aut aliis piis operibus occupabatur. Tertiò igitur anno postquam à secundo exilio per Regem Henricum revocatus est, omnes cibi quibus humana natura vegetatur & alitur, in fastidium ei versi sunt. Manducabat tamen naturæ suæ vim faciendo, sciens se vivere non posse sine cibo. Qua vi per dimidium circiter annum vitam quoquo modo transigens sensim corpore deficiebat, animi virtute semper idem qui esse solebat existens. Spiritu itaque fortis, sed carne nimiùm fragilis pedes oratorium adire nequibat. Attamen consecrationi Dominici Corporis, quòd speciali quodam devotionis affectu venerabatur, interesse desiderans, singulis diebus illuc se in sella faciebat deferri. A quo dum nos qui ei serviebamus, eum quia multùm exinde fatigabatur, declinare niteremur; vix quinto ante sui exitus diem evincere potuimus. Exinde ergo assiduè lecto decubans, anhela voce omnes qui ad eum accedere merebantur, in suo quemque ordine Deo vivere hortabatur. Illuxerat Dominica dies palmarum, & nos pro more circa eum sedebamus. Dixit itaque ei unus nostrûm: Domine Pater, ut nobis intelligi datur, ad Paschalem Domini tui Curiam, relicto sæculo vadis. Respondit: Equidem si voluntas ejus in hoc est, voluntati ejus * libens parebo. Verùm si mallet me adhuc inter vos saltem tam diu manere, donec quæstionem, quam de animæ origine mente revolvo, absolvere possem; gratiosus acciperem, eò quòd nescio utrum aliquis eam me defuncto sit absoluturus. Ego quippe, si comedere possem, spero convalescerem. Nam nihil doloris in aliqua corporis parte sentio, nisi quod lassescente stomacho, * ob cibum quem capere * nequit, totus deficio.

al. exercitationibus

al. non contradiram

al. nequeo

Vesperascente dehinc feria tertia, cùm ipse verba, quæ intelligi possent, edere jam nulla valeret, rogatus à * Radulpho Rofensi Episcopo, ut nobis qui aderamus, & aliis filiis suis, Regi quoque & Reginæ cum liberis eorum, ac populo terræ, qui in ejus obedientia

se sub Deo tenuerat, suam absolutionem ac benedictionem largiretur, dexteram quasi nihil mali pateretur erexit, & signo sanctæ Crucis edito, demisso capite sedit. Jam Fratrum conventus in majori Ecclesia matutinas laudes decantabat, & unus eorum qui circa Patrem excubabant, sumpto textu Evangeliorum legit Passionem coram eo, quæ ipsa die ad Missam legi debebat. Ubi autem venit ad verba Domini, *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo*, lentiùs solitò spiritum trahere cœpit. Sensimus igitur eum jam jam obiturum, & de lecto super cilicium & cineres positus est. Adunatoque circa eum universo filiorum suorum agmine, ultimum spiritum in manus Creatoris emittens dormivit in pace. Transiit autem illucescente aurora quartæ feriæ præcedentis Cœnam Domini, quæ erat xj. Calendas Maii, anno videlicet Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo nono, qui fuit annus Pontificatus ejus decimus * sextus, vitæ verò septuagesimus sextus.

al. xvij.

Loto igitur ex more corpore ejus, petiit suprà sæpe memoratus rerum Anselmi provisor ac dispensator Balduinus, quatenus facies Patris balsamo, quod admodum parum in parvulo vase sibi majori ejus parte perdita remansérat, inungeretur, sperans atque peroptans eo modo illam vel modicè amplius servatum iri ne corrumperetur. Acquievimus, viri industriam amplectentes. Vas ergo ipsius liquoris in manum Episcopus sumpsit, & uncturus vultum defuncti, digitum fundo vasis immersit. Quem illico extrahens, sed vix summitatem sui digiti madefactam reperiens, ratus est balsamum ipsum ungendæ faciei haud quaquam posse sufficere. Quapropter rogat, balsamum quod conficiendo Chrismati in majori Ecclesia servabatur, afferri, cupiens videlicet una cum capite dexteram ejus, per quæ multa bona atque divina dixerat & scripserat, tali unctura honorari. In his cum Episcopo eram, & cum in ministerio illo juvabam. Impressi post eum in vas balsami digitum meum, & æquè, aut certè minus digito ejus madentem extraxi. Itaque rogatus Episcopus mihi vas in palmam versare si fortè inde aliqua gutta defflueret; acquievit, & illicò stupentibus cunctis liquor desiliens copia sui manum meam complevit & superefflluxit? Hoc ipsum secundò & tertiò ac sæpius factum est. Et quid dicam? Tantam abundantiam balsami vas ferme vacuum ministravit, ut intacto vase Ecclesiæ non solùm caput & manus, sed brachia, pectus, pedes quoque & totum corpus ejus non una sed sæpius repetita vice omni ex parte inungeremus. Dehinc more summi Pontificis vestibus est sacris indutus, & in oratorium debita cum veneratione delatus.

In crastino autem cùm sepulturæ traderetur, sarcophagum quod illi fuerat pluribus retroactis diebus præparatum, longitudine quidem & latitudine aptum, sed profunditate magna ex parte minus habens inventum est. Quod considerantes animo deficiebamus, nulla scilicet ratione pati valentes, ut superiori lapide pressus, sua integritate aliquatenus læsus privaretur. Cùm itaque in hoc plurimi fluctuarent, & alii sic, alii verò sic rem posse componi dictitarent; quidam ex conferta multitudine Fratrum, acceptum baculum Episcopi Rofensis, qui funeris officium præsens agebat, per transversum sarcophagi super corpus Patris ducere cœpit, & jam illud omni ex parte corpori jacentis præeminere magna nobis exinde admiratione permoris invenit. Ita ergo venerabile corpus Patris Anselmi * Cantuarensis Archiepiscopi ac Primatis totius Britanniæ sepulchro inclusum, quid conditio sortis humanæ habeat, in se omnes qui pertransseunt, sui exemplo monet attendere. Sane in obitu & post obitum ejus, multa à multis visa narrantur, quæ gloriam ejus, quam pro meritis suis eum recepisse à Deo non dubitamus, * attestantur. Quibus tamen scribendis laborem intrare noluimus, magis videlicet eligentes silentio nostro omnes qui dormiendo ea viderunt pares facere, quam ista scribendo, illa non scribendo, unum alii quasi potiora viderit anteferre. Ut enim cuncta scribantur, infiniti negotii est. Aperta denique facta, quæ Deus per ipsum facere dignatus est, & nos talium nudi pro posse digessimus, puto sufficere ad notitiam * retributionis & conversationis vitæ ejus. Sit itaque Deo Patri omnipotenti, & Filio, & sancto Spiritui laus & gratiarum actio, nunc & per omnia sæculorum sæcula. Amen.

al. Dorobernensis

al. retributionis vitæ

Digitized by Google

EADMERI
CANTUARIENSIS MONACHI
IN
HISTORIAM NOVORUM
PRÆFATIO.

CUM præsentis ætatis viros, diversis casibus subactos, intueor acta præcedentium anxiè investigare (cupientes videlicet, in eis unde se consolentur & muniant, invenire) nec tamen ad hoc pro voto posse pertingere, quoniam scriptorum inopiâ fugax ea delevit oblivio; videor mihi videre magnum quid posteris præstitisse qui suis gesta temporibus, futurorum utilitati studentes, litterarum memoriæ tradidere. Quos nimirùm si bono quidem zelo in hujusmodi desudarunt, bonam exinde mercedem recepturos à Deo crediderim. Hoc igitur considerato, penes me statui ea quæ sub oculis vidi vel audivi, brevitati studendo, stili officio commemorare; tum ut amicorum meorum me ad id obnixè incitantium voluntati morem gerani, tum ut posterorum industriæ, si fortè quid inter eos emerserit quod horum exemplo aliquo modo juvari queat, parum quid muneris impendam. Et ea quidem hujus Operis intentio præcipua est, ut designato qualiter Anselmus Beccensis Cœnobii Abbas fuerit Cantuariensis Archiepiscopus factus, describatur quamobrem, orto inter Reges Anglorum & illum discidio, totiens & tam diu exulaverit à regno, & quem eventum ipsa discidii causa inter eos sortita sit. Ipsa denique causa nova res huic nostro sæculo esse videtur, & à tempore quo in Anglia Normanni regnare cæperunt (non dico priùs) Anglis inaudita. Ex eo quippe quo Wilhelmus Normanniæ Comes terram illam debellando sibi subegit, nemo in ea Episcopus vel Abbas ante Anselmum factus est qui non primò fuerit Homo Regis, ac de manu illius Episcopatus vel Abbatiæ Investituram per dationem virgæ Pastoralis susceperit, exceptis duobus Episcopis, Ernesto videlicet atque Gundulfo. Hi namque, unus post unum, Roffensi Ecclesiæ præsidentes, ex more à venerandæ memoriæ Lanfranco Archiepiscopo Cantuariensi, in Capitulo Fratrum Cantuariæ, ipso Episcopatu investiti fuerunt. Hunc ergo morem quasi Deo sacrisque Canonibus contrarium Anselmus abolere, ac per hoc injustitias inde manantes resecare desiderans, Regibus ipsis invisus effectus est, & patriam exire coactus. Fuerunt & aliæ ipsius exitus causæ, sicut rerum gestarum series declarabit. Describentur etiam alia nonnulla, quæ & ante, & inter, & post hæc in Anglia provenerunt, quorum scientiâ illos qui nos sequuturi sunt penitus defraudandos pro nostro posse rati non sumus. Sed hæc in Prologo paucis memorasse sufficerit. Cæterùm narrandi ordinem aggredientes, paulò altiùs ordiendum putamus; & ab ipsa, ut ita dixerim, radicis propagine de qua eorum quæ dicenda sunt germen excrevit, brevi relatu progrediendum.

Digitized by Google

EADMERI
CANTUARIENSIS MONACHI
HISTORIA NOVORUM

LIBER PRIMUS.

Edgarus Rex.

REGNANTE in Anglia glorioſiſſimo Rege Edgaro, & totum regnum ſanctis legibus ſtrenuè gubernante, Dunſtanus Cantuariorum Antiſtes, vir totus ex virtutibus factus, Chriſtianæ legis moderamine totam Britanniam diſponebat. Hujus gravi operatione, atque conſilio, Rex idem & Deo devotus extitit, & undique irruentium barbarorum impetus invictâ virtute debellâvit, evicit, compreſſit. Pacem itaque dieſque fœlices Anglia circumquaque obtinuit, dum Regis iſtius & Patris Dunſtani corporali præſentiâ potiri promeruit. Qui Rex cùm vitæ ſuæ diem ultimum propinquum ſore ſentiret, Edwardo filio ſuo regni habenas reliquit.

Edwardus Edgari Regis filius.

Succeſſor ergo glorioſi patris glorioſus Edwardus, à ſancto Dunctano inſtitutus, regnum, quo tempore vixit, ſtrenuiſſimè rexit. Verùm evolutis coronæ ſuæ pauculis annis impiâ ſuæ novercæ fraude necatus,

Edelredus Rex.

fratrem ſuum, Edelredum nomine, filium ipſius malæ mulieris, regni quidem, ſed nullius probitatis, hæredem ſorcitus eſt. Cui, quia per ſanguinem Fratris ad regnum aſpiravit, gravi invectione præfatus Antiſtes comminatus eſt; quòd ipſe videlicet in ſanguine victurus, quòd barbarorum incurſus atroci oppreſſione paſſurus, quòd ipſum quoque regnum innumeris atque cruentis vaſtationibus conterendum foret edixit. Quæ prophetia viri Dei quàm vera extiterit, & in chronicis, qui legere volunt, & in noſtris tribulationibus qui advertere ſciunt, videre facillimè poſſunt, ne dicam in his quæ iſtius operis ſeries per loca, veritate dictante, demonſtrabit.

Tranſlato igitur ad cœleſtia beato Dunſtano; eveſtigio, ut prædixerat ipſe, barbarorum irruptioni Anglia patuit. Regis etenim deſidia circumcirca innotuit, & ideo exterorum cupiditas opes Anglorum quàm mores affectans, hac & illac, per mare, terram invadere, & primò propinquas mari villas & urbes, deinde remotiores, ac demum totam provinciam miſerabili depopulatione devaſtare. Quibus cùm ille, nimio pavore percuſſus, non armis occurrere, ſed data pecunia pacem ab eis petere non erubuiſſet; ipſi ſuſcepto precio in ſua revertebantur, ut numero ſuorum adaucto ferociores redirent, ac præmia iteratæ irruptionis multiplicata reciperent: unde modò decem millia, modò ſedecim millia, modò viginti quatuor millia, modò triginta millia librarum argenti conſecuti ſunt; omnia eis largiente præfato Rege Edelredo, & gravi exactione totum regnum opprimente. Inter iſta mala quartus à beato Dunſtano Alfegus, Wentanus Epiſcopus Eccleſiam Cantuarienſem regendam ſuccepit, vir ſtrenuus, & ab infantia ſua ſacrâ Religionis vitâ & habitu decoratus. Hic igitur conſideratis innumeris malis quibus totum regnum in immenſum devaſtabatur, inhorruit; & quibus poterat modis operam dare cæpit quemadmodum immanitati nefandorum hominum poſſit obviari. Quod ipſi percipientes, & ne conſuetis quæſtibus privarentur, ſibi ac ſuis providentes, in ipſum acerbo odio animati ſunt. Unde vaſtatâ & conflagratâ civitate Cantuariâ, civibuſque ejus lachrymabili per eos ſorte damnatis, Eccleſiam quoque Savaltoris in ea conſiſtentem flamma conſumpſit. Ipſe Pater interea furentum manibus vinctus abducitur, trucidatis primò coram eo penè omnibus Monachis qui ſub ejus regimine in ipſa Eccleſia Domino Chriſto famulabantur. Inde Alfegus naucellæ injectus, ad Grenewic vehitur, & crudeli cuſtodiæ per ſeptem menſes mancipatus, dum malignantium iniquitati manus dare nullis minis victus adquieſceret, ſæviſſima nece ab eis lapidatus occubit. Hæc paucis commemoraverim non hiſtoriam texens; ſed quàm veridico vaticinio Pater Dunſtanus mala Angliæ ventura prædixerit, ſcire volentium intellectui pandens. Nec hic malorum finis extitit. Acta ſunt enim poſt hæc & alia per Angliam ingentia mala, ac pluribus annis ſemper ſunt ſibi ipſis in deterius aucta. Inter quæ, Monaſteria quoque ſervorum & ancillarum Dei, quæ uſque in quadraginta octo numero, tempore Regis Edgari per Patrem Dunſtanum, cooperantibus ſancti Oſwaldo videlicet Eboracenſi, & Athelwoldo Pontifice Wintonienſi, nova ſurrexerant, & magna ex parte diruta; & Religio Monachici Ordinis in nihil penè redacta eſt. Tranſierunt in iſtis anni plures.

Edwardus Confeſſor Rex.

Regnante autem Edwardo, quem ex ſorore Richardi Comitis Normannorum, Imma nomine, præfatus Rex Anglorum Adelredus filium ſuſceperat; Monaſteriorum, quæ uſque id temporis deſtructioni ſupererant, plurima deſtructio facta eſt. Qua tempeſtate Godwinus Cantiæ Comes magnanimus per Angliam terra marique habebatur. Hic orto inter illud & Regem gravi diſcidio, exul ab Anglia cum ſuis omnibus ferè judicatus eſt. Ivit itaque ad Comitem Baldwinum in Flandriam, & Haraldus filius ejus in Hiberniam. Hinc, Matre Regis Imma defunctâ, Godwinus & Haraldus in Angliam reverſi ſunt; numeroſis uterque navibus & validâ Militum manu vallatus. Quod multi Principum Regis agnoſcentes, & bellum hinc inde moveri horreſcentes, ut pax utrinque fieret inſtiterunt. At Rex Godwini verſutiæ ſuſpectui habens, reſtitit, nec paci acquieſcere voluit, niſi primò quibus ſibi ſecuritas pararetur obſides haberet. Vulnothus itaque filius Godwini, & Hacun filius

Digitized by Google

Edwardus Confeſſor Rex. Suani filii ſui, obſides dantur, ac in Normannia Willelmo Comiti, filio ſciſicet Roberti filii Richardi fratris matris ſuæ, cuſtodiendi deſtinantur. Quibus geſtis Godwinus, utpote hoſtis Eccleſiæ Cantuarienſis (nam ſeducto Edzino Archiepiſcopo, villam ipſius Eccleſiæ nomine Folcheſtanum ei ſurripuit) mala morte poſt breve tempus interiit, & Haraldus filius ejus Comitatum Cantiæ patri ſuccedens obtinuit. Is, elapſo modico tempore, licentiam petivit à Rege Normanniam ire & fratrem ſuum atque nepotem qui obſides tenebantur liberare, liberatos reducere. Cui Rex: Hoc, inquit, non fiet per me: Veruntamen ne videar te velle impedire, permitto ut eas quo vis, ac experiare quid poſſis. Præſentio tamen te in nihil aliud tendere, niſi in detrimentum totius Anglici regni & opprobrium tui. Nec enim ita novi Comitem mentis expertem, ut eos aliquatenus velit concedere tibi, ſi non præſcierit in hoc magnum proficuum ſui. Aſcendit itaque Haraldus navem ſuo quàm Regis conſilio credens cum ditioribus & honeſtioribus hominibus ſuis, auro & argento veſteque precioſa nobiliter inſtructis. Mare turbulentum navigantes exterritat, & navem undarum cumulus vehementer exagitat. Ejecta tandem cum omnibus quæ ferebat in Pontivum fluvium qui Maia vocatur, à Domino terræ illius, pro ritu loci, captivitati addicitur; & homines in ea conſiſtentes diligentiori cuſtodiæ mancipantur. Conſtrictus igitur Haraldus quemlibet ex vulgo promiſſa mercede illectum clam ad Comitem Normanniæ dirigit, exponere illi quid ſibi contigerit. At ille feſtinatò per Nuncios mandat Domino Pontivi Haraldum cum ſuis ab omni calumnia liberum ſibi quantociùs mitti, ſi priſtinâ amicitiâ ſuâ à modò vellet ex more potiri. Sed cùm ille hominem dimittere nollet, iterum in mandato accepit ſe neceſſariò Haraldum miſſurum, alioquin certiſſimè ſciret Willelmum Normaniæ Ducem armatum pro eo Pontivum iturum. Mittit igitur virum cum ſociis, primò tamen eis quæ meliora detulerant ſimul ablatis. Hinc ad Willelmum Haraldus veniens honorificè ſuſcipitur. Et audito cur patriam exierit, bene quidem rem proceſſuram ſi in ipſo non remaneret, Willelmus reſpondit. Tenuit ergo virum aliquot diebus circa ſe, & in mora illa, more prudentis, aperuit ei quod habebat in mente. Dicebat itaque Regem Edwardum quando ſecum juvene olim juvenis in Normannia demoraretur; ſibi interpoſitâ fide ſuâ pollicitum fuiſſe quia ſi Rex Angliæ foret, Jus regni in illum jure hæreditario poſt ſe transferret. Et ſubdens ait. *Tu quoque ſi mihi te in hoc ipſo adminiculaturum ſponderis, & inſuper Caſtellum Dofris cum puteo aquæ ad opus meum te facturum: ſororemque tuam quam uni de principibus meis dein in uxorem te, ad me, tempore quo Nobis conveniet, deſtinaturum: necne filiam meam te in conjugem acceptarum fore promiſeris, tunc & modò nepotem tuum, & cùm in Angliam regnaturus venero, fratrem tuum incolumen recipies. In quo regno ſi aliquando fuero tuo favore confirmatus, ſpondeo quia omne quod à me tibi rationabiliter concedi petieris, obtinebis.* Senſit Haraldus in his periculum undique, nec intellexit quâ evaderet, niſi in omnibus iſtis voluntati Willelmi adquieſceret. Adquievit itaque. At ille ut omnia rata manerent, prolatis Sanctorum Reliquiis, ad hoc Haraldum perduxit quatenus ſuper illas jurando teſtaretur ſe cuncta quæ convenerant inter eos opere completurum, niſi communi mortalibus ſorte præſenti vitæ præriperetur. His ita geſtis, Haraldus, adepto nepote, in patriam ſuam reverſus eſt. Ubi verò quid acciderit, quid egerit, Regi percunctanti narravit: Nonne dixi tibi, ait, me Willelmum nôſſe, & in illo itinere tuo plurima mala huic regno contingere poſſe? In brevi poſt hæc, obiit Edwardus. Juxta quod illic ante mortem ſtatuerat, in regnum ei ſucceſſit Haraldus.

Haroldus Rex. Dein venit nuntius in Angliam à præfato Willelmo directus, expetens ſororem Haroldi, juxta quod convenerat Willelmo & illi. Alia etiam quæ, violato ſacramento, ſervata non erant, calumniatus eſt. Ad quæ Haroldus hoc modo fertur reſpondiſſe. *Soror mea quam, juxta conditum, expetis, mortua eſt. Quòd ſi corpus ejus quale nunc eſt vult Comes habere, mittam, ne judicer ſacramentum violâſſe quod feci. Caſtellum Dofris & in eo puteum aquæ licet neſciam cui, ut vobis convenit, explevit. Regnum quod nec dum fuerat meum, quo jure potui dare vel permittere? Si de filia ſua quam debui in uxorem, ut aſſerit, ducere, agit; ſuper regnum Angliæ mulierem extraneam, inconſultis Principibus, nec debere, nec ſine grandi injuriâ poſſe adducere noverit.* Reverſus nuntius reſponſa retulit Domino ſuo. Quibus ille auditis, iterùm ei amicâ familiaritate mandavit quatenus aliis omiſſis, ſervatâ fidei ſponſione, ſaltem filiam ſuam uxorem duceret; alioquin ſe promiſſam regni ſucceſſionem armis ſibi vindicaturum proculdubiò ſciret. At ipſe nec illud quidem ſe facere velle, nec hoc formidare, reſpondit. Unde Willelmus indignatus, magnâ ſpe vincendi belli ex hac Haroldi injuſtitia eſt animatus. Parata igitur claſſe, Angliam petit, conſertoque gravi prælio Haroldus in acie cecidit, & Willelmus victor regnum obtinuit. De quo prælio teſtantur adhuc Franci qui interfuerant: quoniam licet varius caſus hinc inde extiterit, tamen tanta ſtrages ac fuga Normanorum fuit, ut victoria quâ potiti ſunt, verè & abſque dubio ſoli miraculo Dei aſcribenda ſit, qui puniendo per hanc iniquum perjurii ſcelus Haroldi oſtendit ſe non Dominum eſſe volentem iniquitatem.

Willelmus I. Rex. Rex itaque factus Willelmus, quid in Principes Anglorum qui tantæ cladi ſupereſſe poterant, fecerit; dicere, cùm nihil profit, omitto. Qui ex quo victoria uſus eſt, quod fuit pridiè Idus Octobris, inunctus permanens; in Nativitate Domini unctus eſt in Regem apud Weſtmonaſterium à beatæ memoriæ Ealredo Archiepiſcopo Eboracenſi, & nonnullis Epiſcopis Angliæ. Quam conſecrationem licet ipſe Rex & omnes alii optimè noſſent debere ſpecialiter fieri & propriè à Pontifice Cantuarienſi; tamen quia multa mala & horrenda crimina prædicabantur de Stigando, qui eo tempore ibi Pontifex erat, volnit eam ab ipſo ſuſcipere, ne maledictionem videretur induere prò benedictione. Uſus ergo atque leges, quas patres ſui & ipſa in Normannia habere ſolebant, in Anglia ſervare volens, de hujuſmodi perſonis Epiſcopos, Abbates, & alios Principes per totam terram inſtituit, de quibus indignum judicaretur, ſi per omnia ſuis legibus, poſtpoſitâ omni alia conſideratione, non obedirent; & ſi ullus eorum, pro quavis terreni honoris potentia, caput contra eum, levare auderet; ſcientibus cunctis unde, qui, ad quid aſſumpti fuerint. Cuncta ergo Divina ſimul & humana ejus nutum expectabant. Quæ cuncta ut paucis animadvertantur, quædam de eis quæ nova per Angliam ſervari conſtituit, ponam; æſtimans illa ſcitu eſſe neceſſaria ad cognitionem eorum quorum cauſâ maximè iſtud ſcribendi onus ſuſcepimus. Non ergo pati volebat quemquam in omni dominatione ſua conſtitutum Romanæ urbis Pontificem pro Apoſtolico, niſi ſe jubente recipere, aut ejus literas, ſi primitùs ſibi oſtenſæ non fuiſſent, ullo pacto ſuſcipere. Primatem quoque regni ſui, Archiepiſcopum dico Cantuarienſem, ſi coacto generali Epiſcoporum Concilio præſideret, non ſinebat quicquam ſtatuere aut prohibere, niſi quæ ſuæ voluntati accommoda, & à ſe primò eſſent ordinata. Nulli nihilominus Epiſcoporum ſuorum conceſſum iri permittebat, ut aliquem de Baronibus ſuis ſeu Miniſtris, ſive inceſto, ſive adulterio, ſive aliquo

Willielmus I. Rex. capitali crimine denotatum, publicè nisi ejus præcepto implacitaret aut excommunicaret, aut ullâ Ecclesiastici rigoris pœnâ constringeret. Quæ autem in secularibus promulgaverit, ea re litterarum memoriæ tradere supersedemus; quoniam & ea nihil nostri officii scribere refert, & ex Divinis quæ juxta quod delibavimus ordinavit, qualitas illorum, ut reor, adverti poterit. Ut ita cœptum peragamus iter, de his satis dictum.

In hujus Regni anno quinto Lanfrancus Cadomensis Cœnobii Abbas, vir strenuus, & in divinis atque humanis rebus excellenti scientia præditus, Angliam ex præcepto Domini Papæ Alexandri & prædicti Regis advenit, & pauco post tempore Archiepiscopatum Cantuariensem regendum suscepit. Sacratus est autem in ipsa metropoli Sede quarto Kalend. Septembris à cunctis fermè Episcopis Angliæ. Hic Romam pro debito sibi pallio iens, Thomam Archiepiscopum Eboracensem, quem ipse factâ sibi de subjectione sua Canonicâ professione Cantuariæ consecraverat, & Remigium Lincolniensem Episcopum comites itineris habuit. Qui Romam simul pervenientes, urbanè suscepti sunt, honore singulis congruo. Post quæ, statuto die Pater Lanfrancus Apostolicæ Sedis Pontifici Alexandro præsentatur: Cui, quod Romanam scientibus consuetudinem fortè mirum videatur, ipse Papa ad se intranti assurgens, eum, ut gressum figeret, dulciter hortatus est. Ac deinde subdens, *Honorem*, inquit, *exhibuimus non quem Archiepiscopatui tuo, sed quem Magistro (cujus studio sumus in illis, quæ scimus, imbuti) debuimus. Hinc quod ad te pertinet, ob reverentiam beati Petri te exequi paratum est.* Residente igitur illo, Lanfrancus progressus humiliat se ad pedes ejus, sed mox ab eo erigitur ad osculum ejus. Considunt & lætè inter eos agitur dies ille. Sequenti luce, cùm jam diversa negotia in medium ducerentur, calumniatus est coram Papa memoratum Thomam cum præfato Remigio, quòd neuter illorum jure fuerit promotus ad Pontificatum. Primus, ea scilicet re, quòd sacri Canones filios Presbyterorum, quos religionis ordo non ornat, à sacrorum Ordinum promotione removeant. Sequens verò pro eo quod, factâ conventione, illum à Willielmo, pòst Rege facto, emerit, officio videlicet quo ei in excidium Angliæ properanti multifariâ contentione ac multiplicibus impensis deservierat. Ad hæc illi nullam, quâ excusari possent, probabilem causam habentes, redditis Baculis & Annulis cum cura Pontificali, ad petendam misericordiam conversi sunt. Quorum precibus sese Lanfrancus medium injiciens, sicut erat vir pietate ac sapientia pollens, eos multarum rerum scientiâ fultos, novo Regi in novis regni dispositionibus perneccessarios, multis præstare oratoriâ facultate ostendit. Quibus auditis, Pontifex summus conversus ad eum: *Tu videris*, inquit, *Pater es patriæ illius, ac per hoc industriæ tuæ consederet quid expediat. Virgæ pastorales, quas reddiderunt, ecce hîc sunt, accipe illas atque dispensa prout utilius Christianitati regionis illius agnoscere poteris.* At ille, susceptis eis, illico in præsentia Papæ revestivit præfatos viros, quemque suâ. Dein Lanfrancus stolâ summi Pontificatus à Papa susceptâ in iter reversus Angliam cum sociis alacer advectus est; & à Cantuaritis debitâ reverentiâ receptus, Primas totius Britanniæ confirmatus est. Post hæc, evoluto brevi temporis spacio, fama nominis ejus & magnitudo prudentiæ ejus quaquè insonuit, eumque apud hominum mentes clarum fecit atque spectabilem.

Is inter alios, immò præ aliis, erat memorato Regi Willelmo acceptus, & Dei rebus in cunctis non mediocri curâ intentus. Quaproper magno semper operam dabat, & Regem Deo devotum efficere, & religionem morum bonorum in cunctis ordinibus hominum per totum regnum renovare. Nec privatus est desiderio suo: multùm enim illius instantiâ atque doctrinâ per totam terram illam Religio aucta est, & ubique nova Monasteriorum ædificia, sicut hodie apparet, constructa. Quorum ædificiorum constructoribus ipse primus exemplum præbens, Ecclesiam Christi Cantuariensem, cum omnibus Officinis quæ infra murum ipsius Curiæ sunt, cum ipso muro ædificavit. Qua verò prudentiâ, & quo paternitatis officio Monachos in eadem Ecclesia consistentes à sæculari vita, in qua illos invenit plus æquo versari, erexerit, omnique sanctæ conversationis tramite imbuerit, ac multiplicato illorum numero, qua eos dum vixit benignitate confoverit, cui unquam ad plenum declarare possibile erit? Quos, ut interim alia taceam, quia sine penuria & sollicitudine Dei servitio semper intendere desiderabat; apud Regem sua sagacitate & industria egit, quatenus ferè omnes terras, quas Normanni de jure ipsius Ecclesiæ, cum primò terram cæpissent, invaserant, & etiam quasdam alias quæ ante illorum introitum propter diversos casus perditæ fuerant, ipsi Ecclesiæ redderet. Verùm de his ac innumeris aliis bonis, quibus insudando vitam suam consummavit, licet mihi quidem scribere opus non sit, propter quod & opera ejus ita parent, ut ipsa se evidentiùs scripto demonstrent, & ipsemet de rebus Ecclesiasticis quæ suo tempore gesta sunt, veraciissimo & compendioso calamo scripserit; tamen pro dulcedine memoriæ ejus, quæ prælibavimus paucis explicare gratum duximus.

Willielmus I. Rex.

Hic ergo Lanfracus cùm Cantuariam primò veniisset, & Ecclesiam Salvatoris, quam regere susceperat, incendio atque ruinis penè nihil factam invenisset, mente consternatus est. Sed cùm magnitudo mali illum cogeret desperare, rediit in se, animique fortitudine fretus, suâ commoditate posthabitâ, domos ad opus Monachorum necessarias, citato opere consummavit. Quibus ubi per plures annos usi sunt, adaucto eorum conventu, parvæ admodum visæ sunt. Destructis itaque illis, alias decore ac magnitudine prioribus multùm præstantes ædificavit. Ædificavit & Curiam sibi, Ecclesiam præterea, quam spacio septem annorum à fundamentis fermè totam perfectam reddidit; in Cappis, Casulis, Dalmaticis, Tunicis auro magnificè insignitis, palliis, & aliis ornamentis multis ac preciosus nobiliter decoravit. Erga Fratres autem ipsius Ecclesiæ quàm bonus, quàm pius, quàm beneficus extiterit, inde aliquantulum colligi potest, quod nec ex parentibus aut fratribus eorum sustinere poterat penuriâ ullâ quenquam affligi. Et, quod magis fortè mireris, in usum acceperat non expectare ut subvenire rogaretur, sed misericordiæ visceribus plenus, modo hinc, modo illi ultro offerebat, quod egenti cognato per plurimum temporis auxilio esse valeret. In quo tamen semper ducebatur præcipua discretione, considerato videlicet penes se merito ac necessitate cujusque. Ad hæc, quidam ipsius Cœnobii Frater singulis annis triginta solidos denariorum ad opus matris suæ ab ipso Patre solebat accipere. Huic quadam vice solidi quinque de illis (nam divise per temporum vices conferebantur) ex præcepto ejus dati sunt; quos ipse in panno ligatos, matri loquens in manum sicut putabat clanculo dedit. At ipsa, alias mente intentâ, quid filius faceret non advertit; & ita nummis decidentibus, divisi ab invicem sunt mater & filius. Post hæc mandavit mulier filio suo, scire volens quid de nummis actum fuerit, quos sibi se daturum spoponderat. Admiratus ille, fecit eam venire ad se. Et audiens rei eventum tristis effectus est, non tantùm pro damno quod Matri contigerat, sed no hoc Archiepiscopus sciens, ob incuriam suam irrita-

Digitized by Google

WILLIELMUS I. Rex.

tus, cum aliquatenus gratiâ suâ privaret. Inter hæc, pius Pater pro more claustrum introiens sedit, ac Fratrem à materno colloquio redeuntem mœstum intuens, remotis aliis, causam mœstitiæ ejus secretè perquirit, audit, & benignissimo vultu, sicut jugiter erat circa afflictos, ita respondit. Et inde, fili mi carissime, contristaris? Denarios illos Deus alii prædestinavit & contulit, qui eis plus matre tua fortassis indiguit. Tace, & ne cuiquam inde loquaris diligenter attende. Ac ne quod actum est animum tuum vel modicum gravet, solidos septem pro illis quinque ad utilitatem Matris tuæ tibi hodie dari præcipiam. Sed, ut dixi, inde id nemo sciat. Ipsum quippe usum in dando habebat, ut danda hilariter daret, & nulli vel datum vel dantis personam cuivis revelare concederet. Et hæc quidem de ipsius Matris Ecclesiæ Monachis dicta sint. Cæterum quis unquam pauper clamavit ad eum, & despectus est? Quis Peregrinorum de quocunque ordine hominum petiit opem ejus, & eam assecutus non est? Quæ Congregatio Monachorum seu Clericorum ad ipsum aliquando milit subsidium petens, & copiam largitatis ejus ultra quàm sperabatur experta non est? Testis horum quæ dicimus Italia, Gallia, Britannia est, quæ usque hodie mortem Lanfranci miserando suspirio plangit. Quid referam de Abbatia sancti Albani, quam intus & extra ad nihilum ferè devolutam ipse, ut suam, instituto ei bonæ memoriæ Paulo Abbate, à fundamentis reædificavit, & intus magna religione, foris multarum rerum donatione auxit, honestavit, ditavit. In Episcopatu Rossensi non multò plures quàm quatuor Canonicos & ipsos ærumnosam vitam agentes sub Siwordo Episcopo reperit. Qui Episcopus ubi cum Ernesto quem ei successorem Lanfrancus statuerat, præsenti vitæ sublatus est: Monachus piæ recordationis, Gundulfus nomine, ab eodem ibi subrogatus Episcopus est. Per hunc vetustam Ecclesiam Episcopatus cum fabrica adjacente subvertit, & nova quæque extruxit. Clericos qui illic, sicut diximus, vitam agebant, aut in eodem loco ad religionis culmen erexit; aut, datis aliis rebus, de quibus abundantiùs solito victum & vestitum haberent, in alia loca mutavit. Sedem etenim Episcopalem Monachici Ordinis cultu instituit, ac delegatis terris, & aliis quæ sustentationi illic servientium Deo competebant, divitem de paupere, sublimem de humili, sicut in præsenti habetur, effecit. Sed quod de pauperibus foras muros civitatis Cantuariæ fecit, prætermittendum mihi in hoc opere fore non arbitror. Extra aquilonalem denique portam urbis illius lapideam domum decentem & amplam construxit, & ei pro diversis necessitudinibus hominum & commoditatibus habitacula plura cum spaciosa curte adjecit. Hoc palatium in duo divisit; viros videlicet variis infirmitatum qualitatibus pressos uni; parti verò alteri fœminas se malè habentes instituens. Ordinavit etiam eis de suo vestitum, & victum quotidianum: Ministros quoque atque Custodes qui modis omnibus observarent ne aliquid eis deesset; neque viris ad fœminas, vel fœminis ad viros accedendi facultas ulla adesset. Ex altera verò parte viæ Ecclesiam in honorem beati Gregorii Papæ composuit, in qua Canonicos posuit, qui regulariter viverent, & præfatis infirmis quæ saluti animarum suarum congruerent cum sepultura ministrarent. Quibus etiam in Terris, in Decimis, & in aliis redditibus tanta largitus est, ut ad sustentationem eorum sufficientia esse viderentur. Remotiùs verò quam à Boreali, ab Occidentali portæ civitatis ligneas domos in devexo montis latere fabricans, eas ad opus Leprosorum delegavit, viris in istis, quemadmodum in aliis, à Fœminarum societate sejunctis. His nihilominus pro qualitate sui morbi omnia quibus egerent de suis ministrari constituit, institutis ad hoc peragendum talibus viris, de quorum solertia benignitate ac petientia, ut sibi quidem videbatur, nemini foret ambigendum. Super hæc, in villis ad Pontificatum pertinentibus domos multas atque honestas partim de lapide, partim de ligno, sibi & successoribus suis ædificavit. Pro dignitate autem Ecclesiæ Cantuariensis quam quidam de Episcopis, sed maximè Thomas Archiepiscopus Eboracensis, ut novus Angliæ Civis, nimiùm conatus est ad exaltationem suæ Ecclesiæ humiliare, quantos labores perpessus sit, & quemadmodum ipsum Thomam ad mensuram Antecessorum suorum humiliaverit, supervacaneum est atque dependens hîc aliquid scribere. Ipse etenim inde veritate plena & totius Regni assensu confirmata sub testimonio Regii sigilli scripta reliquit. Qui eo quidem magis in istis laboravit, quòd antiqua ipsius Ecclesiæ privilegia in ea conflagratione quæ eandem Ecclesiam tertio ante sui introitus annum consumplit, penè omnia perierant.

WILLIELMUS I. Rex.

Alias quoque consuetudines quas priscis temporibus Ecclesiæ Cantuariensi, ut liberrima in cunctis existeret, Reges Angliæ sua munificentia contulerunt, & stabiles in perpetuum manere sacratissimâ sanctione constituerunt, quorundam imprudentiâ perditas, sua prudentiâ recuperavit. Odo siquidem Episcopus Bajocensis, ut de aliis taceam, frater prædicti Regis Willielmi, & Cantiæ Comes, priusquam Lanfrancus Angliam intrasset, magnus & præpotens per totum Regnum habebatur. Hic dominatione qua immensum sustolliebatur, non modo terras, sed & libertatem nominatæ Ecclesiæ nullo ei obsistente multipliciter invaserat, oppresserat, tenebat. Quæ ubi Lanfrancus, ut erant, didicit; apud Regem de illis agit sicut oportere sciebat. Unde præcepit Rex, quatenus adunatis primoribus & probis viris non solùm de Comitatu Cantiæ, sed & de aliis Comitatibus Angliæ, querelæ Lanfranci in medium ducerentur, examinarentur, determinarentur. Dispolito itaque apud Pinnedene Principum conventu Goffridus Episcopus Constantiensis, vir ea tempestate prædives in Anglia, vice Regis Lanfranco justitiam de suis querelis strenuissimè facere jussus, fecit. Lanfrancus enim valida ratione subnixus, ex communi omnium astipulatione & judicio, ibi cuncta recuperavit quæ ostensa sunt antiquitùs ad jura Ecclesiæ Christi Cantuariensis pertinuisse, tam in terris quàm in diversis consuetudinibus.

Item alio tempore idem Odo, permittente Rege, placitum instituit contra sæpefatam Ecclesiam, & tutorem ejus Patrem Lanfrancum, & illuc omnes quos peritiores legum & usum Anglici Regni noverat, gnarus adduxit. Cum igitur ad eventilationem causarum ventum esset, omnes qui tuendis Ecclesiæ causis quaque convenerant in primo congressu ita convicti sunt, ut in quo eas tuerentur simul amitterent. Ipse namque Lanfrancus non intererat. Talibus enim, nisi necessitas summa urgeret, ei interesse moris non erat. Ipsi ergo in Camera Lectioni divinæ occupato quid gestum fuerit nunciatur. At ille nil corde perterritus dicta adversariorum non rectè processisse asseruit, & ideo cuncta in crastinum induciari præcepit. Sequenti nocte, adest in visu Antistiti beatus Dunstanus, monens ne illum multitudo conturbet, sed de præsentia sui securus placitum manè ipsemet hilaris intret, quod & fecit. Suas itaque causas quodam exordio quasi à rebus quæ tractatæ fuerant vel tractandæ penitus alieno cunctis stupentibus orsus ita, processit ut quæ super eum pridie dicta fuerunt sic devinceret & inania esse monstraret; ut donec vitæ præsenti superfuit, nullus exurgeret qui inde contra eum os aperiret. De his ita.

Super hæc suis quoque, & eisdem fermè diebus

WILLIEL. MUS I. Rex. omnes circiter qui ex Clericali ordine per Regem Willielmum in Anglia conſtituti Pontifices erant, Monachos qui in nonnullis Epiſcopatibus Angliæ ab antiquo vitam agebant, inde eliminare moliti ſunt; & Regem ipſum in hoc ſibi conſentaneum effecerunt; in quo tamen ſe effectu potituros certi extiterant, ut Walchelinus Epiſcopus adunatos penè quadraginta Clericos, Canonicorum more, tonſura ac veſte redimitos haberet, quos, ejectis Monachis, Wentanæ Eccleſiæ, cui præſidebat, mox intromitteret. Sola mora hæc peragendi, nondum requiſita ab Archiepiſcopo Lanfranco licentia fuit. Ut autem eam dicto quoque citiùs impetraret, nulla menti ejus dubitatio inerat; ſed aliter ac ſibi mens ſua ſponderat exitus rei provenit. Nam ubi quod Epiſcopus moliretur inſonuit auribus ejus, illicò facinus exhorruit, nec ſe dum viveret ut effectum quoquo modo talis voluntatis obtineret conſenſurum aſſeruit. Ita ergo & Clerici, qui ſuccedere Monachis fuerant per Walchelinum collecti, & in ſua dimiſſi ſunt, & Monachi qui cedere Clericorum præjudicio quodam damnati erant, gratia Dei & inſtantia boni Lanfranci priſtinæ converſationis in ſua Eccleſia compotes effecti ſunt. Nec iſta pro ſedandis quorundam animoſitatibus, quas ad dejectionem Monachorum conceperant, ſufficere poterant. Namque pari voto, ſimili conamine, uno conſenſu, concordi animo Pontifices, quos religionis ordo non ſibi aſtrinxerat, eniti cæperunt quatenus ſaltem de Primatu Cantuarienſi Monachos eradicarent, intendendes ſe hoc facto facillimè alios aliunde excluſuros. De illis etenim, potioribus, ſicut eis videbatur, rationibus ad id agendum fulciebantur, partim ob ſublimitatem Primatis Sedis, quæ diſpoſitioni & correctioni Eccleſiarum per ſuas perſonas quaque per Angliam invigilare habet, partim ob alias multiplices cauſas quarum executio, juxta quod ipſi confingebant, magis Clericorum quam Monachorum officium ſpectat. Deductus eſt in ſententiam iſtam Rex & alii Principes regni, Lanfranco ut ſui moris erat totis viribus obnitente, & omnium molimini ac invidiæ viriliter reſiſtente. Ne tamen poſt obitum ſuum fieret quod ſe ſuperſtite ſciebat per auxilium Dei nequaquam perficiendum, neſciens mortis ſuæ diem vel horam, egit ſagacitate & induſtria, qua pollebat, ut auctoritate Romanæ & Apoſtolicæ Sedis Monachorum habitatio in eadem Eccleſia confirmaretur, & inconvulſa dum ſæculum duraret in perpetuum ſtabiliretur. Quod privilegio tali ſummus Apoſtolicæ Antiſtes Alexander Sedis ita ſcripto ſuo roboravit.

ALEXANDER *Epiſcopus Servus Servorum Dei: Reverendiſſimo Fratri in Chriſto* LANFRANCO *Venerabili Cantuariorum Archiepiſcopo, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.*

Accepimus à quibuſdam venientibus de veſtris partibus ad limina Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli quòd quidam Clerici aſſociato ſibi terrena poteſtatis, Laicorum videlicet auxilio, diabolico ſpiritu repleti, moliuntur de Eccleſia Sancti Salvatoris in Dorobernia, quæ eſt Metropolis totius Britanniæ, Monachos expellere, & Clericos inibi ſtatuere. Cui nefario operi molitionis ſuæ hoc adjicere conantur ut in omni ſede Epiſcopali ordo Monachorum extirpetur, quaſi in eis non vigeat auctoritas Religionis. Qua de re Zelo Dei compulſi ſcrutinium de privilegiis Eccleſiarum fieri præcipimus, & venit ad manus ſtatutum Prædeceſſoris noſtri beatæ memoriæ Gregorii majoris, de Eccleſiis Angliæ, quomodo ſcilicet præcepit Auguſtino gentis veſtræ Apoſtolo ut ejuſdem Ordinis viros, cujus & ipſe noſcitur eſſe, poneret in prædicta Sede Metropolitana. Cujus præceptionis inter alia, hæc ſubnexa ſunt. Quia tua, inquit, Fraternitas Monaſterii regulis erudita in Eccleſia Anglorum quæ nuper auctore Deo ad fidem perducta eſt, hanc debet converſationem inſtituere, quæ in initio naſcentis Eccleſiæ fuit Patribus noſtris in quibus nullus eorum ex his quæ poſſidebant aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia; Quam communionis regulam Ordini Monachorum permaximè congruere, nemo qui dubitat. Hinc habetur Epiſtola Bonifacii qui quartus à beato Gregorio Eccleſiæ Romanæ, Cui (auctore Deo) præſidemus, præfuit, quam Athelberto Regi Anglorum, & Laurentio Archiepiſcopo Prædeceſſori veſtro miſit, in qua quibuſdam præmiſſis hujuſmodi cenſura anathematis uſus eſt. Glorioſe, inquit, fili, quod ab Apoſtolica ſede per Corepiſcopum noſtrum Mellitum poſtulaſtis libenti animo concedimus, id eſt, ut veſtra benignitas in Monaſterio in Dorobernenſi Civitate conſtituto, quod Sanctus Doctor noſter Auguſtinus beatæ memoriæ Gregorii diſcipulus Sancti Salvatoris nomini conſecravit (cui ad præſens præeſſe dinoſcitur dilectiſſimus frater noſter Laurentius) licenter per omnia Monachorum regulariter viventium habitationem ſtatuat, Apoſtolica auctoritate decernentes ut ipſi veſtra ſalutis Prædicatores Monachi Monachorum gregem ſibi aſſocient, & eorum vitam ſanctitatum moribus exornent. Quæ noſtra decreta ſi quis ſucceſſorum noſtrorum, Regum, ſive Epiſcoporum, Clericorum, ſive Laïcorum irrita facere tentaverit, à Principe Apoſtolorum Petro, & à cunctis ſucceſſoribus ſuis anathematis vinculo ſubiaceat, quoadusque quod temerario auſu peregit, Deo placita ſatisfactione, pœniteat & hujus inquietudinis veſtræ emendationem promittat. Unde quia ratione dictante quieti Eccleſiarum utile eſſe perſpeximus, præſens decretum ſupranominatorum Patrum confirmamus, & vice Apoſtolorum ſub eodem anathemate eos conſtringimus quicunque huic obviare contenderint.

WILLIEL. MUS I. Rex.

Quam verò ſecurâ libertate & liberâ ſecuritate quæque ad jura Eccleſiæ Cantuarienſis pertinentia potiri, ſæpe fatus Pater Lanfrancus intenderit, & ex his quæ paucis deſignavimus, & ex Epiſtola quam ecce ſubſcribemus cuivis ſcire volenti patere ſatis erit; quam Epiſtolam de cauſis Eccleſiaſticis ſcriptam ea re maximè placuit aliis omiſſis præſenti operi commiſcere. Quatenus hi qui ſcientiam talem negotiorum non omnino expertes ſunt, ex conſuetudinibus aliarum Eccleſiarum animadvertant qua dignitate ipſam Eccleſiam inter alias conſtet eminere. Epiſtola igitur iſta eſt.

Lanfancus gratia Dei Archiepiſcopus, dilectiſſimo Fratri Stigando Ciceſtrenſi Epiſcopo, Salutem.

CLerici villarum noſtrarum qui in veſtra diœceſi exiſtunt, queſti nobis ſunt quòd veſtri Archidiaconi, repertis occaſionibus, pecunias ab eis exquirunt, & à quibuſdam jam acceperunt. Meminiſſe debet Fraternitas veſtra quia contra morem Anteceſſorum, noſtrorum & veſtrorum vobis conceſſimus, eiſque imperavimus quatenus ad veſtras Synodos irent, & ea quæ ad Chriſtianæ Religionis notitiam prodeſſe poſſunt, ſine interpellatione vel diſcuſſione aliqua à vobis audirent. Si quæ in ipſis culpæ invenirentur, ſuſpenſâ interim vindictâ, ad noſtrum examen ſervarentur & nobis vel in miſerendo vel in ulciſcendo, ſicut ſemper conſuetudo fuit, obnoxii tenerentur. Mandamus itaque vobis ût malè accepta ſine dilatione reddi jubeatis, & miniſtris veſtris ne ulteriùs id præſumant, ſervandæ charitatis ſtudio, prohibeatis

WILLIELMUS I. Rex.

prohibeatis. Nos verò presbyteris nostris qui extra A Cantiam constituti sunt omnino præcipimus ne ad vestram vel alicujus Episcopi Synodum amplius eant, nec vobis nec aliquibus ministris vestris pro qualibet culpâ respondeant. Nos enim cùm ad villas nostras venerimus, quales ipsi vel in moribus vel in sui ordinis scientia sint, pastorali auctoritate vestigare debemus. Chrisma tamen à vobis accipiant, & ea quæ antiquitùs instituta sunt in Chrismatis acceptione persolvant. Sicut namque ea quæ antiquitùs usque ad nostra tempora Antecessores nostri habuerunt solerti vigilantia cupimus illibata custodire; ita aliis debita aliqua, quod absit, usurpatione denegare nolumus.

Ad hæc qua sagacitate (hoc enim paulò ante memoratum paucis replicare abs re non esse putamus) quâ, inquam, sagacitate memorabilis Pater Lanfrancus apud Regem Willielmum egerit ut per inspirationem gratiæ Dei ad hoc, eo imminente, perduceretur, ut quamplures terras nominatæ Ecclesiæ Cantuariensi diversis causis ac violentiis hominum ablatas, pro redemptione animæ suæ restitueret, & referre longum & æstimavi non necessarium. Earundem enim terrarum & numerus & nomina eidem Ecclesiæ notissima sunt; & redditus illarum ex quibus hi qui sub domino ipsi loco deserviunt sustentantur, pro æternâ ejus salute, oculis justi judicis, die noctuque considerandа ab eisdem ipsis præsentantur. Quid itaque de aliis ipsius Ecclesiæ terris quæ in eadem qua olim ablatæ sunt direptionis injuriâ permanent, successoribus tanti provisoris servorum Dei faciendum sit, fructus quem iste ex his quæ restituit consecutus est docebit eos, juxta quod sui curam habebunt. Re etenim verâ & illas restituisset, si ultra quàm vixit aliquanto tempore supervixisset. In hoc quippe illum gnara Principis Lanfranci prudentia duxerat, & præfixo termino id se facturum spoponderat. Verùm dum sponsionis suæ effectu potiri non meruit, quanto studio quis dum potest bonis insistere debeat, exemplo sui præmonuit. Hæc & hujusmodi, quæ gloriosius Pater Lanfrancus magnificè operatus est, si quisquam uti sunt describere volet, copiosa materia est, ad opus grande sufficiens. Ego autem quia probabili & firmâ ratione, sicut cepi, in alia ducor; tantùm adhuc de eo breviter dico, ipsum revera magnum & insuperabilem Ecclesiæ Christi defensorem & pium totius Angliæ Principem, ac in quantum sibi licuit bonum pastorem cunctis in ea consistentibus, dum vixit, D fuisse.

Per idem tempus erat quidam Abbas Becci nomine Anselmus, vir equidem bonus & scientia literarum magnificè pollens. Contemplativæ vitæ totus intendebat. Hic toti Normaniæ atque Franciæ, pro suæ excellentis sanctitatis merito, notus, carus & acceptus, magnæ famæ quoque in Anglia habebatur, ac Regi præfato, necne Lanfranco Archiepiscopo sanctissimâ familiaritate copulabatur. Hic cùm nonnunquam pro diversis Ecclesiæ & aliorum negotiis ad Curiam Regis veniret, Rex ipse, depositâ feritate, qua multis videbatur sævus & formidabilis, ita fiebat inclinus, & affabilis, ut ipso præsente, omnino quàm E esse solebat, stupentibus cunctis, fieret alius. Hunc itaque & Lanfrancum videlicet viros divinâ simul & humanâ prudentiâ fultos, præ se magni semper habebat, & eos in omnibus quæ sibi, quantum officii eorum referebat, agenda erant, dulciori præ cæteris studio audiebat. Unde & consilio eorum ab animi sui severitate in quosdam plurimùm & sæpe descendebat, & quatenus in sua dominatione ad observantiam religionis Monasteria surgerent, studiosè operam dabat. Quæ religio ne nata deficeret, procurabat Ecclesiarum pacem quaque tueri; & eis quæ in usus servientium Deo proficerent, in terris, in decimis, in aliis redditibus, ex suo largiri. Hâc tamen benevolentiâ super Ecclesias Normanniæ respiciebat.

WILLIELMUS I. Rex.

Hic ergo Willielmus cum vicesimo primo regni sui anno infirmitate quâ & mortuus est, detentus apud Rotomagum fuisset, & se meritis ac intercessionibus Anselmi omnimodis commendare disposuisset, cum ad se de Becco venire & non longè à se fecit hospitari. Verùm cùm ei de salute animæ suæ loqui differret, eo quòd infirmitatem suam paulùm levigari sentiret; contigit ipsius Principis corpus tanta invalitudine deprimi, ut Curiæ inquietudines nullo sullinere pacto valeret. Transito igitur Sequana, decubuit lecto in Ermentrudis villâ, quæ est contra Rotomagum in altera fluminis parte. Quicquid tum deliciarum Regi infirmo deferebatur, ab eo illarum medietas Anselmo infirmanti mittebatur. Verumtamen nec eum amplius in hac vita videre, nec ei ut proposuerat quicquam de animâ suâ loqui promeruit. Tanta enim infirmitas occupavit utrumque, ut nec Anselmus ad Regem Willielmum, nec Willielmus posset pervenire ad Abbatem Anselmum. Et quidem Willielmus ita mortuus est, non tamen ut dicitur, inconfessus: atque Anselmus vestigiò est ab infirmitate relevatus, pristinæque saluti post modicum redonatus. Qui autem Regio funeri interfuerint, quâve pompâ corpus ejus Cadomum delatum sit; quamque libera, immò quàm servili calumnia in Ecclesia beati Stephani sepultum sit, & dictu lugendum & auditu fatemur esse miserendum. Quæ enim conditio sortis humanæ non moveat ad pietatem, cùm auditum fuerit Regem istum qui tantæ potentiæ in vita sua extitit, ut in tota Anglia, in tota Normannia, in tota Cœnomanensi patria, nemo contra Imperium ejus manum movere auderet, mox ut in terram spiritum exhalaturus positus est, ab omni homine, sicut accepimus, uno solo duntaxat serviente excepto, derelictum cadaver ejus sine omni pompâ per Sequanam naucellâ delatum, & cùm sepeliri deberet, ipsam terram sepulturæ illius à quodam rustico calumniatam, qui eum hæreditatio jure reclamans conquestus est illam sibi jam olim ab eodem injuria fuisse ablatam? Quantus autem mœror Lanfrancum ex morte ejus perculerit, quis dicere possit, quando nos qui circa illum nunciâ morte illius eramus, statim eum præ cordis angustiâ mori timeremus?

WILLIELMUS II. Rex.

Defuncto itaque Rege Willielmo, successit ei in regnum Willielmus filius ejus, qui cùm Regni fastigia fratri suo Roberto præripere gestiret; & Lanfrancum, sine cujus assensu in regnum ascisci nullatenus poterat, sibi in hoc ad expletionem desiderii sui non omnino consentaneum inveniret; verens ne dilatio suæ consecrationis infertet ei dispendium capiti honoris, cepit tam per se, quàm per omnes quos poterat, fide sacramentoque Lanfranco promittere justitiam, æquitatem, & misericordiam se per totum regnum, si Rex foret, in omni negotio servaturum; pacem, libertatem, securitatem Ecclesiarum contra omnes defensurum, necne præceptis atque consiliis ejus per omnia & in omnibus obtemperaturum. Sed cùm posthàc in regno fuisset confirmatus, postpositâ pollicitatione suâ, in contraria dilapsus est. Super quo cùm à Lanfranco modestè redargueretur, & ei sponsio fidei non servatæ opponeretur; furore succensus, *Quis*, ait, *est, qui cuncta quæ promittis implere possit?* Ex hoc igitur non rectis oculis super Pontificem intendere valebat; licet à nonnullis, ad quæ illum voluntas sua trahebat, ipsius respectu, eo superstite, temperaverit. Erat enim Lanfrancus idem, vir divinæ simul & humanæ legis peritissimus, atque ad nutum illius, totius regni spectabat intuitus,

WILLIEL. I. G. II. Rex.

Qui cùm de hac vita translatus fuisset, quàm gravis calamitas ex obitu illius Ecclesias Angliæ devastaverit, multa prætermittendo paucis ostendere placuit. Confestim enim Rex foras expressit quod in suo pectore, illo vivente, confotum habuit. Nam mox, ut alia quæ perperam gessit omittam, ipsam totius Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ, necne adjacentium Insularum matrem, Ecclesiam scilicet Cantuariensem, invasit; cuncta quæ juris illius erant, intùs & extrà per clientes suos describi præcepit; taxatoque victu Monachorum inibi Deo servientium, reliqua sub censu atque in suum dominium redigi jussit. Fecit ergo Ecclesiam Christi venalem; jus in eâ dominandi præ cæteris illi tribuens, qui ad detrimentum ejus in dando pretium alium superabat. Unde miserâ successione singulis annis pretium renovabatur. Nullam siquidem conventionem Rex stabilem esse sinebat, sed qui plura promittebat excludebat minus dantem; nisi fortè ad id quod posterior offerebat, primâ conventione vacuata, prior assurgeret. Videres insuper quotidie, spretâ servorum Dei religione, quosque nefandissimos hominum regias pecunias exigentes per claustra Monasterii torvo & minaci vultu procedere, hinc inde præcipere, minas intentare, dominationem potentiamque suam in immensum ostentare. Quâ de re quæ vel quot scandala, dissensiones, inordinationes ortæ sint, reminisci piget. Super hæc, quidam ipsi Ecclesiæ Monachi, malis ingruentibus dispersi ac missi sunt ad alia Monasteria; & qui relicti, multas passi tribulationes & improperia. Quid de hominibus Ecclesiæ dicam, qui tam vastâ miseriâ, miserâque vastatione sunt attriti; ut dubitarem, si sequentia mala non essent, an salvâ vitâ illorum possent miseriùs atteri. Nec ista quæ dicimus in sola Ecclesia Cantuariensi facta sunt. Desævit immanitas ista etiam in cunctis per Angliam constitutis filiabus ejus, quæ viris suis, Episcopis scilicet seu Abbatibus decedentibus, in viduitatem ea tempestate cadebant. Et quidem ipse primus hanc luctuosam oppressionem Ecclesiis Dei indixit, nullatenus eam ex paterna traditione excipiens. Destitutas ergo Ecclesias solus in dominio suo tenebat. Nam aliam neminem præter se substituere volebat, quamdiu per suos Ministros aliquid quod cujusvis pretii duceret, ab eis extrahere poterat. Itaque planum erat ubique miseriam videre. Duravit autem ferè per quinque annos (ut de aliis taceam) super Ecclesiam Cantuariensem hæc ipsa miseria semper in pejus proficiens, sibique ipsi miserior deteriorque succrescens.

Quarto inter hæc anno Hugo Comes Cestrensis volens in sua quadam Ecclesia Monachorum Abbatiam instruere, missis Beccum nuntiis, rogavit Abbatem Anselmum Angliam venire, locum inspicere, eumque per Monachos suos regulari conversatione informare. Renuit ipse, nec venire voluit. Jam enim quadam quasi præsagio mentes quorundam tangebantur, & licet clanculò nonnulli ad invicem loquebantur eum, si Angliam iret, Archiepiscopum Cantuariensem fore. Quod quamvis omnino remotum esset à voluntate ejus, & firmitas propositi sui se nunquam hoc onus subiturum, certitudinem promitteret animo ejus; tamen quia hoc non omnes intelligebant (providendo bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus) Angliam intrare noluit, ne se hujus rei gratia intrâsse quisquam suspicaretur. Contigit interea Comitem ipsum acri languore gravari. Quod mox Anselmo mandans, magnopere precatus est quatenus antiquâ familiaritate conliderată, ad consulendum animæ suæ sine morâ veniret. Et si timor, inquit, suscipiendi Archiepiscopatus, ne veniat, eum detinet; fateor, inquit, in fide mea, quoniam id quod rumor inde jactat, nihil est; ac per hoc indecens ejus sanctitati esse sciat, si nihilo tentus magnæ meæ necessitati subvenire detrectat. Peritat ille in non veniendo, & Comes æquè permanet in requirendo. Tertiò itaque mandat illi hæc, Si non veneris, reverâ noveris quia nunquam in vita æterna in tanta requie eris, quin perpetuo doleas te ad me non venisse. Quod ille audiens, Angustiæ, ait, mihi sunt undique. Si Angliam ivero, vereor ne cui per hoc prava suspicio surrepat, & me causâ consequendi Archiepiscopatus illuc ire existimet. Si non ivero, fraternæ caritatis violator ero, quam quidem non solùm amico, verùm exhibere jubemur & inimico. Quæ denique si erga inimicum violata peccatum est, erga amicum quid est? Et certè amicus meus familiaris ab antiquo Comes Cestrensis Hugo fuit, qui mei nunc, ut dicit, indiget. In necessitate probatur amicus. Si ergo propter obliquam, quam in me forsan homines habere possunt opinionem, amico meo in sua necessitate non succurro; meum certum, pro dubio aliorum, peccatum incurro. Commendans igitur me, atque meam conscientiam ab omni terreni honoris ambitione vacuam Deo pergam, respectu sancti amoris ejus, morem gerere amico meo. Cætera ipse Deus agat, & me salvâ gratiâ suâ ab omni secularis negotii impedimento pro sua misericordia immunem custodiat. Exigebant etiam tum temporis Ecclesiæ suæ quædam valde necessariæ causæ ut Angliam pergeret; sed præfato illum cohibente pavore, nullo pro eis pacto volebat iter arripere. Contigit interea ut Comitissæ Idæ locuturus Bononiam iret, ubi cum per dies aliquot necessariò detentus moraretur, mandatum est illi à Beccensibus ne, si peccato inobedientiæ notari volet, ultra Monasterium repeteret, donec transito mari suis in Anglia rebus subveniret. Profectus igitur, mare transiit, & Dofris appulsus est. Inde citato gressu ad Comitem venit, ipsumque ab infirmitate jam convaluisse invenit. Detentus est tamen in Anglia ferè mensibus quinque, detinente eum non solùm Abbatia quam disponere venerat, sed & multiplicium ratione causarum, quæ illius adventûs causâ non inferior, sicut diximus, erat. Sicque hujus temporis spatium transiit, ut de pontificatu Cantuariensi nihil ad eum vel de eo dictum actumve sit; ipseque sui periculi & antiqui timoris secutus effectus fuerit. Post hæc in Normanniam regredi volens, negatâ à Rege licentiâ copiam id agendi habere non potuit.

WILLIELMUS II. Rex.

Inter hæc cum gratiâ Dominicæ Nativitatis, omnes regni Primores ad Curiam Regis, pro more, venissent; contigit ut eorum optimi quique uno consensu inter se de communi matre Regni quererentur, quòd viduata suo pastore tam diu & tam inauditâ vexatione opprimeretur. Hujusmodi ergo de hoc ab eis consilium sumptum est, ut supplici prece Dominum suum Regem convenirent, quatenus orationes, quod posteris mirum dictu fortasse videbitur, per Ecclesias Angliæ fieri ad Dominum permitteret, ut ipse sua pietate Regi inspiraret quatenus instituto illi digno Pastore, à tanta eam clade, & alias per eam relevaret. Quod cùm illi unâ suggessissent, ipse licet nonnihil exhinde indignatus, tamen fieri quod petebatur permisit, dicens quod quicquid Ecclesia peteret, ipse sine dubio pro nullo dimitteret quin faceret omne quod vellet. Hoc ita responso accepto, Episcopi ad quos ista maximè pertinebant, Anselmum super reipsa consuluerunt. Et quòd ipse orationis agendæ modum & summam ordinaret, vix obtinere suis precibus ab eo potuerant. Episcopis enim præferri in tali statuto ipse Abbas fugiebat. Coactus itaque, juxta quod magis Ecclesiæ Dei expedire sciebatur, modum orandi cunctis audientibus edidit, & laudato sensu ac perspicacia animi ejus, tota quæ convenerat Nobilitas regni, solutâ curiâ, in sua discessit. Institutæ igitur preces fiunt per Anglorum Ecclesias omnes.

WILLELMUS II. Rex.

Hæc inter evenit ut die quâdam unus de Principibus terræ cum Rege familiariter agens promeantibus verbis in hoc, ut sit fit, sic ei inter alia diceret: Hominem tantæ sanctitatis nullum novimus, quantæ est, ut verè probamus, Abbas Beccensis Anselmus. Nihil etenim amat præter Deum, nihil (ut in omni studio ejus claret) cupit transitorium.

Ad quod Rex subsannans, non, inquit, nec Archiepiscopatum Cantuariensem. Cui cùm alter referret: Nec illum quidem maximè, sicut mea, multorumque tert opinio. Obtestatus est Rex quòd manibus, at pedibus plaudens in amplexum ejus accurreret, si ullam fiduciam haberet se ad illum posse ullatenus aspirare. Et adjecit, sed per sanctum vultum de Luca, (sic enim jurare consueverat) nec ipse hoc tempore nec alius quis Archiepiscopus erit, me excepto. Hæc illum dicentem evestigiò valida infirmitas corripuit, & lecto deposuit, atque in dies crescendo fermè usque ad exhalationem spiritus egit. Quid plura? Omnes totius regni Principes toëunt; Episcopi, Abbates, & quique Nobiles, nihil præter mortem ejus præstolantes. Suggeritur ægro de salute animæ suæ cogitare, carceres aperire, captivos dimittere, vinculatos solvere, repetendarum pecuniarum debita perdonare, Ecclesias suo eatenus dominio, servituti subactas, locatis Pastoribus, libertati restituere, præcipueque Ecclesiam Cantuariensem, cujus oppressione, inquiunt, totius in Anglia Christianitatis constat esse detestandam dejectionem. Hac tempestate Anselmus inscius horum morabatur in quadam villa non longè à Gloucestria ubi Rex infirmabatur. Mandatum ergo illi est quatenus sub omni festinatione ad Regem veniat, & ejus obitum suâ præsentiâ tueatur & muniat. Accelerat ipse venire audito tali nuncio, & venit. Ingreditur ad Regem, rogatur quid consilii salubrius morientis animæ judicet. Exponi sibi primò postulat quid se absente ab assistentibus ægro consultum sit. Audit, probat, & addit. Scriptum est, *Incipite Domino in Confessione*, unde videtur mihi ut primò de omnibus, quæ se contra Deum fecisse cognoscit, puram confessionem faciat, & se omnia, si convaluerit, emendaturum sine fictione promittat; ac deinde quæ consuluistis, absque dilatione fieri jubeat. Laudatur hæc consilii summa, sibique hujus confessionis suscipiendi injungitur cura. Refertur ad notitiam Regis quid saluti animæ illius magis expedire Anselmus dixerit. Nec mora, adquiescit ipse, & corde compunctus cuncta, quæ viri sententia tulit se facturum, necne totam vitam suam in mansuetudine & justitia amplius servaturum pollicetur. Spondet in hoc fidem suam, & vades inter se & Deum facit Episcopos suos, mittens qui hoc votum suum Deo super altare sua vice promittant. Scribitur Edictum, regioque sigillo firmatur, quatenus captivi quicunque sunt in omni dominatione sua relaxentur, omnia debita irrevocabiliter remittantur, omnes offensiones ante hæc perpetratæ, indulta remissione, perpetuæ oblivioni tradantur. Promittuntur insuper omni populo bonæ & sanctæ leges, inviolabilis observatio juris, injuriarum gravis, & quæ terreat cæteros, examinatio. Gaudetur à cunctis, benedicitur Deus in istis, obnixè oratur pro salute talis ac tanti Regis.

Interea Regi à bonis quibusque suadetur quâtenus communem totius regni matrem instituendo illi Pastorem, solvat à pristina viduitate. Consentit libens, & in hoc animum suum versari fatetur. Quæritur itaque quis hoc honore fungi digniùs possit. Sed cunctis ad nutum Regis pendentibus, prænunciavit ipse, & concordi voce subsequitur acclamatio omnium, Abbatem Anselmum tali honore dignissimum. Expavit Anselmus ad hanc vocem, & expalluit. Cumque raperetur ad Regem, ut per virgam pastoralem Investituras Archiepiscopatus de manu ejus susciperet, toto conamine restitit, idque multis obsistentibus causis nullatenus fieri posse asseruit. Accipiunt igitur eum Episcopi, & ducunt seorsum de multitudine, hæc ei verba dicentes, *Quid agis? Quid intendis? Quid contraïre Deo niteris? vides omnem Christianitatem in Anglia ferè periisse, omnia in confusionem venisse, omnes abominationes emersisse, quaque versum nos ipsos & quas regere deberemus, Ecclesias Dei in periculum mortis æternæ per tyrannidem istius hominis decidisse; & tu, cùm possis subvenire, contemnis? Quid, ô mirabilis homo cogitas? Quo fugit sensus tuus? Ecclesia Cantuariensis in cujus oppressionem omnes oppressi sumus & destructi, te vocat, te sublevatorem sui & nostri anxia quæritat, & tu postpositâ libertate ejus, postpositâ nihilominus relevatione nostra, fratrum laboris participium abjicis, tui solus ociosam quietem appetis.* Ad hæc ille, *Sustinete*, inquit, *quæso, sustinete, & intendite; fateor, veram est: tribulationes multæ sunt, & ope indigent. Sed considerate obsecro, Ego jam grandævus sum, & omnis terreni laboris impatiens. Qui ergo pro me ipso laborare nequeo, qualiter laborem totius Ecclesiæ per Angliam constitutæ suscipere queo? Ad hæc, sicut mea mihi conscientia testis est, ex quo Monachus fui, sæcularia negotia fugi, nec unquam eis ex voto intendere potui, quia nihil in eis esse constat quod me in amorem aut delectationem sui flectere queat. Quare finite me pacem habere; & negotio, quod nunquam amavi, ne non expediat, implicare nolite. Tu tamen*, inquiunt, *primatum Ecclesiæ nihil hæsitans suscipe; & i pra in via Dei, dicendo & præcipiendo quod faciamus, & ecce tibi manus dabimus, quòd sequendo & obtemperando quæ fusseris non deficiemus. Tu Deo pro nobis intende, & nos sæcularia tua disponemus pro te. Impossibile est*, ait, *quod dicitis: Abbas sum Monasterii Regni alterius, Archiepiscopum habens cui obedientiam, terrenum Principem cui subjectionem, Monachos quibus debeo consilii atque auxilii subministrationem. His omnibus ita sum astrictus ut nec Monachos deserere possim, sine illorum concessione, nec me à dominatu Principis mei valeam exuere sine ejus permissione, nec obedientiam Pontificis mei subterfugere queam, cum salute animæ meæ, absque ipsius absolutione. De his omnibus*, aiunt, *leve consilium, & facilis erit assensus omnium.* Ait ille, *Nihil est omnino; non erit quod intenditis.* Rapiunt igitur hominem ad Regem ægrotum, & pervicaciam ejus exponunt. Contristatus est Rex, penè ad suffusionem oculorum, & dixit ad eum, *O Anselme quid agis? Cur me pœnis æternis cruciandum tradis? Recordare, quæso, fidelis amicitiæ, quam Pater meus & Mater mea erga te & tu semper erga eos habuisti, & per ipsam obsecro, ne patiaris filium eorum me in corpore & anima simul perire. Certus sum enim quod peribo, si Archiepiscopatum in meo dominio tenens vitam finiero. Succurre igitur mihi, succurre, Domine Pater, & suscipe Pontificatum, pro cujus retentione nimis confundar, & vereor ne in æternum plus confundar.* Compuncti sunt ex his verbis quique assistentium, & Anselmum se excusantem, & tantum onus nec tunc quidem subire volentem, invadunt, talia cum quadam indignatione & conturbatione ipsi ingerentes, *Quæ dementia occupavit mentem tuam? Regem turbas, turbatum penitus necas, quandoquidem illum jam morientem obstinatiâ tuâ exacerbare non formidas. Hunc igitur scias quia omnes perturbationes, omnes oppressiones, omnia crimina quæ deinceps Angliam prement, tibi imputabuntur, si tu hodie per susceptionem curæ pastoralis ei non obviaveris.* Inter has angustias positus Anselmus, vertit se ad duos Monachos, qui secum erant, Balduinum videlicet & Eustachium, dixitque illis, Ah Fratres

WILLELMUS I. Rex.

Digitized by Google

WILLIELMUS II. Rex.

mei, cur mihi non ſubvenitis? Dixit hoc (ecce coram Deo, quia non mentior) in tanta, ſicut affirmare ſolebat, anxietate conſtitutus, ut ſi ei tunc optio daretur, multò lætiùs ſalvâ reverentiâ voluntatis Dei mori eligeret, quàm Archiepiſcopatus dignitate ſublimari. Reſpondit itaque Balduinus, Si voluntas Dei eſt ut ita fiat, nos qui voluntate Dei contradicamus? Quæ verba lachrymæ, & lachrymas ſanguis ubertim mox è naribus illius profluens ſecutus eſt, palàm cunctis oſtendens ex qua cordis contritione cum lachrymis verba prodierint. Auditq; hujuſmodi reſponſo, Anſelmus; Væ, quàm cito, inquit, baculus tuus confractus eſt. Sentiens ergo Rex quod incaſſum labor omnium expendebatur, præcepit ut omnes eis ad pedes caderent ſi fortè vel ita ad conſentiendum illici poſſet. Sed quid? Cadentibus illis, cecidit ipſe coram ejus, nec à prima ſententia ſua cadere voluit. At illi, animati in eum, ſeque ipſos, pro mora quam objectionibus ipſius intendendo paſſi ſunt, ignaviæ redarguentes, virgam huc paſtoralem, virgam, clamitant, paſtoralem. Et arrepto brachio ejus dextro, alii renitentem trahere, alii impellere, lectoque jacentis cæperunt applicare. Rege autem ei baculum porrigente, manum contra clauſit & eum ſuſcipere nequaquam conſentit. Epiſcopi verò digitos ejus ſtrictim volæ infixos erigere conati ſunt, quo vel ſic manui ejus baculus ingereretur: verùm cùm in hoc conatum ſuum aliquandiu fruſtrà expenderent, & ipſe pro ſua, quam patiebatur, lætione verba dolentis ederet, tandem, indice levato, ſed protinus ab eo reflexo, clauſæ manui ejus baculus appoſitus eſt, & Epiſcoporum manibus cum eadem manu compreſſus atque retentus. Acclamante autem multitudine, vivat Epiſcopus, vivat: Epiſcopi cum Clero, ſublimi voce hymnum *Te Deum laudamus* decantare cæpere, electumque portaverunt Pontificem potius quàm duxerunt in vicinam Eccleſiam; ipſo modis, quibus poterat, reſiſtente, atque dicente, Nihil eſt quod facitis, nihil eſt quod facitis. Geſtis verò quæ in tali cauſa geri in Eccleſia mos eſt, revertitur Anſelmus ad Regem, dicens illi, Dico tibi Domine Rex, quia ex hac tua infirmitate non morieris ac pro hoc volo noveris quàm bene corrigere poteris quod de me nunc actum eſt, quia nec conceſſi nec concedo ut ratum ſit. His dictis, reflexo greſſu, diſceſſit ab eo. Deducentibus autem eum Epiſcopis, cum tota regni nobilitate, cubiculo exceſſit. Converſuſque ad eos, in hæc verba ſciſcitatus eſt, *Intelligitis quid moliminini? Indomitum taurum, & vetulam ac debilem ovem, in aratro conjungere, ſub uno jugo, diſponitis. Et quid inde proveniet? Indomabilis utique feritas tauri ſic ovem lana & lacte & agnorum fertilem per ſpinas & tribulos hac & illac raptam, ſi jugo ſe non excuſſerit, dilacerabit, ut nec ipſa ſibi nec alicui, dum nihil horum miniſtrare valebit, utilis exiſtat. Quid ita? Inconſideratè ovem tauro copulaſtis. Aratrum Eccleſiam perpendite, juxta Apoſtolum dicentem:* Dei agricultura, Dei ædificatio eſtis. *Hoc aratrum in Anglia duo boves cæteris præcellentes regendo trahunt; & trahendo regunt. Rex videlicet, & Archiepiſcopus Cantuarienſis. Iſte ſeculari juſtitia & imperio; ille divina Doctrina & magiſterio. Horum bonum unus, ſcilicet Lanfrancus Archiepiſcopus mortuus eſt; & alius ferociratem indomabilis tauri obtinens jam juvenis aratro pelatus, & vos loco mortui bovis me vetulam ac debilem ovem cum indomito tauro conjungere vultis? Quæ dico, ſatis intelligitis, & ea re quid cui velitis aſſociare veſtem conſideraretis, conſiderantes ab incepto deſiſteretis. Quod ſi non deſiſtitis, en prædico vobis quia me, de quo lanam & lac verbi Dei, & agnos in ſervitium ejus, nonnulli poſſent habere (extra quam modo pu-* A *tetis) regia feritas diverſis à ſe fatigatum injuriis opprimet, & gaudium, quod nunc de me quaſi pro relevationis veſtræ ſpe vos tenet multos (cum nihil conſueti conſilii aut ſperati auxilii per me habere potuerint) verſum in mœſtitiam dolentes efficiet. Eoque proficietis ut Eccleſiam quam relevare à viduitate, tantopere fatagitis, relabi in viduitatem, etiam vivente paſtore ſuo, quod pejus eſt, quandoque cernatis. Et hæc mala, quibus imputabuntur, niſi vobis qui tam inconſideratè Regis feritatem & meam imbecillitatem conjunxiſtis? Cum igitur, me oppreſſo, nullus ex vobis fuerit, qui ei in aliquo audeat obviare, vos quoque proculdubio pro libitu ſuo non dubitabit undique conculcare.* Hæc dicens, ac, erumpentibus lachrymis dolorem cordis ſimulare non valens, ad hoſpitium ſuum, dimiſſa curiâ, vadit. Acta ſunt hæc anno Incarnationis Dominicæ milleſimo nonageſimo tertio, Pridie Nonas Martii, prima Dominica quadrageſimæ. Præcepit itaque Rex, ut ſine dilatione, ac diminutione inveſtiretur de omnibus ad Archiepiſcopatum pertinentibus intùs & extrà, atque ut civitas Cantuaria quam Lanfrancus ſuo tempore in beneficio à Rege tenebat, & Abathia Sancti Albani quam non ſolùm Lanfrancus ſed & anteceſſores ejus habuiſſe noſcuntur, in Alodium Eccleſiæ Chriſti Cantuarienſis pro Redemptione animæ ſuæ, perpetuo jure, tranſirent.

Anſelmus autem poſt hæc in villis ad Archiepiſcopatum pertinentibus ex præcepto Regis morabatur, converſante ſecum ac victui ſuo exinde neceſſaria quæque procurante venerabili Gundulpho Roffenſi Epiſcopo.

Intereà miſſi ſunt à Rege nuncii cum literis in Normanniam ad Comitem, ad Pontificem Rotomagenſem, ad Monachos Beccenſes, quatenus his quæ in Anglia de Abbate Beccenſi geſta fuerant, ſinguli quantùm ſua intererat aſſenſum præberent. Sed quid? Plurima in hunc modum acta nihil apud eos profecerunt. Tandem tamen importunâ ratione ac rationabili importunitate, Deo diſponente, devicti, quæ de Anſelmo cæpta erant, perfici conceſſerunt, & ne onus impoſitum ſubterfugeret, ei, per obedientiam, injunxerunt. Unde & literæ à ſingulis ſingulæ ſcriptæ ſunt, quæ in uno eodemque concordantes per nuncios Anſelmo & Regi ſunt tranſmiſſæ, de quibus omnibus, unas huic opuſculo inſeram quatenus in ipſis & aliarum ſenſus eluceat. Sint igitur hæ. *Frater Guilielmus Archiepiſcopus ſuo Domino & amico Anſelmo, Dei benedictionem & noſtram. De his quæ de vobis à me Rex quæſivit, & de quibus ipſe mihi ſcripſiſtis, ſicuti de tanta re decuit hucuſque diu multumque pertractavi: & amicorum meorum ac veſtros, ſuper hoc, conſilium quæſivi. Qui utrinque voluiſſent, ſi poſſibile fuiſſet, & veſtram ſemper, ut olim, habere præſentiam, & non facere unde offenderent divinam voluntatem. Sed quia ad hoc res venit ut utrumque impleri nequeat, ſicut dignum eſt, divinam voluntatem noſtræ præponimus, & noſtram voluntatem divinæ ſubjicimus, atque ex parte Dei & Sancti Petri, omniumque amicorum meorum ac veſtrorum qui ſecundum Deum vos diligunt jubeo, ut paſtoralem curam Cantuarienſis Eccleſiæ & Eccleſiaſtico more benedictionem Epiſcopalem ſuſcipiatis, ovium que veſtrarum vobis ut credimus, divinitus commiſſarum ſaluti deinceps inviglletis. Valete, Viſcera mea.*

Iſtæ literæ cum aliis Anſelmo directis priùs ipſi quàm Regi ſuæ ſunt allatæ. Inter hæc, juxta quod Anſelmus prædixerat, Rex ab infirmitate convaluit. Mox igitur cuncta quæ infirmus ſtatuerat boni, diſſolvit, & irrita eſſe præcepit. Captivi nempe, qui nondum fuerant dimiſſi, juſſit ut artiùs ſolito

WILLIELMUS II. Rex.

WILLELMUS II. Rex.

custodirentur, dimissi, si capi possent, recluderentur; antiqua jamque donata debita in integrum exigerentur; placita & offensiones in pristinum statum revocarentur; illorumque judicio, qui justitiam subvertere magis quam tueri defendereve curabant, tractarentur & examinarentur, ad miserorum utique oppressionem & pecuniæ direptionem potius quàm ad alicujus peccati correctionem. Orta est ergo tam vasta miseria miseraque vastatio per totum regnum, ut qui illius recordatur, parem se ei ante hanc vidisse in Anglia, sicut æstimo, non recordetur. Siquidem omne malum quod Rex fecerat, priusquam fuerat infirmatus, bonum visum est, comparatione malorum quæ fecit ubi est sanitati redonatus. Quæ si qui scire velint de quo fonte manaverint, ex eo perpendere possunt quod ipse prædicto Rossensi Episcopo, cùm illum, recuperatâ sanitate familiari affatu moneret, ut se amplius circumspectè secundùm Deum in omnibus haberet, respondit: *Scias, ô Episcope, quod per Sanctum vultum de Luca, nunquam me Deus bonum habebit pro malo quod mihi intulerit.* Hæc de Rege ad præsens succinctè memorasse sufficiat, jamque ad destinatum narrandi ordinem sermo recurrat. Cùm igitur Anselmus, secundùm quod prælibavimus, litteras à Normannia destinatas suscepisset, & Rex de Dofris à colloquio Roberti Comitis Flandriæ Rovecestram, ubi tunc ipse Anselmus erat, venisset, in secretum locum Anselmus Regem tulit, eumque taliter allocutus est. *In utroque dubius pendet adhuc, domine mi Rex, animus meus, utrum videlicet adquiescam pontificatum suscipere, annon. Verùm si me ad susceptionem illius ratio perduxerit, volo brevi præmoscas quid velim faciat. Volo equidem ut omnes terras, quas Ecclesia Cantuariensis, ad quam regendam electus sum, tempore beatæ memoriæ Lanfranci Archiepiscopi tenebat, sine omni placito & controversia ipsi Ecclesiæ restituas, & de aliis terris quas eadem Ecclesia ante suum tempus habebat, sed perditas nondum recuperavit, mihi rectitudinem judiciumque consentias. Ad hæc volo ut in iis quæ ad Deum & Christianitatem pertinent, tu meo pra cæteris consilio credas, ac sicut ego te volo terrenum habere Dominum & defensorem, ita & tu me spiritualem habeas patrem & animæ tuæ providorem. De Romano quoque Pontifice Urbano quem pro Apostolico hucusque non recepisti, & ego jam recepi atque recipio, eique debitam obedientiam & subjectionem exhibere volo, cautum te facio ne quod scandalum inde oriatur in futuro. De his quæso tuæ voluntatis sententiam edicito, ut eâ cognitâ certior fiam quo me vertam.* Rex itaque, vocato ad se Wilhelmo Dunelmensi Episcopo, & Roberto Comite de Mellento, jussit ut ei præsentibus, quæ dixerat, iteraret. Fecit imperata, & Rex sibi per Consilium ita respondit. *Terras de quibus Ecclesia saisita quidem fuerat sub Lanfranco omnes eo, quo tunc erant, tibi modo restituam, sed de illis quas sub ipso non habebat, præsenti nullam tecum conventionem instituo. Verumtamen, de his & aliis, credam tibi sicut dicebo.* Finierat Rex in istis & ab invicem discesserunt.

Deinde, paucis diebus interpositis, Rex ipse consensum quem à Normannis super Anselmo, juxta quod præfati sumus, expetierat, per Epistolas accepit. Et veniens in villam suam quæ Windlesora vocatur, Anselmum per se suosque convenit, quatenus & secundùm totiùs regni de eo factam electionem Pontifex fieri ultrà non negaret, & terras Ecclesiæ quas ipse Rex, defuncto Lanfranco, suis dederat pro statuto servitio, illis ipsis hæreditario jure tenendas, causâ sui amoris, condonaret. Sed Anselmus nolens Ecclesiam, quam necdum re aliqua investierat, expoliare; terras, ut petebatur, nullo voluit pacto concedere, & ob hoc, orto inter eum & Regem discidio, quod primum quoque de Pontificatu ejus agebatur, indefinitum remansit. Unde Anselmus oppido lætatus est, sperans se hac occasione, à Prælationis onere, per Dei gratiam exonerandum. Jam enim cum virgâ pastorali curam quam super Beccum Abbas susceperat, pro descripta superiùs absolutione, ipsi Becco restituerat. Et nunc eo quod terras Ecclesiæ injuriâ dare nolebat, Episcopalis officii onus sese lætus evasisse videbat. Verùm cum decurso non exiguo tempore clamorem omnium, de Ecclesiarum destructione conquerentium, Rex ampliùs ferre nequiret, virum ad se Wintoniæ, adunato ibi conventu Nobilium, venire fecit; ac multis bonis & Ecclesiæ Dei profuturis promissionibus illectum, primatum Ecclesiæ Anglorum suscipere suasit atque persuasit. Ille igitur more & exemplo prædecessoris sui inductus, pro usu terræ, Homo Regis factus est, & sicut Lanfrancus suo tempore fuerat, de toto Archiepiscopatu saisiri jussus est.

WILLELMUS II. Rex.

Venit posthæc Cantuariam vij. Kalend. Octobris atque immensâ Monachorum, Clericorum, totiusque plebis alacritate susceptus, ad regendam Ecclesiam Dei, locum Pontificis magno deductus honore conscendit. Eodem die venit Cantuariam à Rege missus quidam nomine Ranulphus, Regiæ voluntatis maximus executor, qui spreta consideratione pietatis ac modestiæ, placitum contra eum ipsa die instituit; & ferus ac tumens, tantum Ecclesiæ gaudium conturbare non timuit. Quæ res cunctorum animos graviter vulneravit, conquerentium ac nimis indignè ferentium tanto viro tantam injuriam fieri, ut nec primum quidem suæ dignitatis diem permitteretur in pace transigere. Quorum indignationi hoc quoque non parum doloris adjiciebat, quòd negotium unde agebatur ad jura Ecclesiæ pertinebat; nec in aliquo regalis judicii definitionem respiciebat. Igitur eo tempore nimis atroci plagâ percussi sunt homines ipsius Ecclesiæ. Unde Anselmus vehementissimè dolens, sed Regi contraire non valens, ex præsentibus futura conjecit; & quia multas in Pontificatu angustias foret passurus, intellexit atque prædixit. Accedens itaque ad novum sibique insolitum genus serviendi Deo, juxta Salomonem, stabat in timore, & præparabat animam suam ad tentationem, sciens omnes piè volentes in Christo vivere tribulationem necessariò pati oportere.

Instante verò tempore suæ consecrationis, venit ex more Thomas Archiepiscopus Eboracensis, & omnes Episcopi Angliæ, Cantuariam, eumque debitâ veneratione ibi Pontificem consecravere pridie nonas Decembris. Duo tamen Episcopi, Vigornensis videlicet & Exoniensis, infirmitate detenti, huic consecrationi interesse non valuerunt. Sed nunciis apicibusque directis, absentiam suam Coepiscoporum suorum præsentiæ hac in causa præsentem & consentaneam fore denunciaverunt. Verùm cùm ante ordinandi Pontificis examinationem Walchelinus Wentanus Episcopus, rogatu Mauricii Episcopi Lundonensis cujus hoc officium est, Ecclesiastico more electionem scriptam legeret, mox in primo versu Thomas Eboracensis graviter offensus eam non jure factam conquestus est. Nam cùm diceretur: *Fratres & Coepiscopi mei, vestræ Fraternitati est cognitum, quantum temporis est ex ano, accidentibus variis eventibus, hæc Dorobernensis Ecclesia totius Britanniæ Metropolitana suo sit viduata pastore,* subintulit dicens: *Totius Britanniæ Metropolitana? Si totius Britanniæ Metropolitana, Ecclesia Eboracensis quæ Metropolitana esse scitur, Metropolitana non est. Et quidem Ecclesiam Cantuariensem Primatem totius Britanniæ esse scimus, non Metropolitanam.* Quod auditum ratione subnixum esse, quod dicebat intellectum est.

WILLELMUS II. Rex. Tunc ſtatim Scriptura ipſa mutata eſt, & pro totius Britanniæ Metropolitana, totius Britanniæ Primas ſcriptum eſt, & omnis controverſia conquievit. Itaque ſacravit eum ut totius Britanniæ Primatem. Cùm igitur inter ſacrandum, pro ritu Eccleſiæ, textus Evangelii ſuper eum ab Epiſcopis apertus, tentus, & peractâ conſecratione fuiſſet inſpectus, hæc in ſummitate paginæ ſententia reperta eſt: *Vocavit multos, & miſit ſervum ſuum horâ cœnæ dicere invitatis ut venirent, quia jam parata ſunt omnia: & ceperunt ſimul omnes excuſare.* Deinde jam conſummato ordinationis ſuæ die octavo, Cantuariam egrediens ad Curiam Regis pro imminente Nativitate Domini vadit. Quò perveniens, hilariter à Rege totaque regni Nobilitate ſuſcipitur.

Ea tempeſtate Rex Normanniam fratri ſuo Roberto toto conamine auferre laborans, multam & immenſam undecunque collectam pecuniam in hoc expendebat, adeò ut nonnullas etiam difficultates pateretur, quas regiam pati excellentiam incedens videbatur. Suaſus igitur ab amicis ſuis novus Pontifex, quingentas argenti libras Regi obtulit, ſperans & pollicentibus credens ſeſe pro hoc ejus deinceps gratiam firmiter adepturum, & quæ Dei ſunt intendere volentem fautorem in cunctis habiturum, necne rebus Eccleſiaſticis intùs & extrà pacem tuitionemque illius contra omnes æmulos acquiſiturum. Rex ergo tali oblatione auditâ, bene rem quidem laudando reſpondit; ſed quidam malignæ mentis homines Regem, ut fieri ſolet, ad hoc perduxerunt quatenus oblatam pecuniam ſpernendo recipere non adquieſceret.

Tu, inquiunt, *cum præ cæteris Angliæ Principibus honoraſti, ditaſti, exaltaſti; & nunc cum tuâ neceſſitate conſideratâ duo millia, vel certè, ut leviſſimè dicatur, mille libras pro agendis munificentiæ tuæ gratiis tibi dare deberet, quingentas (proh pudor!) offert. Sed paululùm ſuſtine, faciemque tuam ſuper eo commuta, & videbis quod conſueto aliorum ductus terrore, ovans ad tuam benignitatem recuperandam quingentis quas offert totidem libras adjiciet.* Siquidem hunc ipſe Rex morem erga cunctos quibus dominatur, habebat; ut quum quis eorum aliquid ei pecuniarum etiam ſolius gratiæ obtentu, offerebat; oblatum, niſi quantitas rei voto illius concurreret, ſperneret. Nec offerentem in ſuam ulteriùs amicitiam admittebat, ſi ad determinationem ſuam oblatum munus non augeret. Opinati ſunt ergo illi maligni Anſelmum quoque hoc more terrendum, atque ad explendam Regis voluntatem auctâ pecuniâ illicò promovendum. Verùm mentita eſt iniquitas ſibi. Itaque mandatur illi Regem oblatam pecuniam refutare; & miratus eſt. Aditoque Rege, ſciſcitatus eſt utrum ab eo tale mandatum proceſſerit; annon. Audit verè proceſſiſſe, & ſtatim poſtulans ait: *Ne, mi Domine, precor hoc facias ut quod in præſentiarum offero ſuſcipere abnuas. Licet enim primum ſit, non tamen extremum Archiepiſcopi tui donum erit. Et fateor, utilius tibi eſt, & honeſtius à me panca cum amicâ libertate, & ſæpe ſuſcipere, quàm violentâ exactione mihi multa ſimul ſub ſervili conditione auferre. Amicâ nempe libertate me & omnia mea ad utilitatem tuam habere poteris, ſervili autem conditione nec me nec mea habebis* Ad quæ, iratus Rex, *Sint*, inquit, *cum largio tua tibi, ſufficient mea mihi. Vade.* Surrexit ergo & exiit reputans apud ſe, fortè non ſine ſui præmonitione, primò ad ſedem ſuam introitus Dei Evangelium lectum fuiſſe: *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire.* Et alacrior in ipſum reverſus: *Bene iſtud ſit*, ait, *omnipotens Deus, qui me ſuâ miſericordiâ immunem ſervavit ab omni infamia. Si enim hæc quæ obtuli Rex gratioſe ſuſcepiſſet, profectò à malignis hominibus, qui exundant, jam ante pro Epiſcopatu promiſſa, & nunc ſub callida oblatione reddita fuiſſet putatum. Sed modò quid agam? Præſignatum utique munus pro redemptione animæ ſuæ pauperibus Chriſti dabo, non illi; & quo ei ſuam gratiam infundat, meque ab omni malo defendat, devotus orabo.* Quæſita dehinc per internuncios, ſed quia pecuniam duplicare noluit, minimè adquiſitâ gratiâ ejus, à curia, feſtivitate finita, receſſit ſollicitus agens oblato munere, ut propoſuerat, Chriſti pauperes recreare. WILLELMUS II. Rex.

Veniens autem in villam ſuam, quæ Herga * vocatur, dedicavit illic Eccleſiam quam Lanfrancus quidem fabricaverat, ſed morte præventus ſacrare nequiverat. Inter quam dedicationem venerunt illuc duo Canonici de ſancto Paulo ab Epiſcopo Londoniæ miſſi, litteras ex parte Epiſcopi deferentes, in quibus ut ipſam dedicationem, donec ſimul inde loquerentur, differret, deprecatus eſt. Dicebat enim ipſam Eccleſiam in ſua Parochia eſſe, & ob hoc licèt in terra Archiepiſcopi fuerit, dedicationem illius ad ſe pertinere. Audiens hoc Anſelmus, & Anteceſſorum ſuorum antiquam conſuetudinem ſciens, ratus eſt ab ipſo miniſterio pro hominum precibus non ceſſandum, nec fecit. Si quidem mos & conſuetudo Archiepiſcoporum Cantuarienſium ab antiquo fuit & eſt, ut in terris ſuis ubicunque per Angliam ſint, nullus Epiſcoporum præter ſe jus aliquod habeat, ſed humana ſimul & divina omnia velut in propria Diocœſi in ſua diſpoſitione conſiſtant. Anſelmus tamen nulli quicquam injuriarum, quaſi liberâ utens poteſtate facere volens, diligenti poſtmodum inquiſitione conſuetudinis hujus certitudinem ſtuduit inveſtigare; quatenus ſi eam ratam non fuiſſe conſtaret, amodo ab ea temperaret. Supererat adhuc beatæ memoriæ Volſtanus Epiſcopus unus & ſolus de antiquis Anglorum Patribus, vir in omni religione conſpicuus, & antiquarum Angliæ conſuetudinum ſcientiâ apprimè eruditus. Hunc Anſelmus de negotio conſuluit, & quo ſimplicem ſibi veritatem innoteſceret, poſtulavit. Quo illo ſuſcepto, ſcripſit illi hæc. * al. Berga

Reverendiſſimo, ac Beatiſſimo vitæ ſanctitate & ſummæ Sedis dignitate Prælato, Anſelmo Archiepiſcopo, Wolſtanus ſervorum Dei minimus, Wigornienſis Eccleſiæ Epiſcopus merito ibdignus: orationum obſequia, fideliaque ex charitate ſervitia.

NOvit Prudentia veſtra quotidianos labores & oppreſſiones ſanctæ Eccleſiæ, malignis eam opprimentibus, & ipſis quos oportuerat eam tueri, auctoribus exiſtentibus. Ad hos repellendos, & contra tales ſanctam Eccleſiam defendere, Sanctitas veſtra locata eſt in ſummæ arce. Ne igitur dubitet; non eam ſæcularis potentiæ timor humiliet, non favor inclinet, ſed fortiter incipiat, incepta cum Dei adjutorio perficiat, inſurgentibus obſiſtat, opprimentes reprimat, ſanctamque Matrem noſtram contra tales defendat. De his autem unde nobis dignitas veſtra ſcribere & noſtræ parvitatis conſilium eſt dignata quærere, quantùm recordari poſſumus dicere non omittimus. Hanc denique unde conſuluit cauſam ventilari nunquam audivimus, quia nullus aliquando extitit qui hanc Cantuarienſi Archiepiſcopo poteſtatem adimere vellet, & ne dedicationem propriarum duntaxat Eccleſiarum publicè faceret, defenderet. Extant quippe & in noſtra Diocœſi altaria, & quædam etiam Eccleſiæ in his ſcilicet villis quas Stigandus veſtræ Excellentiæ Prædeceſſor, haud tamen jure Eccleſiaſticæ hæreditatis, ſed ex dono poſſederat ſæcularis poteſtatis, ab ipſo dedicata noſtris & Anteceſſoris noſtri temporibus, Nobis inconſultis, nec antea nec poſtea inde calumniantibus, utpote hanc ſpiritualem po-

Digitized by Google

WILLELMUS II. Rex.

testatem ejusdem Metropolitani Episcopi esse scientibus. Judicium tamen hinc agitatum, aut hoc ex jure sibi judicatum aliquando minimè audivimus, sed quod in nostra Diocœsi eum fecisse liberè agnovimus, in aliorum etiam facere posse credimus. Ecce quantum inde reminiscì aut scire potuimus prudentiæ vestræ intimavimus; jam quid faciendum sit ipsa consideret. Valeat Paternitas vestra, & oret pro nobis.

Roboratus igitur Anselmus ex istis, atque ex multis aliorum, quos longum est enumerare, testimoniis; securè deinceps suorum morem Antecessorum æmulabatur, non solum Ecclesias inconsultis Episcopis sacrans, sed & quæque divina officia in cunctis terris suis per se suosve dispensans.

Evolutis dehinc aliquantis diebus; ex præcepto Regis omnes fere Episcopi, unâ cum principibus Angliæ ad Hastinges convenerunt, ipsum Regem in Normanniam transfretaturum sua benedictione & concursu prosecuti. Venit & Pater Anselmus, suis quàm maximè orationibus per marina pericula Regem protegendo ducturus. Morati verò sunt ibi Rex & Principes plus uno mense, vento transitum Regi prohibente. In qua mora Anselmus sacravit in Ecclesia sanctæ Dei Genitricis Mariæ quæ est in ipso Castello, Robertum ad regimen Ecclesiæ Lincolniensis, ministrantibus sibi in hoc officio septem de suffraganeis Episcopis suis. De qua tamen consecratione quidam de Episcopis atque Principibus conati sunt contra Anselmum scandalum movere, intendentes ad hoc ut eundem Episcopum absolutè absque debita professione consecraret. Quod nullo jure fulti ea solummodo re sunt aggressi, quia putabant se animo Regis aliquid ex conturbatione Anselmi unde lætaretur inferre, scientes eum pro suprascripta causa adversus ipsum non parum esse turbatum. Sed Anselmus ex his nihil rancoris mente concipiens, placito vultu nulla ratione assensum eis præbere, nec Episcopum, nisi primò susceptâ professione ab eo de subjectione & obedientia sua, sacrare voluit. Rex quoque, ubi quid Episcopi moliebantur audivit, asseruit se nullo pacto consensurum ut pro inimicitia quam contra Archiepiscopum habebat, Matri suæ Ecclesiæ Cantuariensi de sua dignitate quid quivis detraheret.

Eo tempore curialis juventus fermè tota crines suos invencularum more nutriebat; & quotidie pexa, ac irreligiosis nutibus circumspectans, delicatis vestigiis, tenero incessu, obambulare solita erat. De quibus cùm in capite jejunii sermonem in populo ad Missam suam & ad Cineres confluente idem Pater habuisset; copiosam turbam ex illis in pœnitentiam egit, & attonsis crinibus, in virilem formam redegit. Illos autem quos ab hac ignominia revocare nequivit, è Cinerum susceptione, & à suæ absolutionis benedictione suspendit. Erat autem in his & hujusmodi prudenter ac libere agens. Nécne solius justitiæ respectum præ oculis in omnibus habens, qualiter ad Dei servitium justitiamque colendam Regem provocaret studiosiùs intendit.

Die igitur quadam ad eum ex more ivit, & juxta illum sedens, eum his verbis alloqui cæpit. *Mare te, Domine mi Rex, transiturum & Normanniam tuæ ditioni subjugaturum disposuisti. Verum quò hæc & alia quæ desideras tibi prosperè cedant; obsecro primùm fer opem & consilium qualiter in hoc regno tuo Christianitas, quæ jam fere tota in multis periit, in statum suum redigi possit.* Respondit: *Quam opem, quod consilium? Jube*, ait, *si placet Concilia ex antiquo usu renovari, quæ perperam acta sunt in medium revocari, revocata examinari, examinata redargui, redarguta sedari. Generale nempe Concilium Episcoporum, ex quo Rex factus fuisti, non fuit in Anglia celebratum, nec retroactis pluribus annis. Quapropter multa crimina erupuerunt, & nullo qui ea rescideret existente in nimium robur per pravam consuetudinem excreverunt.* At ille: *Cum*, inquit, *mihi visum fuerit de his agam, non ad tuam sed ad meam voluntatem. Sed in hoc aliud tempus expendetur.* Et adjecit subsannans. *Tu verò in Concilio unde loqueris?* Tunc ille: *Nefandissimum Sodomæ scelus, ut illicita consanguineorum connubia, & alia multa rerum detestandarum facinorosa negotia taceam, scelus, inquam, Sodomæ noviter in hac terra divulgatum jam plurimum pullulavit, multosque suâ immanitate fœdavit. Cui fateor nisi districtius à te prodiens sententia judicii, & Ecclesiastice vigor disciplinæ celeriùs obviet, tota terra non multò post Sodoma fiet. Sed conemur unà, quæso, tu regia potestate & ego Pontificali auctoritate quatenus tale quid inde statuatur, quod cùm perpetratum fuerit regnum divulgatum, solo etiam auditu quicumque illius fautor est, paveat & deprimatur.* Non sederunt hæc animo Principis, & paucis ita respondit: *Et in hac re quid fieret pro te? Si non*, inquit Anselmus, *pro me, spero fieret pro Deo, & te. Sufficit*, dixit, *nolo inde ultra loquaris.* Tacuit ille, sed mox verba sua vertit ad alia dicens: *Est & aliud cui tuam industriam intendere vellem, & intendendo consilii tui manum extendere. Abbatiæ quamplures sunt in hac terra suis Pastoribus destitutæ. Quamobrem Monachi, relicto ordine suo, per luxus sæculi vadunt, & sine confessione de hac vita exeunt. Unde consulo, precor, moneo, quatenus tanta re diligenter inspecta, secundùm voluntatem Dei, Abbates illis instituas, ne in destructione Monasteriorum & perditione Monachorum tibi, quod absit, damnationem adquiras.* Non potuit amplius spiritum suum Rex cohibere, sed oppidò turbatus, cum iracundia dixit. *Quid ad te? Nunquid Abbatiæ non sunt meæ? Hem, tu quod vis agis de villis tuis: & ego non agam quod volo de Abbatiis meis?* Ait: *Tuæ quidem sunt ut illas quasi Advocatus defendas atque custodias, non tuæ autem ut invadas aut devastes. Dei scimus eas esse, ut sui Ministri inde vivant, non quo expeditiones & bella tua inde fiant. Denique villas & quàm plures reditus habes, unde pleniter administrare tua potes. Ecclesiis, si placet, sua dimitte. Pro certo*, inquit, *noveris mihi valde contraria esse qua dicis. Nec enim antecessor tuus auderet ullatenus Patri meo talia dicere; & nihil faciam pro te.* Intellexit ergo Anselmus se verba in ventum proferre, & surgens abiit.

Reputans autem in hujusmodi responsis non nihil pristinam iram operari, & considerans offenso Principis animo nequaquam posse pacem rebus dari; quo & rebus consuleret & liberiùs, favente sibi regali providentiâ, Deo fructificaret, humili per Episcopos prece Regem deprecatus est, ut in amicitiam sui iterùm gratis admitteret. *Quod si*, ait, *facere non vult, cur nolit edicat; & si offendi, satisfacere paratus sum.* Relata sunt ista ad Regem, & respondit. *De nulla re illum inculpo, nec tamen ei gratiam meam, quia non audio quare, indulgere volo.* Quod cùm Episcopi viro retulissent, percunctatus est quidnam illud esset quod, quia non audiebat, preces suas exaudire nolebat. *Mysterium hoc*, inquiunt, *planum est. Nam si pacem ejus vis habere, necessariò te oportet ei de pecunia tua copiosè præbere. Jam nuper obtulisti ei quingentas libras; sed quoniam parum sibi visum est, noluit illas recipere. Nunc si vis nostro consilio credere, & quo! in simili negotio fecimus, te quoque facere suademus: ipsas ei quingentas libras ad præsens da, & tantundem pecuniæ quam ab hominibus tuis accipies illi promitte; & confidimus quòd & tibi amicitiam suam restituet, & tuam ut voles pacem habere permittet. Aliam, qua exeas, viam non videmus; nec Nos pari angustia clausi aliam exeundi habemus.* At ille continuò intelligens qui consilii hujus effectus præ-

WILLIELMUS II. Rex.

tenderet, ait, *Abſit hic exitus à me. Nam cùm ipſe mihi juxta quod dicitis, nullam alicujus offenſæ calumniam imponat, & tamen tantum iratus eſt mihi ut non niſi mille libris argenti pacari queat: fortè ſi nunc novus Epiſcopus hac eum donatione pacarem, ex ipſo uſu alia vice ſimiliter iraſceretur, ut pari voto pacaretur. Amplius: Homines mei poſt obitum venerabilis memoriæ Lanfranci Anteceſſoris mei, depradati ſunt & ſpoliati, & ego cùm hucuſque nihil eis unde reveſtiri poſſint contulerim, jam eos nudos ſpoliarem, immò ſpoliatos excoriarem? Abſit. Nihilo quoque minus hoc abſit à me, amorem Domini mei facto oſtendere venalem eſſe. Fidem ei debeo & honorem, & ego illi hoc dedecus facerem, ſcilicet gratiam ſuam quaſi equum vel aſinum vilibus nummulis emerem? Emptum deniqne amorem ejus utique tanti pendere poſtea quantum pretium pro eo datum æſtimarem. Sed longè ſit à me ſublimatem tanta rei humili pretio comparare. Magis autem ſatagite, quo gratiùs & honeſtè me ſicut Archiepiſcopum Cantuarienſem & Patrem ſuum ſpiritualem diligat, & ego ex mea parte dabo operam ut me & mea ad ſervitium & voluntatem ejus juxta quod debebo exhibeam.* Dixerunt, *Scimus quod ſaltem oblatas ei quingentas libras non negabis.* Reſpondit. *Nec ipſas utique illi amplius dabo, quia cùm eas ſibi offerrem ſuſcipere noluit, & jam plurimam partem earum ut promiſit pauperibus dedi.* Nunciata ſunt iſta Regi, & juſſit hæc ei contra referri. *Heri magno, & hodie illum majori odio habeo, & ſciat revera quod eras & deinceps acriori & acerbiori odio ſemper habebo. Pro Patre verò vel Archiepiſcopo nequaquam illum ultrà tenebo, ſed benedictiones & orationes ejus execrans penitus reſpuo. Eat quò vult, nec me transfretaturum pro danda benedictione diutiùs expectet.* Feſtinantiùs igitur à Curia diſceſſimus, & ipſum voluntati ſuæ reliquimus. Et ipſe quidem in Normanniam tranſiit, expenſaque immensâ pecuniâ eam ſibi nullatenus ſubigere potuit. Infecto itaque negotio in Angliam reverſus eſt.

Quem conſiſtentem in quadam villa, quæ tribus milliaris à Sceftesberia diſtans Ilingheham vocatur, Anſelmus adiit, eique ſuam voluntatem in hoc eſſe innotuit, ut Romanum Pontificem pro Pallii ſui petitione adiret. Ad quod Rex: *A quo*, inquit, *Papa illud requirere cupis?* Erant quippe illo tempore duo ut in Anglia ferebatur, qui dicebantur Romani Pontifices à ſe invicem diſcordantes, & Eccleſiam Dei inter ſe diviſam poſt ſe trahentes: Urbanus videlicet qui primò vocatus Odo fuerat Epiſcopus Oſtienſis; & Clemens, qui Wibertus appellatus fuerat, Archiepiſcopus Ravennas. Quæ res ut de aliis mundi partibus ſileam, per plures annos Eccleſiam Angliæ in tantum occupavit, ut ex quo venerandæ memoriæ Gregorius qui antea vocabatur Hildebrandus, defunctus fuit; nulli, loco Papæ, uſque ad hoc tempus ſubdi vel obedire voluit. Sed Urbano jamdudùm pro Vicario Beati Petri ab Italia Galliaque recepto, Anſelmus etiam utpote Abbas de Normannia eum pro Papa recepetat, & ſicut vir nominatiſſimus, necnon auctoritate plenus ejus litteras ſuſceperat, eique velut ſummo ſanctæ Eccleſiæ Paſtori ſuas direxerat. Requiſitus ergo à Rege à quo Papa uſum Pallii petere voluiſſet, reſpondit, Ab Urbano. Quo Rex audito, dixit illum pro Apoſtolico ſe nondum accepiſſe, nec ſuæ vel paternæ conſuetudinis eatenus extitiſſe, ut præter ſuam licentiam aut electionem aliquis in regno Angliæ Papam nominaret, & quicunque ſibi hujus dignitatis poteſtatem vellet præripere, unum foret ac ſi Coronam ſuam ſibi conaretur auferre. Ad quæ Anſelmus admirans in medium protulit quod ſuprà retulimus, ſe videlicet antequam Epiſcopus fieri conſentiret, ei apud Roveceſtram dixiſſe quòd ipſe Abbas Beccenſis exiſtens Urbanum pro Papa ſuſceperit; nec ab illius obedientia & ſubjectione quoque modo diſcedere voluerit. Quibus ille auditis, iræ ſtimulis exagitatus proteſtatus eſt illum nequaquam fidem quam ſibi debebat ſimul & Apoſtolicæ Sedis obedientiam, contra ſuam voluntatem, poſſe ſervare. Anſelmus igitur, ſalvâ ratione ſuâ, quam de ſubjectione & obedientia Romanæ Eccleſiæ in medium tulerat, petivit inducias ad iſtius rei examinationem; quatenus Epiſcopis, Abbatibus, cunctiſque regni Principibus unà coeuntibus communi aſſenſu definiretur, utrùm ſalvâ reverentiâ & odedientiâ Sedis Apoſtolicæ poſſet fidem terrenò Regi ſervare, annòn. Quod ſi probatum, inquit, fuerit utrumque fieri minimè poſſe; fateor, malo terram tuam, donec Apoſtolicum ſuſcipias, exeundo devitare, quam beati Petri ejuſque Vicarii obedientiam vel ad horam abnegare. Dantur ergo inducíæ, atque ex regia ſanctione fermè totius Regni Nobilitas quinto Id. Martii pro ventilatione iſtius cauſæ in unum apud Rochingheham coit.

WILLIELMUS II. Rex.

Fit itaque Conventus omnium Dominico die in Eccleſia quæ eſt in ipſo Caſtro ſita ab hora prima, Rege & ſuis ſecretiùs in Anſelmum conſilia ſua ſtudiosè texentibus. Anſelmus autem Epiſcopis, Abbatibus & Principibus ad ſe à regio ſecreto vocatis, eos & aſſiſtentem Monachorum, Clericorum, Laïcorum numeroſam multitudinem hac voce alloquitur. Fratres mei, filii Eccleſiæ Dei, omnes dico qui hîc congregati eſtis in nomine Domini, precor, intendite, & cauſæ propter quam ventilandam adunati eſtis, pro viribus opem veſtri conſilii ferte. Quæ autem ipſa cauſa ſit, brevi qui nondum pleniter audiſtis, ſi placet, audite. Verba quædam orta ſunt inter Dominum noſtrum Regem & me, quæ quandam videntur diſſenſionem generare. Nam cùm nuper licentiam adeundi Urbanum Sedis Apoſtolicæ Præſulum juxta morem Anteceſſorum meorum pro Pallii mei adeptione ab eo poſtulaſſem; dixit ſe Urbanum ipſum pro Papa necdum ſuſcepiſſe, & ideo nolle me ad eum illius rei gratiâ properare. Quinetiam ait, ſi eundem Urbanum aut quemlibet alium ſine mea electione, & auctoritate in regno meo pro Papa ſuſcipis, aut ſuſceptum tenes; contra fidem quam mihi debes facis, nec in hoc me minùs offendis, quàm ſi Coronam meam mihi tollere conareris. Unde ſcias in regno meo nullum te participium habiturum, ſi non apertis aſſertionibus probavero te omnis obedientiæ ſubjectionem Urbano de quo agitur, pro voto meo, negaturum. Quod ego audiens, admiratus ſum. Siquidem Abbas eram, ut noſtis, in alio regno per miſericordiam Dei converſatus ad omnes ſine querela. Nulla verò ſpe vel deſiderio Pontificatus, ſed quibuſdam rationabilibus cauſis quas nullatenus omittere poteram, in hanc terram ſum venire coactus. Ipſo autem Rege infirmato, omnes qui tunc aderatis ei ut Matri ſuæ & veſtræ ſcilicet Eccleſiæ Cantuarienſi per inſtitutionem Pontificis ante mortem ſuam conſuleret, pro voto conſuluiſtis. Quid dicam? Suſcepto conſilio, placuit illi & vobis in hoc opus eligere me. Objeci plurima, ſubducere me Præſulatui geſtiens, nec adquieviſtis. Profeſſus ſum inter alia me hunc de quo nunc querela iſta conſeritur Urbanum pro Apoſtolico ſuſcepiſſe, meque ab ejus ſubjectione quoad viveret vel ad horam diſcedere nolle; & qui ad hoc tunc temporis mihi contradiceret, nemo fuit. Sed quid? Rapuiſtis me, & coegiſtis onus omnium ſuſcipere qui corporis imbecillitate defeſſus meipſum vix poteram ferre. In quo facto putabatis forſan mihi ad votum ſervire. Sed quantum illud deſideraverim, quàm gratum habuerim, quantum in illo delectatus ſim, dicere

WILLELMUS II. Rex.

» dicere in præſenti quidem, cùm nihil proſit, ſuper-
» vacuum æſtimo. Verùm ne quis in hac re conſcien-
» tiam meam neſciens ſcandalizetur in me: fateor
» verum dico quia ſalvâ reverentiâ voluntatis Dei
» maluiſſem illa die, ſi optio mihi daretur, in ardentem
» rogum comburendus præcipitari, quàm Archiepiſ-
» copatus dignitate ſublimari. Attamen videns im-
» portunam voluntatem veſtram, credidi me vobis &
» ſuſcepi onus quod impoſuiſtis, confiſus ſpe auxilii
» veſtri quod polliciti eſtis. Nunc ergo, ecce tempus
» adeſt quo ſeſe cauſa obtulit, ut onus meum conſilii
» veſtri manu levetis. Pro cujus conſilii adeptione pe-
» tivi inducias ab eo die quo mihi præfata verba dicta
» ſunt, in hunc diem; quatenus in unum convenire-
» tis, communi conſilio inveſtigaretis, utrumnam
» poſſim, ſalvâ fidelitate Regis, ſervare obedientiam
» Apoſtolicæ Sedis. Petivi inquam inducias & accepi,
» & ecce gratiâ Dei adeſtis. Omnes itaque, ſed vos
» præcipuè, Fratres & Coepiſcopi mei, precor &
» moneo, quatenus iſtis diligenter inſpectis ſtudio-
» ſiùs, ſicut vos decet, quo inniti queam mihi con-
» ſilium detis: Ita ut & contra obedientiam Papæ
» nihil agam, & fidem quam Domino Regi debeo non
» offendam. Grave ſiquidem mihi eſt Vicarium bea-
» ti Petri contemnendo abnegare: Grave, fidem
» quam Regi me ſecundùm Deum ſervaturum pro-
» miſi, violare: Gravè nihilhominus quod dicitur,
» impoſſibile mihi fore unum horum, non violato
» altero, cuſtodire. Ad hæc Epiſcopi reſponderunt
Conſilium quod à nobis petis, penes te eſt; quem pru-
dentem in Deo ac benitatis amatorem eſſe cognoſcimus,
& ob hoc in tam profundare conſilio noſtro non egos.
Verùm ſi, remotâ omni alia conditione, ſimpliciter
ad voluntatem Domini noſtri Regis conſilii tui ſumma
transferre velles, prompta tibi voluntate, ut nobis
ipſis, conſuleremus. Attamen, ſi jubes, verba tua
ipſi Domino noſtro referemus, & cùm audierimus
quid inde ſentiat, dicemus tibi. Annuit ipſe, & fe-
cerunt ut dixerant. Præcepit itaque Rex ut omnia
in craſtinum, quia dies Dominica erat, differrentur;
& Anſelmus ad hoſpitium ſuum, Curiam mane re-
petiturus, revecteretur. Factum eſt ita. Et manè, juxta
conditum, reverſi ſumus. Itaque Anſelmus in medio
Procerum & conglobatæ multitudinis ſedens, ita orſus
eſt: *Si juxta quod à vobis, Domini Fratres, heſternò*
die, conſilium de præſenti cauſa petivi, vel nunc dare
velletis, acciperem. At illi: *Quod heri reſpondimus, me-*
dò reſpondemus: ſcilicet, ſi purè ad voluntatem Domini
Regis Conſilii tui ſummam transferre voluerit; promp-
tum, & quod in nobis ipſis utile didicimus, à nobis
conſilium certum habebis. Si autem ſecundùm Deum,
quod ullatenus voluntati Regis obviare poſſit, conſi-
lium à nobis expectas, fruſtrà niteris; quia in hujuſ-
modi nunquam tibi nos adminiculari videbis. Qui-
bus dictis conticuerunt, & capita ſua quaſi ad ea
quæ ipſe illaturus erat dimiſerunt. Tunc Pater An-
ſelmus erectis in altum luminibus vivido vultu, reve-
» renda voce iſta locutus eſt: Cùm Nos qui Chriſtia-
» næ plebis Paſtores, & vos qui populorum Princi-
» pes vocamini, conſilium mihi Principi veſtro non
» niſi ad unius hominis voluntatem dare vultis; Ego
» ad ſummum Paſtorem, & Principem omnium, Ego
» ad magni conſilii Angelum curram & in meo, im-
» mo in ſuo & Eccleſiæ ſuæ negotio, conſilium quod
» ſequar ab eo accipiam. Dicit beatiſſimo Apoſtolo-
» rum Petro: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram*
» *ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferi non*
» *prævalebunt adverſus eam, & tibi dabo claves*
» *regni Cœlorum; & quodcunque ligaveris ſuper*
» *terram, erit & in cœlis ligatum; & quodcunque*
» *ſolveris ſuper terram, ſolutum & in cœlis.* Com-
» muniter etiam Apoſtolis omnibus: *Qui vos audit,*
» *me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit; & qui tan-*

A *git vos, ſicut qui tangit pupillam oculi mei.* Hæc ſicut « WILLELMUS II. Rex.
principaliter beato Petro, & in ipſo cæteris Apoſto- «
lis dicta accipimus, ita principaliter Vicario beati «
Petri, & per ipſum cæteris Epiſcopis, qui vices «
agunt Apoſtolorum, eadem dicta tenemus; non cui- «
libet Imperatori, non alicui Regi, non Duci, non «
Comiti. In quo tamen terrenis Principibus ſubdi ac «
miniſtrare debeamus, docet & inſtruit idem ipſe «
magni conſilii Angelus, dicens: *Reddite quæ ſunt* «
Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Hæc ver- «
ba, hæc conſilia Dei ſunt. Hæc approbo, hæc ſuſ- «
cipio, hæc nulla ratione exibo. Quare cuncti no- «
veritis in communi, quòd in his quæ Dei ſunt Vi- «
cario beati Petri obedientiam, & in his quæ ter- «
renæ Domini mei Regis dignitati jure competunt «
B & fidele conſilium & auxilium pro ſenſus mei «
capacitate impendam. Finierat Pater in iſtis. Om- «
nes igitur aſſidentes oppido turbati, cum feſtina-
tione & magno tumultu ſurrexerunt, turbationem
ſuam confuſis vocibus exprimentes, ut eos illum eſſe
reum mortis unà clamare putares. Converſique ad il-
lum, cum jurgio: *Scias*, inquiunt, *nos hæc verba*
tua minimè Domino noſtro tua vice portaturos. Quibus
dictis ad Regem reverſi ſunt. Quia ergo nemo cui ver-
ba ſua Regi deferenda tutò committeret, cum Anſel-
mo remanſit; ipſemet ad Regem ingrediens, quæ di-
xerat, viva voce innotuit, illicoque reverſus eſt. Ad
quæ Rex vehementer iratus, cum Epiſcopis atque
Principibus, intentiſſimè quærere, cepit, quid dictis
ejus objicere poſſet, nec invenit. Scandalizati ergo
inter ſe, ab invicem ſunt in partes diviſi; & hîc duo;
ibi tres, illic quatuor in unum conſiliabantur, ſtu-
dioſiſſimè diſquirentes ſi quo modo poſſent aliquod
C reſpônſum contra hæc componere, quod & regiam
animoſitatem deliniret, & prælibatas ſententias Dei
adversâ fronte non impugnaret. Solus inter hæc An-
ſelmus ſedebat tantùm innocentiâ cordis ſui, & in
miſericordia Domini Dei fiduciam habens. Adverſa-
riis verò ejus conciliabula ſua in longum protelanti-
bus, ipſe ad parietem ſe reclinans leni ſomno quieſ-
cebat. Factâ itaque longâ morâ redeunt Epiſcopi
cum nonnullis Principibus à Rege, hæc viro dicentes:
Vult Dominus noſter Rex omiſſis aliis verbis à te ſub
celeritate ſententiam audire; de his videlicet quæ
inter illum & te dicta fuerunt apud Ilingeham, un-
de petiſti inducias in hunc diem reſpondendi. Res
D *nota eſt, & expoſitione non indiget. Veruntamen no-*
veris totum regnum conqueri adversùm te quod noſtro
communi Domino conaris decus Imperii ſui Corona-
nam auferre. Quicunque enim Regia dignitatis ei
conſuetudines tollit, coronam ſimul & regnum tollit.
Unum quippe ſine alio decenter haberi non poſſe pro-
bamus. Sed recogita, rogamus te, & Urbani illius
qui offenſo Domino Rege nihil tibi prodeſſe, nec ipſo
peccato tibi quicquam valet obeſſe, obedientiam abjice,
ſubjectionis jugum excute, & liber, ut Archiepiſco-
pum Cantuarienſem decet, in cunctis actibus tuis volun-
tatem Domini Regis, & juſſionem expecta: necnè
quòd ſecus egiſti culpam agnoſce, ac ut tibi ignoſ-
cat voto illius in quod à te inde petierit ſapien-
tiæ more concurre, quatenus inimici tui qui caſibus
E *tuis nunc inſultant, viſa dignitatis tuæ ſublevatione ere-*
beſcant. Hæc, inquam, hæc rogamus, hæc conſulimus,
hæc tibi tuiſque neceſſaria eſſe dicimus, & confirma-
mus. Reſpondit: *Quæ dicitis audio, ſed, ut ad alia*
tacram, abnegare obedientiam Domini Papæ nullate-
nus volo. Jam dies declinat in veſperam. Differ-
atur ſi placet in criſtinum cauſa iſta: quò tractans
mecum, reſpondeam quod Deus inſpirare dignabi-
tur. Suſpicati ergo illum aut quid diceret ultrà
neſcire, aut metu addictum jam ſtatim cœpto
deſiſtere, reverſi ad Regem perſuaſerunt inducias
nullâ ratione dandas, ſed cauſâ recenti examinatione

F

WILLIELMUS II. Rex.

diſcuſsâ, ſupremam, ſi ſuis adquieſcere conſiliis nollet, in eum mox judicii ſententiam invehi juberet. Erat autem quaſi primus & Prolocutor Regis in hoc negotio Willielmus ſupra nominatus Dunelmenſis Epiſcopus, homo linguæ volubilitate facetus, quàm purâ ſapientiâ prædítus. Hujus quoque diſcidii quod inter Regem & Anſelmum verſabatur, erat auctor gravis, & incentor, Regique ſponderat ſe facturum, ut Anſelmus aut Romani Pontificis funditùs obedientiam abnegaret, aut Archiepiſcopatui, reddito baculo & annulo, abrenunciaret. Quâ ſponſione fretus Rex, applaudebat ſibi, ſperans illum vel abjurato Apoſtolico infamem remanere in regno ſuo. Et iſta quidem volebat propterea quod omnem auctoritatem exercendæ Chriſtianitatis illi admirere cupiebat. Nec enim regiâ dignitate integrè ſe potitum ſuſpicabatur, quandiu aliquis in tota terra, vel etiam B ſecundùm Deum, niſi per eum quicquam habere (nota dico) vel poſſe dicebatur. Quam cordis illius voluntatem Dunelmenſis intelligens, omni ingenio ſatagebat ſi quo modo Anſelmum calumnioſis objectionibus fatigatum regno eliminaret, ratus ut dicebatur, ipſo diſcedente, ſe Archiepiſcopatus ſolio ſublimandum. Cùm igitur Regi perſuaſiſſet quæſitas inducias Anſelmo non eſſe dandas, comitatus quàm pluribus qui verba ſua ſuo fulcirent teſtimonio, ad virum ingrediens, ait: *Audi querimoniam Regis contra te. Dicit quod quantum tua intereſt, cum ſuâ dignitate ſpoliaſti, dum Odonem Epiſcopum Oſtienſem ſine ſui auctoritate præ cæteris Papam in ſua Anglia facis, & ſic ſpoliatum prius tibi inducias dare quas poſſis eandem ſpoliationem tuis adinventionibus juſtam eſſe demonſtrare. Reſpice eum primò, ſi placet, debitâ Imperii ſui dignitate, & tunc demum de induciis age. Alioquin noverit illum ſibi ipſi odium Dei omnipotentis imprecari, Nosque fideles ejus imprecationi ipſius conniventes acclamare, ſi vel ad horam inducias dederit, quas tibi in craſtinum dari precatus. Quare jam nunc è veſtigio ad Domini noſtri dicta reſpondе, aut ſententiam tuæ vindicem præſumptionis dubio procul in præſenti experiere. Nec jocum exiſtimes eſſe quod agitur immo in iſtis magni doloris ſtimulis urgemur. Nec mirum. Quod enim Dominus tuus & noſter in omni dominatione ſua præcipuum habebat, & quo cum cunctis Regibus præſtare certum erat, hoc ei quantum in te eſt iniquè tollis, tollens fidem cum ſacramento quod ei feceras poſtuis, & omnes amicos ejus magna in hoc confuſione involvis.* Audiens hæc Anſelmus patienter D ſuſtinuit, moxque ad tantæ calumniæ nefas ita brevi reſpondit: *Qui propterea quòd venerabilis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſummi Pontificis obedientiam abnegare nolo, vult probare me fidem & ſacramentum violare quod terreno Regi debeo, aſſit, & in nomine Domini me paratum inveniet ei ſicut debeo & ubi debeo reſpondere.* Quibus auditis, aſpicientes ſeſe ad invicem, nec invenientes quid ad iſta referrent, ad Dominum ſuum reverſi ſunt. Protinus enim intellexerunt quod prius non animadverterunt, nec ipſum advertere poſſe putaverunt, videlicet Archiepiſcopum Cantuarienſem à nullo hominum, niſi à ſolo Papa, judicari poſſe vel damnari; nec ab aliquo cogi pro quavis calumnia cuiquam, eo excepto, contra ſuum vel reſpondere. Ortum interea murmur eſt totius multitudinis pro injuria tanti viri ſummiſsâ inter ſe voce querentis. Nemo quippe palàm pro eo loqui audebat ob metum Tyranni. Veruntamen Miles unus de multitudine prodiens viro aſtitit flexis coram eo genibus dicens: *Domine Pater, rogant te per me ſupplices filii tui, ne turbetur cor tuum ex iis quæ audiſti; ſed memor eſto beati Jobvincentis Diabolum in ſterquilinio, & vindicantis Adam quem ipſe vicerat in Paradiſo.* Quæ verba dum Pater comi vultu accepiſſet, intellexit animum populi in ſua ſecum ſententia eſſe. Gaviſi ergo exinde ſumus, & animæquiores effecti, confidentes, juxta Scripturam, vocem populi, vocem eſſe Dei. Quid agam? Si minas, ſi opprobria, ſi contumelias, ſi mendacia viro objecta ſingulatim deſcribere voluero, timeo nimius judicari. Quæ tamen omnia pro fidelitate Apoſtolicæ Sedis æquanimiter ſuſtinebat, & juvante Deo invictâ quæque ratione deſtruebat, oſtendens potius in veritate ſeſe conſiſtere, atque in cunctis quæ negotii ſumma reſpiciebat Deum Auctorem habere. Cùm hæc omnia Rex agnoviſſet, uſque ad diviſionem ſpiritus ſui exacerbatus Epiſcopis dixit: *Quid eſt hoc? Nonne mihi polliciti eſtis quod eum omnino ad velle meum tractaretis, judicaretis, damnaretis?* Cui Dunelmenſis ita imprimis tepidè & ſilenter per ſingula loquebatur, ut omnis humanæ prudentiæ inſcius & expers putaretur. Et adjecit: *Nox eſt. Jubeatur ad hoſpitium ire, & nos jam plenè agnitâ ratione ſua cogitabimus pro te, uſque mane.* Hinc ad Regis præceptum repetivimus hoſpitium noſtrum. Mane autem reverſi, ſedimus in ſolito loco expectantes mandatum Regis. At ille cum ſuis omnimodo perquirebat quid in damnationem Anſelmi componere poſſet, nec inveniebat. Requiſitus Willielmus Dunelmenſis quid ipſe ex dicto noctu egerit apud ſe, reſpondit: *Nihil rationis poſſe afferri ad enervationem rationis Anſelmi, præſertim cum omnis*, inquit, *ratio ejus innitatur verbis Dei, & auctoritati beati Petri. Verùm mihi violentiâ videtur opprimendus: & ſi Regiæ voluntati non vult adquieſcere, ablato baculo & annulo, de regno pellendus.* Non placuerunt hæc verba Principibus. Et C ait Rex. *Quid placet, ſi hæc non placent? Dum vivo, parem mihi in regno meo utique ſuſtinere nolo. Et ſi ſciebatis eum tanto in cauſa ſua rubore fultum, quare permiſiſtis me incipere placitum iſtud contra eum? Ite, ite, conſiliamini; quia per vultum Dei ſi vos illum ad voluntatem meam non damnaveritis, ego damnabo vos.* Ad quæ Robertus quidam ipſi Regi valde familiaris ita reſpondit: *De Conſiliis noſtris quid dicam, fateor neſcio. Nam cum omni ſtudio per totum diem inter nos illa conferimus; & quatenus aliquo modo ſibi cohæreant conferendo conferimus, ipſe nihil mali è contra cogitans dormit, & prolata coram eo ſtatim uno labiorum ſuorum pulſu quaſi telas aranea rumpit.* Et vos, Epiſcopi mei, quid dicitis? Dixerunt: *Dolemus quod animo tuo, Domine, ſatisfacere non valemus. Primas eſt non modo iſtius Regni, ſed & Scotiæ, & Hiberniæ, necne adjacentium inſularum, noſque Suffraganei ejus. Unde patet nos rationabiliter eum judicare vel damnare nullatenus poſſe, etiamſi aliqua culpa in eo, quæ modo non valet, poſſet oſtendi.* Ait: *Quid igitur reſtat? Si eum judicare non poteſtis, nonne ſaltem omnis obedientiæ fidem ac fraternæ ſocietatis amicitiam ei abnegare poteſtis? Hoc quidem*, inquiunt, *quoniam jubes facere poſſumus. Properate igitur, & quod dicitis citius facite, ut cùm viderit ſe à cunctis deſpectum & deſolatum, verecundetur, & ingemiſcat ſe Urbanum me Domino ſuo contempto ſecutum. Et quæ iſta ſecurius faciatis, en ego primùm in imperio meo penitus ei omnem ſecuritatem & fiduciam mei tollo, ac deinceps in illo vel de illo nulla in cauſa confidere, vel eum pro Archiepiſcopo aut Patre ſpirituali tenere volo.* Actis ex hinc pluribus ac diverſis contra virum machinationibus, quæ ab incæpta ſui propoſiti norma eum avellerent, nec in aliquo proficientibus, tandem, ſociatis ſibi Abbatibus, Epiſcopi retulerunt Patri quod dixerat Rex, ſuam pro voto illius abnegationem quam prælibavimus ingerentes. Quibus ille reſpondens, ait: *Quæ dicitis audio. Sed cum propterea quod me ad*

WILLIELMUS II. Rex.

WILLIELMUS II. Rex.

beati Petri Principis Apostolorum subjectionem & fidelitatem teneo. Mihi omnem subjectionem, fidem & amicitiam quam Primati vestro & Patri spirituali debetis abnegatis, non rectè procedetis. Absit tamen à me similem vobis vicem rependere. Veram fraternam paternamque vobis charitatem exhibens nitar, si pati non refugitis, vos ut fratres ac filios sanctæ Matris Ecclesiæ Cantuariensis, ab hac in quo lapsi estis trepido errore convertere, & per potestatem mihi à Domino datam ad vitam rectitudinis revocare. Regi autem qui mihi omnem in regno suo securitatem adimit, meque pro Archiepiscopo vel Patre spirituali habere se amodo nolle dicit, omnem cum fideli servitio securitatem, quantum mea interest, spondeo; & paterno more diligentiam animæ illius curam, si ferre dignabitur, habebo, retentâ semper apud me Dei servitio, potestate, nomine & officio Pontificatus Cantuariensis, qualicumque oppressione vexari contingat res exteriores. Ad hæc ille respondit: *Omnino adversatur animo meo quod dicit, nec mens erit quisquis ipsius esse delegerit. Quapropter vos qui regni mei Principes estis, omnem fidem & amicitiam, sicut Episcopi fecerunt, ei denegate, quatenus appareat quid lucretur in ea fide, quam offensa voluntatis mea servat Apostolicæ Sedi.* Dixerunt: *Nos nunquam fuimus Homines ejus, nec fidelitatem quam ei non fecimus abjurare valemus. Archiepiscopus noster est; Christianitatem in hac terra gubernare habet, & ea re nos qui Christiani sumus ejus Magisterium dum hic vivimus declinare non possumus, præsertim cùm nullius offensæ macula illum respiciat, quæ vos secus de illo agere compellat.* Quod ipse repressâ sustinuit irâ rationi eorum palam, ne nimis offenderentur, contraire præcavens. Igitur Episcopi hæc videntes confusione vultus sui operti sunt, intelligentes omnium oculos in se converti, & Apostasiam suam non injustè à cunctis detestari. Audires enim si adesses, nunc ab isto, nunc ab illo istum vel illum Episcopum aliquo cognomine cum interjectione indignantis denotari; videlicet, Judæ proditoris, Pilati, vel Herodis, horumque similum; Qui paulò pòst singulatim requisiti à Rege utrum omnem subjectionem & obedientiam, nulla conditione interposita, an illam solam subjectionem & obedientiam, quam prætenderet ex auctoritate Romani Pontificis, Anselmo denegassent, cùm quidam uno, quidam alio modo se hoc fecisse responderent; hos quidem, qui nulla conditione interpositâ, funditus ei quicquid Prælato suo debebant se abjurasse professi sunt, juxta se sicut fideles & amicos suos honorificè sedere præcepit; illos verò qui in hoc solo quod præciperet ex parte Apostolici sese subjectionem & obedientiam illi abnegasse dicere ausi sunt, ut perfidos ac suæ voluntatis inimicos procul in angulo domus sententiam suæ damnationis irâ permotus jussit præstolari. Territi ergo & confusione super confusionem induti in angulum domus secesserunt. Sed reperto statim salubri & quo niti solebant domestico consilio, hoc est, data copiosâ pecuniâ in amicitiam Regis recepti sunt. Anselmus autem sciens omnem sibi in Anglia securitatem à Rege sublatam, mandavit ei dare sibi conductum quo cum suis portum maris tutò petens regno decederet, donec Deus tantæ perturbationi modum dignanter imponeret. Quo ipse audito gravi cordis molestia elanguit. Nam licet discessum ejus summopere desideraret, nolebat tamen eum Pontificatus dignitate saisitum discedere, ne novissimum scandalum, quod inde poterat oriri, pejus fieret priore. Ut verò Pontificatu illum dissaisiret, impossibile sibi videbatur. Turbatus itaque, & Episcoporum consilio per quod in has angustias se devolutum querebatur, omisso cum Principibus consilium iniit; quid facto opus esset inquisivit. Rogant illi quatenus vir cum summa pace moneatur ad hospitium suum redire; responsum Regis super petitione sua mane recepturus. Fit juxta verbum illorum, & perturbatis etiam Curialibus plurimis, hospitium repedavimus. Rati sunt quippe hominem à terra discedere; & ingemuerunt. At ille lætus & alacer sperabat se perturbationes & onera sæculi, quod semper optabat, transito mari, evadere. Cùm igitur inter spem à regno discedendi, & metum in regno remanendi animus ipsius fluctuaret, ecce Principes à latere Regis manè directi, *Rogat*, aiunt, *Dominus noster Rex te venire ad se.* Ascendimus, ivimus, & supremam de negotio nostro sententiam avidi audire, in quo soliti eramus loco consedimus. Nec mora, veniunt ad Patrem nostrum Proceres regni nonnullis Episcopis comitati, hæc ei dicentes: *Antiquâ tui amicitiâ moti dolemus discordiam istam inter Dominum Regem & te esse exortam. Quare cupientes in pristinam concordiam vos revocare prævidimus in præsenti utile fore inducias utrimque de negotio dari, quatenus hinc usque ad definitum aliquod tempus inter vos pace statutâ, nec à te illi vel suis, nec ab eo tibi vel tuis quicquam fiat, quod concordiæ mutæ crumpat. Hoc, inquam, utile fore prævidimus, & volumus dicat an velis in hoc adquiescere nobis.* Respondit: *Pacem atque concordiam non abjicio. Verumtamen videor mihi videre quid ista, quam offertis, pax habeat in se. Ne tamen ab aliquo judicer magis velle meo sensui quàm aliorum in istis credere; concedo suscipere quod Domino Regi, & vobis paces pro pacis custodia secundùm Deum statuere, salvâ semper apud me debitâ reverentiâ & obedientiâ Domini Urbani Sedis Apostolicæ Præsulis.* Probant dictum, & referunt ad Regis auditum. Dantur ergo inducie usque ad octavas Pentecostes, ac Regiâ fide sancitur quatenus ex utraque parte interim omnia, ut dictum erat, essent in pace. Et Rex *si integritas*, inquit, *perfectæ pacis istam quæ inter nos est controversiam ante hunc terminum non sedaverit, omnino qualis hac die est, talis in præfinito termino induciarum definienda in medium revocetur.*

WILLIELMUS II. Rex.

His ita gestis; acceptâ à Rege licentiâ, ad suam Anselmus revertit Sedem, præsciens apud se pacem & inducias illas inane & momentaneum velamen esse odii & oppressionis mox futuræ. Quod in brevi postmodum patuit. Siquidem evolutis paucis diebus Balduinus Monachum, in quod pars major Consilium Anselmi pendebat, & duos Clericos ejus Rex ipse, prescripti discidii causâ, ab Anglia pepulit, & Anselmum in hoc facto atroci mœroris verbere perculit. Quid referam Camerarium ejus in sua Camera ante suos oculos captum, alios homines ejus injusto judicio condemnatos, deprædatos, innumeris malis afflictos? Et hæc omnia infra dies induciarum & præfixæ pacis, regalis constantia fidei contra virum exercebat. Passa est igitur ea tempestate Ecclesia Cantuariensis in omnibus hominibus suis tam sævam tempestatem, ut ferè universi conclamarent melius sibi absque Pastore jam olim fuisse, quàm nunc sub hujusmodi Pastore esse. A cujus tempestatis descriptione temperantes modum præsenti volumini imponemus, cavetes ne prolixa fanitas & fatua prolixitas orationis legentes vel audientes, si fortè aliqui fuerint, nimio tædio afficiat.

Finis Libri primi.

Digitized by Google

EADMERI
CANTUARIENSIS MONACHI
HISTORIA NOVORUM.

LIBER SECUNDUS.

WILLIELMUS II. Rex.

CUM datarum dies induciarum præstolaretur, A & hinc inde fides utrorumque Willielmi, videlicet Regis & Anselmi Archiepiscopi certis indiciis panderetur, Regis scilicet omnia quæ spoponderat in contrarium pervertendo, & Pontificis suâ sponsione servatâ patienter irrogatas injurias perpetiendo; Albanensis Episcopus, Walterus nomine, ab Urbano Sedis Apostolicæ Præsulis Româ missus Angliam venit, adducentibus eum duobus Clericis Girardo scilicet & Willielmo, qui de Capellâ Regis erant. Siquidem ipse Rex ubi sensit Anselmum suæ voluntatis in præscripto negotio nolle obtemperare; clàm & Anselmo ignorante, eosdem Clericos Romam miserat, Romanæ statum Ecclesiæ per eos volens certò dinoscere. Erant namque Romæ in illis diebus, sicut prædiximus, duo Pontifices, qui B à diversis Apostolici nuncupabantur; sed quis eorum Canonicè, quis secùs fuerit institutus, ab Anglis usque id temporis ignorabatur. Scire itaque veritatem hujus rei Romam missi sunt hi duo Clerici, eâque cognitâ, jussi sunt sacris promissionibus illectum ad hoc si possent Papam perducere, ut ipsi Regi ad opus Archiepiscopi Cantuariensis Pallium, tacitâ persona Anselmi, destinaret, quod ipse Rex, Anselmo à Pontificatu simul & regno dejecto, cui vellet cum Pontificatu vice Apostolici postmodum daret. Hoc quippe disposuerat apud se; hoc suspicatus est non injuria sibi concedi posse; hoc indubitatò fieri promittebat opinioni suæ.

Præfatus ergo Episcopus Angliam veniens, secum Archiepiscopatus stolam Papâ mittente clanculo detulit. Et silenter Cantuariâ Civitate pertransita, Anselmoque devitato, ad Regem properabat nulli de Pallio quod ferebat quicquam dicens, nullum in absentia ductorum suorum familiariter alloquens. Rex denique præceperat ita fieri, nolens mysterium consilii sui publicari. Ille igitur cùm nonnullis diebus ante Pentecosten ad Regem venisset; & ei ad singula quæ suæ voluntati accepta fore didicerat bonæ spei fiducià respondisset; nihil penitus ipsi pro Anselmo locutus est, quod pacem inter eos conciliaret, quod tribulationes in quibus pro fidelitate Sedis Apostolicæ desudabat mitigaret, quod eum ad sublevandum in Anglia Christianæ Religionis cultum roboraret. Super quo multi qui priùs ex adventu ipsius magni spe boni tenebantur, oppidò admirati: *Papa*, inquiunt, *quid dicemus? Si aurum & argentum Roma præponit justitiæ, quid subventionis, quid consilii, quod solaminis ibi deinceps in sua oppressione reperient, qui pro adipiscenda sua causa rectitudine non habent quod dent?*

Sentiens itaque Rex Episcopum ex parte Urbani WILLIELMUS II. Rex. cuncta suæ voluntati conniventia nunciare, & ea, si ipsum Urbanum pro Papa in suo regno susciperet, velle Apostolica auctoritate sibi dum viveret in privilegium promulgare, adquievit placito, præcipiens Urbanum in omni Imperio suo pro Apostolico haberi, eique vice beati Petri in Christiana religione obediri. Egit post hæc quibus modis poterat ipse Rex cum Episcopo, quatenus Romani Pontificis auctoritate Anselmum ab Episcopatu, regali potentia fultus deponeret, spondens immensum pecuniæ pondus ei & Ecclesiæ Romanæ singulis annis daturum, si in hoc suo desiderio satisfaceret. Verùm cùm id nulla ratione fieri posse, docente Episcopo, didicisset; deficiebat animo, rep itans apud se nihil in requisitione vel susceptione Romani Antistitis se profeciisse. Attamen immutabile considerans quod factum fuerat; consilio cum suis inito quærebat qualiter, servatâ singulari Celsitudinis suæ dignitate, viro saltem specie tenus amorem suum redderet, cui creduliter iratus nihil poterat cupitæ damnationis pro voto inferre.

Instante igitur die, in quem induciæ datæ sunt inter ipsos, mandatum est Anselmo tunc in villa sua, quæ Murtelac dicitur, consistenti, & ibi solennitatem Pentecostes celebranti, quatenus ad aliam villam suam, quæ Heisa vocatur, accederet, ubi Nuncii Regis Curiam suam in ipsa festivitate apud Windlesoram tenentis, ad eum venire & verba Regis illi & illius possent Regi deferre. Ivimus ergo illuc, & sequenti die veniunt ad illum penè omnes Epis- C copi Angliæ, qui præmissâ pace sui, pedetentim explorare aggressi sunt utrum aliquo modo illum ad hoc illicere possent, ut ipse jam tot ac tantis adversitatibus actus, vel tunc, datâ pecuniâ, Regis amicitiam sibi conciliaret. Ad quod cùm illum more solito inflexibilem reperissent, tandem hujuscemodi quæstibus eum interpellare destiterunt, subjungentes hæc: *Si ergo pro adipiscenda amicitia ipsius nihil de tuis dare vis; die, rogamus te, compendioso ac simplici verbo quid velis?* Ait: *Dixi vobis jam quod nunquam Domino meo hanc contumeliam faciam, ut facto probem amicitiam ejus esse venalem. Sed si me sicut debet Patrem suum vult gratis diligere, & ut more Archiepiscopi Cantuariensis, sub obedientia Domini Papæ Urbani in Anglia vivam permittere; gratiosè suscipiam, eique pace ac securitate positus sicut Domino & Regi meo fideliter & opportunè deserviam. Si hoc non vult, scitis quod in hunc diem convenit inter nos. Det scilicet mihi conductum donec ad mare perveniam, & postmodum quod intelligam me facere debere faciam. Nihil ne nobis*, inquiunt, *aliud di-*

WILLIELMUS II. Rex.

ces? Refert: *Hinc, nihil. Dominus Papa Urbanus*, aiunt, *rogatu Domini nostri Regis stolam illi Archiepiscopatus per Episcopum qui de Roma venit, direxit. Tuum igitur erit considerare, quid tanto beneficio dignum Regi rependas. Quod enim sine multis periculis magnoque labore atque constamine obtinere non potes; ecce nullo interveniente gravamine, si in te non remanserit, habes.* Sensit in his Anselmus nimis implicitum negotium actitatum contra se, & anxiatus spiritu dixit. *O beneficium! cujus æstimatio quanam sit apud me, novit Dominus inspector conscientiæ meæ.* Dixerunt. *Quomodocumque facti hujus executio sedeat animo tuo, laudamus & consulimus ut saltem quod in via expenderes, si pro hoc Romam ires, Regi des, ne si nihil feceris, injurius judicetis. Nec* B *hoc quidem*, ait, *nec omnino hujus rei gratiâ quicquam illi dabo vel faciam. Ad nihilum tenditur, Sinite.* Præterea quæ quantave super istis facta sunt, enarrare piget. Post quæ omnia Rex, ut diximus, Principum suorum consilio usus, posthabitâ omnis præteriti discidii causâ, Anselmo gratiam suam gratis reddidit, & quemadmodum Patrem regni spiritualem & Episcopum Cantuariensem, quod sui officii foret illum quaque per Angliam exercere concessit. Quod cùm Pater gratiosus accepisset, & donatis hinc inde retroactis querelis, Curiæ illius apud Windlesoram se præsentàsset, ac familiari alloquio in conspectu procerum & coadunatæ multitudinis ipsum detinuisset, ecce Walterus ille Romanus advenit. Ingressusque, *En*, inquit alludens, *quàm bonum & quàm jocundum habitare fratres in unum.* Et sedens de pace quædam ex Dominicis verbis protulit, laudans eam inter illos revexisse, quam verecundabatur suâ industriâ satam in eis non fuisse.

Cùm autem de Pallii susceptione ageretur, & quidam pro captanda Regis gratia virum ad hoc ducere molirentur, ut pro regiæ Majestatis honorificentia, illud per manum Regis susciperet; non adquievit, rationabiliter ostendens hoc donum non ad regiam dignitatem, sed ad singularem beati Petri pertinere auctoritatem: unde cùm omnes silentio pressi conticuissent, statutum est ut à quo Pallium in Anglia delatum est, ab eodem Cantuariam super Altare Salvatoris deferretur, & inde ab Anselmo quasi de manu beati Petri pro summi, quo fungebatur, Pontificatus honore, sumeretur. Adquievit istis multitudo omnis; & in quo ita fieret, præfixus est dies.

Post hæc Anselmum à Curia discedentem secuti sunt Episcopi duo Robertus Herefordiensis, & Osmondus Serberiensis pœnitentiam apud illum agentes pro culpa suæ abnegationis, quam cum aliis Coepiscopis suis fecerant apud Rochingheham. Qui misertus eorum absolvit eos in quadam Ecclesiola, quæ se nobis obtulit ambulantibus propositâ viâ. Ibi etiam Vilfrido Episcopo sancti David de Gualis, qui vulgò Dewi vocatur, ipsa hora reddidit Episcopale officium, à quo, exigente culpa ejus, jam anteà ipsemet illum suspenderat.

Deinde Doroberniam properavimus, illic adventum Romani Episcopi præstolaturi. Qui Episcopus juxta condictum, die Dominica, quæ erat quarto E Id. Junii venit, Pallium in argentea capsula decentissimè deferens. Itumque est obviam à Monachis in ipsa metropoli Sede Domino Christo famulantibus, associato sibi Fratrum Conventu vicinæ beatorum Apostolorum Petri & Pauli Abbatiæ, cum numerosa Clericorum necnon immensa Laïcorum diversi sexus ætatis multitudine. Pater etiam ipse Episcopis, qui ob hoc Cantuariam venerant, dextrâ lævâque stipatus ac sustentatus, sacro beati Apostolorum Principis muneri nudis pedibus, sed indutus sacris vestibus devotus occurit. Tali devotionis cultu, Pallium super Altare delatum ab Anselmo assumptum est, atque ab omnibus pro reverentia sancti Petri suppliciter deosculatum. Indutus eo Pontifex dehinc summus ad celebranda Missarum solemnia, magno cum honore adductus, altario præsentatur. Ad quam Missam recitata est pro officio ipsius diei illa Evangelii lectio, quam in consecratione ejusdem Pontificis diximus super verticem ejus inventam, hoc est, *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos, & misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis ut venirent, quia jam parata sunt omnia. Et ceperunt simul omnes excusare*, &c. Quod sic evenisse nonnullis admirationi fuit, præsertim cùm hoc nullo præmeditante, nullo prærodinante constiterit actum. Attamen quid quidam inde dixerint, quid præconati fuerint dicere supersedemus. Verùm ex his quæ pro rerum gestarum veritate suo loco, adjuvante Deo, dicemus, palàm erit videre ipsa verba Domini nec primò in consecratione ejus super eo casu occurrisse, nec secundò in confirmatione ipsius consecrationis coram populo incessum lecta fuisse.

WILLIELMUS II. Rex.

Revocato post hæc prædicto Balduino in Angliam, & rebus aliquanta pace sopitis, venit ad Anselmum quidam Monachus Cœnobii sancti Albani, natione Hibernensis, nomine Samuel. Hic defuncto bonæ memoriæ Donato Dublinæ Civitatis Episcopo, à Rege Hiberniæ, Murierdach nomine, necne à Clero & populo in Episcopatum ipsius Civitatis electus est, atque ad Anselmum, juxta morem antiquum, sacrandus cum communi decreto directus. C Quorum electioni & petitioni Anselmus annuens, hominem aliquandiu secum honorificè detentum, necne qualiter in domo Dei conversari deberet diligenter istructum, sumpta ab eo de Canonica subjectione sua ex antiquo more professione, promovit in Episcopatus officium Wiptoniæ, octava die subsequentis Paschæ, ministrantibus sibi in hoc officio quatuor Episcopis suffraganeis suis. Qui novus Pontifex tanti Principis benedictione, ac litterarum præfato Regi, Clero quoque ac plebi Hiberniæ pro testimonio suæ consecrationis scriptarum astipulatione roboratus, in patriam suam cum gaudio revertitur, atque in Sedem suam cum honore pro usu suscipitur terræ.

Eodem, hoc est, tertio anno Pontificatus Anselmi, electus est Sanson ad Episcopatum Ecclesiæ D Wigornensis; & Girardus cujus suprà meminimus, ad regimen Ecclesiæ Herefordensis. Qui cùm in summum promovendi Sacerdotium ad Anselmum pro more venissent, necdumque omnes inferiores Ordines habuissent; ordinavit eos pro instanti necessitate, ad Diaconatum & Presbyteratum unum, & alium ad Presbyteratum, in Sabbatho jejunii quarti mensis, in Villa sancti Andreæ de Rovecestra quæ propè Lundoniam sita, Lambeta vocatur. In crastino autem sacravit eos Lundoniæ in Sede Episcopali ad Pontificatus honorem, ministrantibus sibi in hoc quatuor de Suffraganeis suis, Thoma videlicet Archiepiscopo Eboracensi, Mauricio Episcopo Lundoniensi, Roberto Tydfordensi seu Norwicensi, & Gundulpho Roffensi.

Eo tempore Robertus Comes Normanniæ in expeditionem Jerosolimitanam proficisci disponens, Fratri suo Willielmo Regi Angliæ, Normanniam spatio trium annorum pecuniæ gratis in dominium tradidit. Quæ pecunia per Angliam partim data, partim exacta totum regnum in immensum vastavit. Nihil Ecclesiarum ornamentis in hac parte indulsit dominandi cupiditas, nihil sacris altarium vasis, nihil reliquiarum capsis, nihil Evangeliorum libris auro vel argento paratis. Conventus est & Anselmus per id temporis, & ut ipse quoque manum auxilii sui in tam

Digitized by Google

WILLELMUS II. Rex. rationabili causa Regi extenderet, à quibusdam suis A est amicis admonitus. Intellexit ille & rationis esse & honestatis hoc facere, sed propriarum rerum tenuitate constrictus, unde expleret quod faciendum fore videbat, non habebat. Usus igitur consilio Magnorum virorum Walchelmi videlicet Wentani Pontificis, & Gundulphi Roffensis, necne aliorum, quorum in hujusce negotii consilio par credi judicabatur, de thesauro Ecclesiæ Cantuariensis partim in auro, partim in argento, valens ducentas argenti marcas conniv ente majori parte conventus accepit, quod præfato Regi cum illis quæ de suis habere poterat pro instanti necessitate, ut rebus consuleret, pariter contulit. Verùm in hoc facto nullum successoribus suis quod imitarentur exemplum relinquere volens, mox dominicam villam suam, quæ Pecchebam vocatur, spatio septem annorum ejusdem Ecclesiæ juri concessit, quatenus ex redditibus ipsius B villæ, qui circiter triginta libræ denariorum illis diebus erant, illatum Ecclesiæ damnum restitueretur. Et quidem eodem spatio ipsa Ecclesia eâdem villâ potita est; & silva, & villæ, & toti redditus ejus in novo opere, quod à majori turre in orientem tenditur, quodque ipse Pater Anselmus inchoâsse dinoscitur, consumpta sunt. Hæc ex gestæ rei veritate proponimus, ut ora obloquentium qui usque hodie Anselmo deprædatæ Ecclesiæ crimen intentant, si fieri potest, obturemus, optantes quatenus tanto viro detrahere desinant, ne quo se, quod sibi non profit, peccati vulnere lædant. Ipso quoque tempore eandem Ecclesiam res suas in majori quam solebat libertate, sua sanctione deinceps possidere constituit, & alia quædam quæ Antecessores ejus in dominio suo tenebant, ipsi Ecclesiæ perpetuo jure possidenda concessit. His brevi per excessum, sed, ut reor, non superfluè dictis, ad quod cepimus revertamur. Igitur pacto inter Fratres, Regem videlicet Willelmum & Comitem Robertum, de præfato negotio facto: Willielmus mare transiit, & traditam sibi à Roberto Normanniam suæ ditioni subigit.

Quo cùm demoraretur, Rex Hiberniæ Murchertachus nomine, & Dofnaldus Episcopus cum cæteris Episcopis, & quique Nobiles cum clero & populo ipsius Insulæ miserunt nuncios ac literas ad Anselmum, innotescentes ei civitatem quandam Wataferdiam nomine, in una suarum Provinciarum esse; cui ob numerosam civium multitudinem expediret Episcopum institui, simulque petentes, ipse quatenus Primatus quem super eos gerebat potestate, & D quâ fungebatur vicis Apostolicæ auctoritate, sanctæ Christianitati ac necessariæ plebium utilitati instituendo eis Pontificem, subveniret. Jam enim sæcula multa transierant, in quibus eadem civitas absque providentia & cura Pontificali constistens, per diversa temptationum pericula jactabatur. Elegerant autem idem ipli in hoc officium quendam suæ gentis virum, vocabulo Malcum, eumque sacrandum cum communi Decreto ad Anselmum transierunt. Decretum autem hoc est.

Anselmo Dei gratiâ Anglorum Archiepiscopo, Clerus & Populus oppidi Wataferdiæ, cum Rege Merchertacho, & Episcopo Dofnaldo; salutem in Domino. E

PAter sancte, cœcitas ignorantiæ nos diù detrimenta salutis nostræ sustinere coegit, quod magis eligimus serviliter Dominico jugo colla subtrahere, quàm liberaliter Pastorali obedientiæ subesse. Nunc autem quantum proficiat Pastorum causa agnovimus, cùm aliarum rerum similitudines ad mentem revocamus, quia sine regimine, nec exercitus bellum, nec navis marinum audet attemptare periculum. Navicula ergo nostra mundanis dedita fluctibus sine Pastore contra callidum hostem qua ratione pugnabit? Propterea nos & Rex noster Murchertachus, & Episcopus Dofnaldus, & Dermeth Dux noster frater Regis, eligimus hunc Presbyterum Malchum, Walkelini Wintonensis Episcopi Monachum nobis sufficientissimè cognitum, natalibus & moribus nobilem, Apostolica & Ecclesiastica disciplina imbutum, fide Catholica prudentem, moribus temperatum, vita castum, sobrium, humilem, affabilem, misericordem, literarum, hospitalem, suæ domui bene præpositum, non neophytum, habentem testimonium bonum in gradibus singulis. Hunc nobis petimus à vestra Paternitate ordinari Pontificem, quatenus regulariter nobis præesse valeat & prodesse, & nos sub ejus regimine salubriter Domino militare possimus. Ut autem omnium nostrorum vota in hanc electionem convenire noscatis, huic Decreto canonico promptissima voluntate singuli manibus propriis roborantes subscripsimus. EgoMurchertachus Rex Hiberniæ subscripsi. Ego Dermeth Dux, Frater Regis subscripsi. Ego Dofnaldus Episcopus SS. Ego Idunan Episcopus Midiæ SS. Ego Samuel Dunnelmensis Episcopus SS. Ego Ferdumnachus Laginiensium Episcopus SS.

Subscripserunt his multò plures, quos nos brevitati studentes notare non necessarium duximus.

Igitur Anselmus considerans & intelligens eos justa & utilia petere, petitioni eorum libens annuit. Electum ergo Pontificem diligenter in his quæ sacra jubet auctoritas examinatum, ac multorum cùm vitæ suæ testimonio, dignum Episcopatu comprobatum, sumptâ ab eo ex more de subjectionis suæ obedientia professione, sacravit eum Cantuariæ quinto Kl. Januarii, assistentibus & cooperantibus sibi in hoc Ministerio C suo duobus Episcopis suis, Radulfo scilicet Cicestrensi & Gundulpho Roffensi.

Post hos dies Rex, Normanniâ sibi ad votum subactâ atque dispositâ, Angliam redit, ac interposito parvi temporis spacio, super Walenses, qui contra eum surrexerant, excercitum ducit, eosque post modicum in deditionem suscipit, & pace undique potitus est. Sed quid? Cùm jam multi sperarent quod hæc pax servitio Dei deberet militare, & attenti expectarent aliquid magni pro emendatione Christianitatis, ex Regis assensu, Archiepiscopum promulgare: ecce spei hujus & expectationis turbatorias literas Rex, à Gualis reversus, Archiepiscopo destinat mandans in illis se pro militibus quos in expeditionem suam miserat nullas ei nisi malas gratias habere, eo quòd nec convenienter sicut aiebat instructi, nec ad bella fuerant pro negotii qualitate idonei. Præcepitque ut paratus esset de his, juxta judicium Curiæ suæ, sibimet rectitudinem facere, quandocunque sibi placeret inde eum appellare. Ad quæ Anselmus: *Expectavimus*, inquit, *pacem & non est bonum; tempus curationis & ecce turbatio.* Licet enim jam olim sciverit se, eodem Rege superstite, in Anglia Christo non adeo fructificaturum, tamen quod rogatus de subventione Christianitatis nonnunquam solebat respondere, se propter hostes quos infestos circumquaque habebat eo intendere non valere, jam tunc illum pace potitum cogitaverat super hac re convenire, & saltem ad consensum alicujus boni fructus exequendi quibus modis posset attrahendo delinire. Sed ne cordis ejus affectus perveniret ad effectum, orta est instinctu maligni, quam dixi, causa discidii, utique non ex rei veritate producta, sed ad omnem pro Deo loquendi aditum Anselmo intercludendum malitiosè composita. Quod ille dinoscens, & insuper cuncta regalis Curiæ judicia pendere ad nutum Regis, nihilque in ipsis nisi solùm velle illius conside-

Digitized by Google

WILLIELMUS II. Rex.

rari certissimè sciens, indecens æstimavit pro verbi calumnia placitantium more contendere, & veritatis suæ causam Curiali judicio quod nulla lex, nulla æquitas, nulla ratio muniebat, examinandam introducere. Tacuit ergo nec quicquam nuncio respondit, reputans hoc genus mandati ad ea perturbationum genera pertinere; quæ jam olim sæpe sibi recordabatur illata, & ideò hoc solum ut Deus talia sedaret supplici corde precabatur. Præterea videns Ecclesias & Monasteria solito intùs & extrà suis rebus spoliari, omnem in eis religionem exterminari, quosque sæcularium tam majores quàm minores corruptæ vitæ semitas tenere multas, mala ubique fieri, & ista de die in diem, cessante disciplinâ, multiplicari roborarique, verebatur ne hæc Dei Judicio sibi damno fierent, si quibus modis posset eis obviare non intenderet. Sed obviare sibi impossibile videbat, quod totius regni Principem aut ea facere, aut eis favere perspicuum erat. Visum itaque sibi est auctoritatem & sententiam Apostolicæ sedis super his oportere inquiri.

Cùm igitur in Pentecoste, festivitatis gratiâ Regiæ Curiæ se præsentâsset, & modò inter prandendum, modò alias quemadmodum oportunitas se offerebat, statum animi regalis, quis erga colendam æquitatem esset, studiosè perquisisset, eumque qui olim fuerat omnimodo reperisset, nihil spei de futura ipsius emendatione in eo ultrà remansit. Peractis igitur festivioribus diebus, diversorum negotiorum causæ in medium duci ex more cæperunt. Quærebatur etiam quo ingenio prælibata causa contra Anselmum sic ageretur, ut culpæ addictus aut ingentem Regi pecuniam penderet, aut ad implorandam misericordiam ejus caput amplius non levaturus, se totum impenderet. Interea Anselmus accersitis ad se quos volebat de Principibus Regis, mandavit per eos Regi se summâ necessitate constrictum velle per licentiam ipsius Romam ire. Ad quod ille stupefactus, *nequaquam*, ait. *Nec enim illum alicui tali pro eo obnoxium credimus, ut necesse habeat inde singularem Apostolici absolutionem petere, nec ita omnino consilii expertem, ut non magis illum sciamus Apostolico quàm Apostolicum sibi in dando consilio posse occurrere.* Relata sunt Anselmo hæc, & respondit, *Potestas in manu sua est, dicit quod sibi placet. At si modo non vult concedere, concedet forsitan alia vice. Ego preces multiplicabo.* His pro licentia dictis, statim omnis commentatio implacitandi Anselmum, compressa, omissa est, & nos immunes ab illa querela Curiâ discessimus.

Insequenti autem Mense Augusto cùm de statu Regni acturus Rex Episcopos, Abbates, & quosque Regni Proceres in unum præcepti sui sanctione egisset, & dispositis his quæ adunationis illorum causæ fuerant, dum quisque in sua repedare sategisset, Anselmus ceptæ petitionis suæ non immemor, rogavit Regem quatenus quæsitam jam olim licentiam vel tunc repetitis precibus non negaret. Sed secundò negat, sicut primò negarat. Postea conventu soluto, in Mense Octobri Wintoniæ ad Regem ex condicto venimus. Instantiùs itaque tam per se quàm per alios Regem Pontifex orat, quatenus bono animo sibi concedat, quod se jam tertiò postulare necessitas sua cogebat. Hinc ille tædio affectus, itaque permotus ait. *Conturbat me, & intelligentem non concedendum fore quod postulat, sua graviter importunitate fatigat. Quapropter jubeo ut amplius ab hujusmodi precibus cesset, & qui me jam sæpe vexavit, prout judicabitur mihi emendet.* Ad hæc ille. *Paratum me potius sciat ratione ostendere quod justa peto, & quod ipse mihi in his non debeat justè contradicere.* Respondit: *Rationes suas non admitto: Sed si iverit, pro certo noverit quòd totum Archiepiscopatum in dominium meum redigam nec illum pro Archiepiscopo ultrà recipiam.* Orta est igitur ex his quædam magna tempestate diversis diversæ parti acclamantibus. Quamobrem quidam permoti suaserunt in crastinum rem differri, sperantes eam alio modo sedari. Assensum est utrinque in istis, & divisi hospitium inimus. Mane autem regressi cùm in loco apto sedissemus, ecce quidam Episcopi cum nonnullis Principibus ad Anselmum venientes scisciati sunt quid secum ab heri de causa tractaverit. Dixit: *Non ea re concessi causam de qua agitur hesterno induciari, quasi ignoraverim quid hodie inde responsurus fuerim, sed ne viderer tantum meo sensui credere, ut nec una nocte ad sui discussionem dignarer aliorum consilio cedere. Nunc ergo sciatur quod in sententia qua fui, sum, & ideo precor Dominum meum quatenus bono mente & alacri vultu ut eum decet, mihi licentiam quàm postulo det, indubitanter sciens quod causa mea salutis, & causa sanctæ Christianitatis, & verè causa sui honoris ac profectus si credere velit, ire dispono.* Dixerunt: *Si alia quæ dicas habes, profer. De licentia nempe supervacuè loqueris. Non dabit. Si dare*, ait, *non vult, ego utique illam super me accipiam quod scriptum est, obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* Ad hæc Walchelinus Wentanus Episcopus aspiciens in eum dixit; *Et quidem Dominus meus Rex & Proceres sui credunt te esse hujusmodi moris, ut non facilè ab ea qua certo incaperis moveris. Verùm in hoc scilicet, ut, spreto tanti Pontificatus honore simul & utilitate, Romam pergas, non leve est credere quod stabilis maneas.* At ille sciens animum viri, vivido vultu, intentis in eum oculis, respondit: *Verè.* Quo dicto, ad Regem reversi quæ audierant retulerunt. Rege igitur consilia sua protelante, & summo Pontifice cum suis sedente, occurrit animo Episcopos æquius esse debere in suo quod erat Dei, quàm in Consilio Regis terreni. Mittens ergo præcepit eos venire ad se. Erant autem hi Walchelinus Episcopus Wintonienſis, Robertus Lincolienſis, Osmundus Serberienſis, Johannes Bathonienſi. Qui cum lævaque dextra illius jussi consedissent, ait illis. *Fratres ideo feci nos venire ad me quod vestri officii est ea qua Dei sunt pra cateris tractare, disponere, servare. Episcopi enim estis, Prælati in Ecclesia Dei estis. Si ergo ita fideliter & districtè vultis in mea parte considerare atque tueri rectitudinem, & Justitiam Dei sicut in parte alterius perpenditis atque tuemini jura & usus mortalis hominis, hocque mihi promittitis, exponam vobis sicut fidelibus & filiis Dei quo tendat hac mei præsentis Consilii summa, & audiam sequarque consilium quod mihi inde vestra fida Deo industria dabit.* Dixere: *Loquamur si placet adinvicem, & communem consensum referemus ad te.* Surgentes itaque in partem sese tulerunt, & habitis inter se nonnullis verbis miserunt Wentanum Pontificem & Episcopum Lincolinum ad Regem percunctari de negotio voluntatem ac jussum illius. Edocti ergo propter quæ missi erant, ad socios reversi docuerunt eos quæ didicerant. Quid plura? Placuit eis in commune sequi voluntatem hominis terreni, illicoque reversi unà ad Anselmum dixerunt ei: *Domine Pater, scimus te virum religiosum esse ac sanctum, & in cœlis conversationem tuam. Nos autem impediti consanguineis nostris quos sustentamus, & multiplicibus sæculi rebus quas amamus, fatemur, ad sublimitatem vitæ tuæ surgere nequimus, nec huic mundo tecum illudere. Sed si volueris, ad Nos usque descendere, & qua incedimus viâ nobiscum pergere, nos tibi sicut nobis ipsis consulemus, & negotiis tuis quæcunque fuerint ubi opus fuerit, sicut nostris, opem feremus. Si verò te ad Deum solummodo quemadmodum cepisti tenere delegeris solus, quantùm nostra interest in hoc ne baclenus fuisti & amodo eris, nos*

WILLIELMUS II. Rex.

WILLIELMUS II. Rex.

fidelitatem quam Regi debemus, non excedemus. Ait ille ait: *Bene dixiſtis. Ite ergo ad Dominum veſtrum; ego me tenebo ad Deum.* Fecerunt ut dixerat, & remanſit Anſelmus quaſi ſolus. Facta deinde aliquantulâ morâ, & unoquoque noſtrûm qui admodum pauci cum eo remanſimus ad imperium illius ſingulatim ſedente, & Deum pro digeſtione ipſius negotii interpellante, veniunt prædicti Epiſcopi cum aliquibus Baronibus Regni, inferentes viro hæc: »Mandat Tibi Rex quòd ſæpe diverſis eum queriſ exagitaſti, exacerbaſti, cruciaſti. Verùm cùm »tandem poſt placitum quod totius Regni adunatione contra te apud Rochingeham habitum eſt, »eum tibi ſicut Dominum tuum reconciliari ſapienter peteres: & adjutus meritis & precibus plurimorum pro te ſtudioſe intervenientium petitioni »tuæ effectum obtineres, pollicitus eſt ipſi te uſus ac »leges ſuas uſquequaque deinceps ſervaturum, & »eas ſibi contra omnes homines fideliter defenſurum. »Quibus opem credulus factus, ſperabat ſe de cæ»tero quietum fore. Sed hanc pollicitationem, hanc »fidem en tu patenter ipſe egrederis, dum Romam »non expectatâ licentiâ ejus te iturum minaris. Inauditum quippe in regno tuo eſt, & uſibus ejus omni»no contrarium quemlibet de ſuis Principibus, & præ»cipuè te quid tale præſumere. Ne igitur in hujuſce»modi re ultra vel à te vel à quovis alio te forſan, cùm »in aliquo læſus fuerit, imitari volente fatigetur, »vult, & jubet quatenus aut jurejurando promittas »quòd nunquam amplius Sedem Sancti Petri vel »ejus Vicarium pro quavis, quæ tibi queat ingeri, »cauſa appelles, aut ſub omni celebritate de terra »ſua recedas. Et ſi mavis interpoſito hoc ſacramen»to remanere quàm recedere, tunc te ad Judicium »Curiæ ſuæ præcepit ſibi emendare quod de re in »qua non eras certus te perſeveraturum, auſus fuiſti »eum totiens inquietare. Dixerunt & ad Regem protinus reverſi ſunt. Tunc Anſelmus cum ſuis pauca locutus ſurrexit, atque ad Regem nobis eum proſequentibus ingreſſus, dextram illius ex more aſſedit. Deinde mandatis quæ à Nuntiis acceperat in audientia ejus ſingulatim recapitulatis, percunctatus eſt utrumnam à facie ipſius eo quo ſibi dicta fuerant modo verè proceſſerint, & audita revera proceſſiſſe, illico quid inde ſentiret tali ſubintulit voce dicens: *Quod dicis me tibi promiſſiſſe uſus & conſuetudines tuas ſervaturum, & eas contra omnes homines tecum fideliter defenſurum; fateor verum eſſe. Cognoſcerem, ſi eo illas pacto diſtinguendo proferres, quo tunc temporis quando promiſſio ipſa de qua agis facta eſt, eas fuiſſe diſtinctas inambiganter recordor. Scio quippe me ſpopondiſſe conſuetudines tuas, ipſas videlicet quas per rectitudinem & ſecundum Deum in regno tuo poſſides me ſecundum Deum ſervaturum, & eas per juſtitiam contra omnes homines pro meo poſſe defenſurum.* In his verbis cùm Rex & Principes ſui cæcâ mente objicerent, ac jurisjurandi interjectione firmarent, nec Dei nec rectitudinis in ipſa ſponſione ullam mentionem factam fuiſſe; rupit voces eorum Anſelmus, & ait: *Papa! ſi nec Dei nec rectitudinis mentio, ut dicitis, facta fuit, Cujus tunc? Abſit ab omni Chriſtiano, abſit, leges vel conſuetudines tenere, aut tueri, quæ Deo & rectitudini contraria eſſe noſcuntur.* Cùm ad hæc illi ſummurmurantes contra virum capita moverent, nec tamen quid certi vivâ voce proferrent, ad ea quæ ceperat ſubinferens Pater ait: *Sed quid aſſeris conſuetudinis tuæ non eſſe ut ego, cauſa ſalutis animæ meæ, cauſa regiminis Eccleſiæ Dei quod ſuſcepi, beatum Petrum requiram & ejus Vicarium? Pronuncio hanc conſuetudinem Deo & rectitudini contrairе, & idcirco ob omni ſervo Dei ſpernendam profiteor ac refutandam. Quod ſi per iſta quæ dico, quiſquam probaturum ſe dixeris me fidem quam tibi debeo non ſervare, paratum me ſicut & ubi debeo ad demonſtrandum inveniet magis in hoc me tibi eſſe fidelem, quàm ſi ſecus agerem. At nunc ad hoc oſtendendum non intendo. Scitur tamen quòd omnis fides quæ cuivis homini legaliter promittitur, ex fide Dei roboratur. Sic enim ſpondet homo homini. Per fidem quam debeo Deo, fidelis tibi ero. Cum ergo fides quæ fit homini per fidem Dei roboretur, liquet quòd eadem fides ſi quando contraria fidei Dei admittit, enervetur. Sed diſputatio rei hujus non eſt temporis hujus. Itaque fides quam debeo, & ſervitium ejus cogunt me ad caput Chriſtianitatis Papam accedere, & ab eo pernecеſſarium Eccleſiæ Dei & mihi conſilium petere: nec videtur quod aliquis Deum offendere timens hoc debeat prohibere. Nec enim tu Rex æquanimiter ferres, ſi quilibet de hominibus tuis potens ac dives ullam ſuorum fidelitati ſervitioque tuo intendentem prepediret, ac prapeditum minis & terroribus ab exequenda militate tua prohiberet, verum debitâ in eum ultione violata quam tibi debebat fidei reatum puniret.* Tunc Rex & Comes de Meliento, Robertus nomine, interrumpentes verba ejus, *ô ô*, dixerunt, *prædicatio eſt quod dicis, prædicatio eſt, non rei de qua agitur ulla, quæ recipienda ſit à prudentibus, ratio.* Quibus cùm quique procerum acclamarent, & os Patris ſuis vocibus oppilare laborent, ipſe inter ora perſtrepentium, dimiſſo vultu, mitis ſedebat, & clamores eorum quaſi ſurda aure deſpiciebat. Fatigatis autem eis à proprio ſtrepitu, ſedatoque tumultu, Anſelmus ad verba ſua remeat dicens: *Adeaque jubes ut, quo ſecurus de me poſſis amodo eſſe, juram tibi quòd nunquam amplius pro qualibet cauſa beatum Petrum vel ejus Vicarium in Anglia appellem, dico hujuſmodi juſſionem tuam qui Chriſtianus es omnimodis eſſe non debere. Hoc enim jurare, beatum Petrum eſt abjurare. Qui autem beatum Petrum abjurat, Chriſtum qui eum ſuper Eccleſiam ſuam Principem fecit, indubitanter abjurat. Cum igitur propter te (ô Rex) Chriſtum negavero; fateor, peccatum, quod in requirenda licentia admiſit, judicio Curiæ tuæ non ſegnis emendabo.* His verbis præfatus Comes indignando ſubjungens, ait: *Eia, eia, Petro, & Papæ te præſentabis, & nos quidem non tranſibit quod ſcimus:* Cui Pater reſpondit: *Deus quidem novit quid vobis manebit, & mihi ad Apoſtolorum ſuorum limina properanti, ſi ſibi placet, auxiliari valebit.* Poſt hæc ſurrexit, atque ad locum unde exieramus reverſos eveſtigio Nuncii Regis ſubſecuti intulerunt viro hæc: *Ecce ibis. Veruntamen ſcias Dominum noſtrum pati nolle te exeuntem quicquam de ſuis tecum ferre.* At ille, *Equitaturas habeo, veſtes quoque & ſuppellectilem, qua forteſſis dicet aliquis eſſe de ſuo. Hæc ſi non permittis ut mecum habeam, noverit quod potius pedes ac nudus abibo, quàm cæpto deſiſtam.* In iſtis Princeps pudore ſuffuſus, dictum ſuum non ita intellexiſſe ſe reſpondit. *Nec enim dixit*, ait, *ut nudus aut pedes abire. Attamen die qui eris undecimus ab iſto, jubeo ut mare tranſiturus ad portum ſis; & ibi Nuncius meus ipſi obvius erit, qui dictabit ei quid ex permiſſu meo ille vel ſui diſcedentes ſecum ferant.* His tali modo digeſtis, ſtatim volebamus ad hoſpitium ſecedere. Sed Anſelmus doctus in patientia poſſidere animam ſuam, jocundo & hilari vultu ad Regem revertitur, dicens ei: *Domine, ego vado. Quod ſi bono animo veſtro fieri vobis placeret, utique & vos magis deceret, & omni bono homini acceptius eſſet. At nunc rem in contrarium lapſam, licèt moleſtè quantum ad vos, quod tamen mea refert æquanimiter pro poſſe feram, nec ob hoc me ab amore animæ veſtræ ſalutis, miſerante Domino, auferam. Nunc igitur ignorans quando vos iterum viſurus ſim; Deo vos commendo, & ſicut ſpiritualis Pater dilecto filio, ſicut Archiepiſcopus Cantuarienſis Regi Angliæ, vobis Dei & meam benedictionem*

WILLIELMUS II. Rex.

d by Google

WILLELMUS II. Rex. *benedictionem antequam abeam, si eam non abjicitis, tribuere volo.* Tunc Rex, *Benedictionem*, ait, *tuam non abjicio.* Mox ille surgens, levatâ dextrâ signum sanctæ Crucis super Regem ad hoc caput humiliantem edidit, & abscessit, viri alacritatem Rege cum suis admirante. Anno ab Incarnatione Filii Dei millesimo nonagesimo septimo acta sunt hæc, feria quinta quæ fuit Idus Octobris.

Venit dehinc Cantuariam Anselmus, ubi Sedes Pontificalis, ubi totius Regni Caput est, atque Primatus. Postera die allocutis, & pro instanti negotio magnopere consolatis filiis suis, astante Monachorum, Clericorum, ac numerosa populorum multitudine, perani & baculum peregrinantium more coram Altari suscepit, commendatisque omnibus Christo ingenti fletu & ejulatu prosecutus, egressus est. Ipso die ad portum Dofris ivimus, ibique Clericum quendam Willielmum nomine à Rege ex condicto, B ut diximus, directum reperimus. Detenti autem ibi sumus quindecim diebus, vento nobis transitum prohibente. In qua mora idem Willielmus cum Patre intrans & exiens, & in mensa illius quotidie comedens, nihil de causa pro qua missus fuerat agere volebat. Die verò quintodecimo cùm nos nautæ urgerent naves petere, & nos transire avidi ad hoc fatigaremur, ecce videres rem miserandam. Patrem Patriæ, Primatem totius Britanniæ, Willielmus ille quasi fugitivum, vel alicujus immanis sceleris reum, in littore detinuit, ac ne mare transeat ex parte Domini sui jubet, donec omnia quæ secum ferebat, sibi singulatim revelet. Allatæ igitur ante illum bulgiæ, & manticæ reseratæ sunt, & tota suppellex illius spe pecuniæ reperiendæ subversa & exquisita est, ingenti plebis multitudine circumstante, ac nefarium opus, pro sui novitate, admirando spectante, & spectando execrante. Rebus ergo eversis, sed nihil eorum quorum causâ eversæ C sunt, in eis reperto, delusa sollicitudo perscrutantis est, & Anselmus cum suis abire permissus. Itaque navem ingredimur, ventis vela panduntur, & post modicum orta aliquanta difficultate, sed eâ respectu clementiæ Dei in brevi sedatâ, prosperrimè marinos fluctus evecti Witsandis pro voto appulimus.

Rex autem Willielmus ubi audivit Anselmum transfretâsse confestim præcepit cuncta quæ illius juris fuerant in suum transcribi dominium, & irrita fiere omnia quæ per ipsum mutata vel statuta fuisse probari poterant, ex quo primò venerat in Archiepiscopatum. Desævit igitur quandoque per Episcopatum tam D sæva tempestas, ut tribulationes, quæ factæ sunt in illo post mortem venerandæ memoriæ Lanfranci ante introitum Patris Anselmi, parvipensæ sint comparatione tribulationum quæ factæ sunt his diebus.

Nos igitur manè à Witsandis discedentes, & post dies ad sanctum Bertinum venientes, magna plebis alacritate ac Monachorum veneratione suscepti, quinque inibi dies morati sumus. Interea rogatus Anselmus à Canonicis sancti Audomari Ecclesiam suam visitare, ibique Altare, quod in honorem sancti Laurentii Martyris fecerant, dedicare; adquievit ille precibus eorum, ministerioque decenter expleto pransus Abbatiam repetiit, objiciens E Clericis secum illum remorari petentibus Domini dictum, quod discipulos suos jubet de domo in domum non transire.

Post hæc nobis cœptum iter accelerantibus, famâ viri multò celeriùs præcurrebat, & multiplici populos voce replebat. Unde turbarum concursus, Clericorum cœtus, Monachorum exercitus, ei quocunque veniebat, occurrunt; isti gaudio & exultatione concrepantes, illi vexillis & sonoris concentibus Deo pro illius adventu conjubilantes. Verùm sicut quidam ad venerationem & ministerium ejus omni studio A parabantur, ita quidam è diverso alio spiritu acti WILLELMUS II. Rex. eum capere, eum suis rebus spoliare moliebantur. Sed ubi adest Divina protectio, quid valet humana molitio? Transitâ Francià, Burgundiam intravimus. Percussæ autem fuerant aures Ducis illius terræ, diviti famâ Archiepiscopi Cantuariensis, per terram suam transire volentis. Unde succensus amore pecuniæ, quam copiosam illum ferre rumor disperserat; proponit animo eam ipsi auferre. Quadam igitur die cùm in itinere essemus, & refrigerandi gratia à via paulisper declinâssemus, ecce Dux idem armatâ Militum manu stipatus, in equis ocior advolat, & clamore valido quis vel ubi esset Archiepiscopus interrogat. Quem cùm sibi designatum mox equo sedentem torvo fuisset aspectu intuitus, subito pudore percutsus, demisso vultu erubuit, & quid diceret non invenit. Cui Pater: *Domine*, ait, *Dux, si placet osculabor te.* Et ille: *Osculari & servire tibi, Domine, paratus sum, ac de adventu tuo in Deo gratiosus exulto.* Dato igitur osculo pacis dicit ad illum Pater: *Causa Religionis Christianæ, vir venerande, Angliam exivi, & miserante Deo Romam ire disposui. Nunc autem videns te lator & gaudeo, tum quia cognitionem & amicitiam tuam, tum quia securitatem & pacem in terra tua me & meos deinceps per te habere desidero.* Respondit: *Et quidem quod dicis multùm amo & volo, meque tuis orationibus benedictionique commisto.* Quibus dictis præcepit cuidam qui de suis ibi potentior aderat quatenus virum per terram suam conduceret, eique ubi opus haberet non secus quàm sibi ipsi ministraret. Discedens itaque odium Dei omnipotentis omnibus imprecatus est, qui se ad insequendum hominem Dei concitaverant. *Nec enim hominis sed vultus*, ait, *Angeli Dei fulget in eo.* Unde sciant omnes qui ei scienter infesti sunt, quòd maledicti à Deo sunt. Nos, huic Deo pro sua misericordia debitas ex corde gratias agentes, itinere cepto pereximus.

Venimus vero Cluniacum tertio die ante Nativitatem Domini, ibique à toto illius Monasterii Monachorum agmine summâ cum veneratione Pater suscipitur, & cuncta loci ipsius gaudio lætitiaque replentur. Quid deinde? Donec ibi fuit, ut paucis dicam, singulari præ omnibus id loci venientibus reverentia habitus est.

Mittit interea Nuncium qui suum venerabili Hugoni Archiepiscopo Lugdunensi notificet adventum. Erat quippe idem vir Anselmo jam ex multis præcedentibus annis notus; & sanctæ dilectionis illius igne succensus, magno videndi eum desiderio fatigabatur. Quem etiam Anselmus in tantum diligebat, ejusque prudentiam atque consilii auctoritatem tanti pendebat, ut statuerit apud se summam negotii sui considerationi & dispositioni ejus, necne reverendi Hugonis Cluniacensis Abbatis ex integro commendare. Hic itaque Pontifex, audito Anselmum suis finibus accessisse, oppidò lætatus est. Et dirigens ad eum quos familiariores ac digniores circa se habebat, quatenus Ecclesiam suam seque ipsum sine mora dignaretur invisere, obnixè deprecatus est. Mandavit insuper Episcopo Matisconensi ut viro decenti honore occurreret, & officiosissimè deserviret. Quod ipse diligenter executus est. Ubi verò Lugdunum venimus; qua veneratione ab ipso summo Pontifice & suis omnibus suscepti sumus, & enarrare difficile, & dictu fortassis est incredibile. Quo cùm demoraremur, didicit Anselmus ex his quæ fama ferebat non multùm suæ causæ profuturum, si ipse in ulteriora procederet. Imbecillitas quoque sui corporis residuæ viæ laborem perhorrebat, & insidiæ quæ ab indigenis illarum regionum ea tempestate commeantibus & maximè religiosi ordinis viris struebantur, eum nonnihil retardabant. Itaque Lugduni

Digitized by Google

WILLIELMUS II. Rex. resedit, cunctis valde acceptus & honorabilis.

Scriptam dehinc Epistolam unam Sedis Apostolicæ Præsuli destinavit, in qua quid illi de his quæ acciderant suggesserit, quoque animi sui desiderium intenderit, tenor ipsius Epistolæ quam subscribimus, designavit.

Domino & Patri cum amore reverendo, & cum reverentia amando, summo Pontifici Urbano, Frater Anselmus servus Ecclesiæ Cantuariæ: debitam subjectionem, & orationum devotionem.

NOvimus, Domine reverende, & Pater diligende, quòd Dominus noster Jesus Christus sublimavit Sanctitatem vestram in Ecclesia sua ad consulendum & subveniendum his, qui ad supernæ Patriæ requiem anhelantes in hujus sæculi exilio diversis fatigantur tribulationibus. Hac igitur spe & consideratione, Ego humilis servus vester in angustiis cordis mei ad sinum paternæ & Apostolicæ pietatis vestræ, per exhibitionem præsentiæ meæ confugere disposui: sed hoc utique facere non possum sicut desidero. Cur autem non possim, per præsentium latorem cognoscetis. Quoniam ergo per memetipsum præsentiam vestram secundùm desiderium meum audire nequeo, per literas, ut possum, clementiæ vestræ angustias meas insinuo, quatenus ejus consolatione eædem angustiæ mitigentur, & anima mea desideratam tranquillitatem per affectum vestræ compassionis se adipisci gratuletur. Tanta enim est cordis mei tribulatio, ut nec verbis nec literis sufficiam illam exprimere; sed oro Deum qui novit occulta ut eam vos intelligere faciat, & per viscera misericordiæ suæ, viscera vestra ad ejus miserationem secundùm desiderium & necessitatem meam commoveat. De hac tamen mea necessitate & meo desiderio aliqua aperia, per quæ vestram prudentiam posse intelligere quid mihi expediat non dubito. Notum est multis, mi Pater pie, qua violentia & quàm invitus, & quàm contradicens captus sim & detentus ad Episcopatum in Anglia, & quomodo obtenderim repugnantiam ad hujusmodi officium, naturæ, ætatis, imbecillitatis, & ignorantiæ meæ, quæ omnino omnes sæculi actiones fugiunt & inconstabiliter execrantur, ut nullatenus illas tolerare possim cum salute animæ meæ. In quo Archiepiscopatu jam per quatuor annos manens nullum fructum feci, sed in immensis & execrabilibus tribulationibus animæ meæ inutiliter vixi, ut quotidie magis desiderem mori extra Angliam, quàm ibi vivere. Nam si ita vitam præsentem, sicuti eram, ibi finirem; plus videbam animæ meæ damnationem quàm salutem. Videbam enim multa mala in terra illa, quæ nec tolerare debebam, nec Episcopali libertate corrigere poteram. Ipse quoque Rex faciebat quædam, quæ facienda non videbantur de Ecclesiis, quas post obitum Prælatorum aliter quàm oporteret, tractabat. Me etiam, & Ecclesiam Cantuariensem multis modis gravabat. Terras namque ipsius Ecclesiæ, quas post mortem Archiepiscopi Lanfranci, cùm in manu sua Archiepiscopatum teneret, militibus suis dederat, mihi sicut eas idem Archiepiscopus tenuerat, non reddebat; sed insuper alias secundum libitum suum, me nolente, dabat. Servitia gravia & Antecessoribus meis inusitata ultra quàm ferre possem aut pati deberem, à me exigebat. Legem autem Dei, & Canonicas & Apostolicas auctoritates voluntariis consuetudinibus obrui videbam. De his omnibus cùm loquebar, nihil efficiebam, & non tam simplex rectitudo quàm voluntariæ consuetudines obtendebantur. Sciens igitur quòd si hæc ita usque in finem tolerarem, in damnationem animæ meæ successoribus meis tam pravam consuetudinem confirmarem, nec de his placitare poteram (nullus enim aut consilium aut auxilium mihi ad hæc audebat dare) petii à Rege licentiam adeundi vestram Paternitatem, quatenus illi & cordis mei angustias ostenderem, & deinde ejus consilio & auxilio quod salubrius esset animæ meæ agerem. Quà de re iratus petiit ut de hujus licentiæ petitione quasi de gravi offensa illi satisfacerem, & securum illum facerem me deinceps nullo modo requisiturum pro aliqua necessitate Apostolicum, nec saltem inde locuturum, aut si unquam hoc facturus eram, in præsenti hoc facerem. Sic itaque mare transii causa ad vos veniendi. Quod sicut dixi facere non possum. Quoniam autem impossibile est me hujusmodi vitæ concordare, aut animam meam in tali Episcopatu salvari, tum propter rerum quas dixi qualitates, tum propter meas multimodas & sensus, & morum, & naturæ & ætatis imbecillitates. Hæc est summa supplicationis meæ propter quam ad vos ire volebam, ut sicut Deum animæ meæ, & animam meam Deo desideratis, per paternam & Apostolicam pietatem, quæ cor vestrum inhabitat, animam meam de vinculo tantæ servitutis absolvatis, eique libertatem serviendi Deo in tranquillitate reddatis; ne abundatiore tristitia sicut jam nimis passa est absorbeatur, & de dolore temporali ad æternum pertrahatur; deinde ut Ecclesiæ Anglorum secundùm prudentiam & auctoritatem Apostolatus vestri consulatis. Omnipotens Dominus vestram sanctitatem Nobis in suæ gratiæ prosperitate diu servet incolumem, & conterat sathanam & portas inferi sub pedibus vestris. Amen.

WILLIELMUS II. Rex.

Inter hæc Romam usque divulgatum est Archiepiscopum Cantuariæ Primatem Britanniæ multo auri & argenti pondere onustum mare transiisse, Romam pergere. Accensi ergo nonnulli cupiditate non bona viam observant, exploratores ponunt, laqueos parant, ut eum capiant. His tamen quàm maximè homines Alemannici Regis intendebant, ob dissensionem quæ fuerat illis diebus inter Papam & ipsum. Supererat quoque ea tempestate Wibertus Archiepiscopus Ravennas, qui de Apostolatu quem contra jus invaserat pulsus, omni Religiosæ personæ Romam petenti, per se suosque modis qualibus poterat, struebat insidias. Unde quidam Episcopi, Monachi, & Religioli Clerici ea sæviente persecutione capti, spoliati, multisque contumeliis affecti, necati sunt. Spe igitur maximâ manus iniqua tibi confisa est simili pœnarum genere sese Anselmum damnaturum. Sed ille, ut diximus, Lugduni remansit, reditum nunciorum suorum ibi operiens. Cùm verò malignantes illi moram ex adventu ejus extra spem paterentur, didicerunt à peregrinis eum valida corporis infirmitate tentum, à Lugduno amplius non promovendum. Quod dictum peregrinorum non fuit ex toto veritati contrarium. Infirmatus nempe fuerat, ut de sanitatis illius recuperatione desperatio nos non parva teneret. Quo illi audito, consternati sunt animo; & quod de Anselmi disturbatione spem habebant, perdiderunt. Verùm langore magna ex parte sopito, & rumore qui populos de processu ipsius repleverat circumquaque extincto, ecce quos Romam miserat nuncii veniunt, & quod omni excusatione sublata eum ad se Papa præparare præcepit, referunt. Quid moror? Nescius moræ Apostolicis jussis obaudit, viæ se periculis, mortem pro Deo non veritus, tradit.

Discedentes igitur à Lugduno tertia feria quæ ante Dominicam diem Palmarum erat, venimus in subsequenti Sabbatho ad villam quandam quæ Aspera dicitur, in qua cùm hospitari atque refecti fuissemus, visum Patri est decentius inter Monachos qui

WILLIELMUS II. Rex.

in eadem villa cohabitabant, quàm inter villanos, nocte illa nos conversari, tum propter Religionem Monachici Ordinis, tum propter Officium imminentis noctis atque diei. De re itaque mandatum Monachis est; & alacres assenserunt. Eramus quippe tres Monachi qui hoc quærebamus, Dominus videlicet & Pater Anselmus, præfatus Balduinus, & ego qui hæc scribo Frater Eadmerus. Qui ita ibamus quasi pares essemus, nullo Patrem nostrum coram aliis dominandi jure sequente. Cùm igitur Monachi illi nobiscum, sicut peregrinis, vespertina hora loquerentur, & unde venissemus percunctarentur, respondimus, de Franciæ partibus, nos adventasse, & Romam usque, si Deus concederet, ire velle. At illi in nihili tenditis, inquiunt. Nam viam istam quam aggredimini nullus in habitu religioso peragere potest quin capiatur, multisque injuriis afficiatur. Quod Archiepiscopus Cantuariensis intelligens, sapienti consilio usus est. Proposuit namque idem vir se pro sua, ut fertur, causa nuper Romam iturum, & venit usque Placentiam. Verùm cùm illic sequentis viæ periculum didicisset, reversus est; & nunc Lugduni moratur. Ad hæc Balduinus ait: Et ille bene quidem fecit, & nos quia servitio Dei, & obedientia spiritualis Patris ire compellimur, quantum nobis licuerit ducente Domino progrediemur. Quando ultra non potuerimus, salvâ obedientiâ nostrâ revertemur. Ducat nos, aiunt, benignus Deus. Celebrato igitur inter eos noctis Officio atque diei, nos viæ reddidimus.

Ex hinc cùm Romam prospero itinere pervenissemus, & Anselmus à Papa decentissime susceptus de sui adventus causa requisitus fuisset, eo illam ordine retulit quo in Epistola sua quam à Lugduno, ut diximus, ei dixerit, ipsam digessit. Audit ille quæ feruntur, & subventionem pollicetur. Scribit literas Willielmo Regi Angliæ, in quibus ut res Anselmi liberas in Regno suo faceret, ac de suis omnibus illum revestiret, movet, hortatur, imperat. Scribit quoque Anselmus sub eadem materia literas; & eas unà cum literis Papæ ipsi Regi destinat. Mansimus ergo Romæ decem diebus in palatio Lateranensi cum Papa degentes.

Præerat eo tempore Abbas quidam, Johannes nomine, Cœnobio Salvatoris quod propè Telesinam urbem situm est. Qui Johannes, Romanus genere, discendarum studio literarum jam olim Franciam venerat, ibique fama permotus Anselmi qui tunc Becci Abbas erat, eum Religionis proposito fervens adiit, eoque audito, Becci Monachus factus est. Quod ubi post aliquot annos ad aures summi Pontificis Urbani pervenit, Johannem ipsum ad se accercitum præfati Cœnobii Abbatem fecit. Hic itaque agnito Patrem suum Anselmum Romam venisse, missis Nunciis omni studio deprecatus est, quatenus ad se veniret atque in sua quadam mansione cui salubris aura favebat, ad evitandas Romanæ Urbis ægritudines instanti dignaretur æstate conversari. Quibus ille auditis, supernæ pietati ac fraternæ sollicitudini gratias egit, summoque Pontifici relatas preces innotuit. At ille, *O*, inquit, *Divinæ miserationis prædestinatio! Verè etenim præmisit Deus Joseph in Ægyptum ante Jacob Patrem suum. Quapropter, licet omnia quæ habeo, tuis utpote viri propter justitiam necnè beati Petri fidelitatem exulantis proposuerim necessitatibus servitura; tamen quia urbis istius aer multis & maximè peregrinè regionis hominibus nimis est insalubris, laudo ut eas quò vocaris, ne quod superna dignatio tibi providit, negligere videaris.* Adquiescit Anselmus dicto Pontificis, & expectaturus quid Rex Angliæ respondeat literis Papæ ac suis, partes, ad quas invitabatur, petiit. Occurritur ei cum lætitia & honore in omni loco ad quem ingreditur, & certatim ad ministrandum illi quique parantur. Ubi verò loco ad quem ibat, appropinquavit; adjuncta secum Fratrum caterva Johannes obviam vadit, & Patrem suum more boni filii magna cum reverentia & exultatione susceptum Monasterio introducit. Exinde quoniam calor ibi cuncta torrebat, ducit eum in villam suam, Sclaviam nomine, quæ in montis altitudine sita, sano jugiter aëre conversantibus illic habilis extat.

His ferme diebus Regerus Dux Apuliæ, adunato grandi exercitu, Capuanam Civitatem à sua ditione resilientem obsidebat. Et auditâ famâ Anselmi, directis Nunciis, rogavit eum venire ad se, cupiens illum videre & alloqui, atque per eum his quæ salvti suæ administari poterant, informari. Ivit ergo Pater ad eum. Adhuc longè eramus; & ecce Dux ipse copiosa militum multitudine septus Patri occurrit, ac in oscula ruens, ei pro suo adventu gratias egit. Plures exhinc dies in obsidione fecimus, remoti in tentoriis à frequentia & tumultu prestrepentis exercitus. Cùm autem inter hæc Sedis Apostolicæ Pontifex Urbanus illò adventaret, & ei ab Anselmo ac Principibus totius exercitus obviam itum esset, ingenti sæcularis gloriæ pompâ prosecutus, ductus est in tentorium quod ei propè nos erat cæteris excellentius constitutum. Sicque donec civitas in deditionem transiit, obsidio illius Dominum Papam & Anselmum vicinos habuit, ita ut familia illorum magis videretur una quàm duæ; nec facilè quivis declinaret ad Papam qui non diverteret ad Anselmum.

Sed quid faciam? Si dilectioni, si reverentiæ, si honori, qui Anselmo ab universis inter quos habitabat eo tempore, & veniebat, exhibebatur, scribendo singulatim immorari voluero, non immeritò indiscretionis argui potero. Tantùm dico quòd licet Rex Angliæ qui illum, ut prædictum est, de regno suo pepulit, tam literis quàm largis muneribus omnes quos ratus erat ei posse detrimento existere conatus fuerit adversùs eum commovere; tamen nihil profecit, quin potius ex his perspicaciter intellectum est, virum simplicis justitiæ viam tenere, & omnino contra æquum fatigari. Nam cùm literæ quæ directæ fuerant, nullam ipsi quâ jure argui posset culpam referendo inveherent, nec latores earum à literis ipsis pejora dicendo dissentirent, factum ut & viri justitia firmiùs crederetur, & injustitia hominis eum non æquo judicio fatigantis, magis ac magis publicata detestaretur. Quique igitur ex hoc illius cæperunt causæ favere, illius commodo, illius honori se suaque pro voto certatim impendere. Dux ipse, ad quem ipsa mandata præ cæteris lata fuerunt, non consideratis eis Patrem multis precibus ad hoc flectere nisus est, quatenus secum dignaretur remanere, & optimas terrarum suarum tam in villis quàm in Castellis seu Civitatibus, juxta electionem suam, dono accipere, easque in usus suos suorumque, dum viveret, proprio jure vindicare. Aliter igitur molimina Regis in Anselmum processerunt ac ipse ratus fuerat. Obsidione dehinc solutâ, Anselmus cum Papa ad Aversanam Civitatem vadit. Papâ Civitatem, Anselmus multâ prece invitatus Abbatiam Sancti Laurentii, hospitandi gratiâ, petit. Igitur Anselmo ab ipsius Cœnobii Fratribus perfectæ caritatis obsequium exhibetur, & loquenti solito more quæ Dei sunt auditus studiosè præbetur.

Considerans itaque Anselmus apud se, quantam mentis inquietudinem & perturbationem fuerit passus in Anglia, & quomodo nullus, exceptis aliquibus Monachis, eum gratiâ fructificandi Deo, audire voluerit, quantaque mentis tranquillitate potitus, & quàm fructuoso studio sit à cunctis auditus postquàm exivit de Anglia, omni desiderio fervebat,

WILLIELMUS II. Rex.

curam Angliæ cum Pontificatu deserere, & eis perpetim abrenunciare. Huic quoque desiderio non parum roboris impendebat, quòd omnium dubietate sublatâ videbat impossibile fore suos & Willelmi Regis mores in unum amplius concordare. Ad ea nempe quæ illum in Anglia positi facere solere cognoveramus, nova quædam quotidie ab his qui inde veniebant publicè referebantur, in quibus ita contra Dei justitiam obfirmatus intelligebatur, ut multi regionum illarum viri simul ac mulieres aliam de eo æstimationem haberent, quàm de Christiano Christianos lex Christiana docet habere. De quibus pauca brevi perstringere placuit; ne solummodo nudis verbis quæ dicunt, dici putentur. Quæ tamen sicut illa accepimus simpliciter ponam, non astruens vera an secus extiterint, an non. Ferebant igitur hi qui veniebant quòd eodem ferè tempore, cùm idem Rex Rotomagi moraretur, videri, qui in Civitate ipsa degebant, ad eum convenire, conquerentes nonnullos ex suis, spreto Judaismo, Christianos tunc noviter factos fuisse, atque rogantes ut sumpto pretio illos, rejecto Christianismo, ad Judaismum redire compelleret. Adquievit ille; & suscepto pretio apostasiæ, jubet ex Judæis ipsis adduci ad se. Quid plura? Plures ex illis minis & terroribus fractos, abnegato Christo, pristinum errorem susceipere fecit.

Erat præterea, illis diebus, adolescens quidam Judæus, cui uno dierum per viam fortè eunti apparuit alter juvenis vultu ac veste decorus qui interrogatus unde vel quis esset, dixit se jam olim ex Judæo Christianum effectum, Stephanum protomartyrem esse. *Sed eâ*, inquit, *causâ nunc de cœlo ad terras descendi ut tu, abjecta superstitione Judaicâ, Christianus efficiaris; & meo nomine Baptizatus, in Christo appelleris.* Dixit, & ab oculis ejus elapsus non comparui. Adolescens autem timore correptus, illicò Presbyterum adiit, quid viderit, quidve audierit, clarâ voce innotuit; seque in Christum credere confessus, Baptismi gratiam statim adeptus est. Quod factum cùm pater ejus agnovisset, acri cordis dolore afficitur. Et æstuans quonam modo suis sacris filium posset restituere, didicit quemadmodum Willielmus Rex Anglorum nonnullos hujusmodi, pecuniæ gratis nuper Judaismo reddiderit. Ivit ego ad illum, & qualiter perdidit filium suum, querulâ voce deprompsit. Orat sibi misereri, & unici more à se dilectum, paternis rogat legibus imperiali sanctione restitui. Tacet ille ad rogata, nondum audiens quamobrem tali negotio sese deberet medium facere. Advertit Judæus mysterium cur suis precibus non responderet, & vestigio sexaginta marcas argenti se ille daturum, si Judaismo restitueret filium suum, pollicetur. Jubente igitur Rege, juvenis ipse in conspectum suum adducitur, & Rex illum hac voce alloquitur. *Queritur pater tuus de te, quòd prater licentiam suam Christianus effectus es; hoc si ita est, precipio tibi quatenus voluntati ejus satisfaciens, omni ambage seclusâ Judaismo te sine mora restituas.* Cui juvenis respondens: *Domine Rex*, ait, *ut puto, jocaris.* At ille indignatus; *Tecum*, inquit, *jocarer stercoris fili? Recede potius, & præceptum meum velocius imple, alioquin per vultum de Luca faciam tibi oculos erui.* Tunc Adolescens animæ quior factus, voce constanti ita respondit: *utique non faciam. Verum noveris, quia si bonus Christianus esses, nunquam de ore tuo talia protulisses. Christiani etenim est, eos qui à Christo per incredulitatem separati sunt, ei conjungere; non autem eos qui illi per fidem juncti sunt ab eo separare.* Confusus Princeps in iris, contumeliis affectum Juvenem cum dedecore jussit suis conspectibus eliminari. Qui expulsus patrem suum eventum rei pro foribus præstolantem, invenit. In quem animatus, *Fili*, ait, *mortis, & pabulum externæ perditionis, non sufficit tibi damnatio tua nisi & me tecum præcipites in eam? Ego vero cui jam Christus patefactus est, absit me te unquam pro patre agnoscam, quia pater tuus Diabolus est.* Dum ista ita dicuntur, ad jussum Regis introducitur ante eum Judæus, & ait illi Rex: *Ecce feci quod rogasti, redde quod promisisti.* At ille, *Filius meus jam nunc & in Christi confessione constantior, & mihi est solito fultus infestior: & dicis, Feci quod petisti, redde quod promisisti? Immò quod cœpisti, prime perfice, & tunc demum de pollicitis age. Sic enim convenit inter nos. Feci*, dixit, *quantum potui: verùm quamvis non profecerim, minimè tamen foram me sine fructu laborâsse.* Angustiatusque Judæus ex his vix obtinuit, ut data medietate promissæ pecuniæ, alia sibi medietas laxaretur.

WILLIELMUS II. Rex.

Præter hæc quoque, per id temporis ferebatur eum in tantam mentis elationem corruisse, ut nequaquam patienter audire valeret, si quivis ullum negotium quod vel à se, vel ex suo præcepto foret agendum, poneret sub conditione voluntatis Dei fieri. Sed quæque acta simul & agenda suæ soli industriæ ac fortitudine volebat ascribi. Quæ mentis elatio ita excrevit in eo, ut quemadmodum dicebatur, crederet & publicâ voce assereret nullum Sanctorum cuiquam apud Deum posse prodesse, & ideò nec se velle, nec aliquem sapientem debere beatum Petrum, seu quemlibet alium quo se juvaret, interpellare. Hac fide in ipso proficiente, ad hoc quoque lapsus est, ut Dei judicio incredulus fieret; injustitiæque illud arguens, Deum aut facta hominum ignorare, aut æquitatis ea lance nolle pensare astrueret. Exempli causa, quinquaginta circiter viri, quibus adhuc illis diebus, ex antiqua Anglorum ingenuitate, divitiarum quædam vestigia arridere videbantur, capti sunt, & calumniati quod Cervos Regis ceperint, mactaverint, manducaverint. Negant illi; unde statim ad judicium rapti judicantur injectam calumniam examine igniti ferri à se propulsare debere. Statuto itaque die, præfixi pœnæ judicii pariter subacti sunt remotâ pietate & misericordiâ. Erat ergo miseriam videre. Verum omnipotens Deus, cui misericordiam & judicium canit Davidicus Psalmus, innocentia eorum, servatis misericorditer ab exustione manibus omnium, cunctis ostendit, & malitia hominum eos impiè destruere cupientium quàm injusta fuerit, justo judicio declaravit. Igitur cùm Principi esset relatum condemnatos illos tertio judicii die simul omnes injustis manibus apparuisse, stomachatus taliter fertur respondisse. *Quid est hoc? Deus est justus Judex? Pereat, qui deinceps hoc crediderit. Quare per hoc & hoc meo judicio amodò respondebitur: Non Dei quod pro voto cujusque hinc indè plicatur.* Hæc & hujusmodi plura his atrociora quæ à diversis non ignobilis famæ hominibus de Willielmo illo tunc temporis nunciabantur, magnò, ut diximus, Anselmum accendebant Pontificatu Angliæ abrenunciare; scientem videlicet mores suos moribus ipsius nullâ posse ratione amplius concordare.

Postulaturus igitur à summo Pontifice ipsius vinculi, quo se nimis astringi gemebat, relaxationem; eum adiit, ei-sui cordis anxietatem innotuit, misereri sibi poposcit, id est, ut ab onere curæ Pastoralis, quod importabile sibi quia infructuosum videbat, se relevaret, obnixè rogavit. Audit Papa quod ille postulat, & illico miratus exclamat. O Episcopum! « O Pastorem! Nondum cædes, nondum vulnera perpessus es; & jam Dominici curam ovilis subterfugere « quæris? Christus in cura ovium suarum probat Petri « amorem erga se: & Anselmus, Anselmus, inquam, « ille sanctus, ille talis ac tantus vir, solummodò qui« escere volens, oves Christi & ante pugnam luporum « morsibus dilaniandas non veretur exponere? «

WILLIELMUS II. Rex.

» Ah quid dicam? Quo amore ſperat Domino co-
» pulari, qui hoc fugit quo ipſe Dominus ſe telle
» probatur amari? Abſint hæc à te, abſint à tua
» religione, dilectiſſime Frater Anſelme. Potiùs ne
» me in iſtis ulteriùs inquietes, ſcias quòd non ſo-
» lùm non concedo tibi facere quod petis, immò
» ex parte Dei omnipotentis vice beatiſſimi Petri
» Apoſtolorum Principis tibi per ſanctam obedien-
» tiam præcipio quatenus curam Anglici regni tibi
» commendatam, quandiu retinere ut hactenus po-
» teris, non abjicias. Quòd ſi propter tyrannidem
» Principis, qui nunc ibi dominatur, in terram illam
» redire non permitteris; jure tamen Chriſtianitatis
» ſemper illius Archiepiſcopus eſto, poteſtatem li-
» gandi atque ſolvendi ſuper eam dum vixeris obti-
» neris: & inſignibus Pontificalibus more ſummi B
» Pontificis utens ubicunque fueris. Ad hæc ille,
» Obedientiam Pater non abjicio; ſed ſi non diſpli-
» cet, quid animo geram, paucis ſuggeram. Credat,
» ſi placet, Excellentia veſtra quoniam ſi cædes, ſi
» vulnera, ſi mors ipſa mihi pro tutela & defen-
» ſione ovium Chriſti intenderetur ſpero non aufu-
» gerem, ſi me conſcientia mea non fallit. At tunc
» ut de Rege ipſo, qui me, ſicut notum eſt, de re-
» gno ſuo expulit, taceam; ipſi quos oves, & Epiſ-
» copi quos adjutores habere debebam, & qui mi-
» hi obedientiam profeſſi ſunt, omnes in commune
» ad hoc me ducere conabantur, quatenus ſub ob-
» tentu juſtitiæ contra juſtitiam facerem, id eſt,
» obedientiæ beati Petri abrenunciarem; ne fidem
» quam debebam Regi terreno violarem. Quibus
» dum niterer perſuadere, me utrumque horum, al- C
» tero inviolato, poſſe ſervare, (quandoquidem Do-
» minus jubeat, *quæ Cæſaris Cæſari, & quæ Dei ſunt Deo*
» *reddi*) objiciebat hoc apud ſe in uſu non haberi,
» nec velle de Domino ſuo hanc injuriam ſuſtinere,
» ut aliquis in regno ejus cuilibet intenderet, ni-
» ſi ei vel per eum. Et Ego, Pater, inter tales quid
» facerem? Reſpondit: Ratione duceris. Ego quo-
» que ne de his atque aliis tibi non jure illatis vi-
» dear non curare, eaque gladio ſancti Petri nolle
» vindicare, moneo quatenus Concilio quod apud
» Barum ante corpus beati Nicolai, Kalendis Octob.
» celebrare conſtitui, præſentiam tuam exhibeas, ut
» quod de ipſo Rege Anglico, ſuiſque, at ſimilibus
» qui contra libertatem Eccleſiæ Dei ſe erexerunt,
» mediante æquitatis cenſurâ, me facturum diſpo- D
» ſui audiru viſuque percipias. Dehinc ad habitacu-
lum ſuum Sclaviam Anſelmus revertitur, quietem & paupertatem oblatis divitiis anteponens.

Inſtante autem termino Concilii, ad Apoſtolicum reverſus eſt; & cum eo Barum uſque profectus. In ipſo verò Concilio, dum plurima de fide Catholica ſummus Pontifex, facundâ ratione rationabilique facundiâ diſſeruiſſet, mota eſt quædam quæſtio ex parte Græcorum Evangelicâ auctoritate probare volentium *Spiritum ſanctum proceſſionem non habere niſi tantùm à Patre.* Huic errori tum multis argumentis, tum plurimis rationibus Papa contraire niſus, inter alia quiddam de Epiſtola ſibi olim ab Anſelmo, *de Incarnatione Verbi*, edita & E directâ, exempli gratiâ, intulit, quod ſuæ diſputationi non parùm claritatis ac firmitudinis attulit. Verùm cùm nonnulla objicerentur, & redditæ rationes, quemadmodum inſtabilibus mos eſt, diſquiſitæ enucleatius exponi peterentur, imperatum ſilentium primus ipſe Pontifex rupit alta voce dicens: *Pater & Magiſter Anſelme, Anglorum Archiepiſcope, ubi es?* Sedebat enim idem Pater in ordine cæterorum inter primos Concilii Patres, & ego ad pedes ejus. Ubi ergo ſe requiri audivit, ſurrexit continuò, & reſpondit: *Domine Pater, quid præcipitis? Ecce me.* At ille: *Quid quæſo facis? Cur in aliorum ſilentio* A *degis? Veni, veni, obſecro; aſcende uſque ad nos,* WILLIELMUS II. Rex. *& pugnans pro Matre tua & noſtra, adjuva nos, cui jam integritatem vides Græcos iſtos conari adimere; & nos in idipſum nefas, ſi facultas eis tribuitur, præcipitare. Succurre igitur quaſi verè pro hoc à Deo miſſus huc.* Videres itaque circa ſolium Papæ quoſque perſtrepere, ſedes mutare, locum ſedendi viro parare, & ſic demum honorificè levatum ad ſe propè Papam collocare, Concilio ſtupente ad hæc, & percunctante quis eſſet aut unde. Tum compreſſo tumultu, omnibus in commune viri ſanctitatem atque induſtriam Papa expoſuit; & quia propter juſtitiam multas perſecutiones paſſus, atque injuriâ de ſua ſit terra expulſus, reverendâ voce innotuit. Cùm igitur ad imperium ejus Anſelmus præſtò eſſet, motæ quæſtioni mox reſpondere, viſum nonnullis eſt melius fore in craſtinum rem differri, quo liberioribus animis dicenda expeditiùs proponerentur. In craſtino itaque maturiùs conventu diſpoſito, Anſelmus ex condicto debitum ſolvere poſtulatus eſt. Surrexit ergo & coram univerſis in edito ſtans, ſic de negotio, regente cor & linguam ejus Spiritu ſancto, tractavit, diſſeruit, abſolvit, ut in ipſo conventu nemo exiſteret qui non inde ſibi ſatisfactum conſentiret. Sed quibus hoc Argumentis, quibus rationibus, quibuſve divinæ Scripturæ auctoritatibus & exemplis egerit, ſcribere ſuperſedemus, eo quod ipſemet Anſelmus poſtmodum inde diligentius atque ſubtilius tractans, egregium opus ſcripſit; idque per multa terrarum loca, ubi ejuſdem erroris fama pervenit, ab amicis ſuis rogatus direxit. Ergo ubi finem dicendi fecit, intendens in eum ſummus Pontifex, ait: *Benedictum ſit cor & ſenſus tuus, & os & ſermo oris tui ſit benedictus.* Hinc in laude viri demoratum eſt, & fides ejus atque prudentia divulgata, ac magnificata; nec non eorum perfidia ſi qui forent qui ea quæ de propoſita quæſtione docuit, ſuſcipere & credere nollent, exprobrata ac perpetuo anathemate percuſſa atque proſtrata.

Procedente dejnceps ratione de Rege Anglorum ſermo conferitur, & ſiniſtra quædam de ipſo publicè prædicantur, Anſelmo inter illa demiſſo vultu ſedente, & loquentes nullo favore proſequente. Tandem de venditione & oppreſſione Eccleſiarum de quibus inter alia vituperabatur, necne de injuriis Anſelmo illatis Apoſtolicus acriter queſtus eſt. *Quem propterea*, inquit, *etiam regni ſui fecit extorrem, quoniam à beati Petri fidelitate & obedientia nequivit ſeparare.* Et adjecit: *Ecce vita illius tyranni qualis ad Apoſtolicam Sedem ſæpe dilata eſt. Cui pro correctione ſui plura multotiens cohortatoriâ ſimul, & caſtigatoria ſuaſione verba mandavimus; ſed afflictio atque depulſio tanti viri, quem coram videtis, ſatis innuit quantum proficimus. Ad hæc, Fratres, quid ſentitis? Quid decernitis?* Dixerunt: *Sententia plana eſt & judicium evidens. Si enim ſemel, ſi ſecundò, ſi tertiò vocaſti, & renuit audire, renuit diſciplinam accipere; reſtat ut gladio ſancti Petri ſub anathematis ictu percuſſus, quod meruit, ſentiat, donec à ſua pravitate diſcedat.* Reſpondit: *Ita eſt.* Audiens E hæc Anſelmus illicò ſurrexit, & flexis genibus coram Papa præfatum Regem jam tunc excommunicare parato, vix obtinuit ne in Regem faceret quod communis omnium ſententia promulgavit. Qui ergo bonitatem viri ſolo priùs fuerant auditu edocti, nunc eum facto ſe experiri gaviſi ſunt, dum illum & pro malo bonum reddere, & pro perſequente ſe non ficta vident prece intercedere. Admirabilis itaque univerſis factus eſt.

Inter hæc ego, Patri per omnia præſens aderam, paratus videlicet ad ſervitium ejus. Et quia mihi ab infantia hic mos erat, ſemper nova quæ fortè, ſed maximè in Eccleſiaſticis, occurrebant diligenti in-

Digitized by Google

WILLELMUS II. Rex.

tentione considerare, ac memoriæ commendare, A dispositum Concilium, loca, & ordines personarum, modos & examinationes causarum, curiosa fortasse magis quàm sagaci mente & oculo, hinc inde utpotę qui nunquam priùs talia videram, modesto intuitu consideravi. Ecce autem, cùm illis intenderem, occurrit, quem antea bene noveram, Archiepiscopus Beneventanus, cappâ præ omnibus qui conventui ipsi intererant, preciosiori decoratus. Papa enim non cappâ, sed casulâ & pallio desuper redimitus Concilio præsidebat. Ego igitur intuens cappam Antistitis Beneventani, & eam, ut dixit, cæteris præstare perspiciens, recordatus sum verborum, quæ puer à senioribus Ecclesiæ nostræ Edwio scilicet magnifico viro Blachemano atque Farmanno aliisque nonnullis olim audieram. Solebant etenim iidem memorabiles viri sæpe narrare quòd, ipsis B adolescentiæ primordia agentibus, Imma Regina, cujus in capite hujus operis habita mentio est, inter multa bona quæ Ecclesiæ Christi Cantuariensi contulit, Brachio beati Apostoli Bartholomæi, ipsam Ecclesiam, disponente Domino suo Cnud Rege Anglorum, sublimaverit. Quæ res qualiter acta fuerit, hoc modo (quod per excessum cœptæ narrationis dici patiemur quæso accipiatur) uno sensu, pari ordine referebant. Tempore, aiunt, quo ipsa Domina, sicut Regina, in regno Anglorum magna & præpotens habebatur, Pontifex Ecclesiæ Beneventanæ venit in Angliam, quem, sicut ipse ferebat, immanis fames certis præsagiis totam Apuliam afflicturа illò deduxerat, cupiens aliquo modo si non C posset toti Provinciæ, saltem suis civibus tantum malum propulsare. Is iter ingressus Brachium beati Bartholomæi Apostoli secum tulerat, spe sibi certa promittens se per illud multa lucraturum. Idem quippe Brachium, ob hujusmodi necessitudinem contrahenda subsidia in ipsa Ecclesia Beneventi à reliquo corpore servabatur remotum. Episcopus itaque, transita Italia, venit in Galliam, quæ sibi dabantur, gratanter ubique bona suscipiens. Audita verò divitis famа regni Anglorum, ratus est sibi eò progrediendum, ex aliorum eventibus sperans se illic amplius cæteris regionibus adquisiturum. Præfata quoque Regina magni nominis & divulgatæ famæ habebatur; quam bonitas sua, & qua super Ecclesias respiciebat, largitas, ei pepererat. Pontifex igitur Angliam veniens, ipsam Reginam adiit, & illius allocutione potitus, quid detulerit, quam ob causam D tam remotas orbis adierit partes, insinuavit. At illa hominis charitativo labore ad misericordiam flexa de suis ei copiosè largita est, & illum patriam remeare, nec non eis quibus imminens famis periculum formidabat, subvenire hortata est. Sed ipse intelligens non sufficere sibi ad suum negotium quæ habebat, eos quos magis familiares in Curia ipsi Dominæ esse acceperat, percunctatus est, utrum os quod attulerat, dato pretio, Reginæ in jus proprium transferre curæ esset. Quid multa? Investigatur de re animus Dominæ, & invenitur promtissimus esse; certam se tantummodo Episcopus faceret ipsum os nominati Apostoli revera fuisse, & taliter ut ipsamet testaretur si- E bi, sublatâ omni ambiguitate, satisfactum. Ad quod ille. *Quo*, inquit, *modo. Super corpus*, ait *Dominicum & super Sanctorum reliquias quas ei proponam, jurejurando, reliquias de quibus agitur veraciter esse de corpore beati Apostoli Bartholomei, & id remota omni equivocatione atque sophismate faciat. Hoc*, inquit Episcopus, *fecurè me facturum polliceor.* Veniens itaque Cantuariam cum Brachio ipso, prout illi Rex & Regina dictaverant, decenter susceptus est. Astante igitur ipsâ, Monachorum quoque ac Clericorum immenso agmine eam vallante, inter quos etiam suprà memorati viri à quibus hæc accepimus se præsentes fuisse testati sunt, numeroque utriusque sexus & ætatis multitudine ob hoc convolante & audiente, jurando super altare & Corpus Christi necne Sanctorum reliquias quas beatum Gregorium sancto Augustino, aliosque Romanos Pontifices aliis Archiepiscopis destinasse scitur, asseveravit ipsum os de quo sermo habebatur beati Bartholomæi Apostoli proprium fuisse, nec ipsi assertioni suæ aliquid omnino sophismatis aut æquivocationis inesse. Quo facto, memorabilis Domina quamplures argenti libras antisti contulit, & osse potita illud Ecclesiæ Christi Cantuariensi solemni donatione ex parte Regis Cnudi suaque concessit. Illis quippe diebus hic mos Anglis erat, patrocinia Sanctorum omnibus sæculi rebus anteferre. Pontifex quippe Sedis ipsius Ægelnothus nomine, inter reliqua quæ homini dedit, cappam illi valde preciosam aurifrigio ex omni parte ornatam dedit, quæ & illius Ecclesiæ decori, & Ecclesiæ Cantuariensis futuris temporibus tantæ rei existeret testimonio & probationi. Ego igitur cùm, ut dixi, Concilio præsens antistitem Beneventanum cappâ reliquis præstante ornatum viderem, & eam ex his quæ olim audieram optimè nossem, non modicè lætatus, & cappam & verba mihi puero ex inde dicta Patri Anselmo ostendi. Mox Celebrato Concilio ubi Beneventanum ipsum adii, & inter alia mutuæ dilectionis colloquia cœpi de eadem cappâ loqui, & unde illam haberet quasi nescius interrogavi; summam rei exposuit, & eam ordine quo descripsi suam Ecclesiam ab Ecclesia Cantuariensi adeptam esse declaravit. Qua de re certior effectus, putavi aliquibus gratum hoc ipsum huic opusculo indere, licet propositum narrationis tramitem me hoc agendo non nescirem excedere. Quo peracto, ad cæptum redeamus iter. Finito Concilio à Baro discessimus, comitatum Papæ Romam usque non deserentes.

WILLELMUS II. Rex.

Interea revertit nuncius quem à Roma ad Regem Angliæ destinatum suprадiximus, referrens ipsum Regem susceptis quidem quoquo modo litteris Papæ litteras Anselmi nullo voluisse pacto suscipere, imò cognito illum esse Hominem ejus jurasse per vultum Dei, quia si festinè terram suam non exiret, sine retractatione oculos ei erui faceret.

Verùm post dies aliquot, ex quo Romam reversi fuimus venit missus à Rege Willielmus, cujus in exitu Angliæ mentionem fecimus, Domino Papæ ad litteras quas pro Anselmo miserat responsurus. Dicebat ergo Pontifici: *Mandat tibi Dominus meus Rex, sibi non parva admirationi esse quod vel in mentem tibi cadere potuit ut eum, pro restitutione rerum Anselmi, interpellares.* Et subdidit: *Si causam quaris, hæc est. Quando de terra sua discedere voluit, apertè minatus est se illo discedente totum Archiepiscopatum in dominium suum acceptarum. Quoniam igitur nec his minis constrictus quia exiret, omittere nolnit; justè se putat fecisse quod fecit, & injuria reprehendi.* Ad hæc Papa: *Accusat eum*, inquit, *aliunde?* Respondit: *Non Papa!* ait, *quis unquam audivit talia? Pro hoc solo Primatem Regni suis omnibus spoliavit, quia ne sanctam Matrem Ecclesiam omnium Romanam visitaret, omittere nolnit? Verè & sine omni ambiguitate dicere possumus à sæculo tale quid non esse auditum. Et pro tali responso mirabilis homo huc te fatigasti? Redi, quantocius redi; & precipe illi ex parte beati Petri quatenus * remota omni contradictione illum suis omnibus integrè revestiat, si excommunicari recusat. Itaque fac ut quid hinc velit scire me faciat ante Concilium, quod tertia hebdomada Paschæ in hac urbe sum celebraturus; aliqui certissimè noveris se in eodem Concilio damnationis sententiâ puniri, quam promeruit.* At ille: *Priusquam abeam, eum secretiùs*

WILLIELMUS II. Rex.

agam. Manſit ergo ibi per dies plurimos idem Willielmus, prudenter operam dando hos & illos ſuæ cauſæ fautores efficere; ac ut Domini ſui voluntati ſatisfaceret, munera quibus ea cordi eſſe animadvertebat, diſpertiendo, & pollicendo parvi habere. Deductus ergo à ſententia Romanus Pontifex eſt, ac pro voto Willielmi inducias uſque ad feſtum Sancti Michaëlis dedit Regi. Acta ſunt hæc in ipſis ſolemniis Nativitatis Chriſti.

Quod videntes, vanè nos ibi conſilium nihil auxilium operiri intelleximus, petitâque licentiâ Lugdunum remeare decrevimus: Quam licentiam cùm nullatenus impetrare potuiſſemus, remanſimus Romæ uſque ad præfinitum tempus Concilii, continuè circa Papam degentes & quaſi in commune viventes. Nec enim duæ, ſed una videbatur amborum curia eſſe. Unde & ipſe Papa frequenter ad Anſelmum veniebat, lætè cum eo ſeſe agendo, & curiam faciendo ei, dedit quoque illi hoſpitium in quo converſabamur eo jure ut ſi aliquando Romam rediret contra omnes homines illud ſibi vindicaret. Ipſe in conventu Nobilium, in proceſſionibus, in ſtationibus, ſemper & ubique à Papa ſecundus erat, præ cunctis honoratus, cunctis acceptus, & ipſe cunctis ſimplici humilitate ſummiſſius.

Cùm verò ad Concilium ventum eſſet, & Epiſcopis qui de Italia & Gallia venerant, ſuas ſedes ex conſuetudine vendicantibus, nemo exiſteret qui ſe vel audiſſe vel vidiſſe Archiepiſcopum Cantuarienſem Romano Concilio ante hæc interfuiſſe diceret, vel ſcire quo tunc in loco ſedere deberet; ex præcepto Papæ in Corona ſedes illi poſita eſt, qui locus non obſcuri honoris in tali conventu ſolet haberi. Igitur dum in ipſo Concilio multa tractarentur, multa diſponerentur; multa obſervari decernerentur; nec tamen ab omnibus partim propter conventus immenſitatem, partim propter intrantium & exuentium à corpore B. Petri ſtrepitum & concrepationem, clarè intelligerentur; præcepit ipſe Pontificum ſummus Lucenſi Epiſcopo, Reingero nomine, quatenus in medio cæteris eminentior ſtaret, ac ſonorâ qua pollebat voce quæ ſtatuta erant, cunctorum auribus expreſsè deponeret. Pater ipſe præſidentis imperio: verùm nonnullis ab eo capitulis in audientia omnium diſertè expoſitis, ſubitò admirantibus cunctis, vultu, voce, ac geſtu corporis in alium habitum demutatus eſt, unde ſuorum luminum acie in circumſedentes directa, vulneratæ mentis dolorem ultrà diſſimulare non potuit. Ruptâ igitur decretorum ſerie, quæ exponenda ſuſceperat, intulit dicens: *Sed videlicet quid faciamus? Prece vobis ſubditos oneramus, & iniquis tyrannorum ſævitiis non obviamus. Oppreſſiones namque quas ipſi ſuæ tyrannide Eccleſiis inferunt, & expoliationes perſonarum quæ tuendis illis inſtitutæ ſunt quotidiè ad hanc ſedem referuntur; conſilia & auxilia, ſicut à Capite omnium, requiruntur. Sed quo terminentur effectu, ſeu totus mundus novit & inde conqueritur. De cujus mundi remotiſſimis partibus unus ecce inter nos modeſtâ taciturnitate quieſcens mitis reſidet, cujus ſilentium clamor magnus eſt, cujus humilitas & patientia quæ declivior atque manſuetior, eo ſublimior eſt ante Deum & in oculis hominum, iſte unus, unus, inquam, iſte, quàm crudeliſſimè afflictus quàm injuſtiſſimè ſuis omnibus expoliatus venit hùc judicium & æquitatem Apoſtolicæ Sedis de negotio ſuo eſflagitans. Jam annus ſecundus eſt quo hùc venit; ſed vel quid hucuſque ſubventionis invenit? Si de quo dico non omnes agnoſcitis, ipſe eſt Anſelmus Archiepiſcopus Anglicæ Regionis.* His dictis virgam Paſtoralem, quam manu tenebat, tertiò pavimento illiſit, indignationem ſpiritus ſui, compreſſis exploſo murmure labiis & dentibus, palàm cunctis oſtendens. Ad hæc Papa ei innuens, ait, *Frater Reingere, ſufficit, ſufficit. De hac re Conum conſilium erit.* At ille, producto in eum ſpiritu inquit, *Et equidem expedit. Nam aliter tum qui juſta judicat, non tranſibit.* Deinde ad perdicenda Concilii decreta monitus, verba reſumpſit; ac in fine dicendi, ne parvi penderetur injuria Anſelmo illata, repetiit, monuit, & ſeſſum ivit. Hæc omnia cùm Pater Anſelmus audiſſet, & tandem circa finem verborum de ſe dicta intellexiſſet, oppidò miratus eſt, ſciens ſe nec homini de re locutum fuiſſe, nec à ſe vel ullo ſuorum, ut talia diceret, proceſſiſſe. Sedebat ergo uti ſolebat, ſilenter auſcultans.

WILLIELMUS II. Rex.

Inter ultima verò Synodi, jam reciſis quæ recidenda, & ſtatutis quæ viſa fuerant conſtituenda, in adverſarios ſanctæ Eccleſiæ Excommunicationis ſententiam cum toto Concilio Papa intorſit; qua ſententia omnes quoque laïcos Inveſtituras Eccleſiarum dantes, & omnes eaſdem Inveſtituras de manibus illorum accipientes, necne omnes in officium ſic dati honoris hujuſmodi conſecrantes pari modo involvit. Eos nihilominus ſub ipſius anathematis vinculo colligavit, qui pro Eccleſiaſticis honoribus laïcorum hominum Homines fiunt; dicens nimis execrabile videri manus quæ in tantam eminentiam excreverint, ut quod nulli Anglorum conceſſum eſt, Deum cuncta creantem ſuo miniſterio creent, & eundem ipſum pro redemptione & ſalute totius mundi ſummi Dei Patris obtutibus offerant, in hanc ignominiam detrudi, ut ancillæ fiant earum manuum quæ die ac nocte obſcœnis contagiis inquinantur, rapinis ac injuſtæ ſanguinum effuſioni addictæ commaculantur. His præſentes fuimus; hæc conſpeximus; his ab univerſis, Fiat, Fiat, acclamari audivimus; & in his conſummatum Concilium ſcimus.

Poſterà die, acceptâ licentiâ, Româ digredimur, nihil judicii vel ſubventionis, præterquam quod diximus, per Romanum Præſulem nacti. Via verò redeundi tunc temporis multis erat periculis obnoxia; ſed protegente nos Domino, pericula cuncta evaſimus, ac Lugdunum illæſi pervenimus, ubi cum ſumma veneratione gaudioque ſuſcepti, & à Pontifice civitatis detenti, manſionem noſtram illic firmavimus, amiſſâ omni fiduciâ ulterius tempore Willielmi Regis Angliam remeandi. Habitus eſt ergo ibi Anſelmus, non ſicut hoſpes, aut peregrinus, ſed ſicut indigena, & verè loci Dominus; unde nuſquam ipſe ipſius urbis antiſtes, eo præſente, ſuo volebat loco præſidere, ſed præſidente ubique Anſelmo, inferioris & ſuffraganei loco ſimul & officio mirâ ductus humilitate fungebatur. Anſelmus feſtivitates, ſacros Ordines, Eccleſiarum dedicationes celebrabat, & Pontificalia quæque officia adminiſtrabat.

Sed cùm multi agnitâ benevolentiæ ejus amplitudine ad eum concurrerent, & Sacramentum impoſitionis manus Epiſcopi ab illo ſibi ac ſuis conferri depoſcerent; ipſe, qui in Epiſcopalium officiorum adminiſtrationibus ſemper nutum Pontificis expectabat, levi affabilitate reſpondebat ſuum non eſſe tale quid in Parochia alterius Epiſcopi, eo inconſulto, præſumere. In quo eum ratione agi intelligentes, mox ad ſuum Epiſcopum nuncios dirigunt, & quâ benignitate vir ad ſuas preces reſponderit, innoteſcentes orant illum rogari pro ſe. De re ergo à Pontifice appellatus, immo per totam Parochiam ſuam hoc & aliis pontificalibus officiis in illius voluntatis deliberatione poſitis, omnes admittere, neminem ab ipſius gratia Sacramenti patiebatur immunem diſcedere. Fiebat itaque frequens populorum concurſus, & nonnunquam in hoc ſolo expendebatur dies totus, ita ut nos, qui ei miniſtrabamus, gravi tædio ſæpe fatigaremur, ipſo ſemper jocundo vultu & hilari exiſtente. Crevit autem in eum mira quædam ex his & inaudita

WILLIELMUS II. Rex.

dilectio omnium, & bonitas ejus divulgabantur per circuitum.

Inter hæc, per populos fama diſperſit Urbanum Sedis Apoſtolicæ Præſulem præſenti vitæ modum feciſſe. Siquidem priùs obiit, quàm quæ à Rege Anglorum pro cauſis Anſelmi expectabat reſponſa ſuſciperet. Qui deceſſus vitæ, ubi ejuſdem Regis auribus inſonuit, reſpondit: *Et Dei odium habeat qui inde curat.* Adjecitque, *ille verò qui modo Papa eſt, cujuſmodi eſt?* Cui cùm in aliquibus Anſelmo Archiepiſcopo ſimilis diceretur, ait: *Per vultum Dei, ſi talis eſt, non valet. Veruntamen ſit modo ipſe per ſe, quia per hoc & hoc Papatus ſuus non aſcendit hac vice ſuper me. Ego interim libertate potitus agam quod libet.* Nec enim putabat Apoſtolicum Orbis poſſe in regno ſuo eſſe cujuſlibet juris, niſi permiſſus à ſe. Qualiter ergo deinceps ſeſe habuerit ad alia feſtinanti, ſcribere oportunum non eſt. Attamen libertate qua ſe potitum gloriatus eſt, non diù frui permiſſus eſt. Priùs enim quàm annus tranſiit, inſperatâ & ſubitâ morte percuſſus eam perdidit. Octobet namque audivit eum gloriantem; ſecunda dies ſequentis Auguſti vidit eum expirantem. Siquidem illâ die manè pranſus in ſylvam venatum ivit, ibique ſagittâ in corde percuſſus, impœnitens & inconfeſſus eveſtigiò mortuus eſt, & omni homine mox derelictus. Quæ ſagitta utrùm, ſicut quidam aiunt, jacta ipſum percuſſerit; an, quod plures affirmant, illum pedibus offendentem ſuperque ruentem occiderit, diſquirere ocioſum putamus, cùm ſcire ſufficiat eum juſto judicio Dei proſtratum atque necatum. Hîc occurrit animo quid Rex iſte quondam, ut ſuprà retulimus, Roſtenſi Epiſcopo dixerit, videlicet quod *Deus nunquam eum bonum habiturus eſſet pro malo quod ſibi inferret*, & perpendo quid poſtmodum Deus erga illum egerit, donec vitæ præſenti ſuperfuit. Scitur enim quia ex quo illa verba, depulſo languore, quo notum eſt illum fuiſſe gravatum, protulit, tantùm in deprimendo & ſubjugando inimicos, in adquirendo terras, in exercendo voluptates ſuas proſperatus eſt, ut omnia ſibi arridere putares. Ventus inſuper, & ipſum mare videbantur ei obtemperare. Verum dico, non mentior, quia cùm de Anglia in Normanniam tranſire, vel inde curſum prout ipſum voluntas ſua ferebat, redire volebat; mox, illo adveniente, & mare appropinquante, omnis tempeſtas, quæ nonnunquam immanè ſæviebat, ſedabatur, & tranſeunti mirâ tranquillitate famulabatur. Quid ampliùs? Ita fateor in cunctis erat fortunatus, ac ſi verbis ejus hoc modo reſpondit Deus: *Si te pro malo ut dicis nunquam bonum habebo, probabo an ſaltem pro bono poſſim te bonum habere, & ideo in omni quod tu bonum eſtimas velle tuum adimplebo.* Sed quid? In tantum ex ſucceſſibus ſuis profecit, ut ſicut hi qui factis ejus die noctuque præſentes extiterunt atteſtantur, nunquam vel de lecto ſurgeret, vel in lecto ſe collocaret, quin ſeipſum aut collocante aut ſurgente ſemper deterior eſſet. Quapropter dum nec malo corrigi voluit, nec bono ad bene agendum attrahi potuit; ne in perniciem bonorum diutino furore ſæviret, compendioſâ illum & momentaneâ cæde æquus arbiter huic vitæ ſubtraxit.

WILLIELMUS II. Rex.

Finis Libri Secundi.

Google

EADMERI
CANTUARIENSIS MONACHI
HISTORIA NOVORUM.

LIBER TERTIUS.

HENRICUS I. Rex.

SECUNDO itaque anno ex quo à Roma Lugdunum venimus, qui erat noſtri exilii annus tertius, venerunt ad Anſelmum jam tertium diem in Cœnobio, quod Caſa Dei dicitur, agentem, duo Monachi, unus Cantuarienſis, & alter Beccenſis, nunciantes ei jam ſæpe memorati Willielmi Regis vitæ exceſſum. Quo ille vehementi ſtupore percuſſus, mox eſt in acerbiſſimum fletum concuſſus. Quod videntes admirati admodùm ſumus. At ille, ſingultu verba ejus interrumpente, aſſeruit in ipſa veritate quam ſervum Dei tranſgredi non decet, quia ſi hoc efficere poſſet, multò magis eligeret ſeipſum corpore quàm illum ſicut erat mortuum eſſe.

Nobis poſt hæc Lugdunum reverſis, ecce alius è Fratribus Eccleſiæ Cantuarienſis advenit, litteras deferens, preces offerens, quibus obnixè ab Anglorum Mare Eccleſia interpellatur, quatenus extincto Tyranno, filios ſuos, ruptâ morâ, reviſere, conſolarique dignetur. Audito igitur de re conſilio memorati reverendi Hugonis ipſius urbisEpiſcopi, iter Angliam remeandi ingreſſus eſt, ipſo Pontifice, & toto populo terræ ſuper hoc dolênte, & niſi rationi contrairet, modis omnibus, ne fieret, prohibere volente. Magno denique ſolatio ſe in diſceſſu ejus deſtitui videbant. Proſecuti autem illum ſunt de villa in villam, per plures dies tam viri quàm mulieres, ſinguli certatim currentes, & pro ſua deſolatione gemebundas voces edentes. Necdum pervenimus Cluniacum, & nihilominus alter Nuncius ex parte novi Regis Anglorum, & Procerum regni Patri occurrens, moras ejus in veniendo redarguit, totam terram in adventu ejus attonitam, & omnia negotia regni ad audientiam & diſpoſitionem ipſius referens pendere dilata. Cujus verba litteræ Regis quas attulerat atteſtantes, & dicta plenius explanantes, preces & vota ipſius Regis virum feſtinatò venire magnopere poſtulantis, & ſeipſum regnumque ſuum ejus conſilio ac moderamini ſe ſubjecturum pollicentis continebant. Hæc & hujuſmodi plura quàm dicere velim, nos ad Patriam properare coegerunt.

Proſperrimo itaque curſu marina pericula tranſvecti nono Kalend. Octobris Doſris appulimus, & ingenti gaudio totam terram in adventu Anſelmi exultantem reperimus. Quædam etenim quaſi novæ reſurrectionis ſpes ſingulorum mentibus otiebatur, qua & ab oppreſſione calentis adhuc calamitatis ſe quiſque liberandum, & in ſtatum optatæ proſperitatis aditum ſibi pollicebatur. Quæ ſpes inde maximè procedebat quòd Henricus qui tunc noviter Fratri defuncto in regnum ſucceſſerat, in ipſo ſuæ conſecrationis die bonas & ſanctas omni populo leges ſe ſervaturum, & omnes oppreſſiones & iniquitates quæ ſub Fratre ſuo emerſerant in omni ſua Dominatione, tam in Eccleſiis quàm in ſæcularibus negotiis, prohibiturum & ſubverſurum ſpoponderat, & hæc omnia juriſjurandi interjectione firmata, ſub monimento litterarum ſigilli ſui teſtimonio roboratarum, per totum regnum divulgatum iri præceperat. Præſentia nihilominus communis omnium Patris jam ipſi ſpei non parum roboris apud hominum mentes adjiciebat, conſtantem illius probitatem agnoſcentium, & ſancta quædam ad reformandum Chriſtianæ Religionis ſtatum qui poſt obitum venerandæ memoriæ Lanfranci Archiepiſcopi in multis deciderat, proximè ab eo prodire & ſtatui, arrectis ſenſibus expectantium. HENRICUS I. Rex.

Sed cùm poſt paucos ſui reditus dies Serberiam ad Regem veniſſet, & ab eo gaudenter ſuſceptus, rationi illius qua ſe excuſavit cur in ſuſcipienda Regiæ dignitatis benedictione, illum cujus juris eam eſſe ſciebat, non expectaverit, adquieviſſet, poſtulatus eſt pro conſuetudine Antecеſſorum ſuorum Regi Hominium facere, & Archiepiſcopatum de manu ejus recipere. Quibus cùm ille nequaquam ſe aut velle aut poſſe aſſenſum præbere reſponderet, interrogantibus quare, ſtatim quid ſuper his & quibuſdam aliis in Romano Concilio acceperit, manifeſtâ relatione innotuit, itaque ſubinferens ait: *Si Dominus Rex iſta ſuſcipere, & ſuſcepta ſervare voluerit, bene inter nos & firma pax erit. Sin autem, non video remanere meum in Anglia utile fore vel honeſtum, præſertim cùm ſi Epiſcopatus aut Abbatias dederit, privari me penitus tam à ſui quàm & eorum qui ſuſceperint communione neceſſe ſit. Nec enim ea de cauſa Angliam redii, ut ſi ipſe Romano Pontifici obedire nolit, in ea reſideam. Unde quid velit precor edicat, ut ſciam quo me vertam.* His Rex auditis graviter contuibatus eſt. Grave quippe ſibi viſum eſt inveſtituras Eccleſiarum & hominia Prælatorum perdere; Grave nihilominùs Anſelmum à regno, ipſo nondum in regno plenè confirmato pati diſcedere. In uno ſiquidem videbatur ſibi quaſi dimidium regni perderet, in illo verebatur ne fratrem ſuum Robertum qui tunc de Jeruſalem Normanniam redierat, Anſelmus adiret, & eum in Apoſtolicæ Sedis ſubjectionem deductum, quod facillimum factu ſciebat, Regem Angliæ faceret. De verbis igitur altrinſecus motis induciæ uſque Paſcha petitæ ſunt, quatenus utrinque Romam mitterentur, qui Decretaʼ Apoſtolica in ptiſtinum regni uſum mutarent, & interim Eccleſiis Angliæ in quo erant ſtatu manentibus, Anſelmus redditis terris quas Rex mortuus Eccleſiæ Cantuarienſi abſtu-

Digitized by Google

HENRICUS I. Rex. lerat, ſuis omnibus reveſtiretur, ſicque fieret ut ſi à ſententia flecti Papa nequiret, totius negotii ſumma in eum quo tunc erant ſtatum rediret. Hæc Anſelmus quamvis frivola eſſe & in nihil utile tendere ſciret atque prædiceret, tamen ne novo Regi ſeu Principibus ullam contra ſe ſuſpicionem de regni tranſlatione aut aliunde incuteret, precibus illorum paſſus eſt vinci, & quod volebant annuit, dimiſsàque Curiâ in pace ad ſua ſeceſſit.

Hinc paucis diebus interpoſitis, Mathildis filia Malcholmi nobiliſſimi Regis Scotorum, & Margaretæ quæ ſcitur exorta de ſemine Regum Anglorum nuptit præfato Henrico Regi Anglorum. Ipſa quippe Margareta filia fuit Edwardi filii Regis Edmundi qui fuit filius Regis Ethelredi filii gloriſiſſimi Regis Eadgari, cujus mox in capite hujus operis mentio facta eſt. Negotium itaque ipſius copulæ, licet propoſiti operis intentionem, ut quibuſdam fortè videtur, haudquaquam reſpiciat; tamen quia per Anſelmum adminiſtratum eſt (nam & eos in conjugium benedixit, & illam pariter in Reginam conſecravit) brevi autumo deſcribendum qualiter actum ſit. Hoc autem ea re nobis maximè in voluntatem cecidit, quoniam Anſelmum in hoc à rectitudine devialſe nonnulla pars hominum, ut ipſi audivimus, blaſphemavit. Siquidem eadem Mathildis, inter ſanctimoniales in Monaſterio ab infantia nutrita & adulta, credebatur à multis in ſervitium Dei à parentibus oblata, eo quòd publicè viſa fuerat earum inter quas vivebat more velata. Quæ res, dum illa jam olim dimiſſo velo à Rege amaretur, * plurimum ora laxaret, & eos à cupitis amplexibus retardaret; ipſa Anſelmum, cujus in hoc nutum omnes expectabant, adiit, conſilium de negotio, & auxilium ſummiſſa prece quæſivit. Cui ille famam quæ ferebatur injiciens, affirmabat nulla ſe unquam ratione in hoc declinandum, ut ſuam Deo ſponſam tollat, & eam terreno homini in matrimonium jungat. Refert illa, & penitùs ſe negat oblatam; negat etiam ſe vel ſemel aliquando ſua voluntate fuiſſe velatam; & hæc ſi credere aliter nolit, offert ſe judicio totius Anglorum Eccleſiæ probaturam. *Attamen*, inquit, *me velum portaſſe non abnego. Nam cùm adoleſcentula eſſem, & ſub amica mea Chriſtiana, quam tu bene noſti, virga paverem; illa ſervandi corporis mei cauſa contra furentem & cujuſque pudori ea tempeſtate inſidiantem Normannorum libidinem, nigrum panniculum capiti meo ſuperponere, & me illum abjicientem acriùs verberibus & nimium obſcœnis verborum conviciis ſæpe cruciare ſimul & dehoneſtare ſolebat. Quem pannum in ipſius quidem præſentia gemens ac tremebunda ferebam; ſed mox ut me conſpectui ejus ſubtrahere poteram, arreptum in humum jacere, pedibus proterere, & ita quo in odio fervebam, quamvis inſipienter, conſueveram deſævire. Iſto, non alio modo, teſte conſcientia mea, velata fui. Ac ſi me oblatam quiſque dicet; & hoc quale ſit ex eo colligi poteſt, quod, ſicut plurimi qui adhuc ſuperſunt noverunt, Pater meus cùm me, quemadmodum dixi, velatam fortè vidiſſet, furore ſuccenſus, injectâ manu velum arripuit; & diſſipans illud, odium Dei imprecatus eſt ei qui mihi illud impoſuit, conteſtans ſe Comiti Alano me potiùs in uxorem, quàm in conturbernium ſanctimonialium prædeſtinaſſe. Hæc eſt unde calumnior ratio mea, quam quæſo perpendas prudentia tua, & agat pro me ſicut novit agendum Paternitas tua.* Quid plura? Differt Anſelmus ſententiam ferre, & cauſam judicio religioſarum perſonarum regni determinandam pronuntiat. Statuto itaque die coeunt ad nutum illius Epiſcopi, Abbates, Nobiles quique, ac religioſi Ordinis viri in villa ſancti Andreæ de Rovecestra, quæ Lambeta vocatur, quo & ipſum præſentis negotii tunc tenor adduxerat. Cauſa igitur juxta præſcriptam ſeriem in medium deducta eſt. Prodeunt hinc inde idonei teſtes, verba puellæ puræ veritati ſubnixa proteſtantes. Accedunt iſtis Archidiaconi duo, Willielmus videlicet Cantuarienſis, & Humbaldus Serberienſis, quos Pater Anſelmus Wiltuniam, ubi illa fuerat educata, pro hujus rei certitudine rimandâ direxerat, qui publica voce teſtati ſunt ſe & rem à ſororibus diligentiſſimè perquiſiſſe, & nihil quod relatæ rationi obſiſteret, ab eis capere potuiſſe. Monet ergo Anſelmus & per Chriſtianam obedientiam omnibus imperat, ut nullum à veritate favor aut timor deflectat, ſed ſicut reverà cauſæ Dei, quo juſtè determinetur, unuſquiſque pro viribus opem ferat; ne quod abſit, aiens, talis judicii ſententia prodeat, cujus exemplo in ſuperventuris temporibus, vel ſua quilibet libertate non jure privetur, vel Deus his, quæ ſui juris eſſe debent, injuria defraudetur. Acclamant omnes ita faciendum, & ſe non aliter facturos ſpondent. Remoto itaque à Conventu ſolo Patre, Eccleſia Angliæ quæ convenerat in unum de proferenda ſententia tractat. Deinde illo in medium reverenter adducto, expoſitum eſt quid de negotio communis omnium conſenſus inveneri. Ratum aiunt perſpectâ re ſibi videri, & ad hoc comprobandum paratos ſe aſſerunt nulla ſententia poſſe puellam pro cauſa ſua jure conſtringi, quin libertate corporis ſui quocunque modo legaliter velit, valeat uti. Quod licet, inquiunt, levi argumento probare poſſemus; eo tamen, cum opus non ſit, ſuperſedemus, noſtris argumentis firmiorum tenentes parem judicii hujus ſententiam à venerandæ memoriæ Prædeceſſore veſtro & Patre & Magiſtro noſtro Lanfranco ſimili de cauſa promulgatam. Nam quando ille magnus Willielmus hanc terram primò devicit, multi ſuorum ſibi pro tanta victoria applaudentes, omniaque ſuis voluntatibus atque luxuriis obedire ac ſubdi debere autumantes, non ſolùm in poſſeſſiones victorum, ſed & in ipſas Matronas & Virgines, ubi eis facultas aſpirabat, nefandâ libidine cœperunt inſanire. Quod nonnullæ prævidentes, & ſuo pudori metuentes Monaſteria Virginum petivere, acceptoque velo ſeſe inter ipſas à tanta infamia protexere. Quæ clades cùm poſtmodùm ſedata, & pro temporis qualitate pax rebus data fuiſſet; quæſitum ab eodem Patre Lanfranco eſt quid de his, quæ tali refugio ſuam pudicitiam ſervaverunt, ipſe ſentiret; eſſentne videlicet conſtringendæ in Monaſterio velum tenere quod acceperant, necne. At ipſe quæſtionem ipſam conſilio generalis Concilii taliter ſolvit, ut eis pro caſtitate quam ſe tam manifeſtæ rei oſtenſione amare teſtatæ fuerant, debitam magis reverentiam judicaret exhibendam, quam ullam ſervandæ religionis continentiam, niſi propriâ illam voluntate appeterent, violenter ingerendam. Et adjunxerunt: *His interfuimus, hæc approbari à ſapientibus viris audivimus, & hæc in præſenti negotio valere volumus, ac roborari poſtulamus. Licet enim ſciamus cauſam illarum iſtius eſſe leviorem; dum illa ſponte, iſta coacta pari de cauſa velum portaverit, tamen ne quis nos favore cujuſvis ducti exiſtimet, non ultra progredi in judicio volumus, hoc ſolo contenti, ut quod valuit in majori valeat in minori.* Tunc Anſelmus ad hæc: *Scitis quid monuerim, quid præceperim, quidque polliciti ſitis. Cùm igitur ſecundum quod vobis viſum eſt juſtius, in commune judicaveritis, ſicut aſſeritis, ego judicium veſtrum non abjicio, ſed eò ſecurius illud ſuſcipio quo tanti Patris auctoritate ſuffultum audio.* Illa dehinc in medium ducitur, geſta comi vultu audit & amplectitur, auditum ſibi præſtari paucis precatur. Loquens ergo obtulit ſe vel Sacramento vel aliâ, quam magis eligerent, Eccleſiaſticâ lege, probaturam ſolidæ veritati ſubnixam eſſe jam definitam

* al. etiam pl.

HENRICUS I. REX.

rationem ſuam. Quod non propterea facturam fatetur quaſi ſibi non creditum eſſe putet, ſed ut malevolis hominibus omnem deinceps blaſphemandi occaſionem amputet. Reſpondetur nihil horum opus eſſe, quoniam ſi malus homo de malo theſauro cordis ſui protulerit mala, dicto citiùs opprimetur ipsâ veritate jam tantarum perſonarum aſtipulatione probatâ, & roboratâ. Allocutione poſthæc & benedictione Anſelmi potita abiit, & pauculis diebus evolutis ſit, ut dixi, Regina & conjunx. Verùm cùm ipſa conjunctio juxta ritum Eccleſiæ fieri firmarique deberet, Pater ipſe totam regni Nobilitatem populumque minorem pro hoc ipſo circumfluentem necne pro ſuis Eccleſiæ Regem & illam circumvallentem, ſublimiùs cæteris ſtans in commune edocuit quo ordine cauſa Virginis quam fama vulgarat, per Epiſcopos, & Religioſas perſonas venti ata fuit & determinata. Quo facto, monendo, auctoritate Dei præcepit, quatenus ſi quis aliter de negotio illo ſentiret ac ſententia tulerat (unde ſcilicet ipſam copulam ſecundùm legem Chriſtianam fieri non debere poſſet oſtendi) nihil hæſitans ſalvâ pace omnium coram proferret. Ad quæ, cunctis una clamantibus rem juſtè definitam, nec in ea quid reſidere unde quis nili fortè malitia ductus jure aliquam poſſet movere calumniam, legitimè conjuncti ſunt, honore quo decuit Regem & Reginam. En ordinem geſtæ rei, teſte conſcientiæ meæ veritate, ſicut eam præſens audivi & vidi, in nullam partem declinando deſcripſi; verba puellæ ita dumtaxat in medio ponens, ut non aſſeram vera extiterint necne. Si ergo quis in iſtis Anſelmum contra æquum aliquid egiſſe dicere ultra voluerit, ipſe viderit. Nos verò qui cor ejus in hoc & in multis agnovimus, teſtimonium ei perhibemus quia ſicut ipſe fateri ſolebat, nec ſcire nec poſſe illo tempore habuit quomodo in hac re meliùs aut æquius faceret quàm fecit.

Eodem anno venit in Anglia Guido Archiepiſcopus Viennenſis functus, ut dicebat, Legatione totius Britanniæ ex præcepto & auctoritate Apoſtolicæ Sedis. Quod per Angliam auditum, in admirationem omnibus venit; inauditum ſcilicet in Britannia cuncti ſcientes, quemlibet hominum ſuper ſe vices Apoſtolicas gerere niſi ſolum Archiepiſcopum Cantuariæ. Quapropter ſicut venit, ita reverſus eſt à nemine pro Legato ſuſceptus, nec in aliquo Legati officio functus.

Exinde, cùm ad tempus induciarum Paſcha ventum eſſet, & qui Romam miſſi fuerant Nuncii nec dum rediiſſent, uſque ad adventum illorum induciæ dilatæ ſunt.

In ſubſequenti autem ſolemnitate Pentecoſtes adventus Comitis Roberti fratris Regis in Angliam prævià famâ totam Regalem Curiam commovit, & quorundam animos, ut poſtmodùm patuit, in diverſa permovit. Rex igitur Principes, & Principes Regem ſuſpectum habentes, ille ſcilicet iſtos ne à ſe inſtabili ut ſit fide diſſilirent, & iſti illum formidando ne undique pace potitus in ſe legibus efferatis deſæviret, actum ex conſulto eſt ut certitudo talis hinc inde fieret; quæ utrique quod verebatur excluderet. Sed ubi ad ſponſionem fidei Regis ventum eſt, tota Regni nobilitas cum populi numeroſitate Anſelmum inter ſe & Regem medium fecerunt, quatenus ei vice ſui manu in manum porrecta promitteret juſtis & ſanctis legibus ſe totum regnum, quoad viveret, in cunctis adminiſtraturum. Hoc facto ſibi quiſque quaſi de ſecuritate applaudebat. Poſtquam autem certitudo de adventu fratris ſui Regi innotuit, mox ille coacto exercitu totius terræ ipſi bello occurrendum impiger ſtatuit. Exercitus verò grandis erat atque robuſtus, & circa Regem fideliter cum ſuis in expeditione exenbabat Pater Anſelmus. At ubi Robertum ipſum cum ſociis transfretaſſe inſonuit, ſtatim majores Regni, quaſi ſuæ ſpontionis immemores, ad illum relicto Rege ſemet transferre parabant. Quod ſic eſſe Anſelmus certo relatu agnoſcens doluit, eoque magis ne quid adverſi Regi accideret intendere cæpit. Sed talis vir quid de talibus ageret ignorabat. Nullum enim de tali crimine publicè poterat calumniari. Dum nulli teſtes adeſſent, crimen ipſum non audebat reticendo nutrire ne perjuri effecti Regem ſeducerent. Rex ipſe non modò de Regni amiſſione, ſed & de vita ſua ſuſpectus nulli credere, in nullo, excepto Anſelmo, fidere valebat. Unde ſæpe ad illum venire: Principes, quos magis à ſe labi timebat, illi adducere; quatenus, audito verbo illius, & ipſe à formidine relevaretur, & illis metus, ſi à fide quam ſibi ſpoponderant, aliquatenus caderent, incuteretur. Ipſe igitur Anſelmo jura totius Chriſtianitatis in Anglia exercente ſe relicturum, atque decretis & juſſionibus Apoſtolicæ Sedis ſe perpetuò obediturum ſummopere promittebat. Quibus ita ſe habentibus Anſelmus adunatis Principibus cunctis, omnem circumfuſi exercitus multitudinem ſimul & eos ſilita omni calumnia, quam execrabiles Deo & omni bono homini forent qui fidem quam Principi ſuo debebant quoquomodo violarent * ſilica indiſſolubili verborum ratione edocuit, ut cuncti perſpecto ipſum via virtutis incedere, illicò ſpretâ vitâ non ſequius eligerent morte procumbere, quàm violata fide ſua Regem ſeducere. Quapropter in dubia licet aſſertione fateri quoniam ſi poſt gratiam Dei fidelitas & induſtria non interceſſiſſet Anſelmi, Henricus Rex ea tempeſtate perdidiſſet jus Anglici regni. Robertus igitur amiſsâ fiduciâ, quam in Principum traditione habebat, & non levem deputans excommunicationem Anſelmi, quam ſibi ut invaſori (niſi cæpto deliſteret) invehi certò ſciebat, paci adquievit; & in fraternum amorem reverſus eſt, exercituſque in ſua dimiſſus.

* Alundelo oriundus.

Itaque poſthac dum omnes intenti expectarent aliquid tanto beneficio dignum in Anſelmum à Rege proceſſurum, ecce ad Curiam Regis venire mandatur, reſponſurus de negotio quo de induciæ dilatæ fuerunt. Nuncii quippe jam Româ reverſi, litteras à Paſchale Papa qui Urbano ſucceſſerat, Regi deſtinatas attulerunt. Quæ quid in ſe continuerint, textus earum ſubter annexus declarabit.

Paſchalis Epiſcopus Servus Servorum Dei, dilecto filio Henrico Regi Anglorum: Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

LEgationis tuæ verba, fili Chariſſime, gratanter excepimus, ſed vellemus obedientiam promittentis. In quibus nimirum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ illa in tuo regno pollicebaris, quæ tempore tui patris habuerat, eos requirens honores quos Anteceſſorum noſtrorum tempore pater tuus habuerat: Quæ profecto omnia grata in ſuperficie viderentur; interius requiſita, & Legati tui vocibus expoſita, gravia & vehementiſſima paruerunt. Quærebas enim ut tibi Epiſcoporum Abbatumque per inveſtituram conſtituendorum jus & facultas à Romana indulgeretur Eccleſia, & quod per ſe ſolum fieri omnipotens Dominus perhibet, hoc Regiæ poteſtatis fieret. Ait enim Dominus: *Ego ſum oſtium; per me ſi quis introierit, ſalvabitur.* Cùm autem Eccleſiæ oſtium Reges eſſe arrogant, ſit profecto ut qui per eos Eccleſiam ingrediuntur, non paſtores ſed fures & latrones habeantur, eodem Domino dicente: *Qui non intrat*

Digitized by Google

HENRICUS I. Rex.

per oſtium in ovile ovium, ſed eſcendit aliunde, fur eſt & latro. Te quidem ſi à nobis magnum aliquid tua Dilectio poſtularet, quod cum Deo, cum juſtitia, cum noſtri Ordinis ſalute concedi poſſet, graviter utique concederemus. Hoc verò tam grave, tam indignum eſt, ut nulla ratione Catholica id admittat Eccleſia. Facilius ad extrema quælibet beatus Ambroſius cogi potuit, quàm Imperatori Eccleſiæ permittere poteſtatem. Reſpondit enim: Noli gravare te, Imperator, ut putes mea quæ divina ſunt, Imperiale aliquod jus habere. Nolite extollere: ſed ſi vis diutiùs imperare, eſto Dei ſubditus. Scriptum eſt: *Quæ Dei Deo, quæ Cæſaris Cæſari.* Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Eccleſiæ; publicorum tibi mœnium jus commiſſum eſt, non ſacrorum. Quid tibi cum adultera? Adultera eſt enim, quæ non eſt legitimo conjugio copulata. Audis, ô Rex, adulteram Eccleſiam nuncupari, quæ non legitimè nupſerit. Eccleſiæ ſiquidem ſponſus unuſquiſque æſtimatur Epiſcopus, juxta Scripturam illam qua ex fratris uxore frater non ſui nominis filios ſuſcitare præcipitur, & ſponſæ contemptor à futuro ſponſo diſcalceari mandatur. Vides igitur, ô Rex, quàm ignominioſum, quàm periculoſum ſit per filios ſuos matrem adulterio pollui. Si ergo Eccleſiæ filius es, quod utique omnis Catholicus Chriſtianus eſt, permitte matri tuæ legitimum ſortiri conjugium; ut non per hominem, ſed per Deum & hominem Chriſtum legitimo ſponſo copuletur Eccleſia. Per Deum enim Epiſcopos elegi, cùm Canonicè eliguntur, teſtatur Apoſtolus Paulus dicens: *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.* Et beatus Ambroſius: *Meritò*, inquit, *creditur quòd divino eſſet electus judicio, quem omnes poſtulaviſſent.* Et poſt pauca: *Ubi unius eorum poſtulatio congruit, dubitare non oportet ibi Dominum ſumſiſſe & voluntatis exiſtorem, & petitionis arbitrum fore, & ordinationis præſulem, & largitorem gratiæ.* Præterea Propheta David ad Eccleſiam loquens ait: *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii, conſtituet eos Principes ſuper omnem terram.* Eccleſia filios genuit: Eccleſia Principes ſtatuit. Poſſemus alia de Scripturis ſacris teſtimonia & exempla proponere, quibus conſtaret Eccleſiæ ſponſos ac paſtores Epiſcopos non ſæcularium poteſtatum nutu, ſed Chriſti diſpoſitione & Eccleſiæ indicio præponendos. Unde etiam Imperator Juſtinianus ſanxit in legibus ſic: *Debet enim prius diſceptari de vita Epiſcopi utrum bona ſit, an reprehenſibilis, & utrum bonis teſtimoniis muniatur, an non.* Et infrà: *Fiat*, inquit, *facultas unicuique ſi velit contradicere. Et ſiquidem ante conſecrationem fuerit contradictio facta, non prius conſecretur Epiſcopus, niſi diſceptatione de contradictione ſit facta, & undique appareat innoxius is qui ad Epiſcopatum vocatur.* Ecce quod populi totius eſſe pronunciat Imperator, hoc ſui ſolius eſſe Regia poteſtas inceſſit. Ipſius etiam Imperatoris lege cautum eſt ut nec profectio, nec ingreſſus ad Imperatorem, ſine Metropolitani literis, pateret Epiſcopo. Quem ergo in Curia tua ſine Metropolitani literis admittere non debes, cùm vis, ô Rex, in Eccleſia Principem conſtituere? Monſtruoſum profectò eſt, ut patrem filius generare, homo Deum creare debeat. Sacerdotes namque in Scripturis ſanctis Deos vocari tanquam Dei Vicarios manifeſtum eſt. Unde ſanctæ memoriæ Conſtantinus Imperator de Epiſcoporum cauſis diſceptare auſus non fuiſſe deſcribitur. Propter hoc ſancta Romana Eccleſia & Apoſtolica per Prædeceſſores noſtros Regiæ uſurpationi & inveſtituræ abominabili vivaciter obviare curavit, & graviſſimis perſecutionibus per Tyrannos affecta uſque ad tempora noſtra non deſtitit. Confidimus autem in Domino, quoniam nec in nobis confidentiæ tuæ virtutem Eccleſiæ Princeps Petrus & Epiſcoporum primus amittet. Porrò ſæcularium Poteſtatum & Regum in Eccleſia quod ſit officium, exponit Apoſtolus Paulus, dicens: *Dei enim Miniſter eſt tibi in bonum. Non enim ſine cauſa gladium portat, Dei enim Miniſter eſt vindex in iram ei qui malè agit.* Et Petrus Apoſtolus in eadem verba conſentiens, *ſive Regi*, ait, *quaſi præcellenti ſive Ducibus, tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* Inter iſta, Rex, nullius tibi perſuaſio profana ſurripiat, quaſi aut poteſtati tuæ aliquid diminuere, aut nos in Epiſcoporum promotione aliquid nobis velimus amplius vendicare. Immo ſi ab hoc propter Deum deſiſtas, quod contra Deum eſſe manifeſtum eſt, quod cum Deo nec tu exercere, nec nos concedere aut cum noſtra ſeu tua ſalute poſſumus, quicquid deinceps poſtulaveris, quod cum Deo poſſumus, libentiùs indulgebimus, & honori tuo & ſublimationi propenſiùs inſiſtemus. Nec exiſtimes quòd poteſtatis tuæ columen infirmetur, ſi ab hac profana uſurpatione deſiſtas. Immò tunc validiùs, tunc robuſtiùs, tunc honorabiliùs regnabis, cum in regno tuo divina regnabit auctoritas. Tunc amicitiam & familiaritatem noſtram firmiùs obtinebis, & regni tutores beatos Apoſtolos habere gaudebis. Nec tibi nunc in petitionibus tuis abeſſe poterimus, cui petitionem noſtrarum fautorem Dominum adeſſe ſenſerimus. Ipſe omnipotens Deus, in cujus manu corda ſunt Regum, aſſit hortatui noſtro, aſſit auditui tuo, ut dum juxta præcepta ejus tuas diſpoſueris actiones, ipſe regnum tuum pacis & honoris ſui ſtabilitate ac ſublimatione diſponat. Amen.

HENRICUS I. Rex.

Cùm igitur ad Curiam veniſſemus, Rex uſus conſilio fratris ſui, & amicorum illius qui acerbo contra Anſelmum pro regni amiſſione odio erant inflammati, exegit ab eo ut aut Homo ſuus fieret, & eos quibus Epiſcopatus vel Abbatias ſe daturum dicebat, pro more Anteceſſorum ſuorum conſecraret, aut terram ſuam ſine retractatione & feſtinanter exiret. Cui ille reſpondit: *Dixi quemadmodum Romano Concilio interfuerim, quique ibi à Sede beati Petri acceperim. Si ergo excommunicationi cujus in hoc regno Relator extiti memet alicujus rei cauſa ſubjicio; cui quæſo deinceps adhærere potero, meo judicio excommunicatus. Nunciis hæc ipſa mutare directi infecto negotio reverſi ſunt. Horum igitur quæ cum ſalute & honeſtate mea nequeo tranſgredi, me tranſgreſſorem fieri non videtur ſani Conſilii.* Refert: *Quid ad me? uſus anteceſſorum meorum nolo perdere, nec in regno meo, qui meus non ſit quemquam ſuſtinere.* Dixit: *Audio quò tendant iſta quæ dicuntur. Exercitatus in ejuſmodi ſum. Attamen interim non extra terram, ut ipſe jubet, ſed ad Eccleſiam meam ibo: & faciendo quæ me debere facere intelligam quisnam mihi vel meis aliquam velit violentiam inferre, conſiderabo.* Acta ſunt in hunc modum de his multa, ſed eorum omnium hæc extitit ſumma, Epiſcopis regnique proceribus, ut ſub alio Rege ſolebant, verba hinc inde ferentibus, & in ſingulis Regiæ voluntati parere certantibus, immò ne Romani Pontificis obedientiæ ſubderetur ſummopere inſiſtentibus. Reverſus eſt itaque Anſelmus ad ſua, Deo in cunctis placere ſtudens, & oppreſſionibus Eccleſiarum Angliæ gravi contritione cordis ingemiſcens.

Non multum temporis fluxerat, & ecce cùm Pater ſuarum ſecurus injuriarum Eccleſiæ damnis nonnihil metueret, literæ ſibi amicabiles à Rege tranſmiſſæ deferuntur, in quibus primo ſalutationis alloquio cum perfectæ pacis oblatione ſoluto, rogatur venire ad Regem geſti negotii ſententiam alio conſilio moderari volentem. Auditurus itaque ne fortè

Digitized by Google

HENRICUS I. Rex.

Deus suâ gratiâ cor ejus tetigerit; quo mandatur, Wintoniam vadit, ubi Episcopis terræque Principibus sub uno coactis, communi assensu apud Anselmum actum est, quatenus sub aliis induciis alii Nuncii prioribus excellentiores ex utraque parte Romam mitterentur, Romano Pontifici viva voce exposituri illum aut à sententia necessariò discessurum, aut Anselmo cum suis extra Angliam pulso, totius regni subjectionem & commodum, quod inde singulis annis habere solebat, perditurum. Ab Archiepiscopo igitur missi sunt Monachi duo, præfatus scilicet Baiduinus Beccensis, & Alexander Cantuariensis, non quidem ut eorum instinctu Romanus Pontifex rigorem justitiæ causâ Anselmi ullo modo exiret, sed partim ut Curialibus minis testimonium, cui Papa incunctanter crederet, ferrent; partim ut de negotio certam Apostolicæ Sedis sententiam Anselmo referrent. Ad ipsum verò negotium conficiendum directi à Rege sunt tres Episcopi, Girardus videlicet de Herefordensi nuper factus Archiepiscopus Ebo acensis, Herbertus Theodfordensis, Robertus Cestrensis. Sed horum Episcoporum duos sua quoque causa Romam agebat, Girardum scilicet adeptio Pallii, & Herbertum intentio recuperandi ablatam Ecclesiæ suæ curam Christianitatis super Abbatiam sancti Eadmundi. Ante paucos siquidem annos Baiduinus ipsius Cœnobii Abbas Romam adierat, & apud Alexandrum Papam privilegium ipsi Abbatiæ adquisierat, per quod eam à subjectione omnium Episcoporum, salvâ Primatis obedientia, liberam effecerat. Quod factum Lanfrancus Archi piscopus molestè accipiens, ipsum privilegium Abbati abstulit; nec illud ei nisi circa finem vitæ suæ multorum precibus motus reddere voluit. Præfatus ergo Episcopus Episcopatum Theodfordensem seu Norwicensem, in cujus parrochia eadem Abbatia esse scitur, suo jure non jure privatum esse ægrè ferens, ut diximus, Romam ire, & si fortè posset in antiquam dignitatem Ecclesiam, cui præsidebat, restituere, adminiculante æquitate, cogitabat. Hic itaque Herbertus cùm relictis sociis Burgundiam cum suis veniret, & partes Lugdunensis provinciæ impigere tigisset, comprehensus à quodam Guidone viro præpotente ac fero est, & quòd de Anglia Episcopus esset, quòdque pro damno Domini sui Anselmi Cantuariorum Archiepiscopi Romam iret, ab eodem calumniatus. Negat ille, nec ei creditur. Instat negando & dejerando, sed nequicquam. Tandem prolatis Sanctorum reliquiis, super eas jurare cogitur & asseverare se nullâ omnino ratione Romæ scienter quid acturum quod aut honori aut voluntati Patris Anselmi videri posset obnoxium. Post quæ, ut pace ac securitate viri comitatus viæ reddi mereretur, fermè quadraginta, sicut fertur, marcas argenti non grata ei largitate reliquit, quas suo negotio super Ecclesiam sancti Edmundi Romæ adminiculaturas, Angliam egrediens, magè putavit.

Emensâ dehinc longitudine viæ, Nuncii Romam unà veniunt; sui adventus causam, pro eo quem præferebat tenore, Apostolicis auribus suggerunt; tanti mali dirimendi consilium proni deposcunt. Audit ille quæ feruntur, & non invenit verba quibus exprimat quantum inde miretur. Cùm tamen ab Episcopis magnopere precaretur suis rebus præcavere, ac definitæ Prædecessoris sui sententiæ rigorem, ut undique pax esset temperare, asseruit se nec pro capitis sui redemptione hoc facturum, *Decreta*, dicens indignando, *& Institutiones, sanctorum Patrum mirâ affectu unius hominis, dissiparem?* Finierat in istis. Super hæc scriptas Epistolas Regi & Anselmo cuique suam destinavit. Regi inter alia Ecclesiarum Investituras judicio sancti Spiritus interdicens, Anselmum ut quæ agebat ageret, & quæ loquebatur, affectuosè deprecans, firmatâ & Apostolicæ Sedis auctoritate roboratâ in omnibus sui Primatus dignitate. Quæ ut melius pateant, Epistolas ipsas legentium oculis ecce præfigimus.

HENRICUS I. Rex.

Paschalis Episcopus servus servorum Dei, charissimo filio Henrico Regi Anglorum: salutem, & Apostolicam benedictionem.

REgi Regum Domino gratias agimus qui te in regnum beneplacito suæ voluntatis evexit, & tanquam Christianum Regem in beneplacito suæ voluntatis ineffabili misericordia custodivit. Rogamus ergo ut bona regni tui exordia in melius augeat, & usque in finem sua in te dona custodiat. Deseruisti enim fratris tui Regis impietatem, quam Divino conspicis judicio terribiliter vindicatam, Ecclesias libertati restituisti, Clerum honorare cœpisti, & Cleri Principes Episcopos, immo in his Christum Dominum venerari. Confidimus itaque quoniam usque in finem eadem sapies, & in eadem probitate persistes, nisi sunt aliqui perversæ mentis homines qui cor Regum per Episcoporum & Abbatum Investituras, Divinæ indignationi aptare conantur. Quorum in hac parte consilia tanquam virus tibi sunt evitanda ne illum offendas per quem Reges regnant, & potentes justa decernunt. Quem profectò si propitium habueris, fœliciter regnabis, potestatemque integram & divitias obtinebis. Quem si, quod absit, offendis, non Procerum consilia, non Militum subsidia, non arma, non divitiæ, ubi subvertere cœperit, poterunt subvenire. Porro in honore Domini, in Ecclesiæ libertate nos familiares, nos adjutores habebis. Nec opineris quia quisquam nos à tua divellet amicitia, si ab Investituris abstinere, si honorem debitum & libertatem à Domino institutam Ecclesiæ conservaveris. Ecclesiarum siquidem Investituras nos sancti Spiritus judicio Regibus & Principibus immo Laicis omnibus interdicimus. Nec enim decet ut à filio mater in servitutem addicatur, ut sponsum quem non optavit, accipiat. Habet sponsum suum Regem ac Dominum nostrum, qui te misericordia sua in potentia & probitate custodiat, & à terreno ad cœleste perducat. Amen.

Paschalis Episcopus servus servorum Dei, venerabili Fratri, & Coepiscopo Anselmo salutem, & Apostolicam benedictionem.

NOn ignoras Divinæ voluntatis esse consilium quod religio tua in Anglici regni regione præsideat. Cùm enim perversi Regis odia declinans secessum elegisses, & procul ab Anglicis tumultibus tecum habitans Deo viveres, de perverso Rege tua omnipotens Dominus judicia terribiliter perpetravit. Te autem totius populi postulatione vehementi, & nova Regis devotione mirabili ad Cathedram, quam dimiseras pro Deo, revocavit. Deo autem gratias quia in te semper Episcopalis auctoritas perseverat, & inter barbaros positus non Tyrannorum violentiâ, non potentum gratiâ, non incensione ignis, non effusione manus à veritatis annunciatione defluis. Rogamus itaque ut quod agis agas; quod loqueris perloquaris. Non enim deficiet sermonum nostrorum operumque principium, qui in principio erat Verbum. Neque nos in ipso deficiemus, qui est Dei virtus, & Dei sapientia. Eundem enim cum Patribus nostris spiritum habentes credimus, propter quod & loquimur. Et verbum quidem Dei non est alligatum.

Digitized by Google

HENRICUS 1. Rex. Nos autem humiliamur nimis. Cæterum in hac humiliatione, cum Deo mente excedimus, in ejus veritate hominum mendacia intuemur. Qua de re in Synodo nuper ad Lateranense consistorium celebrata Patrum nostrorum decreta renovavimus, sancientes & interdicentes ne quisquam omnino Clericus de manu Laici Ecclesias vel Ecclesiastica bona suscipiat. Hæc est enim Simoniacæ pravitatis radix, dum ad percipiendos honores Ecclesiæ sæcularibus personis insipientes homines placere desiderant. Idcirco Sanctorum Conciliorum veneranda majestas sæcularium Principum potestatem ab Ecclesiasticis electionibus decrevit arcendam: ut sicut per solum Christum prima in Baptismo Ecclesiæ janua; ultima in morte vitæ aperitur æternæ; ita per solum Christum ovilis Christi ostiarius statuatur, per quem Christi ovibus non B pro mercedibus ovium, sed pro Christi ingressus & egressus ad vitam perducatur æternam. Hæc, Frater Charissime, prolixiori possent oratione & ratione tractari, sed sapientiæ tuæ pauca suggessisse satis est, quæ & orationibus Divinis abundat, & Ecclesiasticis est orationibus assueta. Hæc ita doceas, sicut scis tuo Primatui expedire, Quem profecto ita Fraternitati tuæ pleniter & integrum confirmamus, sicut à tuis constat Prædecessoribus fuisse possessum. Hoc personaliter adjicientes, ut quamdiu Regno illi religionem tuam Divina misericordia conservaverit, nullius unquam Legati, sed nostro tantùm subesse debeas judicio.

Scripsit quoque per idem tempus Epistolam unam Episcopo & Clericis Ecclesiæ Excecestrensis, quam huic opusculo indere non omnino alienum putamus: C quandoquidem illam futuris temporibus alicujus negotio fortè profuturam speremus. Est autem hæc.

Paschalis Episcopus, servus servorum Dei, Venerabili Fratri Osberno Episcopo, & Clericis Excecestrensis Ecclesiæ: Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

ET Patrum sanxit auctoritas, & Ecclesiæ consuetudinis stabilitas exigit, ut sicut in claustris suis viventes religiosi Monachi conversantur, ita & defunctorum corpora infra Monasteriorum suorum ambitum requiescant, ut illud ex divino munere cum cordis valeant exultatione cantare: *Hec requies* D *mea in sæculum sæculi, hic habitabo quoniam elegi eam.* Vos autem ut audivimus Monachos Sancti Martini de Bello in vestra civitate conversantes sepeliri infra Monasterii sui ambitum prohibetis: & grave est, ut in eo loco quilquam cum devotionis gratiâ conversetur, unde cadaver suum prævidet omnimodis propellendum. Qua de re Dilectioni vestræ præsentia scripta mandamus, præcipientes & prohibentes ne ulterius supradictis Monachis Cœmeterium ad sepeliendos suos interdicatis, sed sicut vobis per Antecessoris nostri bonæ memoriæ Domini Urbani literas præceptum est concedatis. Tua autem, Frater Episcope Osberne, interest eisdem Fratribus cœmiterium benedicere, & eorum Religionem ad Omnipo- E tentis Dei servitium confovere. Si quis autem huic institutioni contraire temptaverit, Venerabili Fratri & Coepiscopo Anselmo injunximus, ut in eam tanquam Sedis Apostolicæ contemptorem Apostolici rigoris ultionem exerceat.

Reversis Episcopis, & aliis qui Romam, ut diximus, directi fuerant, Rex adunatis Londoniæ Principibus Regni, Anselmum per internuncios ex more convenit, quatenus sibi aut Consuetudines paternas ultra non negaret, aut regni sui cultor esse desineret. Respondit: *Inspiciantur si placet litera que allate* A *sunt, & salva honestate mea, salva Sedis Apostolice obedientia, quantum potero voluntati ejus morem gerere præemptabo. Si vult*, ait, *sua videantur: mea sciat hac vice non videbuntur.* Refert, *Cùm igitur*, inquiens, *alia vice sibi eas ostendere placuerit, tunc & mea ad ea, qua modò haberet, promptum habebit.* Respondit: *Nequaquam de litteris ago vel agam, sed ut mea voluntati omni ambage dimissa in cunctis concurrere velit, edicat ut audiam.* Quod auditum multis magnæ admirationi fuit, dicentibus inter se, quasi literæ voto ipsius concordarent, eas etiam, nolente Anselmo, ultroneus publicaret. Non ergo nobis eo tempore innotuerunt. Attamen quo tum sollicitiùs sunt celatæ, eo latiùs post aliquot dies sunt divulgatæ. Verum lectis atque relectis coram omnibus auditum præbere volentibus literis Anselmo directis, subjunxerunt Episcopi qui Româ venerant se alia Romæ ab Apostolico verbis accepisse, quàm literæ ipsæ vel etiam illæ quas Regi detulerant, continerent in se. Requisitique contestati sunt in Episcopali veritate Papam ipsum Regi verbis puris mandâsse per se, quoniam quandiù in aliis vitam boni Principis ageret, de Ecclesiarum Investituris æquanimiter illum toleraret, nec eum ullo excommunicationis vinculo necteret, si religiosas personas per dationem virgæ Pastoralis eis investiret. Cur autem hanc tanti doni dignitatem ei per cartæ inscriptionem noluerit delegare, eam ferebant causam esse, videlicet, ne in aliorum notitiam Principum prolata, ipsi eam sibi usurparent, Romani Pontificis auctoritate contemptâ. Ad hæc cùm hi qui ex parte Anselmi mihi fuerant, vivâ voce testarentur Papam nihil cuilibet verbis mandâsse quod literis aliquatenus adversaretur; objecerunt Episcopi se clàm illis alia egisse, palàm alia. Quod Balduinus audiens & infamem Apostolicæ Sedis inconstantiam quæ notabatur sustinere non valens, eos, sicut erat spiritu fervens & boni amans, nonnihil etiam in istiusmodi dictis contra Fidem & Sacramenta quæ se coram Romæ fecerant Apostolico, agere calumniatus est. Orta igitur dissensio non modica inter Proceres est. Hi enim astruere nitebantur, semoto verborum incerto, scriptis sigillo Papæ signatis, verbisque Monachicis omnino credendum. Illi è contra trium potius Episcoporum assertionibus, quàm vervecum pellibus atramento denigratis, plumbique massula oneratis fore * cedendum, objecto Monachellorum testimonio, qui ubi sæculo se abrenunciare professi sunt, omne, inquiunt, sæcularis negotii testimonium perdiderunt. *Ast hoc*, ait Balduinus, *negotium seculare non est.* Aiunt: *Et quidem te virum prudentem, & strenuum scimus, sed ipse ordo expostulat ut Archiepiscopum unum Pontificesque duos majoris testimonii quàm te esse judicemus. Et de literarum*, inquit, *testimonio quid?* Responderunt: *Testimonium Monachorum contra Episcopos non recipimus, & ovina pellis reciperemus? Va, va*, aiunt ad ista quilibet Religiosi, *nonne & Evangelia pellibus ovinis inscribuntur?* O hinc simultatis detecta confusio! Quid in his Anselmus ageret, quo se verteret, aliquamdiu dubitavit. Grave quippe judicavit quomodocunque ostendere fidem se literis Apostolicis non habere, & fomitem gravis scandali vidit esse, verba tantarum personarum in Episcopali veritate illa vera esse contestantium, adversa fronte refellere. Textus autem literarum hic est.

HENRICUS 1. Rex.

* al. credendum.

Paschalis Episcopus servus servorum Dei, Venerabili Fratri Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo: salutem, & Apostolicam benedictionem.

Digitized by Google

HENRICUS I. Rex.

ADversus illam venenosam simoniacæ pravitatis radicem, Ecclesiarum, videlicet, Investituram quàm validè, quàm robustè, quàm severè Patres nostri præteritis temporibus obviaverint, sapientiæ tuæ satis est manifestum. Reverendæ in Christo memoriæ prædecessoris nostri Domini Urbani tempore apud Barum collecto venerabili Episcoporum & Abbatum ex diversis partibus Concilio, in quo tua Religio & nos ipsi interfuimus, sicut qui nobiscum aderant reminiscuntur, in eandem pestem excommunicationis est prolata sententia. Et nos eundem cum Patribus nostris spiritum habentes idem sapimus & eadem testamur. De Sacerdotum & Levitarum filiis dudum nos tibi scripsisse reminiscaris. Porrò si promoti fuerint inventi, & spe promotionis ademptâ in eo quo reperti sunt ordine manere voluerint, quia illa eis macula non ex proprii culpa reatus inhæsit, non videtur, si aliàs digni fuerint, in eos depositionis sententiam dari; ut se iterum negotiis implicent secularibus, cùm in eis Ordinationis tempore propriæ voluntatis arbitrium non remanserit. Gualentis Episcopi causam sacris omnino canonibus obviare non nescis. Cæterùm quia inter barbaros barbaricè & stolidè promotus est, in tuæ fraternitatis arbitrio ponimus. Sic tamen ut de cætero in ea Regione hujusmodi non præsumatur animadversio. Quod super ejusdem Episcopi negotio, & aliis rebus per fideles Nuncios dirigimus, tanquam ex nostro ore audias. Munera, quæ beato Petro misisti, recipimus cum gratiarum actione; unde ab illo qui omnium bonorum est retributor mercedem recipias. Datæ Beneventi II. Id. Decembris.

Rex itaque ex his, quæ Episcopi dicebant, in sua sententia animolior factus constanter insistere cæpit, faventibus simul & incitantibus eum Episcopis regnique Proceribus quatenus sine retractatione sibi Anselmus Hominium faceret, & eos quibus se daturum protinus Episcopatus dicebat, consecraturum sponderet, servatâ in omnibus Antecessorum consuetudine. Tunc ille, *Si suorum*, dixit, *verba Episcoporum litera concordarent, intellecta ratione forsan quod exigis facerem. Nunc autem ne in ullo decipiar, electius videtur Romanum super his Pontificem consulere, quàm in re tam ambigua sententiam præcipitare.* Ad quæ, qui Roma venerant Episcopi, respondere: *Quæ diximus dicimus, quæ testati sumus, confirmamus, inque his omnibus Apostolicæ Sedis testimonium, si nobis non credis, appellamus. Super hac quoque tibi ex parte Domini Papæ, qui hoc jussit, denunciamus quatenus consilio nostro te nihil hæsitans credas quia, dum voles, nos paratos habebis reipsa probare his quæ dicimus nihil duplicitatis inesse.* At ille: *Adversus ea quæ asseritis lites conserere nolo. Verum quia sentio ex illis, quæ auditu secretius didici, voluntatem Procerum in hoc unam factam esse, scilicet, ut si Rex investituras Ecclesiarum, sicut se facturum minatur, dederit, licet id me nec approbante nec consentiente faciet, ego causa vestri nec danti nec accipienti meam quasi excommunicatis communionem subtrahan, donec nunciis quos pro negotii hujus discussione Romam destinabo reversis pro certo sciam quid agam, solus ab eis discrepare nolo. Hoc interim observato penes me, ut nullo penitus ratione quemquam in officium sic suscepti honoris consecrem, aut cuivis alii consecrare præcipiam vel concedam.* Soluta in istis controversia est, & utrinque res sopita. Tunc Rex tanquam cupitæ potestati donatus, exultans & hilaris per dationem virgæ Pastoralis illico duos de Clericis suis duobus Episcopatibus investivit, Rogerium videlicet Cancellarium Episcopatu Serberiensi, & alium Rogerium, Larderarium suum, Pontificatu Herefordensi.

Per idem tempus celebratum est generale Concilium Episcoporum & Abbatum totius regni in Ecclesia beati Petri Apostolorum Principis, quæ in occidentali parte Lundoniæ sita est. Cui Concilio præsedit Anselmus Archiepiscopus Dorobernensis, considentibus secum Archiepiscopo Eboracensi, Gerardo, Mauritio Episcopo Lundoniensi, Willielmo electo Episcopo Wintoniensi, Roberto Episcopo Lincolniensi, Samsone Wigornensi, Roberto Cestrensi, Joanne Barthoniensi, Herberto Norwicensi, Radulpho Cicestrensi, Gondulpho Roffensi, Herveo Pangorensi, & duobus noviter institutis, Rogerio scilicet Serberiensi, & Rogerio Herefordensi. Osbernus autem Exoniensis, infirmitate detentus, interesse non potuit. In hoc Concilio multa Ecclesiasticæ disciplinæ necessaria servari. Anselmus instituit, quæ postmodum Sedis Apostolicæ Pontifex sua auctoritate confirmavit. Cujus Concilii seriem, sicut ab eodem Patre Anselmo descripta est, huic operi inserere non incongruum existimavimus. Scribit itaque sic.

HENRICUS I. Rex.

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo secundo, quarto autem Præsulatus Paschalis summi Pontificis, tertio regni Henrici glorioси Regis Anglorum, ipso annuente, celebratum est Concilium in Ecclesia beati Petri in occidentali parte juxta Lundoniam sita, communi consensu Episcoporum & Abbatum & Principum totius Regni. In quo præsedit Anselmus Archiepiscopus Dorobernensis & Primas totius Britanniæ, considentibus venerabilibus viris Gerardo Eboracensi Archiepiscopo, Mauritio Lundoniensi Episcopo, Willielmo Wintoniæ electo Episcopo, aliisque tam Episcopis quàm Abbatibus. Huic conventui affuerunt, Anselmo Archiepiscopo petente à Rege, Primates regni, quatenus quicquid ejusdem Concilii auctoritate decerneretur, utriusque Ordinis concordi cura & sollicitudine tutum servaretur. Sic enim necesse erat, quùm multis retro annis, Synodali cultura cessante, vitiorum vepribus succrescentibus, Christianæ Religionis fervor in Anglia nimis refriguerat.

Primum itaque ex auctoritate sanctorum Patrum Simoniacæ hæresis surreptio in eodem Concilio damnata est. In qua culpa inventi, depositi sunt Guido Abbas de Persore, & Wimundus de Vavestoch, & Ealdwinus de Rameseia, & alii nondum sacrati, remoti ab Abbatiis, scilicet Godricus de Burgo, Haimo de Cernel, Egelricus de Mideltune; absque simonia verò remoti sunt ab Abbatiis pro sua quique causa, Ricardus de Heli, & Robertus de sancto Edmundo, & qui erat apud Micelenei.

Statutum quoque est, ne Episcopi sæcularium placitorum officium suscipiant, & ut non sicut laici, sed ut religiosas personas decet, ordinatas leges habeant, & ut semper & ubique honestas personas testes habeant suæ conversationis.

Ut etiam Archidiaconatus non dentur ad firmam.

Ut Archidiaconi sint Diaconi.

Ut nullus Archidiaconus, Presbyter, Diaconus, Canonicus uxorem ducat, vel ductam retineat. Subdiaconus vero quilibet, qui Canonicus non est, si post professionem castitatis uxorem duxerit, eâdem regulâ constringatur.

Ut Presbyter, quandiu illicitam conversationem mulieris habuerit, non sit legalis, nec Missam celebret, nec si celebraverit, ejus Missa audiatur.

Ut nullus ad Subdiaconatum aut supra ordinetur sine professione castitatis.

Ut filii Presbyterorum non sint hæredes Ecclesiarum Patrum suorum.

Ne quilibet Clerici sint sæcularium præpositi, vel Procuratores, aut Judices sanguinis.

Ut Presbyteri non eant ad potationes, nec ad pincnas bibant.

Digitized by Google

HENRICUS I. Rex.

Ut veſtes Clericorum ſint unius coloris, & calceamenta ordinata.

Ut Monachi & Clerici qui ordinem ſuum abjecerunt, aut redeant, aut excommunicentur.

Ut Clerici patentes Coronas habeant.

Ut Decimæ nonniſi Eccleſiis dentur.

Ne Eccleſiæ aut Præbendæ emantur.

Ne novæ Capellæ fiant ſine conſenſu Epiſcopi.

Ne Eccleſia ſacretur donec provideantur neceſſaria & Preſbytero & Eccleſiæ.

Ne Abbates faciant Milites, & ut in eadem domo cum Monachis ſuis manducent & dormiant, niſi neceſſitate aliqua prohibente.

Ne Monachi pœnitentiam cuivis injungant ſine permiſſu Abbatis ſui, & quòd Abbates eis licentiam de hoc dare non poſſunt, niſi de iis quorum animarum curam gerunt.

Ne Monachi Compatres, vel Monachæ Commatres fiant.

Ne Monachi teneant villas ad firmam.

Ne Monachi Eccleſias niſi per Epiſcopos accipiant, neque ſibi datas expolient ſuis redditibus, ut Preſbyteri ibi ſervientes in iis quæ ſibi & Eccleſiis neceſſaria ſunt penuriam patiantur.

Ut fides inter virum & mulierem occultè & ſine teſtibus de conjugio data, ſi ab alterutro negata fuerit, irrita habeatur.

Ut criniti ſic tondeantur, ut pars aurium appareat, & oculi non tegantur.

Ne cognati uſque ad ſeptimam generationem ad conjugium non copulentur, vel copulati ſimul permaneant, & ſi quis hujus inceſtus conſcius fuerit, & non oſtenderit, ejuſdem criminis ſe participem eſſe cognoſcat.

Ne corpora defunctorum extra parochiam ſuam ſepelienda portentur.

Ut Preſbyter parochiæ perdat quòd inde illi juſtè debetur.

Ne quis temeraria novitate corporibus mortuorum, aut fontibus, aut aliis rebus, quod contigiſſe cognovimus, ſine Epiſcopali auctoritate reverentiam ſanctitatis exhibeat.

Ne quis illud nefarium negotium quo hactenus homines in Anglia ſolebant velut bruta animalia venundari, deinceps ullatenus facere præſumat.

Sodomiticum flagitium facientes, & eos in hoc voluntariè juvantes, in hoc eodem concilio gravi anathemate damnati ſunt, donec pœnitentiâ & confeſſione abſolutionem mereantur. Qui verò hoc crimine publicatus fuerit, ſtatutum eſt ſiquidem fuerit perſona religioſi Ordinis, ut ad nullum amplius gradum promoveatur, & ſi quem habet ab illo deponatur. Si autem Laïcus, ut in toto regno Angliæ, legali ſuæ conditionis dignitate privetur. Et ne hujus criminis abſolutionem iis qui ſe ſub regula vivere non noverunt, aliquis niſi Epiſcopus facere præſumat.

Statutum quoque eſt ut per totam Angliam in omnibus Dominicis diebus excommunicatio præfata renovetur.

Et hoc quidem Lundonienſis Concilii textus eſt, qui poſt non multos inſtitutionis ſuæ dies multos ſui tranſgreſſores in omni hominum genere fecit. Sanè quod ultimum de renovanda excommunicatione Dominicis diebus ſtatutum fuit, ipſemet Anſelmus rationabili diſpenſatione uſus poſtponi conceſſit. Finito Concilio Anſelmus Lundoniâ diſceſſit.

Præfatus ergo Rogerius, qui, ut diximus, in Epiſcopatum Herefordenſem aſſumptus erat, veſtigiò in ipſa Civitate Lundoniæ gravi infirmitate percuſſus ad extrema deductus eſt. Qui cùm ſe proximum morti ſentiret, miſſo Nuncio cum Epiſtola rogavit Anſelmum quatenus præciperet duobus Epiſcopis ſuis Lundonienſi, videlicet, atque Roffenſi, ut eum antequam moreretur ſub celeritate Epiſcopum conſecrarent. Quod ipſe audiens inſipientiam hominis admiratus paululum ſubriſit, nihilque reſpondens ad poſtulata Nuncium à ſe ſicut venit, vacuum emiſit. Et ille quidem mox Lundoniæ mortuus eſt, & Cancellarius Reginæ Reinelmus nomine, loco illius, pari Inveſtiturâ, ſubrogatus.

HENRICUS I. Rex.

Mittens ergo Rex rogavit Anſelmum, quatenus pro ſuo jure hos noviter electos cum Willielmo jamdudum Wentanæ Civitatis Epiſcopo electo conſecraret. Reſpondit: *Equidem Willielmum libens conſecrabo, ſed quod de nuper inveſtitis inter Me & illum convenit, non mutabo.* At ille, nonnihil ab animi tranquillitate mutatus, unum ſine aliis illum, ſe vivente, non ſacraturum, interpoſito ſacramento, aſſeruit. Erat quippe idem Willielmus in Epiſcopatum Wentanæ, ut prælibavimus, Civitatis, Anſelmo necdum ab exilio revocato, electus; ſed ipſe nec electioni conſentire, nec Baculum ſibi à Rege porrectum ſuſcipere, nec rebus vel cauſis Epiſcopalibus ullo volebat pacto intendere. Revocato autem Anſelmo, Clerus & Populus ei inſiſtere, ac ut electum ſuum ſibi præficeret, magno cœperunt opere poſtulare. Differt ipſe, nec ſubitum præbet aſſenſum. Tandem tamen & eorum aſſiduitate, & Eccleſiaſticæ neceſſitatis conſideratione promotus, connivente Rege, Willielmum in Eccleſiam, exultantibus cunctis & Monachis ipſius Eccleſiæ feſtivè procedentibus, adduxit, ac Wentani Pontificatus curam ei, ſub præſentia totius multitudinis, dato Baculo paſtorali, delegavit. Hunc igitur ita electum viſum eſt Pontificali benedictione non eſſe jure defraudandum Sed cùm Rex illum ſine aliis ſacrari permittere nequaquam, nec Anſelmus eos cum illo ſacrare ullatenus adquieſcere vellet, præcepit Rex ut Gerardus Eboracenſis ſimul omnes ſacraret. Quod ubi Præfatus Reinelmus advertit, retulit Regi Baculum & Annulum quos ſe injuriâ ſuſcepiſſe dolebat, ſciens quia maledictionem pro benedictione ſuſciperet, ſi tali ordine benedicendus ſe manibus Gerardi ſummitteret. Unde Rex nimis iratus eum gratiâ ſuâ Curiâque privavit. Gerardus itaque, ſociatis ſibi cunctis Epiſcopis Angliæ, reſiduos duos, id eſt, Willielmum atque Rogerium, ſpretâ omni æquitate, ſtatuto die Lundoniæ voluit conſecrare, Anſelmo in villa quæ non longè eſt, Murtelac nomine, conſiſtente, & eventum rei præſtolante. Verùm Epiſcopis ad examinationem ſacrandorum pro more paratis atque diſpoſitis, Willielmus amore compunctus juſtitiæ mox inhorruit, & ſuis omnibus ſpoliari, quàm tam infando miniſterio ſub tanti myſterii adminiſtratione collum inclinare delegit. Quapropter Epiſcopi ſua confuſione percuſſi, infecto negotio abinvicem ſunt illico diviſi. Ad hæc totius multitudinis quæ rei exitum ſpectare convenerat, clamor inſonuit, Una voce Willielmum recti amatorem, & Epiſcopos, non Epiſcopos, ſed juſtitiæ præcipitatores eſſe concrepantis. At illi, mentis ſuæ rancorem ex vultus immutatione pandentes, Regem adeunt, illatæ ſibi contumeliæ querimoniam coram illo depromunt. Willielmum in medium deducitur, patrati delicti reus accuſatur, minis non levibus hincinde concutitur. Ille ſtat, nec avelli poteſt à recto, & ideo ſuis omnibus expoliatus eliminatur à regno. Quærit Anſelmus ſuper iſtis à Rege judicium, & juſtitiam, nequicquam. Iterum atque iterum preces & querelas, pro qualitate negotii ſuggerit, ſed ille nec prece nec querimonia motus cœpto deſiſtere voluit.

Subſequenti dehinc mediâ quadrageſimâ ferè, Rex Cantuariam venit, quædam, ut ferebantur, regni negotia Doſris cum Comite Flandriæ tractaturus. Moratus autem triduò Cantuariæ eſt, & quod de Comitis agebatur adventu nihil fuiſſe agnitum eſt. Agnitum verò eſt quare venerit, & ipſius more occaſio

HENRICUS 1. Rex.

casio patuit. In illis quippe diebus per suos convenit Anselmum, quatenus suâ jam diutinâ patientiâ delibutus paternarum consuetudinum amplius sibi nihil derogaret, ne irritatus cogeretur actu monstrare qualiter ea quæ se contra faciebat sibi sederent in mente. Nam, sicut per eos qui secretorum illius conscii erant, nonnullis innotuit, disposuerat apud se illum aut aliquo gravi corporis damno læsurum, aut certè inhonestè trans mare pulsurum, ac demum omnia juri Ecclesiæ competentia direpturum, si eum ad executionem suæ voluntatis de nota querela non reperiret omnino paratum. Quibus agnitis, ita Pater Anselmus respondit: *Nuncii quos pro verbis quæ detulerunt Episcopi Romam direxi, jam reversi sunt, & veritati attestantes, ut aiunt, litteras attulerunt. Ipsæ, quæso, litteræ inspiciantur, si forte in illis aliquid quod me voluntati suæ condescendere finat, inveniatur. Nequaquam*, ait, *ambages hujusmodi ultra non feram, finalem causæ volo habere sententiam. Quid mihi de meis cum Papa? Quæ Antecessores mei hoc in regno possederunt, mea sunt. Hæc si quis auferre mihi voluerit, quòd inimicus meus sit, omnis qui me diligit certissimè noverit.* Tunc Præsul ad ista: *Nihil eorum quæ ipsius esse scio ipsi tollo, aut tollere volo. Verumtamen noverit quòd nec pro redemptione capitis mei consentiam ei de iis quæ præsens audivi in Romano Concilio prohiberi, nisi ab eadem Sede interdictorum absolutionis sententia prodeat, à qua constitutionis ipsorum vinculum prodiit.* Multiplicata sunt ergo verba istius discidii, tantumque gravata, ut filii Ecclesiæ magnò timerent, ne patrem suum protinus perderent. Ipsos Principes, quorum consiliis Rex innitebatur, consideratione futurorum malorum ingemiscentes lachrymis maduisse conspeximus. Fiunt preces & orationes ab Ecclesia ad Christum, & pio gemitu interpellatur quatenus suæ pietatis intuitu sedet instantia mala. Hæc inter, voce summissa Rex Antistiti mandat, & multis precibus obsecrat, quatenus ipse per se Romam ire, & quod alii nequiverant suâ sibi industriâ conetur adquirere, ne ipse perdendo suorum jura Antecessorum eis vilior fiat. Sensit Pater quò hæc vergerent, & respondit: *Differantur hæc, si placet, usque in Pascha, ut audito Episcoporum regnique Primatum consilio, qui modo non adsunt, respondeam huic.* Terminata in istis ea vice causa est, & abinvicem sunt in pace divisi.

Igitur in Pascha Curiam venit, regni ingenuitatem de negotio præsens consuluit, communis consilii vocem unam accepit, æquum scilicet fore illum, tantæ rei gratiâ, viæ laborem debere non subterfugere. Refert: *Dum in commune vultis ut eam, ego corpore licèt imbecillis, senioque confisus iter aggrediar, iturus quo consulitis, prout vires concesserit Deus, omnium finis. Attamen, si ad Apostolicum pervenire potuero, noveritis quòd ipse nihil quod vel Ecclesiarum libertati, vel meæ possit obviare honestati, meo facies vel rogatu vel consilio.* Dixerunt: *Legatum suum Dominus noster Rex suas preces regnique negotia Apostolicis auribus expositurum tecum diriget, & tu solummodò iis quæ vera dixerit attestare.* Ait: *Quod dixi dico, nec vera dicenti, Deo miserante, contradictor existam.*

Finitis itaque Paschalibus Festis à Curia discessit Anselmus, iter Angliam eundi quantocius accelleratus. Vulneraverat enim quodammodò mentem ejus, quòd Rex nec per se nec per suos, ut dixi, audire volebat quid literæ Româ nuper allatæ continerent in se. Quod ideo illum facere quidam opinati sunt, quoniam materiam earundem literarum ei jam revelatam per unum illorum quos Anselmus Romam direxerat sensim intellexerunt. Formidabat ergo Anselmus ne si verbis Episcoporum in litteris ipsis Papa non concordaret, pro Investituris Ecclesiarum quæ factæ fuerant, & etiam consecrationibus quorundam Abbatum, quos ea tempestate investitos Robertus Lincolinus Episcopus & Johannes Bathionensis sacraverant, sæpe dictâ excommunicationis sententiâ tales nonnullos involverit, à quorum communione se nequaquam, sine gravi scandalo, cohibere valeret. Literas etenim nondum inspexerat, præcavens ne si fortè, mutato consilio, Rex eas inspiciendas requireret, sigilloque exclusas reperiret, aliquid haberet quod earum auctoritati objicere non injuriâ posset. Festinatò igitur ratus est Angliâ exeundum, ne illic, excommunicatis communicando, aliquâ excommunicationis culpâ involveretur. Venimus ergo Cantuariam, ubi non ultrà quatuor dies demorati, acceptâ sacræ benedictionis licentiâ à Monachis dilectissimis si iis suis, necne à Civium circumfluentiumque populorum numerositate, ingenti pietatis affectu prosecuti ad portum maris properavimus. Itaque naves ingressi Witsandis appulimus. Acta sunt hæc anno Incarnati Verbi millesimo centesimo tertio, v. Kalend. Maii. Regiâ igitur pace suisque omnibus investitus mare transiit, & liberâ viâ per Bononiam iter Normanniam veniendi assumpsit, quorumque Nobilium terræ non vili obsequio fretus.

HENRICUS 1. Rex.

Cùm autem Becci fuisset (ubi qua devotionis, qua dilectionis, qua gaudii & omnis boni jocunditate susceptus sit, taceo, dum id nulli possibile dictu existimem) literas ibi prænominatas sigillo absolvit. Quid itaque in eis invenerit, textus earum, quem subscribimus, declarabit.

Paschalis Episcopus Servus Servorum Dei, Anselmo Cantuariensi venerabili Fratri & Coepiscopo: salutem, & benedictionem.

SUavissimas Dilectionis tuæ suscepimus literas, caritatis calamo scriptas. Neque enim aliud cartæ calamus indidit, quàm quod de fonte caritatis intinxit. In his reverentiam devotionis tuæ complectimur, & perpendentes fidei tuæ robur, & piæ sollicitudinis instantiam, exultamus, quia gratiâ, Dei tibi præstante auxilium, te nec minæ concutiunt, nec promissa sustollunt. Dolemus autem quia cùm Fratres nostros Episcopos Legatos Regis Anglorum benignè suscepissemus, quæ nec diximus eis nec cogitavimus, redeuntes ad propria, retulerunt. Audivimus enim eos dixisse quod si Rex in aliis bene ageret, nos Investituras Ecclesiarum nec prohibere, nec factas excommunicare, & quòd ideo volebamus cartæ committere, ne sub hac occasione & cæteri Principes in nos inclamarent. Unde Jesum, qui renes & corda scrutatur, in animam nostram testem inducimus, si ex quo hujus sanctæ Sedis curam cepimus gerere, hoc immane scelus vel descendit in mentem. Et hoc Deus avertat à nobis ut est, & non surrependo inficiat nos, ut aliud habeamus ore promptum, aliud corde reconditum cùm contra mendaces Propheta imprecetur, dicens: *Disperdat Dominus universa labia dolosa.* Si verò nostro silentio pateremur Ecclesiam felle amaritudinis & impietatis radice pollui, qua ratione possemus apud internum Judicem excusari, cum Dominus sub specie Sacerdotum dicat Prophetæ, *Speculatorem te dedi Domui Israël.* Non bene custodit urbem, qui in specula positus dum non obsistit, eam hostibus diripiendam exponit. Si ergo virgam Pastoralitatis signum, si Annulum signaculum fidei tradit Laïca manus, quid in Ecclesia Pontifices agunt? Ecclesiæ honor atteritur, solvitur disciplinæ vigor, & omnis religio Christiana conculcatur; si quod novimus Sacerdotibus solis deberi, Laïca patiamur temeritate præsumi.

HENRICUS I. Rex. Non est Laicorum Ecclesiam tradere, nec filiorum matrem adulterio maculare. Jure ergo privandus est patrimonio qui matrem polluit adulterio, nec meretur Ecclesiasticæ benedictionis consortium, qui eam impia infestatione insequitur. Laicorum enim est Ecclesiam tueri, non tradere. Ozias quidem cùm illicitum sibi Sacerdotium vendicaret, lepra percussus est. Filii quoque Aaron, qui alienum ignem imposuerunt, igne Divino consumpti sunt. Alienum est ab Ecclesia & à sacris Canonibus est inhibitum, ne Principes & Sæculares viri Investituras non solùm non dare, sed nec electioni Episcoporum se audeant violenter inserere. In septima quippe Synodo, ut nostis, scriptum est: *Sancta & universalis Synodus definivit neminem Laicorum Principum, potentumve semet inserere Electioni Episcoporum, vel promotioni eorum.* Si ergo filii Aaron, quia ignem alienum intulerunt, corporaliter puniti sunt; isti qui à Laicis, à quibus alienum est, Ecclesiam susceperunt, spirituali gladio feriuntur. Episcopos autem qui veritatem in mendacio invocarunt, ipsa veritate, quæ Deus est in medium introducta, à beati Petri gratia, & à nostra societate excludimus, donec Romanæ Ecclesiæ satisfaciant, & reatus sui pondus agnoscant. Quicunque verò intra prædictas inducias Investituram seu Consecrationem acceperunt, à consortio fratrum & ordinatores & ordinatos alienos habemus: nec eis ad excusationem deceptio sufficit, quia & Propheta ab alio Propheta deceptus nec ideo mortem evasit. Rogamus interea caritatem tuam nos tuis sanctis precibus commendari, ut quantò propius ad Deum Passibus virtutum acceleras, nobis orationum tuarum manus extendas. Omnipotens Deus, qui te ad hujus stadii cursum invitavit, felici consummatione perducat ad præmium. Dato II. Id. Decembr. apud Beneventum.

Cùm autem de Becco Carnotum in festivitate Pentecostes, utpote propositum iter inde acturus, Anselmus venisset, accepit ab Ivone Civitatis Episcopo, & à multis non spernendi consilii viris, satiùs fore cœptum iter in aliud tempus differendum, quàm Italicis ardoribus ea se tempestate cum suis tradere cruciandum. Nimis etenim fervore æstatis ita ubique, sed maximè, ut ferebatur, in Italia, tunc temporis quæque torrebat, ut incolis vix tolerabilis, peregrinis verò gravis & importabilis. Quod Pater intelligens, consilio credulus Beccum revertitur. Resedit ergo illic usque ad medium mensis Augusti, Monachorum ædificationi indefessus invigilans. Deinde posthæc, in iter Carnotum reversus est. Quid agam? Si potentum occursus, si honores, si obsequia ei delata & ultrà quàm recipere vellet; oblata singulatim describere manum imponerem, nimirum aliis occupatos tædio nimiæ prolixitatis afficerem. Quapropter paucis accipiatur dictum, eum, vallante ubique divino præsidio, summa pace ac prosperitate iter peregisse, atque incolumen cum suis omnibus Romam pervenisse.

Itaque veniente illo, Guilielmus quidam à Rege directus Anglorum, aliquantis diebus prævenerat Romanos in causam quam agitandam sciebat, sua sollicitudine pro voto traducturus Regis. Qui Willielmus simili modo contra eundem virum ab alio Rege missus Romam venerat, & quemadmodum rei gestæ series suprà designat, iis quæ tunc Ecclesiastica gerebantur pro viribus opem impenderat. Ubi ergo adventus Anselmi summæ Sedis Antistiti nunciatus, illicò mandans illum deprecatus est quatenus diem illum atque sequentem à fatigatione sui apud Sanctum Petrum quietos duceret ac demùm se ipsius præsentiæ Lateranis exhiberet. Ille paternæ pietatis mandatum gratiosè suscipiens paret, quodque sibi à Papa Urbano, ceu suprà memini- HENRICUS I. Rex.
mus, in Palatio Lateranensi datum fuerat, die tertia hospitium subit: Dein Papæ præsentatus, honorificè suscipitur, ac pro ejus adventu ipse, & quæ confluxerat Romana Curia vehementer se lætari fatetur. Die post hoc constituto, causa propter quam illo potissimum venerat, in medium duci jubetur. Adest & Willielmus legationi quâ fungebatur toto studio curam impendens, hoc est ut Regi Henrico omnes Patris & Fratris sui consuetudines & usus Apostolicæ Sedis auctoritate firmaret. Exponi etiam statum Regni, Regiamque in Romanos munificentiam, unde ampliori quadam & digniori præ cæteris sublimitate ex Apostolica largitione Reges Anglorum probat antiquitùs usos, eaque re non solùm molestum & indecens fore huic suorum antecessorum jura perdere; verumetiam, sicut se certò cognovisse ferebat, magno Romanis hoc ipsum damno futurum si contingeret, & dum fortè locum recuperandi inventuri non essent, ab eis serò lugendum. Quid plura? Ducti sunt iis atque aliis necne perducti in causam Regis Romanorum nonnulli, admittendæ rationis esse conclamantes, quæ ferebantur; neque vota tanti viri ullâ consideratione postponenda. Inter ista silet Anselmus operiens in omnibus examen summi Pontificis. Nec enim verba sua dare volebat, ut mortis homo Ecclesiæ Dei ostium fieret, ne postposito Christo qui se ostium ovium esse pronuntiat; & per quem, si quis intrat, salvatur, & ingreditur atque egreditur & pascua invenit, ovile intrare volentes aliunde ascenderent; ac sic non ovium Pastores, sed fures fierent atque latrones. Ipse nihilominus Pontificum Pastor cùm ad cuncta sileret, & quid quisque diceret, prudenti consideratione examinaret, æstimans Willielmus jamjam illum pro favore Romanorum in se nihil eorum quæ quærebat sibi negaturum erupit & ait: *Quicquid hinc indeve dicatur, volo norint quicumque assistunt Dominum meum Regem Anglorum nec pro amissione regni sui passurum se perdere Investituras Ecclesiarum.* Tunc vir Apostolicus paucis hæc verba locutus est: *Si quemadmodum dicis, Rex tuus nec pro Regni amissione patietur Ecclesiarum donationes amittere; scias ecce, coram Deo dico, quia nec pro redemptione sui capitis eas illi aliquando Paschalis Papa impunè permittet habere.* Quo auditum oppido conturbavit Willielmum. Romanis autem dicto Pontificis acclamantibus, optatum in commune est quatenus ista existimatio procul ab omnibus filiis Ecclesiæ fieret, Apostolicam videlicet Sedem nunquam facturam ostium ovilis Dei laicum quemlibet. Quapropter aliud, aiunt, Regi respondeatur quod & illum ac bene agendum paulatim demulceat, & aliorum offensam Principum exinde Roma non incurrat. Itaque Romanorum consilio Papa nonnullos paterpos usus, interdictis omnino Ecclesiarum Investituris, Regi concessit, eumque ab excommunicatione, quam Antecessorem suum fecisse superiùs diximus, immunem ad tempus constituit, eis duntaxat qui à manu ipsius Investituras susceperant vel deinceps susciperent, usque ad dignam tanti reatus satisfactionem, pro servanda Ecclesiastici disciplina rigoris, sub excommunicationis catena retentis. Regia igitur causa, quæ agebatur, tali modo Romæ acta determinata est. Satisfactionem sanè Investitorum censuræ, ac dispositioni Anselmi Papa delegavit.

Post hæc Anselmus, actis cum Pontifice suis & aliorum de Christianæ Religionis observantiâ multiplicibus causis, quæ post principale negotium sui itineris non vilipendendæ causæ fuerunt, reditum suum Apostolicâ petiit benedictione tueri. Cui Papa: *Benedictio, quam desideras, ita te comitetur ubique*

Digitized by Google

HENRICUS I. Rex. *ſicut ipſemet optas. Et ne à liminibus Paſtorum Eccleſiæ vitiaris immunis abſcedere, ea vice illorum tibi ſcripta ſuæ auctoritatis ſigillo roborata manu noſtra porrigimus, & ea quæ continent ſub illorum teſtimonio tibi & ſucceſſoribus tuis in perpetuum confirmamus.* Datis ergo literis, oſculatus Patrem, & nos qui cum eo eramus, Deo nos commendavit ac ſic in pace dimiſit. Literarum autem ſeries hæc eſt.

Paſchalis Epiſcopus Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Anſelmo Cantuarienſi Epiſcopo: Salutem, & Apoſtolicam benedictionem

FRaternitatis tuæ poſtulationibus nos annuere, tuæ ſapientiæ & religionis perſuadet auctoritas. Quondam enim in literis ab Apoſtolica tibi Sede directis Cantuarienſis Eccleſiæ Primatum ita tibi plenum conceſſimus ſicut à tuis conſtat Prædeceſſoribus fuiſſe poſſeſſum. Nunc autem petitionibus tuis annuentes, tam tibi quàm legitimis ſucceſſoribus tuis eundem Primatum, & quicquid dignitatis ſeu poteſtatis eidem Sanctæ Cantuarienſi ſeu Dorobernenſi Eccleſiæ pertinere cognoſcitur, literis præſentibus confirmamus, ſicut à temporibus beati Auguſtini Prædeceſſores tuos habuiſſe Apoſtolicæ Sedis auctoritate conſtiterit. Datæ Lateranis XVI. Kal. Decembris indictione XII.

Nobis itaque Româ diſcedentibus, Willielmus remanſit, aſſerens ſeſe voto conſtrinxiſſe beatum Nicholaum adire, re autem verâ Romæ moraturus & ſi poſſet, Anſelmo abſente, quod eo præſente nequiverat, Antiſtitem à data ſententia traducturus. Quod quia nequaquam facere potuit, perſuaſorias literas Regi deferendas, ne nihil videretur egiſſe, à Papa obtinuit, ſicque Romanos fines remeandi viâ mutavit. Quem nos, ductu glorioſæ Machtildis Comitiſſæ per Alpes euntes, cùm apud Placentiam reperiſſemus, tam velocem hominis curſum à beato Nicholao admirati admodum ſumus. Epiſtolæ quam Regi detulit textus hic eſt.

Paſchalis Epiſcopus Servus Servorum Dei, Illuſtri & glorioſo Regi Anglorum, Henrico: ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

IN literis quas nuper ad nos per familiarem tuum noſtræ dilectionis filium Willielmum Clericum tranſmiſiſti, & perſonæ tuæ ſoſpitatem cognovimus, & ſucceſſus proſperos quos tibi ſuperatis regni adverſariis benignitas Dominica conceſſit. Audivimus præterea optatam virilem ſobolem ex ingenua & religioſa te conjuge ſuſcepiſſe. Quod profectò cùm nos lætificavit, oportunum rati ſumus nunc tibi præcepta & voluntatem Dei validiùs inculcare, cum amplioribus beneficiis Deo te plurimum perſpicis debitorem. Nos quoque divinis beneficiis benignitatem noſtram penès te ſociare optamus; ſed grave nobis eſt quia id à nobis videris expetere quod præſtare omnino non poſſumus. Si enim aut conſentiamus aut patiamur Inveſtituras à tua excellentia fieri, & noſtrum proculdubio, & tuum erit immane periculum. Qua in re contemplari te volumus quid aut non faciendo perdas, aut faciendo conquiras. Nos enim in prohibitione hac nihil amplius obedientiæ, nihil libe- A ralitatis per Eccleſias nanſçiſcimur, nec tibi debitæ poteſtatis aut juris ſuberahere quicquam nitimur, nisi ut ega te Dei indignatio minuatur, & ſic tibi proſpera cuncta contingant. Ait enim Dominus, *Honorificantes me honorificabo. Qui me autem contemnunt, erunt ignobiles.* Dices itaque, Mei hoc juris eſt. Non utique, Non eſt Imperatorium, non eſt Regium, ſed Divinum. Solius illius eſt qui dixit: *Ego ſum oſtium.* Unde pro ipſo rogo te, cujus hoc munus eſt, ut ipſi hoc reddas. Ipſi dimittas cujus amori etiam quæ tua ſunt debes. Nos autem cur tuæ obniteremur voluntati, cur obſiſteremus gratiæ, niſi Dei in hujus negotii conſenſu ſciremus voluntati obviare, gratiam amittere? Cur tibi quicquam negarem quod cuiquam eſſet mortalium concedendum, cùm beneficia de te ampliora ſumpſerimus? Perſpice, fili cariſſime, utrum decus an dedecus tibi ſit, quod ſapientiſſimus ac Religioſiſſimus Gallicanorum Epiſcoporum Anſelmus Cantuarienſis Epiſcopus propter hoc tuo lateri adhærere, tuo veretur in regno conſiſtere. Qui tanta de te hactenus bona audierant, quid de te ſentient, quid loquentur, cùm hoc fuerit in regionibus divulgatum? Ipſi qui coram te tuos exceſſus extollunt, cùm præſentia tua caruerint, hoc profecto validiùs infamabunt. Redi ergo, fili cariſſime, ad cor tuum propter miſericordiam Dei, & propter amorem Unigeniti deprecamur revoca Paſtorem tuum, revoca Patrem tuum. Et ſi quid quod non opinamur adverſus te gravius geſſerit, ſiquidem Inveſtituras adverſatus fueris, nos juxta voluntatem, quantum Deo poſſumus, moderabimur. Tu tamen talis repulſæ infamiam à perſona tua & regno amoveas. Hæc ſi feceris, & ſi gravia quælibet à nobis petieris quæ cum Deo præberi facultas ſit, profecto conſequeris, & pro te Dominum, ipſo adjuvante, exorare curabimus, & de peccatis tam tibi quàm Conjugi tuæ Sanctorum Apoſtolorum meritis abſolutionem & indulgentiam faciemus. Filium etiam tuum quem ex ſpectabili & glorioſa conjuge ſuſcepiſti, quem, ut audivimus, egregii Patris Willielmi vocabulo nominaſti, tanta tecum imminentia confovebimus, ut qui vel te vel illum læſerit, Romanam læſiſſe videatur Eccleſiam. Quid ſuper his ad honorem Dei & Eccleſiæ gloriam exhibiturus ſis, maturiùs nobis volumus reſponderi, interventu, videlicet, talium Legatorum, de quorum relationibus nec noſter debeat nec veſter auditus ambigere. Datæ Lateranis IX. Kl. Decembris.

Ac nos unà cum Willielmo Placentinos fines deſerentes, protecti gratiâ Dei, ſani & incolumes Lugdunum uſque pervenimus, acturi illic feſtum quod inſtabat Dominicæ Nativitatis. Sed cùm Willielmus feſtinaret, nec nobiſcum Lugdunum divertire vellet, ſeparando ſe à Patris comitatu, dixit ei: *Putabam Romæ cauſam noſtram alio eventu proceſſuram, & idcirco diſtuli ea quæ Rex Dominus meus tibi dicenda mandavit hucuſque prolatare. Nunc autem quia, citato greſſu, ad eum redire diſpono, quæ mandat ulterius abſcondere nolo. Dicit quia ſi ſic ad eum redieris, ut talem te illi per omnia faciat quales Anteceſſoribus ſuis Anteceſſores tui ſe feciſſe noſcuntur, tunc libenti animo tuum in Angliam reditum volet & ampleſletur.* Cui Pater: *Ne amplius dices? Prudenti loquor*, ait, Hac de re nihil amplius dicto. At ille: *Scio quid dicas atque intelligo.* Diviſi ergo ſunt in iſtis ab invicem, & Anſelmus ſummo cum honore & gaudio à Venerabili Hugone Lugdunenſi Archiepiſcopo & toto Clero ſuſceptus, in majorem Eccleſiam ductus

Digitized by Google

HENRICUS I. Rex. est, ibique ut Pater & Dominus loci ab omnibus habitus. Directis interea nunciis ac literis ad Regem Angliæ, gesti negotii summam innotuit, & quid à Willielmo ex parte illius acceperit, inter alia non celavit. Quæ literæ sunt hæ.

Suo Reverendo Domino, Henrico Regi Anglorum, Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus: fidele servitium cum orationibus.

QUamvis per Willielmum de Varelwast cognoscatis quid Romæ fecerimus, tamen quod ad me pertinet breviter ostendam. Romam veni; causam pro qua veneram, Domino Papæ exposui. Respondit se nequaquam velle dissentire à statutis Antecessorum suorum, & insuper præcepit mihi ut nullam haberem communionem cum illis qui de manu tua Investituras acceperunt Ecclesiarum post hujus prohibitionis notitiam, nisi pœnitentiam agerent, & sine spe recuperationis quod acceperant desererent; neque cum Episcopis qui tales consecrarunt, nisi ad Apostolicæ Sedis judicium se præsentarent. Horum omnium testis esse potest prædictus Willielmus, si vult. Qui Willielmus quando ab invicem discessimus, ex vestra parte commemorans amorem & benignitatem quam semper erga me habuistis, summonuit me sicut A Archiepiscopum vestrum, ut talem me facerem quatenus sic intrarem in Angliam, ut sic esse possem vobiscum, sicut fuit Antecessor meus cum Patre vestro; & vos me eodem honore & libertate tractaretis, qua Pater vester Antecessorem meum tractavit. In quibus verbis intellexi quia nisi me talem facerem, reditum meum in Angliam non velletis. De amore quidem & benignitate gratias ago: Ut autem ita sim vobiscum sicut Antecessor meus fuit cum Patre vestro, facere non possum, quia nec vobis Homagium facere, nec accipientibus de manu vestra Investituras Ecclesiarum propter prædictam prohibitionem me audiente factam audeo communicare. Unde precor ut mihi vestram, si placet, mandetis voluntatem; utrum sic, quemadmodum dixi, possim in pace vestra & officii mei potestate redire in Anglia. Paratus enim sum & vobis & populo divinâ mihi dispositione commisso officii mei servitium pro viribus & scientia mea, servata regulari obedientia, fideliter exibere. Quod si vobis non placuerit, puto quia si quod animarum detrimentum inde contigerit, mea culpa non erit. Omnipotens Deus sic regnet in corde vestro, ut vos per omnia regnetis in gratia ejus. HENRICUS I. Rex.

His ita gestis, ipse, paucis de suis secum retentis, Lugduni resedit in summa pace & quietè propriam prædicti Pontificis domum inhabitando, Nuncios suos expectans, & ne ad horam quidem ab iis quæ Dei sunt, verbo se vel actu elongans.

Finis Libri Tertii.

Digitized by Google

EADMERI

CANTUARIENSIS MONACHI

HISTORIA NOVORUM.

LIBER QUARTUS.

HENRICUS I. Rex. IGITUR ubi Willielmus Angliam pervenit, & gesti negotii seriem Henrico Regi exposuit; Rex illico omnes reditus Archiepiscopatus Cantuariensis in suos usus redigi præcepit. Cura tamen ipsorum redituum colligendorum duobus hominibus Archiepiscopi ab ipso Rege delegata est, eâ videlicet, ut absque credere non est, consideratione, eâ pietate, ut tantò diligentiùs aliis hominibus & rebus ipsius Domini sui studium impenderent ne vexarentur, ne opprimerentur, ne diriperentur, quantò majori fide ac sacramento eos illi astrictos fuisse cognoscebatur. Verùm sive obtemperatum tam consideratæ pietati & piæ considerationi sit ab illis, sive non sit, dum non multum mea interfit, vanè scribendi operam insumerem. Veniet namque Dominus tenebrarum abscondita illuminaturus, & singulorum meritis æqua lance sua præmia retributurus. Ego, ducente Deo, cæpto narrandi calle progrediar.

Evoluto igitur posthæc aliquanto tempore, venit ad nos unus ex Monachis Cantuariensibus, nomine Everardus, deferens Anselmo litteras Regis, in quibus idem Rex planè testabatur se eorum quæ Willielmus dixerat discedens ab Anselmo, ut præfati sumus, auctorem esse, hoc est, ut Anselmus Angliam non repedaret, nisi omnes Patris ac Fratris sui Consuetudines se illi servaturum primò promitteret. Quod dum Anselmus facere noluit, suis spoliatus Lugduni remansit, degens circa sæpe nominatum venerabilem Hugonem ipsius civitatis Antistitem, anno integro & mensibus quatuor. Quæ autem mala ex hoc diutino exilio ejus per Angliam quaque emerserint, vel cujusmodi studio illius ipsum exilium, multi reditum illius desiderantes, eaque re minùs rei ipsius veritatem considerantes, ascripserint, meliùs puto liquebit, si aliqua ex iis quæ illi à religiosis viris ac Deum amantibus scripto mandata sunt, huic operi paucis infigo. Scribit itaque ei quidam servus Dei sic.

Domino venerabili, & sancto Patri Anselmo Cantuariensi Archiepisco, illius devotissimus, & omnis familiæ Domini famulus: in Domino salutem.

COnsideratâ loci nostri & sensus inopiâ, meritò decreviſſe potuerim, Pater sancte; ne verbis simplicioris ingenii semel vel iterùm impedirem studium sanctæ mentis tuæ, in quo Religionis insigne refulget, & quidam splendet virtutis comes, nitor sapientiæ. Attamen extollit me, etiam supra me, tranquilla & beata gratia opinionis tuæ, quatenus tibi qualiscunque est dirigatur sermo noster, non ut te doceam qui vix humana indiges doctrina, sed ut tecum nostrum & tuum reminiscar dolorem. In cujus nostri sermonis exordio eo pacto convenire postulo cum reverentia tua, ut liceat mihi interim vindicare dulciores partes piè objurgantis, non amaras fraudes adulantis. Sanctitatem quippe tuam nosse velim quòd animos nostros, quorum in te affectus idem est, immoderatior tristitia absorbeat de absentia tua qui, ni fallor, utilius nostro adesses periculo, ut saltem te consortem filiorum discriminis exhiberes, quàm nostræ quodammodo & Ecclesiæ oblitus injuriæ absens permittas nos turbari ab hostibus impuris & crudelibus, qui nec pudicitiæ parcant, nec saluti. Ego planè te, Pater sancte, eo ipso infœlicem arbitror. B Nam qui eras sanctæ spei fiducia in tuos, si nunc urgeri Angliam tam inopinato hoste pigeret, quantum ingemisceres, quantum affectares succurrere, vel subire nobiscum nova acerbitatum genera? Sponte tua nullo penitus cogente ereptus es periculis nostris, fortasse ne sentires quæ nos perpeti, & quod gravius est, spectare cogimur, sublimari ad sacros Ordines quosdam de Curialibus quibus nec Canonica electio, nec justitia consentit. Quoniam dubium non est si eosdem verus Ecclesiæ Ostiarius, qui Christus est, in sacra jura admitteret; neque posse perpetrari quæ quotidie cernimus in Provincia nostra, Principum injustam & immitem tyrannidem, rapinas pauperum, damna Ecclesiarum, adeo ut locus Corporis & Sanguinis Domini libertatem amittat. Gemere viduas, flere senes incommoda sua, eo quod eripiatur eis satis angusta, quam vix merentur, victus sui portio. Rapi virgines, & illicito incestare concubitu: quodque omnium primum malum est, ad dedecus honestatis nostræ, Sacerdotes uxores ducere. Et exceptis C his, alia perplura flagitia quæ nefas est vel impossibile meminisse aut retulisse. Quòd si dispensationis Ecclesiasticæ regulam & antiquæ consuetudinis ordinem sollicita studuisses consideratione pensare, nec tibi aliqua exulandi causa surriperet, nec alii occasione tuæ absentiæ tam grave discrimen incurrerent. Itane putas inimicorum Dei contumaciam inflectere, qui nec Deo crederent, nec veritati nisi inviti locum præberent? Qua verò ratione ad hoc Paternitas tua aspiret, ignoro. Qui enim regendam navim suscepit, tantò ampliùs necesse est vigilet, quantò ampliùs procellas timet. Sed tunc fortassis pro sola voluntate invidentium fugisse pudebit, cum videris ante tribunal Christi ducentes choros

HENRICUS I. Rex.

HENRICUS I. Rex.

animarum illos fortissimos divini gregis arietes, quibus nec lupus nocuit, nec alicujus terror in fugam vertit. Quàm beata erit tunc memoria inter cæteros illius sanctissimi Patris nostri Ambrosii qui, sicut narrat Ecclesiastica historia, non erubuit Theodosio Imperatori in faciem restitisse, & pro reatu suo limina Ecclesiæ illi denegasse. Quid non impetraret talis affectus, & tanta constantia? Etiam, Pater sancte, si quispiam incarceratum & afflictum eviscerare, hoc modo recessisse non debueras. Quantò magis cùm nihil horum expertus fueris, nec Sedes tua tibi negata sit, sed pro uno verbo cujusdam Willielmi fugere decrevisti, & relicto hoste, dilacerandas impiis oves tuas dimisisti. Pudet ergo quod evenit recolere, quoniam omnes illi, vel penè omnes quos Ecclesiarum præsens ærumna expectabat ad suæ necessitatis solatium, occasione timoris accepta, magis elegerunt tecum succumbere quàm frustrà sine te resistere. Quid enim facerent quibus Pater deerat, & quibus caput non suppetebat. Proinde admonenda est Sanctitas tua non erudienda ut matures adventum sanctæ Matris Ecclesiæ, depellas opprobrium, & adversus hostes nostros jam penetralibus insistentes, festinum prætendas auxilium. Licet adhuc morbum ejicere, dum in superficie vulnus videtur apertum. Scio namque si ad Sedem tuam redire velis, in promptu multos, ut aiunt, reperies qui tecum partes Dei viriliter defendant, nisi enervaverit eos tuæ Paternitatis defectus. Si Angliam, uti audivimus, suspendere vel excommunicare volueris, quid ego fratresque nostri faciemus qui semper tibi obedire præsto fuimus, remandare quæso C digneris. Vale.

Cùm igitur hæc & nonnulla istis deteriora, exulante Anselmo, per Angliam fierent, & quidam malorum magnitudine afflicti, Regi in insisterent, ut ipsum, scilicet Patriæ Patrem, qui ea corrigeret revocaret, ipse tam religiositate viri inductus quàm & immanium malorum exuberatione animo consternatus, fieri quidem de reditu viri quod petebatur se libenter velle fatebatur, sic tamen ut paternarum Consuetudinum nihil sibi ab eo ulterius derogari ulla ratione pateretur. Unde nobis adhuc Lugduni degentibus, Nuncii Romam ab ipso Rege directi sunt, qui modis omnibus elaborarent Apostolicum ad hoc deducere ut Anselmum Angliam redire & Regiæ voluntati juberet in cunctis subdi & obedire. Ad quod D dum minimè illum flectere possent, sicut venerunt infecto negotio reversi sunt.

In diebus illis Gualo Episcop. Parisiacensis de Roma veniens ad nos, reliquias corporis beatæ Martyris Priscæ sibi Romæ datas attulit, & inde mihi in præsentia Patris Anselmi partem aliquantulam dedit. Quæ pars dum admodum parva mihi visa fuisset, rogantem me ut donum Antistes augeret, Anselmus compescuit, dicens sufficere quod habebam, *Cùm enim, inquiens, os ipsum de corpore illius sit, donec eo caruerit, integritatem sui non habebit. Quapropter si illud tenè servaveris, & Dominæ cujus est qua potes devotione in illo servieris, tam grate officii tui munus accipiet quàm si toti ejus deservires.* Adquievit dicto, & quod acceperam diligenti custodiæ servo. In secundo autem anno adventus nostri à Roma Lugdunum, ipse Papa coacto Lateranis generali Concilio, Comitem de Mellento, cujus sæpe superiùs habita est mentio, & complices ejus qui Regem ad investituræ flagitium sicut dicebatur impellebant, necne illos qui ab eo investiti fuerant, à liminibus sanctæ Ecclesiæ judicio Spiritus sancti repulit, & hoc ipsum per Epistolam quam ecce subponimus Anselmo sub celeritate innotuit.

Paschalis Episcopus Servus Servorum Dei. HENRICUS I. Rex.
Venerabili Fratri Cantuariensi Archiepiscopo Anselmo: Salutem, & Apostolicam benedictionem.

DE illata tibi injuria membra Ecclesiæ non modicum patiantur quia, sicut dicit Apostolus, si compatitur unum membrum compatiuntur & cætera membra. Licet enim corporali seperemur præsentia, unum tamen in capite sumus. Tuas namque injurias ac repulsas æquè ac nostras portamus. Illud etiam nos vehementer affligit quod tua religio regno sublata est Anglico. Quæ enim sunt sine Pastore oves lupus rapit & dispergit. Idcircò de tua ad eos reversione modis quibus possumus laboramus. Unde in Concilio nuper habito ex communi Fratrum & Coepiscoporum sententia deliberatum est, & Regis Consiliarios qui ad investituræ flagitium illum impellunt, & eos qui ab eo Investiti sunt ab Ecclesiæ liminibus repellendos, quia de libera facere conantur ancillam. Quam nimirum sententiam nos sancti Spiritus judicio in Comitem de Mellento, & ejus complices promulgavimus, & eandem ipsam in eos qui sunt investiti à Regè ejusdem sancti Spiritus judicio confirmamus: Regis verò sententia ea ex causa dilata est, quia suos ad nos Nuncios in præteritæ Paschæ tempore debuit destinare. Datæ Lateranis vij. Kal. Aprilis.

Hanc igitur Epistolam postquam Anselmus suscepit, inspexit, intellexit se ampliùs frustrà Lugduni Romanam opem præstolari, præsertim cùm jam sæpenumerò ipsi Romanæ Sedis Antistiti Legatos & literas de sui negotii consummatione transmiserit, & eo usque nihil nisi quandam quasi consolatoriæ expectationis promissionem, de termino in terminum ab eo meruerit. Tertiò quoque litteras suas Regi Angliæ pro suarum rerum resaisitione direxerat, nec aliquid ab eo, nisi quod blandientem sibi dilationem ingeretet, responsi acceperat. Consulto itaque venerabili præfato Lugdunensis Civitatis Episcopo Lugduno Franciam petiturus decessit, mœrente super hoc Pontifice ipso & omni populo terræ.

Cùm ergo Cluniacum ad Charitatem, quæ Cella Cluniacensis Cœnobii est, venissemus, didicit Anselmus Comitissam Bleisensem, majoris Willielmi Regis filiam, nomine Adalam, apud Castrum suum Bleisum infirmari. Vertit itaque iter quo se Remis ire (sicut à Manasse ipsius urbis Antistite multis erat & obnixis precibus per internuncios interpellatus) disposuerat, & Bleisum abiit ad Comitissam, omnem cujuslibet vituperii notam pro suo more ubique devitans. Ipsa siquidem Comitissa in pluribus ei tam in hoc quàm & in alio exilio ejus magnificâ liberalitate ministraverat, eumque sicut virum sanctum ac religiosum vitæ suæ, post Deum, institutorem elegerat atque tutorem. Si itaque illam extrema, ut dicebatur, agentem paterna præsentia non visitaret, notam justæ reprehensionis non evaderet. Igitur ubi ad illam venimus, eamque languore sopito fermè convaluisse invenimus, detenti ab ea in ipso Castro per aliquot dies decentissimè sumus. In quibus diebus cùm verba sæpe inter se conferrent Antistes & illa, Antistes illam pro suo officio studiosè ad bene agendum instigando, illa Antistitem pro vitæ suæ qualitatibus ut Patrem, quæ inquirenda esse sciebat, interrogando; Anselmus Comitissæ causam reditus sui Franciam ab ea inquisitus innotuit, & quia Fratrem ipsius Henricum videlicet Regem Anglorum pro injuria quam Deo sibique jam per biennium & ultrà fecerat excommunicare veniebat, non celavit. Quod illa audiens fraternæ damnationi vehementer indoluit, ac ut illum potius Pontifici concordaret, operam dare dispo-

HENRICUS I. Rex.

fuit. Egit ergo apud virum ut Carnotum secum pergeret.

Eo tempore ipse Rex in Normannia erat, ipsamque penè totam suæ ditioni subegerat. Potestas nempe Roberti Normannorum Comitis, fratris scilicet ejusdem Regis, ita cunctis ea tempestate viluerat, ut vix ullus pro eo quicquam facere vellet, quod pro terræ Principe quaque gentium fieri solet. Pium etenim cor & terrenarum rerum minima cupido quæ in eo juxtà vigebant, hoc ei pepererant. Omnes igitur fermè Normannorum majores illico ad Regis adventum, spreto Comite Domino suo, & fidem quam ei debebant postponentes, in aurum & argentum Regis cucurrerunt, eique civitates, Castra, & urbes tradiderunt.

Cùm itaque Rex per Legatos Comitissæ Anselmi adventum, & quamobrem relictà Burgundiâ Franciam venerit, accepisset; qualiter animum viri à proposita intentione deflectere posset, perquisivit. Inito igitur cum suis consilio, per Nuncios deprecatus est Comitissam, quatenus ad loquendum sibi virum Normanniam duceret, pollicens se in multis de querela pristina voluntati ejus, pacis gratiâ, condescensurum. Quid plura? Statuto termino Archiepiscopus & Comitissa in Castrum, quod Aquila vocatur, pro colloquio Regis, uti petiverat, unà venerunt, & Regem vehementi gaudio pro adventu Anselmi exultare, ac non parum à pristina feritate descendisse repererunt. Deinde habito inter eos colloquio, Anselmum Rex de reditibus sui Pontificatus revestivit, & in pristinam amicitiam utrinque recepti sunt. Quibusdam igitur ad hoc sollicitè operam dantibus ut Antistes statim Angliam remearet; Rex annuit, sic tamen ut nulli eorum qui à se investituras Ecclesiarum susceperant vel eos consecraverant, suam in aliquo communionem subtraheret. Cui conditioni Anselmus minimè adquiescens (obedientiam videlicet Papæ in nullo prætergredi volens) extra Angliam manere delegit, donec illi quid ad ipsum negotium, & quædam alia de quibus inter eos illa vice convenire non poterat, determinanda, ex condicto Romam mittendi erant, reversi fuissent. Hæc autem inter ipsos acta sunt anno tertio exitus nostri de Anglia xj. Kalend. Augusti.

Pro magna itaque exultatione quam ex hac reconciliatione Anselmi Rex concepit apud se, videres illum quamdiu in præfato Castro morabamur, non facilè pati ad se venire Anselmum; sed quotiens erat aliquid inter illos agendum semper ipsum ire ad Anselmum. Jam enim multis in locis per Angliam, Franciam atque Normanniam fama vulgaverat Regem ipsum ab Anselmo proximè excommunicandum, & idcirco ei utpote Potestati non adeò amatæ multa mala struebantur, quæ illi à tanto viro excommunicato efficacius inferenda putabantur. Quod ille sciens, versam à se viri sententiam magnificè lætabatur. Denique omne malum quod eum expectabat, aversо Anselmo, ab eo versum est reverso in amicitiam ejus Anselmo. Itaque ut homo citiùs in Episcopatum suum ad suorum exultationem ac totius Patriæ relevationem rediret, pollicitus est Rex ita se Nuncios suos Romam destinaturum, in proxima Nativitate Christi Curiæ suæ Anselmus in Anglia posset adesse. Misit super hæc in Angliam litteras, præcipiens ut omnes res & homines Anselmi ubicumque essent, in pace essent & quiete, nec ullus eos gravaret aut implacitaret; sed ab omni debito liberi, quæ tenebant cum honore tenerent, ac in cunctis ad nutum Anselmi jussionemque penderent. Hæc ergo dum hominibus ad Archiepiscopatum pertinentibus innotuissent, mox quoddam quasi insperatum jubar solis illi emicuit, quod illos à pristinæ oppressionis immanitate & tenebris non modicum ejecit.

Cùm posthac Anselmus Beccense Cœnobium, & Rex Angliam remeasset, ortis quibusdam occasiunculis, Legati, qui Romam mitti debuerunt, diu ultrà statutum terminum morati sunt. Unde vehemens admiratio multorum corda concussit, arbitrantium tantam de reditu viri dilationem diaboli esse seductionem, & apertè videntium immanem totius Christianitatis in Anglia esse destructionem. Quod melius, ut puto, liquebit, si quædam scripta de his quæ ad nos in hac mora à quodam non contemnendæ auctoritatis viro transmissa sunt, brevi subinferam. Scribit itaque inter alia sic.

Charissime Pater & Domine, quamvis optimè sciatis quid facere debeatis, & quid facere velitis; videtur tamen omni fere homini sano sensu sapienti, omnino nihil aliud esse id quod inter vos & Regem sub tam morosa expectatione agitur, nisi diabolicæ fraudis illusio, & illudens dilatio, & ut manifestiùs dicam, totius Anglorum Ecclesiæ, ac Religionis ac Legis Christianæ quotidiana diminutio, & summa destructio. Ecclesiarum namque quæ tam diù manent Pastoribus viduatæ, possessiones diripiuntur, ordo sanctæ Religionis in eis neglectus annihilatur. Legis Christianæ Rectores non jam Rectores sed præcipitatores, ac juxta Regia voluntatis arbitrium, & suam libitum, penè omnis justitiæ sunt effecti subversores. De Clericis quid dicam, qui circiter omnes revoluti sunt ad iniquitatem pristinam? Quid de Laicis? Ipsi quippe, sed Principes maximè, vix nisi ex propria parentela conjuges sibi accipiunt, clàm desponsant, desponsatas contra Legem Ecclesiasticam scienter tenent & sibi defendunt. De Sodomitis verò, quos ipse in magno Concilio usque ad pœnitentiam & confessionem excommunicastis, & de Crinitis, quos in Paschali postmodum solemnitate Pontificali Stola redimitus, coram universo populo à liminibus sanctæ Ecclesiæ removistis, quid dicendum? cum ut deberetis non subvenitis, nec vel unus in toto Regno existat, qui hæc & alia multa Deo & omni servo Dei contraria vice nostra reprehendere audeat, aut emendare contendat. Et si veritatem vultis audire, fateor omnia hæc multò deteriùs fieri, quàm possint scripto edici, in tantùm ut ipse etiam Rex testetur nunquam tantæ fortitudinis nequitiam in patria ista fuisse, sicut modo est. Hæc autem omnia procul dubio vos solum respiciunt, & vestræ Sanctitati imputantur. Videte igitur & intendite oneri quod suscepistis, & cui curam ejus vestri loco disponendam commisistis, quando vos qui talibus obviare constituti estis, pro nihilo tam diu Regno, in quo exercentur, abestis. Considerate quoque si vobis placet, si cor vestrum ita soli Deo vacat & si in tanta securitate vestri jam conservamini, ut talibus animarum miseriis alia vigilantia condescendere non debeatis. Scio equidem & bene scio vos optimè scire quid est quod faciatis sed ipsum scire vestrum perparum prodest nobis. Fructum etenim communi utilitate ex tam diuturno negotio vestro nullum adhuc procedere videmus; mala autem solius vestri occasione in Ecclesia & populo Dei undique sucrescere omni die conspicimus.

Et hæc quidem ille vir tot mala exosus scripsit, autumans Anselmum non nisi propria voluntate ab ingressu Angliæ remorari. Sed revera Rex Henricus nullo eum pacto ingredi patiebatur, nisi postpositâ, ut suprà meminimus, obedientiâ Papæ, Episcopis & Abbatibus excommunicatis communicaret. Attamen Anselmo Remis consistente (illùc enim obnixis precibus Antistis & Canicorum ipsius loci devictus iverat, & majori quàm litteris queat exponi honore, festivoque occursu omnium id loci degentium susceptus circa Pontificem Manassen magnâ & officiosâ charitate detentus per plures dies ibi morabatur) misit ei Epistolam unam idem Rex, quam ecce subponimus.

Digitized by Google

HENRICUS 1. Rex. Reverendiſſimo, & amantiſſimo Patri Anſelmo, Cantuarienſi Archiepiſcopo, Henricus Dei gratia Rex Anglorum: ſalutem, & totius bonæ voluntatis affectum.

VEnerabilis Pater non tibi diſpliceat quod eorum iter, quos Romam ad negotium meum peragendum dirigere decrevi, tamdiu detinuit. Quod mox ut Willielmus de Warelwaſt ad te pervenerit, quem ad hoc negotium peragendum ſicut decrevimus Romam dirigo, tibi expediet. Te ſupplex igitur deprecor & devotus exoro, uti cum eodem Willielmo Balduinum de Tornaio Romam dirigas ad noſtram rem tractandam, & Deo volente finiendam. Vale.

Ad hanc ſcripſit Anſelmus Epiſtolam hanc.

Suo chariſſimo Domino, Henrico glorioſo Regi Anglorum, Anſelmus Archiepiſcopus Cantuariæ: fidele ſervitium cum orationibus.

QUòd veſtra magnitudo me in ſuis litteris tam honorificè, tanto bonæ voluntatis affectu ſalutat, gratias magnas ago ſicut debeo. Quòd autem tam ſupplicitet me rogatis ut non mihi diſpliceat quod Legatus veſter Romam mittendus tantùm moratur; utique veſtram precem, quantum in me eſt, contemnere non debeo; ſed cauſa magis Dei eſt quàm mea, unde corde fideli & benigno animo vobis dico quod tacere non debeo. Mihi quidem aliquid diſplicere niſi cùm propter Deum diſplicet, non eſt magnum; ſed diſplicere Deo aliquid, nullatenus eſt contemnendum. Utique non parum diſplicet Deo Epiſcopum ſpoliari rebus ſuis, quod jam gratiâ Dei vobis inſpirante correxiſtis; ſed Epiſcopum ſegregari à ſuo officio & Eccleſiam à ſuo Epiſcopo, ſine cauſa quam Deus approbet, nimis grave judicat. Expedit itaque animæ veſtræ quatenus ſatagatis ut ego, qualiſcunque ſim Epiſcopus, Eccleſiæ, quam Deus Regiæ veſtræ poteſtati cuſtodiendam commendavit, & Regno veſtro in pace veſtra celeriùs reſtituar, & mihi opportunitas utendi ſecundùm poſſibilitatem meam officio, pro quo ibi poſitus ſum, diutiùs non impediatur. Valde quoque mihi timendum eſt ne Deo diſpliceat, & me Dominus Papa juſtè reprehendat, quia poſtquam vos & ego ſimul convenimus apud Caſtrum, quod vocatur Aquila, in tam longo tempore non illi miſi Legatum noſtrum, per quem quid de tanta re inter nos factum & quid peragendum ſit cognoſceret, & ego ejus conſilium & juſſionem acciperem. Quapropter periculoſum eſt mihi diu expectare veſtrum Legatum, quem ante proximam Navitatem Domini, ſicut in verbis veſtris intellexi, Romam rediturum ſperavi, præſertim cùm neſcio quo conſilio quave ratione nullum terminum modo mihi conſtituitis. Quoniam igitur plus mihi debet eſſe de hoc quod ego Eccleſiæ mihi commiſſæ præſens eſſe nequeo, quàm de ulla terrena poſſeſſione; precor ut mihi aliquem proximum terminum nominetis per litteras veſtras quando poſſim Legatum veſtrum Romam iturum expectare, quia ego non audeo differre, ut multum dicam, ultrà proximam Natitatem Domini, quin meum Legatum mittam.

Scripſit quoque ſæpe memorato Roberto Comiti de Mellento tunc temporis in hunc modum, utpote illi cujus conſilio cuncta negotia ſua Rex ipſe diſponebat.

Anſelmus Archiepiſcopus, Domino & amico Roberto Comiti de Mellento: ſalutem.

VOs ſcitis quia quando Rex & ego convenimus apud Caſtrum Aquilæ, dictum fuit quòd Rex A mitteret Legatum ſuum Romam pro iis in quibus concordare non poteramus niſi per Dominum Papam. Quod intellexi ut ita fieret, quatenus ante proximam Nativitatem Domini Legatus rediret. Videtis autem quia Dominus meus Rex hoc quod tunc dixit facere moratur. Sed hoc ſolùm mandat mihi qui Legatum meum cum ejus Legato mittere volebam, ne mihi diſpliceat quia ſuus tantùm moratur, nullum mihi conſtituens terminum quando venturus eſt. Unde quidam opinantur & dicunt quòd Rex non multùm curat feſtinare ut ego redeam in Angliam; & Eccleſia Dei, quam Deus illi cuſtodiendam commendavit, quæ jam ferè per tres annos deſolata eſt, ſuo vivo Paſtore ejus reditu & præſentia conſoletur, & pro conſilio animæ ſuæ quo diù privata eſt, in illis qui hoc B amant & deſiderant, lætificetur. Quapropter dico vobis quia valde timeo ne ipſe ſuper ſe provocet iram Dei, & ſuper eos quorum conſilio differt tam neceſſariæ rei, tam rationabili ſuccurrere, cùm ad illum hoc pertineat, & facere poſſit, ut nihil perdat de iis quæ ſecundùm Deum ad Regiam pertinent poteſtatem. Sicut amicus, & ſicut Archiepiſcopus, qualiſcumque ſim, conſulo illi & iis qui circa illum ſunt, ut non plus ſtudeant ſatisfacere voluntati ſuæ quàm voluntati Dei, quia Deus aliquando ſatisfaciet voluntati ſuæ contra voluntatem illorum qui hoc faciunt. Conſulite ergo illi & vobis, priuſquam Deus oſtendat iram ſuam quam adhuc ſuſpendit, expectans ut humilienimi ad voluntatem ſuam. Deus dirigat eum C & Conſiliarios ejus ad verum honorem, & ad veram utilitatem ejus.

Hæc idcirco ita deſcribimus, ut quicunque iſta legit vel audit, planè intelligat cui mala, quæ in Anglia exulante Anſelmo facta ſunt, moramve exilii ejus potiſſimum aſcribere debeat.

Itaque poſthac miſſi ſunt Romam, ex parte quidem Anſelmi, Baldwinus Monachus, vir utique ſanctæ libertatis Eccleſiæ, & omnis boni non fictus amator; & ex Regis, Willielmus ſæpe ſuperiùs memoratus, pro libertate Eccleſiæ ſicut ſolebat acturus. Quas verò quantaſve oppreſſiones inter hæc tota Anglia oppreſſa ſit, difficile dictu eſſe ſcio. Rex enim ipſe à Normannia digreſſus, quia eam totam eo quo ſupradiximus modo ſibi ſubjugare nequiverat, reverſus D in Angliam eſt, ut copioſiori pecuniâ fretus rediens, quod reſiduum erat, exhæredato fratre ſuo, ſibi ſubjiceret. In cujus pecuniæ collectione nullus in collectoribus pietatis aut miſericordiæ reſpectus fuit, ſed crudelis exactio ſuper omnes, ut nobis qui inde veniebant teſtabantur, deſævit. Denique videres, ſicut aiebant, eos quidem qui non habebant quid darent, aut à ſuis domunculis pelli, aut avulſis apportatiſque hoſtiis domorum penitus diripiendos exponi, aut ablata vili ſuppellectile in ſummam penuriam redigi, aut certè aliis miſerabilibus modis affligi & cruciari. In eos autem qui videbantur aliquid habere, nova & excogitata quædam foris facta objiciebantur, & ſic cùm adverſus Regem terræ defendendi ſe placitum ingredi non audebant, ablatis rebus ſuis in gravem E ærumnam dejiciebantur. Sed hæc ab aliquibus levia dictu fortaſſis æſtimabuntur, eo quòd iſta non ſolùm ſub Rege Henrico, ſed & horum ſimilia multa facta fuerunt ſub fratre ejus, ut de patre taceam, Rege Willielmo. Attamen iſta illis graviora & intolerabiliora viſa ſunt, quoniam multò minùs ſolito quod jam ſpoliatis & exhauſtis auferretur, inveniebatur. Ad hæc: In Concilio Londonienſi ſocietas mulierum, ut in ſuperioribus diximus, omnibus Preſbyteris & Canonicis Angliæ interdicta erat; ipſumque interdictum, Anſelmo exulante, retentis vel certè reſumptis mulieribus, à pluribus eorum violatum fuerat. Hoc ergo peccatum Rex impunitum eſſe non ſuſtinens, ſuos Miniſtros eos implacitare, & pecunias

HENRICUS 1. Rex.

eorum

Digitized by Google

HENRICUS I. Rex.

eorum pro hujus peccati expiatione præcepit accipere. Sed ubi perplures eorum ab illa tranſgreſſione ſunt immunes reperti, pecunia quæ ad opus Principis quærebatur minorem quàm exactores ſperare poterant copiam adminiſtrabat. Quapropter mutata, immò ſuper innocentes cum nocentibus ſententia verſa, omnes Eccleſiæ quæ Parochias habebant ſub debito poſitæ ſunt, & unaquæque, indictâ pecuniæ quantitate, per perſonam quæ in ea Deo ſerviebat redimi juſſa eſt. Erat ergo miſeriam videre. Cùm enim exactionis iſtius tempeſtas ferveret, & nonnulli quid vel darent non habentes, vel rem inauditam execrati nihil pro tali cauſa dare volentes contumeliosè raperentur, incarcerarentur, cruciarentur, contigit Regem ipſum Lundoniam venire. Adunati ergo, ut dicitur, fermè ducenti Preſbyteri, induti albis & Sacerdotalibus ſtolis, Regi ad palatium ſuum eunti nudis pedibus, occurrerunt, una voce miſereri implorantes. At ille fortè, ut fit, ad multa diviſus, nulla ad preces eorum miſeratione permotus eſt, vel ſaltem quavis eos, ſicut homines omnis religionis expertes, reſponſi honeſtate dignatus, ſuis obtutibus feſtinè abigi præcepit. Qui confuſione ſuper confuſionem induti, Reginam adeunt, & interventricem flagitant. Illa, ut fertur, pietate mota in lachrymas ſolvitur, ſed timore conſtricta, ab interventione arcetur. Ferebantur eo tempore plura his in hujuſmodi per Angliam acta. Sed nos brevitati ſtudentes, pauca quæ dicta ſunt pro intentione præſentis opuſculi ſufficere poſſe putamus.

Attamen dicendum quòd eo uſque mala ſuper Angliam ipſis diebus inundaverunt, ut ipſi Epiſcopi qui ſemper libertatem Eccleſiæ & Anſelmum eandem libertatem ſublevare tuerique nitentem, ut ex ſuperioribus intelligi poteſt, cum Principe deprimere niſi ſunt, tantorum malorum immenſitate compulſi, mandata Anſelmo cum Epiſtola dirigerent, & opem ſubventionis ejus proponi depoſcerent, ſeque illum amodò ſecuturos in Dei rebus ut Patrem promitterent. Sed hæc, ut opinor, melius liquebunt, ſi epiſtola ipſa ſubſcribatur quam ei miſerunt. Eſt igitur hæc.

Patri dilectiſſimo Anſelmo, Cantuarienſi Archiepiſcopo, Gerardus Eboracenſis Archiepiſcopus, & Robertus Ceſtrencis, & Herbertus Norwicenſis, & Radulphus Ciceſtrenſis, & Samſon Wigornienſis Epiſcopi, & Willielmus Wintonienſis electus: ſalutem.

SUſtinuimus pacem, & ipſa longiùs receſſit; quæſivimus bona, & invaluit turbatio. Viæ Sion lugent, quia eas conculcant incircumciſi. Templum mœret, quia intra Sancta Sanctorum & ad ipſam Aram irrupuerunt Laici. Exurge ut olim ſenex ille Mathathias. Habes in filiis tuis virtutem Judæ, ſtrenuitatem Jonathæ, prudentiam Simonis. Hi tecum præliabuntur prælium Domini & ſi ante nos appoſitus fueris ad Patres tuos, de manu tua ſuſcipiemus hæreditatem laboris tui. Sed jam non eſt tibi pigritandum. Ut quid enim peregrinaris, & oves tuæ ſine paſtore pereunt? Jam apud Deum nulla tibi remanet excuſatio. Te enim non ſolùm ſubſequi ſed & præire ſi juſſeris parati ſumus. Veni ergo ad nos, veni citò, vel nos aut ex nobis aliquos ad te venire jube, ne dum ſejuncti à te ſumus in ſiniſtram te partem inclinent eorum conſilia qui ſua quærunt. Nos enim jam in hac cauſa non quæ noſtra, ſed quæ Dei ſunt quærimus.

Reſcriptum Anſelmi ad eos.

HENRICUS I. Rex.

Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis, Amicis ſuis, & Coepiſcopis quorum litteras ſuſcepit: ſalutem.

COndoleo, & mente compatior tribulationibus quas vos & Eccleſia Angliæ ſuſtinetis, ſed ad præſens ſecundùm meam & veſtram voluntatem ſubvenire nequeo, quia nondum quid, & quantum confidere poſſim ſum certus, donec per Legatos noſtros quos in proximos Roma redituros expecto, quid apud Dominum Papam effecerint cognoſcam. Bonum tamen eſt & gratum mihi quia tandem cognoſcitis ad quid vos perduxit, ut mitius dicam, veſtra patientia, & quia promittitis mihi auxilium veſtrum, non in mea ſed in Dei cauſa, & invitatis me non pigriter venire ad vos. Quamvis enim hoc modo facere non poſſim, quia Rex non vult me eſſe in Anglia adhuc niſi diſcordem à juſſione Papæ & ejus concordem voluntati; & ego nondum certus ſim quid poſſim, ſicut dixi, tamen gaudeo pro veſtra bona voluntate, & Epiſcopali conſtantia quam promittitis, & exhortatione quam mihi facitis. Ut autem aliquos ex vobis ad me venire faciam, ſicut poſcitis, ne dum ſejuncti ſumus ab invicem, pervertant conſilium meum qui ſua quærunt, ad præſens non opinor oportere. Spero enim in Deo quia nullus cor meum à veritate, in quantum cognoſcam, poterit avertere, & quia in proximo Deus mihi, quid facere queam, oſtendet, & ego quam citiùs potero vobis notificabo. Quid autem vobis interim faciendum ſit, prudentia veſtra ſatis intelligit; ſed tamen dico quia ego, in quantum ſperando in Deo conſcientiam meam ſentio, pro redimenda vita mea non præberem aſſenſum, neque miniſtrum aut executorem ejus mali me facerem, quod audio noviter ſuper Eccleſias Angliæ promulgari. Valete.

Inter hæc crebris de Anglia nunciis Normanniam venientibus, id quod de Preſbyteris Angliæ Rex faciebat nimis divulgabatur, & non ſolùm hos qui infamiâ ejus, verùm & eos qui laude illius paſcebantur, in odium & vituperium ejus adducebat. An Anſelmus tam malam famam de Rege non ferens, eumque à tanta injuria revocare deſiderans, ſcripſit ei de negotio ſemel & iterum, totienſque reſponſi ejus ſcripta recepit. Quæ ſcripta eo quo miſſa ſunt ordine ſubter annotanda putavit, ratus ea futuris temporibus, exempli gratiâ, profitura, ſi altiori conſilio Deus non ſedaverit in regno Anglorum quæ ſub oculis ejus hodie fiunt maxima mala. In quo tamen ab iis qui illa legunt vel audiunt petitum iri optamus, ne nobis ſuccenſeant quod ſcribendis Epiſtolis tantùm occupamur. Negotii enim, quod manu verſamus, quædam & magna pars eſt, nec totum alicujus rei, ignotis partibus ejus, ſciri poteſt. Ipſarum igitur Epiſtolarum textus hic eſt.

Henrico ſuo chariſſimo Domino, gratiâ Dei Regi Anglorum, Anſelmus Archiepiſcopus Cantuariæ: fideles orationes cum fideli ſervitio.

AD me pertinet, ſi audio quod faciatis aliquid quod animæ veſtræ non expediat, ut hoc vobis non taceam, ne, quod avertat, Deus iraſcatur, & vobis, ſi facitis quod illi non placeat, & mihi, pro taciturnitate mea. Audio quòd veſtra Excellentia vindictam exercet ſuper Preſbyteros Angliæ & foris facturam exigit ab eis qui non ſervaverunt præceptum Concilii, quod ego cum veſtro favore tenui apud Lundoniam cum aliis Epiſcopis, & Religioſis perſonis. Quod hactenus inauditum & inuſitatum eſt in Eccleſia Dei de ullo Rege, & de aliquo principe. Non enim

K

Digitized by Google

HENRICUS I. Rex. pertinet ſecundùm legem Dei hujuſmodi culpam vindicare, niſi ad ſingulos Epiſcopus per ſuas Parochias; aut ſi & ipſi Epiſcopi in hoc negligentes fuerint, ad Archiepiſcopum & Primatem. Precor igitur vos ſicut chariſſimum Dominum cujus animam diligo plus quàm præſentem vitam corporis mei, & conſulo ſicut verè fidelis corpori & animæ veſtræ ne vos contra Eccleſiaſticam conſuetudinem in tam grave peccatum mittatis, & ſi jam incepiſtis, ut omnino deſiſtatis. Dico enim vobis quod valde timere debetis, quod pecunia taliter accepta, ut taceam quantum noceat animæ, non tamen cùm expendetur, adjuvabit terrena negotia, quantùm poſtea perturbabit. Denique vos ſcitis quia me in Normannia in pacem veſtram ſuſcepiſtis, & de Archiepiſcopatu meo me reſaiſiſtis, & quod cura & vindicta talis offenſæ maximè pertinet ad Archiepiſcopatum, quoniam plus ſum Epiſcopus pro B ſpiritali cura quàm pro terrena poſſeſſione. Omnipotens Deus ſic & in hoc, & in aliis actibus veſtris dirigat cor veſtrum ſecundùm voluntatem ſuam, ut poſt hanc vitam perducat vos ad gloriam ſuam. Amen.

Henricus Dei gratiâ Rex Anglorum, Anſelmo Archiepiſcopo Cantuariæ: ſalutem.

IN die ſancti Gregorii apud Tenebrigge mihi fuerunt delatæ litteræ repoſtæ in tuo ſigillo. Et per eas mihi mandaſti talia unde multum miror quia quod feci credo me per te feciſſe. Et in die Aſcenſionis Domini habebo omnes Barones meos mecum congregatos, & per conſilium eorum ita convenienter tibi reſpondebo, quod cùm tecum loquar non credo te me C inde blaſphematurum. Et quicquid fiat aliàs, ſcito quòd tui, quicquid ipſi fecerint, per omnes terras tuas in pace permanſerint.

Suo chariſſimo Domino Henrico, gratiâ Dei Regi Anglorum, Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis: fidele ſervitium & fideles orationes.

GRatias ago Deo, & dignationi veſtræ quæ in litteris ſuis promiſit ſe convenienter reſponſuram mihi de hoc unde precatus eam fueram in litteris meis de Sacerdotibus Angliæ, & oro Dominum cu- D jus conſilium manet in æternum, & ipſe vobis conſulat reſpondere & facere quod illi placeat, & unde fideles dilectores animæ veſtræ gaudeant. De hoc autem quod legi in litteris veſtris quod creditis vos facere per me quod facitis, pro certo ſcitote, mi Domine, quod non eſt per me, quoniam contra Deum facerem ſi per me eſſet. Quapropter adhuc precor magno & fideli affectu quatenus in tali incepto nullius conſilio perſiſtatis. Valete.

Henricus Rex Anglorum, Anſelmo Archiepiſcopo Cantuariæ: ſalutem, & amicitiam.

DE hoc quod mihi mandaſti de Sacerdotibus, ſcias quod ita decenter feci ut opinor ſecundùm quod facere debui. Nec tibi ſit incognitum brevi intervallo temporis me transfretaturum. Et ex quo tecum locutus fuero, ſi qua commiſi in his, Omnipotentis Dei, & tuo conſilio corrigam. Teſte Waldrico Cancellario apud Merlebergam.

Dum hæc ita fiunt, ecce qui Romam miſſi fuerant redeunt. Suſpenſus autem fuerat ab officio Epiſcopali jam olim Willielmus Archiepiſcopus Rothomagenſis, & per hos Nuncios interceſſerat pro eo apud Dominum Papam Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis. Mandavit itaque ei Dominus Papa ut de cauſa ipſa quod faciendum intelligeret ſua vice faceret, ſciens A eum à juſtitiæ ſemitis nullius rei interventu ſcienter HENRICUS flecti poſſe. Ivit ergo Rothomagum, & in Synodo I. Rex. Clericorum, quæ tunc erat adunata, adventus ſui cauſam expoſuit. Profert litteras Willielmus Legatus Regis quas, ex parte Apoſtolici, de re Roma detulerat, & coram omnibus recitantur ſic.

Paſchalis Epiſcopus Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Willielmo Rothomagenſi Epiſcopo: ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

LIcèt cauſæ tuæ qualitas patientiam noſtram plurimum gravet, pro reverentia tamen fratris noſtri Cantuarienſis Epiſcopi & dilectione latoris præſentium filii noſtri Willielmi qui pro te apud nos vehementiùs interceſſerunt, paterna penès te benignitate movemur. Cauſam itaque tuam eidem Fratri Cantuarienſi Epiſcopo cõmilimus, ut quod ipſe indulſerit indulgeamus. Eo nimirum intuitu, ea conditione, ut malos Conſiliarios quorum inſtinctu multas pravitates incurriſti, à tua familiaritate repellas. Datæ Beneventi. v. Kl. Apr.

Miſit quoque Dominus Papa Epiſtolam hanc Anſelmo.

Paſchalis Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Anſelmo Cantuarienſi Epiſcopo: ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

QUod Anglici Regis cor ad Apoſtolicæ Sedis obedientiam Omnipotentis Dei dignatio inclinavit, eidem miſerationum Domino gratias agimus, in cujus manu Regum corda verſantur. Hoc nimirum tuæ charitatis gratiâ, tuarumque orationum inſtantiâ factum credimus, ut in hac parte populum illum cui tua ſollicitudo præſidet, miſeratio ſuperna reſpiceret. Quod autem & Regi, & iis qui obnoxii videntur adeo condeſcendimus, eo affectu & compaſſione factum noveris, ut eos qui jacebant erigere valeamus. Qui enim ſtans jacenti ad ſublevandum manum porrigit, nunquam jacentem eriget niſi & ipſe curvetur. Cæterùm quamvis caſui propinquare inclinatio videatur, ſtatum tamen rectitudinis non amittit. Te autem „Frater in Chriſto venerabilis & chariſſime, ab illa prohibitione ſive, ut tu credis, excommunicatione abſolvimus quam ab anteceſſore noſtro Sanctæ memoriæ Urbano Papa adverſus inveſtituras aut hominia factam intelligis. Tu verò eos qui inveſtituras acceperunt, aut inveſtitos benedixerunt, aut hominia fecerunt cum ea ſatisfactione qua tibi per communes Legatos, Willielmum & Balduinum viros fideles ac veridicos ſignificamus, Domino cooperante, ſuſcipio, & eos vice noſtræ auctoritatis abſolvito, quos vel ipſe benedicas vel à quibus volueris benedici præcipias, nili aliud in eis fortè repereris propter quod à ſacris ſint honoribus repellendi. Cæterùm Elienſi Abbati tuæ communionis conſortium ſubtrahes, quamdiu Abbatiam retinere præſumpſerit quam, concepto noſtri oris interdicto E quod præſens audierat, per repetitam inveſtituram præſumpſit invadere: ſi qui verò deinceps præter inveſtituras Eccleſiarum, prælationes aſſumpſerint, etiamſi Regi hominia fecerint; nequaquam ob hoc à benedictionis munere arceantur, donec per Omnipotentis Domini gratiam ad hoc omittendum cor regium tuæ prædicationis imbribus molliatur. Præterea ſuper Epiſcopis qui falſum ut noſti à nobis rumorem retulerunt, cor noſtrum vehementiùs aggravatur, quia non ſolùm nos læſerunt, ſed multorum ſimplicium animas deceperunt, & Regem adverſus charitatem Sedis Apoſtolicæ impulerunt. Unde & multum eorum flagitium, Domino cooperante, non patimur. Verumtamen quia filii noſtri Regis inſtantia pro eis nos puliat attentiùs, etiam ipius communionis tuæ participium

Digitized by Google

HENRICUS I. Rex.

non negabis, donec veniendi ad nos præceptum accipiant. Sanè Regem & ejus Conjugem ac Proceres illos qui pro hoc negotio circa Regem ex præcepto noſtro laboraverunt & laborare nitentur, quorum nomina ex ſupradicti Willielmi ſuggeſtione cognoſces, juxta ſponſionem noſtram à pœnitentiis ſuis & peccatis abſolves. Igitur quandoquidem omnipotens Dominus tantùm nos in Angliæ regno ad ſuum & Eccleſiæ ſuæ honorem in hac præſtitit correctione proficere; ea deinceps manſuetudine, diſpenſatione, ſapientia, proviſione circa Regem & Principes tua Fraternitas ſatagat, ut quæ minus adhuc correcta ſunt, auxiliante Domino Deo noſtro per tuæ ſollicitudinis ſtudium corrigantur. Qua in re ita dilectioni tuæ noſtrum ſentias adeſſe præſidium, ut quæ ſolveris abſolvamus, quæ ligaveris alligemus. Rothomagenſis Epiſcopi cautam & interdictum meum juſtitia dictante prolatum tuæ deliberationi commiſimus. Quod ei indulſeris indulgemus. Fraternitatem tuam ſuperna dignatio per tempora longa conſervet incolumen. Data x. Kal. Aprilis.

His diebus venit Rothomagum Boemundus unus de nominatiſſimis Jeroſolymitanæ viæ Principibus, habens in comitatu ſuo quendam Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, nomine Brunonem. Huic erat Magiſter militum Ilgyrus nomine, vir ſtrenuus, & non ignobilis famæ inter ſuos. Hic ab adoleſcentia ſua notus Anſelmo, multa fuerat ejus beneficia conſecutus. Familiariter itaque cum eo agens inter plurima quæ ipſi de ſuperatis bellis, de urbibus captis, de ſitu locorum, aliiſque nonnullis quæ in expeditione Jeroſolymitana acceperat delectabili allocutione diſſeruit. Quòd multas Sanctorum reliquias haberet, quoque modo eas adeptus fuerit, aperuit. In quibus immò ſuper omnibus quas habebat præcipuè gloriatus eſt de capillis beatæ Matris Dei Mariæ, quorum aliquos ſibi datos ferebat à Patriarcha Antiocheno, ubi Magiſtratum militum ipſe ſub Boemundo agebat: Et ad hæc intulit: *Hos capillos, fateor, ſuſcipere auſus non fuiſſem, ſi me amor Patriæ iſtius in qua natus fui & educatus ad hoc non animaſſet. Sperabam enim me huc quandoque perventurum, & ipſis hanc meam patriam ſublimaturum. Quoniam igitur illa ſpe, protegente Domino, fraudatus non ſum, duos ex ipſis huic Eccleſiæ quæ totius Normanniæ principatum obtinet Chriſtianitatis, dare diſpoſui; duos Abbatiæ beati Petri, & ſancti Audoeni, duos Monaſterio ejuſdem Virginis virginum, in quo ſub tuo patrocinio ad ætatem hominis provectus ſum, & duos tibi. Duodecim enim numero de illis mihi præfatus Epiſcopus dedit, conteſtans illos ab ipſa Domina ſibimet avulſos, cùm juxta Crucem filii ſui ſtans gladius animam ejus pertranſivit, ſecundùm quod in antiquarum monimentis litterarum quæ magnæ auctoritatis apud illos habebantur, & in Archivis Eccleſiæ cui præſidebat, ſervabantur, ſicut ſtruebat, ſcriptum reperit.* Et hæc ille: ſuper quibus Anſelmus admodum exhilaratus, actis cum Pontifice Rothomagenſi & Boemundo ac Jeroſolymitanis quæ videbantur agenda, Beccum revertitur. Ac crines de quibus prædictus miles locutus fuerat, quoniam Carnoti, ubi familia & penè tota ſuppellex Boemundi reditum ejus præſtolabatur, remanſerant, miſſi ab Archiepiſcopo Rothomagenſi, & Abbatæ Beccenſi religioſi Ordinis viri ſunt qui illos deferrent. Et factum eſt. Appropinquantibus eis, qui, quos Rothomagus habere debebat, apportabant, ipſi Civitati adjunctis ſibi Canonicis & omni Clero Civitatis, cum Monachis ſancti Audoeni, ac totius populi innumera multitudine, Pontifex longa proceſſione devotus occurrit, & quanto potuit honore ſuſceptos in Eccleſiam detulit, & ſacratiori loco repoſuit. Quatuor autem ex illis Beccum delati ſunt, quorum duos ipſi loco reſiduos Anſelmus reverenter ſibi excepit. Mihique, utpote qui Capellæ illius cuſtos eram atque diſpoſitor, cuſtodiendos commendavit, quod uſque hodie facio. Quid itaque de iſtis aliorum ſenſus habeat neſcio. Ego tamen certiſſimè ſcio Dominum & reverendum Patrem Anſelmum eos in magna ſemper veneratione habuiſſe, & meipſum ſacro & grandi experimento ſenſiſſe magnum quid & mundo amplectendum inſigne ſanctitatis illis ineſſe. De his ita.

HENRICUS I. Rex.

Itaque Willielmus, ubi ad Regem in Anglia venit, & ei quæ de negotio ejus ad Romanum Pontificem acta fuerant, enarravit, lætus ille ad audita, illico Anſelmum ad Eccleſiam ſuam redire per eumdem Willielmum poſtulavit; qui Willielmus ad nos poſt paucos dies reverſus Anſelmum infirmum invenit, & valde conturbatus eſt. Erat enim tunc jam ad libertatem Eccleſiæ Dei cor habens, & in quantum poterat ſollicitè operam dans ut Anſelmus ſuæ Sedi in pace & honore reſtitueretur. Timens ergo ne virum loci ac Fratrum amor non minus quàm ea quâ gravabatur corporis invalitudo ab itinere Angliæ præpediret, modis quibus poterat tam per ſe quàm & per nos qui ſecum eramus agere cœpit, qualiter virum loco evelleret, & in iter quod deſiderabat promoveret. Præmiſſis igitur precibus quibus eum ex parte Domini ſui Regis Anglorum interpellavit quatenus Angliam, ejus abſentiâ deſolatam, citato reditu viſitaret, affirmabat, & affirmando promittebat Regem ipſum penitus ad voluntatem ipſius in omne quod deinceps præciperet promptiſſimam mentem habere, nec ulterius à Romana Eccleſia velle diſſentire: Et ſubjungens, ait: *Propterea obſecro ut omnem moram rumpatis in veniendo, ne fortè ex adverſo aliqua ſecularis aura prorumpat, qua cum ab iſtis ſubverſat.* Hæc ille audiens Deo ſuper admirabili dono ejus gratias egit, acceptâque licentiâ à Fratribus inter quos jamdiu magno cum amore & honore habiti fueramus, in Angliam iturus Gemeticum venit. Ubi renovatâ infirmitate qua, ut memoravimus, Becci gravatus fuerat, à loco progredi nequaquam potuit. Quapropter miſſis in Angliam nunciis, intimavit Regi quid ſibi ne rediret, obſtabat. Turbatur ille ad audita & vehementer indoluit, jurans per Verbum Dei, ſcilicet omnia damna æquanimiùs toleraturum quàm Anſelmi deceſſum. Remiſſis ergo celerrimè nunciis, orat virum ſibi ipſi parcere, ac omnimodis indulgere quieti. Præcepit quoque ut de iis quæ ſui juris in Normannia erant, pro voto acciperet, & ſibi ac ſuis exinde miniſtari ſufficienter juberet, ſeque in proximo transfretaturum expectaret; quo ipſe gratioſè accepto, circiter menſe uno ibi remanſit. Mitigato deinde languore Beccum rediit, ratus ſibi opportunius & honeſtius fore illic quàm aliàs Regium præſtolari adventum. Ubi omnibus mira alacritate de reditu ejus exultantibus, ecce lacrymabile malum concuſſit atque ſubvertit gaudium ipſum. Nam tam gravis infirmitas iterum invaſit Anſelmum, ut de eo præter mortem nihil expectaremus. Confluunt Epiſcopi & Abbates terræ illius, ac de funere ejus quique pertractant. Sed omnipotens Deus, ſuâ pietate, ipſum contra omnium opinionem ſanitati reſtituit, & multos magno exinde gaudio lætificavit.

Igitur in Aſſumptione beatæ Mariæ Rex Beccum venit, celebratoque ab Anſelmo ſolemni Miſſæ officio, unà Rex ſcilicet & ipſe convenerunt, & tandem omnia quæ illos in diverſa traxerant pacem & concordiam invenerunt. Siquidem Eccleſias Angliæ quas Willielmus Rex frater Regis Henrici ſub cenſum, ut longè ſuperiùs retuli, primus redegerat, liberas ab eadem exactione Rex in manus Anſelmi reddidit. Et ſe de ipſis dum viveret nihil accepturum quamdiu eſſent ſine paſtore, promiſit. Pro pecunia autem quam à Preſbyteris, ut præfati ſumus, acceperat, eam emendationem ſpopondit, ut ii, qui nondum inde quid dederant, nihil darent, & qui dederant tribus

HENRICUS I. REX. annis sua omnia in pace & quiete libera possiderent. Cuncta verò quæ de Archiepiscopatu, exulante Anselmo, suo jussu accepta fuerant, se redditurum cùm in Angliam esset reversus, dato vadimonio, pollicitus est.

His & aliis, quæ res expetebat, inter viros compositis, Anselmus iter Angliam remeandi ingressus est, & divino tutamine fretus, sanus & alacer cum suis omnibus Dofris est appulsus, quâ verò exultatione, quâ jocunditate, quâ spe boni in Angliam veniens susceptus sit, reor ex consideratione malorum quæ paucis retigimus illic ante reditum ejus provenisse, aliquantulum subintelligi posse; unde, diversæ ætatis & ordinis hominum gaudia fileam, de ipsa Regina hoc breviter dixerim, quod nec terrena negotia, nec pompa sæcularis gloriæ ulla poterant eam detinere, quin virum loca diversa adeuntem præcederet, & Monachis seu Canonicis ei pro more obviam procedentibus, ipsa procederet, hospitiaque ejus, suâ providentiâ, dignis apparatibus adornaret.

Itaque post hæc, ii qui Ecclesiis ac Monasteriis pro exigenda Regia pecunia fuerant intrômissi, ejecti sunt, & personis cujusque Ecclesiæ res intus & extra ad communem utilitatem commendatæ. Presbyterorum etiam causæ, sicut Regem Anselmo promisisse diximus, dispositæ sunt; atque id ipsum per totum Regnum divulgatum.

Rex ipse inter hæc Normanniam sibi bello subegit, & id Anselmo per Epistolam quam ecce subscribimus, significavit.

Henricus Rex Anglorum, Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo: salutem, & amicitiam.

PAternitati & Sanctitati vestræ significamus Robertum Comitem Normanniæ cum omnibus copiis militum & peditum quos prece & pretio adunare potuit, die nominata & determinata mecum ante Tenerchebraium acriter pugnasse; & tandem sub misericordia Dei vicimus, & sine multa cæde nostrorum. Quid plura? Divina misericordia Ducem Normanniæ & Comitem Moritonii, & Willielmum Crispinum, & Willielmum de Ferreris, & Robertum de Stutevillie senem, & alios usque ad quadringentos milites, & decem millia peditum in manus nostras, & Normanniam dedit. De illis autem quos gladius peremit, non est numerus. Hoc autem non elationi vel arrogantiæ, nec viribus meis tribuo, sed dono Divinæ dispositionis attribuo, quo circà, Pater reverende, supplex & devotus genibus tuæ Sanctitatis advolutus te deprecor, ut supernum judicem cujus arbitrio & voluntate triumphus iste tam glorioſus & utilis mihi contigit, depreceris ut non sit mihi ad damnum & detrimentum, sed ad initium bonorum operum & servitii Dei, & sanctæ Dei Ecclesiæ statutum tranquilla pace tenendum & corroborandum, ut amodò libera vivat, & nulla concutiatur tempestate bellorum.

Igitur ob pacem quam Rex fecerat cum Anselmo hac victoria eum potitum multi testati sunt.

Normanniâ ergo sub Regiâ pace dispositâ, & Duce Roberto cum Comite Moritonii in Angliam sub captione præmissis, Rex ipse in regnum suum reversus est. Adunatis autem ad Curiam ejus in Pascha, terræ Principibus, dilata est Ecclesiarum ordinatio quam Rex se facturum dispoſuerat, eo quòd summus Sedis Apostolicæ Pontifex Paschalis Franciam venerat, & sibi ad Concilium quod Trecis erat celebraturus, à Rege Henrico & ab Anselmo Archiepiscopo sæpe suprà memoratos viros, Willielmum & Baldwinum mitti mandaverat. Ratus itaque Rex aliquid novi se in reditu illorum accepturum; in subsequens Festum Pentecostes omnia distulit, quatenus, eis reversis, securiùs quæque, agnitâ Pontificis voluntate, disponeret. HENRICUS I. REX.

Solutâ igitur Curiâ Anselmus ad Abbatiam sancti Eadmundi vadit crucem magnam ibi consecraturus, & alia quædam Episcopalia officia administraturus. Quibus expletis, cùm jam rediturum se putaret gravi corporis infirmitate corripitur, & ingravescente languore ad extrema ferè perducitur. Detentus autem est ibi propter ipsam infirmitatem usque ad octavas Pentecostes, & Concilium quod, sicut diximus dilatum erat, causa infirmitatis ejus, inducias in Kalend. Augusti accepit.

Inter hæc, ex parte Apostolici allata est Anselmo Epistola illa.

Paschalis Episcopus Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Anselmo, Cantuariensi Episcopo: salutem, & Apostolicam benedictionem.

DE Presbyterorum filiis quid in Romana Ecclesia constitutum sit, Fraternitatem tuam nescire non credimus. Cæterùm quia in Anglorum regno tanta hujusmodi plenitudo est, ut major penè & melior Clericorum pars in hac specie censeatur, nos dispensationem hanc sollicitudini tuæ committimus. Eos enim quos scientia & vita commendat apud vos, ad sacra officia promoveri, pro necessitate temporis & utilitate Ecclesiæ concedimus; ut in posterum constitutionis Ecclesiasticæ præjudicium caveatur. De persona quoque Richardi Heliensis Abbatis, petentibus filiis nostris, Henrico Rege & Willielmo de Warelwast, permittimus ut eam in communionem tuam, prætermissa satisfactione, suscipias, & si ad Monasterii regimen utilis ejus persona conspicitur tuæ dispensationi committimus, cætera etiam quæ in regno illo pro necessitate temporis dispensanda sunt, juxta gentis barbariem, juxta Ecclesiæ opportunitates sapientiæ ac religionis tuæ sollicitudo dispenset. Data iij. Kal. Junii.

In Kalendis ergo Augusti, conventus Episcoporum, Abbatum, Procerum Regni Londoniæ in Palatium Regis factus est. Et per tres continuos dies, absente Anselmo inter Regem & Episcopos satis actum de Ecclesiarum Investitur[illegible], quibusdam ad hoc nitentibus ut Rex eas faceret more patris ac fratris sui, non juxta præceptum & obedientiam Apostoloci. Nam Papa in sententia quæ exinde promulgata fuerat, firmus stans, concesserat Hominia quæ Urbanus Papa æquè ut Investituras interdixerat, ac per hoc Regem sibi de Investituris consentaneum fecerat, ut ex Epistola quam suprà descripsimus, colligi potest. Dehinc, præsente Anselmo, astante multitudine, annuit Rex & statuit, ut ab eo tempore in reliquum nunquam per datione Baculi Pastoralis vel Annuli quisquam Episcopatu vel Abbatiâ per Regem vel quamlibet Laicam manum investiretur in Anglia; concedente quoque Anselmo ut nullus in prælationem electus pro Hominio, quod Regi faceret, consecratione suscepti honoris privaretur. Quibus ita dispositis, penè omnibus Ecclesiis Angliæ quæ suis erant Pastoribus diu viduatæ, per consilium Anselmi ac Procerum regni, sine omni Virgæ Pastoralis aut Annuli Investiturâ Patres à Rege sunt instituti. Instituti quoque sunt ibidem & eodem tempore ab ipso Rege quidam ad regimen quarundam Ecclesiarum Normanniæ, quæ similiter suis erant Patribus destitutæ.

Inter ista cœpit Anselmus coram Rege regnique Episcopis atque Principibus exigere à Gerardo Archiepiscopo Eboracensi, professionem de sua obedientia & subjectione, quam non fecerat ex quo de Episcopatu Herefordensi in Archiepiscopatum Eboracensem

HENRICUS I. Rex.

ut suprà meminimus, translatum fuerat. Ad quæ cùm Rex ipse diceret sibi quidem non videri necesse esse, ut professioni quam ordinationis suæ tempore Gerardus fecerat aliam superadderet, præsertim cùm licet Ecclesiam mutaverit, idem tamen qui fuerat in persona permanserit, nec à prima professione absolutus extiterit; Anselmus, ut præsenti quidem Regis verbis adquievit, ea conditione, ut Gerardus in manum sibi daret se eadem subjectionem in Archiepiscopatu ei servaturum quàm in Episcopatu professus fuerat. Annuit Gerardus & suâ manu impositâ mani Anselmi, interpositâ fide suâ, pollicitus est se eandem subjectionem & obedientiam ipsi & successoribus suis in Archiepiscopatu exhibiturum quàm Herefordensi Ecclesiæ ab eo sacrandus Antistes promiserat.

Exin statutum est, ut qui ad Episcopatum electi erant, Cantuariam irent, & ibi dignitatis ipsius benedictionem ex more susciperent. Willielmus itaque Wintoniensis, & Rogerius Serberiensis, ac Reinelmus tunc nuper Ecclesiæ Herefordensi restitutus Episcopus, quorum suprà meminimus, necnon Willielmus qui Legatione Regis fungi solebat, tunc autem Execestrensi Ecclesiæ electus Episcopus, Urbanus quoque Glamorgatensi Ecclesiæ quæ in Gualis est similiter electus Episcopus, simul Cantuariam venerunt, & in Dominica die, quæ fuit tertio Idus Augusti, pariter ab Anselmo consecrati sunt, ministrantibus & cooperantibus sibi in hoc officio suffraganeis ipsius Sedis, Gerardo videlicet Archiepiscopo Eboracensi, Roberto Lincoliensi Episcopo, Johanni Bathoniensi, Herberto Norwicensi, Roberto Cestrensi, Radulfo Ciceſtrensi, Ranulfo Dunelmensi. Ipso die priusquam eorumdem Episcoporum consecrationem Anselmus faceret, præsentibus eis & Episcopis qui convenerant juxta mandatum Domini Papæ (nam hoc ei per literas olim mandaverat) reddidit Ealdwino virgam Pastoralem Abbatiæ de Rameſei, quam, ut suprà meminimus, perdiderat in Concilio Lundoniensi.

In subsequenti etiam quinta feria, sacravit in ipsa Sede Robertum Monachum Cœnobii Sancti Petri Westmonasterii, ad Regimen Abbatiæ Sancti Eadmundi.

Ordinatio autem Abbatis Sancti Augustini per id temporis ea causâ, ut ita dixerim, dilata est, quòd ipse qui in Abbatem, scilicet Hugo Monachus Beccensis, electus erat, nondum sacros ordines habebat. Ordinatus verò est ad Diaconatum ab Archiepiscopo in Capella sua Cantuariæ cum multis aliis, in jejunio septimi mensis, & item ad Presbyteratum à Willielmo Exoniensi Episcopo in eadem Capella, jejunio decimi mensis. Anselmus enim infirmabatur, & partim ea re, partim propter imminens festum Nativitatis Christi, Cantuariam ad Anselmum idem Episcopus jussus venerat. Post hæc cùm Anselmus ordinationem ipsius Abbatis accelerare vellet, eo quòd res Ecclesiæ pessum ibant, & quotidiè in sui diminutionem intus & extrà decidebant, voluit ut prædictus Episcopus eum in Abbatem ad Altare Christi Cantuariæ solemniter (se astante) consecraret. Sed ubi Monachis Sancti Augustini res innotuit, ad contradicendum animati sunt. Nam Ecclesiam suam privilegia habere commentati sunt per quæ Abbatem suum non nisi in Sede sua ordinari debere manifesta allegatione se probaturos asserverunt. Duravit autem hæc fabula illorum diebus nonnullis, Anselmo nullatenus assertioni eorum cedere volente. Tandem in initio quadragesimæ cùm Anselmus juxta Lundoniam pro colloquio Regis venisset, quidam ex ipsis Monachis quos ad rem exercendam ii qui domi remanserant pari voto selectos eo direxerant, omissis privilegiis suis (quæ nulla vel non rata à Rege & Principibus comprobata sunt, & damnata) per suos advocatos Regi persuaserunt, ut Anselmo mandaret, Abbatem in Ecclesia Sancti Augustini, ex antiqua consuetudine consecrare. Hujus mandati Nuncii fuerunt Willielmus Episcopus Wintoniensis, & Rogerius Serberiensis, & Willielmus Exoniensis, cum Giesleberto Abbate, Westmonasterii à Rege ad Anselmum. Respondit ergo Anselmus: *Si Rex me rogaret quatenus pro suo amore ipsum Abbatem in Ecclesia sua ordinarem, fortassis facerem, ea consideratione, eo inuitu quod Antecessorum meorũ, juris fuit & mei est indifferenter per Angliam ubicumque voluntas tulit, Episcopale officium administrare. Nunc autem quia mandat ut id faciam ex consuetudine, dico consuetudinis illud non esse.* At illi: *si contra fidem non esse dinoscitur, omnino vult ut in sua Sede consecretur.* Refert: *Non omnia facienda sunt quæ fidei contraria non sunt; alioquin plura inconvenientia fierent. Hoc quoque unde agitur quamvis, si fieret, fidei contrarium non esset, fieri tamen ex consuetudine non debet, eo quod nimis inconveniens esset. Ei quippe qui Canonicè mihi & Eccl siæ nostræ per omnia subjici debet, subditus in hoc contra ordinem fierem. Ad hæc, Archiepiscopus Cantuariensis Primas est totius Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, & adjacentium Insularum, nec pro alicujus personæ consecratione, nisi solummodo Regis ac Reginæ, Sedem suam ex consuetudine egreditur. Si ergo Rex vult ut ego eundem honorem exhibeam Abbati Sancti Augustini quem sibi, parem eum vult in regno suo facere sibi. Quod ne fiat consulo sicut ei cui fidem debeo, quatenus se ab hac voluntate cohibeat. Re etenim vera dico quia si unquam tanta inordinatio in Anglia facta fuerit, non modo Regi sed Archiepiscopis, Episcopis, Principibus, & toti regno grande opprobrium erit.* Dixerunt: *Eia, si eum in Sede sua ordinare, istis rationibus actus, non vis, mandat ut in sua Capella se præsente, illum ordinari permittas ab aliquo Episcoporum cui ipse præceperit* Respondit: *Cur illum ab alio Episcopo ordinari permitterem quem ego, gratia Dei, pro meo jure, ei debeo, ordinare potis sum?* Et *hoc quidem*, aiunt, *mallet, ut illic eum tu ipse consecrares.* Dixit: *Si hoc fecero nonnullam injuriam faciam ipsi Domino meo: meum quippe non est in Capella ejus Missam celebrare, nisi quando ipse debet à me Coronari. Itaque si hoc facio pro Abbatis consecratione, Regius honor vilesceret, & deinceps mei exemplo exigetur pro consuetudine quod hactenus fiebat statuto tempore pro solo Regis honore. Verum quia ipse vult ut proximè consecretur, eo quod nondum confirmato Abbate fluctuant res Abbatiæ, si voluerit, hic in Capella Hospitii mei eum ordinabo, quoniam quidem mihi facile non est pro tam levi re hac vice Cantuariam ire.* Relata sunt ista Regi & approbatâ ratione Anselmi, laudavit ut omissis cunctis objectionum ambagibus Abbas sacraretur, uti dixit Anselmus: ordinavit igitur illum IV. Kal. Martii, quinta feria primæ septimanæ Quadragesimæ apud Lambetham in Capella Roffensis Ecclesiæ, ubi tunc Anselmus erat hospitatus. Accepta ab eo professione, ex more, qua se Ecclesiæ Dorobernensi & Archiepiscopis ejus Canonicè per omnia obediturum promisit. Ii ergo qui affuerunt multò honestiùs ipsum Cantuariæ potuisse sacrari dixerunt, & quod major honor esset Abbati, requirere Patrem patriæ pro benedictione sua in Metropoli Sede quàm in Capella Roffensis Ecclesiæ. Inter hæc Anselmus misit Domino Papæ Epistolam hanc.

Paschali Domino, Patrique Reverendo, summo Pontifici, Anselmus servus Ecclesiæ Cantuariensis: debitam obedientiam cum orationum assiduitate.

HENRICUS I. Rex.

NOn debeo tacere Excellentiæ vestræ, quod per eam Dei gratia operatur in Anglia & in Normannia. Rex qui dominatur Anglis & Normannis obedienter suscipiens vestram jussionem. Investituram Ecclesiarum renitentibus multis, omnino deseruit; quod ut faceret, Robertus Comes de Mellento, & Richardus de Redueris, ut fideles vestri & filii Ecclesiæ veritatis attracti monitis vehementer institerunt. Rex ipse in personis eligendis nullatenus propria utitur voluntate, sed Religiosorum se penitus committit consilio; de me autem quantas debeo gratias paternæ benignitati vestræ scribendo non sufficio reddere, sed eas in charta cordis mei scriptas lego, assiduè. Cùm enim sicut servi vestri dilecti fratres nostri Willielmus & Balduinus retulerunt, vitæ meæ corruptibilis curam ne cito deficiat tam benigna sollicitudine mihi gerere præcipitis, non modicum pietatis affectum magnitudinem vestram erga pusillitatem meam habere monstratis. Omnipotens Deus vitam vestram nobis in omni prosperitate diu custodiat.

Hanc Epistolam idcirco placuit huic operi admiscere, ut ea teste monstraremus quæ de Investituris Ecclesiarum diximus rata esse. Ad quam etiam correctionem Mellentinus Comes pro litteris quas ei, ut suprà scripsimus, Papa direxerat perductus fuerit, hujus testimonio designare, pari voto cordi fuit. Re etenim vera ab iis in quibus olim versatus fuerat quadam ex parte mutatus erat: Siquidem justi amator istis consilium, illis auxilium, aliquibus utrumque, juxta quod ratio exigebat, sæpe exhibebat. Rex ipse Henricus illius consilio, in regni negotiis præstantius & efficacius cæteris credens, defuncti fratris sui Regis vestigia sequi, sicut fatebatur, perhorrebat. Attamen præfatus Comes nec Anglos diligere, nec aliquem illorum ad Ecclesiasticam dignitatem provehi patiebatur.

Suprà memorato Gundulpho Roffensi Episcopo de hac vita sublato, Anselmus ad eum sepeliendum Roffam ivit, qui, obsequio sub magna lugentium Monachorum, Clericorum, ac Laicorum multitudine decenter expleto, res ipsius Episcopii sicut expedire melius intelligebat, ad opus Ecclesiæ intus & extra, suas videlicet, ordinavit. Baeculus autem Episcopalis Cantuariam ab Ernulfo Monacho Roffensi, qui ejusdem Episcopi Capellanus extiterat, pro more delatus est, & in præsentia Fratrum super Altare Domini Salvatoris præsentatus.

Inter ista Rex Henricus considerans totum penè Regnum in gravem ærumnam multis ex causis decidisse, per consilium Anselmi & Procerum Regni operam dare instituit qualiter aliquo modo, mala quæ pauperes maximè deprimebant, mitigarentur. Cujus boni exordium gnarus à sua Curia cœpit. Tempore siquidem fratris sui Regis hunc morem multitudo eorum qui Curiam ejus sequebantur habebat, ut quæque pessundarent, diriperent, & nulla eos cohibente disciplina, totam terram, per quam Rex ibat, devastárent. Accedebat his aliud malum: plurimi namque eorum sua malitia * debriati dum reperta in hospitiis quæ invadebant, penitus absumere non valebant, ea aut ad forum per eosdem ipsos, quorum erant, pro suo lucro ferre ac vendere, aut suppositio igne cremare, aut si potus esset, lotis exinde equorum suorum pedibus, residuum illius per terram effundere, aut certè aliquo alio modo disperdere solebant. Quæ verò in Patresfamilas crudelia, quæ in uxores ac filias eorum indecentia fecerint, reminisci pudet. Has ob causas quique, præcognito Regis adventu, sua habitacula fugiebant, sibi suisque quantum valebant, in sylvis vel aliis locis in quibus se tutari posse sperabant, consulentes. Huic malo Rex Henricus mederi desiderans, indicto edicto omnibus quid aliquid eorum quæ dixi, fecisse probari poterant, aut oculos erui, aut manus vel pedes vel alia membra constanti justitia strenuus faciebat amputari. Quæ justitia in pluribus visa, cæteros integritatem sui amantes, ab aliorum læsione deterrebat.

HENRICUS I. Rex.

Item Moneta corrupta & falsa multis modis multos affligebat. Quam Rex sub tanta animadversione corrigi statuit, ut nullus qui posset deprehendi falsos denarios facere, aliqua redemptione, quin oculos & inferiores corporis partes perderet, juvari valeret. Et quoniam sæpissime dum Denarii eligebantur, flectebantur, rumpebantur, respuebantur, statuit ut nullus Denarius vel Obolus integer esset. Ex quo facto magnum bonum ad tempus toti Regno creatum est. Hæc in secularibus ad relevandas terræ ærumnas, interim Rex faciebat.

Divina nihilominus officia, quoniam indignè per quorundam Sacerdotum manus eo usque tractabantur, sollicitus instituit, ut & ipsa suo ritu castè celebrarentur: Multi nempe Presbyterorum statuta Concilii Lundoniensis, necne vindictam quam in eos Rex exercuerat, quorum superiùs mentionem fecimus, postponentes, suas fœminas retinebant, aut certè duxerant quas priùs non habebant. Quod incontinentiæ crimen Rex subvertere cupiens, adunatis ad Curiam suam in solemnitate Pentecostes apud Lundoniam cunctis majoribus Regni, de negotio cum Anselmo Archiepiscopo & cæteris Episcopis Angliæ tractavit, eosque ad malum illum exstirpandum regali Auctoritate atque potentia fulcos roboravit. Unde Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis, & Thomas electus Archiepiscopus Eboracensis (nam Gerardus tunc nuper ad eandem curiam tendens abierat) & omnes alii Angliæ Episcopi statuerunt in præsentia ejusdem glorioši Regis Henrici, assensu omnium Baronum suorum, ut Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi castè viverent, & fœminas in domibus suis non haberent, præter proxima consanguinitate sibi junctas, secundùm quod sancta Nicæna Synodus definivit. Illi verò Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, qui post interdictum Lundoniensis Concilii fœminas suas tenuerunt; vel alias duxerunt, si amplius Missam celebrare vellent, eas omnino à se facerent sic alienas, ut nec illæ in domos eorum, nec ipsi in domos earum intrarent, sed neque in aliqua domo scienter convenirent: neque hujusmodi fœminæ in territorio Ecclesiæ habitarent; si autem propter aliquam honestam causam, eos colloqui oporteret, cum duobus ad minus legitimis testibus, extra domum colloquerentur: Si verò in duobus aut in tribus legitimis testibus, vel publica Parochianorum fama, aliquis eorum accusatus esset, quòd hoc statutum violasset, purgaret se adjunctis sibi secum ordinis sui idoneis testibus sex, si Presbyter; quinque si Diaconus; quatuor si Subdiaconus esset. Cui autem hæc purgatio deficeret, ut transgressor sacri statuti judicaretur. Illi autem Presbyteri qui divini Altaris & sacrorum Ordinum contemptores præeligerent cum mulieribus habitare, à divino officio remoti, & omni Ecclesiastico beneficio privati, extra Chorum ponerentur infames pronuntiati. Qui verò rebellis & contemptor fœminam suam non relinqueret & Missam celebrare præsumeret, vocatus ad satisfactionem, si negligeret, octavo die excommunicarentur. Eadem sententia Archidiaconos & Canonicos omnes complectebatur, tam de mulieribus relinquendis quàm de vitanda earum conversatione, & de districtione censuræ, si statuta transgressi fuissent. Jurarent insuper Archidiaconi omnes quòd pecuniam non acciperent pro toleranda trangressione hujus statuti, nec tolerarent Presbyteros, quos scirent fœminas habere, Cantare vel Vicarios habere, & si eos audirent calumniari, veritatem inde inquirerent. Similiter &c. Decani hæc eadem per omnia jurarent. Qui verò

* al. inbriati

HENRICUS I. Rex.

Archidiaconus vel Decanus hoc jurare nollet, Archidiaconatum vel Decanatum irrecuperabiliter perderet. Presbyteri verò qui relictis mulieribus, Deo & sacris Altaribus servire eligerent, quadraginta dies pro transgressione præfati Concilii ab officio cessantes, pro se interim Vicarios haberent, injuncta eis pœnitentia, secundùm quod Episcopis eorum visum esset. Omnia verò mobilia lapsorum post hac Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, & Canonicorum traderentur Episcopis, & Concubinæ cum rebus suis velut adulteræ.

His diebus sermo habitus est de Parochia Episcopi Lincolnienſis quæ in nimium tendebatur, eoque processit ut, quoniam ratio Christianitatis id utile fore suadebat, Regi & Archiepiscopo cæterisque Principibus regni visum fuerit, de ipsa Parochia sumendum quo fieret alter Episcopatus, cujus Cathedræ principatus poneretur in Abbatia de Heli. Sed Anselmus quem ipsius negotii summa respiciebat, sciens præter consensum & Romani Pontificis auctoritatem novum Episcopatum nusquam ritè institui posse, scripsit ei sic.

Domino & Patri reverendo Paschali summo Pontifici, Anselmus Ecclesiæ Cantuariensis: debitam obedientiam cùm fideli obsequio & orationibus.

QUoniam robur dispositionum quæ utiliter fiunt in Ecclesia Dei, de vestræ pendet auctoritate prudentiæ, quando fiunt, ad vestrum referendæ sunt notitiam & judicium, ut cùm Apostolico assensu fuerint confirmatæ, nulla præsumptione à posteris quæ salubriter statutæ sunt, queant violari, sed rata permaneant in perpetuum. In Anglia est quidam Episcopatus, scilicet Lincolienſis, cujus Diocesis tam ampla est, ut ad ea quæ non nisi ab Episcopali persona fieri queunt unus Episcopus plenè sufficere non possit. Quod cum consideraret Rex, & Episcopi, & Principes, & alii rationabiles & religiosi viri regni Anglorum, ad utilitatem Ecclesiæ visum consilium est Episcopatum præfatum in duos dividere; ita ut Sedes Episcopalis in quadam Abbatia quæ sita est in Insula vocata Heli, & est intra præfatam dioceſim constituatur, Monachis ibidem permanentibus, sicut sunt multi Episcopatus qui Monachos in Matre Ecclesia habent, non Canonicos. Quod libenter concedit ipse Episcopus Lincolienſis, Robertus nomine, quia pro iis quæ assumuntur de sua Ecclesia ad instaurandum novum Episcopatum in Heli, tantum Ecclesiæ Lincolienſi restauratur, ut ipse sufficiens & gratum sibi esse fateatur. Cui rei mihi tum propter prædictam necessitatem, tum propter multitudinem prædictorum qui in hoc consentiunt, visum est, ut salva vestra auctoritate, assensum præberem. Precatur igitur suppliciter mea parvitas, quatenus hoc quod pro utilitate Ecclesiæ sic dispositum est, vestra auctoritate in perpetuum roboretur, ne à posteris ulla præsumptione (quod bene statutum fuerit) violetur. Oramus Dominum Omnipotentem ut Ecclesiæ suæ vos in diuturna prosperitate custodiat.

Soluta Curia, Anselmus ad villam suam, Murtelac nomine, ivit, ibique in subsequenti jejunio quarti mensis, multos ad sacros Ordines promovit. Inter quos Ricardum quoque in præcedenti proxima solemnitate Pentecostes electum ad Pontificatum Ecclesiæ Lundonienſis, ad Presbyterarum ordinavit.

Deinde ad festivitatem glorioſiſſimorum Apostolorum Petri & Pauli Cantuariam veniens, die ipsius festivitatis in Capitulo præsentibus Ecclesiæ Fratribus & multis aliis tam Monachis quam Clericis, necnon & Laicis, dedit Radulpho Abbati Sagii, viro equidem bono & religioso, & ipsi Ecclesiæ valde familiari, Episcopatum Roffenſem, accepto prius ab ipso coram omnibus Hominio, ac fidelitate. Quam fidelitatem se illi, & cunctis legitimis successoribus ejus Ecclesiæque Cantuarienſis perpetuò servaturum promisit, & hoc super quatuor Evangelia jurando confirmavit. In crastino autem misit cum Rovecestram, & cum eo Willielmum Archidiaconum suum, ut illum ex sua parte ipso Episcopatu investiret. Ejusdem quoque negotii causâ misit & Antonium Monachum illuc, qui Subprioris officio in Monasterio Cantuarienſi fungebatur. Nam ex quo Ærnulphus ipsius Ecclesiæ Prior apud Burgum Abbas fuerat factus, usque id temporis nullus in Prioratum successerat.

HENRICUS I. Rex.

Eodem tempore Rex Normanniam ire parabat. Anselmus autem ad benedicendum illi, portum maris ubi transire debebat, ab eo invitatus advenit. Sed nocte, cùm sequenti mane brachiolum maris quo Regis hospitium ab hospitio Anselmi dirimebatur, Regi locuturus transire deberet, adeo infirmatus est, ut ad Regem accedere nullo pacto valeret. Quod ubi nuntiatum est Regi, ei per Willielmum Episcopum Wintonienſem, & ejusdem nominis Episcopum Execestrenſem præcipiendo mandavit, ne ad se ullatenus iret sed plenæ indulgeret quieti. Per eosdem quoque semetipsum, quo pergebat, & filium suum quem in regno reliquebat cum toto regno commendavit tuitioni ejus, ut quicquid statueret, ratum esset; irritum, quod prohiberet. Rogavit etiam illum propter amorem sui, consecrare suprà memoratum Richardum Lundonienſi Ecclesiæ electum Pontificem, apud Cicestram, quoniam prope erat, & Episcopi quos adjutores ac ministros in officio ipso haberet, prestò. Causa autem propter quam hoc ita festinatò fieri volebat, illa dicebatur esse, quia eundem Richardum in sæcularibus multum valentem, longè versus Occidentales Angliæ fines, ad sua negotia exercenda transmittere sub celeritate disponebat. At Anselmus consideratis quibusdam rationabilibus causis renuit, nec Episcopum sacrare in Cicestra, sicut petebatur, adquievit. Veruntamen ne nihil pro Rege qui cuncta quæ tunc petebantur pro Anselmo faciebat, facere videretur, eundem Episcopum pro amore illius in Capella sua apud Pagaham consecravit, VII. Kal. Augusti, ministrantibus ei in hoc officio Willielmo Episcopo Wintonienſi, Rogerio Serberienſi, Radulfo Cicestrenſi, & Willielmo Execestrenſi, acceptâ priùs ab eo pro more de obediendia & subjectione sua, professione.

Posthæc venit Anselmus Cantuariam, & ibi cum magno honore consecravit, præfatum Radulfum Roffenſi Ecclesiæ electum Episcopum, quinto Idus Augusti, Ministrantibus sibi in hoc Willielmo Episcopo Wintonienſi, Radulfo Cicestrenſi, & Richardo Lundonienſi. Qui Richardus Antecessorum suorum secutus, honesto munere honoravit ipso die Matrem suam Ecclesiam Cantuarienſem, juxta quod statutum fuerat à Rege quanto impetravit ab Anselmo ut eum sacraret apud Pagaham, sicut diximus.

Inter hæc electus est ab Alexandro Rege Scotiæ & Clero & Populo Monachus quidam Dunelmenſis, nomine Turgodus, ad Episcopatum Sancti Andreæ de Scotia. Cujus consecratio dum ultra quàm expediret demoraretur, tum propterea quia Thomas Eboracenſis Ecclesiæ Antistes electus necdum fuerat consecratus, tum propter quædam alia, quæ longum est enarrare, Ranulphus Dunelmenſis Episcopus proposuit eundem electum in præsentia ipsius Thomæ apud Eboracam consecrare,

d by Google

HENRICUS I. Rex.

ſociatis ſibi Epiſcopis Scotiæ & Orcadarum Inſularum. Verum quia id præter conſenſum & auctoritatem Cantuarienſis Epiſcopi ritè fieri non poſſe ſciebat, mandavit ei de negotio per militem quendam, & ut ejus conſilio & conceſſione ſacraretur, deprecatus eſt. Ad quæ ſcripſit ei Epiſtolam hanc.

Anſelmus Archiepiſcopus Cantuariæ, Ranulfo Epiſcopo Dunelmenſi : Salutem.

MAndaſtis mihi per quendam militem, Scollandum nomine, quòd volebatis ut electus Epiſcopus Eccleſiæ Sancti Andreæ de Scotia ſacraretur, & hoc volebatis fieri meo conſilio & mea conceſſione. Sed hoc nec debet nec poteſt Canonicè fieri ab eodem electo Archiepiſcopo : nec ab alio per illum, priuſquam ipſe fiat Archiepiſcopus Canonica conſecratione. Quapropter nec conſulo nec concedo, (immo interdico) ne fiat ante Conſecrationem ejuſdem electi Archiepiſcopi, niſi à me, ſi fortè hoc neceſſitas exegerit. Vale.

Poſt hæc Anſelmus conſiderans Thomam Epiſcopalem ſuam benedictionem non ita expetere, ſicut debebat, ſcriptam hanc Epiſtolam ei direxit.

Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis, Amico ſuo Thomæ electo Archiepiſcopo Eccleſiæ Eboracenſi : Salutem.

CAnonica Auctoritas præcipit ut Eccleſia Epiſcopatus ultra tres menſes non maneat ſine Paſtore. Quoniam autem Regi placuit conſilio Baronum ſuorum & noſtra conceſſione ut veſtra perſona eligeretur ad Archiepiſcopatum Eboracæ, non debet per vos terminus ſalubriter conſtitutus diutius differri. Unde miror quia poſt electionem veſtram non requiſiſtis ut conſecramini, ad quod electus eſtis. Mando itaque vobis ut octavo Idus Septembris ſitis apud Matrem veſtram Eccleſiam Cantuarienſem ad faciendum quod facere debetis, & ad ſuſcipiendam conſecrationem veſtram. Quod ſi non feceritis, ad me pertinet ut ego curam habeam & faciam quæ pertinent ad Epiſcopale officium in Eboracenſi Archiepiſcopatu. Præterea audivi quòd vos priuſquam conſecremini facere vultis ut electus Epiſcopus Sancti Andreæ de Scotia apud Eboracam conſecretur. Quod nec vos facere debetis, nec ego concedo, ſed omnino interdico ne fiat, aut de illo aut de aliqua perſona quæ in regimen animarum debet provehi ab Archiepiſcopo Eboracenſi, quia non pertinet ad vos dare, vel concedere alicui regimen, aut curam animarum quia nondum accepiſtis. Valete.

Ad illam ſcripta eſt Epiſtola hæc.

Dilectiſſimo Patri & Venerabili Domino, Anſelmo, Sanctæ Cantuarienſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, Thomas Eboracæ Metropoli electus, licet indignus : Salutem, & amicæ fidelitatis obſequium.

GRatias ago vobis, Reverende Pater, quòd me ſemper dilexiſtis & audiviſtis, & de proventu meo exultavit, & lætatum eſt cor veſtrum in Domino. Dominus Deus retribuat vobis pro me. Quod ad conſecrationem meam venire diſtuli, cauſa fuit non una nec parva quæ ne detinuit. Pecuniam quam pro facultate mea magnam cauſa veniendi ad vos contraxeram, ultra ſpem meam, & nimiùm diu moratus totam diſpendi Wintoniæ à quâ citius diſcedens, ad vos venire diſpoſueram. Placuit autem Domino noſtro Regi ut quum ille Legatos Romam pro cauſa ſua mittebat, ego cum eis meum mitterem ad requirendum Eccleſiæ noſtræ Pallium. Feſtinanter igitur conſilio Regis ad propria reverſus ad hoc opus quæſivi, & ad huc quæro pecuniam, ſed parum, niſi graviter mutuatam, invenio; quoniam Dominus Girardus Archiepiſcopus Eccleſias noſtras & homines & ipſum dominium noſtrum multum pauperavit. Et certè Rex promiſit mihi quòd vobis colloqueretur, & dilationem meam apud vos excuſaret. Termino à vobis conſtituto (Domino auxiliante) ero apud ſanctam Cantuarienſem Eccleſiam, ſi opportunè potero, ſuſcepturus & facturus quæ debeo. Quòd ſi non potero, cùm mihi Paternitas veſtra mandavit ut quindecim diebus antè vobis renuntiarem, precor benignitatis veſtræ ſanctitatem, ut decem diebus antè vobis renuntiare poſſim, mihi concedatis. Litteras verò Paternitatis veſtræ requiro in teſtimonium perſonæ & electionis noſtræ quales debetis & ſcitis oportere. Hoc modo veſtra Sanctitas meæ parvitati debet; hoc veſtra Eccleſia noſtræ denegare non debet. De electo Epiſcopo Sancti Andreæ de Scotia, quod audiſtis; rumores ſunt, quibus credere non oportet. Facile ergo eſt interdici, quod, ut fieret, non à me excogitatum eſt. Vivere vos ſanum lætumque, diuque Deoque noſtra Domino noſtro ſupplicat Eccleſia. Sanctæ Cantuarienſis Eccleſiæ congregationem ſaluto & oro ut pro me oret. Valete.

Reſcriptum Anſelmi ad eundem Thomam.

Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis, Amico ſuo Thomæ, Electo Archiepiſcopo Eboracenſi : ſalutem.

MAndaſtis mihi in litteris veſtris quod termino à me vobis conſtituto (Deo auxiliante) Cantuariæ eritis, ſi oportunè poteritis, ſuſcepturus & facturus quod debetis. Rogaſtis quoque ut ſi id efficere non valetis, concederem quatenus id mihi X. diebus ante renunciare poſſetis. Sed & Willielmus Clericus Nuncius veſter precatus eſt me ex veſtra parte, quatenus ego ipſum terminum adventus veſtri aliquantum extenderem, ut ad nos opportuniùs poſſetis venire. Quod & ego cauſâ veſtri amoris & opportunitatis libenter facio. Ne itaque opus ſit vos mihi quicquam antè, de veſtro adventu renunciare, ſummoneo vos ut die Dominico qui erit quinto Kl. Octobris, Cantuariæ ſitis ad faciendum quod facere debetis; & ad ſuſcipiendam conſecrationem veſtram. Præterea quod dicitis in litteris veſtris vos pecuniam quærere, ut Romam mittatis pro Pallio Eccleſiæ veſtræ, non concedo. Et puto quòd id fruſtra faceretis, quoniam nullus debet habere Pallium antequam ſit conſecratus. Litteras quas requiris in teſtimonium perſonæ & electionis veſtræ, cùm mihi locuti fueritis & oſtenderitis cui eas dirigere debeo, libenter faciam pro vobis, ſicut proamico, quod facere debeo. Valete.

Ratus ergo Anſelmus non eſſe abs re præmunire Dominum Papam de negotio Pallii, quod ſibi Thomas ſe mandaverat requiſiturum, ſcripſit ei Epiſtolam hanc.

Domino & Patri verè diligendo & reverendo, Paſchali, ſummo Pontifici, Anſelmus Servus Eccleſiæ Cantuarienſis : debitam obedientiam cum fidelibus orationibus.

QUoniam fortitudo & directio Eccleſiarum Dei maximè pendet ex auctoritate Paternitatis veſtræ poſt Dominum, quando ratio exigit ad ejus libenter recurrimus auxilium & conſilium. Archiepiſcopus Eboracenſis, Girardus nomine, migravit de hac vita. Et

Digitized by Google

HENRICUS I. Rex. Et alius, Thomas nomine, loco ejus electus est. De quo rumor est quòd quæritur ei Pallium antequam sit consecratus, & mihi faciat professionem secundùm antiquam consuetudinem Antecessorum meorum & suorum. Hæc est igitur summa precum mearum in hac re; ut antequam consecretur & mihi debitam obedientiam (sicut dixi) profiteatur, & hoc factum esse literis nostris cognoscatis, à vestra Excellentia Pallium non suscipiat. Quod non dico idcirco quòd illi Pallium invideam, sed quoniam quidam autumant, & etiam procurant, ut si hoc à vobis concessum fuerit, confidat se professionem debitam mihi posse denegare. Si enim hoc contingeret, scitote quia Ecclesia Angliæ scinderetur, & secundùm sententiam Domini dicentis: *Omne Regnum in se ipsum divisum desolabitur*, desolaretur, & vigor B Apostolicæ disciplinæ in ea non parum debilitaretur. Ego quoque nullatenus remanerem in Anglia. Non enim deberem aut possem pati, ut (me in ea vivente) Primatus Ecclesiæ nostræ destrueretur. Hoc ipsum & eodem affectu suggero reverentiæ vestræ de Lundonia, si ejus Episcopo Pallium petitur (quod nunquam habuit) ut scilicet ad hoc nullatenus assensum præbeat. Quidam namque concinnant sub hac specie boni, Primatus Cantuariæ dignitatem quemadmodum non oportet humiliare. Misi Sanctitati vestræ in hoc anno post Pentecosten, literas per Bernardum servientem Domini Petri Camerarii vestri, quod Rex Angliæ conqueritur quòd sustinetis Regem C Teutonicum dare Investituras Ecclesiarum sine excommunicatione, & ideo minatur sine dubio se resumpturum suas Investituras, quoniam ille suas tenet in pace. Videat igitur Prudentia vestra sine dilatione quid inde agere debeatis, ne quod tam bene ædificastis, irrecuperabiliter destruatur. Rex enim noster diligenter inquirit, quod de illo Rege facitis. Oramus Dominum Deum ut nos lætificet de diuturna prosperitate vestra.

Rescriptum Domini Papæ ad Anselmum.

Paschalis Episcopus Servus Servorum Dei, dilecto Fratri Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo: Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Literas tuæ dilectionis recepimus, per quas affabilitatis tuæ dulcedinem recognovimus. Bene autem & sapienter egistis quòd nos de causa & honore Cantuariensis Ecclesiæ prænonitos & cautos reddidisti. Nos siquidem in te ipsius beati Augustini Anglorum Apostoli personam venerabilem intuemur, & ideo honori tuo, vel Ecclesiæ tuæ aliquid detrahere omnino refugimus; unde quæ rogasti libenter suscepimus, & ad servandum tuum & Ecclesiæ tuæ honorem, custodiam & sollicitudinem adhibemus. Porro quod in eisdem literis significasti, scandalizari quosdam quòd Regem Teutonicum dare Investituras E Ecclesiarum toleramus; nec toleraste nos aliquando, nec toleraturos scias. Expectavimus quidem ut ferocia Gentis illius edomaretur. Rex verò si in paternæ nequitiæ tramite perseveraverit, Beati Petri gladium, quem jam educere cœpimus, proculdubio experietur. Datæ Beneventi IV. Idus Octobris.

Suprà memoratus Thomas inter ista, mutato priori consilio, Cantuariam statuto sibi termino, prohibitus à Canonicis suis, sicut per literas Anselmo mandavit, venire non potuit, & ob hoc quid sibi inde foret agendum, consilium ab eo petivit. Ipsi quippe Canonici scientes Anselmum ætate simul & debilitate fatigari, rati sunt eum citius huic vitæ subtrahendum, & ideo mota calumnia Ecclesiam Eboracensem parem esse Cantuariensi Anselmo scripserunt. In quo tamen electum antistitem Ecclesiæ suæ Cantuariam ire debere pro benedictione sua cognoverunt, sed professionem de subjectione sua Pontifici Cantuariensi eum facere debere negaverunt, ac ne faceret, quantum in eis fuit, ex parte Dei & Romanæ Ecclesiæ prohibuerunt. Quod quali fama ipsos Canonicos apud multorum mentes notaverit, & me tacente, conjicere possunt, qui quid juris ex antiquo Ecclesia Cantuariensis super Eboracensem semper habere consueverit, sciunt. Anselmus autem postponens Clericorum literis respondere, ad literas Thomæ scripsit hæc. HENRICUS I. Rex.

Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis, amico suo Thomæ, electo Archiepiscopo Eboracensi: salutem.

Mandavi vobis caritativè plusquam semel, quatenus ad Matrem vestram Ecclesiam Cantuariensem veniretis, ad suscipiendam benedictionem vestram, & ad faciendum quod debetis; & non venistis. Quapropter eàdem dilectione vobis adhuc mando quatenus apud ipsam Matrem vestram sexto Idus Novembris sitis, ut faciatis quod debetis, & suscipiatis benedictionem nostram. Præterea, quia consilium petitis, consulo vobis ut non incipiatis aliquod quod non debetis, contra Ecclesiam Cantuariensem. Nam pro certo sciatis quia omnibus modis quibus possum ad hoc me impendam, ut de sua dignitate Ecclesia ipsa meo tempore nihil perdat. Valete.

Non venit; sed directa Epistola hæc inter alia scripsit.

Causam qua differtur Sacratio mea, quam nemo studiosius quàm ego vellet accelerare, qui protulerunt non desistunt corroborare. Quamobrem quàm periculosum, quàm turpe sit contra consensum Ecclesiæ (cui præsici debeo) regimen ipsius invadere, vestra Discretio noverit. Sed & quàm formidabile, quàm sit evitandum sub specie benedictionis maledictionem induere.

Ex his Anselmus advertens Thomam Clericorum suorum magis quàm suo, quod petiverat, D consilio inhærere, fecit Episcopos venire ad se, & cum eis negotio tractans, quid præcipuè foret agendum, disquisivit. Probant illi duos adhuc Episcopos ad eum dirigi, qui illum ex parte Anselmi & omnium Episcoporum Angliæ moneant, cœptæ rebellioni renunciare; & siquidem id facere nolit, suadeant ei Cantuariam pro benedictione sua, secundùm quod se facere debere cognoverat, venire, ibique (si possit) probet se à subjectione quam Anselmus exigebat debere liberum esse, & hoc si queat efficere sacratus redeat in sua cum pace. Placuerunt ista Patri. Et hæc agere missi sunt Episcopi duo, Lundonensis videlicet, quia Decanus Ecclesiæ Cantuariensis, & Roffensis, qui ejusdem Ecclesiæ proprius atque domesticus esse dignoscitur. Hi ergo iter aggressi, mandaverunt Thomæ, & occurrit eis apud Suthwellam villam suam. Exponunt ei pro quibus venerint. At ipse Nuncium suum, quem Normanniam ad Regem miserat, & plures de suis, quos ad se longè inde pervenire mandaverat, se expectare respondit. Qui cùm venerint inquit, audito eorum consilio, faciam quod potissimum mihi faciendum laudaverint. Reversi in istis Episcopi sunt.

Post hæc, brevi temporis spatio interposito, Nuncius ex parte Thomæ ad Anselmum directus, literas, quas ecce scribimus, sigillo Regis inclusas ei porrexit.

Digitized by Google

HENRICUS I. Rex. Henricus Dei gratiâ Rex Anglorum, Anſelmo Cantuarienſi Archiepiſcopo, caro Patri ſuo : ſalutem, & amicitiam.

MAndo vobis ut reſpectetis æquo animo & bona voluntate benedictionem Thomæ Eboracenſis Archiepiſcopi, uſque ad Paſcha, & quicquid inter vos inde actum eſt. Ego enim, ſi infra prædictum terminum in Angliam rediero; conſilio Epiſcoporum & Baronum meorum vos juſtè & honorificè inde concordabo. Quòd ſi tam citò non rediero, taliter inde agam, quòd fraterna pax & bona concordia inter vos erit.

Ad hæc, Nuncio petenti quid Anſelmus vellet dare reſponſi, dixit : *Se Regi qui ſibi literas miſit, non Thomæ reſponſurum.* Delegata igitur legatione hujus rei Odoni Decano Eccleſiæ Cicèſtrenſis, & Alboldo Monacho Cœnobii ſanctæ Mariæ Beccenſis, deſtinavit eos in Normanniam ad Regem narrare illi totum quod præſentis diſſidii tenore, inter ſe & Eboracenſes actum extiterat. Rogarent etiam illum quatenus ſuæ Auctoritatis ingenuitate & proviſione ſatageret, ne integritas Chriſtianitatis in duo diviſa ſcinderetur in Anglia, certus exiſtens quòd ſciſſionem, juxta Domini dictum, deſolatio ſequeretur. De induciis autem quas Thomæ Eboracenſi Archiepiſcopo dari mandaverat, pro certo ſciret quòd priùs pateretur totus membratim diſſecari, quàm de negotio, in quo illum contra antiquas Sanctorum Patrum ſanctiones, ſi injuſtè & adverſus Deum erexiſſe ſciebat, vel ad horam illas aliquando daret. Reverſi Nuncii, referunt Regem æquo animo ac benigno verba Anſelmi ſuſcepiſſe, pollicitumque ſe per auxilium & miſericordiam Dei re ipſa oſtenſurum, quod integritatem Chriſtianitatis diligeret in Anglia, non ſciſſuram.

Inter hæc languor qui corpus Patris Anſelmi graviter affligebat gravior ſibi ipſi de die in diem fiebat. Notæ tamen rebellionis non immemor, ſcripſit Thomæ Epiſtolam hanc.

Anſelmus Miniſter Eccleſiæ Cantuarienſis, Thomæ electo Archiepiſcopo Eborarenſi.

TIbi, Thoma, in conſpectu Omnipotentis Dei, Ego Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis & totius Britanniæ Primas loquor. Loquens ex parte ipſius Dei, Sacerdotale officium quod juſſu in Parochia mea per ſuffraganeum meum ſuſcepiſti, tibi interdico, atque præcipio ne te de aliqua cura Paſtorali ullo modo præſumas iiitromittere, donec à rebellione quam contra Eccleſiam Cantuarienſem incepiſti, diſcedas, & ei ſubjectionem quam Anteceſſores tui, Thomas videlicet, & Girardus Archiepiſcopus, ex antiqua Anteceſſorum conſuetudine profeſſi ſunt, profitearis. Quòd ſi in iis quæ cœpiſti magis perſeverare, quàm ab eis deſiſtere delegeris, omnibus Epiſcopis totius Britanniæ ſub perpetuo Anathemate interdico, ne tibi ullus eorum manus ad promotionem Pontificatus imponat, vel, ſi ab externis promotus fueris, pro Epiſcopo vel in aliqua Chriſtiana communione te ſuſcipiat. Tibi quoque, Thoma, ſub eodem Anathemate ex parte Dei interdico, ut nunquam benedictionem Epiſcopatus Eboracenſis ſuſcipias, niſi prius profeſſionem, quam Anteceſſores tui Thomas & Girardus Eccleſiæ Cantuarienſi fecerunt, facias. Si autem Epiſcopatum Eboracenſem ex toto dimiſeris, concedo ut officio Sacerdotali, quod jam ſuſcepiſtis, utaris.

Hanc Epiſtolam omnibus Epiſcopis Angliæ, ſingulam ſingulis, cum ſuo ſigillo direxit, unicuique mandans atque præcipiens per Sanctam obedientiam, quam Eccleſiæ Cantuarienſi debebant, ut ſecundùm quod in illa ſcriptum erat, ſe erga ipſum Thomam deinceps tenerent. HENRICUS I. Rex.

Poſt hæc XI. Kal. Maii defunctus eſt Cantuariæ in Metropoli Sede glorioſus Pater Anſelmus, & die ſequenti, quæ fuit Cœna Domini, in Majori Eccleſia ad caput venerandæ memoriæ Lanfranci Prædeceſſoris ſui, honorificè ſepultus, Anno Incarnati Verbi milleſimo centeſimo nono, Regni verò Henrici glorioſi Regis Anglorum nono, Pontificatus autem ipſius Anſelmi XVI. Ætatis verò ſeptuageſimo ſexto.

Itaque poſt hæc, paucis diebus evolutis, venit Angliam miſſus à venerando Summo Pontifice Paſchale, Clericus quidam (Ulricus nomine) Cardinalis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ. Hic Pallium Eboracenſi Eccleſiæ ſecum ferens, ubi didicit Anſelmum vitam finiſſe (nam obitum ejus, quia tunc nuper acciderat, non longè extra Angliam famæ certitudo pertulerat) conſternatus animo, quid potiſſimum ſibi foret agendum, dubitabat. Pallium etenim ipſum Anſelmo primitus deferendum à Romano Pontifice ſumpſerat, & ut demum juxta conſilium ac diſpoſitionem ipſius inde ageret, ab eodem præceptum acceperat.

In ſubſequenti feſtivitate Penteceſtes, Rex Henricus Curiam ſuam Lundoniæ in magna mundi gloria, & diviti apparatu celebravit. Qui tranſactis Coronæ ſuæ feſtivioribus diebus, cœpit agere cum Epiſcopis & regni Principibus, quid eſſet agendum de conſecratione electi Eccleſiæ Eboracenſi. Ad quod recitata eſt coram eo Epiſtola, quam proximè ſupra ſcripſimus, ipſi electo ab Anſelmo deſtinata, interdicendo, videlicet, illi benedictionem, ſi primò non faceret Eccleſiæ Cantuarienſi profeſſionem. Quam Robertus Comes de Melleuto ſibi expoſitam, uti intellexit, ſciſcitatus eſt quiſnam Epiſcoporum eandem Epiſtolam ſuſcipere auſus fuerit præter aſſenſum & imperium Domini Regis. In qua interrogatione Epiſcopi advertentes Comitem velle calumniam movere, qua eos Regiæ Majeſtati obnoxios faceret, remoti à multitudine, habito conſilio, ſtatuerunt apud ſe ſuis omnibus, ſi Regia ſententia hoc fortè Comitis inſtinctu dictaret, ſe malle deſpoliari, quàm iis quæ Anſelmus de præſenti querela præceperat, non obtemperare. Erant autem hi, Richardus Lundonienſis, Willielmus Wintonienſis, Robertus Lincolienſis, Herbertus Norwicenſis, Rogerius Serberienſis, Radulphus Roffenſis, Reinelmus Herefordenſis, Robertus Ceſtrenſis, Johannes Bathonienſis, Radulfus Ciceſtrenſis, Willielmus Exonienſis. Iſtis ergo, firmato conſilio, ut diximus, inter ſe, viſum eſt Samſonem Wigornenſem Epiſcopum accerſendum, & quam de negotio ſententiam ferret etiam ipſe, perquirendum. Factum eſt, & reſpondit : *Licet hunc qui in Pontificatum Eboracenſem electus eſt, olim ex conjuge filium ſuſceperim, eique juxta ſeculum & carnis naturam honoris ac dignitatis profectus jus æquiſſimè debeam, multo maximè tamen id Matri meæ Eccleſiæ Cantuarienſi debeo, quæ me in eum, in quo ſum, honorem provexit, & gratia quam à Chriſto Domino meruit me per Pontificale miniſterium participem fecit. Quapropter notum omnibus eſſe volo, me & literis Patris noſtri Anſelmi de cauſa quæ nunc inter nos agitur factis, modis omnibus obediturum, nec unquam aſſenſum præbiturum, ut is qui electus eſt in Epiſcopatum Eboracenſem aliquatenus conſecretur, donec de ſubjectione ſua Eccleſiæ Cantuarienſi debitam & Canonicam obedientiam profiteatur. Ipſe enim præſens fui quando frater meus Thomas Archiepiſcopus Eboracenſis tum Antiquis conſuetudinibus, tum invincibi-*

HENRICUS I. Rex.

libus allegationibus actus, eandem professionem, Lanfranco Archiepiscopo Cantuariensi, & cunctis ejus successoribus fecit. His dictis, illico simul omnes Episcopi ad Regem reversi sunt, constanter & literas super quibus Comes scisscitatus fuerat, se suscepisse, & contra eas nulla ratione quicquam acturos asserentes: Ad quæ, cùm idem Comes caput agitaret, autumans jam in illos quasi de contemptu Regis crimen injiciendum, dixit Rex: *Quicquid in iis aliorum sententia ferat, de me constat quia cum Episcopis sentio, nec vel ad horam excommunicationem Anselmi subjacere aliquatenus volo.* Quibus auditis, gavisi sunt omnes. Et agentes Domino grates pariter conclamaverunt Anselmum adesse, & quam non poterat in corpore degens, jam mundo absentem causam Ecclesiæ suæ determinasse. Deinde in laudibus eximii Principis demoratum est, ac ut ipse dignitatem Primatus Ecclesiæ Cantuariensis humiliari à nullo permitteret postulatus; siquidem in hoc, dicunt, consuetudines antiquæ & earum confirmationes, astipulatione totius regni sub magno Rege Willielmo factæ, necne privilegia quæ his priora existunt ab Apostolica Sede ipsi Ecclesiæ collata corrumperentur, scinderentur, annihilarentur. Adquievit istis Rex, & jussit ipsarum quoque scripta Auctoritatum, quæ Ecclesia Cantuariensis habebat, sub celeritate afferri, allata recitari. Quod ubi factum est, intulit: *Quid amplius quæritur? Auctoritates, & privilegia Apostolicæ Sedis & quæ in præsentia Patris & Matris meæ, sub testimonio & confirmatione Episcoporum, Abbatum, & Procerum Regni definita sunt ne quasi de Epistola Anselmi penitùs taceatur, ego in quæstionem mitterem, ego novis ambagibus agitari permitterem? Immo sciat Thomas se aut subjectionem & obedientiam Ecclesiæ Cantuariensi ejusque Primatibus, ut Antecessores sui professi sunt, professurum aut Archiepiscopatui Eboracensi ex toto cessurum. Eligat ergo quod vult. Confideratis itaque Thomas auctoritatibus quibus Ecclesiam Dorobernensem niti & circumvallari videbat, spretis Clericis suis quorum se consilio ereptisse serò dolebat, se contra ipsas Auctoritates nolle stare, sed morem Antecessorum suorum sequendo, & ipsis adquiescere, & Ecclesiam ipsam deinceps semper diligere velle dixit & honorare. Præcepit igitur Rex ut professio quam Thomas erat facturus, in sui præsentia diffaretur, scriberetur, sigilloque suo charactere, ut vocant, retunde crassi imprimenda, nequid in ea quovis molimine antequam eam profitendo Thomas legeret, mutaretur, servaretur inclusa.* Quod & factum est.

Dominica ergo die quæ fuit IV. Kl. Julii convenerunt, jubente Rege, Richardus Lundonienſis, Willielmus Wintonienſis, Radulphus Roffenſis, Herbertus Norwicenſis, Radulphus Ciceſtrenſis; Rannulphus Dunelmenſis, & Herveus Pangornenſis Epiſcopi in Eccleſia beati Pauli Lundoniæ pro conſecratione Thomæ. Inter ſolitam ergo examinationem, ſuo loco profeſſionem de ſubjectione & obedientia ſanctæ Eccleſiæ Dorobernenſis exhibenda Richardus Lundonienſis Epiſcopus, qui Thomam erat ſacraturus, ab illo exegit. Profeſſio igitur, ſicut erat ſigillata, ſibi coram omnibus oblata eſt, fractoque ſigillo evoluta & electa ab eo eſt ita: *Ego Thomas Eboracenſis Eccleſiæ conſecrandus Metropolitanus, profiteor ſubjectionem & Canonicam obedientiam ſanctæ Dorobernenſi Eccleſiæ, & ejuſdem Eccleſiæ Primati Canonicè electo & conſecrato, & ſucceſſoribus ſuis Canonicè inthronizatis, ſalva fidelitate Domini mei Regis Henrici Anglorum, & ſalva obedientia ex parte mea tenenda, quam Thomas Anteceſſor meus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ex parte ſua profeſſus eſt.*

Intererat huic officio Prior Eccleſiæ Dorobernenſis (Conradus nomine) & ex Monachis ejuſdem loci quamplures, qui pro hoc ipſo quoniam res eos maximè reſpiciebat, illo convenerant. Lectam itaque profeſſionem cùm à Thoma ſibi oblatam Richardus Antiſtes Lundonienſis accepiſſet, eam nominato Priori & Fratribus tradidit, dicens: *Hanc, Fratres & Domini mei, in teſtimonium auctoritatis veſtræ Eccleſia ſuſcipite, & ipſam vobis factam in memoriam poſteritatis, ſervate.* Deinde à Radulpho Ciceſtrenſi Epiſcopo dictum in populo eſt, ipſam conſecrationem, ex recto & antiqua conſuetudine debere fieri Cantuariæ. Et adjecit: *Verum quia ipſa Civitas, defuncto Patre noſtro Anſelmo, nunc quidem Pontifice caret, viſum Regi ſacratiſſimo Ordinibus regni eſt atque Principibus, eam hic atque ab hujus Sedis Epiſcopo præ aliis poſſimum celebrandam, eo maxime, ea ratione quòd Epiſcopus Lundonienſis inter alios Epiſcopos eſt Decanus Eccleſiæ Cantuarienſis, & ideo ſpeciali quadam dignitate cæteris anteponendus.* Ita ergo in Epiſcopatum Eboracenſem Thomas conſecratus eſt, ſuſcipiens à Miniſtro, quod ſuſcipere detrectavit à Magiſtro. Dum ergo vitæ præſenti ſuper fuit, pœnitudo hujus facti ab animo ejus non receſſit, ſe infœlicem, nec tanti Patris benedictione dignum fuiſſe pronuncians.

HENRICUS I. Rex.

Quibus peractis, præfatus Eccleſiæ Romanæ Cardinalis, audito Rege Curiæque Regis conſilio, Pallium quod detulerat, Eboracam detulit, ipſoque Pontificem ejus inveſtivit, ſicque Romam redeundi iter repetiit.

Inter hæc Herveus Epiſcopus Pangornenſis, cujus ſuprà meminimus, ab Eccleſia ſua, quam olim dimiſerat, penitus tranſlatus eſt, & novo Epiſcopatu, quem Rex & Principes dudum in Heli ſtatuendum, juxta mentionem inde ſuperiùs factam, decreverant, inthronizatus. Quod quidem ut adipiſci mereretur, multâ prece, multis multarum rerum promiſſionibus, multorum quoque officiorum exhibitionibus, vix poſt obitum ſtrenuiſſimi Patris Anſelmi obtinere potis fuit.

Ipſo Anno apparuit Stella, quam Cometam quamplurimi nominabant. Viſa eſt autem in menſe Decembri, circa lecteum Circulum, Crinem in Auſtralem cœli dirigens plagam.

In ſubſequenti Nativitate Domini Chriſti, Regnum Angliæ ad Curiam Regis Lundoniæ pro more convenit, & magna ſolemnitas habita eſt atque ſublimis. Ipſa die Archiepiſcopus Eboracenſis ſe loco Primatis Cantuarienſis Regem Coronaturum & Miſſam ſperans celebraturum, ad id omnino paratum ſemet exhibuit. Cui Epiſcopus Lundonienſis non adquieſcens, Coronam capiti Regis impoſuit, eumque per dextram induxit Eccleſiæ, & Officium diei percelebravit. At cùm ad menſam Regis ventum eſſet, & de loco Seſſionis inter eoſdem Epiſcopos diſſenſio mota fuiſſet, noluit eos Rex audire, ſed utrumque à prandio ſuo remotum, pranſurus hoſpitia ſua præcepit adire. Et quidem quod Epiſcopus Lundonienſis ita fecit (ut alia taceam) ea ratione uſus eſt, quòd & Decanus Eccleſiæ Cantuarienſis, & item juxta inſtitutionem Beati Gregorii Anglorum Apoſtoli, tunc prior alterius extitit, quia priùs eo fuerat ordinatus. Cujus nimirum prioratus gratiâ ſe ſub tanta feſtinatione, ut ſupra diximus, licèt aliud in populo prædicaretur, in Pontificatum ordinari gnarus expetiit, quemadmodum nobis teſtati ſunt qui animi ejus abſque dubio ſecreta noverunt, & ipſemet à me percunctatus familiari affatu aſſeveravit. Sed de Seſſione prandii Regalis tunc inter Epiſcopos, res ita remanſit determinanda judicio futuri Pontificis Cantuariorum.

Per id temporis, acta eſt cauſa Preſbyterorum Angliæ, & diſtrictiùs quàm tempore Patris Anſelmi, à conſortio mulierum coërciti ſunt. Quam-

HENRICUS I. Rex.

plurimi namque illorum ex obitu Patris Anſelmi A non modicum exhilarati, promiſerant ſibi eo de medio ſublato, licitum fore quod ipſo ſuperſtite, ſibi illicitum fuiſſe condoluere. Sed in contrarium res lapſa eſt. Rex enim qui plus Deo à multis timebatur, ſua lege eos conſtrinxit, quatenus vellent nollent, Concilii Lundonienſis (quod ſuprà notavimus) ſaltem oculis hominum fierent executores. At ſi ipſi Preſbyteri deterùs agere, quaſi in damnationem & contumeliam Anſelmi pro hoc elaboraverunt, ipſi viderint. Onus ſuum quiſque portabit. Scio quippe quoniam ſi fornicatores & adulteros judicabit Dominus, conſanguinearum, ne dicam ſororum vel filiarum ſtupratores, non effugient judicium ejus. Nec quod eos Anſelmus ab illicitis amplexibus prohibuit, ulla ſuarum iniquitatum excuſatio erit; ſed ni mirum unuſquiſque recipiet, prout geſſit. Quòd ſi B aliquis dixerit Anſelmum melius feciſſe ſi tacendo toleraret, quod prohibitum in pejus pullulaturum fortaſſe procederet, dicere poterit divitem illum Evangelicum qui ad Cœnam quam præparavit, multos vocavit, ſervum ſuum non debuiſſe ad convocandum invitatos deſtinare, eo quod contigit ſimul ne venirent omnes excuſare. Et hanc ipſam Evangelii Lectionem tam in conſecratione ipſius Anſelmi ſuper eum repertam, quàm & in Pallii ejus ſuſceptione in populo lectam ea forſitan præſignaſſe non alienum à veritate eſt credere. Quoniam penè omnibus quæ prædicando docuit vel docendo prohibuit, excuſatio objecta eſt, & in nullo verbis ejus efficaciter obtemperatum. Legat, qui vult, textum Concilii Lundonienſis, & inſpectis ſtatutis ejus atque præceptis, perpendat quis eis obediat, quis eorum executor exiſtat, quis non ea quaſi inania ducat. Ecce, ut plurima taceantur, Abbates quidam qui in ipſo Concilio pro Simonia diſpoſiti fuerunt, aut illas quas perdiderunt aut alias Abbatias, dato pretio per Laicos adepti ſunt. Item qui preſbyteri dicuntur ſive Canonici jam tepeſcente Regis edicto, apud Epiſcopos ſuos & Archidiaconos intami commercio id effecerunt, ut aut ſuas quas reliquerant, aut alias quæ magis placeant, ſpretis prioribus, liberè meretriculas ducant. Ad hæc Criniti quos à Patre Anſelmo à Sanctæ Eccleſiæ liminibus certiſſimè novimus excommunicatos, in tantum abundant tantumque ſe de crinium ſuorum fœminea & ignominioſa longitudine jactitando magnificant, ut qui Crinitus non D eſt, Ruſtici vel Preſbyteri proboſo vocabulo denotetur. Cætera horum indignitate non minus indigna, ne eorum amatores, cùm mea nihil interſit, gratis offendam, ſilentio premam. Tantùm dico quia quid futura dies ſit paritura neſcio; in præſenti ſcio quàm pauci (de ſæcularibus dico) inveniuntur, qui via quam illuſtris Pater Anſelmus docendo monſtravit, ad Cœnam Domini puro ac ſimplici corde properare contendant. Exivit Angliam ſemel, exivit ſecundò, ad modum videlicet præcepti quod Evangelico ſervo ſuo Dominus fecit. In quibus exitibus quod ingentem multitudinem prædicando, admonendo, caſtigando Cœnæ Dominicæ de alienigenis introduxerit, nos qui itineris ejus & laboris comites fuimus omni remoto ambiguo ſcimus. Avertat igitur Omnipotens Deus ab illis vocatis, ad quos adducendos primò miſſus eſt, ſententiam quam idem Dominus intulit, *Dico* ſcilicet *vobis quod nemo virorum illorum, qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam.*

His ita digeſtis, præſens opus, cui quidem ut operam darem, ſincera dilectio quam erga beatæ memoriæ Patrem Anſelmum ſuperna pietas mihi indigno conceſſit habere, maxima inter alias cauſa fuit, fini addicam. Priùs tamen, & ab iis qui modo ſunt, & ab eis qui poſt nos filii Eccleſiæ Cantuarienſis, id eſt, Dorobernenſis (Deo donante) futuri ſunt, paucis petitum iri precamur, ne nobis, qui iſta ſcripſimus, quaſi in nihil laboraverimus, ipſi ſuccenſeant, judicantes fortaſſis apud ſe ea quæ glorioſum & magnificum Patrem Lanfrancum ſuo tempore conſtat feciſſe, ad tuendam conſervandamque nominatæ Eccleſiæ dignitatem ſatis ſufficere, & ſuperabundare. Et nobis utique de illis quæ ipſe fecit (quantùm quidem ad negotia ſpectat quorum gratiâ illa fecit) nullum aliud quàm illorum judicium eſt vel aliquando fuit. Unde ut tantum onus ſcribendi aſſumeremus, quaſi noſtro opere opera ejus aliquatenus fulcire cogitaverimus, amentia eſſe videtur in mentem alicui cadere; præſertim cùm noſtra, quæ illis continuantur, non niſi per illa robur unde ſubſiſtant ſalva rerum quas deſcripſimus veritate ſortiantur. Attamen (quod pace omnium dictum eſt) quæſo accipiatur non parùm ad exterminandum ſcandalum quod Eboracenſes ſuper ipſam Eccleſiam moverunt & confirmare niſi ſunt, ut de aliis taceam, ipſa Epiſtola profuit, quam piæ recordationis Paſchalis Papa Girardo Pontifici Eboracenſi de profeſſione quam Epiſcopo Cantuarienſi facere debebat pro Anſelmo direxit. Siquidem eadem Epiſtola Cantuariæ cum ſigillo Papæ remanſit, quam Girardus, ut vir in Eccleſiaſticis Diſciplinis educatus, illius auctoritatis præcepto non egens, factam in Epiſcopatu profeſſionem Anſelmo (ſicut mentio inde ſuperiùs habita declaravit) interpoſita fide ſua, firmaverat. Textum autem ipſius Epiſtolæ hic, ut omnibus qui legere vel audire iſta dignantur, innoteſcat, ſubſcribemus, & eum in laudem nobis Dei terminum hujus operis conſtituemus.

HENRICUS I. Rex.

Paſchalis Epiſcopus Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Girardo, Eboracenſi Epiſcopo: Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

QUamquam pravè adverſus nos, immò contra Matrem tuam Sanctam Romanam Eccleſiam te non ignoremus egiſſe, præſentibus tamen literis tibi mandamus, ut profeſſionem tuam venerabili Fratri noſtro Anſelmo Cantuarienſi Epiſcopo facere non negligas. Audivimus enim Thomam quondam Prædeceſſorem tuum, ex hac eadem re contentionem moviſſe, & cùm in præſentia Domini Alexandri Secundi Papæ ventilata eſſet ex præcepto ejus, diffinitione habita, poſt varias quæſtiones Lanfranco Præceſſori ſuo & Succeſſoribus ſuis eandem profeſſionem feciſſe. Unde & nos quod tunc temporis definitum eſt, volumus (Auctore Deo) firmum illibatumque ſervari. Datæ Beneventi pridie Idus Decembris.

Hinc igitur & in omni opere ſuo laudetur ipſe, & benedicatur, qui idem in ſe manens innovat omnia, transfert regna, & quem vult ſuper illa conſtituit, vivens & regnans ante & ultra omnia ſæcula Deus. Amen.

Finis Libri Quarti.

EADMERI
CANTUARIENSIS MONACHI
HISTORIA NOVORUM.

LIBER QUINTUS.

Et hoc ex abundanti.

HENRICUS I. Rex.

TErminus quarti libri Historiæ cui Novorum in Anglia notam indidimus, planè indicat nos ibi deliberasse totius operis metam ponere, immò modis omnibus posuisse. Translato etenim eo de hac vita cujus amor ipsius Historiæ describendæ causa præcipua fuit, videlicet, Domino & glorioſiſſimo Patre Anselmo Anglorum summo Pontifice, ratus sum, visâ morâ Pontificis substituendi, me si ultrà procederem in scribendo, aut inania fortè scripturum, aut in privato conversantem non multa, quæ scribenda ratio expeteret, pleniter agiturum, tacita incertitudine vitæ meæ quæ nunc quidem mihi non certior est quàm tunc fuit. Verùm inter hæc, ex his quæ scripseram certò comperiens me multorum voluntati ac dilectioni morem gessisse, placuit seriem rerum describendo illis annectere, juxta quod Deus, omnium finis, dignabitur inspirare. Eo siquidem respectu, quo illa pluribus accepta esse deprehendi, sperabam & ista oneri non affutura. Priùs tamen quàm illa aggrediar, quibusdam qui adhuc præfato Pontifici, verè Sancto, detrahere non verentur, eo scilicet quod nec Sæcularium, nec Ecclesiasticarum rerum extructionibus ipse (ut dicunt) in sua manu omnia tenens ita studium impenderit sicut Antecessor illius veneraudæ memoriæ Pater Lanfrancus suo tempore fecit, paucis rationem ostendere in mentem venit, quatenus inspecta negotii qualitate, ex ipsa veritate perpendant an amodò sit eis silendum super hoc, an non.

Utique cùm idem Anselmus primò Pontificatum Cantuariensem regere suscepisset, ita omnes terras ad ipsum honorem pertinentes vastatas invenit, & omnes redditus à Willielmo filio majoris Willielmi Regis direptos, ut unde subsisteret (nota loquor) non haberet. Quamobrem fraudatus redditibus, quibus à Festo sancti Michaëlis (nam paulò ante hoc festum Cantuariam venerat) usque in Nativitatem Domini vivere debuit, summa necessitate coactus, de iis quibus ab ipsa solemnitate usque in Pascha victurus erat, victum sibi ministrari faciebat. Sicque subsequentium terminorum redditus, in præcedentibus terminis paulatim & discreto moderamine sumens, vix tertio sui introitus anno, ad statum à Prædecessoribus suis statutum in his pertingere potuit. Quid autem angustiarum, præter has à Rege Willielmo & suis passus sit per illos tres & quarto, qui subsecutus est, anno, in primo & secundo nominatæ historiæ libro, utpote qui eis affuimus, nonnullis digessimus. Ita igitur in tribulatione & atroci persecutione quatuor annis in Anglia degens, quinto pulsus ab eodem Rege est, & totus Archiepiscopatus invasus, ac per tres continuos annos, hoc est donec Rex idem sagitta interiit, usque in immensum vastatus. Anselmus verò inter hæc Patria eliminatus, dum unde se suosque procuraret de suis ab Anglia nihil habere mereretur, ab externis necessaria mutuatus est, nolens quidem gravis esse his inter quos morabatur, nec gratis accipere omnia quæ sibi offerebantur. Deinde revocatus à Rege Henrico qui in Regnum fratri successerat, & res suas in supremam paupertatem redactas reperit, & exactores pecuniarum quas mutuò acceperat, de transmare quotidie venientes vacuos à se dimittere, considerata æquitate, honestum esse non judicabat. Si in istis angustiabatur, nulli mirandum. Super hæc, pax inter illum & Regem diutina firmitate non duravit. Vexatus itaque gravi modo per biennium est, ac demùm extra terram exire seductus. Exivit, nec nisi quarto sui exitus anno penè peracto, redire (sicut descripsimus) potis fuit. Tandem reversus duobus annis supervixit, tertio tantùm; debitis, quibus se in peregrina patria sustentaverat, vix solutis. His ita se habentibus, qua quæso ratione poterat terrenis operibus operam dare, quem tam assiduæ oppressiones & suarum rerum destructiones non cessabant fatigare? Ea tamen quæ per se ipsum non valebat, per fideles Ecclesiæ suæ filios, livore carens, & nihil usque sæcularis gloriæ quærens exercebat. Nam res Monachorum posuit in dispositione eorum, constituens eis in Priorem post Henricum, Ernulphum, post Ernulfum, Conradum (ipsius loci Monachos) ad quorum nutum negotia Ecclesiæ cuncta referrentur, & communi consilio Fratrum tractarentur, disponerentur, terminarentur. Ex libertate igitur, qua in res suas Monachi per bonum Anselmum potiti sunt, multum per omnem modum Ecclesia aucta est, in recuperatione, videlicet, plurimarum terrarum, quas quidam Laici tenentes in hæreditatem sibi vendicabant, in diversis ornamentis, inque omne decore domus Dei; ita ut pauca & indecora visa fuerint Ecclesiæ ornamenta, comparatione decoris & multitudinis illius quæ in his diebus perducta sunt. Super hæc, ipsum oratorium, quantum à majore turri in Orientem porrectum est, ipso Patre Anselmo providente, disponente, auctum est. Et hæc quidem omnia de rebus Ecclesiæ acta sunt, sicut & multa quæ per Lanfrancum facta fuerunt. Anselmo de suis præter illa plurimam pecuniæ quantitatem in augmentum domus Dei conferente. Ex his verò quæ in dominio suo possidebat, & offerendæ majoris Altaris medietatem (aliam medietatem enim Pater Lanfrancus contulerat) & quasdam terras ad subsidium Monachorum antiquùs pertinentes, tunc autem in alios usus distractas,

HENRICUS I. Rex.

Digitized by Google

HENRICUS I. Rex. & pallia valde bona quamplurima, ac nonnulla alia decori domus Dei competentia, juri Ecclesiæ perpetuò possidenda concessit. Ad hæc, postquam de secundo exilio revocatus est, ut quadam pace potitus, dedit in opera Ecclesiæ Denarios, qui singulis annis de Parochianis Ecclesiis in Pascha Matri Ecclesiæ pendi solent. Æquius enim esse judicavit eos ab Ecclesia cui pro signo debitæ subjectionis conferuntur, possideri, quàm à sæculari potestate, quasi suos, obeunte Episcopo, auferri, eo quòd illos quoque Pontifices, pro suo officio, antehac juri proprio vendicabant. Nec eo defuncto aliter ac ipse disposuerat, in his à Rege actum est; sed in eo statu quo Ecclesiam Pater ipse moriens reliquit, toto temporis spatio quo Pastore carebat; ejus instituta mutare consilii esse non autumans, eam conservabat. Pax igitur qua potita est, cui, post Deum, abscribenda sit, satis elucet. Detractores itaque tanti viri, & tam magnifici benefactoris Ecclesiæ Christi parcant, obsecro, linguæ suæ, parcant, obsecro, animæ suæ. Nam si hos qui secretè detrahunt proximo suo, persequitur Deus, timendum fateor ne illos qui publicè, & contra æquum pravis verbis corrodunt Patrem suum, destruat Deus. His hoc modo pro negotii necessitate succinctè propositis, accedamus ad res gestas; ab illis, quæ descripsimus, narrandi exordium sumentes.

Igitur ubi beatus & fœlix Præsul Anselmus ab ærumnis vitæ labentis in beatitudinem vitæ permanentis translatus est, omnia ad Episcopatum quidem Cantuariensem pertinentia, morem fratris sui Willielmi Regis secutus, in suum dominium Rex Henricus redigi præcipit; rebus Monachorum in ea qua illas Pater Anselmus posuerat, libertate & providentia persistentibus. Unde & tunc multa in decorem domus Domini Christi facta sunt. Quapropter cùm maligni quidam Regi suggessissent, Monachos insanire, & quæ Regalibus expensis magnificè possent administrari, insuperfluos usus ab eis quotidie profligari, ipse (ut vir prudenti bonitate conspicuus.) *Quid*, inquit, *in externas expensas, in secularia aliqua, in vana vel ordini suo contraria opera res suas Monachi ponunt? At, si in augmentum & gloriam domûs Dei eas expendunt, benedicatur Deus, qui & illis hujusmodi animum inspiravit, & hanc mihi suo munere gratiam tribuit, ut meis diebus mea Mater Ecclesia crementum potius capiat, quàm detrimentum.* Sic itaque & Ecclesia proficiebat, & ne à quovis infestaretur, Regia censura prospiciebat. Agebat quoque in ea curam Pontificalis officii Radulphus Roffensis Antistes, & ei intus & extra, si qua emergebant, assiduus propugnator erat atque fidelis. Ipse Ecclesias in omnibus terris totius Pontificatus Cantuariensis intus & extra Cantiam inconsultis Episcopis, uti petebatur, dedicabat. Ipse quæ ad Christianitatem pertinent, in eisdem terris prout res exigebat sedulus ministrabat. Et hæc ita integro quinquennio quo à transitu Patris Anselmi Ecclesia ipsa viduata permansit, in filiis ac rebus ejus agebantur. Quo tempore penè peracto, Rex Henricus & monitis Domini Papæ, & precibus Fratrum Cantuariensium, aliorumque multorum, imò, quod maximum est, instinctu Dei permotus, Episcopos & Principes Angliæ in unum apud Windleshoram fecit venire, eorum consilium in constituendo Pontifice Cantuariensi volens habere. Invitati etiam sunt præfatus Radulphus Roffensis Episcopus, & Prior ac nonnulli Fratres Cantuariensis Curiam venire, ignorantes certitudinem causæ, propter quam invitabantur. Ivimus ergo illuc: quamplures verò nobis euntibus obviantes, & se à Curia venire, & nos absque omni contradictione Abbatem Abendoniæ, Faricium nomine, Archiepiscopum habituros asseverabant. Quod nos, industriam hominis probatam habentes, gaudenti animo amplectebamur; placeret solummodò Dei voluntati, in quo totam spem nostram locaveramus. Quid multa? Ad Curiam venimus, & ecce omnia plena erant de Abbate quæ audieramus. Et reverà Regia voluntas hoc proposuerat, ac propter idipsum jussus à Rege idem Abbas Curiæ se præsentaverat. Animus tamen Episcoporum, & quorundam Magnatorum in aliud vergebat, præoptantium, videlicet, aut quemlibet Episcopum de Ordine Clericali, aut Clericum aliquem de Capella Regis in opus illud asciſci. Verùm ubi eis objectum est, nullum à beato Augustino nisi de Monachico Ordine unquam Pontificatui Cantuariensi præsedisse, uno duntaxat excepto, qui & ob hanc præsumptionem, & alia quædam perversè ab eo commissa depositus per Romanum Pontificem fuit, & ea re tam antiquam & autenticam consuetudinem, cùm nulla ratio vel necessitas exigeret, subverti non oportere, desistere cœpto, quod plurimo conatu perficere laborabant, compulsi sunt. Disponente igitur providentia summi Dei in prænominatum Roffensem Episcopum subi ò versa Episcoporum sententia est; illum, scilicet, in Primatem totius Britanniæ constitui cupientium, & assensum Regis in hoc sibi cooperari postulantium. Ad quod Rex, statim mutata mente quam in promotione Abbatis habebat, libens in ea quæ de Episcopo suggerebantur, animum transtulit; vellent tantummodò Monachi, natuque majores, & populi Cantuarienses. Nec mora; requiritur quale sit in illis velle eorum, & vota omnium inveniuntur esse unum. Refertur in turbam negotii summa, & in laudem Dei laxantur pro hoc omnium ora. Sic electus in Pontificatum Cantuariensem Radulphus Roffensis Episcopus est, & inexplicabilis lætitia omni multitudini quæ confluxerat, exinde procreata. Mira namque affabilitas, quæ ad cunctos in eo vigebat, & eum magnopere diligi, & honori ejus aggaudere, quemque bonum faciebat. Audires intereà (si adesses) multos unà conclamare: *Verè cor Regis in manu Dei; quocunque vult inclinat illud.* Acta sunt hæc anno Incarnationis Dominicæ, millesimo centesimo quartodecimo, vj. Kalend. Maii, quinto die peracto quinquennio à transitu glorioſissimi Patris Anselmi. Venit dehinc Cantuariam xvj. Kal. Junii, & gloriosè à Clero & populo susceptus est, atque ab Episcopis (qui ob hoc convenerant) loco Pontificis sublimatus. Egit autem primos introitus dies sui, in magna gloria & diviti rerum apparatu, gaudentibus cunctis, & Deum collaudantibus quòd jam tandem, post diutinam expectationem, Ecclesiæ suæ Pastorem non de externis sed de domesticis instituere dignatus sit.

HENRICUS I. Rex.

Post hæc, semotis à dominatu iis qui Pontificatui dominari solebant, locavit suos ut sibi quidem melius videbatur; & sensus plurimorum necne voluntas ab eo, quo fuerant super ipsum, demutata sunt, ac fama illius quæ antehac ab omnibus prædicabatur, à multis, vulgi more, siniſtrorsum detrahebatur. Inter hæc Rex Henricus Normanniam ire parabat: Francos, suosque vicinos sibi inimicitias extruentes paci subigere, qua præditus erat industria, volens. Sed ne quid in Anglia, se abeunte, remaneret indispositum, Monasteria cuncta, quæ jamdiu cura Pastorali fuerant destituta, consilio Episcoporum & Principum suorum, locatis personis, in hoc officium ordinavit. Quòd si aliqui eorum Lupi magis quàm Pastores effecti sunt, ipsi viderint; Rex eos ut Pastores, non Lupi essent (sicut credi fas est) collocavit. Quod tamen credibilius fortè videretur, si non omnes ex alienigenis, sed aliquos saltem ex indigenis terræ, non usquequaque Anglos prosus, tali ministerio substituisset. Vitæ etenim meritum, ac regularis

HENRICUS I. Rex. obſervatio diſciplinæ, necnon prudentia rerum adminiſtrandarum quæ oportebat, eis qui reſpuebantur, non minùs quàm iis inerat qui aſſumebantur. Unum eos, natio ſcilicet, dirimebat. Si Anglus erat, nulla virtus, ut honore aliquo dignus judicaretur, eum poterat adjuvare. Si alienigena, ſolummodo quæ alicujus boni ſpeciem, amicorum teſtimonio prætenderent, illi aſcriberentur, honore præcipuo illico dignus judicabatur. Verùm in iſtis nemo cujuſvis injuſtitiæ Deum actuſet, cùm ejus diſpoſitioni cuncta ſubjaceant, cùm nihil injuſtè uſquam diſponat, cùm interea nihil fiat ſine cauſa. Quæ dum ita ſint, nullus ſibi de iis quæ Deus non approbat, plaudat, quoniam unde iſti coronam, inde illi novit æquo judicio pœnam prærogare. Sed de his, hac interim vice ſufficiat. Dies enim mali ſunt.

Dum itaque Rex Eccleſiarum diſpoſitioni, ut diximus, operam daret, poſtulatus à Pontifice Cantuariorum eſt, quatenus ſibi Monachum Eccleſiæ Cantuarienſis, tunc quidem Abbatem Burchorum, Ernulphum nomine, redderet, ut eum Roffenſi Eccleſiæ, loco Pontificis ſibimetipſi ſubrogaret. Et hoc quidem faciebat, tum quia ſapientiam ac religionem hominis compertam habebat, tum quia ignotam perſonam ſuper ipſam Eccleſiam, vel inter Fratres Cantuarienſes immittere nolebat, tum etiam quia ſe ex vicinitate ipſius multum ſperabat adjuvandum in diſpoſitione rerum ſuarum. Quod Rex perpendens, libenter annuit. Abductus igitur Abbas à Burcho eſt, & Cantuariæ in capitulo Fratrum ab Archiepiſcopo iv. Kal. Octobris Epiſcopatu Roffenſi, ex antiquo more inveſtitus, convenientibus ad hoc eumque eligentibus Monachis, Clericis, & Laicis ad ipſum Epiſcopatum pertinentibus, & alia hominum multitudine copioſa. Qui electus, licet Eccleſiæ Dorobernenſis Monachus eſſet profeſſus, tamen antequam Epiſcopatu per Virgam Paſtoralem inveſtiretur, tactis Evangeliis, promiſit ſe & fidelitatem Eccleſiæ Cantuarienſi & Antiſtiti ejus per omnia ſervaturum, & nullo unquam molimine aut occaſione ſe intromiſſurum, vel aſſenſum præbiturum, ut Eccleſia Cantuarienſis dignitatem aut poteſtatem quam ſuper Roffenſem Eccleſiam eatenus habuit, ullo modo perderet. Ut enim iſta ſponſio fieret, Archiepiſcopus (qui Roffenſis Epiſcopus fuerat) omnimodo expedire ſciebat. Moratus eſt autem ipſe electus Cantuariæ penè quindecim diebus poſt hæc, ac demùm vj. Id. Octobris ab Archiepiſcopo Rhopham perductus atque in Sedem Pontificalem digno cum honore à Clero & populo ſuſceptus. Eadem die fluvius, Medewege vocatus, ita ab auſtrali pontis parte, prope caſtrum Civitatis, per nonnulla miliaria in ſe defecit, ut in medio alveo ſui etiam parviſſimæ naves, ob penuriam aquæ, elabi minimè poſſent, nec hunc defectum ſolus ille fluvius, ipſa die, paſſus eſt. Tamiſia nihilominus eidem illa die defectui patuit. Nam inter pontem & Regiam turrim, ſub ponte etiam in tantum fluminis ipſius aqua diminuta eſt, ut non ſolùm equi, ſed & innumera hominum & puerorum multitudo illud pedibus tranſvadarent, aquâ vix genua eorum attingente. Duravit autem hic aquæ defectus à medio noctis præcedentis, uſque ad profundas tenebras noctis ſubſequentis, ſicut hi teſtati ſunt, & hucuſque teſtantur qui præſentes iſtâ viderunt, & tranvadantes tranſvadantium ſocii extiterunt. Similem quoque aquarum defectum ipſo die apud Gervemutham, & in aliis locis per Angliam certo relatu contigiſſe didicimus.

Dehinc Kal. Novemb. Radulphus Archiepiſcopus ſacravit Cantuariæ in Metropoli Sede Alboldum Beccenſis Cœnobii Monachum, cujus in quarto libro præfatæ hiſtoriæ meminimus, ad regimen Abbatiæ ſancti Edmundi. HENRICUS I. Rex.

His diebus miſſi ſunt Romam Nuncii, qui Pallium Archiepiſcopo Cantuarienſi Ab Apoſtolica Sede deferrent. Fuerunt autem hi, Johannes Monachus Sagii, qui paulò ante hos dies in Abbatem Burchorum poſt præfatum Ernulphum electus fuerat & conſecratus, Warnerius Monachus Cantuarienſis, & Johannes Clericus filius ſororis Archiepiſcopi, qui Romam venientes litteras Regis Anglorum & Archiepiſcopi, Conventus quoque Fratrum Eccleſiæ Cantuarienſis, & ſingulatim omnium penè Epiſcoporum Angliæ Domino Papæ detulerunt. Quorum litterarum unas de omnibus hîc ponere non absre æſtimavimus; volentes & aliarum ſenſus per illas agnoſci. Sunt igitur hæ.

Domino ſanctæ univerſalis Eccleſiæ Summo Paſtori, Paſchali, Conventus Eccleſiæ Chriſti Cantuarienſis: fideles orationes, & totius ſanctæ devotionis obſequium.

NOtum eſſe non dubitamus glorioſæ Paternitati veſtræ (pie Domine) quod Eccleſia Cantuarienſis Mater noſtra, ſanctæ ſcilicet Romanæ Eccleſiæ ſpecialis filia, jam ab obitu beatæ memoriæ Patris noſtri Anſelmi Archiepiſcopi, per quinquennium curâ Paſtoralis officii, peccatis noſtris exigentibus, ſit deſtituta. Nuper autem reſpectu miſericordiæ Dei, adunato conventu totius Anglici Regni in præſentia glorioſi Regis noſtri Henrici, electus à nobis & Clero & populo eſt ad regimen ipſius Eccleſiæ Radulphus Roffenſis Epiſcopus, nobis ſufficientiſſimè cognitus, & propter vitæ ſuæ meritum & ſanctæ converſationis effectum toti Regno valde acceptus. Huic Electioni affuerant Epiſcopi, Abbates, & Principes Regni, & ingens populi multitudo, conſentiente Domino noſtro Rege & eandem electionem laudante, ſuaque auctoritate corroborante. Quoniam igitur ita res ſe habet, mittimus ad vos, modis quibus poſſumus ſupplicantes, ut quem ad ſublevationem & conſolationem Eccleſiæ ſuæ Deus (quantum nobis datur intelligi) elegit, veſtra ſancta auctoritate, in quo electus eſt, confirmetis, & ei Pallium quod omnes Anteceſſores ſui à ſacratiſſima Sede beati Petri conſecuti ſunt, tranſmittere dignemini; ne Sanctitate veſtra aures pietatis ſuæ precibus noſtris (quod Deus avertat) non inclinante, in priſtinas miſerias aliquo eventu Eccleſia noſtra (filia veſtra) relabatur. Ipſemet enim tanta corporis imbecillitate gravatur, ut non ſine magno periculo ſui, & detrimento omnium noſtrûm valeat hoc tempore veſtigiis veſtris ſe præſentare. Sanctum Apoſtolatum veſtrum Omnipotens Deus ad honorem ſuæ ſanctæ Eccleſiæ per multa tempora incolumen conſervare dignetur, digniſſime Pater. Amen.

Ad hæc, qui miſſi fuerant, legationis ſuæ officium, qua prædicti erant prudentia, Apoſtolicis auribus ſuggeſſerunt; ſed reſponſum, quod eis alicujus cauſæ ſuæ effectus ſpem promitteret, primò recipere non meruerunt. Locuti ſunt his & illis ſibi non notis & reſpondebatur eis ſicut ignotis. Fluctuabant ergo, nec quò ſe tutò verterent advertebant.

Erat illis diebus Romæ Anſelmus nepos Anſelmi Domini Archiepiſcopi Domino Papæ familiaris & ab eo Abbas ſancti Sabæ Confeſſoris effectus. Qui in diebus beati Avunculi ſui plurimo tempore in Anglia degens, pro manſuetudine ſua ab indigenis terræ quaſi unus eorum, diligebatur. Hic, audita

HENRICUS I. Rex.

præfatos Nuncios adveniſſe, alacer ad eos Lateranis venit, & in cunctis quæ negotii ſui tenor exigebat, erga eos morem veri amici ſequens, exercuit. Quid plura? Romanum Pontificem, & quorum conſilio nitebatur communicata inſtantia, ita cauſæ illorum fautores effecit, ut gratis omnino voti ſui compotes fierent, & ipſum Anſelmum (qui Pallium, pro quo iverant, ex parte beati Petri & Domini Papæ Cantuariam deferret) tradente illum eodem ſummo Pontifice, per manum acciperent. Quibus peractis Nuncii Roma regrediuntur, Anſelmo pro iis quæ ſua intererant, cum Papa relicto. Venientes igitur in Normannia ad Regem, quid egerint edifſerunt, & ſuæ induſtriæ meritas laudes excipiunt. Inde directo nuncio in Angliam, qui Archiepiſcopo geſta referret, ipſi adventum præfati Anſelmi trans mare præſtolantur. Qui adveniens à Rege cum honore ſuſcipitur, ac pro ſua ſollicitudine dignitati Regni Anglorum impenſa, dignæ grates perſolvuntur. Traditis deinde litteris ipſi à Papa directis, poſt aliquot dies cum eo exacto, Angliam Nuncii qui Roma venerant, comitatus impiger tendit. Litterarum textus quas Regi detulerat, hic eſt.

Paſchalis Epiſcopus Servus Servorum Dei, dilecto filio Henrico illuſtri Anglorum Regi: ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

CUm de manu Domini largiùs honorem, divitias, pacemque ſuſceperis, miramur vehementiùs & gravamur, quòd in Regno poteſtateque tua beatus Petrus, & in beato Petro Dominus honorem ſuum juſtitiamque perdiderit. Sedis enim Apoſtolicæ Nuncii, vel Litteræ, præter juſſum Regiæ Majeſtatis nullam in poteſtate tua ſuſceptionem aut auditum promerentur. Nullus inde clamor, nullum inde judicium ad Sedem Apoſtolicam deſtinatur. Quamobrem multæ apud vos ordinationes illicitæ præſumuntur, & licenter delinquunt qui dilectorum deberent licentiam cohibere. Nos tamen uſque adhuc in his omnibus, ampliori patientia uſi ſumus, ſperantes per tuæ probitatis induſtriam omnia corrigenda. Quid enim honoris, quid opulentiæ, quid tibi dignitatis imminuitur, cùm beato Petro debita in Regno tuo reverentia conſervatur? Hæc nimirum tantò nobis indigniora ſunt, quantò familiariùs Regnum veſtrum veterum Regum temporibus Sedi Apoſtolicæ adhæſiſſe cognoſcimus. Legimus quippe Reges ipſos Apoſtolorum limina viſitaſſe, & illic uſque ad obitum commoratos. Legimus nonnullos Eccleſiarum Præpoſitos & Magiſtros ultrò illuc à Romanis Pontificibus deſtinatos. Pro his igitur apud vos pertractandis & corrigendis chariſſimum filium Anſelmum familiarem tuum nunc ſancti Sabæ Abbatem ad tuam Excellentiam deſtinamus; per quem etiam tuæ & Epiſcoporum petitioni in cauſa Cantuarienſis Epiſcopi, quamvis contra auctoritatem Sedis Apoſtolicæ, ſatisfecimus, ſperantes & vos deinceps Sedi Apoſtolicæ in ſuæ Dignitatis juſtitia ſatisfacturos. Alioquin ſi ſuam vos beato Petro juſtitiam ſubtraxeritis, ipſe quoque in poſterum ſuæ vobis ſubtrahet beneficia dignitatis. Quæ minùs litteris continentur, vivis Legati vocibus explebuntur. Omnipotens Deus ſua te dextera protegat, & in ſua dilectione perficiat. Eleemoſyna beati Petri (prout audivimus) ita perperam doloſèque collecta eſt, ut neque mediam ejus partem hactenus Eccleſia Romana ſuſceperit. Quod totum tibi, ſicut & alia, imputatur, quia præter voluntatem tuam nihil in regno præſumitur. Volumus igitur ut eam deinceps pleniùs colligi facias, & per præſentem Nuncium mittas. Datæ Lateranis iij. Kalend. Aprilis.

HENRICUS I. Rex.

Igitur Anſelmus Angliam ingreſſus, Archiepiſcopum adiit, à quo decenter ſuſceptus, decenter eſt per plurimum tempus ab eo detentus. Die ergo Dominica, quæ fuit v. Kal. Julii, convenerunt in Metropoli Sede Cantiæ Epiſcopi, Abbates, quique Nobiles, & innumerabilis quaqueverſum coacta hominum multitudo. Itaque juxta quod fuerat præordinatum, præfatus Anſelmus Pallium in vaſe argenteo honorificè ferens, Cantuariam venit, itumque eſt illi obviam uſque ad portam Civitatis, ab utroque Conventu duarum Eccleſiarum, Archiepiſcopatus ſcilicet, & vicinæ Abbatiæ ſancti Auguſtini, cum omnibus qui pro hoc ipſo illo confluxerant. Pater ſtipatus Epiſcopis, & indutus (ut alii) veſtibus ſacris, nudis pedibus devotus occurrit. Sicque delatum ſuper altare Salvatoris Pallium eſt, & à Pontifice inde ſuſceptum, factâ prius Romano Pontifici de fidelitate & Canonica obedientia profeſſione. Deinde pro reverentia beati Petri ab omnibus deoſculatur, & indutus eo Pontifex ſummus ad Cathedram Patriarchatus Anglorum gloriosè perducitur, & inthronizatur. Antequam Cathedram dictis orationibus, & aliis quæ ipſius Eccleſiæ ſacer uſus dici inſtituit, mox Eccleſiæ Vigornenſis Antiſtes electus, Theobaldus nomine, ei conſecrandus præſentatur. Qui ab eo examinatus, & more ſolito Canonicam ei & ſucceſſoribus ſuis obedientiam profeſſus, ſacratus eſt honorificè in Pontificatum, ad quem fuerat prætitulatus. Huic conſecrationi interfuerunt, & adjutores extiterunt Epiſcopi qui convenerant, videlicet, Richardus Lundonienſis, Rogerius Serberienſis, Herbertus Norwicenſis, Radulphus Ciceſtrenſis, Johannes Bathonienſis, Herveus Elienſis. Quod Epiſcopus Roffenſis ea die, licèt affuerit, ſacratus non fuit, in eo remanſit, ratione detento, quæ in aliud tempus id differendum magis expedire perſuaſit animo ejus.

Litteras quoque per id temporis Dominus Papa Fratribus Eccleſiæ Chriſti Cantuarienſis deſtinavit, quas hîc ponere non alienum putavi à ratione, ſunt autem hæ.

Paſchalis Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Cantuarienſis Eccleſiæ filiis: ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

ECcleſiæ veſtræ Legatos benignè ſuſcepimus, tanquam viros religioſos atque prudentes; ſed legatio quam ad nos cum veſtris litteris attulerunt, nobis non ingrata tantùm, ſed etiam gravis fuit. Significabatur enim Roffenſis Epiſcopi ad Metropolim veſtram facta tranſlatio, quòd præter ſcientiam & convenientiam noſtram præſumi omnino non debuit, quia Sacrorum Patrum decretis inhibitum prorſus agnoſcitur. Pro religione tamen & honeſtate perſonæ, quæ tranſlata dicitur, nos hanc præſumptionem veſtram toleramus; ſed noſtrum ad vos Legatum in proximo dirigemus, largiente Domino, qui ſuper hoc negotio, quæ fuerint diſponenda, diſponat. Datæ Laterani xij. Kal. Martii.

Poſt hos dies Radulphus Archiepiſcopus, conſilio & petitione Epiſcoporum proximè ſuprà nominatorum, dedit (concedentibus, & approbantibus Monachis Cantuarienſibus) Archidiaconatum ipſius Eccleſiæ, Johanni nepoti ſuo, Clerico, videlicet, honeſtorum morum & manſuetæ converſationis ad omnes. Quæ donatio facta eſt in Capitulo, præſente Fratrum Conventu, copioſa Clericorum ac Laicorum multitudine, pro hoc ipſo in medium adducta, facto priùs coram omnibus, ab eodem Johanne,

tactis

HENRICUS I. Rex.

tactis Evangeliis, Sacramento, quo se fidelitatem Ecclesiæ ipsi per omnia & in omnibus exhibiturum dum viveret repromisit. Eodem anno Henricus Rex jussit omnes Episcopos & Principes totius Regni ad Curiam suam, sub uno venire. Unde rumor per totam terram dispersus est, Pontificem Cantuariorum generale Concilium (præsente Legato Domini Papæ cujus suprà meminimus) celebraturum, & nova quædam tantoque Conventui digna, pro correctione Christianæ Religionis in omni ordine promulgaturum. Itaque ut Rex jusserat xvj. Kal. Octob. Conventus omnium apud Westmonasterium in Palatio Regis factus est: & quod de Concilii celebratione, & Christianitatis emendatione rumor dispersérat, nihil fuisse, quæ confluxerat, multitudo tandem advertit. Venit tamen illuc sæpe nominatus Anselmus, qui Pallium Cantuariam detulerat, deferens Epistolam ex parte Apostolici Regi & Episcopis Angliæ, hunc textum habentem.

Paschalis Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Henrico illustri Regi, & Episcopis Anglici Regni: salutem, & Apostolicam benedictionem.

QUaliter Ecclesia Dei fundata sit, non est à nobis nunc temporis differendum. Hoc enim plenius Evangelii textus, & Apostolorum Litteræ profitentur. Qualiter verò Ecclesiæ status, præstante Domino, perseveret, & referendum nobis est & agendum. A sancto siquidem Spiritu Ecclesiæ dictum est: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram.* Super qua constitutione Paulus Apostolus præcipit, dicens: *Manum citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* Quam ejusdem Apostoli sententiam B. Leo Doctor exponens, ait: *Quid est, citò manum imponere, nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ Sacerdotalem honorem tribuere non probaris?* Qua igitur ratione Anglici Regni Episcopis Sacerdotalis honoris confirmationem tribuere possumus, quorum vitam, quorum scientiam nulla probatione cognoscimus. Ipse Caput Ecclesiæ Dominus JESUS CHRISTUS cùm Pastori primo Apostolo Petro Ecclesiam commendaret, dicit: *Pasce oves meas, Pasce agnos meos*, oves quippe in Ecclesia, Ecclesiarum præpositi sunt, qui Deo filios generare ipso donante consueverant. Quomodo ergo vel agnos vel oves pascere possumus, quos neque novimus nec vidimus? Quos neque audimus, neque ab ipsis audimur? Quomodo super eos illud Domini præceptum implebimus, quo Petrum instruit, dicens: *Confirma fratres tuos.* Universum siquidem terrarum orbem Dominus & Magister noster suis Discipulis dispertivit; sed Europæ fines Petro singulariter commisit & Paulo. Nec per eorum tantùm, sed per Successorum Discipulos ac Legatos Europæ universitas conversa est & confirmata. Unde usque ad nos (licèt indignos) eorum Vicarios hæc consuetudo pervenit; ut per nostræ Sedis Vicarios graviora Ecclesiarum per Provincias negotia pertractarentur, seu retractarentur. Vos autem (inconsultis nobis) etiam Episcoporum negotia definitis, cùm Martyr Victor Ecclesiæ Romanæ Pontifex dicat: *Quamquam Comprovincialibus Episcopis accusati causam Pontificis scrutari liceat; non tamen definire, inconsulto Romano Pontifice, permissum est.* Zepherinus quoque Martyr & Pontifex: *Judicia*, inquit, *Episcoporum, majoresque causæ à Sede Apostolica, & non ab alia sunt terminandæ*, vos oppressis Apostolicæ Sedis appellationem subtrahitis, cùm Sanctorum Patrum Conciliis Decretisque sancitum sit, ab omnibus oppressis ad Romanam Ecclesiam appellandum. Vos præter conscientiam vestram, Concilia Synodalia celebratis, cùm Athanasius Alexandrinæ Ecclesiæ scribat: *Scimus in Nicæa magna Synodo trecentorum decem & octo Episcoporum, & ab omnibus concorditer esse corroboratum, non debere absque Romani Pontificis scientia Concilia celebrari.* Quod ipsum scriptis suis sancti Pontifices firmaverunt, & aliter acta Concilia irrita fieri statuerunt. Videtis igitur, & vos contra Sedis Apostolicæ auctoritatem plurimum excessisse, & dignitati plurimum subtraxisse, & nobis pro nostri officii debito imminere, ut probatos habeamus quibus Sacerdotalem conferimus dignitatem; nec contra Apostolum manum citiùs cuique imponentes communicemus peccatis alienis, quia juxta Beati Leonis Sententiam: *Gravi semet ipsum officit damno, qui ad suæ dignitatis collegium sublimat indignum.* Vos præter auctoritatem nostram Episcoporum quoque mutationes præsumitis, quod sine sacrosanctæ Romanæ Sedis auctoritate ac licentia fieri novimus omnino prohibitum. Si ergo in his omnibus Sedi Apostolicæ dignitatem ac reverentiam servare consentitis, nos vobis, ut fratribus & filiis charitatem debitam conservamus, & quæ vobis ab Apostolica Ecclesia concedenda sunt, benignè ac dulciter Domino præstante concedimus. Si verò adhuc in vestra decernitis obstinatia permanere, nos Evangelicum dictum, & Apostolicum exemplum pedum in vos pulverem executiemus, & tanquam ab Ecclesia Catholica resilientes, divino judicio trademus; dicente Domino: *Qui non colligit mecum, dispergit; & qui non est mecum, adversum me est.* Deus autem Omnipotens & nobiscum vos in ipso esse, & nobiscum vos in ipso colligere ita concedat, ut ad æternam ejus unitatem, quæ id ipsum permanet, pervenire concedat. Data Lateranen. Kal. Aprilis indictione octava.

Rex ad hæc, consilio cum Episcopis habito, quid super his, & quibusdam aliis quæ animum suum plurimum offendebant, Papæ responderet, placuit in commune, ut suos Nuncios mitteret, per quos quæ vellet securiùs Papæ mandaret. Nam ante hos dies quidam Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, functus Legatione Apostolicæ Sedis, Cono nomine, Franciam venerat, & ibi, juxta suæ Legationis officium, generalia Concilia celebrans, Episcopos Normanniæ ab Episcopali officio suspensos excommunicavit; eò quòd Conciliis tertiò vocati interesse noluerant. Quæ Episcoporum excommunicatio, animum Regis valde reddidit conturbatum, & rationis esse duxit super his Papam convenire: Maximè quòd in hujusmodi visus sit privilegia patri & fratri suo, sibique à Romana Ecclesia jam olim collata, se non promerente scidisse. Ad hæc itaque agenda directus est Willielmus Antistes Exoniensis, Papæ notissimus, utpote qui sæpe ad eum tempore glorioſi Patris Anselmi, pro negotiis quæ tunc inter Reges Angliæ & eundem Patrem versabantur, ab ipsis fuerat Regibus destinatus. Nec enim cæcitas quæ visum ei tulerat, ab ipso itinere illum poterat excusare, quia præterita gesta ejus fiduciam Regi præbebant, illum pro posse, juxta morem suum, suæ causæ fideliter velle insistere.

Interea Clerici Meneuwensis Ecclesiæ, quæ sub patrocinio beati Andreæ & sancti David in Walis fundata constitit, Episcopum sibi; defuncto Episcopo suo Walfrido, à Rege Henrico postulavere, & electus est in hoc opus, Bernardus quidam Capellanus Reginæ, vir probus, & multorum judicio, Sacerdotio dignus. Electus est autem Sabbato

M

HENRICUS 1. Rex.

jejunii ſeptimi menſis, & eodem die ad Preſbyteratum à Wentano Epiſcopo Willielmo apud Suthwercham conſecratus. De promotione verò Pontificatus, quam mox in craſtino fieri & Rex & alii plures optabant, cùm ubi aptiùs fieri poſſet, diſquireretur, intulit Robertus Comes de Mellento ſupervacuè de loco dubitari, dum conſtaret Epiſcopum tali eventu Electum, ex conſuetudine in Capella Regis debere ſacrari, & hoc ſe probaturum (ſi opus eſſet) pronuntiat. Quod non æquum hominis dictum Pater Radulfus parato animo ferre non valens, dixit eum hujuſmodi allegatione leviter poſſe efficere, ut nec ibi, nec alibi niſi Cantuariæ pro quavis cauſa Pontifex idem ſacraretur. Sciret tamen Comes ipſe quia poſtquam de Capella tantùm Regis dixit, nulla ratione ſe illum inibi conſecraturum. Ad quæ Rex, ad Comitem verſus, Nihil eſt (inquit) quod intendis. Nec enim ego, aut quilibet alter poteſt Epiſcopum Cantuarienſem aliquo modo conſtringere ut Epiſcopos Britanniæ alibi conſecret quàm velit ipſe. Quapropter viderit. Suum eſt. Conſecret Epiſcopum ſuum ubi voluerit. Propoſuit itaque illum in Eccleſia hoſpitii ſui, apud Lambetam conſecrare: verùm quia ipſi officio Regina intereſſe volebat, poſtulatus ab ea ſacravit ipſum in Eccleſia beati Petri Weſtmonaſterii XIII. Kal. Octobris, accepta ab eo ſolita profeſſione, & ſubjectione & obedientia Eccleſiæ Cantuarienſi & Epiſcopis ejus exhibenda. Huic conſecrationi interfuerunt, & cooperatores extiterunt ſuffraganei Eccleſiæ Cantuarienſis, Epiſcopi videlicet hi, Willielmus Wintonienſis, Robertus Lincolienſis, Rogerius Serberienſis, Johannes Bathonienſis, Urbanus Glamorgaceuſis, Gilebertus Lumnienſis de Hibernia.

Hoc eodem tempore Alexander Rex Scotorum miſit Radulfo Epiſtolam hanc.

Domino & Patri chariſſimo Radulfo, venerabili Cantuarienſi Archiepiſcopo, Alexander, Dei miſericodiâ, Rex Scotorum: ſalutem, & devotæ fidelitatis obſequium.

NOtificamus vobis (benigniſſime Pater) quod Epiſcopo Eccleſiæ Sancti Andreæ Apoſtoli, Dominus, videlicet, Turgodus II. Kal. Septembr. migravit à ſæculo. Unde valde contriſtamur tanto ſolatio deſtituti. Requirimus ergo veſtræ conſilium & auxilium, ſicut confidimus in vobis, ut ſecundùm Deum talem ſubſtituere valeamus, qui nos & gentem noſtram per Deo placitam converſationem regere & docere utiliter ſciat. Petimus etiam ut recordari dignemini quid vobis jam quadam vice ſuggeſſimus de Epiſcopis Eccleſiæ Sancti Andreæ; quòd in antiquis temporibus non ſolebant conſecrari, niſi ab ipſo Romano Pontifice, vel ab Archiepiſcopo Cantuarienſi; hocque tenuimus, & per ſucceſſiones temporum, ex auctoritate ratum habuimus, quouſque Dominus Lanfrancus Archiepiſcopus, neſcimus quo pacto, abſentibus nobis & noſtris Thomæ Eboraci Archiepiſcopo illud ad tempus relaxaverat. Quo omnino veſtra, ſi placet, auctoritate ſuffulti, ut amplius ſic remaneat, non concedimus. Nunc igitur, ſi ad id nobis noſtræque Eccleſiæ reparandum veſtrum adjutorium ſperare debemus, quod humillimis votis deſideramus & petimus, ſecretò nobis certitudinem dignis veſtris apicibus remandare curate. Valete.

Ipſo Anno, vij. Kal. Januarii Radulfus Archiepiſcopus ſacravit ſuper memoratum Ernulfum in Pontificatum Eccleſiæ Roffenſis, & Gosfridum ad Regimen Eccleſiæ Herefordenſis. Sacrati ſunt autem ſimul Cantuariæ in Metropoli Sede, convenientibus & cooperantibus in hoc officio ſuffraganeis ipſius Sedis, Willielmo Epiſcopo Wintonienſi, Herberto Norwicenſi, Radulfo Ciceſtrenſi, & Bernardo Meneuwenſi. HENRICUS 1. Rex.

Poſt hæc XIII. Kal. Aprilis factus eſt conventus Epiſcoporum, Abbatum & Principum totius Regni apud Serberiam, cogente eos illuc ſanctione Regis Henrici. Siquidem Normanniam ſe proximè transfretaturum diſpoſuerat, & quid ſibi eventurum foret ignorans, Willielmum, quem ex ingenua conjuge ſua filium ſuſceperat, hæredem Regni ſubſtituere ſibi volebat. Igitur agnita Regis voluntate mox ad nutum ejus omnes Principes facti ſunt Homines ipſius Willielmi, Fide & Sacramento confirmati. Radulfus autem Archiepiſcopus Cantuarienſis, & alii Epiſcopi atque Abbates Regni Anglorum, Fide & Sacramento profeſſi ſunt, ſe & Regnum, & regni Coronam, ſi defuncto Patre ſuo ſuperviverent, in eum, omiſſa omni calumnia & occaſione, tranſlaturos, eique, cùm Rex foret, Hominia fideli mente facturos. De his ita. Habita quoque eſt his diebus cauſa de querela quæ inter Archiepiſcopum Cantuariorum, & electum Pontificem Eboracenſem per integrum penè annum verſata fuerat. Defuncto ſiquidem Thoma, cujus circa finem quarti libri ſuprà memoratæ Hiſtoriæ ſatis habita mentio eſt, electus erat ad Regimen prædicti Pontificatus quidam de Clericis Regis, vocabulo Thurſtanus, connivente Radulfo Archiepiſcopo, & aliam quàm rei exitus probavit, de eo habente opinionem. Hic itaque electus cùm ab ipſo Pontifice moneretur ut Eccleſiæ Cantuarienſi faceret quod debebat, & benedictionem ſuam Eccleſiaſtico more ſuſciperet, reſpondit benedictionem quidem ſe libenter velle ſuſcipere, ſed profeſſionem quam exigebat, & Anteceſſores ſuos feciſſe ſciebat, nulla ratione factum. Cujus verbis quia Radulfus nec auditum præbere æquanimiter voluit, negotium ipſum eouſque indeterminatum remanſit. Ipſe quoque Thurſtanus Legatos ſuos Romam direxerat, modis quibus apud Romanos agi oportere ſciebat, à Papa cupiens abſolutionem debitæ profeſſionis obtinere; ſed nihil effecerat. Rex autem Henricus, ubi advertit Thurſtanum in pervicacia ſtare, & eandem pervicaciam quaſi ex tuitionis ſuæ fiducia fulcire ac manutenere, rupit ei ipſius fiduciæ nodos, & apertè proteſtatus eſt, illum aut morem Anteceſſorum ſuorum tam in profeſſione facienda quàm & in aliis dignitati Eccleſiæ Cantuarienſis ex antiquo jure competentibus executurum, aut Epiſcopatu Eboracenſi cum benedictione funditus cariturum. Ad quæ ille, Clericorum quaſi dignitatis ſuæ libertati fictâ reverentiâ acclamantium, ſuique cordis conſilio impræmeditatiùs credens, renuntiavit Pontificatui; ſpondens Regi & Archiepiſcopo, ſe, dum viveret, illum non reclamaturum, nec aliquam calumniam inde moturum, quicunque ſubſtitutus fuiſſet. Sed cùm poſt dies, & conſueta obſequia & priſtini honores circa ſe defectui magno paterent, tabeſcebat animo, & ſe feciſſe quod fecit vehementer indoluit. Quapropter mutato conſilio, Regem trans mare euntem ſecutus eſt, ſperans ſe reveſtituram ſui Pontificatus recuperaturum; & tali modo erga eum facturum, ut, eo præcipiente, benedictionem ab Archiepiſcopo ſine profeſſionis exactione adipiſceretur. Cui negotio cùm ſe medium niſi rem protelando Rex facere nollet, ſciens Archiepiſcopum abominabile habere tanto præcipitio ſe perenniter fieri obnoxium, ſuſpenſa res eſt, & nec ipſe, nec alius quis in Epiſcopatum Eboracenſem ſubſtitutus.

Ipſo anno circa menſem Auguſtum, reverſus à

HENRICUS I. Rex.

Roma ſuprà memoratus Anſelmus venit Normanniam ad Regem Henricum litteras Apoſtolici deferens, quæ ſibi vices Apoſtolicas in Anglia adminiſtrare concedebant. Quod Regno Angliæ brevi innotuit. Admirati ergo Epiſcopi, Abbates, & Nobiles quique Lundoniæ adunati ſunt ſuper his, & quibuſdam aliis, præſente Regina, communi conſilio tractaturi. Quid multa? Placuit omnibus Archiepiſcopum Cantuarienſem, quem maximè res hæc reſpiciebat, Regem adire, & expoſitâ ei antiquâ Regni conſuetudine ſimul ac libertate, ſi conſuleret Romam iret, & hæc nova annihilaret. Amplectitur ille conſilium, & amore quàm maximo viſitandi Apoſtolorum limina ardens mare tranſiit, & Regem Rothomagi reperit. A quo, & Eccleſia Pontificatus ipſius civitatis, ſummo gaudio & honore ſuſceptus, per plures dies in eadem civitate ab ipſo Rege detentus eſt. Suprà memoratum quoque Anſelmum ibi reperimus tranſitum in Angliam, gratiâ legationis ſuæ exercendæ, præſtolantem. Sed Rex Henricus antiquis Angliæ conſuetudinibus præjudicium inferri non ſuſtinens, illum ab ingreſſu Angliæ detinebat, & ei, utpote nuncio beati Petri, largiter & officiosè miniſtrari faciebat.

Radulfus igitur Archiepiſcopus cum Rege de negotiis, pro quibus venerat, juxta rerum ordinem diligentiùs agens, conſilium ejus Romani itineris callem ingreditur. Ubi autem in Franciam venit, gravi ulcere in facie percuſſus eſt, & intumeſcente toto capite, uſque ad extrema penè perducitur. Qua de cauſa in caſtro (quod Feritas à freno vocatur) per integrum menſem lecto decubuit, nobis qui cum eo eramus, vix vitam illi pollicentibus. Melioratus tandem ab infirmitate, prout pati potuit, paulatim Romam eundi iter repetiit. Ibat autem cum magno & diviti comitatu, & admirabilis cunctis habitus magnificè ſuſcipiebatur ab omnibus ad quos veniebat.

Lugdunum verò cùm veniſſemus, ubi Dominus & inclytus Pater Anſelmus olim ab Anglia pro juſtitia pulſus, non ſicut exul aut peregrinus, ſed incola & verè ipſius loci Præſul & Dominus, ab omnibus habitus fuerat, Lugdunum (inquam) cùm veniſſemus, & cum honore & amore præcipuò ſuſcepti fuiſſemus, manſimus ibi aliquandiù, tum ſincera omnium mihi converſantium dilectione illecti, tum nimia hyemis aſperitate conſtricti, tum inſtanti Nativitatis Chriſti ſolemnitate devincti. His diebus pro nota mihi locorum & hominum familiaritate, ad ſanctum Hireneum quadam vice aſcendens, diverti ad oratorium beatæ Mariæ Magdalenæ, duabus Ancillis Dei juxta idem oratorium pro Deo recluſis, locuturus. Hæ Patri Anſelmo pro ſua Religione quondam notæ, ejus fuerant ſacratiſſima inſtitutione in multis edoctæ. Inter has inſtinctu maligni, graviſſima quædam diſcordia poſt diſceſſum Domini Anſelmi orta eſt, ex invidiæ, ut fit, malo producta. Dum igitur inter ſe lites, improperia, & plurima quæ earum propoſito indecentia erant, ſingulis penè diebus verſarentur, ſecundùm quod ab eis ipſis accepi, una noctium aſtitit uni illarum, quam major ipſius diſcidii culpa notabat, Pater Anſelmus, dura illam invectione corripiens, & quod ab eis malè obſervatâ doctrinâ ſuâ, de remotis mundi partibus ſe ad eas uſque fatigaverit, conquerens. Juſſit tamen ut cœptis deſiſterent, & ſi ſuam (quæ Dei erat) pacem perdere nollent, ſub omni celeritate, omiſſis ambagibus cunctis, in pacem redirent. Factum eſt quod ſuaſit admirabilis Præſul; & ecce habitant in Domo Dei unanimes, nec dubitant eum ſibi eſſe præſentem, quem ſunt expertæ ſalubriter corripientem. Præterea una de iſtis (Achaleidis nomine) familiari affatu mihi ſub teſtimonio veritatis innotuit, ſe poſt obitum memorandi Patri Anſelmi quadam vice plus ſolito ex dono gratiæ Dei orationibus ac lachrymis deditam ſubitò velut in mentis exceſſum ſuper ſe raptam, & tribunali glorioſiſſimæ Reginæ Cœlorum à quibuſdam reverendis perſonis adductam. Quam cùm debita veneratione ſalutaſſet, & juſſa ante pedes ejus concidiſſet, poſt plurima, quæ vidit & audivit admiranda patriæ Cæleſtis præconia, quaſi quadam fiduciâ conſtantior effecta eſt. Inter alia quæ à Domina rerum inquiſivit, nec quæ fuerint mihi dicere voluit. De venerabili Hugone Lugdunenſi Pontifice ſciſcitata eſt, quomodo, ſcilicet, aut in qua ſorte judicii Dei, jam defunctus ſæculo, eſſet conſtitutus. At illa, Bene, inquit, filia, bene ille erit per miſericordiam Dei. Et de Domino meo, ait, Anſelmo Cantuarienſi Archiepiſcopo, pia Domina, ſi tibi placet, precor inſinua quid ſentiemus. Reſpondit: De illo certiſſima eſto, quòd in magna gloria Dei eſt. Ad hæc illa ad ſe reverſa, quid fecerit, in quo videlicet reſiduum noctis expenderit, dulcedo & dignitas viſionis conſiderantes quoſque docebit. Hæc quaſi per exceſſum diximus, ducti amore digniſſimi Patris Anſelmi, quo vehementer (Domino miſerante) imbuti, de eo ſemper ſcribere, aut loqui dulce habemus. Hinc narrandi ordine progredimur.

HENRICUS I. Rex.

Cùm itaque Placentiam perveniſſemus, Epiſcopus Norwicenſis (Herbertus nomine) qui nobiſcum Romam iturus Angliam exierat, valida infirmitate correptus eſt, ita ut ingraveſcente languore, decem continuis diebus ſine cibo & voce mutus jaceret. Quamobrem quatuor hebdomadas ibi exegimus, ſuſpenſi quid de Epiſcopo faceret Deus. Ubi verò illum convaleſcere certò advertimus, ad petitionem & conſilium ejus Pater noſter cœpto ſeſe itineri reddidit, ipſe debilitate nimia feſſus ibi remanſit, Archiepiſcopum aut illic præſtolaturus, aut convaleſcens (ſi moram faceret) redeundo præceſſurus. Nos itaque Romam, ille Normanniam, prout Dominus poſſe dedit, poſt nonnullas dies uſque pervenimus. Quoniam igitur Dominus Papa propter diſcordiam quæ illis diebus inter ipſum & Imperatorem erat, & Romanos, Beneventi morabatur; nec Radulphus uſque ad eum, partim propter corporis ſui imbecillitatem, partim propter præfatam diſcordiam, cujus causâ omnibus ad Papam ire volentibus graves inſidiæ ab incolis ſtruebantur, ullatenus accedere poterat; miſſis Nunciis cum litteris innotuit ei & adventum, & adventus ſui cauſam uſque Romam; quos ille benignè ſuſcipiens, & verba eorum moderatâ æquitatis lance perpendens, juxta negotii modum ſcripſit Epiſcopis Angliæ & Regi, ſic.

Paſchalis Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Epiſcopis Angliæ, & chariſſimo filio Henrico illuſtri Regi: ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

VEniente ad nos chariſſimo ac reverendiſſimo Fratre noſtro Radulfo Cantuarienſi Archiepiſcopo, veſtram ad nos Legationem miſſam per venerabilem Fratrem Herbertum Norwicenſem Epiſcopum novimus. Et quidem gravibus infirmitatum moleſtiis impediti iidem Fratres & Coepiſcopi pervenire ad noſtram præſentiam minimè potuerunt. Sed Nunciorum honeſtis venerabiliibuſque perſonis pervenientibus, eorum ſcripta ſuſcepimus, in quibus & ipſorum poſtulationes, & veſtræ Legationis vota inſpeximus. Id enim optabatur, id poſcebatur nec Eccleſia Cantuarienſis temporibus noſtris ſua dignitate privetur, ne nos eandem dignitatem minuamus

HENRICUS I. Rex.

aut minui finamus, qua videlicet dignitate potita est, ex quo à beato Gregorio per beatum Augustinum fundata est. Præter hæc litterarum indicia, Legati qui ad nos missi sunt, ut sapientes ac strenui viri, assertiones suas prudenter, instanter, & efficaciter executi sunt. Nos profecto & Legatorum personas, & Legatorum assertiones, & veltrùm omnium suggestiones, tanquam charissimorum Fratrum benignè hilariterque suscepimus, quia vobis in Domino, propter Dominum placere optamus. Vestræ igitur Dilectioni notum haberi volumus, quia Cantuariensis Ecclesiæ dignitatem nec imminuimus nec imminuere deliberamus. Beatum namque Gregorium Apostolicæ Sedis Pontificem, tanquam præcipuum Christi membrum, tanquam Christiani populi Pastorem & Doctorem, tanquam salutis æternæ Ministrum in omnibus veneramur. Et rata esse cupimus, quæ ab ejus institutionibus processerunt. Illam ergo dignitatem quam ab eo per beatum Augustinum Cantuariensis suscepit Ecclesia, & quam Frater noster sanctæ memoriæ Anselmus jure ac possessione legitima tenuisse cognoscitur, nos profectò nullatenus imminuimus, sed in eodem statu esse Cantuariensem Ecclesiam volumus, ut authentica ejus privilegia, juxta Canonum sanctiones, nullis perturbationibus violentur. Data Beneventi ix. Kalend. Aprilis.

In his Nuncii Papam deferentes ad nos Romam reversi sunt, nobis autem à Româ Sutriam usque egressis, post aliquot dies Radulfus Archiepiscopus invitatus ab Imperatore eum (annuente Papa) adiit, & per octo dies in exercitu suo, quem circa Romam adduxerat, conversatus cum illo est. Inde iterum Romam reversus denuò Sutriæ multis diebus moratus est. Fama siquidem quaque disperserat Romanum Pontificem sub celeritate in urbem venturum, & ratus est se, colloquium ejus magnopere desiderantem, illic opportuniùs præstolaturum. Verùm ubi intellectum est rem aliter esse, remeandi patriam iter arripuit. Venimus itaque Rothomagum ad Regem Anglorum, & ab eo multo tempore in Normannia detenti sumus.

Quibus diebus Clerici Eboracenses suprà memoratum Thurstanum, electum videlicet suum, suæ Ecclesiæ restitui cupientes, & ne professionem de subjectione sua Pontifici Cantuariorum faceret, modis omnibus insistentes, quos prudentiores de suis habebant, ad Papam dirigunt, desiderium suum ejus auctoritate & imperio nova lege per eos stabiliri gestientes. Qui viam aggressi & ad Papam usque profecti, quàm veridici causæ suæ relatores apud eum extiterint, & res gesta, veraci, fateor, superiùs stilo digesta, & textus Epistolæ quam ipse Papa pro eodem Thurstano direxit, scire volentibus declarabit. Est autem hæc.

Paschalis Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Henrico illustri Anglorum Regi: salutem, & Apostolicam benedictionem.

NOs auctore Deo, de probitate tua non tantùm bona, sed etiam meliora confidimus. Idcirco monemus Excellentiam tuam, ut divinæ gratiæ semper memor existas, quæ tibi & Regni pacem, & justitiæ notitiam tribuit. Honorem igitur Dei & Ecclesiarum eius in regno tuo diligenter observa, & justitiam efficaciter exequere, quia per honorem Dei tuus profectò honor augebitur. Audivimus electum Eboracensis Ecclesiæ virum sapientem & strenuum, sine judicio, ab Eboracensi Ecclesia sequestratum, quod nimirùm divinæ justitiæ & sanctorum Patrum institutionibus adversatur. Nos quidem, neque Cantuariensem Ecclesiam minui, neque Eboracensem præjudicium volumus pati, sed eam constitutionem quæ à beato Gregorio Anglicæ gentis Apostolo, inter easdem Ecclesias constituta est, firmam censemus illabatamque servari. Idem ergo electus, ut justitia exigit, ad suam Ecclesiam omnimodis revocetur. Si quid autem quæstionis inter easdem Ecclesias agitur, præsentibus utriusque partibus, in nostra præsentia pertractetur, ut præstante Deo, utraque Ecclesia finem suæ justitiæ consequatur. Data beneventi Nonis Aprilis.

HENRICUS I. Rex.

Restitutus in Pontificatum Thurstanus venit Angliam circa Februarium mensem, anno scilicet secundo quo ipse in Normanniam ad Regem venerat. Venerabilis autem Pater Radulfus, necdum se à Regis consortio sejungere valens, in Normannia remedit, reditus sui oportunum tempus operiens. Superiùs quoque nominatus Anselmus eousque morabatur Rothomagi cum Rege, pecuniam quæ beato Petro de Anglia quotannis pendi solet, Romam reversurus cupiens secum habere. Ut autem ipse in Angliam pro exercenda legatione sibi injuncta transiret, Rex (ut diximus) consentire nolebat, ratione quam prælibavimus, & aliis non minùs rationabilibus usus. Quatenus ergo quid in hujusmodi (si fortè contigerint) sit agendum secutura posteritas animadvertat, quæ nostris diebus acta sunt brevi perstrinximus, nulli præjudicium, quod malit sequi, præfigentes.

Post hæc, secundo videlicet anno quo & Radulfus Archiepiscopus Romam iturus Angliam exierat, & Anselmus pro exercenda legatione Angliam ut sperabat intraturus de Roma Normanniam ad Regem Angliæ venerat, sacræ memoriæ Paschalis Papa defungitur, & loco ejus Johannes quidam Caïetæ natus substituitur. Qui Johannes in Monasterio Montis Cassini ab infantia Monachus nutritus & adultus, in Ministerio venerabilium Apostolicorum Desiderii, Urbani, & Paschalis assiduus fuerat Cancellarii officio functus. Successor igitur Summi Pontificis institutus, mutato nomine, Gelasius est nuncupatus. Rex verò Teutonicus, qui & Romanus Imperator, audito Papam huic vitæ decessisse, Romam advolat, & Bracharensem Episcopum, jam anno præterito ab eodem Papa Beneventi excommunicatum, cedente ab urbe Gelasio, suum Papam instituit, & ex Burdino, Gregorium nominat. Quæ omnia ut scire volentibus clareant, Epistolam super his ab ipso Gelasio in Gallias missam, quem & ecce subscribimus, legant.

Gelasius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Clericis, Principibus, & cæteris per Galliam fidelibus: salutem, & Apostolicam benedictionem.

QUia vos Romanæ Ecclesiæ membra estis, quæ in ea nuper acta sunt, dilectioni vestræ significare curavimus. Siquidem post electionem nostram Dominus Imperator furtivè & inopinata velocitate Romam veniens, nos egredi compulit. Pacem postea minis & terroribus postulavit, dicens: *Se facturum quæ posset, nisi nos ei, juramento pacis, certitudinem faceremus.* Ad quæ nos ista respondimus: *De controversia quæ inter Ecclesiam & Regnum est, vel conventioni, vel justitiæ libenter adquiescimus, & loco & tempore competenti, videlicet, vel Mediolani, vel Cremonæ in proxima beati Lucæ festivitate, Fratrum nostrorum judicio vel consilio, qui à Deo sunt Judices in Ecclesia constituti, & sine qui-*

Digitized by Google

HENRICUS I. Rex.

bus cauſa hæc tractari non poteſt. Et quoniam Dominus Imperator à nobis ſecuritatem quærit, nos verbo & ſcripto iſta, promittimus, niſi interim ipſe impediat. Alias enim ſecuritates promittere, nec honeſtas Eccleſiæ, nec conſuetudo eſt. Ille ſtatim, die videlicet poſt electionem noſtram quadrageſimo quarto, Bracarenſem Epiſcopum, anno præterito à Domino Prædeceſſore noſtro Paſchale Papa in Concilio Beneventi excommunicatum, in Matris Eccleſiæ invaſionem ingeſſit. Qui etiam dum per manus noſtras olim Pallium accepiſſet; eidem Domino noſtro, & Catholicis ſucceſſoribus ejus (quorum primus ego ſum) fidelitatem juravit. In hoc tanto facinore nullum de Romano clero, Deo gratias, Imperator ſocium habuit, ſed Guibertini ſoli, Romanus de Sancto Marcello, Centius qui dicebatur Griſogoni, & Euzo qui multo per Daciam tempore debacchatus eſt, tam infamem gloriam celebrarunt. Veſtræ igitur experientiæ litterarum præſentium præcepto mandamus, ut ſuper his communi, per Dei gratiam, deliberatione tractantes, ad Matris Eccleſiæ ultiònem, communibus præſtante Deo auxiliis, ſicut oportere cognoſcitis accingamini. Datæ Caïte XVII. Kal. *Feb. Hæc ita.* Romæ.

His diebus gravi damno Anglia percuſſa eſt, in morte Reginæ. Defuncta ſiquidem eſt apud Weſtmonaſterium Kal. Maii, & in ipſo Monaſterio decenter ſepulta. Quo autem judicio Dei, ignoramus. Illico poſthæc plures Normannorum quam Regi juraverant fidelitatem poſtpoſuerunt, & in Regem Franciæ, Principeſque ejus adverſarios, ſcilicet ipſius naturalis Domini ſui non veriti juſtitiam, ſe tranſtulerunt. Unde quæ & quanta mala emerſerint, cogitatu ne dicam dictu ſcimus eſſe difficile. Inter quæ præfatus Papa Gelaſius per mare Burgundiam venit, & adventus ejus mox Galliæ toti innotuit. Excitati ſunt, quique potentes, cum mediocribus, ei occurrere, & certatim parabantur intereſſe Concilio quod ipſe diſponebat ſe media quadrageſima Remis celebraturum. Radulphus quoque Archiepiſcopus, audito Papæ adventu, de Rothomago, ubi eouſque morabatur egreſſus, impiger ei occurrere ſtatuit. Sed ubi aliquantùm itineris confecit, accepit à quibuſdam ipſum Papam longiùs diſceſſiſſe, & verſus Hiſpanias ire propoſuiſſe. Unde ob laborem & prolixitatem difficilis viæ, conſilio Amicorum ſuorum profectionem ſuam ab incepto rediens diſtulit. Eandem, ut putabat, profectionem non multò poſt reſumpturus, & ei Cluniacum venienti, auctore Deo, occurſurus; ratus tamen conſilii fore, deſtinavit, ad eum Legatos ſuos, qui & itineris illius certitudinem, & animi ejus qualitatem erga ſe, quidque de negotiis ſuis apud eum confidere poſſet diligentiùs inveſtigarent. Quæ ubi Thurſtano Eboracenſi innotuerunt, relicta Anglia Papam, ut ſperabat, ſuæ cauſæ gratia petiturus mare tranſiit, & Rothomagum venit. Ubi à Rege, quòd ſe inconſulto transfretaverit redargutus, ultrà procedere inhibitus eſt, donec certiorem de proceſſu Papæ ſententiam ediſceret. Sed evoluto non multo temporis ſpatio, Legati quos Archiepiſcopus direxerat, reverſi nunciant ſe ad Papam veniſſe, eumque multa noſtris ſæculis nova & inaudita proponentem facturum, morte præventum & Cluniaci eſſe ſepultum.

Itaque poſt hæc Cardinales & alii Romani qui Papam ſecuti Galliam venerant, ſibi, veluti à ſuis longè remoti, conſulentes, Guidonem Viennenſem Archiepiſcopum loci auctoritate & opibus fultum, quo tutiores in aliena Provincia eſſent, loco defuncti Papæ ſubſtituunt, & mutato nomine Calixtum nuncupant. Dum hæc Eccleſiaſtica ita in Burgundia diſponuntur, Apoſtolatus Romanæ Eccleſiæ præfato Gregorio, Sedi Beati Petri præſidente, adminiſtratur. Super his ergo multis rumoribus Anglia concuſſa eſt, aliis hunc, aliis illum, aliis neutrum Eccleſiæ Dei jure præ'atum aſſerentibus. Galli tamen & Rex Anglorum cum Pontifice Cantuariorum in Calixtum ſe tranſtulerunt, & eum (ſpreto Gregorio) pro Apoſtolico ſuſcepetunt. Utrum autem aliqua vel à Calixto Regi & Primati Anglorum, vel ab iſti illi mandata ſint, illis diebus quæ autentica & memoriæ digna extiterint, necne, nulla nobis hucuſque certitudo illuxit. Nos enim, qui his ſcribendis operam dedimus, in Anglia, illi verò de quibus agitur, extra Angliam ea tempeſtate morabantur. Cùm enim Pater Radulphus Roma reverſus, cum Rege Henrico in Normanniam converſaretur, & me qui continuus comes Beati Anſelmi, dum viveret, eſſe ſolebam, quique in obſequio ſui ipſius ex quo in Pontificatum Cantuarienſem aſſumptus fuerat, eouſque aſſiduus eram aliquantum infirmati adverteret, paterno affectu mihi condoluit. Non igitur extra Eccleſiam, in qua ab infantia nutritus fueram, aliquo me mortis periculo premi ullatenus ſuſtinens, Cantuariam mihi ire ſuaſit, ac perſuaſit, ſcribens pro bonitate ſua, Conventui Fratrum Eccleſiæ noſtræ Epiſtolam hanc, & per ſuum Nuncium dirigens.

HENRICUS I. Rex.

Dilectiſſimis Fratribus ac filiis Conrado Priori, cæteriſque ſervis Dei, qui ſunt Cantuariæ in Eccleſia Chriſti, fideliſſimus eorum frater Radulphus, ejuſdem Eccleſiæ Preſbyter, & Miniſter devotus: ſalutem & amorem, cum benedictione Dei & ſua.

DEſiderio deſideravi videre facies veſtras, & eò ampliùs quòd exiſtimabam vos aliquatenus deſolari ſuper prolixitate moroſa peregrinationis meæ. Ad vos igitur venturus in brevi, præmitto vobis Fratrem & amicum noſtrum Dominum Eadmerum, omnium laborum & actuum noſtrorum conſcium & ſocium, qui cor noſtrum fundiùs vobis denudare poteſt, & enucleatiùs omnia quæ circa me aguntur, quæque deſiderii mei ſint, revelare, quàm alicui ſcripto credere judicaverim. Precor autem obnixiùs, ut gratias ei referre ſemel & ſæpe reminiſcamini, pro ſervitio & honore quod mihi ex amore vero, ut vir prudens & perfectus, exhibuit, pro labore & onere quod ſine murmure pro me moeſtus, pro ſe verò nihil queſtus ſuſtinuit. Mementote ergo ut illi parem gratiam referatis, oſtendentes mihi amorem quem erga me habetis, ſervientes ei, & eum honorem & amorem impendentes, quem mihi impendere cuperetis; ſcientes quoniam ejus abſentiam ægrè ſuſtineo: Sed terruit me quidam quaſi ramuſculus illius infirmitatis, quo præterito anno vexatus eſt, cujus rei gratia eum præmittere coactus ſum. Vos igitur curate ut ſitis ei piiſſimi fratres, & impigerrimi adminiſtratores omnium earum rerum quæ ſaluti ſuæ congrua & conſequentia videritis. Vale noſtri memores.

Hanc Epiſtolam, non pro commendatione perſonæ meæ, quam nullius laude dignam certiſſimè ſcio, hîc notavi, ſed ut his qui opinantur & obloquuntur, dicentes me patrem meum quaſi in alieno poſitum deſeruiſſe, & ei ſolatium obſequii mei more prolis adulterinæ ſubtraxiſſe, rem geſtam ſimplici ſtilo deſcribendo proponam. Et quidem cùm illum moram ultrà condictum in redeundo facere viderem profectò ad eum rediiſſem, ſi ex ſua parte mihi interdictum non fuiſſet. Nam adventum ſuum jamjam inſtare ſuis in Anglia lætiſſime mandans, nolebat ſuæ pietatis intuitu fatigari, ſed ſe quantotiès ut putabat adventurum, ubi eram, juſſit præſtolari. Hæc

HENRICUS I. Rex.

ita se habuisse, veritas ipsa novit. Quia ergo ab ipso patre non alio, sed hoc modo ad præsens separatus sum, si ea quæ interim geruntur, aut gesta sunt memoranda non scribo, nulli succensendum existimo. Nihil enim dubii pro certo hactenus volui, sed nec nunc quidem scribere volo. Eum tamen aliquid egisse aut agere disposuisse de negotio, quod eousque versabatur inter ipsum & sæpe superiùs memoratum Thurstanum Eboracensem, dubitare non possum. Magna siquidem instantia privilegium, quod tempore venerandæ memoriæ Lanfranci Archiepiscopi sub magno Rege Willielmo de ipsa re promulgatum, & sigillo ipsius Regis firmatum in Ecclesia Christi Cantuariæ diligenti cura servatur, illis diebus sibi mitti præcepit. Quod à tanto viro abs re factum non facilè crediderim. Hoc itaque privilegium ad imperium suum sibi allatum Pater Radulphus cùm suscepisset, Papæ, ut nobis in Anglia dicebatur, de suis & aliis quibusdam Ecclesiasticis negotiis cum eo acturus, se præsentasset, nisi fortè sponsione Regis Henrici quâ, se in regnum suum reverso omnem justitiam ei facturum, & sæpe nominatum Thurstanum ad voluntatem & subjectionem suam se exhibiturum pollicebatur, illo procedere detineretur. Et hæc quidem sponsio nonnihil eum in transmarinis partibus detinebat, & eventum rei patienter expectare persuadebat. Rex quoque bellicis tumultibus undique occupatus, nec se ut volebat deliberare, nec eis omissis in Angliam salva honestate sua poterat remeare.

Inter hæc, ipso videlicet electionis suæ anno, Calixtus Papa instituit Remis generale Concilium, XIII. Kal. Novembris, qui fuit annus ab Incarnatione Domini, millesimus centesimus nonus decimus, & ex quo Radulphus Archiepiscopus Romam iturus Angliam exierat, annus quartus. Ad hoc Concilium factus est multiplex Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, & Principum diversarum Provinciarum concursus, cum numerosa Clericorum ac plebium multitudine. Quos inter directi quoque sunt ab Henrico Rege Anglorum ad ipsum Concilium Episcopi & Abbates Normanniæ, & insuper Episcopi Angliæ qui tunc temporis in Normannia cum illo degebant. Willielmus videlicet Exoniensis, Ranulphus Dunelmensis, Bernardus Meneuvensis, & Urbanus Glamorganensis. Ranulphus autem Pontifex Cantuariorum partim corporis imbecillitate, partim aliis rationibus præpeditus, ab accessu ipsius Conventus prohibitus est. Supranominatus autem Thurstanus à Rege licentiam petens illuc eundi, eam obtinere nullatenus potuit, donec interpositâ fide suâ, quâ ei sicut Domino suo astrictus erat, illi promitteret se apud Papam nihil acturum, unde Ecclesia Cantuariensis ullum antiquæ dignitatis suæ dispendium incurreret, nec Episcopalem benedictionem ab eo, ulla ratione suadente, susciperet; itaque tali sponsione ligatus iter arripuit, & ad Papam quemadmodum suo negotio expedire sciebat, impiger venit. Quid plura? Posthabitâ fidei sponsione Romanos in causam suam, quo in quæque negotia pertrahi solent, largitatis officio transtulit, & per eos, ut à Papa Episcopus sacraretur, sua manu cooperante impetravit. Sanè, ante hæc Nuncium suum Rex ad Papam direxerat, cautum illum faciens de querela quæ usque id temporis versabatur inter Radulphum Archiepiscopum Cantuariorum & ipsum Thurstanum. Nuncius autem horum & executor fuit Sieffredus, cognomine Pelochinus, Frater Archiepiscopi, habitu Monachus, ingenio gnarus, prudentia providus Regi ac Papæ familiaritatis nexu copulatus. Igitur inter alia quæ huic Rex Papæ dicenda indixit, præcipuè jussit ei dici quatenus id observaret, ut nullius gratiâ rei interveniente, Thurstanum aut ipse sacraret, aut ab aliquo nisi à Pontifice Cantuariorum (uti moris esse solet) sacrari juberet, aut permitteret: Alioquin se illum in nullum suæ dominationis locum amplius recepturum. Et si contra hanc sententiam ipse, quasi Apostolatus sui auctoritate, fortè niti vellet, certus existeret quòd nec pro amissione Coronæ suæ, utpote spatio septem annorum excommunicatus, propositum suum in hac causâ permutaret. Respondit: *Ne putet Rex me de negotio de quo agit, quavis ratione secus acturum quàm ipse velit. Nec enim me unquam ad hoc mea tulit voluntas, ut Cantuariensis Ecclesiæ dignitatem, cui tot præclari Patres, ut penè toti mundo notissimum est, præsederunt quoquo modo humiliem.* His Apostolici verbis Regius Nuntius credulus effectus, de suæ legationis effectu securus factus est. Quapropter cùm Remis venisset, & mane Dominici diei præcedentis diem præstituti Concilii cum Cantuaritis suis sociis audiret apud Sanctum Remigium quosdam protestantes ei, Thurstanum & suos alacres ad benedictionem Pontificatus in Sede Episcopali præparati, miratus est ultra modum, nec iis quæ dicebantur aliquatenus poterat fidem præbere. Ac ubi rei veritas palàm innotuit, Johannes Archidiaconus Cantuariensis (quem negotii istius tenor illuc adduxerat) Papæ astitit, & in præsentia plurimorum Episcoporum necne aliarum excellentium personarum, ipsam benedictionem viva voce à Pontifice Cantuariorum fieri debere calumniatus est, nec ipsum licet officio Papæ fungeretur, jure posse Ecclesiæ Cantuariensi jus suum præripere, cùm constaret eam nulli, quòd justè debebat, eousque denegasse. Ad quæ ille respondens: *Nullam*, inquit, *injustitiam Eccl siæ Cantuariensi facere volumus, sed salvâ justitiâ & dignitate illius, quod propositum exequemur.* Quod audientium quique mirum dictu judicaverunt, videntes eum adversa fronte, quæ dicebat nimis injustè facto refellere. Consecratus namque in Pontificatum Eboracensem Thurstanus est, fide quam Domino suo sub Deo pollicitus fuerat, hoc modo fraudatus. Ex quo facto in admirationem concussa sunt corda multorum. Rati enim sunt tantam rem eum nullatenus præsumere potuisse, si Regiam voluntatem sibi consentaneam in ea non advertisset. Huic consecrationi cùm ad jussum Papæ plures è Gallia Episcopi interessent, reverendæ memoriæ Hubaldus Archiepiscopus Lugdunensis nullo pacto, nec ipso Papa jubente, interesse voluit, perpendens non recto calle rem procedere, & horrens tantam injuriam Ecclesiæ Cantuariensi, cui speciali amicitia & fraterna familiaritate jungebatur, contra æquum infligi. Episcopi verò regni Anglorum quos ad Concilium à Rege Henrico directos diximus, nondum illuc venerant, & ea re (illis absentibus) hæc ita completa sunt: Quæ ut Regi certò innotuerunt, mandans modis omnibus Thurstano & suis interdixit redire in Normanniam & Angliam, & in omnem locum dominationis suæ. Ratum ex his quique audientium habuere, præter consensum Regis quæ fuerunt facta fuisse. Itaque post hæc Calixtus Gisortium venit, & Rex Henricus illic ei locuturus, accessit. Acta igitur sunt multa inter eos, quorum gratia par erat tantas personas convenisse. Inter quæ Rex à Papa impetravit, ut omnes consuetudines quas Pater suus in Anglia habuerat, & in Normannia, sibi concederet, & maximè ut neminem aliquando Legati officio in Anglia fungi permitteret, si non ipse aliqua præcipua querela exigente, & quæ ab Archiepiscopo Cantuariorum cæterisque Episcopis Regni terminari non posset, hoc fieri à Papa postularet. Quibus omnibus pro statu temporis definitis Papa rogat Regem Thurstano amicum fieri, eumque Pontificatui, ad quem ipsum sacraverat, pro amore suo restitui. At ille, hoc se, dum vive-

HENRICUS I. Rex.

Digitized by Google

HENRICUS I. Rex.

ret, non facturum, ſua fide ſpopondiſſe confeſſus. eſt. Ait: *Ego Apoſtolicus ſum, & ſi feceris quod poſtulo, ab hac te fidei ſponſione abſolvam. Tractabo de his*, ait, *& quæ conſilii mei tenor invenerit, Paternitati tuæ notificabo.* Hinc à Papa receſſit, & ei per internuntios ſuos de negotio ita reſpondit. Quod dicit ſe, quoniam Apoſtolicus eſt, me à fide quam pollicitus ſum abſoluturum, ſi contra eandem fidem Thurſtanum, Eboraci recepero, non videtur Regiæ honeſtati convenire hujuſcemodi abſolutioni conſentire. Quis enim fidem ſuam cuivis pollicenti ampliùs crederet, cùm eam mei exemplo tam facilè abſolutione annihilari poſſe videret. Verumtamen quia Thurſtanum in Pontificatum tantopere petit admitti, quantum mea refert, ea conditione pro amore ſuo concedo, ut ipſe primò Cantuariam veniat, & debitam obedientiam ac ſubjectionem quam B Thomas, Girardus & alter Thomas Eccleſiæ Cantuarienſi, ejuſque Primati profeſſi ſunt, ſcripta ex more profeſſione profiteatur. Quod ſi facere ſuperſederit, ſciat quòd, nullo edicto compellente, me in Anglia regnante Eboraci Eccleſiæ præſidebit. Hoc ſiquidem me ſervaturum promiſi & fidem meam vadem poſui, ne aliquando fiam tranſgreſſor hujus promiſſi. His ita de legatione Angliæ & Pontifice Eboracenſi determinatis, Pater Radulfus Angliam revertitur, & Dofris appulſus, cum ſummo honore & gaudio in Sedem ſuam Cantuariæ II. Non. Januarii recipitur. Anſelmus autem, qui legatione Angliæ (ut deſcripſimus) gloriabatur, nec Angliam intra- C re, nec aliquo Legati officio fungi dignus habitus eſt. Itaque omnis hujuſce poteſtatis exors effectus, à Normannia eſt in ſua regreſſus. Thurſtanus verò Papam ſecutus eſt; ſed non diu ab eo, ne præſentiâ ejus gravaretur, detentus. Rex autem Henricus in ſua ſententia perſtans, eum nec Pontificatui Eboracenſi, nec in ſuæ poteſtatis aliquem locum admitti ſinebat.

His diebus excitata eſt ſollicitudo multorum, ad inveſtigandum auctoritates & antiqua Privilegia Primatus quem Eccleſia Cantuarienſis, quæ eſt Dorobernenſis, ſibi vendicat ſuper Eccleſiam Eboracenſem. Quod ea re maximè contigit, quia cauſa quæ inter Radulfum Pontificem Cantuariorum & Thurſtanum Eboracenſem eo uſque, ut deſcripſi- D mus, verſabatur, in notitiam tranſmarinorum Epiſcoporum delata fuerat, ipſo Thurſtano propugnationem eorum ſibi, contra Patrem Radulfum, modis omnibus aſciſcente. Et illi quidem, utpote conſuetudinum & privilegiorum Eccleſiæ Chriſti Cantuarienſis ignari, immoderatiùs Thurſtano favebant, autumantes, ut ipſe ferebat, Radulfum vi magis, è divitiarum copiis prodeunte, quàm priſcæ auctoritatis, & Romanorum Pontificatum privilegiis in ſuis aſſertionibus niti. Sed cùm ad hæc diceretur, in vanum tale quid opinari, & ſatis ſuffitere ad determinationem hujus diſcidii, quæ à tempore Regis Willielmi, qui armis Angliam ceperat, de ipſo negotio geſta ſunt, præſertim cùm à diebus Regni ejus E penè cuncta quæ ab Anglis antiquitus quaſi Sacroſancta celebrabantur, nunc vix poſtremæ auctoritatis quorundam judicio habeantur. Non hinc, aiunt, ita eſt, immò nova quæ iſtis temporibus inferuntur antiquorum ſcriptorum aſtipulationibus, ut rata ſint, neceſſe eſt fulciantur. Ex his ergo, ad hæc inveſtiganda, multorum ſollicitudo (ut diximus) evigilavit, & confiſa Eccleſia Dei juſtitiæ, antiquorum ſcriniorum abdita, ſacrorum Evangeliorum volumina, ſoli decori Domus Domini extenus inſervientia diligentiùs perſcrutata eſt. Ecce autem, ut voluntas juſti amans, optato effectu non privaretur; quæ ſubſcribimus, revelante Deo, Privilegia quædam reperta ſunt, firma undique & Apoſtolicâ auctoritate ſubnixa. Sunt autem hæc. HENRICUS I. Rex.

Bonefacius Papa, Æthelberto Regi Anglorum.

DUm Chriſtianitatis veſtræ integritas ita circà conditoris ſui cultum excreverit, ut longè latèque reſplendeat, & in omni mundo annunciata, veſtra Deo digna operationis augmenta referat, enormes largitori omnium bonorum Deo grates exolvimus, &c.

Bonefacius Papa, Juſto Archiepiſcopo Doroberneníis.

SUſceptis veſtræ Dilectionis apicibus, in quibus reperimus inter alia, plurimos ex gentilitate ibidem degentium, Deo Omnipotenti & Domino noſtro Jeſu Chriſto auxiliante converſos, maximè autem in partibus Cantiæ ad veri Dei noſtri fidem veſtris laboribus perductos, valde gratulati ſumus.

Honorius Papa, Honorio Archiepiſcopo Doroberniæ.

SUſceptis veſtræ Dilectionis literis in eis reperimus veſtri laboris ſollicitudinem circa vobis commiſſam gregem, multa fatigatione occupatam, &c.

Vitalianus Papa, Theodoro Archiepiſcopo Cant.

INter plurima, quæ nobis per veſtras ſyllabas intimare juſſiſti, cognovimus etiam deſiderium veſtrum pro confirmatione Diœceſis veſtræ, quæ tuæ ſubjacet ditioni, quæ in omnibus ex noſtro Apoſtolicæ auctoritatis privilegio ſplendeſcere deſiderat, &c.

Sergius Papa, Regibus Anglorum.

DOnum gratiæ ſpiritualis, quod Sancti Spiritus illuſtratione fidelium corda ſuccendit, ac reparando reficit & virtutis mirifica conſtantiâ roborat, & cœleſtium beneficiorum inſtituit perbenniter promereri ſuffragia, & labentium rerum exitia nihilominus præcavere, &c.

Idem Papa, Epiſcopis Angliæ.

SIcut nobis, fratris incogniti, quibus curam officii paſtoralis beati Apoſtolorum Principis Petri ſuperna dignatio miſerationis regimenque conceſſit, reverendam advexit preſentiam, ita quoque veſtri religioſiſſimi præſulatus Collegii agnita ſalus geminum attulit munus tripudii. Nam omnium auctori bonorum Domino Deo noſtro, immenſas peragimus gratias, reperta fratrum fidelium in ſinu Sanctæ Matris Eccleſiæ unanimitatis devota conſtantia, & amoris ferventi inter ſe dilectioniſque conſortio. Sic enim ſagaci ſolertia Deum complacare noſcuntur, offerentes ei pura libamina, cùm in ara pectoris ſplendore veri luminis refoventes, nullis illecebris mentem illudant, nullis fratrum ſtimulis corda præcellant, nullis nocentibus proximos mentibus annuant; ſed ut Dei Miniſtri, ſpeculum ſe ſubjectis vitæ morumque probitate exhibeant. Hinc ſibi Deum proſperantem inveniet in adverſis, nec qui quam poterit hoſtis inſidia eis nocendi ſubripere. Etenim uti eſt præſtò Domini adjutorium, cuncta fugatur ſpirituum malignorum adverſitas: cumque ita ſit, &c.

Digitized by Google

HENRICUS I. Rex.

Gregorius Papa, Epiſcopis Angliæ.

DEi Omnipotentis immenſæ pietatis magnitudinem collaudamus, qui ſuæ majeſtatis gloriam ſic dilatare dignatus eſt, in omnem terram exierit jam ſonus prædicatorum ſuorum, & in fines orbis terræ verba eorum, &c.

Leo Papa, Athelardo Archiepiſcopo.

POntificali diſcretioni præcipuè convenit Præſulibus Eccleſiarum ſecundum eorum irreprehenſibilem fidem audientiam præbere & eorum, quæ per beatum Petrum Principem Apoſtolorum, & nos gerere deſideraverint, quæ Canonicis non refragantur Sanctionibus effectum concedere.

Formoſus, Epiſcopis Angliæ.

AUditus, nefandorum ritibus Paganorum in veſtris partibus repullulaſſe, & vos tenuiſſe ſilentium, ut canes non valentes latrare, gladio ſeparationis à corpore Dei Eccleſiæ vos ferire deliberavimus, &c.

Johannes Papa, Dunſtano Archiepiſcopo.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Confratri Dunſtano, Dorobernenſi Epiſcopo: vitæ perpetuæ permanendam in Chriſto ſalutem.

SI Paſtores ovium ſolem gelumque pro gregis ſui cuſtodiâ die ac nocte ferre contemni ſunt, & a nullis conſpectante vigilantibus, ne aliqua quidem ex ovibus aut errando pereat, aut ferinis laniata morſibus rapiatur quanto ſudore quantaque curâ debemus eſſe pervigiles ob ſalutem animarum, qui Paſtores dicimur earum? Attendamus igitur nos officium exibere erga cuſtodiam Dominicarum ovium, & ne quaſi lupo veniente territi fugiamus, ne in die Divini examinis pro deſidia noſtra ante ſummum Paſtorem & negligentiâ noſtrâ excrucientur, unde modo honoris reverentia in ſublimiore arce ceteris dijudicamur. Primatum itaque tuum, in quo tibi ex more Anteceſſorum tuorum, vices Apoſtolicæ Sedis exercere convenit, ita tibi ad plenum confirmamus, ſicut Beatum Auguſtinum, ejuſque ſucceſſores, præfate Eccleſiæ Pontifices, pleniùs habuiſſe dinoſcitur. Pallium verò Fraternitati tuæ, ex more ad Miſſarum ſolemnia celebranda, commendamus, quo tibi non aliter Eccleſiæ tuæ privilegiis in ſuo ſtatu manentibus uti concedimus, quàm uſum Anteceſſores noſtri prodiderunt. Neque tua prudentia hoc incognitum habet vel cujuſquam, quoniam indumenti honor moderatione actuum tremendus erit. Honeſtati morum tuorum hæc ornamenta conveniunt, quatenus auctore Deo, poſſis eſſe conſpicuus, ita ut vita tua filiis tuis ſit regula, & in ipſa ſi qua tortitudo illis ineſt, dirigatur, dum in ea quod imitentur aſpiciant, in ipſa ſemper conſiderando proficiant, ut tecum Deum per hoc, quod bene vixerint, videre mereantur. Cor ergo tuum neque proſperis qua temporaliter blandiuntur, extollatur, neque adverſis dejiciatur. Quicquid illud fuerit adverſi, virtute in Chriſto patientiæ à te devincatur. Nullum apud te locum favor indiſcretus inveniat; in omnibus diſcretionem alii in te cognoſcant. Inſontem apud te culpabilem ſuggeſtio mala non faciat, nocentem gratia non excuſet. Remiſſum te delinquentibus non oſtendas; nec quod illis non profuerit, hos perpetrare permittas. Sic in te & boni Paſtoris dulcedo ſit, & judicii ſevera diſtrictio; unum ſcilicet quod innocentes foveas, aliud quod inquietos feriendo à pravitate compeſcas. Sed quoniam nonnunquam præpoſitorum Zelus dum diſtrictius malorum vindex eſt, tranſit in credulitatem, correptionem in judicio referas, & cenſuram diſciplinæ diſcute, ut & culpas ferias, & à dilectione perverſorum quos corripis, non recedas. Miſericordiam (prout virtus patitur) pauperibus exhibe. Oppreſſis defenſio tua ſubveniat. Opprimentibus modeſta ratione contradicas. Nullius faciem contra juſtiam accipias. Nullum quærentem juſta deſpicias. In cuſtodia æquitatis excellas. Ut nec divitem potentia ſua, apud vos aliquid extra viam ſuam de accuſatione audias, nec pauperem faciat, humilitas ſua deſperare, quatenus, Deo miſerante, talis poſſis exiſtere, qualem ſacra Lectio præcipit, dicens: Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe. *Sed his omnibus ita ſalubriter poteris ſi magiſtram caritatem habueris, quam qui ſecutus fuerit, à recto tramite non recedit. Ecce, Frater Chariſſime, inter multa alia, iſta ſunt Sacerdotum, iſta ſunt Pallii jura, quæ ſi ſtudioſè ſervaveris, quod foris accepiſſe oſtenderis, intùs habes. Sancta Trinitas Fraternitatem veſtram gratia ſua protectione circumdet; atque ita in timoris ſui viam te dirigat, ut poſt vitæ hujus amaritudinem, ad æternam ſimul dulcedinem pervenire mereamur.* Et hoc ſcriptum eſt per manum Leonis Scrinialis Sedis Apoſtolicæ in Menſe Octobris indictione III. Datarum die I. Kal. Octobris, Anno XII. ſummi Pontificis Johannis.

HENRICUS I. Rex.

Hæc, ut prælibavimus, in Archivis Eccleſiæ Domini Salvatoris reperta, futurum memoriæ, non abſurdum æſtimavimus commendare. Et quidem his plura inventa ſunt, ſed aliquibus eorum nimiâ vetuſtate obliteratis, aliquibus in cartis ex Biblo compoſitis, & peregrinis caracteribus inſcriptis, & ipſis quoque ex majori parte detritis, notitiæ noſtræ uſquequaque non patuerunt. Ac nos ignota pro notis ſcribere horrori habentes, neceſſariò ea huic operi alienavimus. Sanè quod quoſdam non pudet aſtruere, ſoli ſcilicet perſonæ Beati Auguſtini primi Pontificis Cantuariorum Beatum Gregorium conceſſiſſe, non ſolùm Epiſcopos quos ordinaret, neque hos tantummodò qui per Eboracæ Epiſcopum eſſent ordinati, ſed etiam omnes Britanniæ Sacerdotes, habere, Domino Deo noſtro Jeſu Chriſto Auctore, ſubjectos, quale ſit, ſacra Succeſſorum ejus Decreta, Succeſſoribus ipſius Auguſtini directa (quæ paucis prænotavimus) ſatis oſtendunt. In his quippe videre planum eſt, eos intellexiſſe non magni muneris eſſe, ſi eis ſolummodò illa dixiſſet, cùm (ut alia taceam) ſuis diebus Eboracenſis Provincia nec fidem Chriſti ſuſceperit, nec qui eam prædicaret eo directus ſit. Tanta enim in Cantia, & vicinioribus Regionibus in prædicatione Nominis Chriſti, & ipſe, & ſocii ejus habuerunt ad faciendum, ut à tam longinquis partibus eis fuerit abſtinendum. Beatus ſiquidem Paulinus, qui primus Northumbrienſibus Evangelium prædicavit, & Eboraci primus Cathedram Pontificalem ſortitus eſt, non à Beato Auguſtino, ſed à Juſto, qui quartus ab ipſo Auguſtino Cantuariorum Pontifex extitit, Epiſcopus electus, ordinatus, & illuc deſtinatus fuit, quemadmodum venerabilis Beda in hiſtoria Gentis Anglorum veraci ſtilo digeſſit, & omnibus notiſſimum eſt. Quæ igitur Beatus Gregorius Auguſtino dixit, in Auguſtino, ſuis Succeſſoribus dixit: per quos Deo implere placuit, quæ per ipſum Auguſtinum ſua diſpoſitione implere voluit. Non jure itaque privilegio Auguſtino collato privandi ſunt, qui Sedis ejus præſidentes vices ipſius exequendi officio functi ſunt. Quod verò dicunt, Beatum Gregorium ſatis dicere poſſe, & noſſe,

HENRICUS I. Rex.

se, si voluisset, *tua Fraternitas, & Successores tui*, verum omnimodis esse fatemur. Et similiter non dubitamus, Dominum Christum, dicentem Beato Petro, *Quodcunque ligaveris super terram erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solveris super terram erit solutum & in cœlis*, scisse dicere, si voluisset, *& Successores tui*. Qui ergo privare nituntur successores Sancti Augustini potestate & dignitate, quam ipsi Augustino concessit Beatus Gregorius, privent (si audent) Successores Beati Petri, potestate & dignitate, quam ipsi Petro concessit sanctus & justus Dominus. Eodem enim modo, quo Dominus locutus aliis, in Apostolo suo Petro, locutus est Gregorius Successoribus ejus in discipulo suo Augustino. Justè judicate filii hominum, & perpendite de similibus idem esse judicium. Illud etiam istis annectendum putavi, quod præfatus Beda refert, Theodorum (qui septimus à beato Augustino in Cathedram ejus successit) primum esse in Archiepiscopis, cui omnis Anglorum Ecclesia manus dare consentiret. Et hic utique cùm primò functus Pontificatu Britanniam venisset, Ceaddam Eboracensem Prælatum à Pontificatu summovit, eo quòd non jure sacratus, injuria fuerit eidem Ecclesiæ, per officium Sacerdotale præpositus. Moxque Wilfridum substituit, & ei integerrimè Pontificatum Eboracæ, fretus auctoritate Romanæ Sedis, delegavit. Quem deinceps ad Concilia sua venire faciebat, & ejus obedientiâ ac subjectione pro temporum qualitate per omnia utebatur. Hunc etiam postmodum, emergentibus quæreliis, quas commemorare longissimum est, in sua Ecclesia Eboraci, non solùm Episcopatu privavit, sed & Parochiam ejus in tres Episcopos, libera utens potestate, distribuit. Deinde, soluto ipsius dilecidii nodo, juxta placitum voluntatis suæ, remotis ipsis Episcopis, eundem Wilfridum pristinæ dignitati restituit. Nihil novi dicitur: vetera sunt hæc, & antiquorum gesta scientibus evidentissima. Illud quoque non minoris evidentiæ luce patescit, Brithwaldum Successorem ipsius Theodori, illum ipsum Wilfridum cujusdam inobedientiæ culpa accusatum, secundò ab Episcopatu deposuisse; ac postea senectuti ejus & Religioni compassum, sui Pontificatus gradui restituisse ab Apostolica Sede interpellatus. Sed quid juvat infinita contexere? Itaque de his ita, ut qui Ecclesiæ Christi Cantuariensis auctoritati derogare non metuunt, saltem se in lumine positos non posse videre erubescant, & vel amodò ora claudant ne prava loquentes, recta amantibus opprobrio sint. Ipso anno quo Radulphus Archiepiscopus Cantuariorum de transmarinis partibus in Angliam reversus est, qui fuit annus ab Incarnatione Verbi Dei millesimus centesimus vicesimus, venerunt ad eum missi ab Alexandro Rege Scotorum quidam honorati & strenui viri. Horum unus quidem Monachus, & Prior Ecclesiæ Dunfermelinæ (Petrus nomine) Clerici duo; unus extitit Miles. Negotium autem legationis eorum qui nosse curat, quam detulerunt Epistolam subscriptam, legendo vel audiendo percurrat.

Alexander Dei gratiâ, Rex Scotorum, Radulpho reverendo Cantuariensi Archiepiscopo, & cum reverentia diligendo: salutem.

AUdita prosperi adventus vestri in Angliam jamdiu à me desiderati manifesta relatione, de incolumitate ac prosperitate vestra congaudens summoque Protectori gratias inde referens, cùm temporalium undique occupatio curarum iter meum, ut vestra ad præsens valeam frui præsentia, impediat, tam Literarum designatione quàm Legatorum relatione animi mei affectum vestræ bonitati cupio manifestare. Tantæ etenim discretionis personæ fretus consilio, bonum propositum peroptimè ad boni operis effectum (Deo annuente) non dubito me posse perducere. Vestram igitur latere nolo excellentiam, Ecclesiam Sancti Andreæ in Regno meo existentem jamdiu Pastorali curâ destitutam, Dei & vestræ benignitatis providentia Pastore idoneo desiderantem me velie consolari. Quo circa vestræ Pietatis deposco clementiam, ut quandam personam à plerisque mihi laudatam, Eadmerum, scilicet, Monachum, si vobis idonea visa fuerit, ut Pontificali inthronizetur dignitate, mihi liberam concedatis. Verens enim summum Pastorem me graviter offendisse, cùm gregem suum negligentia mea aliisque forsan criminibus impedientibus Pastoris penuria desolatum, & à tramite veritatis in pluribus exorbitatum diu permiserim, filiali etiam timore timens in hac re eum amodo offendere, ad vestræ fontem discretionis recurro, ut pristinæ memor existens dilectionis inter nos habitæ, me filium vestrum Paterno affectu spiritualiter jamdiu à vobis adoptatum, vestri munimine consilii in hac re tueamini. Vale.

Miratus ex his Pater Radulphus, & ratus hoc verbum à Deo egressum, (maximè, quia omnino constabat eundem Fratrem, nec per se nec per quemlibet hominem, unquam de ipso negotio aliquo modo apud quenquam egisse, licèt ejus absentiam molestè ferret; nam sicut in servitio Beati Prædecessoris sui Anselmi, sic & in suo assiduus esse solebat.) Noluit tamen Regiæ petitioni assensum non præbere, ne videretur Dei ordinationi resistere. Quoniam igitur acceperat ipsos Legatos pro eadem re, & pro aliis Regem Anglorum ex parte Domini sui adituros, ipse & Conventus Fratrum Cantuariensium miserunt per manus illorum ipsi Regi Epistolam hanc.

Henrico Regi Anglorum, charo Domino suo, ac summo honore venerando, Frater Radulphus, Sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ indignus Sacerdos, & totus Conventus ejusdem Ecclesiæ: salutem, & orationes, & fidelia obsequia.

NOtum facimus Sublimitati vestræ Alexandrum Regem Scotorum, cum consensu Cleri & Populi Regni sui, Legatos suos ad nos misisse, & consilium curæ Pastoralis ad opus Ecclesiæ Sancti Andreæ, à nostra Ecclesia expetisse. Considerantes ergo eorum justam petitionem, & tam Divini amoris reverentiam, quàm Sanctæ Matris Ecclesiæ utilitatem attendentes, laudandis desideriis pium præbuimus assensum. Concessimus ergo, juxta petitionem eorum, personam Ecclesiæ nostræ ab eis denominatam, Domnum Eadmerum quem à pueritia disciplinis Ecclesiasticis sublimiter institutum, & sanctis moribus decenter ornatum ad officium Sacerdotale omnino scimus idoneum. Vestram igitur venerabilem Sublimitatem submisso corde deposcimus, ut vestræ Celsitudinis pia voluntate atque auctoritate, & illorum Deo digna petitio & super tam necessario Ecclesiæ Dei negotio nostræ humilitatis concessio roboretur. Omnipotens Deus Sublimitatem vestram ad honorem suum & munimen Ecclesiæ suæ per longa tempora incolumen custodire, & post temporale Regnum dignitate perennis regni sublimare dignetur.

Rescriptum Regis ad hæc.

Digitized by Google

HENRICUS I. Rex. Henricus Rex Anglorum, Radulpho Archiepiſcopo Cantuariæ : ſalutem.

VOlo & concedo, ut Monachum illum, unde Rex Scotiæ te requisivit, liberum ei concedas ad conſuetudinem terræ ſuæ in Epiſcopatu Sancti Andreæ. Teſte Everardo de Calna apud Rothomagum.

Poſt hæc miſit eundem Fratrem, prout oportere putabat, ad Regem Scotiæ, ſcribens ipſi Regi ſic.

Charo Domino & Amico, Alexandro, Dei gratiâ, Regi Scotorum, Radulphus Archiepiſcopus: ſalutem, & orationes.

GRatias Deo innumerabiles referimus, qui ad cognoſcendum atque petendum quæ debebatis, remotis nebulis, mentis veſtræ oculos aperuit. Gratias nihilominus generalitati veſtræ, qui petitionibus veſtris legitimis nos vobis ex amicis amiciſſimos, ex familiaribus familiariſſimos & junctiſſimos reddidiſtis. Licet enim ipſis petitionibus quaſi oculum aut dexteram à corpore noſtro avellere quæratis, laudare tamen habeo juſtum deſiderium veſtrum, & in quantum potero, ſecundùm Deum illi obtemperare. Volens quidem, & ſi pace Dei & veſtra poteſt dici, invitus alienior bonæ veſtræ voluntati; volens verò, quia Dei voluntati quem in hoc facto præſentem atque propitium conſpicio, reſiſtere non audeo, nec cor veſtrum in nos amaricare. Invitus autem, quòd (quaſi ſolus) & patris conſolatione, ac relevatione aſſidua, & fratris ſapientis conſilio & auxilio in infirmitate noſtra ac ætate deſtituor. O ſapientis viri conſilium (ſi nos eo non ſpoliaretis, & cum ſpolietis) qui tantum virum, tam famoſum, tam Eccleſiæ Dei utilem, vita, & moribus, & literis Divinis, & ſi opus fuerit, ſæcularibus à pueritia inſtructum, terræ veſtræ conſilio præeſſe, in his quæ ad Deum pertinent, ſatagatis. Si alius ex partibus longinquis quod petitis peteret, pro certo ſciatis non paterer elongari à nobis cordis noſtri arcanum; ſed vobis nihil eſt ſecundùm Deum, quod abnuere velimus. Mittimus ergo ad vos perſonam quam petitis, & omnino liberam, ut à vobis certius diſcat, ſi ad honorem Dei & Sanctæ Matris Cantuarienſis videlicet Eccleſiæ ſpectet petitio veſtra. Cautè igitur & cum conſilio tractate quod agitis, quia ſunt multi qui libenter ſacrationem iſtius diſturbarent, & ſi valerent, diſturbando caſſarent. Proinde noſtrum eſſet conſilium ut quàm citius ad nos remitteretur ſacrandus, ne dilatione quod timemus interveniat, vel quod nollemus. Saluetat vos Conventus Fratrum Eccleſiæ noſtræ verè fideles veſtri, & omnino ad ſervitium veſtrum parati. In commune autem rogamus ut ita vos habeatis erga Fratres noſtros qui in Regno veſtro ſunt, ut Deus vobis inde gratias habeat & nos. Valete.

Veniens itaque Frater ipſe in Scotiam, mox tertio die adventus ſui illo, qui fuit dies feſtivitatis glorioſiſſimorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ſuſcepit, eligente eum Clero & Populo terræ, & concedente Rege, Pontificatum Sancti Andreæ Apoſtoli Chenrimuntenſis. Quæ res ita diſponente Deo acta eſt, ut nec virga Paſtorali, vel annulo à Rege inveſtitus fuerit, nec Hominium ei fecerit, lætus itaque dies habitus eſt, atque in laudem Dei alacriter expenſus. In craſtino autem Rex, cum electo de conſecratione illius ſecretiùs agens, & modis omnibus eum à Pontifice Eboracenſi conſecrari exhorrens, ubi, eo docente, accepit auctoritatem Eccleſiæ Cantuarienſis, ex antiquo toti Britanniæ præeminere, & idcirco, ipſo diſponente, ſe Cantuariæ Epiſcopalem benedictionem velle requirere, conturbatus animo ſurgens diſceſſit ab eo. Nolebat enim Eccleſiam Cantuarienſem anteferri Eccleſiæ Sancti Andreæ de Scotia. Vocans itaque Willielmum Monachum Sancti Edmundi, qui poſt Thurgodum eidem Epiſcopatui Præpoſitus, penè illum evacuaverat, præcepit ut more ſolito in Epiſcopatu ſe haberet, expoliato noviter inveſtito. Expleto autem poſt hæc menſe integro, & his quæ ſuperetant jam terris Epiſcopatus funditus evacuatis, pro voto principum Regni Rex Alexander ipſum Electum convenit, vixque ab eo obtinuit, ut quòd ſuper inimicos ſuos exercitum ducere diſponebat, virgam Paſtoralem deſuper Altare, quaſi de manu Domini ſuſciperet, & ita in toto Regno Curæ animarum omnium, pro poſſe, deinceps intenderet. Poſt hæc ad Eccleſiam Sancti Andreæ venit, & occurrente ei Reginâ, ſuſceptus à Scolaſticis, & plebe, Pontificis loco ſucceſſit.

Inter hæc, eouſque Thurſtanus Eboracenſis in tranſmarinis partibus morabatur, & ſuprà memorato negotio ſuo viriliter inſudans, ad hoc etiam Regem Anglorum provocavit, quatenus & Pontifici Cantuariorum ſemel & Regi Scotorum ter ſcriptis mandaret, ne aut ille electum Sancti Andreæ conſecraret, aut iſte ulla ratione ſacrari permitteret. Quæ res multorum animos vulneravit & in diverſa diſtraxit, & electum, ne Chriſtianitati corrigendæ jure Pontificali intenderet, non parùm debilitavit. Unde hi quibus cordi erat ſuis voluptatibus magis quàm Dei juſſionibus obtemperare, roborati ſunt, & quoniam ſuorum morum correctionem formidabant, jam ſecuri irridebant. Quid plura? Rex ipſe ad Regis Anglorum juſſa paveſcens, ex hoc Hominem minoris apud ſe honoris habere, & ſenſim ſua cœpit imminuere. Quod ipſe advertens, ſeque modicum eo ſibi adverſo, ſecundùm Deum in regno illius proficere certiſſimè ſciens, propoſuit Cantuariam ire, & inde quid ſibi potiſſimum in tali cauſa foret agendum conſilium quærere. Quod uti Regi innotuit, dixit eum ab Eccleſia Cantuarienſi penitus abſolutum, nec omnino aliquid in ea participium habere, ſeque in vita ſua conſenſum non præbiturum, ut Epiſcopus Scotiæ ſubderetur Pontifici Cantuariorum. Quibus cùm ipſe referret, quòd nec pro tota Scotia abnegaret ſe eſſe Monachum Cantuarienſem; turbato ſpiritu: *Nihil*, inquit, *fecimus à Cantuariâ petentes nobis Epiſcopum.* Ex hoc igitur, cordis ſui rancore devinctus, eundem virum in multis cœpit fatigare multis injuriis clàm & palàm exagitare, eum dignitate ac rerum Epiſcopalium proventu deſpoliare. Non igitur eum recto oculo aſpicere, non verba ejus vel etiam de Deo prolata, poterat patienter audire; quæ res vulgus latere non potuit. Rumores itaque multi exorti ſunt, partes diverſas in diverſa trahentes. Quod electus advertens, & ſuum eſſe in talibus (ut prælibavimus) non utile eſſe perpendens, per internuncios mandavit ei hæc: *Quia video te non eſſe, ut mihi expedit, fervum erga me, nec ſcio quare hoc ſic me promeruiſſe, cùm certum habeatur me non multum te offenſo, in Chriſtianitatis correctione in Regno tuo profuturum, rogo ut tuo favore proficiamus, Cantuariam ire me finas, quatenus conſilium, quod mihi ſit agendum, inde requiram, & benedictionem Pontificalem ad honorem Dei & exalta-*

HENRICUS I. Rex.

HENRICUS I. Rex.

tionem Regni Scotorum inde ſuſcitiam. Non ſederunt hæc animo ejus, & petitioni illius ſe nequaquam aſſenſum præbiturum aſſeveravit, conteſtans Regnum Scotiæ Cantuarienſi Eccleſiæ nihil ſubjectionis debere, & ipſum ab eâ penitus immunem factum ſibi datum eſſe. Cui cùm ille hoc ſe eatenus neſciſſe reſponderet, præſertim cùm Epiſtola pro ſe ab Archiepiſcopo illi directa inter alia contineret eum ad hoc Scotiam deſtinaſſe, ut diſceret utrùm petitio quam in eligendo cum ſuggeſſit, ad honorem Dei & Sanctæ Matris, Cantuarienſis videlicet Eccleſiæ, ſpectaret, non ut dignitate jam quingentis annis ab ea inconcuſsè poſſeſſa, ipſe per ſe in nutritum filium evacuaret, indignatus nimium ſe quotidiè nova placita in iſto negotio mire neſcire juravit. Ad hæc ille, vocato in Conſilium ſuum Joanne Epiſcopo Glaſchonenſi, & duobus Monachis Cantuarienſibus quos tunc temporis ſecum habebat, ſciſcitatus eſt quid in tali ſuo negotio ſibi melius decernerent fore agendum. Tunc illi Regem adeuntes, & ſtatum animi ejus ſuper viro pleniùs ediſcentes, quaſi non ab eo ſed ſimpliciter à ſe conſilii ſumma prodiret, intulerunt homini hæc: *Si ut filius pacis in pace vivere cupis, alias eam require. Hic, dum iſte regnaverit, nulla tibi, & paci communio erit. Novimus hominem. Ipſe in regno ſuo vult eſſe omnia ſolus, nec ſubſtinebit ut quævis poteſtas ſine ejus diſpoſitione quicquam in aliquo negotio poſſit. Jam exacerbatus eſt contra te, & nescit quare, nunquam tibi plenè reconciliatur etiamſi viderit quare. Quamobem aut linquere te cuncta noveris oportere, aut perpetuò inter Scotos eorum uſus ſequendo, contra animæ tuæ ſalutem in opprobrio vitam ducere. Quòd ſi diſcedere mavis, & annulum quem à manu illius ſuſcepiſti, & baculum quem deſuper Altare tuliſti, illi cogêris reſtituere. Alioquin terram ſuam, niſi eam tranſvolare potueris, non egredieris.* Ad hæc quanta dicta, quanta objecta ſint, hinc & inde ad alia tendentem ſcribere piget; poſt quæ omnia electus ipſe, conſiderato ordine quo quæ penes ſe acta fuerunt, videlicet, qualiter Annulum de manu Regis acceperit; qualiter Epiſcopatu inveſtitus fuerit; qualiter Baculum deſuper Altare tulerit; ita brevi reſpondit. Annulum quidem, quem de manu illius ſuſcepi, libens reddam, eâ re quòd nihil poteſtatis, quæ eo ſignificatur, in illo accepi, Laico ſcilicet dante, cui tale quid nihil attinet. Baculum autem, quem ſuper Altare, præſentibus duobus Epiſcopis, ſumpſi, ponam ubi aſſumpſi, & eum diſpoſitioni Jeſu Chriſti commendabo. Relinquere autem totum Epiſcopatum, eâ conditione, quia vis mihi infertur, adquieſco, ut eum tempore Alexandri Regis non reclamem, niſi Pontifex, & Conventus Cantuariorum & Rex Anglorum aliud mihi ſuper his conſilium dederint. In his, in pace diviſi ſunt, & Eadmerus Cantuariam veniens, ab Epiſcopo & Fratribus ſuis lætè ſuſceptus eſt. Diligebatur enim ab omnibus, & qui de abſentia illius fuerant mœſtificati, in præſentia illius facti fuerant vehementer exhilarati. Miſit autem Rex in accuſationem ipſius, per Nuncium ſuum Archiepiſcopo Epiſtolam unam, continentem hæc.

A

B

C

D

E

Alexander Dei gratiâ, Rex Scotorum, Radulpho Archiepiſcopo, Cantuarienſi: in ipſo, qui vita eſt, ſemper vivere.

IMmenſæ bonitati veſtræ petitioni meæ condeſcendenti, perſonam in præſulatu Sancti Andreæ ſublimandam mihi mittendo, animi mei affectus, benevolens, & ut juſtum eſt, obnoxius, innumerabiles gratias reddit. Sed perſona in Epiſcopatu poſita, conſuetudinibus terræ moribuſque hominum, ut res & tempus exigebat, & ut juſtum & neceſſarium eſſet condeſcendere noluit. Ipſa verò tandem perſona, in præſentia quorundam Epiſcoporum & Comitum, proborumque terræ meæ virorum, me requiſivit ut ei licentiam recedendi, & de fidelitate quam mihi fecerat, libertatem concederem, cùm nullo modo remanere vellet, niſi eum in captione detinerem. Hæc audiens, ei his verbis reſpondi; quòd ſi aliquas, dictis, vel factis, injurias ei à me illatas, & quòd in aliquibus quæ ei facere debuiſſem me defeciſſe demonſtraret, pro Dei amore, & meo honore libentiſſimè præſtò eſſem emendare. Ad hæc, in præſentia omnium aſtantium, dixit quòd nullas dictis, aut factis ei injurias injeceram, nec unquam in aliqua re, quam ei facere debuiſſem, defeceram. Præterea egomet, & Epiſcopi & Conſules, aliique terræ meæ probi homines, ibi aſtantes, reverentiæ obedientiam in quibuſcunque juſtum eſſet, magna animi benignitate obtulimus, & pro penuria honeſtæ exhibitionis reverentiæ non eſſe neceſſe ei præſulatum relinquere, cum magna admonitione retulimus; ut etiam remaneret, donec Regi Angliæ & vobis nuntiaſſem, ut amborum conſilio frui poſſem, obnixè rogavimus. His auditis, mihi reſpondit, quòd nullo modo remaneret, niſi eum in captione detinerem; ſe enim nec utilem, nec idoneum in præſulatus regimine ſciebat; & ſi remaneret, detrimentum animæ ſuæ & aliorum imminere videbat. Communi tandem conſilio nolui eum vi retinere; petitioni ſuæ, quamvis invitus, adquievi; & Epiſcopatum reddidit, & fœdus amicitiæ inter me & ipſum oſculo confirmavit. Et hæc eſt rei veritas quam literis vobis declarare volui, ne ſi aliud ad aures veſtras perveniret credertetis. Sciat denique bonitas veſtra quòd vobis penitus, ut amicus fidelis, obnoxius eſſe cupio, & conſilio veſtro, veſtræ etiam dilectioni ſubdi deſidero. Ut Domino Eadmero honorem exhibeas, obnixè poſtulo. Vale.

Utrum autem in iſtis tanto Patri Rex ipſe vera, ſophiſtica, falſave mandaverit, non effugit notitiam ejus, qui conſilia, commenta, & deceptiones ſingulorum ſuo tempore denudabit, redditurus cuique, prout geſſerit. Scripſit tamen ad hæc Pater Radulphus Epiſtolam hanc.

Alexandro illuſtri Regi Scotorum, Frater Radulphus, Cantuarienſis Eccleſiæ Miniſter: ſic regnare in regno terreno, ut cum Chriſto regnare poſſit in Cœlo.

GRatiàs, quas poſſumus (Venerabilis Domine) Sublimitati veſtræ referimus, pro dilectionis & honoris munere, quod erga parvitatem noſtram nunciis & literis referentibus, vos habere dignoſcimus. In quo nos proculdubiò, nos, pro poſſe ſemper devotos habebitis, & ſi quid in vita noſtra (Domino largiente) fructuoſum inveniatur, veſtrum eſſe ſecurè ſciatis. Gratias etiam, ex bona voluntate vobis perſolvimus pro ſuſceptione Chariſſimi filii noſtri, Eadmeri videlicet electi Epiſcopi veſtri, quem ſecundùm petitionem veſtram vobis tranſmiſſum honorificè tractaſtis. Quem nos etiam ad partes noſtras redeuntem, prout decuit tantam perſonam, officiosè ſuſcipientes, in adventu ipſius non mediocriter lætati ſumus. Cùmque ſecretiùs poſtea inter nos ſermo verſaretur, audivimus eum aliqua, à ſenſu literarum veſtrarum, quas priùs audieramus, diverſa ſentire, nec omnibus antea

Digitized by Google

HENRICUS I. Rex.

auditis, ex toto assensum præbere. Nunc itaque quoniam in scriptis vestris aliud legimus, & aliud ab ipso Fratre percepimus, consilio nobis est, ut eundem filium nostrum apud nos retineamus, quousque, Domino ducente, in Angliam veniatis, nisi fortè aliquid aliud quod nobis faciendum sit, antea mandaveritis. Cùm autem (Deo donante) vobis præsentialiter loqui, & rerum causas hinc inde audire poterimus, si vita & doctrina hujus amici nostri vobis & patriæ vestræ utilis esse videtur, injunctâ sibi obedientiâ ad electionis suæ locum, si eum suscipere vultis, redire poterit. Si verò in conspectu vestro aliud placitum fuerit, nos eum ut virum in Lege Domini multipliciter instructum, & omni bono operi aptum cum magno gaudio retinebimus, & sic spem bonam in misericordia Dei habentes, ejus reditum fructuosum habebimus. Vale.

Itaque de his ita.

Sed dum talia circa Monachum Cantuariensem geruntur in Scotia, quiddam nostris sæculis inauditum contingit in Anglia. Willielmus enim filius Regis Henrici, cujus in superioribus hujus operis nonnullis meminimus, Patrem suum à Normannia in Angliam regressum sequi gestiens, navem ingreditur, copiosâ nobilium, militum, puerorum ac fœminarum multitudine comitatus. Qui mox portum maris evecti miraque aëris serenitate freti, freto elapti, in modico navis quâ vehebantur, rupem incurrens, eversa est; & omnes qui in ea residebant, excepto rustico uno, & ipso, ut ferebatur, nec nomine digno, qui mirâ Dei gratiâ vivus evasit, marinis fluctibus sunt absorpti. Quæ res multorum mentes exterruit, atque turbavit, & de occultis justi Dei judiciis in admirationem concussit. Eo tamen citius sedata est in plurimorum animis hujus turbationis immanitas, quia animam Regis, quem maximè hoc infortunium respiciebat, videbant virili animo se agentem, & æquitati judiciorum Dei (cui nemo resistere potest) hæc summisso gestu & voce attribuentem. In his namque se consolans, humili spiritu, & ore dixit quod omnibus Christianis in cunctis eventibus suis dicendum fore intellexit, videlicet, *Sit nomen Domini benedictum in sæcula. Amen.*

HENRICUS I. Rex.

Finis Libri Quinti.

Digitized by Google

EADMERI
CANTUARIENSIS MONACHI
HISTORIA NOVORUM.

LIBER SEXTUS.

HENRICUS I. Rex. QUa jocunditate & exultatione Regnum Angliæ in reditu Regis exhilaratum fuerit, qui temporis illius recordatur, & (me tacente) advertere poterit. Spes etenim magna magni boni multorum mentibus est inde profecta, quæ sibi promitteret levamen & auxilium à magnis malis, quorum tædio nimium antehac videbantur infecta. Verùm dum fama intonuit, Willielmum jam olim regni hæredem designatum, de medio esse sublatum, non parva bonæ spei portio periit; consideratis injustitiis, quæ in omni genere hominum illis diebus emergebant. Attamen Rex legalis conjugi nexu olim solutus, ne quid ulteriùs inhonestum committeret, consilio Radulphi Cantuariorum Pontificis, & Principum regni, quos omnes in Epiphania Domini sub uno Lundoniæ congregavit, decrevit sibi in uxorem Atheleidem filiam Godfredi Ducis Lotharingiæ, puellam virginem, bonis moribus, & decore modesti vultus decenter insignitam. Ad hujus igitur copulæ perfectionem directi Nuncii sunt, qui cum his quos Dux memoratus Angliam pro hoc ipso destinaverat, festinantiùs irent, & futuram Regni Dominam (ut decebat) summo cum honore adducerent. Venienti ergo illi occursus Episcoporum & Procerum Regni Dorris (ubi appulit) grandis factus est, & inde ad Curiam Regis usque perducta.

Cùm hæc ita administrantur, conventu Principum, qui pro occursu Reginæ factus fuerat, nondum soluto, magnus sermo habitus est de discidio quod eo usque versabatur inter Radulphum Archiepiscopum Cantuariensem, & Thurstanum Eboracensem. Siquidem ipse Thurstanus (prout suprà descripsimus) à Calixto Episcopus ordinatus, litteras ab ipso Calixto, more quo cuncta Romæ impetrantur, adeptus fuerat; quibus jubebatur, ut ipse Thurstanus Episcopatu suo potiretur, aut Rex anathemate, & Radulfus suspensione Pontificalis officii plecteretur. Ad quod recitatæ sunt sententiæ Privilegiorum quæ superiori libro indidimus; & quàm dignè Deo hæc Apostolica disponerentur, intellectum est ab omnibus. Tamen ne præmissæ intentio pœnæ, Regem vel Pontificem aliquatenus conturbaret, ex communi consilio permissus est idem Thurstanus, Angliam redire, & Eboracum, Regiâ viâ, venire. Quod & factum est eâ dispositione, ut nullatenus extra Parochiam Eboracensem divinum officium celebraret, donec Ecclesiæ Cantuariensi de injuriâ, quam ei intulerat, abjuratâ cordis sui obstinatione satisfaceret.

Hæc inter de Reginæ maritatione, necne in regnum promotione actum est inter Regni sublimiores; & in Vindlesora ipsum negotium administrari dispositum est. Ubi cùm Episcopus Serberiensis, quia Castrum ipsum in Diocœsi sua consistit, officium ipsius copulæ niteretur administrari, contradictum & comprobatum ab aliis est, magis ad Archiepiscopum Cantuariensem id pertinere, ea ratione, quòd Rex & Regina speciales ac domestici Parochiani sunt ipsius; nec Diocœsem cujusvis Episcopi ei posse præripere, quod sui juris dignoscitur esse, cùm tota terra, lege Primatus, Cantuariæ Parochia sua sit, & omnes Episcopi totius Insulæ Parochias quas habent, non nisi ab ipso, & per ipsum habeant. Sedata igitur in his controversia est. Itaque quoniam Radulphus Archiepiscopus corporis debilitate gravatus, ministerium ipsum opportunè exequi nequibat, injunxit illud Episcopo Wintoniensi, ne si Episcopus Serberiensis illud administraret, insuper venturis temporibus aliquis tale quid, ex suæ Parochiæ auctoritate, quam ex Cantuariensis Episcopi obedientia sibi vendicaret. In crastino autem expletionis officii hujus, dum in Reginam ipsa puella benedici debuisset, & jam dicto introitu Missæ Pater Radulphus ipsum officium celebraturus sacris Altaribus astitisset, advertit Regem in Solio suo sedere coronatum, & admiratus est sciens Regni Coronam se illi non imposuisse, nec illam ab alio positam, se præsente, jure ferre debuisse. Divertit igitur infulatus & sui Patriarchatus stolâ redimitus, ab Altari, & ad Regem accedens, eo sibi supplicitèr assurgente, scisitatus est quisnam capiti ejus Coronam imposuisset; ad quod ille demisso vultu, se non magnam curam inde accepisse, & idcirco memoriæ id elapsum modesta voce respondit. Quicunque, ait, illam posuit, non id utique jure fecit; nec quamdiu capiti tuo hoc modo insederit, propositi negotii executor non existam. Cui Rex: Si non jure, ut asseris, imposita est, fac quod justè faciendum fore cognoscis; me contradictorem in nullo habebis. Pontifex igitur, elevatis manibus, sustulit Coronam de capite ejus, ipso dissolvente ansulam quâ sub mento innodata erat, ne capite insidens vacillaret. Quod ii qui circumstabant intuentes, omnes elatâ voce Pontificem parcere, & Regio capiti Coronam remittere petiverunt. Adquievit ille, & mox juxta Regem coronatum stans, *Gloria in excelsis Deo*, ad inceptæ officium Missæ inchoavit. Choroque sequentia canente, Altario repræsentatur. Regina itaque in Regnum consecrata est, & dies festivus & hilaris omni populo qui confluxerat, habitus est.

Post hæc Archiepiscopus cum Rege Abendoniam veniens sacravit ibi Robertum, qui ipsi Domino Re-

Digitized by Google

HENRICUS 1. Rex.

gi, in cura panum & potus ſtrenuè miniſtrare ſolebat, ad Epiſcopatum Ceſtrenſis ſeu Couventrienſis Eccleſiæ; acceptâ priùs ab eo profeſſione, qua ſe, ex antiquo more, devovit fore ſubjectum & obedientem ſanctæ Matri Eccleſiæ Cantuarienſi, & pontificibus ejus. Sacratus eſt autem iij. Idus Martii, aſſiſtentibus & cooperantibus huic Sacramento, Willielmo Wentano Epiſcopo, Willielmo Exonienſi, Urbano & Bernardo Epiſcopis Walenſibus.

Dum hæc iſto ordine in Anglia diſponuntur, famæ certitudo illuc uſque perlata eſt, Papam Calixtum, viribus undicumque collectis, ſuprà memoratum Mauricium, cognomento Burdinum, quem vocatum Gregorium Sede Apoſtolica Imperator cum ſuis fautoribus Papam conſtituerat, cepiſſe, eumque ſuis omnibus ſpoliatum Monaſterio, ut Monachus eſſet, contumeliosè intruſiſſe. Quo facto ipſe Apoſtolici culminis ſecuritate potitus, liberâ auctoritate qua Romanum Pontificem niti æquum eſſe probatur, quaquaversùm per Legatos ſuos utebatur. De quorum numero quidam Petrus nomine, Romanus genere, Monachus Cluniacenſis profeſſione, venit in Galliam, miſſus ab ipſo Pontifice functus (ut ferebatur) Legatione Galliæ, ac totius Britanniæ, Hiberniæ quoque, & Orcadarum inſularum. Supercreverat autem fama iſtius famam omnium, ante eum in has partes à Romana Sede deſtinatorum, & Abbates, ac nonnulli alii viri videlicet honorati, ejus adventum Angliæ præconaturi, ab eo præmittebantur. Erat enim filius Petri præclariſſimi, ac potentiſſimi Principis Romanorum, cujus fides & actio magni conſilii & fortitudinis eſſe ſolebat iis qui, in Sede Apoſtolica Canonicè conſtituti, Patres orbis habebantur. Attonitâ igitur totâ terrâ in expectatione quaſi tanti adventus, direxit Rex Henricus Bernardum Epiſcopum ſancti David de Walis, & Johannem filium Patrui ſui Clericum trans mare, ubi eouſque idem Petrus morabatur, Regis Anglorum de introitu ſuo in Angliam voluntatem juſſumque opperiens, quatenus illum ad ſe perducerent. Quibus etiam ipſe Rex, prudenti uſus conſilio, injunxit quatenus iter ejus ita diſponerent, ut poſt ingreſſum Angliæ nec Eccleſias, nec Monaſteria quælibet ad ſe tendens hoſpitandi gratiâ ingrederetur, nec aliunde quàm de ſuis victus neceſſaria ei miniſtrarentur. Perductus igitur ad Regem dignè ab eo ſuſceptus eſt. Et expoſitâ ſui adventus causâ, Rex obtenſa expeditione, in qua tunc erat, (nam ſuper Walenſes ea tempeſtate exercitum duxerat) dixit ſe tanto negotio operam tunc quidem dare non poſſe, cùm Legatione illius ſtabilem auctoritatem non niſi per conniventiam Epiſcoporum, Abbatum, & procerum, ac totius Regni Conventum roborari poſſe conſtaret. Super hæc ſibi patrias conſuetudines ab Apoſtolica Sede conceſſas, nequaquàm ſe æquanimiter amiſſurum fore teſtabatur (in quibus hæc, & de maximis una erat, quæ Regnum Angliæ liberum ab omni Legati ditione conſtituerat) donec ipſe vitæ præſenti ſupereſſet. His horumque ſimilibus Regali facundiâ magnificè honoratus, * omni modo ſe illi quicquam antiquæ dignitatis derogaturum, immò ut dignitatis ipſius gloria undeque augmentaretur, ſpopondit plenâ fide elaboraturum. Pax itaque firma inter eos firmata eſt, & qui Legati officio fungi in tota Britannia venerat, immunis ab omni officio tali, cum ingenti Pompâ, viâ quâ venerat extra Angliam à Rege miſſus eſt. Dofris itaque transfretaturus, Cantuariæ hortatu Regis & Archiepiſcopi magnificè à Fratribus ſuſceptus eſt, & inter eos triduò cum jocunditate converſatus. In quo temporis ſpatio querimonia apud eum depoſita eſt pro gravi injuria qua Papa Calixtus Eccleſiam Cantuarienſem in cauſa Thurſtani Eboracenſis

* al. nullo modo

A humiliare non veritus eſt, & ſuis litteris eandem humiliationem omiſsâ omnis juſtitiæ conſideratione, roborare. Quæ ipſe levi vultu ac miti mente ſuſcipiens, privilegia ab antiquis Patribus olim à Romana Sede poſſeſſa oſtendi ſibi poſtulavit, & ſi rata eſſe probarentur, quæ noviter inſtituta erant, ſe promiſit elaboraturum ut in nihili redigerentur. Prudentum igitur ratione virorum probatum eſt, Bullatas antiquitùs cartas incendio, quod totam Eccleſiam necdum tranſitis quinquaginta annis omnino conſumpſit, eſſe conſumptas, paucis illarum in antiquis ſcedulis, ſeu veteribus libris quoquo modo raptim tranſcriptis atque retentis, quarum veritas, & Romani ſtilo eloquii, & auctoritate, jam per quadringentos & eò ampliùs annos ab ipſa Eccleſia inconcuſsè poſſeſſa declaratur. Quibus ille perſpectis atque perpenſis, teſtatus etiam ipſe eſt Eccleſiam Cantuarienſem B grave nimis & immoderatum præjudicium eſſe perpeſſam, & quatenus hoc velociùs corrigeratur, ſe modis omnibus opem adhibiturum pollicitus eſt. Poſt hæc Angliam egreditur, proſpero curſu procelloſum mare evectus.

His ita variantibus, ſuprà deſignatus Epiſcopus Scotiæ, Cantuariæ continuè degebat, ſicut olim priuſquam in Pontificatum electus eſſet, facere ſolebat. Conventum Monachorum non facilè deſerens, ſed more aliorum ſeſe in omnibus habens. Tranſiit in illis annus integer & ſemis. Venientes interea Cantuariam diverſi Epiſcopi, Abbates, & quique Nobiles, qui hominem ex cohabitatione Patris Anſelmi quondam notum habebant, de negotio illius percun- C ctabantur. Et ordinem rei edocti, eum Eccleſiam quam canonicè electus regendam ſuſceperat, nulla ratione juxta ſcita Canonum indemnatum dimittere poſſe concordi ſententiâ aſſeruerunt, licet conſecratus non fuerit, electionem videlicet quodammodò conſecrationi præſtare conteſtantes. Uſus igitur illorum & quorundam aliorum conſilio, necne beati Patris ſui Anſelmi, cujus beata converſatio eum in multis olim informaverat, exemplo provocatus, qui olim ab Anglia æquè, ut ipſe à Scotia, pro ſimili cauſa pari ordine pulſus fuerat, ſicut longè ſuperiùs habita mentio eſt, Regi Scotorum Epiſtolam, quam ecce ſubſcribimus, ſcriptam direxit.

HENRICUS 1. Rex.

D

Alexandro illuſtri Regi Scotorum, Eadmerus, quondam Electus Epiſcopus Scotiæ: ſalutem, & ſervitium.

PRo benigna voluntate, quam ſe erga me veſtra Excellentia olim habuiſſe monſtrare dignata eſt, gratias, quas poſſum, vobis exſolvo. Et quidem benignitatis veſtræ non meritorum meorum fuiſſe non neſcio, quod prætermiſſis innumeris, quos & vitæ probitas, & ſapientiæ atque prudentiæ illuſtrabat auctoritas, me in Epiſcopatum elegiſtis, & Regno veſtro, in iis quæ Dei ſunt, præeſſe voluiſtis: E Reddat vobis omnipotens Deus, pro tam bona voluntate illud præmium, quod bona voluntas meretur apud eum. Et hoc utique orat quotidie, & deſiderat anima mea. Quod autem res alium, quàm propoſiti communis tenor extiterit, eventum ſortita eſt, Dei diſpoſitioni, quam penetrare vel ſubterfugere nemo poteſt, aſcribendum fore non dubito. Quid tamen ex diſceſſu meo à Pontificatu didicerim, ſi facultas mihi daretur ſecretiùs vobis loquendi, ſanctæ fidei veſtræ notificarem. Licet enim corpore à vobis diſceſſerim, noveritis tamen pro certo quòd fidem, quam vobis debeo (Deo juvante) non violabo. Unde veſtrum & Regni honorem, in quibuſcunque potero, ſi non ſpreveritis, fideliter quæram, ipſo teſte, qui

HENRICUS I. Rex.

tiæ meæ ſolus & verus inſpector eſt. Nec hæc dico quòd multum deſiderem in Regno veſtro epiſcopari, ſed tamen mallem dignitatem terræ veſtræ augeri, quàm minorari. Præterea noverit Beatitudo veſtra quòd omnes qui audiunt qualiter electus, ſuſceptus, & Pontificatu ſaiſitus, & loco Pontificis ſubſtitutus fui, unâ ſententiâ aſſerunt, nec me juſtè potuiſſe Epiſcopatum dimittere, nec alium (me vivente) juxta legem Domini ſubſtitui poſſe. Nec enim vir uxorem ſuam, aut uxor virum, ut alii nubat, dimittere regaliter poteſt. Sed fortaſſe dicitis: *Tu dimiſiſti.* Dimiſi quidem, ſed (quod cum pace veſtra dicatur) illata vi, cui contraire nequivi. Cùm enim perpes diſcordia, & interminabiles inimicitiæ mihi ex veſtra parte per eos (quos vobis familiares eſſe ſciebam) intenderentur, niſi Epiſcopatui fundituſ cederem, & his veſter habitus circa me, & diſtaſitio, qua me bis rebus ad Pontificatum pertinentibus, ſine lege & judicio ſpoliaſti, atteſtarentur, neceſſariò dimiſi quod ablatum retinere non potui. Sed de iſtis epiſtolari brevitate diſquiri commodè non valet. Quamobrem, omiſſis iſtis, breviter ſuggero, quia ſi in pace veſtra permittitis, & opem (ut veſtram Regalem ſublimitatem decet) ferre volueritis, ut ad vos honorificè redeam ad explendum apud vos ſervitium Dei & veſtrum, ſecundùm voluntatem Dei conabor ites aggredi, & in omnibus voluntati veſtræ parere, niſi (quod abſit) videatur voluntati Dei reſiſtere. Quod ſi amplecti minimè vultis, ultra non poſſum. Deo cauſam Eccleſiæ ſuæ committo. Ipſe videat, ipſe dispenſet, ipſe, quod quiſque meretur, in hoc ſuo negotio cuique reddat. Ego liberavi (ut æſtimo) animam meam; ego, uti debui, coram eo expoſui cauſam meam, paratus in omnibus ſequi voluntatem ſuam. Ne tamen putetis me in aliquo velle quicquam derogare libertati vel dignitati Regni Scotorum, ſecurum vos eſſe volo, quia quod à me petiiſtis, & ego tunc quidem adquieſcere nolui, æſtimans aliud quàm, ſecundùm quod poſtmodum didici, æſtimare debebam, de Rege ſcilicet Anglorum, de Pontifice Cantuariorum, & de benedictione Sacerdotali, ſi hucuſque perſiſtitis in ſententia veſtra, me amplius contradictorem non habetis, nec illa me à ſervitio Dei & amore veſtro (quin quod volueritis faciam) ullo modo divellent, tantummodo alia quæ Pontificis ſancti Andreæ juri competunt, mihi liceat cum ve ra bona voluntate adminiſtrare. Hæc olim vobis inſinuaſſem; ſed quia rumor q aq ie diſcurrebat vos in Angliam (poſtpoſitâ omni ambiguitate) tunc vel tunc, aut certè tunc venturum, ſcribere diſtuli, quod magis optabam ſecreto vobis affatu declarare. Sive igitur iſta ſuſcipiatis, ſive altiori conſilio poſtponatis, ego, quod mea refert, pura & ſimplici conſcientia feci, ipſo cuncta inſpiciente & examinante, qui novit quid cuique redditurus æquo moderamine ſit. Quoniam ergo in manu ejus ſunt etiam corda omnium Regum, intimo corde rogo ut ipſe cor veſtrum, & actus veſtros, ad ſe, ſua gratia, dirigat, quatenus & Eccleſia ſua, quæ in Regno veſtro peregrinatur, veſtra ope in ſancta converſatione de die in diem proficiat, & animæ veſtræ, poſt hanc vitam, beatitudinis æternæ merces exinde proveniat. Amen. Quid, de iſtis, Excellentiæ veſtræ placeat, benignè, quæſo, mihi fideli veſtro literis ſuis notificare dignetur. Vale.

HENRICUS I. Rex.

Miſit etiam, ipſis diebus, Radulphus Archiepiſcopus & Fratres Eccleſiæ Cantuarienſis, Epiſtolam ipſi Regi, hæc inter alia continentem.

Alexandro illuſtri Regi Scotorum, Radulphus Cantuarienſis Eccleſiæ Miniſter, & Fratrum Conventus Domino Chriſto in ea deſerviens: per illum in terra regnare, cui famulatur omnis militia cœleſtis.

NOvit Prudentia veſtra, chariſſime Domine) quanto tempore Sedes Epiſcopalis, quæ in Patria veſtra præcipua habetur, ſuo caruerit Paſtore, quæ proculdubio quantò fuerit ſuo deſtituta vigore, tantò deteriùs Subditorum ruina inde proveniet. Unde hortamur Strenuitatem veſtram, quam Divina propitiatio, inter alios Reges ita abſque notabili reprehenſione hucuſque honoravit ut ab omnibus laudabilis habeatur, quatenus tanto Religionis detrimento finem dantes, Paſtorem quem vos canonicè elegiſtis, & nos legaliter ad vos miſimus, ad Sedem ſuam, ex bona voluntate veſtra, revocetis. Et cùm nec in vobis, nec in ipſo culpa pateat, quare hoc dignè fieri non debeat, ex Patrum auctoritate, non intelligimus qualiter, iſto vivente, alium memorata Eccleſia veſtra poſſit ſortiri Epiſcopum; quia Sponſa Dei, (ſuo ſuperſtite) ne fiat adultera, niſi legalem omnem contemnit maritum. Quapropter quomodocunque hactenus hoc dilatum fuerit, virum, ſicut ſperamus, vobis utilem, & in Lege Dei a pueritia nobiliter inſtructum, in primum Dilectionis veſtræ gradum, & in Officium ſibi injunctum pro veſtra gloria revocate. Deus pacis & dilectionis, à quo omne bonum conſilium procedit, ſit ſemper vobiſcum. Quid vobis videatur de iis quæ vobis mandamus, nobis precamur reſcribi facite. Valeat Dilectio veſtra, cum Domina Regina uxore veſtra, & cùm omnibus qui ea quæ juſta ſunt, volunt, & vos diligunt, gloriosè Domine, & honorandæ ſanctæ Matris Eccleſiæ Fili. Amen.

Eodem anno, qui fuit annus ab Incarnatione Domini milleſimus centeſimus viceſimus ſecundus, & ex quo ab Epiſcopatu Roffenſi in Patriarchatum Cantuarienſem tranſlatus eſt annus nonus, defunctus eſt Cantuariæ, in Metropoli Sede, Radulphus Archiepiſcopus xiij. Kal. Novembris, preſentibus Filiis ſuis; glorioſo ſcilicet agmine Monachorum ejuſdem loci, & tertio die adhinc, in medio Aulæ majoris Eccleſiæ decenter ſepultus.

Finis Libri ſexti.

Digitized by Google

JOHANNIS SELDENI IN EADMERI HISTORIAM NOVORUM NOTÆ.

In Præfatione, pag. 17. lineâ 20.

Qui non primò fuerit homo Regis & de manu illius Episcopatus vel Abbatiæ Investiturum] Obtinebat ævo illo superiore mos solennis, atque ante Normannorum etiam adventum hic usitatissimus, ut majorum gentium Antistites sacri, Episcopi nimirùm & Cœnobiarchæ (qui saltem in clientela Regia) à sacris Ecclesiarum corporibus electi, quin sæpiùs etiam, spretis omninò corporum sactorum suffragiis, in aulâ designati, Annuli & Baculi Pastoralis sive pedi traditione, in Dignitatis possessionem à Regibus nostris, jure avito nixis, mitterentur. In Glastoniensis Cœnobii privilegiis, apud G. Malmesburiensem de gestis Regum lib. 2. cap. 8. Rex Edgarus *Monachos Electionem sui Abbatis perpetuò manere censet, sibi verò suisque hæredibus, tribuendi fratri electo Pastoralem Baculum, potestatem vetuit.* Atqui idem auctor alibi Electionem Præsulum & Abbatum tempore Anglorum penes Clericos & Monachos fuisse scribit, uti videre est in libro ejus 3 de gestis Pontificum, ubi de Edmundo Episcopo Lindisfarnensi agit. Verùm citerioribus ævi Saxonici annis, sive Regum tantummodò gratiâ sive Aulicarum partium studiis, sacri hujusmodi honores delati, & neglecto prorsùs suffragiorum jure, eodem ritu donati. De ea re luculentissimum perhibet testimonium Ingulphus Abbas Crowlandensis, qui Guillielmo I. coætaneus. *A multis*, inquit, *annis retroactis, nulla electio fuerat rem erat meré libera & Canonica. Sed omnes Dignitates tam Episcoporum quam Abbatum per Annulum & Baculum Regis Curiæ pro sua complacentia conferebat.* Egregium porrò ritus hujusce adjicit exemplum de Vulgaro Cœnobiarcha Wegelandensi in Crowlandensem ita creato ab Edwardo Confessore; unde liquet etiam solenne fuisse, demortuo Antistite, Baculum illud Pastorale (puto & Annulum) à destinato ad hanc rem sacri Corpori nuncio, Regi, qui suo arbitratu surrogandum Antistitem eo insigniret, exhiberi. Gervasius etiam Dorobernensis in declamatione, seu, ut vocat ipse, *imaginatione*, Ms. contra Robertum Abbatum sancti Augustini Cantuariensis; Lanfrancus, inquit, *petivit Regem* (Guillielmum nempe I.) *ut sibi donationem Abbatiæ* (sancti Augustini scilicet) *concederet sicut omnes Prædecessores suos constat habuisse. Respondit Rex & dixit se velle omnes Baculos Pastorales Angliæ in manu tenere.* Annales item Lichfeldenses Ecclesiæ Mss. *Usque ad illa tempora* (de Henrici I. ævo verba sunt) *Reges conferebant omnes Episcopatus in Anglia per investituram Annuli & Baculi*, complura ejusmodi passim occurrunt. Quàm controversiosa res esset, fusiùs patet ex auctore hoc nostro atque aliis qui ejusdem sæculi res narrant. Cæterùm utcunque hujusmodi juri renuntiatum fuerit ab Henrico I. (ita enim scribunt) in aliquo tamen usu diu posteà duravisse videtur. Quod elicere fas est ex Johannis Regis diplomate, quo Baculi Pastoralis, in Cœnobiarcha Nuteleiensi designando, tradendi jus Guillielmo Marescallo Pembrochiæ Comiti transtulit. Idem, ni fallor, concessit quod jus Patronatus Cœnobii Jurisconsulti posteà nominabant, verùm ecce ipsa diplomatis verba descripta ex tabulis Regiis, quas Cartas vocant, anni 2. Johannis Regis Membran. 26. num. 118.

„ JOhannes Dei gratia, *&c.* Sciatis nos propter amo-
„ rem quem erga dilectum & fidelem nostrum Willielmum Marescallum Comitem Pembroc habuimus, &
„ propter bonum & fidelem servitium quod ipse nobis fecit, dedisse & concessisse, & hac Carta nostra confirmasse A ei & hæredibus suis donationem Baculi Pastoralis Abbatiæ de Nutelega quæ est in feodo suo, habendam & tenendam in perpetuum cum omnibus rebus & libertatibus & liberis consuetudinibus ad donationem Baculi Pastoralis pertinentibus. Quare volumus & firmiter præcipimus quòd prædictus Willielmus Marescallus, & hæredes sui post eum, habeant & teneant de nobis & hæredibus nostris prædictam donationem Baculi Pastoralis bene, & in pace, liberè, integrè, plenariè, & honorificè, cum omnibus libertatibus, & liberis consuetudinibus suis. Testibus R. Com. Mellent. & R. Com. Cestr. R. Com. Leic. Dat per manum S. Wellen. Archidiac. apud Regulam 16. die Augusti, anno Regni nostri secundo. B

Neque apud Anglos viguit duntaxat hic mos. Frequens idem ipse reperitur tum in Imperio Romano, tum in Galliarum regno, alibi; qua de re, præter Othonem Frisingentem, Sigebertum atque alios quamplurimos Historicos veteres, eos maximè qui res Henrici Imperatoris IV. & ejusdem nominis I. Regis Anglorum conscripsere, consolendi inprimis sunt Sigonius de Regno Italiæ lib. 4. 9. 10. & 11. Baronius tom 11. Ann. m. lxxvii. & postea sæpiùs, Cherubinus de Nursia in Bullario tom. 1. pag. 16 & 17. Binius Concil. tom. 3. part. 2. in Urbano, Calixto & Paschali secundis, Renatus Choppinus de Domanio Franciæ lib. 2. tit. 1. § 6. & seqq. & de Sacra Politia lib. 1. tit. 7. §. 22. & 23. cum eis quæ obiter de hac re leguntur apud Ivonem Carnotensem in Epistolis, Goffridum Vindocinensem in Opusculis & Epistolis, atque in Cujacio ad lib. 2. de Feudis tit. 3. qui, *Episcopatus*, inquit, *imo & omnia Feuda antiquo more Gallico per Annulum & Virgam, quod dicebatur par Rain & par Baston, conferebantur*, Rain *pro Annulo, ut hodie Germanis* Reing. Quod etiam planè Anglicanum est Ring. Adde, si placet, Gratian. Dist. 61. c. 22. Hadrianus, & plura de hoc jure adnotata habes in Serenissimi Regis paræneſi ad Principes Christianos. Id ipsum, quantùm saltem ad Pedi traditionem spectat, dicendum de Imperio Orientis, quod luculenter ostendunt & Georgius Phranzes in Chronici Constantinopolitani lib. 3. c. 19. & Malaxus Peloponensius in historia Patriarcharum. Cùm enim electo in Patriarcham Gennadio Scholario, Muhamedes II. Turcarum Imperator superstitus in creando Patriarcha adhiberi solitos, sacros ibi ordines rogitabat, responsum est, Εἰδὲ τὸ Βασιλεὺς (ita sè habent barbara recentioris Græciæ vocabula) μὲ τ' χέρι τοῦ τ' Δισποίνα, καὶ ἔπειτα ἔλαβεν ὁ Σουλτάνος μὲ τ' χέρι του τ' Δισποίνα, καὶ τ' ἔδωκε εἰς τ' χέρι τοῦ Πατριάρχου, hoc est, *Dare solebat Imperator in Patriarcha manus Scipionem* seu *Pedum* (quod Δισποίνα hic & interdum Πατριαρχικὸν Δισποίνα vocatur) *atque ita accepit manu sua Imperator Pedum, & in Patriarcha manum tradidit.* Sed videsis eundem Malaxum in Hieremia Patriarcha. Ad vetustius illud apud majores nostros Investiturarum, ut vocabant, jus spectat id quod habetur in Edwardi Regis III. litteris, ad Romanum Pontificem & purpuratorum collegium datis, quibus juri sibi à majoribus transmisso adversari meritò asserebat quòd Episcopum aliquem in Anglia electum Romanus Pontifex sacris solennibus in dignitate priùs, etiam tunc temporis, firmaret quàm regius accederet electioni assensus. Nam *Progenitores*, inquit, *nostri qui dudum fundarunt & dotarunt Ecclesiam, singulas Cathedrales Ecclesias regni nostri vacantes olim libere contulerunt Regio jure suo* (quod ipsum vetustum Investituræ Jus) *sed postmodum, ad supplicationem Cleri ac reverentiam & regalium* C D

legatum summi Pontificis qui tunc universali præsidebat Eccle- A *nem mitterent, in utroque tamen Imperio, tum Occidentis tum Orientis, Cæsareum jus, uti Anglorum, Gallorum item, aliorum Regnorum, sive sanctiones sive mores adversabantur, & Antistites sacri à Regibus instituti occurrunt frequentissimi. De Occidente atque aliis Regnis, satis id notum est, ex iis locis quæ supra adnotantur de Investiturarum ritu. Et de Oriente, Theodorus Balsamon Patriarcha Antiochenus, juris peritissimus, ad Synodi Carthaginiensis Canon. 16. O Βασιλεὺς, inquit, ἐπ' ἀδείας ἔχει Ἐπισκοπὰς εἰς Μητροπόλεις μὴ Μητροπολιτικὰς καὶ ἀνεξαρτήτους εἰς τὰς τοιαύτας Μητροπόλεις, ἀφαιρεῖσθαι ἀνεξαρτήτους ἐπισκοπὰς, καὶ εἰς τὴν Ἐπανδοῦσαι καὶ Μητροπολιτικὴν καθίστασθαι; id est, Imperatori competit jus, Episcopatum in Metropolim mutare, & à propria Metropoli alienare, quia & Dioceses Pontificum disterminare, atque de novo Episcopos & Metropolitas constituere.* Eundem item Theodorum videsis ad Can. 4. Concilii Chalcedonensis.

Exceptis duobus Episcopis, Vmeste videlicet atque Gundul- B *pho.*] Nam Antistitum Roffensium subrogandorum jus erat olim penes Archiepiscopos Cantuarienses, quod singulare privilegium (jure enim communi, Episcopatuum) Patronus, apud nos, duntaxat Rex temper habitus est) passim occurrit in vetustis Cantuariensis Ecclesiæ tabulis, & videlis Jocelinum Antiquæ Ecclesiæ Britannicæ in vita Chicheleii, & Cart. 16. Reg. Johan. memb. 6 & Dors. 5. in Archivo Regio. & Bracton lib. 5 *de Exceptionibus*, cap. 4 §. 2. In Codice item Cœnobii Dunstaplensis Ms. legimus; *Anno M. C. LXXXII. Walterus Roffensis Episcopus obiit, cui Gualeranus Archidiaconus substituitur, qui per textum Evangelii de manu Archiepiscopi* (Richardi nimirum, qui sub Henrico II. Rege præfuit) *spiritualem cauſam Episcopatus: per Annulum autem, Regalium possessionem accepit.* Landavensis item Ecclesiæ Patronos suum Comes erat Glocestriæ, quod occurrit in Cod. vet. Ms. in Archivo Fiscali Diplomatum scilicet Pontificiorum, pag. 166. atque alibi non semel. Sodorensis etiam Episcopi in Mannia, Patronus habetur hodie Derbiensis comes, utpote, jure avito, Insulæ Dominus.

Ibidem lin. 24.

De his quique Canonibus contrarium.] Veteres quos hic intelligit Canones sunt, puto, Canon 31. ex iis qui Apostolici tribuuntur, & Oecumenicæ Septimæ Synodi, quæ Nicæa habita est, Canon 3. præter alios superioris ævi apud Gratianum reperros Dist. 63 Concilii Romani sub Gregorio VII. Canonem 5. Synodi Antiochenæ Canonem 21. cum Cauſa 6. quæſt. 7. cap 16. Alii sunt recentiores de quibus mox obiter. At verò utcunque Canonibus priscis adeo cautum fuerit, ne Principes Episcopos aut instituerent, aut designarent, aut designatos seu electos in dignitatis possessio- C

Pag. 28. col. 1. D.

Ventanus Episcopus.] Wintonienſis nempe. Wintonia enim Ptolemæo & Antonnino, Venta dicitur Belgarum, hodieque Caer-guent Cambro-Britannis; unde Ventanus & Wentanus sæculis apud Vetustiores Monachos & depravatè pro eodem Wenlanus in Codicibus impressis Guil. Malmesburiensis de Gest. Pontificum lib. 1. pag. 117. b. Edit. Londin.

Ibidem col. 2. B. C.

Quæ usque in quadraginta ferè tempore Regis EDGARI..... Nova surrexerant.] Eximius enim Cœnobiorum & instaurator & auctor Edgarus Rex, atque ad Dunstani hortatum formatus, eorum, qui vitæ solitariæ nomina dederant, amantissimus erat, Presbyterorum sive Clericorum aliorum cœtibus nimium infensus. Consultò prætermittens quicquid apud editos Historicos de ea re legitur, haut intempestive hic adnoto *Institutiones* ab eodem Rege promulgatas quæ Monasticæ per totam Angliam Reipublicæ tunc temporis repatatæ sive sodalibus, utriusque sexus, Benedictinis, vivendi normam præbebant. Atque earum sanè etiamnum extat exemplar vetustissimum tum Saxonicè tum Latinè characteribus perpulcris exaratum, quod fideliter exscriptum, utroque etiam idiomate, exhibere hic visum est; neque alia formâ quàm in ipso exemplari reperitur, ubi verbum verbo redditur, atque ita, puto, ut non tam propriam idiomatis Saxonici syntaxin & ordinem, quàm singulorum vocabulorum significationem indicaret.

PROHEMIUM REGULARIS CONCORDIÆ ANGLICÆ Nationis Monachorum Sanctimonialiumque orditur.

Harum literarum alphabetum Saxonicum reperies in fine Notarii Seldeni.

SEvvnldor falla vvitudlice Cristes gefultu- D gevvistliee. thæ tha halgan Minstru. on misliewm hys
Gloriosus etenim EADGAR *Christi opitu-* *etenim, quod sacra Cœnobia, diversis sui*
nugendre gyse. Engliscra and othra theoda vvithin- cynericer strovvum. tororene and fornean Drihtnes
lante gratia, Anglorum cæterorumque gentium in- *reginimis locis, diruta ac pene Domini*
nan embhvvirft Brittiscer Iglandes vvuniendra Cing ure Hælendes Cristes theovvdom forlætene gymeleaf-
tra dubitum Britannia Insula degentium Rex *nostri Jhesu Christi servitio destituta negligen-*
æthelboren. fram ongimendre his cyldhades ylde *lice ættredon.* Thrihtnes on bryrd mid gyse. mid
egregius, ab ineunte sua pueritia ætate *ter tabescerent, Domini compunctius gratia, cum*
theahthe. svvasvva seo gevvunath yld. mysliewm bru- micelre modes bliste efstende æghvvara stovva
licet, uti ipsa solet ætas, diversis ute- *magna animi alacritate festinando ubicunque locorum*
ce theavvum. and svvatheath gesythe midgodcundre *rerum moribus, attamen respectu divino*
æthrinen. Abbude sumon geornfullum mynegiendum *restitue, Abbate quodam assiduo monente*
and Cynelicne sihter geleafan vveg gesvvuteligen- E *ac Regiam Catholicæ fidei viam demonstran-*
dum. ongann mærlice God ondrædan. lustan and *te, cœpit magnopere Deum timere, diligere ac*
vvurthian; Scinendum litlun *vel* ætvvega geleafan *venerari. Radiante paulatim fidei*
spearcan. ydelnysse mid slævvthe adiligud acvvune. *scintilla, ne otio fractis corpore exploso delitesceret.*
Mid hvvilcum haligra vvorca gearnungum on hatne *Quibus sanctorum operum meritis in fervidæ*
fullfremednysse vvylm beon on alet he mihte. georn- *perfectionis ardorem accendi valeret, studio-*
fullice asmeagian carful he on gann; Afundenum *se percunctari sollicitus cœpit. Comperto*

Cristes gefultu-
nugendre gyse.
lante gratia, Anglorum cæterorumque gentium in-
nan embhvvirft Brittiscer Iglandes vvuniendra Cing
tra dubitum Britannia Insula degentium Rex
æthelboren. fram ongimendre his cyldhades ylde
egregius, ab ineunte sua pueritia ætate
theahthe. svvasvva seo gevvunath yld. mysliewm bru-
licet, uti ipsa solet ætas, diversis utece
ce theavvum. and svvatheath gesythe midgodcundre
rerum moribus, attamen respectu divino
æthrinen. Abbude sumon geornfullum mynegiendum
abbatem, Abbate quodam assiduo monente
and Cynelicne sihter geleafan vveg gesvvuteligen-
dum. ongann mærlice God ondrædan. lustan and
te, cœpit magnopere Deum timere, diligere ac
vvurthian; Scinendum litlun *vel* ætvvega geleafan
venerari. Radiante paulatim fidei
spearcan. ydelnysse mid slævvthe adiligud acvvune.
scintilla, ne otio fractis corpore exploso delitesceret.
Mid hvvilcum haligra vvorca gearnungum on hatne
Quibus sanctorum operum meritis in fervidæ
fullfremednysse vvylm beon on alet he mihte. georn-
perfectionis ardorem accendi valeret, studio-
fullice asmeagian carful he on gann; Afundenum
se percunctari sollicitus cœpit. Comperto

gevvistliee. thæ tha halgan Minstru. on mislicum hys
etenim, quod sacra Cœnobia, diversis sui
cynericer strovvum. tororene and fornean Drihtnes
reginimis locis, diruta ac pene Domini
ure Hælendes Cristes theovvdom forlætene gymeleaf-
nostri Jhesu Christi servitio destituta negligen-
lice ættredon. Thrihtnes on bryrd mid gyse. mid
ter tabescerent, Domini compunctius gratia, cum
micelre modes blisse efstende æghvvara stovva
magna animi alacritate festinando ubicunque locorum
geryslenlice geendstalude. and uradræf dum gyme-
decentissime restauravit, ejectisque negligen-
leasra Preosta filthum. na thæt an Monecas. ac-
tium Clericorum spurcitiis, non solum Monachos, ve-
cac Mynecyna eac. fæderum and moddrum ge-
rum Sanctimoniales etiam, Patribus Matribusque con-
settum. to Godes theovvdome æghvvar geond svva
stitutis, ad Dei famulatum ubique per tam-
mycele his rices tymthe esfullice he gesette,
tam sui regni amplitudinem devotissimè constituit,
and mid godum eallum gegodiendum blithe
bonisque omnibus locupletans gratulabundus
he gevvelegude. Cynelicere vvitudlice gebrocen the-
ditavit. Regali utique functus of-
nunge, svvasvva Hyrda Hyrde carfull fram rea-
ficio, veluti Pastorum Pastor* sollicitus à ra-
flum ortryvvra geaglum. svvilce gymcendum vvul-
bidis perfidorum retibus, uti hiantibus Lupo-

* Citatur hic locus (neque ex ipso ratione plura quæ sunt

Digitized by Google

fa gomum *vel* hracum. tha ſceap. the Thrihtenes A niſcra ic eac ſvvilc franciſcra vvyrthlice Cyrecena
rum ſanctibus; Oves quas, Domini *na verum etiam Galliarum honeſtos Eccleſiarum*
forgifendre gyfe. geotenfull he gegaderude bevveri- *largiente gratia, ſtudioſus collegerit munien-*
geride he generude; and hys gemeccean *do eripuit; conjugique ſuæ Alfrithæ*
mynecyna mynſtreluſan ſvva unearges mid gevvu- *ſanctimonialium mandras ut impavidi me-*
nan Hyrdes heo bevverude. ſvvithvværelice he be- *re Cuſtodis defenderet, cautiſſimè præce-*
bead, that thitudlice vvæpnmnan vvæpnmann vvif- *pit; ut videlicet Mas Maribus, Fœmi-*
mann vvifmannum buton ænigre vvenan tvvy- *na Fœminis, ſine ullo ſuſpicionis ſcru-*
nunge geheolpe. Regulicre vvitudlice Hæliger fæ- *pulo ſubveniret. Regulari itaque Sancti Pa-*
der richtinge vvurthlice onfangenre. ge B *tris Benedicti normâ honeſtiſſimè ſuſceptâ, tam*
Abbudas ſvvithe menega ge eac Abbutiſſan. mid *Abbates perplurimi quàm Abbatiſſæ, cum*
him undertheoddum gebrothra and ſyſtra geferſcy- *ſibi ſubjectis Fratrum Sororumque col-*
pum. halgena filian fotſvvathu mid anum geleafan. *gio ſanctorum ſequi veſtigia una ſi-*
na ſvva theath mid anum theavves gevvunan. to- *le, non tamen una conſuetudinis uſu, cer-*
geſl ces mid mycelre hygdan geblyſſunge. Mid *tatim cum magna * fluxerint hilaritate. Ta-*
vvilcum vvitudlice and thus mycelm bigendge thæs C *li igitur ac tanto ſtudio præ-*
forſæda Cyneg mærlice gegladude. diglu geh- *fatus Rex magnoperè delectatus, acta quæ-*
vvilce mid georniulre care ſmeigende. ſynothlice *que diligenti cura examinans, Synodale*
gemot æt vvintan-æceatre heon gedemde. and thar *Concilium Vvintoniæ fieri decrevit, illucque*
vvord mynegyendlice and geſibſume on boefelle hlut- *verba exhortatoria ac pacifica piacio lucu-*
torlice avvritene ſvvithe eadmod he aſeude. and *lentiſſimè caraxata humillimus ceſſinavit, cunc-*
ealle Criſtes on bryrd mid gyfe. heinynegude. thæt *toſque Chriſti compunctus gratia, monuit, ut*
hi eſenthvvære midgelicum theavvas gevvunan. *concordes æquali conſuetudinis uſu,* D
haligas and acos geefenlætende fædras. regullice *ſanctos probatoſque imitando Patres, regularia*
beboda mid fæſtum gethances ancran gehealdende *præcepta tenaci mentis anchora ſervantes*
nate hvvan tvvyiccende ungethvværudon. thatna *nullo modo diſſentiendo diſcordarent; ne*
ungelic and miſlic anes regules and anes Etheles ge- *impar ac varium unius regulæ ac unius Patriæ u-*
vvuna byſmorlice tale haligre drohtnunga on- *ſus probrosè vituperium ſanctæ converſationi in-*
gebrohte; Thiſes heah yldeſtan Cynges mid ſmeagre *rogaret. Hujus præcellentiſſimi Regis ſagaci*
mynegunge gaſtlice on brirde na that an Biſceo- *monitu ſpiritualiter compuncti non tantùm Epiſco-*
pes. ac eac ſvvilce Abbudas and Abbutiſſan thæt *pi, verùm etiam Abbates & Abbatiſſæ quod*
ſvvilene and ſvva micelne hige earnudon habban La- *talem & tantum meruerunt habere De-*
reovv. uwwaſtrehtum to roderum handum ofmæte *ſtorem, erectis ad æthera palmis, immenſas*
heah ſittendum thancas. vvil frægænes gereccean *celſi throno gratas, voti compotes referre*
hyna yldon. vvitud ſona hyr hæſum mid ealre *non diſtulerunt. Nam illico ejus imperiis tota*
modes ſmeaunge blithelice hyrſumgende. and haliges *mentis conamine alacriter obtemperantes, ſanctique*
ealdres ures lata mid tham thæne Ead- *Patroni noſtri Gregorii documenta quibus Beatum Au-*
gin mynian he hygde that na that an roma- *guſtinum monere ſtuduit, ut non ſolum Roma-*

ab ſemetipſo. & ſanctæ Eccleſiæ Anglorum Ordinatorem invitum haberet. Bernardus in vita.

nos, ſed & Anglos ad fidem Chriſti converteret.

niſcra ic eac ſvvilc franciſcra vvyrthlice Cyrecena
na verum etiam Galliarum honeſtos Eccleſiarum
gevv an. nivvre Engla Cyrcean. gevvlitegendo he
uſus, rudi Anglorum Eccleſiæ, decorando con-
geſette. vvyrthigende. togelipedum Floricũ Mone-
ſtitueret, recolentes, accitis Floren ſis
cum thæs Eadigan and eac thæs healican
Beati Benedicti necnon præcipui
mynyſtres thæt brymum ys genemned naman.
Cœnobii quod celebri Gent. *nuncupatur vocabulo,*
Munecum. ægnvvylce of vvurthum hyra theavvum
Monachis, quæque ex dignis eorum moribus
vvurthfulle gegidriende. ſvva ſvva beon Hunigcamb
honeſta colligente, uti apes ſavum
teares mid mislicum felda bloſanum on anre hyfe.
nectaris diverſis pratorum floribus in uno alveario,
ſvva thas theavva gevvunan to lyfes vvyrthnyſſe
ita hæc morum conſuetudines ad vitæ honeſtatem
and regulicre g healtſumneſſe vveredneſſe that fram
& regularis obſervantiæ dulcedinem ut ab
thom the vveg cyrelicne bebodа Drihtnes buton
his qui viam regiam mandatorum Domini abſque
gilpes leahtre mealclithe nu gyt Eadmodlice ſtæppath
falſantiæ vitio lapſi adhuc humiliter incedunt
utanyddre ſtoffan æmyldnyſſe buton ceorũge. ævvli-
* *depulſa naufea tædio ſine querela, legiti-* depulſâ fortè
ce dreneo beon aburged myd lufvvendum. and g ædi-
mè hauſtu degustari libentiſſimè, ac vi-
ge mid loflicre hi mihtom beon g filled eſtfullneſſe ge-
di amabilis poſſent impleri avo rione tem-
metlice. mid mycelum and fremfullum g ſceades to-
perate, cum magna ac ſubtili Natanis diſ-
dale. Criſtes middaneardes Hælendes gefult migen-
cretione Chriſti Mundi Salvatoris opitulan-
die gyfe. on thyſſe g hvvæſlon geſetton bec.
*te gratia, hoc exiguo apposuerunt * Codicello.* 1. Codicillo.
Thæt na vvitudlice ſyndrige. gvs hi hyra. that na
Ne igitur ſinguli, ſi ſuum, quod
gevvyrthe. ſindele on hyra vvifan thriſtfulle
abſit, ad inventionem ſuapte præſumptuoſi
gecuran. thæne mæruſtan halige hyrli mnyſſe
cloverent, excellentiſſimum ſanctæ obedientiæ
vvæſtm. ſumre vvythervvyrdneſſe vvritan on un-
fructum, alicujus arrogantiæ faſtu inopina-
net beſvvicene earmlice forleton. and
te ſeduxti, miſerabiliter amitterent ac Sarabai-
othe neah. ma thænne Munecas othe
tæ, vel fere, potiùs quam Monachi aut
Menn vværon gethuht ævvlice; behat Thrihtne
Homines viderentur legitimum votum Domino
vtum Hælendum Criſte anmode hy be heton and mid
noſtro Jeſu Chriſto unanimes voverunt pacta-
vvedde gaſtlicum hi gevvæſtnudan hi. lyfe geſthan.
que ſpirituali confirmaverunt ſe, vitæ comite,
geoce regules under theodde, thas amear cudã theavva
jugo Regulæ deditos, has adnotatas morum
gevvunan mid gemetenelicre openlice healdan droht-
conſuetudines communi palam cuſtodire conver-
nunge.
ſatione.

Other. æghvvilc on diglum gebedhuſes ſtovvl
Cæterùm, unuſquiſque ſecretis Oratorii locis,
onſvva micelum ſvva Haliges gaſtes gyfe mildelice
in quantum Sancti Spiritus gratia clementer
ontilit ſynder lypum, gevvitan gode mid godra
inſtigaverit, peculiaribus, teſte Deo, cum bonorum
vveorca vvæccean vvædlice bruce gebedum.
operum vigilantia conſulte utatur orationibus.
Thæt to ſothan ſe æthela thyſſes ethules
Hoc etenim Dunſtanus egregius hujus Patriæ
Arcebiſceop, mid forevvitigum thurhblavven gaſte
Archiepiſcopus, præſago afflatus ſpiritu,
to getrymmene thæs foreſædan Synothlicre gega-
ad corroborandum præfati Synodalis con-

Digitized by Google

derunge gemet. gleavvlice and vviſlice to *ventu Conciliabulum, provide ac ſapienter ad-*
gehihte. that gevviſtlice. nænig Muneca oththe *ali ſit, ut videlicet, Nullus Monachorum vel*
æniges heahran hades vver oththe neotheran diglu *alicujus altioris gradus vir vel inferioris ſecreta*
My ſecena dyrſtig ingan farendra gethriſtlæhte, *ſanctimonialium in lax ingredi luſtrando præſumeret,*
and hiha the g.ſtlices anthealdes Ealdorſcipe to *& hi qui ſpiritualis imperii Prioratum ad*
lare notes na tó vvearuldlicre ricetere *diſciplinæ utilitatem non ad ſecularis tyrannidem*
mihte ofer hig begath. ſvva hyra ſvvaſe Ea ſiga *potentatus ſuper eas exerent, ita ſuum, ut Beatus*
monegath digla gemætlice foreſce- *hortatur Iſidorus, ſicut rerum temperate previ-*
vvian togvvg that hyra regules gehealdſumneſſe na- *deant a ceſſum, ut earum regulari obſervantia mi-*
tes hvvon ongean cvvethan. *nime contradicant.*

Thæt ſyſ riht gelyfedrum regulicum geoce under. *Il olumno in Catholicis regulari jugo de-*
theod.ium to begymenne vve g.demdon. na that tha *di ta a ſtentium cenſuimus, ne eam*
the ongevvunan ſæ ira for thane Cynge and vveldon- *que uſu Patrum pro Rege ac benefactore-*
dum of thæra vveldædú. Criſte gifendom. vve ſynd- *ribus quorum beneficiis, Chriſto largiente, paſ-*
feddething ælene ang.hæ le gevvunlice vve ſing ath. *cimur, interceſſionis examine conſuetè canimus,*
mid m.elre ivvifnyſſe ſyngende God ſvvythor to *nimia velocitate p.allendo Deum potiùs ad*
yrſo ge unbeliceavvudlice. that na ſige. forthclypian *iracundiam inconſi.erate, quod abſit, provocent*
thæ me forſceavvudlice to ſynna forgifnyſſa umla- *quam provide ad peccaminum veniam invi-*
thian. Sova vvitudlice minegiende fæ ler urum *tent. Ita igitur, hortante Patre noſtro Bene-*
ealtero dælendlice ſingende hydryman. that *dicto, omnia diſtincte Pſallendo modificentur, ut*
ge h.ugs ure g.hvværige ſtefne ure. and that ſi ge- *mens noſtra concordet voci noſtræ & impleа-*
fylle ſ th.t Apoſtolice I. ſinge on gaſte. ic ſi ge and *tur illud Apoſtolicum, Pſallam ſpiritu, Pſallam &*
on g.thance; gvf forh.ce for ænigre nea ſe ahvvæt *mente. Si autem pro qualibet neceſſitate quid*
mynte. vvithutan g.menne regulices th.avves gevvunan *extra communem regularis conſuetudinis uſum*
to icenne hy h. ſvvalange hyt ſy gedon oth that ſe *aliquantum fuerit, tamdiu agatur quoadusque ne-*
intinga for tham hit is gedon, Criſtes geſultumigen- *gotium pro quo agitur, Chriſti opitulan-*
dre gvfe. ſigebet and that. forhogudre vvithervver- *te gratia, melioretur, & ut, contempto arrogan-*
dnyſſe vv.vran thancfullu ſt hyr ſumnyſſe ſi begeten *tia ſuſtu, gratiſſimum obedientia adquiratur*
vvæſtm and grad ſe regullica. an tham ys geboden *ſtudium & gratia mille regularis, in quo præcipitur,*
thæt nanthing na do ſe Munuc buton that gemennes *ut nihil agat, Monachus niſi quod communis*
Mynſtres regull oththe yldrena ſyn geminegude hy- *Monaſterii regula vel majorum cohortantur, exem-*
ſena. gehenlicoſt ſi ge healdon; nateshvvon leng *plo, diligentiſſimè cuſtodiatur.* * *Nequaquam ulterius*
thiſtlice gevvunan ſi healdan mid dyrſtygneſſe bu- ð *præſumptorè uſu teneatur temerario niſi*
g.theahte Synothlicum gecorē and bethæte mid gref- *Concilio Synodali edictum traditumque cum diſ-*
ceade mægena ealra medet fram eallum hyth *cretione virtutum omnium matre ab univerſi fuerit*
gihtgelyſedum, Onforſpæcnum vvitudlice ſynothli- *Catholicis Præſuto equidem Synoda-*

I. forè nec quicquam ſed ita Saxonicè verti ma mage thæg.

cum gemote that to underſtandenne micellum eal- *li conciliabulo hoc advertendum magnopere cun-*
le gedemdon that Abbuda aut Abbutiſlena cyre *cti decreverunt, ut Abbatum & Abbatiſſarum electio*
mid Cinges gethealite and mid ræde h.igra regules *cum Regis conſenſu & conſilio, Sancta Regula*
vværegedon mid lare. *ageretur documento.*

Biſceopa eac cyre. eallſvva Abbuda. *Epiſcoporum quoque electio, uti Abbatum, ubi-*
cahvvar on ſede Biſceoplicum Monecas regullice *cunque in Sede Epiſcopali Monachi regulares*
drohtniath. gyf. drihtenes unnendre gyfe. ſvvi.cre *converſantur, ſi, Domini largiente gratia, tanti*
theeginege thar Munuc beon gemet mæg; Tha ſylſum *profectus inibi Monachus repperiri potuerit. Eodem*
gemete hit ſi gedon na othrum ænigum gemæte thæa- *modo agatur, nec alio quolibet modo. dum*
ne thære ſylfan hi ſynd drohtnunge ſram ænigum *ejuſdem ſunt converſationis, à quoquam*
ſygethrift. *præſumatur,*

Gyf ſorblice dyſigdome gelettendum oththe ſyn- *Si autem, imperitia impediente, vel pec.a-*
num geearedum ſvvi'c the ſvva miceles hades vvurth- *num geearedum ſvvi'c the ſvva miceles hades vvurth-*
ri promerentibus, talis qui tanti gradus *ri promerentibus, talis qui tanti gradus teneo-*
ſcyre vvyrthe ſig on thæreſylfan geſæ.rædene beon *re dignus ſit in eadem congregatione reppe-*
gemet na mæg of othrum cuthum Moneca Min- *riri non potuerit, ex alio noto Monachorum Mo-*
ſtra mid anrædum Cyneges and gebrothra tham *naſterio, concordi Regis & fratrum quibus*
beon gehalgod he ſeal getheahte ſigecoren; Se geha- *dedicari debet conſilio, eligatur. Qui erudi-*
dud gevviſliee Biſceop on eallum thæneſylf.m theavv *tus videlicet Epiſcopus in omnibus eandem normam*
regulicre mid Munecum hys thæne ſe Abbud hyt *regularem cum Monachis ſuis quem Abbas tenet*
regulic mid geornfulre gemene and ſvvithuſt mid *regularis, diligenti cura & magnop re ex-*
ormæstre ealnevvæg buton gelvvici ge g.h.alde; Ne *cellenti jugiter ſine intermiſſione cuſtodiat. Nec*
Biſceovvbades intingan regules beboda ofervvruc *Epiſcopatus ecclieſiæ, regulæ præcepta timidus*
oththe ofergittol thriſtlice betvvixtende ac ſvva my- *vel obliviosus temerè intermittat, ſed quan-*
celum ſvva he ofer ſtih.h and vvcorce. *tum excellat & operæ.*

Theovvurdlicra Ealdorſcype that ne to myccire *Secularium verò Prior.tum ne ad magni*
hryre hynthe ealſvva ſvvilum gelamp. earmlice *ruinam detrimenti, uti enim acciderat, miſerabiliter*
become mid mycelum embethance and mid aman- *deveniret, magna animaverſione atque ana-*
ſumurge beon on.fangen Mynſtrum on halgum vv ſli- *themate ſuſcipi Cœnobii ſuæ is ſapien-*
ce forbbodende. Cinges hurathinga and Cvvene *ter prohibentes. Regis tantummodò & Reginæ*
hlafordſcype to halgre ſtovv munde and to Cyncli- *Dominium ad ſacri loci munimen & ad Eccleſiæ*
ere ahre fultum mid villan ſymle gyrnan *ſicè poſſeſſionis augmentum, voto ſemper eſſlagitare*
gevviſcendlicum ealra ſi oterlicuſt hig heton. *optabili prudentiſſimè juſſerunt.*

To Cynges ſorhlice .eode and Cvvene fædras *At Regis verò obſequium & Reginæ, Patres*
Mynſtra and Moddra ſvva aſt framige. to haliges *Monaſteriorum matres quæ quotiens expetierit ad ſacri*
My.ſtres tham hi ofer ſynt note mid G.des ge *Cœnobii cui præſunt, utilitatem, cum Dei timore*
and regules gehealtſi mneſſe eadmodlice to gan. *& regulæ obſervantiâ humiliter accedant.*

Ricum na forintingan to gercordigenne ac
Potentibus verò non cauſa convivandi ſed
for Mynſtres note and bevverunge ſvva afe ſvva hit.
pro Monaſterii utilitate arg; defenſione, quotiens
fremige ongean gangende vvithinnan oththe vvithutã
expedierit obviandi intra infrave
Mynſtre leafe hi habban.
Monaſteriorum licentiam habeant.

Ridende ſothlice oththe fæthan fær donde. na y-
Equitando autem vel pedites iter agendo, non e-
delum ſpellum hi gæmrgan. ac oththe ſeamſangum
tioſis fabulis vacent, ſed vel Pſalmodiis
hig theavvian oththe be thing neod behæfum on alyfe-
inſerviant vel de re neceſſaria opportu-
dom tyman hi ſpæcan.
no tempore loquantur.

Thiſſe beſceavvigende that tida regollice na riden-
Hoc conſiderantes ut horas Regulares non equi-
de ac of horſum lihtende cneovvigende. buton
tando ſed de Equis deſiliendo genu flectentes, niſi
dæg freols hit beo. gedafenlice. ſvva ſvva hi magon.
dies feſtiva fuerit, convenienter, ut petuerint,
mid godcundra on bryrnyſſe. hi gefyllan.
cum divina compunctione, compleant.

Sithigende ſothlice na gunglingas ac gethugene thæ-
Itinerantes verò non juvenculos, ſed adultos quo-
ra mynegunge hibeon gebeterude. mid him on gefer-
rum ammonitione meliorentur, ſecum in comi-
ſcipe gelædan. At ham ſodlice vvunigende na that an
tatu ducant. Domi verò degentes non ſolum
gebrothru ac eac Abbudas ſam gunge oththe eildru
fratres ſed etiam Abbates adoleſcentes vel pueruloſ
mid earmum clyppende oththe mid lippum leohtlice
non brachiis amplexando vel labris leviter
cyſſende. ac mid lufvvendum modes vvillan. butan
oſculando, ſed caritative animi affectu, ſine
vvordum hi vvigendum. arvvirthlice mid micelum
verbis adulatores, reverenter cum magna
vværſcype lufian. Ne to hyrſumnyſſe ſyndrige æni-
cautela diligant. Nec ad obſequium privatum quem-
gne hyra. ne hira under gaſtelices thinges gy-
piam illorum, nec ſaltem ſub ſpiritualis rei ob-
tinege ænlyſigne ut lædan gethriſtlætean ac eal ſvva ſe
tentu ſolum deducere præſumant; ſed uti Re-
regul byt unde hys hyrdes vvæccean *vel* gymene
gula præcipit ſub ſui cuſtodis vigilantia
ſyngallice vvinige.
t. manet *jugiter * maneat.*

Ne ſe hyrdes mid ſyndrigum ænigum cilde bu-
Nec ipſe Cuſtos cum ſingulo aliquo puerulo ſi-
tan thriddan ſe gevvitnyſſ æt ſtande to farenne leafe
ne tertio qui teſtis aſſiſtat migrandi licentiam
hæbbe ac mid gevvunan mid ealre ſcole. gif thing
habeat; ſed ſolito cum tota ſcola, ſi res
geſceadlice ſvva gearnth. thyder neod ys. under ſvvi-
rationabilis ita exegerit, quo neceſſe eſt, ſub ſi-
gean oththe ſealmſangum on theovvigende mid bler-
lentio vel Pſalmodiis inſerviendo, cum bene-
ſunge he fare.
dictione eat.

Tuna ſothlice embe fær. buton neod mycel
Villarum autem circuitus, niſi neceſſitas magna
togenyde. and ned be hefes gerades to dal that
compulerit, & neceſſaria rationis diſcretio hoc
dihte *vel* ſcifte. vvorigende nates hvvon gelom læ-
dictaverit, vagando nequaquam frequen-
ceon.
tent.

Vvoruld manna ſothlice gebeorſcypas. buton fæ-
Secularium verò convivia, ni for-
rſuga færes cumlythnys unmindlunga ofer becume. on
ſan itineris hoſpitalitas inopinatè ſupervenerit, nul-

nane vviſan mid thriſtnyſſe dyrſtigre na tha Ealdrat
lo modo anſu temerario nec Prælati
na tha undertheoddan geneoſian gethriſtlæcean.
nec ſubjecti adire præſumant.

Bigleofan mid gevvihte gemete and getele. ſcrud.
Victum cum pondere menſura & numero, veſtitum,
fæſten. forhæfedneſſe. vveccean. ſvvigean. hyrſum-
jejunium, abſtinentiam, vigiliam, taciturnitatem, obe-
neſſe god and othre gehvvilce tha Mundboran u-
dientie bonum & cætera quæque, quæ Patroni no-
res thas Eadigan Benedictes geſetedneſſe vvillice
ſtri beati Benedicti traditione volunterie
vve onfengon. Drihtnes ures Hælendes Criſtes geu-
ſuſcepimus, Domini noſtri Jeſu Chriſti an-
nendre gyf. mid eallum mægenum gehealden-
nuente gratia, totis viribus cuſtodien-
de;
tes.

Be gevvuntlicum thas haligun regules theavvum
De conſuetis ſanctæ regulæ moribus
ſamthe fram tham forſædon fæder Benedicte ſamthe
tam à prædicto Patre Benedicto quàm
fram haligum æfter fyligendum and ge efenlæcendũ
à ſanctis ſequacibus & imitatoribus
hys. dælmælum mid thæs micelum domes toſceade.
ſuis, partim cum magna examinis diſcuſſione,
mid ſyngalum gehealdath gevvunan. foreſedan Cyn-
vagi cuſtoditis uſu, prædicti Re-
ges mynegunge gegodude and yldrena hæſum getry-
gis monitu freti, ac Patrum imperiis con-
mede carfullice. ealſvva vve be heton. on ſvva mice-
fiſi ſollicitè, uti polliciti ſumus, in quan-
lum ſvva mihta helpath. and gaſtes haliges gifu on
tum vires ſubpetent, & Spiritus Sancti gratia inſtin-
tiht. to lufvvendre brotherlicre annyſſe gehaldum-
xerit, ad caritativam fraternæ unitatis cuſto-
neſſe vvritende uton onlihton. that fram him æces li-
diam ſcribendo dilucidemus, ut ab ipſo, æterna vi-
fes eadlean ealle anrædlice and blithlice
ta remunerationem cunctis concorditer & gratulabunde
gehealdende onfon. ſe the deth anmode. thæt is
conſervantes recipiant, qui facit unanimes, id eſt
anes theavves eardian on huſe. thar is Cyning God
unius moris habitare in domo; ubi eſt Rex Deus
Godes and fæmnan ſunu. ſe mid fæder and Halgum
Dei & Virginis filius, qui cum Patre & Spiritu
gaſte leofath and rixath God on vvorulda vvo-
Sancto vivit & regnat Deus in ſæcula ſæcu-
ruld.
rum. Amen.

Sequuntur Capitula XII. de Sacris Monachorum & ſolemnibus Officiis, atque ea Benedictinis præceptis aptata, unde etiam ipſiſſimus nonnumquam orationis & proœmii & capitulorum contextus petitur. Atqui, abſolutis capitulis hiſce, Regia ſubjungitur ſanctio, quà cautum eſt ne, demortuis Cœnobiarchis, ea quæ [illegible] Juriſconſultis Græcis dicta, & *Relevia* ſeu potius *Hereota* noſtratibus, ab iis qui ſuccedunt, fiſco penderentur. Antea enim pendi ſolebant, quod ex Sanctione ipſa, quam hîc ſubjicimus, liquet.

Thas foreſæde toſothan Cyning that he thyſſe lit-
Præfatus equidem Rex ut hujus li-
tlan boce endſpæc eallſvva anrgynn geleafullre and
belluli Epilogum uti probemium fideli ac
geſceadvviſlicre forthabtinege mynegunge ongan rith
rationabili exhortationis monitu capit, Or-
geleaflice beluce mid ſnoterum ſmeagende vvere-
thodoxe concluderet prudenti diſcutiens exami-
de. mid mycelum hys Cynelican mihte anvvealde
ne, cum magno ſua Regia poteſtatis imperio

Digitized by Google

forbeodende mæſſilcuſt he het that nan Abbuda oththe *interdicens magnopere juſſit, ut nemo Abbatum vel* Abbadyſſena him ſtovve to ghæm gold hordige eor- *Abbatiſſarum ſibi locellum ad hoc theſaurizaret ter-* thlice that gevvunlic gaful that inniædiſce Heregeate *renum ut ſolitum cenſum quem indigenæ Heriæ tuæ* gevvanlice clypiath. that for thyſes eardes magam *uſualiter vocitant; qui pro hujus Patriæ potentibus* æfter gevvitinege Cynnegum beon geſeald gevvunys. *poſt obitum, Regibus dari ſolet,* thanon for him, vvoruldbera gæfenlacinege. beon ge- *annde pro eis, ſecularium impetratione,* da- ſeald miht, hi hæfdon. and ſvva on Anaman and Sa- *ri poſſet, haberent; & ſic Ananiæ & Sa-* ſtran amanſumunge hreoſende to mycelum hys ſavvle *phyræ anathemate corruentes ad magnum ſuæ animæ* ſofyrde Haliges Regules bebodu. ſyndrige ealle *detrimentum Sanctæ Regulæ præcepta, peculiaria omnia* forbeodende. to nahte gedydon. Ac that ſamthe hi ſyl- *prohibentia, adnullarent. Sed hoc tam ſi-* fum ſam eallum æftergenegum hyra for Abbud *bi quam cunctis ſucceſſoribus ſuis pro Abbate* orththe Abbudyſſan beon geſeald on Criſtes thæs geſ- *vel Abbatiſſæ dari in Chriſti cujus Vi-* vvelian hi ſynd and hys Modor Marian and ealra *carii ſunt ejuſque Genetricis Mariæ ac omnium* Halgena naman mid æcum he forbead anvvealde. *Sanctorum nomine æterno prohibuit imperio.* Dæt ſothlice mid vvelvvillendre rihtinega myngiede *Hoc autem benevola intentione hortando* he lærde that Mynſtra fædras and Moddra ſvva *ſuaſit ut Monaſteriorum Patres Matreſque quæ-* hvvilce ofer gevvunan neadbehefe geſtathelian. thurh *cunque ſuper uſus neceſſarios reſtaverint, per* handa thearfena on heofenlice mid micelcre and ſin- *manus Pauperum in cœleſtes cum magno & ju-* galre on brydnyſſe gelogian gold hordu that lichaman *gi compunctione recondant theſauros quo corpore* on eorthan vvunigendum mod ſæt drohtnegende *in terra degente animus ibi converſando* underfiligede vvinige that ge gold hordum mid en- *ſubſequens maneat ubi theſauros ar-* byrdneſſe foreſend rihtvviſuſtre; gif ænige yldran *dine præmiſit juſtiſſimo. Si quæ verò, Priore* gevvitendum belifan. ſe æftra Abbud ſvva thæs *obeunte, ſuperfuerint, ſubſequens Abbas ut* Haligan gaſtes gyf ongebrincth na tham magon *Sancti Spiritus gratia inſtinxerit; non propinquis* flæſclicum oththe Rycum vveoruldlicum æfter thæs *carnalibus vel Tyrannis ſæcularibus ſecundùm an-* ærran Dihte dælende ac neodum gebrothra *terioris dictatum dividendo, ſed neceſſitatibus fratrum* and thearfena helpende. ſorrende mid gebrothra *& pauperum ſubveniendo, ordinans cum fratrum* getheahte vviſlice dihte. *conſilio, ſapienter diſponat.*

Idem jus poſteà ſemper apud nos in uſu, præterquam ubi mos ſingularis aut pactum ejuſmodi præſtationem exige- ret. Qua de re conſulendi, ſi placet, Bractonus lib. de ac- quirendo rerum Dominio cap. 35. §. 4. Codex *Preſtun.* dic- tus capite de Homagiis. 3. Edit. 3. fol. 76. b. 20. Edit. 3. tit. *Avowry* 124 & tit. *Relief*, 8. 3. Hen. 4. fol. 2. a. 8. Rich. 2. tit. *Relief* 14. Et de *Hereote* ſeu Heregeate Saxonico, ſi- ve *Relevamento* aut *Relevatione* ſeu *Relevamine* (uti voca- bant) videſis Legum Canuti Regis cap 68 & 69. & Leges Edwardi Confeſſoris cap. de *Herethechin.* Quibus hæc ad- jungas ex Tabulis Angliæ Cenſualibus, ſub Guilielmo pri- mo, publica fide conſcriptis atque etiamnum in Archivo Fiſ- cali ſervatis. *In* Cantia *quando moritur* (ita Tabulæ illæ) Alodiarius, *Rex inde habeat Relevationem terræ, exceptâ terrâ* S. Trinitatis, & S. Auguſtini, & S. Martini, & *exceptis his*, Godric *de* Burnes, & Godric *de* Carleſone, & Æl- nold Cilt, & Eſber Biga, Seret *de* Cilleham, & Turgis & Norman & Aror. *Super iſtos habet Rex Forisfacturam de capitibus eorum tantummodo, & de Terris eorum habet* Relevamen *qui habent ſuam Saram & Saram.* Et in Civitate Hereſordenſi. *Burgenſis, cum Caballo ſerviens cum mercheba- tur, habebat Rex equum & Arma ejus. De eo qui Equum non habet ſi moreretur, haberet Rex aut X. ſolidos aut terram ejus cum domibus.* Item in Arcenfeld (quod nunc Icchin- ſ ild dicimus) pagi *Herefor d-ſis* villa, *Habet Rex*, ut in ta- bulis ejus legitur, *tres Eccleſias. Preſbyteri harum Eccleſiarum ſervant legationes Regis in Wales; & quisque eorum cantat pro Rege LL. miſſus unaquaque hebdomada. Si quis eorum moritur, Rex habet de eo XX. ſolidos, per conſuetudinem.* Vide etiam *Camdenum* in Pago Berokienſi de Tainorum Relevamine. Atque alia ejuſmodi reperiuntur. Sed de his obiter.

Cæterùm quod ad ſedulam Edgari innovandis ſolitariæ vi- tæ inſtitutis curam atque navatam operam poſtrò attinet; ex- tat etiamnum Codex, ejus juſſu literis aureis pulchrtimè e- xaratus, quo ea Novo Wintoniæ Monaſterio inſtauravit. Præfatione ad illius ævi morem ſatis turgidâ (quæ aliquot paginas occupat nec tamen ad rem omninò facit) hic præ- termiſſa, quod reliquum eſt, etiam exhibemus.

EGO EDGAR DIVINA FAVENTE GRATIA torius Albionis Baſileus, timori magnopere cæperam quid operum ſtudio exercerem ut ad tantam gloriam perve- niens Chriſti ſanctorumque ejus, cœlo collocatus, contu- bernio coronatus fruerer, tantamque inferni miſeriam de- vitarem: Inſtigante etenim Domini clementia, occurrit animus, ut ipſe criminibus ceſſarem cunctis, atque bonis o- peribus inſiſtens forma factus gregi quoſque noſtri regiminis gubernamine degentes lucrifacerem. Quoſdam igitur ſua- ſionibus invicans ad præmia, quoſdam terroribus compel- lens ad gloriam, bona ædificans, mala, ut Domino facien- tes potui, diſſipavi. Scriptum quippe per Hieremiam me- mini Prophetam. *Ecce conſtitui te ſuper Gentes & deſuper regna ut evellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes.* Talibus igitur exhortatus doctrinis qui- bus nos Dominus per Prophetam clementer ammonuit, a- gens, Chriſto faciente, in tertis quod ipſe juſtè egit in cœ- lis, extricans videlicet Domini culturâ criminum ſpurcitias, virturum ſemina ſedulus agricola inſerui.

* *Qua ratione Clericos eliminans, Monachos collocavit.*

Ad hanc mo- dum Sanctio- nis tapeta in ipſo introitu pho diſtin- guuntur.

TImens, igitur, ne æternam incurrerem miſeriam ſi a- depta poteſtate non facerem, quod ipſe qui operatur omnia quæ in cœlo vult & in terra, ſuis exemplis juſtus examinator innotuit, virorum cuneos Canonicorum è di- verſis noſtri regiminis Cœnobiis Chriſti Vicarius eliminavi. Quod nullis mihi intercellionibus prodeſſe poterant, ſed po- tiùs, ut Beatus ait Gregorius, juſti vindictam judicis provo- carent qui variis vitiorum navis contaminati non agentes quæ Deus jubendo volebat, omnia quæ nolebat rebelles facie- bant, avidus inquiſitor advertens, gratos Domino Monacho- rum Cuneos qui pro nobis incunctanter intercederent noſtri juris Monaſteriis devotus hilaritet collocavi.

Quod Sancti Spiritus gratia compunctus Abbatem & Monachos in novo conſtituit Monaſterio.

HAc itaque ratione Sancti Spiritus attractus flamine lo- cum Domini mundans, Wintonienſis Eccleſiæ Novi Monaſterii aſciſterium noſtro Salvatori, ejuſque genetrici ſemper Virgini Mariæ, & omnibus Apoſtolis cum cæteris Sanctis dicatum reſtauravi.

Sciens ſcriptum, *Conſentientes & faciantes pari conſtrin- guntur pœnâ*, Rebelliones Omnipotentis voluntati obvian- tes poſſeſſionem Domini uſurpare non ſuſtinens, Clericos laſcivientes repuli, ac veros Dei Cultores Monachico gra- du fungentes, qui pro noſtris, noſtrorumque inibi quieſcien- tium exceſſibus ſedulo intercederent ſervitio quo eorum in- tercellionibus noſtri regiminis ſtatus vigeret munitus, Ab- batem, Chriſto cooperante, eligens, altithrono ſubjectus, illic devotè ordinavi.

Hoc ſubnixe efflagitans depoſco ut quod in ſuis egi, hoc agat in mihi ab ipſo collatis, ſcilicet adverſarios noſtros de- jiciens, animos ſublimando provehat, ut inimicos ſanctæ Dei Eccleſiæ deprimens, amicos ejus, Monachos videlicet, beatificans juſtificavi.

De illorum Anathemate qui Monachis inſidiantur.

SI autem qualibet occaſione, diabolo inſtigante, conti- gerit, ut faſtu ſuperbientis arrogantiæ, dejecti Canoni- ci Monachorum gregem, quem ego venerans cum Paſtore in Dei conſtitui poſſeſſione, dejecere inſidiando voluerint, agatur de eis, & de omnibus qui quolibet munere cæcati juvamen eis impenderint, quod actum eſt de Angelis ſu-

Digitized by Google

perbientibus & de Protoplasto diaboli fraude seducto, ut Paradisi videlicet limitibus, sublimibusque regni cœlorum sedilibus ejecti, cum his qui Domini famulatum aspernantes contempserunt, barathri incendiis detrusi jugi crucientur miseria.

A

Nec inde evulsi se glorientur evasisse tormenta, sed cum Juda Christi Proditore, ejusque complicibus Acheronte conglutinati, frigore stridentes, fervore perusti, lætitia privati, mœrore anxii, catenis igneis compediti, lictorum metu perculsi, scelerum memoria confusi, totius bonitatis recordatione semoti, æterno lugubres punientur cruciatu.

Item de Anathemate Insidiarum.

QUi autem jam prædictos novi Wintonienſis Ecclesiæ Cœnobii Monachos vel quoslibet ejusdem Ordinis nostro regimine degentes, è Monasteriis, quæ vitiorum spurcitiis expurgans Jesu Christo Domino nostro, victo dæmone, adquisivi, eliminare præsumens voluerit, anathema sit: & eadem maledictione qua Cain Parricida qui fratrem suum Abel (stimulante invidia) lividus interemit mastigis, addictus est, sine termino teneatur obnoxius, atque in Dei persecutione continuò perseverans, in hac vita nullum dignitatis adquirat honorem, nec in futuro sine miseria unquam persistat; Sed cum Ananiæ & Saphiræ una voragine ejulantem crucians complectatur.

De Benedictione Monachos venerantium.

QUicunque prætitulatos Monachos bonis quibuslibet locupletans ditare voluerit, Creator cunctitenens clementer eos eorumque progeniem totius ubertate prosperitatis, hic & in futuro sæculo, ditando, locupletet.

Scriptis decenter eorum in libro vitæ nominibus cum Christo portionem in cœlorum habitaculis habeant qui Monachos suos quos nostris congregatos temporibus possidet, vel verbis vel factis sanctitatis studio honoraverint.

Quales & qualiter Monachi in hoc Monasterio conversentur.

REgulares igitur Monachi non sæculares in præfato, Christo Comite, degentes, Monasterio, Regulæ moribus obtemperent.

Patres venerantes spirituales sanctorum Patrum imitentur exempla, nihil agentes nisi quod communis Monasterii regula, vel Majorum demonstraverit norma.

A sæcularibus igitur pompis remoti toto nisu corporis custodiant & animæ castitatem.

Humilitatis studio pollentes, corpus parsimoniæ vigore munientes alacri constringant animo.

Civium convivæ intra urbem perpetuo interdictu fieri erubescant. D

In civitate degentes, in Refectorio pomposticas lasciviasque sæcularium delicias, ut melancoliam aporiantes, licitis caritativi utantur cibariis.

Extra Refectorium autem minime, nisi domo infirmorum ægroti decubuerint edentes licite quæ jussi fuerint.

Sacri summique ordinis hospites, si ratio exegerit, & pegrini ordinati longo terrarum spatio venientes ad Abbatis mensam in refectorio cautissimè invitentur.

Laicis in hospitio condecens exhibeatur humanitas.

Et Monachorum quispiam manducandi vel bibendi cum eis secundùm Patrum decreta licentiam non habeat.

In refectorio autem edendi causâ vel bibendi non introducantur.

Paupetes, ut Christus, ingenti cordis suscipiantur tripudio.

De Abbatum electione.

E

DIvinarum studio literarum luculentissimè eruditi, orationum frequentia assiduè occupati, caritatis amplexu lætissimi, fidei exercitio promptissimi, spe provehente sinceerissimi, pace concorditer fiti, omniumque virtutum flore decorati ad finem usque exptum tantæ bonitatis initium, Christo juvante, perducentes, eadem glorioſi fruantur libertate, quam Beatus Patronus Benedictus omnibus Regulæ præcepto subjectis instituit.

Scilicet ut post Abbatis obitum tunc temporis regentis, Abbatem ex eadem ordinent congregatione quem sibi omnis concors congregatio sive pars, quamvis minima, congregationis salubriori elegerit consilio.

Qualiter Rex Abbatem & Monachos venerantes puniat.

REges itaque quicunque nostri fuerint successores, nullam extraneam personam jus tyrannidis super Monachos exercentem imponant, ne forte Dei eos damnans, & regno deponat & vita.

Electum verò à fratribus Christi Vicarium dignanter susscipiant, eumque caritatis igne succensi locupletando venerentur.

Juvamen, in quantum indiguerit, Christi amore compuncti alacriter impendant.

Mutuo namque confortati juvamine in nullo à Regulæ præceptis discordantes, Domini gregem, non mercenarii sed Pastores fidissimi, luporum rictibus eximentes, intrepidi defendant.

Qualiter Abbas & Monachi Regem à dæmonum temptatione eripiant.

B

ABbas autem armis succinctus spiritualibus Monachorum cuneo hinc inde vallatus, carismatum cœlestium tore perfulus aëreas dæmonum expugnans versutias, Regem omnemque sui regiminis Clerum Christo (cujus virtute dimicant juvante) à rabida hostium persecutione invisibilium solerter Spiritus gladio defendens, fidei scuto subtili protegens, tutamine robusto prælians, triumpho miles eripiat imperterritus.

Qualiter Rex Abbatem & Monachos ab hominum persecutione defendat.

CRex itidem terrenus, cœlestis castra Regis fortissimo roborans munimine, armis secularibus visibiles expugnans adversarios, hostiumque rabiem sævientium adnihilando dejiciens, conditoris sui pascua gregemque sollicitâ inexpugnabilis tueatur custodiâ, quatenus ad vitæ bravium perveniens, æternis tripudians fruatur bonis quæ nec oculus videre aliquatenus potuit humanus, nec in hominis cor ullatenus ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.

De Monastica Possessionis libertate.

SInt præfati Monasterii tota omnisque Monachorum possessio in rebus magnis vel modicis, internis vel externis, in urbanis vel suburbanis prædiis, campis, pratis, pascuis, sylvis, molendinis, rivulorum cursibus, æterna libertate in Christi nomine ejusque genitricis, dicata.

Quod nullus Secularium Monasterii possessionem insciè usurpet.

SÆcularium quispiam ausu temerario jus tyrannidis non in Christi cultura præsumptuolus exerceat.

Non minuat, instigante diabolo, quod Sancti Spiritus instinctu tam à me quàm à Prædecessoribus meis, nec non à Catholicis utriusque sexus hominibus largissua concessum est dapsilitate.

De benedictione Augentium.

AUgenti tribuat rerum cunctarum opifex tranquillum vitæ præsentis excursum, longævam instantis temporis vitam, futuram æternæ beatitudinis talionem, sufficientem victualium ubertatem, interminabile prosperitatis augmentum, copiosum virtutum omnium juvamen.

De maledictione Minuentium.

E

MInuentem perpetua possideat miseria.

In Domini manens persecutione, ejus genitricis Sanctorumque omnium incurrat offensam.

Præsentis vitæ adversitas illis semper eventat.

Nulla ei bonitatis accidat prosperitas.

Omnia ejus peculia inimici vastantes diripiant.

In futuro autem æterni miserrimum cum hœdis in sinistra positum damnent cruciatus, si non satisfactione emendaverit congrua quod in Domini usurpans detraxit censura.

Quibus modis Secularibus obtemperent, & quod nullius reatus hoc Domini privilegium minuere valeat.

TRibus tantummodo causis, secularibus obtemperent præceptis; tuta videlicet * Expeditione, Pontis, Arcisve constructione, aliàs æternâ ditati glorientur libertate.

Reatus quippiam, si incitante Dæmone, seductus vel Abbas vel Fratrum aliquis fragiliter, quod absit, contraxerit,

* *Vide Mat. Paris, Ann. 1244. p. 818. edit. Londin. & 44. Ed. 3. fol. 25. à Kitchin.*

Digitized by Google

traxerit, juſtitia purgante ſecundùm regulare præceptum abſque ullius damnetur, maneatque præfatæ munificentiæ libertas altithrono per noſtram humilitatem oblata ad Monachorum ulus gratuitè ſibi famulantium inviolabili æterna libertate jocunda, quia Deus qui hanc privilegii largiſſuam donationem locumque cum universa Monachorum familia ruraque omnia ſacro ſubjecta Cœnobio poſſidet, nunquam reatum commiſit, nec ullo unquam tempore committet.

Sit igitur præfata libertas æterna, quia Deus libertatis poſſeſſor æternus eſt.

Quoties & quare in anni circulo hoc Fratribus legatur Privilegium. a

a *Deeſt hoc loco in antiquiſſimo, ut falſo, quæ retulit e duobus capitibus. Quod cum ab hiſtoricis omnibus, & aliis ferùm deſideretur. Sed quæ ſequuntur ſufficiunt.*

ANno Incarnationis Dominicæ DCCCC. LXXX. ſcripta eſt hujus Privilegii ſingrapha, his teſtibus conſentientibus quorum inferiùs nomina ordinatim caraxantur.

† EGo EADGAR Divina largiente gratia Anglorum Baſileus hoc Privilegii donum noſtro largiente redemptori locoque ejus ſanctiſſimo primus omnium Regum Monachorum ibi Collegium conſtituens, manu propriùm ſignum agiæ Crucis imprimens confirmavi.

† Ego DUNSTAN Dorobernenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus largiſſuam benevoli Regis donationem venerans, Crucis ſignaculo corroboravi.

† Ego EADMUND Clito legitimus præfati Regis filius Crucis ſignaculum, infantili florens ætate, propria indidi manu.

† Ego EADWIARD eodem Rege Clito procreatus præfatam Patris munificentiam Crucis ſigno conſolidavi.

† Ego ÆLFTHRYTH legitima præfati Regis conjux, mea legatione Monachos eodem loco Rege annuente conſtituens, crucem impreſſi.

† Ego PADGIFU præfecti Regis Ava hoc opus egregium Crucis ſummitate conſolidavi.

† Ego OSCYTYL Eboracenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus confirmavi.

† Ego ATHELWOD Eccleſiæ Wintonienſis Epiſcopus Regis gratiſſimi benevolentiam, Abbatem, mea altum mediocritate, & alumnos, quos educavi, illi commendans, Crucis ſignaculo benedixi.

† Ego ÆLFSTAN Londonienſis Eccleſiæ Pontifex conſolidavi.

† Ego OSKETEL Epiſcopus confirmavi.

† Ego OSWOLD Epiſcopus conſignavi.

† Ego ALFWOLD Epiſcopus conſolidavi.

† Ego BYRHTELM Epiſcopus confirmavi.

† Ego ÆLFSTAN Epiſcopus conſolidavi.

† Ego EADELM Epiſcopus confirmavi.

† Ego ATHELSIGE Epiſcopus conſignavi.

† Ego WYNSIGE Epiſcopus confirmavi.

† Ego ÆLFWIG Abbas conſolidavi.

† Ego OSGAR Abbas conſignavi.

† Ego ORDBYRHT Abbas.

† Ego ÆLFSTAN Abbas.

† Ego ÆTHELGAR primus huic loco Abbas ordinatus, Chriſto gubernante, vigui.

† Ego ÆLFHERE Dux.
Ego ÆTHELM Dux.
Ego ORDGAR Dux.
Ego ETHELSTAN Dux.
† Ego ETHELWINE Dux.
Ego BRIHTNOTH Dux.
Ego ÆTHELWINE b m.
Ego BYRHTFERTH m.
Ego OSWARD m.
Ego ÆTHELWEARD m.
Ego ÆLFGAR m.
Ego [illegible] m.
Ego ÆLFWIN m.
Ego WULFSTAN m.

b *Miniſter, quod Thanus ſeu thegen apud Saxones ut, qui nempe plures erant, ut regni leges aut Miniſter dictus, fundum ea nomine poſſidebat.*

b Omnes qui nominatim hoc privilegio, Regis juſſu, deſcripti vidimus, poſteritatis noſtræ præſapiam ſubire depoſcimus, ut manuum noſtrarum vadimonium, Chriſti Cruce fiemandum, nequaquam violantes irritum faciant. Si ſucceſſorum quiſpiam temeritatis auſu violare præſumpſerit, corporis & ſanguinis Jeſu Chriſti participatione privatus, perpetua damnatus perditione, anathema ſit, niſi, divino propitiante reſpectu, ad humilem ſatisfactionem reſipiſcens converſus fuerit.

Atque de inſigni hac ſolitariæ vitæ inſtauratione, intelligendum eſt illud Henrici Huntingtonenſis in Edgari Regis Elogio.

Templa Deo, Templis Monachos, Monachis dedit agros.

Levi eandem rem pede tranſeunt Hiſtorici noſtri, inter quos conſulendus, ſi placet, Florentius Wigornienſis ſub annis DCCCC. LXXIV. & LXIX & LXX. ut etiam Matthæus Weſtmonaſterienſis, & quod Sexageſimo quarto ſupra nongenteſimum anno tribuunt, de novo illo Wintoniæ Cœnobio, in ſexageſimum ſextum transferendum eſt, ſi fides habenda (& habenda plenè eſt) Regio diplomati quod jam inſeri ſupra curavimus videſis porro quæ occurrunt apud Surium die 5. Octobris & Baronium tom. 10. ann. 970 ubi ſanctiones quæ expreſſiſſimis verbis Edgarum ſui auctorem non ſemel luculentiſſimè agnoſcunt, breviter memorantur ac ſi Ducſtanum ſolummodò & Johannem XIII Pontificem Romanum auctores habuiſſent. Quin Edgari item Oratio ad Antiſtites de ea, quam diximus, Inſtauratione extat apud Ailredum Abbatem Rhivallenſem in Ms. Epiſtolica hiſtoria ad Henricum II. Atque obſervatu quidem ſi dignißima, ea ipſa eſt quam laudat V. C. Iſaacus Caſaubonus in Epiſtola Exercitationibus præfixa, atque ita ſe habet fideliter tranſcripta ex eiſdem Mss. quibus ipſe uſus eſt.

QUoniam magnificavit Dominus miſericordiam ſuam “
facere nobiſcum, dignum eſt, ô Patres reverendiſſimi, ut innumeris beneficiis illius, dignis reſpondeamus o- “
peribus. Neque enim in gladio noſtro poſſidemus terram, “
& brachium noſtrum non ſalvavit nos, ſed dextra ejus, bra- “
chium ſanctum ejus, quoniam complacuit illi in nobis. “
Juſtum proinde eſt ut qui omnia ſubjecit ſub pedibus noſ- “
tris, ſubjiciamus illi & nos & animas noſtras, & ut hi, “
quos nobis ſubdidit, ejus ſubdantur legibus, non ſegniter “
elaboremus. Et mea quidem intereſt, Laicos cum æquitatis “
jure tractare, inter Virum & Proximum ſuum juſtum ju- “
dicium facere, punire ſacrilegos, rebelles comprimere, e- “
ripere inopem de manu fortiorum ejus, egenum & paupe- “
rem à diripientibus eum. Sed & meæ ſolicitudinis eſt Ec- “
cleſiarum Miniſtris, gregibus Monachorum, choris Vir- “
ginum, & neceſſaria miniſtrare, & pacì eorum ac quieti “
conſulere. De quorum omnium moribus ad nos ſpectat “
examen, ſi vivunt continenter, ſi honeſtè ſe habent ad eos “
qui foris ſunt, ſi in divinis officiis ſolliciti, ſi ad docendos “
populos aſſidui, ſi victu ſobrii, ſi moderati habitu, ſi in “
judiciis ſunt diſcreti. Pace veſtra loquor. Reverendi Pa- “
tres, ſi iſta ſolerti ſcrutinio curaſſetis, non tam horrenda “
& abominanda ad aures noſtras de Clericis perveniſſent. “
Taceo, quod nec illis eſt Corona parens, nec Tonſura con- “
veniens, quod in veſtra lætivia, inſolentia in geſtu, in “
verbis turpitudo, interioris hominis loquuntur infamiam. “
Præterea in divinis officiis quanta ſit negligentia, cùm ſa- “
cris vigiliis vix intereſſe dignentur, cùm ad ſacra Miſſa- “
rum ſolemnia ad ludendum vel ad ridendum magis quam “
ad Pſallendum congregari videantur. Dicam, dicam quod “
boni lugent, mali rident, dicam dolens (ſi tamen dici po- “
teſt) quomodò diſſluant in commeſſationibus, & ebrietati- “
bus, in cubilibus, & impudicitiis, ut jam domus Clerico- “
rum putentur proſtibula meretricum, & conciliabula hiſ- “
trionum. Ibi aleæ, ibi ſaltus & cantus, ibi uſque ad me- “
dium noctis ſpatium protractæ in clamore & horrore vi- “
giliæ. Sic, ſic, patrimonia Regum, Eleëmoſynæ pauperum, immò (quod magis eſt) illius pretioſi ſanguinis “
pretium profligatur. Ad hoc igitur exhauſerunt thesauros “
ſuos Patres noſtri, ad hos fiſcus Regius, diſtractis reddi- “
tibus multis, detumuit, ad hoc Eccleſiis Chriſti agros & “
poſſeſſiones Regalis munificentia contulit, ut deliciis Cle- “
ricorum meretrices ornentur, luxuriosa convivia præpa- “
rentur, canes & aves ac talia ludicra comparentur. Hoc “
milites clamant, plebs ſubmurmurat, minimi cantant & “
ſaltant, & vos negligitis! vos parcitis! vos diſſimulatis! “
Ubi gladius Levi, & zelus Simeonis, qui ſcorto abuten- “
tes filia Jacob Sichimitas eorum habentes figuram, qui “
Chriſti Eccleſiam pollutis actibus fœdant, etiam circum “
ciſos ſuccidérunt? Ubi ſpiritus Moyſi, * Caput Vituli ado- “
rantibus etiam domeſticis ſui ſanguinis non pepercit? “
Ubi pugio Phinees Sacerdotis qui fornicantem cum Ma- “
dianita conſodiens ſancta hac æmulatione Dominum pla- “
cavit iratum? Ubi ſpiritus Petri cujus virtute perimitur “
avaritia, hæreſis Simoniaca condemnatur. Æmulamini “
ô Sacerdotes, Æmulamini vias Domini, & juſtitias Dei “
noſtri. Tempus faciendi contra eos qui diſſipaverunt le- “
gem Dei. Ego Conſtantini, vos Petri gladium habetis in “
manibus. Jungamus dextras, gladium gladio copulemus, “
ut ejiciantur extra caſtra leproſi, ut purgetur Sanctua- “
rium Domini, & miniſtrent in Templo filii Levi, qui “
dixit Patri & Matri neſcio vos, & fratribus ſuis ignoro “
* vos. Agite quæſo ſolliciti ne pœniteat nos feciſſe quod “
fecimus, dediſſe quod dedimus, ſi viderimus illud non in “
Dei obſequium ſed in peſſimorum luxuriam impunita li- “
bertate conſumi. Moveant vos Sanctorum reliquiæ, qui- “
bus inſultant, veneranda Altaria, ante quæ inſaniunt. “
Moveat vos Anteceſſorum noſtrorum mira devotio, quo- “

Caput Vituli propriè tum ab Iſraelitis adoratum, ut patet Exod. 32. Quod ſuſpicor Theodoretum, ut alios quoſdam, fefellit, ſimul quod ſuſpicor mirabilem Synag. de Deo Lyra cap. 4.

In uno Ms. illos. vide Deuteronomium cap. 10. 33. compara. te.

by Google

„ tum eleemosynis vesania Clericalis abutitur. Proavus A
„ meus, ut scitis, totam terram suam Ecclesiis, & Monas-
„ teriis a decimavit Sanctæ memoriæ Atavus meus Æ ure-
„ dus, ut Ecclesiam ditaret, non thesauris suis, non patri-
„ monio, non sumptibus, non redditibus parcendum puta-
„ vit. Avus meus senior Edwardus quanta contulerit Eccle-
„ siis, vestram Paternitatem non latet. Pater meus & fra-
„ ter ejus quibus donariis Christi Alteria cumulaverint, me-
„ minisse vos decet. O Pater Patrum Dunstane contempla-
„ re, quæso, Patris mei oculos, ab illa lucida Cœli plaga
„ in te radiantes; audi querulas ejus voces cum quadam
„ pietate in auribus tuis resonantes. Tu mihi, Pater Duns-
„ tane, tuum de construendis Monasteriis, de Ecclesiis ædi-
„ ficandis consilium salubre dedisti, tu mihi adjutor in om-
„ nibus, & cooperator extitisti, te quasi Pastorem & Episco-
„ pum animæ meæ morumque meorum custodemque elegi! Quando non tibi parui? Quos unquam thesauros tuis
„ consiliis prætuli? Quas possessiones, te præcipiente, non B
„ sprevi? Si quid pauperibus dandum æstimabas, præsto
„ fui. Si quid conferendum Ecclesiis judicabas, non dis-
„ tuli. Si quid Monachis Clericisve deesse querebaris, sup-
„ plevi. Æternam dicebas esse eleemosynam nec aliam fruc-
„ tuosiorem, quam quod Monasteriis, Ecclesiisve confertur,
„ quo & Dei servi sustentantur, & quod superest pauperibus
„ erogatur. O præclaram eleemosynam! ô dignum pre-
„ tium animæ! ô peccatorum nostrorum salubre remedium!
„ quod a sinu Sibyllæ in peregrini muris pellicula fœtet,
„ quod ejus auriculas ornat, quod componit digitulos,
„ quod corpus delicatum in bisso stringit & purpura. Hic-
„ cine est, Pater, eleemosynarum mearum fructus? Hic-
„ cine desiderii mei tuæque promissionis effectus? Quid
„ huic Patris mei quæstioni respondebis? Scio, scio,
„ cum videbas furem non currebas cum eo, nec cum adul-
„ teris portionem tuam ponebas. Arguisti, obsecrasti, in-
„ crepasti. Contempta sunt verba: veniendum est ad ver-
„ bera. Habes hic tecum venerabilem Patrem Ælfwol- C
„ dum Wintoniensem Episcopum, habes reverendissimum
„ Præsulem Wigornensem Oswaldum. Vobis istud commit-
„ to negotium, ut Episcopali censurâ & auctoritate Regiâ
„ turpiter viventes de Ecclesiis ejiciantur, & ordinariè vi-
„ ventes introducantur.

a De Ethelbalpho Rege loquitur. De eadem re memorat G. Malmesburiensis, Anglicus, Florilegus, alii. Sed de ea re, vide Æ placent, complura in Historia nostra Dunelmensi cap. 8. 9. 4. p. 104.

Ex Mss. autem hîc adjicere visum est, tametsi etiam in quarta parte libelli *De vera differentia Regiæ potestatis & Ecclesiasticæ* sub Henrico VIII. editi reperiatur, libellus iste habetur in Melchioris Goldasti Monarchiæ tom. 2. pag. 28 & oratio ipsa pag 42.

Pag. 29. *col.* 1. *B.*

Cum omnibus quæ ferebat, &c. ero vitæ loci, captivitati addictus.] Mos priscus etiamnum restat fere per omnia littora Christiani orbis, ut Naufragorum bona fisco applicentur, quod tamen apud Anglos haud obtinet nisi ubi neque homo quispiam neque canis aut felis vivus evaserit. De littore Gallico videndus Bertrandus Argentræus in Consuet Britan tit. *de Droits du Treitz*, art 56 §. 41 Carol. de Grattalio Jure Franc. 10. de Neapolitano, Andreas de Isernia ad Constit. Neapol. 1. & Matthæus Afflictus in Constit. Neapolit. lib 2. tit 59 De aliis, idem Bertrandus, Choppinus de Domanio lib 1 tit 15 Bodinus de Rep. lib 1. cap. 10. Sed aliter jus Cæsareum. *Quod enim jus* (inquit Antoninus Imperator) *habet fiscus in alienâ calamitate, ut de re tam luctuosa compendium sectetur?* C. de Naufragiis lib. 1. Et qui Naufragorum Christianorum bona rapiunt, anathemate ferit Jus Pontificium in Extra. De Raptoribus c. 3. *Excommunicatos*, & in sanctione illa Pontificia *Bulla Cœnæ Domini dicta*, ad quam videndus Bartholomæus Ugolinus libro de Censuris. Dominum autem terræ intellige hîc Guidonem Comitem Pontivum, sive Pontivi, Picardiæ scilicet Provinciæ maritimæ, atque Normannæ vicinæ.

Pag. 29. *col.* 1 *E.*

Quemquam in omni dominatione sua constitutum Romanæ urbis Pontificem pro Apostolico, nisi se jubente, recipere.] Hoc ipsum agnovit, & eum, qui in hanc sanctionem peccaret, etiam læsæ majestatis seu perduellionis reum pronuntiat Guillelmus II eodem libro. Huc spectat Epistola illa Guilielmi I. qua obsequii fideique professionem Gregorio VII Pontifici Romano eam per Nuncium petenti, avito juri subnixus pernegat. Et se ita habet in Ms. Codice Epistolarum Lanfranci Archiepiscopi Cantuariensis.

Excellentissimo sanctæ Ecclesiæ Pastori, Gregorio, gratiâ Dei Anglorum Rex, & Dux Normannorum Willelmus: salutem cum amicitia.

HUbertus Legatus tuus, Religiose Pater, ad me veniens ex tua parte me admonuit, quatenùs tibi & successoribus tuis fidelitatem facerem & de pecunia, quam Antecessores mei ad Romanam Ecclesiam mittere solebant meditàs cogitarem. Unum admisi, alterum non admisi, Fidelitatem facere nolui, nec volo; quia nec ego promisi nec Antecessores meos Antecessoribus tuis fecisse, comperio. Pecunia tribus fermè annis in Gallis me negligente, negligenter collecta est. Nunc verò, divina misericordia me in Regnum meum reverso, quod collectum est per præfatum Legatum mittitur. Et quod reliquum est per Legatos Lanfranci Archiepiscopi fidelis nostri: cum opportunum fuerit, transmittetur. Orate pro nobis & pro statu Regni nostri, quia Antecessores vestros dileximus, & vos præ omnibus sincerè diligere & obedienter audire desideramus.

Pecunia, quam memorat, vectigal illud est quod Romano Pontifici concessum olim ab Ina Occidentium Saxonum Rege, *Petri Denarii* vulgò appellatur. Sed mirum interea, unde nam Bertoldus Constantiensis, tam falsò affirmarit in appendice ad Hermannum Contractum sub anno MLXXXV. Guillielmum Victorem totam terram Anglorum Romano Pontifici tributariam fecisse; nec aliquem in sua potestate aliquid emere aut vendere permisisse quem Apostolicæ Sedi inobedientem deprehenderet. Fallit plenè & fallitur, & illius ævi res apud Anglos gestæ manifestissimè reluctantur. Pontifex autem *Romanus Apostolicus* hîc vocatur, uti passim tum apud hunc auctorem, tum eos qui & coætanei fuere & vernaculi. Vocabulum aliis promiscue tributum est antiquitùs Episcopis. Postmodùm verò Romano Pontifici proprium nomen factum est. Vide de ea re Gregorium Magnum lib. 6. Indict. 15. Epist. 37. & quæ notavit doctissimus Isaacus Casaubonus in Exercitationibus ad Annales Baronii, §. 4 Ann. 32. num 5. Atque in Jurisconsultorum nostrarum Commentariis vetustos Gallorum libros mare conferciatis, *Apostoli* frequentes idem denotat, uti non semel apud Gotefredum Vindocinensem in prisca illa Historia Constantinopolitana Gallicè conscripta, idem repetitur. Tralatitium enim est nomina prima complurium æquè communia, singularis alicujus dignitatis significatione postea coerceri, uti videre est in *Diacono, Comite, Militia, Presbytero, Duce*, etiam & *Papa*. Papa enim olim omnibus Episcopis tribuebatur in Occidentis Imperio, quod videre est apud Sidonium atque alios passim, & Joannes Patriarcha Alexandrinus, ὁ Παπικὸς Ἀλεξανδρείας appellatur in jenimate Epigrammatis Anthologiæ lib. 3. cap. 1. Quin ævi Orientalis Imperii citeriori, etiam Papa haud aliud quam primum seu infimum sacri Ordinis gradum designabat. Id liquet ex Isaacii Comneni Imperatoris, circa annum D salutis MCXCIV sanctione qua τῷ Καπικίῳ seu honorario ejus, qui in sacros Ordines cooptandus erat, præstatione legem tulit. Statuit enim ut eo nomine nullus Episcopus plusquam septem aureos nummos acciperet, unum scilicet ἐπισκόπῳ ἀνὰ Βασιλικὸν νόμισμα, ἑπτὰ ἀνὰ χρυσοῦν, ἑπτὰ ἀνὰ Διάκονον χρυσοῦν, ἑπτὰ ἀνὰ Παπικὸν ἀνὰ ὑπέρπυρον. Papicum id est, *nam quando facit eum simplicem Papam sive Lectorem, tres quando Diaconum eum instituit, & qui cæteri sunt tres quando integram Sacerdotis seu Presbyteri dignitatem ei confers.* Atque παπικεύειν dicebatur qui sive legendo sive alia ministeria obeundo vices Patriarchæ Constantinopolitani seu τὰ Βασιλικὰ τῆς ἱερωσύνης, quæ verba sunt Codini, gerebat. Commeni autem sanctio quam memoramus, occurrit apud Theodorum Balsamonem ad Photii Nomocanonis titulum de Fide.

Ibidem.

E *Principem quoque Regni sui non finebat unquam statuere aut prohibere nisi quæ sua voluntate.*] Quantus item fuerit Guillielmus iste in Imperio quod circa sacra exercetur, palàm videre est in Diplomate ejus quo, cœnobio, quod à Bello in quo vicit Haraldum ad litus Sussexianum denominari voluit, plura privilegia tam sacris officiis quam Jurisdictioni Episcopi Cicestrensis derogantia, stylo perquam imperioso concessit. Illud ex ipso autographo quod etiamnum, sigillo Regis appenso servatur in Thesauro quantivis pretii Cottoniano, subjungam.

Willelmus Dei gratia, Rex Anglorum, tam Clericis quam Laicis per Angliam constitutis: salutem.

NOrum sit vobis, me concessisse & confirmasse, assensu Lanfranci Archiepiscopi Cantuariensis, & Stigandi Episcopi

Digitized by Google

Vide Matthæum Westmonast. tom. 2. Annorib. pag. 42.

Episcopi Cicestrensis, & consilio etiam Episcoporum ac Baronum meorum, ut Ecclesia Sancti Martini de Bello, quam sua levi ex voto ob victoriam quam mihi Deus in eodem loco contuli, libera sit & quieta in perpetuum ab omni servitute & omnibus quæcunque humana mens excogitare potest, cum omnibus dignitatibus & consuetudinibus regalibus quas ei regali auctoritate concessi, sicut Carta * mea testatur. Volo itaque, & firmiter præcipio, quatenùs Ecclesia illa, cum Leuga circumquaque adjacente, libera sit ab omni dominatione & oppressione Episcoporum, sicut illa quæ mihi Coronam tribuit, & per quam viget decus nostri Regiminis. Non liceat Episcopo Cicestrensi, quamvis in illius Diœcesi sit, in Ecclesia illa, vel in Maneriis ad eam pertinentibus ex consuetudine hospitari, contra voluntatem Abbatis; nec ordinationes aliquas ibidem facere, nec Abbatiam in aliquo gravare. Sed neque super illam, dominationem aliquam, aut vim, vel potestatem exerceat; sed, sicut mea Dominica Capella, libera sit omnino ab omni ejus exactione. Ad Synodum verò Abbas ire non summoneatur nec compellatur, nisi propria voluntate pro aliquo negotio ire voluerit. Nec Monachos suos ubi sibi opportunius viderit, ad sacros Ordines promoveri facere prohibeatur. Nec Altarium Sacrationes, Confirmationes, vel quaslibet Episcopales benedictiones, Abbatis vel Monachorum requisitione a quolibet Episcopo ibidem liberè fieri, ab aliquo contradicatur. Hoc etiam Regali auctoritate & Episcoporum, ac Baronum meorum attestatione constituo, quatenus Abbas Ecclesiæ suæ, & Leugæ circumjacentis per omnia Judex sit, & Dominus. Defuncto Abbate, de eadem Ecclesia Abbas eligatur, nisi forte (quod absit) ibidem idonea persona reperiri non possit. Hanc constitutionem meam, sic voto & Regali auctoritate confirmatam, nullus successorum meorum violare, vel immutare præsumat. Quicunque igitur contra libertates vel dignitates ejusdem Ecclesiæ fecerit, forisfacturæ Regiæ Coronæ subjaceat. Hujus rei testes sunt, Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis, Stigandus Cicestrensis Episcopus, Walkelinus Episcopus Wintoniensis, Wulstanus Wigornensis Episcopus. Qui omnes, me presente, & audiente, horum præceptorum meorum & constitutionum violatores perpetuo anathemate damnaverunt. Apud Wintoniam.

Locus Sigilli.

Ita genus etiam est Sanctum ejus, quo Sacrum à Civili discriminavit Forum. Etenim Florente Saxonum Imperio, mutuas in jure dicundo veluti tradebant operas atque eodem utebantur bis quotannis foro Diœceseos Episcopus simul & Provinciæ Præses seu Vicecomes, quem & Shyregerevve (unde Shiriffe nunc dicimus) & interdum Ealdormon nominabant. Neque aliud ferè eorum illo sæculo Forum erat quàm quale nunc esset uniuscujusque Episcopi Synodus cum Vicecomitis foro conjuncta sive in eadem curia & eodem tribunali celebrata. Edgarus Rex Legum capite 5. Hæbbe mon thriwa on gear Burhgemote and twa scyre gemote; and thær scyre gemote Biscop and se Ealdorman, and thær æghwa tæcon ge godes rihte, ge woruldes rihte; quod apud Johannem Bramptonum Abbatem Jornalitensem in Historia sua Ms. (ubi veteres Anglorum Leges penè omnes ex Saxonico sermone in barbariem illius ævi versæ reperiuntur) ad hunc modum redditur. *Habeatur in anno Burgimotus ter, & Scyremotus bis, & interfit præsul* Comitatus (nempe Scyremoto, sive semestri conventui) *& Aldermannus, & utrique doceant Dei rectum & sæculi.* Totidem ferè verbis in Canuti Regis legibus ibidem habetur. Atque inde fortasse est quod etiam hodie semestres illi Inquisitionis Conventus quibus præest Vicecomes (Tornes & Hundreds, id est, Centuriarum forum dicimus) ante mensem a Paschatis & D. Michaëlis festo elapsum solenni ritu habendi sint, idque ex vetustissimo more, uti liquet ex Magnæ Chartæ cap. 35. & *Stat.* tit. 31. *Edit.* 3. cap. 4. Nam temporaria Lex olim lata est in Antiocheno Concilio, quæ ejusmodi Synodos bis quotannis, eisdemque, quas diximus, tempestatibus, ab Episcopis indici præcepit. Neque verisimillimum non est inde natum morem ævo illo superiore, ut Vicecomes & Episcopus statis hisce temporibus simul primò utterentur, atque inde postmodùm ad nos propagatum esse, ut, disterminatis sub Guillelmo eorum tribunalibus, pristinum de tempore & tot sæculis receptum institutum à Vicecomite servaretur. Vide Concil. Antiochen. Canon. 20. Dist. 18. cap. 4. Et Concilii ejusdem anno salutis CCC. XLI. habiti Canones in Ecclesiæ vetustissimo Canonum corpore locum etiam obtinuisse, notissimum est. Quin & in Apostolorum, ut vocant, Canone XXXVIII. idem legitur. In utroque autem τῆ πεμπτῃ σὺν δυσὶ καὶ πεντηκοστῇ seu *quarta Pentecostes hebdomadâ* idem denotat quod *intra mensem à Paschate tempus.* Nam Pentecoste ibi intervallum, quod Paschatis diem & Pentecostes festum intervenit, denotat, haud verò ipsum festum, uti vulgò usurpatur. Unde est quòd apud Gratianum jam dicto loco, Burchardum lib. 1. cap 42. atque Ivonem part. 1. cap. 154 explicatur per *tempus ejusdem* inter Paschæ & Pentecosten, quod jori quo etiamnum utimur congruit. Hyperberetæus verò mensis (qui ridiculè *per Barrheam* in excusis *Burchardi* libris dicitur) planè October est, & *Syrorum* seu *Syro Macedonum* mensis, a quo & annum auspicabantur & *Epocham Alexandream* quæ *Tarik Dhilkarnain* vocant Arabes, quod *Epocham* seu *Ærum Bicornis* sonat. Eo enim nomine notus est Alexander, ea figurâ in nummis sculptus, Jovis nimirum Hammonis, Cornuti Patris, effigie decoratus. Neque id hic monuisse operæ pretium duxerim, nisi doctos alioquin viros, an Hyperberetæus hic Septembrem an Octobrem significaret dubitasse non à vetustis modò interpretibus, verùm & ab ipsis Canonibus satis interim eductos, observassem. Vide notas ad Gratiani Editionis Gregorianæ Dist. 18. c. 2. Anni autem veteris Olympiadici (in quo nunc in Septembrem, interdum in alios incidebat *Hyperberetæus & Alexandri*, qui *Epocham* vocitatam Octobri perpetuò conjunxit, discrimen nominè advertebant. Vide de hac re incomparabilem V. Josephum Scaligerum de Emendat. Temp. lib. 1. §. de periodo Macedonica æstiva. Cæterum Sanctio quam diximus Guillelmi Regis ita se habet in ejus ad Remigium Antistitem Lincolnientem rescripto.

Willielmus gratia Dei Rex Anglorum, Comitibus, Vicecomitibus, & omnibus Francigenis, & Anglis qui in Episcopatu Remigii Episcopi terras habent: salutem.

SCiatis vos omnes & cæteri mei fideles qui in Anglia manent, quòd Episcopales leges quæ non bene nec secundùm Sanctorum Canonum præcepta, usque ad mea tempora, in regno Anglorum fuerunt, communi Concilio, & consilio Archiepiscoporum meorum, & cæterorum Episcoporum, & Abbatum, & omnium Principum regni mei, emendandas judicavi. Propterea mando, & Regia auctoritate præcipio, ut nullus Episcopus vel Archidiaconus de legibus Episcopalibus amplius in Hundret placita teneant; Nec causam quæ ad regimen animarum pertinet, ad judicium secularium hominum adducant, sed quicunque secundùm Episcopales leges, de quacunque causa vel culpa interpellatus fuerit, ad locum quem ad hoc Episcopus elegerit, & nominaverit, veniat, ibique de causa sua respondeat; & non secundùm Hundret, sed secundùm Canones, & Episcopales leges, rectum Deo & Episcopo suo faciat.

Transcriptum est autem ex Archivo Regio in Arce Londinensi, ubi inter Regia privilegia Ecclesiæ Lincolniensi olim indulta atque à Richardo II. confirmata, reperitur. Nimirum in Cart. 2. Rich. 2. membrana 12. numero 6. Habetur etiam Anglicè apud Forum in Eccl. hist. H. fl. 4 pag. 114. quem & vide lib. 1. pag. 135. & Historiæ nostræ de Decimis caput 14 §. 1. ubi Forum Vicecomitis semestre pro mestruo substitui libentiùs mavelim. Cæterùm in actorum Roberti Winchelseii Archiepiscopi Cantuariensis Registro seu publicis ejus Tabulis Mss. totidem ferè verbis occurrit id quod Guillelmo Regi hic tribuitur. Regi etenim Edwardo I. in Omnium Comitiis, ut in dictis tabulis legitur exhibet, ordo facer libellum, in quo complures injurias queritur Jurisdictioni suæ à civili Foro illatas. Neque alius fanè est, quàm Articuli continentes Gravamina Ecclesiæ Anglicanæ, quorum mentio fit in proœmio Constitutionum quas *Articulos Cleri* vulgò nominamus. In Libello autem quem dixi, [Cùm Willielmus, "*inquit ordo facer*, dudum Rex Angliæ de communi consilio "Archiepiscoporum, Abbatum, & omnium Procerum Regni "sui, leges Episcopales, quæ non bene nec secundùm Sanctorum Canonum præcepta, fuerant, sicut nec sunt his diebus, "in Regno Angliæ observandas inconcussè judicaverit, propterea mandaverit & præceperit quod nullus Episcopus "vel Archidiaconus de legibus Episcopalibus vel causis quæ ad "regimen animarum pertinent, ad Hundreda, vel judicia "secularium hominum quicquam adducerent, sed ut quilibet "de quacunque causa vel culpa secundùm leges Episcopales "interpellatus, ad locum Ecclesiasticum & Ordinarium quem "(*Episcopus*) elegerit veniat, ibique de causa vel culpa respondeat secundùm Canonicas & Episcopales Leges; & si Episcopi judicio stare noluerit, si opus fuerit, ad vindicandum fortitudo & justitia Regis vel Vicecomes adhibeatur. "Et nihilominùs defendebit & interdixerit ne ullus Vicecomes Præpositus seu Minister Regis, aut aliquis Laicus homo de Legibus quæ ad Episcopum pertinent, se intromittat, prout hæc & alia (*ita ut habent Libelli verba*) in Carta "prædicti Willielmi Regis plenius inscribuntur &c. "Sed porrò de Regio Guillelmi in sacris ordinandis imperio, vide, si placet, Vitam Hugonis Abbatis Cluniacensis in Bibliotheca Cluniacensi fol. 454. præter Gregorii VII. lib. 2. Epist. 5. ubi *Presbyteros uxores, Laicos Decimas quas detinebant, etiam juramento dimittere compulit*, quæ Gregorii verba sunt.

Ibidem.

NUlli .... *Epiſcoporum permittebat ut aliquem de Baronibus ſuis ſeu miniſtris publicè excommunicaret.*] Id ipſum penè repetitur in Clarendonenſium Comitiorum capitibus quartum Henricus II. inſtaurator ſub anno M. C. LXIV. Unde etiam quid Barones hîc denotent, forte dicendum: Vocabulum nempè alia notione uſurpari quàm vulgò; neque eos duntaxat, ut hodie, ſignificare quibus peculiaris Ordinum Comitiis locus eſt, ſed univerſos qui ſaltem beatiores, Regiâ munificentiâ, ad formulam juris noſtri clientelaris, quod nullius villæ Regiæ glebam, ſed ipſum tantummodò Regem ſpectat (*Tenure en chef* plurati forenſi dicimus ſive *Tenuram in Capite*) latifundia poſſidebant. Nam in Capitibus quæ dixi, ita legitur. *Nullus qui de Rege tenet in Capite. Nec aliquis Dominicorum Miniſtrorum eius excommunicetur, nec aliquis eorum Terra ſub interdicto ponatur, niſi prius Dominus Rex, ſi in Regno fuerit, contra ſtetur vel Juſtitia ejus* (qui, velut Præfectus Prætorio aut Pro Rex, Regias illo ævo vices agebat, & Capitalis Angliæ Juſticiarius etiam indigitabatur) *ſi fuerit extra Regnum, ut rectum de eo faciat, & ita ut quod pertinebit ad Regis Curiam ibi terminetur, & de eo quod ſpectat ad Curiam Eccleſiaſticam ad eandem mittatur, ut ibidem terminetur.* Habentur vero Comitiorum illorum capita tum apud Gervaſium Dorobernienſem & Rogerum Wendoverium Mss. tum apud Matthæum Pariſium (licèt depravatè) cujus Hiſtoriæ pars prior quæ a Guillielmo I. initium ad annum Henrici III. decimum nonum protenditur, Wendoverio, unde exſcripta eſt, tota debetur. Sed & alia eorum occurrunt alibi exemplaria. Cæterum omnes qui quocunque jure clientelari fundos Regios obtinebant, hac lege intellexit Robertus Gloceſtrenſis comprehendi. Is enim rythmis Anglicanis Hiſtoriam noſtram uſque ad ſuum (nempe Edwardi I. ni fallor) ævum complexus, narrat quibuſnam ex capitibus iſtis refragarus fuerit Thomas Archiepiſcopus Cantuarienſis ſub Henrico II. atque hoc quarta ſede collocans ita in exoletum ſuæ ætatis ſermonem transfertæ ſe putabat.

Vide Joannis Sarisbur. Epiſt. 119. & calcem vitæ Thomæ Cantuarienſis, apud Quadrilogi duimvir.

The verthe was that no man that of the king huld ought
In Cheif or in eni Servîſe, to Manſing were ibrought,
Bote the Warderein of holy Chirch that brought him thereto,
The king ſeide or ys Bailifes was he had miſdo,
An i loked verſt were thet to amendment it bring,
And bote hy wolde by their leve do the Manſing.

Obſervatu autem digniſſimum hîc, quod narrat Radulphus de Diceto Decanus Lundinenſis ſub Anno M. C. LXIII. „ Thomas, *inquit*, Archiepiſcopus vacantem Eccleſiam Aineſtodiæ contulit in Laurentium. Willielmus villæ Dominus, „ ſibi vindicans jus Patronatus in eadem Eccleſia, Laurentium expulit. Archiepiſcopus eum excommunicavit, quod „ quia minimè certiorato Rege, feciſſet, maximam Regis „ indignationem incurrit. Aſſerit namque Rex, juxta dignitatem regni, quod nullius Capitaneorum, nullus militans „ Regi, nullus Miniſter Regis, nullus ſcilicet, ut vulgariter „ loquar, de Rege tenens in Capite Caſtellum, Villam, vel „ Prædium, citra conſcientiam Regis, eſt excommunicandus „ ab aliquo; Ne ſi ſuper hoc Rex certioratus non fuerit, „ ignorantia lapſus communicet excommunicato, Capitaneum ſuum venientem ad ſe vel invitans ad oſculum, „ vel recipiens in conſilium." Ratiolegis jam dictæ redditur, & quid Barones, quid Miniſtri in ea denotent, luculentiùs explicatur. Nec verò ita intempeſtivum hîc duco aliquot quæ ſub Guillielmo ſcripta occurrunt de Baronibus teſtimonia adnotare, unde vocabuli ſenſus, qui eo ævo atque hoc loco in uſu, liquidiùs innoteſcat. Cenſuales Guilielmi I. tabulæ Barones ad hunc modum, in Dorſetiæ cenſu, memorant. „ In *Warham* de parte S. Wandregiſili, „ ſunt ibi XLV. Domus ſtantes & XVII. ſunt vaſtæ. De partibus aliorum Baronum ſunt ibi XX. domus ſtantes & IX. „ ſunt deſtructæ. Et in Burgo de *Warewic* (*ita tabula illa, in pago Warewicenſis cenſu*) habet Rex in Dominio ſuo „ CXIII. Domus, & Barones Regis habent CXX. de quibus „ omnibus Rex habet Geldum ſuum.

Epiſcopus de Wirceſtre habet	IX. maſuras.
Epiſcopus de Ceſtre	VII.
Abbas de Coventrie	XXXVI.
Epiſcopus Conſtantienſis	I.
Comes de Mellent	XII.
Albericus Comes	IV. [de eo
Hugo de Grentemaiſvil	IV. Monachi habent I.
Henricus de Ferarers	II.
Aarold	II.
Robertus de Staldford	VI.
Rogerius de Lazy	II.
Richardus Venator	I.
Radulfus de Limeſi	IX.
Abbas Malmeſburienſis	I.
Willielmus Bonvallet	I.
Willielmus Corbucion	II.
Goiffridus de Magnavill	I.
Goiffridus de Wirce	I.
Gillebertus de Gant	VI.
Gilebertus Buili	I.
Nicholaus Baliſtarius	I.
Stefanus Sturman	I.
Turchil	IV.
Harold	II.
Oſbernus F. Richardi	I.
Criſtiana	I.
Luith Monialis	II.

Hæ maſuræ pertinent ad terras quas ipſi Barones tenent extra Burgum, & ibi appreciatæ ſunt. Præter Chriſtianam hîc & Luitham, omnes Regis Barones erant, qui nempe CXII. ſuperiùs dictas domos poſſidebant. Alia quæ mox aliorſum adnotata, hæc tempora ſpectant, lucem hîc de Baronis ejus ævi notione præbebunt. Miniſtros autem hîc dictos intelligo eos qui officiis ſive Palatinis, ſive Urbanis, ſive Ruſticis functi, Regii famuli habebantur. Neque alios fuiſſe autumo *Tainos & Servientes Regis* in Cenſualibus Guilielmi, quas memoravimus, tabulis vocitatos. Quamplurimi enim ibi *Tainorum* occurrunt nomine, id eſt, Thegens, unde *Tainſ* Latinè, quod *Miniſtros* interpretatur. Neque aliud vocabulum eſt (ſi originem ſpectes) quàm *Dienaer* Belgicum quod à *Dienen*, hoc eſt *Miniſtrare*, III, & ni Thegen veſtigia ſatis ſervat. Unde Dienſt-knecht etiam famulus eſt, & Dienſt-maeght Ancilla. Nam Knecht maſculum denotat, uti item apud Saxones noſtros. Exemplum memini in prognoſticis aliquot de partu, Saxonicè conſcriptis. Porrige, inquit Autor Anonymus Ms. gravidæ mulieri Lilium ſimul & Roſam atque adeò ut ſuo arbitratu utrum horum maluerit, eligat; gyf heo nymth Lilian, heo cænth cnyht, gyf heo nymth roſan, heo cænth mæden, quod ſonat, *ſi Lilium prehenderit, maſculum* (id eſt Gnyth) *ſi Roſam, Fœmellam pariet.* Miniſtros autem illos Regios ſive *Tainos & Servientes*, in tabulis illis Cenſualibus, ita notatos habemus. *Colo Venator, Ulviet Venator, Godwinus Accipitrarius, Hugo Latinarius, Atilo Portarius, Herbertus Camerarius*, & hujuſmodi. *Latinarius* autem eſt idem quod *Interpres*; unde & *Latimer* eadem notione uſurparum. Latiæ nempe linguæ peritum, cæteras, quæ in uſu, ita calluiſſe exiſtimabant, ut generale interpretis nomen non immeritò ei inde donandum putarent. Neque ſane alios fuiſſe tunc temporis Servientes à Thanis planè conſtat ex ipſis ſæpè dictis tabulis. In Surriensis nempe pagi cenſu ibidem, Oſwaldus, Theodoricus, atque alii Servientum nomine memorantur, qui tamen ipſi *Taini* indiſcriminatim poſtea ſtatim vocitantur, uti in Wiltoniæ cenſu Hervæus atque alii Miniſtri dicti, Servientes ſtatim nominantur, quos Tainos item appellatos liquet. Idem in Colnino atque aliis Servientibus in Devoniæ cenſu obſervandum. Ibidem enim neque alia notione, *Taini* ſimul dicuntur. Hinc etiam *Tainlande* occurrit in eiſdem tabulis, id eſt, *Tainorum terra*, ſeu fundus Tainis peculiaris. In Wiltonia legimus: *Willelmus Comes dedit Ovintone & Suindone & Chenrel*, quæ erant Tainlande, *pro terra de Inſula de Wiht, quæ pertinebat ad firmam de Ambleſbirie.* Et in Somerſetia, de Roberto de Odbervile Taino ſeu Miniſtro Regio, *Hic Robertus habuit unam virgatam quam tenebat Dodo liberè* * T. R. E. *Huic addita fuit Dodertone Manerium Regis. Modò dijudicata eſt eſſe Tainland.* Hoc ſpectat phraſis illa forenſis *Glanage ad Tainland*, quod in *Ceſtria* cenſu occurrit. Eo nomine fundum vendicare, id ſignificat.

* Id eſt tempore Regis Edwardi.

Pag. 30. *col.* 1.

QUæ autem in ſimilaribus promulgaverit, tradere ſupersedemus.] Atque ſupersederunt plerique rerum Anglicarum ſcripturientes conſarcinatores, quod utinam non feciſſent. Cæterùm ad hanc rem, veruſti Eccleſiæ Lichfeldienſis Chronici Ms. Autor, „ Anno, *inquit*, Guillielmus Regni ſui quarto apud Londonias Conſilio Baronum ſuorum fecit ſummoniri per univerſos Angliæ Comitatus, omnes Nobiles, Sapientes, & ſua Lege eruditos, ut eorum Leges & Conſuetudines audiret. Et licet idem Rex Willielmus Leges Northfolkiæ & Suffolkiæ, Grantbrigiæ & Deiræ (ubi quondam maxima pars Danorum & Norwegenſium inhabitabant) priùs magis approbaverat, & eas per totum Regnum obſervari præceperat, pro eo quod omnes anteceſſores ejus & ferè omnes Barones Normanniæ, Norwegenſes extitiſſent, & quòd de Norwegia olim veniſſent, * Sed poſtea, ad preces Communitatis Anglorum, Rex adquievit, qui deprecati ſunt, quatenùs permitteret ſibi Leges proprias & Conſuetudines antiquas habere in quibus vixerant Patres eorum & ipſi in eis nati & nutriti ſunt, ſcilicet Leges Sancti Regis Edwardi. Et ex illo die magna auctoritate veneratæ, & per univerſum Regnum corroboratæ & conſervatæ ſunt, præ cæteris Regni Legibus, Leges Regis Edwardi. Quæ quidem priùs inventæ & conſtitutæ

„ fuerant tempore Regis Edgari Avi sui, veruntamen post A
„ mortem ipsius Regis Edgari usque ad Coronationem sancti
„ Regis Edwardi, quod tempus continet annos LXVII. præ-
„ dictæ Leges sopitæ sunt & penitus prætermissæ; sed post-
„ quam Rex Edwardus in regno fuit sublimatus, consilio
„ Baronum Angliæ, Legem LXVII. annis sopitam excita-
„ vit, excitatam reparavit, reparatam decoravit, decora-
„ tam confirmavit, & confirmata vocata est Lex sancti Re-
„ gis Edwardi, non quòd ipse priùs adinvenisset eam, sed
„ cùm prætermissa fuisset & oblivioni penitùs dedita à morte
„ Avi sui Regis Edgari, qui priùs Inventor ejus fuisse dici-
„ sus, usque ad sua tempora, videlicet LXVII. annis. Un-
„ de, per præceptum Regis Willielmi electi sunt de singu-
„ lis totius Angliæ Comitatibus XII. Viri sapientiores, qui-
„ bus jurejurando injunctum fuit coram Rege Willielmo ut
„ quoad possent, recto tramite neque ad dexteram neque
„ ad sinistram declinantes, legum suarum & consuetudinum
„ sanctra patefacerent, nihil prætermittentes, nihil adden-
al. mentiri „ tes, nihil prævaricatio * mittentes. Addredus autem E- B
„ boracensis Archiepiscopus qui Regem Willielmum coro-
„ naverat & Hugo Londoniensis Episcopus, per præcep-
„ tum Regis, scripsetunt, propriis manibus omnia quæ præ-
al. quia „ dicti Jurati dixerunt. A legibus namque Sanctæ Matris
„ Ecclesiæ sumentes exordium, * qui per eam Rex & Re-
„ gnum solidum subsistendi habent fundamentum, Leges &
„ libertates & pacem ipsius concionati sunt dicentes *Omais*
„ *Cl rcus &c* " qui legimus apud Rogerum Hovedenum in
Annalibus Henrici Secundi, ubi digressio est de Norwegiæ
Regibus. Et totidem fermè verbis, eadem quæ hic transcrip-
simus, occurrunt apud eundem Rogerum. Atqui, Autoris
Lichfeldiensis & Hovedeni in hisce discrimen haud adeo
contemnendum erat, ut ideò negligenda essent quæ habet
ille nondum editus, quòd eadem eisdem penè syllabis hic,
qui publici juris factus est, narraverit. Qui utrunque per-
penderit, id fateatur necesse est. Sequitur verò in Autore
Lichfeldiensi pars aliqua duntaxat earundem legum quas in- C
terserit Hovedenus. Atque ejusmodi pars etiam apud Hen-
ricum Knyghtonium, Canonicum Leycestrensem, Scriptor-
rem non indigentem, qui nondum in lucem prodiit, re-
pertur. Tripo autem plures sunt quas Hovedenus habet,
quàm aut Leycestrensis aut Lichfeldiensis. Apud hosce verò
nulla est, quæ in Hovedeno non comperta. Vetusti sanè,
fateor, sunt & Lichfeldiensis & Leycestrencis & Hovedenus
Auctores. Atque de aliis nonnullis qui eadem, de hac re,
tradidere idem dicendum. Sed eorum neminem, ante ali-
quot a Guillielmo secula elapsa, scripsisse palàm est, neque
interpolationem evasisse leges illas apud Hovedenum. Nam
in capite de tributo Danico, Guillielmi Regis Junioris fit
mentio. Et qualisnam fides (in re adeò vetusta ac viros
neque rebus Civilibus neque studiis Forensibus satis occupa-
tos plerunque fugiente) scriptoribus hujusmodi recentioribus
adhibenda sit, etsi statuere minimè ausim, diligentiùs ta-
men inquiri velim. Recentiores voco dum Ingulpho Ab- D
bati Crow andiensi eos compono, qui in hac re testium non
tam fac è princeps merito dicendus est, quàm solus forsàn
cui par fit ut credamus. Etenim non solùm oculatus ille
Normannici in Anglia Imperii initiorum testis erat, verum
etiam in Aula apud Guillielmum Regem ad jura Cœnobii
sui stabilienda, assiduam navavit operam, in qua per viro-
rum, qui Rebus tum Civilibus tum Forensibus exercitati,
consuetudinem, Legum Guilielmi, hoc est Edwardi Regis
à Guilielmo firmatarum, Normannico idiomate conscripta-
rum, atque ab iis, quas recentiores illi habent, multum dis-
crepantium, exemplar nactus, Crowlandiam secum detulit,
atque ad Historiæ suæ calcem adjecit. Quo Guilielmi anno hoc
fecerit, differè non explicat ipse. Sed liquidò constat tem-
pus fuisse post annum ejusce XV. aut circiter; quod ideò
observatu dignum est, quoniam legum illarum apud re-
centiores quos diximus & recensitio & confirmatio anno Gui-
lielmi IV. tribuuntur, cùm tamen alias, easque plurimùm
diffidentes, decennio & amplius postea, eodem lemmate eo-
demque nomine insignes, circumlatas & pro genuinis ac
solis quibus Regis & Ordinum autoritas antea accesserat, ha-
bitas fuisse (si Ingulpho credas) sit exploratissimum. Unde
forsan elevanda fides eorum qui præter hasce, alias nobis
temerè obtrudunt. Tametsi enim singularia plurium anno-
Nemo emat quantum iv. denariis æſtimatur neque de re mortua, neque de viva, abſque teſtimonio iv. hominum aut de burgo, aut de villa: & ſi clametur, veniat, & habeat teſtes: ſi nullum Warantum habet, reddat homo homini ſuum Catallum, & forisfacturam habeat qui habere debet: & ſi teſtes habeat, uti diximus ſupra, ſcilicet tribus vicibus, & ad quartam vicem eum diſrationet, vel rem reddat.

XLIV.

Non videtur rationi conſentaneum ut probatio fiat per teſtes qui rem ablatam cognoſcant, & ut quis probet, vel probationem faciat, ante terminum vj. menſium, poſtquam res ablata & ſubrepta fuit.

XLV.

Ille verò qui rectatus eſt, & teſtimonium habet de legalitate, & ter placitum deſervit, & in quarta vice tres ejus defaltas oſtendunt ſummonitores: adhuc ab eo petitur, ut plegium inveniat, & ad rectum veniat: & ſi nolit, ſi non viſus fuerit vivus aut mortuus, capiatur quidquid habet, & reddatur clamatori ſeu petenti, & Dominus habeat medietatem reſidui, & Hundredus medietatem. Et ſi nullus parens vel amicus hanc juſtitiam deforciant, ſint forisfacti erga Regem de vj. libris, & quærant latronem, & in cujuſcumque poteſtate inventus fuerit, non habeat Warantum de vita ſua, nec poſſit in poſterum pro defenſione ſua placitum recuperare.

XLVI.

Nemo alium recipiat ultra iij. noctes, niſi is aliter jubeat cum quo venit.

XLVII.

Nemo hominem ſuum à ſe diſcedere patiatur, ex quo rectatus fuerit.

XLVIII.

Et qui in Latronem incurrit, eumque ſalvum gratis dimittit, emendam ſolvat ad valorem Latronis, vel per plenariam legem ſe expurget, quod latronem eſſe neſcivit. Et qui clamorem audiet, & ſuperſedebit, ſuperſiſam Regis emendet, vel ſe expurget.

XLIX.

Quilibet etiam Dominus habeat ſuum ſervientem, vel ſuum plegium, cum quo, ſi rectatus fuerit, ear ad rectum in Hundredo.

L.

Si is qui accuſatus abſconſus eſt, & ad Hundredum à iv. hominibus rectatur, duodecima manu ſe expurget. Et ſi poſt clamorem aufugiat, Dominus reddat ſuam Weram. Et ſi clametur Dominus, quòd ex ſua ſcientia exceſſerit, ſe excondicat ſe vj. manu: quod ſi non poteſt, emendam ſolvat Regi, & ſit utlagatus.

XLIII.

Ne quis rem aliquam emat ſine teſtibus.

Nemo emat quantum iv. denariis æſtimatur, neque de re mortua neque de viva, abſque teſtimonio iv. hominum aut de burgo aut de villa: & ſi quis rem vendicat & *il vent* habeat teſtimonium; ſi nullum habeat Warrantum, reſpondeat alteri Catallum ſuum & forisfacturam habeat qui habere debet, & ſi teſtimonium habeat ut jam diximus, *veeſt* tribus vicibus vice quarta *le deraisnat & il le rende.*

XLIV.

De : : : : : : :

Præterea Rationi conſonum non videtur ut quis *face pruvance ſur teſtimonie ki connuſſent ço que entre eſt, & que nul nel pruſt devant le terme* vj. menſium poſtquam *que l'aveir fu emblé.*

XLV.

De Vadimonio deſerto.

E al qui eſt redte e teſtimoniet deleante & le plaist treſfeiz vicibus *eſchuit*, & ad quartam vicem oſtendat ſummonitor de tribus defaltis, nihilominus *le mande lum* ut plegium inveniat & veniat ad jus, & ſi nolit, ſi non viderit hominem vivum aut mortuum, capiat quantum habet & reddat petenti catallum ſuum & Dominus habeat medietatem reſidui, & Hundredum medietatem. ■ ſi nemo *parent nami ceſte juſtiſe deforcent ſciant forfait envers le Rei de vj. lib. & quergent le larun non ki poeſte il ſoit trove, neis Vvarant de ſa vie, ne per defenſed plaist mais mes recevrer.*

XLVI.

De Hoſpitibus.

Nemo alium recipiet ultra iij. noctes, *ſi til ne li commandeod qui fuſt aniz.*

XLVII.

De Famulis.

Nemo hominem ſuum à ſe diſcedere patiatur poſtquam rectatus fuerit.

XLVIII.

De : : : : : : :

Et qui Latronem *en contre e fanz qui a aciens li leit aler ſi la mend a la vailence de larun, v ſe n'eſpurge per planer lei* quod Latro non ſit *e ki le cri erat e furfera, la furſiſe li Rei amend, ou ſin eſpurget.*

XLIX.

De : : : : : : :

Quilibet etiam Dominus habeat ſervientem ſuum aut plegium ſuum *qi*, ſi non rectatus fuerit, habeat ad rectum in Hundredo.

L.

De : : : : : : :

Si quis intra Hundredum incuſatus fuerit & iv. homines *le retent*, ſe duodecima manu purget, & ſi *il ſont fuiſt dedux la chalenge*, Dominus reddat Weram ſuam *e ſi lun chalenge, le Seignour que par le ſont fait aler ſi ſe purget* duodecima manu, & ſi non poſſet, emendet verſus Regem & ſit utlagatus.

XLIII.

Ne nul achat le vailiant de iv. den. de mort, vif, ſans teſtimonie ad iv. hommes, v de burt, *v de vile: e* le *l'um le chalange, e il vent, ait teſtimonie; ſi n'ad nul vvarant, rende l'um al* un *ſon chatel, e le forfait ait* ki aver *le deit: e ſi teſtimonie ad, ſi cum nous* devis *defunes, voeſt les treis foiz, v a la quart feiz le derainet, v il le rende.*

XLIV.

Ain ne ſemble pas raiſon, qui l'um face pruvance ſur teſtimonie ki conuſſent ço que entre *eſt, e qui nul nel pruſt devant le terme de vj. meis, apres ço qui l'aveir fu emblé.*

XLV.

E al qui eſt redte, e teſtimoniet de leanté, & le plait treſ foiz eſchuit, e al quart muſtrent li ſumenour de ſes treis defautes, uncore le mande l'um qui il plege truſe, *e vienge a dreit: e s'il ne volt, ſi ne vit l'um vif v mort, ſi prenge l'um quanque il ad, e ſi rende l'um al chalangeur ſun chatel, e li Sire ait la meité, del remanant, & le Hundred la meité. Et ſi nul parent n'ami cette juſtiſe deforcent, ſeiens forfeit envers li Rei de vj. lib. e* querent *la larun n'en qui poeſté il ſeit trové, n'eit Vvarant de ſa vie, ne per defenſed plait n'ait mes recevrer.*

XLVI.

Nul ne recoit hom altre iij. niz, ſi til ne li comand *ed qui il fuſt* aniz.

XLVII.

Ne nuls ne loit ſun hom de li partir, plus qu'il eſt reté.

XLVIII.

Et ki larun encontre, e fanz *qui a aciens li leit aler, ſi l'amende a la vailance de larun, v ſe n'eſpurge per plener lei qui il larun nel ſout. E ki le cri erat, e furfera, la furciſe li Rei amend, v s'en eſpurget.*

XLIX.

E chaſcun Seinour eit ſon Seriant, v ſun plege, qi ſi nel reté qui ait a dreit el Hundret.

L.

Si eſt aſcens qui blamet ſeit, de *dinz le Hundred iv. humes le retent, ſei xii. main s'eſpurget, e ſi il* ſeut *fuiſt dedux la chalange, li Sires rende ſun vuere, e ſi l'un chalange le Seignour, qui par le ſeut ſeit alé, ſi s'eſcundie ſei vj. main: e s'il ne* pot, *enver li Rei l'amunt, e cil ſeit vilage.*

vv. LL. Edv. conf. c. 17.
al. cil
al. veniq
al. burg.
al. le
al. um
al. devis
al. deſutes
al. go eſt
al. emblé
al. ell
al. trove
al. querent
al. & dini
al. s'eſcundi
al. vut
al. ſuus
v. ll. Knuti parv. c. 116. & ll. Hen. I. cap. 11.

Digitized by Google

Neque præter Ingulphum quis Leges haſce tradidit, neque præter haſce, aliquem omnino quæ illius ævi idiomate Gallico ſeu Normannico conſcribitur, extare puto, cùm interim memoriæ ſit traditum, Guillelmum idioma illud, utpote vernaculum, naſcentique imperio velut magis fidele, in Anglia propagari & populare fieri impensè deſideraſſe, idque ſanctio juſſiſſe. Miſſis quæ hiſtorici de ea re habent, Robertum Hoſkotium, virum, ut ævum ſuum tulit, doctiſſimum, teſtem adhibeo. *Narrant hiſtoria* (ita ſcribit ille ad librum Sapientiæ, cap. 11.) *quod cum Willelmus Dux Normannorum Regnum Angliæ conquiſiviſſet, deliberavit quomodo linguam Saxonicam poſſet deſtruere & Angliam & Normanniam in idiomate concordare, & ideò ordinavit quod nullus in Curia Regis placitaret niſi in Gallico, & uterum quod puer quilibet ponendus ad litteras, addiſceret Gallicum, & per Gallicum Latinum; quæ duo uſque hodie*, inquit, *obſervantur.* Floruit autem Robertus iſte ſub Edwardo III. cujus regni anno viceſimo quarto, læviente peſte abreptus eſt. Vide Stat. 36. Ed. 3. cap. 15. Atqui complures aliæ, vetuſtis Schedis Guillielmo Regi tributæ (præter eas Edwardo Regi accepto, latas) reperiuntur quarum haſce ſubjungere etiam viſum eſt tam quòd apud Rogerum Hovedenum ex mutilo nimium exemplari obtruſæ ſint, aut librariorum injuriâ decurtatæ, tum quòd Guillielmi Lambardi Codicem de priſcis Anglorum Legibus (ubi editæ quidem ſunt, nec tamen undequaque exemplari quo utor conſona) etiam ſtudioſis rariſſimè occurrere certo ſciam.

WILLELMUS, Dei gratia, Rex Anglorum, Dux Normannorum, omnibus hominibus ſuis Franciæ & Angliæ: ſalutem.

LI.

De Religione & Pace publica.

Statuimus inprimis ſuper omnia, unum Deum per totum Regnum noſtrum venerari, unam fidem Chriſti ſemper inviolatam cuſtodiri, pacem, & ſecuritatem, & concordiam, judicium & juſtitiam inter Anglos & Normannos, Francos & Britones Walliæ & Cornubiæ, Pictos & Scotos Albaniæ, Similiter inter Francos & Inſulanos, Provincias & Patrias quæ pertinent ad Coronam & Dignitatem, defenſionem & obſervationem, & honorem regni noſtri, & inter omnes nobis ſubjectos per univerſam Monarchiam regni Britanniæ firmiter & inviolabiliter obſervari. Ita quod nullus alii forisfaciat in nullo ſuper forisfacturam noſtram plenam.

LII.

De Fide & Obſequio erga Regem.

Statuimus etiam ut omnes liberi homines fœdere & ſacramento affirment quod intra & extra univerſum regnum Angliæ (quod olim vocabatur regnum Britanniæ) Willelmo ſuo Domino fideles eſſe volunt, Terras & Honores illius fidelitate ubique ſervare cum eo, & contra inimicos & alienigenas defendere.

LIII.

De Normanni, ſeu Francigena cæde.

Volumus autem & firmiter præcipimus ut omnes homines, quos nobiſcum adduximus aut poſt nos venerint, ſint ſub protectione & in pace noſtra per univerſum regnum prædictum; & ſi quis de illis occiſus fuerit, Dominus ejus habeat intra v. dies homicidam ejus ſi poterit, ſin autem, incipiat perſolvere nobis xlvj. Marcas argenti quamdiu ſubſtantia Domini illius perduraverit. Ubi verò Dominus defecerit, totus Hundredus in quo occiſio facta eſt communiter ſolvat quod remanet.

LIV.

De Jure Normannorum qui ante adventum Guillelmi, cives fuerant Anglicani.

Et omnis Francigena qui tempore Edwardi propinqui noſtri fuit in Anglia particeps conſuetudinum Anglorum, quod ipſi dicunt *Anblete* & *Anſtete*, perſolvat ſecundùm Legem Anglorum.

LV.

De Clientelari ſeu Feudorum jure, & Ingenuorum immunitate.

Volumus etiam ac firmiter præcipimus & concedimus, ut omnes liberi homines totius Monarchiæ regni noſtri prædicti habeant & teneant terras ſuas & poſſeſſiones ſuas bene & in pace, liberè ab omni exactione injuſta, & ab omni Tallagio; Ita quod nihil ab eis exigatur vel capiatur, niſi ſervitium ſuum liberum quod de jure nobis facere debent & facere tenentur; & prout ſtatutum eſt eis & illis à nobis datum & conceſſum jure hæreditario in perpetuum per Commune Conſilium totius regni noſtri prædicti.

LVI.

De Nocturnis Cuſtodiis.

Statuimus etiam & firmiter præcipimus ut omnes Civitates, & Burgi, & Caſtella, & Hundredi, & Wapentachia, totius regni noſtri prædicti ſingulis noctibus vigilentur & cuſtodiantur in gyrum pro maleficiis & inimicis prout Vicecomes & Aldermanni, & Præpoſiti & cæteri Ballivi & Miniſtri noſtri melius per Commune Conſilium ad utilitatem regni providebunt.

LVII.

De Menſuris & Ponderibus.

Et quod habeant per univerſum regnum Menſuras fideliſſimas & ſignatas, & pondera fideliſſima & ſignata ſicut boni prædeceſſores ſtatuerunt.

LVIII.

De Clientum, ſeu Vaſſalorum præſtationibus.

Statuimus etiam & firmiter præcipimus ut omnes Comites, & Barones, & Milites, & Servientes, & univerſi liberi homines totius regni noſtri prædicti habeant & teneant ſe ſemper bene in armis & in equis ut decet & oportet, & quod ſint ſemper prompti & parati ad ſervitium ſuum integrum nobis explendum & peragendum cùm ſemper opus affuerit, ſecundùm quod nobis de feodis debent & tenementis ſuis de jure facere, & ſicut illis ſtatuimus per Commune Conſilium totius regni noſtri prædicti, & illis dedimus & conceſſimus in feodo jure hæreditario. Hoc præceptum non noſtrum ſit violatum ullo modo ſuper forisfacturam noſtram plenam.

LIX.

Ut Jura Regia illæſa ſervare pro viribus conentur ſubditi.

Statuimus etiam & firmiter præcipimus ut omnes liberi homines totius regni prædicti ſint fratres conjurati ad Monarchiam noſtram & ad regnum noſtrum pro viribus ſuis & facultatibus contra inimicos pro poſſe ſuo defendendum & viriliter ſervandum, Pacem & Dignitatem Coronæ noſtræ integram obſervandam, & ad judicium rectum & juſtitiam conſtanter omnibus modis pro poſſe ſuo ſine dolo & ſine dilatione faciendam. Hoc decretum ſancitum eſt in Civitate London.

LX.

Ne venditio & emptio fiat niſi coram Teſtibus & in Civitatibus.

Interdicimus etiam ut nulla viva pecunia vendatur aut ematur niſi intra Civitates, & hoc ante tres fideles teſtes, nec aliquam rem vetitam ſine fidejuſſione & Warranto, quod ſi aliter fecerit ſolvat & perſolvat, & poſtea forisfacturam.

LXI.

De emporiis, & jure Urbium pagorumque nota molieris.

Item nullum Mercatum vel Forum ſit nec fieri permittatur niſi in civitatibus regni noſtri, & in Burgis, & in Murovallatis, & in Caſtellis, & in locis tutiſſimis, ubi conſuetudines regni noſtri, & jus noſtrum commune & Dignitatis Coronæ noſtræ quæ conſtituta ſunt à bonis Prædeceſſoribus noſtris deperiri non poſſunt nec deſyderari nec violari, ſed omnia recte & in aperto & per judicium & juſtitiam fieri debent. Et ideo Caſtella, & Burgi, & Civitates ſita ſunt & fundantur & ædificantur, ſcilicet, ad tuitionem Gentium & Populorum regni, & defenſionem regni, & ideireo obſervari debent cum omni libertate & integritate & ratione.

LXII.

De Purgatione ferenſi in judiciis publicis.

Decretum eſt etiam ut * Francigena appellaverit Anglum de periurio aut murdro, furto, homicidio, *Rea* quod dicunt apertam rapinam, quæ negari non poteſt, Anglus ſe defendat per quod melius noverit, aut judicio Ferri & Duello. Si autem Anglus infirmus fuerit, inveniat alium qui pro eo faciat. Si quis eorum victus fuerit, emendet Regi xl. ſolid. Si autem Anglus Francigenam appellaverit & probare voluerit judicio aut duello, volo tunc Francigenam purgare ſe ſacramento * non fracto.

* al. ſi Fr.

* al. Non ferro apud Hovedenum.

Digitized by Google

A

LXIII.

Firmantur Leges Edwardi Regis.

Hoc quoque præcipimus ut omnes habeant & teneant Legem Edwardi Regis in omnibus rebus, adauctis his quas constituimus ad utilitatem Anglorum.

LXIV.

De Justitia publica fidejussoribus.

Omnis homo qui voluerit se teneri pro libero sit in plegio ut plegius eum habeat ad justitiam si quod offenderit: Et si quisquam evaserit, talium videant plegii ut solvant quod calumniatum est, & purgent se quia in evaso nullam fraudem noverint. Requiratur Hundredus & Comitatus (sicut Antecessores statuerunt) & qui justè venire debent & noluerunt, summoneatur semel; Et, si secundò non veniunt, accipiatur unus Bos, & si tertio, alius Bos; Et si quartò, reddatur B de rebus hujus hominis quod calumniatum est quod dicitur Ceapgyld, & insuper Regis forisfactura.

LXV.

De Servis & eorum manumissione.

Et prohibemus ut nullus vendat hominem extra Patriam. Si quis verò velit servum suum liberum facere, tradet eum Vicecomiti per manum dextram in pleno Comitatu, & quietum illum clamare debet à jugo servitutis suæ per manumissionem, & ostendat ei libertas vias & portas, & tradat illi libera arma, scil. lanceam, & gladium; deinde liber homo efficitur.

LXVI.

De Servis.

Item si servi permanserint sine calumnia per annum & diem in Civitatibus nostris, vel in Burgis in Muro vallatis C vel in Castris nostris, à die illa liberi efficiuntur, & liberi à jugo servitutis suæ sint in perpetuum.

LXVII.

De Supplicierum modo.

Interdicimus etiam ne quis occidatur vel suspendatur pro aliqua culpa, sed * evernantur oculi & abscidantur pedes vel testiculæ vel manus, Ita quod truncus remaneat vivus in signum proditionis & nequitiæ suæ. Secundum enim quantitatem delicti debet pœna maleficiis infligi. Ista præcepta non sint violata super forisfacturam nostram plenam. Testibus &c. * al. eruantur.

Schedæ autem, quæ in hisce eruendis usui erant; leges etiam de Examine Forensi suppeditarunt, quarum exemplar correctius habetur apud Johannem Brampronum Abbatem Jornallensem Ms. qui, diligentissimus alioquin rerum nostrarum, maximè autem legum vetustiorum indagator, Guil- D lelmum alias, præter hasce, statuisse non memorat. Earum apud Abbatem hunc hujusmodi lemma est, & hujusmodi stylus.

INSTITUTIONES SIVE LEGES REGIS WILLELMI.

Willelmus Dei gratia Rex Anglorum. Omnibus ad quos scriptum hoc perveniat salutem, & amicitiam. Mando & præcipio per totam Anglicam nationem custodiri.

LXVIII.

De Examine Forensi.

Si Anglicus homo compellet aliquem Francigenam per bellum de Furto vel homicidio vel aliqua Re pro qua bellum fieri debeat vel judicium inter duos homines, habeat plenam licentiam hoc faciendi. Et si Anglicus bellum nolit, Francigena compellatus adlegiet se jurejurando contra eum per suos testes secundum Legem Normanniæ. E

LXIX.

De eodem.

Item si Francigena compellat Anglicum per bellum de eisdem rebus, Anglicus plena licentia defendat se per bellum vel per judicium si magis ei placeat. Et si uterque sit invalidus & nolit bellum vel non posset, quærat sibi Legalem defensionem.

LXX.

De eodem.

Si Francigena victus fuerit persolvat Regi LX. sol. Et si Anglicus nolit se defendere per bellum vel per testimonium, adlegiet se per Dei judicium.

LXXI.

De Examine Forensi.

De omnibus utlagariæ rebus Rex instituit ut Anglicus se purget ad judicium. Et si Anglicus appellet Francigenam de utlagaria & hoc super eum * in veritate velit, defendat se Francigena per bellum. Et si Anglicus non audeat enim probare per bellum, defendat se Francigena pleno juramento non in verborum observantiis.

Monendum est interim, distributiones ejusmodi in exemplaribus Mss. minimè repertas esse, sed à nobis consultò factas, tam ut faciliorem aditum (ubi fieri potuit) præberent capitum lemmata, quàm ut curiosorum, qui hæc lectantur, observationibus subvenirent numeri, quos non alio consilio, à primo earum quas Ingulphus dedit capite, per cætera continenter deducimus.

Accedere etiam potest institutis Guillielmi Regis, illud à Johanne Sarisburiensi lib. 8. de nugis Curialium cap. 7. As- " sumpto, *inquit ille*, Regni diademate & pace composita, Le- " gatos misit ad exteras nationes ut à præclaris omnium domi- " nibus quicquid eis magnificum aut mirificum videatur," afferent. " al. asserent. Defluxit ergo in insulam opulentam, & quæ ferè sola " bonis suis est in Orbe contenta, quicquid magnificentiæ, imò " luxuriæ potuit inveniri. " Porrò hoc etiam de annona Palatina quod habetur in Dialogo de Scaccario seu libro Nigro ita dicto à Gervasio Tilburiense (ut sententia recepta est) sub Henrico II. conscripto, qui in Archivo Fiscali, quod *Receptum Scaccarii* phrasi forensi nominant, servatur. " In pri- " mitivo regni statu post Conquisitionem, Regibus de fundis " suis non auri vel argenti pondera, sed sola victualia solve- " bantur. Ex quibus in usus quotidianos domus Regiæ neces- " saria ministrabantur; & noverant, qui ad hoc deputati fue- " rant, quantum de singulis fundis proveniebat. Cæterùm ad " stipendia vel donativa Militum, & alia necessaria de placitis " regni, vel conventionibus, & ex Civitatibus vel Castellis, à " quibus Agricultura non exercebatur, pecunia numerata suc- " crescebat. Toto igitur Regis Willielmi Primi tempore per- " severavit hæc institutio, usque ad tempora Regis Henrici " Filii ejus, adeo ut viderim ego ipse quosdam, qui victualia, " statutis temporibus, de fundis Regiis ad Curiam deferri vi- " derint. Certum quoque habebant Officiales domus Regiæ, " à quibus Comitatibus triticum, à quibus diversæ species " carnium, vel equorum pabula vel etiam necessaria debebantur. His verò soluris secundùm constitutum modum cujus- " que rei, Regii Officiales computabant Vicecomitibus redi " gentes in summam denariorum: pro mensura scilicet tritici " ad panem C hominum solidum I. pro corpore bovis pas- " cualis solidos V. pro ariete vel ove IV. denarios, pro præ- " benda XX. equorum similiter IV. denarios. Succedente ve- " rò tempore, cùm idem Rex in transmarinis & remotis par- " tibus sedandis tumultibus bellicis operam daret, contigit " ut fieret sibi summè necessaria, ad hæc explenda, numerata " pecunia. Confluebat interea ad Regis Curiam querula mul- " titudo Colonorum, vel, quod gravius sibi videbatur, præ- " terrunti frequenter occurrebat, oblatis vomeribus in signum " deficientis Agriculturæ. Innumeris enim molestiis pre- " mebantur, occasione victualium, quæ per plures regni " partes à sedibus propriis deferebant. Horum igitur quere- " lis inclinatus Rex definito magnatum consilio, destinavit " per regnum, quos ad id prudentiores & discretiores cogno- " verat. Qui circumeuntes, & oculata fide fundos singulos " perlustrantes, habita æstimatione victualium quæ de his " solverbantur, redegerunt in summam denariorum. De " summa verò summarum, quæ ex omnibus fundis surgebat " in uno Comitatu, constituerunt Vice-comitem illius Co- " mitatus ad Scaccarium teneri, addentes ut ad Scalam sol- " veret. " Nec prætereundum hoc quod habet Henricus Bractonius, priscus apud nos Jurisconsultus, de Forinseco servitio quod scilicet ii præstant qui in subditorum clientela eo nomine fundum possidentes, Dominorum suorum personam in officiis maximè militaribus Regi præstandis induunt, quod, ut scribit ille, dicitur Regale servitium, quia spectat ad Dominum Regem & non ad alium & secundum quod in conquestu fuit adinventum. Ad Guillielmi hujus tempora eum respexisse palàm est. Victoriam enim ejus, vocabulo barbaro, *conquestu*, præcise olim ut hodie signabant. Nonnullæ aliæ sunt ejusce leges apud Matthæum Parisium, Henricum Huntingdonensem, & alios, quas, quoniam sunt cuique obviæ, prætermittimus. Sed caveant interim lectores ne à Polydoro ejusque sequacibus in hisce fallantur. Indiligentia enim sua deceptus quædam Guillelmo velut Auctori tribuit quas vetustioribus Saxonici Imperii temporibus certissimum est deberi, quasdam etiam quæ non, ante aliquot à Guilelmo, elapsa sæcula natæ sunt.

Sed oblitus hactenus præstiti à Guillelmo Rege juramenti, quo veteribus Anglorum sancitis etiam generatim observandis se obstrinxit, non intempestivè hic Matthæi Parisii de ea re verba subjungo. Vitas constituit

Digitized by Google

ille Cœnobiarcharum D. Albani. In Fretherici autem Cœnobiarchiæ vita (qui nempe vir strenuus & constans, Haraldi Regis non minus devicti quam regnantis nomen sibi charissimum retinens, reluctantibus postmodum Anglis auctoribus, ut Aldredus Antistes Eboracensis Aquilonaribus, se ducem sortiret, ac fructa, præbuit) varia partium studia narrans: „ Videntes, *sequit*, Angli rem agi pro capitibus, „ plures convocando exercitum numerosum ac fortissimum „ constituerunt, præficientes sibi Edgarum speciosissimum „ & fortissimum, in cujus sinu tota spes reposita fuit Anglorum, unde in Anglia tale exiit eulogium, Edgar „ Etheling Engelondes Dereling. Fuit autem inter omnes „ Anglos Dux & Promotor efficacissimus Abbas S. Albani, „ Frethericus, tanquam vir generosus, operibus & viribus „ non mediocriter formidabilis. Cœpit igitur Rex vehementer „ sibi timere ne totum regnum quod tanti sanguinis effusione adquisierat, turpiter amitteret etiam trucidatus. Archiepiscopi igitur (*scilicet Lanfranci*) prudentiâ feliciter „ eruditus, mitiùs cœpit agere cum regni primatibus, ea „ quæ pacis sunt humiliter cogitando, & serena facie vocavit eos ad pacem sed subdolam, sicut rei series finaliter clariùs patefecit. Occurrerunt igitur Angli memorati „ nil mali cogitantes in regimine & ducatu Abbatis Frethe-
1ma Ms. „ rici apud Berckhamstude, ubi post multas * deprecationes, „ præsente Archiepiscopo Lanfranco, Rex pro bono pacis „ juravit super omnes reliquias Ecclesiæ sancti Albani, rac-
1ma Ms. „ tisque Sacrosanctis Evangeliis *, minante juramentum „ Abbate Fretherico; bonas & adprobatas antiquas Leges „ quas Sancti ac pii Angliæ Reges ejus antecessores, & maxime Rex Edwardus statuit, inviolabiliter observare. Et „ sic pacificati, ad propria læti recesserunt.

Pag. 30. *c.* 1. *C.*

Q*Uod fratri Canonici filius Presbyterorum quos Religionis ordo non ornat à sacrorum ordinum promotione removeant*] Totidem verbis idem narratur à Radulpho de Diceto, Decano, regnante Johanne, Londinensi, quem in Historiam suam in Codicibus Mss. servatam, compluria ex Eadmero deprompta intexuisse patet. Cæterùm quinam illi Canones (quibus hoc, adjectâ etiam de Religionis, uti vocant ordine, conditione, cautum est) aut sub Alexandro II. aut decessorum ejus aliquo? Annus erat M LXXI. quando Romam adibat Lanfrancus, comitantibus eum Præsulibus istis, atque tunc temporis ob hanc causam spoliatum ab Alexandro narrant Eboracensem. Nullus autem ejusmodi, si benè memini, reperitur aut in Juris Pontificii Commentariis aut alibi Canon, cui initia vetustiora sunt Concilio Claromontano quod quinquennio aut circiter post Lanfranci obitum, anno nimirum M. XCV. sub Urbano II habitum est. Vide dicti Concilii Canon. 25. & Dist. 56. Exer. tit. *de Filiis Presbyterorum*, præter Bernardi Papiensis, lib. 1. tit. 9. Johannis Gallensis lib. 1 tit. 9. atque Ivonis part. 6. cap. 410. Neque aliud ultrà pronuntiare audemus, quàm non liquet; nisi fas sit Eadmerum memoriæ lapsus hic & temporis anticipati postulare. Cum enim scripsit ille, ejusmodi Lex Pontificia vim obtinebat; quæ tamen Lanfranci ætate minime erat nata. Cautiùs igitur G. Malmesburiensis agit dum id genus Canonem non adjicit, sed quod filius esset Præsbyteri duntaxat, ideo spoliatum Eboracensem scribit in Lanfranco, uti alii nondum editi. Romæ enim, etiam illo ævo, Sacerdotum filii pro spuriis habiti; quod satis elicitur ex Jure Pontificio antiquiori apud Gratianum Dist. 32 & 33. Lege autem Judaica, uti in aliis nonnullis, ita in hac re tunc nisi Pontifices Romani spurios à sacri Ordinis dignitate arcebant, atque inde erat quod Sacerdotis filius hoc exueretur suâ. Lex autem Judaica, quam exemplo sibi esse volebant, habetur Deuteronomii cap. 23. Comm. 2. יהוה — לא יבא ממזר בקהל i. *Non veniet Mamzer in Ecclesiam Domini.* Mamzer enim ibi (quod inde Μαμζὴρ fit & pro Notho usurpatur alicubi & apud Gregentium & apud Cedrenum) Græcis interpretibus est ἐκ πόρνης natus, & Arabicè in sacris Bibliis redditur *sbaruch alzani* seu *pullus meretricis*. uti etiam in versione Chaldaica qui Jonathani Uzielis filio tribuitur. Vide porro si placet, dist. 56. cap. 12. Apostolica, &c. 13 per venerabilem extr. tit. *qui filii sint legitimi.*

Pag. ead. col. 2. *B.*

E*T ipsemet scripserit.*] Opus ab eo de iis rebus scriptum desideratur. Videsis Balæi Centur. 13. Script. 12. ubi scripta ejus enumerantur, quorum pars maxima injuriâ temporis intercidêrunt.

Pag. 31. *col.* 1. *B.*

I*nstituto ei Paulo Abbate.*] De Abbate isto, Matthæus Paris in Mss. vitis ejusdem Cœnobii Abbatum, hæc scripta reliquit. „ Rex Willelmus de morte Abbatis Faritii „ certificatus, Cœnobium sancti Albani vacans in manu sua A tenuit, & extirpatis sylvis & depauperatis hominibus, oppressit. Et nisi correptionibus Lanfranci refrænaretur irrestaurabiliter totum Cœnobium destruxisset. Efficaciter igitur procuravit ipse Lanfrancus ut Paulus ejus consanguineus quem secum in Angliam duxerat, in Abbatem præficeretur. Iste, natione Neuster, Consanguinitate Archiepiscopo Lanfranco propinquus, &, ut quidam autumant, filius, Monachus fuit Cadomensis Ecclesiæ. Hic Ecclesiam beati Albani suscepit regendam, procurante dicto Archiepiscopo Lanfranco qui eundem Paulum filiali dilexit amore, promotus in Abbatem, Anno gratiæ M. LXXVII. IV. Kl Julii, tempore Regis Willielmi Regis majoris & Conquestoris, Anno regni ipsius XI. Hic primus Abbas hujus Ecclesiæ fuit, postquam Anglia Normanis fuit penitus subjugata. Iste hanc Ecclesiam cæteraque ædificia præter Pistorium & Pinsinochium reædificavit, ex lapidibus & tegulis veteris Civitatis Verolamii, & materie lignea quam invenit a Prædecessoribus suis collectam & reservatam. Ditaverat B enim ipsum Archiepiscopus Lanfrancus, & ipsum electum Thesauro multiplici reddiderat abundantem. Iste quoque Paulus Abbas vir religiosus, & eleganter liberatus & in observantia ordinis regularis, rigidus & prudens, totius Monasticæ religionis normam quam jam olim tam prælatorum quam subditorum remissioris vitæ illicebrosa voluptas eliminaverat, cautè & paulatim, ne repentina mutatione tumultum gravaret, reformavit. Et facta est Ecclesia sancti Albani quasi schola religionis, & disciplinaris observantiæ per totum regnum Angliæ. Attulerat namque secum consuetudines Lanfranci & statuta Monastica à Domino Papa merito approbata, conscripta. Unde odor bonæ famæ hujus Ecclesiæ Romanam Curiam & remota regna illustrando prævolavit. " Et multorum tam prælatorum quàm Magnatum feliciter ei inclinavit.

Ibidem.

C G*Undulfus nomine, ab eodem ibi subrogatus Episcopatus est*] Huc spectant quæ Auctor priscus vitæ Mis Gundulfi Rossensis Episcopi, de illius electione tradidit. Lanfranco, *inquit*, Ecclesiasticæ dignitatis summum apicem in Anglia tenente & sapienter administrante, Rovecestrensis Ecclesia suo est Pastore destituta, defuncto Ernosto Episcopo qui Monachus Sewardo, & ipsi Monacho, in Episcoparum quidem successerat, sed in eo anno tantùm dimidio vixerat. Volens autem Pontifex ut ex more antiquorum Monachus succederet Monacho, cogitare cæpit quem pontificum Monachorum eligere posset, qui hoc onus sibi injunctum portare valeret. Cogitanti tamen, Gundulfi citiùs occurrit sanctitas; quæ jam certis experimentis satis ei fuerat approbata. Hunc igitur, habito cum sapientibus consilio, ad Pontificatum elegit, & ut ejus electioni Rex assensum præberet, ipsum transmarinas ad partes ad Regem direxit. Gaudio autem Rex repletus non modico, quia occasionem Dei hominem exaltandi invenerat, de cujus sanctitate jam ad eum satis clara fama pervenerat, Pontificis petitionibus justis libens assensum præbuit, & honore Pontificali Virum Dei dignissimum judicavit. Accepta igitur Lanfrancus auctoritate Regia, Præsules convocat, Primores Rossensium mandat, Regis & suam voluntatem omnibus pandit, omnibus assensum præbentibus & gaudentibus fidelem domus Dei dispensatorem constituit. Non fuit obnitendi potestas, cum eum urgeret Regis magni & Præsulis tanti auctoritas. Vox se indignum clamantis opprimitur, cùm quo se clamat indigniorem eo dignior acclamatur. Ordinatur itaque vir verè dignissimus Episcopatu, Gundulfus, in Ecclesia Dorobernensi XII Kl. Aprilis, Anno ab Incarnatione Domini M. LXXVII. undecimo verò adventus Normannorum in Angliam sub Comite Guillelmo, Rege postmodùm Angliæ nobilissimo. Consecratus autem ex more proprium rendit invisere sedem, tripudiantibus turbis, Rossensem ingreditur urbem, Pontificali sede intronizatus inducitur, præsul omni veneratione ex eo habetur. Redduntur ei denique possessiones quædam Rossensis Ecclesiæ, quas præsulantibus antecessoribus suis Lanfrancus in sua tenuerat ditione. Ea vero conditione redduntur, ut in Ecclesia Rossensi sicut jam præsul uterque deliberaverat, Monachi ponantur. Audierant enim ibi quondam Monachos fuisse, unde ad antiqua studia redeuntes, Monachorum inibi ordinem statuere sanxerunt. Tempore ergo brevi elapso, Ecclesia nova, veteri destructa, incipitur; Officinarum ambitus convenienter disponitur, opus omne intra paucos dies, Lanfranco pecunias sumministrante multas, perficitur. Igitur perfectis omnibus, quidam ex quinque tantum Clericis qui ibi inventi sunt ad Religionis habitum confluentes, associatis multis aliis, ad Sexagenarium, & amplius numerum in brevi sub doctrina Patris Gundulfi succrevere Monachis. His Gunfuldus vivendi speculum, his totius religionis factus est documentum. Hactenus Auctor ille Anonymus Ms.

Digitized by Google

Pag. 31. col. 2. A.

Ipſe inde &c. Confirmata ſub teſtimonio regii ſigilli ſcripta reliquit.) Tum in Ms. Codice Epiſtolarum Lanfranci tum apud G. Malmeſburienſem in lib. 3. de geſtis Regum & de Pontificum geſtis I. & in Antiquitatibus Eccleſiæ Britannicæ pag. 111. alibi etiam, acta de hac re habentur. Sed verò in Lanfranci Epiſtola illa quam ad Alexandrum II ſcriptam inſerit Malmeſburienſis, intquum erat ea prætermitti quæ lectu digniſſima, ex Ms. Codice Baronius primò in lucem edidit. Vide eum tom. 11. anno 1072. & part. 2. tom. 3. Concil. poſtremæ editionis Binianæ pag. 151.

Ibid. C.

Diſpoſito apud Pinnedene Principum Conventu.] Quænam in illo conventu acta ſint, & quâ judicii formulâ, luculentiùs ex hiſtoriola quam in Codice Ms. Roffenſis Eccleſiæ comperimus, edocemur. Eam cum epigraphe quam in dicto Codice præ ſe fert, ſubjungimus.

De placito apud Pinendenam inter Lanfrancum Archiepiſcopum, & Odonem Baiocenſem Epiſcopum.

TEmpore Magni Regis Willielmi, qui Anglicum regnum armis compoſivit, & ſuis ditionibus ſubjugavit, contigit Odonem Bajocenſem Epiſcopum, & ejuſdem Regis fratrem multò citiùs quàm Lanfrancum Archiepiſcopum in Angliam venire, atque in Comitatu de Chent cum magna potentia reſidere, ibique poteſtatem non modicam exercere. Et quia illis diebus in Comitatu illo quiſquam non erat, qui tantæ fortitudinis vico reſiſtere poſſet, propter magnam quam habuit poteſtatem, terras complures de Archiepiſcopatu Cantuarberiæ & conſuetudines nonnullas ſibi arripuit atque uſurpans ſuæ Dominationi aſcripſit. Poſteà verò non multo tempore, contigit præfatum Lanfrancum Cadomenſis Eccleſiæ Abbatem, juſſu Regis, in Angliam quoque venire, atque in Archiepiſcopatu Cantuarienſi, Deo diſponente, totius Angliæ regni Primatem ſublimatum eſſe. Ubi dum aliquandiù reſideret & antiquas Eccleſiæ ſuæ terras multas ſibi deeſſe inveniret, & ſuorum negligentia anteceſſorum illas diſtributas atque diſtractas fuiſſe reperiſſet, diligenter inquiſitâ & bene cognitâ veritate, Regem quàm citiùs potuit & non pigrè inde requiſivit. Præcipit ergo Rex Comitatum totum abſque mora conſidere & homines Comitatus omnes Francigenas & præcipue Anglos in antiquis legibus & Conſuetudinibus peritos in unum convenire. Qui cum convenerunt apum Pinendenam omnes pariter conſederunt. Et quoniam multa placita de diratiocinationibus terrarum & verba de conſuetudinibus legum inter Archiepiſcopum & prædictum Bajocenſem Epiſcopum ibi ſurrexerunt, & etiam inter Conſuetudines Regales, & Archiepiſcopales quæ prima die expediri non potuerunt, ea cauſa, totus Comitatus per tres dies fuit ibi detentus. In illis tribus diebus diratiocinavit ibi Lanfrancus Archiepiſcopus plures terras quas tunc ipſe Epiſcopus & homines ſui tenuerunt, videlicet, Herebertus filius Ivonis, Turoldus de Roveceſtria, Radulfus de Curva ſpina, Hugo de Monte Forti, cum omnibus Conſuetudinibus & rebus quæ ad eaſdem terras pertinebant; ſcilicet Raculfe, Sandwic, Rateburg, Wedetune, Monaſterium de Lunning cum Terris & Conſuetudinibus ad ipſum Monaſterium pertinentibus, Saltvude cum Burgo Hethe ad Saltvude pertinente, Langport, Hiwendenne, Rokinge, Detlinge, Preſtitune, Sunderheſſe, Carhethe, Orpintune, Flnesford, Quatuor Præbendas Broche, de Riwentune, Stokes & Devintune. In Suthreia, favente Rege Willelmo, diratiocinavit ipſe Archiepiſcopus Murtelache. In Londonia Monaſterium Sanctæ Mariæ, cum Terris & domibus quas Livingus Preſbyter & Uxor illius habuerunt; In Middeſere Herghas, Herſam; In Bochingeamſire, Riſebergam, Haltune; In Oxenfordſire, Riwentune; In Caſtſere Stiſtede; In Sutfolchia, Frachenham. Item ſuper Radulfum de Curva ſpina, L X. ſolidatas de paſtura in Grean. Et omnes illas terras & alias diratiocinavit cum omnibus Conſuetudinibus & rebus quæ ad eaſdem terras pertinebant ita liberas atque quietas, quod in illa die qua ipſum placitum finitum fuit, non remanſit homo in toto regno Angliæ qui aliquid inde calumniaretur, neque ſuper ipſas terras etiam parvum quicquam clamaret. Stokes verò & Devintune & Fracenham reddidit Eccleſiæ Sancti Andreæ, quia de jure ipſius Eccleſiæ antiquitus fuerunt. Et in eodem placito non ſolùm iſtas prænominatas & alias terras, ſed & omnes libertates Eccleſiæ ſuæ, & omnes Conſuetudines ſuas renovavit, & renovatas ibi diratiocinavit, Soca, Saca, Tol, Team, Flymena, Fyrmthe, Grithbreche, Foreſteal, Haunfare, Infangennetheof, cum omnibus aliis Conſuetudinibus paribus iſtis vel minoribus iſtis in Terris & in Aquis, in Syluis, in Viis, & in Pratis, & in omnibus aliis rebus infra Civitatem & extrà, infrà Burgum & extrà, & in omnibus aliis locis, & ab omnibus illis probis & ſapientibus hominibus qui affuerunt fuit ita ibi diratiocinatum, & etiam à toto Comitatu recordatum atque judicatum quod ſicut ipſe Rex tenet ſuas terras liberas & quietas in ſuo Dominico, ita Archiepiſcopus Cantuarienſis tenet ſuas terras omnino liberas & quietas in ſuo Dominico. Huic placito interfuerunt Goiſfridus Epiſcopus Conſtantienſis, qui in loco Regis fuit & Juſtitiam illam tenuit, Lanfrancus Archiepiſcopus qui, ut dictum eſt, placitavit & totum diratiocinavit, Comes Cantiæ, videlicet prædictus Odo Bajocenſis Epiſcopus, Ernoſtus Epiſcopus de Roveceſtria, Ægelricus Epiſcopus de Ciceſtra, vir antiquiſſimus, & legum terræ ſapientiſſimus (qui ex præcepto Regis advectus fuit ad ipſas antiquas legum Conſuetudines diſcutiendas & edocendas in una quadriga) Richardus de Tunebregge, Hugo de Monte Forti, Willielmus de Arces, Haymo Vicecomes, & alii multi Barones Regis & ipſius Archiepiſcopus atque illorum Epiſcoporum homines multi, & alii aliorum Comitatuum homines etiam cum toto iſto Comitatu multæ & magnæ auctoritatis viri, Francigenæ, ſcilicet & Angli. In horum omnium præſentia multis & apertiſſimis rationibus demonſtratum fuit quod Rex Anglorum nullas Conſuetudines habet in omnibus terris Cantuarienſis Eccleſiæ niſi ſolummodo tres. Et illæ tres, quas habet, Conſuetudines hæ ſunt; Una, Si quis homo Archiepiſcopi effodit illam Regalem viam quæ vadit de Civitate in * Civitatem. Altera, ſi quis Arborem incidit juxta Regalem viam & eam ſuper ipſam viam dejecerit. De iſtis duabus Conſuetudinibus qui culpabiles inventi fuerint atque detenti, dum talia faciunt, ſive vadimonium ab eis acceptum fuerit ſive non, tamen in ſecutione miniſtri Regis & per vadimonium emendabunt quæ iniuſtè emendanda ſunt. Tertia, Conſuetudo talis eſt. Si quis in ipſa Regali via ſanguinem fuderit, aut homicidium vel aliud aliquid fecerit quod nullatenus fieri licet, ſi dum hoc facit deprehenſus atque detentus fuerit, Regi emendabit. Si vero deprehenſus ibi non fuerit, & inde abſque vade dato ſemel abierit, Rex ab eo nihil juſtè exigere poterit. Similiter fuit oſtenſum in eodem placito quod Archiepiſcopus Cantuarienſis Eccleſiæ in omnibus terris Regis & Comitis debet multas conſuetudines juſtè habere. Etenim ab illo die, quo clauditur, Alleluya uſque ad octavas Paſchæ, Si quis ſanguinem fuderit, Archiepiſcopo emendabit. Et in omni tempore tam extra quadrageſimam quam infrà, quicunque illam culpam fecerit quæ Childwite vocatur, Archiepiſcopus aut totam aut dimidiam emendationis partem habebit. Infra quadrageſimam quidem, totam; & extra, aut totam aut dimidiam emendationem. Habet etiam in eiſdem terris omnibus quæcunque ad curam & ſalutem animarum videntur pertinere. Hujus placiti multis teſtibus multiſque rationibus determinatum finem poſtquam Rex audivit, laudavit, laudans cum conſenſu omnium Principum ſuorum confirmavit, & ut deinceps incorruptus perſeveraret, firmiter præcepit. Quod propterea ſcriptum eſt hic, ut & futuræ in æternum memoriæ proficiat, & ipſi futuri ejuſdem Eccleſiæ Chriſti Cantuarienſis ſucceſſores ſciant, quæ & quanta in dignitatibus ipſius Eccleſiæ à Deo tenere, atque à Regibus & Principibus hujus regni æterno jure debeant exigere.

Neque intempeſtivum eſt heic meminiſſe, quod tam de ſingularis Archiepiſcopi tunc temporis præteriſo jure, quàm de ſententia ſecundùm Eccleſias S. Trinitatis & S. Auguſtini data, in tabulis ſæpè nominatis Guilielmi cenſualibus compertum eſt. „ Archiepiſcopus calumniatur (ita Tabulæ illæ in Cantiæ cenſu) forisfacturam in viis extra Civitatem ex utraque parte ubi terra ſua eſt. Quidam præpoſitus Brumannus nomine * T. R. E. cæpit conſuetudines de extraneis mercatoribus in terra S. Trinitatis & S. Auguſtini, qui poſtea * T. R. W. ante Archiepiſcopum Lanfrancum & Epiſcopum Bajocenſem recognovit ſe injuſtè accepiſſe, & ſacramento facto, juravit quòd ipſæ Eccleſiæ ſuas conſuetudines quietas habuerint R. E. tempore. Et exinde utraque Eccleſiæ in ſua terra habuerunt conſuetudines ſuas judicio Baronum Regis qui placitum tenuerunt. “ Latæ etiam jam dictæ apud Pinnedene ſententiæ mentio eſt in eiſdem tabulis. Nam in Cantiæ cenſu, ſub indice latiſundiorum Roffenſis Antiſtitis. „ Eſtoches Manerium (ita legitur, quod Stokes in memorata ſententiæ hiſtoria) fuit & eſt de Epiſcopatu Roffenſi; Sed Godwinus Comes, T. R. E. emit illud de hominibus qui illud tenebant de Epiſcopo, & eo ignorante facta eſt hæc venditio. Poſtmodùm verò regnante Willielmo Rege, diratiocinavit illud Lanfrancus contra Bajocenſem Epiſcopum. Et inde eſt modo ſaiſita Roffenſis Eccleſia. “ Quin & illud de publicarum, quæ Cantuariæ proximè inſerviunt, viarum foſſionibus munitiſque ob earum violatum jus, ad hunc modum ibidem memoratur. Concordatum eſt de rectis callibus quæ habuerint per Civitatem introitum & exitum, quicunque in illis forisfecerit “

Id eſt, tempore Regis Edwardi. tempore R. Wilhelmi.

„ Regi emendabit. Similiter de callibus rectis extra Civita-
„ tem, ubique ad unam leugam & iij. perticas & iij. pedes. Si
„ quis ergo infra has Publicas vias intus Civitatem vel extra
„ foderit vel palum fixerit, sequitur illum præpositus Regis
„ ubicunque abierit, & emendam accipiet ad opus Regis.

Pag. 32. col. 1. E.

P *Recepit Augustino ut ejusdem ordinis Viros, cujus & ipse noscitur esse*] Monachos nempe Benedictinos. G. Malmesburiensis in Ms Codice de Antiquitatibus Ecclesiæ Glastoniensis, ante Augustinum scribit Monachos Glastonienses „ Ecclesiæ (atque par est sanè credere etiam cæteros) more „ Ægyptiensium Monachorum viram degisse. Hinc (inquit, „ post adventum scilicet Augustini) in diversis locis ordi- „ nantur Sedes Episcopales, construuntur Monasteria secun- „ dùm B. Patris Benedicti regulam Deo militantia, ita ut „ posteà in gente Anglorum nulli reperiantur Monachi quin „ fuerint B Benedicti regulam professi. Inde his tempori- „ bus in Monasterio Glastoniensi cæpit primò eadem Regula „ exerceri quod priùs fuerat more Cœnobiorum Ægypti. Ms. Codicem pro insigni sua humanitate quam studia nostra optimè merentem perpetuò atque libentissimè agnoscunt, communicavit mecum olim V. Cl. atque omni eruditionis genere summoque judicio ornatissimus Thomas Allenus, Gloucestrensis sodalitii, atque celeberrimæ Academiæ Oxoniensis decus insignissimum. Sed minimè credi volunt nonnulli, Monachorum Ægyptiensium instituta (quæ pleno demensa horreo habentur apud Cassianum) in Occidente unquam esse recepta; qua de re consule, si placet, Henricum Vandenzypium part. 3. de Monastico Ordine S. Gregorii cap. 5. Atque fusius disputat ille in ejusdem libri part. 3. cap. 4. de Augustini nostri familia quam haud aliam fuisse, præter eam in qua sacratus erat S. Gregorius, est puto apud omnes in confesso. Etiam ipse Gregorius satis testatur lib. 7. epist. 114. ad Syagrium Episcopum Augustodunensem, ubi Augustinum quondam Monasterii mei præpositum vocat. At Equitianam non Benedictinam Gregorii familiam fuisse vult Baronius, atque is, ni fallor, hoc primus voluit & receptissimæ vetustatis sententiæ demum reluctari ausus est, ductus nimirùm conjecturis nec sanè contemnendis nec magni sanè ponderis videlis Annalium tom. 8. sub anno DXCVI, & quæ in eum scripsit Vandenzypius locis jam dictis. Fateor, apud veteres rerum nostratium consarcinatores minimè disertis (si benè memini verbis alicubi doceri Augustinum ex Sodalitio fuisse Benedictino. Sed præcisè Monachum duntaxat vocari sæpiùs. Et Augustinum & alios plures cum eo Monachos legimus apud Bedam quem plerique sequuntur. In veteri item Chronico Saxonico Ms. sub Anno DXCVI. Her Gregorius Papa sende to Britene Agustinum mid wel manegum Munecum tha godes word Anglatheode godspelledan, hoc est, *Hoc anno Gregorius Papa in Britanniam misit Augustinum Monachum cum quamplurimis Monachis, qui Anglicanæ genti verbum Dei prædicarent.* Neque aliter, ad hanc rem, mentionem ejusdem fieri apud veteres repetio. Sed interim, *Monachus*, nullius familiæ nota adjecta, de iis qui apud majores nostros eo nomine memorantur, dictum, semper (nisi memoria me fallat) *Benedictinum* interpretatur, uti apud Græcos ferè *Basilianum*. Accedit etiam Cœnobii S. Salvatoris Cantuariæ incolas Benedictinæ familiæ etiam ab ipsis incunabulis semper apud nos esse habitos; saltem nihil occurrere in vetustis quæ huic testimonio esse possunt monimentis quod alius cujuspiam familiæ nomen unquam aut induisse eos aut exuisse aut suadet aut omnino innuit. Et apprimè huc facit illud Bonifacii Pontificis Romani in literis suis ad Ethelbertum; „ Fili glorio- „ se, *inquit*, quod ab Apostolica Sede per Coepiscopum „ nostrum Mellitum postulastis, libenti animo concedimus, „ id est, ut vestra benignitas in Monasterio in Dorober- „ nensi Civitate constituto, quod Sanctus Doctor vester „ Augustinus beatæ memoriæ Gregorii discipulus sancti Sal- „ vatoris nomini consecravit, cui ad præsens præesse dignos- „ citur dilectissimus frater noster Laurentius, licenter per „ omnia Monachorum regulariter viventium habitationem „ statuat, Apostolicæ auctoritate decernentes, ut ipsi vestri „ prædicatores Monachi Monachorum gregem sibi associent, „ & eorum vitam sanctitatum moribus exornent. Quæ nos- „ tra decreta, si quis successorum vestrorum, sive Regum, „ sive Episcoporum, Clericorum, sive Laicorum irrita fa- „ cere tentaverit, à principe Apostolorum Petro, & à cunctis „ successoribus suis anathematis vocabulo subjaceat, quoad „ usque quod temerario ausu peregit, Domino placita sa- „ tisfactione pœniteat, & hujus inquietudinis veram emen- „ dationem faciat. " Aut igitur prima, cujus auctor Augustinus, institutione sodalitium hujus Cœnobii erat Equitianum aut Benedictinum. Neque enim dubitatur à Baronio quin & Augustinus & Gregorius Equitiani essent, si non Benedictini. Si primò Equitianum fuisset, necessum planè erat ut novatio ejusmodi postmodùm accederet quæ in Benedictinum transmutaret. At non modò nihil ejusmodi reperitur, sed in ipsis etiam incunabilis, à jam dicto Bonifacio sancitur ut Monachi (sic ante legitur) qui ibi erant ab Augustino instituti Monachorum sibi gregem associarent & eorum vitam sanctitatum moribus exornarent, & ne quis omnino sancito illi adversaretur, gravissima cautum est interminatione, ac si jussisset omnes ejusdem familiæ, ejusdem sodalitii, quo primùm fuerant instituti, & nomen & mores perpetuò ibi servare. Neque sanè, nisi merè ficlis habenda sit fides, aut Novationis hujusmodi aut Nominis aut Normæ Transmutationis vestigium aliquod erat. Qua de re diligenter etiam consului tabulas jam dicti Cœnobii, ubi quamplurima eaque vetustissima Pontificum instrumenta, quibus munitum est, comperio, hujusmodi verò transmutationis neque volam comperio neque vestigium. Et videsis Ordericum Vitalem Histor. Ecclesiastic. lib. 4. pag. 516. & 517. At verò si primis initiis Benedictinum esset Cœnobium illud, eadem ipsa argumentandi ratio qua in conjecturis suis de Gregorio usus est Baronius, Augustinum Benedictinæ familiæ fuisse demonstraret. Neque enim dubitat ipse quin ejusmodi fuerit Antistes quales ipsi sodales ab Antistite adsciti. Sed porro viderint hic quorum interest.

Pag. 33. col. 1. A.

C *Hrisma tamen à vobis accipiant.*] Extat eadem ipsa Epistola in Codice Ms. Epistolarum Lanfranci, neque ab hac omnino discrepat præterquam quòd *tantum* non *tamen*, in ea legatur.

Pag 34. col. 1. A.

T *Otius Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ, necnon adjacentium Insularum Matrem.*] Hùc spectant Epistolæ binæ in Ms. Lanfranci Epistolarum Codice repertæ, quarum altera est Thomæ Eboracensis Antistitis ad Lanfrancum, altera Lanfranci ad Wigornientem & Cestrensem Episcopos. Utraque vero agit de electo Orcadum Episcopo solennibus sacris in dignitatem evehendo, Radulpho nempe, cujus nomen quod in jam dictis literis minimè occurrit, edisscimus ex Thoma Stubbæo, veteri Archiepiscoporum Eboracensium vitarum scriptore, nondum edito.

Thomæ Archiepiscopi Eboracensis ad Lanfrancum Cantuariensium Antistitem Epistola, de Radulpho Orcadum Episcopo sacrando.

Piissimo & Sanctissimo Cantuariorum Archiepiscopo, totiusque Britanniæ summo Pastori, Lanfranco, Thomas fidelis suus, &c.

N Isi præsumptuosum sanctitati tuæ videantur, Eboracensis Ecclesiæ Archiepiscopus, Cœli portas, Petri vice, justis & injustis justè aperire & claudere. Ecce Pater Sanctissime, filius tuus ad te clamat, sed magis filia, Eboracensis videlicet Ecclesia, ad eam cui dispositione divina præsides Ecclesiam, tanquam ad maternum recurrens sinum, piè postulat, ut ex abundantia maternarum deliciarum, reparetur inopia suarum se deferentium, immò longè & inter barbaras nationes positarum, matrum. Siquidem venit ad Nos quidam Clericus, quem misit Paulus * Comes, cum literis sigillatis, de Orchadum partibus, significans in eis Episcopatum suæ terræ eidem Clerico se concessisse. At ille, Antecessorum suorum ordine custodito, postulat à nobis Episcopum se consecrari. Cui quod justè petit injustè denegare non possumus. Precamur ergo ut nobis duos Episcopos dirigat Paternitas vestra, quorum fulti orationibus & auxilio, tantæ rei Sacramentum Canonicè compleamus. Illa autem procul arceatur suspicio quam nupertime nobis noster & frater & Coepiscopus subintulit Remigius, me scilicet in posterum quæsiturum Dorcacestrensis vel Wigornensis Episcopi hac de causa subjectionem. Dico enim coram Deo me nunquam hoc facturum. Si placet igitur sanctitati vestræ, ut juxta petitionem vestram nobis facere dignemini, locum Eboracum, tempus quinto Nonas Martias nobis immutabiliter constituimus, & vobis significamus. Ergo vivas & valeas, & spiritualibus incrementis usquequaque proficias.

Ad Episcopos Cestrensem & Wigornensem scribit Lanfrancus, ut Radulphi Antistitis Orcadum sacrandi muneri interfint.

Lanfrancus, gratia Dei, Sanctæ Dorobernensis Ecclesiæ Archiepiscopus, venerabilibus Fratribus Wlfstano Wigornensi, & Petro Cestrensi Episcopis: salutem.

I Nsinuavit nobis venerabilis Frater Thomas Eboracensis Archiepiscopus advenisse de Orchadum Insulis ad se quendam

* *Videsis G. Malmesbur. de Gestis Regum lib. 3. fol. 91. in. 27. Edit. Londin.*

quendam Clericum, quem in Episcopatu ipsius terræ, præ- A cipiente & insinuante Paulo Comite, testatur esse electum. Et quia, ex antiquo more, sui juris est præfatarum Insularum præsules consecrare petit à me ut mittam sibi de nostris suffraganeis duos qui tantæ rei Sacramentum cum eo valeant celebrare. Rogantes itaque præcipimus & præcipientes rogamus quatenùs, omni excusatione sumniota, illuc eatis, & ex nostro præcepto secum quod justum est in tantæ rei mysterio compleatis. Non enim decet ut qui sacrandus in hanc terram venit, & cum omni humilitate sacrari se postulat, inopia adjutorum à tanto regno non sacratus abscedat. Terminum hujus consecrationis lator vobis præsentium indicabit; & ne fortè solliciti sitis putantes quòd vel ipse vel successores ejus hac occasione super Ecclesias vestras jus prælationis quandoque conentur arripere, literas quas ipse mihi transmisit fraternitati vestræ, sollicitudinem de futuro gerens, curavi transmittere. Quas & has quas vobis transmitto, archivis Ecclesiarum vestratum ob memoriam B futurorum servatum iri præcipio.

De prisco etiam Cantuariensium antistitum jure in Hibernia, nondum scilicet Imperio Anglicano adjectâ, luculenta sunt testimonia Epistolæ illæ Lanfranci ad Gothricum & Terdelvacum Hiberniæ Reges quæ habentur integræ in dicto ejusce Epistolarum libro, & apud Baronium sub anno M. LXXXIX. tom. 11. publici juris primò factæ sunt. Alia item occurrunt apud Eadmerum quæ hanc rem pleniùs explicant. Vide eum pag. 46 & 97. & seqq. præter S. Bernardum in vita Malachiæ. In Mathildæ porrò Reginæ literarum ad Anselmum inscriptione, salutatur Anselmus, *Prima Sedis Archiepiscopus, Hibernorum omniumque Septentrionalium Insularum quæ Orchades dicuntur. Primas*, uti habetur in Anselmi lib. 3. Epist. 55. De Hibernia verò, ad hanc rem, videsis Camdeni Britanniam pag. 715. & 765. De Scotia, consule, si plura velis, eundem pag. 701. & Polydorum hist. Anglic. lib. 24. in Edwardo quarto, anno M. CDLXXI. præter Rogerum Hovedenum sub annis 1180. & 1191. cujus verba ferè transcribit Baronius tom. 12. in eisdem annis.

C

Pag. 36. col. 2. B.

In Alodium &c. transirent.] In Alodium transire illo ævo dicebatur etiam *ex solido concedi*. Guilliel. Malmesburiensis lib. 1. de gestis Pontificum, verba faciens de Rufi munificentia in Anselmum, *Urbem*, inquit, *Cantuaria quàm Archiepiscopus Lanfrancus habuerat ex beneficio, isti concessit ex solido.* Idem penè habetur ex Tabulariis Monasterii S. Augustini apud V. C. Guillielmum Candenum in Cantio pag. 418. Sæpiùs occurrit *Alodium & tenere in alodium* in centualibus Guillielmi primi tabulis. In Censu agri *Hantoniensi: Roncelle tenet Rex, Ulfet tenuit de Tosti Comite, sed non fuit Alodium.* Ibidem etiam; *Warochselle tenet Rex. Gueda Comitissa tenuit de Godwino Comite in Alodium; tunc geldavit pro v. Hidis, modo pro ij. Hidis & dimidia. Terra est. x. carucarum.* In *Cantia censu, in Bevindene mansit Godricus & tenet xx. acras in Alodio suo.* Et *in Sussexia, Cesingley Almar tenuit de Rege Edwardo, sicut Alodium.* unde etiam *Alodiarii & Alodarii*, clientelari hoc jure fundos, *Alodia* dictos, possidentes nuncupantur. In Sussexiæ Censu, *Lanscuvite Godwinum tenet de Comite de Dou, & de eo vij. Alodarii.* Et *quando moritur Alodiarius* (ut legitur in Cantiæ censu) *Rex inde habet relevationem terræ, excepta terra Sanctæ Trinitatis.* Et in censu Hantoniensis provinciæ; „ Hugo „ de Port tenet Cerdeford, & Willielmus de eo. Duo liberi „ homines in Alodium tenuerunt p.o ij. Maneriis de Rege „ Edwardo, tunc & modò geldabat pro v. Hidis. Terra est „ iv. carucararum. In Dominio sunt ij. carucatæ & xx. Bor- „ darii & iv. servi cum I. carucata & quater xx. acræ prati. „ T. R. E & modò valet iv. libr. cum recep. C. sol. Iisdem „ Willielmus tenet de Hugone unam virgatam & dimidium „ in Clarunges, duo liberi homines tenuerunt de Alwino, sed „ non fuit Alodium Ibi ij. Bordarii & vj. Acræ prati. valuit „ x. sol. modò viij. solid. In isto Hundredo & in isto Mane- „ rio tenet Picot ii. Virgatas & dimidium de Rege. Phitelet „ tenuit in Alodio de Rege Edwardo pro Manerio, tunc & „ modo geldabat pro ij. Virgatis & dimidio. Terra est di- „ midium carucatæ & ibi est cum uno Villano & ij. Bordariis „ & x acris prati. Istam terram calumniatur Willelmus de „ Chernet, dicens pertinere ad Manerium de Cerdeford feu- „ dum Hugonis de Port, per hæreditatem sui Antecessoris, & „ de hoc suum testimonium adduxit de melioribus & antiquis „ hominibus totius comitatus & Hundredi, & Picot contra- „ duxit suum testimonium de Villani & vili plebe & de præ- „ positis qui volunt defendere per Sacramentum aut per „ Dei judicium, quod ille qui tenuit Terram liber homo fuit „ & potuit ire cum terra sua quo voluit. Sed testes Willielmi nolunt accipere legem nisi Regis Edwardi usque dum diffinitur per Regem. Valuit xv. solid. & post viij. solid. „ modo x. solidis.] Hujusmodi sunt alia. Qualenam ve- tò Alodii jus apud majores nostros ævo isto, in usu fuerit, incertum est. Quid aliæ gentes, maximè Germani, Franci & Itali hoc nomine intellexerint, scire licet ex Cujacii præfatione ad lib. 1. de Feudis & ad lib 2. tit. 17. præter Hotomani verba Feudalia, & quæ sunt id genus cætera apud Jurisconsultos vulgarissima. Frequentiam porro vocabuli diligentissimè ex veteribus notatam habemus apud doctissimum virum Fredericum Lundebrogium in Glossario suo ad codicem legum antiquarum, in verbo *Alode*. Jurisconsultis autem cæteris à Beneficio seu Feudo ita plerunque distinguitur, ut, cum Beneficia solennibus sive ex lege, sive ex pacto præstationibus & conditionibus sint obnoxia, *Alodia*, velut κτήματα ἰδιωτικὰ (ita Græcorum alicui ea dici memini) sive agri proprium duntaxat possidentium jus agnoscentes omni ejusmodi fidei quæ juramento præstito fieri solet professione, omni undiquaque servitio habeantur liberrima. Atqui in nostratis juris quo utimur commentariis nihil omninò habemus in qua hujus Domini Formulæ vestigium est, extra unicam fortè eam quam Frankalmoigne seu *liberam eleemosynam* vocitamus, quæ ad ordinem sacrum tantummodò spectat, & neque censum neque fidei quam diximus professionem, sed precum solummodò in Patronorum seu Dominorum salutem effundendarum officium à clientibus exigit, ita tamen ut civili Foro cliens de ea restisti non possit. In cæteris formulis, quotquot apud nos aut etiamnum extant integræ aut vestigia sua reliquere, solennis fidei professio, sacramento firmata, jure exigitur, atque adeo ut ad unum omnes apud nos glebæ, veluti Beneficia seu Feuda, clientelam alicujus Domini meritò ac planissimè aut agnoscant aut agnoscere debeant. Cæterùm ad vetustum Archiepiscoporum in Cantuaria jus quod hoc loco memoratur spectat etiam forsan priscum numisma cujus pars altera Plegmundi Archiepiscopi, altera Eicmundi Cusoris nomine ad hunc modum signata est. Prototypum servatur in thesauro Cottoniano, ubi etiam nummum Celnothi Archiepiscopi & nomen & imaginem præ se ferentem, me vidisse memini. Et pecuniæ cudendæ jus, quod majestatis meritò censetur, Archiepiscopo ut Urbis Domino tunc temporis (ita videtur) competebat; uti forsan aliis oppidorum celebriorum, quæ *Burgos* vocamus, aut civitatum sive Dominis sive Decurionibus. Atque eo ævo, non solùm (quod opinor) gaudebat jure cudendæ, quilibet ejusmodi Dominus, verùm etiam, pro suo arbitratu, nomine suopte sive effigie eam signabat. Postea verò (nam Celnothus sub Ethelwlfo Rege, & Plegmundus sub Alvredo floruit) cautum est, regnante Athelstano, ut unum duntaxat per imperium Anglicanum atque idem esset ubique pecuniæ genus, quo abrogatum puto pristinum ac promiscuum illum signandi morem, neque ullum postmodùm sine Principis effigie aut nomine nummum percussum; adjecto interdum sive Comitis Provincialis, sive urbis aut oppidi Domini, sive Cusoris etiam nomine. Athelstani autem lex ita se habet cap. 14. we cwæthon that an mynet sy oler ealle thæs Cynges anwealde and nan man ne mynetige butan port; hoc est, *Jubemus, unum per totum Regis imperium ferè Nummi genus; neque quis illud extra oppidum cudat.* Atque ex ejusdem legibus porrò docemur Cantuariæ plures fuisse ex instituto, monetæ Cusores quàm alibi in Anglia, urbe duntaxat Londinensi excepta ubi VIII. Cantuariæ verò VII. quorum Regii erant quatuor, bini autem Archiepiscopo inserviebant, & unus Cœnobiarchæ. Videsis etiam Edgari leg. cap. 8. & Canuti cap. 8.

Hoc Numisma reperies in fine harum Notarum Seldeni, pag. 134.

D

Pag. 52. col. 2. C.

Quod cervos Regis ceperint..... Ad judicium rapti judicantur.] *Venationes* (scribit G. Malmesburiensis de Guillelmo II.) *quas primò indulserat, adeo prohibuit, ut capitale esset supplicium, prendisse Cervum.* Atque hoc potissimum respexisse autumo Johannem Sarisburiensem lib. 1. de Nugis Curialium cap. 4. ubi de Venatione locutus, „ In E cantem, *inquit*, quidam hujus vanitatis instinctu erupêre „ væsaniam, ut hostes naturæ fierent, conditionis suæ im- „ memores, divini judicii contemptores, dùm in vindictam „ ferarum, imaginem Dei exquisitis suppliciis subjugarent. „ Nec veriti sunt hominem pro bestiola perdere, quem uni- „ genitus Dei redemit sanguine suo. „

Ibidem.

Examine igniti ferri.] Id genus criminis apud majores nostros purgandi reperitur, cùm in notissimæ Emmæ, Edwardi Confessoris Regis Matris, læsæ cum Alduino Antistite Wintoniensi pudicitiæ, insimulatæ judicio, tum in veterum Angliæ Regum, uti Athelstani, Canuti, Guillielmi I. atque aliorum insequentium sanctis. Ritus autem solennes in eodem adhibitos ediscas licet ex verborum explicatione Guilielmi Lambardi Archaonomiæ suæ præfixa, vitâ Roberti Gemeticensis Archiepiscopi Cantua-

tiensis in Antiquitatibus Ecclesiæ Britannicæ præter Gloſſarium Petri Pithœi Capitularibus Caroloms & Ludovicianis inſerviens. Neque duntaxat Ferro Ignito, ſed etiam Aqua nunc Fervente nunc Frigida, judicia publica exercebantur. Id tum locis quos diximus conſtat, tum apud Auctorem libelli quem Ranulpho Clanvillæ (neſcio an rectè) vulgò tribuimus, manifeſtum eſt. Vide dicti libelli lib. 14 cap. 1. Rogerum Hovedenum Annalium part. 1. in ann. M. CLXXVI. & ſequente pag. 547. & 566. editionis Francofurtanæ, Henricum item Bractonium lib. 3. de Corona cap. 16. §. 3. Quæ ad ejuſmodi apud alias gentes morem pertinent, conſultò prætermittimus. Duravit autem in Anglia horum examinum uſus utque in Henrici III. tempora cùm tam lege latâ quàm deſuetudine, idque ob reverentiam Juris Pontificii quo diu antèà prohibitus erat, prorsùs evanuit. Neque enim aliud ſive in Tabulariis Regiis ſive alibi repertum puto de hac re, apud majores noſtros ſancitum, præter illud unicum quod in publicis anni tertii Henrici III. Tabulis habemus, ubi provincialibus aliquot Judicibus datur in mandatis, ut ea, quæ inſtabat, judicii vice ab hoc examinis genere, utpote à Pontificiis damnato, abſtinerent; quod tam certum eſt legis perpetuæ rum non obtinuiſſe, quàm ipſum judicii ritum poſtmodùm citò in deſuetudinem abiiſſe. Regium autem quas intelligimus mandatum ita ſe habet in Pat. 3. Hen. 3. membrana 5. unde fideliter deſcripſimus.

Rex Dilectis & Fidelibus ſuis Philippo de Uletot, & Sociis ſuis itinerantibus in Comitatibus Cumberland, Weſtmerland, & Lantaſter: ſalutem.

QUia dubitatum fuit & non determinatum ante inceptionem itineris veſtri quo judicio deducendi ſint illi qui rectati ſunt de Latrocinio, Murdro, Incendio & his ſimilibus, cùm prohibitum ſit per Eccleſiam Romanam Judicium Ignis & Aquæ; Proviſum eſt à Conſilio noſtro ad præſens, ut in hoc itinere veſtro ſic fiat de Rectatis de hujuſmodi exceſſibus, videlicet quòd illi qui rectati ſunt de criminibus prædictis majoribus, & de his habeatur ſuſpicio quòd culpabiles ſint de eo unde rectati ſunt (de quibus & licet Regnum noſtrum abjurarent, adhuc ſuſpicio eſſet quod poſtea malefacerent) teneantur in priſona noſtra & ſalvo cuſtodiantur, ita quòd non incurrant periculum vitæ vel membrorum occaſione priſonæ noſtræ. Illi verò qui mediis criminibus rectati fuerint & quibus compereret judicium Ignis vel Aquæ, ſi non eſſet prohibitum, & de quibus ſi regnum noſtrum abjurarent nulla fuerit poſteà malefaciendi ſuſpicio, Regnum noſtrum abjurent. Illi verò qui minoribus rectati ſunt criminibus nec de eis fuerit mali ſuſpicio, ſalvos & ſecuros plegios inveniant de fidelitate & pace noſtra conſervanda, & ſic dimittentur in terra noſtra. Cùm igitur nihil certius in hac parte proviſerit Conſilium noſtrum ad præſens, relinquimus diſcretioni veſtræ hunc ordinem prædictum obſervandum in hoc itinere veſtro, ut qui perſonas hominum, formam delicti, & ipſarum rerum veritatem melùs cognoſcere poteritis, hoc ordine ſecundùm diſcretiones & conſcientias veſtras in hujuſmodi procedatis. Et in hujus rei teſtimonium &c. Teſte Domino P. Wintonienſi Epiſcopo apud Weſtmonaſterium XXVI die Januarii anno regni noſtri III. Per eundem & H. de Burgo Juſticiarium.

Eadem formula memoratur in Archivo ſcriptum eſſe ad alios nonnullos Provinciarum Judices, Somerſetiæ nempe, Dorſetiæ, Cantiæ, Effexiæ & Hereſordiæ. Cæteros etiam, qui provinciis tunc temporis Judices præfuere, veri eſt ſimile ejuſmodi mandata accepiſſe. Animadvertendum verò interea eſt diù ante Henrici III. initia, examina ejuſmodi jure Pontificio vetita eſſe. Annus enim Henrici tertius erat M. CCXIX. ſalutis humanæ. Atqui ea, non ſolùm in Epiſtola Alexandri II. ad Raynaldum Cumanum Epiſcopum (ante Henrici nempe ævum, annis centum ſupra quinquaginta & amplius conſcripta) velut illicita damnantur, ſed ipſiſſima quæ hanc rem ipectabant epiſtolæ verba in Corpore Canonum Pontificii Juriſconſulris tunc temporis triſſimo, utpote auctoritate clariſſimo (quod ſcilicet Gratiani operæ acceptum ferimus) locum ſortita fuerant. Vide, ſi placet, Cauſ. 2. quæſt. 5 cap. 7. §. *Purgationem*, & Ivonem part. 10. cap. 15. & extr. tit. de Purgatione vulgari cap. 1. Dilecti. Hæc uti alia etiam quæ fuere in judiciis exercendis examinum genera nominabant antiquitus Ordallum, ſeu Ordalia, ut forma latina vocabant, quod nihil aliud eſt præter Judicia. Inde etiam hodie Alemannis & Belgis (quorum idioma optimus eſt, in compluribus veteris noſtri ſermonis interpres) Urthey) & Dordeel Judicia ſonant, & Urtheylen & Dordeelen *Judicare*, uti etiam Urthevler & Dordeelet *Juſticiarum*. Id verò diſertè aſſerituc in Canonibus Synodi Eanhamenſis ſub Ethelredo Regi habitæ „ Judicium (ita in „ *Canonibus ipſis*) quod Anglicè Ordal dicitur, & juramenta vulgaria feſtivis temporibus & legitimis Jejuniis, ſed & ab Adventu Domini uſque poſt Octavas Epiphaniæ, & à Septuageſima uſque xv dies poſt Paſcha minimè exerceantur. Dictæ Synodi Canones literis mandavit Wiſtanus Pontifex Eboracenſis, qui ſub Ethelredo, cum Ælphego Cantuariente Antiſtite, præfuit. Etiamnum integri leguntur in Codice Ms. perquam vetuſto & eleganti ejuſce ævi charactere, exarato.

Pag. 53. *col.* 1. *D. E.*

QUiddam de Epiſtola ſibi oblata ab Anſelmo &c. edita & directa.] Extat Epiſtola illa in tom. 3. Operum Anſelmi. Quæ ſequuntur autem hoc de Concilio Barenſi pleraque omninò hactenùs deſiderata erant. Atqui non contemnenda acceſſio inde fieri poteſt diligentiſſimo doctiſſimoque Binio qui de hujuſce actis nihil reperiſſe ſe fatetur præter ea quæ Eadmerus obiter in Anſelmi vita, & Malmeſburienſis in primo de geſtis Pontificum meminere. Idem dicendum de Concilio Romano II. ſub Urbano habito, de quo hic noſter pag. 53. 54. & 55. Vide Binium in Concil. tom. 3. part 2 pag. 421. & 422. Opus autem illud de Proceſſione Spiritus Sancti habetur in Anſelmi Operum part. 1. fol. 49.

Pag. 55. *col.* 1. *C.*

IN corona fodes illi poſita eſt, qui locum non obſcuri honoris.] Gervaſius Dorobernenſis Ms. in declamatione contra Robertum Abbatem S. Auguſtini (quam imaginationem, ut id genus alias, vocat) *Anſelmum*, inquit, *in Cantuarienſi Civitate conſecratum, ab Urbano Papa Pallium ſuſcepit, & tantam ejus gratiam habuit, ut eum Alterius Orbis Papam vocaret, & in Angliam reverſo Pallium Eboracenſi Archiepiſcopo deferendum mitteret.* Ita ille. Qui tanto nomine dignus erat, loco etiam honoratiſſimo meritò collocandum cenſuit. Vide porro V. C. Guil. Camdeni Britanniæ pag. 239.

Pag 56. *col.* 1. *D.*

QUa ſagitta utrum jacta ipſum percuſſerit.] Veterum plerique traditque transfoſſum fuiſſe Regem ſagittâ, quam in ferarum vivario, quod Novam Foreſtam dicimus, jactu infœlici collimarat Gualterus Tyrellus Gallus. Idque eſt receptiſſimum. At Sugerius, qui huic Regi coætaneus & Tyrello familiaritate, ut videtur, conjunctus, de morte ejus verba faciens, „ Imponebatur, *inquit*, à quibuldam cuidam Nobili Gualtero Tyrello quod eum ſagitta perfoderat, quem, cùm nec timeret nec ſperaret, jurejurando ſæpiùs audivimus quaſi Sacroſanctum aſſerere quòd ea die nec in eam partem ſylvæ in qua Rex venabatur venerit, nec eum in ſylva omninò viderit. Legimus in vita Ludovici Craſſi Regis Galliarum. " Sed accuratiùs multò quàm cæteri, ſingularia omnia, quæ miſeram Regis cædem & Tyrelli factum fatalem attinent, narrat Ordericus Vitalis in Hiſt. Eccleſiaſticæ lib. 10. pag. 783.

Pag. 61. *col.* 1 *B.*

ET apud Alexandrum Papam Privilegium ipſi Abbatiæ adquiſierat.] Privilegii hujus, Anno ſalutis M LXXI. indulti, exemplar habemus inter alia Pontificia diplomata ante CCCC. annos deſcripta in Schedis Cottonianis. Neque ſanè illo ævo apud majores noſtros ejuſmodi privilegiorum Romæ impetrandorum mos adeo inoleverat, quin operæ pretium fuerit iſtud ſubjungere, ut ipſa ſaltem, utpote tunc temporis in Anglia non minùs rara quàm impenſoſa, formula innoteſcat.

Alexander Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Dilecto in Chriſto filio Baldegwino, Abbati Monaſterii S. Edmundi, * quod *Badrices hurde* nuncupatur in Anglia conſtituti, ejuſque ſucceſſoribus in perpetuum. * *Vide ſis Camdenum in ſuo, pag.* 534.

QUanquam Sedes Apoſtolica univerſalis Mater & omnium Eccleſiarum Princeps univerſas Eccleſias communi Jure & diſpoſitione contineat, pleræque tamen inveniuntur quæ in ſingulare patrocinium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ commendari, ac proprie ejus Juri applicari ac ſummitti cupiunt, quatenùs ſingulari providentia & caritate ſuæ matris amplexæ, uſquequaque liberiores & munitiores exiſtant, & ad exercenda divinæ ſervitutis obſequia, inde tranquillitatis & præſidii muniriones accipiant, unde magiſterium ſacræ traditionis expectant. Si igitur in ea-

Digitized by Google

dem Apostolica Sede præsidenti, hæc sollicitudo & cura singularis incumbit, ut ex ipsa consideratione regiminis omnibus tam in defensione & corroboratione diligentiam, quam in spirituali speculatione & doctrina vigilantiam, quantum Deo auxiliante prævalet, circumferre debeat; valde congruit ut si quando ea quæ ad honorem & utilitatem Ecclesiarum Dei pertinent ab eo postulantur, benivola donatione concedat, & ad sinum matris, id est, sanctæ Romanæ Ecclesiæ domicilium propriæ commendationis devotione fluentes egregia benignitate effectuque custodiendi suscipiat. Nos itaque, dilectissime fili Baldowine, in Apostolatus administratione non nostris meritis, sed divina locati gratia æquitatem tuæ postulationis & commissæ tibi Congregationis, necnon charissimi filii nostri Wilhelmi Regis benignæ interpellationis vota attendentes, videlicet ut prædictum Monasterium sancti Edmundi, quod divina dispositione præesse dinosceris, in tutelam & defensionem sanctæ Romanæ Ecclesiæ susciperemus, ejusque statum & attinentia bona Apostolici privilegii firmamento muniremus, cum omni benevolentia & charitate vobis concedendum esse pervidimus. Quapropter in hac præsenti sanctionis nostræ pagina, salvâ quidem in omnibus hujus Sedis reverentia, concedimus & confirmamus tibi tuisque successoribus præfatum Monasterium cum omnibus quæ nunc sibi jure pertinent, aut in futurum Deo annuente ibi conferenda sunt, ut sine omni molestia & inquietudine illud in vestra gubernatione teneatis; statuentes & Apostolica auctoritate corroborantes ut idem Monasterium in hoc statu & Monastico ordine perpetua stabilitate permaneat, nec aliqua potestas Sæcularis aut Ecclesiastica eundem venerabilem locum ad Episcopalem Sedem mutare possit aut debeat, & quæcunque donationes rerum aut libertatis eidem Monasterio Regiis scriptis & præceptis traditæ sunt aut in posterum pro Dei nomine conferendæ, ex nostra Apostolica confirmatione ratæ illibatæque permaneant, salva Primatis Episcopi Canonica reverentia. Igitur ad honorem Dei & utilitatem prædicti Monasterii cupientes hanc nostram constitutionem sempiterna stabilitate teneri, sancimus & Apostolica auctoritate firmamus, ut nullus Rex, Dux, Comes, Episcopus, Abbas, seu aliqua persona sæcularis aut Ecclesiastica jam sæpe fatum Monasterium vel fratres ibi Deo servientes inquietare præsumat, nec aliquid eorum quæ nunc jure habet aut in futurum Deo concedente adquisierit, cujuscunque modi sint, ab eo alienare, aut invadendo diripere nec aliqua occasione vexare, aut sine licentia Abbatis tenere audeat. Si quis autem temerario ausu hæc nostra statuta contaminare præsumpserit, aut infringere, anathematis laqueo se innodatum & judicio superni Judicis plectendum esse cognoscat. Qui verò piæ devotionis intuitu, hujus nostræ sanctionis custos & observator extiterit, & bona sua ad amplificationem ejusdem Monasterii contulerit aut conferre studuerit, Apostolicæ benedictionis gratiam consequatur & æternæ retributionis gloria repleatur. Bene valete. Datum Laterani vj. Kalendas Novembris per manus Petri sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis ac Bibliothecarii anno 13 Pontificatus Domini Alexandri secundi Papæ, anno videlicet Dominicæ Incarnationis millesimo septuagesimo primo, indictione * vij.

Potius viij. nam 13 Indictio 13 Pontificatus numerus in Novembr. anni 1073. quadrat. Imperatoria autem Indictio tunc erat 12.

Pag. 56. Col. 1. A.

N*E Abbates faciant milites.*] Priscè enim ab insigniorum Ecclesiarum antistitibus, ritu solenni adhibito, Militiæ seu Equestris Ordinis dignitate tyrones donabantur. Codex vetustus de rebus ad Cœnobium Sancti Martini de Belo spectantibus, in tabulario Proventuum Regiorum quod *Augmentationum* dicimus; *Terras Censuales non donet* (Abbas) *ad Feudum. Nec Milites nisi in sacra veste faciat.* Vetus item Diploma Cœnobiarchæ Radingensi ab Henrico I. concessum & post à Johanne firmatum, *Terras Censuales non donet* (Abbas) *ad Feudum. Nec faciat Milites nisi in sacra veste Christi in qua parvulos suscipere modestè caveat. Maturos autem seu discretos * tam Clericos quam Laicos provide suscipiat.* Reperio in Part. 3. Hen. 4. part. 2. memb. 26. num. 10. & in publicorum judiciorum actis Trinit. 2. Ed. 3. Rot. 106. Berk. id ipsum occurrit. Qui diligentiùs de hac re consulere velit, adeat Ingulphum in Historia Crowlandensi, Johannem Salisburiensem de Nugis Curialium lib. 6. cap. 10. & 13. Petr. Blesensem Epist. 94. & superioris ævi ritus, in sacrandis creandorum Equitum armis, qui in ritualibus (quæ Pontificiis nostris in usu & Manualia dicta) atque ejusmodi aliis extant. Hæc enim omnia satis edocent in creandis Equitibus (non Balnei duntaxat, ut vocant, sed universis) Ordinis sacri viros in Ecclesiis solennem operam impendisse, quod inde fortè emanuit quòd, vetustiori sæculo, ipsius etiam dignitatis auctores haberentur. Nam & Archiepiscopum Cantuariensem Equitem creasse legimus; Lanfrancum scilicet Gulielmum secundum. Malmsburiensis Monachus, lib. 4. de gestis Regum, de Gulielmo; *accessit*, inquit, *favori ejus maximum rerum momentum Archiepiscopus Lanfrancus, eò quòd eum nutrierat, & Militem fecerat.* Quin de Brando Cœnobiarcha Edmundoburgensi & Hewardo adolescente strenuo, Ingulphus pag. 512. edit. Lond. *Patruum suum*, inquit, *Abbatem, Burgi, nomine Brandum virum valde religiosum adiit, & se fieri legitimum Militem, præmissâ primitus omnium peccatorum confessione & eorum percepta absolutione, instantissime supplicavit.* Videsis V. C. Guil. Camdeni Britanniam pag. 126.

Ad Militiam, armata dignitatem intendum etiam qui sacri erant Ordinis, transfugiebant, videsis Ataeb. Paris p. 12.. edit. Londinensis.

Ibidem C.

V*Elut bruta animalia venundari.*] Si de Servorum (quos *Villaines* phrasi Forensi dicimus) venditione non loquitur hic Canon, non omnino capio. Eorum enim uti aliarum quarumcunque rerum, quæ mancipi, Jure Cæsareo, vocatæ, dominium sive venditione sive donatione, & Saxonum tempore & Normannorum ritè transferebatur. Videsis Chirographum Thoroldi de Bukenhale apud Ingulphum in extremo. Neque sanè aut Canon hic aut alia apud nos lata Lex id juris hactenus adeo resolvit, quin in Jurisconsultorum nostratium Commentariis passim, legibus, quibus utimur, consonum agnoscatur. De servitutis jure, videsis quæ disputant Bodinus de Repub. lib. 1. cap. 5. & Albericus Gentilis de jure belli lib. 3. cap. 9.

Pag. 78. Col. 2. E.

A*Rchidiacones.*] Ita Ms. Codex. Atque *Archidiacones* * dixit puto ut alii *Hypodiacones*. Isidorus apud Gratianum dist. 21. cap. 1. Cleros. *Hypodiacones Græcè quos nos Subdianos dicimus.* Sic enim ibi legitur tametsi in Isidori Codice quo utimur, edito nempe à Bonaventura Vulcanio, *Hypodiaconi* habeatur, locus est in Originum lib. 7. cap. de Clericis. Cæterum frequens in vetustis Conciliis usus est vocabuli *Diacones* & eorum quæ inde formantur. Concil. Agathensis Canon 39. *Presbyteri, Diacones, Subdiacones, vel deinceps quibus ducendi uxores licentia non est, etiam alienarum nuptiarum evitent convivia.* Et Canon 49. *Diacones vel Presbyteri, &c.* Ej. Canon. 65. *Quoniam non oportet Diaconem sedere præsente Presbytero, &c.* Reperitur etiam Diacones in casu recto in Concilii Eliberitani Can. 18. Toletani 4. Can. 38. atque obiter apud Burchardum, Ivonem, Gratianum: neque plura adjicere exempla est operæ pretium. Inde recentiores Græci habent etiam διάκων pro διάκονος. Malaxus Peloponesius in historia Patriarcharum: Ἀρσένιος διάκων pro *Arsenio Diacono*; & posteà, ἐπὶ, ὅπως χεὶρ ἀρχιερεὺς ἐ τοῦ διάκων, &c. Neque etenim Diaconus in recto evitatur. Tam enim in dictis Conciliis auctoribusque Latinis quàm apud Malaxum, utrumque indiscriminatim usurpatur. Eadem analogia formabant Græci Πάτρων pro *Patrono*. Hesychius in Lexico: πάτρωνες οἱ πρῶτοι τῶν ἀξιωθέντων τῆς Ῥωμαίων πολιτείας ὑπὸ Ῥωμαίων οὕτως ἐκαλοῦντο. Theophilus Antecessor Instit. lib. 1. tit. 17. Ὁ Νόμος ὁ δωδεκάδελτος τὰς πάτρωνας καὶ τοὺς τῶν πατρώνων παῖδας ἐπὶ τὴν τῶν λιβερτίνων καλεῖ. *Lex xii. Tabularum Patronos atque Patronorum liberos ad eorum* (libertorum scilicet) *tutelam vocat.* Ita etiam frequentissimè legitur tum apud eundem Theophilum, tum apud Basilicorum auctorem lib. 49. tit. 1. & 2. ubi Ἀπελεύθερος, κατὰ τοῦ πάτρωνος ἀτιμωτικὴν ἀγωγὴν οὐ δύναται κινῆσαι, *Libertus scilicet contra patronum famosam actionem instituere non potest.* Harmenopulus atque alii Jurisconsulti Græci idem sæpissimè habent, & veteres Inscriptiones in Græcia τὸν πάτρωνα, pro *Patronum*, quod legimus apud Janum Gruterum pag. 395. num. 11. & 12.

Ivo Carnot. lib. 1. epist. De Archidiaconibus, &c. ita apud Rogerum Hovedenum part. 1. pag. 179. b

Pag. 79. Col. 1. A.

U*T quoniam ratio Christianitatis id utile fore suadebat.*] Christianitas & ea quæ ad Christianitatem pertinent passim apud Eadmerum atque alios illius ævi Scriptores. Functionem Episcopalem atque Fori sacri actionem & administrationem seu officium Episcopale, ut usitatius appellatur denotant. Pag. 35. col. 2. A. *videt omnem Christianitatem in Anglia ferè periisse.* Et pag. 42. col. 1. A. *omnem auctoritatem exercendæ Christianitatis illi adimere cupiebat.* Alia sunt ejusmodi, atque generali Christianorum nomine, in edictis Imperatorum veterum, Episcopos specialim designari volunt Jurisconsulti nonnulli ad l. 11. *Christianos C. de Episcopali audientia.* Hinc apud nos Fora sacra quibus, jure nempe communi subnixis, aut Episcopi præsunt, aut ii qui eo nomine Episcopos, utpote quos provocare licet, suspiciunt, *Curia Christianitatis* etiamnum vocitantur. Primò Christianitatis vocabulum, legem Christianam seu venerationem Christianam, & Christianum cultum generatim sonabat, uti videre est in C. tit. de Apostatis l. 4. & C. Theodos. tit. de Spectaculis l. 5. C. eod. tit. de Decurionibus l. 112. C. eod. tit. de Judæis, Cœlicolis lib. 19. alibi item. Sed posteà Functio atque Jurisdictio illa quæ in gerenda Christianæ reli-

gionis, seu Christianitatis aut politiæ Ecclesiasticæ cura potissimum exercentur, *Christianitas* etiam significantet dicta sunt; atque inde facta Fora, *Fora Christianitatis* vocitata.

Ibidem B.

Cujus cathedra Principatus poneretur in Abbatia de Heli.] De initio hujus Episcopatus Eliensis, fragmentum Manuscriptis ejusdem Ecclesiæ historiæ habetur; quo & consilia adhibita, & Regia & Pontificia de ea re diplomata commemorantur. Post mortem Richardi Abbatis (*ita historia illa*) mittitur à Rege ad Eliense Cœnobium Hervæus Brugorensis Episcopus à suo Episcopatu per violentiam ejectus, ut ibi de rebus Ecclesiæ ad tempus sustineretur donec * explenius deliberasset quid de eo esset faciendus. Est autem Pangor Monasterium in Wallis tot habitationibus plenum, ut sicut Beda refert, si in septem partes dividerentur, non minus quæque portio quam C C C. hominum haberet. Hic cum Episcopatu fungeretur Hervæus gentem efferam nimia austeritate tractabat. Videns tunc in moribus eorum perversitatem (quam nemo facilè posset tolerare, undique Episcopali timori nullam servabant reverentiam) gladium bis acutum ad eos domandos exeruit, nunc crebro anathemate nunc propinquorum & aliorum hominum eos coercens multitudine. Nunc minor fuit eorum contra eum rebellio. Tanto periculo ei insistebant ut fratrem ejus perimerent, simili modo eum perimere si possent in eum manus injicere. Exavit Episcopum ingruens infortunium, plurimique suorum interfectis aut gravitèr vulneratis, videns quod anima sua quæreretur, nec congruos haberet defensores, ad Reges Angliæ confugit patrocinium, utile sibi consecutus exilium. Rex autem ejus adventum ut famosi tunc temporis & religiosi Episcopi benignè suscipiens, ad Elyensem Ecclesiam destinarum procurationem inde accipere eum constituit. Ipse verò illuc veniens, gratia, conversatione, & mirabili prudentia omnium perè Monachorum sibi allegivit affectum, ut si fieri posset eum sibi Episcopum adoptarent. Quam * circa hic affectionem aspiciens cepit paulatim quibusdam circumlocutionibus loci utilitatem eis proponere, fratrum animos attemptare, & multa jocunda promittere, si Abbatiam in Episcopatum promovere & seipsum vellent in Episcopum suscipere, ad quod efficiendum, suum quoque eis promisit auxilium, dum tamen illi suum præberent assensum. Ipsis autem facilè ad eum conversis, ipse Regem adiit. Rex pauca conscripsit, Robertum Lincolniensem Episcopum ad colloquium invitavit, ut, quod ille locus in ejus Episcopatum videbatur, sine ejus contentione non fieret ista mutatio ne Diœcesis ejus pateretur injuriam, si inconsulto tuo Episcopo, alius in eum induceretur Episcopatus. Propterea opportuit ut futurus Episcopatus aliquam haberet Parochiam, quam sibi impertiit de Lincolniensi Ecclesia Canonica justitia cum æqua compensatione postulabat. Datum est itaque Manerium de Spaldwic Lincolniensi Ecclesiæ in jus perpetuum pro commutatione Episcopalis Curiæ super pagum Grantebregensem, & finito hoc inter Regem & Robertum Episcopum secreto negotio (Monachis omnino inconsultis, Ecclesiæ filiis & ignorantibus) Hervæus Episcopus cum litteris Regis ad confirmandum hoc propositum Romam destinatur. Quò veniens impetravit quæ petiit, ad Regem & Archiepiscopum & comprovinciales Episcopos, litteras Apostolicas super sua causa quales optabat reportans. Quarum tenarum hic subjicitur, nec otiosum est nec onerosum.

Verba sunt dubitanti quem defendamus, nisi certum quæ tota in hac historiola interseruntur

* Quod Hervæus à Domino Papa mandatum obtinuit ad Regem Henricum de promovendo Abbatiam de Ely in Episcopatum, & de constituendo cum illuc in Episcopum.

Paschalis Episcopus, Servus Servorum Dei, Dilecto in Christo filio Henrico glorioso Regi Anglorum: salutem, & Apostolicam benedictionem.

Omnipotenti Deo gratias agimus qui talem te Regem nostris temporibus constituit qui & terrenum regnum sapienter ad honorem Dei gubernas, & æternum Regis solicitudinem ante oculos mentis portas. Postulasti siquidem à nobis per litteras ut in loco, qui Ely dicitur, novus ex Apostolica auctoritate Episcopatus constituatur, quia Lincolniensem Episcopum tantæ magnitudinis esse dixisti, ut ad peragenda ea quæ Episcopalis sunt officii unus Episcopus nullatenus sufficere possit. Pro quo & devotionem tuæ voluntatis laudamus & dispositioni assensum præbemus, ita tamen ut in celebri loco constituatur, ne nomen Episcopi, quod absit, vilescat. Ad hoc enim Episcopus constituitur ut populum Dei & verbo doceat, & vita informet, & ad verum Pastorem Domini commissam sibi animarum lucra reportet. In his quoque de quibus rogasti, licet quædam ibi inordinata videantur, tuæ tamen voluntati resragari nequaquam valemus. Noviz præterea gloriæ vestræ, Dominum Hervæum Episcopum quem vita & scientia commendat non modica, nimia barbarorum ferocia & persecutione de sede sua expulsum, & multâ fidelium fratrumque suorum cæde fuisse fugatum. Cujus ut scientia fructum, qui non perit, afferre, & vita bonum valeat Dei populo exemplum præbere, volumus & rogamus ut si qua eum apud vos vacans Ecclesia vocaverit, ibi auctoritate Apostolica constituatur, ne infructuoso diù silentio torpeat qui vitæ cœlestis documenta in scientia & moribus portat. Omnipotens Deus Apostolorum suorum precibus & vos & prolem vestram custodiat, & cœlestè post terrenum vobis regnum concedat. Dat. XI. Kalend. Decembris.

Alias quoque literas misit Papa eidem Regi quarum hic textus est.

Quod auctoritate Apostolica Episcopatus in Ely constituitur.

Paschalis Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo, & cæteris comprovincialibus Episcopis: salutem, & Apostolicam benedictionem.

Inter cætera regna terrarum, ad Apostolicæ Sedis dilectionem atque obedientiam Anglorum regnum specialiter pertinere, Apostolicæ Sedis scripta & Anglicarum Historiarum series manifestabant. Quæ nimirùm causa sollicitudinem nostram propensiùs impellit illius regni Ecclesias familiarius confovere, & earum dispositionibus solliciùs invigilare. Lincolniensem itaque Episcopatum tam spaciosum ex filii nostri Regis vestrisque litteris agnovimus, ut ad ea quæ Episcopalis sunt officii peragenda, unus nullatenus sufficere possit Episcopus. Quapropter ex voluntate Lincolniensis Episcopi postulat à nobis idem carissimus filius noster & Christianissimus Rex Anglorum Henricus, quatenus in parte una Episcopatus ipsius, ex Apostolicæ Sedis permissione, novus Episcopatus constituatur, in loco videlicet qui Ely vocatus. Cujus nos petitionibus, quia religiosæ videbantur, assensum libenter præbuimus, & Episcopatum in loco præfato constituendi, ex Apostolica auctoritate licentiam damus, statuentes ut sedes Episcopalis in loco prædicto constituta omni deinceps tempore perseveret. Parochiam quoque quam vestra fraternitas, cum prædicto fratre Lincolniensi Episcopo & Regis providentia, eidem Episcopatui assignaverit, perpetuò possideat. Porro de Monasterio in quo sedes Episcopalis constituitur, Anglicorum Monasteriorum in quibus Episcopi constituti sunt, consuetudo servabitur. Hujus constitutionis conservatores Omnipotentis Dei & Apostolorum suorum benedictione perpetuò perfruantur. Amen.

His suæ Confirmationis Hervæus susceptis Epistolis, Angliam cum Apostolica benedictione properavit, Regem & Archiepiscopum adiit, literas eis ostendit, assensum eorum obtinuit, & in sequenti anno totum negotium consummavit, anno videlicet Dominicæ Incarnationis M. C. VIII. Pontificatus autem Domini Paschalis secundi Papæ anno X. Quo etiam anno Rex Henricus Abbatiam Eliensem ad Episcopalem mutavit sedem, & eundem Hervæum Pangorensem Episcopum eidem Ecclesiæ præfecit, confirmans eum sequentibus Cartis.

Carta Regis Henrici, quomodo Abbatiam de Ely in Episcopatum transmutavit.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus Sancti. Anno ab Incarnatione Domini M. C. VIII Indictione ::: Anno Pontificatus Domini Paschalis Papæ secundi decimo, Regni quoque mei similiter decimo, Ego Henricus providente divina clementia Rex Anglorum & Normannorum Dux, Willielmi Magni Regis filius qui Edwardo Regi hæreditario jure successit in regnum, videns & Ecclesiæ messem in regno meo multam esse & Agricolas quidem paucos & ob hoc plurimùm laborantes in messe, & in ipsa Lincolniensem Ecclesiam multa plebe fœcundam, ex auctoritate & consilio prædicti Papæ Paschalis, & assensu simul & prece Roberti Lincolniensis Episcopi qui tunc Ecclesiæ prædictæ præfidebat, & totius Capituli sui eum ipso annuente Domino Anselmo beatæ memoriæ Cantuariensi Archiepiscopo, & universis Episcopis & Abbatibus totius Angliæ, sed & omnibus Ducibus, Comitibus & Principibus regni mei, Elyense Monasterium in quo quidem usque in tempora mea Abbates fuerant cum Cantebrigensi Provincia quantum videlicet ad jus Lincolniensis Ecclesiæ pertinebat, cum duabus Abbatiis Thor-

„ neis videlicet & *Charterich*, in Episcopalem sedem sicut & „ cæteros Episcopatus regni mei liberam & absolutam perti- „ nere statuo & confirmo, & pro subjectione & omnibus E- „ piscopalibus consuetudinibus ad supradictam Ecclesiam Lin- „ colniensem pertinentibus *absolvendum, consilio & assensu „ prædicto Papæ Paschalis de beneficiis ejusdem Monasterii „ Villam nomine *Spaldewic* cum omnibus appenditiis suis „ quæ in territorio *Huntendone* sita est, cum omnibus con- „ suetudinibus ad Villam prædictam pertinentibus, supradictæ „ Lincolniensi Ecclesiæ & Roberto ejusdem Sedis Episcopo „ & successoribus, sicut eam unquam Elyense Monasterium „ liberius & quietius tenuit, pure perpetuo tradidi possidendam. „ Primum siquidem Londonis apud Westmonasterium in so- „ lemnitate Pentecostes, de manu ejusdem in præsentia mea co- „ ram sanctæ memoriæ Anselmo Archiepiscopo & universis „ Episcopis & Abbatibus & Proceribus regni mei tractatum „ est, & eorum omnium communis assensus est favorabiliter „ consecutus. Post mortem prædicti Pontificis Anselmi, ex „ auctoritate Domini Papæ Paschalis, sicut jam supradictum „ est, in Concilio apud Castrum *Retingham* habito in die „ translationis beatæ Etheldredæ Virginis Sedis ejusdem, scri- „ bi iter per misericordiam Dei terminandum est & definitum „ ix. Kalend. Novembris.

Historiolam hanc in Exemplaribus binis legi, quæ eadem fermè cuncta sunt, utraque ante annos amplius trecentos exarata. Sed alicui fortasse suspectæ merito videantur. Neque enim Fozensis, qui eo ævo in usu, stylo characterem habet Henrici Regis Diploma, utpotè quod ab instituta omnino verborum, nescio qua pompa in Pontificis Romani honorem confarcinata; auspicatur & Duces veluti nomen honorarium, idque à Comitibus plurimùm distinctum, memoriæ, cùm certissimum sit neminem, post Guilelmi I. tempora usque ad Edwardum tertium, ejusmodi dignitatis vocabulo apud nos esse insignitum. Nec in Archivis Regiis, ubi singula veterum quæ Episcopio Elyensi uti etiam quæ aliis indulgentur privilegiorum instrumenta seruntur, hujusmodi quid, diligenter licet anquisierim, reperio. Anselmus item obiit m. c. ix. xj. Kalend. Maii. At verò in diplomate hoc quo anno m. c. viij. tribuitur, mentio est Anselmi mortui. Præterea Annus m. c viij. hoc sit annus Decimus Henrici Regis, cum plane simè nonum superare non posset. Videsis Eadmeri pag. 82 lin. 4. col. 2. Crassissime tanè ac chronicissime. Obtenti monuisse me hæc satis est. Peripsematorum judicio cætera relinquo.

Pag. 80. *Col.* 2. C.

Ut *Ecclesia Episcopatus ultra tres menses non maneat sine Pastore.*] Pastore nempe consecrato, ita jubet Concilium Chalcedonense Actor. 15. Can 25 Ἐκεῖνό γε πρέπει τῇ μητροπόλει ἐν περιόδοις, ἐπειδὰν τὴν ἐπισκοπὴν ἀνὴρ ἐπιτήδειος καὶ ἀξιοπιστότατος τοῦ ἐπισκοπεύειν, ἐλθὼν τὸ πάλαι ἔσωθεν ἐπὶ δύο μηνῶν χρόνῳ ἢ καὶ τοῦ πλείονος τὴν ἐκκλησίαν, id est, *Quoniam Metropolitani quidam, uti accepimus, negligunt Commissos sibi greges & differunt ordinationes Episcoporum, visum est Synodo sanctæ, intra tres menses fieri debere Episcoporum ordinationes.* Habetur etiam apud Gratianum dist. 75 cap. 2, videsis etiam Burchardum lib. 1. cap. 14. & 25. Ivonem part. 6. cap. 5. & Gratian. dist. 100. cap. 2.

Pag. 86. *Col.* 2. A.

Nisi de *Monachico Ordine, &c. uno duntaxat excepto.*] Proculdubiò Sugandum intellexit, qui apud Guilelmum Malmesburiensem etiam expressim nominatur. Sed videant interim, qui diligentius hanc rem perpendere volunt, de Nothelmo atque ejus majoribus Nothelino Archiepiscopis; & consulant porrò Joscelinum in Antiquitatibus Ecclesiæ Britannicæ, & Franciscum Godwinum, Episcopum, dum seni, sit, Landavensem, nunc Herefordensem, in Episcoporum nostrorum vitis. Et summus sanè neque omnino indulgens Monastici ordinis cultor Arnoldus Wyonus, dum quinam celeberrimarum Ecclesiarum Archiepiscopi Sepulturio Benedictino se immiscuissent, indagando se torquet, in Cantuariensibus Nothelmum, Cuthbertum, Brigwinum, alios etiam (sed, ut verum fatear, nonnullos quos certissimum est Benedictinos fuisse) prætermittit. Vide si placet, Arnoldum in Ligni Vitæ lib. 1. cap. 10. & G. Meimsburiensem de gestis Pontificum lib. 1. in Odone.

Pag. 94. *Col.* 1. C.

Duelli *quoque sunt ab Henrico Rege Anglorum ad ipsum Concilium, &c. Willelmus Exoniensis, Randulfus Dunelmensis, &c.*] Quatuor nempe Episcopi. Nam ita mos solemnis olim obtinebat, ut ad Concilium generale, iv. duntaxat ex Anglia Episcopi mitterentur. Idem observatum

A in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. anno m. c. lxxij. habito. Et cùm in Anglia tunc temporis consilium de mittendis Romam Episcopis, ut Concilio ibi interessent, adhiberetur, Episcopi Angliæ constanter asseruerunt (verba sunt Rogeri Hovedeni, Simeonis Dunelmensis &c. atque aliorum de ea re agentium) quòd ad generale Concilium Domini Papæ, quatuor Episcopi de Anglia tantùm Romam mittendi sint. Cæterum in Conciliis specialioribus mos varius est, & pro arbitrario Regio & re nata, sæpiùs mutat. De Legatis seu Oratoribus ad Concilia generalia ex Anglia missis, consulas licet Matthæi Paris annum m. cc. xlv. (ubi etiam Anglicanorum Civium Universitas seu triplex ordo literatus & oratores delituit ad Concilium Lugdunense sub Innocentio IV celebratum) & Thomæ Walsingham Ypodigma Neustriæ in eodem anno pag. 466. & eundem in anno m. ccc. ix. cui accedat ex Archivis id quod, ad reducendum in Concilio Pisano Schisma tunc temporis Romanense parum multum distrahens, Henricus IV. Angliæ Rex statuisse legitur. Ordinavimus quod oratores nostri solemnes (*ita scripsit in literis ad Ordines Aquitaniæ datis*) ad dictum & locum dicti Concilii tam mittentur, quodque duo Archiepiscopi cum quatuor Doctoribus in eorum comitiva, & quinque Episcopi cum totidem Doctoribus una secum ibidem debeant personaliter interesse. Et quilibet cæterorum Episcoporum tam Regni nostri prædicti, quàm terræ nostræ Hiberniæ ad dictum Concilium, cursu forsan ex causis, minime transeuntium unum Doctorem pro se & Clero suæ Diœcesis destinabit, & quod quilibet Universitatum nostrarum duos Doctores, quorum unus sit in Theologia & alter in Jure Canonico vel Civili. Et Nigri Monachi quatuor Abbates, Cistercienses verò duos, Canonici Regulares similiter Abbates duos, Cluniacenses vero Abbates duo aut Priores, Carthusienses unum Priorem, Præmonstratenses verò unum Abbatem; & quodlibet etiam Capitulum Ecclesiæ Cathedralis unum Doctorem ad dictum transmittet Concilium; quodque prior Hospitalis sancti Johannis Jerusalem, in Anglia residens, illuc in propria persona se transferat. Has autem ordinationes nostras & quascunque alias factas seu etiam faciendas tangentes materiam schismatis aut unionis præfatæ non tolum in Regno nostro prædicto & dicta terra Hiberniæ, verùmetiam in Ducatu nostro Aquitaniæ volumus observari. Ita legimus in tabulis Vascon. 9 & 10 Hen 4. membr. 4 Formulam item qua Henricus VI. Rex Legatos suos (quorum Civilis alii, alii sacri Ordinis erant) ut Concilio Basileensi interessent substituit, cùm rarissimè ejusmodi quid occurrat, meritò visum est adjicere ex Tabulis Franciæ 12. Hen. 6 membr. 2. Lemma in Margine est, *De potestate commissa Ambassiatoribus Regis ad interessendum Concilio Basileensi.* Instrumentum ipsum ita conceptum est.

Vide Thomæ Cantuar. Vitas, tom. 2 apud Bin. tom. 3. part. 2 pag. 915.

Rex omnibus ad quos, &c. salutem.

Vide Concil. Constant sess. 19. pag. 511. apud Binium tom. 3 part. 2. & sess. apud eundem tom. 4. part. 1. pag. 140.

Sciatis quòd cùm, juxta decreta Constantiensis * Concilii, quatenus Concilium Basileense aliàs celebratur sub sanctissimo Patre Domino Eugenio Papa quarto, Nos eidem Concilio, nedum ex parte ejusdem Concilii per suos oratores nobis ex hac causa specialiter destinatos, verum etiam Apostolicis & Imperialibus ac aliorum quamplurimorum sanctæ Matris Ecclesiæ Patrum & Principum sæcularium literis ceterrime obligati, ad Dei laudem, sanctæ Matris Ecclesiæ prosperitatem optatam & honorem, & præsertim ob fidei Catholicæ exaltationem interesse cupientes, variis & diversis causis rationabiliter prædictis quo minus personaliter eidem interesse potuimus, ut vellemus, venerabiles Patres Robertum Londonienſem, Philippum Lexoviensem, Johannem Roffensem, Johannem Bajocensem, & Bernardum Aquensem Episcopos, ac charissimum consanguineum nostrum Edmundum Comitem Moretonii, dilectos nobis Nicolaum Abbatem Glastoniensem, Willelmum Abbatem Ecclesiæ Beatæ Mariæ Eboracensis, & Willelmum Priorem Norwicensem, necnon dilectos & fideles nostros Henricum *Bromflete* Militem, Magistrum Thomam *Brouns* utriusque Juris Doctorem, Sarum Decanum, Johannem *Colinelle* Militem, Magistrum Petrum Marten Doctorem in Theologia, & Magistrum Nicolaum David Archidiaconum Constantiensem & Licentiatum in utroque Jure, nostros Ambassiatores, Oratores veros, & indubitatos Procuratores, Actores, Factores & Nuncios specialis consilii nostri, facimus & deputamus per præsentes, dantes & damus eis & ipsorum majori parti potestatem & mandatum tam generale quàm speciale nomine nostro & pro nobis in eodem concilio interessendi, tractandi, communicandi & concludendi tam de his quæ reformationem Ecclesiæ universalis in capite & in membris, quàm in his quæ fidei Orthodoxæ fulcimentum Regumque ac Principum pacificationem concernere poterunt, necnon de & super pace perpetua guerrarumve abstinentia inter nos & Carolum Adversarium nostrum de Francia, ac etiam tractandi, communicandi, & appunctuandi, consentiendi mutuo, & si opus fuerit,

Digitized by Google

diffentiendi his quæ juxta deliberationem dicti Concilii inibi statui & ordinari contigerit. Promittentes & promittimus bona fide nos ratum, gratum & firmum perpetuò habiturum totum, & quicquid per dictos Ambassiatores, Oratores & Procuratores nostros, aut majorem partem eorundem, actum, factum seu gestum fuerit in præmissis & in singulis præmissorum, & hoc idem cùm de & super his certiorati fuerimus, quantum ad nos & Christianum Principem animet, executioni debitæ curabimus demendate. In cujus rei testimonium has litteras nostras fieri fecimus patentes. Dat. sub Magni Sigilli nostri testimonio in Palatio nostro Westm. x. die Julii.

Per Consilium.

A Litterarum autem Pontificiarum quibus ad Concilia generalia ordines vocantur, formulas habes apud Binium tom. 3. part. 1. pag. 474. in apparatu ad Concilium Lateranense sub Innocentio III. celebratum; apud Matth. Paris. anno M. CC. XLV. pag. 886. editionis Londinensis, ad Abbates scilicet & Priores Ecclesiæ Anglicanæ Lugduno datas iij. Kalend. Februarii anno Innocentii quarti secundo, quas tamen reperio etiam vetustis Annalibus Mss. Burtonensis Cœnobii, ubi, syllabis alioquin vix discrepantibus, v. Idus Junii substituitur; apud Binium item dicta tomi tertii parte pag. 768. & sequentibus in Concilii Viennensis sub Clemente V. præparatione, & tom. 4. part. 2. pag. 256.

Finis Notarum Seldeni in Eadmerum.

Digitized by Google

EADMERI
MONACHI
DE EXCELLENTIA VIRGINIS MARIÆ
LIBER.

CAPUT PRIMUM.

Quòd Maria excellit omnes creaturas.

SUPERIMINENTEM omni, quod post hominem Deum creatum est, excellentiam Beatæ matris Dei quomodocunque & saltem hippienti oculo cordis contemplari anhelans; & contemplando, quod inde mihi capere conceditur, ad communem notitiam proferre desiderans, horreo peccatorum, quibus premor, enormitatem; & valde timeo ne mihi tam alta petenti * mox objiciatur illud sacræ Scripturæ dictum: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei,* * Verè cùm recogito sanctum Filium ejus ob hoc, ut peccatis hominum mederetur, factum esse filium ejus; nonnihil spei concipio * quod vel parum percipiendi de sublimitate tantæ matris * sciens videlicet illam magis propter peccatores, quàm propter justos factam esse Dei matrem. Dicit enim ipse bonus Filius ejus *se non venisse vocare justos, sed peccatores.* Apostolus quoque testatur quod *Christus venerit in mundum peccatores salvos facere,* quorum se fatetur primum esse. Si igitur ipsa propter peccatores, scilicet, propter me meique similes, facta est Domini mater, quomodo immanitas peccatorum meorum cogere * me poterit desperare veniam eorum; cùm tam ineffabile * donum sit factum ex ea ob curationem eorum? At ipsa curatio ad quos efficaciùs progredietur, aut in quibus misericordiùs operabitur; quàm in illis à quibus tantum bonum amatur, amplectitur, & veneratur. Excitemus ergo mentem nostram, Fratres mei, & enitamur quantùm possumus, ut in celsitudinem tantæ Virginis attendamus; & quæ nobis miseratio filii ejus revelare dignata fuerit, pro laude ejus * proferamus, prolata ruminemus. Erit enim fortassis hoc ipsum * optatæ nobis causa non parva salutis, & sauciatis ex vitiorum punctionibus animis medicina salubris. Qui namque fieri potest ut ex memoria laudis ejus salus non proveniat * peccatori, cujus uterus factus est * via ipsi ad sanandum peccatorem veniente Salvatori? Quid dixi, via; cùm idem uterus thalamus Dei, aula Dei, in qua habitaret, sit factus? verè etenim habitavit in eo: quoniam seipsum ipse in eo, & ex eo quod priùs non erat, fecit. O * habitaculum mirabile! O habitare ineffabile! quem cœli cœlorum, quem omnes rerum creaturum machinæ capere nequeunt, virginalis uterus Beatæ Mariæ cepit; quando eundem ipsum de se verum & perfectum Deum & hominem in una persona concepit & generavit: via tamen ipse uterus extitit, quia per illum Deus homo factus in mundum visibilis venit.

al. miſero
Iſa. 26. v. 10.
al. Veritas
al. quod ... concipiendi
al. matris Dei
al. ſcilicet, gemitus, cum eum quæ ſit in ſublimitate
al. priorâ quàm
al. Regina, ſcilicet
Matt. v. 13.
1. Tim. c. 1. v. 15.
al. omiſit me
al. bonum

CAPUT II.

De origine Virginis Mariæ.

QUamvis igitur hoc solùm de sancta Virgine prædicari * quod Dei mater est, excedat omnem altitudinem; quæ post Deum dici vel cogitari potest; & altissimum quid habeat * in hoc ad contemplandum & ruminandum mens humana quæ ad * eam anhelat: tamen quoniam * mihi venit in cor ut de ea aliquid dicam primò * de ejus origine; ac deinceps, si quid de tenuitas sensus mei de ipsa, quod dignitati illius existimem non adversari, capere potuerit, in medium proferre libet. Adsis igitur; Domina; & non mea, quæ execror; sed tua, * quæ precor, merita illis digneris attendere, quæ * veneror. Tu quidem nosti mentem meam in hoc esse, quòd me omnino indignum judico de te loqui, aut * quicquam scribere. Sed quoniam insitæ * tuæ pietatis oculo super multos mei similes scio te respexisse; aliquo, licet dignitati tuæ indigno, meæ devotionis obsequio * vellem agere erga te, quatenus ipso consuetæ misericordiæ tuæ oculo quandoque digneris & me respicere. Tacitis itaque illis * quæ ab initio omnis creaturæ, usque ad sanctum * Filii sui adventum, de hac Virgine propheta * sunt tam per eos qui ante legem, quam & per eos qui sub lege justi fuerunt: Illud conjicio apud me, nativitatem ejus, (quam quidem ex linea generationis humanæ non nescio descendisse) magna quædam atque miranda divinorum signorum indicia præcurrisse. Quæ tamen illa fuerint, solus ipse sine scrupulo novit, qui eam * sibi antequam nasceretur, in matrem elegit: quod * ea re ut autumo, & non incongruè actum credi potest; quatenus eò major veneratio fidelium circa ejus ortum existeret, * quo sublimitatem tantæ rei altiori secreto celari quisque perpenderet. Nec enim Ecclesia Dei inconcussæ auctoritatis ducit ipsam Scripturam: quæ ortum illius ab Angelo prænuntiatum refert. Nam licet beatus Hieronymus juxta alterius cujusdam Scripturæ materiam, quam in adolescentia

al. quæ
al. enim
al. Dominæ
al. modò
al. parum de
al. omiſ. quæ
al. vereor
al. omiſ. quæ
al. ſanctum Filii
al. ſicut
al. omiſ. ſibi
al. in eo ... æſtimo.
al. Quo enim alio modo ſublimitatem

Digitized by Google

sua legisse, & cujus auctorem se fatetur ignorare, eam * fecerit: dicit tamen non eo pacto se scripsisse quod scripsit, ut aliquam descriptæ rei certitudinem Ecclesiis vellet inferre, sed hoc solo ut rogantibus amicis * simpliciter morem gereret. Unde, quemadmodum dixi, scriptum illud in auctoritatem Ecclesia suscipere noluit; videlicet indecens esse reputans de beata matre Dei quid dubitabile in laudem ejus recitari: cùm ea, quæ incunctanter de illa vera exstiterunt, tantâ laudis materiâ sint referta; ut quicunque in laudando eam morari desiderat, necesse sit ut facultas ejus magnitudini & veritati succumbat. Sicut enim sola præ cunctis meriti singularis enituit; ita quicquid eam attinet, speciali quadam veritatis firmitate dignum est enitere.

al. refecerit

al. humilem vel humilem

CAPUT III.

De Annuntiatione Angelica.

NAta igitur, & infantiles annos exuta, quàm castè quam sanctè, quàm Deo dignè vitam instituerit, & institutam egerit, quis vel cogitatu, non dico dictu, queat * conjectare? Nulli denique dubium castissimum corpus & sanctissimam animam ejus funditùs ab omni fuisse macula peccati, jugi Angelorum custodia * protectam, utpote aulam, quam suus & omnium Creator Deus corporaliter inhabitaturus, & ex qua hominem in suæ C personæ * unitatem ineffabili fuerat operatione sumpturus. Et quid mirum? Nam & * inter homines usus obtinuit (si tamen à cœlestibus ad terrena potest esse comparatio ulla) ut cùm præponens aliquis & persona dives aliquò vadit hospitaturus * clientes percurrant, ut locum muniant, mundent, ornent, & custodiant: quo venienti Domino suo aptus ad inhabitandum & congruus fiat. Quòd si talis apparatus fit pro adventu terrenæ hominis, & momentaneæ potestatis; qualis apparatus omnis boni putamus fiebat pro adventu cælestis regis & æterni, in corde sacratissimæ Virginis, quæ illum non solùm erat in sensu transitivè hospitatura, sed etiam ex substantia sua factum hominem paritura? Siquidem *ubi venit plenitudo temporis*, quod suo * adventui D ipse Deus ante tempora prædestinavit, misit * Angelum Gabrielem, unum de primis principibus * regni sui, nuntiare tibi, ô beatissima fœminarum, instare salutem generis humani: & se eandem salutem operaturum, & ex te castissima, per Spiritus sancti operationem, verum * hominem nasciturum. Audis, Domina, quæ feruntur, & ad rem omni sæculo inauditam paves, & miraris; nulla tamen incredulitate moveris: verùm indubitanter tenes apud te omnimodis impossibile fore non fieri quod Angelus dixit futurum esse. Credidit ergo, & certissimè intellexit Deum tam bonum, tam pium, tam omnis misericordiæ visceribus plenum, ut ad terras de cœlesti sede * descendere, & homo factus per indebitam sibi mortem genus humanum à perpetua vellet morte, qua tenebatur, eripere. Respondens ergo nuntio ait: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* O fides Deo accepta! O humilitas grata! O obedientia omni sacrificio jocundiùs Deo oblata! Quid ergo quod venientis Dei oculos offenderet in illa poterat residere, in qua tantarum virtutum insignia veniens invenit redolere? Certè sola fide Abraham, fertur Deo placuisse; & hoc solùm quia *Deo credidit, ad justitiam illi* reputatum fuisse, *super humiles* autem & *quietos, ac verba sua trementes*, Spiritum suum requiescere, & *obedientiam* se * præ sacrificiis malle asserit Deus. Cùm igitur in his, quæ tantopere Deo placent,

al. conjecturare

al. protecta

al. miscere

al. inter omnes.

al. adventu

al. misit Deus

al. suis. scilicet regni

al. verum Deum & hominem

al. defendat-ur

Gen. 15.

Jac. 2.

al. præ

A sancta Virgo Maria tam excellenter illi placuit, ut nequaquam * crediderim ipsam ulla ratione excellentiùs placere potuisse. Nimirum tenemus fide, ab omni, si quid adhuc in illa originalis sive actualis peccati supererat, ita mundatum cor illius, ut * verè super eam Spiritus Dei, scilicet super humilem & quietam & trementem verba sua * totus requiesceret, ipsam voluntati dominicæ castissimo ac simplici corde obedientem * omni holocausto suaviùs acceptaret, virtuteque Altissimi obumbratam: Filium Dei ex illa incorporaret. * Hic se suberigat intentio mentis humanæ, & pro posse paucis intendat quanti penderit omnipotens Deus merita hujus beatissimæ Virginis. Intendat, inquam, & contempletur, videat & admiretur unum Filium sibi consubstantialem, coæternum, coomnipotentem, ex sua natura sine initio Deus Pater genuit, & per eum omnes creaturas visibiles & invisibiles ex nihilo fecit. Hunc igitur sibi tam unicum, quàm dilectissimum, & in omnibus omnino æqualem, non patius est remanere solummodò suum; sed eundem ipsum voluit in rei veritate esse beatæ Mariæ unicum & dilectissimum & naturalem Filium; nec ita ut duo essent, unus videlicet Filius Dei, alius Filius * Mariæ sed idem ipse qui Filius Dei, in una persona esset Filius * Mariæ; & qui Filius * Mariæ, unus & idem esset in una persona Filius Dei. Quis hæc audiens non obstupescat; & quòd Deus tale quid velle potuerit, non ultra omne quòd dici * potest admirabile ducat? Puella de propagine Adam nata, de peccatrice progenie orta, subitò versa vice maledictionis Evæ benedicta prædicatur super omnes mulieres, & concipit, & parturit, & parit hominem Deum, omnes prævaricationes * ab Adæ filius propulsaturum; * eosque in cœlesti regno suo sibi cohæredes constituturum.

al. crederet = quis illum aliqua

al. aut

al. totus.

al. & omni

al. Hinc &

al. sanctæ Mariæ virginis, sed unus

al. omit.

al. eosque qui sibi obtemperarent.

CAPUT IV.

De amore Virginis ad Filium.

QUàm mirabilis itaque & ineffabilis amoris affectus consideratus queat inter hunc talem tantæ matris Filium, & hanc talem tanti Filii matrem, perpendant hi saltem quoquo modo, qui unico dilectionis fervore sese altrinsecùs amant, mater scilicet filium & filius matrem. Perpendat, inquam, aliqua * bona mater quo affectu teneatur * erga unicum & bonum filium; & bonus filius simili modo perpendat qua pietate moveatur erga bonam * ac dulcissimam suam matrem, & aliquatenus * tentent, si quomodo in se conjectare valeant amorem hujus bonæ matris erga verè bonum & unicum Filium suum, & istius boni Filii erga verè bonam & dulcissimam matrem suam. Et quidem omnes homines ex conjunctione duarum personarum, hoc est, maris & fœminæ procreantur; & amorem suum utrique personæ, id est, patri & matri naturaliter debent qui sic generantur; * ipsisque nihilominus suum parentes ambo, qui eos genuerunt. Cùm autem amorem, quem pater & mater singuli debent filio suo, debet hæc felicissima matrum sola Filio suo; amorem etiam, quem debet, quilibet filius simul suo patri & matri, ille Filius * verè Virginis debet suæ soli matri. Nã sicut alii filii nascũtur ex patre & matre: ita filius ejus natus est ex ea sola matre. Excedit itaque omnes amores parentum in filios, aut filiorum in parentes, amor istius matris in Filium suum, & istius Filii in matrem suam. Et hæc quidem ita se habent juxta rationem filiationis, quæ facta probatur extra legem humanæ procreationis. Alio quoq; modo si placet, amorem hujus Filii & hujus matris perscrutemur; & quantum inde nobis concessum * fuerit, prout possumus, speculemur. Certè quæ generat * virgo, est temporaliter nata; qui generatus Deus est,

al. circa

al. ipsumque amorem suũ

al. omit.

per

per quem omnia tempora fiunt, & ipsamet virgo, creata. Ostendit ergo ipse * primus amorem, quem habebat erga * Virginem, & amorem, quo nullum * putamus esse majorem: matrem suam fecit illam, & virginitatem illi non ademit. Et quidem hæc duo ipsa jocundiùs amabat, scilicet, virginitatem & fœcunditatem: Virginitatem, quia hanc placere Deo per omnia intelligebat; fœcunditatem, quia sine hac maledictum legis, quæ adhuc carnaliter custodiebatur, incurrere metuebat. Vicit tamen amor in ea servandæ virginitatis, & exclusit ab ea timorem incurrendæ maledictionis. Virgo itaque tenera & delicata, regali stirpe progenita, & speciosissima totam intentionem suam, totum amorem suum, totum studium suum ad hoc intendit, ut corpus & animam suam Deo * virginitate perpetua consecraret. Sciebat enim quòd quantò sanctiùs eam conservaret; tantò sublimiùs ei, qui omnium castissimus, immò qui ipsa castitas est, appropinquaret. Amplectendo igitur quod acceptabilius * esse cognovit Domino legis speravit, & credidit se plenè evasuram maledictum datæ legis, reputans secum illum tantæ bonitatis & tantæ sapientiæ, ut dum se nullatenus juxta conscientiam suam melius scire aut posse facere quàm faciebat adverteret, certum consilium, ne quid peccati in istis subiret, inveniret: nec decepta est. *Quis* enim *speravit in Domino, & derelictus est ab eo?* Denique ubi tam sanctam intentionem ejus, tam castum propositum ejus, tam firmam fidem, constantem spem, & indeficientem vidit charitatem ejus; * eo misericordiæ suæ intuitu egit circa illam, ut nec sanctitas intentionis ejus frustraretur, nec castitas propositi ejus violaretur, ne aut firmitas fidei infirmata à spei constantia titubaret, aut charitatis in ea plenitudo deficeret. Dedit ergo illi ut & virgo, quod magis optabat, permaneret; & (ut nemo illam à maledicto legis libertinam dubitaret) fœcunda fieret. Et unde fœcunda? * Fœcunda Spiritu sancto, qui omnia fœcundat, omnia vivificat, omnia nutrit; fœcunda, inquam,] illo, sine quo omnis fœcunditas in sterilitatem vertitur, & igni consumenda succiditur. Et revera dignum fuit ut eo in * virginem superveniente, illa fœcundaretur, quæ paritura erat Deum per quem totus mundus salvaretur. Quid ergo hîc dicemus? Estne, putatis, ulla mens hominis, quæ modum hujus dilectionis, quam Deus ad hanc Virginem habuit, queat penetrare: quando & illi, quod cariùs amabat, sic integrè * servavit; ac eam tam dignè & castè fœcundatam, sui ipsius matrem fecit. Potestne, quæso, ullus hominum aut Angelorum istius amoris * immensitati, aut dignitati honoris illius quicquam vel cogitatu percipere comparabile? Erigite, obsecro, Fratres mei, erigite aciem mentis vestræ ad contemplandum * tam miram divinæ dignationis operationem,] tam ineffabilem & stupendam omni sæculo hujus mulieris gratiam & exaltationem. Et tu, ô beatissima fœminarum, in quam fluxit tam copiosa & supereminens gratia omnium gratiarum, quid * animi, quæso, gerebas ad eum, qui tibi hæc magna fecit; unde, (sicut ipsa dixisti, jam ab omni generatione beata dici meruisti? Verè magnificavit *anima* tua *Dominum*, & *spiritus* tuus *exultavit in Deo salutari* * *tuo*. O Salutare mirabile! quod non solùm, Domina, te inæstimabili salute sublimavit; sed & totum mundum, peccatorum vulneribus putridum, ex te prodiens * mirâ dispensatione sanavit. Verùm dum illum qui sibi hæc miranda fecit, parvulum inter manus suas versari, & ad * ubera sua pendere, atque ad * parvas parvi corporis læsiones parvulorum more vagire conspiceret; quo, precor, affectu piissimus ejus animus movebatur, quove studio ad occurrendum cunctis, quæ incommoda illi fore timebat, parabatur castissimum corpus ejus. Deus Fili hujus felicissimæ matris, qui es virtus & vera sapientia summi Patris, oramus te quatenus ipsa misericordia, qua factus es homo pro nobis, insinuare digneris cordibus nostris, quo animo, qua cogitatione * tenebatur hæc dulcissima tua mater; cùm te inquam, talem ac tantulum in brachiis suis exultans & læta teneret; cùm tibi ut infantulo gestienti dulcibus osculis atque frequentibus congauderet; cùm te lachrymantem super genua sua, quibus poterat modulis, consolaretur; cùm denique aliis & aliis studiis, ad quæ ipsam materna pietas informabat, tibi pro qualitatum vicissitudinibus sedula blandiretur? Doce, inquam, nos vel paululum mente percipere affectum ipsum quo replebatur cor illius: ut si eum peccatorum nostrorum squaloribus obruti, quantus fuerit plenè non meremur contingere; saltem pauca * de illo intelligendo,] mereamur in nostris ærumnis aliquatenus respirare; nec * putetur ab aliquo contemnendum vel parum quid sentire quemlibet in se de affectu istius matris in filium suum. Nullo siquidem modo crediderim quòd is qui ad eum intelligendum provehi meruerit ab amoris ipsius dulcedine extraneus usquequaque existere possit. Qui autem in dilectionis suavitatem transit, nullo pacto diffidendum quin & in retributionis ejus participium transiturus sit. Quam verò retributionem sui amoris sit adepta tota Christianitas novit, quæ illam super omnes cœlos exaltatam & angelicis choris prælatam certissimè credit. Eia, Fratres, quantùm possumus enitamur aliquo modo affectum istius tam bonæ matris agnoscere, & in nobis talem rei magnitudini succumbendo degustare, quo ipsius meritis * adjuti & dilectionis ejus * suavitate recreari, & aliqua futuræ consolationis mereamur remuneratione sublimari. Quicunque igitur aliquem sincero & dulci dilectionis affectu diligit * eique omnia commoda & jocunda ei succedere cupit; illius incommodis, si quæ acciderint, mœstus ingemit; volvat & revolvat hunc suum affectum apud se, & cogitet quid libuerit, si adhuc numero, quem fingere libet, multiplicatus in se idem affectus major existere. Quod cùm fecerit, & hunc suum amorem quantumcunque in intellectu suo magnificatum amori istius piissimæ Dominæ matris in Deum Filium suum aliquatenus comparari posse putaverit; nescio utrum audiendus in hac sua æstimatione sit. Nec mirum, ipse enim spiritus Dei, ipse amor omnipotentis Patris & Filii, ipse per quem & in quo amatur omne quod bene amatur. Ipse, inquam, corporaliter, ut * ita dixerim, venit in eam; singularique gratia præ omnibus, quæ creata sunt, sive in cœlo sive in terra, requievit in ea, & Reginam ac Imperatricem cœli & terræ, & omnium quæ in eis sunt, fecit eam; & alicui, bono ad tempus * affectu debriato, in animum cadet se quicquam amoris habere, quod illi amoris queat comparabile æstimari, quem hæc beatissima matrum ad id ipsum habebat, à quo se tam ineffabili dignitate sublimatam intelligebat. Superat ergo omnes omnium rerum creatarum amores & dulcedines magnitudo amoris istius Virginis in filium suum, & dulcedinis immensitas qua exultabat & liquefiebat anima ejus in eundem Dominum Deum suum. Itaque qui saltem ita concessum fuerit sæpe dulci studio posse cogitare de illa, magnum promerendæ salutis indicium esse conjecto. Sed quid dicam? si tantus * fuit amor ejus erga hunc dilectissimum Filium suum; quo vel quali gaudio replebatur tota substantia ejus, quando eum, quem tantopere diligebat, quem Creatorem ac Dominatorem omnium rerum esse sciebat, secum * degentem, secum edentem, se quæcunque nolle nolebat dulci affatu docentem, haberet, * quis capiet?

al. primum al. matrem Virginem al. potemus esse pios

al. Domino esse cognovit, legem speravit, speravitque maledictum, & credidit, reputans secum illum tantæ bonitatis & tantæ sapientiæ, ut dum se nullatenus juxta conscientiam suam melius scire aut posse facere quàm faciebat adverteret, certum consilium, ne quid peccati in istis subiret, inveniret: nec decepta est. *Quis enim speravit in Domino, & derelictus est ab eo?*

al. omn.

al. omn.

al. servabat ut

al. immensitatem penetrare, vel

al. omn.

al. qui enim

al. ipsius

al. verba al ad parvi ac tenera

al. inventione ferebatur

al. omn.

al. non putet

al. bene dicit

al. omn.

al. adjovari al. salutis

al. omn.

al. fuerit mor ejus, verè major erga

al. egentem

al. quid caperet

CAPUT V.

De compassione beatæ Mariæ pro Filio crucifixo.

al. Cùm ergo tanta dilectatione, exultatione beatæ Dei Genitrix præs. & conversatione foret jocundata

TAnta dilectione, tanta exultatione ex præsentia illius & conversatione jocundata, perpendat qui potest, quibus doloribus, quibus gemitibus quibus suspiritis cruciabatur, quando cum à se crudelium manibus avelli, quando ad condemnandum tradi, quando ad subeundam mortem judicio judicis iniqui tribunali conspiceret fixi. Fortè tamen inter hæc ei poterat esse, ut more loquar humano, aliqua spei consolatio de evasione illius, dum sententiam mortis ejus

al. pendere conspiceret, audiret quisub altercatione præsidis ipsum lib quærentis *Corripiam ergo eum, & dimittam*, & judæorum

al. usque ad

pendere audiret sub altercatione Præsidis ipsum liberare * quærentis, & Judæorum pessimæ plebis, ne liberaretur, regnum Cæsaris contra Præsidem appellantis. Verùm ubi prolatâ * certâ sententiâ mortis illius, omnis eam spes evadendi deseret; eumque crucem, in qua suspendi debebat, humeris * ad locum suæ passionis subvehere gemebunda conspiceret: Estne, precor, aliquis, qui queat percipere qualitatem pectoris ejus? Adjectus est his doloribus ejus,

al. ejus

dolor alius: Petrus, & alii discipuli * ab eo de nihilo in Apostolatum electi, & jam in tantæ celsitudinem virtutis, ut etiam dæmonibus imperarent, erecti; necnon secretorum illius conscii & familiares in cunctis effecti, instante horâ traditionis ejus fugam ineunt; & eum pro quo se mortem paulò ante subituros promiserant, obliti tantorum bonorum sponsionisque suæ, solum ipsâ contideran-

al. vide-

te relinquunt. * Unde ipsum ad passionem omnibus amicis destitutum tendentem, hac voce sequebatur gemens: Vadis propitiator ad immolandum pro omnibus: non tibi occurrit Petrus qui dixit, *pro te moriar*: reliquit te Thomas qui ait, *Eamus, & moriamur cum eo omnes*: & nullus ex his, nisi tu solus duceris, qui me castam conservasti, Filius meus, & Deus meus. Verùm hæc verba ex magnæ pietatis fonte productæ, ita parcis ad * hoc memorasse sufficiat, ut ea oculus pietatis attendens, dum tantæ

al. gemebundus

matris * gemebundus affectibus compatitur, pii amoris illius fructu remunerari aliquando mereatur. Sed cùm ad ipsam ejus passionem ventum fuisset; & ipse cruci affixus hinc ipsam matrem suam, hinc discipulum, quem diligebat, prope astantes intuitus esset; ne matrem penitus orbatam relinqueret, ei præsen-

al discipulorum

tem * discipulum suo loco in filium subrogavit: *Mulier*, inquit, *ecce filius tuus*. O commutatio! pro æterno & incommutabili Deo, purum & corruptibilem hominem; pro naturali & unico filio servum accepit

al. emit.

in filium. O Domina, qui, precor, * cogitatus in te tibi succedebant, cùm tam inæstimabilem commutationem ab ipso, quem super omnia diligebas, tibi fieri audiebas? Verè pertransivit animam tuam gladius doloris, qui tibi amarior extitit omnibus doloribus cujusvis passionis corporeæ: quidquid enim crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum leve fuit, aut potius nihil, comparatione ipsius tuæ passionis, quæ nimirum tua tormentitate transfixit cuncta penetralia tui benignissimi cordis. Et utique, pia Domina, non crediderim te potuisse ullo pacto stimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, sustinere; nisi ipse spiritus vitæ, spiritus totius consolationis, spiritus scilicet dulcissimi tui Filii, pro quo moriente * tantopere

al. conquerebaris

torquebaris, te confortaret, te consolaretur, te intùs doceret non esse mortem eum ablaturentem, sed magis triumphum omnia ei subjicientem, quod in ipso

al. moribundo

heri coram * moribunda videbas. Mortuus est tamen, & ab oculis tuis te inspectante sepulchro reclusus. Cætera silentio premo, penitus ignorans ubi vel unde aliquid dicendum assumam ex quo luctus tui modum,

A ô pudicissima virgo, * considerandum alicui proponere

al. omit.

queam. Siquidem cùm illum, quem te virginem concepisse, virginem peperisse, & post partum virginem noveras permansisse, nec non per quem te intelligebas ab omni generatione beatam dici meruisse, * vi-

al. videbas

deres iniquorum sævitiâ tam crudeli nece peremptum, tam subitò tuis aspectibus abstractum, & sepulchri antro reclusum, quid ego nescio quis haberem, ubi vel unde acciperem, quod in considerationem tui status animi quem gerebas eo tempore cuilibet panderem: sed acerbitas * mœroris post resurrectionem

al. doloris & mœroris in resurrectione

ejusdem Filii tui in lætitiam versa est. Et in quam qualemve lætitiam; intendamus, Fratres mei.

B CAPUT VI.

De gaudio resurrectionis.

SUpra, dum gaudii ejus exultationem, qua repletur in conversatione secum adhuc in carne mortali * degentis illius Filii sui considerare niteremur; in

al. degentibus

ipso * nostro animo defecimus, & eam ultra omnem

al. nostri animi sensa

humanum intellectum magnam & mirandam esse advertimus. Si ergo tam magna fuit tum, cùm ipsum bene sciret paulò pòst moriturum; quæ vel quanta, putatis, fuit nunc, cùm ipsum videret jam calcatis mortis legibus resurrexisse non solùm in æternum victurum, sed & cœlo & terræ omnique creaturæ perenni jure dominaturum? Nolo hanc immensitatem gaudii ejus penetrare quis laboret: quoniam quæ ipsis Angelis Dei est admiranda & impenetrabilis, non facilè crediderim quòd cuivis homini mortali possit esse pene-

C trabilis. At si aliquis quærit cur Evangelistæ non referant ipsum piissimum Dominum à morte resurgentem, huic suæ dulcissimæ * matri, ut ejus dolores mitigaret, primò ac præcipuè apparuisse: Dicimus quòd à quodam sapiente de hoc ipso scitcitantes audivimus. * Ait ergo: tanta esse * scitur auctoritas narra-

al. audivimus sic: al. scit

tionis Evangelicæ, ut nihil in ea dependens, nihil inane, nihil superfluum reperiatur: itaque si matri Domini, si Dominæ mundi * ipse Filius ejus ab in-

al. omit.

ferno resurgens scriberetur, sicut alii cuilibet, apparuisse, eamque de sua resurrectione docuisse; quis non tale scriptum superfluum duceret? reginam videlicet cœli & terræ, omnisque creaturæ, coæquaret illi, * vel illi, quibus apparuit, viro aut mulieri. Spiritus

al. omit.

ejus in illa plenè & perfectè quiescebat, qui sibi & D esse illius & facta ejus omnia luce clariùs revelabat; & Evangelistæ scriberent tunc vel tunc illi talem * ac

al. omit.

talem semet exhibuisse. His * ita paucis alicujus fortasitan inquisitioni, prout accepimus, respondis; ad-

al. inquam

huc aliquid gaudii hujus beatissimæ Virginis matris speculando præ oculis constituamus, non ea spe ut modum illius nos in hac mortalitate viventes perfectè intellecturos fore opinemur; sed ut inde aliquantulum degustando qua possumus illud devotione veneremur. Sic enim inspectum & degustatum magnum in ejus amorem anhelantibus solet generare profectum. Eia, si gaudium habuit ipso Filio suo

al proficuum

secum in carne degente; si gaudium habuit eodem suo Filio calcata morte ab inferis resurgente; * num

al. nam.

minori gaudio exultavit ipso suo Filio in ea carne, E quam de se assumptam noverat, coram oculis suis cœlos * penetrante? quis hoc dixerit: immò quis gaudium ejus omnibus, quæ illud præcesserunt, gaudiis non crediderit eminere? Bonæ matres solent magnificè in hoc mundo exhilarari, cùm vident filios suos terrenis honoribus sublimari: & ista mater, procul dubio bona, non ineffabili gaudio lætaretur, quando Filium suum unigenitum omnes cœlos dominandi jure penetrare, ac in Dei Patris omnipotentis vidit concessum ascendendo pertingere? Imò quid huic gaudio unquam fuit * auditum simile? quid in medium

al. penetrare

al. fuit fimiles Quid in

ed by Google

prolatum? saltem per illud aliquo modo possit mens humana in illud aciem suam dirigere? Sed & hæc gaudiorum suorum magnitudo nonnihil incrementi accepit, cùm adveniente super discipulos Spiritu sancto, mox ad prædicationem illorum fidem filii sui tanta, * sicut scitis, hominum multitudo suscepit. Nec mirum * alicui videatur quod dico, gaudium ejus in credentium conversione * crevisse. Ibi enim excepto gaudio quod de salute generis humani in istorum conversione concipiebat, filium suum non fuisse gratis mortuum, cùm tam efficaciter operari videbat fidem * mortis ejus etiam in eis qui * auctores ejus exiterant. Gaudium itaque ei erat in cœlo, gaudium in terra, gaudium insuper in omni creatura. Gaudium in cœlo; quia fructus ventris * sui jam victor mortis & orbis in cœlo regnabat, * suâque victoriâ Deum Patrem Omnipotentem glorificabat,] & cuncta cœlestis curiæ agmina inæstimabili magnificentiâ lætificabat. Gaudium in terra: quoniam * eos, pro quorum salute matrem Dei se factam sciebat, abjecto jugo diaboli, à quo captivi tenebantur, * liberos in ipsam salutem currere conspiciebat. In omni quoque creatura gaudium habuit, eò quòd illam à pristina oppressione erui, atque in illum ad quem facta fuerat, statum redire vidit. Postquam enim homo Deum contempsit, & ejus mandatis tumidus contraïre non timuit, in nulla creatura, quam Deus ad subsidium ejus instituit, justo judicio aliquid juris amplius habere debuit. Cùm igitur & in contumacia sua contra Deum omnium rerum Dominum persistit; & tamen usum rerum in subsidium suum retorquere non destitit, Domino Deo injustitiam, & Dei creaturæ violentiam intulit & oppressionem. At nunc, cùm jam reconciliatus homo per mortem * Filii hujus beatissimæ matris redit in gratiam Dei, * redit etiam in jura libertatis, ad quam facta fuit creatura Dei,] famulandi scilicet ei, pro quo se institutam esse cognovit.

Hæc, sacratissima Domina, vidisti, hæc intellexisti, hæc per te tali modo impleta esse magnificè gavisa es. Ista, Fratres, dicimus dulce habentes, & vos dulce habere cupientes, sæpe revolvere * atque recolere in memoria amorem & gaudium hujus Dominæ, quibus jugi exundantia in Deum & de Deo jocundabatur tota illius substantia. Nihil enim utilius post Deum memoriâ matris * Dei, nihil salutarius mediatione pii amoris, quo fervebat in memoria & contemplatione Filii sui, nihil jocundius sapore prætractari beati gaudii ejus, quo multipliciter pascebatur in eodem & per eundem Filium suum. Sæpe quippe vidimus & audivimus plurimos hominum in suis periculis recordari * nominis istius bonæ Mariæ,] & omnis periculi malum illico evasisse. Velociorque est nonnunquam salus memorato nomine ejus, quàm invocato nomine Domini Jesu unici Filii ejus. Et id quidem non ideo fit, quòd ipsa major aut potentior eo sit; nec enim ipse magnus aut potens est per eam, sed illa per ipsum. Quare ergo promptior salus in recordatione ejus, quàm Filii sui, sæpe percipitur? Dicam quid sentio, Filius ejus Dominus est & judex omnium, discernens merita singulorum: dum igitur ipse à quovis suo nomine invocatus non statim exaudit, profectò id * justo judicio facit. Invocato autem nomine matris suæ etsi merita invocantis non merentur; * merita tamen matris intercedunt ut exaudiatur. Hoc denique usus humanus quotidie probat, cùm quis proposito * amici sui nomine efficaciter ab * illo aliquid impetrat, quod simpliciter sua prece nequaquam impetrare * valebat. Itaque si tam utilis * est in subveniendo memoria nominis matris Dei: non mirum si magnæ salutis afferet fructum frequens meditatio sancti amoris ejus, si plenam jocunditatem dabit dulci studio cogitata & recogitata immensitas gaudii ejus.

al. omit.
al. inde
al. incrementâ simplisse
al. amotis al. amatores
al. ejus benedictus jam al. omit.
al. eorum
al. liberam
al. filius al. omit.
al. omit.
al. ejus
al. horum, &
al. ut exaudiatur
al. Dominico
al. illo
al. potest

CAPUT VII.

De gaudio beatæ Mariæ in Filii ascensione.

QUapropter adhuc in speculationem gaudii ejus verba vertamus; & mentes nostras ipsius dulcedine aliquantisper enutriamus. Perpendamus itaque cùm tanta gaudii magnitudo impleverit intima piissimæ Dominæ hujus, ex his, quæ jam paululùm intuendo, ut potuimus, præibavimus, utrum ei super illa adhuc aliquid gaudii adjicere potuerit, id quod revelante Spiritu sancto remotâ omni ambiguitate sciebat, se decurso vitæ labentis spatio in beatitudinem regni cœlestis ascensuram, filium suum, omnipotenti Deo Patri in sua Deitate coæqualem, sicut est, indeficienti contemplatione visuram; seque post eum, omni creaturæ cœlestium, terrestrium, & infernorum, perenni jure dominaturam. * At immensitatem gaudii hujus quis considerabit, qui non in ipsa consideratione penitus ab ea opprimatur? Et si causa gaudii talis ac tanta est: gaudium ipsum quale & quantum est? Sed ô bone Jesu, illius tuæ dulcissimæ Matris piissime Fili, quomodo potuisti pati, ut te in regnum tuæ gloriæ remeante, illam quasi orbatam in miseriis mundi relinqueres, & non eam statim tecum regnaturam assumeres? Fortassis, Domine, ne tuæ cœlesti curiæ veniret in dubium, qui potiùs occurreret, tibi, videlicet, Domino suo * tum primò regnum tuum in assumpta carne petenti, an ipsi Dominæ suæ in ipsum regnum jam suum materno jure effectum ascendenti. Nam ut in partes suo occursu divideretur, quatenus pars tibi & pars illi in primo adventu obsequeretur, non decere existimo; præsertim cùm tota sit tua, tota quoque sit per te eadem cœlestis curia sua. Prudentiori ergo & digniori consilio usus præcedere illam volebas; quatenus ei locum immortalitatis in regno tuo præparares, ac sic comitatus totâ curiâ tuâ festiviùs ei occurreres, eamque sublimiùs, sicut decebat tuam matrem, ad teipsum exaltares. Et quidem non est abs re credere ipsum his de causis matrem suam præcessisse; cùm ipse idem Unigenitus hujus beatissimæ Virginis promiserit suis discipulis se si abiret, eis locum in cœlesti sede præparaturum, ac deinceps eos ad seipsum accepturum.] Si ergo locus ab eo parabatur ad gloriam & honorem discipulorum; quomodo non pararetur ad honorem & gloriam Matris suæ, Dominæ, scilicet & Reginæ Angelorum? Erat præterea, ut * mihi quidem videtur, utilis & necessaria fidei nostræ conversatio sua post ascensionem Domini inter Apostolos ejus: quia licet ipsi per revelationem Spiritus sancti edocti * fuerint omnem veritatem; incomparabiliter tamen eminentiùs ac manifestiùs ipsa per eundem Spiritum ipsius veritatis profunditatem intelligebat; ac per hoc multa eis per hanc revelabantur, quæ in se non solùm simplici scientia, sed ipso effectu, ipso experimento didicerat de mysteriis ejusdem Domini nostri Jesu Christi. Nec dilatio suæ assumptionis quoquo modo jacturam aliquam inferre * valebat immensitati amoris & gaudii sui: quoniam * ipsa perfectio amoris & gaudii ita illam reficiebat plenitudine sui, ut hoc ipsum ei ad amoris & gaudii augmentum magnopere fieret, quòd se illic esse videbat, ubi Deum, quem præ cunctis amabat, magis velle sciebat. Igitur ubicunque erat, & ipsa in Deo, & Deus in ipsa jocundabatur: qua ipsa jocunditate felix, hoc præ cæteris ubique fieri cupiebat, quod sapientiæ Dei potissimum placere intelligebat. Hac * inæstimabili amoris & gaudii immensitate prædita fuit hæc Virgo sanctissima, quamdiu * eam in omni mortali carne * manere placuit sapientissimo Filio suo.

al. in omnem
al. veritatis illius veritatis
al. potuerat
al. ipso
al. inæstimabili
al. magnitudine
al. etiam
al. carne positam esse

CAPUT VIII.

De Assumptione beatæ Dei genitricis Mariæ.

VErùm cùm ipse in regnum suum eam assumere, & ei magnificentiam * gloriæ suæ decrevisset ostendere: cujus, precor, dignitatis & honoris apparatibus intendebat tota curia Angelorum; quibusve vocibus exultationis & salutis resonabat numerosa tabernacula antiquorum Patrum ipsi curiæ * nuper associatorum? Certè crediderim omnes illius beatæ patriæ cives festiviori solito, ac sublimiori nitore decoris, ad adventum Matris Domini sui præparari, ac nova quadam & ineffabili jocunditatis gratia pro tantæ rei expectatione conjubilare. Et quid mirum? Ipse Jesus, Deus & Dominus omnium, Filius * hujus castissimæ Virginis & Dominæ rerum, ipse ei sicut suæ unicæ matri totus festivus occurrere volebat, & aliquis de familiaribus suis se à tanti gaudii immensitate subtraheret? Utique inter homines moris scitur esse unumquemque bonum servum cujusvis præpotentis domini, eo majori gaudio in amici domini sui adventu exultare, quo * ipsum dominum suum cognoverit adventantem amicum magis amare. Cùm verò de adventu parentum domini sui agitur, de quorum speciali dilectione nullus ulla dubitatione tenetur, ille nimirum magis sel cem se æstimat, qui majori jubilo & festiviori occursu lætitiæ fræna relaxat. Si ergo hæc ita se habent apud homines, quibus si qua bonitas inest, longè tamen supernorum * civium bonitati impar est; contempletur animo, qui potest, quo gaudio, qua festivitate, quibus concentibus jubilabant omnes beatorum Spirituum Ordines, quando & unicam Domini sui matrem adventare, & ipsum Dominum Deum suum ei videbant omni suâ glorià decoratum velle occurrere. Stipatus itaque mille millibus, imò innumerabilibus Angelorum agminibus Deus ipse * huic piissimæ Matri suæ de hoc mundo migranti occurrit, eamque super omnes cœlos exaltatam, cunctæ secum creaturæ perenni jure dominaturam in throno * collocavit. O dies tanti occursûs glorioſa & felix! Dies tam præclaræ * exaltationis beata & celebris! Dies tam sublimis glorificationis festiva & omni sæculo admirabilis! Dies enim illa non solùm te, Domina, ineffabiliter sublimavit; sed cœlum ipsum, quod penetrasti, nec non cuncta quæ in eo sunt, novâ & ineffabili glorià decoravit. Nova quidem * gloria cœlum decoravit: quia priorem gloriam ejus ex præsentia tui, ultra quàm dici possit aut cogitari, magnificavit. Nam cùm tu, Domina, illuc ascendis; nova illud & * præcellenti virtutum tuarum dignitate irradias, immensaque miserationum * & gratiarum luce perlustras. * Eadem quoque dies ascensus tui * eos, qui cives ejus ab initio creaturæ esse meruerant, solito festivori exultationis gaudio induit, qui per glorioſum fœcundæ virginitatis tuæ fructum * semirutam vident civitatem suam redintegrari. Verè in tuo adventu, per quam tantum bonum meruerunt, gaudii sui magnitudo jure debuit augmentari. Terram etiam dies exaltationis tuæ, ô beatissima fœminarum, mira gratia irrigavit: quia dum te, quàm de se & in se aliorum hominum lege progenitam cognovit, usque ad Creatoris omnium thronum exaltari cognoscit; * antiquæ maledictionis pœnam, quam in peccato primorum suorum filiorum * sese meritò excepisse sciebat, jam per tantæ benedictionis tuæ abundantiam sese evadere indubitanter credebat. Quid amplius dicere possum, Domina? Immensitatem quippe gratiæ & gloriæ * tuæ considerare cupienti sensus deficit, lingua fatiscit. Quemadmodum enim omnia, quæ in cœlo sunt, per glorificationem tuam inæstimabiliter decorantur: ita per eandem glorificationem, cuncta quæ in terra subsistunt, ineffabiliter sublimantur. Singula nempe in immensæ dignitatis decus profecerunt, cùm per tuam beatam & integerrimam virginitatem Dominum Deum suum quem non cognoverant, agnoscere, & agnitum colere & amare meruerunt. * Quam super omnes cœlos ascendere ac in dextera Domini Dei sui Filii tui benedicti exaltari cognoverunt, in eo etiam didicerunt se eidem Deo suo totum debere quod sunt; quando tu, quæ inter illa, & de illis una fuisti tantam dignitatis eminentiam meruisti. Nihil igitur aut idolis homines, aut ullæ aliæ rerum species intellexerunt idolorum cultoribus se debere, ubi & singularem auctorem sui ex tuo castissimo utero ad restitutionem primæ creationis suæ progenitum susceperunt; & te, per quam amissam dignitatem suam recuperavere, omni creaturæ tam sublimiter præponi * accepere.

CAPUT IX.

*Quantùm profuit beata Virgo Maria * naturæ humanæ.*

QUas itaque laudes, quasve gratiarum actiones, non solùm humana natura, sed omnis creatura huic sanctissimæ Virgini debet? Pura enim sanctitas & sanctissima puritas pissimi * pectoris ejus omnem omnis creaturæ puritatem sive sanctitatem transcendens incomparabili sublimitate hoc promeruit, ut reparatrix perditi orbis * dignissimè fieret. Unde quid laudis pro tam ineffabili bono ipse per eam reparatus mundus, ei jure debeat * cor alicujus sub mortali carne viventis] æstimare nullatenus sufficit. Ne tamen aliquis eorum quæ dicimus, nimis insolens autumet nos magis more indiscretè laudantium ista dicere; quàm rem, sicut est, * considerationi fidelium quocunque modo commemorando velle præfigere; pleniùs ea, quæ humanæ naturæ per eam bona provenêre, commemorare juvat, ac sic qualiter omnes aliarum rerum formæ per ipsam * sint reformatæ: nihilominus, prout poterimus, in medium proferre delectat. Quod ea quidem re facere placet, ut præ oculis aliquatenus deformatis singularibus beneficiis ejus, nemo relinquatur, cujus consideratio immensitate promeritæ laudis illius non obruatur. Nota igitur omni sæculo loquar, & de quo ad quid provecti simus hujus Dominæ meritis. pro posse, edicam. Itaque natura * nostra ad similitudinem Dei in principio creata fuit, quatenus indesinenter ipso Deo frueretur, & ejus gloria sine omni corruptione & mutabilitate aliquando potiretur. Hoc tam grande bonum natura statim in primis hominibus perdidit, & in hujus mundi miserias infelix & præceps ruit, * dehinc in æternas miserias decurso vitæ labentis articulo multò infeliciùs ruitura. Transierunt multa sæcula, & damnationis istius immanitas super omnes filios hominum semper est in deterius roborata. Nec enim summi Dei sapientia * ullam in massa creationis humanæ viam * constituit, per quam, ut disposuerat, in mundum veniens tam luctuosæ perditioni subveniret: donec ad istam, de qua loquimur, Virginem ventum esset. Sed hæc * mox, ubi in mundum per humanæ generationis lineam venit, tanta omnis boni virtute atque constantia perfectè resplenduit, ut eam ipsa sapientia Dei, uti à sæculis prædestinaverat,] verè dignam judicaret, per quam in hominem veniens, non modò reatum primorum hominum, sed & totius mundi peccata deleret, & diabolum suis operis inimicum cum suis elideret; nec non damna cœlestis patriæ, illuc hominem deducendo, redintegraret. Quis igitur ista perpendens æstimare queat qua laude digna sit, quæ tantorum * bonorum sola præ cunctis effici meruit mediatrix? Liberati

al. regni suæ gloriæ
al. cum
al. ejus benedictus
al. ipse
al. omit.
al. hinc
al. throno gloriæ
al. exultationis
al. gratia
al. præcedat
al. tuarum &
al. eodem
al. eorum
al. semirutam
al. ac nonnulli
al. tuæ.
al. gloriæ & felicitatis
A
B
C
D
E
al. Quis igitur super omnes cœlos in dextra Domini...exaltatum degne, cognoverunt, eo etiam... quando ea, quæ inter.... unam tantò
al. acceperit
al. creaturæ
al. pectoris
al. benignissime
al. omit.
al. considerationi. Ne igitur videatur exiguam quid considerationi
al. aut si
al. sunt reparatum sive
al. meæ
al. sapientia summa
al. invenit
al. omit. hæc
al. sobrietatis
al. beneficiorum

ergo à lege mortis, qua detinebamur, resurgimus in gloriam, quam in primo parente perdidimus; imò in ampliorem, quàm vel ipse in se, vel nos in ipso amisimus. Qui etenim adhuc etiam in carne mortali per fidem ad amissam gratiam seu patriam tendimus, in filiationem * Dei per benedictam Filium benedictæ matris Mariæ transimus, eundemque Filium ejus nobis fratrem ipso auctore * asciscimus. A morte enim resurgens nos fratres suos appellavit, & quòd ad Patrem suum & Patrem nostrum, Deum suum & Deum nostrum foret ascensurus, familiari affatu nobis intimari præcepit. * Quòd igitur tantum patrem & tantum fratrem sortiti sumus, utique beatæ Mariæ ascribere debemus, cujus integerrima * fœcunditate in tantam dignitatem surreximus; quam quidem dignitatem nostra natura nequaquam adepta fuisset, si illius * fœcunda virginitas Deum de sua substantia non genuisset. Cùm igitur tam inæstimabili dignitatis honore, etiam in hujus mundi squaloribus degens, per piæ matris Dei Mariæ merita humana natura sit exaltata; vel advertat, qui potest; qua quali gloria decorabitur, cùm hunc ipsum fratrem suum, omnipotenti Patri ejus coæqualem, in sua majestate regnantem * acceperit, ejusque regni cohæres existens, perpetua & incommutabili glorificatione * vultui ipsius præsens * adstiterit? Advertat, inquam, advertat quæ gloria, quod gaudium, vel quæ jubilatio erit omnibus illis, qui in regnum æternæ beatitudinis assumpti, Deum Dominumque rerum omnium in suæ carnis substantia sibi similem viderint: & cuncta, quæ sive in cœlo, sive in terra, seu in inferno subsistunt, ad nutum illius pendere; eumque fraterno affectu, imò ultra omnem fraterni amoris affectum, seipsos amare * & quæcunque velle poterunt, sine mora, sine contradictione, sine defectu sibi æternaliter subministrare. Super hæc cùm ipsam Dominam, per quam tanta bona eis provenere, præ oculis habuerint juxta Deum, quem de suo utero Virgo Filium * pepererat residentem, & jure materno cœlo terræque cum eodem suo Filio præsidentem, consideremus qua exultatione exultabunt pro tanta gloria ejus, quo honore sublevabuntur in tanta potentia ejus? Omnis utique creatura deferret eis honorem, non solùm quia videbit naturæ ipsorum consortem esse suum Creatorem: sed etiam quia * Dominatricem suam unam ex eis esse conspiciet factam Reginam Angelorum. His igitur ita consideratis, tu quicunque ex humana * stirpe progenitus es; quomodo potes, & quantùm potes, erige aciem mentis tuæ * & quas grates, quas laudes, quæ obsequia ei perpetuò debeas, per cujus beatam & integerrimam fœcunditatem de tanto malo ad tantum bonum, ut brevi ostendimus, * sis provectus, gnarus attende. Nulla te ab horum consideratione sæculi delectatio moveat, nulla cujusvis * vani amoris * desidia à debita laudum exhibitione retardet.

al. à Deo
al. arctissimus
al. Quid
al. de benedicta
al. Beatæ Mariæ
al. omis.
al. aspexerit
al. vultum
al. constitutus
al. omit.
al. peperit
al. Dominam summam & unicam dominatricem, cœli & terræ Matrem ex hio conspicient esse factam Reginam
al. progenie ortus es
al. rum in eâ, & quas potes laudes persolve considera quas gratas
al. compendio
al. omit. vani
al. desidia

CAPUT X.

Quantùm profuit omni creaturæ, etiam præter humanam.

VErùm quoniam aliquantisper animadvertimus, quid boni per * excellentissima beatæ matris Dei Mariæ merita adepti sumus; paucis etiam, ut proposuimus, pro posse, quid aliarum species rerum, per eadem ejusdem merita sint adeptæ, advertamus. Scio quidem superiùs me quædam inde * commemorasse; sed ad commendandam piis auribus tantæ Dominæ eminentiam non videtur fore superfluum eandem præsentare sententiam. Omnem itaque creaturam tam cœlestem, quàm terrestrem, ad sui Creatoris laudem & gloriam institutam nemo * sanum sapiens ambigit, * nemo sapiens silet.] Quapropter si aliquid ejus laudi, aut gloriæ, sive honori derogat in quoquam; bene intuentibus liquet quòd idem ipsum cæteris suæ subjectionis integritatem ei servantia, quodam exinde confusionis verbere sauciat. Nec enim ad Domini sui fidelitatem integrè sese tenerent, si verecundiam * sui auctoris æquanimiter & inconcussa tranquillitate * tenerent. Homo igitur, qui à Deo inter cæteras creaturas sublimis naturæ creatus * Deum per inobedientiæ suæ reatum inhonoravit; omnia, * quæ sui juris priùs erant, amisit;] omniaque, quæ sui status integritatem servaverunt; ipsà reatûs sui immanitate, quantùm in ipso fuit, quadam confusione vulneravit, adjecta est eis super hac confusione & alia confusio: quia huic, quem à suo Conditore per malæ vitæ merita exorbitare videbant, per suæ conditionis legem ministerii sui obsequium nullo tempore abnegare valebant. Ingerebatur igitur operibus Dei contumelioſa quædam oppressio, & fiebat de eis gravis & injuriosa abusio. Jus siquidem nullum in his, quæ Dei sunt justè * deberet habere, qui voluntati ejus non veretur pravis actibus contraïre. In eo itaque quòd lumine cœli, & syderum motu, in suis usibus homo reus potiebatur; idem cœlum, & sydera ipsa, magni honoris detrimenta patiebantur. Nempe illi serviebant propter quem se nequaquam instituta sciebant. Ad * servitium quippe justi hominis, non injusti, qui tunc erat, condita fuerant. Hoc ipsum de aëre, de terra, & quæ profert, de mari & omnibus aquis, ac de his quæ continent, dicere licet & sentire. Omnes igitur rerum formæ informi quadam & contumelioſa obfuscatione tegebantur, eo quòd ipsi, qui Deum suum incessanter * offendebat, ministrare ac subdi sine intermissione cogebantur. Duravit autem hæc in rerum substantiis injuria quousque venit in carnem illa, de qua loquimur, beata Virgo Maria. At ubi venit ipsa, & in se Filium Dei incorporavit, & pristinam dignitatem in Deo, qui nascebatur, humana natura recuperavit; nihil ultra confusionis, aut injuriam alicui rerum speciei resedit: imò libertatem * primæ creationis suæ confestim recipere meruit. Nam ipsa, cui juxta legem suæ conditionis jus libertatis maximum erat, obsequendi videlicet illi quem ad Dei imaginem conditum noverat, cùm ipsum in Creatoris sui similitudinem, quam peccando in se corruperat, per bona opera redire conspexit, non mirum si deinceps obsequendo dominatui ejus, * contumelioſæ jugum servitutis excussit.

al. omit.
al. debet
al. fustinerent al. est, dum Deum
al. omit.
al. Ad obsequium quippe sive servitium
al. offendebat
al. patria
al. contumelioſo

CAPUT XI.

De eodem.

ALio * item modo, si placet, consideremus qualiter omnis creatura ad utilitatem hominis sit creata; & quemadmodum eadem utilitas ob peccatum primi hominis quodammodo evanuerit; quove pacto per Beatam Dei matrem virginem Mariam, primam suæ utilitatis dignitatem recuperaverit. Certè homo qui mentis ratione subsistens carnis fragilitate deprimitur, ad hoc conditus erat ut contemplationis oculo formæ sui Creatoris jugiter intenderet. Sed quia ipse Conditor ejus incircumscriptus spiritus est, & nemo unquam carnis corruptibilitate vallatus in magnitudinis ejus notitiam, vel admirandæ Divinitatis illius * speculationem, sicuti est, pertingere potest; proposita illi aliarum rerum existentia est, quatenus earum consideratione sublimitas ejus, quæ per se * nequit * videri, ab ipso intellecta conspiceretur. Verùm ubi post primorum hominum peccatum generationis humanæ propago in desideria cordis sui prolapsa * per vitia sorduit; non solùm Creatoris contemplatio, sed & rerum creatarum mirificæ dispositionis salutifera

al. omit.
al. Incorruptibilitate pressus alienum in
al. dignitatis
al. speculum
al. nequit
al. omit. videri
al. est, & pat

meditatio ab ea procul evanuit. Vides ergo quali modo in lapsu hominis ruit dignitas rerum. In consideratione enim illarum homo resurgere debuit in agnitionem Dei: & sic quasi quidam ei gradus fieri debuerunt pertingendi ad Creatorem ipsius & sui: sed * hæc in eis dignitas periit; quando qui eâ dignè uteretur, nullus * extitit. Nec ullatenus, ex quo primus homo corruit, receperunt amissam eminentiam tanti boni; donec ille Agnus, qui peccata mundi tolleret, in persona Dei & hominis prodiit * mundo per Mariam. Verùm in cognitionem Dei homine per hunc Agnum revocato, omnis etiam alia creatura * in statum suæ conditionis & honore proprii congenitique decoris est * revocata. Hujus igitur tam magni boni effectum illi profectò censemus imputandum, per cujus virgineum uterum is venit in mundum, qui & humanam naturam in tantam, sicut diximus, dignitatis excellentiam sua sapientia revocavit, & omnem simul creaturam privilegio amissi honoris mira dispensatione redonavit. Quid ergo huic sacratissimæ Dominæ omnis tam rationalis quàm etiam irrationalis creatura jure debeat, qui valet, ex his, quæ paucis perstrinximus, dilatato sensu advertat. Utique cuncta, quæ Deus bona & utiliter fecit, in eo statu quo condita fuerunt, sicut * ostendimus, esse destiterunt, & per hanc beatissimam Virginem in statum pristinum revocata sunt, & restituta. Sicut ergo Deus sua potentia parando cuncta, Pater est & Dominus omnium; ita beata Maria suis meritis cuncta reparando mater est & Domina rerum: Deus enim est Dominus omnium, singula in sua natura propriâ jussione constituendo; & Maria est Domina rerum, singula congenitæ dignitati per illam, quam meruit, * gratiam restituendo. Et quemadmodum Deus ex sua substantia genuit eum, per quem cunctis originem dedit: ita Maria de sua carne * peperit filium, qui * in decorem primæ creationis omnium cuncta restituit. Item: sicut nulla rerum species, nisi per Dei Filium facta subsistit; ita lex debitæ damnationis neminem deserit, nisi quem ab ea Filius * Mariæ absolvit. Quis igitur ista recto sensu & corde sincero perpendens, plenè percipere queat excellentiam * Dominæ hujus, per quam tam * ineffabili gratia, à tam æstimabili dejectione erectus est mundus? Quis, inquam, tam miram, & omni prorsus rei præter hanc inauditam, gratiam hujus mulieris oculo mentis aspiciens non obstupescat; & non modò elinguis, verùm etiam à tantæ rei comprehensione prorsus immunis fiat?

al. & hæc etiam

al. fuit aut existit

al. modò

al. in statu, vel statu

al. renovata

al. diximus &

al. carne mundissima
al. decorem cuncta restituit

al. beatæ Mariæ virginis

al. hujus virginis
al. tam] inæstimabilia bona haberet rerum natura, per quam tam inæstimabilis, gratia à tam ineffabili dejectione

CAPUT XII.

Oratio ad beatissimam Virginem Mariam.

QUapropter ea, quæ nobis sunt impenetrabilia, intermittentes precibus impetrare nitamur; ut quod intellectu capere nequimus, salutari saltem affectu obtinere mereamur. Rogamus ergo te, Domina, per ipsam gratiam, qua te pius & omnipotens Deus sic exaltavit, & omnia tibi secum possibilia esse donavit; quatenus id apud ipsum nobis * obtineas, ut plenitudo gratiæ quam meruisti in nobis sic operetur, quo participium beati præmii ejus nobis misericorditer quandoque * donetur. Ad hoc quippe Deus noster, per te factus est frater noster: ut quemadmodum ipse dignatus est consors fieri nostræ humanitatis, sic nos mereamur consortes fieri suæ divinitatis. Intende ergo, Domina piissima, ut nobis ad * effectum proveniat, propter quod Deus noster ex tuo castissimo utero factus homo inter homines venit; nec sis, quæsumus, exoratu difficilis: quia procul dubio idem benignissimus Filius tuus erit ad concedendum quicquid voles promptus & exaudibilis. Tantummodò itaque velis salutem nostram, & verè nequaquam salvi esse non poterimus. Quid igitur stringet larga misericordiæ tuæ viscera, Domina, contra nos, ut nolis salvari nos? Certè Deus noster (teste Propheta) misericordia nostra est, & tu ejusdem Domini nostri absque dubio vera mater es. Si tu ergo, quæ Dei mater es: * & ea re vera misericordiæ mater * denegas nobis effectum misericordiæ, cujus tam mirabiliter facta es mater: quid faciemus, cùm idem Filius tuus advenerit cunctos æquo judicaturus judicio? Siquidem licet ipse Filius tuus sit per te factus frater noster: * utique tamen ubi voluntatem tuam sic videlicet dulcissimæ matris magis porrectam adverterit: illuc, servatâ æquitatis ratione, à qua se nullatenus discrepare * velle videbit, & judicii sui sententiam, sive ad misericordiam inflectendo, seu ad justitiam intendendo, promulgabit. Subveni ergo nobis, Domina, & non considerata peccatorum nostrorum multitudine, velle tuum ad miserendum nobis inflecte. Copita, quæso, & recogita apud te quia non ad damnandum, sed ad salvandum peccatorem Conditor noster ex te factus est homo. Cur itaque non juvabis nos peccatores, quando propter nos in tantam celsitudinem es elevata; ut te * Dominam habeat & veneretur * omnis pariter creatura? An ideò utrum pereamus, amplius non curabis: quia quicquid de nobis miseris ultra eveniat, gloriæ tuæ jactura nulla inde perveniet? Et hoc quidem fortassis aliquo modo, bona Domina, dici posset; si pro tui solius exaltatione & * salute Mater Dei facta fuisses: * si utique Deus, qui hominem assumpsit ex tua castissima carne, hoc fecit pro tua & * nostra communi salute. Si ergo, quæ plena salute es pòcita, non intendis ut eadem salus pro modulo nostro etiam ad nos usque pertingat: jam tuorum sufficiens commodorum, nostrorum negligens esse videberis: & quæ pro totius mundi salvatione meruisti fieri Mater Altissimi, cùm nos * proposueris, quos obvolvit finis sæculi, quid, quæso, proderit nobis tua gloriosa & felix exaltatio, & quam inde habemus, dulcis & affectuosa exultatio? Ut ergo Filium tuum totius mundi Salvatorem, & te ejus reconciliatricem esse veraciter sentiamus; eo nos propentiori studio juva, precamur, & fove, quo in fecibus mundi natos & * alitos potiori levamine prospicis indigere. Ab initio denique renovationis humanæ, omnibus sub tuum præsidium confugientibus hucusque succurristi; & idcirco præ omni creatura, omni laude dignissima dici & esse meruisti. Eia succurre * nobis oramus; ut laus, quam per tot sæcula * dignè possedisti, continua tibi duret in gratia ipsa qua mundo * perdito subveniisti. Tibi ergo nos commendamus, tu procura ne pereamus: effice potius ut salus nostra de die in diem multiplicetur, & Filio tuo Domino nostro Jesu Christo vita nostra jugi devotione famuletur. Qui cum Deo Patre, & Spiritu sancto vivit * dominatur & regnat per infinita sæcula Deus.

al. effectum

al. ubi voluntatem tuam sic videlicet

al. omit.

al. Domina
al. cuncta

al. utilitate
al. sed

al. nostri omnium

al. post provectio

al. aliter

al. omit.

al. omis.

al. omit.

al. vivit per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Digitized by Google

DE QUATUOR VIRTUTIBUS
QUÆ FUERUNT IN BEATA MARIA; EJUSQUE SUBLIMITATE.

CAPUT PRIMUM.

De his Virtutibus generatim.

MULTI Dominæ sanctæ Mariæ laudes stylo formare conati, libenter humano generi pro viribus propoſuere quanta olim in eam confluxit copia virtutum, & quanta nunc facilitate neceſſitatibus ſuccurrat mortalium : Quanta tunc fuerit donorum gratiâ ſublimis & mirabilis ; quanta nunc pietate ſit potenter ſingularis, ſingulariter dulcis. Nam cùm quatuor virtutes eſſe Philoſophi non tacuerint, Juſtitiam, Prudentiam, Fortitudinem, Temperantiam, ex quibus quaſi ex* gaudio limite omne virtutum agmen emicet : quia majores noſtri quatuor primas in ea regnaſſe docuerunt, certas appendices in ejus animo conquadraſſe perleve fuit ut oſtenderent.

Forte leg. quadrivio.

Et Juſtitiam quidem ejus ſic aſſeruerunt, quòd ipſa tantâ tenacitate Dei præceptis per legem inhærebat, ut nec illa dimittenda putaret quæ ab ejus integritate * progenerari noſcuntur : verbi causâ, purificationem poſt partum, pro ſobole ſacrificium, annuum ad templum aſcenſum : hæc enim ab ea ex abundanti facta, quis fidelis ambigat ?

Forte leg. poſſe non obſervari

Prudentiam : ut prima fœminarum animadverteret rem quæ carebat exemplo : quàm gratum Deo eſſet pudicitiæ ſacrificium, quod ipſa voverat Deo, legis maledicto relicto in medio. Præterea, poſt Salutationem Angeli quàm prudenter locuta, quàm facilè credula. Fuit enim ea fides & credulitas prudentiæ ſupellex, quòd credidit poſſe fieri per Spiritum ſanctum ut ſine complexu maris abſque periculo pudoris, exulante urtica libidinis, produceret filium.

Fortitudinem : ut quæ juſtæ debere fieri prudenter intelligebat, incunctanter voverat, & votum conſtanter perſequeretur. Juſtum autem eſt ut quod gratiolius & ſpeciolius habeas, Deo omnium bonorum largitori ad ejus nutum offeras. Id prudens Virgo ſapienter colligens, Virginitatem ſuam, qua nihil amabilius, nihil formoſius ducebat, Deo fortiter vovit, & fortiſſimè ſervavit.

Temperantiam : quòd ſupradictas virtutes ſtudio humilitatis continuaverit, per illam cuſtodiens quicquid boni mentis ingenuæ devotio, & cœleſtis gratia concervaverant in ea. Fuit ergo Juſtitiæ, quòd bonum fecit ; Prudentiæ, quòd qualiter faciendum eſſet intellexit ; Fortitudinis, quòd perſeveraverit ; Temperantiæ, quòd in tanto faſtigio locata humili mente caſum cavit.

CAPUT II.

De Juſtitia & ejus appendiciis.

HAbent porro hæ virtutes alias, ut dixi, appendices & comites, habent pediſſequas & collaterales. Quarum effectus in Domini matre ita, ſi bonæ fidei memoriam habeo, diſpoſuere. Juſtitiam, inquiunt, comitatur religio, quæ eſt munditia vitæ, ut per eum Deo placeatur : Pietas, per quam diligitur proximus : Gratia, quæ eſt beneficii accepti memoria : Obſequentia, quæ obſequitur cui dignè debet : Veritas, quæ docet vivere pro natura, loqui pro re. Has virtutes ita beata Domini mater trivit, ut religiosâ munditiâ vitæ Domino Deo templum in ſuo ædificaret corpore : pietate proximum coleret ; collatorum in ſe beneficiorum, Deo non ingrata, ipſi viciſſim animam & corpus viva ipſa hoſtia libaret ; obſequi majoribus & dignis ſedula, adeò ut cùm præconio Angelico matrem ſe Dei fore audiſſet, impigrè in montana conſcenderet, anum cognatam obſequiis ad partum dilinitura. Veritatis mater veritatis innixa ; pro natura vivere aſſueta, quæ ipſum naturæ opificem integris bajulavit viſceribus. Pro re loqui non neſcia, ſponſionem Angeli diligenti rationis trutina examinavit ; ut planè quomodo faciendum eſſet addiſceret, quod fieri poſſe & debere non dubitaret.

CAPUT III.

De Prudentia & ejus ſequacibus.

PRudentiam ſequuntur providentia, quæ proſpicit quod in futuro utiliter fiat : Intelligentia, quæ intelligit quid in præſenti utiliter fiat : Memoria, quæ bene vel ſecus acta integrè colligit, & de præterito dicta. Nullus autem hac Domina providentior, quæ antequam voveret Deo virginitatem ſuam, perſpicaciter providit quantùm profectus illud votum factum & bene obſervatum ſibi & toti mundo induceret. Non enim rem voveret exoticam ; niſi videret ſibi & aliis incomparabilem inde accumulari gloriam. Nullus ea intelligentior, quæ & expedita mentis acie, & ipſius Deitatis conſcia, plenè intelligeret in Domini nativitate paſſione, & reſurrectione, quantum eſſet in præſenti bonum, quod in futuro eſſet incomparabiliter fructuoſum. Memoriæ erat tenacis & unicæ, omnia quæ ſola de filio ſciebat, ſecretiori conſilio ſibi tantùm cognita coacervans in cumulum, conſcientiæ inculcavit hominum. Unde de ea dicitur : *Maria autem conſervabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo.* Debet ergo ei totus mundus ſalvationis ſuæ plenam notitiam, quæ pleniſſimæ cognitionis Apoſtolis non invidit ſcientiam. Quapropter quia ad exiguum boni increſcere proceſſus Evangelii, niſi cognoſceretur tenor principii ; meritò illa dicitur & Apoſtolorum Apoſtola, & Evangeliſtarum Evan-

Luc. 1. v. 19.

Digitized by Google

gelista, per quam principalis ipsis fidei principibus illuxit doctrina.

CAPUT IV.

De Fortitudine & ejus sequacibus.

Fortitudini adhærent magnificentia, quæ magnificum conatur quiddam aggredi: confidentia, quæ splendidè cogitata fiducialiter arripit: perseverantia, quæ bonum inchoatum stabiliter urget: patientia, quæ utilitatis causà difficilia tolerat: utile autem quod hîc & superiùs nominavi, eo sensu volo accipi secundùm beatum Ambrosium de Officiis, ut idem sit utile quod honestum, & honestum quod utile; quamvis in sæcularibus scholis aliter diffiniatur.

Et permagnificè quidem fœlix puella egit, ut bonum rimaretur inchoandum, quod confidenter inchoavit, & perseveranter absolvit. Patientiam nec in suis, nec in filii contumeliis rupit. Magnificentiæ fuit quod dixit: *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo.* Confidentiæ, *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Perseverentiæ, *Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus, & misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum.* Porro de patientia ejus dictum est: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.*

Luc. v. 47. &c.

CAPUT V.

De Temperantia & ejus sequacibus.

Temperantiæ sunt conterminæ continentia, per quam præcipua cupiditas animi regitur gubernatione consilii: Clementia, qua refrænatur mens, temerè in alicujus odium concitata: Modestia, qua fit ex utcumque superfluo diligens & cauta recisio. Has virtutes beatam Dominam exercuisse liquet perspicuè, tùm constet eam nec fuisse incontinentem alicujus voluptatis stimulo, nec præcipitem odio, nec immodestam animo. Quomodo enim illicita committeret, quæ à licitis temperabat? Accedunt ad continentiæ præcepta mores quos virginem habere decet, sicut Ambrosius familiari illi suo, & aliis inimitabili nectare docet: *Ut sit virgo, qua nullo dali ambitu sinceram adulteret effectum, corde humilis, verbis gravis, animo prudens; voluptatem ciborum dumtaxat, si qua fuerit, parvo redimens; carnis vitia omnino compescens, loquendi parcior, legendi studiosior. Cui sit non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, ut ipsa species corporis sit simulachrum mentis & figura probitatis.* Quæ in matre Domini fuisse, nemo Christianus ibit inficias: cùm ejus vita inclyta, ut canitur, cunctas illustret & informet Ecclesias.

CAPUT VI.

Has sancta Maria virtutes Christus confirmavit.

Huic puellæ sic virtutum diademate redimitæ, totum se infudit Dei filius, bona illa virginalis animi suo potissimùm adventu custodiens. Namque ipse nobis solùm justus, sed & ipsa est justitia, qui dicitur in Psalmo: *Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem.* Matrem ergo suam jam justam justitia Dei penetrans, unxit eam oleo exultationis, id est, Spiritu sancto, præ omnibus participibus suis, id est, omnibus virginibus. Fœcunditatem matri conferens, virginitatem non auferens, ipse non solùm sapiens, sed ipsa Dei sapientia est; & in eo requiescunt omnes thesauri sapientiæ etiam corporaliter. Inveniens ergo sapientem puellam, sapientiam servavit Dei sapientia, id est, mundam custodivit corde & corpore. Siquidem scriptum est: *In malevolam animam non introbit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Ipse est temperans, & ipsa temperantia, sicut dicit in Canticis: *Ego lilium convallium*, id est, flos humilium. Idemque in Evangelio; *discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Dignatione ergo sua humilitatem Virginis acceptans, plena Divinitate in ejus influxit gremium, ut dicit Propheta: *Super quem requiescam nisi super humilem & quietum?* Itemque ipsa in Evangelio: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Ipse etiam est non solùm fortis, sed & fortitudo Dei, per quem fecit Deus Pater omnia ex nullo. Qui fortis diaboli fortior superveniens expoliavit atria, & divisit spolia. Non ergo fortitudinem matris enervem reddidit, sed sua potentia sublimavit, ut esset imperiosa creaturæ totius hera, concilians & demulcens superos, deturbans & exterrens inferos. Eam scrutans corda & renes Deus ex omnibus Virginibus, quas capiebat mundus, elegit & sanctificavit; ut habitaret in ea corporaliter, quam jam plenam pridem supradictis virtutibus fovebat & circumplectebatur spiritualiter.

Cant. v. 1. Mat. 11. v. 29. Isa. 66. v. 2. Luc. 1. v. 48.

CAPUT VII.

Non potuisse Deum ex alia Virgine hominem fieri.

Unde mihi videntur à vero alienari qui dicunt Deum potuisse salutem humanam procurare, vel per aliam Virginem, vel per aliud quàm per Virginem. Et illi quidem qui opinantur potuisse Deum incorporari in aliqua altera Virgine, respondeo compendio: Imò non potuit, quia non voluit. Et è converso: Non voluit, quia non potuit. Quamvis enim omnipotens sit; multa sunt tamen quæ dicitur non posse; sicut nec mentiri potest, nec mori; quia non vult. Nam si vellet mentiri vel mori, non esset omnipotens; quia mentiri non est potentia, sed est peccatum, id est, boni impotentia; & mori est deficere à potentia. Et ideo de Deo dicitur: *Omnia quæcumque voluit fecit*: quia nihil voluit nisi quod decuit. Eodem modo dico eum nec potuisse nec debuisse nasci ex alia Virgine. Et propterea, ut dixi, non potuit, quia noluit. Noluit porro, quia ratio non fuit. Deum certè rationis auctorem contra rationem nihil velle, nihil facere, nihil etiam posse, in promptu est. Quis verò non videat Deum à ratione resiluisse; si cùm omnes omnino fœminas infra sanctitatem beatæ Mariæ cerneret; alia qualibet in matrem electa, ipsam sperneret? Ipsam autem omnes mulieres sanctitate præcelluisse puto quòd intelligit qui superiora animadvertit. Nam aliæ quidem partes gratiarum metuere; ipsa autem plena gratiâ ab Angelo salutatur.

Ampliùs: qui dicit Deum debuisse vel potuisse aliter, quàm per partum Virginis, Adæ reparare peccatum; idem est quasi si diceret, meliùs eum facere debuisse, vel tam bene aliter potuisse. Quod si meliùs fecisse debuit; vel tam bene aliter potuit. & tamen non fecit; vel noluit, vel nescivit. Si meliùs noluit facere cùm potuisset, invidus vel ignavus fuit. Si nescivit meliùs facere cùm debuisset, ignarus fuit. Quantum enim à Dei natura abhorreant invidia, ignavia, ignorantia, fatetur qui videt quàm pudendum sit hæc vitia cuilibet honesto homini ascribere. Restat ergo ut qui hæc Deo assignare erubescit, nec prædictas ratiocinationes respuit, fateatur quòd Deus non nisi per Virginem & per hanc potissimam Virginem mundum restaurare potuit. Non potuit aliter quia non voluit; noluit, quia ratio non fuit. Et quia ratio non fuit, non debuit. Quam gradationem si quis reciprocè convertat, non irrita erit hoc modo: Non debuit aliter salvare genus humanum, quia ratio non fuit; & quia ratio non fuit, noluit; & quia noluit, non potuit; quia contra rationem facere nec potuit, nec voluit.

CAPUT

CAPUT VIII.

Sublimitas Beatæ Virginis explicatur.

SEnſibus antiquorum Patrum de virtutibus Beatæ Mariæ breviter defloratis, & in unum coacervatis, nunc ad ſublimitatem ejus commendandam, quam propter gratiam virtutum eſt adepta, vigilabit oratio. Ad quod perſpicaciùs enucleandum, amorem filii in matrem, & matris in filium proponam.

Deus Filius conſubſtantialis & coæternus & coomnipotens Patri, editus ex Patre ante tempora ſine matre, voluit naſci de matre ſine patre ſub tempore, elegitque hanc puellam pro amore quem habebat erga eam, in quam tota Divinitas influeret, & quæ Dei & hominis genitrix fieret. Amavit ergo eam antequam ex ea naſceretur, ut eſſet de qua dignè naſceretur. Parvuſque hic amor eſt, ut faceret ex filia matrem, ex creatura creatoris genitricem? Nec poſt partum amor defecit, imò incomparabile augmentum accepit. Sicut enim omnes homines ex utroque parente geniti departiuntur amorem in utrumque parentem; ita Dominus Jeſus ex matre genitus ſine patre, patris & matris ſoli matri debuit & perſolvit amorem. Item: duo erant in Virginis animo, inviſibili ſed magno concertantia prælio; Virginitatis amor, & legalis maledictionis timor. Verumtamen librato diu multumque conſilio, vicit amor qui præponderabat, & dedit terga timor. Hic occurrit Dei auxilium, qui ei & quod timebat eriperet, & quod amabat ſalvo ſignaculo non auferret. Dedit ei ergo ut eſſet & prole fertilis, & Virginalis damni immunis.

Quid illa? Nonne tantis filii beneficiis digno reſpondebat amore, plena Spiritu ſancto, qui eſt amor Patris, & prolis amor ſuavis & dulcis: Amor non volaticus, ſed æternus? Nonne eum amabat, qui eam fecit omnis creaturæ Dominam, cœli & terræ Reginam; fertilitatem, ut dixi, tribuens, integritatem non minuens? Imò verò totis medullis, totis viribus in ejus amorem ſuſpenſa erat, amoremque quem pater & mater ſoboli ſuæ debent, ſola iſta dulcis & terrena mater domino & filio ſuo impendebat. Nec eſt aliqua ſcientia quæ poſſit penetrare, nec eloquentia quæ poſſit prædicare, quantâ dulcedinis ſedulitate parvulum foverit, quantâ diligentiâ obſequioque adoleſcentem & in robur ætatis vadentem provexerit, quantâ lætitiâ juvenem miracula facientem & eorum gloriâ famoſum audierit, viderit; quantâ mœſtitia patientem & morientem ſuſpiraverit. Et hæc profectò tantò nobis ſunt penè incogitabilia, quantò inſueta. Jam verò reſurgentem & aſcendentem quàm lætis oculis Virgo fœlix intuita; quanto tripudio beata movebantur viſcera; præſertim cùm jam intelligeret in effectum prodire quæ tanto parturiebantur tempore? Genus humanum ad ſalutem vocari per Apoſtolos videbat; cujus rei gratiâ Dei filium de ſe incorporatum & in cruce paſſum antè intellexerat. Quapropter lætabatur quòd ſpei quam ante conceperat, quodque ſalutare toti mundo fore ex voto Virginitatis ſuæ ſperaverat, jam in rem veram tranſibat. Gaudebant & Angeli qui videbant civium ſuorum olim per peccatum diminutum numerum, nunc per beatum ejus partum redintegrari. Gaudebant & gaudent homines, quia quod per primam amiſerunt fœminam, centuplicati pretii fœnore recipiunt per Mariam. Corruerunt ſervi, reſurgunt fratres & filii: Fratres Domini, Mariæ filii. Quod gaudium in incomparabile crementum pullulabit, cùm illorum præſentiâ præſenti fruentur in cœlo lætitia, per quos tanta conſecuti ſunt gaudia. Gaudebat & gaudet omnis creatura, quia quæ in initio mundi à Deo ad obſequium hominis facta, quando ſe homo à cognitione & ſervitio Dei removerat, illi qui creatori ſuo rebellis erat, degeneri famulatu ſubſterni dolebat. Illa, inquam, homine per Beatam Mariam ſalvato, in antiquum decus evaſit, in priſtinum ſplendorem renituit, dum illi famulatur qui creatori ſuo & fide & opere obſequitur. Sicut ergo Deus eſt Pater & Creator omnium; ita hæc Virgo eſt mater & recreatrix omnium. Quia ſicut nihil exiſtit, niſi quod Deus facit; ita nihil recreatur, niſi quod filius ſanctæ Mariæ redimit.

Aſcendat ergo fidelis anima in mentis ſpeculam; & quantum poteſt videat in quàm ſublimi locata ſit Domina Maria. Omnis natura à Deo eſt facta, & Deus eſt factus ex Maria. Deus omnium factor ſe ex Maria fecit, & ſic cuncta refecit. Qui potuit omnia ex nihilo facere, noluit ea violata ſine Maria reficere. Deus eſt igitur pater rerum creatarum, & Maria eſt mater rerum recreatarum. Deus illum genuit per quem ſunt omnia facta; & Maria illum genuit per quem ſunt omnia refecta & ſalvata. Per has ergo ratiocinationes impoſſibile eſt ut aliquis homo ad eam converſus & ab ea reſpectus damnetur. Nam quia ipſa genuit eum per quem mortua reviviſcunt, per quem homines ex peccato ſalvantur; quia non eſt juſtificatio, niſi quam ipſa in utero fovit: non eſt ſalus, niſi quam ipſa peperit. Ipſa eſt ergo mater juſtificantis, & juſtificatorum; ipſa eſt mater ſalvantis, & ſalvatorum. Igitur mater Dei qui ſolus damnat, qui ſolus ſalvat, quem ſolum timemus, in quo ſolo ſperamus, eſt mater noſtra. Judex & ſalvator noſter, eſt frater noſter. Quomodo ergo deſperemus, cùm ſalus, ſive damnatio noſtra ex boni fratris & piæ matris pendeat arbitrio? Nunquid ſuſtinebit bonus frater puniri fratres ſuos quos redemit; bona mater, damnari filios ſuos quorum ipſa redemptorem genuit? Dulcis mater rogabit dulcem filium ſuum, pium fratrem noſtrum; filium pro filiis, unigenitum pro adoptatis. Pius filius libenter audiet matrem pro filiis; unigenitus pro iis, quos adoptavit; Dominus pro iis, quos liberavit.

Digitized by Google

EADMERI
CANTUARIENSIS MONACHI
LIBER
DE BEATITUDINE COELESTIS PATRIÆ.

Reverendo Domino, & fratri, & amico A suo, Guillelmo Monacho, manſuetudine, modeſtiâ, & honeſtate vitæ multum amando; Frater Eadmerus, Monachorum Eccleſiæ Chriſti Cantuarienſis infimus: quod * Deus promiſit diligentibus ſe.

al. Dominus

RECORDATUR, ut æſtimo, Sanctitas tuæ dilectionis, honorande Frater, quia cùm Venerabilis Pater Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus, nuper in Cœnobio Cluniacenſi aliquantis diebus moraretur; & loquens, à Religioſo ipſius loci conventu, pro ſua reverentia devotiſſimè audiretur; tuâ prece mecum egiſti quatenus verbum, quod de æterna Beatitudine in Capitulo coram poſitis Fratribus fecit, ſtyli officio, tuo conſpectui præſentarem. Ego igitur, utpote qui libenti animo volebam pro meo poſſe tuæ voluntati morem gerere, opus illico aggreſſus ſum; æſtimans illud levioris ad explicandum negotii fore, quàm poſtea ſenſerim. Noverit ergo chariſſima mihi dilectio tua, quia tui ſolius cauſa tenuit me ne cæpto deſiſterem; licèt fortaſſis melius fuiſſet penitus deſitiſſe. Materia ſiquidem pulchra & appetibilis, cùm narratur ſermone inculto & contemptibili, ſolet nonnumquam magis offendere animum audientis, quàm demulcere. Quæpropter vereor ne hoc ipſum in meo facto alicui contingat, ſcilicet, ne materia decens indecenti ſtylo digeſta, id apud hominum mentes efficiat, ut quæ priùs per ſe ſine ſcripto placebat, ex ſcripti deinceps fœditate vileſcat. Sed certè quod ſcripſi, tuâ ſyncerâ dilectione provocatus tibi ſcripſi, hoc ſolùm intendens, ut ea ſimpliciter dicerem, quæ me in eodem Capitulo per id temporis, vel alibi ab ore ipſius Patris, de eadem re accepiſſe recordari valebam. Valeat Sanctitas tua, & ora pro me.

PROLOGUS.

MULTI homines, quibus nonnunquam boni mores, & juſta opera proponuntur, & * qui ut ſe in eis, ſæculi vanitate poſtpoſita, exerceant, admonentur; inquirere ſolent, quamobrem, quo præmio, qua retributione. Reſpondetur itaque illis, quod ſcriptum: *quia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit quod præparavit Deus iis qui diligunt illum.* Quod cùm illi non clarè quid ſit, advertere poſſunt, repetitur hoc ipſum aliis verbis, & dicitur eis: Præmium quod iis, qui in hac vita Deo ſerviunt, in futura vita recompenſatur, vita æterna, beatitudo æterna, æterna jucunditas, ſufficientia * ſcilicet eſt omnium commodorum ſecundùm voluntatem, & ſine omni indigentia. Hæc ergo cùm illis hoc modo dicuntur, bona quidem & magna, ut ſunt, eſſe videntur; ſed quia non intelligunt quid in ipſa vita æterna habituri ſint, nec ſubitò quid ſit omnium commodorum ſecundùm voluntatem ſufficientia, & ſine omni indigentia, percipere poſſunt, hærent animo, nec multùm efficaci ad audita ſapore trahuntur. Quid ergo agendum ut hæc illis aliquatenus ſapiant, & ſic ad opera bona evigilent? Puerorum more cibandos exiſtimo, qui ſi quando groſſum aliquod pomum edendum percipiunt, illud ob dentium teneritudinem, & oris anguſtiam abſumere nequeunt, ſi pro illorum capacitate primò non fuerit particulatim divilum. Itaque dividamus in partes magna quæ diximus, ut inde poſſint ad vitam nutriri de quibus agimus. Quæ ut meliùs eluceant, conſideremus quæ in hac vita mens * amet humana, & ex his, prout poſſumus, conjectemus, * ea multò excellentiùs eos habituros in vita futura, ſi quidem inter mundana temptationum pericula conſtituti, Dominica fuerint præcepta ſecuti, atque cùm ipſa illic adepti fuerint, plenitudine deſiderii ſui ſe nequaquam fraudatos percipient. Hæc, inquam, faciamus, & à minimis paulatim progrediamur. Ecce ut primò quæ ad corpus attinent bona, ſuccinctè enumeremus; iſta, ut æſtimo, ſunt quæ propter ſe, & propter quæ alia quæque ab hominibus appetuntur. Pulchritudo, velocitas, fortitudo, libertas, ſanitas, voluptas, diuturnitas vitæ. Si autem in his aliqua ſunt, quæ aliquando ſervi Dei non modò non adpetunt, ſed etiam

al. omit. ſcilicet.

al. amat
al. & ea

Digitized by Google

magnopere in hac vita curare ſubterfugiunt, ut ſunt, verbi gratia, pulchritudo corporis, atque voluptas, utique non idcirco id faciunt quòd ea naturaliter nolint, ſed ne Deum in eis quoquomodo offendant. Nam ſi per ea nihil offenſionis in Deum contrahi poſſe certò ſentirent, * vel ſe ab amore æternorum impediri non pertimeſcerent; profectò jucundiùs in ipſis, quàm in eorum contrariis ſeſe deducerent. His ita prælibatis, ſingula quæ propoſuimus, * breviter tractemus, & qualiter illis poſt corporum noſtrorum reſurrectionem perfruemur, prout Dominus dederit, explicemus.

* al. ut

* al. breviter

CAPUT PRIMUM.

De pulchritudine corporum beatorum.

Sanctorum corpora decori.

ITAQUE pulchritudo bonum quoddam eſt, & quod naturaliter à cunctis haberi amatur. In illa igitur vita pulchritudo juſtorum ſolis pulchritudini, qui ſeptempliciter quàm modò ſit ſpecioſior erit, adæquabitur, quemadmodum divina Scriptura teſtatur: *Fulgebunt*, inquiens, *juſti, ſicut ſol in conſpectu Dei.* Ad hæc. Corpus Dominicum claritati ſolis prælucere, neſcio aliquem poſſe ambigere. Et ei ſimiles, atteſtante Apoſtolo, erimus, qui dicit: *Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.* Iſta fatetur auctoritas, cui contradicere ſcitur eſſe nefas. Hæc tamen ſi quis * ſibi velit ratione probari, credo nulli debere incredibile videri juſtos pulchritudinem ſolis in illa vita, ubi mortale hoc abſorbebitur à vita, ſortiri; cum verè dicantur & ſint templum & ſedes Dei, quod nuſquam in divina pagina de ſolo iſto viſibili meminimus legi.

* al. omit.

CAPUT II.

De Velocitate.

VElocitas quæ pulchritudine non minùs amatur, tanta nos comitabitur, ut ipſis Angelis Dei æquè celeres ſimus, qui à cœlo ad terras, & à terris in cœlum dicto citiùs dilabuntur. Quæ celeritas, ſi utrùm ſit in Angelis probari neceſſe eſſet: exempli gratiâ dici forſitan poſſet hominem mortali adhuc carne gravatum, mox à Judæa per Angelum in Chaldæam delatum, indeque tradito prandio, quod deferebat, ſine mora relatum. Ergo cum iſtis omnino par velocitas illis erit, quibus, ſicut promiſſa eſt, illorum æqualitas inerit. Apoſtolus etiam, qui corpora noſtra quantacumque locorum intercapedine ſeparata membratim fuerint, ſive diſperſa, in ictu oculi aſſerit reſurrectura, ſatis innuit quam velocitatem eadem corpora jam incorruptibia ſint habitura. *Corruptibile quippe hoc*, ſicut ipſe teſtatur, *incorruptionem, & mortale induet, immortalitem.* Hujus quoque velocitatis exemplum in radio ſolis licet intueri, qui ſtatim orto ſole in plaga Orientali, pertingit in ultima plagæ * Occidentalis, ut in eo perpendamus non eſſe impoſſibile quod de noſtra dicimus futura velocitate: præſertim cùm rebus animatis ſoleat ineſſe major velocitas quàm inanimatis. Huic radio ſolis ſimile velocitatis exemplum habemus in nobis. Radius quippe oculorum noſtrorum in ſublevatione palpebrarum cœlum uſque pertingit, & in ictu earum totus in ſemet, ac integer redit. Ampliùs conſtat quidem animas ſanctorum quæ jam cœleſtia tenent, nec dum plena fœlicitate frui, donec incorruptibilitate corporum ſuorum potiantur. Quam cùm * adeptæ fuerint, non erit quod amplius velint. Hæc itaque corpora ſi eas à ſua velocitate tardiores aut graviores efficere deberent, nimirum potiùs eorum conſortium abhorrerent, quàm appeterent. Igitur ea quam dicimus velocitate perfungemur, cùm in vera vita fuerimus.

* al. adepti

CAPUT III.

De Fortitudine.

POſt has nominavimus Fortitudinem, quam plerique peroſa imbecillitate plurimum amant. Præſtabunt igitur viribus, quicunque ſupernis meruerint civibus aſſociari, in tantum ut nullatenus illis obſiſtere quicquam valeat, ſi movendo aut evertendo voluerint quid à ſuo ſtatu quomodocumque divertere, quin illico cedat. Nec in eo quod dicimus majori conatu laborabunt, quàm nos modò in motu oculorum noſtrorum. Ne quæſo excidat animo, quam adipiſcemur, Angelorum ſimilitudo, quatenus ſi hîc aut in iis quæ dicturi ſumus, aliquod exemplum non occurrerit, ipſa occurrat; atque in quibus Angelos valere conſtiterit, & nos æquè valere probet & aſſerat. Neminem autem qui dubitet exiſtere puto Angelos ea qua volunt fortitudine fungi. Sed fortaſſis quæret aliquis quid nobis illa fortitudo præſtet, cùm ſingulis tam convenienter, ut convenientius nequeant * ubique diſpoſitis, nihil mutandum nihil evertendum nihilque ſtandum ſit, in quo vires ſuas quivis exerceat. Qui hæc dicit, paucis nobiſcum quid in hujuſmodi habeat uſus humanus, attendat, & videbit quia non ſemper omnibus quæ habemus, & quæ nos habere non parum gaudemus, actu utimur, ſicut, verbi cauſa, viſu ipſo, poteſtate aliqua, ſcientia rerum nonnullarum, & multis in hunc modum. Sic & tunc, de qua agitur, * fortitudo erit. Sola namque poſſeſſio ejus grata nobis erit, & exultatio grandis erit, licet nequaquam ſit nobis in actu, cunctis, ut dictum eſt, in ſuo ſtatu * collocatis. Hæc eadem quæſtio, ſi aut de velocitate, aut de aliquo eorum, quæ ob * propoſiti operis intentionem dicturi ſumus, quemlibet movet; eam, qua hîc ſoluta eſt, ſolutionem ſi * apertiorem non habuerit, accipere valet.

* al. omit.

* al. fortitudine

* al. locandis

* al. propoſiti

* al. apteriorem

CAPUT IV.

*De * Libertate.*

* al. de libertate eorum

HInc ſecundùm quod propoſuimus, ordine ſuo libertas ſequitur, quæ ſuperioribus non minus diligitur. Quicumque igitur Angelorum furinet ſimilitudinem aſſecuti, eorum quoque libertatem neceſſariò aſſequentur. Itaque ſicut Angelis nihil obſiſtit, nec aliquid eos impedire vel cõſtringere poteſt, quin pro velle ſuo cuncta liberrimè penetrent; ita non erit obſtaculum ullum quod nos retardet, non clauſura quæ nos detineat, non elementum quod nobis ad velle pervium omnino non extet. Exempli cauſa; certè Dominicum corpus, cui configuranda corpora noſtra Paulus teſta-

Digitized by Google

tur, & suprà meminimus, clauso sepulchro à mortuis surrexit, ac demum ad discipulos obseratis januis palpandum introiit, nobisque in hoc libertatis futuræ documentum grande reliquit.

CAPUT V.

De Impassibilitate.

SUper hæc sanitatem amari ab hominibus diximus. Et de hac quid melius dici poterit, quàm quod Psalmista canit, *Salus*, inquiens, *justorum à Domino?* Quibus autem fuerit à Domino vera sanitas, quæ subripere valebit infirmitas? Verùm de ista sanitate, quam in futuro sæculo habebimus, quod exemplum adferre queam, ut quæ sit intelligatur, non video: quia nihil sanitatis, quod ei comparare possim, aut ego in me, aut aliquis sub mortali carne degens sensit in se. Hic etenim tum nobis sani videmur, cùm nihil in nobis quod doleat sentimus. Fallimur tamen nonnumquam in hoc. Nam frequenter in aliqua parte corporis infirmamur, nec tamen hoc ipsum nisi aut motu corporis, aut tactu aliquo ullo pacto experimur. At de iis qui nec ita infirmantur, sed omni ex parte sibi sani esse videntur, quid dicemus, ut utrum sint, vel non sint sani, probemus? Propone tibi aliquem sanissimum corpore, & de sanitate illius scisciture, sanus est suo judicio. Hic talis paulò duriùs tangatur, aut in aliqua sui corporis parte arctiùs constringatur, & statim videbis quia clamabit, Sine, lædis me, vexas me. Quid est hoc? Nonne priùs se esse sanum dicebat? & tunc modicè tactus, ita dolenter succlamat. Istene tibi sanus videtur? Non puto. Nequaquam ergo salus hujusmodi nobis dabitur, quorum salus à Domino futura esse specialiter repromittitur. *Nam absterget Deus omnem lacrymam ab oculis* * *suorum, & jam non erit amplius neque luctus, neque clamor, neque ullus dolor, quoniam priora transierunt; & non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos Sol, neque ullus æstus: * dextera enim sua Deus tegit eos, & brachio sancto suo defendet illos.* Quid itaque eis nocere poterit, quibus dextera Dei tegmentum erit? Qualis autem sit sanitas illa, certè scio me nec meo, nec alicujus sensu, vel experimento accepisse. De Febrium verò, & diversarum infirmitatum qualitate si cujusmodi sint, quivis interrogaret; facilè forsan intelligendas exponerem: cùm quia ego illas in me, tum quoniam ab eis accepi, qui eas quæ sint, experimento didicerunt in se: at quod nec sensu percepi, nec ab ullo qui perceperit, ut dixi, accepi; non eodem modo. Credere tamen & incunctanter, ut mea quidem fert opinio, adstruere licet sanitatem vitæ futuræ ita jugem, & incommutabilem atque inviolabilem fore, ut ineffabili quadam atque sentibili suavitatis dulcedine totum hominem repleat, & omne quod alicujus in se vicissitudinis, mutabilitatis, aut læsionis suspicionem prætendere queat, procul arceat atque repellat. Hæc de sanitate dicta sint.

Ps. 16. v. 41.

Apoc. 21. v. 4.

al. suorum

Apoc. 7. v. 16. & 17. & Is. 49. v. 10.

Sap. 5. v. 17.

CAPUT VI.

*De * Voluptate.*

al. suorum delectationes

HInc eo ordine quo singula de quibus instituimus tractare, proposuimus, voluptatem subjunximus, quam alio nomine corporeorum sensuum delectationem appellamus. Et hæc quidem magnopere solet amari * quia singuli corporis sensus in iis, quæ sibi commoda judicant, delectantur. Delectatur quippe, ut, verbi gratiâ, paucis dicatur, odoratus odoribus variis, & gustus rerum diversarum saporibus diversis; nec ne singuli * alii sensus his & illis juxta quod cuique * fert naturalis adpetitus. Istæ tamen delectationes non semper delectant, sed suis quoque amatoribus sui nonnunquam tædium ingerunt: transitoriæ namque sunt, & bestiales. Illæ verò, * quæ in futuro sæculo plenè justis administrabuntur, perpetes sunt, & rationabiles. Quare non video ut qualiter intelligantur, possit edici; præsertim cùm in delectationibus vitæ præsentis, quo eas designemus exemplo, nequeat inveniri. Delectationibus etenim illis quò magis quisque utetur, eò ferventiùs illas amplectetur; quia ex earum saturitate nullum fastidium ulli creatur. Quas delectationes neminem in hac mortalitate viventem esse puto, vel fuisse, * qui senserit, vel gustaverit, ut illarum saporem, vel habitudinem cæteris digerere possit. Duas enim beatitudines, & item miserias duas, majorem, videlicet, atque minorem, esse novimus. Majorem beatitudinem, regnum Dei; minorem dicimus esse, in quo Adam primò positus fuerat, gaudium paradisi. Item majorem miseriam, æternum ignem gehennæ; minorem fatemur, quas incessanter patimur ærumnas præsentis vitæ. Beatitudinem autem neutram aliquando experti sumus. Quòd si saltem illam parvam beatitudinem, quam Adam in paradiso positus habuit, experti essemus; fortè per hanc, illam majorem aliquo modo conjectando videre possemus: sicut nunc in minori miseria nati, nutriti, & adulti, multa de majori miseria, quotiens volumus, edicere & explanare valemus. Itaque cùm delectatio, de qua agimus, constet esse una portio magnæ beatitudinis; quo illam modo explicemus, ut capiatur, non video: nisi fortè id agamus aliquâ contrariâ similitudine magnæ miseriæ, quam ex minori conjectamus. Sit igitur ante oculos cordis positus, exempli causâ, homo aliquis, qui tam in ipsis oculorum suorum pupillis, quàm & in singulis membris ferrum ignitum & candens infixum habeat; ita ut nec medullæ, nec intestina, nec omnino quidquam in toto ipso cruciatùs illius immanitate vacet, vel eam leviùs quàm in oculis aliquatenus sentiat. Quid dicam? Angustiatur. Quis hunc existimet sanæ mentis inter ista? Eodem modo, sed penitus contrariâ consideratione, in illa futura vita ineffabilis delectatio quædam bonos inebriabit, & dulcedine sui totos eos inæstimabili exundantiâ satiabit. Qui dixi totos? oculi, aures, nares, os, manus, pedes, guttur, cor, jecur, pulmo, ossa, medullæ, exta etiam ipsa, & cuncta singulatim, singulaque membra eorum in commune, tam mirabili delectationis & dulcedinis sensu complebuntur; ut verè totus homo torrente voluptatis Dei potetur, & ab ubertate domûs ejus inebrietur.

al. omit. alii

al. sua

al. omit. quæ

al. & qui

CAPUT VII.

*De * Vitæ æternitate.*

al. illorum æternitate seu duratione

al. sui

Sup. §. v. 26.

Septem dona beatorum animarum.

QUi ergo hæc bona fuerit adeptus, non intelligo ad quid pro commodo corporis * suus ulteriùs porrigatur adfectus. Solummodo adsit ei, quam cunctos adpetere diximus, diuturnitas vitæ. Sed ista illi minimè deerit, quia *justi in perpetuum vivent*, sicut Scriptura dicit. Sunt etiam alia, quæ quidem iis, * quæ digessimus, non minùs amantur; sed ad animam, sicut illa ad corpus, referuntur. Quæ nihilominus in septenario numero constituta, non modicum placent menti, quæ ipsorum fuerit sapore imbuta. Sunt autem hæc, sapientia, amicitia, concordia, potestas, honor, securitas, gaudium.

Digitized by Goo

CAPUT VIII.

De ſapientia.*

al. de ſapientia beatarum animarum

Sapientia igitur, quam omnes & in hac vita non
al. nulliter * viriliter amant, tanta in futura vita bonis erit; ut eorum quæ ſcire voluerint, nihil ſit quod ignorent: ſcient enim cuncta quæ ſcienda fecit Deus, tam ea quæ præterita, quàm quæ hujus ſæculi ſunt futura. Ibi à ſingulis omnes, ibi ab omnibus ſinguli cognoſcentur; nec quemquam omnino latebit, quâ patriâ, qua gente, qua ſtirpe quis editus fuerit, vel quid in vita fecerit. Hic fortaſſis ait aliquis, quid eſt hoc, peccata quæ feci, ſcient omnes? ad hoc ea confeſſus ſum ut delerentur, ut obliviſcerentur, ut nulli ampliùs panderentur. Bene: ſed cùm tu* in illa gloria ab
al. in illa omni criminis ſorde purgatus vultui Dei præſens adſtiteris; ingratuſne ei eſſe poteris pro tanta miſericordia quam tibi fecit, remiſſis illis & illis delictis tuis? & unde gratias ages; ſi nihil eorum, unde illas jure debeas, in tua memoria habes? Ut igitur in illius laudibus æternaliter jucunderis, ſemper de quanta ſis miſeria erutus, ut puto, coram habebis. Cùm ergo ſingulorum conſcientiæ ſingulis pateant; fateri audeo ea quoque cunctis patere, pro quorum curatione tu Deo jugiter gratioſus exiſtes; non ad tuam confuſionem, ſed ad magnam Dei glorificationem, tuamque congratulationem. Nec enim tunc pro peccatis tuis te major cordis anguſtia premet, ſcelerumque tuorum magè pudebit; quàm aliquem magnis olim vulneribus ſaucium, jamque omni ex parte ſanatum aboliti
al. in via languoris moleſtia premit: vel eorum quæ in * cuna poſitus infans egerat, nunc grandævum pudet. Tunc quippe cùm integra ſanitas, perfecta munditia, plena remiſſio, ſecura omnium offenſionum impunitas tibi certò arriſerit; cognitio eorum qui magis horrori tibi eſſe valebit, quàm eſt modò beatiſſimo Apoſtolorum Principi Petro, quâ Chriſtum negavit, abjuratio ſua; beato Paulo, qua perſecutus eſt, immanitas ſua; beatæ Mariæ Magdalenæ, peccata ſua: & multis aliis multa, quæ ſciuntur jam donata, crimina ſua? Verùm ſuper hæc; agnitis delictis, velut enormi ac fœda infirmitate tua, pietas, virtus, ac ſapientia medici, qui te ſanavit, ſublimiùs à cunctis admirabitur, laudabitur, magnificabitur: laus autem
al. Deo gloria tua & magnificentia * gloriæ Dei, tua, ſi bene advertis, gloria eſt. Sed dices: Et quidem conſentio laudem Dei gloriam meam eſſe. Verùm cùm hinc inde toc & tot, ad comparationem mei, innocentes prodeant, qui conſideratis vitæ meæ obſcœnitatibus, me omni-
al. ſic no, * ſicut æquum erit, horrori habendum judicent; quid dicam? Juſtitia nempe ſuum, & ſuum injuſtitia præmium exigit. In his, Frater, nolo timeas; aliter erit quam exiſtimas. Illum ſiquidem, quem tu tibi comparatum judicas penitus innocentem, non ibi reperies de te, quemadmodum æſtimas, ſentientem. Nam-
al. intelligit que videns te ille, de quo agis, planè * intelliget te nequaquam ſe, ſed Deum, quando peccaſti, offendiſſe. Cùm ergo viderit Deum tibi ſua debita fundi-
al. deinde tùs dimiſiſſe; nec in cor ſibi aſcendet, ut te * inde aliquatenus judicet. In hoc enim ipſo Deum ſe offendere cognoſceret; ſi te Deo per omnia reconciliatum, pro iis quæ olim feceras, ullatenus contemnendum cogitaret. Magis autem gratioſus admirabitur ineffabilem Dei clementiam, non ſolum in te, ſed & in ſe: in te, quia de tam profundo iniquitatis eripuit te; in ſe,
al. ruere se- quia ſola gratia ejus, ne in idem profundum * rueret tenuit ſe. Laudando igitur magnificabit in te poſt gratiam Dei, vim atque conſtantiam quibus enitens voraginem tanti mali viriliter evaſiſti; quam, juxta quod ipſe conſiderabit, ſi derelictus à Deo ſimili modo incurriſſet, non ita forſitan evaſiſſet. Vides igitur quàm nihil improperii vulgata cognitio peccati A tui; immo quàm multùm laudis & gratiarum, cognita remiſſio ſui generabit. Ipſi etiam Angeli ſi te ſocietate ſui propter tua peccata indignum vellent judicare; * haberes qualiter contra eos jure te poſſis defen- al habes ſare. Quonam, inquis, modo? Audi. Propone Angelorum aliquem, quaſi talia tibi improperantem. Tu homo de pulvere factus, tu pulvis quandoque futurus, contra Deum te extuliſti, contra præcepta ejus te in cœnum omnis peccati & immunditiæ tumidus dejeciſti; & nunc noſtri ſimilis eſſe quæris, quos nunquam in aliquo voluntati Dei contraiiſſe cernis. Ad hæc licèt ita reſpondeas: Si ergo, ut dicis, de pulvere factus ſum; fortè non mirum, ſi vento tentationis impulſus in ſordes ſum criminum lapſus. Verùm agnitâ & creditâ miſericordiâ Chriſti, ſpretis omnibus quæ illum nolle ſcire potui, in cunctis quæ illum velle intelligebam, memet exercui. Unde tribulationes & anguſtias in fame, ſiti, vigiliis, verberibus, contumeliis, aliiſque modis innumeris, ad honorem ejus ſuſtinere non dubitavi, * & quæque mundana pro vi- al. omis. &
ribus nihili pendens, ejus tantùm ſolius gratiæ per ſingula reconciliari deſideravi. Vos autem quid horum umquam ſui causâ ſuſtinuiſtis? Semper vos gloria, ſemper jocunditas eſt comitata, ſemper vos tenuit dextera Dei, atque defendit ab impugnatione omnis peccati, ita ut nulla * vos fuſcaret macula ejus. al. vobis ſibi ripuerit
Itaque ſi à voluntate ejus non cecidiſtis; ipſius donum eſt, à quo jugiter tenti eſtis. Sed quia hæc ratio illos tantummodo reſpicit, qui perditioni ſuæ vim fecerunt, & regnum cælorum violenter rapuerunt; C alii qui in illud ſunt, ſed alio modo intraturi, alia ratione paritatem Angelorum ſibi ſunt vendicaturi. Si quæris, qua? forſitan iſta. Dicent igitur illis: quòd in regno Dei veſtrâ quærimus æqualitate * beari, do- al. beati dono
no & gratiæ Chriſti Jeſu Domini noſtri id adſcribimus, qui ad hoc dignatus eſt homo fieri, & pati, & mori, ut nos ab omni delicto in ſanguine ſuo juſtificatos ipſius regni ſui conſortes efficeret. Vos igitur conſiderate an ſanguis Chriſti, qui eſt pro nobis effuſus, queat nobis eſſe perfecta cauſa ſaluris. Quid ad hæc Angeli, qui libenter, eò quod boni ſunt, rationi adquieſcere volunt, * dicerent; niſi quæ dicta ſunt, ra- al. dicerent
tione niti, & hujuſmodi homines jure, ſuâ æqualitate debere potiri? Cùm itaque Angeli, atque homines, quos magis te judicaveras innocentes, tibi conſentiant, tibi in cunctis pro veritate rationis honorem D deferant; perpende, ſi vales, quàm * grata ſit ſapien- al. gratia
tia iſta, qua tu ſic ab omnibus, * ſic omnes agnoſcen- al. omn. ſic
tur à te in vita illa.

CAPUT IX.

De Amicitia.

Nonne conſequenter ex iſta, quæ cunctis erit communis ſapientia, & quædam inæſtimabilis amicitia procreabitur; quæ * in tantum ſingulorum al. jus
* intima erga ſingulos * ſuo fervore compleat, ut a- al. intimo ſuos
mor cujuſque in quemque cuique ſufficiat. Nec enim video quomodo aliter * eſſe poſſit; præſertim cùm al. ille
* omnes unum corpus Chriſti ſint, & Chriſtus qui al. omic. omnes
eſt ipſa pax, ſit omnium caput; nec minori ſeſe adfectu * complectantur, quàm membra unius corpo- al. complexantur
ris ſibi invicem copulantur. Amabis igitur omnes, ut ipſum te; & amaberis ab omnibus, ut * ipſi à ſe. Pu- al. ipſa
tas, abundans eris in dilectione, quando hæc tibi fuerit in poſſeſſione? Attamen iſtam tranſi, & contemplare ipſum, per quem hæc bona tibi provenêre; & percipies quia ille plus quàm tu te ipſum, & quàm omnes alii incomparabiliter amabit te; & tu ſuper te ipſum, & ſuper omnes alios, ineffabili quadam ſuavitate illum amabis.

CAPUT X.

De concordia.

SEd quoniam ſolet aliquando contingere inter homines, ut ii, qui ſeſe altrinſecus unanimiter amant, non in omnibus ubique concordent; dum huic ſecus atque illi videtur; & quod hic adpetit, ille fugit; neceſſariò addenda præſcripto amori concordia eſt: ne ſi ullatenus vel in puncto defuerit, aliqua læſio tanto bono ſubrepere poſſit. Erit itaque tanta in cunctis concordia, ut in nullo ſentias aliquem diſcrepare ab eo quod te conſtiterit velle. Corpus unum erimus, Eccleſia una erimus, Sponſa Chriſti erimus, quicumque ibi erimus. Non ergo major tunc inter nos diſcordia erit, quàm nunc eſt, inter membra unius corporis. Verùm ſicut vides in motu oculorum, quòd illuc, quò unus vertitur, mox alius ſequitur; ita quocunque tuum velle converteris, velle omnium ſine diſceptatione illico tibi præſtò habetis. Quid dixi omnium? ipſa Dei voluntas non erit à tua diverſa: ſed ſicut tu, quod ille; ita & ille volet in cunctis, quod tu: caput namque à ſuo corpore quî diſcreparet? Hîc aliquis forſan in ſui cordis ſecreto quærit, dicens: Eia, ſi Deus & omnis ille beatorum cœtus volent, quod ego; tunc & augmentum mei boni mecum volent, quod ego ibi non velle non potero: ero itaque, pro velle meo, de majoribus in cœlo. Huic reſpondeo qui ſi etiam beato Petro par in gloria eſſe voluerit, erit: in gloria, dico; quia ut Petrus ſit in perſona, velle non poterit: namque ſi hoc vellet, ſeipſum nihil eſſe vellet: quod velle nequit. Sed neque in gloria illi æquari, ſi meritis ejus impar eſt, velle poterit; quia pulcherrimam illius corporis compoſitionem, quam in hoc violari conſpiceret, omni commodo plus amabit. Nec enim in humano corpore vel pes, loco aut officio manûs, vel manus pedis fungi optat: aut os, ſive naſus, ubi oculi ſunt; aut oculi, ubi os, ſeu naſus eſt, relictis ſedibus ſuis, transferri deſiderant; aut ſi transferrentur, patienter id paterentur: eodem modo in illa admirabili & glorificata diſpoſitione beatæ Civitatis Dei, ita quiſque quod habet, amabit, ut ſtatum ſuum potiori gradu mutari non velit. Quare? Quia cuique ſatis erit ſua fœlicitas & beatitudo. Ampliùs ſi hi, qui jam in ipſius corporis unitate locati ſunt, * majora quàm ſunt adepti, * deſiderarent; eo ipſo miſeri eſſent, * quòd nondum haberent quod vellent: in quo enim alicui, quod cupit, deeſt; in eo miſer ſit neceſſe eſt. Sed abſit ab illo regno omnis miſeria. Aderit itaque omnibus omnis ſufficientia, quam perficiet in ſingulis unanimis & plena concordia.

al. & majora eſt, deſideram

CAPUT XI.

De Poteſtate.

CUm itaque Deum & omnes tuæ voluntati concordes habueris; profectò nihil voles, quod non poſſis. Omnipotens igitur * eris tuæ voluntatis; quoniam omnipotentem habebis in omnibus concordantem tuæ voluntati.

al. ſic tua potentia

CAPUT XII.

De Honore.

ITaque cùm hæc tanta poteſtas tibi adfuerit; honor condecens poteſtati minimè deerit. Qui honor cujuſmodi ſit, brevi * ſub exemplo conſideremus. Ecce * ſit ante oculos noſtros poſitus pauper aliquis, omni ſolatio deſtitutus, ulcerum & aliarum infirmitatum fœditate corruptus, & omni, quo vel à frigoris incommoditate defendatur, tegmine nudus. Hunc igitur talem tali modo jacentem, & in nullo ſemet juvare valentem, ſi rex aliquis potentiſſimus tranſiens videret, & miſeratus ejus vulneribus mederi, curatumque ſuis juberet ornamentis veſtiri, & adductum ſibi adoptaret in filium, præciperetque ut in regno ſuo ſuus filius à cunctis haberetur, atque in nullo quod juberet à quoquam ei contradiceretur, hæredemque ſuum ac filii ſui cohæredem conſtitueret, & eum ſuo nomine vocari præciperet, nonne * diceres magnificè honoratum? Et certè Deus nobis hæc omnia faciet. Nati enim de putredine carnis, replemur multis miſeriis; in quibus miſeriis conſtitutos, & omi ſolatio deſtitutos, omniumque infirmitatum paſſionibus obnoxios, ac peccatorum & corruptibilitatis ulceribus plenos, ſolâ miſericordiâ ductus accipiet, & * curabit nos, & ſanitati reſtitutos ornamentis perfectæ juſtitiæ & incorruptibilitatis ornabit, adductoſque in filios ſibi adoptabit, regni ſui conſortes efficiet & hæredes, filioque ſuo unigenito ſibi per omnia æquali & coomnipotenti concorporales ſtatuet, & cohæredes; omnique creaturæ jubebit ut in omni quod * volemus, nobis obediat; vocatoſque nos nomine ſuo, Deos faciet. Dicit enim ipſe, *Ego dixi, Dii eſtis, & filii excelſi omnes.* Sed ipſe Deus deificans eſt; tu verò Deus eris deificatus. At fortaſſis ais: hæc ratio tua in illis quidem magnis Apoſtolis, ſeu Martyribus poterit exiſtere rata; in me autem qui utinam vel ultimus eſſe mereat, quonam pacto conſtare queat non intelligo. Intende & intellige quia nullum juſtorum ab iſta deitate excepit Deus, ubi dixit *dii eſtis, & filii excelſi omnes.* Verùm ut dicta meliùs eluceant, conſidera ſub exemplo naturam ignis & naturam rerum ignitarum, ſi fortè ibi aliquatenus queas imaginari qualiter illi ſummæ Deitati pro modulo tuo poſſis participando deificari. Ecce ignis unus eſt, & in ſua natura calidus; in hunc ignem pone lignum aliquod, plumbum, & ferrum ſimul: itaque cùm lignum fuerit in carbones converſum, & plumbum liquefactum, ita ut in carbonibus nihil niſi ignis appareat, & plumbo nihil caloris addi queat; nec dum tamen ferro poterunt in calore coæquari, quod nondum forſan penitus incanduit igne: licèt igitur aliud alio magis in calore profecerit, ſingulum tamen, ſervatâ naturâ ſui, uſitato locutionis modo, quia ignitum eſt, per ſe dicitur ignis. Sic erit in illa beata ſupernorum civium ſocietate, de qua loquimur. Nam quemadmodum ii, qui ſummæ Dei majeſtati ſunt propinquiores, & ob hoc aliis præſtantiores, Dii dicentur; ita & qui illis ſunt inferiores, quoniam una & eadem, qua * & ipſi, Deitate pro ſua capacitate participant, ſimili nomine dii dicentur. Quando ergo cum tanto bono adeptus fueris hunc honorem; non video qua ratione poſſis cupere ampliorem. Igitur dum poſſeſſione horum bonorum, quæ digeſſimus, felix fueris; nonne ſufficiens tibi videberis? & maximè, inquis. Agè igitur: ſi omnibus iſtis vel unâ die, ſicut expoſita ſunt, in re frui valeres; gauderes? Sine dubio. Si autem menſe, vel anno uno; lætificareris? Nec dici quidem, ut autumo, poteſt lætitiæ modus. Et ſi toto tempore vitæ tuæ; quid faceres? dares præmium? utique libens, quidquid haberes, & inſuper temetipſum; ſi ſic, & non aliter ea adipiſci valeres.

al. quæ ipſi

al. volumus

Pſ. 81. v. 6. Joh. 10. v. 34.

Digitized by Google

CAPUT XIII.

De Securitate.

SI verò ad hæc omnino securus existeres quòd ea, dum viveres, nullo eventu amitteres, omitto dicere utrùm vel cogitare possis, an non, quid exultationis tibi esset. Itaque cùm * tua vita perpetuò * duret in illa * vita, & hæc omnia tibi habenti securitas quoque ea ampliùs non perdendi certò arriserit; obsecro, quid æstimas tibi erit? Credo quòd etiam ad nomen securitatis mota est in te quædam jubilatio cordis; & an tanta bona securè sis perpetuò possessurus, avidus addiscere cupis. Dico igitur quia si ea perditurus es, aut tu ipse voles ea perdere tua sponte; aut Deus ea * auferet tibi nolenti; aut aliquis alius Deo fortior superveniens ea tollet, Deo, & te non volente: sed certè nec tu abjecto tanto bono in miserias, quas * te evasisse gratiosus exultabis, recidere voles; nec Deus, qui illud tam largâ & clementi bonitate donavit, id tibi aliquando auferre volet; nec ullus fortior Deo superveniet, qui, Deo te protegente, illud tibi invito aliquatenus tollet: securus igitur tantorum bonorum perpetuò * eris, nec alicujus tibi adversari volentis incursum timebis. Quid ergo putas tibi erit, cùm hæc omnia, pulchritudinem, videlicet, velocitatem, voluptatem, diuturnitatem vitæ, fortitudinem, libertatem, sanitatem, sapientiam, amicitiam, concordiam, potestatem, honorem, securitatem, secundùm quòd ea descripsimus, immo suprà omnem humanam æstimationem gloriosiùs, atque sublimiùs, quàm scribi vel dici possint, in possessione æternaliter habueris: nonne gaudium, quod erit consummatio omnium horum? Re etenim verâ, videre non possum quomodo inæstimabile gaudium circumquaque non habeat, quem tot commoda beatæ felicitatis, fœliciſque beatitudinis fine fine * circundant. Tunc igitur & tu isto gaudio perfrueris; quia nihil, unde gaudere non debeas, habebis.

al. cùm in tua vita perpetuò in illa tuta

al. auferet

al. tu

al. ejus

al. circundat

CAPUT XIV.

De Gaudio. *

al de gaudio bonorum

ITaque si haberes aliquem, quem ut te ipsum penitùs amares; & de cujus bono, sicut de tuo, omnino * gauderes; illumque non minori, quàm te, felicitate per omnia fultum videres; nonne in gaudio ejus gaudium duplicatum haberes? Si verò duos, aut tres, * aut plures huic tibi in amore pares possideres,] & eos æquâ felicitate conspicuos cerneres: numquid pro eorum numero non in te multiplicaretur gaudii tui magnitudo? & utique, cùm de amicitia superiùs ageremus, ostendimus ita omnes illius patriæ cives amaturos te, sicut amabunt se, & te illos, sicut tu te ipsum. Potest ne igitur illius gaudii modus * à quodam homine penetrari; cùm ultra mille millia, & decies millies centena millia innumerabiles ibi sint, & omnes càdem beatitudine perfruantur, nec ullus eorum sit, qui non tantùm de bono alterius gaudebat, quantùm de suo? Præterea videntes Deum ipsum, supra quàm ipsi sese amabunt, ipsos amantem; & intelligentes se, inenarrabiliter plus quàm semetipsos, illum amantes, in gloria ejus mirâ & ineffabili exultatione exultabunt. Gaudium ergo erit eis intus, & extra; gaudium sursum, atque deorsum; gaudium in circuitu, & ubique: & hoc est, sicut putamus, quod, quemadmodum in capite hujus opusculi dixi, Deus præparavit diligentibus se. Hæc itaque, juxta quod interim mihi mea æstimatio dicit, Quodammodo potest dici illa beatitudo æterna, A felicitas æterna, commodorum, scilicet, omnium sufficientia secundùm voluntatem, & sine omni indigentia; quam plenè habebunt omnes amici Dei in vita æterna: nec enim volumus adfirmare illam, * hàc quam digessimus, multo majorem non esse.

al. omnino penitus

al. amic.

al. ut

CAPUT XV.

De miseria reproborum.

CUm igitur justi fuerint tantâ felicitate beati; restat ut injusti per contrarium sint inæstimabili quadam infecilitate miseri. Sicut enim istos, juxta quod, prout potuimus, Deo donante, descripsimus, mira pulchritudo, velocitas, fortitudo, libertas, sanitas, voluptas alacres faciet & jubilantes: ita illos immanis quædam & inæstimabilis fœditas, tarditas, imbecilitas, servitus, languor atque dolor mœrentes reddet & ejulantes. Sanè diuturnitatem vitæ, quam isti pro fruendis tantis bonis summo amore complectentur, illi pro interminabili pœna, qua torquebuntur, quoniam illis inerit, summo odio * execrabuntur. De sapientia verò quid dicam, non invenio, nisi quia sicut justis in gaudium & honorem, ita injustis quidquid scient, vertetur in mœrorem & confusionem. Amicitia verò, qua in invicem pii summâ jucunditate copulabuntur, si qua in impiis erit, in * tormentum eis erit. Quò enim magis quosque amabunt, eo magis gravius in illorum pœna dolebunt. Si contra, concordiam * an habituri sint, quæritur: discordiam habebunt cum omni creatura; & omnis creatura discordabit ab aliis. Hinc ergo pro potestate bonorum, tanta impotentia * eos sequetur; ut omnino nihil eorum quæ voluerint, possint; & quidquid habuerint, nolint. Igitur pro honore Sanctorum, obtinebunt perenne opprobrium. Et hæc * quo fine claudentur? Vere sicut amici Dei securi erunt se unquam amissuros bona sua; ita isti inimici Dei omnino desperabunt se jam ampliùs perdituros hæc mala sua. Pro æterno igitur & ineffabili gaudio Beatorum, hæreditabunt æternam & incogitabilem tristitiam omnes, qui pro impœnitudine reatûs sui, transituri sunt in societatem dæmoniorum. *

al. execrabuntur hanc

al in tormentis

al & contra concordiam quid habituri

al. ejus

al. quoque

His in duobus Mss. & modus explicuit Liber ipse.

His itaque consideratis atque perspectis intelligi potest quàm utile sit homini in bonis moribus ac justis operibus vitam suam exercere, quamque damnosum illis omissis per vicia & iniquitates affluere.

Quòd si latiùs consideremus, videlicet, quàm utile sit, quemlibet hominum bonum esse, videbimus non solùm ejus, qui bonus est, sed & Deo ipsi, & Angelis, & cuique justo homini, ac insuper omni creaturæ id utile esse. Et Deo quidem, non quòd personæ illius aliquid commodi vel incommodi accidere possit, bonus homo utilis esse dicitur: sed quoniam illi ad perficiendam civitatem suam quam de bonis hominibus perficere instituit, eo studio, quo in illam tendit, adminiculatur. Humanus quippe usus hoc habet, ut eum sibi quis utilem judicet, qui se ad hoc adjuvat, sine quo id quod bene vult, perficere non vult.

Qualiter autem bonus homo sit etiam Angelis utilis, inde cognoscitur, quòd ex societate bonorum hominum numerus illorum qui diminutus erat, redintegratur. Cùm igitur aliquis per vitam bonam in societatem illorum currit, magnum quid ipsis præstat, quia quantum in ipso est, numerum eorum supplet & perficit. Omni quoque justo homini, nec non omni creaturæ justum hominem utilem diximus. Justo homini, quia quantò ardentiùs in supernam patriam tendit, tantò velociùs patria ipsa in suis civibus consummabitur, & quisque adepta suorum corporum resurrectione, quam multùm desiderat, geminata lætitia atque in honore in regno Dei per-

fruetur. Omni creaturæ, quoniam dum per bonitatem ſuam incrementum civitatis Dei aſſurgit, renovationem qua ipſa creatura in melius eſt commutanda, ultra non impendit, imò quantum ſua refert, omnem ei moram perfectionis rumpit & adimit.

Quantum ergo cuique ſit enitendum ut bonus ſit, perpendat qui poteſt; quandoquidem ex bonitate hominis, & conſummatio Regni cœleſtis, & prædeſtinata toti creaturæ pendet reparatio univerſalis. Nihil enim horum omni ex parte perficietur, donec numerus Electorum impleatur. Tantò itaque bonum iſtud plus differetur, quantò ii, qui æternæ vitæ digni exiſtant, minùs invenientur.

Singulo igitur homini ad Regnum Dei pervenienti Deus ipſe, Angeli quoque, ac juſti homines eo quòd ſe talem exhibuit ut illuc perveniet, gratioſi B exiſtent, & ut ſua omnia ejus ſint, unanimiter volent, eumque ſicut cohæredem & comparticipem Regni cœleſtis, quaſi teipſos perenniter diligent. Siquidem quantum in ipſo fuit, & civitatem Dei, & Angelorum numerum, & ſanctos homines conſummavit. Sed cùm ii qui ad vitam æternam pertingunt tanta merentur, patet per contrarium, quid nequam homines, quia Regno Dei extores ſuo merito fiunt, promereantur. Quantum etenim ad eos ſpectat, nec Dei civitas, nec Angelorum numeroſitas, nec electorum hominum proficiet præfixa integritas; immo cùm ipſi ad horum perfectionem conditi fuerint, nec pertingere ſatagunt, ne unquam perficiantur ſuis factis intendunt.

Quemadmodum igitur quivis homo dolet & queritur quando aliquo modo perdit quod pro ſui com- C modo & utilitate adquiſivit, ita Deus quodammodo dolet & queritur, quando hominem quem ad opus ſuum creaverat à diabolo rapi, & in æternum ſibi perire conſiderat. Inde etiam illi qui damnantur perditi dicuntur, quoniam Deo ad cujus regnum & honorem conditi ſunt, in confuſionem æternam à diabolo præcipitati depereunt.

Ecce utcumque propoſita nobis eſt beatitudo vitæ perennis, & è contrario miſeria mortis æternæ. Ut igitur hæc evadantur, illa adquirantur, eo magis elaborandum eſt, quo iſta interminabili pœna malos cruciat, illa indeficienti jucunditate bonos oblectat.

Qui ergo eſt bonus, perſeveret, donec debita ſibi beatitudinis præmia capiat; qui verò malus, quod eſt D eſſe deſiſtat, quo miſeriam, quam meretur, evadere queat. Et quidem bonitas, quia lux eſt, planè inſtruit eum, cui inhæret, qua gradiatur ut ad vitam perveniat; ſed malitia, quia tenebræ ſunt, occæcat illum qui ea inebriatur, ne videat quo ruit, ut intereat. Sed ſit aliquis fortè malus, qui quod eſt, eſſe erubeſcat, & ſe bonum fieri velle dicat. Hic neceſſe eſt ut ante omnia ſe malum, id eſt; peccatorem, ac per hoc tenebris involutum intelligat, quatenus ſe ubi jacebat, poſſit videre. Sunt etenim plures qui tàm denſis peccatorum tenebris obvoluti ſunt, ut nulla ratione ſe vel in ipſis tenebris eſſe poſſint advertere.

Primum igitur & magnum quid boni eſſe conſtat, E hominem ſeipſum poſſe intelligere in quo ſtatu, vel caſu ſubſiſtat. Eo enim quo ſe intelligit, luci accedit. Cùm itaque intelligit ſe malum eſſe, oportet ut ſi bonus fieri vult, doleat ſe malum eſſe. Alioquin falsò dicit ſe alium quàm eſt eſſe velle.

Scientiæ igitur, qua novit ſe, dolor adjiciatur neceſſe eſt, dicente Scriptura: *Qui addit ſcientiam, addit & dolorem.* Verum dolori medicamentum vult adhibere, ubi doleat expedit ut oſtendat ei quem ſcit ſibi noſſe & poſſe mederi. Vulnus enim quod jam putruit, & in ſe horridũ virus ex putredine ſui coadunavit, quouſque aperiatur & putridus humor exprimatur, nec à dolore liberari, nec ullo valet modo liberari. Sic qui ſibi A peccati vulnus dolet inflictum, per veram confeſſionem ipſum detegat ac ſic expreſſo mortifero humore qui latebat, per conſilium præſidentis, quo curetur, pœnitentiæ medicamen aſſumat. Non vereatur linguas hominum, non proponat pœnitentiæ cultum. Immò apud ſe hoc in mente firmiter habeat, quia ſi aliis peccati ſcandalum inde ſubrepere non timeret; talem ſe cunctis innoteſceret, qualem ſe in conſpectu Dei quem offendit eſſe videt. Hoc enim multùm valet ad dignum pœnitentiæ fructum, quando homo tantùm dolet de peccato ſuo, quo Deum offendit, ut non refugiat ab aliis hominibus talis agnoſci, qualem ſe in oculis ſui Creatoris eſſe agnoſcit. Quod quamvis facto non ſit admittendum, ne Eccleſiæ Dei quodlibet ſcandalum exinde generetur, tamen nec inficiari nec perturbari debet, ſi ab aliis ei objicitur, quod ipſe de ſe ſua ſponte confitetur. Sunt etenim multi qui plurimum perturbantur, dum de eis alii dicunt, quod etiam ipſi de ſe publicè fateri non refugiunt. Ad magnum itaque perfectionis culmen pertinet, dum quis malum quod patitur de ſe, patiente & illæſa mentis tranquillitate ab aliis contra ſe dictum valet ſuſtinere. Probari namque per hoc poteſt illum in vero humilitatis gradu conſiſtere, ſicut è diverſo illum qui hoc non poteſt, in quadam jactantia & apetitu ſublimitatis mentem habere. Juſtus liquidem vult haberi. Scriptum quippe eſt: *Juſtus in principio accuſator eſt ſui.*

Dum igitur ſe accuſat, & de eodem ipſo ab aliis accuſari recuſat, quid aliud intendit, niſi ut ſe humilitate alios autem falſitate vel odio præditos in eodem offendat?

Si ergo vult veræ humilitatis culmen attingere concedat oportet ab aliis dicta patienter audire, quæ ipſe de ſeipſo non veretur palàm ultro proferre, & patiatur ſe ita ut ſe dignum fatetur, tentari.

Cùm itaque homo in hunc humilitatis ſtatum pervenerit, tunc revera ſi in antiquam converſationem ſuam oculos cordis reflexerit, videbit ſe in horrendo malo & tenebris verè fuiſſe, & gratioſus ineffabili gaudio & exultatione admirabitur ſe in magno bono & lumine eſſe.

Cuſtodiat ergo cor ſuum, cuſtodiat corpus ſuum, ne inimici ejus ſibi furripiant, quod per Dei gratiam adquiſivit, reumque dejiciant in priſtinas tenebras quas reliquit. Nihil virtutum, quas adeptus eſt, ſuis viribus imputet, nec ſuper eos qui nondum ad hoc provecti ſunt, ullo modo ſe extollat.

In humilitatis culmine, ad quod pervenit, ſe ſemper cautè cuſtodiat, & inferiorem ſe omnibus hominibus, non ficto, ſed intimo corde credat. Quoniam, inquis, modo id aliquis facere poteſt, ut ſe viliorem illo credat, quem in bonis actibus non ſolùm ſibi, ſed & aliis inferiorem eſſe ſine dubio conſtat? Verbi gratia. Videas aliquem ſobrium, humilem, patientem, ſua indigentibus largientem, in Dei ſervitio ſedulum, & quæ ſibi fieri vult, aliis benigna mente facientem, plurimaque in hunc modum; & hic talis judicabit ſe viliorem illi quemlibet eſſe luxurioſum, ſuperbum, injurioſum, deprædatorem, Dei ſervitium, quantum valet, vel audet, devitantem, & qualiter aliis contraria faciat pro poſſe elaborantem. Ita oportet neceſſe eſt. Aliter enim divinæ paginæ humilitatis metas excedens, non obedit. Nec aliquis æſtimet ſacram Scripturam, cuivis quicquam præcipere quod debeat judicare factu impoſſibile eſſe.

Quia igitur ſcriptum eſt ut quiſque ſe viliorem omnibus aliis non ſolùm ore pronuntiet, ſed etiam intimo affectu cordis credat; qualiter quod impleri queat, conſiderare ſtudeatis cujus mentem divinus Spiritus tetigit, ut ſe in hujuſmodi exercere velit. Grave ſiquidem eſt, ut bonam, & ſanctam vitam agens,

egens, perverſi cordis & operis homini ſe judicet ex intimo corde inferiorem, cùm naturalis ſimul & divina lex ſanciat bonum ſemper malo præſtantius eſſe; & huic æternæ gloriæ retributio, illi ſempiterni opprobrii pœna paretur. Ex effectu itaque mercedis utriuſque patet quid cui præſtet. Si ergo bonus ſe judicat malo inferiorem, malum præoſtendo ordine ſibi facit ſuperiorem. Quod ſic eſſe verum natura non admittit. Aut igitur veritati contrarius erit, qui ſe bonum malo credit inferiorem, aut ſi non credit, divinæ paginæ, quæ hoc jubet, inobediens erit. Sed horum nihil admittendum.

Videndum igitur eſt quonam modo fieri valeat, ut & veritas non deſeratur & divinitatis præcepto obediatur. Cùm ergo quivis hominum velit comparare ſe ad alium quid in ſe à ſe habet, & quid alter non à ſe, ſed per Dei gratiam habeat. A ſe quippe nemo niſi malum, per gratiam verò Dei habet ſi quod bonum. Ponat itaque malum ſuum cum malo alterius, & ſtatim videbit quid horum ſit potius. Perpendat etiam omnia in futurum; juncta ſervari, & ne fortè ipſe occulto Dei judicio à bono decidat, & alius à malo refurgat, gnarus attendat.

Quicunque igitur tali conſideratione ſe ſtuduerit examinare, profectò non reſidebit in animo ſuo, quo ſe debeat præ aliis magnificare. Eoque magis Deo proximus adhærebit, quo de ſe humillima ſentiens nullum contemnit, ſed ut omnium vera dilectione potiatur ſub Deo contendit.

Hæc ut ex ore B. P. Anſelmi accepi, conſcripſi, ſatisfacere cupiens voluntati amici mei, me hoc facere obnixè rogantis. Cui & Epiſtolam deſtinavi, quam in Exordio hujus opuſculi ponere non omiſi, cavens ne quis materiæ pulchritudinem & dictaminis fœditatem intuendo, æſtimaret Anſelmum ex materiæ quidem formoſitate illud compoſuiſſe, ex dictaminis verò vilitate quo mentis illius perſpicacia & lepos eloquii evanuerit, mirum duxiſſe.

Noverit tamen quicunque hoc in ſui notitiam tranſire dignabitur, ipſum Patrem hoc ſæpe legiſſe & audiſſe, ſuaque ſancta manu & auctoritate examinatum, poſteris ad tranſcribendum ac legendum commendaſſe. Sit igitur Deus benedictus in omnibus. Amen.

EADMERI
CANTUARIENSIS MONACHI
LIBER
DE SANCTI ANSELMI
SIMILITUDINIBUS.

CAPUT PRIMUM.

** De triplici voluntate.*

al. de diviſione voluntatis

VOLUNTAS tripliciter intelligitur. Voluntas etenim dicitur illud animæ inſtrumentum, quo vult. Et affectio ejuſdem inſtrumenti: affectio verò, eſt affectio ejuſdem inſtrumenti volendi. Hæc voluntas, quæ dicitur affectio, eſt ad tempus quaſi ſopita, quia eſt eorum quæ mens non memorat: ſed mox ut ea recolit, etiam inſtrumentum volendi appetit. Item voluntas dicitur velle, vel uſus ipſius inſtrumenti.

CAPUT II.

Similitudo inter mulierem & voluntatem.

VOluntas itaque, quæ eſt inſtrumentum volendi, ſic eſt inter Deum & diabolum, quomodo mulier inter ſuum legitimum virum, & aliquem adulterum. Vir ei præcipit ut ſibi ſoli conjungatur; adulter verò perſuadet ut & ſibi copuletur. Si itaque ſe ſoli legitimo viro conjungat; legitima eſt, * ipſaque filios legitimos generat: Si autem adultero ſe junxerit; adultera eſt, * & ipſa filios adulterinos parit. Similiter ergo Deus imperat voluntati ut ſocietur ipſi ſoli; diabolus verò ex alia parte ſuggerit ut conjungatur & ſibi. Si itaque ſe ſoli Deo conjunxerit, id eſt, Spiritus ſancti ſuggeſtionem, velut ſemen bonum receperit; fit ejus conjux legitima, filioſque legitimos * generat, id eſt, virtutes & opera bona: Mox enim ad imperium ejus omnes aperiuntur animæ & corporis ſenſus ad implendum quòd præcipit Deus.

al. paulò

CAPUT III.

De ſenſibus animæ.

IPſa namque * voluntas aperitur ad virtutum affectionem, & ad volendum optanda; memoria verò, ad memorandum memoranda; cogitatio ad cogitandum cogitanda; intellectus ad diſcernendum quid ſit volendum, vel memorandum, vel cogitandum. Animus quoque ad charitatem erigitur, ad humilitatem diſponitur, ad patientiam roboratur, & ad alias virtutes generandas aperitur.

Digitized by Google

CAPUT IV.

De sensibus corporis.

SImiliter & corporis sensus aperiuntur ad imperium Dei jus: videlicet Visus * ad videnda: Auditus, ad audiendum Dei verba: Gustus, ad gustanda: Odoratus, ad odoranda: Tactus, ad tangenda: Olfactus, ad olfacienda: Oculi quoque, ad vigilandum, & plorandum: Os ad bene loquendum: Manus, ad rectè operandum: Pedes, ad ambulandum quò debent. Sicque una sola voluntas, postquam Dei voluntati est juncta, tot virtutes generat, & opera bona.

al. ad recte vivendum

CAPUT V.

De obedientia.

HUjus autem voluntatis affectio sive usus, obediens voluntas vel obedientia dicitur: quia Dei voluntati obediens, eam habet advocatam, si quæratur cur hoc vel illud velit. Quòd si hæc voluntas, quæ dicitur instrumentum volendi, diabolo se junxerit, ejus * recipiendo suggestionem, velut inordinatum semen, adultera mater effecta filios adulterinos, id est, vitia & opera mala generat. Universos enim hominis sensus claudens ad ea quæ præcipit Deus, pandit ad ea quæ jubet diabolus. Ipsa namque priùs aperitur ad affectionem vitiorum, & ad ea volendum, ac deinde hominis sensus aperit ad ipsa perpetranda.

CAPUT VI.

De inobedientia, & propria voluntate.

HUjus verò affectio sive usus, inobediens voluntas, vel inobedientia, vel etiam propria voluntas dicitur. Propria quippe voluntas est, quæ Dei voluntatem sibi advocatam habere non potest. Ut si quæratur cur hoc vel illud velit; respondere veraciter non valet quia & Deus vult ut hoc velit. Affectio autem sive usus ille ex diabolica * nascentes suggestione, Dei voluntatem sibi advocatam habere non * possunt: utraque igitur voluntas indubitanter est propria: * quæ à Dei voluntate porrò privatur; ob hæc rectè propria voluntas nominatur. *Hæc autem voluntas propria, superbia est illa, quam initium omnis peccati Scriptura * nuncupat.*

al. nascens

al. potest

al. unde propria voluntas quæ *Ecc.* 10.

al. nuncupat

CAPUT VII.

De superbia.

SUperbia ideo vocatur, quia suprà quam debeat graditur. Superbia namque supergressio dicitur. Propria itaque voluntas; quia Dei voluntati non subjicitur, sed supra eam extollitur, ob hoc rectè superbia dicitur. Ipsa quoque omnis peccati est initium, quia ex ea nascitur omne peccatum. Et quoniam homo illam habet à se: neque voluntatem Dei, quam sequatur, vult habere super se, ipsi Deo aufert, quod propriè & singulariter debet habere.

CAPUT VIII.

Quòd propria voluntas soli Deo conveniat.

SOlus enim Deus, quicquid vult, debet velle propria voluntate, ita ut aliam, quam sequatur, non habeat supra se. Cùm igitur homo vult aliquid per propriam voluntatem, Deo aufert quasi suam coronam. Sicut enim corona soli Regi competit, sic propria voluntas soli Deo. Et sicut Regem aliquem inhonoraret, qui suam coronam ei auferret; sic homo inhonorat Deum *, qui aufert ei propriæ voluntatis privilegium, habendo quod ille debet habere solum. Sed sicut propria voluntas, Dei fons est & origo totius boni; ita propria voluntas hominis, totius est exordium mali.

CAPUT IX.

Similitudo inter propriam voluntatem, & fontem.

HÆc est enim velut fons quidam, qui in tria capita dividitur, è quibus rivi diversi & innumerabiles derivantur, qui in locis quibusdam ab invicem separantur, * aliquibus verò duo & duo, vel plures pluribus conjunguntur. Ita quoque propria voluntas in genera tria dividitur: è quibus vitia diversa & sine numero nascuntur; quæ aliquando in hominem sunt disjuncta, quandoque verò duo vel plura conjuncta.

al. à unibus, vel pluribus

CAPUT X.

De tribus generibus propriæ voluntatis.

PRopria namque voluntas, aut est in delectatione, aut in exaltatione, aut in curiositate.

CAPUT XI.

De delectatione.

DElectationum genera sunt duo principalia; unum exterius, in quinque sensibus corporis; aliud interius, in animæ affectionibus.

CAPUT XII.

De quinque corporis sensibus.

SUnt autem corporis sensus quinque, visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus. Qui ideo sensus dicuntur, quia per eos exteriora sentiuntur. Per visum enim formæ & colores; per auditum, soni; per gustum, sapores; per olfactum, odores: per tactum, dura vel mollia, calida vel frigida, aspera vel lenia, gravia vel levia sentiunt. Horum autem sensum delectatio rarò est bona, sæpius verò mala. Bona etenim est, cùm Dei voluntatem sibi advocatam habet; mala verò cùm eam sibi advocatam habere non potest.

CAPUT XIII.

De generibus delectationis malæ.

HUjus autem delectationis malæ genera sunt triginta & unum: è quibus quinque sunt simplicia, decem duplicia, decem triplicia, alia quinque quadruplicia, unum verò ex quinque partibus constat.

CAPUT XIV.

De quinque simplicibus generibus.

QUinque itaque sunt simplicia, quia pleromque delectatur per se unusquisque quinque sensuum. Aliquando enim solus visus vane delectatur: ut in conspiciendo * equos certatim * currere, aut accipitres volantes alias aves capere. Aliquando solus auditus, ut cùm hominem delectat, ad aurem suam din

al. & complendo *al.* concurrere

Digitized by Google

al. nigellam vel * nolam percutere, qui eam audit dulciter ſonare. Aliquando ſolus guſtus: ut in comedendo mel immoderatè, non tamen viſu delectabile. Aliquando ſolus olfactus, ut cùm aliquis defert fœniculum naribus ſuis ſuſpenſum ut ſibi ſuaviter redoleat. Aliquando ſolus tactus, ut cùm aliquem immoderatè refectum contrectare oblectat ventrem ſuum.

CAPUT XV.

De decem duplicibus.

DEcem verò ſunt duplicia; quia plerumque delectantur ſimul duo, & duo * iidem ſenſus. Aliquando enim * delectantur ſimul viſus & auditus: ut cùm nimis delectando canes beſtias inſequi videtur, & conclamare poſt ipſas audiuntur. Aliquando viſus & guſtus; ut cùm magna delectatione vinum limpidiſſimum conſpicitur in ſaphyrino cypho, & bibitur. Aliquando viſus & olfactus; ut in videndo ſimul & olfaciendo nimis rubentes roſas. Aliquando viſus & tactus; ut in conſpiciendo & complanando aliquem muricipem album. * Aliquando auditus & guſtus; ut cùm aliquem ſic bibere delectat, ut inter labia ſua ſonitum quendam * pitiſſando faciat. Aliquando auditus & olfactus; ut cùm aliquem bibendi aviditate * delectat auſcultare muſtum ebulliens applicata aure, & ejus odorem naribus attrahere. Aliquando auditus & tactus; ut cùm aliquem nimis delectat citharam reſonantem audire, & eandem percutiendo tangere. Aliquando guſtus & olfactus, ut cùm immoderatè eduntur gallinæ pipere & cymino diligenter conditæ. Aliquando guſtus & tactus, ut cùm guloſitate manduntur ficus maturæ; dulces ad edendum, & lenes & molles ad tangendum. Aliquando olfactus & tactus, ut cùm unguento bene olenti quis ungitur.

al. idem

al. condelectantur vicis

al. pulſando

al. delectatur

CAPUT XVI.

De decem triplicibus.

DEcem quoque ſunt triplicia: quia ſæpe terni, & terni delectantur corporis ſenſus ſupradicti. Aliquando enim condelectantur viſus, auditus & guſtus: ut cùm nimis avidè collyridæ eduntur, quæ quaſi nix candidæ videntur: ſponteque manibus vel dentibus ſic atteruntur, ut reſonare audiantur. Aliquando viſus, auditus, & olfactus: ut cùm aliquis in horto ſic reſidet, ut virides herbas aſpiciat, fabulas audiat, flores olfaciat. Aliquando viſus, auditus, & tactus: ut cùm mulier ſpecioſa delectationis causâ conſpicitur, luxurioſa loqui auditur, ſed & interea tangitur. Aliquando viſus, guſtus & olfactus: ut cùm aliquem delectat inſpicere vinum herbis confectum ſcintillare, bibere, & olfacere. Aliquando viſus, guſtus, & tactus; ut cùm aliquis eſt ſaturatus racemis: * vineam tamen deambulat, ut quàm pulchrè racemi in ea dependeant, videat; & hos atque illos contrectans deguſtat. Aliquando viſus, olfactus, & tactus: ut cùm quis diu nimis lilia conſpicit, olfacit, & tangit. Aliquando auditus, guſtus & olfactus: ut cùm divites delectat cervos in ſylva clamantes audire, & quorundam jam captorum carnes pipere conditas interim edere. Aliquando auditus, guſtus, & tactus: ut cùm aliquis in balneo reſidens fabulas audit, edit & bibit, atque * teporem aquæ circumquaque tangit. Aliquando auditus, olfactus, & tactus, ut cùm aliquis cantilenas audit, dum in lecto mollibus ſtrato quieſcit, ubi & herbas undique ſparſas olfacit. Aliquando guſtus, olfactus, & tactus, ut cùm nocte manduntur immoderatè poma ſapida, odorifera, & mollia.

al. vinum

al. tepore

CAPUT XVII.

De quinque quadruplicibus.

QUinque verò quadruplicia ſunt, quia plerumque * ſimul quaterni & quaterni delectantur. Aliquando enim delectantur ſimul, viſus, guſtus, auditus, & olfactus, ut cùm in nuptiis ludi videntur, cantilenæ audiuntur, cibus & potus delicioſi, ſumuntur, eorumque odor ſentitur. Aliquando auditus, guſtus, olfactus, & tactus: ut cum in nocte nihil ibi videtur, quo delectatur viſus; ſed cùm auditu, guſtu, & olfactu delectatur & tactus, ut cùm ſponſus ſponſam amplexatur, aut alius ab alio libidinosè tangitur. Aliquando guſtus, olfactus, tactus, & viſus; ut cùm ibi nihil auditu delectabile auditur; ſed adſunt alia, quibus cæteri ſenſus, quiſque ſuo modo, delectantur. Aliquando olfactus, tactus, viſus & auditus: ut cùm ibi nihil guſtatur, ſed flores illic aſperſos delectat convivas olfacere, tangere, inſpicere, * diverſos muſicorum ſonos auſcultare. Aliquando tactus, viſus, auditus & guſtus; ut cùm nihil habetur, quo delectetur olfactus, ſed talia, quibus cæteri quatuor ſenſus condelectetur.

al. diverſorum

CAPUT XVIII.

De ultimo genere delectationis male.

UNum autem ex quinque partibus conſtat, quia quandoque delectantur ſimul hi omnes * corporis ſenſus. Aliquando enim delectat hominem domum interius ornatam conſpicere, ebrioſos in ea decantantes audire, ibidem & vinum cornibus deauratis potare; & flores per domum diſperſos olfacere, ipſoſque, vel cornua aurea, vel alia tactu delectabilia contrectare. Triginta itaque & unum genera ſunt delectationis, ad quinque corporis ſenſus pertinentia; * qua his triginta & uno delectantur modis, ex quibus duplicia ſimplicibus ſunt pejora, duplicibus triplicia, triplicibus quadruplicia, quadruplicibus illud quod ex quinque partibus conſtat. Quantò enim plures ſenſus in delectatione ſociantur, tantò ipſa delectatio pejoratur. Attamen aliquando pejor eſt unius, quàm omnium ſimul delectatio.

al. corporum

al. qui

CAPUT XIX.

Pejor eſt delectatio que pluribus aut gravioribus delectatur.

GRavius eſt enim detractionem libenter audire, quàm flores pulchros aſpicere, tangere, olfacere: interea bibere ſemel aut bis, plus quàm eſt neceſſe; aliquodque verbum otioſum audire. Sed in eodem paribuſve peccatis pejus eſt plures quàm pauciores ſenſus delectari. Pejus eſt enim delectari viſu & auditu inhoneſti loci, quàm viſu tantùm, aut auditu tantùm. Item pejus eſt immoderatè delectati guſtu & olfactu potus confecti, quàm tantùm gutu, aut tantùm olfactu alicujus delicioſi cibi. Itaque ex iſtis triginta & uno generibus delectationis, alia ſunt mala, alia pejora. Mala, in quibus pauciores delectantur ſenſus; aut ſi fuerint plures, oblectantur in levioribus. Pejora, in quibus delectantur plures, aut ſi fuerint pauciores in gravioribus delectantur. Tot igitur, & talia ſunt genera delectationis, qua delectantur quinque ſenſus corporis.

Digitized by Google

A

CAPUT XX.

De anima delectatione.

ILlius verò delectationis, qua delectatur anima, genera sunt multò plura. Quicquid enim exteriores sensus sentiunt, sentiendo animæ innuunt quale sit illud quod sentiunt. Ut * cùm qualitatem rei repræsentaverint sibi & quod sentiebant sentire omiserint, delectat animam idem cogitare, & totidem modis, quot sibi sensus repræsentavere. Sicut enim sensus singulos, aut binos, aut ternos, aut quaternos, aut simul omnes delectat istud vel illud sentire, & animæ repræsentare; ita & animam delectat cogitare, quia sensus eisdem modis illud vel illud senserunt, sentiendoque sibi repræsentaverunt. Illud quoque, quod sibi sensus nunquam repræsentaverunt, quia nunquam senserunt; sed si sensissent, repræsentare possent. Tot modis delectat animam cogitare, quot sibi sensus valerent repræsentare. Nunquam enim visus repræsentavit ei domum auream totam, quia non vidit: nec auditus sonum toto mundo diffusum, quia non audivit: nec gustus panem melle dulciorem, quia non gustavit: nec olfactus vinum balsamo fragrantius, quia non olfecit: nec tactus indumenta lanea lineis leniora, quia non tetigit: nec alia multa ei sensus repræsentarunt, quia non senserunt; sed si sensissent, repræsentare possent. Et tamen, aut hæc, aut alia hujusmodi inania eam imaginari delectat, ac si sensus sensissent, eique singuli, aut bini, aut terni, aut quaterni, aut simul omnes repræsentassent. Sunt & alia delectationis animæ genera, quæ nec sensus valent illi repræsentare; nec ipsa potest per imaginationem cogitare, ut cum superbia delectatur, sine omni imaginatione. Hanc etenim sensus non valent illi repræsentare: quia nec visus potest discernere utrum sit alba vel nigra; nec auditus, an sit sonora vel rauca; nec gustus, an sit dulcis vel amara; nec olfactus, an sit redolens aut fœtida; nec tactus, an sit mollis vel dura, lenis vel aspera, calida vel frigida. Ipsa quoque anima non valet imaginari, utrum superbia illa sit talis aut talis, quia est in exaltatione solius cogitationis. Multò igitur plura genera sunt delectationis, quâ anima delectatur, quàm illius * quâ quinque corporis sensus oblectantur. Quia & eandem delectat illa memorare, quæ & illos sentire, & totidem modis, quot sibi repræsentavere. Et alia imaginari, quæ illi sibi non repræsentaverunt, quia nunquam senserunt; sed si sensissent, repræsentare possent: Et quædam cogitare, quæ neque illi possunt sentire; neque ipsa per imaginationem cogitare, sed simpliciter sine omni imaginatione.

al. ut quæ vel uniquæ

al. omit.

CAPUT XXI.

De generibus exaltationis.

EXaltationis autem genera sunt quindecim; è quibus quatuor sunt simplicia, sex duplicia, quatuor triplicia, unum verò quadruplex.

CAPUT XXII.

De quatuor simplicibus.

QUatuor itaque sunt simplicia. Quia est exaltatio aliquando in sola opinione, ut si quis opinetur se esse dignum Episcopatu, nec tamen velit fieri Episcopus. Aliquando in sola voluntate, ut si velit fieri Episcopus, nec tamen opinetur se esse dignum Episcopatu. Aliquando in sola locutione, ut si jactet se esse dignum, nec tamen velit fieri sciens se esse dignum. Aliquando in solo opere, ut si quis infimus per ignorantiam assideat juxta Regem.

B

C

D

E

CAPUT XXIII.

De sex duplicibus.

SEx verò sunt duplicia. Quia aliquando extollitur homo, in opinione simul & voluntate; ut cùm Prioratu aliquo se esse dignum æstimat; & hoc vult, ut Prior fiat. Aliquando in opinione & locutione, & non voluntate; ut cùm aliquis aliquam non vult prælationem, quæ sibi offertur, & ex hoc ipse se extollens meliorem se aliis arbitratur: & inde se jactat, ita tamen * ut non avertatur. Aliquando in opinione & opere, ut si aliquis se æstimat dignum sedere juxta Episcopum, & alicubi per ignorantiam assideat ei. Aliquando in voluntate & locutione, ut cùm aliquis volens Episcopari, jactat inde se esse * dignum, licet sciat se esse indignum. Aliquando in voluntate & opere, ut cùm aliquis in convivio vult residere in superiori loco, & ibi se ingerit invitante nullo, quamvis indignum se æstimet loco tam alto. Aliquando in locutione & opere, ut cùm prælatus aliquis aliquam in se fragilitatem videt, ob quam si honestè posset, ipsam prælationem desereret: & tamen in verbis & actibus suis, quadam extollentiam * ostentat, ne ipsam ejus fragilitatem quis animavertat.

al. ne

al. non ita dignum

al. ostendit sua

CAPUT XXIV.

De quatuor triplicibus.

QUatuor autem sunt triplicia: Quia aliquando delectatur homo in opinione, & voluntate, & locutione, ut cùm dignum se prælatione æstimat, & eam vult, & inde se jactat. Aliquando in voluntate, locutione, & opere; ut cùm ideo quia vult prælationem habere, fingit verbo, & opere, & actu, dignum se esse, quamvis sciat se indignum Aliquando in locutione, opere, & opinione; ut cùm aliquis, licet jactet dignum se esse prælatione, & ea libentiùs agat quibus dignus videatur esse, & hoc idem arbitretur de se, non vult tamen prælationem habere, ut sanctior judicetur esse. Aliquando autem in opere, opinione, & voluntate; ut cùm prælatus subditos opprimit immoderatè, ut suam prælationem, qua dignum se æstimat esse, quandiu vult possidere, sine ullo obstaculo habere possit.

CAPUT XXV.

De uno quadruplici.

UNum est quadruplex. Quia plerumque se homo attollit in opinione, voluntate, locutione, & opere: ut cùm laude dignum se æstimat, & eam appetit: & ipse se laudat, & quædam magna operatur, ut laudem acquirat. Quindecim itaque sunt extollentiæ genera; quatuor simplicia, quæ sunt mala: * sex duplicia, quæ sunt pejora: quatuor triplicia, quæ sunt pessima: Unum verò quadruplex, quod cæteris omnibus pejus est: quantò enim in pluribus homo extollitur, tantò * extollentiâ ipsâ pejoratur. Item sciendum quia solius operis * extollentia, quæ semper est per ignorantiam, est mala: solius autem locutionis, pejor: solius verò opinionis, pessima: solius autem voluntatis, omnibus aliis est pejor. Stultum est enim cùm aliqua vilis persona per ignorantiam assidet juxta dignam; sed stultius est, cùm inde se jactat dignam: stultissimum verò, cùm hac se æstimat dignam: multò autem stultius est, cùm vult residere juxta eam, cùm sciat se inde esse indignam ea. Contra eam extollentiam, quæ est in opere, ipse Dominus ait: *Cùm invitatus fueris ad nuptias, recumbe in no-*

al. sed

al. excellentia

al. excellentia

Luc. 14. v. 10.

Google

vissime loco. Contra eam verò, quæ est in locutione, A Salomon dicit: *Laudet te alienus, & non os tuum.* Prov. 27. v. 2. Contra eam, quæ est in opinione Apostolus, ait: *Noli altum sapere, sed time.* Rom. 11. v. 20. Contra eam verò, quæ est in voluntate, Dominus iterùm dicit discipulis suis: *Qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.* Matt. 20. v. 27. Contra omnia verò extollentiæ genera, item ipse dicit: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur.* Luc. 14. v. 11. & 18. v. 14.

CAPUT XXVI.

De curiositate, & sedecim ejus generibus.

CUriositas est studium perserutandi ea quæ scire B nulla est utilitas. Hujus autem sedecim sunt genera: è quibus quinque sunt simplicia, sex duplicia, quatuor triplicia, unum verò quadruplex.

CAPUT XXVII.

De quinque simplicibus.

QUinque itaque sunt simplicia. Quia aliquando in sola cogitatione curiositas est: ut cùm aliquis studiosè cogitat quomodo alterius secretum scire valeat. Aliquando in verbo; ut cùm illud curiosè interrogat. Aliquando in actu; ut cùm circa illum deambulabat, quasi aliud aliquid quærat, si fortè quod quærit, indicio aliquo cognoscere valeat. Aliquando in visu; ut cùm sollicitè considerat quò ille * tendat, quid agat; quomodo sedendo, stando, ambulando, vel aliquo alio modo se habeat. Aliquando in auditu, ut cùm * intente auscultat quid ille de alio, vel alius de illo dicat.

al. intendit

al. attente

CAPUT XXVIII.

De sex duplicibus.

SEx verò sunt duplicia. Quia aliquando, in verbo & actu, ut cùm * eum amicabiliter alloquitur, & interim ei aliquid operatur, ut cùm sermonibus blandis, cum servitio quod ei facit, extorqueat ab eo quod quærit. Aliquando in verbo & visu; ut cùm alium rogat ut eum secum aspiciat, dicens: Putasne, iste ita vel ita ageret, nisi talis vel talis esset? Aliquando in verbo & auditu: ut cùm prope illum resi- D det, & ad alium loquitur qui ex alia sui parte sedet; & tamen attentè auscultat quid ille posterius dicat. Aliquando in actu & visu, ut cùm aliquid agit, ne advertatur dum eum aspicit; sed credatur semper intendere operi quod facit. Aliquando in actu & auditu; ut cùm ante eum vadit, & venit, auscultando ea quæ * dicit. Aliquando in visu & auditu; ut cùm curiosè ea quæ agit considerat, & studiosè, quæ dicit, auscultat, ut per hoc secreta, quæ quærit, agnoscat.

al. ei .... loquitur

al. dicit

CAPUT XXIX.

De quatuor triplicibus.

QUatuor autem sunt triplicia. Quia aliquando est in verbo, actu, & visu, ut cùm aliquis enumerat, & mensurat, & contiderat, quantùm sol & luna distent à terra, quàm magna sint ipsa luminaria. Aliquando in actu, visu, & auditu: ut cùm aliquis se occultat causâ videndi & audiendi * aliorsù secreta. Aliquando, in visu, auditu, & verbo; ut cùm aliquis juxta vias sedet, ut videat transeuntes, audiat & interroget rumores. Aliquando in auditu, verbo, & actu; ut cùm causâ audiendi & interrogandi futura, dæmonibus sacrificat.

al. aliquem

CAPUT XXX.

De uno quadruplici.

UNum verò est quadruplex. Quia aliquando est in visu, auditu, verbo, & actu; ut cùm aliquis intuetur & auscultat quosdam, quos consiliari conspicit, & de quibus suspicatur aliquid mali; ut & consilium eorum quoquo modo agnoscere possit, accedens ad eos quærit, an viderint aliquid quod se circa eos perdidisse fingit, & interea inspiciendo & auscultando, circa eos quærit quod nusquam perdidit.

CAPUT XXXI.

De octo & viginti generibus curiositatis.

ITem curiositatis genera sunt viginti & octo; è quibus tria sunt simplicia, novem duplicia, decem triplicia, quinque quadruplicia; unum verò ex quinque partibus constat.

CAPUT XXXII.

De tribus simplicibus.

TRia sunt simplicia. Quia aliquando curiositas est in solo gustu; ut cùm defertur piscis alicui pisa C comedenti; & priusquam ipsa consumpserit, degustat cujus saporis sit piscis. Aliquando in olfactu; ut cùm eum naso suo apponit, ut sciat cujus odoris sit. Aliquando in tactu; ut cùm aliquis pannum novum videns, contrectat, solummodo ut sciat utrum sit asper vel lenis, grossus an subtilis.

CAPUT XXXIII.

De novem duplicibus.

NOvem verò sunt duplicia. Quia aliquando est in gustu, & visu; ut cùm quis degustat ferculum sibi appositum, antequam consumpserit primum: & interim considerat si is qui relidet juxtà eum, melius habeat ferculum. Aliquando in gustu & verbo, ut cùm illud degustat, & an pipere conditum sit, interrogat. Aliquando in gustu & olfactu, ut cùm degustat, & olfacit. Aliquando in gustu & tactu, ut cùm gustu scire quærit, an sit sapidum: & tactu, an sit calidum, frigidum, vel tepidum. Aliquando in olfactu, & visu; ut cùm aliquis, dum legit, herbam * juxta se incognitam invenit; & à legendo cessans, eamque naso suo apponens, olfacit; deinde intuens, eam studet agnoscere, quæ sit. Aliquando in olfactu & verbo; ut cùm eam olfaciens, quærit ab alio quæ sit. Aliquando in olfactu, & tactu; ut cùm eam olfacit & contrectat, ut sciat utrum sit mollis an dura, lenis vel aspera; quod totum non ideò facit, ut sibi necessaria sit; * sed tantùm ut sciat quæ vel qualis E sit.] Aliquando in visu, & tactu; ut cùm aliquis veniens ante mensam, ubi pransurus est, mox sublevata mappa, qua panis est coopertus, intuetur an sit * candidus; & eum contingit, ut sciat an sit calidus. Aliquando in verbo & tactu: ut cùm eum non discooperit; sed interrogat an calidus, vel ex quo tempore coctus sit; & eum coopertum contingit, & premit, ut sciat an sit calidus.

al. apud

al. vult.

al. calidus

Digitized by Google

CAPUT XXXIV.

De decem triplicibus.

DEcem verò ſunt triplicia. Quia aliquando eſt in viſu, & in verbo, & in guſtu; ut cùm alicubi quis* reſidens, & ante ſe potum cypho deferri videns ſtatim aſſurgit; & intuens cujus coloris ſit, quærit etiam quis potus ſit, & deguſtat an bonus ſit. Aliquando in viſu, verbo, & olfactu; ut cùm eum non deguſtat, ſed olfacit: & interrogans conſiderat qualis ſit. Aliquando in viſu, verbo, & tactu; ut cùm alicui comedenti defertur cibus inter duas ſcutellas; & antequàm finierit, quod prius comedebat, ſcutellis apertis qualis ille ſit cibus conſiderat, & an bene ſit coctus inveſtigat; & ut cùm contingit, an calidus, ſeu frigidus ſit, agnoſcat. Aliquando in viſu, & guſtu, & olfactu; ut cùm de eo nihil* interrogat, nec eum contrectat; ſed* & curioſus eum videre, & eum deguſtat, & olfacit. Aliquando in viſu, & guſtu, & tactu; ut cùm de eo nihil inquirit, nec eum olfacit; ſed cum curioſitate videndi eum deguſtat, & contrectat causà quam dixi. Aliquando in viſu, & olfactu, & tactu; ut cum de eo nihil inquirit, nec eum deguſtat; ſed tantùm intuetur, olfacit, atque contrectat. Aliquando in verbo, & guſtu, & olfactu; ut cùm aliquis convivantibus ſupervenit; & an cibi & potus quos habent, ſint boni, requirit, & quoſdam deguſtans, alios olfacit. Aliquando in verbo, guſtu, & tactu; ut cùm non olfacit eos, ſed panem contrectat, aut alios cibos; * & guſtando quoſdam, quærit de aliis.] Aliquando in verbo, olfactu, & tactu; ut cùm eos non deguſtat, ſed olfacit,* quærit, & tractat.] E contra aliquando in guſtu, olfactu, & tactu, ut cùm de eis nihil interrogat, ſed tamen deguſtat, olfacit, & contrectat.

al. reſidet

al. inquisit

al. cum curiositate eum videndi eum deguſtat

al. unde.

al. eum.

CAPUT XXXV.

De quinque triplicibus.

QUinque verò ſunt quadruplicia. Quia aliquando eſt in viſu, & verbo, & guſtu, & olfactu; ut cùm aliquis deambulans in nundinis, has vel illas merces conſiderat, cujus hæ vel illæ pretii ſint, inveſtigat uvas, vel poma, vel alios fructus deguſtat, olfacit piper, vel cymium, vel alia bene olentia; hoc totum ea tantùm faciens de cauſa, ut ſciat quæ vel qualia ſint iſta vel illa. Aliquando in viſu, & verbo, & guſtu, & tactu; ut cùm ſuprà dicta facit, excepto quod nihil ibi olfacit, ſed merces contrectans, volvit & revolvit. Aliquando in viſu, & verbo, & olfactu, & tactu: ut cùm ibi nihil deguſtat, ſed alia facit ſuprà dicta. Aliquando in viſu, & guſtu, & olfactu, & tactu, ut cùm non inquirit, cujus hæc vel illa ſint pretii, ſed cætera, quæ diximus, facit. Aliquando in verbo, & guſtu, & olfactu, & tactu; ut cùm non eſt curioſus videre ea, quia ſæpius vidit talia, ſed cætera facit ſupradicta.

CAPUT XXXVI.

De ultimo genere curioſitatis.

UNum verò ex quinque partibus conſiſtit. Quia aliquando eſt in viſu, & verbo, & guſtu, & olfactu, & tactu; ut cùm curioſè ad hæc vel ad illa oculos convertit: & cætera omnia, quæ ſuprà diximus, facit. Quadraginta itaque & quatuor curioſitatis ſunt genera; è quibus octo ſunt ſimplicia, quindecim duplicia, quatuordecim triplicia, ſex quadruplicia; unum verò ex quinque partibus conſtat. Hæc autem tam multiplex curioſitas, quàm & exaltatio & delectatio (de quibus ſuperiùs diximus) omnes ex propria voluntate naſcuntur. Niſi enim homo priùs habuerit voluntatem delectandi, vel exaltandi, vel inveſtigandi curioſè, quæ nulla ſibi eſt utilitas ſcire, nunquam delectabitur, vel extolletur, vel curioſè inutilia ſcrutabitur: ſed tamen horum vitiorum mala præcedit voluntas, ſequuntur & ipſa, ita naſcuntur ex ea, ex his verò alia omnia. Ex delectatione namque naſcitur luxuria, adulterium, fornicatio, immunditia, ventris ingluvies, ebrietas, & alia hujuſmodi vitia. De exaltatione verò, inanis gloria, invidia, ira, triſtitia, & avaritia, & alia ſimilia. De curioſitate autem, inquietudo, ſuſurratio, detractio, & cætera alia. Omnia verò in familia propriæ voluntatis exiſtunt, & ex ſeſe quædam* exercitum magnum faciunt; illi voluntati, velut cuidam dominæ, obediunt.

al. cruciatum

CAPUT XXXVII.

Similitudo inter propriam voluntatem, & adulteram Reginam.

PRopria namque voluntas, eſt velut quædam adultera Regina, quæ ſe cuidam Regi adultero conjunxit, ex quo etiam tres filios habuit.* Ex his verò tribus tot alii filii & nepotes ſunt geniti;* ita multiplicati, ut numerari non poſſint: Omnes autem in familia illius Regis & Reginæ conſiſtunt, eorumque juſſa quiſque ſuo modo perficiunt. Rex* itaque cum Regina iſta, cuidam alii Regi adverſatur, collectoque filiorum & nepotum exercitu, regnum illius aggreſſum prædatur. Hic autem exercitus, ſic ſervos illius Regis invadit, ut aut plures, plures; aut unus, unum: aut plures, unum; aut unus, plures aggrediatur. Quoſcunque verò devincere poſſunt, vinctos & abductos in carcerem trudunt; exigentes ab eis, quantum nunquam perſolvere poſſunt, ſed omnibus affecti miſeriis, in carcere illo deficiunt. Hæc* autem Regina, propria eſt voluntas omnium inobedientium domina. Quæ ideo vocatur adultera, quia ſeparatur à Deo, cui eſſe deberet conjuncta; & diabolo conjungitur, à quo deberet eſſe diſjuncta. Ipſe verò diabolus, idcirco Rex dicitur, & adulter, quia in hominibus regnans per voluntatem propriam, animabus eorum, Dei videlicet ſponſis, abutitur. Cui ſe poſtquam propria voluntas junxerit, ex illius ſemine, id eſt, perverſa ſuggeſtione, tria principalia ejus vitia, ſcilicet delectationem, extollentiam, curioſitatem concipit; & per quinque corporis ſenſus, velut ea pariens, emittit. Ex his verò tribus, tot alia vitia naſcuntur; ſicque multiplicantur, ut abſque numero habeantur. Omnia verò ex familia diaboli, propriæque voluntatis exiſtunt; & ex ſeipſis, quandam admirandam multitudinem reddunt. Diabolus itaque propriaque voluntas, Deo Regi Regum adverſatur; & congregata vitiorum militia, regnum illius (ſcilicet hunc mundum) aggredientes, prædantur. Hæc autem* militia ſic humanum genus invadit, ut aut plura vitia plures homines, aut unum, unum; aut plura, unum; aut unum plures, diverſis modis accipiant. Quemcunque verò ſuperare poſſunt, mala conſuetudine ligatum, in infernum detrudunt. Ubi ab eo unumquodque vitium exigit, quicquid unquam per illud commiſit. Quod quia nunquam perſolvere poterit, nec ei miſeria unquam deerit.

al. in

al. itaque quoque

al. autem

al. eaque

al. familia

Digitized by Google

CAPUT XXXVIII.

Similitudo inter propriam voluntatem, & venenosam herbam.

RUrsus propria voluntas cuidam herbæ venenosæ atque mortiferæ assimilatur; quam medicus quidam peritissimus progeniei cujusdam, primis scilicet parentibus, interdixit, * comminans eis quia si ex ea comederent, leprosi effecti proculdubio interirent. At illi præceptis ejus obedire noluerunt, sed ex eadem herba comederunt: unde & leprosi effecti, leprosos quoque filios genuerunt; atque ut medicus eis comminatus fuerat, mortui sunt. Quorum filii, licèt patres suos agnoverint herbâ illâ infirmatos fuisse & mortuos, seque ipsos leprâ percussos & mortuos: eandem tamen herbam super omnes alias diligunt, indeque cibos universos suos condiunt. Manè quoque surgentes ex eadem quasi pro medicamento accipiunt; sed & somnum serò capturi, similiter faciunt. Hi igitur quàm sint dementes, omnis qui audit, advertere potest. Sed nec minus dementantur, qui propria voluntate utuntur. Ipsa est etenim herba diaboli, venenosa suggestione venenata, & omnibus ea utentibus pestifera. Hanc Deus, qui nostris piè medetur peccatis, primis humani generis parentibus interdixit; cùm eos comedere pomum, sub mortis comminatione, prohibuit. Qui quia præceptum ejus transgressi ex eo comederunt, mox peccatores effecti, & in anima mortui, postquam alios * peccatores genuerunt, & ipsi carne mortui sunt. Homines tamen eandem voluntatem præ cæteris diligunt, & eam immiscent omnibus penè quæ agunt. Nihil itaque istis dementius, qui nihil utuntur sua morte libentiùs.

al. commi-nando eis qui

al. eam.

CAPUT XXXIX.

*Ostensio, quomodo propriæ voluntati omnia vitia * militent, seu deserviant.*

al. ministrent

HUic denique propriæ voluntati, postquam suam in homine sedem * constituerit, alia vitiorum genera serviunt, quasi milites terras tenentes; alia velut pro solidatis militantes. Illa etenim vitia quasi terras tenentes, ei obediunt, quæ pro seipsis in hominibus constituunt, ut adulterium. Qui enim adulteratur, hoc eâ solùm facit de causâ, quia eum vitium ipsum delectat. Illa verò serviunt ei, velut militantes pro solidatis, quæ sunt in homine, * pro aliis vitiis: ut cupiditas pretiosarum vestium pro gloria inani. Nemo enim pretiosas vestes, nisi ad inanem gloriam quærit. Item vitium aliquando huic, aliquando illi vitio servit, ut avaritia aliquando ventris ingluviei; aliquando exaltationi. Rursus, aliquando alterum alteri cedit, ut luxuria gloriæ inani. Aliquando enim luxuria repellitur, ne laus concupita perdatur. Omnia verò, sive hoc, sive illo modo, propriæ voluntati diaboloque famulantur, è quibus in homine tribus modis * procreata nascuntur. Diaboli enim suggestione, & carnis delectatione, spirituque consensu, unumquodque vitium consummatur.

al. constituerit

al. pro

al. peccata

CAPUT XL.

Similitudo inter suggestionem, delectationem, consensum, & canem.

EX his igitur tribus (suggestione videlicet, delectatione, & consensu) suggestio est velut canis ponderosus: delectatio, ut levis & acer catulus: consensus autem, quasi canis fortis & immensus. Ponderosus etenim canis, cùm quempiam juxta se transeuntem audierit, semel vel bis post eum latrans, statim quiescit, si tamen ille viam suam in directum tenuerit. Si verò respiciens instigaverit eum, canis quoque latrando, licet non mordeat, insequitur eum. Catulus levis & acer, instat acriter: & nisi citò percussus fuerit, acriùs mordet. Fortis verò canis & immensus, & fortiter instat; & nisi magna vi obruatur, hominem strangulat. Quare ponderosus canis, non est respiciendus: catulus verò, mox repercutiendus: canis verò immensus, viriliter obruendus. Similiter autem si peccati suggestio animum pulsat, qui ab amore præsentium tendit ad æterna, mox eum deserit, si intentionem suam tenuerit firmiter. Si autem ad eam attendens in se receperit, & cogitando quasi eam inciando revolverit, & ipsa sæpius eum infestat, quamvis non vulneret, dum est suggestio sola. Sed si diutius eam replicaverit, ponderosus canis in catulum transit, id est, suggestio in delectationem, quæ acriter instat, & nisi citò rejiciatur, animam vulnerat. Quare mox, ut venire cœperit, debet eam repellere anima sponsa Christi; cogitans quia magna est ignominia illi, ut in ejus conspectu appareat fœdata delectatione tam turpi. Nisi eam repulerit delectationem, catulus transit in immensum canem, id est, delectatio in consensum transit; qui arripiens animam, eam nisi magna vi obruatur, occidit. Sed mox, ut cœperit * attentare, debet eum anima magna vi obruere, id est immenso terrore mortis æternæ in se destruere. Suggestioni ergo ne attendamus, delectationem mox reprimamus, consensum fortiter obruamus. Sicque cor nostrum studeamus custodire, ut nec una superflua cogitatione diabolum illud valeat violare.

al. adtentare

CAPUT XLI.

Similitudo inter cor humanum, & molendinum.

COr etenim nostrum simile est molendino semper molenti, quod Dominus quidam, cuidam servo suo custodiendum dedit: præcipiens ei, ut suam tantùm annonam, videlicet frumentum, vel hordeum, vel etiam avenam, in eo molat; * & ex eodem, quod moluerit, ipse vivat. Verùm illi servo quidam inimicatur, qui huic molendino semper insidiatur; qui si quando illud vacuum invenerit, aut arenam ibi statim projicit, quæ illud dissipat; aut picem, quæ conglutinat; aut aliquid, quod fœdat: aut paleam, quæ tantùm illud occupat. Servus * igitur ille si molendinum suum bene custodierit, Domino que sui tantùm annonam in eo moluerit, munda ex eo farina egreditur, juxta genus annonæ quæ intus molitur. Ex eodem autem quòd moluerit, & Domino suo servit, sibique ipsi victum acquirit. Si verò inimicum suum violare molendinum suum permiserit, mala ex eo farina procedit: quia mala est annona quam molit. Hæc autem farina, & vehementer displicet Domino illi, nec servus ex ea sibi victum, sed famem conquirit. Hoc itaque molendinum semper aliquid molens, cor est humanum, assiduè aliquid cogitans. Hoc Deus unicuique homini servandum tradidit; jubens ut in eo * volvat illos tantùm cogitatus quos ipse suggerit. Quorum cogitatuum, alii ut frumentum, alii ut hordeum, alii ut avena sunt. Puri quippe, ut frumentum sunt, quos anima replicat, cùm in contemplatione posita purè de Deo cogitat. Hi autem hordeo assimilantur, qui de virtute in virtutem, quasi per quosdam labores, ascendere meditantur. Hi etenim, licèt sint boni, minùs tamen superioribus sunt perfecti. Illi verò sunt ut avena, quibus homo intendit sua deserere vitia: boni namque sunt & isti, sed tamen imperfectiores prædictis. Hos itaque omnes vult Deus ut homo toto corde revolvat, & ex eisdem sibi victum æternum acquirat. Sed

al. ut

al. autem

al. molens cogitans

quia homini ſemper adverſatur diabolus, & ſemper inſidiatur cordi illius, quod ſi aliquando vacuum bonis cogitationibus invenerit, ſtatim replet, ſi poteſt, malis. Harum autem malarum, aliæ cor diſſipant, ut iræ, & invidiæ. Aliæ conglutinant, & coinquinant; ut gaſtrimargiæ, & luxuriæ. Aliæ tantùm occupant; ut vanæ, * non nimis nocivæ. Hic igitur homo, ſi cor ſuum bene cuſtodierit, ſanctoſque cogitatus in eo revolverit; munda per os verba, velut per foramen molendini, emittuntur; mundus per oculos viſus; mundus per aures auditus; mundus per os guſtus: mundus per nares odoratus; mundus, per totum corpus tactus; ſecundùm genera cogitatonum mundarum, quæ intus volvuntur. Ex his autem cogitationibus mundis, & Deo eas cogitando deſeruit, & æternam ſibi vitam acquirit: ſi verò diabolum cor ſuum corrumpere permiſerit, mox vitia per ſenſus progrediuntur, juxta genera cogitationum malarum, quæ intus volvuntur. Hæc autem & Deo vehementer diſplicent: nec homo ex eis victum ſibi acquirit, ſed mortem. Cùm enim ad finem quiſque pervenerit, quantum boni vel mali nunc moluerit, tantum ad vitam vel mortem ſibi præparatum invenet. Verùm ſciendum quia horum molentium, id eſt, in hac vita laborantium, tria genera ſunt.

al. vana gloria

CAPUT XLII.

Similitudo inter molentes, & laborantes.

Vid. var. lect.

HÆc autem tria genera, velut tres ſunt homines, de mane uſque ad veſperam manu molentes. Horum itaque primus quicquid molit, in ſaccum ſuſcipit & abſcondit. Alter verò partem capit; partem in flumen negligentiâ cadere permittit, partem verò ventus rapit. Tertius autem quicquid molit, impetus fluminis ſecum tollit, vel ventus diſſolvit. Veniente veſpera, quando à labore ceſſatur, & fructus laboris inquiritur, quid putas ſingulos habituros? Qui farinam totam reſervavit, totum laborem ſuum bene recognovit. Qui verò partem collegit, inde lætatus eſt, quòd habuit; inde autem mœſtus eſt, quòd vento aut in flumine amiſit. Qui verò totum amiſit, eo triſtior eſt. Flumen, pro ſæculi decurſu accipitur: vento verò, gloria deſignatur inanis: molendinum, quod tota die molit, præſens labor hujus ſæculi, qui à mane uſque ad veſperam nunquam finit. Mane nobis erat quando nati fuimus, veſpera verò erit, quando per mortis debitum hinc tranſibimus. Tempus itaque præſens, dies eſt quo laborare debemus, unde in veſpera vivamus. Et ſicut mola circum circa ducta, ad eundem ſemper locum revertitur, ſic labor iſte ſingulis annis more ſolito reiteratur. Modò namque aratur, ſeminatur, metitur, panificatur, comeditur quod iterùm ad idem revertitur. In veſpera ergo, quando dicetur: *Voca operarios, & redde illis mercedem ſuam.* Lætabuntur juſti, tota farina ſervata, id eſt, vita ſua. Alii verò, qui non eam totam ſervaverunt, in hoc mœſti erunt; læti tamen, quod ex parte laboris ſui Deum recognoverunt. Verùm alii, qui omne tempus ſuum in vanitate ponunt; & quod faciunt, non ab humana laude abſcondunt; quaſi omne ſtudium vitæ ſuæ in decurſum fluminis projiciunt, farinamque ſuam vento committunt; unde & in fine, pane * vitæ æternæ carebunt: Væ illis.

Matt. 20. v. 8.

al. æterno

CAPUT XLIII.

*Quod bonitas cujuſque fidelis Deo & * omnibus bonis ſit utilis.*

al. hominibus

EO diligentior ad ſtudium bonitatis quilibet efficitur, quò fructus uberior inde provenire probatur. Sciendum itaque eſt, quod bonitas cujuſque omni creaturæ eſt utilis & bona, exceptis dæmonibus & damnatis hominibus. Deo etiam, qui nullius eſt indigens, quadam ratione prodeſſe videtur. Hominibus eſt utilis: quando enim ex vitæ merito quis ad æternam beatitudinem pervenit, numerus electorum incrementum accipit. Qui quantò ampliùs creverit, tantò minus æterna retributio expectanda erit. Nam cùm numerus ille Sanctorum completus fuerit, retributio juſtorum mox accipienda erit; tunc quidem in corporibus, quam jam habent in animabus. Si autem unuſquiſque fidelis, mox ut hanc vitam deſerit, corpore ſimul & anima æternam beatitudinem conſequeretur, omnis, qui hoc videret, ejus ſequi ſanctitatem compelleretur: itaque meritum fidei quodammodo videretur evacuari. Bonis itaque utilis eſt, his qui cum Deo ſunt, quia eorum meritum ſua præſentia auget: & illis qui * in præſenti vita ſunt, & adhuc futuri ſunt, prodeſt; quia locum in illo cœtu beatorum implet, qui nullo modo in fine vacuus eſſe poteſt. Facit etiam aliud; * malitiam perverſorum ſiquidem exemplo ſuæ bonitatis reſtringit. Soli ac Lunæ bonus homo, cæteriſque creaturis eſt utilis; quia in conſummatione juſtorum commutabitur in melius, quicquid eſt omnium creaturarum. Sol quippe, ſicut Propheta ait: *Septempliciter lucebit, ut lux ſeptem dierum; & Luna erit, ſicut Sol.* Aliæ creaturæ, licèt pulchræ * ſint, mutabuntur in melius, cùm illas Deus mutabit in ſtatum exinde non commutandum, Angelis quoque bonus homo utilis eſt, quia ſe omnibus illis amicum facit. Qui enim mihi amicum acquireret, qui me tanquam ſeipſum diligeret, & quam ego tanquam meipſum amarem, magnas ei gratias deberem. Quiſquis ergo bonus ſtuduerit eſſe, in bonorum amicitiam tranſibit; ita ut unumquemque tanquam ſeipſum amabit: & omnes eum eodem modo charum habebunt. Tantus enim amor, tantaque concordia inerit omnibus, ut omnes amici unius, ſint amici & alterius. Qualiter autem bonus etiam Deo ſit utilis, videamus. Omnipotens Deus civitatem quandam magnam, & admodum * ſpacioſam ad ſuam gloriam ædificavit, quam * copioſa civium multitudine replevit. Quorum nonnulli, cùm propriam voluntatem potius elegerunt facere, quàm ſub voluntate & ordinatione Dei remanere, miſerabiliter corruerunt, & domus & ædificia magna & ſpatioſa, ex parte vacua remanſerunt. Ut igitur aliquis, qui urbem magnam fieri ordinaſſet, qui multa in ea palatia conſtruxiſſet, multaſque manſiones ad urbis ædificationem feciſſe, ſed habitores non haberet, & omnes quoſcunque potuiſſet, ad ſe invitaſſet: Sic facit Dominus Deus: Omnes enim, ut ad ſe veniant, & ut ſibi ad ſuæ civitatis ædificationem ſubveniant, precatur, admonet, invitat: bonas leges pollicens, pacem & ſecuritatem promittens.

al. præſentiarum ejus

al. excludit

Iſai. 30. v. 26.

al. ſpectoſam

al. ſpecioſa

CAPUT XLIV.

Commendatio ſuperna Hieruſalem.

IBi namque Jura legum immobilia, optimæ conſuetudines, ibi cives non ex timore alicujus ſuas occultant opes: imò gaudent dum palàm omnibus apparent. Nullus ſiquidem ibi incurſus malorum, peſtis nulla, violentia omniſque rapina procul inde remota. Præterea locus amœnus & magna dulcedine refectus: domus paratæ, ædificia ampla, diverſi generis manſiones. Unde & ipſe Dominus: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Et Propheta Baruch: *O Iſraël, quàm magna eſt domus Dei, & quàm ingens locus poſſeſſionis ejus.* Magnus, & non habet conſummationem, excelſus, & immenſus. Tenebræ ibi nullæ, luce indeficientes circumlucente; infirmi-

Joan. 14. v. 2.

Baruch. 3. v. 24.

tas

tas nulla, sanitas indefessa, nihil incommodi, omnia ad votum. Ad hanc itaque ædificationem invitat nos Dominus, dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Qui ergo venire voluerit, Dei proculdubiò quodammodo adjutor erit. Unde Apostolus: *Dei adjutores sumus, Dei ædificatio estis.* In bonitate ergo quicunque steterit, non solùm sibi & omni creaturæ utilis erit, sed etiam ipsi suo & omnium conditori (ut diximus) beneficium præstabit. Hæc enim civitas sancta, cui se sponte associavit. Si vel unus homo defuerit bonus, nunquam perficietur.

Matth. 11. v. 28.

1. Cor. 3. v. 9.

CAPUT XLV.

Quòd bonitas boni hominis, damnatis & dæmonibus [al. nullis] *sit* * *inutilis.*

NOtandum etiam quòd sicut bonitas hominis boni, * [al. hominibus] omnibus est ad lætitiam incrementum: sic dæmonibus & hominibus damnatis * est ad detrimentum. Dæmonibus namque & hominibus damnatis, Sanctorum consummatio erit interminabilis luctus & æterna damnatio. Nam cùm * [al. juste] isti obtinebunt corporis & animæ gaudium sempiternum; tunc similiter & illi ibunt in supplicium æternum. Quod quia dæmones non latet, modis omnibus laborant Sanctorum incrementum impedire. Quoniam quidem, donec ultimus illorum eis associetur, non includuntur; sed habent potestatem tentandi electos Dei, quatenus qui probati invenientur digna renumeratione coronentur; victi verò atque reprobi perenniter puniantur. Vigilemus ergo, ut Salvator admonet, quia adversarius noster circuit, quærens quem devoret. Illum autem devorat, quem sua suggestione in malis actibus indurat. Notandum etiam quòd qui bonis alterius arridet, Sanctis consentit: qui verò invidet, diabolis. Siquidem magis puto ejus salvationem sperandam, qui parum boni facit, & benefactis aliorum favet; quàm illius, qui multa facit, & invidet. Is etenim cui benefacta aliorum placent, si damnatus etiam esset, justè taliter conqueri posset: O vos Sancti, semper de vestra justitia justè lætatus fui: itaque si beatitudinis vestræ participes non fuero, inde damnationem * accipiam, unde semper gaudebam. [al. non accipiam]

CAPUT XLVI.

*De similitudine inter Deum, & * quemlibet Regem, suos * judicantem.* [al. aliquem] [al. judicantes]

INter salvandos * autem & damnandos, sic Deus discernit, quomodo Rex quidam inter fideles & infideles Imperii sui. Hic itaque Rex, præparato ex una parte * quodam convivio magno, & ex alia parte quodam carcere tenebroso, disposuit quia quoscunque sibi fideles poterit comprobare, postquam omnes congregati fuerint, faciet simul discumbere: quoscunque autem sibi infideles esse convincere poterit, postquam & ipsi fuerint congregati, in tenebrosum illum * carcerem simul faciet detrudi. Omnes itaque ad se invitat, ut quis sit fidelis, quilve infidelis, agnoscat. Horum autem fidelium & infidelium, qui omnes invitantur, alii præcedunt, alii subsequuntur. Fidelium igitur cuicunque, ut venerit, postquam verè esse fidelis comprobatus fuerit, datur mixtum interea cibi, donec conveniant omnes qui cum ipso sunt cœnaturi, ut simul incipiant omnes epulari. Infidelium autem ut venerit quilque postquam convictus fuerit infidelis esse, flagellatur interim, usquequò congregentur & alii qui cum eo in carcerem sunt detrudendi, ut simul in eo incipiant omnes cruciari. Mox ergo ut fuerint omnes congregati, & fideles vel infideles esse fuerint compro- [al. quidem] [al. simul]

bati: hi simul omnes in convivium * collocati, * fa- [al. collati] [al. fruiscentur]
ciantur; illi verò in carcerem trusi, fame & siti moriuntur. Hic igitur Rex, ipse Deus est, qui sic discernit inter bonos & malos mundi istius. Ipse etenim, præparato hinc paradiso & hinc inferno, constituit, quia quoscunque sibi fideliter obsequentes invenire poterit, postquam omnes ad eum ex hoc sæculo transeuntes, fuerint congregati; simul omnes in paradiso, in corpore & anima, collocabit. Quoscunque verò reperire poterit præceptis suis resistentes, postquam ipsi convenerint, omnes simul in infernum horribiliter cum diabolo detrudet. Omnes itaque per prædicatores suos ad se invitat, ut quomodo sibi quisque velit obedire, agnoscat. Verùm ejus præceptis alii obediunt, alii verò resistunt. Utrorumque autem alii priùs, alii morientes posteriùs ejus examini repræsentantur. Quicunque itaque ei obediens fuisse comprobatur, requies ei (sed in anima sola) interim datur. Quicunque verò de in obedientia convincitur; & ipse in anima sola cruciatur. Postquam autem omnes mortui, & (ut dictum est) sigillatim * exanimati [al. examinati] fuerint, finitoque sæculo cunctisque resuscitatis, illud etiam generale judicium peractum fuerit, boni omnes in cælum translati, in anima simul & corpore lætabuntur; mali verò in infernum detrusi, & ipsi in anima simul & corpore torquebuntur. * Et sicut [al. omit.] boni perfectam corporis & animæ beatitudinem tunc primùm obtinebunt: sic & mali econtra perfectæ miseriæ corporis & animæ tunc primùm subjacebunt.]

CAPUT XLVII.

De quatuordecim beatitudinibus corporis & animæ.

MUlti homines (quibus nonnunquam boni mores & justa opera proponuntur, ut se in eis, sæculi postposita vanitate, exerceant, admonentur) inquirere solent, quamobrem, quo præmio, qua retributione? Respondetur itaque illis, quòd scriptum est: *Quia nec oculus vidit, nec auris audivit; nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Quod cùm illi non clarè quid sit advertere possunt, * repetitur hoc ipsum aliis verbis, & dicitur eis: [al. repetitur] Præmium quod his qui in hac vita Deo serviunt, in futura vita recompensatur, est vita æterna, beatitudo æterna, æterna jucunditas, sufficientia simul omnium commodorum secundùm voluntatem, & sine omni indigentia. Hæc ergo cùm illis hoc modo dicuntur; bona quidem & magna, ut sunt, videntur: Sed quia non intelligunt quid in hac vita habituri sint; nec subitò quid sit omnium commodorum secundùm voluntatem sufficicientia, & sine omni indigentia, percipere possunt; hærent animo, nec multùm * affecti sapore ad audita & * à sæculi vanitate] [al. efficaci] [al. omit.] trahuntur. Quid igitur est agendum ut hæc illis aliquatenus sapiant, & sic ad bona opera evigilent? Puerorum more cibandos æstimo eos, qui si aliquando grossum aliquod pomum edendum percipiunt, illud ob dentium teneritudinem, & oris angustiam, * absumere nequeunt; nisi pro [al. obsorbere] illorum capacitate priùs fuerit particulatim divisum. Itaque dividamus in partes, magna quæ diximus; ut inde possint ad vitam nutriri, de quibus agimus. Quæ ut melius eluceant, consideremus quæ in hac vita mens avidiùs amet humana; & ex his, prout possumus, conjectemus illa eos habituros in vita æterna multò excellentiùs. Siquidem inter multimoda mundi pericula constituti si Domini fuerint præcepta secuti, atque cùm ipsa illic adepti fuerint, * plenitudine desiderii sui se nequaquam fraudatos percipient. Hæc igitur, ut prætaxavimus, faciamus, & à minimis paulatim progrediamur. Quatuordecim igitur sunt [al. videtur. infl.] [1. Cor. 2. v. 9.] Isa. 64. v. 4. [al. plenitudinem]

beatitudinis partes, quas finito generali examine, perfectiùs omnes electi habebunt : totidemque miseriæ genera, quæ mali tunc sustinebunt. Hæ autem beatitudinis partes atque miseriæ, sic sibi invicem sunt omnino contrariæ, quomodo & ipsi, qui eas accipiunt in remuneratione.

CAPUT XLVIII.

Hæ sunt quatuordecim partes Beatitudinis.

PArtes verò Beatitudinis sunt ; Pulchritudo, agilitas, fortitudo, libertas, sanitas, voluptas, longævitas, sapientia, amicitia, concordia, honor, potestas, securitas, gaudium. Ista (ut æstimo) sunt, quæ propter se, & propter quæ alia quæque ab hominibus appetuntur. Si autem in his aliqua sunt quæ aliquando servi Dei non modò non appetunt, sed etiam magnopere in hac vita curare subterfugiunt : ut sunt (verbi gratia) pulchritudo corporis, atque voluptas ; utique non ideirco ea fugiunt quòd hæc naturaliter nolint ; sed ne Deum in his quoquo modo possint offendere. Nam si per ea nihil offensionis in Deum contrahi posse certò sentirent, vel se ab æternorum amore bonorum impediri non pertimescerent ; profectò jucundiùs in ipsis, quàm in eorum contrariis se deducerent.

CAPUT XLIX.

Hæ sunt quatuordecim partes miseriæ.

PArtes verò miseriæ quatuordecim prælibatis beatitudinibus contrariæ, hæ sunt : Turpitudo, ponderositas, imbecillitas, servitus, infirmitas, anxietas, vitæ brevitas, insipientia, inimicitia, discordia, dedecus, impotentia, timor, tristicia. Notandum quòd sicut septem priores illius beatitudinis partes ad corporis beatitudinem ; septemque posteriores ad animæ pertinent beatitudinem : sic quoque septem priores hujus miseriæ partes corporis, septemque ultimæ miseriam perficiunt mentis. Quicunque ergo illas omnes beatitudinis partes habere poterit, perfectam corporis & animæ beatitudinem possidebit. Quemcunque verò has omnes miseriæ partes tolerare contingerit, summæ corporis & animæ miseriæ subjacebit. Verùm in hac vita, nec unam illius beatitudinis & hujus miseriæ partem quisquam potest habere : nec rursus ex toto ea carere. In alia verò vita, aut perfectam habens beatitudinem miseriæ nullatenus subjacebit : aut summæ subjacens miseriæ, omnino beatitudine carebit. Quod ut totum comprobare possimus, per singulas beatitudinis atque miseriæ partes curramus.

CAPUT L.

De pulchritudine, & turpitudine.

PArs igitur prima Beatitudinis est pulchritudo ; & miseriæ, per contrarium, turpitudo. Illam omnes habere, hac verò concupiscunt carere. Verùm * hic neutram habere perfectam, vel neutrâ possunt carere. Quænam enim est illa speciositas hominis, quæ non sit multò minor pulchritudine * floiculi ? Quis enim ut lilium candet ? Quisve ut rosa, rubet ? Quia tamen quantulamcunque pulchritudinem habet, nec summæ turpitudini * subjacet. Non ergo vel illam vel illam perfectè habere, nec eis in hac vita potest omnino carere. In alia verò vita perfectè alteram habebit, alteraque omnino carebit. Pulchritudo etenim bonum quoddam est, & quod naturaliter à cunctis haberi amatur. In illa siquidem vitâ pulchritudo justorum solis pulchritudini, qui septemplicitet quàm modo sit, A splendidior erit, adæquabitur. Unde scriptum est, *Fulgebunt justi sicut sol, in conspectu Dei.* Amplius : Corpus Christi claritatis solis prælucere, nescio quem quam posse ambigere. Huic autem similes, teste Apostolo, erimus, qui ait : *Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* * Hæc autem auctoritate comprobata, si quis etiam velit sibi ratione comprobari ; credo nulli debere incredibile videri justos pulchritudinem solis in illa vita, ubi mortale hoc absorbebitur, tantummodò sortiri, cùm verè dicantur & sint templum & sedes Dei ; quod nusquam in divina pagina de sole isto visibili * meminimus legi. Hac igitur tali & tanta pulchritudine justus rutilabit. Si verò injustus fuerit, cæno & omni cadavere fœtidior erit, omnique fuligine turpior. Ibi ergo pulchritudinem perfectam, aut summam habebit turpitudinem.

Mat. 13. v. 43.

Phil 3. v. 21.

al. hac

al. haverimus

CAPUT LI.

De agilitate, & ponderositate.

SEcunda pars Beatitudinis est agilitas ; miseriæ verò, è contra, ponderositas. Has verò nec omnino habere, nec rursus his homo potest penitus hîc carere. Nam quanta est hominis agilitas, quam minimus passerum superat : Quia tamen quoquo modo movere se potest, nec summæ ponderositati subjacet. In futuro autem, aut perfectè agilis erit ; aut sic ponderosus, ut se omnino movere non possit. Sed in illa beata vita velocitas, quæ pulchritudine non minus amatur, tanta nos comitabitur, ut ipsis Angelis Dei æquè celeres simus futuri, qui à cœlo ad terram, & è converso, dicto citiùs dilabuntur. Quæ celeritas, utrum sit in Angelis, si probari necesse esset (exempli gratia) dici posset, hominem mortali adhuc carne gravatum, mox à Judæa in Chaldæam per Angelum delatum ; indeque tradito prandio, quod deferebat, sine mora relatum. Ergo cum illis omnino par velocitas nobis erit, quibus, sicut promissa est, eorum æqualitas inerit. Apostolus etiam, qui corpora nostra, quantacunque locorum intercapedine separata membratim fuerint, sive dispersa, in ictu oculi asserit resurrectura ; satis innuit quam velocitatem eadem corpora incorruptibilia sint habitura. *Corruptibile* quippe *hoc*, sicut ipse testatur, *induet incorruptionem, & mortale hoc induet immortalitatem.* Hujus quoque velocitatis exemplum in radio solis licet intueri, qui statim orto sole in plaga Orientali, pertingit usque ad * ultima plagæ Occidentalis ; ut in eo perpendamus non esse impossibile quod de nostra dicimus futura velocitate ; præsertim cùm rebus animatis soleat inesse major velocitas, quàm inanimatis. Hinc etiam radio solis simile exemplum velocitatis habemus in nobis. Radius quippe oculorum nostrorum, in sublevatione palpebrarum, usque ad cœlum pertingit, & * ictus earum totus in semet ac integer redit. Amplius. Constat quidem animas Sanctorum, quæ jam cœlestia tenent, necdum plena fœlicitate frui, donec incorruptibilitate corporum suorum potiantur ; quam cùm adeptæ fuerint, non erit quod amplius velint. Hæc itaque corpora, si eas à sua velocitate aliquatenus tardiores aut graviores efficere deberent, nimirum eorum potiùs consortium abhorrerent, quàm appeterent. Igitur ea, quam diximus, velocitate donabitur homo Sanctus, cùm ad veram vitam fuerit transflatus. Malus verò tanto pœnarum pondere premetur, ut nec pedem quidem, vel manus, vel aliquid sui corporis possit movere. Unde & illud in Evangelio : *Ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores.*

1. Cor. 15. v. 53.

al. ultimam

al. illum

Mat. 22. v. 13.

Digitized by Google

CAPUT LII.

De fortitudine, & imbecillitate.

TErtia pars Beatitudinis fortitudo dicitur; miseriæ verò, imbecillitas, quæ ei opponitur. Sed quæ est hominum fortitudo in hac vita, quorum plenam navim Echinus in mari retentat? Quia tamen homo imbecillia quædam superare valet; nec omnino imbecillitati subjacet. Itaque nec fortitudinem perfectam; nec summam hîc habet imbecillitatem. Verùm præstabunt viribus, quicunque supernis meruerint civibus associari; in tantùm, ut nullatenus illis quicquam obsistere valeat, vel si movendo quid, aut evertendo volverint à suo statu, quin illicò cedat. Nec in eo quod dicimus, majori laborabunt conatu, quàm nos modò in oculorum nostrorum motu. Ne (quæso) similitudo illa Angelorum nostro excidat ab animo, quam * adepturi sumus in futuro: quatenus si in hac fortitudine, aut in his quæ dicturi sumus * exemplum non occurit; vel ipsa, per quam Angelis adæquabimur, ad ea comprobanda profit. * Sic igitur in quibus Angelos válere constat, nostra nihilominus fortitudo * valeat; neminem * autem qui dubitet puta existere, Angelos eâ, qua volunt, fungi fortitudine. Cùm igitur similes eis fuerimus, nunquam imbecilliores illis erimus. Sed fortassis quæret aliquis: Quid nobis tunc illa fortitudo præstabit, cùm singulis tam convenienter, ut convenientiùs nequeant, ubique dispositis, nihil immutandum, nihil vertendum, nihil statuendum sit, in quo vires suas quis exercere possit? Qui hæc dicit, paucis nobiscum quid in hujusmodi habeat usus humanus, attendat: & videbit quia non semper omnibus quæ habemus, & quæ nos habere non parum gaudemus, actu utimur. Sicut (v. g.) ipso visu potestate aliqua nonnullarum scientia rerum, & multis in hunc modum; sic & tunc de qua agitur fortitudine erit. Sola namque possessio ejus nobis grata erit, & exultatio grandis; licet in actu nequaquam sit necessaria nobis; cunctis, ut dictũ est, in suo statu convenienter locatis. Hæc eadem quæstio, si aut de velocitate, aut de aliqua partium beatitudinis movetur, hac solutione, si non aptiorem lector invenerit, solvatur. In futuro igitur (ut jam prælibavimus) sic justus fortis erit, ut etiam si velit terram commovere, possit: & è converso injustos imbecillis, ut nec etiam vermes amovere queat ab oculis suis.

al. habituri

al. ad exemplum

al. 6

al. valebit neminem qui

CAPUT LIII.

De libertate & servitute.

QUarta pars Beatitudinis libertas dicitur; miseriæ verò servitus. Liber est ille, qui cogi non potest ad ea quæ nolit, nec prohiberi ab eo quod velit. Sed quis in hac vita valeat esse, qui hanc possit libertatem habere? Quis non quotidie patitur quod nollet? Quis valeat efflequi omne quod vellet? Quia tamen non ad omnia homo quæ non vult, cogitur; nec ab omnibus quæ vult, prohibetur, nec omnino libertate privatur, nec omnino servituti subjicitur. In futuro autem, aut perfectam homo habebit libertatem, aut * omnimodam inibit servitutem. Sed ut jam prædiximus, & auctoritate Apostolica idipsum confirmavimus, Angelis contimiles erimus. Quicunque Angelis assimilabuntur, eorum quoque libertatem necessariò assequentur. Itaque sicut Angelis nihil obsistit, nec aliquid eos impedire potest, nec constringere, quin pro velle suo cuncta penetrent liberrimè; ita non erit aliquod obstaculum, quod nos retardet; nulla clausura quæ nobis ullatenus obstet; non elementum quod nobis ad velle nostrum * pervium omnino non * esset: Amplius: Certè Dominicum corpus, cui cor-

al. omnino servitutem subjacebit

al. pervium

al. esset

A pora nostra configuranda Paulus testatur (ut jam supra meminimus) clauso sepulchro à mortuis surrexit; ac demum ad discipulos obseratis januis palpandus introivit: nobisque in hoc futuræ libertatis grande documentum reliquit. In illa etenim vita, si bonus fuerit, nihil patietur quod nolit; sed agere permittetur quæcunque voluerit. Si verò fuerit malus, ad omnia quæ noluerit cogetur; & ab omnibus quæ voluerit, prohibebitur. Phil. 3. v. 20.

CAPUT LIV.

De sanitate & infirmitate.

QUinta pars Beatitudinis est sanitas; miseriæ verò, infirmitas. Illa homo ab ortu suo carere, B hanc autem incipit tolerare. Ex quo enim nascitur, prima vox ejus indicat quòd patiatur. Mox denique incipit esurire, sitire, lacescere, suis in pannis sordescere. Hinc cæcus vel surdus, mutus vel claudus, cardiacus vel scabiosus, leprosus, vel paralyticus, aliove morbo * efficitur infirmus. Quia tamen ejus infirmitas leniri quibusdam medicamentis potest; nec summæ infirmitati subjacet. Verùm in futuro, sic sanus erit, quòd nullatenus infirmabitur, sed summa sanitate perfruetur. De hac sanitate quid melius dici poterit, quàm quod Psalmita canit? *Salus* (inquiens) *justorum à Domino.* Quibus autem fuerit à Domino data vera sanitas, quæ surripere valebit infirmitas? Verùm de ista sanitate quam in sæculo futuro habebimus, quod exemplum afferre queam, ut quæ sit intelligatur, non video. Qui nihil est sanitas, quod ei comparare possem; aut ego in me, aut aliquis sub C mortali degens carne sensit in se. Hîc etenim tunc nobis sani videmur, cùm in nobis nihil, quod doleat, sentimus. Fallimur tamen nonnunquam in hoc: nam frequenter in aliqua parte corporis infirmamur; nec tamen hoc ipsum, nisi aut motu corporis, aut tactu aliquo ullo pacto experimur. Ac de his, qui nec ita infirmantur, sed ex omni parte sibi sani esse videntur, quid dicemus, ut utrum sint sani, aut non sint, probemus? Pone tibi quemlibet sanissimum corpore, & de sanitate illius scisciture, sanus est suo judicio. Hic talis paulò duriùs tangatur, aut in aliqua sui corporis parte arctiùs constringatur, & statim videbis quia clamabit, Sine, lædis me, vexas me. Quid est hoc? Nonne priùs se esse sanum dicebat, & nunc modicè tactus, ita D dolenter succlamat. Istène tibi sanus videtur? Non puto. Nequaquam salus hujusmodi nobis dabitur, quorum salus à Domino futura esse promittitur. *Nam absterget Deus omnem lachrymam ab oculis Sanctorum, & jam non erit amplius neque luctus, neque clamor, neque ullus dolor, quoniam priora transierunt; & non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos sol, neque ullus æstus; dextra enim sua Deus teget eos, & brachio sancto suo defendet illos.* Quid itaque eis nocere valebit, quibus dextra Dei tegumentum erit? Qualis autem sit illa sanitas, certè scio me nec alicujus sensu vel experimento accepisse. Febrium verò, & diversarum infirmitatum qualitates, si cujusmodi sint quis interrogaret, facilè eas à me expositas forsitan intelligeret; tum quia ergo illas in me, tum quia ab eis accepi qui sciunt, quia eas experimento didicerunt in se. At quod nec sensu percepi, nec ab ullo qui percepit, E ut dixi, accepi, non eodem modo. Credere tamen, & incunctanter (ut mea quidem fert opinio) astruere licet, sanitatem vitæ futuræ ita jugem & immutabilem, ac inviolatam fore; ut ineffabili quadam dulcedine suavitatis totum hominem repleat; & omne quod alicujus in se vicissitudinis, * mutabilitatis, aut læsionis suspicionem prætendere queat, procul arceat atque repellat. Sic igitur justus erit sanus. At verò quemlibet injustum tanta ibi infirmitate scias infirmari, ut nullo postmodum medicamine queat medicari. Apoc. 21. v. 4.

al. infirmabilitatis

A

CAPUT LV.

De voluptate, & anxietate.

SExta pars Beatitudinis est voluptas; miseriæ verò, anxietas. Illam homines appetunt, hanc verò refugiunt. Verùm cùm eam in hac vita quærunt, non nisi per anxietatem invenire possunt. Cumque ad id pervenerint, quod voluptatem putant, non nisi laborando eo fruì valent. Quòd si etiam usi fuerint immoderatiùs, rursus eis in anxietatem vertitur. Quia tamen in eo qualitercunque delectantur; nec omnimodam anxietatem patiuntur. Post hanc verò vitam, aut in * omnimoda voluptate erunt, aut omnino replebuntur anxietate.

al. omit.

CAPUT LVI.

Similitudo ferri ignitì.

SIcut enim ferrum ignitum, quacunque sui parte continet ignem; sic in se boni voluptatem, mali verò sentient anxietatem. Hanc verò voluptatem, neminem in hac mortalitate viventem esse puto vel fuisse, qui eam, ut est, senserit vel gustaverit, ut illius saporem vel habitudinem aliis declarare possit.

CAPUT LVII.

De duabus beatitudinibus, totidemque miseriis.

DIcamus tamen aliquid ad hanc declarandam. Dicamus duas beatitudines, & item miserias esse duas, majorem videlicet atque minorem. Majorem regnum Dei; minorem verò, in qua Adam fuerat primò positus, paradisi gaudium dicimus. Item majorem miseriam, æternum ignem gehennæ, minorem autem, ærumnas fatemur vitæ præsentis; quas, dum vivimus, incessanter patimur. Beatitudinem quippe neutram, aliquando experti sumus. Quòd si saltem illam parvam beatitudinem, quam Adam in paradiso positus habuit, experti essemus: fortè per hanc illam majorem, aliquo modo conjectando videre possemus. Sicut nunc in minori miseria nati, nutriti & adulti, multa de majori miseria, quoties volumus, edicere & explanare valemus. Itaque cùm voluptas, de qua agimus, constet esse una portio summæ beatitudinis, quo illam modo explicemus, ut capiatur, non video: nisi fortè * illud agamus aliqua contraria similitudine magnæ miseriæ, quam ex minori * conjectamus. Sit igitur ante oculos cordis positus (exempli causa) homo aliquis, qui tam in ipsis oculorum suorum pupillis, quàm & in singulis membris ferrum ignitum, & candens infixum habeat: ita ut nec medullæ, nec intestina, nec omnino quicquam in toto ipso sit, quod illius cruciatus immanitate careat, vel eam lèviùs quàm in oculis aliquatenus sentiat. Quid dicam, angustiatur? Quis hunc æstimet esse sanæ mentis inter ista? Eodem modo, sed penitus contraria consideratione, in illa futura vita delectatio quædam ineffabilis bonos inebriabit, & inæstimabili dulcedine sui totos eos inenarrabili exundantia satiabit. Quid dixi totos? Oculi, aures, nares, os, manus, pedes, guttur, cor, jecur, pulmo, ossa, medullæ, exta etiam ipsa, & cuncta sigillatim singulaque membra eorum, in communi tam mirabili delectationis & dulcedinis sensu replebuntur, ut verè totus homo de torrente voluptatis Dei potetur, & ab ubertate domus ejus inebrietur. Verùm è contrario, ut dictum est, credimus de injusto.

al. omit.
al. conjectamus

B

C

D

E

CAPUT LVIII.

De longævitate, & vitæ brevitate.

SEptima pars Beatitudinis est longævitas; miseriæ verò, vitæ brevitas. Illa beatitudinem corporis, hæc autem miseriam perficit. Tunc enim primùm prædictas beatitudinis partes corpus habere potest, cùm eas diu retinere valet. Nam si eas omnes haberet, & statim moriendo amitteret, quid eas sibi habuisse prodesset? At longævitatem habere perfectam non potest, qui aliquando moriturus est. Quantumlibet enim vivat diutius, * somnium sibi esse videtur quod vixit, cùm moritur. Non ergo longævitatem homo hìc habet, ubi quandoque moriturus est. Qui tamen quia mori citiùs potest, nec vitam omnino brevem hìc habet: in futuro autem aut longissimam, aut vitam habebit brevissimam. Si enim bene vixerit nunc; tunc vivet, quantum & Deus: quia scriptum est: *Justi autem in perpetuum vivent.* Si verò malè vixerit, non nisi moriendo vivere tunc poterit. Nihil ergo brevius illa vita, cui mors fuerit semper juncta. Nunc autem notandum quia septem prædictæ beatitudinis miseriæque partes, ad corpus pertinent; cæteræ verò quæ sequuntur, ad animam.

al. somnium

CAPUT LIX.

De sapientia, & insipientia.

OCtava itaque pars Beatitudinis ad animam * pertinentis, est sapientia: miseriæ verò, insipientia. Illam habere, hacque carere se homo æstimat, si quid agnoverit quod alius nesciat. Sed quæ est ejus sapientia, qui seipsum ignorat? Quis enim perfectè agnoscere valeat, cujusmodi res sit anima sua? Quisve novit, quale sit corpus ejus interius, vel quale posterius, vel etiam exterius? Quia tamen, & se, & alia, quoquo modo cognoscere potest, non omnino insipiens est. Verùm in futuro, aut perfectè sapiens aut omnino erit insipiens. Sapientia igitur, quam omnes in hac vita * non inutiliter amant, tanta in futura vita bonis erit; ut eorum, quæ scire voluerit, nihil sit quod ignorent. Bonus enim perfectâ (quæ Deus est) sapientiâ replebitur, eamque facie ad faciem intuebitur. Quam dum ita perspexerit; creaturæ totius naturam videbit, quæ in Deo melius quàm in seipsa consistit. Tunc enim justi cuncta scient, quæ Deus fecit scienda; tam ea quæ præterita sunt, quàm ea quæ postmodum sunt futura. Ibi à singulis omnes, ibi ab omnibus singuli cognoscentur. Nec quemquam omnino latebit, qua patria, qua gente, qua stirpe quis editus fuerit, vel quid etiam in vita sua fecerit.

al. pertinens
al. non nisi

CAPUT LX.

Quòd peccata singulorum singulis pateant.

HIc fortassis aliquis ait: Quid est hoc? Peccata quæ feci, scient omnes? Ad hoc ea confessus sum, ut delerentur & obliviscerentur, ut nulli amplius panderentur. Bene. Sed cùm tu in illa gloria, ab omni criminum sorde purgatus, vultui Dei præsens astiteris, ingratus ne ei poteris esse pro tanta misericordia, quam tibi fecit, remissis illis & illis delictis? Non, inquies. Et unde (inquam) gratias ages; si nihil eorum unde jure gratias illas debeas, in tua memoria habeas? Ut igitur in laudibus illius æternaliter jocunderis, semper de quanta miseria sis erutus, ut puto coràm habebis. Cùm ergo singulorum conscientiæ singulis pateant, fateri audeo ea quoque peccata cunctis electorum patere, pro quorum

Digitized by Google

curatione tu Deo gratiosus existes assiduè; non ad tuam confusionem, sed ad magnam Dei misericordiam, ejusque glorificationem, tuamque congratulationem. Non enim tunc pro peccatis tuis te major angustia cordis premet, scelerumve tuorum magis pudebit; quàm aliquem olim magnis vulneribus sauciatum, jamque ex omni parte sanatum, aboliti languoris molestia premit. Vel nunquid eorum quæ in cunis positus infans egerat, nunc grandævum pudet? Tunc quippe, cùm integra sanitas, perfecta munditia, plena remissio, secura omnium offensionem impunitas tibi * certò arriserit; recognitio vel recordatio peccatorum tuorum in nullo tibi magis horrori esse vel confusioni valebit, quàm est modò beato Petro Apostolorum Principi, qui Christum negavit, * abnegatio sua; beatæ Mariæ Magdalenæ peccata sua; & multis aliis multa, quæ sequuntur, jam donata crimina sua. Verùm super hoc agnitis delictis tuis, velut in enormi ac fœda infirmitate tua; pietas, virtus, sapientia medici qui te sanavit, sublimiùs à cunctis admirabitur, laudabitur, magnificabitur. Laus autem & magnificentia gloriæ Dei; tua, si bene advertis, gloria est. Sed dices: Et quidem consentio laudem Dei gloriam esse meam. Verùm cùm hinc inde tot & tanti, ad mei comparationem, innocentes prodeant, qui consideratis vitæ meæ obscœnitatibus me omnino, sicut æquum erit, horrori habendum judicent. Quid dicam? Justitia nempe suum, & suum injustitia præmium exigit. In his (Fratres) nolo timeas; aliter enim erit quàm existimas. Illum siquidem quem tu tibi comparatum judicas innocentem, penitus non ibi reperies de te, quemadmodum putas, sentientem. Namque videns ille, de quo agis, planè intelligit te nequaquam se, sed Deum, quando peccasti, offendisse. Cùm ergo viderit Deum tibi debita funditus dimisisse, nec in cor ascendet ut te inde aliquatenus judicet. In hoc enim ipso Deum offendere se cognosceret, si te Deo per omnia reconciliatum pro his quæ olim feceras, ullatenus contemnendum cogitaret. Magis autem gratiosus, ineffabilem Dei clementiam admirabitur, non solùm in te, sed etiam in se. In te, quia te de tam profundo iniquitatis eripuit: in se, quia sola gratia ejus, ne in idem profundum rueret, tenuit se. Laudando igitur, magnificabit in te, post gratiam Dei, vim atque constantiam, quibus enitens voraginem tanti mali viriliter evasisti; juxta quam, quod & ipse considerabit, nisi à Deo adjutus fuisset, non ita forsitan iter justitiæ tenuisset. Vides igitur quàm nihil habet imperterrii vulgata cognitio peccati tui, immò quàm multum laudis & gratiarum, cognita remissio sui, generabit.

al. nisi

al. abjuratio

CAPUT LXI.

Altercatio inter hominem justum, & Angelum.

IPsi etiam Angeli, si te societate sui propter peccata tua indignum vellent judicare, haberes qualiter contra eos jure te posses defensare. Quonam, inquis, modo? Audi. Propone Angelum aliquem quasi talia tibi improperantem: Tu homo de pulvere factus; tu pulvis aliquando futurus, contra Deum te extulisti; contra præceptum ejus te in cœnum omnis peccati & immunditiæ tumidus dejecisti; & nunc nostri similis esse quæris, quos nunquam in aliquo * voluntati Dei contrairse cernis? Ad hæc ita respondeas: Si ego, ut tu dicis, de pulvere factus sum, certè non est mirùm si vento tentationis impulsus in sordes sum ego criminum lapsus. Verùm agnitâ & creditâ misericordiâ Christi, spretis omnibus quæ illum nolle scire potui, in cunctis quæ illum velle intellexi, memetipsum exercui. Unde tribulationes & angustias, in fame, & siti, vigiliis, verberibus, contumeliis, aliisque modis innumeris, ad honorem ejus sustinere non renui; & quæque mundam pro viribus meis nihili pendens, ipsius tantummodo solius gratiæ per singula reconciliari studui. Vos autem quid horum unquam sui causâ sustinuistis? Semper vos gloria, semper jocunditas est comitata; semper vos tenuit dextera Dei, atque defendit ab impugnatione omnis peccati, ita ut nulla vobis surriperet macula ejus. Itaque si à voluntate ipsius non * recessistis, illius donum est, à quo jugiter tenti estis. Sed quia hæc ratiocinatio illos tantummodo respicit, qui * perditioni suæ vim fecerunt; & regnum cœlorum violenter rapuerunt: alii, qui in illo sunt, sed alio modo intraturi, alia ratione puritatem Angelorum sibi sunt vendicaturi. Sed quæris. Quo? forsitan ista. Dicent ergo illis: Quid in regno Dei vestra quærimus æqualiter beari, dono & gratiæ Jesu Christi Domini nostri id adscribimus. Qui ad hoc dignatus est homo fieri, pati, mori, ut nos ab omni delicto in sanguine suo justificatos, ipsius regni consortes efficeret. Vos igitur considerate, an sanguis Christi, qui pro nobis est effusus, queat nobis non esse perfecta causa salutis? Quid ad hæc Angeli, qui libenter, eo quòd boni sunt, rationi * acquiescere volunt, dicerent; nisi quæ dicta sunt ratione * niti, & hujusmodi homines jure suam æqualitatem debere sortiri? Cùm itaque Angeli atque homines, quos magis tu judicaveras innocentes tibi consentiant, cùm in cunctis pro veritate rationis honorem deferant; perpende, si vales, quàm grata sit sapientia ista, qua tu, sicut ab omnibus, sic omnes à te cognoscentur in vita illa. Si autem fueris malus, verùm * etiam omnino sapientia privatus, tantis urgeberis doloribus, ut non solùm insipiens, verùm omnino sias & amens.

al. contra voluntatem

al. cecidisti

al. salvationi

al. vetti esse quiescere

al. male

al. omnia

CAPUT LXII.

De amicitia, & inimicitia.

NOna pars Beatitudinis est amicitia; miseriæ verò, inimicitia. Perfecta autem amicitia est, quæ in inimicitiam converti non potest. Sed quis hîc habet amicitiam tantam, etiam filius erga patrem? Quia tamen nullus habet hîc * inimicitiam tantam, quæ converti non possit in * amicitiam: nec omnino habet hîc inimicitiam summam: in futuro autem aut amicitiam perfectam, aut inimicitiam quisque inveniet summam: Bonum etenim quemque sic Deus, omnesque alii diligent boni, ut eum habere odio ultrà non possint. Quantum namque quisquis seipsum, tantùm & tam diu diliget alterum. Nec enim video quomodo aliter esse possit; præsertim cùm omnes unum corpus Christi sint, & Christus, qui est ipsa pax, sit omnium caput. Nec minori sese affectu complectantur, quàm membra unius corporis sibi invicem copulantur. * Quantum putas abundans eris in dilectione, quando hoc tibi fuerit in possessione? Attamen ista transi, & contemplare ipsum per quem hæc bona tibi pervenêre: & percipies quia ille plusquam ut teipsum, & quàm omnes alii se, incomparabiliter amet te. Et tu super teipsum, & super omnes alios ineffabili quadam suavitate illum amabis. Malum autem quemque sic Deus, omnesque boni habebunt odio, ut nec filius quidem pietatem habeat de patre in pœnis conspecto.

al. inimicitiam

al. inimicitiam vide var. lect.

al. omis.

CAPUT LXIII.

De concordia, & discordia.

DEcima pars Beatitudinis est concordia; miseriæ verò, discordia. Concordiam homo tam ra-

Digitized by Google

ram hîc habet, ut nec ſibi ipſi ſemper concordet. Sic enim corpus & anima diſſident ſibi, ut quod unum appetit, alterum nolit. Verum quia non ſemper hoc faciunt, ſed aliquando idem volunt: non in diſcordia ſumma perſiſtunt. In alia verò vita vel in concordia, vel in ſumma perſiſtent diſcordia. Corpus etenim & anima cujuſque Sancti, imò concordiæ tantæ erunt omnes juſti, quantæ in præſenti ſunt oculi noſtri. Sicut enim oculus unus verti non poteſt, quo non vertatur & alius, ſed in eandem partem ſemper volvuntur, ſic etiam corpus & anima, vel ſocietas illa juſtorum nihil poterunt * velle diverſum, ſed eandem ſemper voluntatem habebunt. Corpus enim unum erimus. Eccleſia una erimus, ſponſa Chriſti erimus, quicunque ibi erimus. Ipſa Dei voluntas non erit à tua diverſa, ſed ſicut tu, quod ille: ita & ille volet in cunctis, quod tu. Caput namque à ſuo corpore quomodo diſcreparet?

al. vel

CAPUT LXIV.

Quòd omnes juſti idem velint.

HIc forſitan dices: Eia, ſi Deus & omnis ille beatorum cœtus volent quod ego: tunc & augmentum mei boni mecum volent, quod ego ibi non velle non potero. Ero itaque pro velle meo, de majoribus in cœlo. Huic tuæ imbecillitati reſpondeo. Quia ſi etiam beato Petro in gloria par eſſe volueris, eris. In gloria dico: quia ut Petrus ſis in perſona, velle non poteris. Namque ſi hoc velles, teipſum nihil eſſe velles, quod velle nequibis. Sed nec in gloria illi æquari, ſi meritis ejus impar fueris, velle poteris: quia pulcherrimam illius corporis compoſitionem, quam in hoc conſpiceres violari, plus omni commodo amabis. Nec etiam in humano corpore, vel pes loco aut officio manus; vel manus pedis fungi exoptat, aut os vel naſus, ubi oculi ſunt; aut oculi ubi os; aut naſus, relictis ſedibus ſuis, cupiunt transferri: aut ſi transferrentur, convenienter & ſine injuria non id paterentur. Eodem modo, in illa admirabili & glorificata diſpoſitione, & æquè diſpoſita glorificatione beatæ Civitatis Dei; ita quiſque quod adeptus fuerit, amabit, ut ſtatum ſuum potiori gradu immutari non velit. Quare? Quia cuique ſatis erit ſua felicitas & beatitudo, ſibi pro meritis ſuis miſericorditer impertita. Amplius. Si hi qui jam tunc in ipſius corporis unitate locati fuerint, majora quàm ſint adepti, deſiderarent; eo ipſo miſeri eſſent, quòd nondum haberent quod vellent. In quo enim alicui, quod cupit, deeſt, in eo miſer ſit neceſſe eſt. Sed abſit ab illo regno omnis miſeria. Aderit itaque omnibus omnis ſufficientia, quam perficiet in ſingulis unanimis & plena concordia. Mali verò in diſcordia tanta perſiſtent, ut eorum corpus & anima ſemper diſſideant. Nam & corpus animam odio habebit, eo quòd malè unquam cogitaverit, & anima corpus, eo quòd malè cogitata opere compleverit, pro quibus omnibus torquebuntur in pœnis.

CAPUT LXV.

De honore, & dedecore.

UNdecima pars Beatitudinis, honor dicitur: miſeriæ verò dedecus. Honorari homo ab * omnibus appetit, aut eorum verbis, aut factis. Verbis quidem, ut eum collaudent; factis autem, ut ſibi eum præponant. Sed cùm honorem hujuſmodi appetit, tale eſt ac ſi * unus vermis quærat ab aliis laudari, eiſque in regimine præponi. Hunc tamen honorem, licèt nullus ſit penè, nemo poteſt hîc ad plenum habere. Nullus enim vel Imperator laudatur à cunctis, vel omnibus aliis præponitur. Quia tamen nec ullus à cunctis hîc blaſphematur, vel aliis omnibus ſubſternitur; nec omnino inhonoratur. In futuro autem, aut honorabitur, aut è contra omninino * inhonorabitur: qui honor cujuſmodi ſit, brevi ſub exemplo conſideremus.

al. hominibus

al. nec unus

al. erhonorabitur

CAPUT LXVI.

*De paupere in * regnum adoptato.*

al. Regem

ECce ſit ante oculos noſtros poſitus aliquis pauper, omni ſolatio deſtitutus, ulcerum & aliarum infirmitatum fœditate corruptus, & omni quo vel à frigoris aſperitate defendatur, tegmine nudus. Hunc igitur talem, tali modo jacentem, & in nullo ſemet juvare valentem, ſi Rex aliquis potentiſſimus tranſiens * illum videret, & miſeratus ejus ulceribus mederi juberet, curatumque ſuis regalibus ornamentis indutum, ſibi præſentari præciperet, & adductum in filium adoptaret, ac deinde præciperet ut in regno ſuo filius ſuus à cunctis haberetur, atque in nullo quod imperaret, ab quoquam contradiceretur: hæredem ſuum filiique ſui proprii cohæredem conſtitueret, & eum ſuo nomine vocari vellet; nonne diceres hunc magnificè & inopinatè honoratum? Et certè Deus nobis hæc omnia faciet. Nati enim de putredine carnis replemur multis miſeriis, in quibus miſeriis conſtitutos, & omni ſolatio deſtitutos, omniumque infirmitatum paſſionibus obnoxios, ac peccatorum & corruptibilitatis ulceribus plenos; ſola miſericordia ductus accipiet & curabit nos, & ſanitati reſtitutos, ornamentis perfectæ juſtitiæ & incorruptibilitatis ornabit; adductoſque in filios ſuos ſibi adoptabit, regni ſui conſortes efficiet & hæredes; filioque ſuo unigenito, ſibi per omnia æquali & coomnipotenti, concorporales ſtatuet & cohæredes; omnique creaturæ jubebit ut in omni quod volemus, nobis obediat: vocatoſque nos nomine ſuo, Deos faciet. Ipſe enim dicit: *Ego dixi dii eſtis, & filii excelſi omnes:* Sed ipſe Deus deificans eſt, tu verò Deus deificatus. At fortaſſe ais: Hæc ratio tua in illis quidem magnis Apoſtolis, ſeu Martyribus poteſt exiſtere rata; in me autem (qui utinam inter illos vel minimus eſſe merear) non intelligo quonam pacto conſtare queat. Ad hoc intende (quæſo) & intellige quia nullum juſtorum ab iſta deitate excepit Deus, ubi ait: *Dii eſtis, & filii excelſi omnes.*

al. nunc

CAPUT LXVII.

*Similitudo inter * Deum, & ignem.*

al. inter Ignem & Deitatem

VErùm ut dicta meliùs eluceant, conſidera ſub exemplo naturam ignis, & naturam rerum ignitarum: ſi fortè ibi aliquatenus queas imaginari qualiter illi ſummæ * majeſtati, pro modulo tuo poſſis participando deificari. Ecce ignis unus eſt, & in ſua natura calidus. In hunc ignem pone lignum, plumbú, & ferrum ſimul. Itaque cùm lignum fuerit in carbones converſum & plumbum liquefactum; ita ut in carbonibus nihil niſi ignis appareat, & plumbo nihil caloris addi queat; necdum tamen poterunt ferro in calore coæquari, quod nondum forſitan penitus incanduit igni. Licet igitur aliud alio magis in calore profecerit, ſingulum tamen ſervatâ naturâ ſuâ, uſitato locutionis modo; quia quod ignitum eſt, per ſe dicitur ignis. Sic erit in illa beata ſupernorum civium ſocietate, de qua * loquimur. Nam quemadmodum hi qui ſummæ deitati ſunt propinquiores, & ob hoc aliis præſtantiores, dii dicentur; ita & qui illis ſunt inferiores, (quoniam una & eadem, qua & ipſi, ſummæ deitati pro ſua capacitate participant) ſimili

al. Deitati

al. loquimur

Ps. 81.

Digitized by Google

nomine Deos dicendos neceſſe eſt. Tali honor, ut A prælibavimus, juſtis pro modo meritorum exhibebitur. Quiſquis verò malus è contra ſic exhonorabitur; ut in omni fœtore dejectus, vermium etiam dominio ſubjicietur.

CAPUT LXVIII.

De potentia, & impotentia.

DUodecima pars Beatitudinis eſt potentia; miſeriæ verò impotentia. Veram ille potentiam obtinet, qui, quæcunque voluerit, facere poteſt. Quod quia nullus hic valet facere, nec veram hic potentiam poteſt habere. Quia tamen quandoque quod vult, facere poteſt, nec omnino impotentiæ ſubjacet. Verùm in futuro, aut verè præpotens, aut omnino ſemperque impotens erit. Bonus * autem quicquid voluerit, facere poterit; quoniam ipſum omnipotentem, in omnibus ſuæ voluntati concordantem habebit. Malus verò nihil, quod velit, agere quibit. Quando ergo cum tanto honore, & cum cæteris prætaxatis hanc adeptus fueris omnipotentiam, non video qua ratione poſſis cupere ampliorem. Igitur dum poſſeſſione harum beatitudinum, quas digeſſimus, felix fueris, nonne ſufficiens tibi videberis? Et maximè, inquis. Age igitur, Si in omnibus illis vel una die, ſicut expoſita ſunt ſecurus viveres, gauderes ſine dubio. Si autem menſe, vel uno anno lætificaveris, ſi toto tempore vitæ tuæ, quid faceres? Nec dici quidem poteſt, aut autumo, lætitiæ modus. * Darem pretium utique libens quicquid haberem; & memetipſum inſuper, ſi ſic, & non aliter, ea adipiſci valerem. Si verò adhuc omnino ſecurus exiſteres quòd ea, dum viveres, nullo eventu amitteres; omitto dicere utrum cogitare poſſis an non, quid exultationis tibi deeſſet.

al. etiam

al. faceres? deeſſe arbitraris? Utique

CAPUT LXIX.

De ſecuritate, & timore.

TErtiam decimam Beatitudinis partem, accipe ſecuritatem: miſeriæ verò, timorem. Hæc alias ſiquidem omnes beatitudinis partes confirmat; nec haberi poſſunt * perfectè ſine illa. * Tunc enim perfectè homo eas habet, cùm nuſquam amittere timet.] Verùm in hac vita nihil quis poteſt habere, unde ſecurus valeat eſſe. Sub eodem enim momento pauper ex divite, mortuus ex vivo poteſt exiſtere. Ergo nec alias beatitudinis partes, nec ſecuritatem perfectam hic habet. Quia tamen non ſemper quod patitur, timet; ſed quandoque effugere poteſt: nec ſummum timorem hîc habet. In futuro autem, aut ſecuritatem perfectam, aut è contra ſummum habebit timorem. Bonus autem quicquid voluerit, habebit, & nihil ex eo ſe amiſſurum timebit.

al. ſi miſer atque al. omit.

CAPUT LXX.

Quòd nullus amittat bona ſemel adepta.

DIco enim, quòd ſi ea perditurus eſt, aut ipſe volet ea perdere ſua ſponte, aut Deus volet ei volenti illa auferre, aut aliquis alius Deo fortior ſuperveniens, ea tollet ab illo, Deo & ipſo non volente. Sed certè nec ipſe abjecto tanto bono in miſerias, quas ſe evaſiſſe gratioſus exultabit, recidere volet. Nec Deus, qui illud tam larga & clementi bonitate donavit, id * ei aliquando auferre volet: Nec ullus etiam fortior Deo ſuperveniet, qui, Deo juſtum protegente, hoc illi invito aliquatenus tollet. Malus verò, & ſemper tormenta quæ patietur pavebit, & nunquam ex eis evadere poterit.

al. ea

CAPUT LXXI.

De gaudio, & triſtitia.

QUarta decima Beatitudinis pars, gaudium; miſeriæ verò, triſtitia eſt. Gaudium perfectum ſolus ille poteſt habere, qui prædictas omnes beatitudinis partes potelt obtinere. Quarum quia ullam nemo hîc habere poteſt; patet quia nec gaudium ſummum hîc * retinere valet. Sic & ille ſolus * verè triſtitiam patitur ſummam, quem prædictæ omnes miſeriæ partes omnino coarctant. Verùm quia nullus ex toto hîc eas patitur; liquet quia nec in ſumma triſtitia hîc habeatur. In ſæculo autem futuro aut lætitia, aut triſtitia quiſque replebitur ſumma. Bonus enim quiſque * omnino tunc poterit gaudere, quia B prædictas omnes beatitudinis partes obtinebit perfectè. Quid ergo beatius * illo, qui tanto replebitur gaudio? Adhuc tamen ad cumulum beatitudinis ſuæ aliud habebit, unde magis poſſit gaudere; quia enim quiſque, ſicut ſe, alterum amabit; patet quia ſic de illius felicitate, ut de ſua gaudebit. Quot igitur & quanta gaudia quiſque obtinebit, qui de tot & tantis beatitudinibus Sanctorum jubilabit? Quòd ſi tantum de aliis, quos ut ſe diliget, gaudebit; quantum de Deo, quem ſupra ſe diliget, exultabit? Gaudium enim erit & intus & extra; gaudium ſurſum atque deorſum; gaudium circum circa, ubique gaudium plenum. Malus verò è contra triſtitia replebitur ſumma; quia omnes miſeriæ partes quibus nihilominus ſe circumſeptum ſentiet, * inevitabiliter ſine fine patietur, & C indefinenter.

al. perfectè

al. ille? Quo tunc replebitur juſtus gaudio?

al. necceſſariò

CAPUT LXXII.

De cupiditate mundani honoris.

SIc agunt illi, qui mundi hujus honores appetunt, quomodo pueri, qui ſequuntur papiliones. Papiliones enim cùm volant, tramitem rectum nunquam tenent, ſed huc illucque ſe agitant, cumque alicubi reſidere videntur, nec ibi diu morantur. Hos autem cùm pueri capere volunt, citò poſt eos currere fatagunt; & quia non ad ſuos pedes, ſed ad papiliones intendunt, aliquando in foveam cadunt, ſeque immaniter lædunt. Plerumque verò, cùm eos vident D alicubi * inſediſſe; incedunt ſuaviter & cautè, ut eos valeant comprehendere. Quod dum faciunt, manibus quoque plaudunt, & ad invicem levi voce dicunt; Ecce jam eos habebimus: * ecce eos jam habebimus.] Sed cùm propius accedentes, eos apprehendere tentant, papiliones avolant. Si quando verò eos apprehenderint; exultant de nihilo quaſi magnum quid fuerint adepti. Similiter autem faciunt, qui mundi hujus honores appetunt. Honores enim hujus mundi nunquam certam tenent viam: ſed incertis diverticulis de uno ad alium tranſvolant. Cumque ſub alicujus ſubſtiterint poteſtate, non ibi diu poſſunt remanere. Hos ergo dum ſtulti homines aſſequi capiunt, feſtinant poſt eos, quibuſcunque modis poſſunt. Et quia E non conſiderant quo eos modo aſſequantur, ſed ut quoquo modo adipiſcantur; ſæpius in gravia crimina decidunt, quibus ſuas animas vehementer lædunt. Aliquando verò, cùm viderint eos alicubi quaſi paratos ſibi eſſe, accedunt illuc latenter & multùm callidè, ut quaſi nullo ſciente valeant eos obtinere: quòdum appropriant, vehementer gaudent & exultant. Sed cùm propius acceſſerint, eoſque ſe poſſe jam apprehendere putaverint, honores de manibus eorum ſe excutiunt, & aliqua de cauſa ad illos aliquos ſe transferunt. Quos ſi quandoque adepti fuerint, gratulantur, quaſi aliquem verum honorem ſuerint

al. omit.

Digitized by Google

assequuti : cùm ad veri honoris culmen pervenire non possint, si non hos, * pro suorum satisfactione commissorum, reliquerint.

al. eos

CAPUT LXXIII.

Similitudo inter Deum, & aliquem Dominum.

ITa inter Deum & homines agitur, quomodo inter Dominum aliquem & servos illius, qui vulgò naturales vocantur. Si enim Dominus naturali servo aliquid jusserit, & servus Domino libenter obedierit, agit servus quod debet, & quod Domino placet. Si autem Domini sui præceptis restiterit, gratiam ipsius statim amittit. Quam si voluerit recuperare, ac deinceps Domino suo fideliter servire, sicut prius debuerat naturaliter fecisse; si ei Dominus tunc jusserit, jurat quòd ejus obediet præceptis, eique * fideliùs serviet, quandiu vixerit. Quo facto, Dominus ei condonat quod deliquit; & si ita * Domino placuerit, aliquid proprietatis unde vivat, habere concedit. Verùm aliquanto temporis transacto, servus paulatim incipit, quæ juraverat, obliviscì, & ab amore Domini sui tepescit. Et quia ea, quæ Dominus jubet, sibi dura videntur, priùs quædam, postmodum plura transgreditur, donec in omnibus penè perjurus habeatur. Sicque rursus Domini sui gratiam perdit, quam priùs recuperaverat sponsione correctionis. Quid * ergo amplius faciet? Quid aliud promittere potest? Naturale jus corrupit, jusjurandum violavit. Est tamen aliud quod adhuc faciendum invenit servus. Licentia enim Domini sui aliquid * retinuerat in proprietate, unde se potest, ut antea, reconciliare. Postquam ergo se * errasse cognoscit, ad Dominum suum redit, eum exorans hujusmodi verbis. Domine (inquit) confiteor meam iniquitatem; quia quod tibi naturaliter debueram, quodque postmodum jurejurando promiseram, totum ad meam transgressus sum miseriam. Sed adhuc * semel indulge mihi, si placet, quicquid deliqui: & ego tibi reddam quicquid proprietatis per tuam licentiam hactenus retinui. Me autem ipsum ita in tuo servitio astringam, quòd meam ex toto voluntatem dimittam, tuam verò, in quantum potero, faciam. Et ut eam semper valeam implere, ponam me in illorum subjectione, qui me illam sciant & * velint docere; & admonendo, corripiendo, castigando, faciant custodire. De quibus omnibus faciam tibi jusjurandum, si mihi indulseris quicquid hactenus deliqui. Tunc Dominus: Et ego adhuc (inquit) indulgeo tibi omnia quæ petis, si tu omnia feceris quæ promittis. Sed hoc scias; quia nisi hanc conventionem custodieris, vel si eam * casu in aliquo violaveris, nisi ad eandem * pœnitendo redieris, per aliam conventionem me placare non poteris. Eodem itaque modo inter Deum & homines agitur. Deus enim primo homini quiddam præcepit, cui si ille obedisset, ei profectò * placuisset. Sed quia illius præceptum præteriit, gratiam ejus statim perdidit. Hanc ergo si voluerit homo recuperare, sicut Deus jubet, jurat in baptismate quod audivimus illum servum juralle. Sed quia & hoc ipsum * sæpius transgreditur; relictis omnibus * cum propria voluntate,] monachus efficitur. Aut ergo monachus salvabitur, aut aliter damnabitur.

al. fidelius

al. sibi

al. omis.

al. detinuerat proprietatis

al. peccatis

al. in casu aliquo

al. per aliam conventionem

al. profecto fecisset quod facere debuisset & quod Deo placuisset.

al. omis.

al. quia.

CAPUT LXXIV.

Similitudo inter diabolum, & improbum placitatorem.

VErùm sciendum est quia sic placitat diabolus contra hominem, quomodo improbus placitator contra alium aliquem. Improbus enim placitator, licèt non habeat * rectum; tamen propter improbitatem suam veniens ad placitum, hoc quod est injustum, justum, & quod est justum vult ostendere injustum. Sed cùm eum aliquis jurisperitus audit, & quia non rectam habeat causam agnoscit; judicat esse injustum, quod ille dicebat justum, & esse justum quod ille asserebat injustum. Sicque ille convictus à placito discedit dolens, quòd * aliquid facere non poterit. Sed aliquanto tempore transacto, postquam hoc judicium putat oblivioni esse traditum, suam rursus incipit causam, dicens sibi fieri injuriam. Quòd si aliquis sibi dixerit hoc jam esse definitum, dicit non rectè esse judicatum. Sed ille qui semel jam vicit, non * attendat ad ea quæ dicit; sed tantùm dicat: *Quod semel est bene definitum, non est iterum inciviendum.* Sic enim sine labore semper ab inimico suo se poterit liberare. * Similiter autem diabolus placitat contra hominem: locus autem placiti hujus est cor hominis * ipsius. Ad hunc itaque locum diabolus venit ad placitum. Et licèt sciat quòd rectum non habeat, tamen ibi asserit verum esse quod falsum est, & * falsum quod verum est. Ibi namque dicit * cogitationem, quam immittit, veram esse, scilicet, quòd homo debeat mundum diligere, divitias & honores appetere, desideria carnis adimplere, hæc & his similia facere: quod quidem falsum est. Ex aliâ verò parte dicit esse falsum quòd homo debeat mundum relinquere, divitias & honores contemnere, desideria carnis abscindere, * eleemosynis peccata sua redimere.] monachatum demum accipere, hæc & alia multa facere: quod totum verum probatur esse. Sed cùm aliquis, qui inter rectos & non rectos cogitatus scit discernere, audit diabolum in corde suo hæc dicere, judicat injustum esse cogitatum, quem ille esse justum dicebat; & esse justum, quem ille injustum esse asserebat. Et hoc judicio facto, abjicit injustum, & sequitur justum: contemnensque * sæculum accepit ad monachatum. Sicque diabolus convictus, à cordis placito recedit; contristaturque, quia vincere non potuit. Sed postquam sperat diabolus quia homo oblitus fuerit quod antea sic judicaverat, * putans eum in aliqua parte posse invenire immunitum,] ad eundem locum cordis revertitur, renovatoque placito, quasi non rectè definito, conqueritur. Quòd si ille * pro certo cognoverit quia rectum judicavit in eo, quòd sæculum reliquendum esse censuit; diabolus statim non esse rectum respondet, ut eum tam citò, vel ita omnino desereret: * adhuc posse sibi ipsi, remanendo in sæculo, indulgere; pauperibus vel suis ad eum respicientibus subvenire.] Sed ille qui semel mundum ipsumque diabolum rectè superavit, non curet ea quæ fraudulenter ei dicit, sed firmum * teneat quia quod semel justè & stabilitum, non est denuò destruendum: Et quod denique rectè definivit relinquendum, non * est iterum appetendum. Sic enim facilè, Deo subveniente, diabolum semper poterit superare.

al. aliud facere non putat

al. semper

al. alicujus

al. & encontra

al. cogitationes

al. omis.

al. mundum accipit monachatum

al. omis.

al. ex alia parte cogitavit quia

al. omis.

al. tenet. Quia quod non est

al. est

CAPUT LXXV.

*Similitudo inter Deum, & * quemlibet. Regem.*

al. aliquem

DEus ipse sic inimicitias exercet adversùs diabolum, quomodo Rex quidam contra Principem quendam inimicum suum. Hic autem Rex habet in regno suo villam admodum amplam.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT LXXVI.

*De regno, & villa, & caſtello, & * Dungrone.*

IN villa verò Rex habet caſtellum quoddam, ſupra caſtellum autem unum dungeonem. In villa: quædam domus ſunt validæ, plures invalidæ. In caſtello autem firmitas eſt tanta, ut ſi quis illuc confugerit; niſi inde redierit, ab aliquo lædi non poſſit. Tanta verò ſecuritas eſt in dungeone, ut ſi quis illuc ſemel poterit aſcendere, nunquam eum inde libeat redire. Hæc autem omnia ille Rex habet in poteſtate ſua. Inimicus verò ejus eſt ita fortis, ut quicquid extra villam invenit, ſine ullo obſtaculo comprehentum abducat. In ipſam quoque villam ſæpius intrat; & domos quas invenit invalidas, violat, eoſque qui inhabitant, captivos cum ſuis aſportat. Illas verò quas firmas invenit, poſtquam eas irrumpere nequit, ad extremum invitus dimittit. In caſtellum quoque non poteſt aſcendere; nec illuc confugientibus quicquam mali facere, niſi redierint ad priorem villæ. Sed ſi amore ſuorum parentum redierint, quia eos audiunt occidi & malè tractari; & per foramen vel feneſtram curiosè reſpexerint, tunc eos ſic lè occidere, aut vulnerare poterit. Quapropter neceſſe eſt eis ut nunquam ad clamorem parentum attendant, nec ad * bellum revertantur, aut reſpiciant: ſed ſemper, ut cœperunt, fugiant donec ad ſummitatem * dungeonis pervenerint. Poſtquam enim illuc pervenerint, erunt omnino ſecuri. Itaque Rex ille Deus eſt, qui cum diabolo bellum habet. Hic in ſuo regno habet Chriſtianiſmum; in Chriſtianiſmo verò Monachatum; ſupra Monachatum, converſationem * tantummodò Angelorum. In Chriſtianiſmo, quidam in virtutibus ſunt validi, plures verò invalidi. In Monachatu autem firmitas eſt tanta, ut ſi quis illuc confugiens, Monachus effectus fuerit; niſi inde pœnitendo redierit, à diabolo lædi non poſſit. In Angelorum verò converſatione gaudium eſt ſecuritatis tantæ, ut quiſquis illuc aſcenderit, nolit inde unquam redire. Hæc autem omnia Rex idem Deus habet in poteſtate ſua: Inimicus verò ejus, id eſt, diabolus, tantæ poteſtatis eſt, quòd omnes Judæos atque paganos, quos extra Chriſtianiſmum reperit, nullo obſiſtente rapiat, & in infernum demergat. In ipſum quoque Chriſtianiſimum ſæpius intrat, & eos quos debiles invenit, tentando violat; animaſque corporibus inhabitantes, captivas aſportat. Illos verò, * qui fortes ſunt & bene muniti, poſtquam eos ſuperare nequit; tandem, licet triſtis, dimittit. In Monachatum quoque non valet irrumpere, nec his qui Monachi effecti ſunt, quicquam facere mali; niſi ad ſæculum redierint corpore, vel * corde, vel aliqua parentum affectione.

a divigione

al. bellandum

al. divigionis

al. omit.

al. quos fortes in ſeipſis, poſtquam

al. omis.

CAPUT LXXVII.

Similitudo inter Monachum, & potionem, & Abbatem, & Medicum.

* SEd quia hoc ſæpius ſolet evenire novitiis;] attendant quia ſic agit qui Monachatus arripit difficultatem, quomodo infirmus qui gravem accipit potionem. Plerumque etenim contingit ut qui aliquam patitur infirmitatem corporis, potionem quærat, qua ab illa infirmitate curari valeat: Cumque medicus ei dicit, ut illam vel illam potionem accipiat, & ſic ſanari poterit; emit eam, vel * gratis accipit datam. Sed cùm potio fortis ejus viſcera rimatur, membra omnia percurrit, malos humores contrahit; vires tollit, corpus diſſolvit, terræ * proſternit, deſiderium maximum bibendi in eo accendit, vel dormiendi, vel foras ad ventum exeundi: eique medicus hæc interdicit, comminans quia morietur, ſi hæc fecerit. Heu me, infirmus inquit, cur potionem hanc accepi? Malè mihi priùs erat, & modò eſt pejus. Heu quanto meo malo illos vidi, qui hoc conſilium mihi dederunt; nec mihi quia hoc & hoc me oporteret pati, prædixerunt. Si enim hoc ſciviſſem, nunquam potionem accepiſſem. Sic & ſic iſte conqueritur, dum potione coarctatur. Cùm verò mali humores defluere cœperint, totumque corpus paulatim leviari; gaudet & exultat quia talem potionem accepit, per quam ad priſtinam ſanitatem redire ſe ſentit, & * homines qui hoc conſilium ei dederunt benedicit.

Similiter verò multotiens accidit, ut aliquis, qui animæ ſuæ infirmitatem conſiderat; medecinam inde ſpiritalem quærat, quâ ab illa vitiorum ſuorum infirmitate mundari valeat. Cumque ei aliquis ſpiritualis homo dicit quòd per Monachatum poſſet ſalvari; dat quicquid habet ut in Monaſterio aliquo ſuſcipiatur, vel ei gratis aliquando conceditur, & ſuſcipitur. Sed cùm ordinis difficultas cogit eum vigilare, dum vellet dormire; eſurire, dum vellet edere; ſitire, dum vellet bibere; tacere, dum vellet loqui; legere vel cantare, dum vellet quieſcere; ſedere, cùm vellet ſtare vel ambulare; aut ſtare vel ambulare, cùm vellet ſedere: injurias ſuſtinere multas, propriam voluntatem ex toto deferere: Me miſerum, inquit, hunc habitum quare ſuſcepi? Antea malè agebam, ſed modò pejus ago; quia tot & tanta quæ mihi jubentur, adimplere non valeo; * & vix niſi invitus, aliquid boni perficere valeo. Quid igitur?] Væ mihi, væ mihi. Ut quis his credidi, qui mihi hoc conſuluerunt? Putabam quòd omnes iſti homines eſſent Sancti. Hæc & his ſimilia novitius dicit, dum Ordo illi imprimis videtur gravis: Sed poſtquam ſentit & ſecum conſiderat quia hæc unanimiter patiendo, ſic omnia ſua poſſe aboleri peccata, ſicque ſanitatem animæ citiùs recuperare; totum quod antea grave videbatur, paulatim leve efficitur, & quaſi jam nihil malè habens, lætari incipit, Deo gratias agit, quia Monachatum ſuſcipere meruerit; & omnes, qui tale conſilium ſibi dederunt, benedicit.

al. omnes

CAPUT LXXVIII.

Contentio inter Monachos, Converſos, & Nutritos.

VErum quia de Converſis & Nutritis congregatur ordo Monachorum, dicendum eſt quòd ſolet eſſe contentio quædam inter Nutritos Monachos & Converſos. * Aſſerunt enim Nutriti ſe nulla crimina commiſiſſe, nec ſe in ſæculi ſordibus coinquinaſſe, ſed quia mundam ab infantia vitam duxerunt, & in Dei ſervitio ſemper laboraverunt: Illos verò è contrario ſemper vixiſſe conſiderant, & ideò merito inferiores eſſe judicant. At contra Converſi, quia ſcientiam exteriorum habent, & res Monaſterii ſapienter tractant; Nutritis ipſis neceſſaria inveniunt, ordinem quoque ſuum ferventiùs plerumque cuſtodiunt; illos verò parum in his valere conſiderant: ideò ſe meliores illis æſtimant, ſicque aliis alii ſe præferunt, dum non ſuam, ſed aliorum infirmitatem attendunt. Sed ſi verè, Monachi eſſent, ſic eſſet inter eos, quomodo inter Angelos in cœlis, & homines Sanctos. Angeli enim ſunt quaſi Nutriti, Sancti verò homines quaſi Converſi. Sed nec Angeli Sanctos deſpiciunt, quia tentationibus aliquando victi ſunt, nec Sancti Angelos, quia nullam, quam vincerent, paſſi ſunt tentationem. Si enim Michaël diceret Petro: Tu Dominum negaſti: poſſet Petrus reſpondere. Verum quidem eſt quod dicis, ſed tu pro Domino nunquam vel unum colaphum ſuſtinuiſti.

al. antecedunt

Digitiz Google

Quod omnino non faciunt, sed ita existunt concordes, ac si omnes essent Angeli, vel homines. Sic ergo sunt isti, ac si Nutriti sint omnes, aut Conversi.

CAPUT LXXIX.

Similitudo inter Monachos, & Angelos, & Deum.

SIc est inter Monachorum congregationem in terris, & congregationem Angelorum in cœlis, quomodo inter eos, qui sunt adhuc exteriùs in cella novitiorum; & illos qui jam sunt interiùs in congregatione monachorum, qui, ut prævalent, in omnibus se perfectè custodiunt. Hos enim Abbas per semetipsum jam omnia docuit, quæ vult eos observare; illis verò magistros ex istis præponit, qui eos doceant quæ debeant custodire. Isti jam probati sunt in omni humilitate, & obedientia, & patientia, & observatione omnium quæ Ordo exposcit. Illi verò * adhuc probandi sunt, utrum velint esse humiles, obedientes, patientes, & observare omnia quæ Ordo requirit. Unumquemque ergo illorum is qui eis magister deputatus est, probat & arguendo, & increpando. Plerumque etiam flagellando tentat, an aptus ad suscipiendum in congregatione aliorum existat. Quem si viderit cuncta patienter sustinere, & aliorum consortio per omnia dignum esse, venit ad Abbatem nuntians ei coram omni congregatione: Domine (inquit) novitius ille, quem mihi * commisisti, ita perfectè se habet omnibus modis, quòd jam est dignus inter nos esse, si jubetis. Quibus auditis, Abbas aut eum recipit, communi consilio fratrum; aut adhuc dimittit, ad exemplum aliorum novitiorum. Sicque de isto novitio condignè agitur, qui servorum Dei consortio jam dignus habetur. Illum autem novitium, quem magister suus viderit inobedientem, impatientem, superbum, susceptione indignum; postquam eum diu toleraverit, multisque modis emendare tentaverit: tandem si nihil proficere potest, venit ad Abbatem, & talia ei refert: Domine, inquit, novitius ille quem * habui in custodia, ut eum docerem quomodo posset esse dignus conversatione nostra; ita perversè se habet in omnibus quæ agit, ut nec inter reliquos novitios dignus sit conversari. Providere itaque vobis convenit quid potius de eo faciendum sit. Ad hoc ille respondens, magistrum hortatur ut eum adhuc omnibus modis emendare conetur, dicens melius esse illum inter reliquos tolerare, quàm dimittere ad sæculum reverti. Sicque novitius iste nec in congregatione recipitur, nec à cella novitiorum expellitur. Similiter ergo est considerandum per omnia inter Deum, & Angelos, & Monachos; quomodo inter illum Abbatem, & magistrum, atque novitios monachos.

* al. ad hæc

* al. commendastis

* al. habebam

CAPUT LXXX.

*Similitudo inter Deum, & * quemlibet Imperatorem.*

* al. aliquem

VIdendum etiam est sic esse inter Deum, Angelos & homines, quomodo inter Imperatorem terrenum, & sibi obsequentes. Tria quippe sunt genera hominum, quæ terreno Imperatori serviunt. Alii enim serviunt ei pro terris quas habent, nihil aliud quærentes nisi quod tenent: Alii, quia terras recuperare volunt, quas eorum parentes aliqua sua culpa perdiderunt: Alii verò pro solidatis tantùm. Illos itaque Dominus honestiùs tractat, qui nihil unquam deliquerunt; nec aliud, quàm quod habent, quærunt. Hi radicati sunt & fundati, nec evelli formidant, dum se in voluntate Domini sui conservant. Illos verò, quorum parentes sibi peccaverunt, quique pro illorum hæreditate sibi serviunt, aliquanto viliùs tractat, modisque diversis tentat; videlicet convitiando, comminando, quædam gravia jubendo, quandoque etiam flagellando. Qui si hæc omnia humiliter sustinuerint, & Domini sui misericordiam patienter expectaverint, tandem eis Dominus hæreditatem patrum suorum reddit. Si verò noluerint hæc tolerare, nec suam valent hæreditatem recuperare, nec aliud vult eis Dominus dare. Illi autem qui nihil aliud quærunt, quàm solidatas, & ut bene pascantur; tamdiu Imperatori obsequuntur, quamdiu hæc eis largitur: Quæ si eis abundanter donaverit, laudant eum, & dicunt quia verè Domino tali serviendum est, qui talia servientibus sibi confert. Si verò hæc illis dare destiterit; statim recedunt, ipso vituperato, & incipiunt servire ipsius inimico. Tria igitur hæc sunt genera hominum alicui terreno Imperatori militantium. Similiter autem tria sunt genera eorum qui superno Regi deserviunt. Primum genus sunt Angeli, qui æterna beatitudine stabiles, sibi sine omni intermissione servientes. Aliud verò homines boni sunt, qui in quantum possunt, suæ voluntati obediunt: sicque ad regnum cœlorum, patris sui Adæ culpa perditum, hæreditario jure pervenire contendunt. Tertium autem hi, qui tantùm pro terrenis sæviunt commodis, quasi milites stipendiarii. Sic ergo per omnia est considerandum inter hæc tria genera & Deum, quomodo inter alia tria supradicta, & Imperatorem suum.

CAPUT LXXXI.

Quòd Monacho prosit, si aliquod bonum invitus faciat.

*CONtingit aliquando quempiam sic abundare humoribus malis, ut nisi secetur, aliter sanari non possit. Ut ergo ab eis possit ex toto mundari, sponte sua prius se faciat ligari: rogans etiam eos qui eum secturi sunt, ut non eum dimittant, quicquid ipse dicat, donec eum perfectè secuerint. Cùm ergo putredinem pungere cœperint, & resecare; clamat, & dicit se prius nihil mali habere, comminaturque eos, nisi eum dimiserint, occidere. Sed illi qui eum hoc dicere propter dolorem sciunt; non verba illius attendùt, sed ut cœperant putredinem perfectè abscindunt. Cùm autem ad plenum mundatus melius habuerit, eisdem, quos antea minabatur occidere, gratias agit, quòd non eum ad voluntatem suam dimiserint. Quid ergo? Nunquid non ideò prodest ei sectio, qui eam toleravit invitus, cùm ad eam tolerandam se fecit ligari * spontaneus? Prodest revera; quia per eam abscissa est infirmitas, & reparata est sanitas. Similiter autem plerumque contingit, ut aliquis redundet vitiis, & intelligat quòd aliter salvari non valeat, nisi à se * ferro districtioris pœnitentiæ] fuerint resecata. Ut ergo inde purgari perfectè queat, alicui in monasterio sponte sua se alligat. Professionem etenim faciens, ibi stabilitatem, morumque suorum conversionem promittit; seque intra monasterii claustra eo tenore recludit, ut medici spirituales, videlicet sui pastores qui eum corrigere debent, quicquid ipse postea dicat, non eum dimittant: sed ejus vitia resecent & emendent. At plerumque cùm eum cœperint ad meliora stimulare, & ejus vitia corripiendo resecare recalcitrat atque irascitur, dicens se non esse culpabilem, unde reprehenditur: ipsosque qui eum arguunt, aliquando etiam perimere minatur. Hi verò, qui hoc eum proferre propter Ordinis districtionem cognoscunt, non eum ideo dimittunt; sed ab eo districtè stultitiam, ut prævalent, nunc hoc nunc illo modo abscindùt. Cùm itaque fuerit emendatus à vitiis, & mitior factus; ad se reversus eildem gratias reddit, quibus irascebatur, quòd eum * reprehensum corre-

* al. Sed ad hoc quis dicat nihil monacho prodesse quod invitus cogitur agere: cui respondendum est quia aliquando contingit

* al. voluntarius

* al. emitte

* al. reprehendendo

Digitized by Google

xerint. Quid igitur? Nunquid non ideo sibi proderit illa tanta districtio, quia eam * infirmitate carnis invitus ad horam sustinuit, cùm ad eam sufferendam sponte sua in monasterio se alligaverit? Proderit utique: quia & per eam liberatur ab omni infirmitate vitiorum; & redit ad veram sanitatem virtutum. Sed dicet aliquis: Melius esset ut Deo sine professione serviret spontaneus; quàm in monasterio professione se alligans, servire cogeretur invitus.

al. infirmitatem

CAPUT LXXXII.

Quàm magna sit spes Monachi professi.

HUic autem est respondendum; quia tanta distantia est inter illum qui non vult facere Deo promissionem * serviendi sibi, & eum qui libenter eam facit; quanta inter homines duos, qui ambo ex debito debent servire Domino uni. Sed unus eorum accedit ad Dominum, & dicit: Domine, ex toto corde tibi servire volo, sed esse tibi fidelem promittere nolo. Quia si hoc tibi * promisso postea peccarem; gravius delinquens graviori vindicta dignus existerem. Quantò tamen melius potero, serviam tibi; sed si quando peccavero tibi, judica me ut illum, qui se tibi esse fidelem minimè promisit. Alter verò venit, & dicit: Domine, ex toto corde meo te diligo, tibique fidelitatem & subjectionem promitto: ut si aliquando fecero contra præceptum tuum, non me judices ut alienum, sed emendes ut proprium servum. His itaque dictis, evenit ut ambo idem peccatum postea faciant: ac deinde pœnitentes ad misericordiam Domini sui veniant. Dicit itaque Dominus illi qui sibi fidelitatem promittere noluit: Quare hoc fecisti? At ille: Domine (inquit) confiteor quia deliqui, sed tamen me tibi non esse delicturum, non promisi. Sed ille: Ideone, inquit, noluisti mihi fidelitatem promittere, ut posses contra me liberiùs peccare? Ergo & ego contra te, non ut erga meum, sed ut adversus alienum agam, totumque quod erit * mei juris, usque ad ultimum quadrantem exigam. Hoc ita * judicato, convertitur ad alium & dicit: Et tu, male serve, qui mihi fidelitatem promiseras, & ideo tibi magis cavere debueras, quare hoc fecisti? At ille: Domine, ait, confiteor revera me deliquisse, tibique fidelitatem promisisse. Sed postquam me pœnitet me deliquisse, debeo ego pejus pati, quia tibi fidelitatem antequam deliquissem promisi, quàm ille qui hanc tibi vult promittere, etiam postquam peccavit? Ideo quippe volui me esse tuum, ut si quando peccarem, non me judicares ut alienum, sed emendares ut proprium. At Dominus: Ita est, inquit, ut dicis. Cùm ergo voluero de te vindictam accipiam, ut de meo. Sic autem & Deus inter professum monachum & nolentem profiteri judicat, si eos contra eum peccasse pœniteat. Non soìùm autem professum * mitiùs judicat non professo; sed etiam quolibet laïco adhuc in seculo constituto. Licet enim uterque idem peccatum committat; * tamen si toto ex corde monachum pœniteat deliquisse; eumque ordinem, cui se subdidit, ferventi amore custodiat; majorem quàm laïcus misericordiam consequetur, quantumlibet ille pœniteat sæcularibus adhuc detentus. Si verò pœnitere noluerit, majori quàm laïcus damnationi subjacebit.

al. ad spondendum

al. promitto, & postea tibi peccarem

al. mei

al. itaque... conversus ad alium dicit

al. mihi

al. cum ex corde monacho pœniteat deliquisse, eumque

CAPUT LXXXIII.

Similitudo inter Monachum peccantem, & Laïcum.

QUod ut apertiùs à simili videamus, homines duos unius Domini servos intueamur. Ambo itaque à Domino illo possessiones proprias obtineant sibi, sub jurejurando promisso quòd ei fideles existant. Unus tamen illorum conditione tali hoc faciat, quòd si quid in eum quandoque delinquat; de proprio suo, prout fuerit justum, sibi emendet. Alter verò Dominum suum adeo diligat, ut nihil proprium retinere; omnibus ei dimissis, familiariùs sibi * malit servire. Hoc etiam pactum cum eo * faciat, quòd si aliquando quid contra eum committat, de seipso, non de re aliena, sed ut de proprio, quam voluerit vindictam assumat. His igitur actis, si culpam eandem committit uterque, ac deinde pœnitentiâ ducti velint emendare, sed ille de proprio, quod nec adhuc totum vult dare pro illius culpæ satisfactione: Ille verò de seipso, * quem etiam totum Domino mancipaverat priùs: videatque Dominus quod ille tantum facere nolit, etiam postquam sibi peccavit, quantum ille, priusquàm in illum delinqueret, fecit. De quo, inquam, majorem velle videtur habere misericordiam, an cum illo videtur velle mitiùs agere, * quem operibus comprobat se minus diligere? Quòd si hunc alterum velit altero duriùs arguere: Serve (inquiens) male, quantò mihi eras familiarior, tantò es culpabilior: Potest iste sibi sic respondere; Domine (inquiens) verum est quod dicis; sed quandiu pœnitere nolui: at postquam toto corde pœniteo, meque ipsum in emendationem trado, nunquidnam pejus illo debeo pati, qui nec illud quod habet, tibi totum vult dare pro satisfactione sui commissi? Justum-ne tibi videtur, ut quia te magis dilexi, minorem debeam misericordiam consequi? Immò eo majorem mihi facere deberes misericordiam, quo nullam majorem tibi facere possum satisfactionem? Quid aliud Dominus diceret, quàm quod veritas habet? Hunc ergo mitiùs judicat, ut ex toto proprium: illum verò severiùs, ut minus sibi privatum. Sic * ergo Deus celeriùs indulget monacho qui se ei totum committit; quàm laïco dare nolenti * vel sua, pro his quæ commisit.

al. malit

al. facere

al. quoniam etiam toti jam prius Domini sui mancipaverat, videatque

al. quàm cum illo quem

al. enim

al. si vel

CAPUT LXXXIV.

Similitudo inter Monachum, & arborem.

ETenim rursus à simili potest videri, acceptabilius esse Deo bonum opus monachi, quàm hominis cujuspiam sæcularis. Solet quippe accidere duos esse homines sub Domino uno, singulas habentes arbores in proprio solo. Arbores autem illæ fructum ferunt bonum utræque. Verùm quia illi Dominum inæqualiter diligunt, etiam ei de fructu earum impariter serviunt. Unus enim eorum, quia minùs eum diligit, cùm arboris suæ fructus fuerit maturus, colligit, fertque inde Domino suo, quantum sibi fuerit visum. Alter autem adeo Dominum amat, ut ad eum veniens, arborem ipsam ei offerat. Domine (inquit) arborem habeo quandam, bonum valde fructum ferentem; quæ * quia vestræ congruit dignitati, malo eam vestri esse juris quam mei. Eam igitur offero vobis, ut amodò vobis fructificet soli. Ipsam quoque vestro assignabo præposito, ut ex ea fructum colligit, indeque vobis, prout velle vos noverit, diligenter deserviat. Sed & ego, quanta diligentia potero, eandem vestræ * utilitati custodire curabo. Cujus igitur * horum obsequium Domino illi magis

al. si

al. voluerit

al. omis.

Digitized by Google

videtur acceptum ? An illius, * qui quando quantumque voluerit, dat ei de fructu propriæ arboris ? * Vel illius qui arborem & fructum totaliter offert ?] Immò magis illius, qui arborem totam dat ei cum fructu. Sic ergo servitium monachi Deo est magis acceptum, quàm hominis sæcularis. Ipsi enim sunt homines duo, qui sub Deo velut arbores quasdam habent seipsos : Ipsi quoque utrique sunt apti ad ferendum fructum operis boni. At quia non eodem modo diligunt Deum ; nec ei pariter bene operando deserviunt. Sæcularis enim, quia eum minùs diligit, tunc tantùm, cùm bene operandi animum habuerit, boni operis offert Deo quantum voluerit. Monachus verò eum diligit in tantum, ut ad eum accedens totum ei offerat seipsum, factis ac verbis eum sic alloquens : Domine (inquit) meæ hactenus potestatis eram : quodque mihi libebat bonum malumque faciebam. Verùm quia tuus omnino debeo esse, tibique soli bona tantùm opera fructificare, me totum tuæ trado potestati, ut amodò tibi fructificem soli. Quod ut meliùs facere valeam, me uni ex Ecclesiæ Prælatis subdam, qui me custodiens, ea tantùm opera doceat facere, quæ tibi noverit magis placere. Sed & ego, pro modulo meo, meipsum custodire studebo. Cujus ergo munus Deo est acceptabilius ? An illius qui sibi offert quædam ex operibus suis, plurima verò subtrahit ? Immò illius magis, qui dat ei seipsum cum operibus * suis. Nec ideò propria privatur mercede, quia sæpe bonum opus cogitur agere. Sicut enim is qui arborem totam commisit præpolito Domini sui, ut ex ea fructum colligeret, ex quo & Domino suo, prout eum velle nosset, deserviret. Ut (inquam) proprium non perdit meritum, si ille colligit fructum, priusquam matureſcat, aut in arbore dimittat, donec putreſcat : Sic monachus, qui se totum commisit Prælato, ut eum custodiret, eaque opera tantùm ab eo agenda *exigeret, quæ Deo placere potiùs nosset. Sic (inquam) propriam non perdet mercedem, si quid operis boni agere cogatur antequam velit : vel è contra prohibeatur cùm agere velit, donec & ipsam amittat voluntatem agendi. Non ergo omittere debet quidquid boni Prælatus ei præcipiat ; vel præsumere ut agat, à quibuscunque eum prohibeat. * Est enim illius prævidere quid præcipiat, quidve prohibeat ; hujus verò sequi eum in bono per omnia. * Sed ut hoc voluntate obedienti faciat ; noverit à simili quot sunt voluntatis subditorum genera.]

al. qui quantumcunque al. cui.

Vid. var. lect.

al. exigat

al. sit

al. omis.

CAPUT LXXXV.

Similitudo inter matronam, & divinam voluntatem.

Accidit quandoque matronam aliquam * filias cum ancillis magistræ commendare, ut eas opera mulieribus congrua doceat. Illis verò præcipit, ut ei cunctæ obediant : quodque sibi faciendum injunxerit, expeditè adimpleant. Hoc itaque disposito, magistra eas in unum congregat, & injungit cuique quid agere debeat, & ne foras egrediantur observat.

al. filiam

CAPUT LXXXVI.

De filiabus matronæ.

Quibus ita sub ejus magisterio astrictis, bonæ quidem filiæ per omnia sibi obtemperant, sed nec abeundi foras licentiam quærere curant.

CAPUT LXXXVII.

De Ancillis ejus bonis.

Ancillæ quoque similiter faciunt, excepto quòd instabiliores existunt. Quia enim tædet eas in custodia diutiùs esse, * licentiam foras exeundi quærunt quandoque. Quam si obtinere non valent, non inde tristantur, vel murmurant, sed tantùm dicunt quia datam libenter acciperent. Quòd si eis * concessa fuerit, egrediuntur quo eis visum fuerit ; cessantque interim ab operibus suis.

al. licentia

al. concessum

CAPUT LXXXVIII.

De Ancilla latrone.

Inter eas autem quandoque est latro quædam, præceptis magistræ vix obedire volens. Hæc quia custodia tædio semper existit, licentiam exeundi sæpius quærit ; & causas quæ rationabiles videantur, adinvenit. Quam si obtinere non potest, contristatur vehementer & dolet ; suæque magistræ, si audet, duriùs respondet. Si * autem apertè ausa non fuerit, ei occultè detrahit ; quodque faciebat opus, intermittit. Quòd si operari jussa fuerit ; prætendit protinus quòd sit infirma. * Aut si quando se solam viderit ; protinus exilit, ostium petit, huc illucque circumspicit, mandat illi vel illi licentiam quærere secum loquendi. Quòd si in hoc reperta fuerit atque correpta, prosilit statim in hujusmodi verba : Quid (inquit) feci, quòd sic debeam corripi ? Quæ mira visa sum agere, quia inferuntur tot mihi contumeliæ ? Sed jam satis apertum videtur quàm injustè contra me * agatur. Itaque residet mœsta, dolens, quòd ita sit reprehensa. At postquam ad modicum ille dolor resedit, maturitatem quandam prætendit. Cumque æstimat quod ab aliis reputetur matura, licentiam rursus quærere tentat : Quam si habere nequiverit, protinus subdit : Stultus est, inquit, qui bene agit : cùm æquè boni tractentur & mali. Quòd si licentiam habere poterit, foras confestim egreditur, huc illucque vagatur, juvenum consortia expetit, multa non agenda committit. Ut ergo hac similitudine potest colligi, tria sunt genera voluntatis in subditis.

al. si verò aperta causa ei non fuerit

al. ac

al. agatur

CAPUT LXXXIX.

De obedientia, licentia, & inobedientia.

Horum autem primum obédientia, secundum licentia, tertium inobedientia dici potest. Hæc verò genera omnia inveniri possunt in Monachis, quos matrona quædam magistræ cuidam commendavit, id est, voluntas divina voluntati Abbatis eorum suppossuit. Licentia * quippe multos decipit. Obedientia verò & inobedientia contraria sunt : harum media, licentia est. Is ergo quem obedientia constringit claustra non egredi, vult tamen exire, regulæque districtionem * licenter declinare, quamvis nolit sine licentia id præsumere, & idcirco actum suum licentia qua prævalet, conatur defendere ; peccatum profecto habet ex illa illicita voluntate. Non enim postquam mortuus est mundo, claustrum subiit ad mundi negotia, vel voluntate, ullatenus redire debuit, velle tamen suum non nisi permissus, facto implere * voluit. Obedientia ergo quam in hoc amplexus est, ipsum factum excusabit : sed velle quòd contra obedientiam habuit, periculosum (nisi pœnituerit) illi erit. Quòd nonnulli minùs attendens, licentiâ, quam pro implenda voluntate

al. ipsum

al. libenter

al. vult

Digitized by Google

sua expetunt, sæpe falluntur. Ut igitur breviter loquar & succinctè, sub ipsa obedientia viventes sunt matronæ * regalis filiæ. Ancillarum verò nomine, licentiæ adhærentes accipe. Inobedientiâ verò, quæ dicitur & ipsa latro, * rebelles designantur in Ordine Monastico.

al. regalis

al. rebellionem

CAPUT XC.

Similitudo inter Monachum, & denarium.

RUrsus à simili possumus videre, * quot in perfecto monacho debeant esse. Tria cuique bono insunt denario, quæ cuique bono * debent inesse monacho. Denarius quippe bonus puro ex ære, recto pondere, monetaque legitima debet constare: Si enim unum ex his defuerit, venalis esse non poterit. Ut ergo venalis valeat esse, hæc tria pariter debet habere. Hæc quoque debet habere & monachus, ut verè monachus esse reputetur. Ejus quippe metalli puritas, pura est ejus obedientia; nulla enim inobedientiæ impuritas, sed sola in eo debet esse obedientia. Rectum verò illius pondus, stabilitas est propositi ejus. Non * enim leviter exsufflari debet ab eo quod cœperit, sed usque in finem perseverare stabilis. Illius autem moneta, habitus est monachalis, atque tonsura, ante & retro, & his consimilia. Sicut enim denarius à moneta dignoscitur, cujus sit * regionis: sic ab istis monachus cujus sit ordinis. Is autem monachus qui adeo est senex ut ante & retrò jam nequeat inclinare, denario illi est similis, cujus monetam temporis antiquitas jam develit. Iste verò, qui habitum monachalem non adhuc, sed * vitam suscepit (& ideo nomen non habet monachi) assimilatur nummo ponderoso, monetam * tamen non habenti, & ideo * non æquè venali. Verùm sicut qui thesaurum congregare desiderat, hujusmodi nummum, æque ut habentem monetam, amat: sic Deus qui thesauro cœlesti nos omnes * reponere cupit; hujusmodi hominem, æquè ut habitum monachi habentem, ibi reponit. Quem autem viderit habitum quidem monachicum habere, sed ex ære impuro, id est, inobedientem esse; hunc thesauro cœlesti nunquam reponit, sicut nullus denarium falsum, * licèt apte monetatum] suo thesauro reponere quærit. Quem verò viderit obedientem esse, etsi aliquando fragilitate peccet humana; non hunc tamen repellit, si * verè pœniteat. Ut enim ab * invalido denario, denarius falsus; sic à * debili differt monachus * falsus. Invalidus quippe denarius minus habet pondus quàm debeat habere; sed illud quod habet, puro ex ære constat. Falsus verò eandem, quàm bonus, monetam prætendit; sed interiùs latet falsitas æris. Sic falsus monachus eundem quem bonus habitum habet; sed inobedientiæ falsitas interius latet. Debilis verò, sed obediens, licèt non tantam, quin aliquando cadat, habeat stabilitatem; obedientiæ tamen retinet puritatem. Mox etenim pœnitet eum quia deliquit: quodque ei præcipitur, pura obedientia facit. Ille ergo, ut denarius falsus, à cœlesti thesauro repellitur, huic verò, pro sui modulo vigoris, ibi reponitur. Nihil igitur cuiquam prodest habitum monachi exteriorem habere, si non studuerit & interiorem * retinere. Duo quippe sunt ordinis genera viro religioso convenientia. Unum exterius, quo religiosus * videtur; aliud verò interius, quo religiosus habetur. Et illud quidem exterius, factitii; hoc verò interius, naturalis est ordinis. * Factitii quippe ordinis factitiæ sunt consuetudines, ut in Ordine monachorum inveniuntur plures. Has etenim homines adinvenerunt, quibusdam de causis * rationabilibus servandas instituerunt. Naturalis verò ordinis naturales sunt virtutes, ut humilitas, charitas, & aliæ plures. Has enim Deus * ipse naturaliter indidit homini, suæque causâ salutis servandas mandavit. Ille itaque factitius ordo sine isto, nihil homini prodest; iste verò sine illo, etiam salvare hominem potest: ut tamen servari valeat iste, valdè necessarius sibi est & ille.

al. quæ

al. bono & perfecto

al. ergo

al. regionis

al. venit.

al. nondum

al. recuperare

al. abnic.

al. statim
al. valido
al. perfecto
al. imperfecto

al. habere

al. habetur

al. factitius ordo

al. irrationabilibus

al. ipse

CAPUT XCI.

De similitudine inter corrigiam, & sotularem: & inter ordinem factitium, & naturalem.

SIc enim est inter ordinem factitium & naturalem, quomodo inter corrigiam & sotularem. Corrigia namque sola colligata pedi, nullo est * munimento pedi; imò magis inconveniens videtur esse, si ibi sola circumligetur. Sotularis verò, etiam solus pedem munit, satisque decenter convenit ei: ne tamen cadat, vel tortus fiat, necessaria sibi est corrigia, ut ligetur ex ea. Sic licèt factitius ordo nihil solus prosit, sed magis dedeceat; naturalis verò sine illo & prosit & deceat; ut tamen iste firmus teneatur, necessarius ille sibi habetur. Hinc quippe est quòd qui religionem interiùs servare desiderat, habitu monachali exteriùs se alligat, qui quòd exterius demonstrat, semper eum * coarguat. Quia si postea noluerit hoc esse, magis eum dedecet habitus iste. Si enim (verbi gratia) monachus superbus fuerit, qui habitu exteriori humilitatem prætendit, multò inconvenientius esse videtur, quàm si careret humilitatis habitu. Decet igitur ut quòd ostendit exteriùs, studeat & habere interiùs. Nihil enim penè exterius habet in habitu, vel * professione sive consuetudine, quod non eum commoneat aliquid interius habere.

al. ut jerarchæ to

al. esse arguat

al. professione

CAPUT XCII.

De vestibus Monachi.

*QUòd enim viles nigrasque fert vestes; ut se vilem reputet peccatoremque commonet. Quòd verò eisdem à capite usque ad pedes tegitur, hoc eum facere à principio vitæ usque ad finem hortatur. * Quòd autem eædem in modum sunt crucis, eum semper habere commonet memoriam Dominicæ Passionis.

al. Quid... nisi ut

al. hæc enim est talaris tunica & polymita, quam filio suo Joseph fecisse legitur Jacob Patriarcha. Quod

CAPUT XCIII.

De corona & tonsura Monachi.

COrona denique capillorumque tonsura eum esse debere sacerdotem & regem demonstrat. Sacerdotes quippe in Lege, mitra tegebant caput ad similitudinem cujus, & huic caput raditur. Reges autem * corona utuntur, ad cujus similitudinem, hujus capilli tondentur. Hæc itaque * cohortantur eum, ut Sacerdotis & Regis gerat officium.

al. coronâ

al. exercitent

CAPUT XCIV.

De spirituali sacrificio Monachorum.

OFficium sacerdotis erat in Lege generis diversi pecora mactare: hujus ergo similiter officium debet esse, leonem iræ & crudelitatis interficere, lupum rapacitatis, taurum * ferocitatis, vulpem astutiæ, hircum immunditiæ, glirem somnolentiæ, equum & mulum luxuriæ, asinum pigritiæ, aliaque bestialia vitia in se occidere. Regis autem officium proprium est regere regnum; hostes inde propellere: ne justo injustus injuriam faciat providere; malis depressis, bonos exaltare. Hoc itaque officium debet esse monachi, ut suæ mentis regnum regat, & corporis. Hinc enim omnia expellere debet vitia, providere ne malus bonos

al. ferinitatis

appetitus resilit, sed ut bonus malum sibi semper subjiciat. Quicquid postremò exterius ostendit in habitu, vel in consuetudine, * studeat etiam interius habere. Alioquin, nihil sibi corona sive tonsura proderit, ullusve habitus * vel consuetudo monachalis. At sunt plerique qui factitio ordini imputant, quòd naturalem non servant. Dicunt enim bono animo se pati non posse quòd eis imponantur consuetudines tantæ. Queruntur etiam quòd in sæculo meliores fuerint, eosque monachatus deteriores effecerit. Verùm quisquis hoc dicit, denario falso est similis.

al. vel in ipsa professione

al. omis.

CAPUT XCV.

Similitudo inter Monachatum, & ignem.

FAlsus quippe denarius, bonus plerumque esse videtur; at si in ignem fuerit missus, protinus falsus esse probatur. Sic plerumque malè morigeratus homo, bonis esse moribus videtur in sæculo; * at si monachus fuerit effectus, culpisque postmodum exigentibus regulariter fuerit increpatus, protinus probatur non esse quod videbatur. Qui enim humilis videbatur & patiens, mox superbus invenitur & impatiens. Quòd si hoc imputaverit Ordini; tale est ac si denarius dicat igni, tu me falsum fecisti. Non enim falsum eum fecit; sed quod erat, ostendit. Sic denique istum non Ordo malè morigeratum effecit, sed quia hoc jam esset, declaravit. Non igitur Ordinem sed seipsum accuset, moresque perversos in bonos commutet. Nisi enim esse bonis moribus videatur; bona, si quæ exterius agit, parvipenduntur.

al. verùm & exigerem aspexerit aliquo instincta monachatus, culpisque

CAPUT XCVI.

De interiori virtute, & exterieri.

DUo quippe virtutis sunt genera, quæ inter se sic differunt, ut corpus & anima. Unum enim interius & invisibile: aliud verò exterius est, atque visibile. Interius namque est charitas, humilitas, patientia, benignitas, cæteraque similia: Exterius verò, jejunare, eleemosynas dare, in orationibus vigilare, lachrymari, aliaque hujusmodi. At sicut corpus sine anima non diu subsistere valet, anima verò sine corpore potest; sic exterius genus sine interiori non diu subsistit, cùm hoc interius faciat sine exteriori. Diu enim charitatem habere quis potest, etiamsi non jejunet; cùm diu pro Deo jejunare non possit, si eum non amet. Ut tamen plerumque spiritus malignus corpus assumit, illudque vegetando subsistere facit: sic inanis gloria cor hominis intrat, illudque virtutis genus exterius simulat. Sicut enim charitas jejunare, sic & inanis gloria facit. At sicut corpus exanimatum citò fœtet, & contemnitur; sic exterius genus sine interiori * despicitur. Cùm enim quispiam jejunio quidem intentus, sed irasci facilè videtur: si de jejunio laudetur ab aliquo, confestim respondetur ab altero: Quis, inquit, de illius curet jejunio, qui sic * inflammatur pro nihilo? Si autem frequentiùs manducaret, sed humilis & patiens * esse videatur: si quia non jejunat, ab aliquo reprehendatur; illicò ab altero respondetur: Bene utique, ut manducet, promeretur, quia adeo patiens est & benignus.

al. Deo & Angelis displicet

al. inflatur

al. esset, recte videretur. Sed si, qui non

CAPUT XCVII.

Similitudo inter Monachum, & hortulanum.

SCiendum est ad virtutes tendenti, quòd agere debeat more hortulani. Hortulanus quippe qui plantare appetit herbas, prius terræ * & earum naturam considerat, ubi eas plantet. Nisi enim terræ * & earum natura convenerit, crescere vel fructificare nullatenus poterunt. Sic qui virtutum facere vult plantarium, quo in loco sui plantet eas, sibi est prævidendum. Si enim locus fuerit vitiosus, & ipsæ virtutes in vitia redigentur.

al. omit. & earum

CAPUT XCVIII.

De ædificante domum.

RUrsus sic eum agere decet, velut qui domum ædificare debet. Qui enim ædificium facere vult stabile, soliditatem prius considerat terræ, quò scilicet fundamentum firmum supponere, parietem erigere, tectum superimponere, tutusque * possit inhabitare. Sic qui virtutum vult facere ædificium, quò securus inhabitet ab insidiis dæmonum; quo in loco sui construat illud, sibi est prævidendum. Si enim locus * non fuerit firmus, nec ædificium diu subsistere poterit. Hoc itaque solum vel terra bona, est humilitas; cujus cunctis virtutibus congruit natura, easque velut firmum fundamentum sustentat.

al. tutusque locus

al. locus ejus

CAPUT XCIX.

Quòd superbia sit vallis maxima bestiis vitiorum plena.

NOn est in altum elevata superbia, sicut quidam putant; sed demissa est, & vallis maxima bestiis vitiorum plena, & caligine tenebrarum densissima. Nam quantò ampliùs quis superbiâ involvitur, tantò lucem veritatis minùs intuetur. Nec clarè justum ab injusto, quandiu in tenebris, id est, in cæcitate cordis sui jacet, discernere superbus potest; sed quæ sunt distorta æquè sectatur ut recta. Unde fit ut in valle ista tenebrosa vitiorum, sit copia quasi bestiarum crudelium multitudo magna. Nam leones crudelitatis, vulpes calliditatis, serpentes quoque venenosæ invidiæ, ranæ garrulitatis & iracundiæ, cætera etiam vitiorum animalia solent ibi abundare. Quæ quantò plus cuique familiares habentur, tantò minus, quàm sint crudeles, videntur. Consuetudo enim vitii est, ut non facilè videatur ab illo qui eo premitur: sed mox ut cessaverit, & ab eo se alienaverit, tunc demum considerat in quanta fœditate & miseria jacuerat, & quàm graves morsus malarum bestiarum toleraverat.

CAPUT C.

al. pars capitis 99.

De Monte humilitatis, & septem gradibus ejus.

HUmilitas autem mons magnus est, in cujus summitate lux est non modica, & honestarum personarum, id est, sanctarum virtutum pulcherrima turba. Sed quicunque ad hunc pervenire desiderat, necesse est ut per gradus quosdam ascendat, si hunc montem agnoscere & inhabitare affectat.

CAPUT CI.

al. cap. 100.

Primus gradus humilitatis.

PRimus itaque gradus in monte humilitatis, est cognitio sui. Hunc unusquisque sic debet habere, ut se inferiorem omnibus judicet; imitans Apostolum, qui se omnium suorum coapostolorum dixit esse minimum. Nam si esset aliquis homo, qui ita peccasset, ut Dominus ejus sibi justo judicio pedes & manus amputare, oculos eruere, & totum corpus dilaniare posset, nec tamen faceret, sed ex sua misericordia illum toleraret, vehementer se Domini sui de-

Digitized by Google

bitorem cognoscere deberet, & eo magis humiliari, quo se minus perpenderet meruisse à Domino sic tolerari. Nos igitur Dominum nostrum in multis offendimus omnes: & in tantum, ut nos ex vindicta justitiæ suæ membratim posset dilaniare, aut jugi languore in præsenti affligere, aut pœnis postmodum æternis tradere.

al. c. 101.

CAPUT CII.

Quòd qui in Deum peccat, omnem creaturam contrà se excitat.

EX qua offensione non solùm iram Dei promeruimus, sed etiam totam creaturam adversum nos excitavimus. Etenim si servus alicujus à Domino suo recederet, & inimico Domini sui adhæreret; non solum ipsum Dominum exacerbaret, sed & totam ejus familiam justissimè irritaret. Cùm igitur Dominum creatorem cunctorum offenderimus, adversum nos omnem creaturam, quantum spectat ad meritum nostrum, in iram compovimus. Potest ergo nobis juxta consideratione terra dicere. Non debeo vos sustinere, sed potius absorbere; quoniam à creatore meo non timuistis peccando recedere, & inimico ejus, diabolo * scilicet, adhærere. Potest etiam cibus dicere, & potus: Non meruistis ut vos pascere debeamus, immò potiùs ut confusionem & necem vobis præparemus. Ab illo enim peccando recessistis, per quem nec ales esurit. Sol quoque: Vobis ad salutem non debeo lucere, sed ad vindictam Domini mei, qui est lux lucis & fons luminis, penitus coërcere. Sic & singula quæque creata contra nos possunt surgere irrefragabili ratione. Proinde expedit nobis humiliari, ne diu dilata vindicta, tantò acriùs adveniendo mala nostra puniat, quantò diutiùs toleraverit, quod punire poterat. Ut ergo humiliemur, quid simus, quid * nati fuerimus, vel quid fecerimus, mente pertractemus, & nos viles peccatores, multoque supplicio dignissimos fore cognoscemus. Qui se ergo talem judicat, jam in primo gradu humilitatis stat.

al. Gervite

al. quid vel quales

al. c. 102.

CAPUT CIII.

Secundus gradus humilitatis.

SEcundus gradus est dolor. Nam sunt nonnulli qui se peccatores esse cognoscunt & fatentur, sed nullum inde dolorem habere dignoscuntur; quibus necesse est ut doleant, si veniam mereri desiderant: Quia non valet ad salutem ut se cognoscat quis peccatorem, nisi inde habeat & dolorem. Nam si Domino suo aliquis peccaret, & inde dolorem non haberet, quid putas Dominus ejus de eo diceret? Quomodo ei offensam posset dimittere, quandiu eum de offensione sua nequaquam sciret dolorem habere? Ridiculum potiùs, quàm aliud, videretur, si veniam peteret de hoc, unde se * non dolere fateretur. Necesse est enim ut dolorem habeat, quisquis de perpetratis culpis veniam consequi desiderat.

al. se dolere non fateretur

al. c. 103.

CAPUT CIV.

Tertius gradus humilitatis.

DEinde sequitur confessio; * qua qualiter se peccator cognoscat, & doleat, confiteri studeat. Multi enim sunt qui se peccasse cognoscunt & dolent, & tamen celant, quoniam quidem hoc confiteri erubescentes non audent. Et quia sciunt confessionem ad salutem necessariam fore, ita in cordibus suis coram Deo pœnitent, & illi confiteri proponunt, A multoque majorem pœnitentiam agunt quàm si confiterentur, eisque injungeret aliquis sacerdotum. Verùm in hac re penitùs decipiuntur, quia nullus Deo quicquam confiteri potest, quod ipse ignoret. *Omnia enim ei nuda sunt & aperta.* Vult itaque Deus ut quicunque ei peccaverit, ac si ipse nesciret, ita suo loco alii nescienti confiteri ne dissimulet: quatenus hoc judicio manifestè comprobet qui si Deus hoc ignoraret, ipse veraciter ei manifestaret. Ad hoc: si is qui majorem pœnitentiam ex proprio arbitrio non confessus vult agere, quàm aliquis, si confiteretur, vellet ei imponere: putat majus quid se fecisse ex propria voluntate, quàm si confiteretur: pensat apud se quid sibi plus constiterit, an confiteri & parvam pœnitentiam agere, an sine confessione spontanea voluntate longo tempore pœnitere. Cumque magis eligit pœnitentiam gratis protelare, quàm reatum suum per confessionem manifestare, agnoscat pro certo quia nondum verè confessioni illam suam spontaneam pœnitentiam, quamlibet gravis fuerit, adæquavit. Quoniam quidem necdum sibi tantùm constitit graviter clam pœnituisse, quantùm confessionem, cui eam facere debuit, fecisse. Quare minus est semper quemlibet graviter sine confessione pœnitere, quàm puro ex corde confessionem facere.

CAPUT CV.

al. c. 104.

Quartus gradus humilitatis.

CUm itaque tres gradus in monte humilitatis habeamus, sequitur persuasio quæ unicuique habenda est, quartus videlicet jam prælibatæ virtutis gradus. Cùm enim necessarium sit ut confiteamur, sciendum est quòd ita confiteri debemus, ut hoc ipsum quod confitemur, ita esse persuadeamus. Tunc etenim pura est confessio, si eam sequitur voluntaria persuasio.

CAPUT CVI.

al. c. 105.

Quintus gradus humilitatis.

QUinto igitur gradu confessio apponatur, ut scilicet, qualem se quis cognoscit dolet, confitetur & suadet, talem quoque se ab aliis concedat judicari. Sunt enim plerique satis semetipsos judicantes; sed nequaquam possunt ab aliis pati judicari, vituperari: Qui ut ad montem veræ humilitatis ascendant, iis necesse est ut sicut semetipsos despiciendos judicant; sic etiam alios, si se judicando despexerint, tolerare sciant. Qua in re opus est patientiâ, quæ sexto loco est apponenda.

CAPUT CVII.

al. c. 106.

Sextus gradus humilitatis.

HÆc itaque unicuique familiaris sic esse debet, ut * quandocunque ei aliqua injuria fit; ita eam suscipiat patienter quasi commodum sibi magnum fieret. Profectò si aliquis servorum alicujus discreti hominis peccasset, & dum sibi exinde fierent multæ molestiæ, non reclamaret, sed potiùs justè talia pati se diceret, citiùs apud Dominum misericordiam inveniret. Nos itaque qui multa contra creatorem nostrum commisimus, tantò studiosiùs humiliari debemus, quantò magis indulgentia ejus nos indigere videmus.

al. quotcunque

Digitized by Google

al. c. 107.

CAPUT CVIII.

Septem gradus humilitatis.

NEc solùm absque murmuratione pati debemus molestias, sed ut etiam graviter puniamur ad vindictam Dei, amemus. Amor enim supremus montis humilitatis gradus esse videtur. Quoniam tunc quidem est Deo grata satisfactio; cùm in ejus mente, qui satisfacit, nulla manet murmuratio, sed pia jugiter fervet dilectio.

al. c. 108.

CAPUT CIX.

Recapitulatio graduum humilitatis.

QUòd autem superiùs dilatè per partes ostendimus, nunc eadem breviter & summatim sub exemplo colligamus. Si enim Dominus quispiam servum haberet, quem pro culpa sua tradere morti deberet; positaque ratione cum eo, suam servus culpam occultare, velut in tenebris, vellet: Aut si cognosceret (quod est primus humilitatis gradus) non inde doleret: Aut si doleret (quod est secundus) coram aliis, Domino licet jubente, confiteri nollet: Aut si confiteretur (quod est tertius) persuadere nollet ut hoc ita crederetur: Aut si vellet inde culpabilis credi (quod est quartus) pati tamen nollet, ut diceretur culpabilis: Aut si hoc sibi dici pateretur (quod est quintus) non tamen pati vellet ut sicut culpabilis tractaretur: Aut si hoc * patiens (quod est sextus) non ita tamen tractari amaret * (quod est septimus) licet hoc velle Dominum suum sciret, non ei profectò culpam illam Dominus dimitteret, immò magis ut iniquum servum eum puniret. Sic nec nostras nobis culpas Dominus dimittet si non nos gradibus iisdem humiliaverimus, sicut ipse jubet.

al. pateretur

al. aut amare non posset, quod

al. c. 109.

CAPUT CX.

Quomodo unusquisque se minorem omnibus putet.

VErùm quia nonnunquam ideo extollimur, quia nos aliis non rectè comparamus; videndum est nobis quo id modo facere debeamus. Si enim nos aliis volumus comparare, ea tantùm debemus considerare quæ à nobis sunt in nobis, non à Deo quasi præstita nobis. Sic namque agit, qui de bonis à Deo sibi * præstitis super alium extollitur, velut qui vestibus alienis indutus gloriatur. Non ergo hæc aliorum bonis comparare debemus; sed mala tantùm nostra, quæ à nobis * in nobis habemus. Quòd si fecerimus * (mala videlicet nostra bonis aliorum ut conferamus *) in nos inferiores esse ceteris omnibus nobis ipsis videbitur. Quod contra, quia superbi faciunt; etiamsi sint omnibus deteriores, cunctis tamen se judicant esse meliores. Sua enim bona tantùm attendentes, aliorum malis comparant, quorum mala nullatenus considerare deberent.

al. collatis & præstitis

al. nobis, sunt in al. omis.

al. omis.

al. c. 110.

CAPUT CXI.

Quòd obsit consideratio alterius peccati.

COnsideratio namque, vel cognitio alieni peccati, mala multa indiversis parit. Si enim peccator est qui alterius culpam considerat, malo illius exemplo in suo peccato perseverat. Si verò pœnitens à peccato, à pœnitentia frigescit, eodem exemplo. Quòd si eodem peccato, vel etiam * alio tentabatur, faciliùs illius exemplo superatur. Si autem tentatione carebat; eo ipso tentatur, quòd vitium illius consi-

al. alieno

derat. Si verò est justus; præferendo se illi, in superbiam extollitur, quem si diligebat * in Deo nunc cum incipit habere odio. Non ergo facilè consideranda est alterius culpas, cujus consideratio tot generat mala. Virtus verò illius semper debet attendi, quia ejus consideratio * contrarium facit. Ipsa namque peccatorem converti, pœnitentem pœnitere, magis tentatum tentationi resistere, non tentatum sic permanere, justum humiliari, diligentem magis diligere facit. Alterius igitur virtutem non vitium, suumque vitium non virtutem attendere debet, quisquis ad culmen humilitatis ascendere studet.

al. omit. in Deo

al. per contrarium vide

al. c. 111.

CAPUT CXII.

De duabus sororibus hunc montem custodientibus.

HUjus autem humilitatis pulcherrimi montis duæ sorores sunt custodes: verecundia scilicet, quæ est apud Deum, & verecundia quæ est apud homines. Nam cùm tentatur aliquis, si ante mentis suæ oculos has duas sorores firmiter reduxerit, hanc facilè superare poterit. Sic enim sibi ipsi loqui debet.

al. c. 111.

CAPUT CXIII.

De verecundia quæ est apud Deum.

SI ego hoc peccatum vel illud fecero, quomodo ante Deum & sanctos ejus Angelos, qui * me vident, oculos meos levare potero? Quid dicam, cùm * reatum meum * omnis creatura videbit. * Angeli & diaboli me accusabunt? Nequaquam peccabo: imò propter te, Domine, morte afficiar tota die, custodiamque vias meas, ut * non delinquam. Sic sibi unusquisque proponat, sic semetipsum consideret; sic se ab irruentibus bestiis eruet. Sed considerandum quia verecundia, quæ est * ante Deum, semper est libera, & custos fidelis.

al. hoc

al. peccatum al. meum in die judicii al. boni & mali. Angeli, dicit, diab. li. . . ut in anima

al. apud

al. c. 114.

CAPUT CXIV.

De verecundia quæ est apud homines.

VErumtamen illa quæ est apud homines verecundia nonnunquam fallax & latro pessima est. Solet enim contingere ut aliquando mentem alicujus, ubi jam sæpè dictus mons humilitatis est constituendus, hircus luxuriæ, lupus rapacitatis, vel alia quælibet vitiorum bestia, * tentet irrumpere; quam cùm verecundia, quæ apud homines est, ne intraret prohibere deberet, sic sibimetipsi interdum malè consulendo loquitur. Magna erit (inquit) confusio si huic tentationi luxuriæ, ut postmodum sciatur, aditum dedero. Sed nullus hominum hoc videbit, & ego bene celabo meipsum, nec ampliùs erit cognitum. Modicè nunc voluptati consentiam, & cùm voluero, memetipsum corrigam. Ac deinde pœnitendo satis melior, quàm modò sum, ero. Multi enim post ruinam surrexerunt, & postmodum meliores fuerunt. Sic nimirum verecundia, quæ est apud homines malo suo consilio nonnunquam fallitur & fallit, & malam vitii bestiam in montem, quem tueri deberet, subintrare permittit, quæ cum intrare permissa fuerit, non facilè expelli poterit. Nam si is qui scelus commisit, confiteri aliquando voluerit, ea cogitatio, quæ priùs promittebat ei quòd se emendaret mox ut voluisset, post perpetratam culpam dicit: Quomodo confitebor? Qua fronte reatum meum aperiam? Non ampliùs honorem habebo, si me manifestavero: sed qui modò apprecior, omni tempore vilis ero. Quid igitur faciam? Saturabor voluptuosè vivendo, nondum viam justitiæ tenere * valeo. Ecce quomodo miser homo decipitur,

al. tenet

al. velo

Digitized by Google

cipitur, quàm callidè vincitur, quàm astutè superatur. Ipse namque humilitatis montem paulatim proficiendo statuit: ipse custodes ejusdem montis constituit, ipse custodes eosdem à propugnaculis montis expulit; ipse postmodum semetipsum malè custodiendo mancipium hostibus suis tradidit. In me siquidem est, unde cum Dei gratia proficio; in me etiam, unde deficio. Non mihi proficiendi aliquis vim facit. Non ad defectum aliquis me venire cogit. Suggerit Deus, suggerit ratio, suggerit virtus ut rectè vivam; & est in me materia arbitrii, scilicet libertas, & hoc facere possum, si volo. Verùm è contra suggerit diabolus, suggerit appetitus & vitium ut voluptuosè vivam, & habeo potestatem hoc faciendi, * sed contradicere nolo.

al. & contradicere volo

CAPUT CXV.

al. c. 114.

De consultatione duarum præditarum sororum.

SCiendum est quòd verecundia, quæ est apud homines, interdum fallat, multisque modis per eam auditus nobis vitiorum fiat. Verecundia, quæ est apud Deum, nec fallit, nec fallitur. Hæc etenim quando ad montem revocatur, postea & locum suum videlicet humilitatis, quem tueri deberet, fallente sorore sua vitiis subversum, quasi porcorum rostris * disjectum invenit; vehementer turbatur, dolet, ingemit, sæpe etiam lachrymas fundit, * misera miserabiliter secum quærit qualiter bestia intravit funesta, quæ fuerit causa, quod exordium, quisve aditus. Et dum illam vehementer execratur, ecce fallax soror fallaciter eam plerumque sic consolatur. Eia, quare tantùm doles? Cur tot tantisque lachrymis teipsam affligis? Graviùs te ille vel ille peccavit, & veniam obtinuit. Humanum est peccare, nec tanti ponderis est peccatum, quanti facis illud. Taliter malè consulendo, dolorem tentat lenire. Sed fidelis custos, quæ se coram Deo formidat accusari, sicut fallere nescit, sic malum consilium admittere contemnit. Nam commissa & dolendo plangit, & plangendo indefinenter sui conditoris indulgentiam quærit, atque locum suum curiosiùs deinceps custodit.

al. di scissum

al. omis.

CAPUT CXVI.

al. c. 115.

Quòd non semper misericordia Dei debeat cogitari.

NOtandum est igitur quòd tempore tentationis, ante perpetrationem culpæ, nunquam misericordia Dei debet cogitari; sed justitia & judicium ejus, furor & indignatio illius. Hæc debent pensari, hæc ante mentis oculos reduci, hæc sæpenumerò cum magno horrore retractari debent. Quando quis tentatur, non debet dicere: Misericordia Domini magna est: sed hoc potiùs, *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Quando appetitus luxuriæ quemque pulsat, non cogitet tunc: *Quecunque die peccator ingemuerit, omnia peccata ejus oblivioni tradentur.* Sed potiùs sæpe recogitando tractet quòd maledictus omnis, qui peccat in spe; & illud Esaïæ: *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, filiis sceleratis, semini nequam.* Si autem per injuriam fuerit peccati admissio*, tunc demum Dei misericordia propensiùs est cogitanda, ne desperatio veniæ superveniat. Tempore itaque tentationis, modis omnibus unusquisque debet * coronari ne superetur. Quia licet Deus veniam promiserit pœnitenti, non tamen spopondit delinquenti, ut ei daret voluntatem pœnitendi. Cùm autem certum sit quòd Dei gratiam promeretur quisquis declinat à malo, & facit bonum; & iram * & indignationem incurrit omnis qui operatur peccatum: Magnopere curandum est ut & vitia vitemus, & virtutibus adhæreamus.

Eccli. 10.

Eccli. 18.

Isa. 1.

al. vehementer coronari

al. iram indignationis

CAPUT CXVII.

al. c. 116.

Quæ comparatio sit inter ascendentes.

TRria sunt necessaria ascendenti, innocentia, beneficium, prælatio. Innocentia talis esse debet, ut nulli noceat: beneficium, ut omnibus prosit: prælatio, ut se inferiorem omnibus judicet. Unde Apostolus: *Superiores invicem arbitrantes.* Hæc tria debet unusquisque aliis impendere, & nihil horum sibi fieri ex debito exigere. Nam si servus alicujus Domino suo in multis peccasset, non solùm iram Domini * provocaret, sed etiam omnium conservorum suorum indignationem incurreret: Et si aliqua injuria ei interim fieret, non justè conqueri deberet. Dicit aliquis: Innocentiam & beneficium aliis libenter impendo, sed me omnibus aliis inferiorem credere nequeo: sunt etenim homicidæ, adulteri, latrones, & hujusmodi. Ad hoc: Quicunque comparationem facis inter te & alium, noli ponere * in trutina quod tuum non est; immò quod tuum est, videlicet mala tua, & postmodum bona sua. Talis comparatio, vel talis consideratio semper sit inter ascendentes. Si quid verò boni in te videas, non tibi, sed Deo imputes. Unde Apostolus: *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?*

Philipp. 2.

al. deficiens

al. In medio seu trutina

CAPUT CXVIII.

al. c. 117.

Similitudo inter cœnovexiam, & charitatem.

SIc igitur debemus innocentia, beneficio, & prælatione tui in faciendo & recipiendo, sicuti usualiter portatur cœnovexia. Quippe * qui illam subeunt, faciem ad locum quo tendunt; ad locum autem unde veniunt, dorsa vertunt. Tribus enim aliis modis potest, sed non convenienter, portari, videlicet, ut facies sint contra facies, vel dorsum contra dorsum, vel facies ad locum unde * procedere, terga verò quò ire debeant, convertantur. Et notandum quòd non minus, quàm à duobus, cœnovexia in operando portatur; nec charitas (quam per cœnovexiam volumus significari) minus, quàm inter duos haberi potest. Si ergo in monte aliquo ædificarent sibi homines plures domum, & de valle oporteret lapides, cementum, & alia quæ ad ædificationem domus pertinerent, cœnovexiis sursum in montem portari. Si, inquam, illi portitores instrumentum illud ita acciperent, ut uterque sibi dorsum, aut faciem, vel dorsa quo tenderent; facies verò verterent, unde procedere vellent; & dum sic ire competenter nequirent, verbis litigare inciperent, & de litigio ad pugnos & capillos venirent, deinde ad arma: Rogo, quid diceret aliquis præteriens, si sic hos hac de causa pugnantes inveniret? Utique quòd insanirent. In nobis igitur hæc omnia consideremus, quia talem habitudinem in fraterna charitate tenere debemus, ut sic quasi quandam cœnovexiam spiritualem portemus. Nos enim in excelso monte, in cælesti scilicet patria, domum nobis ædificare satagere debemus, quæ sola virtutum operatione construitur: ad quam humilitatis gradibus ascenditur. Qui gradus necesse est ut fiant per innocentiam, beneficium, & prælationem, scilicet, ut nulli noceam, omnibus serviam, & ut quemlibet mihi ipsi præferam. Cùm hæc aliis frequenter exhibeo, & si mihi exhibita non fuerint, patienter tolero. Gradus pergendi in montem virtutum, ad domum cælestis patriæ, mihi congruos facio, & cœnovexiam bene porto. Si autem aliis

al. Illam qui subvehunt

al. procedant

hæc impendere detrecto, quasi dorsum contra dorsum verto; dum illum pergentem, & quasi antecedentem subsequi deberem, faciem illi vertendo. At si mihi hæc quasi per debitum fieri quæro: & ille quod postulo facit, quamvis non libenter. quoniam exigo, quasi faciem contra faciem in * subvectione cœnovexiæ verto. Cùm verò exigo; & ille, quod exigitur, denegat: quoniam illum per exactionem irritò, terga vertimus ad locum ad quem ire debemus; & facies, unde procedimus. Sic iltis tribus modis, qui cœnovexiam portare satagit, plerumque lites & discordias substinebit. Faciem ergo, hoc est intentionem semper habeamus super innocentiam, beneficium, & prælationem, ut illa omnibus impendamus, & à nullo eadem requiramus. Hoc enim est ad illa terga vertere; videlicet ad præsentia, & ad labentia; facies verò, ad futura, & ipsa perpetualia.

al. subvectionem

al. c. 118.

CAPUT CXIX.

Similitudo inter qualitates corporis, & animæ.

SIcut qualitatis corporis, sic etiam genera sunt duo qualitatis animæ. Qualitas quippe corporis aliquando subitanea, aliquando verò est continua. Subitanea, ut cùm repentè repentina infirmitate nigrescit, vel verecundia erubescit; sed mox hac & illa transeunte, ad colorem pristinum homo redit. Continua, ut cùm assiduam patitur infirmitatem, quæ sibi continuum parit pallorem. Sic animæ qualitas aliquando subitanea, aliquando verò continua est. Subitanea, ut cùm irruente subita tentatione, subitò in peccato nigrescit; sed statim per confessionem & pœnitentiam, ad priorem pulchritudinem redit. Continua, ut cùm assiduè in peccato jacet, per quod & assiduè ante Deum deformis apparet. Hæc autem genera duo qualitatis animæ, genera sunt duo indignitatis suæ. Qui indignus est secundùm subitaneam qualitatem, non ideò tamen ad judicium sibi assumit Christi corpus & sanguinem. Qui verò secundùm continuam * qualitatem indignus * assistit, ille ad judicium ea sibi assumit.

al. venit. al. existit

al. c. 119.

CAPUT CXX.

De cordis immunditiis.

NOverit quoque qui suam discutere intendit infirmitatem, tria esse genera immunditiæ cordis. Primum namque genus est, amor non amandorum, veluti luxuriæ, & similium. Secundùm verò est odium eorum quæ odio non debent haberi; sicut est odium alienæ prosperitatis. Tertium autem, nec amor, nec odium, sed quædam cogitationis vanitas; ut cùm cogitamus unde iste veniat, vel quò ille vadat.

al. c. 120.

CAPUT CXXI.

Similitudo inter corporis & animæ infirmitates.

RUrsus attendendum duo esse genera infirmitatis animæ; quemadmodum sunt infirmitatis corporeæ. Corporis namque infirmitas aliquando est, quasi infirmitas naturalis: aliquando verò est casualis. Quasi naturalis namque est, ut * si cui ab ipsa hominis infantia sibi continuus languor sit. Casualis verò est ut febris, quæ frigore repentino vel alio casu accidit homini. Hæc itaque quia occasione accidit extrinseca, facilius curari potest una medicina. Illa verò, quia quasi naturaliter adhæret homini, non una repentina curari, sed cum frequenti medicina potest minui & alleviari, donec facilius valeat portari. Ita quoque vitiorum (quæ sunt animæ infirmitates) alia quasi naturalia, alia verò sunt quasi casualia. Quasi naturalia quippe sunt, ut ingluvies & luxuria, quæ ex ipsa carne concrescunt ab infantia homini. Casualia verò, ut mendacium, quod aliqua extrinsecus accedente causa sæpe profertur, etiam non præmeditatum. Hæc ergo quia causis exterioribus accidunt, leviori custodia evitari possunt. Illa verò quia intus naturæ cohærent; licet non una abstinentia omnino deleri, continua tamen instantia eo usque possunt minui, quò satis facilè valeant tolerari. His ergo delendis semper instare debemus, licet non omnino ea delere possimus. Sicut enim naturalem corporis infirmitatem patiens stultè agit, si sibi medicinam adhibere neglexerit, quia semel vel bis adhibita non statim curatus fuerit: Sic naturali vitiorum infirmitate detentus, insipienter agit, si sibi custodiam adhibere destiterit, quia aliquoties adhibita, statim à tentatione liberatus non fuerit.

al. c. 121. si cui ab

CAPUT CXXII.

al. c. 122.

De appetitu, & quid interfit inter appetitum & voluntatem.

NUllus namque appetitu vitiorum prorsus carere potest, sed eum vice appetitus veræ commodatis quasi naturaliter retinet. Postquam enim humana natura perfectam beatitudinem amisit, perfectam quoque sui commoditatem perdidit. Semper tamen * naturaliter affectionem ejusdem commoditatis habet. Et quia perfectam commoditatem habere non potest, nec perfectæ commoditatis appetitum amittere valet. Habet itaque appetitus ingluviei, & luxuriæ, aliarumque falsarum commoditatum; & per hos incedit quærendo illam perfectam commoditatem, cujus appetitum retinet naturalem. Hos autem appetitus diabolus accendit aliquando per falsas commoditates, & per eas voluntati aliquod peccatum suggerit, aliquando verò per semetipsum ipsi voluntati persuadet; ut eosdem appetitus ad peccandum incitet. Ut cùm ebrioso, qui ampliùs bibere nequit, aliquid * assum velle comedere suggerit, ut habeat appetitum ampliùs bibendi. Sic autem diabolus incitat voluntatem ad peccandum, aut per hos appetitus, aut per semetipsum. Velut si quis latro aliquem ad se spoliandum incitaret: aut artificio aliquo, * quo carnem ejus calefaceret: aut dicendo ei simplici verbo, ut se exueret. Ad quem verò cùm ille nihil suspicans fallaciæ, appropinquat, subitò capitur, vapulat, versa vice despoliatur, quandoque demum occiditur. Appetitus verò isti non aliud sunt, quàm quædam commoditatis necessitates. Non enim idem est appetitus, quod voluntas. Appetitus namque mali non est malus, sed voluntas mali est mala. Hos igitur appetitus quia diabolus semper accendit, studio magno & custodia sunt restringendi.

al. naturalem

al. ad sumendum

al. aut quo carnem ejus

al. c. 123.

CAPUT CXXIII.

Similitudo inter aquam, & humanam naturam.

HUmana namque natura tam facilè per vitia, quàm per planum diffunditur aqua. Sic ergo agere debet qui eam restringere appetit, velut qui aquam currentem retinere contendit. Sicut enim ille * aquam concludit in stagnum atque coërcet: sic iste naturam humanam vagam infra regulam aliquam cohibere debet. Utque ille procurat ne qua parte dirumpatur stagnum, quâ affluat aqua; * ita & istum providere condecet, ne suam in quoquam violet regulam, quo ad peccatum proruat. Sic enim restringi carnis appetitus possunt: quod est quandam facere pacem inter ipsam carnem & spiritum; quam

al. ille, qui

al. sic & istum procurare debet

Digitized by Google

quidem pacem nemo melius ſecum habere poterit, A quàm qui diſtrictioni Ordinis monaſtici ſemetipſum ſubjugare ſtuduerit. Ipſa etenim eſt quaſi quædam clauſura vel ſtagnum vivarii. Quoniam quidem, ſicut piſces decurrente aqua vivarii moriuntur, ſi clauſuræ ipſius minutatim ac ſæpe crepant, nec reficiuntur: ita omnis religio monaſtici Ordinis funditus perit; ſi cuſtodia ejus per modicarum contemptum culparum, paulatim à fervore ſui tepeſcit, acceſſante ſcripturâ, quæ dicit: *Qui modica ſpernit, paulatim decidet.*

Eccli. 19.

al. c. 125

CAPUT CXXIV.

Quod quatuor modis pax agatur. B

QUatuor quippe modis pax agitur, quibus homo ad veram quietem perducitur. Aut enim fit ab aliquo inter aliquos duos, aut inter ſemetipſum & alterum; aut inter carnem & ſpiritum, aut inter corruptibilitatem noſtram & incorruptibilitatem * quam Deo donante expectamus. Si tres ſuperiores modos nunc habuerimus, tunc demum ad illam pacem perveniemus, de qua dicit Apoſtolus: *Habere pacem cum Deo.* Duo itaque primi modi fiunt per concordiam. Eſt enim pax carnalis, eſt & ſpiritualis. Concordia etiam eſt carnalis, & ſpiritualis. Pax & concordia carnalis eſt, quam habent infideles, vel etiam falſi Chriſtiani, cùm in peccato concordant, & inde quandam pacem obtinent. Hanc autem pacem Chriſtus non commendavit, ubi dixit; *Non veni pacem mittere in terram, ſed gladium.* Per terram terrenos, per gladium ſeparationem, quâ ſeparamur à carnalitate, potes intelligere. Tertius verò modus per ſpiritus ſit victoriam filii ſui jugantis carnem. De hoc etiam idem Dominus ait: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Et Propheta: *Pax multa diligentibus legem tuam.* Et: *In pace factus eſt locus ejus.* Et: *Inquire pacem; & perſequere eam.* Quartus verò modus erit per remunerationem, corruptione noſtra tranſmutata, ut jam diximus, in incorruptionem.

al. quæ tamen recipiunt per hanc ſolam vitam. Rom. 6.

Matth. 11

Joann. 14. Iſai. 118. Pſal. 11. Pſal. 33.

al. c. 124.

CAPUT CXXV.

D

De quadripartito ſtatu humanæ naturæ.

NOtandum ſiquidem quòd humanæ naturæ quatuor ſunt ſtatus, quibus pro diverſis meritis beata * vel miſera redditur. Duo namque primi beati, duo poſtremi ſunt miſeri. Beatorum autem alius minus beatus, alius verò beatiſſimus. Ita quoque miſerorum, alius minus miſer, alius verò miſerrimus eſt. Status utique minus beatus fuit ille, quo ante peccatum Adam in paradiſo ſtetit. Beatiſſimus verò eſt ille, quo nunc in cœlo Sanctorum animæ ſunt. Minus autem miſer ſtatus noſter eſt, quo dum vivimus, in hoc ſæculo ſumus. Miſerrimus verò ille erit, quo reprobi permanebunt in pœnis inferni. Ut ergo in beatiſſimo ſtatu æternaliter quiſcamus, in Dei ſervitio temporaliter laboremus.

al. beam vita

E

al. c. 125.

CAPUT CXXVI.

Similitudo inter hominis obſequium, & præmium.

HOmo, quia æternum habere non poſſet præmium,* ſi Deo æternum laborando exhiberet obſequium; Deus ſuæ præmium vitæ, quæ eſt æterna; vitæque hominis, quæ eſt temporalis, ſervitium comparat. Si enim homo quamdiu vixerit, Deo ſervierit, & Deus ei hoc coadjuvet, & ipſe recompenſabit. * Qui verò non à principio quidem vitæ ſuæ Deo ſervire cœperit, ſed ex quo tamen cœperit, ſi uſque ad finem perſeveraverit; Deus ab eo vitæ præcedentis ſervitium non exiget; ſicut nec ipſe à Deo vitæ illius præcedentis * præmium. Si autem homo è contra, quoad vixerit, Deo malè ſervierit, & Deus illi malum rependet meritum, quamdiu & ipſe vixerit. Quòd ſi non à principio vitæ ſuæ malè Deo cœperit ſervire, ſed ex quo tamen cœperit, uſque ad finem vitæ voluerit perſeverare; non ei Deus vitæ præcedentis ſervitium bonum recompenſabit * in malum: Sicut nec ipſe vitæ illius præcedentis præmium habere voluerit malum. Nam & ſuæ vitæ præcedentis bono, & Dei præcedentis vitæ malo * carebit præmio. Deo ergo ſerviat ſemper omnis homo quiſque eo ordine, quo conſtitutus ab ipſo eſt.

al. ſi Deus laborando æternum ei præmium obſequium. Sed

al. quæ non

al. exigit præmium

al. omit.

al. non carebit

CAPUT CXXVII.

al. c. 126.

De tribus hominum generibus, ſeu ordinibus.

TRes quippe ſunt ordines hominum: videlicet orantes, agricultores, & defenſores. Hos autem ordines ſic ad diverſa officia Deus in hoc mundo diſpoſuit, quemadmodum quidam paterfamilias oves, & boves, & canes maximos in domo ſua diſtribuit.

CAPUT CXXVIII.

al. cap. 127.

Exemplum ovium, boum, & canum. C

OVes namque ad hoc habet, ut lac ſibi & lanam ferant: boves verò, ut terram exerceant: canes autem, ut tam oves quam boves à lupis defendant. Si igitur horum quodque animalium ſuum gerat officium, illud ad vitam Dominus ſervat, quia ejus ſibi utilis eſt vita. Si verò officium, quod eſt ſuum, non egerit, morte ſola judicatur dignum, quia ejus vita nullum * fert fructum. Si enim ovis lac vel lanam non attulerit; bos autem terram non exercuerit; quem alium fructum ferre poterunt? Rurſus: ſi canis cuſtodiæ pecudum deputatus, eas lupos permiſerit laniare, aut eaſdem ipſe, vel alios canes cœperit ſtrangulare; quid aliud Dominus agere debet, quàm eum obruere? Sic & Deus de illis ordinibus agit, quos ad officia diverſa in hoc mundo diſpoſuit. Quoſdam namque, ut Clericos Monachoſque, ad hoc ipſum diſpoſuit, ut pro aliis orent, miteſque, ut oves, lacte prædicationis eos imbuant: lanaque ſui boni exempli ferventes in Dei amore faciant. Alios verò, ut agricultores, ad hoc diſpoſuit, ut de ſuo, velut boum labore, ipſi vivant, & alii. Quoſdam etiam, ut milites, ad hoc inſtituit, ut aſperitatem, prout neceſſe fuerit, oſtendant: tamque orantes, quàm agricultores ab adverſis gentibus, velut à lupis, defendant. Si ergo ſui quiſque ordinis officium impleat, longam promeretur vitam, quia cæterorum vivit ad utilitatem. Si verò illud agere noluerit, vita ipſa indignus exiſtit: quia fructum non adfert propter quem vivit. Si enim Clerici Monachique orationem vel prædicationem aliis impendere, vel etiam bonum exemplum præbere: aut terram agricolæ noluerint excolere, quod aliud poterunt officium explere? Rurſus: ſi milites alios defendere noluerint; aut etiam more rabiderum canum, eoſdem aut ſeipſos occiderint vel oppreſſerint, quid de illis, niſi quod de rabidis canibus debet fieri? Unuſquiſque ſui ordinis gerat officium, ne & totum quod vivit deputetur mendacium.

al. facit

CAPUT CXXIX.

al. cap. 128.

De mendacio.

SI enim quod ordinis ſui eſt, non egerit, omnis ejus exterior habitus mentitur, qui cum ordinis illius

Digitized by Google

esse testatur. Actus quoque illius, & verba, ipsaque mentitur cogitatio, quia mendacium tollatur pro vero. Cùm enim quidpiam agit, vel dicit, vel cogitat; sic esse agendum, dicendum, cogitandumque aliis indicat. Plus etenim loquitur plerumque homo actu quàm verbo, sicut hoc potest videri exemplo.

al. c. 129.

CAPUT CXXX.

Exemplum de Medico.

MEdicus namque herbam aliquam si diceret ægroto salutiferam esse, & non ex ea comederet; aliam verò mortiferam, ipse tamen ex ea gustaret; plus ei actu quàm verbo diceret: quia plus ei hanc actu, quàm verbo comedendam suaderet. Cùm igitur quippiam quis agit, vel dicit, vel cogitat; sic esse agendum, dicendum, cogitandumque cæteris manifestat. Quod si ita est; verum actu, & verbo, & mente loquitur. Si verò non est; iisdem omnibus è contra mentitur. In quantum igitur verum dicitur, bene; in quantum verò mendacium profertur, malè vivitur: quia omne peccatum mendacium esse probatur. Siquidem non nisi cogitatione, locutione, & opere peccatur; quibus quotiens peccamus, Deo & hominibus mentimur. His itaque tribus Dei timorem ponamus * custodem, quia testante scriptura: *Timor Domini expellit peccatum.* Timor denique Spiritus sancti est donum, aliorumque omnium primum.

al. custodiam

al. c. 130.

CAPUT CXXXI.

De septem donis Spiritus sancti

SEptem quippe sunt dona Spiritus sancti; videlicet, timor, pietas, scientia, fortitudo, consilium, intellectus, sapientia. Horum autem donorum, ut dictum est, timor est primum, aliorumque veluti quoddam fundamentum. Hunc namque Spiritus sanctus mentis in campo supponit, aliaque dona suo in ordine veluti in ædificio superimponit. Priùs enim mentem metuere facit, ne pro peccatis suis separetur à Deo, & in pœnis inferni cum diabolo torqueatur. Huic denique timori superimponit * pietatem, cùm menti sic metuenti sui ipsius aspirat compassionem; pieque recolere facit quàm misera erit, si à Deo separata, & in inferno cum diabolo fuerit torta. Dehinc verò scientiam superimponit pietati, cùm mens, quæ sic timet sibique compatitur, quo valeat modo salvari scrutatur, eique Spiritus sanctus hujus rei cognitionem largitur. Exinde autem fortitudinem superimponit scientiæ, cùm mens pavida, sibique compatiens, jamque quid agere debeat sciens, fit fortis Spiritus sancti dono ad operandum quæ didicit, quibulque salvari se posse confidit. Post hæc verò consilium fortitudini superædificat, cùm mens jam fortis ad operandum, quæ piè timendo scit esse facienda, suo experimento didicit Spiritus sancti gratia quid de his omnibus aliis consulere debeat.

Timor.

Pietas.

Scientia.

Fortitudo.

Consilium.

al. c. 131.

CAPUT CXXXII.

De donis Spiritus sancti: quinque ad activam, duo verò ad contemplativam vitam pertinent.

HÆc autem quinque Spiritus sancti dona ad activam, duo verò quæ sequuntur, id est, intellectus & sapientia, ad contemplativam pertinent vitam. Ipsa tamen Spiritus sanctus * primis quinque superimponit, ut suorum ædificium donorum possit omnino compleri. Postquam enim Spiritus sanctus mentem facit paventem sibique compatientem, & ea quæ scit esse facienda fortiter operantem, & de ipsis * sui exemplo aliis consulentem, accendit eandem ad intelligendum cur hæc vel illa Deus præcipiat; cur homo, licet alteri homini benefaciat, nullam ab eo remunerationem exigere debeat. Quorum ut intellectum Spiritus sanctus menti aspirat, ad postremum etiam sapientiam superaccumulat; * cùm quod videlicet ratione intelligit, fit sibi sapidum atque dulcissimum, soloque rectitudinis amore sequitur, quod intelligit esse sequendum. Ab hac tamen sapientia, quam extremam posuimus, Spiritus sanctus dona sua dinumerare per Prophetam incipit, & usque ad timorem, à quo cœpimus ascendere, dinumerando descendit. Unde notandum quòd nobis innuit descendendo quomodo ex iisdem donis construat in nobis ædificium ascendendo. Hoc igitur ædificio ita compositio Spiritus sanctus in eo residet; totamque familiam domus interioris, id est, omnes animæ sensus regit, & ad obsequium sui disponit.

al. sibi exemplo.

Intellectus.

al. ut quod sit sibi

Sapientia.

al. c. 132.

CAPUT CXXXIII.

De qualitatibus animæ, & moribus.

HInc animæ qualitates, quæ priùs erant instabiles, jam in bonos redigit mores. Mores quippe qualitates sunt animæ in habitum jam redactæ. Non enim tunc mores dicuntur, cùm citò adveniunt, citoque recedunt; sed cùm in anima stabiles existunt.

CAPUT CXXXIV.

al. c. 133.

Mores alii boni, & mali alii sunt.

HOrum autem morum alii boni, alii verò sunt mali. Boni igitur virtutes, mali autem vitia dicuntur.

CAPUT CXXXV.

al. c. 134.

De virtute & vitio.

VIrtutes autem, bona exterius opera: vitia verò, pariunt mala. Non tamen quotiens agitur opus virtutis vel vitii, virtus ipsa vel vitium propriè dicitur haberi. Tunc enim tantùm propriè habentur, cùm ex consuetudine possidentur; unde & homines justi, vel vitiosi dicuntur. Cùm autem perfectè habentur, licet ipsa omnino sint dissimilia, haud tamen dissimilia semper habent opera.

CAPUT CXXXVI.

al. c. 135.

De sapientia, & stultitia, quandoque in eodem convenientibus.

QUædam enim ex ipsis, ut sapientia perfecta atque stultitia, eadem faciunt plerumque fieri opera. Sicut enim perfectè sapiens dimittere non vult quin agat quod sibi bonum videtur; sic & ille qui perfectè stultus est. Verùm hoc ideo ille facit, quia scit bonum non esse ut illud dimittat; stultus verò, quia sic putat. Est autem alius medius nec ita sapiens, quin metuat falli; nec ita stultus, ut in malo quod cœperit, perseverare velit. Hic ergo quod sibi bonum videtur, persæpe dimittit, quia magis quàm sibi alterius credit consilio.

Digitized by Google

CAPUT CXXXVII.

al. cap. 136.

De odio, & amore peccati.

ITem perfectum peccati odium, perfectuſque amor ejuſdem, idem plerumque opus exhibet exterius. Sicut enim qui perfectè odit in ſe peccatum, non curat quis illud cognoverit; ſic & quidem dilectum in ſe perfectè diligit. Verùm hoc ille facit, ut ſibi Deus indulgeat; iſte verò, pro ſua hoc facit impudentia. Alius verò medius eſt, qui nec ita peccatum odit, ut hoc omnes velit ſcire; nec rurſus ſic amat, ut & omnes velit neſcire. Hic igitur & pluribus illud abſcondit, & uni tamen per confeſſionem patefacit.

CAPUT CXXXVIII.

al. cap. 137.

De humilitate, & ſuperbia.

RUrſus: perfecta humilitas perfectaque ſuperbia, opera quædam habent ſimilia. Sicut enim perfectè humilis cùm peccat, vult ut ejus Prælatus ſuam diſtrictè puniat culpam, ſic & valde ſuperbus. Verùm hoc ille vult pro ejuſdem culpæ remiſſione; iſte verò vult pati, pro indignatione. Dedignatur namque ut Prælatus ipſius ſui miſertus vel ad modicum ſibi parcat; immò magis ut ſuam immoderatè puniat culpam deſiderat. Eſt autem alius medius, qui nec omnino diſtrictè puniri, nec ſuam ſibi culpam vult ex toto donari. Hic itaque cùm aliquando peccat, partim puniri, partimque dimitti ſuam ſibi culpam deſiderat. * Hìc namque illud habet verecundiæ genus, quæ partim coram Deo, partimque eſt coram hominibus.]

al. omit.

CAPUT CXXXIX.

al. cap. 138.

De tribus verecundiæ generibus.

TRia etenim ſunt verecundiæ genera, quæ & ipſa operantur exteriùs diverſa. Alia namque eſt coram Deo tantùm, alia verò tantùm coram hominibus: alia autem partim coram Deo, & partim coram hominibus. Verecundia nàque coram Deo tantùm eſt: cùm, quia tales ſumus quales non eſſe decet, erubeſcimus, noſtraque peccata, ſi non aliis obeſſent, coram hominibus fateremur. Verecundia verò coram hominibus tantùm eſt, cùm quia agnoſcimus, quales non eſſe debemus, erubeſcimus & verecundamur, noſtraque delicta etiam uni detegere per confeſſionem erubeſcimus. Verecundia autem partim coram Deo, partimque coram hominibus eſt, ut cùm nec ita de noſtris peccatis coram Deo erubeſcimus, ut ea etiam coram hominibus fateri velimus: nec ita rurſus coram hominibus, ut ea vel uni per confeſſionem detegere erubeſcamus. Quæ itaque verecundia eſt tantùm coram hominibus eſt bona; quæ verò partim coram Deo eſt, partim coram hominibus, eſt melior; quæ autem coram Deo tantùm eſt, optima eſt. Hæc enim poſtrema, ut dictum eſt, ſi non obeſſet aliis, ſuam homines confiteri culpam coram omnibus faceret. Media verò, nec ita eſt perfecta * ut coram omnibus velit, nec ita eſt perfecta,] ut ſalutem coram uno per confeſſionem ſuam erubeſcat culpam fateri. Prima autem etiam coram uno erubeſcit culpam fateri, bona tamen eſt & ipſa: quia licet ſub rubore, culpam tamen confitetur vel uni quandoque.

al. omit.

CAPUT CXL.

al. cap. 139.

*De tribus * quæ notantur in juvene.*

al. tribus generibus al. ætatibus

IN juvene quoque tria * notantur, quibus ad pgbitatem venturus prænoſcitur. Hæc autem ſunt: taciturnitas, corporis continentia, verecundia. Taciturnitas videlicet, ut priùs taceat, poſteriùs dicat. Corporis autem continentia, ut non leviter oculos huc illuc que reducat, manus pedeſve ne moveat; ſed omnia corporis ſui membra decenter contineat. Verecundia verò, ut erubeſcat coram hominibus, cùm quid vetitum agit; totuſque rubore ſuffuſus oſtendat quia erubeſcit. Ad hæc itaque tria juvenis quiſque nitatur, quia unoquoque eorum ad altiora provehitur. Siquidem tacendo & audiendo ſapientium doctrinam, paulatim concipit ſcientiam; quibuſdamque incrementis ad ſpiritualem vitam per eorum verba pertingit.

CAPUT CXLI.

al. cap. 140

Similitudo inter diverſa alimenta, & præcepta.

SIcut enim alimentis diverſis ad perfectam corporis ætatem, ſic præceptis diſſimilibus ad ſpiritualem perducitur vitam. Ut enim educatur priùs ſimplici lacte matris: dehinc, aliquo alio; deinde, farinæ commixto; poſtea, micis panis; poſtmodum, etiam cruſtis, donec quolibet ſolido cibo valeat uti. Sic * ei primùm jubetur in Deum credere; dehinc eum diligere; deinde, timere; poſtea, bene operari, poſtmodum etiam * adverſa pati, quouſque ſibi præceptum quodlibet ſecurè poſſit injungi.

al. enim

al. diverſa

CAPUT CXLII.

al. cap. 141.

Exemplum novi vaſis ſemel imbuti.

QUia ſpirituali doctrina ſemel ad plenum imbutus, novo vaſi ſimilis eſſe videtur. Ut enim vas novum potu bono ſemel affectum, vix ejus ſaporem amittit etiam ſi alio poſtmodum repleatur diverſi ſaporis; ſic juvenile cor ſpirituali doctrina ſemel imbutum vix ejus dulcedinem perdit, etiam cùm ſæculari occupatur poſtea * negotio, ratione officii] cui intendit. Si autem tacendo ſapientium verba contemnit audire, nec ad ullam aſcendet ſcientiam ſpiritualis vitæ.

al. omit.

CAPUT CXLIV.

al. cap. 143

Exemplum cultri.

UTque qui proprio caret cultrò, meritò eſurit, ſi * alieno incidere nolit; & iſte propria carens ſcientia jure ſpirituali fame deperit, cùm aliena nolit tacendo ſcientia uti. Tacendo igitur ſapientium verbis attendat, ut ad ſcientiam ſpiritualis vitæ doctrina eorum pertingat. Continendo autem corporis membra, ut ſuprà dictum eſt, in melius proficit: quia mentem hoc modo ſtabiliorem & placidam reddit. Mens verò ſtabilis & placida, placida exteriùs verba reddit & ipſa.

al. ſcindere

CAPUT CXLIV.

al. cap. 144.

Exemplum de aqua quieta, & ſolis radiis.

UT enim aqua quieta, cùm ex una parte ſolis ſuſcipit radium, ex altera quietum & ipſum aliquo in pariete reddit: ſic mens placata ſuſcipiens aure cujuſpiam verbum, ore remittit & ipſum placatum. Ut verò aqua commota, radium commotum; ſic & mens turbata verbum reddit turbatum, ſed & omnem exteriùs actum. Ut ergo ad quietem mentis, & oris, & operis ſibi proficiat juvenis, quæque membra decenter contineat. Erubeſcendo autem, ſicut & dictum eſt, in melius proficit; quia verecun-

Digitized by Google

dia pœnitiam parit, cujus alia quidem ſicca, alia A vero humida eſt.

al. cap. 144. CAPUT CXLV.

De pœnitentia ſicca & humida.

SIcca namque pœnitentia eſt, cùm aliquem quidem ſui peccati pœnitet; ſed humore pietatis, ſuique ipſius compunctione caret. Humida vero eſt, cùm habet utrumque, ſuumque luget peccatum magna cordis contritione. Ut ad hanc ergo* proficiat pœnitentiam; non juvenis tantùm, verùm etiam omnis homo erubeſcat, cùm quid agit illicitum.

al. profis ſibi

al. c. 145. CAPUT CXLVI.

Exemplum arborem magnam ſuccidere volentis.

ESt autem ſciendum, ſi quem magni alicujus pœnitet criminis, ſibi eſſe agendum more arborem magnam ſuccidere volentis. Sicut enim ille minora in circuitu arbuſta prius curat ſuccidere, ne ſibi arborem ipſam ſuccidenti poſſint obeſſe; ſic & huic vitia minora illi crimini vicina priùs ſunt extirpanda, ne qua ſibi crimen ipſum deſtruenti ferant impedimenta.

al. 146. CAPUT CXLVII.

De Detractione.

DEtractionis vitium, quod maximè ex otioſitate ſolet naſci, multùm eſt cavendum: quia perniciоſum eſt malum. Unde beatus Clemens inter cætera quæ ab ore beati Petri ſe didiciſſe fatetur, hoc modo ſcribit.

al. 147. CAPUT CXLVIII.

De tribus homicidii generibus.

TRia ſunt genera homicidii, quæ pari pœna plectuntur: Interfectio fratrum, detractio, odium. De qua etiam Paulus dicit: *Si comeditis & invicem mordetis, videte ne ab invicem conſumamini.* Comedit namque alter alterum, & quaſi morſum in eo facit, quotieſcunque aliquis aliquem malè oquendo vilicrem efficit. Unde neceſſe eſt ut ab invicem conſumantur, pœnis videlicet gehennalibus detruſi miſerrimè puniantur. Sic igitur is qui alterum detrahendo comedit, conſumitur ab eo quem morſibus detractionis conſumere geſtit. Nam cùm ejus vitam per detractionem dilacerat, ſemetipſum ante juſtum judicem Deum condemnat. Sicque plerumque contingit ut is qui alteri derogat, niſi reſipiſcat, coram Deo in damnationem cadat; quamvis ille cui detrahitur, nihil læſionis ex ipſa detractione ſentiat. Quid autem detractio operetur, vel quid ſit inquiramus, & inquirendo, quod Dominus dederit, breviter dicamus, non ideo quod neſciatur, ſed idcirco ut quod ſcitur, melius teneatur.

Gal. 5.

al. c. 148 CAPUT CXLIX.

Exemplum ignis, & venti, & humanæ mentis.

SOlet enim contingere ut ignis in aliqua materia aliquando paululum ardeat; & vento impellitur, ad majorem ardorem creſcat. Taliter* & mens humana ſalubri admonitione pulſata ad opus agendum; poſt ſuggeſtionem* ocius ſurgit ad quod priùs ſurgere neglexerat. Sicque ut ignis vento movetur, ſic mens à* torporis deſidiâ admonitione excitatur.

al. etiam eſt mens

al. citius

al. corporis

al. cap. 149 CAPUT CXLX.

Detractionis deſcriptio.

DEtractio itaque eſt, quotieſcunque quis aliquid ea intentione de aliquo dicit; unde ipſe vel minus amari, ſive minus appreciari poſſit. Detractio verò malis duritiam, pœnitentibus refrigerationem, tentatis exemplum peccandi, quaſi fomenta malitiæ præſtat. Naturale ſiquidem eſt ut ſicut id quod à nullis fieri audio, facere formido: ſic illud quod à pluribus, vel etiam à paucis fieri percipio, faciliùs præſumo: & quò plures eandem rem feciſſe cognovero, eò minùs eam facere dubito. Bonus quoque, ſi nec pœnitens de aliquo criminali fuerit, nec tentationem aliquam inde habuerit; & alium illa vel B illa crimina'ia perpetraſſe per detractionem audierit: niſi ſibi vigilanti oculo proviserit, materiam ſuperbiendi accipit. Proprium namque eſt ſuperbiæ, ſingularitate ſemper gaudere. Quapropter ſummopere cavendum eſt peccatum detractionis, quia fomes eſt tantæ perditionis.

al. cap. 150 CAPUT CLI.

Commendatio charitatis.

TOllit enim charitatem, *ſine* qua *impoſſibile eſt* 1. Johan. 15 *quempiam Deo placere. Qui enim non dilexit, manet in morte.* Plus namque peccat qui amorem C proximi à corde alterius minuit, quàm qui victum ab ore pauperis rapit. Nam ſicut anima precioſior eſt, quàm corpus; ſic gravius eſt animæ victum auferre, quàm corporis. Victus verò animæ eſt amor Dei & proximi: *Qui* enim *diligit proximum, legem* Rom. 13. *implevit.* Qui igitur dilectionem, quâ debet anima ſuſtentari, tollit: quantum in ſe eſt, animam occidit. Propterea cavendum eſt ne quiſquam aliquid ſiniſtrum de aliquo loqui præſumat, niſi propter emendationem ejus hoc faciat. Nam Prælato, aut illi quem puto poſſe conſulere peccanti, & vitiorum vulnera mederi, debeo alterius malefacta propter emendationem detegere, quæ per meipſum nequeo emendare. Et ne alius corrumpatur ipſius offenſione, compendioſè etiam poſſum eum monere, ne D tali jungatur ſingulari aliqua familiaritate; aliter verò, nullo modo de aliquo quicquam adverſi loqui debeo.

al. cap. 151. CAPUT CLII.

Quid noceat detractio, & quid proſit bonum audire.

CÆterùm ſicut nocet multis de quolibet malum dicere, ſic pluribus ſolet prodeſſe de aliis bona audire. Nam cùm bona de aliquo referuntur, hi qui boni ſunt ejus facta æmulantur: eòque propenſiùs in ſua bonitate perſeverare nituntur, quo alii ejuſdem bonitatis ſectatores laudantur. Si autem pœnitentes E fuerint, tantò ſtudioſius ſuam pœnitentiam, ut boni efficiantur, peragunt; quantò* glorioſiores bonos eſſe malis ſedula relatione percipiunt. Porrò ſi mali fuerint, erubeſcunt, cùm de aliis bona referri audiant, à quibus ſemetipſos vacuos eſſe conſiderant; tantoque facilius ad pœnitentiam revocantur, quantò plures, & fortè debiliores ſe, bona operari eis referuntur. Sit igitur omni Chriſtiano in ſedula conſuetudine ſemper bona de aliis æſtimare, bona loqui, nihil mali credere, nihilque proferre.

al. gratioſiores

Digitized by Google

al. cap. 151.

CAPUT CLIII.

De scientia, voluntate, & usu.

CUm in omnibus actionibus nostris summopere quærendum sit ut boni simus, alioquin beati esse non poterimus: quærendum etiam est quibus potius utendum sit, ut boni efficiamur. Tria itaque mihi esse videntur quæ necessaria sunt volenti effici bonus, scilicet scientia, voluntas, & usus. Nam nisi quis habeat scientiam bonum faciendi, nequaquam bonum, unde salutem consequatur, operari poterit. Et si habet scientiam, sed voluntatem operandi non habuerit, bonus nullo modo erit. Quòd si bono agnitionem & voluntatem operandi obtinuerit, nec tamen ejus usum opere compleverit, cùm possit, bonus nequaquam erit.

al. cap. 152.

CAPUT CLIV.

Exemplum citharistæ.

UT si is, qui citharista esse debuit, citharam non cognovit; qualiter citharœdus? Si etiam instrumentum illud non agnoverit, & si agnoverit, sed tangere illud noluerit, qualiter citharœdus erit? Si autem illud agnoverit, & tetigerit, sed ejus usum habere contempserit, nunquam propter cognitionem & voluntatem, sine usu hujus artis, peritus erit. Taliter namque, licèt quis habeat scientiam bene vivendi & voluntatem, nequaquam bonus erit, nisi etiam boni operis usum tenuerit juxta suam possibilitatem.

al. cap. 154.

CAPUT CLV.

Similitudo inter desides, & peccantes.

SUnt autem quidam sanctarum Scripturarum ignari, & dum aliquid de eis quod possent ad ædificationem sui retinere, audiunt, contemnendo dicunt: Ad quid istud tantillum tenebo? Non ex re tam parva sapiens ero: cur ergo mihi laborem imponam? Dicunt, jam quiescam, vivam ut potero, quia frustra sapientiæ ampliùs studebo, non enim omnes peribunt, qui sapientes non sunt. Hæc & his similia piger & insipiens sibimet proponit; nec percipit quia antiquus hostis ad interitum ejus talia sibi suggerit: quatenus in omni vita sua nulli intendat utilitati, sed in negligentia & torpore semper vivat, & pereat. Ampliùs quoque: Satis (inquit) sunt sapientes in mundo, satis scriptores, satis qui habent peritiam artium: non est opus ut ego me discendo fatigem. Præterea pueritiam jam exui, jam senectuti appropinquo, nec jam possem ad magnum scientiæ fructum venire, si modò inciperem laborare. Sic secum piger tractat, & in sui torporis desidia perseverat. Simili etiam modo nonnunquam peccator irretitur ne ad bonæ operationis excercitium aliquando exurgat. Solet enim contingere ut is qui luxuriæ inquinamenta fœdatur, interdum semetipsum cognoscat, & facti sui pœniteat; sed cùm iterum tentatio advenerit, & locus peccandi affuerit, dicit: Quare istam voluptatem perderem? Satis etiam hanc admittere potero, sicut & multas alias feci: & in futuro cùm satiatus fuero, omnia in simul confitebor, & sic bonus efficiar. Satiabor igitur, donec * Deo de omnibus satisfaciam; & tunc tantùm jejunabo, tunc tot afflictionibus, tot verberibus corpus meum castigabo, tantùm eleemosynis & * parsimoniæ studebo, ut in me nihil remaneat dignum supplicio. Cùm enim adhuc illa & illa in me reliant sine confessione, cur me ab hac sola compescerem delectatione? Talia nonnulli interdum sibimetipsis prave consulunt; nec miseri attendunt quanta erroris caligine interius obtenebrentur. Nam quantò sunt peccatis obligati majoribus, ac bonitate pauperiores; tantò deberent esse ad omne delectamentum diabolicæ suggestionis excutiendum ardentiores. Sicut enim virtus virtuti accumulata prodest, sic vitium appositum vitio obest. Quisquis ergo hodie quicquam boni operari potest, nullatenus hoc procrastinare debet. Unde Salomon: *Quodcunque potest manus tua facere, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia est apud inferos.*

al. omit.

al. parsimoniæ

al. boni operis

Eccle. 9.

CAPUT CLVI.

al. cap. 155.

Similitudo inter pauperes, stultos, & negligentes.

VErùm hujusmodi homines ita in peccando negligentes, imitantur etiam pauperes insipientes. Siquidem pauper insipiens, cùm obolum acquirit, aut aliud quid parvi munusculi, dicit: Ad quid illud tantillum servarem? Non propter hoc dives ero. Expendam itaque hoc in pomis, aut nucibus, aut qualibet alia re mihi delectabili. Non enim istud custodiendo solicitus volo haberi. Sic stolidus, dum parvipendit modica, nunquam proficit ad majora. Sapiens autem pauper parva quæ nanciscitur, custodit, & quo minùs se habere consideraat, eo magis nacta retinere desiderat: quatenus ex parvulorum congerie, ad majora * queat quandoque pertingere. Sic nimirum is, qui se pauperem scientiæ ac bonitatis sentit debet facere, si ad aliquem effectum scientiæ ac bonitatis velit pervenire. Nam sicut plura grana massam, & guttæ flumen, & multi nummi divitem faciunt: sic multæ scientiarum sententiæ, sapientem; & plures bonitatis actiones, bonum quemlibet efficiunt.

al. quatus

CAPUT CLVII.

al. cap. 156.

De scientia, & tribus partibus ejus.

CUm igitur scientia sit necessaria ut bonus quis efficiatur; & manifestum sit nullum eam posse comprehendere, qui minimas ejus partes negligit colligere (nisi fortè quis subitò illuminetur, sicut Apostoli & Prophetæ;) quærendum est quomodo per gratiam Dei illam valeamus acquirere? Tribus itaque causis videtur mihi illam posse adipisci, doctrina scilicet, experimento, & ratione.

CAPUT CLVIII.

al. cap. 157.

De doctrina.

PEr doctrinam quippe, quæ capitur lectione & sermocinatione, scientia acquiritur. Quia cùm quis legit, aut legentem sive loquentem audit; ad hoc, ut eorum quæ leguntur sive referuntur scientiam habeat, intendit.

CAPUT CLIX.

al. cap. 158.

De experimento, & ratione.

EXperimento verò acquiritur scientia, cùm rei quam aliquis probavit, certam habet notitiam. Ex ratione quoque percipitur, cùm per naturalem mentis discretionem, in illis quæ facienda sive omittenda sunt, quis solidatur. Scientia igitur his tribus rebus acquiritur. Sed quia inflat, nisi eam charitas

Digitized by Google

ædificet, nihil prorsus proficit absque voluntate bonitatis. Voluntas itaque bona est, quæ Dei voluntati subjecta est; quæ tunc voluntati Dei subjecta est, quando id vult, quod Deus vult eam velle debere: & tunc justa, sive recta dicitur, quando id, quod Deus vult eam velle debere, amplectitur.

al. cap. 159.

CAPUT CLX.

Quòd non semper debemus velle quod Deus vult.

NOn enim semper velle debemus quod Deus vult: sed * quod Deus vult nos velle debere. Voluit enim Deus beatum Martinum ab hac vita tollere; sed si ejus discipuli hoc tunc voluissent, crudeles utique extitissent. At noluerunt quod Deus voluit; sed voluerunt quod Deus voluit eos velle debere, & vitam justitiæ tenuere. Qui ergo cum scientia voluntatem bene operandi portat, maxima ex parte bonitati appropinquat. Unde sciendum est quia quicunque bonam voluntatem habere desiderat, necesse est ut à vanitate sese alienare studeat. Nam sicut una operatio, aliam à se diversam operationem excludit; sic cogitatio cogitationem expellit, & voluntas nihilominus voluntatem repellit. Cùm enim manu scribo, non agrum semino: deinde etiam cùm seminavero, scriptionem excludo. Sic utique cùm & ipse inane quid cogito*, non interim utilitatem pensò: & cùm postea utile quid pensavero, * inanitatem expello. His igitur quæ diximus de scientia & voluntate transcursis, videamus etiam quàm sit necessarius usus bonæ operationis.

al. sed hoc velle debemus quod

al. vanitatem

al. cap. 160.

CAPUT CLXI.

De usu.

QUippe sicut corpus humanum sine frequenti ciborum usu nequit subsistere; sic anima absque virtutum frequentatione non potest vivere. Qui ergo ad effectum bonitatis venire desiderat, necesse est ut cum scientia & voluntate, etiam ipsum usum habeat.

al. cap. 161.

CAPUT CLXII.

al. bonis

*Quòd * bonus homo de omnibus sibi bonum faciat.*

al. omnibus hominibus & bonis

BOnus homo de omnibus * bonis & malis utilitatem sibi acquirit. Siquidem cùm aliquid boni, de homine bono vel malo, audit, gaudet & Deo inde gratias agit. Quod dum facit, mercedem à Deo bonæ voluntatis accipit, ac si cooperator fuisset ejusdem operis. Malum autem si audierit, dolet quod sibi in mercedem reputatur, quasi ejusdem mali destructor fuisset, vel diminutor. Sed dicit aliquis: De bono & prosperitate inimici mei nequeo gratulari; neque de damno ejus contristari: quod si ore confiteor, me condemno, corde etenim mentior.

al. cap. 162.

CAPUT CLXIII.

Ratio quomodo inimici diligi possint.

AD hoc considerandum est qualiter is, qui in bono proficere desiderat, sibiipse vim inferre debet, ut proficere valeat. Licet carnalis * appetitus meus damnum inimici mei appetat; non tamen hoc ore * profiteri debeo; sed potius damnum ejus plangere, & contra appetitum carnis meæ, illius prosperitati favere; illius damnum solùm verbis, si corde simul nequeo, demonstrare mihi displicere. Nam si rationem consideramus, rectiùs agimus quando Deo obedimus, quàm faciamus, quando carnali voluptati consentimus. Præceptum etenim Domini est, *ut inimicos diligamus.* Si ergo eos affectuosè diligere nequeo, quoniam carnalitatem meam ad amorem eorum adhuc flectere non valeo: tamen velle debeo eos me posse amare: & donec valeam hoc agere, verbum *, quod potestati meæ subjacet, bonum & non malum de illis promulgare. Cumque hoc ago, non mentior quando dico me illos diligere; quoniam *velle adjacet mihi, perficere autem non habeo.* Condelector tamen Dominico præcepto, secundùm rationem spiritus mei, ut eos diligam, quamvis corruptibilitas carnis meæ repugnet. *Jam enim non operor ego illud, sed quod regnat in me peccatum.* Aliud enim est sentire, aliud consentire. Malus verò homo è contrario sibi de bonis omnibus & malis peccatum accumulat: cùm bonis omnibus invideat, malis verò favorem exhibeat. Hujus finis interius, mors, & tribulatio: justi autem finis est Christus, vita & exultatio.

Mat. 5. Luc. 6.

Rom. 7.

Ibidem.

al. cap. 163.

CAPUT CLXIV.

De intellectu, amore, & usu.

TRibus modis sentitur Deus, videlicet intellectu, amore, & usu. Per intellectum sapimus, per amorem justificamur, per usum beatificamur. In quantum quis Deum intelligit, sapiens est; in quantum verò amat, justus; verùm in quantum utitur, beatus. Quando quod rectum est, videmus, Deum per intellectum mentis sentimus; quandoquidem quæcunque rectitudo est, ab illo est.

CAPUT CLXV.

al. cap. 164.

Similitudo inter Deum, & Solem.

SIcut enim ex splendore Solis, ipsum Solem sentimus, antequam illum perspicuè videamus; sic ex mentis nostræ speculatione Deum sentimus, quando verum quid ex ipsa veritatis luce perspicimus; sicque illum intelligendo & amando, per fidem & spem ad præsens sentimus. In futuro autem, * jam per speciem sentimus, quia videbimus eum sicuti est; non tamen eum omnes æqualiter videbunt, nec ejus amore omnes æqualiter calebunt.

al. non jam per spem

CAPUT CLXVI.

al. cap. 165.

Similitudo inter ignem, & Dei amorem.

SIcut enim diverso modo lignum & ferrum ignis ardore calent, sic cœlestes spiritus, & beatorum animæ, inæqualiter Dei amore fervent.

CAPUT CLXVII.

al. cap. 166.

Quomodo Sancti Deum videbunt.

NUnc autem videmus eum in ænigmate, & quasi in pictura ea quæ dicimus, veluti pictum Solem, aut mare videremus. Solem quippe, aut mare cùm depicta videmus, non sicut est in ipsa re, ea habemus. Cùm verò Solem clarè lucentem perspicimus, aut mare turbulentum vel tranquillum cernimus, rem sicuti est, veraciter intuemur, quamvis tantam, quanta in se est, intueri nequeamus. Sic Sancti Dei in gloria sua Deum videbunt, sed magnitudinem divinitatis ejus, sive immensitatem potentiæ illius comprehendere nequibunt. Non enim immensus esset, si intellectu alicujus comprehendi potuisset.

1. Cor. 13.

CAPUT

al. cap. 167.

CAPUT CLXVIII.

De quatuor modis præcipiendi, & totidem obediendi.

ALiquando bene præcipitur, & bene obeditur; & è contra interdum malè præcipitur, & malè obtemperatur; aliquando bene præcipitur, & malè obeditur; * aliquando malè præcipitur, & bene obeditur.] Bona eſt præceptio, & bona eſt obeditio, cùm præcipitur ne caſtitatem quis violet, & * ſervatur. Mala eſt juſſio, & mala obeditio, ſi jubetur furari, vel hujuſmodi, & fiat. Bonum eſt præcipere, & malum obedire; ut ſi (verbi gratia) aliquis captivetur, & ad capitis plectionem veniatur, ne fugiat, ligatur. Huic autem ſi fortè aliquis dicat, Fuge, pro te in vinculis illis me ponam, pœnam pro te * excipiam. Bona quidem talis præceptio, quia ex perfecta charitate deſcendit; ſed mala ad hoc conceſſio, quia prorſus obviat charitati. Nam ubi dictum eſt: *Alter alterius onera portate*; non dictum eſt, onera imponite. Mala eſt juſſio, & bona obeditio; ut ſi quis poma cedrina, vel quippiam aliud, quod ſine periculo haberi non poſſet, quis Prælatus ſibi afferri præciperet. Unde David aquam de ciſterna ſibi afferri præcepit; quæ quia in periculo ſuorum allata eſt, pœnituit præcepti, noluitque eam bibere, ſed eam Domino libavit.

al. vult.

al. ſervantur

Matth. 6.

al. cap. 168.

CAPUT CLXIX.

De timore, commodo, & amore.

DEo quidem tribus de cauſis homines ſerviunt, videlicet, timore, commodo, & amore. Sunt namque nonnulli, qui ſi pœnas inferni non eſſe ſcirent, pro nulla repromiſſione æternorum bonorum à ſuis voluptatibus * ceſſarent. Qui licet pœnas illorum, qui Deum minimè verentur, evadant, non tamen plenam retributionem invenient. Alii autem Deo ſerviunt, ut magnum inde habeant commodum ſive in præſenti vita, ſive & in hac & in futura. Quibus, ſi Deus voluerit, ex quadam ratione poterit dicere: Gratia commodi veſtri, mandata mea ſervaſtis, non quia purè me diligebatis, ſed quoniam à me lucrari volebatis. Sicut hi, qui Regi ſerviunt; non Regem multi, ſed donaria diligunt Regis. Alius eſt, qui verè Deum diligit, & ſolo amore ejus præcepta ejus cuſtodit. Iſte profectò legaliter ſervit, & bonam perfectamque mercedem ſibi acquirit. Igitur, ſicut Deo ille nihil præpoſuit, ſic illi Deus juſta recompenſatione reddere debet ſeipſum, qui rebus omnibus excellit.

al. cap. 169.

CAPUT CLXX.

De ratione, voluntate, & appetitu.

IN anima tres ſunt naturæ: videlicet, ratio, voluntas, & appetitus. Ratione aſſimilatur Angelis, appetitu brutis animalibus, voluntate utriſque. Voluntas inter rationem & appetitum media eſt; aliquando enim ad rationem, aliquando ad appetitum ſe habet. Sed quando ad rationem ſe convertit, quia ea quæ ſunt rationabilia & ſpiritualia ſapit, dicitur homo rationalis & ſpiritualis. Quando verò ad appetitum ſe tenet, quia ea ſapit quæ ſunt carnalia & irrationabilium animalium, dicitur homo carnalis ſive animalis. Unde ſcriptum eſt: *Animalis homo non percipit ea quæ Dei ſunt. Spiritualis autem dijudicat omnia, & ipſe à nemine judicatur.* Cùm itaque juxta hoc, quod voluntas ſe habet, A dicitur homo carnalis, ſive ſpiritualis; ſciendum eſt, quòd interdum quædam ſentiuntur in carne, quibus voluntas minimè conſentit.

1. Cor. 2.

al. cap. 170.

CAPUT CLXXI.

De ſuggeſtione, delectatione, & conſenſu.

TRes namque delectationes ſunt: una, quæ ſentitur in carne præter voluntatem, quæ vocatur ſuggeſtio. Alia, quæ ſentitur in voluntate * cogitationis, non tamen in voluntate actionis, quæ dicitur delectatio. Tertia, quæ ſentitur * cum voluntate operandi, & nominatur conſenſus. Sed illam, quæ nominatur ſuggeſtio, nulla pœna comitatur. Nam ubi non eſt conſenſus voluntatis, nulla ſequitur pœna delectationis. Unde Apoſtolus: *Nihil damnationis eſt his, qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundùm carnem ambulant.* Et alibi: *Condelector legi Dei ſecundùm interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in lege peccati, quæ eſt in membris meis.* Interiorem hominem vocat ipſam rationem; legem membrorum, delectationem ſine voluntate; legem Dei, obſervationem mandatorum ejus, quæ & lex mentis dicitur, quia mente ſervatur: legem autem peccati, quam priùs legem membrorum nominaverat.

al. ſuggeſtionis

Rom. 8.

Rom. 7.

al. cap. 171.

CAPUT CLXXII.

De nominibus animæ.

NOta quòd plura ſunt nomina animæ. Vocatur enim aliquando ſpiritus, mens, animus, ratio, intellectus, interior homo. Dicitur etiam anima vegetabilis, ſenſibilis, rationalis. Sed cùm plura nomina habeat, ad illa adhuc redeamus, de quibus ſermo fuit prius. Quia voluntas in illis, aut rectè ſe habebit, & erit legitima: aut illa deſerendo, fornicatrix, vilis & abjecta. Namque ſi voluntas, quæ eſt media inter rationem & appetitum rationi concordaverit, legitimè vivit; ſi verò appetitui, fornicatrix erit. Eſt ergo ratio ſive ſpiritus, quaſi vir; voluntas, ut ſponſa; appetitus carnis, quaſi adulter; non igitur ei voluntas in aliquo conſentiat. Scriptum eſt enim: *Concupiſcentia, cùm conceperit, parit peccatum; cùm conſummatum fuerit, generat mortem.*

Jacob. 1.

al. cap. 172.

CAPUT CLXXIII.

De ſordido exemplum.

QUemadmodum, ſi ſordidus aliquis & omni fœtore plenus occurreret alicui dicens ſe cum eo velle conſiliari, non deberet mundus ſubſiſtere; ſic nec voluntas appetitui carnali acquieſcere.

al. cap. 173.

CAPUT CLXXIV.

De quadrato lapide.

QUadratus lapis, ſex æqualia habet latera; in quod horum ceciderit, firmiter jacebit, ſic providendum eſt viro juſto, ut in ſuo perſiſtat propoſito. Hujus autem latera ſex, hæc ſunt; proſperitas, adverſitas, ſui libertas, ſubjectio, in ſecreto eſſe, & in publico; in quibus ſingulis, ſi à diabolo impulſetur, ſtet, nec à propoſito moveatur.

Digitized by Google

A

al. cap. 174.

CAPUT CLXXV.

De peccato.

DE peccato tribus modis loquimur. Secundùm naturam, id est, districtam justitiam, ut illud: *Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Matt. 5. Secundùm gratiam, ut: *Quacunque hora ingemuerit peccator, peccatum suum remittetur ei.* Ezech. 18. Et, *Convertimini ad me, dicit Dominus, & ego convertar ad vos.* Zach. 1. Secundùm disciplinam; ut cùm præcipitur homini tantum vel tantum pœnitere. Disciplina est sub gratia, quia nullus pœnitere vel satisfacere posset, nisi gratia præveniret.

al. cap. 175.

CAPUT CLXXVI.

De similitudine cere.

VIdeas hominem in vanitate ab infantia usque ad profundam senectutem conversatum, sola terrena sapientem, & in his penitus obduratum. Cum hoc age de spiritualibus; huic de subtilitate divinæ contemplationis loquere, hunc secreta rimari cœlestia doce; & prospicies eum nequaquam posse hæc videre. Nec mirum, indurata est cera, in istis ætatem nutrivit, aliena ab istis sequi didicit. E contra consideres puerum ætate & scientia tenerum, nec bonum, nec malum discernere valentem: nec te quidem intelligere de hujusmodi differentem. Nec quidem mirum. Mollis enim est cera, & quasi liquens, nec imaginem sigilli quoquomodo recipiens. Medius horum adolescens & juvenis est, ex temeritudine atque duritia, quasi ex senectute & pueritia congruè temperatus. Si ergo hunc instruxeris, ad quemcunque utilitatis profectum voles, sive honestatis, aptè informare valebis.

al. cap. 176.

CAPUT CLXXVII.

De conatu diaboli contra novitium.

CUm diabolus nequit * Monachum obruere vitæ quam professus est odio; nititur eum conversationis, in qua est, subruere, fastidio. Et licet illi monachicum propositum tenendum quasi concedat; tamen hoc quia sub talibus, aut etiam inter tales, aut in tali loco * incepit; illum stultum nimis imprudentemque multimodis versutiis arguere non cessat. Ut dum illi persuadet incepto Dei beneficio ingratum existere; justo Dei judicio nec ad meliora proficiat; nec quod accepit, diu teneat, aut in eo utiliter perstitat. Quippe dum incessanter laboriosis cogitationibus de mutando; aut si mutari non valet, saltem de improbando * proposito, meditatur; nunquam interim ad finem perfectionis * tendere conatur. Nam quoniam illi fundamentum quod posuit, displicet; nullatenus illi * structuram bonæ vitæ superædificare libet. Unde fit ut quemadmodum arbuscula, si sæpe transplantetur, aut nuper plantata in eodem loco, crebra * convulsione inquietetur, nequaquam radicare valens aridicatem citò attrahit, nec ad aliquam fructus fertilitatem pervenit: Sic infœlix monachus, si sæpius de loco ad locum proprio appetitu * movetur; aut in uno permanens, frequenter ejus odio concutitur.

al. monachatum abeat dare odio

al. suscepit, multimodis versutiis fal. Videtur impol. sum pœn tere novitium quandoque facit. Ut incœptum propositum ingratum existere, nec ad al. into al labor ejus perveniat, sed prorsus à Deo respuatur. Nam al. fictam al concalcatione

al. mutatur

al. cap. 177.

CAPUT CLXXVIII.

De pueris planta comparatis.

DIc quæso, si plantam arboris in horto tuo plantares, & mox illam ex omni parte ita concluderes, ut ramos suos nullatenus extendere posset, cùm eam post annos excluderes, * qualis arbor inde prodiret? Profectò inutilis arbor, rugosa, & gibbis plena, ramis suis incurvis perplexa. Hoc utique facitis, ô vos puerorum magistri, de pueris vestris, qui plantati sunt per oblationem in Ecclesiæ horto, ut crescant & fructificent Deo. Vos autem in tantum terroribus, minis, & verberibus undique illos coarctatis, ut nulla penitus liceat sibi libertate potiri. Itaque indiscretè B oppressi, pravas, & spinarum more perplexas cogitationes infra se congerunt, fovent, & nutriunt. Unde fit, ut quia nihil amoris, nihil pietatis, nihil benevolentiæ circa se in nobis sentiunt, nec illi alicujus boni in vobis; sed quicquid est odii, impietatis, malevolentiæ, postea spem habeant. Contingit itaque miserabili modo, ut sicut corpore crescunt, sic & in eis timor tantùm, & invidia, & suspicio omnis mali crescat ex vobis, semper proni & incurvi ad vitia, secum præmeditantes, aut quomodo vestras insidias & machinationes valeant evitare, aut deinde sæculo redire.

al. qualem potest ramos extenderet.

CAPUT CLXXIX.

al. cap. 178.

C

Exemplum de lamina auri.

*VIdistis (quæso) unquam artificem ex lamina auri, vel argenti, solis * percussionibus imaginem speciosam formasse? Non puto. Quid tunc? Quatenus aptam formam ex lamina formet, nunc eam suo instrumento leviter premit & percutit, & postmodum planat; nunc etiam discreto levamine, levius levat, & informat. Sic & vos, si puros vestros cupitis moribus bonis ornatos esse, necesse est ut cum depressionibus verberum, impendatis eis paternæ pietatis & mansuetudinis levamen atque subsidium. Tenera quidem teneris, sicut & ipsi teneri sunt, lac, scilicet, non solidum cibum præbentes eis necdum ad perfectam ætatem provectis.

al. audistis al. sollicmalleat

D

al. cap. 179.

CAPUT CLXXX.

De charitate.

QUi charitatem in corde retinet, * hoc unde Deus gratias scit ei, habet; ille verò ad quem tantummodo habetur, * minimè. Quas enim gratias mihi debet Deus, si quis me diligit? Amplius: is cui dilectio alterius servit, solius commodi munus perfunctoriè suscipit. Verbi gratia, beneficium unum, honorem unum, prandium unum, vel quolibet officii genus in hunc modum. Alius verò qui charitatem, quasi commodi munus exhibuit, intransivitè sibi retinuit. * Charitatis enim officium ab eo qui hoc suscipit, transit. Charitas verò ipsa, quæ Deus est, in eo remanet, qui eam aliis impendit, bonum autem permanens, bono transeunte melius est. Hæc igitur considerando, profectò perspiciemus magis esse nobis gaudendum, si alios diligimus, quàm si ab aliis diligamur. Nihil mihi debet aliquis, nec ego alicui: ergo charitas est exhibenda, non exigenda.

al. hic unde gratias Deo agat habet al. subintelligendum

al. charitas

E

Digitized by Google

al. cap. 180.

CAPUT CLXXXI.

Ex tribus causis omnis res amatur.

QUicquid amatur, aut naturâ amatur, aut rectè, aut spe commodi. * Natura enim est, ut omne bonum amemus, & utile. Rectum verò, ut benefacientem nobis amemus. Spe commodi quandoque res amatur. Alia propter usum, ut mel, eò quòd sit bonum & suave, etiam secundùm usum. Alia verò secundùm effectum, ut absinthium, & nonnulla naturalis potio, quæ cùm dent sanitatem, nullam tamen in usu præbent suavitatem.

al. naturale

al. cap. 181.

CAPUT CLXXXII.

Quòd tribus modis diligendus sit Deus.

TRibus etiam his modis diligendus est Deus. Naturâ, quia omnibus & melior & utilior, & ideo plus cæteris est amandus. Rectitudine, quoniam omnia quæ habemus, præstat nobis, etiam hoc ipsum quod sumus. Et tantò major amare debemus plus nobismetipsis, quantò major est ipse qui se pro nobis dedit, & nobis eisdem semetipsum daturus est. Et quoniam ei personaliter non possumus reddere illud, (non enim his persona ejus eget) ostendit nobis quibus debeamus vicem reddere, dicens: *Mandatum vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexit vos.* Joan. 13. Et Apostolus: *Sicut pro nobis Christus animam suam posuit, ita & nos pro fratribus animas ponere.* 1. Joan. 3. Diligere igitur debemus nos invicem; tum quia & bruta quædam animalia hoc faciunt, tum quia unius familiæ scilicet Christi sumus; & quia in regno ejus singulos sicut nosipsos diligemus; & quia ibi æqualiter ab ipsis diligemur. Indecens enim est si in hoc mundo habuerimus odio, quos ibi sumus habituri charissimos. Sciendum est enim quòd quicunque ibi aderunt nobis vicem reddent pro dilectione præsenti. Spe etiam commodi vel renumerationis diligendus est Deus, quoniam immortalitatem & incorruptibilitatem nobis promittit.

al. cap. 182.

CAPUT CLXXXIII.

De tribus libertatibus.

LIbertatis siquidem modos tres dicimus esse: libertatem videlicet actionis, quam omnes volunt; id est, ut liberè facere possint quæ volunt. Dicitur etiam libertas intelligentiæ, quam non omnes volunt. Est etiam libertas rectæ voluntatis, quæ semper est bona. Hanc paucissimi volunt, id est, ut ea velint quæ debent. Notandum quòd libertas actionis sine libertate bonæ voluntatis semper est mala. Verùm libertas intelligendi est media, quæ bona est, quotiescunque libertati rectæ voluntatis adhæret: mala autem, cùm sine illa est. Habet primò quis quantulamcunque libertatem intelligendi, id est, scit intelligere quid sibi expedit: velit illam in bono, & sic promerebitur adipisci libertatem intelligendi quicquid expedit, volendi quodcunque debet, agendi quicquid prodest. Sub libertate volendi, est libertas arbitrii.

al. cap. 183.

CAPUT CLXXXIV.

De venatione diaboli.

DIabolus per peccati suggestionem quotidie it ad venandum. Eos verò intra retia sua retinet, quos nec dolor pro peccato proprio afficit. Illos autem jam amittere incipit, quos pro carnis intemperie lugere jam conspicit. Quosdam autem tertii ordinis, id est, sanatos à carnalibus & spiritualibus peccatis, omnino perdit. Primi omnino lugeant, doleant adhuc secundi, tertii verò gaudeant.

CAPUT CLXXXV.

al. cap. 184.

Quòd Deus non horreat peccatum.

HOrrere dicitur Deus animam peccatricem, non quòd horreat peccatum, quod nihil est; sed quia non est ibi debita justitia, quam ibi amaret. Ut dicimus nos horrere domum, in qua nihil est quod amemus, sed hoc & illud improprie. Virtutibus igitur adhæreamus postponendo vitia, & hanc patientiam amplectendo cum jugi exercitio. Patientia etenim, vel quælibet virtus sine exercitio, quasi plumbea lancea est.

CAPUT CLXXXVI.

al. cap. 185.

Visio Anselmi de fluvio.

VIdit, ut asserere solebat, Anselmus in infirmitate positus, & in extasi quodammodo extra se raptus: vidit (inquam) fluvium unum rapidum atque præcipitem, in quem confluebant omnium fluxuum purgaturæ, & quarumcumque terrestrium rerum lavaturæ. Videbatur itaque aqua ipsa nimis turbulenta, & immunda & omnium spurcitiarum sorde horrida. Rapiebat igitur in se quicquid attingere poterat; & devolvebat tam viros quàm mulieres infrà se, divites & inopes simul. Fœda quidem erat aqua, ex ea tamen vivebant, & delectabantur in illa: ut ille asserebat, qui eum ducebat. Illo verò ab ipso inquirente quisnam torrens ille esset: vel quid multitudo illa, in eo volutans, prætenderet? Adjecit ille prædux Patris nostri, atque ait: Ne miteris. Torrens mundum significat, quo rapiuntur, in cujus illecebrosis spurcitiis involvuntur omnes ipsum amantes. Et his dictis, inquit.

CAPUT CLXXXVII.

al. cap. 186.

De verò Monachatu.

VIsne videre quid sit Monachatus verus? Ad hoc alter: Volo. Duxit itaque illum quasi in conspectum cujusdam magni claustri, & admodum spacioši, & specioši. Et ait: Circumspice. Aspexit & ille. Et ecce parietes claustri illius obducti erant argento purissimo. Herba quoque virens in medio erat, & ipsa argentea; mollis quidem, & redolens, & ultra humanum opinionem delectabilis. Hæc more alterius herbæ sub his qui in ea pausabant leviter flectebatur, & surgentibus illis, ipsa quoque * erigebatur. Ut quid immorer? Quicquid est jucunditatis, ibi erat. Cùm ergo hîc perpetuò habitandum elegisset Anselmus, doctor ejus se ei spopondit, si vellet, veram ostensurum patientiam. Sed quia, ut assolet, interim evigilavit, & promissum & promissi demonstratorem amisit. Has igitur duas visiones à sancta paternitate, & à paterna sanctitate nobis relatas, libenter audiamus, & audiendo devotè teneamus, tenendo mente jugiter revolvamus; ut unius horrorem, dum vacat, fugiamus; alterius verò amœnæ jucunditati, & jucundæ amœnitati insistamus, nos qui Monachatum tenemus.

* surgebat

* emisit promissi

A

al. cap. 187.

CAPUT CLXXXVIII.

De ſecuritate & pace in religione.

Sicut bubo, dum in caverna cum pullis ſuis eſt, lætatur, & ſuo modo bene ſibi eſt; dum verò inter coryos, & corniculas, ſeu alias aves, incurſatur ac dilaniatur, & omnino ſibi malè eſt, utpote, quem hic roſtro male percutit, ille alis in eum irruit, alter verò unguibus diſcindit. Ita & mihi. Quando enim cum Monachis, meis ſcilicet filiis, converſari queo, mihi bene eſt, & grata hæc ſingularis vitæ meæ conſolatio. Quando verò remotus ab illis inter ſæculares converſor, hinc inde me variarum cauſarum incurſus dilacerant, & quæ non amo, B ſæcularia negotia vexant. Malè itaque mihi eſt, quando ſic ſum, ac tremens pertimeſco animæ meæ diſpenſum. Hic idem Pater noſter quadam vice de trans mare regreſſum Regem Guillelmum juniorem adiit: Et ut Romam ad Papam Urbanum pro ſtola ſui Archiepiſcopatus eundi ſibi licentiam daret, humiliter & manſuetè petiit. At Rex ad nomen Urbani turbatus, dixit ſe illum pro Papa non tenere: nec ſuæ conſuetudinis eſſe ut abſque ſua electione alicui liceret in regno ſuo Papam nominare. Hinc igitur orta quædam gravis diſſenſio eſt inter regnum & ſacerdotium, adeo quidem magna, quòd & ipſe abſque aſſenſu Regis Angliâ exivit, & Romam petiit. Ibique aliquandiu cum maximo honore & reverentia C tam ab ipſo Papa, quàm ab ipſis Romanis, ſublimiter commorans; ac tandem precatu Regis ac totius regni, Angliam réviſens, ſuæ profectò Sedi, Deo quidem annuente, ac populo favente, reſtituus eſt.

al. cap. 188.

CAPUT CLXXXIX.

Exemplum de lepore.

Diſcedente autem quadam vice eodem Patre noſtro à prædicti curia Regis, pueri quos nutriebat leporem ſibi occurſantem in via canibus inſecuti ſunt fugientem, etiam intra pedes equi, quem al. omit. Pater ipſe inſidebat, * ſubſiſtentem conſecuti ſunt. Ille verò ſciens miſeram beſtiolam ſic ſe refugio conſuluiſſe, retentis habenis equum loco fixit, nec cupitum beſtiæ voluit præſidium denegare. Quam canes circundantes, & linguis ſuis hanc grato obſequio D hinc inde lingentes, nec de ſub equo poterant ejicere, nec in aliquo lædere. Quod videntes, admirati ſunt qui aderant. At Pater pius, ubi quoſdam aſpexit ex militibus ridere, & quaſi pro capta beſtiola lætitiæ fræna laxare, ſolutus in lachrymas, ait: Ridetis; Et huic utique infelici nullus riſus, nulla lætitia, hoſtes ejus circa eam ſunt, & ipſa ſola de vita ſollicita confugit ad nos præſidium ſuo modo flagitans. Hoc planè (filii) eſt ſimilitudo hominis & animæ morientis. Nam cùm de corpore exit, mox inimici ſui, maligni ſcilicet ſpiritus, qui eam in corpore degentem per anfractus vitiorum multis modis perſecuti ſunt, crudeliter adſunt, parati eam rapere, & in mortem E æternam præcipitare. At iſta nimis anxia, huc illucque circumſpicit; & manum defenſionis & auxilii, qua ſe tueatur, ſibi porrigi ineffabili deſiderio concupiſcit. Dæmones autem è contrario rident, & immenſa lætitia gaudent, ſi nullo eam adminiculo fultam invenire queant. Quibus dictis laxato fræno iter arripuit, & beſtiam ultrà perſequi clara voce canibus interdixit. Tunc illa ab omni læſione immunis, exultans & hilaris, prærepti curſu campos ſylvaſque revisit.

al. cap. 189.

CAPUT CLXXXX.

Exemplum de avicula.

Alia quoque vice reſpexit puerum quendam cum avicula in via ludentem, quæ pedem filo innexum habebat. Sæpe cum laxiùs ire permitrebatur, fugâ ſibi conſulere cupiens, avolare nitebatur. At per filum manu tenens; retrahens itretitam aviculam ad ſe uſque dejiciebat, & hoc ingens gaudium pulchrumque ſpectaculum puero præſtabat. Factum eſt hoc ſemel & iterum, factum frequentiùs. Quod Pater benignus aſpiciens, aviculæ condoluit: & ut rupto filo libertati redderetur, præcepit. Et ecce filum rumpitur, aviſque avolat; puer plorat, Pater exultat. Et vocatis, qui aderant; Conſideraſtis, inquit, jocum pueri? Et confeſſis conſideraſſe, ait: Simili conſideratione jocatur diabolus cum hominibus multis, quos irretitos ſuis laqueis pro ſua voluntate in diverſa vitiorum impedimenta pertrahit. Sunt enim quidam (ut verbi gratia dicam) avaritiæ, ſeu luxuriæ, & ſimilium flammis ſuccenſi, & ex mala conſuetudine illis addicti. His contingit aliquando ut ſua facta conſiderantes fleant, ſeque amodò è talibus ceſſaturos ore promittant, * & more avis irretitæ al. & liberos ſe volare * autument. Sed quia pravo uſu irre- al. autumant titi ab hoſte tenentur, nolentes in eadem vitia dejiciuntur: fitque hoc ſæpius, nec omnimodè liberantur; nili magno conatu & gratia Dei funis rumpatur pravæ conſuetudinis.

CAPUT CXCI.

al. cap. 190.

De malitiâ, & fuditate peccati.

Si hinc, inquit Anſelmus, peccati pudorem, & illinc cernerem inferni horrorem, & neceſſariò uni illiorum haberem immergi: priùs me in infernum mergerem, quàm peccatum in me immitterem. Mallem enim purus à peccato & innocens gehennam intrare, quàm peccati ſorde pollutus cœlorum regna tenere; cum conſtet ſolos malos in inferno torqueri, & ſolos bonos in cæleſti beatitudine foveri.

CAPUT CXCII.

al. cap. 191.

De verbis defuncti.

Verba defuncti Oſberni Monachi ad Anſelmum in ſpiritu delata, & ab eodem Anſelmo poſtmodum expoſita. Ter, inquit ille defunctus, antiquus ſerpens inſurrexit in me, ſed Urſarius Domini mei liberavit me; hæc dicens, evanuit. Benedictus verò Pater noſter viſionem illam expergefactus à ſumno, ad memoriam revocans, ac ſingula propenſiùs inſpiciens, quando, & quibus libuit ſic eam expoſuit. Primò inquiens, pro peccatis quibus obligatus ante baptiſmum fuerat, in eum inſurrexiſſe hoſtem antiquum. Secundò, pro peccatis quæ fecit poſt baptiſmatis ſacramentum, ante profeſſionem. Tertiò, E pro illis quæ fecit poſt profeſſionem, ante obitum. Sed ter cecidit: Peccata enim quibus aſtrictus fuerat ante baptiſmum, * fide parentum in ipſo ſacramen- al. per fidem to delata diabolus invenit. Illa etiam quæ in ſæculo, vel in monaſterio ante profeſſionem commiſit, in ipſa profeſſione monaſtica æquè abolita, ſerpens ille antiquus reperit. Quæ verò poſt profeſſionem fecit, vera confeſſione ante obitum Monachus ille delevit. Per illum Dominum Urſarium deſignari dixit ordinem Angelicum. Sicut enim urſarii urſos, ita Angeli ſpirituis malignos a ſua vitia coërcent & opprimant, ne nobis nocant quantum volunt.

CAPUT CXCIII.

Similitudo Militis.

Ex Ms. Cob. E 10. et in Ms. Sarisburiens.

SIcut miles temporalis armis munitus est temporalibus, sic miles spiritualis debet armis munitus esse spiritualibus. Quæcunque enim militi temporali contra hostem visibilem sunt necessaria, ipsa eadem spiritualiter intellecta, spirituali militi contra hostem invisibilem sunt pernecessaria. Sed quæ sunt illa quæ temporali militi sunt necessaria? In primis siquidem caballus qui ei adeo est necessarius, ut recte dici possit suus fidelissimus socius; cum illo namque & occurrentem aggreditur hostem, & persequitur fugientem, & cùm tempus postulet fugit persequentem. Deinde frænum additur quo ipse equus regitur: Non enim in directum viam teneret, si miles eum fræno minimè regeret. Apponitur & sella, ipsi militi admodum idonea. Quia tunc primùm super equum suum decenter ascendere & firmiter poterit sedere cùm viderit eũ super se sellam habere. Adduntur etiam & calcaria ad eundem equum excitandum valde necessaria sæpius namque gressum non moveret si miles eum calcaribus non urgeret, quorum alterum est dextrum, alterũ verò sinistrũ. Dehinc miles suis induitur armis, quibus ab hostis sui incursu defenditur Lorica vestitur, ne in aliqua sui corporis parte vulneretur. Galea caput ejus ornatur, ut & ipse inde decoretur, & ejus principale securum habeatur. Scutum prætenditur ut ipse totus inde protegatur. Lancea in manibus tenetur, ut inde hostis adhuc longè semotus transfigatur. Gladio accingitur, unde idem hostis continus juguletur. Ista itaque omnia militi temporali sunt valde necessaria; nequaquam namque bene armatus esse poterit, si vel unũ ex istis quâlibet minimum illi defuerit, nec propriè dici poterit miles legitimus, quia adhuc erit imperfectus. Verũ ista omnia, ut prædiximus, spiritualiter accepta, spirituali militi nihilominus sunt necessaria. Spiritualem verò militem nostrum dicimus hominem interiorem: hic etenim debet omni tempore suo creatori militare; equus autem militis hujus est corpus ipsius; sicut enim militi equus est necessarius, sic interiori homini, corpus. Nam quemadmodum miles cum equo contra suum adversarium pugnat; sic interior homo cum corpore contra diabolum. Cum corpore namque & occurrentem diabolum expugnat, ejus tentationibus viriliter resistendo; & fugientem cruciat instanter persequendo, & persequentem cùm ratio postulat deridet prudenter fugiendo. Cùm enim homo bene vivere incipit, mox diabolus illum decipere totis viribus satagit; cui si ille non consenserit sed ejus tentationibus & animo & corpore viriliter restiterit, mox ipsum diabolum devincit; hoc est enim diabolum vincere, ejus suggestionibus fortiter resistere. Qui si etiam in nobis operibus & animo & corpore instanter perseveraverit, & ipsum quidem diabolum magno persecutionis cruciatu ferit. Tunc etiam miles Christi diabolum persequitur, cùm in bene operando perseverantiam amplectitur. Cùm verò ipsi diabolo, summâ Dei providentiâ justè disponente omnia, super hominem potestas tribuitur, tunc illum persequi dicitur. Sed plerumque miles Christi ejus ad modicum cedit vesaniæ, ut adhuc Domino suo possit fructificare; juxta quod idem Dominus ipse de membris ipsius diaboli suos discipulos admonuit dicens: *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam.* Quod cùm miles Christi facit, ipsum diabolum prudenter illudit: Non enim fugit quod eam timeat, sed ut Domino suo adhuc prædam acquirat. Valde itaque est necessarius nostro militi suus equus, id est interiori homini, corpus exterius. Sciendum verò quia proprium est militis præesse, equi autem subesse; militis imperare, equi obtemperare: nequaquam namque miles contra adversarium decenter pugnare poterit, nisi equus suus sibi subjectus fuerit, & nisi sibi per omnia obedierit: sed quia est animal mutum & non habet intellectum, miles capiti ejus frænum imponit quo eum huc & illuc * cùm etiam noluerit, secundùm propriam voluntatem flectere possit. Neque enim expeditè adversùs suum pugnare poterit adversarium, nisi in equo suo habuerit frænum. Nam quomodò ipsi hosti fortiter resisteret, cùm sibi propriùs equus multotiens repugnaret. Decet itaque ut in equo suo habeat frænum, si vult expeditè pugnare contra adversarium. Debet autem secundùm equi qualitatem fræni providere quantitatem. Si enim obedientem equum habuerit & quietum, in eo parvum & suave debet ponere frænum; si verò rebellem & indomitum; magnum in eo & asperum necesse est ut imponat frænum: si autem mediocrem; & in fræno debet providere mediocritatem. Similiter si miles Christi vult legitimè certare contra diabolum, debet in suo equo habere frænum; frænum autem quo hujusmodi regitur equus, abstinentia dicitur; per abstinentiam namque debet interiòr homo exterioris lasciviam refrænare, & cum secundùm propriam voluntatem huc atque illuc flectere. Nam sine hujusmodi fræni regimine nullatenus expeditè poterit adversus diabolum pugnare. Sed ipsa abstinentia debet esse discreta; secundùm enim corporis sui qualitatem decet ut interior homo provideat abstinentiæ quantitatem, alioquin sibi non erit ad ullum adjumentum, immò ad maximum impedimentum. Notandum quoque quia frænum duo lora solet habere, quæ miles in sua manu debet tenere, & sic equum suum regere sed si alterum plus altero traxerit nequaquam ipse equus in directum viam tenere poterit. Ut autem in directum viam teneat, necesse est ut miles utraque lora * in directum trahat. Quid itaque per duo lora fræni, nisi duo membra abstinentiæ debent intelligi; alia namque abstinentia est nimium remissa, alia supra modum districta, quæ si inæqualiter interior homo exteriori indixerit, id est si unũ plusquam alterũ ei injunxerit, nequaquam rectam viam tenere poterit, aut enim propter nimium remissam abstinentiam superbiet, aut propter plurimum districtam deficiet. Restat igitur ut neutram indiscretè corpori suo injungat, sed discretionis manu mediocritatem teneat. Debet autem miles iste super equum suum sellam habere: ejus sellam credimus esse mansuetudinem, hanc enim debet interior homo super exteriorem ponere, ut super eum firmiùs sedere, & eum decentiùs possit regere, videlicet ut nullum membrum huc vel illuc inordinatè moveat, sed omnia decenter & mansuetè contineat; ut nihil agat * superbè, sed omnia cum tranquillitate. Sunt etiam calcaria huic militi ad equum excitandum pernecessaria: ista siquidem calcaria duo sunt exhortationum genera: duo namque sunt genera exhortationũ, quibus interior homo exteriorem debet excitare ad opus bonum; quædam namque exhortationes sunt de timore, quædam verò de amore: illæ autem quæ sunt de timore dicuntur sinistræ; quæ verò de amore, dicuntur dextræ: sed de quo timore & de quo amore? De timore gehennæ, & de amore vitæ perpetuæ, de timore horribilis calamitatis, & de amore delectabilis jocunditatis; de timore perpetuæ miseriæ, & de amore perennis gloriæ. Quia ergo noster exterior homo est infirmus & corruptibilis, sæpius aliqua instante gravitate à bono opere vellet cessare; sed cùm interior homo eum ab incepto bene operandi itinere velle cerpere senserit, mox eum quasi miles equum suum calcaribus debet exercitare prædictis exhortationibus, aliquando videlicet dextris, aliquando sinistris, id est nunc timore, nunc amore, quandoque simul utrisque. Hæc de equo & de his quæ ad eum pertinent dissertuimus. Nunc verò ad militem nostrum redeamus, & quibus armis armari debeat attentiùs inquiri-

* al. illuc cùm voluerit

* al. aquas manus

* al. asperè

ramus. Militem noſtrum, ut prædiximus, noſtrum eſſe interiorem hominem credimus, unde ſicut conſtat de temporali milite, nullatenus miles iſte cum adverſario ſuo ſine armis bellicis poterit legitimè certare. Nam quomodo à diaboli mortiferis jaculis membra ſua ſervaret illæſa, ſi non induretur lorica? Quam ſecuritatẽ ſuo principali obtineret, vel quem timorem ipſi hoſti incuteret, ſi galeam in capite non haberet? Quomodo à virulentis antiqui ſerpentis ictibus tam ſe quàm equum ſuum defenderet, niſi ſcutum prætenderet? Unde verò ipſum hoſtem transfigeret, ſi lanceam in manibus nequaquam teneret? Aut unde idem hoſtis jugularetur, ſi miles Chriſti gladio non accingeretur? Sunt itaque admodum neceſſaria noſtro militi ſua arma. Arma iſta licet ſint bellica, non ſunt tamen temporalia, ſed ſpiritualia; non ſunt carnalia, ſed intellectualia: ſicut enim docet Apoſtolus, ſpiritualia ſpiritualibus comparare debemus: ſiquidem miles noſter ſpiritualis dicitur, ſed ejus adverſarius nihilominus ſpiritualis creditur. Quid itaque conſequentius quàm ut illi tales adverſarii armis adverſum ſe invicem dimicent ſpiritualibus? Ut ergo miles Chriſti contra ignita diaboli jacula ex omni parte ſe muniat; ſine mora loricam ſuam induat. Ejus quippe lorica, atteſtante ſcriptura, dicitur juſtitia. Nam quemadmodum lorica annulis contexitur, ſic juſtitia bonis operibus perficitur: opera namque juſtitiæ ſunt quaſi annuli loricæ; ſed ipſa juſtitia debet eſſe continua. Manifeſtum quidem eſt de lorica, quia ſi fuerit interrupta, ad tuendum militem minus ſit idonea. Eodem modo intellige de juſtitia, ſi & ipſa fuerit interrupta; ipſa quidem interrupta dicitur, quæ quandoque intermittitur. Qui ergo intermittit juſtitiam, quaſi interruptam induit loricam. Sed miles iſte nequaquam poterit contra adverſarium ſuum fortiter pugnare. Igitur ut miles Chriſti antiquo hoſti * viriliter reſiſtat, loricam juſtitiæ inviolatam cuſtodiat; id eſt ſine intermiſſione operibus juſtitiæ ſtudeat inſiſtere. Debet etiam miles iſte galea caput ſuum ornare, videlicet ut & ipſe inde * decorus appareat; & ipſi hoſti ob tantum ſecuritatis ſignum terrorem minimum incutiat. Caput hujus militis non inconvenienter * accipitur intentio ipſius hominis interioris. Nam ſicut caput præeſt cæteris membris corporis, ſic intentio videtur præeſſe cæteris inſtrumentis interioris hominis. Ut enim nos docet uſus ipſe, intentio in nobis ſolet præcedere; deinde cura, ſollicitudo, ſtudium & cætera hujuſmodi, ut ipſa intentio opere valeat demonſtrari. Ac ſic ſolent quædam membra ſubſequi. Quid autem intelligere debemus per galeam, niſi beatam ſpem? Nam quomodo galea ſurſum dirigitur, ſic beata ſpes ſemper ad ſuperiora ſuſtollitur. Tunc ergo miles Chriſti ſuper caput ſuum galeam ponit, cùm intentionem ſuam beata ſpe munit, id eſt, cùm quidquid boni intendit agere, hoc ſolummodo facit ob ſpem beatæ & perennis gloriæ. Eſt etiam Clypeus noſtro militi valde neceſſarius; hunc quippe debet prætendere, ut à virulentis diaboli jaculis tam ſe quàm equum ſuum valeat defendere. Scutum militis hujus fidem docet eſſe Apoſtolus: *Sumite*, inquit, *ſcutum fidei in quo*, &c. Fides namque tanquam ſcutum inexpugnabile ardentiſſima vitiorum tela ſolet excipere, ac metu gehennæ & cœleſtis regni credulitate mortificando extinguere. Poſſumus etiam per ſcutum, aptiſſimè patientiam accipere. Sicut enim ſcutum excipiendo adverſarii tela militem temporalem ſervat incolumen: ita patientia excipiendo mortifera diaboli ſpicula militem ſpiritualem. Notandum quoque quia miles ex ſiniſtro latere ſcutum ſolet prætendere; per ſiniſtram quippe partem, intelligere poſſumus adverſitatem. Scutum itaque miles Chriſti ex ſiniſtro prætendit latere, cùm patientiam & animo & corpore amplectitur in adverſitate: Nunquam enim in proſperitate eſt virtus patientiæ. Ille autem verè patiens eſſe creditur qui adverſis atteritur, & tamen à ſpei rectitudine non flectitur. Reſtat igitur ut miles ille abſque mora lanceam manibus arripiat, gladio ſe accingat, ac ſic audacter ad ſingulare certamen accedat, hoſtique ſuo viriliter ſe objiciat. Lanceam debet arripere, ut inde ſuum hoſtem valeat transfigere; gladio debet accingi, unde idẽ hoſtis queat jugulari. Quid autem per lanceam intelligendum eſt, niſi providentia? Sicut enim temporalis adverſarius adhuc longè ſemotus transfigitur lancea: ita hoſtis antiquus quaſi adhuc longè diviſus quadam transfigitur providentia. Unde, ut diximus, miles noſter ipſam lanceam debet tenere in manibus. Sæpius in divinis ſcripturis, quia per eas ſolemus operari, opera per manus ſolent deſignari. Lanceam itaque in manibus tenere, eſt in operibus providentiam habere. Cùm enim miles Chriſti aliquid proponit agere, ſtatim ad ipſum opus mentis intuitum debet dirigere, & ad quem finem tendat diligenti providentia circumſpicere: quòd ſi tetenderit ad finem malum; mox anathematizando illud, tanquam mortiferum reſpuat venenum; ſin autem ad finem bonum videatur tendere, ſive ſit leve ſive ſit grave, intrepidus ipſum opus debet arripere, ac hilari devotione perficere. Si igitur miles Chriſti hanc providam ſollicitudinem in omnibus operibus ſuis jugiter habere ſtuduerit, ipſum adverſarium ſuum tanquam lanceâ * providentiæ transfixum facillimè ſuperare poterit. Quid verò ſignificet gladius? Exponere nobis dignum duxit Apoſtolus: *Et gladium*, inquit, *ſpiritus quod eſt verbum Dei*. Et iterum: *Vivus eſt ſermo Dei & efficax*, &c. Verbum quippe Dei non inconvenienter gladius ſpiritualis videlicet ſeu anceps dicitur gladius; quia quod hujuſmodi gladius agit corporaliter, verbum Dei videtur agere ſpiritualiter. Anceps namque gladius ex utraque parte ſolet incidere: ſic & ſermo divinus quaſi ex utraque parte videtur incidere, cùm corda hominum duobus modis ſo et compungere; ſcilicet nunc terrendo, nunc blandiendo, nunc mortem æternam comminando, nunc vitam ſempiternam promittendo. Cùm ergo miles Chriſti hanc verbi Dei lectionem & in ſe & in quoſcunque valet exercere, ipſum antiquum hoſtem gladio quodammodo videtur jugulare. Quaſi enim jugulando eum uſque ad internecionem proſternit, dum longè à finibus ſuis, à cordibus videlicet in quibus ante inhabitaverat, gladio Verbi Dei illum violenter expellit. Valde itaque ut prædiximus, ſunt neceſſaria ſpirituali militi ſua arma.

al. fortiter

al. formoſus

al. diù poteſt

CAPUT CXCIV.

Similitudo Cellerarii.

SAlomon ex perſona ſponſe dicit in Canticis; *Introduxit me rex in cellam vinariam.* Videamus quomodo prudens cellerarius ſoleat ordinare dolia in cella vinaria; ſiquidem juxta oſtium illud ponit dolium in quo eſt debiliſſimum vinum, juxta quod & aliud ponitur in quo aliquantum melius vinum habetur, ſed & juxta illud tertium ſiſtitur in quo adhuc melius vinum continetur. Sicque quantò dolia ab oſtio diſjunguntur, tantò in eis melius vinum habetur. Noviſſimo verò, ideſt in angulo, illud ponitur dolium in quo continetur pretioſiſſimum vinum. Omni prudentia optimum vinum nequaquam ponitur juxta oſtium, ſed illud quod eſt viliſſimum. Sed quare? Propter ingredientes videlicet & egredientes. Si enim bonum eſſet juxta oſtium, ipſe cellerarius non minimum inde ab ingredientibus ſive egredientibus incurreret damnũ; citiùs namque arripitur quidquid prope manus invenitur, & ideò viliorem potum ante ponit, potiorem verò poſtponit: ſolet etiam & aliam facere prudentiam, cùm aliquem in cellarium ſuum introducit, juxta mo-

In Mſ. Sanct. Germanenſi.

Digitized by

dum quo eum diligit, ei ad potandum tribuit: quem enim parum diligit, illi de leviori potu tribuit: quem verò aliquantulum diligit, ei de mediocri potu tribuit; quem autem plurimum diligit, huic de optimo dolio ad potandum tribuit: dicit itaque sponsa; *Introduxit me Rex in cellam vinariam.* Rex iste rex regnum cellam habet vinariam in qua sponsa sua, videlicet fidelis anima se gratulatur introductam: ejus cella vinaria dicitur Scriptura sacra. In hac cella quatuor habentur dolia melliflux dulcedinis plena, quorum ista sunt nomina; simplex historia, allegoria, moralitas, anagogen; id est intellectus tendens ad superiora. Ista quidem dolia modo quo superiùs diximus sunt ordinata. Primo namque loco in Scriptura sacra, tanquam juxta ostium, est simplex historia; deinde allegoria; postea moralitas; novissimè verò quasi in angulo, est anagogen, id est contemplatio. Valde dulcis potus est historia, sed & dulcior in allegoria, dulcissimus verò in moralitate, longè autem incomparabiliter dulcior in anagogen, id est, in contemplatione. Potus qui continetur in primo dolio, id est in historia, sunt simplicia gesta Sanctorum & exempla, quibus dum intendimus, animas nostras magna dulcedine quodammodo potamus. In secundo autem dolio, id est in allegoria, est fidei instructio; per allegoriam namque ad fidem instruimur, & interiore homine admirandæ suavitatis sapore imbuimur. In tertio verò dolio, id est in moralitate, est morum compositio; per moralitatem etenim mores nostros componimus, & quasi miræ dulcedinis potu refecti, hilares & amabiles proximis nostris apparemus. Potus qui continetur in quarto dolio, illo videlicet qui stat in angulo; id est in anagogen est quidam suavissimus divini amoris affectus, cujus ineffabili dulcedine cùm anima nostra reficitur, ipsi summæ divinitati quodammodo unitur. Cùm igitur cellerarius iste aliquos in cellarium suum, sanctam videlicet scripturam introducit, modo quo superiùs diximus, eis ad potandum tribuit; simpliciores namque & rudes in fide ac ejus amore, de primo dolio solet potare, id est de historia: capaciores verò de allegoria; perfectiores autem de moralitate; perfectissimos autem de anagogen, id est de contemplatione. Sciendum verò quòd quisquis de quarto dolio, de illo videlicet quod stat in angulo, id est de anagogen biberit; quantulumcunque inde gustaverit, statim ob miram ipsius potus dulcedinem ebrius erit, illa videlicet ebrietate, ad quam sponsus electos suos invitat in Canticis: *Comedite amici & bibite, & inebriamini, charissimi.* Quicunque etenim de potus hujus dolii suavissimo sapore inebriatur, mox ad mundi hujus turbines, tanquam ebrius, insensibilis redditur. Habet autem istud cellarium in se quoddam ostium, in isto verò ostio, quædam clavis habetur, per quam infidelibus clauditur, & fidelibus aperitur. Ostium hujus cellarii, id est sanctæ scripturæ, est recta fides; clavis autem humilitas: qui ergo vult intrare in cellarium Domini, id est in sanctam Scripturam, necesse est ut intret per ostium & clavem, per fidem videlicet & humilitatem: debet namque certissimè credere quidquid dicit sancta Scriptura verum esse; deinde sensum ipsius Scripturæ, ac si pro foribus pulsando, humiliter debet investigare: nullus etenim sine fide & humilitate in cellarium Domini ad suam utilitatem poterit intrare. Poterit quidem tanquam fur irrumpere, & quadam vi secularis scientiæ, de primis doliis quasi quasdam guttas lambere: sed ad ultimum dolium, in quo continetur illud vinum quod lætificat cor hominis, id est ad anagogen, nullatenus quibit pertingere. Quisquis igitur in cellario Domini de omnibus doliis id est de historia, de allegoria, de moralitate, de contemplatione sufficienter bibere desiderat; rectam fidem cum summa humilitate habere studeat.

FINIS.

CASTIGATIONES
ET VARIÆ LECTIONES OPERUM
EADMERI
CANTUARIENSIS MONACHI.

CASTIGATIONES
ET VARIÆ LECTIONES LIBRORUM
DE VITA S. ANSELMI.

Collati sunt cum Mſs. Beccensi, Gemmeticensi G. 14. Victorino D D D. 13. Thuano 90.

Pag. 1. *In Prologo, mſ. Gem.* Incipit Prologus in vitam sancti Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi. *Mſ. Thuan.* Incipit Prologus in vita Domini Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi

Mutationes & noſtris *manuscript.* Mutationes noſtris

Succinctè excepta *mſs. Beccenſ. Gemm.* ſuccinctè excerpta

Satageremus *mſs.* ſatagerem

Sufficere poſſe pronuncio *mſ. Gemm.* ſufficere pronuncio

Mſs. Explicit Prologus.

IN LIBRO I.

Pag. 2. *mſs. Gem. Vict.* Incipit vita ſancti Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi. *mſ. Thu.* Incipit Liber primus de vita & converſatione beati Anſelmi

Col. 1. *A.* Ermerberga *mſs.* Ermemberga

In anguſta *mſs.* in Auguſta

Ibidem D. In cœlo, ex *mſs. Vict. Gem.* in cœlo & ex

Ita publicè *mſs.* ita eſſe publicè

Col. 2. *B.* Quidem ad humanum tantum examen ſpectabat *mſs.* quidem quantum ad humanum ſpectabat examen *mſ. Vict.* ſpectat

Ibidem C. Ab iſtis reſtringebant *mſs. Vict. Gem.* ab iſtis reſtringebat

Odio inflammavit *mſ. Vict.* odio inflammaret

Ibidem D. Patriæ renunciare *mſs. Vict. Gem.* patriæ abrenunciare

Seniſii *mſs. Vict. Thu.* Senſii

Incolumis reſtitutus *mſs. Vict. Gem.* incolumis redonatus

Pag. 3. *col.* 2. *A.* Normaniam adit, ibi quendam *mſs.* Normaniam vadit, Abrincam ipſius Provinciæ urbem petit, ubi aliquandiu demoratur: poſt hæc venit Beccum, & Magiſtrum quendam

Ibidem B. Fatigaretur *mſs. Victor. & Gemmet.* fatigaret

Non oportere *mſ. Gem. Vict.* non oportefet *mſ. Bec.* non oportet

Non perſpiciebat *mſs. Victor. Gemm.* non proſpiciebat

Cùm oblectaminibus *mſs. Vict. Gem.* cùm oblectationibus

Mihi aut nulli *mſs.* me aut nulli

Hæc ut lubens *mſs.* hæc ut ludens

Eſſe-ne Monachus *mſs. Victor. Gem.* eſſe-ne Monachum

Scientiæ luce *mſs. Victorin. & Gemmeticenſ.* ſapientiæ luce

Ibidem D. Semitas viæ *mſs.* ſemitas vitæ

Ibidem E. Ut me horum *mſs.* ut me in horum

Col. 2. *A.* Venerabilis Maurilii *mſ. Thu.* venerabilis Mauricii

Epiſcopi *mſ. Bec.* Archiepiſcopi

Præpoſitum aliis *mſs. Vict. Gem.* propoſitum omnibus aliis

Ibidem B. Dominus Abbas *mſs.* Domnus Abbas

Ibidem C. Aſſumpto, Prioris *mſs.* aſſumpto, ipſe Prioris

Ampliorem libertatem *mſs.* ampliori libertate

Negotia ejus *mſ. Vict. omit.* ejus

Inſolitas de *mſs.* inſolutas de

Fidem adhibebat *mſ. Gem.* fidem habebat

Ibidem D. Ut ipſe hujuſmodi *mſ. Gem.* ut ipſe in hujuſmodi

Ibidem E. Eum palam *mſ. Vict.* eum planè

Vel hæc adipiſci *mſs.* vel hæ adipiſci

Pag. 4. *col.* 1. *A.* Atque devinci *mſ. Vict. Gem.* aut devinci

Ibidem B. Ut pote dicet *mſs. Bec. Gemmet.* ut dicere

Poſſe ſubſiſtere *mſs. Vict. Gem.* poſſe ſuſtinere

Ibidem C. Addebatur adhuc *mſs. Vict. Gem. Thu.* addebatur ad hoc

Vel quid modicum *mſs. Vict. Gem. Thu.* quid vel modicum

Ibidem D. Judicabant eis *mſs.* judicabant ſibi

Ibidem E. Illius convenire *mſs. Vill. Gem. Thu.* illius concinere
Quam ſancta *mſs. Viller. Gemmet. Thuan.* quadam ſancta
Col. 1. A. A ſua veritate *manuſcript.* à ſua feritate
Nutrit, fovet *mſs. Vill. Gem. omitt.* fovet
Ibidem B. In eo acriter *mſs. Viller. Gemmet.* in eo acrius
Videns tunc *mſs.* videres tunc
Ibidem C. Corporis mœſtitudine *mſs. Vill. Gem. Thu.* cordis mœſtitudine
Torpore deficeret *mſs.* corpore deficeret
Ibidem D. Circum conſeditſe *mſs. Vill. Gem. Thu.* circunſediſſe
Homini ad ſe aut ex languore .. minutione ac ſi fuerit *mſs.* homini, cùm aut ex languore.. minutione fuerit
Solebat *mſs. Vill. Gem.* ſolitus erat
Audire velit *mſs. Vill. Gem.* audire voluerit
Ibidem E. Offerretur, illum *mſs.* offerretur, commiſerat, illum
Pag. 5. col. 1. A. Sicque malignas *mſ. Vill.* ſicque malignus
Elexerat *mſs.* illexerat
Nobis tantum noceant *mſs. Vill. Gem. omitt.* tantum
Ibidem B. Mutatus eſt *mſs.* mutuatus eſt
Et hoc ergo ſinguli quippe *mſs.* ex hoc ergo ſinguli quique
Præcipuam curam impendebat *mſs.* præcipuâ curâ intendebat
Ibidem C. Ad formandum *mſs.* ad informandum
Sigillo impreſſo *mſs. Vill. Gem.* ſigillo impreſſa
Si verò, inquit, ex *mſs. Viller. Gem. omittunt*, inquit
Hinc ſecreta *mſs.* hunc ſecreta
Non trivit *mſ. Vill.* nutrivit
Ibidem D. Atque voles *mſs.* ad quæ voles
Ibidem E. Te ſubjectione *mſs.* te à ſubvectione
Col. 2. A. Nec jam niſi *mſs.* nec eam niſi
Poſt non multum *mſs.* non poſt multum
Ibidem B. Nihil corporis *mſs. Vill. Gemm.* nihil tui corporis
Bibens & refocillatus *manuſcript.* bibens es refocillatus
Ibidem E. Horridos aſpectus *mſ. Thu.* horrendos aſpectus *mſs. Vill. Gem.* horrendorum aſpectus
Pag. 6. col. 1. A. Et eo extra *mſs. Vill. Gem.* & ei, extra
Frater qui patiebatur, erat ingrediens *mſs. Vill. Thu. Gem.* Frater ſe male habebat, ingrediens
Conquievit exhilarato *mſs. Vill. Gem.* conquievit, & exhilarato
Ibidem B. Diſceſſurum *mſs.* deceſſurum
In unum collectis *mſs. Vill. Thu. Gem.* ſub uno collectis
Ibidem C. Anſelmum ex ea hora *mſs.* Anſelmum eâ horâ
Ocius itaque *mſs. Vill. Gem. Thu.* ocior itaque
Tranſire vellet, .. per marina pericula tueretur, aſcendit *mſs.* tranſire volentem, tum pro aliis negotiis, tum ut ſua prece iter illius per marina pericula tueretur, veniret. Aſcendit
Super ſe cuiquam *mſs.* ſuper te cuiquam
Ibidem D. Non habemus *mſs. Vill. Gem. Thu.* nihil habemus
Citius procedere *mſs. Vill Gem.* citius procede
Accitoque piſcatore *mſs. Vill. Gem.* accitoque piſcatori
Col. 2. B. Diſputat cum *mſs. Vill. Gem. Thu.* Diſputans tum
In eo ſecum *mſs. Vill. Gem.* in eo & ſecum
Sola ratione, ſic nec aliter *mſs.* ratione quærit & invenit: & quod vera fides de Deo tenit, invincibili ratione ſic nec aliter
Ibidem D. Illas ſub cautiori cuſtodia tradit cuſtodiendas *mſs.* illas eidem ſub cautiori cuſtodia tradit cuſtodi
Ibidem E. Prologion nominatur *mſs. Vill. Gem. Thu.* proſlogion nominavit
Ratus eſt *mſ. Gem.* iratus eſt
Pag. 7. col. 1. A. Contra illum *mſs. Vill. Gem.* contra illam
Ipſius ſuæ argumentationis reprehenſio, & reprehenſioni ſua reſponſio *mſ. Bec.* ipſius operis, ſuæ argumentationis reprehenſioni ſua reſponſio *mſs. Vill. Gem.* ipſius operis, ſuæ argumentationis reprehenſio, & reprehenſioni ſua reſponſio
Suarum intererant *mſs. Bec. Thu. Vill.* ſua intererant *mſ. Gem.* ſua intererat
Sitientem tamen poculo *mſs. Vill. Gem. Thu.* ſitientem eum poculo
Ibidem C. In eo utiliter *mſs. Vill. Gem. Thu.* in eo inutiliter
Tranſplantetur *mſ. Thu.* tranſportetur
Crebra converſione *mſs.* crebra convulſione
Ibidem E. Minora minoribus *mſs.* minora majoribus
Col. 2. A. Quod illi aliquid *mſs.* quod ulli aliquid
Neque murmurando aut obloquendo Deum offendat, ſed æquanimiter omnia ſufferat, omnia ad meliora conetur deducere ferendo *mſs. hæc omittunt.*
Aut quod non amat *mſs. Vill. Gem. Thu.* aut quia non amat
Ibidem B. Turbinem indicere *mſs.* turbinem inducere
Eas callidas *mſs.* ejus callidas
Ibidem C. Hujus rei brevis *mſs. Vill. Gem. omittunt*, rei
Urſio *mſ. Thu.* Urſus
Solere ſubrepere *mſs. Viller. Gemmet.* ſolere ſubripere
Ibidem D. Semper exiſtens *mſs. Bec. Thu.* ſemper idem exiſtens
Ibidem E. Fluxuum *mſ. Gem.* fluminum
Eos qua *mſs.* eos ea qua
Voce inquit *mſs. Vill. Gem.* voce, ſi inquit
Pag. 8. col. 1. A. Verus Monachatus *mſ. Thu.* verè Monachatus
Puriſſimo. Herba *mſs.* puriſſimo & candidiſſimo. Herba
Hæc more *mſs. Vill. Gem.* Nec more
Ibidem B. Ut verè Monachus *mſs. Vill. Gem.* ut verus Monachus
Aliiſque præponeret *manuſcripta* aliiſque proponeret
Si de ſcriptis & actibus *mſs. Bec. Thu.* ſi deſcriptis actibus
Ibidem C. Verba conferret *mſs. Vill. Gem. Thu.* verba conſereret
Ad quæ miratus *manuſcript. Thuan.* Ad quem miratus
Quo bone omne nutrimentum veſtrum expenditis, qui de hominibus *mſ. Beccenſ.* Quo bono omine nutrimentum veſtrum expenditis, qui de hominibus *mſs. Thuan. Viller. Gemmet.* Quàm bono-omine nutrimentum veſtrum expenditis? de hominibus
Ibidem D. Et cum eam poſt annum *mſs.* cum eam poſt annos
In omnium terroribus *manuſcripta* in terram terroribus
Intra ſe *mſs. Vill. Gem. Thu.* infra ſe

Digitized by Go

Suffulciunt *mſ. Thu.* ſuſſciunt
Ibidem E. Alicujus in vobis boni poſtea *mſ. Thu.* alicujus de vobis poſtea
Illis facit s *mſ. Tun.* illis infertis
Col. 2. *A.* Vos eſtetis ? *mſs. Bec. Vill. Gem.* vos eſtis.
Vultis minare *mſ. Thu* vultis informare
Lamina aptet *mſs. Vill. Thu. Gem.* lamina formet
Ibidem B. Fragilis autem adhuc in Dei ſervitio, tenero lacte *mſs* fragilis autem, & adhuc in Dei ſervitio tenera, lacte
Refert cura, Deo *mſs. Vill. Thu. Gem.* refert, Deo
Ibidem C. Contingaaque his terra omnis *mſs. Vill. Thu. Gem.* contingaæque his terræ omnes
Ibidem D. Extra multimoda *mſs. Vill. Gem.* extra in multimoda
Quæque ſpecialiter fuerant præparata in viam ituris, communiter *mſs. Thu. Vill. Gem.* quæque ſibi ſpecialiter fuerant præparata, in viam ituris communiter.
Ibidem E. Mundo illuxerat *mſs. Vill. Gem.* mundo illuſerat
Pag. 9. *col.* 1. *B.* In opere Eccleſiæ *mſs. Vill. Gem.* in opus Eccleſiæ
Ibidem C. Vulnerabat *mſs. Vill. Gemmet.* vulneravit
Atque cùm ille *mſs. Vill. Thu. Gem.* Ad quæ cùm ille
Ibidem D. A cæpto perturbaret *mſs. Thu. Gem.* cæpto proturbaret
Quid tantopere Priorem illum hypocritam cogis adire *mſs.* quid te tantopere Priorem illum hypocritam cogit adire ?
Ne ſeductus ab ea *mſs* ne ſeductus ab eo.
Ibidem E. Hypocriſi namque *rectiùs : etſi mſs. Thu. Vill. Gem. legunt* hypocriſis namque
Col. 2. *A.* Uno omnino Fratrum *mſs.* uno omnium Fratrum
Priore ſub uno *mſ. Thu.* pro re ſub uno
Ibidem B. Erant pietatis viſcera *mſ. Thu.* erant viſcera miſericordiæ
Reſpectu miſericordiæ *mſ. Thu.* reſpectu pietatis
Diligens dicendi *mſs. Thuan. Vill. Gem. omittunt*, dicendi
Ibidem D. Quamvis aſtutia *mſ. Gemmet.* quavis aſtutia
Pag. 10. *col.* 1. *A.* Omni humilitatis *mſs.* omni humanitatis
Ibidem B. A Cellariis *mſs.* à Cellerariis
Illum affligeret *mſs. Thu. Vill. Gem.* ullum affligeret
Ibidem C. In uſum juxta *mſs. Gem. Vill.* in uſum illorum juxta
At quod licet *mſs.* Ad quod licet
Ibidem D. Qui charitatem habet, majus aliquid habere quàm ille *mſs.* qui charitatem erga alterum habet, majus aliquid habere quàm illum
Ibidem E. Quid ſi majus *mſs. Vill. Thu.* Quod ſi majus
Col. 2. *A.* Non vobis tantum *mſs. Vill. Thu. Gem.* Non vobis tamen
Ibidem C. Vel multiplici *mſ. Thu.* vel triplici
Complures de illis magna fretus ratione mutavit *mſs.* Cùm plures de illis magna fretus ratione, tum quaſdam mutavit
Anſelmum unanimem *mſ. Thuan.* Anſelmus unanimem
Ibidem D. Qui nec Deo *mſs. Vill. Gem.* cui nunc Deo
Tempore gradu *mſs. Vill. Gem.* tempore gradui
Verum inter *mſs. Vill. Gem.* verum & inter
Ibidem E. Inviſæ mendacitati *mſs.* inviſæ mendicitati
Civeſque innocuos atroci morte necantibus *mſ. Thu. omit.*
Pag. 11. *col.* 1. *A.* Palam eſt is *mſs.* palam eſt quod is
Mortem intendendo *mſs.* mortem intentando
Ibidem C. Perſcire poſſum. *mſs.* perſpicere, poſſum
Ibidem E. Prout eorum ratio *mſs.* prout eum ratio
Col. 2. *A.* Conteſtanſque per *mſs.* conteſtans quia per
Ibidem C. Aliter ſingula quædam *mſs.* aliter ſingula quæque
Potentior aliis erat atque præſtantior *mſs. Vill. Gem. minus rectè* potentior aliſque præſtantior
Ibidem D. Non habuiſſe *mſs.* non exhibuiſſe
Erat inclinatus *mſs. Thuan. Vill. Gemmet.* erat inclinus
Toti Angliæ notus *mſs. Vill. Thu. Gem.* totius Angliæ partibus notus
Ibidem E. Cauſarum referebat *mſs.* cauſatum ferebat
Horum quæ *mſ. Thu.* horum quos
In eodem ipſo *mſ. Thu.* in eodem ipſius
Pag. 12. *col.* 1. *B.* Sibi cæleſtem ſalutem *mſs.* ſibi celerem ſalutem
Ibidem C. Æger verò *mſs. Vill. Thu.* æger ergo
Solita viſitatione *mſs. Bec. Gem.* tacita viſione *mſ. Thuan.* ſilita viſione *mſ. Vill.* ſecundùm viſionem
Paucis dicta ſint *mſs. Vill. Thu. Gem.* paucis interim dicta ſint
Ibidem D. Acquireret *mſs.* acquirerent
Quam alias cæterorum *mſs. omitt* alias
Deus ut omnia *mſs. Thu. Vill. Gem.* Deus & omnia
Col. 2. *A.* Poſt nos ita *mſs.* poſt nos iſto
Perſcire non poſſumus *mſs. Thu. Vill. Gem.* præſcire non poſſumus
Ibidem B. Deceptionis accepit *mſs. Vill. Thu. Gem.* diſceptationis accepit

IN LIBRO II.

Pag. 13. *col.* 1. *C.* Cogitant ut eam *mſs.* cogitet, & eam
Edictum Regis *mſs. Thu. Vill. Gem.* & dictum Regis
Ibidem D. Et obſiſtit *mſs. Thu. Vill. Gem.* & obſtat
Ignis adeſt hoſpitum *mſs. Thu. Vill. Gem.* ignis idem hoſpitium
Col. 2 *C.* Primos dies *mſs.* primos tres dies
Regem lætus *mſ. Thu.* Regem ductus
Poſt inſtinctum diaboli *mſs.* poſt, inſtinctu diaboli
Ei peragendis *mſs. Vill. Thu. Gem.* ei pro agendis
Ibidem D. Greſſum non autumans .. quo fugiebat *mſs. Vill. Thu. Gem.* greſſum autumans .. quem fugiebat
Viam reperit *mſs.* viam repetit
Pag. 14. *col.* 1. *B.* Morum qui in omnia cum magna *mſs.* morum, qui in omni Ordine hominum quotidie nimis corrumpebantur, correctione cæpit interpellare : quæ omnia ipſe cum magna
Ibidem C. Videbat ſi nec *mſs.* videbat ſe nec
Nec à Deo *mſs. Vill. Thu. Gem.* nec adeo
Crebræ ſuorum *mſs. Vill. Thu. Gem.* crudeles ſuorum

Digitized by Google

Ibidem D. Sciebat enim *mſs. Vill. Gem.* ſciebatur nempe
Innocentia ſuæ conſcientiæ *mſ. Thu.* conſcientiæ ſuæ puritate
Effari valebat *mſ. Bec.* effati volebat
Ibidem E. Cœpit .. ſubinferte *mſs. Vill. Thu. Gem.* cœperit .. ſubinferens
Col. 2. A. Partim uſus & inſtitutio anteceſſorum ſuorum *mſ. Thu hæc omit.*
Ibidem B. Inſuper appoſitis *mſ. Thu.* inſuper à præpoſitis
Ibidem C. Iſtos minorum diſcretione *mſs.* iſtos in morum diſcretione
Sed in quoſque laïcos ac indigentes ; ea ſibi ſubvenire petentes *mſ. Thu.* ſed quoſque laïcos ea indigentes, ea ſibi ſubveniri petentes *mſs. Vill. Gem.* ſed & in quoſcunque laïcos eâ indigentes, eâ ſibi ſubveniri petentes
Ibidem D. Sanctæ memoriæ Urbano Romanæ Eccleſiæ ſummo Pontifici dicavit *mſs. Thu. Vill. Gem.* Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſummo Pontifici Urbano dicavit
Certæ narrationi *mſs.* captæ narrationi
Ibidem E. Requirentem partter *mſ. Bec.* requirentem partem
Carnales Epiſtolas *mſs.* carnales epulas
Pag. 15. col. 1. A. Alii colligant *mſs.* alii totam colligant
Ibidem B. Hæc ſunt omni *mſs.* hæc fiunt omni
Ibidem D. Ille recuſare *mſs. Thu. Vill. Gem.* ille excuſare
Col. 2. A. Sibi auditores *mſs.* ſibi adjutores
Spondet ?, dixi refert. Nihil *mſs. Vill. Thu. Gem.* ſpondet ? refert : nihil
Multos decepit *mſs. Vill. Gemm. Thuan.* multos decipit
Ibidem C. Quod manu *mſs. Thu. Vill. Gem.* quod in manu
Ibidem D. Alios libenter *mſs. Gem. Vill. Thu.* aliquos libenter
Ibidem E. Ratum ſit ſtuduiſſe *mſ. Vill.* ratum ſit claruiſſe
Pag. 16. col. 1. B. Conſuetum ſtratum *mſs.* conſuetum ſtatum
Qui omnium *mſs. Vill. Gem.* qui omnem
Ibidem C. Nec in ipſa diſpoſitione *mſs. Bec. Thu. Gem.* nec in ipſa earum diſpoſitione *mſ. Vill.* nam in earum diſpoſitione
Superlinitis ablactabatur *mſs. Thu. Vill. Gem.* ſuperlitis ablactatur
Extra ordinationem *mſs.* contra ordinationem *mſ. Thu.* contra ordinem
Eccleſiæ quidam *mſs.* Eccleſiæ, quas quidam
Ibidem D. Aliis in hunc *mſs.* aliis quæ in hunc
Diligebant, favendo quæque *mſs.* diligebant, diligendo favebant, favendo quæque *mſ. Thu.* diligebant, diligendo fovebant, fovendo quæque
Ibidem E. Quemque voluptas *mſs. Thu. Gem. Vill.* quemque voluntas
Ea qui poterant inſequenti tempore *mſs. Vill. Thu. Gem.* ea quæ inſequenti tempore poterant
Col. 2. A. Cordis exirent *mſ. Vill.* cordis dimitterent
Ibidem B. Num alicujus .. mentiri ? *mſs. Vill. Gem.* non alicujus .. mentiri :
A verè ſuis dicta *mſs. Thu. Gem.* à ſuis verè dicta *mſ. Vill.* à ſuis viris dicta
Ibidem C. A timore ſuſpenſi *mſ. Thu.* à timore ſuſpendi
In pejus proficere *mſs. Bec. Vill. Gem.* in pejus profecere
Ibidem E. Si fortè accederent *mſ. Gem.* ſi forte acenderent

Pag. 17. col. 1. B. Tertia ſeptimana quadrageſimæ *mſs. Vill. Gem. omitt.*
Rationale nulla *mſs. Thu. Vill. Gem.* ratio nulla
Ibidem C. In eis tamen *mſ. Gem.* in eis tantum
Securitatem ſuis in omnibus *mſs. Thu. Gem. Vill.* ſecuritatem in ſuis omnibus
Ibidem D. Principes multi *mſs. Vill. Gem. Thu.* principes multis
Ibidem E. Aqualis *mſs.* à Gallis
Col. 2. A. Hæc enim eum *mſs. Vill. Gem. Thu.* nec enim eum
Heyſem *mſ. Bec.* Herſam *mſs. Vill. Gem. Bec.* Beiſam *mſ. Thu.* Heſiam
Ibidem B. Et haud grato *mſ. Thu.* & linguis ſuis haud grato
Ibidem E. Et ex magna *mſs.* & ex mala
Uſu irretiti *mſ. Thu.* uſu illecti
Filum pravæ *mſs. Thu. Vill. Gem.* funis pravæ
Pag. 18. col. 1. A. Ab eo anxio *mſs.* ab eo anxiè
Si ego utique *mſs.* ſi non : ego utique
Ibidem B. Mihi prout *mſ. Thu. minùs rectè :* prout mihi
Quod in opere *mſs. Vill. Thu. Gem.* quod in ope
Ibidem C. Sum diſceſſurus *mſs. Gem. Thu. Vill. minùs rectè :* ſum deceſſurus
Ibidem D. Scutum me *mſs. Thu. Vill. Gem. minùs benè :* ſcuto me
Ibidem E. Habet namque qui .. habet .. habet etiam *mſ. Thu.* habent nempe qui .. habent .. habent etiam *mſs. Vill. Gem.* habet nempe *&c. ut in Editis.*
Col. 2. A. Nunc iſtis, nunc illis *mſs. Thu. Vill. Gem.* nunc iſtis vel illis
Ibidem C. Pati nolunt *mſs.* pati volunt
Ibidem D. Ad recuperandæ vitæ *mſs. Thu. Vill. Gem.* ad recuperandum vitæ
Ibidem E. Ac ſi in *mſs. Vill. Gem.* ac ſic in
Pag. 19. col. 1. A. Supereſſet adverſa *mſs. Vill. Gem.* ſupereſſet ad verba
Ibidem C. Vela panduntur. At nautæ ſubmurmurantes affirmant *mſs.* vela panduntur ; & aliquanto maris ſpatio promovemur, cùm ſubitò nautæ primò inter ſe ſubmurmurantes, ac deinde manifeſta voce, murmur ipſum depromentes affirmant
Ibidem D. Ipſius ſum, & ſuffuſis *mſs. Thu. Vill. Gem.* ipſius ſum, dixit : & ſuffuſis
Oculis ejus, illico *mſs. Vill. Gem. Thu.* oculis ejus, concuſſiſque in gemitum cordibus noſtris, qui hæc audiebamus ac videbamus : illico
Col. 2. A. Elemento lacum *mſs. Vill. Thu. Gem.* Elemento latum
Ego autem *mſs. Thu. Vill. Gem.* ego tamen
Ibidem B. Poſitus magnificè *mſs. Gem. Thu. Vill.* poſitus, in eo magnificè
Et cogitatu *mſs. Vill. Thuan. Gem.* & extra, cogitatu
Rogatu amicorum & Canonicorum *mſs. Thu. Gem. Vill.* rogatu Canonicorum
Ibidem E. Objecto quoque quam plures ob id ipſum pro foribus attentos ſtare, paratoſque irrumpere, ſi ei ſoli adquieſceret *mſs. Thu. Vill. Gem. hæc omittunt.*
Illico nimis *mſs. Gem. Vill. Thu.* illico nimiæ
Cordis dolorem *mſs. Thu. Vill. Gem.* in corde dolorem
Pag. 20. col. 1. A. Redeuntes ; quoniam *mſs. Vill. Thu. Gem.* redeunt, & quoniam
Ibidem D. Intravere .. precabantur *mſs. Thu. Gem. Vill. minùs rectè :* intrare .. peccari
Ibidem E. Petri noſtræ *mſs. Vill. Thu. Gem.* Petri prò noſtræ
Col. 2. A. Teſelim *mſs. Bec. Thu.* Theleſim *mſs. Vill. Gem.* Teleſini

Digitized by Google

Patrem amice, & *mſs. Thu. Vitt. Gem.* Patrem in ſua, &
Converſanti illic *mſs.* converſantibus illic
Ibidem D. Propria cenſura *mſs. Gem. Thu. Vitt.* proprii cenſura
Ibidem E. Deus ei largiretur *mſs. Thu. Vitt. Gem.* Deus inibi largiretur
Pag. 21. *col.* 1. *A.* Fuerunt autem *mſs. Vitt. Thu. Gem.* ferunt autem
Ibidem B. Rogerus .. obſidebat *mſs. Thu. Vitt. Gem.* Rogerius .. obſiderat
Deſuper direpta *mſs. Thu. Gem. Vitt.* deſuper diruta
Ibidem C. Capite, vultu jucundo, intuitu nobis *mſs.* capite, comi vultu, jucundo intuitu nobis
Ibidem E. Expeditionem homo *mſs.* expeditionem ſecum adduxerat homo
Per clauſtra *mſs. Thu. Vitt. Gem.* per caſtra
Col. 2. *D.* Seſe in ſe tenere *mſs. Vitt. Thu. Gem.* ſeſe in eo tenere
Verecundia actus *mſs. Vitt. Gem.* verecundia iſtius
Ibidem E. Cum verò *mſ. Vitt.* cum ergo
Pag. 22. *col.* 1. *A.* Venerabili ſcilicet Hugone *mſ. Thu. omittit.*
Ibidem B. Illa mira *mſs. Thu. Vitt. Gem.* ille mira
Ibidem E. Si convaluerimus, non veniemus: ſi non venimus, convaluimus. *mſ. Thu.* ſi convaluerimus, non veniemus: veniemus, ſi non convaluerimus. *mſs. Gem. Vitt.* ſi convaluimus, non veniemus: veniemus, ſi non convaluimus
Quibus dictis, ab invicem diviſi ſumus *mſs. Thu. Vitt. Gem.* acquievi dicto, & diviſi ab invicem ſumus
Col. 2. *A* Nempe tenebant *mſs. Thu. Vitt. Gem.* certè nempe tenebant.
Tunc invalitudine *mſs. Gem. Thu. Vitt.* tunc noviter invalitudine
Ibidem B. Mortuo quaſi *mſs. Thu. Gem. Vitt.* mortuo quam
Ibidem C. In vita *mſs. Victor. Thuan. & Gemmet.* in via
Ibidem D. Perfuſus lacrymis *mſ. Thu. omit.*
Pag. 23. *col.* 1. *A.* Veram vitam ſervi *mſs. Thu. Gem. Vitt.* vitam veri ſervi
In omni ſexu *mſs Gem. Victorin. & Thuan.* in omnis ſexus
Col. 2. *A.* Ac pro ſuſcipienda *mſs. Bec. & Thu. rectius:* ac ſi pro ſuſcipienda
Ibidem B. Ei diſceſſum *mſs. Thu. Gem. & Vitt.* ei deceſſum
Ibidem C. Dilata. *mſ. Thu. addit:* his acceptis Anſelmus velox Angliam petit
Per duos ſemis annos *mſ. Vitt.* per duos annos
Ibidem D. Plane *mſs.* plene
Angliæ ipſi Abbates *mſs. Thu. Vitt. & Gem.* Angliæ Epiſcopi, Abbates
Voce reſpondit *mſs. Thu. Vitt. & Gem. rectius:* voce ſpopondit
Pag. 24. *col.* 1. *A.* Pro amore *mſs. Thu. Vitt. & Gem.* pro more
Aſtitit *mſs. Gem. & Vitt.* aſſiſtit
Ibidem C. Sciens ſe non alia conditione *mſs. Thu. Vitt. & Gem.* ſciens ſe alia
Ibidem D. Accidit autem una dierum dum ipſe Pater celebrato ſolemni Miſſæ officio, ſolus prout ei conſuetudinis erat, in oratio *&c.* Rex autem *&c. mſs. Bec. Gem.* Quadam die dum ibi moraretur, celebrato ſolemni Miſſæ officio, dum in oratorio per fletum Deo ſe mactaret, venit quidam homo pedes ſuos baculo regente oculorum lumen ſe amiſiſſe dicens, ac velle ut ſervus Dei manum ſibi imponeret: quem mox vir ſanctus accerſiri juſſit; tertiòque ſuper oculos ejus qui petebat, ſignum crucis cum pollice pingens oravit ſic: Virtus crucis Chriſti illuminet oculos iſtos; & aſpergens illos aquâ ſanctificatâ, omni cœcitate fugata hominem præcepit abire. Rex autem *&c. mſ. Thu. omittit hæc omnia ab his:* actu elongans, *uſque ad iſta:* Rex autem *&c.*
Col. 2. *C.* Adhuc frangerem, inde mihi liceret magnopere geſtire .. meum Anſelmus *mſs.* adhuc inde frangere mihi liceret, magnopere geſtirem .. meum Pater Anſelmus
Ibidem E. Ibique ex timore *mſs.* ibique Rex timore
Pag. 25. *col.* 1. *A.* De morte illius tantum *mſs. Vitt. & Gem.* de morte illius tamen
Ut cibum aliquid *mſ. Thu.* ut cibi aliquid *mſs. Vitt. & Gem.* ut in cibum aliquid
Ibidem B. Rodulphus Abbas *mſs.* Radulphus Abbas
Ibidem C. Cum decore *mſs.* cum dedecore
Col. 2. *B.* In regnum Eccleſiarum *mſs.* in regimen Eccleſiarum
Opere cum contra *mſs. Thu. Vitt. & Gem.* opere contra
Ibidem C. Aut exercitationibus *mſs. Vitt. Thu. & Gem.* aut exhortationibus
Ibidem D. Voluntati ejus non contradicam *mſs.* voluntati ejus libens parebo.
Ibidem E. Ut cibum quem *mſs.* ob cibum quem
Capere nequit *mſ. Thu.* capere nequeo
Rodulpho Roſenſi *mſs.* Radulpho Roffenſi
Pag. 26. *col.* 1. *B.* Ejus decimus tertius *mſs.* ejus decimus ſextus
Col. 2. *C.* Oſtentant *mſs.* atteſtantur
Retributionis & converſationis vitæ ejus *mſs. Vitt. & Gem.* retributionis vitæ & converſationis ejus

Mſ. Bec. Explicit Vita Beati Anſelmi.

CASTIGATIONES ET VARIÆ LECTIONES LIBRI DE EXCELLENTIA VIRGINIS MARIÆ.

Collatus eſt cum Mſs. Corb. E. 10. *&* S. 62.

Pag. 135. *mſ.* E. 10. Scriptum Eadmeri Monachi diſcipuli Beati Anſelmi Cantuarienſis Archiepiſcopi. De piiſſima & dulciſſima Matre Domini Maria. *mſ.* S. 62. Incipit Sermo de Sancta Maria. *Hoc mſ. non diſtinguit Capitula.*

CAP. 1.

Col. 1. *A.* Petenti mox *mſ.* S. petenti miſero
Verum cum *mſs.* verè cum

Digitized by Google

Quod vel parum concipiendi de ſublimitate tantæ matris, Dei ſcilicet Genitricis, omniumque tam Angelorum quam hominum Reginæ, ſciens *mſs.* quid vel parum percipiendi de ſublimitate tantæ matris, ſciens

Ibidem B. Cogere poterit *mſs.* cogere me poterit

Ineffabile bonum *mſs.* ineffabile donum

Laude ejus prolata ruminemus *mſs.* laude ejus profetamus, prolata ruminemus

Ibidem C. Optare nobis *mſs.* optatæ nobis

Peccatorum, cujus uterus factus eſt via ad ſanandum peccatores venienti *mſs.* peccatori, cujus uterus eſt factus via ipſi ad ſanandum peccatorem venienti

O habitaculum mirabile *mſs. omitt.*

CAP. 2.

Col. 2. *A.* Quæ Dei *mſs.* quòd Dei

Ad Dominum anhelat *mſs.* ad eam anhelat

Quoniam modo venit *mſs.* tamen quoniam mihi venit

Ibidem B. Primò parum de *mſs. omitt.* parum

Tua quæ precor *mſs. B.* tua, precor

Quæ vereor *mſs.* quæ veneror

Aliquid ſcribere *mſs.* quicquam ſcribere

Inſitæ tibi *mſs. B.* inſitæ tuæ

Velim agere *mſs.* vellem agere

Illis ab initio *mſs.* illis quæ ab initio

Sanctum ſui adventum *mſs.* ſanctum filii ſui adventum

Sicut tam per *mſs. omitt.* ſicut

Ibidem. C. Eam antequam *mſs.* eam ſibi antequam

Quod in ea re *mſs.* quod ea re

Incongrue actum *mſs. omitt.* actum

Quod enim alio modo ſublimitatem *mſs.* quo ſublimitatem

Pag. 136. *col.* 1. *A.* Eam refecerit *mſs.* eam fecerit

Similem morem *Edit. Pic.* humilem morem *mſs.* ſimpliciter morem

Magnitudini rei *mſs.* ejus magnitudini

CAP. 3.

Ibidem B. Non dicam.. conjecturare *mſs.* non dico.. conjectare

Ibidem C. Protecta *mſs.* protectam

Unitate *mſs.* unitatem

Nam inter *mſs.* nam & inter

Hoſpitaturus ut clientes *mſs. omitt.* ut

Ibidem D. Suo adventu *mſs.* ſuo adventui

Principibus ſuis ſcilicet regni *mſs.* principibus regni

Verum Deum & hominem *mſs.* verum hominem

Ibidem E. Pro ſacrificiis *mſs.* præ ſacrificiis

Col. 2. *A.* Crederet quis illam aliqua *mſs.* credidérim ipſam ulla

Ut nec ſuper *mſs.* ut verè ſuper

Sua ortus *mſs.* ſua totus

Ibidem C. Et parit hominem Deum omnes prævaricationes propulſaturum, eoſque qui ſibi obtemperarent in cœleſti *mſs.* ac parit Deum omnes prævaricationes ab Adæ filiis propulſurum, eoſque in cœleſti

CAP. 4.

Mirabilis natura & ineffabilis affectus amoris *mſs.* mirabilis itaque & ineffabilis amoris affectus

Aliqua bona mater *mſs. S.* aliqua mater

Tentet *mſs.* tentent

Ibidem E. Ipſumque nihilominùs amorem ſuum parentes *mſs.* ipſiſque nihilominùs ſuum parentes
